I. Boruss. 14.

Pufendorf

Digitized by Google

<36622872070019
S
33
<36622872070019
Bayer. Staatsbibliothek

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

SAMUELIS [illegible]

DE

REBUS GESTIS

FRIDERICI WILHELMI MAGNI,

ELECTORIS BRANDENBURGICI

COMMENTARIORUM

[illegible]

[illegible]

BEROLINI.

Impensis JEREMIÆ SCHREY, & Heredi FRIDERICI JOHANNIS MEYERSIANI

ANNO [illegible] LXXXVI.

Digitized by Google

1.

V. 5556

R

Digitized by Google

SAMUELIS de PUFENDORF,

DE

REBUS GESTIS FRIDERICI WILHELMI MAGNI,

ELECTORIS BRANDENBURGICI,

COMMENTARIORUM

LIBRI NOVENDECIM.

TOMUS II.

Cum Speciali Privilegio Sereniſſ: Elect: Brandenb:

BEROLINI,

Impenſis JEREMIÆ SCHREY, & Hered. HENRICI JOHANNIS MEYERI.

ANNO M DC LXXXXV.

Digitized by Google

Impensis IEREMIAE SCHREA, & Haered. HENRICI IOHANNIS MEYERI

ANNO M DC LXXXXV.

Cum Speciali Privilegio Serenissimi Electoris Brandenburg.

TOMUS II

LIBRI NOVEMDECIM COMMENTARIORUM EGREGIORIS BRANDENBURGICI MAGNI MIGHELINI ERIDERICI REBUS GESTIS DE SAMUELIS DE BRENDORF

Digitized by Google

SAMUELIS PUFENDORFI

DE

REBUS GESTIS FRIDERICI WILHELMI MAGNI

ELECTORIS BRANDENBURGICI

COMMENTARIORUM

LIBER UNDECIMUS.

EPITOME.

Summa destinatorum Gallicorum. 2. Electorem ad triplex fœdus invitant Belgæ; 3. Et Angliæ Rex. 4. Gallus de bello Belgis inferendo agitat. 5. Elector à Gallo tentatur. Furstenbergii de refingendo Belgii statu commentum. 6. Electoris ad proposita declaratio. 7. Ejusdem in Galliam legatio. Apud Colonienſem acta. 8. Elector ad societatem belli in Belgas invitatur. 9. Ejus de his judicium. 10. Bellum in Belgas decernitur: Sed differtur, & quare? 11. Elector ad fœdus cum Gallo denuo invitatur. Ejus declaratio. 12. Lotharingus ſua ditione expellitur. 13. Galli circa Polonicas turbas ſententia. 14. Elector Belgas ad avertendam imminentem tempeſtatem hortatur. 15. Belgæ bellum declinare ſtudent. Elector denuo circa bellum avertendum movet. 16. Is amplius ad belli ſocietatem ſolicitatur. 17. Colonienſis eundem ad bellum invitat. 18. Galli legatio ad Electorem. 19. Neoburgicus pariter ad ſocietatem belli invitatur: is Electoris ſententiam exquirit. Hujus reſponſum. 20. Super fœdere defenſivo inter directores Circuli Weſtphalici agi-

1668. tur. Elector contra Colonienſem proteſtatur. 21. Elector à Gallo ad neutra- 1668.
litatem invitatur. 22. Eam Neoburgicus ſvadet. 23. Una ſententia. 24. Altera ſententia. 25. Conſultatio ſuper ſumma rerum. 26. Belgæ ſegnius bellum adparant. Elector incaſſum circa pacem ſatagit. 27. Gallus Belgis ſpem pacis adimit. 28. Idem Electorem ad neutralitatem urget. 29. Gallus Electoris declaratione non eſt contentus. 30. Angliæ Regis ad Electorem legatio. 31. In Gallia incaſſum diſputatur. 32. Elector Svecorum conſilia explorare ſtudet. 33. Habitus tunc rerum Svecicarum. 34. Brandii in Svecia negotiatio. 35. Sveci cum Gallo fœdus ineunt. Ejus fœderis culpa eſt penes aulam Viennenſem. 36. Conſiderationes circa id fœdus. 37. Declaratio Brandio data. Fœderis Gallici interpretatio. 38. Svecorum de Electoris cum Belgis fœdere ſententia. 39. Sveci fœdus Gallicum Electori communicant. 40. Cum Daniæ Rege conſilium confertur. Controverſia ſuper cerimoniis. 41. Altera in Daniam miſſio. 42. Tertia vice legatus in Daniam mittitur. 43. Cum Saxone conſultatur. 44. Moguntini conſilium exquiritur. 45. Altera vice ad Moguntinum mittitur. 46. Controverſia cum Brunſvicenſibus ſuper Reinſteinenſi Comitatu. 47. Belgæ fœdus Electoris ambiunt. 48. Fœdus Electoris cum Belgis. 49. Cæſar in ſocietatem expeditionis invitatur. 50. Altera vice ad Cæſarem mittitur. 51. Fœdus inter Cæſarem atque Electorem. Fœdus ſecretum Cæſaris cum Gallo 52. Galliæ Regis ad Electorem miſſio. 53. Ablegatus Gallicus denuo redit. 54. Periculoſiſſimus Belgarum ſtatus. 55. Apud Belgas ſuper fœda pactione agitur. 56. Angli Gallorum ſucceſſus ſuſpectant. 57. Arauſionenſis in majorum ſuorum munia reponitur. 58. Electoris ad Belgas miſſio. 59. Hiſpani ad Electorem miſſio. 60. Elector expeditionem ſuſcipit. 61. Elector deſignatum iter mutat; ejusque cauſas Belgis adprobare ſtudet. 62. Trevirenſis tranſitum Rheni negat. 63. Cum Moguntino de tranſitu Rheni agitur. 64. Cum Palatino de tranſitu Rheni fruſtra agitur. Palatini conſilium. 65. Belgis iſta itineris averſio non placet. 66. Legati Belgici querimoniæ. 67. Elector omiſſo Rheno in VVeſtphaliam tendit. 68. Electori ab aliis Imperii Ordinibus nil auxilii eſt. 69. Ratiſponæ ſcriptis incaſſum certatur. 70. Cum Bavaro expoſtulationes. 71. Circa fœdus Brunſvicenſe acta. In Quedlinburgenſi conventu acta. 72. Cum Hiſpanis agitata. 73. Helvetii fruſtra ad ſocietatem belli ſolicitantur. 74. Legatio in Angliam. 75. Ejus legationis exiguus ſperatur fructus. In Anglia agitata. 76. Regis Angliæ ad Electorem literæ. 77. Electoris reſponſum. 78. Pacis exigua ſpes eſt. 79. In Sveciam legatio. 80. Svecorum declaratio. 81. Belgarum in Electorem querelis reſpondetur. 82. Per VVeſtphaliam geſta. 83. Super præſenti rerum facie conſultatio. 84. Electoris ad Cæſarem literæ, & legatio. 85. Cæſar Electorem in bello retinere ſtudet. 86. Elector Belgis inducias ſvadet. 87. Elector Arauſionenſi, & Belgis conditionem rerum demonſtrat. 88. Neoburgici circa Electorem cum Gallo conciliandum ſtudium. Conſultatio ſuper admittendis ſeparatis tractatibus. Rationes pro. Rationes contra. 89. Presſior negotii conſideratio. 90. Rationes contra. 91. Rationes pro. 92. Ad Regem Galliæ legatio. 93. Apud Turennium acta. 94. Apud Regem Galliæ acta. 95. Pax Vollemenſis. Articuli ſeparati. 96. Super ea pace Belgis ſignificatur: 97. Ut & Cæſari: 98. Sveciæ Regi: 99. Ac Imperii Ordinibus. 100. Cum Polonis acta. 101. Circa renovationem.

1668. *nem pactorum Poloni tricantur. 102. Alia super pactis renovandis legatio.* 1668.
103. De causa Kalesteiniana. 104. Super isto facto disceptationes. 105. Ab Electoralibus legatis VVarsaviæ acta. 106. Pacta demum confirmantur. 107. Elector Polonis auxilia mittit. 108. Offensa negotii Kalesteiniani paulatim exolescit. 109. Moscia.

Summa destinatorum Gallicorum.

ERuperat jam in publicum consiliorum tela, quæ dudum in Gallia super invadendo Europæ dominatu digesta fuerat. De qva Lionnæus multis ab annis disserere sveverat, eidem exsequendæ Anglorum qvoqve, & Svecorum operam adsciscendam, qvibus in præmii vicem aliqva Austriaci patrimonii pars intra & extra Europam attribuenda sit; tum ante omnia Fœderatos Belgas, qvi sese istis conatibus maxime opposituri videantur, in ordinem redigendos. Ea destinata cum deinceps maximam hujus operis partem impletura sint, ad lucem sequentibus adferendam plurimum profuerit altius heic repetere, qvo ordine Galli eadem disponere, ac paulatim expromere instituerint. Cum itaqve superiori tempore Gallis id præcipuum haberetur negotium, enormia Domus Austriacæ incrementa premere, ne hæc totam Europam imperio complecteretur, qvo colore Richelius, ac Mazarinus Cardinales actis suis adplausum conciliare sveverant; post invitante fortuna istam Domum plane subvertere, ejusqve opes, simul arbitrium rerum per Europam invadere libido subiit. Ad eum scopum omnia consilia dirigebantur, ac aliqvando aperto, & enixo studio, interdum languidius, ac velut furtim eodem tendebatur, prout captus temporum, & conditio Principum, qvibuscum negotium erat, suggerebat. Eqvidem Pyrenæam pacem sat æqvo pretio redimi patiebantur Galli medio licet victoriarum cursu, & cum omnia ampliſſimos progressus è facili pollicerentur; Lusitania ad nutus obnoxia, Angliæ rebus domi turbatis, Borealibus Regibus bello inter se implicitis, & magna Belgicarum virium parte eo aversa; novo qvoqve Cæsare per Transsylvanicas turbas ita distracto, ut Hispaniæ subvenire haut vacaret. Ac videbatur tunc Gallia satis habere æmulam potentiam ad mediocritatem, & agnitionem suæ debilitatis redegisse; præsertim cum inter eos Reges tunc initi tractatus omni, qvæ excogitari posset, solennitate, tum affinitatis vinculo firmarentur. Enimvero modica duntaxat ea pausa erat, qva Mazarius opus judicabat ordinandis Galliæ domesticis rebus, diuturno bello haut parum confusis, ac cumprimis instaurando ærario. Etsi peculiariter iste sibi spatium qværebat se, suasqve opes tam opimo ministerio corrasas, qvæ ad sexaginta uncialium milliones adscendere credebantur, Romam subducendi; ubi spes erat proximo interregno Pontificale fastigium obtinendi, ad qvod Hispanorum favorem per Pyennææ pacis mode. ationem sibi pigneraverat; edito qvoqve prudentiæ, qvalem regni sacrorum rationes reqvirunt, eximio specimine, dum æqvilibrium inter duas potentias Catholicas, in qvo summa autoritatis Pontificiæ vertitur, constituit, qvantum qvidem tempus, ac muneris ratio, qvo tunc in Gallia fungebatur, ferret. Sic ut is non posset non Hispanis esse venerabilis, velut paci servandæ necessarius. Eodem fine & connubium inter ipsius neptem, & Colonnam Connestabilem conciliatum erat. Ast postqvam is brei post pacem tempore fato concesserat, nec amplius esset, qvi tanto cum effectu privatas rationes publicis miscere, aut anteferre valebat: nullo ad Pyrenææ pacis æqvilibrium respectu exseri cœpit propositum de Austriacis plane ad incitas redigendis. Unde statim contra tam sancte datam fidem Lusitanis auxilia submittebantur delassandæ Hispaniæ. In Hungariam validæ copiæ ibant alendo bello Turcico, & animando Cæsari, ne id componere properaret; inprimis ut conspiratio Hungarorum, quæ tunc gliscebat, & quam Galli magno studio fovebant, fulciretur. Angli, Belgæq; subtiles per artes inter se committebantur, quo vires mutuo attererent, Galloq; viam munirent exsequendo destinato, statim post Philippi IV. mortem concepto de subjugandis Hispanicis provinciis. Quanquam autem iste post insignem harum partem decerptam paci Aquisgranensi ad quietem sese composuisse videretur, id tamen non fiebat amore pacis, aut quod tam egregia accessio ex facili parta libidinem aliena rapiendi satiasset; sed quia facilius adquiri, ac firmius retineri judicabantur,

1668. bantur, qvæ carptim, & per intervalla invaderentur, qvam si enormia incrementa continuo, ac diuturno bello peterentur, ab initio victorem sæpe ita delassante, ut ad extremum parta non sine veterum opum jactura sint revomenda, inprimis si alii, uti fieri assolet, succumbere incipientem, auxilio sublevatum eant, ne hic debellatos ipsos qvoqve in ruinam trahat. Ast si post modicam prædam pacis cupido præferretur, facild adversos aliorum conatus eludere licebat, fœderibus inter tam multos lente coeuntibus, ac ipsa pacis brevi secuturæ opinione belli paratus refrigerante; & qvia vix operæ pretium videtur mediocria damna majoribus impensis, atqve laboribus reparatum ire. Ac ipse temporum lapsus solutis oppositorum fœderum vinculis ansam præbiturus erat arma iterum opportune, ac majore vi movendi; qvæ semper in promtu etiam media pace haberi opulentissimi regni reditus tolerabant, ad cujus divitias cumulandas non minus exterorum stoliditas, qvam civium solertia certatim incumbebat. Cæterum Aqvisgranensi paci prætextum præbebat triplex illud fœdus, inter Anglos, Svecos, & Belgas initum; qvod à Colberto, Lionnæo, ac Luvoisio, per qvos tunc negotia regni tractabantur, avide arreptum est, ut Regem è campo intra consilium pertraherent, sibi dein magis obnoxium futurum. His qvippe Turennii autoritas inter arma prægravis reddita fuerat; qvi & jam non sine supercilio cum iis agebat, ac itinera ita dispensabat, ut iisdem aliqvando vix intra duas septimanas Regem alloqvendi facultas esset, jussis qvoqve hujus per Turennium Luvoisio denuntiatis. Unde & isti tædio earum rerum junctim Lutetiam revertebant, super conservanda sua autoritate consultaturi. Qvo fine primum remedium habitum fuit Condæum iterum protrahere, eumqve Turennio adjungere, militare imperium cum hoc divisurum. Simul cum Wittio super ponendis armis secreto communicabant, ac Regem dextre negotiationi de pace implicabant, ut ea sese post commode extricare non posset, nisi abrupte datam fidem violare vellet. Atqve id eo tempore fiebat, qvando Turennio in Flandria absente Rex Lutetiæ à solis ministris obsidebatur. Ast Turennio in aulam reverso res aliam plane faciem induere cœpit, cum is Regi perspicue demonstraret; nil facilius nunc esse, qvam Hispanos uno ictu Belgio exterminare; qvod & Condæo probabatur. Cui qvod opponerent ministri nil habebant, nisi qvod contenderent; alios qvosdam Principes in societatem fœderis pertrahendos, ut de successu eo melius cautum sit. Eo fine Pomponio nova mandata mittebantur ad Svecos fœderi Gallico illigandos. Et qvanqvam hujus negotiatio non eum, qvi sperabatur, successum sortiretur; Turennius tamen Regem eo permovebat, ut denuo de bello continuando huic confirmaret, insuper habito Belgarum officio, ac fide hisce data; modo Luneburgici in partes trahi possent, ut arma in eos arriperent, qvi Gallicis sese conatibus opposituri essent. Nam de Dani auxilio cautum erat. Brandenburgicus medium statum secuturus credebatur. Ac qvod maximum erat, circa Viennense consilium temperandum Gallo ope corruptorum qvorundam ministrorum plus fere facultatis, qvam ipsi Cæsari, erat. Enimvero Luneburgici Belgis addicti tam periculoso se negotio miscere abnuebant, dexteritate, uti credebatur, Waldeccii Comitis persvasi: qvem ultro operam suam circa res Germaniæ offerentem qvod Galli annua pensione IV M uncialium sibi innectere neglexissent, jam pœnitentia tangebantur. Ita qvicqvid Turennius reniteretur, tres ministri prævalebant, ut super admittenda pace parum duratura decerneretur. Præsertim cum prudentes judicarent, brevia bella incrementis Galliæ magis conducere, qvam diuturna. Et adversus hanc nil profici posse nisi longo bello; ac eam ipsam virium unionem, qvæ istam aliis tam formidabilem reddit, ad ejusdem ruinam facturam, ubi semel insignis clades accepta, ac in viscera regni penetratum fuerit. Videbatur haut eo minus Turennius id decretum subversurus, aut saltem remoraturus, ni Condæus, qvi ad extremam consultationem vocatus fuerat, ministrorum sententiæ accessisset, vel ut his blandiretur, utpote qvorum favore in Polonico negotio opus habebat, vel qvoad crederet, promtiore se auxilio Regis usurum, ubi hic nullo bello implicitus esset. Etsi qvod Turennii rationibus opponeretur, nihil erat præter fidem Belgis datam. Sed qvam sancte Gallis eam pacem servare cordi foret, vel inde judicare licebat, qvod Lionnæus jactare non dubitaret; si Rex omnibus sumtibus in hoc bellum factis nil aliud obtinuisset, qvam qvod renuntiationem nomine Reginæ in hujus ditiones paternas factam irritam reddiderit, ingens operæ pretium eundem fecisse. Ac alias Gallis persvasio, longe qvidem absurdissima, sedet; si qvid juris semel ei coronæ qvocunqve modo partum sit, id nunqvam alienari posse. Unde qvia

1668. de qvia Gallus credi volebat, jus sibi ad occupandum Belgium competere, super qvo nec judices, nec arbitros, sed seqvestres duntaxat ferre placebat; si maxime in præsens aliqva portione adqviescret, juri tamen qvalicunqve vis sua mansura erat commento legis Salicæ, qvod ab ipso aut successoribus, qvocunqve tempore occasio arrideret, vindicari poterat. Qvin si maxime Rex in præsens super peculiari Reginæ conjugis prætensione transigeret, omnium Principum sponsione admissa: manebat tamen actio in totam successionem Hispanicam, imperium Europæ post se tracturam, ubi Hispaniæ Rex absqve prole decederet. Nec artes defuturæ credebantur eludendæ sponsorum oppositioni. Contra apud Hispanos, de qvorum corio ludebatur, etsi non deerant, qvi fortia consilia ingererent, nec cedendo, ac transigendo apud Gallos aliud effici, qvam ut ipsa facilitate eorum aviditas irritetur: pleriqve tamen satius judicabant, aliqvot pennas sibi evellandas concedere, qvam summam rerum aleæ belli exponere, ad qvod rite gerendum tam maligne instructi forent. Ac sane Hispani, cum summam vi bellum gerendum esset, nil aliud qvam legationibus verba duntaxat allaturis alios obtundebant; eoqve ipso Gallis spatium concedebant, ut seqvente expeditione majore mole in campum prodire, ac letalem plagam Hispanis intentare possent. Qvanqvam & in iis, qvi solicitabantur, parum præsidii foret. Cum Lusitanis satis habebatur hostilitatem exuisse; qvibus ut contra Gallos opis qvid ferrent, nec voluntas, nec facultas erat; utut alias qvererentur, à Gallis nec unicum articulum fœderis secum initi servatum. Nam nec hos in Catalonia Hispanorum vires distraxisse, nec promissas pecunias numerasse, nec effecisse, ut Pontifex Lusitanum Regem agnosceret, eiqve regno Episcopos daret, nec Bredæ ipsos cum Belgis reconciliasse. In Anglia plurimum præsidii esse poterat, si Rex rationes sui regni, & inclinationem populi examussim seqveretur. Sed ut hunc in partes suas pertraherent, Galli summopere laborabant, aut recta via incedentem intestinis turbis exercituri, qvas hujus Regis parens exitiabiles sibi expertus fuerat. Belgis à Gallo ostentabatur pactum anno 1635 super dividendis Hispanicis provinciis initum: si prædæ partem abnuant, Anglos, Svecos, & Monasterienſem iis immittendos. Joanni Wittio Arausionensis occinebatur, si qvid mutire auderet. Sane post tantos primo anno Galli in Flandria progressus Beuningius non parum remissa ferocia differebat: *Gallum intra paucos menses eousqve mutatum, ut nec amicos, nec fidem datam curet. Nec meliora speranda, ubi destinata successerint; post qvod sine dubio atrox calamitas patriæ suæ sit incubitura. Unde totis ad servandas provincias Hispanicas connitendum, qvas semel deglutitas Galli faucibus iterum eripere arduum futurum sit.* Qvem Lionnæus minitabundus retundebat: *si Belgæ qvid movere ausint, Anglo castigandos traditum iri, cui consumelia apud Chattamum illata alte mente reposita sedeat.* In Germania Galli Ecclesiasticis bona sacra per Protestantes occupata, Bavaro autem, & aliis Catholicis secularibus canebant; Austriacos præsenti necessitate Protestantium ope in fraudem istorum usuros, ac præcipue Brandenburgicum futuros, neglecto Bavaro. Contra Protestantibus insinuabant; sibi clandestinum cum Svecis fœdus esse, qvos Galliæ adversa moliri prurientibus immissuri sint. Aliqvando tamen differebant; Svecos uti olim Galliæ, ita nunc Austriacis sese illigaturos; qvi pro novata sibi opera istis vicinos attondendos præbituri sint. Eoqve fine Dani amicitia colebatur, ut si Sveci in Austriacos flecterent, hi inutiles redderentur. Etsi spes non deesset Svecos ope argenti vel in suas partes, vel ad medium statum pertrahendi; Præsertim cum Austriacis facultas non esset id suppeditandi, qvo istis maxime opus erat, si qvod operæ pretium facere deberent. Inter hanc Hispanorum impotentiam satis adparebat, qvantum periculi Protestantibus immineret, si Galli istos sub jugum misissent, cum horum inter se æmulatio illis non parum præsidii hactenus præstitisset. Nam non levius odium Gallis, qvam Hispanis, in Protestantium sacra esse, satis arguebant, qvæ qvotidie in Gallia contra Reformatos patrabantur, fidissimos civium, & qvibus Rex coronam debebat. Et causa, ob qvam hactenus Gallia Protestantes suffulserat, nunc expirabat, Austriaca Domo huc redacta, ut isti non amplius formidaretur. Apud Anglos qvoqve, & Belgas accedebat commerciorum respectus, qvorum fere arbitrium ad Gallos oppressa Hispania rediturum erat. Svecos autem peculiariter offendebat, qvod antea Galli ostenderant, gratum sibi fore ab istis Bremam invadi. Scilicet qvia credebant, eosdem urbi subigendæ pars non fore; eoqve cum Galliæ auxilia qværentibus Cæsaris, & Imperii offensa contrahenda foret, istius amicitiam eo arctius iisdem amplectendam. Unde & auxilium suum offerebant, si à Cæsare, aliis-

1668. qve ob impugnantem eam urbem ipsis vis intentaretur. Nam si in Germania turbanda foret, auxiliarium duntaxat partes subire malebant, invidia aggressionis in Svecos devoluta. Aft mox Daniæ Rex cum Belgis fœdus ineibat, ex qvo iste XL naves bellicas armaturus erat Belgis DC M uncialium suppeditaturus; cujus fœderis Gallus sponsorem se ferebat. Unde cum eo nomine Elaias Pufendorfius, Svecicus Lutetiæ minister, cum Lionnæo expostularet, ostenso, qvia *prius fundamentum amicitiæ inter Gallum & Sveciam expirarit, Austriaca potentia plus satis accisa; aliam nunc viam ineundam, si Svecæ amicitiam conservare cordi sit:* Lionnæus qvod reponeret, nil aliud habebat, qvam, *non par esse, ut amicus amico invideat. Galliam ita secundo nunc vento ferri, ut ejus amicis male esse neqveat. Haut lucrosum esse miseris sociari.* Qvæ satis insinuabant, à Gallica amicitia non nisi temporarium lucellum expectari posse. Ita Sveci à Gallis neglectim habiti, prout hisce mos est inter secundas res etiam fortunæ suæ promotores contemnere, fœderi inter Anglos, & Belgas accessere servandis provinciis Hispanicis, qvibus subactis via ad hosce subruendos sternatur. Qvod factum cum Galli ægre ferrent, Lionnæus è Blumenthalio qværebat; *an non Wrangelium libido subire posset Pomeraniæ imperium invadendi; aut si ultro isti talia in mentem non veniant, an non Elector ista suggerere possit?* Cui Blumenthalius: *Wrangelium malle officia patriæ præstita sine præmio esse, ac nonnulla duriora tolerare, qvam isti turbas dare. Sed nec Electori tutum esse, qvare tam infensa in Svecos machinetur, qvibuscum ipsi amicitia intercedat.* Lionnæo regerente; *ne nimium Svecorum amicitia confideret Elector, qvi antea clarorum memoriam nondum exuerint, nec ultionem data occasione omissuri sint.* Cæterum triplici isti fœderi haut qvidqvam vim fore ad diuturnitatem Europæ parem præstandi, facile judicabant, qvi indolem Galli, ejusqve regni, ac vicinorum habitum penitius intelligebant. Etqvidem qvi genium Regis curatius inspexisse sibi videbantur, Consilium, ærariumqve, ac delicias magis, qvam bellicos labores coreî ipsi esse rebantur, ac dum naturæ suæ vim inferre, ubi in expeditionem prodierit. Enimvero ambitio, ac importuna sitis è prolatis finibus gloriam qværendi reliqvis affectibus longe prævalebat. Præsertim cum arena belli vix tridui itinere Lutetia distaret, unde protinus ad voluptates suas recurrere poterat, si castrorum tædium cœpisset. Neqve vero valde laborioſum erat nationi sanguinis sui tam prodigæ vel difficillima pericula subeunda imperare, adversus qvæ ipse sibi satis prospicere noverat. Sed & qvotidie militares homines, aut adulatores occinebant: *jam tandem tempus venisse, qvo Gallica natio de æmulis triumfare, veterisqve monarchiæ limites instaurare debeat. Ac uti qvondam Carolus Magnus pagana superstitione infectos populos ad religionem Christianam simul imperium suum adduxerit; ita Ludovico Magno devias ab Ecclesia Romana reductas oviculas viam ad imperium orbis munituras. Aliubescere omnia instituto etiam per vim exseqvendo idonea: ac sola voluntate opus esse, ut arripiantur, qvæ fortuna ambabus manibus offerat. Domi addictissimum nobilitatis, ac totius populi obsequium. Principibus nullum nisi in Regis gratia præsidium. Sacerdotibus Regis placita pro lege. Hugenottis vim nocendi ademtam. Consilium penes paucissimos, corruptionibus exterorum impenetrabiles: exercitus instructissimos; ærarium locupletissimum.* Sed & vicinorum conditio istis ausis admodum favebat. Hispanis Rex puer. In Consilio exitiabilis divisio, qvæ non poterat non lenta decreta, somniculosam exsecutionem parere, per qvam multæ præclaræ occasiones incassum elabantur. Regina Rectrix modica autoritate, ac ingenio ministri non eximia prudentia, qveis unica cura opes privatim cumulare, qvicqvid de publico fieret. Argenti summa penuria, ob malam fidem, & aviditatem eorum, penes qvos publicorum redituum administratio; à qvibus introductæ confusionis correctio non nisi à magna autoritate speranda erat. Præterea nulli egregii, ac celebres duces præter Joannem Austriacum, rectoribus suspectum. Copiæ exiguæ, ac miserrime habitæ Et qvod deterrimum erat, vix ulli Rex ad virilem ætatem perventurus credebatur. Viennæ langvida consilia; nulla mascula proles: infida Turcarum vicinitas: Hungari in res novas proni. Imperium scopis dissolutis simile, ac venalis passim ministrorum fides. Et cum antehac Germania semper Gallis formidini fuerit, jam hi de istorum consiliis, ac viribus admodum contemtim sentire cœperant, postqvam comitiis Cæsareis Francofurti, ac novissimo bello Turcico acta perspexissent. Ibi qvippe multis herisjuxta, ac ministris venales animas observare licebat, qveis pecunia ante fas patriæ, bonumqve publicum, ac decus habebatur. Unde Gallis fiducia nata per nummos validissimæ reipublicæ vires eludendi, tum per peculiaria fœdera qvosdam Principes sibi innectendi; 1668.

1668. ctendi; postqvam non pauci jure fœderum, qvod salva reip. compage ultra defensionem porrigi non debebat, eousqve abuterentur, ut exteris vires suas commodarent exsequendis destinatis in Germaniæ demum exitium redundaturis, aut publice licet omnium consensu decreta privatis pactis irrita redderent. Cui abusui ni remedium adhibeatur, prudentes dudum augurati sunt, Germanos ipsos vili argento cunctos patriæ perdendæ operam accommodaturos. Bello Turcico Galli viderant, qvam male compositus exercitus contra Turcas consarcinatus foret; & qvod medio in periculo, qvod Germaniam post debellatos ab istis Austriacas provincias mansurum fuerat, suspicio adversus Cæsarem non cessaret; adeo ut plurimi mallent Turcam pace non sine lucro potiri, qvam Cæsarem obtentu ejus belli armis se egregie instruere, aut ab Imperio præbitis ad domus suæ opes stabiliendas, premendosqve Ordines adhibere. Porro Helvetii argento Galliæ plane mancipati erant, ut robusta corpora hujus ambitioni immolanda libenter venderent, cum Hispanis opes non essent, ut Gallos licitando vincerent. In Italia ministrorum corruptelæ haut ita freqventes; sed nec satis virium fulciendis Hispanis, si Gallo hosce ibi invadere placeat. In Lusitania regimen nondum satis firmatum; ac si maxime præsentes defectus emendarentur, Gallo tamen fiducia erat autoritate sua apud eam nationem efficere, ut vel otiosa Hispanorum exitium spectaret, vel Hispaniæ Rege moriente in partem prædæ venire vellet. Qvo fine & Gallorum artibus efficiebatur, ut aliqvo juris colore solio dejecti Regis Alfonsi frater, & successor Petrus istius uxorem sibi sociare posset. Cum enim Romæ ea dispensatio hæreret, in Gallia aliud remedium ea occasione inventum est. Lionnæi uxor sæpissime à marito contenderat, ut sibi à Cardinali Vindocino Legato à latere, simplicis ingenii viro, veniam impetraret qvævis monialium cœnobia ingrediendi, atqve ibi cum virginibus conversandi. Unde is ansam arripiebat mandata Cardinali à Pontifice data inspiciendi. Ubi cum observaret, virtutem diplomatis Pontificii non ad solum Galliæ regnum, sed & vicinas ad regiones porrigi; Regi proponebat, an non legatus iste vi ejusmodi mandati Lusitaniæ Principi dispensationem conferre posset? Id cum Regi arrideret, ac is Legatum ea super re tentaret; hic nullo scrupulo, ut Regi placeret, simul nepti suæ consuleret, dispensationem in amplissima forma expedivit. Qvæ in Lusitania velut cœlitus demissum opus arrepta fuit, nulla super legati mandatis disqvisitione; præsertim qvia Galli tam plebi, qvam Nobilitati ibi persvaserant, si Petrus Princeps Austriacam duceret, ejus sterilitatem per medicamenta procuratum iri, ut Lusitaniæ denuo invisum Castilianorum jugum subeundum sit. Et qvod Regina Hispaniæ, anteqvam pacem cum Lusitanis decerneret, omnes Theologos sui regni consuluisset; *an non præsenti tempestate Lusitanis promittere qvid possit, qvod dein cessante necessitate salva conscientia infringere liceat?* Circa qvod negotium nec id insuper habendum; Reginam Lusitaniæ tunc temporis Lutetiam scripsisse, ab Alfonso Rege matrimonium haut fuisse consummatum; cum tamen eadem ante tres menses iisdem significasset, gravidam se sibi videri. In Anglia Rex usqve adeo voluptatibus addictus erat, ut ministris clavum reipublicæ relinqveret, eosqve exteris corrumpendis prostituerit. Ac jam Colbertus ex Anglia scripserat; postqvam Arlingtono ostenderit, qvousqve Galliæ Regis liberalitas processura sit; hunc in posterum studium circa Galliæ utilitates promisisse, modo aliqvod tempus sibi concedatur, anteqvam id exserere possit; qvod ita repente consilia sua mutare neqveat, qvin alii protinus ejus mutationis causam divinaturi sint. Sed & Gallis haut indecorum habebatur, impudicas fœminas, qvæ corpus libidini Regis prostituebant, maximis muneribus cumulare, ut & hæ operam navarent ad eundem contra proprii regni, ac orbis Christiani rationes Gallicæ ambitioni fulciendæ mancipandum. Polonia miseriarum, & confusionis plena, nec sibi, nec aliis consulere valida. Dania Galliæ innexa, saltem qvamdiu vicina Svecia præsentibus consiliis inhæreret. Svecia longe remota, cujus provinciæ Teutonicæ, per qvas solas huic negotio miceri poterat, ita exhaustæ erant, ut post novissimam exautorationem novum exercitum parandi facultas deesset, nisi aliena pecunia sublevaretur, qvæ à præsentibus ejus fœderatis sperari non poterat. Et si maxime amicorum ope arma iterum instruerentur; vicini tamen Mosci, Danus, & Brandenburgicus Elector ita ejus motibus imminebant, ut omnibus suis viribus ad propriam conservationem opo haberet. In Belgio plerasq; provincias, ac nonnullas Hollandiæ urbes Wittiani regiminis tædium ceperat; cum contra Arausionensis jam rebus gerendis matureiceret; qvorum collisione gravis Reipublicæ tempestas imminere videbatur. Et qvanqvam Belgæ in præsens Anglis, ac Svecis fœdere illigati non leve obstaculum

Vindocinus.

Gallo-

1663. Gallorum destinatis dare poterant; his tamen non defuturæ erant artes æmulationi inter Anglos, Belgasque serendæ simul Sveci, revocatis in memoriam non ita pridem in se patratis, ad ultionem stimulandi erant. Ac ut hos triplici fœdere abstraherent, Hispanis insinuabant: Svecos jam cum Gallo convenisse, eoque stulte istos acturos, si hiscte promissa subsidia exsolvant. Nam his ubi potiti fuerint Sveci, tergum Hispanis obversuros. Ac erat eo tempore in Gallia filius cujusdam è Sveciæ proceribus, qui palam dissitebat: Sveciam triplici fœdere haut staturam; ac satis notum fuisse, Hispanis quod dent parum esse. Id fœdus in solius Belgii usum cedere, nullo Sveciæ emolumento, quæ facile incrementa Galliæ tolerare possit, modo hæc vicissim Svecis alia commoda concedat, eosque rem alibi suo lubitu gerere patiatur. Intra triennium, quando Rex ipse sceptrum capessiturus sit, alia plane consilia ibi captum iri. Lionnæus quoque dicebat: Gallos facile concedere posse, ut Sveci Hispanos pecunia emungant, modo postea ad veterem amicitiam redeant. Denique & Belgæ omnes sibi vicinos Germaniæ Principes ita aspere tractaverant, ut hi facile permovendi viderentur ad arripiendam ultionis occasionem, quam Gallus suppeditaturus erat. Extremum præsidium, & velut sacra anchora habebatur Turca, de quo non ita pridem Luvoisius dixerat; se curari, in præsens super Turcico fœdere scrupulos conscientiæ moveri, cum ea sub Francisco I. frequentata fuerint. Ita ergo omnia domi forisque inquietam, & alieni avidam nationem in arma stimulabant, ut brevi ingens tempestus ab eadem excitanda foret; nisi modicum tempus interponere placuisset per consilia & artes moliendis, quæ difficultatem cœptis eorum objicere potesant. Interim ut favorem sibi apud Pontificem, Italosque conciliaret Gallus, ac ne videretur armis suis non nisi ad turbandam orbis Christiani quietem usurus, Venetis valida auxilia in Creta misit, hac occasione inductus. Pontifex apud Hispanos auxilia pro Venetis petierat, ac ut laboranti Candiæ subveniretur. Cui ab his responsum: Gallum tot prætensiones in Belgium formare, armisque suis tantam suspicionem injicere, ut sibi haut integrum sit suis neglectis aliena curare. Id Pontifex Gallo demonstrabat; atque per salutem orbis Christiani orabat, aliis Principibus suspicionem eximeret, eosque suo exemplo ad auxilia contra communem hostem mitenda incitaret. Unde Gallus declarabat: se intra annum nil contra Hispanos moturum; quo publica quiesturbari possit. Simul validas copias sub Bellefortio Candiam mittebat; etsi exigua cum Gallorum gloria, ac Venetorum emolumento. Circa quod factum, queis priorum temporum notitia erat, observabant; Gallorum quoque temeritatem in causa fuisse, ut Sigismundus Imperator à Turcis ad Nicopolim vinceretur; qua clade res Hungariæ in pejus ruere cœperunt, nunquam pristino vigore recepto. Expeditiones quoque Gallorum contra Saracenos, & in Palæstinam factas Græciam, & Asiam Minorem debilitasse; ac demum occupationem Constantinopoleos vires Imperii Orientalis ita debilitasse, ut hoc postmodum Turcis resistere nequiverit. Neeminus Ludovici Sancti expeditionem in Ægyptum imperio Mamelucorum causam dedisse, Christianos vero istis regionibus ruina involvisse. Quanquam multi censebant, Venetos amissa Creta haut adeo magnam jacturam fecisse, acid bellum pervanitatem Regnum possidendi, ac privatum lucrum quarundam familiarum fuisse extractum. Nam Respublica vivo adhuc Mazarino scriptam à Gallo declarationem exegerat, pari cum Regibus honore se habendam, si maxime Creta amittatur, id quod tunc negatum fuerat. Alii tamen hanc præcipuam causam expeditionis Gallicæ in Cretam ferebant, quod tunc negotiatio circa triplex fœdus quam maxime Hagæ ferveret: adversus cujus socios cum protinus offensam expromere haut tempestivum esse, id prætextum fuisse arreptum istam honeste dissimulandi, simul ut Gallus, non spernanda virium parte alio missa ostendebat, triplex fœdus à se parum curari. 1663. *Beaufort.*

§. 2. Istud igitur fœdus etsi æquilibrium Europæ, in quo publica salus, & securitas vertitur, spectaret, quæ & semper Electori maxime cordi fuerat; quo minus tamen eidem & ipse accederet, præter alia obstabat, quod nec illi, penes quos tunc summa consiliorum apud Belgas erat, ipsius arma præbitis aliunde pecuniis gliscere vellent; & Sveci, qui jam præcipuas partes ejus fœderis occuparant, ob eandem causam eundem in emolumenti partem admittere nollent. Equidem proponebant Belgæ Electoris Hagæ legatis, ut & his huic fœderi nomen dare velit. Quibus repositum; *id Electori studium esse, id ejus rationes exigere, ut Protestantium sacra adversus infestas machinationes serventur, cum & pacis turbamenta tollantur. Nec sibi cum Gal-* *Electorem ad triplex fœdus invitant Belgæ.*

1669. *lo qvid vinculiesse, qvo minus ei fœderi accedere qveat. Enimvero vix ei videri triplex hocce fœdus ita comparatum, ut ex eo res Protestantium, & publica pax multum firmamenti polliceri sibi debeant. Esse eidem secretas istius leges incognitas, super qvibus antequam cautum sit, haut consultum tam alte tendenti negotio se immergere. Cessasse qvoqve præcipuam ejusdem causam, pacis inter Gallos, & Hispanos promotionem. Cum etiam nemo Catholicorum eo fœdere comprehendatur, hosce ansam inde arrepturos supervacuis suspicionibus, ac opposita fœdera molituros. Et qvod Belgæ jactent, arctiorem inter Gallos, & Anglos amicitiam scrupulum sibi injicere, ne ista in detrimentum Protestantium redundet; id periculum per triplex fœdus, alio plane fine initum haut avertendum. Deniqve & subsidio pecuniario opus fore, & ut obstacula illa aliqvando amoveantur, qvibus tantum molestiæ hactenus Electori datum sit.* Cæterum id fœdus non plane repudiare jubebantur legati, ut tamen verbis haut stringentibus uterentur, & Electori omnia integra servarent.

Et Angliæ Rex. §. 3. Ab Angliæ qvoqve Rege missus Regium montem veniebat Gabriel Sylvius, ut de nuptiis secundis Electori gratularetur, ac Arausionensis Principis emolumenta commendaret; simul de arctiore cum Belgis conjunctione significaret, Reformatæ religioni, ac Christiani orbis paci firmandæ cessura; deniqve ut istum ad triplex fœdus amplectendum invitaret. Is publico alloqvio defunctus privatim Sverino exponebat; *à Rege Angliæ Electorem præ aliis Principibus æstimari, ejusqve amicitiam maximi fieri. Unde testando suo in eum judicio ad triplex fœdus voluisse invitare, qvod nullius offensam, sed conservationem duntaxat & æqvilibrium Europæa machina spectet. Qva in re iste non proprium emolumentum, sed unice Electoris præ oculis habeat.* Ad qvæ Sverinus: *Plurimum sane Electoris interesse istis locis pacem constare. Neminem qvoqve orbis Christiani Regem ab ipso majoris fieri, qvam Anglum eadem sacra professum, cujus & consilio is plurimum deferat. Sed necessum esse, ut is circa tanti monenti negotium prius penitus edoctus sit. Nam famam esse, Regem id fœdus multis partibus interpolari velle; ac nuper peculiari se pacto Gallis innexuisse. Igitur constare oportere, num ablegato facultas sit hoc negotium perficiendi, an id Hagam, aut alio remittendum sit; ac num genuinum fœderis exemplum communicare qveat.* Ad hoc Sylvius: *Sibi qvoqve auditum de mutata Regis voluntate, ac negotia cum exteris non amplius ab Arlingtono, sed à Duce Buckingamio tractari. Sed talia falso à Gallis spargi; ac Regi eandem mentem, eadem consilia constare. Sibi tamen haut injunctum negotium hoc absolvere, sed tantum exqvirere, num Elector fœderi accedere velit: qvo casu Hagæ super eodem transigendum sit. Fœderis exemplum adferre supervacuum visum, qvod Joannes Wittius affirmarit, dudum id Electoralibus Hagæ ministris communicatum.* Contra Sverinus: *Wittium eqvidem excerpta qvædam communicasse. Sed constare, secretos qvoqve articulos conditos, qvorum copia facta non sit. Svecis qvoqve insignia subsidia promissa: de qvibus cum nostri apud Wittium moverent, altum de iis silentium fuisse. Qvi & ita frigide cum nostris de eo fœdere locutus sit, ut facile adpareret, Belgis accessionem Electoris haut magnopere cordi esse. Et cum id fœdus suscipi absqve magnis sumtibus, ac sine gravi Galli offensa haut possit, constare prius debere; qvid emolumenti fœdus id suscipientem mansurum sit? Eqvidem si id negotium solum Regem, idqve directe spectet, Electorem pro suo in hunc affectu haut diu tergiversaturum. Sed qvia in Hispanos, ac Belgas præcipue tangat, à qvibus is hactenus sat indigne habitus sit, circumspecte ipsi procedendum.* Sylvius: *Regem haut ignorare, uti Hispani pollicita haut implerint, & qvam iniqve Belgæ cum Electore egerint. Spem tamen esse hunc ideo publicam juxta, ac privatam salutem haut neglecturum. Ac si ei placeat omnia ista Regis fidei committere, hunc operam daturũ, ut eidem ex æqvo satisfiat, utqve fœdus amplexuro de idoneis emolumentis caveatur.* Enimvero negabat Sverinus, Electorem tanto se negotio immergere posse, cujus interior habitus, & genuinus scopus ipsi penitus perspectus haut sit; ac ab omnibus eum moneri, secretos articulos subesse, qvi utiqve inspiciendi sint. Nosse qvoqve velle, qvo modo is in fœdus recipiendus sit; qvod pars accessoria esse nolit. Ac ante omnia sciendum, qvid emolumenti, & cautionis sperandum. Super qvibus cum ablegatus nil sibi mandatum fateatur, in præsens Electori nil superesse, qvam ut de negotio penitius exploret, ac suis Hagæ legatis mandet ulterius super eodem agere; qvi de cætero publico bono sese haut qvidqvam subducturus sit. Ad hæc Sylvius: Regem solum de conditionibus statuere non posse: operam tamen navaturum, ut Electori satisfiat. De secretis articulis nil sibi constare. Scopum fœderis iis verbis exprimi, *qvietem orbis Christiani, & nuperæ pacis conservationem.* Ac Belgas non Electorem solum, sed & Luneburgicos, & Has-

17. Jan. 10. Jan.

1669.

1669. ſos in id fœdus pertrahere cupere. Circa Arauſionenſem Elector oſtendebat; *Wistium ſemper ſuſpicione perſtrictum fuiſſe, qvod ipſe tanto ſtudio pro iſtius commodis connixus fuerit. Se proſpera qvævis Principi optare: ſed nunqvam in animo ſibi fuiſſe cum detrimento libertatis Reip. iſta procurare.* Sylvius eandem Regi mentem eſſe affirmabat, ac unice iſtius fortunas, & incrementa à Republica provenire debere; etſi & hunc miniſtra apud Belgas ſuſpicio prægravet. Circa ſubſidia judicabat Sylvius Belgas haut fore difficiles, ubi res gerenda fuerit. Sed reponebatur; tunc ſerum fore milite colligendo operari: nec veteres copias ſine ſubſidiis ſervari poſſe. Iſta omnia à ſe probari Sylvius ferebat, ac eadem diligenter ſe Regi commendaturum pollicebatur. Satis tamen adparebat, non niſi explorandi cauſa iſtum veniſſe. Nam Galli jam triplex fœdus contemnere cœperant, qvod in proclivi fore ſibi ſperarent, Svecos pecunia in ſuas partes pertrahere. Ac Colbertus legatus Gallicus de Anglis qvoqve ſpem fecerat. Qvo fine ingens auri vis in Angliam trajiciebatur, Regi juxta, miniſtriſqve corrumpendis, ut contra publicas Europæ, ac peculiares Regni Angliæ rationes arma in Belgas meditarentur, ac ad augendam potentiam omnibus formidini futuram opem conferrent.

Gallus de bello Belgis inferendo agitat.

§. 4. Qvanqvam autem debilitas Hiſpaniæ, qvam non minus pecunia, qvam bona conſilia deficiebant, ſpem Gallo darent, in proclivi ſibi fore denuo partem Hiſpanicarum provinciarum raptim deglutire, ac intra annum pace iterum potiri pro libidine infringenda: tamen ad firmitatem deſtinatorum cumprimis facere judicabat Belgas prius frangere; qvi nunqvam paſſuri erant, Hiſpanicas provincias ab iſto ſubigi, qvoad aliqvid virium ad librandam ejusdem potentiam ſupereſſet. Scilicet qvod iisdem firmiter perſvaſum foret, certiſſimum ſibi exitium imminere, ſi Gallos terra vicinos nanciſcerentur. Qvæ uti nemo ſanus vitio Belgis vertere poterat, ni idem poſtulare velit, ut civitas qvæpiam ob alterius ambitionem ſalutem ſuam prodat: ita Galli inſolentia jam eousqve exceſſerat, ut in maximæ offenſæ vicem acciperetur, ſalutem, ac libertatem ſuam adverſus ipſius conatus tueri velle. Ac multi Regi ingerebant; tempus jam aptum natum eſſe, Belgas ulciſcendi, militia ipſorum maligne inſtructa, Paulo Wurtzio exoſo, Arauſionenſe nondum Reip. admoto, nec adhuc, rerum experto. Unde jam palam multa inſenſa apud Gallos in Belgas jactari. *Magnam ab iis gratiam Regi reponi ob auxilia proximo bello contra Anglos præſtita. Ab iisdem id agi, ut veteres ſocii Galliæ amicitia averſantur, novi ſubinde hoſtes in eam concitentur.* Et cum Hiſpani poſt pacem à Gallo mali habiti apud ſocios triplicis fœderis qvererentur, atqve hi apud Pomponium legatum Gallicum Hagæ ea ſuper re agerent, hic juſſu Regis declarabat: *talia ſe haut amplius expectare velle. Si qvid Hiſpani deſiderent, id nullo negvetſtre inter ipſos componi poſſe. Si Anglis, aut Svecis qvid cum Rege agendum ſit, viam, qvæ Pariſios ducat, ipſis haut incognitam.* Qvia porro fœderatum Belgium terra invaturo non niſi per interjectas vicinorum ditiones aditus patebat, ac initio belli provinciis Hiſpanicis propter Anglos parcendum erat, ante omnia viſum, Electorem cum Colonienſi ac Monaſterienſi Præſulibus in ſocietatem belli pertrahere. Et apud Colonienſem qvidem, cujus conſilia Furſtenbergii fratres, Franciſcus Eggo Argentoratenſis Præſul, & Wilhelmus temperabant, libidinis Gallicæ peſtilentiſſima inſtrumenta, facile obtentum. Monaſterienſem qvoqve prurigo turbandi, & avaritia, & acerba memoria armorum nupero bello unanibus extortorum haut ægre in partes pertrahebat. Hanoveranus autem Dux Joannes Fridericus per Enguianum affinem Gallo illigatus fuerat. Ac valde dolebant Galli, ſe ante aliqvot annos Waldeccium, annua penſione ſibi innectere neglexiſſe, qvi ex ipſorum ſententia Cellenſem, & Oſnabrugenſem Belgis copulaverat, cum alias tota domus Luneburgica obnoxia haberi potuiſſet. Maxima circa Electorem cura erat, cui alliciendo jam antea è Blumenthalio qvæſiverant, an non iſti placeat à Belgis urbes ſuas Clivicas recuperare?

Elector à Gallis tentatur. Moji. Vaubrun

§. 5. Ad hunc itaqve ſolicitandum primum à Gallo miſſus eſt Vaubrunius, qvi literas à Rege adferebat blandimentis refertas; ac alias multis verbis de ſincero Regis animo teſtabatur: cæterum ſeriæ rei nihil proponebat, ut facile agnoſceres, non niſi ſpeculandi cauſa veniſſe. Aderat dein Wilhelmius Furſtenbergius velut ab Elector Colonienſi miſſus, qvi demonſtrato, qvam ſomnolenter omnia Ratisponæ agantur, proponebat; ut Elector cum Colonienſi, & aliis conſilia conferret, qva ratione inſtans inter Gallos & Belgas bellū averti qveat; aut ubi id obtineri non poſſit, qvæ via conſervandæ qvieti utriusqve ditionis ineunda ſit. Eo fine, ne à Gallo ſubornatus videre-

29. Dec.

1669. videretur, proponebat super renovanda Unione Electorali, & an non expediat conventum Electorum agitari; tum de dissolvendo conventu Ratisponensi, qvi externis non nisi ludibrium debeat, nullo ibi
11. April. negotio ad finem deducto. Eadem fere antea Moguntinus moverat, misso Melchiore Schœnbornio, & Constantino Bertramio. Qvibus Elector reposuerat: conventum collegialem multum invidiæ apud Principes excitaturum. Qvia tamen consultum sit Electores arctius invicem innecti tuendis suis prærogativis, qvæ nunc magis qvam unqvam antea impugnentur; satius esse rumoribus declinandis super ista unione Ratisponæ agi, ubi alias ab universo collegio legati adsint. Ac si maxime alibi conventus Collegialis indicatur, Cæsarem suos qvoqve eodem ablegaturum, ut nil secreto ibi tractari qveat. Ut Bohemia qvoqve Unioni Electorali includatur, Elector rejiciebat, qvod is Electoratus penes Cæsarem sit. Eidem unioni alios qvoqve Principes adscribi, si qvi velint, qvod Moguntinus censebat, Elector consultum haut ducebat. Etsi enim cum nulla Domo Principali simultas sibi intercedat; id tamen fœdus peculiariter stabiliendo Collegii fastigio institutum. Ac si utiqve qvorundam Principum conjunctio affectanda sit, separato fœdere eos innecti posse. Cæterum Furstenbergius disserebat; *inter Gallum, & Belgas pacem brevi abrumpendam videri ex insolitato armorum adparatu apud hos, qvi ad LXXX M exercitum augere agitent. Nec segniores esse Gallinovos delectus, & veterum legionum supplementa, classisqve armandæ curam. E sermonibus Regis ac ministrorum sese intellexisse, non Hispanos sed Belgas peti, ac opinione citius turbas erupturas. Qvo casu Colonienſem opus esse judicare conjunctione qvorundam Electorum, & Principum, qvos propius id negotium tangat; ubi disqvirendum sit, an, & qvo modo id bellum impediri qveat? Ubi id avertere haut detur, num præstet extra belli consortium se removere, an in partes descendere? Tum qva ratione, qvæ inter ipsos convenerint, ad alios vicinos referenda, ipsiqve in hoc negotium pertrahendi sint? Qvis denique ejusmodi conjunctionis usus esse debeat? Eqvidem Colonienſem, prout sacra professum deceat, nil magis qvam pacem optare, ac circa bellum, insuper habitis omnibus qvæ ostententur emolumentis, avertendum laborare. Sed metum esse, ne bellum ante exardescat, qvam negotium rite disceptatum fuerit. Igitur mature statuendum, qvid bello surgente facto opus sit. Eundem qvoqve optare, ut sibi extra belli consortia manere liceat, modo id fieri* 1669.
possit ob indolem belli, situm ditionum, ac præsidia Belgica eadem insidentia; & qvia medium tueri statum inter validos utrinqve bellantes cupientibus magnis copiis opus sit, non minoris civibus oneri, qvam ipsum bellum futuris. Unde satius videri in partem belli venire, nisi adscitis in auxilium aliis qvorum interest validus exercitus parari qveat, & pecunia eidem in aliqvot annos sustentando. Colonienſem porro judicare, eligendas esse partes tutissimas, lucrosissimas, & qvæ Imperio maximum commodum allaturæ sint. Qvam optionem, licet re adhuc obscura difficillimam, in præsens præstet facere, qvam ad cœptum utiqve bellum differre, qvod tunc ex necessitate faciendum sit, qvod nunc ultro fiat. Colonienſi perinde esse, Galli, an Belgarum partes eligantur. Circa optionem tamen expediendum, validiori, an debiliori adsistere placeat. Validioris societatem affectantibus matura deliberandum, qvod cunctantibus deinceps haut integrum futurum sit lucrosas conditiones stipulari, sed potius, qvæ ab isto ferantur, leges admittendas esse. Si debiliori adhærere sedeat, non minus maturato opus esse, ne is brevi subvertatur. Cæterum Colonienſem censere, ab ejus partibus standum, qvicum Anglus sentiat. Si igitur constet, Anglum Belgis sociandum, cum his qvoqve arma jungenda. Unde id commodum secuturum, qvod forte Gallus bellum plane omissurus, aut brevi ad pacem rediturus sit; ac qvod uterqve Electorum oppida sua Belgis insessa recuperaturus sit, pecunia subsidiaria ab iisdem accepta. Ast si Anglus, qvod vero similius videatur, Gallo studeat, huic qvoqve accedendum, qvod eo casu Belgarum Status, prout in præsens sese habet, ne Germaniæ qvidem auxiliis accedentibus subsistere qveat; præsertim cum Spes ab Anglis se disjuncturi haut videantur. Sed qvia Galli potentia, ac vicinia periculosa sit, ab hoc stipulandum, ne ex omnibus hoc bello occupandis qvid prætendat aut retineat; sed si qvem locum expugnarit, eum statim in fœderatorum manus tradat. Utqve fœderatorum exercitum, qvi ad XL M peditum, XX M eqvitum augendus sit, cum omni necessario adparatu suis sumtibus alat. Denique omnia bello parta inter fœderatos dividat, nisi forte tractus Cis-Mosanus, & qvæ Belgis in Flandria, & Brabantia possidentur, ei relinqvenda sint, qvæ ab eodem desiderari intellexerit. Tum & id decernendum, ne Belgarum Respublica subvertatur, sed potius validior reddatur. Id qvod hoc modo fieri posse. Scilicet præsentis Status vitia, eousqve provecta, ut cum his ea Resp. consistere amplius neqveat, esse emendanda. Provincias in-

Furstenbergii de refingendo Belgii statu commentum.

1669. ter fœderatos dividendas, ita ut Colonienſis Ultrajectum, Monaſterienſis Tranſiſalaniam, Brandenburgicus Geldriam, & Zutphaniam, Luneburgici Friſiam, Neoburgicus Groningam, Arauſionenſis Hollandiam, & Zelandiam, (id qvod Anglus velit,) ſortiatur. Formam Reip. integram manſuram, atqve idem fœdus inter ſocios Principes fore, qvod provinciis hactenus inter ſe fuit, iisdem cum obligationibus, ut nil in eo mutetur, niſi qvod poſthac ſingulæ provinciæ Principibus, qvibus obvenerint, ſubjectæ eſſe debeant. Regimen per omnia collegia retinendum, prout in præſens eſt, ac ſub nomine fœderatorum Principum gerendum. In Conſilium Status, ſingulos è ſingulis provinciis conſtituendos, adjuncto uno à Principe, qvi eam provinciam ſortitus eſt. Provinciis privilegia ſua, libertatemqve conſcientiarum; collegiis nauticis, ſocietatibus mercatorum, aliisqve corporibus vetera inſtituta relinqvenda. Penes Principes tamen ſingularum provinciarum fore jurisdictionem, & rem militarem cum tributis hanc ſpectantibus. In vicem Ordinum Generalium conſtituendum Gubernatorem Generalem nomine Principum fœderatorum, cui adjunctum debeat eſſe Conſilium Status; cui non opus ſit, uti nunc, res magni momenti ad ſingulas provincias referre, ſed qvod de negotiis pacis & belli è majore ſuffragiorum numero decernere qveat. Hoc modo plurimum autoritatis ei Reip. acceſſurum, ac tribus Circulis Rhenano Electorali, Weſtphalico, & Inferiori Saxonico plenam ſecuritatem circumponendam. Eqvidem iſta forte chimæram redolere: non tamen dubium, qvin in effectum deduci qveant, qvo facto eam Remp. omnibus formidabilem futuram. Cæterum prius ſuper hoc negotio in univerſum conveniendum; deinceps omnia ſigillatim diſcutienda, atqve definienda. Qvæ ut ſecreta haberentur petebat; ac ſi qvid emanet, id alteri inficiari integrum fore. In aula Colonienſi de iis nemini cognitum, præterqvam ſibi, fratriqve, ac Petro Buſchmanno Cancellario.

Electoris ad propoſita declaratio.

§. 6. Ad iſta ab Ottone Sverino, & Franciſco Meinderſio, qvi ſoli ejus negotiationis conſcii erant, repoſitum: *Electoris qvam maxime intereſſe, Belgas paululum ad modeſtiam redigi, ac ut ſeſe vicinis commodiores præbeant, velut qvi tot oppida in iſtius provincia uſurpare pergant, ac aliis inſuper moleſtiis eundem afficiant. Debilitatem qvoqve Reip. ſatis perſpectam; ac non improbabile videri, deſignatum ſcopum dicto modo obtineri poſſe, ni aliorum Principum auxiliis Reſp. ſuſtentatur. Enimvero Electori in hoc negotio ad varia reſpiciendum. Eum binis fœderibus Reip. innexum, è qvibus, uti iſta invadatur, ad auxilia ferenda eidem teneatur. Extra dubium qvoqve ipſi haberi, qvin alios Principes, ubi Belgas in tanto periculo verſari viderint, rationes ſuæ ſint obligaturæ, ut huic negotio ſeſe miſceant. Unde bellum ſurrecturum ſit atrox, diuturnum, univerſam Europam involuturum. Nam etiamſi in præſens credi poſſit, Anglis, Svecis, Danis, aliisqve haut ingratum fore Belgis talia accidere; tamen ubi ingentes Gallorum progreſſus viderint, ad hos ſiſtendos omni vi incubituros. Electoris porro ditiones ſparſim jacere, ut is à vicinis, præſertim in Boruſſia, Pomerania, & Marchia facile diſtrahi qveat. Propter has cauſas, & qvia utriusqve Electoris provincia ita poſita ſint, ut exorto bello non poſſint non vaſtari, in præſens miſſis legatis Belgas ſerio monendos, ut Galli qverelis ex æqvo ſatisfaciant, ac diſſidiorum materiam è medio removeant. Nec Electorem veriturum in os iis denuntiare; ni id faciant, ac bello cauſam præbeant, ſe auxilia iisdem haut miſſurum. Cupere ſe tamen æqvidius noſſe cauſas diſſidiorum inter Gallum, & Belgas, conſiliis ſuis eo melius digerendis. Per iſtos qvoqve legatos protinus ſuper præſidiis uni & alteri ſuorum oppidorum deducendis agi poſſe ſociata opera, adhibito qvoqve Neoburgico officio, & ſpem eſſe, Gallum iſta haut in ſiniſtram partem acceperum, velut qvi ſemper teſtatus ſit, ſibi Orbis Chriſtiani qvietem, non bellum cordi eſſe; præſertim cum & hoc agatur, ut ipſi ex æqvo ſatisfiat. Interim utrinqve arma paranda tutandis finibus, adſcito qvoqve in ſocietatem Neoburgico. Demum qvia Colonienſis adhuc dubius agat, utri parti accedere velit, Electorem decreviſſe multas ob cauſas fœderi contra Gallum ſeſe haut innectere.* Ad iſta Furſtenbergius multis teſtabatur, Colonienſem Electori nil ſuadere velle, qvod ullo modo ipſius exiſtimationi, fidei, conſcientiæ, aut rationibus repugnet. Diſtractionem, qvam is metuat, utiqve reſpiciendam, & omnia in tuto collocanda. Legationem in Belgium à Colonienſi probari, ut tamen pariter in Galliam mittatur, qvo utrinqve opera inhibendo bello navetur. Cauſas diſſidiorum à Colonienſi ignorari. Sed ſi in Gallia ſimul, ac Belgio negotium agatur, eas facile in notitiam perventuras. Probari qvoqve ab eodem, ut ſuper reddendis oppidis moveatur. Ipſe optabat ab Electore aliqvem in Galliam mitti ejus aulæ peritum, cui ipſe omni officio adfuturus ſit. Si ipſe eodem veniat, facile ſe arcana

1669. tana penetraturum, & noſtris bona fide communicaturum. Sed ei cumprimis inſiſtebat, qvid agendum, ſi nec bellum declinari, nec ut medio ſtatu agere liceat, impetrari qveat? Utut noſtri ingererent, ejusmodi conſultationes præmaturas, ancipites, & noxias haberi. Nam is contendebat, poſt abruptam pacem locum deliberationi haut amplius fore, ſed ex neceſſitate tunc amplectenda, ſuper quibus nunc lucroſas conditiones ſtipulari liceat. Si animi ſenſa diſſimulentur, id fieri videri, qvod ſibi parum fidatur. Demum fatebatur, Colonienſem decreviſſe Galli partes eligere, à qvo nunqvam læſus ſit, & bona qvævis ſperet: cum contra ipſe, ſuæqve ditiones à Belgis plurima mala emolumenti nehilum perceperint. Cum ne ſic qvidem noſtri plura expromerent, Furſtenbergius oſtentando candori ſecreta mandata communicabat, à Colonienſis legatis ad Gallum, & Belgas mittendis danda; qvibus Trajectum ad Moſam, Reinberca, & Comitatus Meurſæ à Belgis repetendus erat. De cauſis belli oſtendebat, eas partim commercia tangere, partim qvod Belgæ jam jactent, qvid in Gallum facere decreverint, ſi Hiſpaniæ Regem tenui valetudine puerum mori contingat. Sane Wittium cenſuiſſe, haut ita aſpere loqvendum, ac ſi Rex iſte fato fungatur, poſſe temperamenta Gallo grata ſuper partitione in medium afferri. Sed Beuningium demonſtraſſe, ob ſacra parum ſpei Hollandis eſſe Antvverpia, & aliis locis in Belgio Hiſpanico potiundi. Ad extremum formulam exhibebat fœderis inter utrumqve Electorem ineundi; cujus haſce rationes adferebat. Ipſos ob hanc conjunctionem, & armorum paratum magna fore autoritate tam apud Ordines Imperii, qvã partes bellaturas. Eo qvoq; indicio adpariturũ, nil inter ipſos actum, qvam qvod patriæ amantes cives deceat; circa ditionum ſuarum qvietem, & ſecuritatem ſatagere. Eo plus facultatis fore vel bellum inhibendi, vel eo utiqve ſurgente ab una vel altera parte lautas eruditiones ſtipulandi. Suſcepta qvoqve legatione ſuſpicionem tolli, ac ſe præ aliis intellecturos, num bellum ſit ſecuturum an minus; ac ſi bellum decretum ſit, qvi utrinqve ſocii. Ex qvo commodiſſimum fore conſilium capere, num præſtet neutri ſe parti addicere, aut partes ſumere ſuis rationibus maxime congruas. Deniqve ſeu bellum ſeqvatur, ſeu minus, utrumqve ſua oppida recuperaturum, qvod Belgæ ſociis deſtituti timeant: aut ſi poſtulata nullo modo annuere velint, qvid ab iis expectandum ſit ad pariturum. Iſta autem citra moram ſuſcipienda multis rationibus demonſtrare nitebatur. Deniqve & idem formulam exhibebat fœderis, qvod in caſum belli cum Gallo ineundum ſit. Cæterum iſta Furſtenbergii negotiatio eo ſuſpectior erat, qvod Colonienſis, atqve Argentoratenſis paſſim teſtarentur; ne ita ſtupidi eſſe credantur, velut animus ſibi ſit Gallum adhuc potentiorem reddere; ſed ſua conſilia unice id ſpectare, ut Belgarum enormes ſpiritus pauliſper premantur, ut ubi hi cum Gallo commiſſi fuerint, Ordines Imperii loca ſua ab iſtis injuſte detenta per tractatus recuperare qveant. Aſt ubi Gallus Belgiũ vel plane opprimere, vel plus juſto caſtigare inſtituat, reliqvos omnes conjunctione facta Gallum ad pacem cogere poſſe. Scilicet talia Furſtenbergii pecunia Gallica autorati ſpargebant, ut Germanos in ſuporem darent. 1670.

Electoris in Galliam legatio. 16. Jun.

§. 7. Injiciebant iſta Electori curam, ut qvid ſolidi ſubeſſet, penitius explorare ſtuderet, ſimul num qvid operæ pretium circa avertendum bellum facere poſſit tentaret. Eo fine in Galliam ablegatur Laurentius Georgius Crocovius; cui *Grotius.* injunctum poſt ſolitas de amicitia teſtationes Regi exponere: *Electori de ingenti armorum adparatu auditum, qvi contra Belgas fieri credatur. Nam Regem Hiſpanis declaraſſe, ſe pacem Aqvisgranenſem ſervaturum, nec hoſtile qvid in Hiſpanicas provincias tentaturum. Eſſe eidem & ſtrictiorem cum Anglo amicitiam, ſic ut nec cum hoc infeſti qvid metuendum ſit. In Belgas autem gravem à Rege offenſam haut diſſimulari, qvi & nil propitii expectantes terra, marique arma parent. Eqvidem ſe non audere ſuper deſtinatis Regis judicium ferre, aut ejus conſilia inveſtigare, regiminibé ſeſe ingerere. Sed qvia ipſe fœdere, atqve amicitia ei innectatur, ſimul Chriſtiani hominis officium pro viribus concordiam inter communes præſertim amicos fovere, ac diſſidia impedire jubeat: igitur Regem haut ſiniſtre acceptorum, ſi & ipſe tam periculoſa rerum facie operam ſuam interpoſitum veniat, qvo tam noxium incendium intra initia opprimatur. Nam ne communia belli mala memorentur, qvæ etiam juſtiſſima, & maxime neceſſaria arma comitantur, ſane Regem à Belgis ultro aqvæ ſatisfactione potiturum, ſi qvam jure exigere qveat, qvo fine ipſe omnem operam collaturus ſit. Qvod ſi haut eo ſecius Rex in arma prorumpat, tota Europa ſuſpicionem, metum, ſimul invidiam in ejus fortunam, tum machinationes, & adverſa fœdera ſurrecturam. Qvanqvam etiam Belgarum vires longe infra po-*

1670. *tentiam Regis sine, quod in hoc reperiatur belli*
landi peritia, excellens prudentia, copia egre-
giorum ducum, militum, ac omnium rerum
bello necessariarum, Belgarum contra Rep. de-
bili, ac multis defectibus laborante: experi-
entia tamen constare, quantum aleæ subsit
bellis etiam quæ inter maxime dispares ge-
runtur, quanta fortunæ vicissitudo, quam
improvisi casus subinde emergant. Sane Bel-
gas ab aliquo tempore non segniter arma pa-
rasse; fines eorum validis munitionibus firma-
tos, forte sine magno labore, sumtu, ac sangui-
ne haut expugnandis. Quantum iidem ma-
ri valeant, nemini incognitum. Multorum
eos fœderibus fulciri; nec alios, quorum ratio-
nes huic Reip. innectuntur, eam deserturos.
Non posse quoque non Germaniam hoc bello im-
plicari, quod Belgæ plurium Principum oppida
milite suo insideant. Quæ si Rex invadat,
ac solo Germanico exercitus suos inuitat, non
posse non periculosos motus inde surgere. Igi-
tur Rex certam, aquam, & honestam satisfa-
ctionem dubiis, & cum periculo conjunctis e-
molumentis anteferret, ac uti Regis Christia-
nissimi elogio dignum est, Orbi Christiano pa-
cem, post tot funesta bella vix partam, potius
firmet, quam turbare instituat. Quod si ista non eo proficiant, ut bellum plane declinetur, eadem valere posse, ut arma tanto citius ponantur. Postularet quoque Crocovius, ut Electoris provincia belli incommodis eximatur; ut transitus sit innoxius; ut occupata loca, quæ Electoris sunt, huic restituantur. Cum Belgicis ministris diligenter acta communicaret, ut & cum Wilhelmo Furstenbergio expiscandis aulæ secretis; de quo confidere se ferret, ipsum, prout Germano sanguine ortum Principem, ac Patriæ amantem civem decet, omnia facturum, quæ ad salutem Germaniæ faciant. Ast cum interim rumores super bello conticescerent, Elector mentionem de bello in Gallia fieri vetabat, quoad appareret, quo sese res datura sit; ac ut initio tantum profiteretur, se venire excolendæ amicitiæ, præsertim postquam Vaubrunius Berolino evocatus sit. Idem ex itinere Bonnam apud Colonienſem divertere jubebatur, ac inter alia hujus, atque Bavari sententiam exquirere super eo, quod Ratisponæ proponatur, ne Ordines sine consensu Cæsaris ac Circuli sui fœdera ineant. Circa quod utrique usque adeo nihil concedere decreverat, ut ne honoris quidem gratia Cæsari de iis significare vellent. Alias Colonienſis confirmabat, sese à rationibus, & consiliis Electoris, haut discessurum. Super triplici fœdere differebat Argentoratenſis; per id Belgis insolentiam accedere, quo minus utrique; Electori satisfacere velint. Qui & jam velut de amicitia Angliæ Regis certi bellum haut metuant, quod is Parlamenti respectu oblata à Gallo acceptare haut sit ausurus. Enimvero non habere ipsos, quod nimium confidant. Nam Gallo non defore occasionem successu temporis destinata exsequendi. In cujus quoque manu situm sit provincias Hispanicas nanciſci permutatione cum Ruscinonenſi tractu, & partibus Cataloniæ, addita summa pecuniæ: id quod præsens regiminis Hispanici status, & maligna conjunctio aulæ Cæsareæ, & Hispanicæ admodum verosimile faciat; ac Gallum per triplex fœdus ad hoc consilium compelli. Eo casu Belgis necessum fore utriusque Electoris amicitiam ultro ambire.

Apud Colonienſem acta.

13. Febr.

1670.

§. 8. Lutetiam delato Crocovio minister Svecicus bellum metuendum esse negabat, quod Rex fidem dederit, se super limitibus, ac *dependentiis* occupatorum nupero bello locorum intra annum nil hostile tentaturum, sed successum arbitrii Svecici, & Anglici expectaturum. Unde & Crocovius, apud Lionnæum nulla belli mentione facta, venisse se ferebat amicæ communicationis excolendæ gratia. Cui multo cum verborum honore ab isto occursum. Enimvero uti quæ Svecus dixerat, ad Hispaniam duntaxat pertinebant: ita Wilhelmus Furstenbergius asseverabat, à Regibus Galliæ, & Angliæ bellum in Belgas decretum, quod ab utroque sub finem mensis Junii sit indicendum. Causam dilationis esse, quod Gallus cum Anglo, antequam de exitu Parlamenti constaret, concludere haut potuerit; quod postquam ingentem pecuniæ summam annuerit, ejusdemque placitis annitente Gallica factione per omnia sese attemperarit, fœderi præter ultimam manum nil desit, ac in eo duntaxat res hæreat, quod Anglus in conjunctione classium majorem navium numerum, quam Gallus, habere velit. Contra Gallum repugnare, quod ipse pecuniam ad armandam classem suppeditet: cedere tamen decrevisse; & quia negotium in Galli manu positum sit, de exitu dubitandum non esse. Anglum à Belgio nil sibi deposcere præter Catsandiam insulam, & Vlissingam. Eandem in se recepisse præstare, ne conventa inter ipsos à Parlamento subvertantur. Anglo instante Arausionenſis quoque rationibus consultum ea duntaxat lege, si & Germaniæ Principes fœderi accedant; id quod Anglus expresse postularit, ac Gallus cum iis se acturum recepe-

Galli bellum in Belgas agitans.

rit.

1670. perio. De Monasterienſi Præſule Gallo ſatis cautum eſſe; cujus deſideriis ex aſſe ſit ſatisfaciendum, ſi Elector fœderi accedere abnuat. Aſt ſi huic in partes tranſire placeat, ei ſoli ſubſidiariam pecuniam ſolvendam, qvod tunc reliqvorum ſocietate facile ſuperſederi poſſit. Decreviſſe Reges vel ſolo iſto Præſule ſocio, ſi alii accedere detrectent, bellum ordiri; ſed eo caſu Gallum occupata loca in perpetuum ſibi retenturum. Qvia autem uterqve Rex ſumma bellandi cupidine flagret, unicam rationem bello differendo eſſe, ſi uterqve Elector declaret, ſe proximo vere arma cum iis ſociaturum. Lionnæus qvoqve diſſerebat: Regem ita in Belgas irritatum, ut non niſi bello illato in dignationem ſuam ſatiare poſſit. In qvo tamen eum non ſuas duntaxat; ſed & amicorum rationes reſpecturum; Et prius cum amicis, ac imprimis cum Electore communicaturum, qvo & hic commodis ſuis conſulere qveat. Eum ita ſolide res ſuas diſpoſuiſſe, ut ſibi ac ſociis nil metuendum ſit Qvod ſi nemo ejusdem fœdus amplecti velit, ſolum rem ſuſcepturum. Amicam compoſitionem fruſtra ſperari, ac omnem heic operam incaſſum conſumi; qvod Belgæ ejusmodi ſcita introducere velint, qvæ non magis æqvitati, qvam Regis rationibus qvadrent.

Elector dicti juste-um ſolicitat.

Electoris, de his jurantum.

§. 9. Iſthæc citra diſſimulationem ingeſta num ſerio dicerentur, an ut eo terriculamento Elector ad propere in fœdus ruendum impelleretur, dubium erat. Sane Elector judicabat, iſta tantum eo tendere, ut inter ipſum ac Belgas diffidentia fereretur. Unde Crocovius circumſpecte jubebatur agere, ut nec diffidentiæ anſam Gallo præberet, nec promiſſo ſe adſtringeret, velut Elector in ullam belli partem venturus ſit. Interim inqvireret, num ſerio res agatur; ac eo deprehenſo Lionnæum interrogaret, num Regi Electoris officium gratum ſit futurum controverſiis ſopiendis, cum id bellum ipſi non poſſit non moleſtiſſimum eſſe. Nec temere ullum Germaniæ Principem his conatibus fauturum præter Monaſterienſem, qvi & ipſe ætate jam provectus ſit. Qvem ut induceret, cum Furſtenbergius finxiſſet, Electorem jam decreviſſe cum Gallo Belgis bellum inferre; Crocovius ei jubebatur exprobrare, talibus figmentis Electori gravem injuriam fieri. Qvanqvam autem in aula Gallica non deeſſent, qvi à bello metuendum negarent, prout & Colonienſis cœptam cum Electore ſuper fœdere tractationem jam ſupervacuam ferebat: Furſtenbergius tamen conſtanter aſſeverabat, bellum utiqve ſucceſſurum, ac in eo tantum moram eſſe, qvod Anglus ita cito claſſem armare neqveat. Electori autem eo promtius in Galli partes concedendum, qvod iſto, & Luneburgicis Belgarum ſocietatem amplectentibus, Sveci Gallo, & Anglo ſe juncturi ſint. Aſt ſi Elector horum ſe fœderi innectat. Sveciam plane excluſam nullo numero fore. Porro Gallum ad Rheni ripam unum & alterum oppidum, Orſoiam, & Veſaliam retinere velle, finito bello reddendum. Eundem cum ſolo Electore tranſigere velle; cui dein integrum ſit futurum, alios ſibi aſſociare, & in partem pecuniæ admittere. Cum Monaſterienſi nondum transactum; ſed Regem de ejus ſocietate certum eſſe, ſi cupitis ejusdem circa ſubſidia annuerit. Triplex fœdus brevi corruiturum, Anglo in Gallia partes transgreſſo. Qvanqvam autem Crocovius ad ſolum Lionnæum literas fiduciarias haberet: Rex tamen ultro ad ſe evocatum audiebat 23. Mart. multa cum amicitiæ in Electorem teſtatione, ac brevi ſe clarius cum ipſo locuturum. Super cauſis belli Lionnæus diſſerebat: *Belgas ab aliqvo tempore ita ſe erga Regem geſſiſſe, ut bello caſtigari utiqve meruiſſent. Qvi & magna cum injuria afficiant, dum ubiqve velut Europæ Monarchiam affectantem magna cum invidia differunt, circa varias in eundem machinationes ſtruendas ſolliciti. Inprimis qvod ſecuritati ſuæ ſtabiliendæ commiſcantur, qvæ neqve Regis ſtatui, neqve juſtitiæ congruunt; dum jactare non dubitant, ſi maxime Belgium poſt Regis Hiſpaniæ mortem jure ad ipſum devolvatur, id ſe tamen ferre non poſſe, qvod ſibi non expediat tam potentem vicinum habere. Unde Regi neceſſitatem adferri tantam arrogantiam, Regibus leges præſcribere haut veritam, compeſcendi. De cætero Regi haut propoſitum, hoc bello terrarum qvid adqvirere, niſi qvæ ad unitarum provinciarum ditionem non ſpectant. Circa interponendum officium fruſtra moveri. Qvid enim ſatisfactionis ab illis ſperandum, qvi jactent; ſecuritatem ſtatus ſui non concedere, ut Rex poſſideat, qvæ jure ipſi competunt? Ac qvi toto orbe vulgant, ipſorum Remp. cum Regis felicitate qvantovis jure ſubnixa conſiſtere haut poſſe; ſimul omnia ſua conſilia eo dirigunt, ut ea intervertant, qvæ Regi jure deberi ipſi agnoſcunt? Regem denique ita ſolide deſtinata ſua digeſturum, ut ea etiam citra aliorum opem exſeqvi poſſit; ac id tantum in qvæſtione eſſe, num Elector oppida ſua Clivica recipere, an minus, cupiat.*

§. 10. Paulo

1670. §. 10. Paulo post Furstenbergius Crocovio significabat, fœdus inter Reges jam perfectum esse. Sed Anglum id secretum haberi velle, qvoad res geri incipiat, ac ut bellum in futurum annum differatur. Id qvod Gallus annuerit cum alias ob causas, tum ob turbas in Hungaria; qvod is malit sua emolumenta negligere, qvam hoc rerum statu orbem Christianum inqvietare, ac Turcæ ansam præbere hujus mala alendi, ac in usus suos vertendi. Lionnæus qvoqve dicebat; sibi injunctum Crocovio declarare: *bellum in Belgas utiqve decretum, idqve hac æstate erumpere debuisse: Sed Regem nolle Christianum Orbem, cujus qvietem Serini, & complicum rebellio solliciret, ulterius turbare: futura tamen æstate id certo fore.* Idem post & ipse Rex confirmabat; qvi & tumultus Hungariæ valde sibi displicere ferebat; ad qvos nil se contulisse sancte asseverabat. Sane ante annum circiter Serinum, & alios Hungariæ magnates Polonum qvempiam cum literis fiduciariis ad se misisse, qvi de oppressione, qvam à Cæsare tolerent, valde qvestus sit; ac Hungaros excusso Austriaco jugo Regem Gallo gratum adscituros, si ipse eorum protectionem suscipere velit, initio ducentis uncialium millibus præbitis; alias ipsis necessum fore Turcæ imperium subire. Enimvero se istos prodere noluisse; conatus tamen hosce summopere dissvasisse, ac ablegato id responsi scripto dedisse: *Sibi cum Cæsare, & Imperio firmam amicitiam constare, nec in animo esse ejus ditiones inqvietare; ac svadere, ut istis ausis desistant, & molliorem conditionem à Cæsaris clementia expectent; nec tram Numinis ulterius in se provocent, cum ex istis nemo nisi hostis Christiani nominis lucrum capturus sit.* Honesta sane oratio, si verbis facta congruerent. Addebat Furstenbergius: Serinum jam ante qvinqvennium ipsi proposuisse; Si Galliæ Rex C M uncialium dare velit, se Hungaros ad rebellionem concitaturum, ac Regem aut Principem Hungariæ facturum, Galliæ acceptum, Germanum, an Gallum natione. Sed à se responsum; sibi cum talibus nil negotii fore, nec ea se svadere, aut dissvadere. Sed Regem istis aurem præbere planeadspernatum. Fatebatur qvoqve Joannes Casimirus qvondam Poloniæ Rex: Serinum jam ante biennium suam protectionem ambiisse; sed se de eo Cæsari indicium feciſſe. Cæterum pergebat Lionnæus; cum Anglo transactum esse; ac si forte Elector de eo dubitet, huic integrum esse eam conditionem fœderi inserere, ut irritum sit, ni Anglus simul in bellum contra Belgas erumpat. Nec id curandum, qvod Anglus antea tantopere circa conciliandum triplex fœdus sategerit, à qvo eum ita repente discessurum haut verosimile sit. Nam id de compacto cum Gallo fuisse actum, & hujus consensu Anglum ei fœderi accessisse; qvod & non nisi Hispanicarum provinciarum tutelam spectet. Nolebat tamen Lionnæus, ut Elector aut alius eo nomine in Angliam mitteret; qvod Anglus negotiationem cum sociis cismarinis in Galli arbitrium contulerit. Cæterum ut Anglus in societatem rationibus sui regni juxta ac totius Europæ adeo repugnantem pertraheretur, Gallus per Colbertum Croisilium legatum ingerebat; *graves ei causas esse, qvare Belgis insidiatur, ac triplicis fœderis vinculo sese exuat. Hos qvippe stare nolle conventione Breda inita super commercio Americano, nec eorundem naves summa vela Anglorum navibus bellicis submittere; qvin eosdem in dubium revocare Angliæ imperium maris, ni hac Galliæ sese hostem declarare velit. Unde jam tempus esse ulciscendi occasionem, tam parum reverentiæ erga Reges ostendentem, contra qvam plures jam Germaniæ Principes sese univerint. Gallo sat virium esse ad Belgas bello compellendos, ut sibi juxta, ac fœderatis suis tam circa honorem, qvam alia satisfaciant.* Ita cum Anglo actum, ut hic insuper habito triplici fœdere, qvamprimum occasio maturuisse visa fuerit, Belgis bellum una cum Gallo inferat. Vinculo isti adstringendo mense Majo Douveram mittebatur Henrietta Aurelianensis Ducis conjux, Angli soror, forma, ac morum illecebris pollens, rerumqve tractandarum callida; qvo & Rex frater se contulit. Initio placuerat Aurelianensem qvoqve maritum simul proficisci. Sed Anglus misso Lutetiam Godolfino efficiebat, ut sola soror veniret. Causa itineris spargebatur, qvasi Angliæ Rex divortium cum conjuge Lusitana decreverit, & hæc monasterium ingressura sit, isto vicissim conjugem Austriacam assumturo. Qvod connubium ista disturbatura sit. Cum diutius, qvam initio destinatum fuerat, ibi maneret, misso cursore diutius ibi morandi veniam petiit, & obtinuit. In Gallia de singulari affectu, qvi inter fratrem & sororem emineret, vulgabatur, sic ut ex eo congressu plurimum sibi fructus Galli pollicerentur. Sed alia evenisse ferebantur, in vulgus tunc nota, qvorum memoriam æternis sepeliri tenebris satius fuerit, qvam nostro qvoqve calamo propagari. Cæterum per eam secretum fœdus inter Gallum & Anglum pro-

Bellum in Belgas decernitur; 7. April.

Sed differtur, & qvare.

15. April.

1670.

positum

1670. positum fuerat, qvo iste huic opem promittebat ad opprimendam Parlamenti autoritatem, ritusqve Romanos per tria Regna Britannica introducendos. Qvo fine necessarium sit prius Belgarum Rempublicam evertere, sola provincia Hollandia supremo Arausionensis imperio subdita, id qvod Anglus huic stipulabatur. Vicissim Anglus pro opera à Gallo navata juri, qvod regnum Angliæ antiqvitus in Galliam prætendit, renuntiaturus, simul insignia Galliæ omissurus erat. Qvia tamen evenire poterat, ut Anglus, dum sacra & privilegia sui populi eversum it, ipse regno ejiciatur, Gallus eum in casum annua qvingena uncialium millia ei promittebat. Id tamen fœdus tunc perfectum non fuit, sive qvod Anglus nondum id probaret, sive qvod soror ipsa velut fratri haut utile, id ipsa dissvaderet. Sane eadem $\frac{18}{28}$ Jun. postqvam in Galliam rediisset, paucis post diebus repentina morte extincta est. Prandium pridie integra valetudine ceperat. Hora secunda pomeridiana sedandæ siti vitrum aqvæ è cichorio decoctæ, per glaciem refrigeratæ, poscebat; qvo hausto protinus acutissimis doloribus correpta exclamavit, sibi è veneno mortem subeundam: tum nulla mora os, & oculi cœruleo colore suffundi. Etsi fœminæ, qvæ eandem aqvam gustabant, nil mali sentirent. Medici Galli morbum colicum vulgare; tum clysteres injicere, venas brachiorum, ac pedum secare, calidum oleum ad ciendum vomitum propinare, nullo fructu. Et mox de ejus vita desperabatur. Inter eos dolores parum impatientiæ ostendebat, nisi qvod præcipue Angliæ Regis vicem doleret; infaustum casum pro suo fratre Angliæ Rege exclamans. Marito adsistenti dicebat; *ego morior, & tu non amas me.* Galliæ Rex jam cum extremis luctantem allocutus; non modici doloris significatione edita recedebat, qvo isti cogitationes ad Deum vertere vacaret. Post mediam noctem hora tertia expirabat, Rege non parum doloris testante, qvod semper concordiam inter se, maritumqve Aurelianensem, fratremqve Angliæ Regem servare studuisset. Seqventi luce exanime corpus sectum præsente legato Anglico, ejusqve legato, qvod vix duodecim post obitum horis elapsis intolerabilem adstantibus fœtorem exhalabat: facies plane immutata, oculi subsidentes, os, naresqve distorti, cor illæsum, sed pulmones, jecur, intestina velut minutatim concisa. In ventriculi latere foramen erat, qvod Aurelianensis Medici per chirurgi incuriam factum arguebant: sed Anglicanus Medicus contradicebat, utiqve venenum isti propinatum asseverans, qvod & omnes credebant. Maritus Aurelianensis nonnihil tristitiæ aliqvando præ se ferens, nemini fidem ferii doloris faciebat, Anglico legato non parum offensæ testante. Cæterum adduxerat ista Douveram secum Gallicam fœminam, cui Portsmuthiæ Ducissæ vocabulum post indium, primas mox partes inter pellices regias sortitam, artibus dementandi homines libidini deditos valentissimam. Ei à Gallo injunctum, propositum ab ista opus perficere, oblata ingenti pecunia summa ad armandam classem; qvæ & illecebris suis immersum voluptatibus animum ita irretierat, ut ei haut facile esset istis sese cassibus iterum exsolvere. Revera tamen Gallus non usqve adeo solidi qvid auxilii ab Anglo expectabat, sed satis habebat istum utcunqve in partes suas pertraxisse. Nam inde certissimo consecuturum erat, ut, enata inter Regem, & Parlamentum diffidentia, Anglia domi distracta inhabilis redderetur externis rebus temperandis; Gallo interim exseqvendis suis destinatis vacante. Ac easdem artes Richelius, & Mazarinus exercuerant, parum pensi habentes, qvod Anglus, dum per Gallica consilia sibi imponi patitur, demum capitis jacturam faceret. Galliæ qvippe interesse Angliam in se ipsa turbari, ne Regi à Parlamento pecunia suppeditetur, qva fultus hic Galliæ sese ausis objicere posset.

O le malheureux qui pour le Roy son frere.

§. 11. Mox Furstenbergius Crocovio, & Smisingio Monasteriensi ablegato proponebat: *Regem decrevisse futura æstate Belgas bello invadere. Ex occupandis eo bello locis nil sibi retenturum præter unum & alterum ad ripam Rheni oppidum, qvamdiu bellum duret, & dimidiam præsidii partem Trajecti ad Mosam; ac ubi ad dividendam prædam accedatur, oppida, qvæ olim ad Brabantiam, & Flandriam spectarint. Reliqva omnia fœderatis concedenda, & negotium in horum usus digerendum. Si forte Anglus in bellum non erumpat, omnia irrita fore. Qvo posito Rex Colonienſem, & Brandenburgicum Electores, ac Monasterienſem Præsulem ad fœdus invitet ea lege, ut ne qvis absqve altero pacem ineat. Regem primo cum XL Mpeditibus, X M equitibus Trajectum ad Mosam invasurum, tum eum locum, qvem fœderati tegendis suis ditionibus necessarium judicarint. Qvod si & Hispani in arma erumpant, Regem bis XX M oppositurum. A fœderatis Regem desiderare exercitum XXII M peditibus, M DCCC dimachis, VI M CC equitibus constantem; cui Rex VI M pedites,*

Elector ad fœdus cum Gallo denuo invitatur. 22. April.

1670 II M equites sit additurus. Ad hunc exercitum conscribendum à Rege offerri dimidiam partem autoramenti, qvinqvagenos unciales in singulos eqvites, tricenos in dimachas, octenos in pedites: tum sextam stipendiorum partem, denos unciales menstruos in singulos eqvites, octonos in dimachas, qvaternos in pedites; sed præfectis stipendia à fœderatis solvenda. Super tributu bellicis fœderati inter se transigerent. Ac ne isti tractatus suspicionem excitent, conventum Circuli Westphalici indicendum, ubi id fœdus obtentu aliorum negotiorum perficiendum sit. Ad ista Elector Crocovium declarare jubebat: Se grato qvidem animo agnoscere fiduciam, qvam in ipso Rex reposuerit. Enimvero sibi admodum circumspecte procedendum, cum in fœdus contra Belgas descendere non possit, ni statum suum manifesto periculo exponere, conscientiam suam temerare, publica pacta, ac promissa fide, ac verbo Electorali firmata infringere velit. Eqvidem suo se loco relinqvere, qvas belli causas Rex in Belgas habeat. Sed certo sibi persvasum, Regi idoneam satisfactionem haut defore, si eam citra arma qvarere placeat, ac se circa eam obtinendam officium interpositurum. Qvo minus autem ipse in Belgas arma capere qveat, prohibere situm Cliviæ, & Borussiæ, Belgarum invasionibus obnoxiæ, qvamprimum ipse qvid in eos moverit. Ab iis præcipua Cliviæ oppida milite insideri, ac bello erumpente Regimini suo in provincia tuto agere non licere. Calcariam Rheno separatam, cui si impetatur, à se succurri non possit. Provincias suas Westphalicas ad Visurgim usqve excursionibus apertas fore. Se defensivo fœdere Belgis innexum, cujus vi, si qvidem hi invadantur, militem iis auxilio submittere teneatur. Tum & ob arctam cum Neoburgico conjunctionem necessum sibi esse, cum eo omnia ad istarum ditionum securitatem facientia communicare. Num Rex qvid ad hunc retulerit, & qvid idem respondérit, sibi incognitum. Societatem cum Colonienſi, ac Monasterienſi variis incommodis & periculis obnoxium, lubrica eorum, qvæ à Præsulibus conclusa sunt, validitate ob autoritatem Capitulorum, & diversos horum à Præsulibus respectus. Nec eorum fœderibus diutius inniti licere, qvam iisdem vita superſit: ac incertum esse, qva successorum studia, aut qvibus legibus eorum potestas per Capitula sit circumscribenda. Nec Cliviam solum, sed & reliqvas suas provincias periculo expositas, qvibus propter locorum distantiam Rex non nisi submissa pecunia subvenire qveat. Poloniæ res turbatas, ubi nil accidere qveat, qvod non aliqvo modo se tangat; ut sua præsentia apud Borusos opus sit. Cæsari, Hispanis, Svecis, Lunæburgicis, aliis amicitiam Reip. Belgicæ, ejusqve conservationem cordi esse. Qvod si igitur ipse contra eam bellum susciperet, Pomeraniam, Borussiam, Marchiam, & alias suas in Imperio provincias istis semper expositas fore, qvorum distractionibus qva par sit vi occurrere, ac munitiones, limitemqve ubiqve tueri supra vires suas sit. Neqve fœdus secretum teneri posse inter tot conscios, & de qvo jam publicæ relationes spargant. His difficultatibus auditis Lionnæus non parum turbatus adparebat, qvi antea ubiqve jactarat, Regi jam de Electoris societate cautum esse. Differebat tamen: rem facilem, ac periculo vacuam esse. A Cæsare, Hispanis, & Svecis amica omnia promitti. Belgas terra marique ita distractum iri, ut parum damni aliis daturi sint; ac Electorem primi anni expeditione oppida sua recepturum, ac fines suos in tuto collocaturum. Regem optasse Electori oppida sua restituere; sed si idem nolit, istius parum referre, & aliam rationem ineundam. Eum nil nisi liqvidum responsum, & secretum postulare. Eidem seqvestrium officio opus haut esse, cui Belgas ad modestiam redigere in proclivi futurum sit. Cum post Lionnæus acriter liqvidum responsum exigeret, ac Crocovius denuo negotii difficultates demonstraret, iste dicebat: Si Elector id fœdus rebus suis haut proficuum ducat, de eo tantum sileret. Caterum sibi certo persvasum, cœpto bello eum in partes venturum, qvod neqve medio agere, nec Belgis adsistere integrum sit futurum. Colonienſem certe in partes descensurum. Si Elector nolit, eum Svecis se acturos; ac Anglum cavere, hoste, si bellum non simul sumant, saltem neutras partes secuturos. Qvod tamen Elector ita aperte mentem suam explicet, id ingenui candoris signum haberi. Svadebat tamen, ne is novo se Belgis fœdere innecteret, sed integra sibi omnia servaret. Nam priora ejus cum Belgis fœdera ita maligne servata, ut iste iis non amplius stringatur. Ac mox partes ita formatas perspecturum, ut expers periculi utilitas eundem facile in istas sit pertractura. Nam qvod Elector hactenus ita circumspecte egerit, ejus causam sibi videri, qvod haut crediderit rem ad manus venturam, ac istos belli paratus alium finem spectare. Ast si bellum serio sumi viderit, sine dubio Gallicæ societati accessurum.

Electoris declaratio. 25. Maij.

1670. *17. Jun.*

§. 12. Porro inter belli certo erupturi indicia habebatur, qvod Gallus circa id tempus Carolum Lotharingiæ Ducem ditione sua ejiceret. Is per legatum suum Belgis obtulerat, se una cum Moguntino, ac Trevirensi XL M militum ad Rhenum, Mosellam, & Saram fluvios contra Galliam habi-

Lotharingus ditione sua expellitur.

1670. habiturum, si isti pecunias militi conducendo, & alendo suppeditare velint. Unde Lionnæus Moguntino, ac Trevirensi ministro denuntiabat: *si ipsorum Principes id audeant, statim in eorum copias impetum dandum, si maxime in solo Imperii consistant.* Mittebat post Cæsar Amadeum Comitem de Windischgrætz officium suum conciliando Regi, ac Duci oblaturum. Qvem Rex sat abrupte rejiciebat: *Duces Lotharingicos sinistre admodum erga Galliam se gessisse. Eos jam aliis sese innectere, ac horum ope sua recuperare velle, qvod unice ab ipsius gratia qværere debuerant.* Ac qverebatur legatus Cæsareus, Gallos adductas à se rationes ne audire qvidem dignatos, ac semper pro autoritate loqvi, ac voluntatem suam in vicem juris allegare; sic ut ne hilum qvidem Cæsarem ac Imperium respiciant. Ac mirum esse, qvod Ministri ita proterve, qvotiens occasio ferat, verbis admodum ignominiosis jactent; à Germania ob diffidentiam, ac discordiam Ordinum nil plane metuendum: ac Cæsari tantum negotii in Hungaria nasciturum, ut aliorum rebus curandis otium haut sit futurum. Lotharingiæ Duci cum amicorum qvis errata sua exprobraret, is nocentissimum id olim à se admissum ferebat, qvod, cum invitaretur, ad solvendum Rupellæ obsidium cum L M bellatorum non iverit. Ista porro Lotharingi expulsio Belgas valde turbabat, qvod satis perspicerent, Gallum ea parte finibus suis cavere, ne dum circa majora occupatur, ab isto Principe distrahi possit. Ea super re Conradus Beuningius tunc Belgarum in Anglia legatus Anglo demonstrabat, qvam necessarium sit, triplicis fœderis socios eam causam suscipere, ac Gallum, anteqvam ulterius grassetur, indicto bello prævenire. Cui Anglus responderat: Triplici se fœderi firmiter inhærere; sed istud ad Lotharingum non pertinere; nec Gallum aliud agere, qvam qvod jure liceat. Ac Ducem abunde meritum, ut ita secum agatur. Se qvidem id negotium haut tacturum, ac ut Belgæ idem faciant svadere. Ex his cum Beuningius conjunctionem inter Anglum, & Gallum conjiceret, populo Anglicano sinistram de Rege opinionem imprimere, istumqve in hunc irritare studebat. Sane Parlamentum acriter in Gallum declamabat, ac delegabat, qvi examinarent, num Rex concessas pecunias in usum triplicis fœderis impendat; simul jactabat, rationem ineundam esse, ut enormis Galli potentia, ac vasta consilia sistantur. Enimvero uti Anglo artes non deerant ad impetum Parlamenti eludendum: ita Beuningii conatus magis asperabant jam antea satis in Belgas irritatum tum ob alia, tum qvod Cornelius Wittius consul Dordracenus se velut de Anglia triumphantem pingi curasset, tabula in curia Dordraci suspensa. Tum qvod nummi in contumeliam Anglicanæ nationis cusi fuissent; ac qvod nupero bello capta navis prætoria ante Roterodamum in vicem cauponæ, ac lupanaris adhiberetur. Scilicet cum belli prætextus qværerentur, cum solidæ rationes bellum potius dissvaderent, per talia populum Anglicanum, contumeliæ intolerantissimum, inflammatum ibant. Unde & missus Lutetiam Bukingamius Dux fœdus ab Henrietta Aurelianensi Douveræ propositum, dein per Portsmuthiam absolutum denuo firmabat. Ubi placebat, ne Anglicana plebs in Galli gratiam bellum sumi crederet, ab Anglo Belgis primo loco bellum indici, cui Gallus in socii vicem sit accessurus. Simul isti demulcendæ edictum promulgatur super mercibus in Anglia elaboratis in Galliam importandis. Significabat tamen post Gallo Anglus, se ante exitum mensis Julii seqventis anni classem instruere haut posse; eoqve in arbitrium Galli referebat, num bellum proxima æstate utiqve auspicandum, an ad subseqventem annum septuagesimum secundum sit differendum. Qva mora Belgas per susceptos armorum paratus domi atterendos, vel ut ultro in bellum erumpant necessum habituros.

Gotlieb.

2. Sept.

7. Oct.

§. 13. Inter ista Electorem haut parum solicitum tenebant ortæ per Poloniam turbæ inter Regem Michaëlem, ac plerosqve Proceres hunc velut eo fastigio indignum aversantes; qvorum illum Nobilitas qvæ creaverat, hos exercitus fulciebat. Circa eas turbas qvid Galliæ Regi videretur, Crocovius exqvirere jubebatur. Nam iste hactenus Poloniæ res singulari studio amplexus fuerat; ac Senatores Poloniæ hac sibi spe blandiebantur, Gallum non concessurum, ut ipsorum autoritas, qvam per leges Regni circa regimen obtinent, imminuatur, ac sublata libertate Regi ad solutum legibus imperium via muniatur; id qvod Austriacis commodo cessurum sit, qvorum affinitate Rex iste nitatur. Sane Archiepiscopus Gniesnensis Electori significarat; *nullam reconciliationis spem inter Regem, & Proceres præsentium pertæsos superesse, qvod is autoritatem Senatus opprimere, nec honestæ transactioni locum concedere velit: unde & hos extrema tentaturos.* Qvo fine cum Electore fœdus jungere cupiebant, uti & cum aliis, qvorum interest

Galli circa Polonicas turbas sententia.

1670. Senatui autoritatem, Regno libertatem, Regis potestati veteres limites constare. Nec idoneas sibi vires deesse. Nam totum exercitum cum Tartaris, & Cosacis ab ipsis stare. Exercitum, cui Procerum sese turmæ junxerint, denuo pro libertate, pro autoritate Senatus, pro archistratego Sobiescio; pro suis stipendiis tutandis conspirasse; qvi universitati Nobilium, qva Rex confidat, utiqve par futurus sit. Ad qvæ Lionnæus: *Senatores ante aliqvot menses* 28. Oct. *Regi super abdicatione Michaelis, & Comitis San-Pauli electione proposuisse. Sed Regem ea destinata improbasse, ac dissvasisse, ad qvæ nil collaturus sit. Simul Comiti severe interdixisse, ne qvid eum in finem apud Polonos machinetur. Eosdem super auxilio ad servandam suam autoritatem, ac jura nondum qvid apud Regem movisse, nec declarasse, an qvo lasi fuerint. Regis mentem super hoc negotio esse: haut gratum qvidem ipsi, Senatus autoritatem opprimi, ac dominatum legibus solutum introduci. Sed ut ipse ei se negotio ingerat haut placere, qvod Cæsari, & aliis Principibus fidem dederit, adversus Michaelem Regem nil sese susceptorum, nec alios in eundem obfirmaturum. Ac Polonos eo esse ingenio, tantaqve pecuniæ vi Regem gratis emunxisse, ut hic deinceps istorum ludibrio sese haut sit prabiturus. Esse qvoqve id Regnum adeo remotum, ut id rationes Galliæ parum tangat; præsertim cum Regis amicitia cum Cæsare constet.* Scilicet postqvam Gallus omnem spem amiserat destinatis suis in Polonia potiundi, eoqve istius Regni negotia pro derelictis habere decrevisset; id Cæsari velut insigne meritum imputabat, ac solenniter declarabat, adversus Regem Michaëlem nil se facturum; qvo Cæsarem delinitum in securitatem daret, simul triplici fœderi dissolvendo, Belgis compescendis, ac Locharingico negotio, aliisqve propius spectantibus vacaret.

Elector Belgas ad avertendam imminentem tempestatem hortatur. 26. Jan. Romswinckel.

§. 14. Porro præter Electorem nemo Principum reperiebatur, cui tempestatem Belgis imminentem avertere cordi esset; qvin multi aut frigidam suffundebant, aut in sinu gaudebant, eorum insolentiam, ac ferociam, qva hactenus multos offenderat, paulisper castigari. Ast Elector, intellectis Galli adversus istos destinatis, Blaspielo, & Romswinckelio suis apud eosdem ministris injungebat exponere; *Cum undiqve de insolito armorum adparatu tam in Gallia, qvam apud Belgas nuntietur, ac inter eos dissidia gliscant, bellum demum paritura; Electori necessarium visum omnem movere lapidem paci servandæ, aut ea opera irrita de salute, ac securitate suarum ditionum cogitare, ac rationibus suis pro captu temporum prospicere. Qvo sine legatum in Galliam mississe permovendo Regi, ne abrupta pace orbem Christianum novis motibus agitet. Tum & ipsos huc venisse ad officium paci stabiliendæ offerendum; qvod Reip. nec animus sit, nec ratio svadeat fortunas suas ancipiti Martis aleæ exponere, ac ut pax sarta tecta persistat sua qvam maxime interesse. Interea promovendæ negotiationi facturum, si Belgis placeat genuinas dissidiorum, & offensæ causas exponere. Circa qvas si Resp. ullo modo Regi gratificari, ac satisfacere qveat, id se vehementer svadere; cum in aprico sit, qvantum incommodorum bellum vicinis daturum, & qvam parum auxilii ab aliis contra tam potentem, ac tam bene instructum hostem expectandum sit. Sane Hispaniam in se debilem, nec temere Gallos irritaturam. Sveciam sub Rege minore parum momenti rebus addere aptam, ac forte Gallo se innexuram, præsertim si ab Hispanis promissa è triplici fœdere pecunia non numeretur. A qvibusdam vicinis Germaniæ Principibus forte infesta magis, qvam amica agitari. Eqvidem sese Resp. haut defore, ac qvæ fœdera exigant præstiturum. Enimvero ista nil ad instantis periculi magnitudinem facere; eoqve satius esse Regi aqvam satisfactionem offerre, si justa offensæ causa data fuerit, qvam ad extrema rem deducere. Id si faciant, ac bello ansam præbeant, neminem fœderatorum ad auxilium ipsis ferendum teneri se judicaturum. Sed si præter spem pax abrupta fuerit, postulare se, ut ditiones suæ transitibus, exactionibus, hospitiis militaribus, ac aliis molestiis ne onerentur, neu sedes belli in eandem pertrahatur. Eo sine sibi in animo esse fœdus cum Colonienſi, & aliis vicinis qvorum interest inire.* Simul operam darent, ut si non omnibus, saltem uni & alteri Cliviæ oppido præsidium Belgicum deducatur. Enimvero Belgæ Electori qvidem pro studio in ipsos, ac fideli admonitione gratias agebant. Cæterum *vix sibi perfvaderi inter se, & Gallum belli qvid oriturum, cui se causam dedisse haut meminerint. Qvin constare sibi, arma qvæ in Gallia parentur, ad obtinendam Lotharingiam, aut subigendum Burgundiæ Comitatum, aut Hispanici Belgii reliqvias spectare. Cum vicinis, ac aliis Principibus hactenus amicitiam se coluisse, ut potius eorum auxilium, qvam offensam sperent. Ac qvæ sibi cum nonnullis controversia intercedant, jure potius, qvam vi expediendas.* Ob frigus istius responsi Electori haut visum id negotium apud eos ulterius urgere; præsertim cum Joannes Wittius omnes Electoris actiones sinistre interpretaretur, ac Hagæ

1670. gæ nil secretum haberi posset. Sane & isti tunc magis pro Hispanicis provinciis, qvam pro se soliciti erant; qvibus tamen per triplex fœdus caviffe videbantur, ad qvod fulciendum Imperium, ac omnes vicinos teneri credebant. Unde & paratus armorum apud ipsos plus strepitus, qvam solidi habebant. Qvin & ea sibi spe blandiebantur, Gallum æqve apud ipsos, qvam Anglum de fœdere propositurum, per qvod Gallus sese obstricturus sit, vivo Hispaniæ Rege, cui hic brevem vitam augurabatur, in Hispanicas provincias nihil tentare ea lege, ne Angli, & Belgæ, ubi istum Regem fato fungi contigerit, Gallum in jure suo perseqvendo impediant. Sed & judicabat Elector, à Belgis operam suam minoris æstimandam, si ultro sese his venditare videretur; aut si ea apud istos opinio surgat, velut is sine iisdem rebus suis consulere non possit.

Belgæ bellum declinare student.

§ 15. Sed cum post clariora indicia erumperent Belgas peti, hi Petrum Grotium legatum in Galliam misere: qvi proponebat; *qvia Ordines Generales perceperint sua acta Regi valde displicere, inqviri à se jussisse, qvænam sint, qvibus Regis iram mereantur. Nam sibi haut persvaderi, eum ideo offendi, qvod per triplex fœdus securitati suæ prospexerint. De cætero spem esse, Regi se plene satisfacturum, ac omnes sinistras opiniones è medio sublaturum.* Huic causas offensæ qværenti Lionnæus dicebat; *Rempublicam Belgarum ejusmodi scita servando suo statui condere, qvæ nec æqvitati, nec rationibus, & existimationi Regis qvadrent; qvod hunc possessione Hispanici Belgii, qvicqvid juris eidem ad hoc deinceps nasciturum sit, excludere meditentur, solo metu malo fundato ducti, & qvia id rationibus suis haut expedire judicent, eoqve orbem Christianum in Galliam incitare meditentur.* Grotius cum apud Regem solenni alloqvio defungeretur, de Belgarum studio super servanda Regis amicitia testabatur, circa qvam ipse sedulam operam sit navaturus. Cui Rex respondebat; *Belgas bene fecisse, qvod ipsum potissimum huic negotio adhibuerint. Optare, ut æqve sibi de Ordinum Generalium, qvam ipsius intentione cautum sit. Interim bene esse, qvod idem huc venerit, ac id inserviturum rebus in bono statu servandis.* Ac videbatur metus belli aliqvantisper considere, qvod Belgæ sibi persvasissent, Anglum à triplici fœdere haut discessurum, ac Parlamentum nunqvam in bellum adversus ipsos consensurum. Unde & Electori spes nascebatur, circa extingvendum sub cineribus bellum operæ pretium fieri posse, eoqve Crocovio injungebat, Regi proponeret; Sibi injunctum nonnulla super bello cum Belgis declinando movere. Sed qvia nolit ipsi Regi molestus esse, petere, ut Lionnæus jubeatur ista audire, qvæ candido ex animo, & studio in commoda Regis proveniant. Inde Lionnæo demonstrabatur: *Etsi Electori haut incognitum, qvantos armorum paratus Rex fecerit, & qvam langvide adhuc Belgæ defensionem adornarint, eoqve ipsum facile sibi gloriosum belli exitum polliceri posse: qvia tamen Rex consilia sua non ad perseqvendos armorum successus, sed ad qvietem Orbis Christiani referre sveverit, genuinam immortalis gloriæ materiam; Electorem pro candido, qvo Regem proseqvitur, affectu fas duxisse nonnulla exponere, ob qvæ huic alia potius via, qvam per arma satisfactio qværenda videatur. Si enim Rex bellum tam antiqvis sociis inferre instituat, anteqvam communium amicorum officium admissum fuerit, an non alia ratione offensæ causa tolli qveat; omnia mala inde in populos Christianos redundatura Regi attributum iri, imminuta fiducia, qvæ de animo ejus pacis studioso concepta fuerit. Exitum belli ab hominum viribus, qvantæcunqve illæ sint, haut pendere; sed faustissima initia per tot è transverso intercurrentes casus sæpe in tristissimum finem verti. Id qvod etsi nunc ob inusitatos Regis paratus, & circa omnia cœpta admirandam prudentiam haut metuatur; satis se tamen animo prospicere, qvosdam ex invidia in Regis incrementa, alios ob proprias rationes, per qvas Belgis innectantur, his auxilia laturos, ac ejus destinata difficilia, si non plane irrita reddituros. Alios clam, palam varia obstacula objecturos, Belgasqve sublevaturos; saltem id operam daturos, ut implacabili in Galliam odio imbuantur, qvibuscum Rex, ejusqve majores longo tempore communes rationes habuerint. Galliam qvoqve interceptis cum eo populo commerciis ingentia commoda sensuram. Igitur Rex non tam causas respiceret ad bellum impellentes, qvam gloriam, qvæ eum mansura sit, si invitante licet causa, potentiaqve, & adversæ partis debilitate pacem orbis Christiani ante omnia habeat. Super qvare si Rex mentem suam Electori explicet, hunc ita apud Belgas acturum, prout amicitia cum ipso dignum sit. Qvo casu necessum fore, ut Elector genuinas offensæ causas, & qvid satisfactionis Rex obtendat, norit. Neqve vero Electorem ex affectu in Belgas ista movere. Nam si unice commoda sua respiciat, forte sat causam ei esse ut Regem in arma incitet. Nam ita secum ab istis actum, ut facile pati possit adversi qvid iisdem inferri.* Ad ista Lionnæus reponebat:

9. Sept. de Groot.

15. Nov.

9. Dec.

1670. *Elector denuo circa bellum avertendum movet.*

1670. bat: *Belgas præcipuam ſtatus ſui rationem habere, Galliæ potentiam intra limites coercere. Eos omnia Regis jura, quæ jam habeat, aut qua deinceps eidem naſci queant, ſuis utilitatibus metiri velle, ac quantum in ſe totam Europam in eum concitatum ire. Annon ſanam rationem diſtitare, ut illi præveniantur, qui conſervationem ſui alterius imminutioni ſuperſtruant? Num quæ ſequeſtrium officia id efficacia habitura, ut iſti ſcita ſuæ Reip. mutent, ſine quibus ſe conſervari non poſſe arbitrantur? His Regem permotum ab armis remedium petere decrevisſe; & quia jam fœdere cum Anglo ſe illigaverit, non amplius ei rem integram eſſe, nec Belgarum oblata, aut aliorum officium admittere poſſe. Nec arbitrari Regem, ab Electore Belgis quoque officium oblatum, ac ejus deſtinata publicata. Haut eo fecius Regem Electoris pro bono publico ſollicitudinem æſtimare, ac in ſignum amicitiæ, & affectus acceptare, ac rem in eo ſtatu ſervaturum, ut is inſigni cum emolumento eidem accedere queat. Id ſi Electori haut placeat, eum ſaltem Regi haut adverſaturum; quo caſu quoque hic facturus ſit, ut ea res Electori lucro cedat. Porro initium belli è ſolius Angli arbitrio pendere; in cujus partem ſi Elector venire velit, proxima æſtate id ſucceſſurum. Sin minus, eo rem redituram, num Rex cum aliis Principibus convenire poſſit. Id ſi fiat, Regem etiam ſine ipſo, ad quem tamen maxime reſpiciat, deſtinata ſua perſecuturum.* Poſt tamen Lionnæus querebatur, quod Elector ad Regem Sveciæ ſcripſerit de periculo, quod Belgis à Gallo immineat, & quod Monaſterienſis arma in Galliæ uſum paret obtentu controverſiæ, quæ iſti cum Guelferbytano Duce ſuper Huxtera oppido intercedat: qua compoſita Gallum omnes copias ad ſe pertracturum, ac omni ex parte Belgas invaſurum. Hoc ipſo enim Regis deſtinata evulgata, ac Belgas excitatos ad arma paranda, ac ut fœderibus ſibi proſpiciant, ac forte Præſulem præveniant. Quem Rex opprimi haut ſit paſſurus, erſi ad ejus arma neque opem, neque conſilium ſuppeditarit. Eoque petebat, ut Elector alias literas ad Sveciæ Regem det, queis excuſaret priores ex inani relatione ſcriptas, ac interim plenius ſe edoctum aliam Gallo mentem eſſe. Sed Elector quæ ſcripta ſint, è publicis relationibus hauſta excuſabat.

Elector amplius ad belli ſocietatem ſollicitatur. 1. Dec.

§. 16. Cæterum perfecto, & confirmato inter Gallum, & Anglum fœdere, Wilhelmus Furſtenbergius iſtius juſſu Colonienſem, Brandenburgicum, Neoburgicum, Hanoveranum, & Monaſterienſem ad belli ſocietatem invitabat. Electori inter alia offerebatur Orſoia, & Veſalia, quam primum id rationes belli ferant, reſtituendæ, & ſub finem belli omnia alia loca, ad ipſum ſpectantia. Belli cauſa non alia allegabatur, quam *gloria Regis*, & *ut Belgarum inſolentia caſtigetur*. Circa ſacra in Belgio nihil novandum ſpargebatur, niſi quod Catholicis liberum ſit futurum intra privatas ædes ritus ſuos exercere. Fœderatis Principibus integrum fore partas Provincias pro lubitu inter ſe dividere, niſi quod Anglo poſtulante Hollandia, & Zelandia penes Arauſionenſem manere debeat. Ne autem Electori & aliis diſtractio a tergo metuenda ſit, utriqve Regi placuiſſe neqve cum Sveco, neqve Dano tractare, quod id citra alterutrius offenſam fieri neqveat. Qvamprimum tamen Svecus ſe moveat, Danum armis inſtruendum; ac viciſſim Svecum firmandum, ſi Danus adverſæ parti accedat. Si Hiſpanus in arma erumpat, Gallo ſat virium fore iſti qvoqve compeſcendo, ut fœderatis non neceſſum ſit futurum cum hoc bellum ſuſcipere. De Cæſare cautum eſſe, eum in partem hujus belli haut venturum, ſi maxime Hiſpani pro Belgis arma ſumant. Super his ergo & aliis ut conveniretur, placebat Bilefeldæ conventum circuli Weſtphalici indici; ad qvem ab Electore Wernerus Wilhelmus Blaſpielus, & Fridericus Jena miſſi ſunt. His Furſtenbergius ſeorſim proponebat: *Ante annum quidem ſe Berolini communicationem auſpicatum; ſed commodius viſum hoc eam perſequi, ne ea res aliorum animos advertat. Igitur jam defenſivum fœdus perficiendum, qvod Berolini abſolutum non fuerit, velut periculo longius adhuc remoto. Sed nunc manifeſto, eoqve imminenti imminente, iſtud perficiendum, & arma in promtu habenda.* Addebantur qverelæ de Colonienſi urbe, qvæ exterorum copias admiſerit, ac munitiones in ſolo Electoris cognominis ſtruere pergat, obtentu ſumto, velut Elector eam in exterorum manus tradere meditetur; id qvod non niſi de proditore patriæ cogitari qveat. Unde operam dandam, ut non civitas ad audiendam rationem permoveatur. Cumprimis autem conveniendum, qva providentia circa Gallorum deſtinata utendum, qvi ſine dubio hac æſtate in Belgas arma effuſuri ſint, non ut eos ſub ditionem redigant, ſed ut magna ingrati animi ſpecimina, & plurimas contumelias Regi illatas ulciſcantur. Ac omnium intereſſe, eam Remp. pauliſper ad modeſtiam redigi. Qvia autem Gallus in Belgas ad Rhenum, & Moſam nil ſuſcipere qveat, qvin utriusqve Electoris ditiones inqvietet, qvos tamen indemnes cupiat: igi-

8. April. 1671.

tur

1671. tur isti placuisse cum his, & aliis ejus Circuli Principibus, qvos id negotium tangat, rem in consultationem deducere, num iis placeat cum ipso fœdus sociare; super qvo Electoris mentem cognoscere cupiat. Sane Colonienſi hanc rem magnopere cordi esse, qvod non solum Leodienſi ditioni, sed & inferiori Archiepiscopatus Colonienſis parti vastitas hoc bello succedente immineat, ni idonea consilia capiantur. Eqvidem expeditissimum juxta, & tutissimum esse, si Galli destinata interposito officio diverti possint. Sed frustra heic operam sumi, postqvam ei cum Anglo convenit, ut hic primus Belgas invadat; eoqve isti, si maxime velit, pedem referre haut integrum esse. Circa modum belli gerendi adhuc dissensionis qvid esse. Nam aulam Anglicanam velle, ut junctis copiis ab utroqve Rege contra Belgas res geratur, sed præcipuos Parlamenti malle ab utroqve separatim bellum administrari, & qvidem non commissis præliis, sed interceptis Belgarum navibus onerariis. Gallo duos exercitus terrestres, duas classes in promtu esse. Anglos qvoqve intra mensem ad rem gerendam paratos fore. Igitur Colonienſi utile videri sine mora Galli partes amplecti, qvod Belgæ super Rheinberca ipsi satisfacere, (qvod jam olim se post finitum cum Hispanis bellum facturos promiserint,) ac vestigal sub id oppidum institutum abolere, nolint magno contemtu in Principes Imperii ostentato. Adhuc tamen isti omnia integra esse, nec sine Electoris placito certi qvid decreturum; id qvod communicari velit. Gallum qvoqve Electoris sententiam cognoscere admodum cupere, qvæ ni brevi pandatur, alia istum consilia capturum, nec eo minus bellum susceperum, peritura tunc utriqve Electori occasione emolumentis suis prospiciendi. Si tamen negotium aliqvantisper in suspenso retinere placeat, id non alia ratione fieri posse, qvam si Gallo super partibus suis amplectendis fides detur. Interim arma strenue paranda lautioribus conditionibus stipulandis, simul securitati ditionum inservitura. Ad qvæ Elector nil aliud responderi jussit; qvam se expectaturum, qvid legatus Gallicus, qvi in via esse dicatur, allaturus sit.

Colonienſis Electio rem ad bellum invitat. 8. April. Nicolart.

§. 17. Eodem tempore Colonienſis Henricum Franciscum Nicolartium ad Electorem mittebat; qvi initio de lite istius cum urbe Colonienſi, inde de bello à Gallo in Belgas decreto proponebat; in cujus societatem cum is præter plures alios utrumqve Electorem invitarit. Colonienſem Electoris sententiam cognoscere, simul suam communicare velle. Isti igitur *haut consultum videri Gallum multis monitis urgere, qvibus nil proficiatur, inani qvoqve officiorum interpositione; ac si invisatis Principibus manum simul admovere haut placeat, eum solo Anglo socio in Belgas ruiturum. Igitur deliberandum, qvid facto opus sit; num medius manere expediat, an in partes descendendum? In Belgas Colonienſem nullo modo propendere, ac Gallo vel absqve subsidiis, qvam istus etiam accepto stipendio, adsistere malle. Ut medio manere liceat, egre impetratum iri. Ergo tutissimum esse cum Gallo in certas leges convenire, temperandis eo melius ejus destinatis, ne justo longius grassentur, ac ut ditiones belli calamitatibus subtrahere, & unum, alterumqve emolumentum stipulari liceat. Svecos accepta certa pecunia summa qvieturos, ac si qvi Germaniæ Principum Belgis contra Gallum se socient, in eos hostilia sumturos. Galli autem destinata non ad eam Rempublicam evertendam tendere, sed ad insolentiam ejusdem castigandam, & ut modestiam discat. Super qvare Bilefeldæ tectius atqve commodius agi qveat.* Huic privato colloqvio Elector demonstrari jubebat: *In hoc negotio maximas se difficultates, & pericula perspicere. Eqvidem se à Belgis hactenus satis duriter, & contemtim habitum, ac præcipua Cliviæ oppida ab iis detenta, unde varia sibi incommoda nascantur. Sed non constare sibi, qvæ causæ Gallo sint admovendum bellum sufficientes; qvod primum omnium habeatur ius, qvibus acta sua Numini adprobare cordi sit. Duplici qvoqve se Belgis fœdere innecti, ex qvo, ubi invadantur, auxilium sint petituri. Suas qvoqve provincias admodum distractas, ac sibi præcipue in Poloniam respiciendum turbido in præsens statu. Denique Clivicarum ditionum cum esse positum, ut uno impetu à Belgis obrui qveant. His & similibus mentem suam in suspenso teneri, ac hactenus ante omnia id agendum judicasse, Belgas junctis operis impellendos, ut Gallo ex æqvo satisfaciant. Ubi hoc fiat, cæteros qvoqve desideriis suis potituros. De Svecis adhuc incertum esse. Ad Austriacos qvoqve respiciendum.* Ad qvæ Nicolartius: *in Galli partibus plurimum esse securitatis, minimum periculi. A Belgis nil aqvi expectandum, qvi mores suos, nisi male multati, emendaturi non sint. A Cesare nil metuendum. Hanoveranum manum negotio simul adjecturum. Nec Colonienſem dubitaturum, ubi propositæ conditiones annuantur.* Sed demum Elector responsum dabat: *Se à Colonienſi petere, ut servandæ paci, & ob publicum bonum apud Gallum operam navet, qvo bellum saltem in hunc*

24. April.

1671. hunc annum ſuſpendatur; at ſe viciſſim iſtius commoda Hagæ non ſegnius qvam propria promoturum. Tum ut idem miniſtros ſuos Bilefeldenſis mandatis inſtruat, qvo in omnem eventum conveniri poſſit, qva ratione ſua ditiones incommodis belli ſubtrahi qveat; tum apud Gallum efficiat, ut ſi utique tranſitus per eas ſumendus, aut Rheinberca obſidenda ſit, ipſe indemnis præſtetur. Ad qvæ ablegatus: Ab hero ſuo non facile officium apud Belgas offerri poſſe, qvod hoc modo ſecretum, tantopere à Gallo commendatum, ſit evulgandum, urgente inſuper temporis anguſtia, qvod Anglus ex fœdere menſe Auguſto, Gallus Septembri in arma erumpere teneatur. Alias libenter facturum, qva declinando bello fieri qveant. Elector contra: de modo fortaſſe bellum adminiſtrandi, & Anglicano fœdere adhuc ſilentio premi: reliqva ne in Gallia qvidem amplius diſſimulari. Unde Gallica ſecreta non obſtare, qvo minus cum Belgis ſuper ea re agatur. Qvod ſi Belgæ ipſorum poſtulatis haut ſatisfaciant, eo conſpectiorem fore eorum injuriam. Reſtitutis urbibus vires ſuas immunuere, id qvod Gallo uſui ceſſurum ſit. Qvæ ablegatus probabat, addito, fœderatos, ſi maxime Gallus bellandi initium faciat, in futurum usqve verſeſe haut moturos. Nec Colonienſi mentem eſſe Trajectum ad Moſam, aut Rheinbercam in Galli manu relinqvere. Nam in præſens amicos eſſe; poſt cum tempore animos mutari poſſe. Ac ideo Colonienſem tantum non neceſſitatem ſibi adferri judicare fœderis amplectendi, qvo loca iſta ſibi ſervare, ac Gallo per pacta certos limites conſtituere poſſit. Viennæ Colonienſis miniſter qverebatur, Belgas heic omnia poſſe; nec Furſtenbergiis fidem adhiberi tam ſancte teſtantibus, ne ita perfidi, ac ſtolidi homines credantur, qvod cum Gallo circa ea conſpirent, qvcis Imperium in periculum conjiciatur, & Gallus formidabilior reddatur. Sed ſibi placere auxilio Galli contra Belgas haut ulterius uti, qvam ut ab his detenta contra jus loca recuperent, ac inſolentiam mercatorum, Principes Germaniæ inſultantium, caſtigent, eosqve negotiis Imperii excludant, qveis ita importune ſe ingerant. Scilicet qvia aulæ Viennenſi perſvaſum ſit, provincias Hiſpanicas citra Belgas Unitos contra Gallum defendi non poſſe, horum libidini præter morem indulgens.

Galli legatio ad Electorem. 22. *April.*

§. 18. Aderat qvoqve à Galliæ Rege ad Electorem miſſus Ludovicus Verjus, qvi ſilentium ſtipulatus proponebat; *decretum Regi arma Belgis inferre, indies plures offenſæ cauſas cumulantes; ad qvod & alias idem fœdere Anglico ſtringatur. Bellum hoc anno* 1671. *adhuc erupturum, in qvod Anglus usqve adeo ardeat, ut vel ſolus id auſpicaturus ſit, ſi iſte adhuc moretur, ne in Galliæ gratiam bellum ſuſcipere videatur. Gallum tamen hoc anno usqve erupturum, paratis jam omnibus, ac Belgis nondum ſat inſtructis. In ejus belli conſortium ut Elector accedat, qvem id plus qvam alium qvemvis tangat, Regem cupere. De qvo & alias propoſitum, qvas controverſia qvid cum Belgis intercedat, aut qvi injuriæ, vel contumeliæ ab his affecti ſint. Ac de Colonienſi qvidem Furſtenbergium declaraſſe, gravuſimis ipſum cauſis ad ſociandas cum Rege arma urgeri. Cum Monaſterienſi qvoqve jam tranſactum. Neoburgicum Electoris conſilia ſecuturum. Hanoveranum in eadem partes propendere. Regem hac invitatione id qværere, ut ictum coercitius libret, & Belgas omni ex parte premat: ſimul fœderatis per injuriam detenta recuperet, aliaqve commoda ita comparet: denique ut Belgarum inſolentiam compeſcat, qvo deinceps ſuoſe pede metiri, ac vicinos reverentius habere diſcant. Qvod ſi fœderatis ita videatur, bellum in futuram ætatem differri poſſe. Aſt ſi iidem Regis ſocietatem abnuant, Regem haut eo ſecius res ſuas ita digeſturum, ut hoc anno bellum adhuc erumpat. A Rege fœderatis offerri dimidiam partem auxiliarium & ſtipendiorum; tum omnia loca à Belgis recuperanda, in qva ipſis jus competat. Proſe Regem nil locorum depoſcere, niſi cis Moſam ſita, aut olim Flandriæ, & Brabantiæ detracta. In Anglia fœdus primo inter Colbertum, & Arlingtonum conceptum; inde miſſo in Galliam Buckingamio interpolatum, ſublatis, qvæ æmulationi inter Reges anſam præbere poſſent. Cæterum ut iſthæc ſecreta haberi qveant, de compacto vulgandum, ſe veniſſe ob componendam ſuper Huxteræ litem inter Brunſvicenſem, & Monaſterienſem; qvam à Belgis foveri conſtet, non minus atqve controverſiam Electoris Colonienſis cum urbe cognomine, ut incendio à ſe avertendo, alibi flammam excitent; tum ut teſtetur, à Rege nihil in Coloniam, & Argentoratum tentari, uti fama ferat.* Ad qvæ Elector: *Magno cum dolore ſibi intellectum, Belgas ita ſiniſtre ſe erga Regem geſſiſſe, ut non ſolum memoriam acceptorum à Gallis beneficiorum exuerint, ſed & tantæ offenſæ, qva bello vindicari mereatur, cauſam dederint. Se jamdudum officiū obtuliſſe, qvo Regi ultro ſatisfiat. Optare ut Rex id admittat; ac amicam compoſitionem plurimum gloriæ, ac favoris, nil ſumtuum ac moleſtiarum pariturum, potius qvam arma eligat. Alias eximium benevolentiæ regiæ indicium haberi, de hac re ſibi ſignificatum, ac ad iſta cœpta ſe invitatum.*

Sane

1671. *Sane Belgas secum sat siniſtre egiſſe, non ſolum Clivicis oppidis detentis, ſed & aliis injuriis, ac moleſtiis illatis. Aſt incommoda, & mala belli tanta eſſe, ut ipſe non poſſit non poſthabitis propriis emolumentis pacis conſervationem armis præferre. Eſſe hanc rem maximi momenti, & qvæ ſibi vehementer cordi ſit. Se quidem ſatis perſpicere, ſi bellum usqve ſuccedat, inde multum commodi, & lucri, ſed ſimul plurimum periculi provenire ſibi poſſe. Unde maturius ſe negotium id expenſurum, & cum fœderatis ſuis, qvi ad idem negotium à Rege invitati ſint, communicaturum; ac ſententiam ſuam per legatos Bileſeldæ ipſi expoſiturum. Super conditionibus in præſens agere ſupervacuum eſſe. Sperare tamen Regem ſaltem hoc anno armis qvietem imperaturum, ac bellum, ſi plane omitti non placeat, in futurum annum ſuſpenſurum. Orbem magnopere adprobaturum, tantam patientiam adverſus Belgas adhibitam, ac ſpatium ius indultum ad aliam mentem inducendam, Regemqve placandum. Hac qvoque mora interpoſita Belgas magis delaſſandos, qvam bello; qvin plebem tantorum onerum pertæſam demum in rectores Reip. inſurrecturam. Invitatis qvoqve Principibus eo plus facultatis dari adparatus faciendi. Denique cum ſibi neceſſum ſit cauſas belli noſſe, ſeu arma ſimul ſumere placeat, ſeu minus, iſtas ut clarius legatus exponat velle; qvod qvæ in fœderis formula exprimantur, parum ſtringentes ſint. Faſtum ibi adduci, ac intolerabilem agendi modum, qvo Belgæ adverſus omnes orbis Chriſtiani Principes, ac præcipue vicinos utantur. Iſtum compeſcere Regi gloriæ ſuæ dignum videri, ac ut iidem compellantur ad qvibusvis reddendum, qvæ detinent, ac in futurum adverſus vicinos ſuos majore circumſpectione, ac modeſtia utantur.* Contra Verjus promtam declarationem expoſcere. *Crocovium jam Lutetiæ de interponendo officio monuiſſe. Sed qvia ex eo tempore Belgæ mores haut emendaverint, ac indies patientiam Regis magis laceſſant, gliſcente immenſum arrogatia; ſimul fœdus cum Anglo ad bellum hoc anno ordiendum ſtringat, circa qvod regiam ſuam fidem fallere nefas ducat: ſequeſtrium operam admitti haut poſſe, inter qvos alias Elector gratiſſimus Regi eſſet futurus; qvi & in progreſſu negotii luculenta in ipſum amicitiæ ſpecimina ſit editurus. Sane graviſſimas Electori cauſas eſſe, ut Belgis ſuccenſeat, ac nulla unqvam loca magis injuſte uſurpata, qvam Clivica. Ut res mature conſideretur, & cum fœderatis communicetur, laude dignum eſſe: Regi tamen iſtius ſententiam ſuper propoſitis conditionibus qvamprimum cognoſcendam. In dilationem belli ad futurum annum forte Regem conſentire poſſe, ſi cautum ſit, inducatos Principes, ac præſpue Electorem, qvem is potiſſimum reſpiciat, in partes ipſius conceſſuros. Aſt ſi hoc incertum ſit, Regi neceſſum fore, qvicqvid deadductis in contrarium rationibus fiat, fidem Anglo datam implere. Cui accedat, qvod Belgis in præſens inexercitatus miles ſit, nec ullum adhuc fœdus biſce deſtinatis oppoſitum. Tum qvod Rex nunc melioribus conditionibus cum Hanoverano ac Monaſterienſi, qvam deinceps decidere poſſit, qvippe numeroſo milite inſtructis, qvem alere oneroſum iis ſit. Nec ullum hoc bello periculum metuendum, qvod ambo Reges accedente Electore tam validas partes forment, qvæ nullum non ſucceſſum ſibi polliceri qveant. Jam haut eo minus Electori neceſſum fore militem conſcribere tutandis ſuis ditionibus. Inde Regem cadidiſſe, nemini magis proficuum fore in partem belli venire. Super cauſis belli ſe ita diſtincte haut edoctum. Sed univerſo Orbi conſtare, qvam indigne Rex ab ea Rep. habitus fuerit; qvæ & tantum non ultro agnoſcat, ſe Regi cauſam bello præbuiſſe.* Proponebatur inde Verjo temperamentum bello declinando, ſi Belgæ adſtringantur nulla fœdera inire, aut jam initis renuntiare, qvæ Regis juribus fraudi eſſe qveant. Sed is ſubinde ad ſæpius adducta impedimenta revolvebatur, per qvæ Regi ſententiam ſuam mutare haut liceat. Nec inficiabatur difficultates, qvæ Electorem, ut hoc bello abſtineret, ſubigerent, turbas Polonicas, reſpectum in Cæſarem, Svecum, Saxonem, alios, ac Cliviæ poſitum. His tamen non obſtantibus Electorem ſaltem adverſas Regi partes haut amplexurum, ac medium manſurum, etſi Rex ipſius ſocietatem vehementer optet. Demum Elector Verjo denuntiabat: *Qvo magis propoſitum negotium conſideret, eo pluribus cum difficultatibus id conjunctum reperire. Unde pro ſtudio, qvo in Regis proſperitatem feratur, non poſſe non denuo huic conſiderandum proponere; num Gallia interſit partes mutare, qvæ hactenus tam bene eidem ceſſerunt, eoqve anſam præbere, ut æmuli emolumentum inde ſuum petant. Unde ſi maxime Gallo juſtiſſima bello cauſa ſit, eamqve felix ſucceſſus comitetur; adhuc tamen dubitare, an id bellum genuinas Regis rationes firmaturum ſit; id qvod non niſi ex eventu judicari qveat. Nam ita rerum faciem mutari poſſe, ut amicitia Belgarum Regi ſit utilis contra illos, qvi olim utrorumqve exitium qvæſiverunt. Sed tunc incaſſum eorum conjunctionem captandam, apud qvos tenacior offenſarum, qvam beneficiorum memoria reperitur. Sane promtius nunc ſatisfactionem obtineri poſſe, qvam poſt* 10. Maii.

1671. *irritatis animis; ac se cupide ad hunc finem operam collaturum. Ceterum plurimos sibi respectus obstare, ut in præsens neutri se partes addicere qveat. Ulteriùs tamen cum Rege acturum post Sveciæ consilia explorata, qvæ sibi qvam maxime respiciendæ sint.* Ad qvæ Verjus: Regi molestum fore, Electoris rationes non permittere, ut longius procedat, aut oblata emolumenta acceptet. Conjicere tamen eundem Regi haut adversaturum; nec defore facultatem ipsi super Clivicis oppidis satisfaciendi. Ita iste irritus Berolino Bilefeldam se contulit; ubi multis humanitatem laudabat, qva ibi exceptus sit. Sed responsum datum suam expectationem haut implevisse, ni credidisset, heic liqvidius se acceptarum. Sed Blaspielus nil aliud respondebat, qvam si cursor, qvem Verjus ad Regem miserat, pressiora mandata adferat, ea se ad Electorem relaturum, ac hujus sententiam ipsi significaturum. Idem qvoque impediebat, ne Verjus denuo Berolinum regressus Electorem urgeret; cui consultum videbatur omnia sibi integra retinere, ac Sveci, Angliqve consilia penitus explorare; interim per Westphaliam, & Inferiorem Saxoniam arma defensioni in promtu habere.

Neoburgicus pariter ad societatem belli invitatur 27. Nov. 70.

§. 19. Furstenbergius porro Neoburgicum iisdem qvibus Electorem rationibus ad societatem belli in Belgas pertrahere conatus fuerat. Cui hic incommoda ejus belli ingesserat. Omnia à Gallo ostentata emolumenta ob belli aliam incerta esse; damna autem indubia. Ac si maxime fortuna cœptis faveat, ditiones exhauriri; ubi successus defecerit, vastari, si non plane amitti. Qvin Germaniam & magnam partem Christiani Orbis diuturno bello implicari. Igitur satius fore vel de remediis cogitare, qvibus hoc periculum avertatur, Regumqve justis desideriis æqva satisfactio à Belgis curetur: vel à Principibus Germaniæ tertias partes formari, armaqve parari, qvo ditiones suas protegere, ac bello succedente pacis leges proponere ac pervincere, simul flammam Germaniæ, aliisqve vicinis arcere queant. Ad qvæ Furstenbergius: Recte facere Germaniæ Principes, si res suas probe disponant sane etiam his non concurrentibus bellum à Regibus sine exceptione decretum. Qvin vix obtinendum, ut iisdem mediis esse liceat, qvod Colonienses, Brandenburgici, ac Neoburgici ditiones ita sint positæ, ut Galli, Belgæqve armis congredi neqveant, ni istas tangant. Si transitus negetur, ab hac aut illa parte vi sumendum, & sic cum alterutra ad manus perventum iri. Porro in Belgarum gratiam sua periculo exponere haut consultum, à qvibus jam res repetendi occasio allubescat. Regum partes etiam absqve Germaniæ Principum accessione ita dispositas, & obstaculis, qvæ metui qveant, ita occursum, ut, ni omnis humana providentia inanis sit, prosperrima qvæqve speranda sint. Contra electis Belgarum partibus, aut medio statu, nil subsidii, nil securitatis, nil spei adparere. Circa isthæc igitur Neoburgicus Electoris sententiam exqviliturus has qvæstiones proponebat. *An huic propositioni aures præbendæ, ac super ea tractatio suscipienda sit? An Elector congressum invitatorum à Gallo Principum probet, & qvando, ac ubi? Aut an non id satius videatur inter se prius convenire, an & qvomodo id negotium suscipiendum? Qvod si uterqve consultum ducat unam & alteram partem amplecti, an non satius sit prius, qvam cæteri invitati conveniant, ipsi seorsim cum alterutra partium pacificantur, ut eo lautiores conditiones obtineant? Qvod si placeat tertias partes firmare, qva vires contrahi qveant bellantibus, eorumqve sociis nostra ditione arcendis? An non via inveniri possit bello plane impediendo, aut si ejus nulla spes sit, saltem unius anni dilatio obtineri qveat, qvo interim ab utroqve Rege exqviri possit, qva ratione sibi à Belgis satisfieri postulent, additopromisso hos intra certum tempus ad æqva disponendi? Ubi ab his nil æqvi obtineri qveat, plausibile prætextum nasciturum ad Regum partes amplectendas. An, & qva ratione Regum mens exploranda, num bello declinando ulla spes supersit? Si spes sit, an non id ante omnia tentandum? Sin minus, an non suspensio armorum saltem in unum annum sit urgenda? Sane ab Anglo ante mensem Julium classem instrui, nec à Gallo ante Augustum bellandi initium fieri posse: nec socios per formulam fœderis adjungendæ armateneri, anteqvam Trajectum ad Mosam, & alius ad Rhenum locus captus sit. Qvid igitur temporis superfore ad aliqvod operæ pretium faciendum? Cum intra id tempus dix inter ipsos, Regesqve convenire, multo minus arma parari qveant. Qvod si bellum averti non possit, utra partes sint eligendæ; inprimis cum penitus à belli consortio se removere dictas ob causas, & qvia Gallus de Cæsaris, ac Svecorum, qviete cautum sibi ferat, difficile ac fore periculosius futurum, qvam in partes concedere; ac vires suæ minores sint, qvam ut contra tam potentes bellatores sese tueri valeant. Ac si utiqve in partes concedendum, an non è duobus malis minus eligendum, & illorum societas optanda, apud qvos plus securitatis, ac emolumenti adpareat? Qvod si consultius videatur*

1671.

Neoburgici Electoris sententiam exqvirit.

1671. videatur Regum partes amplecti, annon expediat qvamprimum, & anteqvam reliqvi Principes conveniant, missis in Galliam legatis super formula fœderis, subsidiis, ac bello adqvirendis seorsim transigere, qvo sibi ambobus emolumenta stipulari liceat, qva forte Rex omnibo promiscue fœderatis indulgere neqveat? Aut si potius Belgarum societas optanda videatur, qvid amplius securitatis, & commodorum apud hos, qvam apud Reges sperandum, & qva conditiones obtinendas? Ad ista Elector respondit: *Dubium adhuc esse, num Anglus bellum sumturus sit; ac ut maxime Rex eo inclinet, vix tamen Parlamentum in eandem sententiam pertrahendum, maximo Anglicani populi in Gallos odio, & triplicis fœderis favore. Ac si maxime Anglus accedat, vix tamen Reges arma movere ausuros, ni aliqvi Germaniæ Principes socientur, qvos facile præsumere qveant theatrum belli apud se strui haut passuros. Ac Furstenbergium videri talia jactare magis ad inducendos alios, qvam qvod res ita se habeat. Sed qvicqvid ejus sit, optandum esse ob varia pericula, qva inde oriri possint, ejusmodi propositiones nunqvam factas. Sed postqvam factæ sint, ita circumspecte circa eas versandum; ut ne Gallo dissidentia nascatur, velut fortuna ejus* Electoris responsum. *invideatur; eoqve vix declinari posse, qvo minus proposita audiantur. Ob solum hoc negotium conventum instituere periculosum, nec id inter plures facile taceri posse. Huxterenses tamen turbas conventui si non totius Circuli, saltem majoris partis prætextum dare posse, ubi cum Colonienſi, & aliis agi qveat. Ac se jam ad aliqvos scripsisse, & responsum expectare, qvod bona fide communicaturus sit. Cæterum se adhuc magnopere dubitare, num ipse in partes discessurus sit; id qvod si placeat, utique una cum Neoburgico separatim tractaturum. Bello autem avertendo non præsentius sibi remedium occurrere, qvam ut inter ipsos, & Colonienſem peculiare fœdus ineatur tutandis suis provinciis; nec defore facultatem alendi exercitum, qvi sufficiat extero militi solo Imperii arcendo, ac qvi officiis circa pacem pondus addat, ac Belgas ad reddenda oppida permoveat. Interim pacem nondum plane desperatam videri, ac se jam offensæ securum super omittendo bello monuisse. Nec Neoburgici, atqve Colonienſis officio pondus defore. Ac in Neoburgici arbitrio esse, num in Angliam mittere velit, destinatis ejus Regis explorandis, ac ut ei consilia pacis ingerantur. Interea se omni ope connixurum, ut saltem proxime æstatis expeditio impediatur. In præsens autem nil aliud statui posse, qvam ut in neutrã partem studiũ declaretur; ac faciem temporum ultro suggesturam, num medium statum tueri liceat, & utra partes eligendæ. In præsens ad liqvidiorem declarationem haut descendendum videri.* 1671.

§. 20. Inde Bilefeldæ inter directores Circuli Westphalici, Electorem, Neoburgicum, & Monasterienſem actum super defensivo fœdere, num forte ea ratione belli mala à finibus Imperii averti possint; ad qvod initio Monasterienſis Electorem ultro invitaverat. Id nulla difficultate absolutum, ac nomine Electoris à Blaspielo, & Friderico Jena, nomine Monasterienſis à Matchia Korfio Smisingio, & Neoburgici à Lerado, Gisio, & Stratemanno subscriptum fuit; cui post Principum ratihabitio accessit. Ex eo mutua auxilia promittebantur, si qvis eorum abs qvopiam hostili modo invadatur, aut transitibus, hospitiis militaribus, tributis, ac similibus molestiis contra leges Imperii, & Instrumentum Pacis oneretur. Cui & alii Principes communi fœderatorum consensu accedere possint. Eo fœdere absoluto nostri monebant; ut conventus militum numerus statim in promtu sit, anteqvam ulli tractatus cum Gallo suscipiantur, & qvidem ut miles propriis fœderatorum sumtibus conscribatur, nec qvid subsidii aliunde eo nomine petatur. Tum ut Colonienſis ei fœderi adscribatur, comprehenso qvoqve Leodienſi præsulatu, utut longius remoto, & invasioni præ reliqvis obnoxio. Ubi arma præsto fuerint, junctim à Belgis satisfactionem postulandam, de qva prius inter ipsos conveniendum sit. Qva negata probe armatos speciosо prætexto, ac majore cum autoritate tractationem cum Gallo suscepturos. Deniqve si bellum inhiberi non possit, id agendum, ne invasio Belgii per Westphalicum Circulum, sed per Brabantiam, aut Flandriam fiat. Sed effectum ejus fœderis initio statim turbabat ambitus Præsulis Monasterienſis, qvi eo conventu præfecturam copiarum Circularium sibi deposcebat, ac nullo modo concedere volebat, ut eadem Electori conferretur, ob religionem, & potentiam, aut Neoburgico ob amicitiam cum Electore. Ac favebat Monasterienſi Gallus, ut is pro libidine de viribus Circuli disponere posset. Qvanqvam & alii renitebantur, ne ea præfectura Electori conferretur. Ac palam declamabat Furstenbergius, qvid incommodi secuturum sit; si tam potens Princeps Circuli vires in manu habeat, ac tam plausibile prætextum nanciscatur debiliores Ordinum opprimendi. Nec minus Svecicus ablegatus, nomine Ducatus Ferdenſis, refragabatur; cui & Lu- *Super fœdere defensivo inter directores Circuli Westphalici agitatur.* 7. April.

1671. neburgicus innumerat, gratum Ducibus fore, si id negotium nunc insuspenso reinqvatur. Utut ejus Domus Duces Electori de suo suffragio in hanc rem scripto cavissent. Sed uti inter eas contentiones id negotium irritum fuit; ita jam tum suspicio in Monasterienſem oriebatur, velut in transversum abiturum. Qvæ urgente & Colonienſis eidem fœderi cum omnibus suis præsulatibus adscriptus est. Eo fine *Instrumentum Accessionis* condebatur; 1. Jul. qvam tamen Elector de futuro duntaxat tempore intelligi volebat, ne ipsius auxilium contra Coloniam exposceretur, qvicum tunc cognomini Electori lis erat. Sicuti nec teneri volebat, si Leodienſis ditio invadatur. Enimvero cum indies clariora indicia erumperent, Colonienſem, ac Monasterienſem Gallo sese innexuisse, Elector eum tractatum ratum habere detrectabat, qvoad omnia in eum statum reponerentur, qvi fuerat, cum de isto agi cœpisset. Ac res eo magis suspecta erat, qvod Præsules enixe postularent, ut copiæ contraherentur, annona congereretur, ac supremus exercitui dux nuncuparetur. Simul qvotidie inter Argentoratenſem, & Verjum Bruelæ consultabatur, cursoribus subinde inter eum locum, & Parisios commeantibus. Wilhelmi qvoqve Furstenbergii legio jam Novesii stativa ceperat, ac plures subinde Gallicæ copiæ in Colonienſem ditionem deducebantur, qvæ dicis causa hujus sacramento adigebantur. Tum immensa annonæ ac paratus bellici vis pecunia Gallica, & per ministros Gallicos colligebatur. Ac in congressu Argentoratenſis Præsul disserebat: Gallo qvidem transitum per Juliacenſem, & Clivicam provinciam haut denegandam; Sed si fœderati juncti persistant, lautas conditiones obtineri posse. Eodem qvoqve tempore Galliæ Rex per Verjum traditis literis Colonienſi urbi confirmarat, nunqvam sibi in mentem venisse cuipiam auxilium contra illam mittere. Et tamen eodem die literis ad Argentoratenſem scriptis confirmarat, expetitum auxilium adversus eam urbem præsto esse, & copias, si desiderentur, protinus iter ingressuras. Qvas literas Argentoratenſis per temulentiam legato Pontificis, & Lotharingiæ Duci ostenderat; claro indicio, qvantum fidei istorum hominum verbis tribuendum esset. Enimvero Elector à Præsulibus per suos exqvirebat; qva de causa tantopere paratus armorum, & augmentum copiarum urgeant, cum utiqve per fœdus prius tentandum sit, ut imminens tempestas 11. Oct. interpositis amicis avertatur? Qvo nomine cum Blaspielus, & Gisius Smisingium 1671. compellarent, hic asseverabat; Monasterienſem non modo nemini adhuc sese adstrinxisse, sed & Electori firmiter adhæsurum, ejusqve consiliis sese attemperaturum. Qvi hoc responso non contenti ipsum Præsulem adiere: Ac uti libenter de ipso credant, qvæ Smisingius affirmarit, ita, ut de Colonienſi dubitent, graves causas habere. Sane Bilefeldæ initum fœdus præcipue harum provinciarum qvietem spectare. Nunc autem Colonienſem ditionem Gallico indies milite repleri; præfectos militares catervatim Lutetia Bonnam pervenire, ubi cohortes suas paratas inveniant. Contrahi qvoqve istis oris exercitum sub Condæo, qvi proximo vere rem gesturus feratur. Unde Juliacenſi, & Clivenſi provinciæ summum periculum immineat. Ista cum ipsius consensu fieri haut credant, ejusdem sententiam super ea re exqvirere. Ad qvæ Monasterienſis insimulationem compositus, parum sibi de istis constare ferebat; & cum de iisdem qvid inaudisset, Argentoratenſem monuisse, ac in rectam viam reduxisse. Sane se Clivenſi pacto staturum. Nec tamen tam potenti Regi adversum qvid facturum. Cum Blaspielus de avertendo bello moveret, Verjus, qvi & ipse ibi aderat, reponebat: serum id esse. Regem etiam, postqvam fœderi Anglico innexus fuerit, bellum per integrum annum distulisse. Nunc diutius subsisti non posse. Maximas impensas jam factas, & omnia parata. Ita fructus, qvem ex isto fœdere circa servandam Germaniæ pacem Elector speraverat, per Præsules illos irritus fuit redditus, qvi clam isto in societatem belli descenderant. Igitur cum nec Argentoratenſis amplius de fœdere offensivo inter Gallum, & Colonienſem inito inficiaretur, Elector per Blaspielum Bonnæ Electori proponi jubebat: *Sibi magnopere curæ fuisse, ut Colonienſis turbæ componerentur; ac suos hortatus ab ipso amice acceptos. A Cæsare qvoqve se obtinuisse, ut qvatuor legiones eo destinatæ revocarentur; nec minus à Belgis, ut suum militem iterum Colonia deduceret, sic ut ipsi nulla amplius metus causa supersit. Ac si qva Colonienſis Præsulatus impetatur, ejus defensionem se non segnius, qvam propria ditiones susceperturum. Eo magis mirari, tantos armorum paratus in Colonienſi provincia fieri, per qvos belli sedes huc pertrahi possit, si, in qvos talia struuntur, prævertant. Et cum ipse semper declararit medium se mansurum, non habere, qvod à bello, de qvo tam multa sparguntur, metuat. Cum igitur per talia dicta, ac cumprimis Clivica-* Elector contra Colonienſem protestatur. 16. Nov.

1671. *vica provincia bello involvi queant, se pro amicitiæ ac vicinitatis necessitudine hortare, ut ad pacem omnes cogitationes referre, nec turbis ansam præbere velit. Nam ob nudam defensionem tanto adparatu opus haut esse. In omnem tamen eventum se protestationem interponere, ac sibi actionem super pensando damno reservare, qvod sua provincia ex istis cœptis orturum sit.* Ad qvæ Colonienſis: *sibi haut propositum cuipiam Principum Imperii justam querelarum, ac suspicionum causam dare. Sane à se arma parari; sed qvæ nemo mirari debeat, cum satis constet, qvæ mina in ipsum ab urbe Colonia spargantur, & qvantum in vicinia bellum surgat; præsertim cum ab Imperio discordibus inter se Ordinibus nihil auxilii, à fœderatis non nisi post acceptam plagam, expectandum sit. Præsertim cum & Elector circa ratihabendum pactum Bilefeldense tergiversetur, velut ansam capturus auxilium sibi negandi contra eos, à qvibus invasionem metuit. Igitur neminem sibi vitio daturum, si omnibus viribus ad sui defensionem connitatur. Nec minus se vicissim reponere protestationem super reparatione damni sibi inferendi, cui Elector ansam præbuerit auxilio hostibus lato, aut eo qvod sibi debebatur negato.* Graviter porro eam protestationem ferre visus fuerat Argentoratensis, & qvod Cæsar, atqve Elector Colonienſem urgere instituant, ut declararet, qvas partes seqvi velit, antequam adhuc bellum eruperit. Cum tamen post Elector ostenderet, eam protestationem nil aliud spectasse, qvam ut surgens belli flamma à finibus Germaniæ arceatur; Argentoratensis multas blanditias reponebat, testatur, Colonienſem nil certi consilii capturum, nisi communicatione cum Electore facta. Qvæ omnia res ipsa refellebat. Cæterum Furstenbergii fratres, ut Colonienſem in transversum agerent, ipsi ingerebant, Aulam Cæsaream circa litem, qvæ isti cum urbe cognomine intercedebat, siniſtre admodum processisse. Nam favorem erga civitatem non tecte exsertum, & tantum circa ea, qvæ immediatum ejus statum spectent: Sed & circa reliqva asperrime cum Præsule actum. Ac utut ea lis sub Cæsarea Commissione penderet, eam ipsam tamen Viennæ qvoqve ventilatam, ac decreta condita Marchioni Granæ ad exseqvendum injuncta, utut ex moribus Imperii omnia ad Commissionem remissi deberent. Unde Colonienſis de aulæ Cæsareæ in civitatem studio persuasus usqve adeo irritatus fuerat, ut crederet, non esse acerbiorem sibi hostem qvam Cæsarem. Et qvia is natura qvidem probus, sed in præcipitem iram admodum proclivis erat, Furstenbergii in isto furore eundem permovebant, ut fœdere promitteret, se Gallicas copias ditione sua recepturum; qvorum tamen destinata longius porrigebantur. Etsi alias iste Gallos antea adeo aversatus esset, ut ægre aliqvem eorum adspicere vellet. Ast Furstenbergii fidissimos ministrorum, & inter eos Petrum Buschmannum Cancellarium isti suspectum reddiderant, qvo negotiorum tractatio penes ipsos solos foret. Ac si Elector in sua placita consentire nollet, Coloniam digressi genio indulgebant. Interim Bonnæ nil agebatur, Electore rebus gerendis haut idoneo, aut saltem in adsveto, aut pigro ita ut isti blandis verbis ad redeundum invitandi essent. Cæterum causa, qvare fratres isti tantopere Galliæ mancipati forent, ferebatur, qvod se ab aula Viennensi neglectos crederent. Et Francisco qvidem Egoni Abbatiam Luderensem, & Murbacensem post Archiducis Leopoldi Wilhelmi obitum Cæsarei negaverant; qva tamen is postea politus est. Unde is protinus aulam Viennensem ulturus Galliæ se illigaverat. Ubi perspecta istorum fratrum solertia magis beneficiis cumulati sunt. Inter alia cum Gallus à Pontifice obtinuisset facultatem circa bona Ecclesiastica à Fœderatis Belgis propediem invadendis usurpata disponendi, Furstenbergiis qvoqve insignis eorum portio promissa fuerat.

1671.

§. 21. Ast cum Gallo satis adpareret, Electorem in societatem belli adversus Belgas haut venturum, per Furstenbergium Bilefeldæ insinuabat, ut is saltem medium hoc sese bello gereret. Is differebat; *se apud Regem Dunquercæ fuisse, qui aliquot Germaniæ Principes in partes suas pertrahere voluerit non ob proprium, sed istorum emolumentum. Indicio esse, qvod Rex pacem, aut belli continuationem in eorum arbitrium contulerit, tum ut super tributis, & bello occupandis locis pro lubitu disponerent. Sed postqvam Rex eos à societate belli abhorrere videat, confidere eos partibus Belgarum haut accessuros, eoqve saltem medios hoc bello futuros. Vicissim Regem per eorum ditiones transitu qvantum liceat innoxio usurum.* Enimvero Electori placebat nondum alterutri partium accedere, nec servando medio statui se adstringere, sed integra sibi omnia servare, qvoad tempus certiora consilia suggereret. Præsertim cum Gallus cæteris, qvos in fœdus solicitabat, ingentia incrementa, qvæ religio Romana ex eo bello captura esset, ostentaret. Igitur is per Bla-

Elector à Gallo ad neutralitatem invitatur. 20. Jun.

1670. spielum & Jenam respondebat: *Regis cœpta facilius orbis Christiani judicio probatum iri, si Belgas reparationem injuriarum poscat, ac eadem contra jus & æqvum negata ad acriora demum remedia discendat. Saltem anceps admodum, nec justitiæ conveniens esse, alios, qvei spares qverelæ non sint, protinus in arma contra Belgas ruere.* Ad qvæ Furstenbergius; *Eam qvoqve viam Regi probari; sed ita eum fœderatis se innexuisse, ut amicam compositionem captare data istis fides non permittat; ac eundem hoc bello accessorii duntaxat loco fore.* Addebat; *Colonienſem id qvoqve captare, ut medio sibi manere liceat. Id ubi non detur, non alias qvam Galli partes sumturum.*

Neoburgicus neutralitatem suadet. Jul.

§. 22. Cæterum ut Elector hoc bello medium sese geret, Neoburgicus qvoqve svadebat, cujus nomine Stratemannus scripto proponebat: *istbunc in eo cum Electore consentire, Galli contra Belgas destinata maximi momenti esse negotium, in qvod haut temere sit descendendum; præsertim antequam constet, qvid Austriaca Domus, Anglia, & Suecia susceptura sit. Sed postqvam Gallus interprete Furstenbergio declararit se contentum fore, si Elector, & Neoburgicus medios se gerant accepto subsidio pecuniario, super qvo convenire possit, ac ut ius semper integrum sit, reliqvos Principes in easdem leges, qvibus bi Galliæ jam se innexuerint, aut adhuc innectere possint, sibi associare; Neoburgico hanc propositionem haut spernendam videri; præsertim si ea conditio addatur; qvoad Galliæ à Belgis ex æqvo satisfactum sit. Hoc enim modo Galliam ipsis devinciri absqve cujuspiam fraude: accipi pecuniam ad arma citra onus civium parandæ tutando medio statui, & alios ad usus: facultatem retineri pro captu rerum ulterius Galliæ se innectendi, aut si hac justo longius grassari instituat, rationibus suis una cum aliis consulendi. Posse qvoqve interim tentari, num qvis amica compositioni locus sit; simul Belgas ob injuste in utrumqve patrata satisfactionem poscere, aut de ea tractatui cum Gallo inserere; qvæ nisi hac rerum facie obtineatur, agre deinceps sperandæ sit. Denique Gallo causam diffidentiæ adimi, per qvam alias permoveri qveat, ut alios in societatem adsciscat, qvorum opera, utroqve ipsorum excluso, destinata sua exsequi possit; ex qvo Juliacenses, ac Clivica ditiones gravibus modestiis implicari qveant.* Super his igitur qvid Electori videretur Neoburgicus exqvirebat; cui propositum sit ab isto non disjungi, qvorum & rationes ob situm earum regionum invicem innexæ sint.

§. 23. Eo super negotio cum Elector 1671. ad consilium referret, duæ præcipue sententiæ eminebant. Aliqvi enim diſſerebant: *Una sententia.*

Semper sibi visum, Electorem, qvantacunqve conditiones offerantur, hoc bello haut qvidqvam posse adsistere Gallo contra Rempublicam, qvæ semper Brandenburgicæ Domui fœderibus conjuncta fuit, & adhuc est; qvæ eadem sacra profitetur, & pleraqve Clivia oppida, totamqve adeo provinciam in potestate tenet. Cujus & auxilio ipse, ubi necessitas ingruat, niti, & in qvam hostilia sumere sine convulsione totius sui status neqvit. Nec magis consultum sibi videri Belgis adversus Gallum sociari; qvod Elector cum eo Rege amicitiam colat, à qvo & nunqvam lesus sit, & cujus amicitia tanqvam potentissimi eidem utilissima sit. Qvo accedat, qvod Belgæ multis modis Electorem injuria affecerint, eorum Rectores infenso in hunc sint animo; nec ab iisdem grati animi fructus sperandus sit; prout id satis testati sint, postqvam eundem ope è periculoso bello Monasteriensi erepti fuerant. Unde sibi qvidem consultissimum videri, si Elector medius maneat, sed simul armis probe instructus sit, qvo & ditiones suas contra insultus bellantium tutari, ac officio suo circa conciliandam pacem pondus addere qveat. Sed qvia Elector declararit, se à medio statu abhorrere, nec rationes suas eum ferre, nec tamen statim in partes concedere posse aut velle, in hunc modum cum Gallo pacisci dendum videri: Ut sibi tantisper medio manere liceat, qvoad viderit, num Belgæ æqvam satisfactionem dare, an Gallus admittere velit. Ut Gallus idonea subsidia solvat, tot copiis alendis, qvot medio statui tuendo sufficiant; utqve id subsidium augeatur, ac si opus sit auxiliares copiæ addantur, si ob istum medium statum Elector in Clivia aut alibi impetatur. Ut qvoqve Rex permittat, ab Electore Belgis denuntiari, se in hoc bello neutras partes secuturum, eoqve prævideri, ne hi ex fœdere auxilia ipsum poscant; præsertim cum iidem hactenus ita se gesserint, qvasi ultro Galli arma in se irritare velint. Ut Gallus promittat, se Belgas per Germaniam haut invasurum, nec hanc armis suis turbaturum; simul vicinis caveat, bellum suscipi æqvæ satisfactioni obtinendæ, neqvaqvam subvertendæ Reipublicæ. Has conditiones si Gallus annuat, non adparere, qvare non Elector honeste extra armorum consortium se removere possit.

Altera sententia.

§. 24. Contra alii uti vel ideo in societatem belli contra Belgas venire fas esse negabant, qvod ejus nullæ sat graves causæ adferantur; ita ostendebant, non deesse, qvæ ad rationes pro amplectendo medio

statu

1671. statu à Neoburgico adducuntur, regeri qveant. *An enim Gallus tantopere obstringi sese crediturus sit, si Elector accepta pecunia qviescat, dubium esse, saltem eousqve, ut inter tractatus pacis causam ejus contra Belgas valde tuiturus sit. Non posse qvoqve non Belgas eo modo offendi, qvod Gallo via ad ipsos eo facilius invadendos muniatur. Unde hanc rationem ingressis Galli amicitiam haut adstringi, & Belgas irritari, ac si ad pacis tractatus perveniatur, à Gallo parum præsidii, à Belgis plus molestiarum expectandum. Nam qvo propius Elector Gallo jungatur, eo longius à Belgis discedi, ac eo minus amici ab his sperandum.* Qvia etiam Gallus pecuniam haut gratis erogaturus est, eo vinculo Electorem in alia molesta fœdera, ac grave bellum pertractum iri; cum semel viam ingressus facile ulterius propelli qveat; nec semper pedem citra periculum referre detur. Et qvia pecunia accepta libertas fere vendi solet, deinceps eundum, qvo Gallus invitarit. Neqve enim moris esse, initio omnia qvæ desideres expromere: sed primis obtentis plura exigi; qvæ abnuere non liceat, ni priorum gratiam perdere velis. In negotiatione qvoqve pacis, ubi primariæ partes cupitis potitæ sunt, eorum qvi medii fuere exiguam rationem haberi. *Diffidentiam melius tolli, si Gallo ingenue declaretur, causas belli clarius explicandas, qvod nisi iis cognitis ab Electore certi qvid statui neqveat. Tum necessario cum vicinis, & præcipue cum Svecis communicandum; unde Regem modicam moram haut ægre laturum. Conditiones, qvibus medius status circumscribendus moneatur, dubium esse num proponi, an observari possint. Nam Gallum hucusqve neqve super controversiis cum Belgis significare, nec officium Electoris istis componendis admittere voluisse. Eo in proposito si ille persistat, Electori nunqvam judicare integrum fore, utra pars æqvam satisfactionem respuat. Qvin si Elector liqvido declaret, se tamdiu medium fore, qvoad Gallus æqvam satisfactionem rejecerit, hunc eam declarationem velut contra se factam accepturum, prout & ea in eventum non possit non hoc modo accipi. Ast qvis crediderit, Gallum sub conditione tam lubrica medium statum servaturo pecunias daturum? Et qvem arbitrum fore, num culpa non succedentis æqvæ transactionis penes Regem sit, an Belgas: æqva satisfactio sit, qvæ offeratur, an minus? Denique etiamsi promittatur, Remp. non penitus evertendam; id ipsum tamen dubiis interpretationibus non cariturum. Et qvomodo victori terminus, intra qvem progressus suos sistere debeat, poni qveat nisi majore vi opposita? Unde istis videbatur, negotiationem cum Gallo non abrumpendam, sed proposita ab ipso audienda, ac super dissidiorum causis curatius inqvirendum; non autem certi qvid concludendum, qvoad Elector cum Svecis, & aliis qvorum interest, rem penitius expenderit.* 1670.

§. 25. Enimvero qvia spes avertendi belli indies minuebat, & brevi atrox flamma eruptura erat, demum posita dubitatione certi qvid decernendum videbatur. Id qvod tamen eo difficilius erat, qvo periculosior publicus rerum status adparebat. Adversus Galli ausa omnes fere desides qviescebant, aut languide arma parabant contra tantam molem haut suffectura. Ab Imperio non nisi segnia remedia expectabantur, lentæ, atqve exitu carituræ consultationes, literæ, preces, demonstrationes, legationes. Qveis insuper habitis Gallus unum post alterum oppressurus erat, libidine dominandi, & aliena rapiendi per successus indies irritata. De conjunctione autem omnium, qvæ unicum remedium erat coërcendæ potentiæ omnibus servitium minitanti, non cogitabatur, aut cogitabatur tantum. Periclitabantur autem Unitæ Provinciæ, validum Germaniæ propugnaculum contra Hispanos, & Gallos, qvas subsistere Protestantium cumprimis intererat. Neqve vero iis oppressis Galli ambitio satianda erat, sed eædem victæ validissimi instrumenti vicem subituræ erant ad jugum aliis imponendum; ac præcipue tunc Westphalia, ac Inferior Saxonia nudato latere destituebatur. Sed & hoc consiliis maximam difficultatem pariebat, qvod de scopo belli non constaret, utrum duntaxat certæ conditiones circa commercia potissimum, an vero eversio Reip. qværeretur. Nam si Gallo id tantum agebatur, ut hoc bello proficuam sibi transactionem super controversiis inter ipsos ortis Belgis extorqveret, satius Electori videbatur, qvantum per defensivum fœdus dabatur, extra partes manere, ac unice conciliandæ paci incumbere; qvod tanto cum pondere præstari non poterat, si ipse bello implicitus foret. Ac sane vix aliter salva ratione judicare licebat, qvam Gallo id duntaxat propositum, ut Belgas raptim illato terrore ad transactionem compelleret. Eum qvippe pro sua prudentia facile perspecturum, tantum non impossibile fore eam Remp. penitus evertere, centum amplius munitis urbibus firmatam, ac mari formidandam; cui nec pecunia desit, nec miles, bellive paratus per biennium collectus. Et eum esse provinciarum positum,

Consultatio super summa rerum.

1671. situm, ac munitionum inter se nexum, ut in earum penetralia perrumpi non possit. Sed & si Gallus talia agitet; reliqvos Europæ Principes, qvorum interest eam Rempublicam non destrui, aut alteri adcrescere, omni vi sese opposituros, ac Gallum distracturos. Et qvanqvam de fœdere inter Gallum, & Anglum adversus Belgas non amplius dubium videatur; supra fidem tamen esse, duo vicina, ac à multis seculis per intrinsecas rationes æmula Regna in eversionem ejus Reip. conspirare potuisse. Et si maxime Angliæ Rex eo se induci passus fuerit, Parlamentum tamen in id nunqvam consensurum. Deniqve Belgas semper pacem qvantum possint amplexuros vel ob hanc causam, qvod qvæ nunc eminet factio metuat, ne bello in longum extracto necessum sit Arausionensem in majorum munia reponere, id qvod sibi multo nocentius judicat, qvam Galli desideriis velificari. Ubi male sibi consulturus esset, qvi præmature ei se negotio ingesserit. Qvia tamen domesticus Belgarum status haut exiguis morbis laborabat, ac qvid primo impetu Gallus valeret, non ita pridem in Hispanicis provinciis adparuerat, ingruens periculum moram non amplius ferebat, qvin certi qvid statuendum foret. Igitur qvæstio jam qvadruplex surgebat: Galli partes contra Belgas, an Belgarum contra Gallum amplectendæ: an neutræ partes seqvendæ; an vero tertiæ partes formandæ forent? Ubi circa Galli partes videbatur, iis susceptis initio qvidem insignem lucri spem ostendi. Sed qvia Electori semper tam generosus, & Christiano Principe dignus animus fuerit, ut ditionibus justo titulo partis contentus fines cum aliorum injuria proferre non laborarit, nec vicinis suis qvidqvam præter jus subtrahere unqvam conatus fuerit, ac paci, qvantum per alios datum sit, studuerit; societatem Gallicam svaderi nullo modo posse. Præsertim cum prudentiæ legibus repugnet, ad augendam potentiam tam formidabilem, cui totum orbem Christianum inqvietare volupe sit, operam conferre; idqve omnibus Germaniæ amantibus civibus, qveis qvies, securitas, & libertas patriæ cordi sit, summo studio fugiendum. Et qvanqvam causa, ac scopus belli incognitus sit, præterqvam qvod probabiles conjecturæ suggerunt: nunqvam tamen Gallo tam justas esse causas posse, ut Elector ad invadendos bello Belgas concurrere debeat vicinos, veteres socios, eorundem sacrorum consortes, & qvibuscum ipse tam multas rationes communes habeat. A Gallo non aliam causam belli ferri, qvam ut Belgarum superbiam 1671. coërcoat; qvæ nemini, cui sana ratio, & scita religionis Christianæ cordi sunt, ad bellum sufficiens videri possit. Deniqve omnibus Europæ Principibus hac tempestate qvam maxime ad Gallum respiciendum: cujus vires non uti Hispanorum tam late dispersæ langvent, sed à conjunctione maximum vigorem mutuantur. Ejus Regnum milite non minus, qvam opibus florere; eoqve positu gaudere, ut si perpetuo exercitu succinctus stet, qvemvis vicinorum opprimere, qvoties libido subierit, aut saltem hos necessitate armorum imposita exhaurire, perpetuisqve turbis exercere possit. Qvi & invaso Hispanico Belgio, ac ejecto Lotharingo specimina ediderit, nullam esse justitiam, nullam pacem juratam, nulla fœdera, qvæ cupiditates ipsius coërcere qveant. Deniqve per eum publicam tranqvillitatem semper in lubrico stare; cum ipse neminem timeat, ac nemo vel pedem terræ eidem eripere audeat, aliorum autem possessiones, qvæ ullo modo ipsius cupidinem stimulare possunt, semper in ancipiti sint. In Belgarum autem partes ita raptim descendere non minq difficultatis habebat. Nam anceps admodum erat, nulla accepta offensa tam potentem Regem hostem sibi reddere; præsertim anteqvam constaret, qvid Cæsar, Hispanus ac inprimis Svecus circa tanti momenti negotium facturus esset, & cum Belgæ ipsi hactenus non magnopere auxilium Electoris affectare visi sint. Ac Galli amicitiam Electori, ejusqve Domui semper æstimatam, ut nisi summa ratio, cui necessitatis vis subsit, subegerit, hostilia in eum sumi non possint; præsertim cum, Electore in Belgarum partes transgresso, facile bellum in Germaniam pertrahi qveat; id qvod cavere isti semper curæ fuisse. Sed & Gallicæ copiæ jam in Colonienſi ditione pedem fixerant, ut facile iis foret conjunctionem Electoris cum Belgarum copiis intercludere. Qvin intellecta Electoris cum Belgis societate metus erat, ne Galli protinus erumperent, ac nemine resistente Cliviam, & Marcam occuparent, ac velut jure belli partas sibi retinerent; qvibus recuperandis necessum futurum erat sedem belli in proprias ditiones transferre, ac exitium alteri intentatum in se præter necessitatem derivare. Sed & nondum in Belgio pro periculi magnitudine arma parari conspiciebantur, cum illos ante omnia extremis viribus conniti par esset, qvi directe petebantur. Deniqve Wittiana factio, penes qvam tunc summa consiliorum in Belgio erat,

1671. erat, sine dubio qvovis modo laboratura credebatur vel cum aliqva jactura Galli amicitiam recuperare, Electore destituto. Porro ut Elector, ubi in bellum eruptum fuerit, otiosus inter partes desideat, svaderi haut poterat, qvod tam generoso animo intolerabile sit, omnia damna, molestias, ac insultationes perpeti, qvæ fere eos manent, qvi enermes, ac medii inter validos bellantes agunt. Et cum super servando medio statu cum utraqve parte pacta sint ineunda, ditionem suam utriusqve usibus exponendam, nulla spe per pacem emolumenti qvid obtinendi. Deniqve ut tertiæ partes formentur tutissimum qvidem videri, si istæ mature combinari possint. Enimvero experientiam testari, qvam ægre ac lente ejusmodi confœderationes procedant, ac qvam facile eædem dissolvi soleant. Ac documento esse, qvod tanto tempore Ratisponæ super publicis armis nullo effectu laboratum sit. Qvanqvam autem omni ex parte magnæ se difficultates ostenderent; id tamen sedebat, si Gallo id agatur, ut eam Remp. vel plane evertat, vel ita admutilet, ut ea deinceps ad librandas Europæ potentias parum momenti allatura sit, eam ab Electore deseri non posse, ac cum omnibus, qvorum pariter intersit ad ejus conservationem omni vi incumbendum. Qvo casu insuper habendum, qvomodo Belgæ hactenus erga ipsum sese gesserint, aut num Gallus offendendus sit, aut multum an parum pecuniæ subsidiariæ accipiatur. Nam eo pariete ardente nostram rem agi Ita demum conclusum; ubi, qvid à Legato Belgico proponendum sit, adparuerit, & qvid consilii Belgæ ceperint, cum his summo silentio super auxiliis, & pecunia subsidiaria concludendum; ut tamen qvamdiu fieri possit, Gallia aperte ne proteletur, nec Elector ante mensem Augustum ad rem gerendam teneatur. Interim maximo studio laborandum, ut non solum alii in partes pertrahantur, sed & ut Gallus ad amicam compositionem permoveatur. Qvo si nil aliud proficiatur, saltem Electoris animum pacis studiosum orbi adpariturum, communi turbatæ qvietis odio in Gallum devoluto. Hoc intervallo qvoqve adparatus bellicos maturari, ac vicinorum destinata explorari, simul Cæsarem, Svecos, & Imperii Ordines impelli posse, ut & ipsi servandæ paci arma parent. Etsi utcunqve res caderet, non adparebat, qvomodo mala belli Clivica ditione averti possent.

Belgæ segnius bellum adparant.

§. 26. Inter tam manifesta erupturi belli indicia Belgæ longe segnius, qvam pro magnitudine periculi, arma parabant; cujus rei culpa ex parte penes Petrum Grotium Belgarum in Gallia legatum erat, qvi adhuc sibi inani pacis spe blandiebatur, qvasi submissione Rex placari posset. Qvi & sæpe de iis, qvæ agebantur, parum informatus erat, ac sibi non satis constare videbatur. Forte & Galli spem ejus aluerant, Belgis in securitatem dandis. Idem palmariam rationem permovendo Gallo sibi reperisse visus erat, qvod Anglus Belgis officium suum avertendo bello, & auxilium obtulisset; unde necessum esse, ut is vel Gallo, vel Belgis illudat. In Belgarum autem manu positum esse Anglo satisfacere, collato in Arausionensem imperio in exercitus, velut qvi id qværat, ut stabilita hujus autoritate Belgæ deinceps abdicato Gallo ab Anglia sese haut disjungant. Enimvero prævalebant ratiociniis Grotii delectus tota Gallia ferventes, qvi ad C M peditum, XXV M eqvitum adscensuri ferebantur, & qvod eqvi trahendis machinis in Germania L M uncialium pretio emerentur. Simul in Sveciam anxiæ missitationes fiebant; ac jactabant Galli, postqvam Biœrnclovius Galliæ rationibus adversus ibi fato functus, ac Steno Bielkius interventu Claudii Tottii Magno Gardio reconciliatus sit, Pomponii negotiationem probe succedere; qvæ eo tendat, ut Sveci accepta pecunia exercitum in Germania habeant, Cæsarem, aut si qvis alius contra Gallum moveat, distracturi. Sed si Germani qviescant, Svecos medios mansuros, accepto haut eo minus pecuniario subsidio. Cum ante qvoqve decretum esset, Trajectum ad Mosam primo loco oppugnare, nunc mutata sententia placebat recta Rhenum, & interiora Belgii petere. Tanto magis Elector Crocovio injungebat, ut qvantum posset ad Regem à bello avertendum conniteretur. Ast is omnem operam incassum consumebat. Iterabantur causæ belli totiens ingestæ: *Belgas in omnibus aulis de Rege indigne locutos: ejus actiones obtrectasse; neminem non in ipsum incitare conatos. Qvin nuper eo ipso pacem abrupisse, qvod omnium prope Gallicarum mercium importationem vetuerint: (etsi Galli prius Belgicas merces ad se importari interdixissent.) Igitur nimium insolentes ad modestiam redigendos. Nec magnæ molis id negotium fore, cum pauci eorum partibus accessuri sint. Cæsari sat cautum iri, Regem in Germaniam, & Hispanos nil tentaturum. Qvin Cæsarem ultro invitatum ad præstandam pacem Aqvisgranensem, ac Hispanis aqvas admodum conditiones offerendas super componendis, qvæ cum ipsis restant,*

Elector incassum circa pacem satagit 30. Nov.

1671. *restant, controversiis. Regem qvoqve non solum omnia, qvæ ad servandam Germaniæ pacem faciunt, adprobaturum, sed & , si requiratur, iisdem se adjuncturum, qvi circa eandem præstandam sese sociaverint. Qvibus oblatis Cæsarem fine dubio contentum fore, ac Regi extra Imperium nil molestiæ daturum, nisi huic necessitatem adferre velit alia consilia capessendi ipsi admodum noxia.* Cum porro Crocovius ostenderet, vicinorum, ac cumprimis Electoris ditiones hoc bello plurimum incommodi sensuras, Galli reponebant: Fas esse hostem suum persequi, ubicunqve inveniatur: militem tamen accurata disciplina coërcendum, qvantum belli indoles ferat. Sed qvia tantorum exercituum transitus absqve noxa fieri nequeant, melius rebus suis consulturos Germaniæ Principes, si ei se potius associent, qvi ipsis sua redditurus sit, qvam istis, qvi ea per injuriam detinent. Qvin Regem fidem daturum, non prius pacem ineundam, qvam Electoris indemnitati cautum sit. Primi anni expeditione Belgis sonticam plagam inferendam; sed si Rex animadvertat, alios sese bello ingesturos, seqventi anno pacem facturum; ac multos in Germania esse, qvi ejus destinatis faveant. Paucos post dies Luvoisius Crocovio denuntiabat: *Præter spem Regi accidere, qvod Elector hinc inde, cumprimis Bonnæ proponat ipsi displicentia. Blaspielum Colonienſi acriter exprobrasse, qvod u militem conscribat, ac annonam congerat, simul super damnis è bello proventuris protestatum. Sine dubio Electori constare, qvæ à Colonienſi fiant, autore Rege, ac in hujus usum fieri, eundemqve ad istum indemnem præstandum teneri, nec tutando fœderato defore. Non amplius dubium videri, qvin Elector Belgis se illigaverit. Unde Regi alia consilia capessenda, ac protinus tantum copiarum Colonienſi submittendum, ut eum nemo verbis, aut factis violare ausurus sit.* Ad qvæ Crocovius reponere jussus est: *Colonienſi nil propositum, qvod Regem ullo modo tangat, sed qvod hujus sententiæ congruum fuerit, utpote qvi semper confirmarit, se haut qvidqvam Germaniam, & peculiariter Coloniam, ac Electoris provincias bello tentaturum. A Colonienſi nil amplius postulatum, cum de ipsius armis, ac obsidendarum urbium paratu intelligeretur, qvam ut pacem Imperii servare studeat, ac qvæ sibi deberi putet, legitima via persequatur; eamqve in rem Electorem ipsi auxilia obtulisse, si qvid periculi ab aliqvo intentetur. Id qvod munus Electorale, ac jura vicinitatis, & amicitiæ, & communes utriusqve ditionum rationes reqvirant. Idemqve Regi displicere haut potuerit, qvi tam sæpe testatus sit, sibi controversiam Colonienſem haut curæ fore; ni Furstenbergii, qvo Electorem Regi suspectum redderent, falsa retulissent. Qvorum turbida consilia eo minus ad abrumpendam inter Regem, atqve Electorem amicitiam valitura sint, qvod ne in istum qvidem altius penetrantia jactare dubitent. Sane Wilhelmum Furstenbergium, cum Berolini esset, disseruisse; Galliæ potentiam, ac destinata ita vasta esse, ut merito deliberandum sit, an non potius Belgarum partes, qvam Gallorum amplectendæ sint; ac an non præstet, Trajectum ad Mosam, & Rheinbercam in Belgarum, qvam Galli manu esse, ac Colonienſem illos, qvam hunc vicinum habere. Cæterum à nemine improbari posse, Electori pacem Germaniæ, & conservationem suarum ditionum cordi esse, ac ut apud amicos, & fœderatos pacifica consilia locum inveniant.* Addebantur qverelæ in Furstenbergios, qvi & nunc suis commentis gravem injuriam Electori intulerint, ac in ejus fraudem multa machinati sint, ut ipsum ubiqve exosum redderent. Qvi & in aula Colonienſi ita omnia pro libidine agant, ut Electoris legatum Colonienſis præsulis alloqvio arcere auli sint. Sed nimirum Galli istos velut eximia destinatorum suorum instrumenta fovebant, atqve id agebant, ut eorum unus Colonienſi successor constitueretur, Leodienſi qvoqve Præsulatu in Cardinalem Bullionium derivato. Qvæ qvantopere Germaniæ, ac utriqve Belgio exitiosa forent, neminem latere poterat.

1671.

8. Dec.

§. 27. Sed nec plus apud Gallum Belgæ circa servandam pacem proficiebant; qvorum legatus Grotius Regi declarabat; *Belgas haut meminisse, à se qvid admissum fuisse adversus istius honorem, & à se debitum grati animi officium: ac si qvid patratum sit, se id debita cum submissione reparaturos. Falso qvoqve spargi, à se Hispanos ad fœdus offensivum in Galliam invitatos.* Huic Tellierius privato congressu confirmabat; Regem nullibi de infenso in Belgas animo declarasse; sed id duntaxat qvestum, qvod hi præsidium Coloniæ immittere decreverint; cum Rex per fœdus anno 1669. cum Colonienſi Præsule initum ad auxilia huic ferenda teneatur, si qvis ejus urbis causam armis fulcire instituat; unde facilis in bellum transitus sit. Tradebat inde Grotius literas ab Ordinibus Generalibus ad Regem, addito in hunc sensum sermone: *Belgas non sine animi dolore per nuntios undiqve moneri, tantos armorum adparatus, qvi à Rege fiant, contra ipsos dirigi. Eos autem nullius in Regem offensæ sibi conscios, aut si qvid admissum sit,*

Gallus Belgis pacem adimit.

7. Jan. 1672.

1672. *sit, reparationem offerre. Sane nemini reo celari crimen, cujus insimulatur, aut defensionem negari. Eosdem quoque offerre se commercia in eum statum, qui anno sexagesimo secundo fuerit, repositurus, eoque nomine omnia facturos, quæ honor Regi debitus requirat. Denique Belgium deinceps Regi considerandum velut Galliæ membrum, à quo non amplius impedimenta istius destinatis metuenda sint. Igitur Regi satius fore liberam ibi Rempublicam, quam supremo imperio præditum principem habere.* Ei Rex respondebat: *Sibi eam epistolam dudum lectam, quæ & in omnium manibus versetur, & cujus exemplum nemo non secum habeat. Satis sibi cognitum, Belgas circa omnes Europæ Principes in ipsum irritandos satagere, quæ sibi causa belli sit; ac arma jam sibi in promtu, quibus suscepturus sit, quæ sua gloria, & Regni sui rationes requirant.* Ita Grotio discessum adornanti Tellierius significabat; Regem ita irritatum esse, ut de compositione audire nolit. Quod idem Condæus respondebat, cum iste se invisentem rogaret, ut Regis animum mitigare laboraret. Cæterum Gallo præter proprias vires animos addebat Angli societas; quem tamen omnes boni mirabantur usque adeo sui oblitum, ut Gallo contra Belgas se jungeret, & isti ad vasta sua destinata viam muniret; si præsertim consideraretur nativum inter Gallos, Anglosque odium, ac æmulatio, quæ Anglos præcipue à tempore Elisabethæ Reginæ super navali Gallorum paratu exercuit, tum triplicis fœderis causa. Unde tam importuni consilii nulla probabilis causa dispici poterat, quam vel memoria ignominiæ superiore bello in Tamesi acceptæ, vel invidia in validas Belgarum classes, & florentia commercia, vel ut Galli Belgæque invicem commissi ita vires suas attererent, ut neutri amplius Angliæ metuendi forent. Unde prudentiores jam augurabantur, ab Anglis hac æstate rem summa vi gestum iri, ut proficuas sibi conditiones à Belgis extorqueant. Post eos bello excessuros parum solicitos, quamdiu Galli, Belgæque inter se luctentur. Nec minus Gallo propositum fuerat prima expeditione Belgas omnibus viribus obruere, ac ad proficuas sibi conditiones admittendas compellere, ac ne bellum accessione aliorum extraheretur, protinus sequestres admittere. Unde & idem passim Principes ad servandum medium statum non nisi in unum annum invitabat. Spes quoque erat, Hispanos huic se bello haut ingesturos, quibus Angliæ Rex per Sunderlandiæ Comitem Madriti proponebat; Gallum omni prætensioni in Hispaniam, & inde pendentes provincias renuntiaturum, tum circa limites in Flandria pleraque remissurum, si Hispani Belgis auxilium ferre nolint; ac Angliæ Regem eo nomine cauturum. Addebantur minæ, si ista abnuant, hunc nolle amplius triplici fœdere teneri. Sed & fiduciam addebat fœdus cum Svecis initum; cui quidem hi actionem suam in Bremensem civitatem includere cupierant: sed Galli excusabant, eam rem in præsens maturam non esse, & alia tempora expectanda. Scilicet quia satis norant, omnes vicinos ei conatui quantum possint reluctaturos, quos isti in Svecorum gratiam in se irritare nolebant. 1672.

Gallus Electorem ad neutralitatem urget.

§. 28. Sed & illud certo sibi Gallus persvaserat, Electorem saltem neutras partes hoc bello secuturum, quod alias Clivicæ ipsius ditiones hostili vastationi exponendæ forent. Quo fine ad ipsum San-Geranius mittebatur, qui exponebat: *Regem decreto in Belgas bello societatem cum Anglo inivisse. Inde per Furstenbergium Electori sua destinata aperuisse; mox & per Verjum Berolini, ac Bilefeldæ cum isto egisse, Qui licet re infecta discesserint, se tamen venisse, ut denuo testetur à Rege ejus conjunctionem affectari. Arridere jam pronissimam occasionem Clivica oppida recuperandi, quorum tam diuturnam detentionem Elector non possit non ægre ferre. Sed verbis opus non esse, quod nemo melius ipso Electore norit, quid rebus suis expediat. Se jussu Regis fœdus offensivum offerre, aut si id displiceat, ut Elector neutri parti accedat. Circa sacra in Belgio nil novatum iri, ac Regem nil amplius deposcere, quam ut Catholicis liberum sit ritus suos intra privatas ædes exercere.* Contra Elector amicam compositionem, ac suum eo fine officium ingerere. Eam moderationem Regi insignem gloriam parituram; ac amicis Galliæ gratissimam fore, qui alias multa mala bellum comitari solita metuant. Privatis congressibus cum Sverino institutis San-Geranius disserebat: *Bellum decretum esse: super pace nil sibi mandatum, sed tantum de fœdere. Regem à Belgis offensum: tuendæ ejus gloriæ vindictæ opus esse. In adparatum belli ingentes sumtus factos: cum fœderatis omnia convenisse. Si Elector tractationem suscipere velit, primo articulo sibi cavere posse, ut ni Angliæ Rex primum impetum in Belgas det, omnia conventa irrita sint. Reliquos fœderatos esse Coloniensem, Monasteriensem, & Hanoveranum. De Cæsare non dubitari, quin extra partes sit mansurus, simul Hispani conditiones acceptaturi, quas super regundis finibus Rex æquissimas*

28. Dec. 1671. San-Geran.

1672. *mos tulerit.* Sverinus contra: *Regem etiam citra bellum omnibus, qvæ desideret, potiri posse. Bellum immensos sumtus absorpturum. Si Rex qvieſcat, reliqvos fœderatos facile contentos fore. Belgas jactare, literas se ab Anglo habere, qveis auxilia ipsis promiserat, si Arausionensis in paterna munia reponatur. Colonienſem qvoqve de offensivo fœdere cum Gallo fateri nolle.* Aſt Gallus ſua dicta aſſererе, pacem adſpernari. Et cum moneretur, intra fines Imperii poſitas provincias utiqve innoxias vaſtatum iri, reponebat: Regi curæ fore ita bellum adminiſtrare, ut ex provinciæ qvam parciſſime tangantur; & qva tranſitu opus ſit, omnia qvæ militi præbeantur juſto dato pretio ſolvenda; damnum qvoqve reparandum, & præfectos qvi huic cauſam dederint Electori ad ſupplicium tradendos. Aſt ſi Elector in ſocietatem belli venturo ſit, non prius pacem cum Belgis ineundam, qvam eo in poſſeſſionem urbium ſuarum immiſſo, abolitis qvoqve reliqvis litibus, qvæ eidem cum Rege intercedunt. Ad hæc Sverinus: *Electorem ſtudio pacis inſiſtere, ac judicare, id bellum, ſi maxime fortuna Regi faveat, deinceps haut ſolidos fructus ei allaturum. Caterum gratias Regi agere, qvod ipſius emolumenta cura habeat. De fœdere offenſivo ipſos Regis miniſtros dubitaſſe, num Electoris rationes id ferant; unde & Verjum jam de medio ſtatu monuiſſe. Sed qvia nunqvam expoſitum ſit de ſcopo belli; qvo loco invaſio ſit facienda; num eo bello Germania qvoqve ſit implicanda; qva ratione Electoris ditiones per medium ſtatum ſervari, ac ipſe indemnis præſtari qveat; qva ſatisfactione à Rep. accepta Rex adqvieſcere velit; Electorem circa iſtum liqvido reſpondere haut potuiſſe. Hiſpanos fœdus mutui auxilii Hagæ concluſiſſe. Viennæ plura fœdera cudi, ac eam aulam haut omiſſuram emolumentum ſuum ex his turbis captare. Sveccos non niſi circa unum caput ſuper commercia hærere; qvo obtento Belgis auxilia laturi, aut ſaltem militem, & egregios duces commodaturi ſint; ac Belgarum legato in mandatis datum, ſi bellum ingruat, Svecis cupita annuere. Anglum placandum, ſi Arauſionenſis paternis muneribus admoveatur.* Ad hæc San-Geranius: *De Anglo fictum. Hiſpanis ejusmodi conditiones à Rege latas, qvas repudiare neqveant; aut ſi eas non admittant, bellum & ipſis expectandum. Regem porro Hiſpaniæ puerum eſſe: ipſum Regnum debile, nec meliore conditione, qvam nupero bello; eoqve in novum bellum cum Gallis haut deſcenſurum. Qvin hoſtes, an amicos ſe ferant Hiſpani, exercitum in Flandria habendum eorum conatibus obſervandis. De Svecia adhuc incertum,*

1672. *& Belgas eſſe fabularum architectos. Conditiones porro medii ſtatus eſſe, ut Elector copias regis per ditiones ſuas tranſitum concedat. Annonam, qva militi præbeatur, pecunia emendam. Omnia Clivia loca in Electoris manus tradenda, qva Belgis eripienda ſint, excepto uno & altero ad penum ibi ſtruendam; qva tamen bello finito itidem reſtituenda ſint. Qvod ſi hoc bello omnia ea loca non expugnentur, Regem non prius pacem facturum, qvam Elector omnia ſibi debita receperit. Oppidis ad Germaniam ſpectantibus, ſed Belgico milite inſeſſis, & unde damnum ipſi qveat inferri, Regem parcere non poſſe, circa qva tamen omnia facturum cum dominorum voluntate. Cum Colonienſi jam tranſactum. Ut itidem cum Electore conveniat, ſe huc veniſſe. De cauſis belli nil aliud habere, qvod ducat, qvam id ſuſcipi ob gloriam Regis, & ad Belgas in ordinem redigendos. Qvousqve bellum progreſſurum ſit, antequam id cœperit non magis definiri poſſe, qvam ejus exitum proſpici. Regem tamen cum fœderatis ſuis de compacto acturum, ubi bellum aliqvandiu geſtum fuerit. Provincias inter ſocios partiri Regi in mentem haut veniſſe.* Sverinus contra: *Negotium maximi momenti eſſe, ex qvo conſervatio, aut exitium ditionum Weſtphalicarum dependeat. Inter Regem, & Electorem nil eſſe controverſiæ, ſed illaſam amicitiam, eoqve intutu nil eſſe, ſuper qvo tractetur. In eo tantum rem verti, num Electori integrum ſit, qva conſcientia dictet ſeqvi in bello, ubi Regis hoſtes ſui ſint ſocii, ac vicini, ac cujus ſedes magnam partem in ſua ditione futura ſit; qvo reſpectu ipſe ad leges Imperii obſervandas ſit obſtrictus. Ubi cum non conſtet, qvid major Ordinum pars ſit decretura, à Rege violationem medii ſtatus haberi non poſſe, ſi juxta leges Imperii ipſe decretum Ordinum ſeqvatur. Uti igitur is nolit præter promiſſa qvid facere; ita non conſtare, qvomodo circa negotium à ſe non dependens ſtabile pactum iniri qveat. Interim apud Belgas ſe acturum, ut Regi ex æqvo ſatisfiat, ac venturum propediem horum legatum eo nomine acriter monendum.* Gallus ad hæc: *Si Elector etiam ſuper ſolo medio ſtatu fœdus cum Rege ineat, integrum ei fore durante bello monere, qva ad pacem ſpectent. Id qvod ſi is nullo pacto Regi innectatur, fieri neqveat. Caterum circa Imperium nil dubii eſſe. Sane Regem nec contra Imperium, nec ullum ex ejus Ordinibus bellum geſturum; ſicuti nec Imperium Belgarum cauſam ſuſceperum ſit. Cujus rationes cum in hoc bello non vertantur, ſe neſcire, qvare de Imperio mentio injiciatur.* Noſter contra: *In Imperio magis in hos armorum paratus reſpici, qvam in ipſo Belgio. Nam hoc bellum ſibi illatum*

2. Jan. 1672.

8. Jan.

1672. *iri non credi. Aſt Imperio Regis potentiam magnopere eſſe ſuſpectam, ac Ratispona ſuper publico Imperii exercitu agitari, de qvo jam-jam concludendum ſit. Si igitur Elector decretum Ordinum ex incumbente ſibi obligatione ſeqvatur, verendum eſſe, ne Rex pactum ſuper medio ſtatu, ſi qvod ineatur, violatum arguat.* San-Geranius: *Si Rex contra Imperium qvid ſuſcipiat, Electorem obligatione ex pacto cum Rege ineundo ſolvi: qvod alias ſalvo erga Imperium reſpectu inire ipſi haut integrum ſit. Sane animo concipere ſe non poſſe, Belgas inſeſſis ad Rhenum oppidis in Imperium haut delinqvere; contra ſi Rex ea recuperet, ac legitimus dominis reſtituat, id velut Imperii rationibus repugnans haberi.* Sverinus: *cum Elector omnibus modis bellum declinare cupiat, poſſe cum pacto ſuper medio ſtatu ſupersedere, prout & Moguntinus declararit, ſe neutrarum partium citra pactum fore.* San-Geranius: *diſpares Moguntini, atqve Electoris vires. Si Elector dubitet in Belgas qvid ſuſcipere, qvod hi ipſius oppida inſideant: ob eam ipſam rationem eidem Gallum qvoqve reſpiciendum. Si per pactum ſervando medio ſtatui ſe adſtringat, haut expertem emolumenti fore; & qvanqvam Rex ingentibus expenſis prematur, aliqvid tamen erogaturum ad ſuſtentandas Electoris copias.* Ad
9. Jan. qvæ promtum reſponſum expetebat. Aſt Sverinus: qvo plus difficultatis circa hoc negotium ſe oſtendat, eo magis Electori incumbere qvantum in ſe pacem promovere. Unde legato Belgico, qvi nuper acceſſerit, demonſtratum: bene ac prudenter Belgas facturos, ſi ante omnia, qvæ paci obſtant, removere laborent, Regiqve circa qverelas ſuas ſatisfaciant, ejusqve gratiam recuperent. Cum igitur nil magis à ſe optari teſtentur, qvam ut Elector omnem operam circa ſervandam pacem navet, hunc intellectis qvæ Rex de iſtis qveſtus fuerit, à legato ſciſcitatum: num Ordinum Generalium nomine cavere poſſit, omnes eos condignas pœnas daturos, qvi de Rege indigne locuti ſint? Ad qvod iſte declararit: Forte qvidem multos ex vulgo hac cumprimis tempeſtate ſiniſtre loqvi; qvod prohibere penes ipſos non ſit; ſed ſi qvis publicorum miniſtrorum id fecerit, id impune haut laturum, nec Remp. talia juſſiſſe. Num ſuper commerciis Regi ſatisfacere velint, abrogato edicto ſuper prohibendis mercibus Gallicis? Id jam per literas Regi ſe obtuliſſe, idemqve ſerio optare. Num declarare velint, ſe nunqvam impedire laboraturos, qvo minus Rex obtineat, qvod jure ipſi debetur? De hoc nunqvam ſe qvid percepiſſe, nec dubitare, qvin Reſp. ſuper hoc Regi ſatisfactura ſit. Deniqve cum Regi, qvo minus cum Belgis conveniat, fœdus cum Anglo, & Colonienſi obſtet, num & his ſatisfacere, ac præcipue Rheinbercam reddere velint? Qvid prætenſionis Anglus habeat ſe ignorare; Colonienſis actioni multa eſſe, qvæ opponi qveant; de qvo tamen nil ſibi mandatum. Cum igitur Elector ex hiſce reſponſis non aliter judicare poſſit, qvam Regi, qvæ deſideret, obtinere in proclivi eſſe, iſtâ ſe ad Regem relaturum, ejusqve declarationem expectaturum. Ad qvæ San-Geranius: laude dignum Electoris circa pacem ſtudium: ſed nondum tempus eſſe de ea agendi, nec ſuper eadem ſibi qvid mandatum. Cæterum qvod qvæſtiones Belgæ propoſitas attineat: Regem celſiore eſſe animo, qvam ut qvid Belgæ garriant curet, nec horum nugas glorioſis ejus geſtis obeſſe poſſe. De commerciis ad futuros tractatus ſpectare. Regi qvoqve eas opes divinitus conceſſas, ut, qvæ ſibi competant, Belgarum ingratiis pervincere qveat, nec opus habeat ab his ejusmodi cautionem deſiderare. Deniqve Regem nil facturum, qvoad fœderatis ſuis ſatisfactum ſit. Sed id ſuo loco ac tempore ſuſcipiendum. Ac fruſtra fore Electorem, ſi de iis ad
19. Jan. Regem referat. Sane ſibi de talibus in aulam ſcribere haut licitum. Ad iſta San-Geranio reſponſum: qvia ipſe ſuper amica compoſitione agere abnuat, Electorem ad Regem relaturum. Interim qvoad Regis declaratio allata fuerit, ſuper propoſitis tractare non poſſe; præſertim cum Belgæ jam auxilium petant ex fœdere tunc temporis inito, qvando Rex ipſe arcta amicitia iſtis innectebatur, ac ipſum Electorem impenſe hortabatur, ut is Belgis adverſus Monaſterienſem adſiſteret. Ac ancipiti eum cura diſtrahi, qvod nec color ſit illi auxilio abnuendo; ac forte Rex idem velut medio ſtatui repugnans habiturus ſit. Ad iſta Gallus: interventionem inanem fore, cui qvamdiu inſiſtatur, nihili eſſe ſuam heic loci operam. De fœdere Electoris cum Belgis nil ſibi conſtare. Cæterum *Belgas pro aggreſſoribus habendos, utpote qvi prius, qvam Rex, delectus habere cœperint: in aula Svecia contra Regem negotiati ſint: claſſem ſuam ad oram Dunqvercanam collocarint, cum Rex in eo oppido ageret.* Qvicqvid tamen hujus ſit, Electorem medium agere haut poſſe, ſi qvovis modo Belgium auxilium præſtet. Conciperet modo Elector pactum ſuper ſervando medio ſtatu, bellum, ſeu pax fiat: cui ne reſpectus Imperii, aut Hiſpaniæ obſtet, ejuſmodi articulum pacto inſeri poſſe; ut ſi Rex in Imperium aliqvid moveat, Elector

1672. ctor tunc pacto solutus sit, ac adversus Hispanos qvoqve medium statum observandum. Enimvero Elector demonstrabat;

Febr. *Regi, ac toti orbi cognitum, quanti ipse cum multorum aliorum invidia Galliæ amicitiam semper æstimarit, & uti omnia, qvæ penes se fuerint, in ejus gratiam fecerit. Sed dolendum sibi, Regis destinata ibi comparata esse, ut circa ea placito ejusdem delificari haut liceat. Sibi nil magis qvam pacem cordi esse, à qva status sui salus, ac securitas pendeat; ad qvam servandam, simul ut aqvis Regis postulatis satisfiat, omnem operam se navaturum. Sed si Regi utiqve sedeat bellum paci, qvam ipse immortali sua cum gloria orbi paraverit, præferre, se confidere, provincias suas sane innocentes belli molestiis eximendas.* Ad qvæ San-Geranius: *Sibi qvidem haut constare, qva ratione Rex bellum administraturus, & qvo impetus armorum dirigendus sit. Jussum se tamen Electori confirmare, si utiqve bellum hujus ditiones tangat, id ei, civibusqve damno haut fore. Judicio tamen Electoris permittere, num à Rege postulari qveat, ut cum suo exercitu Electoris oppida intacta præter eat Belgarum milite insessa. Qvem tamen si amovere Elector possit, Regem ejus provinciam haut tacturum. Eundem qvoqve nil sibi lucri hoc bello qværere, sed ubi gloriam suam à Belgarum contumelia vindicaverit, gratum ei fore, si tunc Elector paci conciliandæ operam navare velit, cujus fidei Rex rationes suas libenter commissurus sit. Interim & Imperii utilitatem hoc bello qværi, cujus oppida ejecto exterorum præsidio legitimis dominis restituenda sint.*

Gallus Electoris declaratione non est contentus. 6. Febr.

§. 29. Enimvero Galliæ Rex Electoris declaratione haut contentus San-Geranio scribebat; optare se, ut Elector clarius exponat, utras partes seqvi velit. Nam si ipse huic super securitate, & commodis suis caveat, minimum qvod ab eo vicissim expectare possit esse promissum de servando medio statu; qvod Imperio improbari neqveat, cujus rationes Belgis implicitæ non sint. Nec alio indicio constare posse, ab Electore Galliæ amicitiam æstimari, cujus ipse cum semper antea luculenta specimina ediderit, tum nunc secretissimis communicatis, ac tanti pretii emolumentis oblatis. Sed qvod Elector neutri se parti addicere meditetur, nec eo minus super eo pactum inire defugiat, sibi non immerito scrupulum injici, eum in adversas partes transiturum. Igitur cum dubius esse nolit circa Principem, cujus fœdus magni momenti ducat, denuo liqvidum responsum exposcere, num Elector ipsi se sociare, an medius agere velit? Sane qvomodo saltem 1672.
posterius abnui qveat, se haut perspicere. Circa Clivensem ditionem se eum indemnem præstiturum, ac si qvis hujus pacti nomine eundem invadat, auxilia subministraturum. Belgarum Remp. haut penitus eversum iri. Enimvero gloriam suam arctius heic implicitam, qvam ut acceptas à Belgis offensas diutius dissimulare possit. Qvamprimum tamen circa has aliqvo modo sibi satisfactum fuerit, non solum officia amicorum admissurum, sed & circa finiendum bellum generositatis suæ specimen editurum. Imperio se super servanda Westphalica pace cavisse. Unde si Principum qvisqiam bello, qvod extra Germaniam geritur, se misceat, penes hunc turbatæ pacis culpam hæsuram. Leges & jura haut violatum iri, si per arma sua Imperii oppida ad Rhenum externo milite ejecto dominis suis restituantur molestiis, ac sumtibus belli à se exhauriendis. Ad qvæ Elector: *Ne crederet Rex, ideo circa propositum super medio statu pactum se tergiversari, qvod cum eo perpetuam amicitiam colere haut cordi sit. Sed obstare indolem sui status, diversa cum diversis fœdera, & respectum Imperii, sine qvo talia decernere sibi haut integrum sit. Enimvero qvanqvam antea male sibi cesserit medium inter bellantes egisse; haut tamen recusaturum cum Rege super eo agere, ubi prius qvorundam vicinorum sibi conjunctissimorum sententiam perceperit. Tum & id sibi stipulaturum, ut eo pacto nolit impediri, qvo minus ab Imperio decreta exseqvatur.* Qva declaratione San-Geranius adqvievisse visus est. Sed cum mox nuntiaretur, Hispanos qvoqve in bellum erupturos, Anglum vacillare, super pace Parisiis clam agitari, ac Belgas super Rheinberca cum Colonienti agere; Elector periculosum sibi ostendebat pactum super medio statu inire, sive bellum seqvatur, seu minus. Nam surgente bello sibi hostilia à Belgis imminere, qvod non cum iptis qvoqve super neutro statu convenerit. Bello non secuto Belgas ulturos, qvod ipse ita præmature cum Gallo transegerit. Cum autem certo persvasus sit, Regem ipsi molestias conciliare nolle, petere ut eo pacto supersedeatur, qvod penitius rerum conditionem exploraverit. Ast San-Geranius: *Satis adparere, medium statum Electori haut placere. Qva nuntiata sint inania esse. Et cum videat sibi vario obtentu illudi, se in aulum scripturum, ut hinc abvocetur. Cum Rex in Germania nullum Principem majoris faciat, qvam Electorem, miraturum, qvod cum Cæsar, Hispanus, & omnes alii qviescant, ac is tot suis missionibus* 13 Febr. 19. Febr.

nemi-

1672. 11. Febr. neminem excitare potuerit, idem solus in bellum descendere velit. Ei responsum: *Si Regi animus non sit Electoris ditiones in deteriorem statum conjicere; huic quoque incumbere, suis civibus contra belli mala prospicere. Enimvero per medium statum super provincias vastitatis periculo haut liberari, sed potius omnium præda exponi. Ac Belgas, eorumque socios, ni & ipsi in eum statum consentiant, istas hostili modo habituros. Cum alias Elector, si libertatem suam illibatam retineat, tutelam Imperii sibi polliceri queat. Damna reparare haud adeo in proclivi esse. Igitur declararet legatus, qua via sit manifestis hisce difficultatibus superandis, & in quas leges pactum sit ineundum? De cætero Electorem præter antiqua fœdera nil nova obligationis adhuc contraxisse.* Ad ista Gallus: 11. Febr. *Adhibitum hactenus ab Electore agendi modum Regi merito probatum. Hunc vicissim quavis occasione isti ansam præbuisse amicitiam continuandi, ac ejus commodis promovendis pronum se ostendisse, haut allata necessitate adversus hostes Gallia sese obligandi. Ejus ditiones servandi unicum esse remedium statum medium. Belgas ejusdem acta utique probaturos, ne tam potentem Principem ad hostilia sumenda compellant, quem & Rex eo casu miserit, ac pecunia fulturus sit. Minimum id esse, quod Rex expectare possit à Principe tantopere æstimato, & cujus commoda ipsi semper cordi fuerint. Belgas non habituros quod opponant, nisi arctiorem conjunctionem affectent, & ejus spes ipsis facta sit. Sed si cogitetur, quomodo ipsi hucusque cum Electore egerint, non esse verosimile, ab hoc consilium capi posse, Regi, proprius ipsius rationibus, ac saluti civium tantopere adversum. Tantum quoque abesse, ut huic consilio insistens Elector de Imperii auxilio promittere sibi queat, ut potius Ordines ludibrio habituri sint negotio ad Imperium haut spectante sese ingerentem. Quin cum Rex extraneos è munitis Imperii oppidis expulsum eat, Imperium potius ejus cœptis velificaturum; cum hujus fuisset dudum Belgas inde ejecisse. Repudiato autem medio statu, quid inveniri posse, quod laxius Electorem obliget, & per quod facilius Clivica ditiones servari queant? Super conditionibus satis se insinuasse, quas repetere supervacuum sit, omni tractatuum spe sibi ademta. Antiqua cum Belgis fœdera Electorem non stringere, nisi ad defensionem, & contra aggressorem; quod vocabulum in Regem non cadat. Nam aggressorem haberi non qui primam invasionem facit, sed qui injurias infert, è quibus alteri necessitas invadendi nascatur. Per injurias à Belgis illatas Regem ad ultionem cogi, eoque istos pro aggressoribus habendos. Denique Principes Imperii pacis Westphalicæ teneri, ne Regi hostibus directa aut obliqua ratione auxilium ferant.* Ad ista repositum: 1672. 1. Mart. *Ab Electore haut quidquam superfluos scrupulos moveri, aut decretoriam sententiam studio extrahi. Omnia, quæ adducta sint, magni esse momenti. Quo minus aliter is declaret non voluntatem deesse, sed quæ sæpius ingesta sint impedimenta. Nil plane controversiæ cum Rege ei intercedere, à quo potius optima quæque expectet, & cujus amicitia deinceps quoque frui optet. Mediam conditionem ab eodem non plane repudiatam, sed tantum demonstratum; positum ditionum suarum, ac vinculum, quo Imperio teneatur, tot dubia, & obstacula parere, ut nondum invenirit potuerit, qua ratione ejusmodi pactum ita temperari queat, ut & quæsitus scopus obtineatur, nec novis molestiis ansa præbeatur. Electorem animo prospicere, hoc bello infinita damna sibi illatum iri: quæ usu nec abfutura sint haut admisso medio statu; consultius tamen ista sine consensu, qui pacto inst, tolerari, quo saltem ab Imperio evictio postulari queat. Id quod locum non habeat, si pacto circa medium statum inito bellum intra fines Imperii, ac proprias ditiones ultro invitasse videaris. Belgas quoque, eorumque socios minus suspicionis concepturos, si Elector citra pactum in præsenti statu persistat; quod isti semper crediturі sint, altius quid isti pacto subesse. Eqvidem Regi abunde virium esse ad istorum vim averruncandam; sed id ipsum majori terrarum vastitati ansam præbiturum. Saltem id postulari non posse, ut Elector medium se declaret, antequam in arma sit proruptum, & publicata declaratio ostenderit, quæ bello causæ ferantur, qui socii, quo loco id gerendum. Quod si igitur legatus formulam pacti ad mentem Regis formatam exhibere velit, Electorem ulterius sententiam suam expositurum; ac sat spatii fore isti absolvendo, antequam in arma eruptum fuerit.* Ast San-Geranius: *Non obscurum amplius, nil præter negotii extractionem quæri. Haut moris esse super medio statu agere, quando jam bellum cœperit. In fœdus offensivum descensuro necessarium esse causas belli nosse; quod supervacuum sit, si id tantum quæratur, ne alter bello sese ingerat. Socios belli esse Anglum, Colonienſem, Monasterienſem, & Hanoveranum. Bellum id ad Imperium haut spectare, ac neminem ex Ordinibus esse, qui tam multa de Imperio causetur.* Atqve heic 15. Mart. subsistebat molesta sane disceptatio cum San-Geranio; quod is domum revocaretur obtentu sumto, ut militaria munia obiret, id quod ipse rogaverit. Elector id suo loco relinquendum ferebat: speraſſe tamen tamdiu fuisse mansurum, quoad in arma sit

1672. sit eruptum, ac judicari qveat, num bellum ita comparatum sit, ut ipse cum Rege citra fraudem Imperii paciſci qveat; id qvod hucusqve dignoſci haut potuerit. Pro re nata tamen Crocovium mandatis instruendum. 1672. 13. Jun.

Anglia Regis ad Electorem legatio. 14. Mart.

§. 30. Circa idem tempus qvoqve aderat à Rege Angliæ missus Loccartus, qvi post solitam de amicitia testationem graves qverelas movebat de injuriis, atqve indignitatibus, qvas Belgæ Regi inferre pergerent, nulla circa satisfactionem cura. Cum itaqve ipse sibi reparationem qværere decreverit, armis cum Gallo sociatis; postulare, ut & Elector in societatem ejus belli venire velit, contundendo fastui ejus Reipublicæ, qvæ vicinis tam intolerabilis sit. 2. *Maij.* Ad qvæ ab Electore nil aliud repositum, qvam dolere sibi, ad ista extrema processum; ac optare, ut ipse utilem operam amicæ compositioni navare qveat. Sane cum id bellum adeo manifeste contra Angliæ rationes esset, Gallus Anglo pecuniam classi instruendæ suppeditarat, ne à Parlamento qvid petere necessum haberet. Per leges enim Regni Regi integrum est propriis sumtibus bellum gerere. Qvin usqve adeo à ratione abhorrebat id bellum, ut ipsi Galli rem ab Anglo haut prius serio geri crederent, qvam hic Belgarum classem Smirna revertentem invasisset. Qvam ob causam & isti ab Anglo belli initium fieri voluerant.

In Gallia incassum disputatur. 5. Febr.

§. 31. Interea non segnius in Gallia cum Crocovio disceptatum fuerat, ut Elector ad amplectenda Galli placita permoveretur. Ei Pomponius exponebat, uti San Geranio Berolini dictum sit, Electorem citra pactum, aut solennem declarationem medium se gesturum. Id qvod ipse credat magis in temperamenti vicem propositum, qvam, qvod Elector serio ita velit. Enimvero Regem ampliora sibi de Electoris amicitia promisisse, ac confidere, si utiqve is extra consortia belli manere constituerit, haut recusaturum solenni declaratione ad idem sese obstringere. Alias visum iri eundem tempus duntaxat extrahere armis parandis, ac in adversas inde partes transire velle: præsertim cum nuntietur, eundem validas copias cogere, id qvod pacato mansuro superfluum sit. Tanti à Rege fieri Electorem, ut eum in tam ambiguo statu conspicere neqveat. In votis qvoqve esse Regi, ut cum isto ita agere possit, prout cum sincero, ac fido amico agi par sit, non uti cum ancipiti, & lubrico; ac ut tamdiu culta inter ipsos amicitia deinceps qvoqve illibata persistat. Contra Elector Crocovio rescripserat; uti San-Granius negarit, super amica interpositione sibi licitum esse in aulam referre. Qvia autem ipse qvam maxime optet bellum averti posse, igitur ubi deprehenderit, Regem à Grotio placatum plus spei ad pacem ostendere, petito ejus alloqvio exponeret; uti Belgarum legatus nomine Reip. Electorem rogarit, officium apud Regem interponere; qvi & submissis admodum verbis de Rege locutus sit, & qvantopere Belgæ doleant, qvod ejus offensam incurrerint, cujus gratiam recuperare qvam maxime optent. Igitur Regem haut siniſtre accepturum, si eam ob causam, & qvia sua qvoqve maxime interſit pacem persistere, denuo roget, ut æqvo animo operam suam admittat, qvo ei amica ratione satisfiat; eoqve fine ipsi de qverimoniis, ac desideriis suis significet. Et qvia interim hæ causæ indignationis regiæ jactentur; Qvod Belgæ ausi sint indigne de Rege, ejusqve actionibus loqvi, Gallicarum mercium importationem prohibere, hinc inde fœdera in fraudem Regis qværere, ac qvæ jure ei debentur interceptum ire: Electorem legato ista ita demonstrasse, ut ex hujus responso patuerit, Regi plane satisfactum iri, non minus, ac ejus sociis, etsi de nemine sit auditum præterqvam Colonienſi Rheinbercam vindicaturo. Igitur admitteret Rex consilium amici, qvi hac moderatione devinctus Regis rationes omni studio promoturus sit. Ast si Grotii propositio nihil profecerit, ac Regis indignatio persistat, nec is talia lubens audiat, Crocovius ista Pomponio exponere jubebatur, eumqve rogare, ut ingressu novæ functionis æternam sibi gloriam pararet, extincto in cineribus bello atrocissimo, ac late se diffusuro. Si Grotius adhuc adsit, ista cum eo secreto communicaret ea lege, ne de eodem Hagam referat, ne forte per id Electoris officium apud Regem inutile reddatur. Qvod si de medio statu Gallus moveat, responderet; Electorem Regi libenter qvantum possit gratificaturum: sed qvia id negotium Imperium qvoqve tangat, per leges publicas sibi soli qvid decernere haut integrum esse. Re tamen maturius expensa deinceps liqvidius mentem suam explicaturum. Ista cum Crocovius Grotio communicaret, hic respondebat: omnem operam incassum sumi, & Regem magis irritari, qvo plus ejus libidini obviam eatur. Igitur is, qvæ jussus erat, Pomponio exponebat; qvi respondebat: *frustra amicam compositionem sperari. Belgas, dum* 12. *Febr.*

satis-

1671. *satisfactionem offerunt, nil nisi tempus extrahum ire, qvo Regem tractatu involvant operationes bellicas suspensuro. Regi haut consultum imminentem aestatem inter disceptationes consumere, facto tam sumtuoso armorum paratu, & rejam cum sociis digesta. Non dubitare, qvin Belgis variæ formulæ reciprocorum tractatuum super commerciis in promtu sint, sed qvibus Rex sibi illudi haut sit passurus.* Cæterum idem valde de medio statu urgebat; ac Crocovio de Imperio objicienti reponebat: *Electoris autoritatem in Imperio tantam esse, ut sua cum Rege consilia societ, istius decreta pro lubitu temperare possit. Sane Ratispona neminem esse, qvi causam amplectatur, aut verbo de ea tangat, ne Elector ansam præbeat.* Cum Crocovius exciperet; ne Rex plura ab Electore desideraret, qvam ab Imperio; jam autem Regem postulare, ut Elector prius qvam Imperium se declaret; Pomponius regerebat: *Ab aliis Regem ista non postulare velut longe remotis. Electorem autem ob positum provinciæ suæ ita implicitum, ut ei vel in partes desciendum, vel medius status tenendus sit, qvo Belgæ offendi non possint, tanqvam utriqve parti proficuo. Qvin & totum Imperium ad servandum medium statum teneri, qva per pacem Westphalicam Galliæ hostibus auxilium ferre non debeat.* Sed improviso ipse Rex Crocovium ad se evocabat; cui id negotium exponenti is respondebat: *Ne turbaretur declaratione, qvam auditurus sit. Rem in eo esse statu, ut ipse à Belgis satisfactionem recipere neqveat, nisi eos prius ob insolentiam in se expromtam castigaverit. Molestum sibi esse, qvod Electoris desiderius plura indulgere prohibeatur. Officium ab ipso oblatum in bonam partem accipi; sed ei negotiationem non posse superstrui. De cætero inopinum sibi accidisse modum, qvo in hoc negotio se usurum San-Geranio declararit, velut super tertiis partibus formandis agitare instituat. Sperare Electorem alia consilia ingressurum, ac sibi causam præbiturum documenta amicitiæ suæ adversus ipsum continuandi.* Circa Imperium objicienti Crocovio reponebat: In Imperio neminem esse, qvi de hoc negotio loqvatur, præter Electorem. De cætero ad dicta à Pomponio provocabat. Hic dein una cum Turennio differebat. *Regi valde displicere, qvod Elector medium se declarare noluerit, idqve amicitiam refrigerare posse. Ingravis qvoqve offensæ vicem accipi, qvod Elector primus, ac fere solus intra & extra Germaniam de bono publico loqvatur, delectusqve habeat, & aliis exemplo præeat.* Sed cum Crocovius reponeret; Electori antequam certi qvid decernat de scopo belli constare debere; nam qvod de Belgis ad modestiam redigendis jactetur, id laxum nimis, & ambiguum esse: Galli nil solidi qvod responderent habebant, ac parum sibi constabant. Aliqvando enim differebant: non esse Regi tam vasta consilia uti jactentur. Eum ne latum pedem terrarum adqvirere velle: loca qvæ occupaturus sit, legitimis dominis reddenda: bellum duntaxat ob honorem Regis, & aliorum commoda sumi: Regi non esse in animo Remp. evertere, sed ad modestiam componere. Sed cum Crocovius ostenderet: Electori utiqve cum Belgis certam rationem ineundam, qvod isti bello finito offensæ memoriam servaturi, ac omnibus ejus provinciis commercia subtracturi, Cliviæqve molestiam facessituri sint: & cautionis Regiæ vim non alio modo qvam per bellum exseri posse, qvod iste omni modo defugiat: isti reponebant: *an credi fas sit, potentiam Reip. & commercia in præsenti statu mansura? Sane Remp. eo redactum iri, ut vires nocendi aliis haut retentura sit.* Ex qvibus dictis sibi repugnantibus colligebatur, Galli destinata vastiora esse, qvam palam profiteri audeat; ac sine dubio eo tendere, ut Belgæ ad eum statum redigantur, qvo defensionem Hispanicarum provinciarum exuere, & circa commercia leges accipere cogantur. Cæterum Gallis parum curæ erat rationes rationibus destruere, qveis ad extremum semper hucrevolvi solenne erat; id Regis destinatis, ac rationibus, gloriæqve congruum esse, & nusqvam securitatem, qvam in ejus partibus inveniri; ac eundem potentia cæteris prævalere. Interim Crocovium urgere Pomponius non desinebat: *Liqvidam declarationem edendam. Electori vel Regis, vel Belgarum partes, vel medium statum amplectendum. Vastationem apertorum provinciæ locorum evitari nullo modo posse, minime omnium autem, si Elector in Belgarum partes concedat. Imperium huic bello per Instrumentum Pacis miscere se non posse. Præcipuum auxilium, qvod Belgis præstari qveat, esse, qvod tanti momenti munitiones in horum manibus relinqvantur. Id si Electore invito fiat, Regem non habere qvod arguat. Sed vicissim Electorem improbare non posse, qvod Rex hostem qværat, ubi inveniatur; cum ratio belli tam munita loca à tergo relinqvi non permittat. Ast si Elector sponte Belgicum militem ibi toleret, eo ipso clam se hostem Regi ferre. Haut qvoqve fas esse obtentu fœderum defensivorum Belgis auxilium ferre, qva tantum contra aggressores locum habeant, inter qvos si Rex referatur, maximam id injuriam fore. Nam*

1671. *aggressorem esse, non qvi bellum orditur, sed qvi ei causam dat.* Cum objiceretur; *Regem in aliis bellis, qvibus se miscuerit, semper judicasse, læso prius satisfactionem petendam, & amicos tractatus tentandos, nec fas esse arma prius arripere, qvam lædens amicam transactionem repudiaverit*: Gallus reponebat; *à Belgis amicam satisfactionem obtineri non posse. Imperio neqve vires esse, neqve jus huic se bello ingerendi. Alias qvoqve Principes, qvos ut neutrarum partium esse velint, Rex rogarit, de Imperio nihil causatos. Moguntinum ea lege medium se fore promisisse, si nemo Principum Germaniæ ei bello implicetur; si tamen Elector, aut alius qverimonias moveat, se defugere non posse, qvin eas ad Ordines Imperii referat, ac universorum decreto conformem se gerat. Neqve vero Imperio tam scævam mentem fore, ut impedire velit, ne Rex usurpata ab aliis loca recuperet, eaq; Principibus, ad qvos spectant, restituat. Inprimis Electoris interesse, ut sua oppida in potestate habeat, ad qvod vel integro seculo tam commoda occasio, qvalis nunc est, nascitura haut sit.* Cum Crocovius reponeret; *Colbertum qvondam Clivis alia plane consilia suggessisse; eoqve Electori inopinum iri visum, Gallos à se ipsis stabilita scita nunc subversum ire*; Pomponius: *mutationem temporum causabatur. Porro ut super servando medio statu solenniter mentem suam declaret Elector, Regem haut coacturum. Facile autem intelligi, cum eo casu Regi de istius amicitia cautum non sit, alia huic consilia capessenda.* Usqve adeo Gallus amicis suis hanc legem dictare instituebat; ut hi rationes sui status ac fœdera semper ad ejus placitum atqve commodum mutarent, ni ejus amicitia excidere vellent. Scilicet qvia naturale est, ut nullius alterius salutem, & incrementa qværat, qvi omnibus imperare vult. Imperii tam exiguus respectus erat, ut id vix nominare liceret. Porro ne Hispani in bellum descenderent, Gallus impediturum se sperabat compositis exiguis qvibusdam super limite litibus, ac promisso, se *dependentiis* locorum in Belgio occupatorum cessurum, si Hispani transitum, & annonam ipsius copiis concedere velint; qvin erepta Belgis cum istis se divisurum, si insocietatem belli contra istos venire velint. Sed cum Hispani ostenderent, sibi haut fas esse Unitas provincias deserere, qvod ab his suarum conservatio pendeat; Legatus qvidem Gallicus Madriti bellum initio minabatur, si Hispani vel minimum auxilii Belgis ferant. Sed mox Gallus Reginæ Hispaniæ declarabat; si intra limites Pirenææ pacis se teneat, ac Belgis non nisi auxiliarem militem submittat, se abruptam pacem haut judicaturum. Nimirum qvia orto cum Hispanis bello fœdus Anglicum conservari non poterat, qvod Angli neqve commerciis Hispaniæ carere, nec, ut Hispanicæ provinciæ à Gallo subigerentur, permittere vellent. Sane Anglus declaraverat, se nec in Hispanos rem gesturum, nec Gallo, si in Hispanos bellum suscipiat, adsistere posse; qvod Angliæ mercatores triginta sex milliones amplius in Hispanica ditione habeant. Eoqve Hispaniæ Regina Gallo innoxium transitum indulserat ea lege, ut Rex vicissim ægre non ferat, si ipsa auxiliares copias Belgis submittat. Ita duplicem hoc bello personam agere cupiebat Gallus. Si enim cum Cæsare, & Imperio res erat, primarius Belgarum hostis audire volebat, ut pacem Westphalicam in usus suos torqvere possit, qva Germani ejus hostibus auxilium ferre vetabantur. Sed qvando cum Hispanis agebat, auxiliarem se duntaxat Anglo ferebat, ut pace Pirenæa frui liceret, qva placuerit; ut qvis fœderato suo contra alterum mittere auxilium possit, nec ideo hostis evadat. Unde & Gallus, cum apud Trevirensem transitum, ac ut medium se gereret, postulasset, huic atqve Moguntino confirmarat, Hispaniam nullo modo lædendam, ac in id Anglos & Svecos cautionem interposituros. Unde & Melchior Schœnbornius, qvem Moguntinus in Galliam miserat, judicabat; modo Gallus Hispanum non invadat, Cæsarem se haut commoturuo. Alias Aulæ Cæsareæ admodum gratum esse bellum in Belgio surgere, qvod alias in Germania exarsurum erat; nec expedire, id ita brevi componi, qvod Germaniæ ob Galli potentiam, & vasta destinata haut satis cautum sit. Idem & valde qverebatur, Lobcovicium imminens à Gallo periculum non perspicere nolle, ac subinde canere; *Gallos non offendendos, non suspicionibus irritandos*; velut sola innocentia, ac modestia apud potentes, & armatos securitatem præstaret. Cæterum erumpente jam bello Galli plane sibi persvadebant, Electorem in Belgarum partes concessurum; ac graviter qverebantur, istum inter omnes Germaniæ Principes Regi minimum gratificari voluisse, ac aliis exemplo præire. Id qvod Rex ulcisci haut omissurus sit; nec passurus, ut aliqvis exercitus prope ipsum consistat, sed suos accedentibus recta obviam ituros. Ac esse sibi hoc anno CLXVIII M militum, vel pluribus hostibus paria. Testabatur tamen Pomponius; San-Geranium ideo tantum Electoris aula evocatum, qvod id vehementer

1671.

§. Ut eo sincerior.

§. 3. Comme parcillement

7. April.

31. Mart.

23. April.

1672. menter petierit. Regi priorem sententiam stare, cum Electore amicitiam colere. Transitum per ejus provinciam qvantum possit innoxium sumendum, ac militem, pabulo excepto, qvæ præbeantur præsenti pecunia emturum. Et qvia Elector tractatus abnuerit, cum Svecis fuisse paciscendum. Rege in expeditionem digrediente Crocovius è Gallia discessit.

Elector Brandenburgicus omnia ad statum explorare studet.

§. 32. Haut minus cum aliis super ea tempestate avertenda Elector egerat. Et qvia ad istam sistendam, aut promovendam multum momenti adferre poterat Svecia, ad qvam & Electori præcipue respiciendum erat, ad exploranda, ac temperanda hujus consilia missus fuerat Christophorus Brandius. Ei injunctum ibi proponere; uti periculosa rerum facies tum alibi, tum ad Rhenum surgat; ubi metuendum sit, ne glisceus sub cineribus ignis demum erumpat, vicinas qvoqve regiones correpturus. Qvia igitur Electori nota sit Regis pro communi qvietecura, qvi & literis mense Martio scriptis, & per Hermannum Wolfradum ablegatum significarit, sibi gratum fore super his cum Electore consilia conferre: igitur se venisse ut cognoscat, qvæ Regis super communi securitate obtinenda sit sententia. Qvo fine Elector omnia collaturus sit, qvæ vicinia, cognatio, ac fœdus, simul communis qvies, & salus reqvirat. Præter ea Regi demonstraret, uti hac tempestate tam intra qvam extra Germaniam numerus Protestantium indies minuatur, Catholici contra glisceant, ac indies firmentur. Eo magis necessarium esse, istos junctis consiliis, ac viribus communem securitatem, ac salutem curare. Addebantur negotia qvædam Pomeraniam spectantia. Privatis congressibus ostendere jubebatur; in Gallia & utroqve Belgio magnos delectus & armorum paratus fieri, ac nonnullas jam copias ad fines Germaniæ consistere, & eos transire. Nec litem cum Colonienſi urbe adhuc compositam. Electorem dissidentibus officium componendis controversiis obtulisse; cæterum ubiqve integra sibi omnia servasse, ac nulli se partium addixisse; id qvod tutissimum sit remedium communem qvietem servandi. Nec dubitare, qvin Rex ad eundem finem autoritatem, & studia sua sit adhibiturus. Necessum autem fore, ut non solum Circuli Germaniæ periculo proximi rebus suis invigilent, sed & universi Ordines inprimis Protestantes ita instructos se teneant, ut pax interbata persistat. Ea super re mentem Regis exqvireret; plura ipse ne panderet, ac diligenter ejus aulæ inclinationem exploraret. Super statu Protestantium in Germania moneret, à Cæsare multos Catholicos Principum dignatione mactari, qvi suffragio, & loco in Comitiis potiantur, qva ratione semper penes Catholicos sit suffragiorũ numero vincere. Unde Rex per suos instaret, ne cui locus in Comitiis concedatur, qvi bonis Principum fastigio dignis in Imperio non sit præditus. Circa Poloniam ostenderet, uti Evangelici ibi premantur, ac uti vicinis qvoqve periculum immineat, si præsenti Poloniæ statu Tartari, ac Turcæ invalescant. Qvia etiam è Polonia nuntietur, qvosdam Senatores & proceres id agitare, ut Michael Rex solio dejiciatur, qvi Svecico se auxilio niti ferant; expiscaretur, qvo Sveciæ consilia hoc tendant, & qvousqve Svecis ea res cordi sit. Ne tamen Elector videatur ejusmodi consilia cum istis Senatoribus miscere, ne diceret, eidem à Polonia de hoc negotio relatum, sed se in itinere qvid inaudivisse. Denique operam daret, ne qvid Holmiæ de summa rerum decernatur ante adventum legati Belgici, qvi in itinere erat. Qvia porro Brandius Holmiæ admodum honorifice receptus erat ad modum regiorum ablegatorum, Elector omen felicis successus inde capiens Brandio injungebat, ut qvavis occasione testaretur; ipsum nil omissurum, qvod servandæ arctiori conjunctioni his temporibus tam necessariæ reqviratur. Adesse jam Berolini à Gallo San-Geranium, à Belgis Amerongium. Illum conjunctionem armorum contra Belgas, aut saltem medium statum, hunc auxilia postulare ex fœdere, ac ut ejus Reip. causa majore vi suscipiatur. Utrumqve magnis cum difficultatibus conjunctum, ac ni Deus avertat, hoc initio totam Europam bello inundandam, Protestantium rebus admodum periculoso. Igitur valde dolere Electori, qvod de Regis Sveciæ sententia tam cito certior reddi neqveat, qvam res exigat. Hucusqve Gallum præfracte interpositionem abnuisse; & qvanqvam Belgæ, si justam offensæ causam dedisse convincantur, æqvæ reparationi paratos se ferant; aliter tamen judicare non posse, qvam bellum utiqve erupturum, ex ingenti armorum paratu, qvi permissu Colonienſis ex parte in Imperii solo fiat. Qvæ res & sibi necessitatem adferat securitati suæ curatius prospiciendi. Ac libenter se cum aliis, ac inprimis cum Svecia societatem inire velle, tutandæ securitati, ac libertati Germaniæ, prout hæc commodissime id fieri posse judicarit, stabilita qvoqve constanti, & ad posteros porrigenda amicitia. Secreto au-

Wolfrad.

10. Jun. 72.

1672. tem & velut proprio motu diceret : Sibi conſtare, eum rem Electori valde cordi eſſe, & hunc periculo inde proventuro maxime commoveri. Inprimis omnibus, qvos ſacra Proteſtantium, & commercia tangunt, ſummæ fraudi fore, ſi Belgis oppreſſis Germaniæ, ac vicinorum latus nudetur, per qvod à Gallo deinceps majores progreſſus fieri qveant, ſumma rerum eo prolapſura, ubi remedio non amplius ſit locus futurus. Sane Electorem ad talia nil collaturum, ac ſperare, Regem paria facturum. Iſta tamen circumſpecte tractaret, ne Galli, Anglive reſciſcant; nec prius eadem promat, qvam conſtet, eandem aulæ Svecicæ eſſe ſententiam.

Habitus tunc rerum Svecicarum.

§. 33. Porro Brandius tunc in Svecia Proceres immenſos ſpiritus gerere comperiebat. Haut ſatis erat qvinqve Rectores Principibus ſecundogenitis, atqve extraordinariis Regum legatis loco cedere nolle; ſed & vel recentiſſimus Senatorum ablegatos, extraordinarios Regum, atqve Electorum præcedere cupiebat. Petrus qvoqve Brahæus, & collegæ Comitibus Imperii præferri volebant, qvod tutores Regis, ac partim regiæ cognationis eſſent. Sed Senatus in duas factiones diſtrahebatur, qvarum uni caput erat Magnus Gardius Regni Cancellarius, Galliæ addictiſſimus; alteri Matthias Bioernclovius, qvi Galliæ ambitioni obſiſtendum, illoſqve fulciendos cenſebat, qvi huic obicem ponere conentur, eoqve Sveciæ rationes cum Cæſare, ac Imperio Germanico ſociandas contendebat.

Nunnius. Agebat tunc in ea aula Nunnius Comes ablegatus Hiſpanicus, cui nil aliud agebatur, qvam ut XII M uncialium, qvæ qvotannis à Rege ſuo accipiebat, per luxum conſumeret, jactans non eſſe, qvod Svecia Gallorum ſe deſtinatis objiciat, ac ſatis habituros Hiſpanos, ſi triplex fœdus firmum perſiſtat. Ea negligentia Bioernclovianæ factioni admodum diſplicebat, non minus, qvam qvod nullus à Cæſare legatus tunc adeſſet, qvi una cum Hiſpano anſam præberet, ut eo validius Gardianæ factionis conſiliis obviam iretur. Agitabatur tunc cum Gallis defenſivum fœdus, qvod utraqve factio ex ſua inclinatione formare ſtudebat; ſed per qvod Sveciæ magis rationes in Germania in fraudem vicinorum, firmandæ qvam Galliæ inſigne commodum conciliandum erat. Cæterum mortuo qvantumvis Bioernclovio factio ipſius adhuc perſiſtebat, ac Magni Gardii conſiliis acriter ſe opponebat; ſed qvi iſtam blanditiis, pecunia, collatisqve muneribus multa cum arte debilitare nitebatur. In eo autem utraqve factio conveniebat, ut Belgæ ad modeſtiam redigerentur, ac durante bello commercia in Svecia, excluſis Belgis exerceri pergerent. Nec Svecorum deſtinata tunc ulterius porrigi videbantur, qvam ut accepta à Gallis pecunia ſeqveſtres ſe conciliandæ paci his proficuæ ferrent, ac miſſo in Germaniam exercitu autoritatem ſibi circumponerent, ac forte, ſi Elector, & Cellenſis Dux ad Rhenum verteret, Bremam invaderent. Bello ipſorum rebus haut conſulebatur, & ut maximæ forent, qvi ſtudio in Gallum id ſvaderent; à Comitiis tamen, citra qvæ bellum decerni non poterat, abhorrebant, per qvæ in Regem adminiſtratio Regni conferenda erat, qvam Senatus ægre exuebat. Sed nec ibi bello gerendo opes, & ut Gallico argento ſola Galliæ incrementa promoverentur, Bioernclovianæ factio conceſſura non erat, nec magnus Gardius ſvadere audebat. Qvia autem jam certum erat, Gallos, Anglosqve Belgium invaſuros, qvi & inter ſe convenerant, qvousqve iſthoc porrigi vellent; metuendum erat, ne hoc ſcopo obtento repentina pax ſeqveretur. Ubi difficile videbatur, ſi Gallus nonnulla Electoris oppida ad Rhenum occupaſſent, eadem recuperare, Belgis debilitatis, ac ob ea bellum haut continuaturis, ſeqveſtribus qvoqve langvide pro Electoris commodo connixuris. Nam qvanqvam multus ibi ſermo de cura pacis Germanicæ, & ne Gallus Imperium in turbas iſtas protrahat; vix tamen pro violatione ejus pacis habendum erat, ſi Gallus unam & alteram Clivicarum munitionum occuparet, ac inde facta pace obtenderet, eam non Electori & Imperio, ſed hoſti ereptam, ac jure belli retineri poſſe, exigua Sveciæ cura, ſi Brandenburgicus qvid amittat. Super remedio turbis ad Rhenum ſurgentibus reſpondebatur; conſilia è Germania huc adferenda, non è loco tam remoto petenda. Porro Bioernclovianæ factionis conſilia huc redibant; *Expedire Sveciæ ad conciliandos Germanorum animos, & extingvendas penitus ſiniſtras ſuſpiciones, ut quantum liceat minimum ſe Germanicis negotiis ingerat: non durante ſolum minore ætate Regis, ſed & per ejus juventam omnia ad pacem & qvietem referat: Ordinibus Imperii, ſi periculum ingruat neqve conſilia, neqve arma offerat, ſed id tempus expectet, qvo iſtis, ac præcipue Proteſtantibus neceſſitas adferatur ad Sveciam confugiendi, atqve huic protectionem libertatis Germanicæ, ac tutelam pacis Weſtphalicæ deferendi. Interim per ſilentium omnes occaſiones aucupandas.*

In-

1672. In universum autem Sveci testabantur, se hac rerum facie nil præter conservationem pacis Germanicæ spectare; nec præsumendum erat, eos cum Gallo contra Belgas societatem inituros. Nam præterqvam qvod jam antea saniora consilia eo tenderent, ut cum Gallo hautqvidqvam fœdera inirentur prioribus similia, hujus potentiam promoventia; etiam inter ea Regna non parum suspicionis emerserat, ut jam ad præcipitia abrumpendæ amicitiæ procederetur. Ac notæ erant cautæ triplicis fœderis, & ejus qvod per Basserodium cum Cæsare cudebatur. Et Biœrnclovius sedulo ingesserat, ne Gallo via in Germaniã, & ad Cæsareum fastigium muniatur qvod è re Sveciæ haut sit futurum Gallos pedem longius inferre, ut Svecis necessum sit eorum progressus per arma sistere. Atqvæ isthæc scita eo magis in multorum animis radices egerant, qvod Gardius tædio Biœrnclovii velut huic invidiam facturus aliqvandiu stationem suam in Senatu deseruerat; qvo ipso huic facultas data fuerat res Sveciæ suo ex arbitrio temperandi. Unde Gardius, postqvam Regina instante Cancellarii munus iterum exercere cœperat, jam obliqva ac tecta via Gallorum rebus favere, simul affectus suos in potestate habere instituit. Nam uti magnopere ipsum mordebat, qvod infima plebe oriundus Biœrnclovius, qvi juvenilia ipsius studia formarat, post ejusdem circa remp. consilia obtrectare auderet, immemor fortunæ è Gardiana domo enatæ: ita jam Stenonem Bielkium, Joannem Gyldenstiernam, Claudium Rolambium, Canutum, & Gustavum Kurckios, factionis Biœrnclovianæ præcipuos, tanqvam vetere nobilitate, ac magnis cognationibus tultos, nec beneficiis ejus domui obnoxios è consilio ministrorum Gallicorum blandimentis delinire instituerat. Nec aperte fœdus offensivum, ac bellum svadere audebat; id qvod tutoribus per minorem Regis ætatem absqve consensu Ordinum haut licebat, ac alias hoc rerum statu periculosum erat. Sæpe tamen ad placitum Regis, qvi nil præter Martem spirabat, sermones componere, ac occasionem Avunculi magni, & Parentis gloriam æqvandi ostentare; in Senatu qvoqve subinde jactare: Sveciam brevi intestinos motus sensuram ni multitudo Comitum, Baronum, & Nobilium, juventa, ac fere egestate ferocium, externis bellis distineatur. Contra Biœrncloviana factio ostendebat; Sveciam qvod supersit favoris in Germania non alia via penitus prodigere posse, qvam si in præsens iterum Gallo se innectat, ac in hujus gratiam infensum Belgis exercitum Germaniæ immittat. Qvin operam dandam, ut amissa Germanorum benevolentia, qva adspirante qvondam ad id fortunæ, & gloriæ fastigium emerserit Svecia, per moderata, & pacifica consilia recuperetur; qvo fine tam multa super servanda Germaniæ pace jactabantur. Ac Tottius Comes Brandio ingenue fatebatur: Svecos Germanorum benevolentiam decoxisse. Adversus Austriacos non amplius certandi materiam supereſſe. Unde ad recuperandum istorum favorem nil sibi restare, qvam Germaniæ qvieti studere, ac partas ibi provincias periculo ne exponere. Multo minus autem Svecis placebat cum Belgis contra Gallos jungi, qvos inter diuturnum bellum fore credebatur. Nec enim sola Gardiana factio Belgas aversabatur, sed & Biœrncloviani, qvi commerciorum Svecicorum incrementa vehementer captabant, nondum qvoqve exolita memoria eorum, qvæ olim bello Danico sat infesta Sveciæ per Belgas illata fuerant, censebant: non ferendum qvidem, ut eorum Resp. opprimatur, consultum tamen fore eosdem paulisper ad modestiam redigi, ac impediri, ne totius Europæ commercia ad se solos trahant. Esse qvoqve Belgas insolentes, ac semper Regum, & Principum controversiis se miscere velle, idqve modo non parum importuno, ac nemini non Principum exoso, velut totum orbem moderaturi sint. Unde id bellum Svecis gratum accidebat, qvo durante navigationem suam admodum lucrosam fore sperabant. Qvi & sibi persvaserant, Gallos Belgis nihil aut parum prævalituros, tum totas æstates unius urbis expugnatione consumendas, uti qvondam belli cum Hispanis gesto contigerat; ac Belgium fore scopulum, ad qvem allisa Galliæ potentia frangenda sit. Nec Anglum, etsi Gallo socium permissurum, ut Belgis nimium depressis Galliæ potentia enormiter glisçat. Qvo nomine & Coventrius legatus Anglicus Holmiæ cavebat, testatus Gallum, & Anglum fœdere certos progressuum limites sibi constituisse. Ita in præsens extra belli consortia manere decreverant Sveci, grande qvietis pretium ab utraqve parte percepturi. Qvo fine Pomponius multa cum verborum humanitate onustus dimittebatur, ea data declaratione; super defensivo fœdere ulterius deliberandum; interim Sveciam neutri partium sese addicturam, addito promisso durante bello, ac inter tractatus pacis, cujus ipsi sequestres futuri sint, se rationibus Galliæ, qvantum res Germaniæ ferant, fauturos. Qvia autem

Basse-rode.

Coventri.

1672. tem ipsorum officio exiguum pondus futurum erat, ni copias in Germania habeant, eorundem autem ærarium non ferret propriis sumtibus militem parare: sperabatur Gallo haut grave fore, qvod & Pomponius spoponderat, eo fine pecuniam suppeditare. Qvorum conventorum ratihabitionem Pomponius, & Otto Wilhelmus Kœnigsmarckius in Gallia curaturi erant. Interim negotiationem cum Wilhelmo Hareno legato Belgico declinabant, qvoad super promissa per Pomponium pecunia cautum foret, ne forte Galli, si ipsos à Belgis qvoqve pecunias captare intelligerent, promissa retractarent: inprimis qvod Danicus minister Simon Petcumus apud Gallos juxta, Belgasqve manibus pedibusqve reniteretur, ne Svecis pecunia daretur. Hac igitur rerum facie Electori parum à Svecia metuendum videbatur, si qviescere placeret. Sed ubi iste Belgis se sociaret, haut ingratum Svecis futurum erat ejusdem vires debilitari; qvi & inter futuros tractatus pro violatione pacis Westphalicæ habituri haut erant, si Gallus erepta Belgis ad Rhenum oppida Clivica velut jure belli sibi retineret. Præter dictas autem in Senatu factiones alia qvoqve erat inter Comites, & reliqvam Nobilitatem, qvæ initio ex æmulatione super priore loco promanarat, Comitibus ubiqve eminere cupientibus, ac se velut aliis longe superiores æstimantibus; sed mox & ista factionibus in Senatu implicita fuit. Nam Gardius Comitum, Biœrncloviani reliqvorum Nobilium partibus favebant; ac utriqve, uti assolet, certatim sibi mutuo apud Regem obtrectabant. Sed hactenus Nobiles eousqve apud Regem prævaluerant, ut si duello inter Comitem, & Nobilem qvempiam hic potiores tulisset, Rex insigne gaudium testaretur. Ea res tamen in futurum alterutri partium non leve periculum minabatur, qvod Gardiana, & Comitum factio Regi dulcedinem belli inspirare, ac cæteros pacem ingerentes, ac domesticorum bonorum culturam commendantes eidem exosos reddere satagebat; velut & id meditantis, ut Rex sub coronationem lege regia ad servandam pacem adstringeretur. Contra Biœrncloviana factio, & Barones atqve Nobiles Gardium, eiqve addictos apud Regem arguebant, tanqvam accepta pecunia Gallo favorem vendentes, ac noxia Regi, patriæqve consilia agitantis. Ac habebant hi inter ministros interioris admissionis agnatum Joannis Gyldenstiernæ, qvi Regi de Comitibus subinde sinistras opiniones inspiraret. Contra Gardius adversæ factioni debilitandæ legato Gallico svadebat, ut Stenonem Bielckium pecunia tentaret, cui alias modicæ opes erant. In Senatu qvoqve idem machinabatur, ut Joanni Gyldenstiernæ nomine Regis minus Præsidis in Tribunali Wismariensi pro imperio injungeretur, addito titulo legati per Germaniam. Sed is præfracte isthoc abnuebat; ac ita valida persistebat Biœrncloviana factio, cui & maxima Ordinum pars adhærebat, ut si Cæsari placuisset confectum à Basserodio in Svecia fœdus ratihabere, ac promissas eo pecunias suppeditare, Belgæ potiores tunc partes apud Svecos præ Gallis habituri fuisse crederentur. 1672.

von Hareu.

Petcum.

§. 34. Intellecto rerum Svecicarum statu Elector Brandio injungebat, ut bonas partes confirmaret, ac de sociandâ ipsis opera certas redderet. Tum qvid sibi a Svecia expectandum sit exploraret, si Gallus qvæ minabatur infesta inferret, præsertim cum hinc Gallus, inde Belga decretoriam sententiam expolceret; qvæ tuto declarari non poterat, ni de Svecorum animo constaret. Enimvero Brandio difficilis admodum ibi negotiatio erat. Nam cum Gardiana factione super suis mandatis nil loqvi audebat, qvod id statim ad Gallum emanaturum esset. Nec Svecos consilium exposcere tutum videbatur, tanqvam sine hoc Elector certi qvid decernere nollet. Nam sine dubio isti rationibus Electoris adversa, ac ne is arma pararet, serio svasuri erant, velut anxii, ne Electori plus autoritatis in Germania accederet, qvam ipsis modica manu succinctis. Ac citra ambages legatus Gallicus dicebat: malle Svecos, ut Elector, & Dux Cellensis exercitum ne formet, qvo ipsis eo minus copiarum in Germaniam trajicere necessum foret. Qvod si igitur Elector suggestum ab ipsis consilium haut seqveretur, id offensam iisdem, simul ansam præbiturum erat durante bello, aut inter tractatus pacis Electoris commoda segnius respiciendi, obvia excusatione, consilium ipsorum fuisse expetitum, sed ei haut obtemperatum. Magis adhuc periculosum erat super fœdere movere, qvod ambabus manibus arrepturi erant, qvo Electorem à conjunctione cum Dano, Saxone, ac Cellensi averterent, simul impedirent, ne in Germania exercitus formaretur, ni qvem intra, & extra Germaniam magis, qvam in Sveciam sit respiciendum. Qvæ æmulatio mire eos exercebat; ac omnes artes isti conjunctioni impediendæ adhibebantur, subinde ingesto de circumspectione, ac in neutram partem studio. Nam qvia

Brandii in Svecia negotiatio.

1672. qvia autoritas ipsorum, ac vires tenues erant, per fœdera, ac interpositum dissidentibus officium personam agere placebat, qvo diffidentiam inter alios serere, ac se velut necessarios venditare possent, interim qvoad domesticæ res in melius profecissent, & Rex plenam ætatem attigisset, pro inani opella pecunias accepturi, omnibusqve Principibus persuasuri, suam amicitiam magni momenti esse. Ac sane Pomponius per suam negotiationem magno legatorum numero in Sveciam pertracto non modicum huic splendorem circumposuerat; qui tamen mox iterum dilapsuri erant. Eam ob causam Elector Brandio injungebat, ne desideria sua prius exponeret, qvam perspiceret, Svecos in eadem secum sententia esse. Eqvidem id demonstrari posse, ante omnia Protestantium securitatem, & Germaniæ pacem respiciendam; tum & Belgicas res ita curandas, ne Protestantium partes debilitantur, commercia turbentur, nec surgens ibi flamma Germaniam qvoqve corripiat. A Svecorum consilio se nolle pendere, qvod forte suis, ac Imperii rationibus adversari possit. Fœdus eorundem haut defungere, modo per id communis pax & securitas firmari possit. Sed si isti jam aliis se illigaverint, de eo fœdere mentionem haut injiciendam. Ista apud Biœrnclovianos velut injussus deduceret, & qvæ impediendis consiliis Germaniæ noxiis faciant, suggereret. Cæterum Curtinus legatus Gallicus ita disserebat: Præsentem Sveciæ statum, tenues opes, & consilia nullo modo bellum ferre. Nec adhuc memoria excidisse bellum Polonicum, à Carolo Gustavo parum probante Senatu susceptum, qvo Svecia in summum periculum conjecta fuerit. Unde eandem non solum per minorem Regis ætatem bellum declinare, sed & id agitate, ut in posterum ejusmodi calidis consiliis occurri, ac Regis potestas circa movendum bellum circumscribi possit. Svecos qvoqve patriæ suæ amore admodum capi, & voluptuariæ vitæ ita adsuescere, ut de pluribus adqvirendis non cogitent, cultura terrarum suarum, & augendis commerciis contenti. Deniqve tanta eos suspicione erga vicinos, ac cumprimis Danum laborare, ut commovere se haut sint ausuri. Idem jactabat: Gallum nil locorum retinere velle, ac Anglum id stipulatum. Ac bellum gloriæ tantum causæ, & ob vindictam suscipi, ac ut Belgarum spiritus deprimantur. Ac si maxime Elector Belgis societur, tamen Regem qvicqvid Clivicarum urbium ceperit, pace facta ei redditurum. De cujus persona, viribus, atqve autoritate iste admodum honorifice loqvebatur; eoqve Regi cordi esse, eo socio, aut saltem medio frui. Sed si Elector insuper habitis Cliviæ oppidis Belgarum partes amplectatur, Regem per rationes belli, & ostentandæ fiduciæ istius exercitum velut præstantissimum primo loco invasurum, ac maximam belli molem in eum devoluturum, ut post adversus Belgicas copias eo minus operis sit. Sane decrevisse Regem, si qvis ex Imperio Belgis assistat, eum exercitum in Germaniæ penetralia, vel sub Viennæ mænia perseqvi. Qvæ licet multum è vanitate trahentia, haut plane speranda erant, qvod metus esset, ne Sveci in eventum sese obligarent adversus illos, qvi è Germania Belgis auxilium laturi sint, subigente Gallicæ pecuniæ cupiditate, & ne, qvem ipsi adspernarentur, bolum Danus occuparet; id qvod Curtinus subinde ingerebat. Sed & Biœrncloviana factio non parum animis collabebatur, qvod ab Austriacis, & Hispanis non fulciretur; id qvod Gallorum causæ, Gardio publicorum consiliorum moderatore, non parum roboris addebat, isto non frustra qverente; Sveciam ita indigne à Cæsare haberi, ac oblatum fœdus repudiari. Sane dolendum erat, Cæsarem opus bene in Svecia cœptum tam negligenter perseqvi; qvod ni emendaretur, summæ rerum haut parum detrimenti allaturum erat. Nec ab Anglo proficui qvid expectabatur, cujus amicitia à Svecis magni fiebat. Porro & Rex qvibusdam scævo ingenio hominibus aures præbere incipiebat, ut metuendum esset, ne per aulæ, ac Gardii artes Senatus consilia alterarentur, imminuta autoritate pacem svadentium per eos, qvi Regi jnventa feroci, & armorum amantissimo dulcedinem belli instillaverant. Qvare autem Belgis Svecia se innectere non posset, vel auderet. Petrus Brahæus Comes has rationes afferebat: Sveciam interceptis commerciis consistere non posse. Qvod si Belgis se societ, nullam navim in Oceanum prodire ausuram, ac solam salis pecuniam maximæ molestiæ futuram. Nunqvam inter Sveciam, & Angliam, qvantum memoria retro pateat, bellum extitisse; id qvod & in præsens cavendum sit, Anglis sine dubio mari prævalituris. A Cæsare porro Svecos indigne habitos, Harenum qvoqve sero adpulisse, ut interim Gallo super servando medio statu promissum sit: id qvod retractare nec rationes Sveciæ, nec data fides patiatur. Etsi cum Curtino super uno, & altero fœderis articulo nondum convenerit. Harenum nil in mandatis habere super abolendis circa

1672. ca mercimonia qverelis; nec super qvibusdam locis in securitatem Sveciæ tradendis. Nam contra tam validum hostem in bellum descensuris receptu opus esse: cui usui Bremensis provincia haut idonea sit, qvod Cæsar, ac Principes Visurgi adsiti, ac ipsi Belgæ Bremam urbem Sveciæ invideant. Deniqve Belgas qvavis occasione emolumentis Sveciæ ita se opposuisse, ut huic causa sit eos magis bello invadendi, qvam auxilio sublevandi. Prævalere tamen rationes status; ac Sveciam sibi nocituram, si ad eam Remp. opprimendam conniti velit, commerciis Sveciæ male se habituris destructo Belgio. Igitur se cum Gallis fœdus conclusuros, non ut horum destinata foveant, aut Belgas perdant; sed qvia Cæsar commoda è conjunctione cum Svecia ipsi proventura agnoscere noluerit, cum Gallo fuisse contrahendum, qvod alias nemo esset, qvi pecuniæ qvid dare vellet. Inprimis qvia Svecia tergiversante Danus protinus sese Gallo innexurus fuerit, cui solenne sit adversæ parti accedere. Qvicqvid tamen cum Gallis concludatur, Svecos sibi semper libertatem retenturos Germanorũ libertatem, ac Protestantium sacra qvantum detur fulciendi. Qvanqvam enim Senatus propinqvante jam Regis majore ætate non alia consilia capere possit, qvam ut huic paratum regimen tradatur, simul solida pacis fundamenta ponantur: Sveciam tamen, si Germaniam à Gallis bello inundari contingat, aut Catholici aliqvid periculosi moliantur, haut omissuram isti omnibus viribus subvenire. Vicissim se Evangelicis, ac præcipue Electori, qvi strenue arma paret, & ab utraqve parte ambiatur, fideliter svadere, ne Belgarũ causam amplecti festinent, sed aliqvantisper exemplo Sveciæ medios se gerant, ac eo ipso Gallis spatium relinqvant ad munita Belgii loca vires suas atterendi. Nam dubium non esse, qvin Galli protinus in eum sint ruituri, qvi in Germania se moverit. Qvo facto dubium sit futurum, uter Germaniæ pacem abruperit, is qvi Belgis auxilia latum iverit, an Galliæ Rex. Cæterum Gallos contra Belgas operæ pretium haut facturos, terra mariqve instructissimos; ac non magis in Hollandiæ intimæ penetraturos, qvam intra octiduum aliqvam è munitis oppidis expugnaturos. Ac Gallo rem eo redituram, ut aqva ipsi hæsura sit, haut adparente via, qva hoc bello salva existimatione se extricet. Igitur ei occasionem haut præbendam arma in Germaniam transferendi. Saltem Evangelicis expedire consilia sua in præsens non præcipitare, qvo interim primus Gallorum impetus frangatur. Nam post, ubi opus fuerit servandis Belgis arma arripere, eo facilius fore Gallis resistere. Atqve talia Sveci omnibus Germanorum Principum legatis ingerebant. Qvod isti sic interpretabantur; Svecos, cum ipsi operæ pretium facere neqveant, per invidiam nolle, ut Evangelici, ac præcipue Elector paratis armis autoritatem sibi circumponant. Contra Bioernclovianæ factionis præcipui asseverabant; figmentum esse Gallicum, fœderi hanc clausulam insertam esse, illum per Svecos à tergo invadendum, qvi Belgis assistat. Qvi cum id agerent, ut inanibus fœderibus, ac officiis autoritatem utrumqve tuerentur, pecunia gratis accepta, uti circa triplex fœdus contigerat; rationis erat, ut Germaniæ Principibus arma dissvaderent, ne horum autoritas, & potentia glisceret: Qvorum factione subsistente Electori à Svecia nil metuendum videbatur, si is maxime Belgis auxilium ferret. Si tamen bellum ultra annum extraheretur, ac Gardii consilia prævalerent, causa Electori futura erat, ut Regi Daniæ, aliisqve Principibus arctius sese innecteret.

§. 35. Inter qvæ super fœdere cum Gallis in Senatu acriter disceptatum fuerat, ubi demum Bioernclovianа factio dexteritate, ac validis rationibus pervicit, ut Svecia hoc bello media maneret, & circa gvarantiam, qvam Gallia stipulabatur, sibi definitionem casuum, qvibus Svecia eam Galliæ debitura sit, reservaret; qvod Gallus postularet, ut vi hujꝰ guarantiæ Svecia eum, qvi ex Germania Belgis assistere velit, hostis loco haberet. Cupiebat qvoqve eadem factio negotium extrahere; sed instante legato Anglicò in conclusionem consentiendum fuit; inprimis qvia Cæsar nihil agebat, & Gardius inde speciosum prætextum arripiebat jactandi; de honore Regis agi, ac ignavum fore Cæsaris amicitiam ulterius mendicare. Qvin ipsi Belgæ malebant, ut Galli Svecorum qvietem pecunia, qvam ipsi, emerent. Fuit autem duplex fœdus confectum, unum publicum, secretum alterum; ex qvorum illo articulos qvosdam, huc spectantes, alterum autem integrum inseremus, ingentium malorum Sveciæ juxta, ac Germaniæ causam.

Sveci cum Gallo fœdus ineunt. 27. *Mart.*

14. *April.*

Articulis IV. fœderis publici.

Ut autem pacta Westphalica cum aliis in vigore, eorundemqve desuper conditis recessibus non modo inviolata conserventur, sed etiam vim, & vigorem suum plane genuinum obtineant,

1677. mans, contentum imprimis est, Serenissimos, & Potentissimos Reges Sveciæ, & Galliæ non solum nullos Imperii hostes, pacisque Imperii turbatores ullo modo adjuturos; sed & si Imperator, Electores, vel Statuum aliquis in Imperio contra pacis Westphalicæ tenorem alterutrum Regum armis, belloque aperto infestare, vel alterutrius hostes, sive intra, sive extra Imperium quocunque titulo, ac prætextu, milite, armis, aut ulla unquam ratione juvare voluerit, eo in casu mutuam sibi operam, opemque altè memoratos Reges præstituros, armisque mutuis pacis violatorem aggressuros, ubi prædictam amicam dehortationem sprèverit. Articulus XVII. Quamquam hæc anxia & operosa cura ambo Reges fœderati certo confidant, ita stabilitam, & ad omnes eventus prospectam, & confirmatam esse in ipso Imperio Rom. securitatem publicam, pacificatione Westphalica comprehensam; nihilominus tamen cum extra Imperii limites ea rerum facies repræsentetur, quæ satis certas belli tempestates minari videatur, unde incendia haud dubie ingentia oriri possint, ambo Reges confœderati pro illa, quam in Germania commoda ferunt, inclinatione prætermittere non possunt, quin omni possibili modo providendum esse censeant, occurrendumque, ne hujusmodi flamma Germaniæ vicina in viscera ipsius Imperii Romani traducatur. Articulus XVIII. Quemadmodum etiam utriqve Regum post confectam in Westphalia pacem id unice, semperque constitutum fuit, ne Imperium Romanum ulli bello involveretur, facile vero belli contagio astrahi, & latius serpere possit, si quis alienis negotiis ad Imperium non pertinentibus, sese immiscuerit, consultum omnino utrinque visum est, ut uterque Regum fœderatorum Imperatori, Electoribus, Principibus & Statibus Imperii profiteantur eorundem in tranquillitatem Germaniæ propensionem, ostendantque quæcunque per supra dictas provisiones, guarantias, & Ordinum Imperii defensivas associationes plenam securitatem, tollantque per legatos omnem suspitionis ansam, atque amica, & salutaria monita adjiciant, cum demonstratione periculi, si quispiam bello, extra quidem Imperium Romanum, sed tamen in vicinia exorto implicaretur.

Secretum Fœdus.

I. Serenissimi, & Potentissimi Reges Sveciæ, & Galliæ, quemadmodum idipsum articulo IV. publici fœderis hoc ipso die concluso conventum, & expressum est, non solum nullos Imperii hostes, pacisque in Imperio turbatores ullo modo adjuvabunt, sed & si Imperator, Electores, vel Statuum aliquis in Imperio contra Pacis Westphalicæ tenorem alterutrum Regum armis, belloque aperto infestare, vel alterutrius hostes sive intra sive extra Imperium quocunque astulo, ac prætextu milite, armis, aut ulla unquam ratione juvare voluerit, eo in casu mutuam sibi operam præstabunt, armisque mutuis pacis violatorem aggredientur, ubi prædictam amicam dehortationem sprèverit. II. Ideoque licet persuasum merito sibi habeat Rex Christianissimus, quod si susceptum à se contra Fœderati Belgii Ordines bellum fuerit, Regieque Mtis Christ. arma & exercitus dictorum Ordinum provincias, aut urbes, arces, & munitiones ingrediantur, vel aggrediantur, nec Imperator, nec ullus Imperii Elector, aut Princeps sese immiscere, aut dictos Ordines Mtis sue hostes auxiliis juvare velit; si tamen præter spem evenerit, quod idem altè memoratus Imperator, seu aliquis Imperii Elector, aut Princeps dictis Ordinibus Fœderatis auxiliares copias submittere, aut quacunque via durante hoc bello contra sæpius memoratam Christ. am Mtem, ejusve socios arma movere statuerit, tum quia haut dubie eo ipso in Germania bellum excitatum, & tranquillitatem Imperii turbatum erit, ideo Ser. mus Rex Sveciæ emergenti malo amicabili primum via, deinde si hæc irrita fuerit, vi, & armis se opponet. III. Tunc itaque tanquam pacis Germanicæ assertor studiosissimus dictus Ser. Rex Sveciæ Imperatorem, Electores, aut Principes amicabili admonitione ab incepto movere conabitur, & si amica ista officia incassum ceciderint, & Imperator, aut alius qualiscunque ex Imperii Principibus ab auxiliis Fœderati Belgii Ordinibus contra Regem Christ: submittendis desistere noluerit, tum quæsitam amicabili via servata in Imperio pacis gloriam idem Ser. Rex Sveciæ armis assequi laborabit, hasque sequenti ratione, quomodo totum illud negotium dirigatur, inter se confœderati Reges convenerunt. IV. Cum itaque Imperator, aut quilibet alius in Imperio Elector, aut Princeps copias auxiliares adversus Christ. Regem, ejusque socios Fœderatis Ordinibus mittere, aut dictam Ser. Mtem Christ. ejusve in Imperio socios aggredi decreverit, tum Ser. Sveciæ Rex, cum tempestive à Rege Christ. requisitus, & prænonitus fuerit, nimirum tres ante menses promittit, se exercitum X M peditum, equitum vero sex millibus constantem, ac omni apparatu bellico instructum in Ducatum Bremensem, aut Pomeraniam esse missurum. Qui autem exercitus Imperatorem, aliosque ipsi conjunctos Imperii Principes, quo auxilia Fœderati Belgii Ordinibus submittere, Regique Christ. ejusve socios damnum crearе instituissent, vi aperta aggrediatur, omnique via, ne ullæ copiæ auxiliares Fœderatis Ordinibus subsidio ex Imperio contra Galliæ Re-

1672. gem mittantur, quoad potent, armis impediet; nec prius ab armis desistet Ser. Svecia Rex, quam Imperator, aut alii supra dicti Principes ab incepto desiterint. V. Quoque magis huic bello, cujus unicus scopus pax erit, & tranquillitas Germania, robur addatur, Rex Christ: secundum rei exigentiam, & necessitatem, si contra Imperatorem, Electores, aut Principes ei adhærentes Ser. Regis Svecia, & sociorum in Imperio Electorum, aut Principum vires non sufficerint, exercitum in Germaniam penetrare jubebit, qui quidem aut conjunctim, aut separatim cum exercitu Svecico secundum belli casus, & rationem militabit, manente exercitu Svecico sub mandato summi ducis Gallici. VI. Promittit adhæc Ser. Rex. Christ. se pro ea, quæ ipsi itidem ut Ser. Regi Svecia cura tuendæ pacis in Germania incumbit, pari vicissim modo, prout in articulo primo conventum, consilio, armisque, nimirum justo exercitu, & pro periculi exigentia majori quam fieri poterit virium mole se oppositurum, si Imperator, Electores, Principes, aut aliquis Statuum in Imperio, bello inter Ser. Regem Svecia, ejusque hostes, sive totali ad hostes accessione, sive auxiliaribus copiis sese immiscuerit, nec prius ab armis cessaturum, quam Imperator, aut alii supra dicti Principes ab incepto desiterint. VII. Cum etiam dubitandum non sit, quin pax in Imperio, quæ Regibus fœderatis adeo cordi est, non parum ladatur, si loca in Imperio sita, & pro tempore præsidiis occupata Rex Christ. armis aggrediatur, & tamen Regi Christ. denegari jure non possit, hostilia arma, à quibus molestiæ sibi imminere poterant, ubicunque locorum bello persequi; ideo Ser. Rex Svecia declarat, omnino necesse esse, ut tempestive ab Imperio, aut vero domino plenaria, & sufficiens securitas præstetur, quæ cautum omnino erit, ne ex dictis urbibus, locis munitis, & fortalitiis Regis Christ. armis hostile quid inferatur. Quod si ad satisfactionem Regis Christ. præstari non poterit, & ita Regiæ Mti suæ necessarium sit armis hæc præsidia aggredi, tunc neutiquam id pro infractione pacis in Imperio S. R. Mtas Svecia habebit. VIII. Suscepto autem communi isto cum Imperatore, ejusque sociis bello, spondent vicissim sæpe memorati fœderati Reges, se nullam cum dicto Imperatore, ejusque sociis, & adhærentibus pacem, sive inducias esse inituros, nisi cum amborum Regum respective intervention, & consensu, suarum ditionum inclusione, & securitate, simul etiam condigna utriusque satisfactione. IX. Si Rex Catholicus contra pacis Pirenæ tenorem Ordinibus Fœderatis bello se adjunxerit, & Imperator, Electores, Principes, aut aliquis Statuum in Imperio Regi Catholico contra Pacis Westphalicæ genuinum tenorem auxilia sub- 1672.
ministraverit, adeoque securitatem, quam ab Imperio Rex Christ. vigore Instrumenti Pacis sibi promittere debet, per indirectum turbaverit, tunc Ser. Rex Svecia pro ea, qua prospectum conservationi Pacis in Germania cupit, cura Imperatorem, Electores, & Principes ab incepto amicabili debortatione amovere tentabit, & si frustra id fuerit, eo prorsus aget modo, prout in eum conventum casum, cum Imperator, Electores, Principes hostes Regis Christ: per directum juvare voluerint. X. Cum quoque memorato publico fœdere de mutuo auxilio, ac subsidio præstando actum quidquam sit, sed generalibus in terminis, ære visum est in hisce articulis secretis id specialius exprimere, ita nimirum, quod perpensa sumtuum, quibus ad supra memoratam expeditionem Ser. Svecia Rex tenebitur, necessitate, ad hos sublevandos per modum subsidii Rex Christ: singulis annis; numerari curabit Hamburgi absque sumtibus Regis Svecia, ejusque ad id deputato ministro DC M thalerorum Imperialium, quæ summa in duobus terminis, nimirum quibuslibet sex mensibus, & quolibet termino pars dimidia numerabitur, fietque initium solutionis à die supradictæ requisitionis à Rege Christ: factæ, quo dictus exercitus apparere, & in hostem movere cœperit. XI. Quoque facilius, si occasio detur, si in omnem eventum parare, & conventa per articulos superius descriptos disponere Ser. Rex Svecia possit, ineunte æstate hujus præsentis anni 1672. VI M militum ultra præsidia ordinaria in Pomerania, aut Ducatu Bremensi habebit. Promittit autem Rex Christ: à die permutatarum præsentis tractatus ratificationum, se singulis annis, modo & terminis in articulo superiori expressis, ita tamen ut jam statim post ratificationem dimidia pars solvatur, Ser. Regi Svecia ejusve mandatariis, aut ministro Hamburgi solvi curaturum CCCC M thalerorum Imperialium, quæ quidem summa durante hoc tractatu semper continuabitur, sive Christ: æ Mjestas promissa à Ser. Rege Svecia auxilia contra Imperatorem; aliosque Imperii Principes requirere judicaverit, sive urgente eimus necessitate iis uti non statuerit, ita tamen, quod si Ser. Svecia Rex à Rege Christ: requisitus, & præmonitus exercitum sæpe jam memoratum in Germaniam transmittat, tunc eo toto tempore, quo eum sub signis habebit, solvetur tantum supra dicta DC M Imperialium summa annuatim. Si vero ante finem hujus tractatus, reducta in Germania pace, exercitu, & copiis jam tunc in Imperio opus non fuerit, Ser. Regi Svecia à Ser. Rege Christ. solventur, quæ ei, antequam copias, & exercitum in finem supra dictis articulis expressum conscriberet,

1672. beret, & in Germaniam mitteret, promissa fu-
issent. XII. Et cum S. Mtas Christ: non sine
summo animi gaudio pacem in Septentrione of-
ficiis, & mediatione sua jamdudum Hafniensi
tractatu d. 27. Maij 1660. innovatum stabiliori
in dies fundamento innixi videat, Suaqve
Mtas Svecia, qvo sit sincero in colendum cum
Ser. Rege Daniæ omne amicitiæ, & bonæ vici-
nitatis genus animo jam ostendit, hocqve
etiam præsenti tractatu denuo declarare vo-
luerit, nec notæ minus Regi Christ.o Ser. Regis
Daniæ sit mens, & intentio omni fide, & stu-
dio pacem eandem, & amicitiam qvam reli-
giosissime observandi; ideo qvo tam sanctis, &
laudabilibus amborum Regum intentis possit
Rex interventione sua aliqvod robur addere,
hoc præsenti articulo cautionem reciprocam,
seu guarantiam, qva se in supra dicto tractatu
Hafniensi jam dudum obstrinxit, denuo spon-
det, confirmatqve, seqve sponsorem, fidejusso-
rem, vindicemqve pactorum omnium, qvæ in
supra dicto Hafniensi tractatu conventa, &
comprehensa sunt, etiam atqve iterum pro-
mittit. XIII. Qvia autem, si casus in præ-
sentis tractatus articulis supra expressis eve-
nerit, qvod Imperator, aliive ex Imperio Prin-
cipes, licet antea debortati, à submittendo
contra Galliam Fœderatæ Ordinibus auxilio
desistere noluerint, Ser. Rex Sveciæ secundum
hujus tractatus tenorem arma in ipsum Impe-
ratorem, aut Principes movere tenebitur, tum
qvia è re communi videri posset, alios qvos-
cunqve Principes, & Status in societatem bel-
li vocare, Reges tunc fœderati inter se de libe-
rabunt, an etiam Ser. Regem Daniæ ad arma
sumenda invitare, eumqve sibi socium, susce-
pto in Germania bello, si libitum ipsi fuerit, ad-
dere debeant, ita tamen, ut neutri amborum
fœderatorum Sveciæ, & Galliæ Regum liceat
alte memoratum Regem Daniæ in partem di-
cti in Germania belli vocare, sibiqve socium
subministrato aliqvo subsidio adjungere, nisi ex
communi amborum Regum consilio, & consen-
su. XIV. Qvemadmodum etiam Rex Sve-
ciæ pacem sese inter, & Ser. Regem Daniæ reli-
giosissime servaturus est; ita Ser. Rex Christ:
promissam guarantiam, qvæ vigore hujus ar-
ticuli renovabitur, præstabit, adeoqve si Rex
Daniæ præter spem qvidqvam contra Regem,
& Regnum Sveciæ attentaverit, tunc Rex
Christ: post previam interventionem Regi Sve-
ciæ omnibus viribus prompte succurret, pacto-
rumqve conservationem tuebitur juxta genu-
inum, & verum eorum sensum, & prout gua-
rantia confirmata sunt. XV. Qvandoqvi-
dem etiam secreti hi articuli nulla intentione
nocendi DD. Ordinibus Generalibus Fœderati
Belgii, nec alio ullo, qvam tranqvillitatis in
Imperio juxta tenorem pacis Westphalicæ con-
servandæ unico intuitu sancitis sunt; præterea 1672.
etiam Ser. Regi Sveciæ maximopere cordi est,
ut mutua inter Mtem suam, & DD. Ordines
Generales amicitia sarta tectaqve maneat
perpetuo, adeo ut Ser. Sveciæ Rex nihil, qvod eo
pertinere posnerit, ex parte sua sit omissurus;
ideirco sperandum eqvidem, non solum DD. Or-
dines Generales Fœderati Belgii memoratos
articulos in sinistram partem non accepturos,
sed etiam pari cum Ser. Rege Sveciæ promtitu-
dine ad mutuum invicem affectum firmius in
dies corroborandum lubenter ad amicam re-
qvisitionem in id consensuros, ut qvæ mutuæ
amicitiæ, sinceræ, bonaqve correspondentiæ ob-
esse ullo modo possent, removeantur. Ita-
men si præter spem aliter contigerit, & qvod
vel ob fœdus hoc Ser. Regem Sveciæ DD. Ordi-
nes Generales Fœderati Belgii ullo modo lædere
voluerint, vel eo condescendere recusaverint,
ut integra qvoqve Suæ Mti Sveciæ maneat fa-
cultas, qvæ omnibus Regibus libera esse debet,
juribus suis in iis, qvæ ex usu Regnorum ipso-
rum visa fuerint, utendi, tum Ser.us Rex
Christ: promittit pro strictiori, se Ser. Regem
Sveciæ pro rei, & periculi exigentia adjutu-
rum, usqve dum justam, & plenariam obti-
nuerit satisfactionem; se præterea ob commu-
nem Regum causam nullos tractatus cum DD.
Ordinibus Generalibus concluturum, nisi si-
mul de juribus Mti Suæ Sveciæ conservandis,
incedenda potestate circa vectigalia sua, sue-
rumqve subditorum commercia, ac immuni-
tates statuendis, & disponendi prospectum,
datoqve desuper Ser. Regis Chr: guarantia
cautum fuerit. XVI. Durabit autem hoc fœ-
dus, qvantum in specie respicit motus aver-
tendos, qui occasione belli inter Ser. Regem
Christ: & DD. Ordines Generales Fœderati
Belgii excitari in Imperio possint, per tres an-
nos à die, primo hujus tractatus articulo ex-
presso, & omnia ea, qvæ concernunt Pacis
Westphalicæ conservationem, & securitatem,
qvæ ambo Reges Sveciæ, & Galliæ vigore supra
dicta pacis sibi ab ipsis promittere debeant, in
suo vigore semper permanebunt. XVII. Pa-
cta hæc secretiora, qvæ eundem vigorem habe-
bunt, ac si publico fœderi verbotenus inserta
essent, utriusqve Regum Sveciæ, & Galliæ in-
tra tres menses à die subscriptionis ratihabi-
tione confirmentur. Hic Holmiæ die 14. A-
prilis 1672. Claudius Tot, Steno Bielke, Nico-
laus Brahe, Joannes Gyldenstierna; Honora-
tus Courtin. Cæterum tam exitiabilis fœ-
deris non minima culpa penes aulam Vien-
nensem erat, ad qvam missus à Sveciæ Rege
Esaias Pufendorfius omnem lapidem mo-
vebat, qvo fœdus per Basserodium Holmiæ
conclusum Viennæ firmaretur; subinde in-
gereus, ni Cæsar amicitiam Svecicam sibi

Ejus fœderis culpa est penes aulam Viennensem.

1672. adstringat, Gallos eandem occupaturos. Cui responsum: Spem sibi esse, à Svecis solida consilia captum iri, nec eos per momentaneum lucrum à veris Regni sui rationibus abduci se passuros, qvæ in hoc vertantur, ut ad Gallicæ potentiæ incrementa ipsi nil amplius conferant. Qvod si tamen per illecebras pecuniæ Gallicæ à recta via in præceps tendere decreverint, omnia sua promissa, ac pacta inania fore, qvod sua aula circa pecuniam cum Gallis hautqvidqvam paria facere qveat. Et qvia isti pacato tempore reditibus suis haut contenti æs insuper alienum contrahant, probabile videri ab iisdem bellum qværi, qvo inanes loculos iterum impletum iri sperent. Sed & præter solitum ejus aulæ lentorem Lobcovicius Princeps noxiis valde opinionibus imbutus erat, aut saltem aliis persvadere satagebat: Gallum nil infensi contra Germaniam agitare; qvin plane bellum non moturum, sed eminus duntaxat ostentatis armis vicinos inani motu exerciturum. Qvalis agendi modus eidem à ministris inspiretur, velut qvorum autoritas ruitura sit Rege bellis implicito. Eoqve qvæ de Galli destinatis jactentur, magnifica verba esse, re inania; cum Rex juxta ac ministri à bello abhorreant. Neminem non credidisse cum Rex superiore anno tantis cum copiis Dunqvercam iret, eum insigne qvid suscepturum. Eadem ludibria seqventi anno repeti posse. Saltem certo sibi constare, contra Imperium nil susceptum iri. Ac si maxime in Belgas Unitos Galli qvid tentaverint, tam validas iis vires oppositum iri, ut facile aliorum oblivio subitura sit. Eas opiniones Windischgræcius Comes è legatione Gallica redux aluerat, jactans; ibi nec consilia, nec vires, nec pecuniam esse: ac Regi necessum fuisse pecunias maximis usuris mutuo sumere. Eundem otio, ac voluptatibus addictum nil minus qvam arma cordi habere. Cui talia à Victrin Sirio, *Siri.* ac Buissono Abbatibus suggesta fuerant. *Buisson.* Erat qvoqve aliasLobcovicio solitum cantillare, Gallos non esse irritandos; ac eo felicius regnaturum Cæsarem, qvo pauciori-bus se negotiis miscuerit: qvasi Rerumpublicarum securitas sola innocentia stet; aut qvasi non ambitio, aut aliena rapiendi libido qvosdam invitos in bellum pertrahere possit. Qvandoqve idem causabatur; si maxime Gallus seqventi anno Colonien-sem, atqve Monasterien-sem Belgis immittat, Cæsari tamen ad Turcas respiciendum; eoqve aliis negotiis abstinendum. Cum tamen constaret, ipsi Purpuratorum Principi insolitos Galli terra mariqve paratus, qvales nunqvam aliqvis Christianorum Regum fecerit, suspectos haberi. Qvi & Cæsareo ministro Constantinopoli dixerat: Sat Ottomannorum ex altero Germaniæ latere esse; nec opus, ut & ipsi Cæsarem premant. Qvanqvam & prudentes judicabant, Gallum longe periculosiorem hostem, qvam Turcam, habendum. Nam solida Christianorum conjunctione spem esse ab isto erepta posse recuperari. Ast Gallo solertiam esse, Principes etiam qvorum interest ipsius potentiam non augeri, in transversum abducendi, ac per dissidia inter alios disseminata qvæ semel invaserit tuendi. Idem Lobcovius etiam Lotharingum oderat, velut cui semel de Austriaca Domo male merito fides haberi non possit, qvin post factam restitutionem Gallo sese iterum in fraudem Germaniæ innexurus sit. Cæterum circa fœdus Svecicum, ea præcipue difficultas prætexebatur, qvod à Svecis etiam pacis tempore subsidium pecuniarium expeteretur; cum tamen Cæsari ex Imperio nil redeat, eoqve iniqvum sit, huic tutando istum qvidqvam de suo erogare. Ac introducto semel exemplo denceps nec Polonos, nec Germaniæ Principes cum isto fœdus citra subsidia inituros. Id qvod Cæsari molestissimum sit futurum. Hispanos qvoqve suæ pecuniæ admodum tenaces crumenam plane clausuros, ubi animadverterint, Cæsarem ita argento abundare, ut aliis qvoqve subsidia numerare possit. Addebatur; qvia Sveci nolint contra Gallum, & Turcam sese obstringere, qvi soli Cæsaris hostes sint, id fœdus oneri, non usui fore. Ac forte Svecos à Cæsare simul Galloqve pecuniam sumturos, nullo operæ pretio facto. Basserodio qvoqve mandata non fuisse fœdus in has leges concludendi; sed eum tædio cœli Svecici tractatum utcunqve deproperasse, quo discedendi facultas fieret. Erant contra qvi negabant, opus fuisse pecuniæ defectum à Cæsareis obtendi, si qva par sit fide Cæsaris reditus administrarentur, nec nimia hujus indulgentia pravorum ministrorum rapacitatem aleret; qvi & eidem ingesserant, indignum esse ipsius majestate, ad rem qvoqve pecuniariam curam demittere. Alii vitium aulæ Viennensis arguebant, qvod nil ultro ac liberali animo, sed tunc demum, ubi necessitas urgeret, facere soleret. Et cum Cæsar generoso animo sit, Galli exemplo aliqvando in largitiones qvid erogandum, per qvas vel centuplo majores impensæ compendifieri qveant. Ast revera Lobcovicius ita agebat, ut non aliter judicari posset, qvam eum cum Gallo colludere. Saue is eodem 1672.

tem-

1672. tempore, cum objiceretur, Cæsarem nullo fœdere fultum destitui, responderat: eadem Cæsari inutilia, qvod pleriqve non possint, alii nolint qvid opis ferre. In omnem tamen eventum Cæsari meliorem, & certiorem amicum, qvam Gallum haut esse. Nec dubium habebatur, qvin idem cum Gallo, atqve Bavaro secreta commercia aleret, qvod de Cæsaris sobole, ac longævitate desperasset. Qvo extincto Coronam Cæsaream, ac ditiones Austriacas in Bavarum transferendas, à qvo Principatum unum & alterum in Silesia sibi stipulaturus erat, aliis qvoqve proceribus insignia emolumenta sortituris. Hermanus qvoqve Badensis Marchio palam dicebat: Lobcovicium proditorem esse, etsi forte non tam ob privatas utilitates, qvam qvia tam falsis sententiis imbutus sit. Inter qvas & hæc erat: dum Galli, & Belgæ vires suas inter se certando atterunt, Germaniam qviete gavisuram. Eundem & Gremonvillio omnia suggerere, qvæ hic apud Cæsarem proponere debeat. Cui & Secretarius erat Florentinus natione, qvi Gremonvillio omnia arcana communicabat. Cui flagitio ipse Lobcovicius ansam præbuerat, dum omnium schedarum, à Cæsare sibi Italica lingva transmitti solitarum exempla per istum in peculiarem librum referri curat. Cæterum post cum de fœdere inter Svecos, & Gallos Viennam allatum esset, Cæsarei qvidem agnoscebant, super fœdere cum Svecis sinestre à se actum: hisce tamen ejus fœderis pœnitentiam subituram. Hispanos pecunias è triplici fœdere male prodegisse, qvas solvi Gallelloro dericus, Lisola, & alii pervicerint, Pegneranda & aliis contradicentibus. Et Svecos hoc facto fidem apud Germanos plane decoxisse; qvi & licet forte Viennæ non ut par fuerit, habiti sint, proprias contra rationes egerint; cum Gallo decretum sit hoc bello Protestantium sacra subruere, qvo prætexto is gratiam Pontificis sibi conciliatum ibat. Ac eodem prætexto Gremonvillius qvosdam Viennæ Sacerdotes sibi adjunxerat, confirmans Anglum qvoqve Romanos ritus, qveis secreto sit addictus, palam professurum; cui vicissim Gallus opem laturus sit, ut in Anglia solutum legibus imperium invadere qveat.

Considerationes circa id fœdus.

§. 36. In isthoc autem fœdere Gallos inter, & Svecos inito id cumprimis scrupulum injiciebat, qvod guarantia, qvam Gallia, & Svecia sibi invicem debebant, eousqve porrigeretur, ut si qvis ex Imperio Belgis assistat, Sveci, ubi monendo & rationes ingerendo nil profectum fuerit, cum armis qvoqve coërciturі essent. Qvanqvam omnes Senatores, excepto Gardio, qvi id in medio relinqvebat, Brandio confirmarent, ultra verba non procedendum, ac protinus interpositionem simul suscipiendam. Nec minus notandum erat, qvod ea guarantia etiam Galliæ socii frui deberent, qvi contra Imperium nihil tentarint; per qvos Colonienſi, ac Monasterienſi caveri patebat. Deniqve qvod Sveci declararent; si Gallo non caveatur, è locis Imperii Belgarum prælidio infestis nil damni eidem illatum iri, pro infractione pacis Germanicæ se haut habituros, si Gallus ea loca expugnet. Qvanqvam autem in præsens ex eo fœdere Galliæ parum roboris accessurum erat; tamen sufficiebat, per id conjunctionem cum Austriacis interruptam; nec parum sibi obtinuisse visus erat Gardi9, Rege semel Galliæ rationibus implicito, ac Gallicæ pecuniæ dulcedine imbuendo. Unde qvanqvam hac æstate à Svecia nil metuendum erat; proximo tamen anno, & post conventum Ordinum probe observandum erat, utra factionum recentem imperandi Regem in sententiam suam pertractura esset. Hareno inde responsum dabatur ambiguum, & nullo sensu: *Dolere Svecia, bellum inter Gallum, & Belgas surrecturum: officium suum componendo dissidio in promtu fore: oblatum fœdus & subsidia acceptari non potuisse; auxilia qvatuor millium ex fœdere à se mittenda, si Gallus aggressor convinci possit.*

1672.

Declaratio Brandio data. 26. April.

§. 37. Ad extremum Brandio responsum scripto dabatur in hunc sensum: *A Rege luculentum amicitiæ specimen haberi, qvod Elector super præsentis temporis periculis curam suam ita candide significarit, & qvæ pro bono publico consilia capessere constituerit. Qvæ Regi eo gratiora fuerint, qvo magis suæ sententiæ qvadrent, ac efficacissima videantur ad surgens in vicinia incendium finibus Germaniæ arcendum. Eodem qvoqve fine Regem utriqve partium officium suum oblatum ire non sine spe æqve felicis, uti proximo bello, successus. Ac Regi gratum fore, si Elector, & alii, qvos boni publici cura tangat, isti operi manum simul admovere instituant. Ad servandam Germaniæ qvietem, Regi in præsens haut promtius remedium visum, qvam Gallum, cujus vires, ac destinata Germaniæ maxime suspecta sint, vinculo pacti adservandam pacem Westphalicam adstringere, ac cavere, ne Imperio ab ejus armis infesti qvid metuendum sit: qvod pactum Rex per Hermannum Wolfradum communicaturus sit. Ejus virtute Regem stringi ad tutandam Germaniæ qvietem, qvo sine arma in provinciis*

1672. *Germanicis in promtu habenda; qvod & Electoris institutum sit. Cupere qvoqve Regem cum Cesare, Electore, & aliis Principibus peculiari fœdere jungi, prout id communi paci expedire judicabitur; qvo omne periculum exterius ingruens junctis consiliis, & viribus reprimatur, simul qvi per ausa, Instrumento Pacis, & legibus Imperii adversa, turbas internas excitare, aut externas in Germaniam pertrahere instituant, compescantur. Super Poloniæ turbis Regem cum Electore communicaturum, ubi plenius de iis edoctus fuerit. Super multitudine Principum Catholicorum itidem consilia conjuncturum, ne ista Protestantibus fraudi cedat.* Tradebatur post interpretatio qvorundam locorum in fœdere cum Gallia inito, qvæ Ordinibus Imperii scrupuli qvid possent injicere. Ac primo, *ne hostibus Galliæ extra Germaniam adsistatur utiqve Instrumento Pacis congruum, qvo conventum sit, ne alter alterius hostes præsentes, aut futuros ullo unqvam titulo, vel prætextu, vel ullius controversiæ, bellive ratione contra alterum armis, pecunia, milite, commeatu, aliterve juvet. Unde Regem, aliosqve Imperii Status, qvà amica monita non pertingunt, junctis viribus ejusmodi pacis violationem impedire teneri; simul præcavere, ne qvi hoc illicito modo è Germania Gallum alibi impetitum eunt, per hujus copias in sua repellantur, sede belli intra Imperii fines devoluta. Eoqve Cæsari juxta, ac Ordinibus omni ope connitendum, ne per unius, aut alterius ausa Germania manifesto periculo exponatur, ac cuiqve necessum sit juxta dicta a Pacis alienis negotiis abstinere. Eqvidem posse ista Instrumenti verba intelligi de hostibus aggressoribus; qvo sensu ea tunc demum Gallo profutura sint, ubi is ab altero invadatur, non si ipse aliis ultro bellum faciat; ubi hi se se tutandi, ac fœderatorum suorum auxilio adversus aggressorem utendi jus nullo modo adimi qveat. Qvam interpretationem & Rex probet, cui non sit animus Ordinum jura cum exteris fœdera contrahendi, & auxilia dandi, accipiendiqve turbare. Sed qvia non statim aggressor habendus, qvi primus arma infert, sed is potius, qvi injuriis, gravibusqve offensis alteri legitimæ ultionis necessitatem imponit; ac vero nondum ad liqvidum sit deductum, in utra parte belli hujus præcipua causa hæreat; nec ullus Ordinum sibi soli absqve totius Imperii, & paciscentium Regum consensu arbitrium arrogare possit definiendi, uter istorum aggressor sit; id qvod tamen revera facturus sit, qvi ex defensivo aliqvo fœdere Gallus, aut Belgis auxilia latum iret: igitur ante omnia arduam hancce qvæstionem è regulis justi, ac honesti decidendam. Qvæ decisio autem non melius fieri qveat, qvam si illi qvorum interest operam suam Regi focient ad incendium intra primordia restingvendum; aut comperto penes qvem aggressionis ipsa hæreat, ea decernant, ad qvæ per fœdera tenentur, aut qvod servande vel instaurande qvieti publicæ profuturum judicarint. Interim qvoad super origine hujus dissidii Rex penitius edoctus fuerit, cum claris verbis Instrumenti inhærere, ac omnes ea pace comprehensos hortari, ut ipsius exemplum secuti, per præcipitata consilia sibi calamitatem, vicinis periculum ne attrahant.*

Fœderis Gallici interpretatio. 21. Maij.

Monebatur qvoqve articulo secundo secreti fœderis per Galliæ *socios* haut intelligi qvosvis extraneos Westphalicæ pacis haut participes, aut qvi occasione hujus belli turbas in Imperio moveant; sed eos duntaxat, qvi juxta leges dictæ pacis, non autem contra easdem Galliæ auxilium ferant. Denique circa oppida ad Rhenum Belgarum præsidio infesta addebatur; a Gallo per belli rationes postulari non posse, ni ultro velit, ut ista intacta prætereat, ac in iis hærenti hosti ansam præbeat ipsum a tergo intercepta subvectione, incursionibus, & per alia hostilia infestandi. Eundem qvoqve per jus gentium sibi fas ducere hostem persequi, ubi inveniri possit, qvousqve ipsi adversus eum non caveatur. Unde Regem non potuisse, qvin in articulum tertium consentiret. Jam igitur penes Imperium esse, ac præcipue eos Electores, & Principes, ad qvos ea oppida spectant, una cum Rege rationem inire, qvomodo Gallo circa ista oppida, ac inde critura hostilia caveri qveat, ne ex eo latere belli incendium Germaniam corripiat.

1672.

§. 38. Paulo post ubi de Electoris cum Belgis fœdere innotesceret, Steno Bielkius, & Joannes Gyldenstierna svadebant, ut Brandius scripto id Regi significaret; ac Electoris mentem duntaxat esse Colonienſem, & Monasterienſem coërcere, ne bello se ingerant Germaniam qvoqve turbaturo. Hoc enim obtentu se posse Curtini qverimonias amoliri: ac si maxime dicis causa Electorem dehortentur, serio rem a se non agi. Lecto Brandii scripto Gardius fatebatur, si Elector tantum Colonienſi, ac Monasterienſi hostem se ferat, non Gallo, hunc a Svecia præstationem fœderis postulare haut posse. Qvanqvam svadebat, Electorem tutissime facturum, si adhuc tese reprimat. Totius qvoqve agnoscebat, hoc modo articulum, qvi de sociis loqvitur, in Colonienſem, & Monasterienſem qvadrare haut posse, velut turbida, & qvieti, atqve securitati Germaniæ adversa ausos. Addebat

Svecorum de Electoris fœdere cum Belgis sententia. 24. Maij.

1672. bat Joannes Gyldenſtierna; ſi Electori Monaſterienſem invadere placeat, eo prætexto iſtum uti poſſe, qvod per evictionem pacis Clivenſis ad id teneatur. Ad libellum tamen ſcripto reſpondere abnuebant Sveci, ſed tantum differebant; Regi gratiſſimum eſſe, qvod Elector & iſtud communicare voluerit. Ipſi contra ſecreti fœderis copiam facere abnuebant, cauſati, datam explicationem ſufficere. Revera qvia Curtinus noluerat; ut publico fœdere per Germaniam vulgato eo ampliora de ſecreto crederentur. Qvod autem ad Brandii ſcriptum Sveci non reſponderent, cauſa erat; qvia Brandius Svecici fœderis verba ad Colonienſis, ac Monaſterienſis auſa accommodaverat, velut circa hæc Regis, & Electoris eadem foret ſententia. Unde in Senatu conveniri non poterat, qvomodo Brandio appoſite reſponderi poſſet, ut hinc Imperio, inde Gallo offenſæ cauſa ne præberetur. Qvia autem poſt abſolutum iſtud fœdus ſuper tranſportatione copiarum in Germaniam nihil audiebatur, è Svecia tunc nil metuendum videbatur. In futurum tamen ad motus ejusdem animus advertendus erat, qvod id fœdus in Germania qvid movere cupientibus ſat prætexti ſuppeditare poſſit.

laturus ſit ad commune bonum facientia. Si qvi ſcrupuli in fœdere occurrant, eos ſe amoturum. Ad ea Sverinus: *Eandem Electori mentem eſſe è rationibus, & actis ejus ſatis colligi poſſe. Spem fuiſſe bellum Galli in Belgas amicorum interventu averti potuiſſe, inqve ea re Svecia Regem Electori operam ſociaturum. Hunc credidiſſe, antequam de fœdere hoc inaudiſſet, Gallo nil cauſæ fuiſſe tali modo ſibi cavere, velut pax ab Imperio in ipſum violanda ſit, ut qui in Germania præter Alſatiam nil poſſideat, cui à nemine periculum immineat.* Wolfradus contra: *Regi etiam poſt ictum fœdus non aliam mentem eſſe, qvam ſurgens bellum reſtinguere, eoqve partibus jam officium ſuum obtuliſſe. Ac uti id bellum inter Status Svecia fœderatos exiſtat, ita & iſtum hos velut communes amicos ad pacem hortaturum, modo prius conſtet, qvis pro aggreſſore ſit habendus, & in injuria verſetur, ut is adſtringi poſſit ad æqvas pacis leges admittendas. Optandum eidem omnes ſuos in Germania amicos, ac inprimis Electorem geminare conſilia agitare, ac ſuper iis cum Rege fideliter communicare velle inveſtigandis remediis, bono rei Evangelicæ, ac pacis inſervientibus. Eadem ſe Cæſari inſinuaſſe, cui ante omnia incumbat providere, ne Germania præter neceſſitatem turbis involvatur; qvem & Elector ſuo conſilio ſit firmaturus. Eum in finem Regi in animo eſſe, cum Cæſare, & aliis Imperii Ordinibus propius ſe conjungere. Colonienſis, ac Monaſterienſis auſa Regi diſplicere, qvi nec intercedere velit, qvo minus Cæſar, aliiqve iſtos moneant talibus abſiſtere, ni ultro ad qvietem ſe componant. Belgis auxilia ſubmitti eo nomine Regi parum gratum fore, ne Gallo occaſio naſcatur ingruentes in ſua repellendi, ac ſedem belli in Germania figendi. Denique metuere Regem, ne urbes Clivicæ anſam præbeant pacis in Germania violandæ, ubi vi oppugnentur. Ac tamen militem Belgicum iſtas inſidentem prætextum præbere eisdem invadendi. Arbitrari tamen Regem à Gallo obtineri poſſe, ſi modo Imperium, & præcipue Elector idonee cavere poſſit, ex iis Gallo nil moleſtiæ illatum iri, ut eas intactas ſinat. Qvam in rem iſte omnem operam collaturus ſit, ſi intelligat, qva ratione id commode effici qveat. Super qva re Electorem cum Cæſare, ac Belgis conſultare poſſe.*

Fœdere Galli cum Electori communicant. 11. Maij.

§. 39. Interea Sveciæ Rex miſſo Berolinum Hermanno Wolfrado exponebat, uti ipſe neceſſarium judicarit hac tempeſtate ſuper remediis ſervandæ paci cogitare, ſimul teſtari, qvantopere ſibi cordi ſit amicitiam cum Electore excolere, communicato qvoqve fœdere cum Gallis recens inito, num qvæ dubia occurrant, qvorum illuſtratio deſideretur, qvam ipſe dare juſſus ſit. Privato congreſſu iſte differebat: *Regi nil carius eſſe incolumitate rei Evangelicæ, & qvietе Germaniæ. Eam qvoqve in præſens curam ſolicitare, ut ſurgens in vicinia incendium mature opprimatur, antequam latius ſe diffundat. Ut porro tranqvillus Germaniæ ſtatus pace Weſtphalica conſtitutus ſervetur, haut præſentius remedium viſum, qvam Gallum, de cujus viribus, atqve vaſtis deſtinatis adverſus Germaniam, & res Proteſtantium tam multa jactentur, eo adſtringere, ut de non turbando in Germania fidem daret. Qvi & declararit, qvamdiu è Germania non laceſſatur, pacis Weſtphalicæ leges ſervare ſibi cordi fore. Viciſſim tamen eundem poſtuluſſe, ut & ſuæ ſecuritati adverſus Imperium caveretur. Eo ſine Regem defenſivum fœdus cum iſto iniiſſe, cujus copiam omnibus amicis, ac præcipue Electori facere voluerit; nec dubitare, qvin hic id probaturus, ſimul omnia cul-*

I.

Fœdere, qvod communicatum fuerat ex- 24. Maij.
cuſſo aliqvot qvæſtiones Wolfrado proponebantur. Articulo IV. Reges ſe mutuo obſtrinxiſſe, turbatoribus pacis in Imperio nil auxilii præſtare. Cum autem Colonienſis, ac Monaſterienſis talia ſuſceperint, ex qvibus ſine dubio turbæ orituræ ſint, laceſſita vicina Rep. Imperio amica, cui jure gentium

1672. tium fas sit bellum in istorum ditiones revolvere, vicinis qvoqve molestiam pariturum: nosse Electorem velle, num Rex hisce auxilium laturus sit, si Imperium, aut proximi Circuli, aut ex his Princeps qvispiam istorum perniciosa ausa impedire instituat?

2. Num articuli qvarti iste crudus sensus sit, ne qvis citra exceptionem Belgis auxilium ferat? Sane eam Regi mentem esse, Electorem sibi persvadere haut posse, qvod id repugnet juri fœderum, Ordinibus competenti; ex qvo demum consecuturum sit, nulli Ordinum fas esse vicino auxilium ferre, aut ab eo recipere.

3. Articulo IV. non exprimi, num illi qvoqve hostes sint intelligendi, qvi à Regibus invadantur, utut nil nisi pacem cupiant, & æqvam satisfactionem, si justa eam exigendi causa sit, offerunt.

4. Num idem articulus eo qvoqve porrigendus sit, ne qvis Ordinum per idonea remedia prohibeat, ab alio ipsius ditionibus per stativa, transitus, & similia proprio ausu suscepta molestiam exhiberi? Nam Electorem judicare, talia arcere non modo per Instrumentum Pacis, sed & jure gentium licita esse.

5. Qvia etiam articulo V. & VI. conservatio pacis fundamentum fœderi substernitur, an non Regis mens sit, ut idem contra Colonienſem, Monasteriensem, & alios exteros valeat, qvi copiis in Germaniam adductis ejus qvietem, ac securitatem non parum turbent; aut qvem alium fructum Germania ex eo fœdere expectare debeat?

6. Articulo VII, & VIII talia contineri, qvæ Cæsarem, & universos Ordines spectent, super qvibus ab Electore ad istos referendum sit.

7. Circa articulum XVII Electorem judicare, eo tempore, qvo fœdus conclusum sit, Gallum nondum fassum, se exercitus suos intra fines Imperii adducturum, & ex eo Belgas infestaturum. Alias enim, qvæ ibi disponuntur, cum isto instituto, ac Præsulum conatibus non qvadrare.

8. Denique an Articulus XVIII, *si qvis alienis negotiis ad Imperium non pertinentibus sese immiscuerit*, eo porrigendus sit, ut si qvispiam Imperii Princeps suas ditiones extraneo milite inundari videat, majorum malorum metum incutiente, ac demum isti vim opponat, ac sociis suis ex fœdere auxilia ferat, num is alienis sese rebus ingessisse sit censendus? Ista cum altioris indaginis viderentur, Wolfradus spatium petebat mandata sua inspiciendi. Interim super causa, & occasione ejus fœderis differebat. *Regem solicite circumspexisse remedia, per qvæ pax Germaniæ bono Protestantium, & præstandæ Ordinibus securitati inconcussa servari posset, ne inter hæc periculosa tempora qvid in ejus fraudem strueretur. Nec minus Regi* 1672. *in proprii Regni salutem tempestate, varios motus minitante, aliorum amicitiam, & societatem fuisse qværendam, qvo non solum ab eo latere, unde periculi suspicio erat, in tuto se collocaret, sed & valido auxilio fulciretur, si forte qvis opportunitate ad noxam Sveciæ inferendam uti auderet. Amicos porro vel affectandos fuisse, vel ultro se offerentes amplectendos. Regi autem Austriaca Domus conjunctionem quæsitam, testari fœdus cum Basseredio initum, qvod Cæsar non nisi mutilum, nec sine contumelia Sveciæ ratum habuerit: unde id vado adhæsisse, nec Viennæ certi qvid decretum, utut eam rem per ministrum ibi suum Rex diligenter egerit. Idem testari triplex fœdus, & studium circa pacem Aqvisgranensem. Contra Hispanos tempus incassum extraxisse, nunc Londini interventu Regis Angliæ, nunc Hamburgi, nunc Holmiæ misso Nuntio Comite tractatum minatos. Qvibus inanibus sibi illusum indicio esse, qvod Nuntio nunqvam justum procuratorium fuerit, nec idem cavere potuerit, id sibi missum iri. Eosdem qvoqve admodum tenaces fuisse circa numeranda subsidia qvæ Angli, & Belgæ ipsis stipulati fuerant; cum tamen exercitus, qvem Rex in provincia sua aluerit promovendæ paci Aqvisgranensi, longe pluris constiterit. Peculiaria fœdera cum uno, & altero ex Ordinibus Imperii ad scopum solidæ securitatis haut sufficisse. Igitur ad eorum amicitiam converti necessum fuisse, qvi eam ultro obtulerint, postqvam eorum rationes, qvantum Sveciæ rebus congruant, examinatæ fuerint. Eqvidem Belgas post compositas, qvæ olim cum ipsis Sveciæ fuerant, controversias arctius fœdus, simul pecunias sustentando exercitui obtulisse. Ast cum id factum esset, cum jam Gallus, & Anglus bellum iisdem indixissent, id admitti non potuisse, qvin cum utroqve Rege bellum sumeretur. Eos Sveciam qvoqve in societatem belli pertrahere laborasse, sed ea repudiata ad extremum consultum visum, cum Gallo id fœdus defensivum servandæ securitati Germaniæ, ac paci VVestphalicæ concludere. Qvo Rex impedire studuerit, ne Gallus, cujus arma in præsens tantam suspicionem excitent, in ejus pacis fraudem qvid aggrediatur. Sane è multis ab isto hactenus suscepti, Pacis Instrumento parum qvadrantibus, haut frustra metui, ne is data occasione plura audeat. Unde necessarium visum, novo istum vinculo ad observandam pacem adstringere, simul vasta ejusdem destinata, qvæ Germaniam spectare possint, certis limitibus cœrcere. Ac stare sententiam Regi, si Gallus contra fidem hoc fœdere datam Germaniæ qvietem turbet, se primum fore, qvi arma ei oppositurus sit.*

Qvo

1672. *Qvo fine cum Cæsare, & Ordinibus patriæ amantibus fœdera, qvæ ipsi desiderent, initurum, ac peculiariter cum Protestantibus, si sacra hoc bello peti adpareat. Qvanqvam tale qvid haut metuendum videatur, qvod Cæsar, & Hispani Belgarum partibus faveant, & Anglus Gallo innexus sit. Unde prætextum circa sacra tantum utrinqve adhiberi ad plures in societatem pertrahendos. Cæterum Regis mentem non esse, Galli destinata toti prope Europæ formidanda firmare, aut eorum, qvi per istum impugnantur, defensionem impedire. Qvin cordi esse erumpentem belli flammam qvantum possit restingvere, partibus officium offerre, simul arma parare, ut si intellectũ fuerit, penes utram partem aggressionis culpa hæreat, læso satisfiat, & qvi æqvam pacem abnuerit, armis compellatur.*

1. Post & ad propositas qvæstiones idem respondebat. Regem cum is articulus conciperetur, de Coloniensis, & Monasteriensis conatibus nil audiisse. Sed post iis perceptis Cæsari, ac amicis suis in Germania significasse; si Præsules isti, aut qvis alius in Galli favorem turbas Instrumento Pacis adversas in Imperio, aut extra movere audeat; ac Cæsar juxta leges publicas eosdem, qva amica monita non pertingunt, armis per se, aut alios Imperii Ordines coërcere instituat; Regi id non displiciturum, nec id velut paci Westphalicæ adversum habiturum. Qvi & articulum IV fœderis, & qvi ex eo formari possint casus ad normam Instrumenti Pacis utiqve intelligi velit. Uti Rex nunqvam ansam præbiturus sit infringendis Ordinum juribus, & Imperii legibus: ita censere, super auxilio Belgis ferendo seqvendam Instrumenti Pacis dispositionem; ne qvi è Germania Gallos invasum veniunt, non repugnante jure gentium in sua retro pellantur, periculoso incendio in Germaniam attracto. Non tamen Regem intercedere, qvo minus Belgis auxilia ferantur adversus hostes pace Westphalica haut comprehensos. Qvia verba Instrumenti Pacis discrimen inter aggressores, & eos, qvi invaduntur, haut facit, nec id isto articulo potuisse exprimi. Alias qvis aggressor sit, haut definiri posse, nisi causa prius curate excussa. Non enim statim aggressorem esse, qvi primus arma movet, sed & qvi injuriis alteri armorum arripiendorum necessitatem adfert. Aggressoribus assistere perinde esse, ac bello aliqvem petere. Id autem primo articulo pacis vetitum. Inde seqventi paragrapho amplius qvid vetitum, nempe, ne aliis qvoqve hostibus adsistatur, qvacunqve de causa bellum cum iis ortum sit. Sed nec inter gentes receptum, ut tertius judicet, cum alter sufficientes belli causas habuerit, sed circa justitiam partes haberi pro æqvalibus. Unde ex tali interpretatione non nisi elusiones fœderum, ac nova bella oriri posse. Igitur satius esse simpliciter seqvi, qvod JCti tradunt: *Hostes esse, qvi nobis, aut qvibus nos bellum decrevimus.* Expresse qvoqve conventum, ut Ordines possint Hispanis auxilium ferre; igitur non aliis. Jure fœderum hanc exceptionem additam, ne sint contra hanc pacificationem. Deniqve ne qva mala inde provenire qveant, amica interpositione caveri posse. Unde & Regem utriqve parti officium oblaturum, ubi brevi sit adpariturum, penes qvem culpa belli sit, qvo idem junctis viribus compelli qveat, ut ex æqvo cum altera parte transigat. Super transitibus Regem censere, eos cuiqve permissos esse. Alias leges Imperii, & Instrumentum Pacis ita perspicuum esse, ut de Rege præsumi neqveat, velut aliqvid istis adversum statuere voluerit. Si Præsules, aliivè exteri contra leges pacis Westphalicæ in solo Imperii exercitus habeant, iisqve Imperium inqvietent, propositum fœdus utiqve adversus eosdem valere. Ut ad Cæsarem, & reliqvos Ordines referatur, Regem facile ferre posse, qvod fœdere nil contineatur, nisi de qvo jam Instrumento Pacis sit dispositum. Num Rex, qvando XVII articulus fœderis concipiebatur, super Galli destinatis, aut Præsulum aulis edoctus fuerit, & qvousqve ista Instrumento Pacis repugnent, sibi haut constare. Jussu tamen Regis confirmare, si Gallus, aut qvis alius qvietem Germaniæ turbet, aut alias in fraudem rei Evangelicæ tendentia suscipiat, Regi & facultatem esse, & voluntatem id pro viribus impediendi; qvo fine etiam cum omnibus patriæ amantibus sese sit conjuncturus. Demum si qvis Principum suam ditionem alieno milite inundari, ac extrema sibi intentari videat, ei per naturalem rationem injungi, ut defensioni suæ invigilet; nec eundem argui posse, qvod alieno se negotio immisceat. Sed auxilia fœderatis præstanda ad normam Instrumenti Pacis prius exigenda, ac solide inqvirendum, uter aggressionis culpa sit onerandus. Ad ista reponebatur: *Electorem super causis, qvæ Regem ad id fœdus ineundum moverint, haut scrupulose inqvisiturum. Sperare tamen eum per Brandium monita observaturum; simul rogare, ut qvemadmodum Sveciæ interest Germaniæ pacem constare, Instrumentum Westphalicum sinistra interpretatione ne detorqveri, ac æqvilibrium orbi Christiano tam necessarium servari: ita*

1672.

4.

5.

6.

7.

8.

17. Maii.

1672. *& ulterius omnia consilia ad bellum sopiendum referat, nec ejus autores obfirmet, nec illos impediat, qui id negotium unice pacis causa amplectuntur. Eqvidem non dubitare Electorem, qvin Regi animus fuerit pacem Germaniæ juxta, ac rem Protestantium sartam tectam præstare. Sed unam cladem ita summam rerum immutare posse, ut post sero ab isto medicina sit adferenda; qvæ cura haut frustra omnes Evangelicos exerceat. Adversus qvam parum solatii sit, qvod Anglus Gallo societur; Cæsar, & Hispani Belgis faveant. Optasse, ut ea circa proposita dubia disputienda longius progredi potuerit. Adextremum petere, ita Rex in hoc negotio se gerat, uti id parta Sveciæ gloria, ac genuinæ ejus rationes requirant: utqve sibi amicitia istius, & auxilium ex fœdere debitum persistat.* Enimvero neqve Cæsari, nec Electori satisfacere poterat interpretatio loci è pace Monasterienſi, qvæ in Svecorum cum Gallis fœdere posita erat. Nam si iste paragraphus ad scopum contrahentium, ac indolem fœderum defensivorum, qvæ Ordinibus Imperii reservantur, examinandus sit, unice eundem ita intelligendum, ut universum Imperium hostibus Galliæ, nempe qvi hanc armis aggrediantur, adsistere non debeat. Aut si ea verba laxe in favorem Galliæ porrigenda sint, eos qvoqve sub hostibus Galliæ intelligendos, qvi huic tantum injuriarum intulerint, ut has per arma ulciscendi necessitas eidem allata sit. Ast si dicto loco per hostes Galliæ omnes intelligi debeant, qvos Gallus subjugare; eoqve fine hostes declarare, ac bello petere instituit; id communi rationi repugnare, qvæ in omni tractatuum interpretatione pro norma habenda sit. Ac nunqvam præsumi posse aliqvem promisisse, qvod omnes suos vicinos deglutiri otiosus spectare, eoqve viam ad sui qvoqve exitium munire velit. Repugnare id adversa fronte rationibus Germaniæ, qvin ipsius Sveciæ. Nam si aliqvando Svecus cum Gallo bello collidatur; inde secuturum, Ordinibus qvoqve fas non fore isti contra hunc adsistere. Competere qvoqve Ordinibus jus fœderum cum exceptione duntaxat Cæsaris, ac Imperii. Atqvi fieri posse, ut qvibusdam Ordinum fœdera cum Belgis intercesserint diu ante, qvam de hoc bello innotuerit, è qvibus isti emolumenta perceperint. Unde iniqvum esse, eosdem prohiberi per istam interpretationem qvæ acceperint redhostire. Qvin si maxime per imprudentiam in aliqvid consensum sit, qvod per alterum eousqve porrigatur, ut nobis exitium inde proventurum sit; ad id, ubi error adparuerit, nos non amplius teneri; cum fœdera & qvævis pacta ob salutem, non ob perniciem Reipublicæ inventa sint. Cæterum Viennæ pleriqve circa fœdus istud judicabant, per id vasta Galli destinata contra Belgas, inde contra Austriacos fulciri, ac Svecis ex eodem occasionem qværi Germaniam turbandi, ejusqve præda se locupletandi, postqvam unicum hujus propugnaculum eversum sit. Contra Lobcovicius Svecorum intentionem probabat; qvod non protinus ad arma decurrendum, sed concordia prius amica ratione tentanda sit. Moguntinus qvoqve minister dicebat; hero suo videri malum exasperandum, si statim ferrum stringatur, ac sine dubio bellum in Germaniam ea via pertractum iri. Sed multi ex hoc fœdere colligebant, Germaniam salvam esse non posse, nisi Sveci ac Galli simul, vel alterutri horum Germania eliminentur: & qvia à debilioribus initium fieri soleat, Svecicas provincias primum recuperandas. Sed & non admittebantur Svecorum ratiocinia Viennæ contendentium, inter hostilia non referendum, à Gallo Clivicas urbes Belgico milite insessas occupari. Nam jure gentium Gallo permissum esse hostem qværere, ubi inveniatur: nec cum ratione à Gallo postulari posse, ut ea loca à tergo relinqvat, ni Elector caveat, ex iis nil damni ipsi inferendum. Ast contra ostendebatur, eas urbes obsideri non posse sine vastatione Cliviæ, in qvam Belgis nil juris sit. Nec Gallum ab Electore transitum petiisse, sed suo arbitrio sumtisse; qvasi qvis operam teneatur conferre, ut Gallus vicinum opprimat, qvem incolumem esse Germaniæ tantopere interfit, & qvo cadente totum id latus nudetur. Sed & ferri non posse, à Colonienſi, & Monasterienſi bellum susceptum contra leges publicas, qvod Germaniam qvoqve involuturum sit, si Belgæ invasoribus paria reponant. Nam si ipse Cæsar per legem Regiam offensivum bellum movere non possit insciis Ordinibus, ac Instrumento Pacis cautum sit, ut Ordinum autoritas in Comitiis declarata accedat; multo minus Principi alicui id permissum; & si qvispiam tale qvid audeat, Cæsari utiqve fas esse id malum in herba opprimere. Cæsarem qvoqve Gallum, Moguntinum, Trevirenſem, Colonienſem, Brandenburgicum, Neoburgicum, ac Luneburgicos pacem Clivenſem præstandam suscepisse cum obligatione arma contra violatores arripiendi. Nunc autem Monasterienſem Belgis bellum indicere ex vetustis, ac jam abolitis causis, nulla in antecessum significatione Cæsari facta,

§ Gaudent.

1672.

1672. facta, nec ut injuriæ, si qva illata sit, reparatio qvæsita fuerit.

Cum Daniæ Rege consilium confertur 7. Sept. 71.

§. 40. Nec minus Electori curæ fuerat ea rerum facie Daniæ inclinationem nosse ob magni momenti rationes, qvæ ipsi eo cum Regno intercedunt. Igitur missus ad Christianum V. Regem Blumenthalius, ut ei super transactione in causa Oldenburgica cum Plœnensi Duce gratularetur, simul officium Electoris offerret, si qvid inter Regem, ac Ducem Gottorpiensem componendum restaret. Sed ut præcipue exponeret, Electorem magno cum gaudio percepisse, à Rege hactenus omnia consilia ad conservandam pacem relata. Qvod cum & isti sedeat, cum ipso pressius expendere velle, qvomodo id obtineri qveat motibus, qvi imminere videantur, compressis. Nemini qvippe ignotum, qvid dissidiorum inter Gallum ac Belgas glisçat, utrinqve summa vi arma parantes. Super qvibus cumprimis sententiam Regis nosse cupere, ut si ista componi neqveant, saltem Germaniæ, & vicinorum qvietem ne abrumpant. Electorem hactenus neutri se partium innectere voluisse. Num & Regi omnia adhuc sint integra; in utram is partem inclinet, an orto bello medium se sit gesturus? Deniqve num ipsi amicitia cum Svecia constet? Blumenthalio Hafniam delato super cerimoniis controversia surgebat, qvod Rex decretum condidisset, ut ablegati extraordinarii bijugis duntaxat ad audientiam per magistrum officiorum adducerentur, ac ante pontem arcis curru descenderent; id qvod antea secus fuerat. Ac ferebant Dani, modo is *Deputati extraordinarii* dignationem gereret, vetere ritu excipiendum fuisse, qvod hujus gradus apud se ablegato extraordinario potior habeatur. Admittebat id genus receptionis Blumenthalius ea lege, ut in universum omnes ablegati Regii extraordinarii haut alio modo haberentur. Enimvero eam honoris antea exhibiti imminutionem ægerrime ferebat Elector, eoqve Blumenthalio injungebat, ut dimissionem postularet, atqve ad valedicendum Regi utiqve sejugibus se adduci exigeret. Id si negetur sine valedictione discederet. Ægerrime huc Rex descendebat, qvod sibi in propria aula leges præscribi viderentur. Sed prævalebat æstimatio Electoris, & qvod cum nemine minus offensæ qvid contrahere vellet. Cupiebant tamen Dani, si utiqve recens edictum abolendum sit, Anglicum ablegatum primo loco, inde Blumenthalium antiqvo ritu in aulam adducere. Id qvod hic recusabat, qvod ea mutatio hoc modo honori Regis Angliæ, non Electoris data videretur. Inde id temperamentum proponebatur, ut Blumenthalius sejugibus in hortum Regium adductus audiretur. Qvi & id abnuebat, ac jam discessum parabat vehiculis ad januam adductis. Ita sejuges venere, qvi in arcis interiorem aream cum adtraherent. Anglicus ablegatus seqventi die pari honore habitus. Fulciebat Blumenthalii postulatum non sine fervore Hugo Terlonus legatus Gallicus, qvi invitatus licet non prius à Rege audiri volebat, qvam isti satisfactum foret. Provenerat ista cerimoniarum mutatio non à Rege placidi ingenii Principe, sed à Gyldenlevvio; qvi dein à se suggesta abrogari graviter fremebat. Ac differebat Griffenfeldius; durum esse Regi in sua domo leges præscribere, ejusqve statuta mutare velle. Cui reponebatur: *insignia honoris augere curvis integrum esse: sed semel concessa vim juris forturi, qvibus nisi mutuo consensu nil detrahi possit.* Cæterum tunc Blumenthalius non uti jussus erat, Regi valedicebat, sed gratulatione de nato filio Friderico defungebatur. Mox discessuro responsum: *In votis* 10. Oct. 71. *esse Regi, ut qvæ inter Gallos, ac Belgas surrecturam mutatur flamma, primo ortu opprimi qveat, qvam in rem ipse qvoqve operam sit navaturus. Omnibus tamen incommodis non melius abfisti posse, qvam inito arctiore fœdere super mutua defensione; qvo sine armorum paratus mature faciendos, ne repentina invasio metuenda sit. Sed qva ratione id commode fieri qveat, ex Electore se percepturum; qvo proponente amplius mentem suam sit declaraturus. Habbaum antea missum ad primus fœdus renovandum, & præsenti tempori adaptandum. Ita primo velut gradu à se facto Electoris declarationem expectari, cui ob locorum propinqvitatem indoles negotiorum penitius sit perspecta.* Addebantur verba honoris de continuanda amicitia, à Parente tanto cum fructu exculta. Cæterum Daniæ Regi adhuc integra erant omnia, qvi nec à Gallo ad societatem invitatus fuerat, nec magnopere litem Galli cum Belgis curare videbatur, qvod sua interesse crederet Belgas paulisper ad modestiam redigi; qvi tam iis viribus polleant, ut facile eversionem sui status molientibus resistere qveant. Major ab Anglo metus. Auxilii à Belgis superiore bello lati memoria nondum exciderat. Gallus parum curabatur, tanqvam valde remotus, & qvi urgente necessitate Daniæ haut commode assistere possit, certiore Electoris, & Luneburgicorum auxilio, velut è propinqvo. In Sveciam

4. Sept. 71. *Controversia super cerimoniis.*

4 Oct. 71.

1672. præcipuus respectus, cui Scaniam iterum eripere summa votorum erat. Etsi reponebatur; omnes cum Svecia lites Daniæ admodum periculosas: eventum belli dubium, ac prius accepta vulnera nondum solidata. Historiam qvoq; testari, Daniam, ubi intempestive qvid aggressa sit, semper infelicem fuisse; contra secunda fortuna usam, si satis habuerit vim repellere.

Altera in Daniam missio. 23. April. 72.

§. 41. Seqventi anno Blumenthalius denuo Hafniam missus est, ut Regi exponeret, Electori hac tempestate eximio solatio cedere, qvod is omnia consilia ad pacem referre decreverit, & ne qvis amicorum opprimatur. Eandem & Electori mentem, à qva neqve promissis, neqve terrore avertendus sit. Cum autem jam Belgæ è qvadruplici fœdere, cujus pars & Rex sit, auxilium petant; Gallus contra, ut negato auxilio medium se gerat Elector, postulet; in negotio, qvod Regem, & omnes alios Principes tangat, hujus consilium ab isto exqviri. Privatis congressibus exponeret; Qvanqvam Electori cum Gallo amicitia hactenus constet, qvam & conservare cupiat; metuere tamen eundem, ut hoc bello sibi qviete frui liceat, qvod Galli eos hostium loco habituros minentur, qvi Belgis auxilium laturi sint. Qvin Gallicum Berolini legatum asseverare, Gallum etiam qvi tertias partes formare instituant, hostili modo tractaturum. Nec dubium, qvin is oppida Clivica Belgico milite infessa invasurus sit summo cum Imperii, & Electoris periculo. Nec tamen hunc perspicere, si maxime publicas rationes negligere velit, qvomodo auxilii fœdere promissi præstationem declinare qveat. Qvia autem Rex considerato negotii pondere nunqvam concessurus sit, ut oppressa Republica, qvæ hactenus tam Daniæ, qvam aliis exigente necessitate præsto fuit, æqvilibrium Europæ tantopere alteretur; igitur spem esse, Regem id consilii capessiturum, qvod Electori, publicum magis qvam peculiare commodum respicienti, animos addat; cui alias, si cæteri qvorum æqve interest, manum subtrahant, non defutura sit via privatim sibi consulendi. Si Dani suam sententiam exponere, prius nolint, qvam de Electoris mente constet, atqve istos solutaria consilia agitare adpareat, silentium stipulatus exponeret; Electorem re diu pensiculata demum decrevisse Belgis valido cum exercitu adsistere, qvo nomine tractatus terveant; ac spem esse, Regem idem facturum. Electorem qvidem optasse, ut id junctim fieri posuerit; sed qvia ipse periculo sit proximus, Regem haut improbaturum, qvod idem tempori parcere voluerit. Sane Belgio everso, aut in eum statum redacto, ut sociis suis præsidio amplius esse neqveat, non modo ingens fulcrum Protestantium rebus, sed & communi Principum libertati subtractum iri. Præsertim cum multa indicia erumpant, Angliæ Regem dogmatibus Pontificiis imbutum; id qvod promulgatum recens edictum, qvo Pontificiis rituum suorum libertas permissa sit, arguat. Nec securitati consuli, qvod jactetur; Remp. mansuram, sed tantum paulisper castigandam, haut expresso, qvousqve ea castigatio processura sit. Qvin metuendum, ne ista auxilio destituta duorum Regum vastis adparatibus succumbat, aut ad pacem compellatur Germaniæ noxiam. Sane & Hispanos arma arrepturos. Idem & Cæsari per munus, qvo in Germania fungitur, necessum fore, qvod id bellum non possit non fines Imperii tangere. Ac si ipse Cæsar ab armis abhorreat, Ordines tamen ei necessitatem imposituros, connitentibus in eum finem Hispanis. Saxonem, Luneburgicum, & Cassellanum præcipue in Daniæ Regem oculos conjecisse; qvo fortia consilia capessente bellum vel plane impediri qveat, vel ejusmodi vires contrahi, qveis Resp. servanda, ac pax brevi reducenda sit. Ne Gallicus legatus qvæ agantur resciscat, è compacto cum Danis vulgaret; inter ipsos super oblato medio statu consultari, & qvid super auxilio, qvod è qvadruplici fœdere petatur, sit statuendum. Ast si Danis decretum sit plane qviescere, id tantum ageret, ut Rex Electoris causam suscipiat, si ejus auxilii lati nomine ab aliis impetatur, eoqve fine pactum cum ipso ineat; præsertim cum Dania etiam è priori fœdere ad auxilia ei ferenda teneatur. Si metus à Svecis obtendatur, diceret; non qvidem præsumendum, Svecos in fraudem rei Evangelicæ aliqvem invasuros, qvi circa hanc ab oppressione præservandam connitatur. Si tamen præter spem talia audeant, haut defore vires, qvæ istis opponantur. Ast ubi nullam hujus negotii partem Dano tangere placeat, saltem id urgeret, ut è qvadruplici fœdere debita auxilia Belgis ne abnuantur. Secreto qvoqve cum Rege consultaret, qvid agendum, si Brema invadatur, qvam in præsenti statu relinqvi vicinorum maxime interest. Adibat Regem Glucstadii Blumenthalius, qvi ad proposita respondebat: sibi prius, qvæ Anglicus, & Belgicus legati, qvi Hafniæ agant, propositurі sint, cognoscendum. Aderat qvoqve ibi Georgius Wilhelmus Luneburgicus Dux, qvi svadebat, ne Ele-

1672.

23. April.

1672. ne Elector Belgis sese illigare properaret. Incertum esse, num Hispani in bellum erupturi sint. Eqvidem Monteregium Belgii Gubernatorem belli cupidum à Rege suo petiisse, ut tibi prout tempora se dent, cum Gallis pacem abrumpere liceat: sed hucusqve Hispanos nil certi statuisse. A Cæsare optima qvæqve sperari; sed nondum conspici legiones iter ingressas; ac id forte ob motus Poloniæ, & metum à Turca plane omittendum. Svecis haut nimis fidendum, qvi Gallo promisisse dicantur, Præsules Galli socios contra qvorumvis invasionem tutari. Eqvidem Gallum in Osnabrugensis arbitrium contulisse, num is Belgis è qvadruplici fœdere auxilia mittere velit. Unde forte Gallum haut ægre laturum, si idem ab Electore fiat. Sed nec ideo tantopere festinandum, qvod Belgæ super subsidiis non satis cavere velint. Qvin & metuendum, ne bellum in Germaniam pertrahatur; prout & Belgæ Electoris fœdere admodum glorientur, ejusqve famam late differant. Super Svecis tamen aliter judicabat Haugvvicius Saxonicus ablegatus, tunc Holmia veniens; istos haut qvidqvam invasuros, qvi Gallorum destinata impedire conentur. Id enim Bioernclovianam factionem, cui in Svecia autoritas non defit, nunqvam permissuram. Ac facilius excusari posse tutores, si Rege minorenne pecunias accipiant, ut qvieſcant, qvam ut Regi hostes excitent, qvibuscum hic libenter pacem culturus fuerat, ubi Regni habenas capessierit. Sed & Svecos, ne qvid moveant, inopia prohiberi, Gallorum qvoqve largitionibus parum profusis in eos, qvi rem gerere nolint. Privato congressu Gyldenlevvius, & Griffenfeldius differebant: *Regem debita è qvadruplici fœdere auxilia, si requirantur, haut negaturum; nec in eo per Gallos sibi qvid præscribi passurum. Sed uti tam modico auxilio Belgarum necessitatibus haut consulatur; ita nihil adhuc ab his propositum, qvi non magis qvam Elector gratis qvid suscepturus sit. Unde prius, qvæ conditiones à Belgico legato ferantur, audiendum. Belgas aliqvandiu Daniam sat neglectim habuisse, Svecicam contra amicitiam solicite captasse. Unde Danos haut primos fore, qvi non rogati ad auxilia istis ferenda sint accursuri. Super Brema Regem, ubi opus sit, cum Electore libenter consilia sociaturum.* Credebatur Regi in eam causam sat studii esse, sed à Cellensi metu injecto ipsum retrahi. Gluckstadio Rex Rendisburgum abibat, ubi tunc conventus Ordinum Holsatiæ agitabatur ingentes inter disceptationes; qvod Rex iniqvum diceret, tributum bellicum cum Gottorpiensi dividendum, cum sibi tutandæ provinciæ aliqvot militum millia sint alenda, Duci vix aliqvot centurias: hoc reponente, se qvoqve parem militum numerum cum Rege aliturum. Qvod & ipsum Regi intuitu Svecorum, qvibus iste Dux innexus erat, parum arridebat. Rendesburgi per Commissarios Danicos Blumenthalio significatum; *Regi displicere, qvod Belgæ post ubiqve expetita auxilia, ac vulneratam causam nunc demum ad ipsum eant. Nec super novis pactis agi prius posse, qvam de subsidiorum reliqvis, ac iis, ad qvæ ex arbitrio Galli, in qvem compromissum fuerat, tenebantur, Regi satisfactum sit. Nam Gallus Belgas in contumaciam tam ad sortem, qvam id qvod interest, & expensas damnaverat, Gallo cum arbiter assumeretur, communem utriqve amicum fuisse, nunc hostilitatis in ipsos manifestum. Qvod si isti Daniæ auxilio carere neqveant, manum crumenæ admovendam.* Obstabat Belgis non parum Gyldenlevvius in Anglos pronus, qvi Regi persvaserat, seram Belgarum missionem ab iplius contentu proficisci. Ad extremum isthæc declaratio Blumenthalio tradebatur: *Regem, si Belgæ auxilium è qvadrupli fœdere paulo post expiraturo exigant, Electoris sententiam secuturum, promissis aut minis insuper habitis; ut tamen expresse eo fœdere conditiones, sub qvibus utraqve pacisentium pars ad auxilia ferenda obligatur, observentur. Cæterum generosa Electoris destinata circa ferendum Belgis auxilium summa laude digna. Sed uti is nihil decreverit, nisi audito legato Belgico; ita & hunc sibi prius audiendum. Alias Regem Brandenburgica Domus rationes propriis aqviparare, ac dudum super ineundo arctiore fœdere firmando utrinqve securitati monuisse. Ac optare, ut Elector fœderi inter ipsum, & Luneburgicum inito accedere velit; cui si & Cæsar, ac Saxo nomina dent, tertias partes formari posse tutandæ paci Germaniæ; qvibus deinde integrum sit accedere illi, cui justissima belli causa, & cujus conjunctio pro captu temporis ipsis maxime sit conveniens; cui fœderi & Bremensis civitas includi qveat.* Porro & nunc Blumenthalio modica collisio super cerimoniis fuit. Qvia enim Sveciæ Senatores ablegatis extraordinariis Electorum cedere nolebant, Gyldenlevvius Rendisburgi idem prætendere instituebat, cum Rex eum mensæ admoveret; qvod alias non in ipsa Regia, sed tamen in itinere fieri svevit. Sed Rex Gyldenlevvio denuntiabat; eam litem in præsens omitteret; ac mensam regiam alia vice ipsi patere.

Monteregium.

Haugvvicius.

27. April.

1672. *Tertia vice legatus in Daniam mittitur. 18. Jun.*

§. 42. Tertia mox vice Blumenthalius in Daniam mittebatur, jussus proponere: Qvia Rex nuper Rendisburgi declarârit, sibi videndum, qvid alii Principes hac tempestate sint suscepturi; unde Electorem Regi communicare voluisse, Cæsarem judicare, fœdus avertendis malis, ac Imperii, & vicinorum qvieti inservire posse; cujus formula nunc exhibeatur. Id cum Instrumento Pacis innitatur, ac nullius offensam spectet, Regem qvoqve pro studio suo in publicum bonum probaturum; cui & alii accessuri sint. Nec Gallum, & Anglum ejusmodi fœdere offensum iri; qvod utiqve Cæsari, Daniæ Regi, atqve Electori non magis vitio dari qveat, à se fœdus tutandæ paci Germaniæ inîri, qvam Gallus, & Sveci sibi indulserint fœdus tam alte penetrans cudere. Et contineri eo fœdere nonnulla Daniæ haut modicum scrupulum injicere apta. Ad Anglum id fœdus haut pertinere, cui & cum Electore nil controversiæ intercedat. Unde non habiturum eum, qvod isti contradicat. Legato autem Belgico noster dicere jubebatur: Non alia via, qvam tali fœdere eam Remp. servari posse. De auxiliis Belgio ferendis data opera diserte non expressum, qvod id ista magis impediturum, qvam promoturum esset. Legato Gallico dicendum: qvia ubiqve arma magno conatu parentur, Electori qvoqve cum Daniæ Rege socio, & amico consultandum fuisse super qvicte Germaniæ servanda, ac pace inter partes bellantes restituenda. Anglico legato confirmandum de constante Electoris in Angliæ Regem amicitia; & cum iste nil magis optet, qvam ut hunc inter, & Belgas pax instauretur, ipsum libenter operam eo fine navaturum; ac si constet ipsius officium Regi gratum fore, eo nomine legatum ad eundem missurum. Qvod si vero Danus nec Belgis auxilium ferre, nec ei fœderi accedere velit, ad extremum exqvireret; num Elector saltem de auxilio Regis certus esse possit, ubi iste ob istud fœdus, ac studium boni publici impetatur. Hafniam cum pervenisset Blumenthalius, Regem, ac Cellensem Ducem reperit mutuo se obligasse, ne unus absqve altero qvid suscipiat. Hujus autem lenta consilia non tam inde provenire, qvod boni publici curam deserturus esset, qvam qvod intempestiva æmulatione tangeretur. Nam qvia Hanoveranus, & Osnabrugensis Gallo sese innexuerat, Guelferbytano autem modicæ vires essent, in se solum videbat rediturum onus, ad qvod sustinendum qvatuor concurrere debebant. Qvia autem pares cum Electore copias contrahere non poterat, virium tenuitatem apricari erubescebat, qvod & eo casu, si qvid præclare gereretur, gloria in solum Electorem redundatura esset. Unde &, si utiqve manus negotio simul admovenda foret, Daniæ Regi suggesserat, ut ipse regimen belli administrandi suscideret, qvo Electori belli moderamen subtraheretur. Sed & Danos valde turbabat Anglorum, & Svecorum cum Gallo conjunctio, & qvod metus esset, ne Svecis seqvestribus Belgæ ignominiosam pacem admitterent. Ac minabantur Terlonus Gallicus, & Richemondius Dux Anglicus legati, se protinus discessuros, si Rex cum Electore tractatus susciplat. Ac favebat Anglis Gyldenlevvius, periculum à Svecis ostentabat Schackius; simul à fortibus consiliis retrahebat priorum temporum memoria. Ac Cellensi, cujus consiliis tunc plurimum tribuebat Rex, magis curæ erat à Germania turbas avertere, qvam Belgas sublevare. Ita Blumenthalio id responsi datum: *Si communicatum fœdus inter Cæsarem, & Electorem amice pacem Imperii spectet, Regem ei accessurum, ac huic qvoqve placiturum, qvod Cellensi visum fuerit. Sed si fœdus id ad Belgas periculo eripiendos tendat, id tantisper differendum, qvoad Rex à Rep. ad id decenter invitetur. Circa officium bellantibus interponendum Ducem Richemondiæ declarasse, apud Angliæ Regem id inane fore. Idem à Gallo expectandum. Unde se repulsæ contumeliam haut expectaturum.* Videbatur etiam Dano hoc frigore Belgas stimulare velle ad lautas ipsi conditiones offerendas. Contra Belgæ Cæsaris, & Electoris auxilio confisi de Dano minus soliciti videbantur. Ita à Dano tunc nil aliud obtentum, qvam ut declararet, se fœderi cum Cæsare, Electore, Luneburgicis, aliisqve accessurum.

1672. *19. Jul.*

5. Jul.

Cum Saxone consultatur. 14. Mart.

§. 43. Ad Electorem ipse Saxo Potstamum venerat, super præsenti rerum statu consulturus. Is agnoscebat periculum; sed præmature in causam descendere nolebat. Convenerat inter ipsos, ut consiliarii utrinqve Lipsiæ congressum agitarent; sed id post à Saxone retractatum. Eveniebant inde monstrosi Gallorum progressus, ut Saxo prope de Rep. Belgarum desperaret. Eundem & Cæsar in societatem pertrahere conabatur. Sed is plane abnuebat, obtendens Brandenburgico diversas plane rationes esse, qvas ipse amplecti neqveat, velut qvæ plane se non tangant. Præcipue Clivicum heic negotium versari, ad qvod ipse salvo suo jure nil conferre possit. Nec legatus Belgicus Dresdæ qvid proficiebat, par-

1672. parcam argenti spem ostentans cujus publica tunc in Hollandia egestas erat.

Moguntini confilium exquiritur. 4. Febr.

§. 44. Ad Moguntinum Marenholzius Ratispona Wurtzburgum excurrere jussus fuerat, ut istius sententiam super præsenti rerum facie exqvireret. Hic multis qverebatur; de securitate Imperii, qvam ipse tanto studio Ratisponæ egerit, usqve adeo negligenter fuisse actum. Unde se propositisse fœdus inter Cæsarem, Trevirensem, Saxonem, Brandenburgicum, Culmbacensem, Monasterienscm, & alios, cui & ipse nomen sit daturus. Imminente à Gallia periculo se magnopere commoveri. Francisci Furstenbergii Germanici Principis actiones satis mirari, ejusqve consilia digerere haut posse, aut Colonienscm ita simplicem esse, ut ad insignia ditionis suæ loca in Gallorum manus tradenda induci se patiatur. Sane Monasterienscm, qvi & ipse arma paret, veterum cum Belgis simultatum nondum oblitum, hautqvidqvam munita loca Gallis consignaturum. Alias ostendebat, Gallum misso Heisio sibi confirmasse de pace Westphalica firmiter observanda. Nec Hispanos habere, qvod sibi metuant, modo hosti auxilia ne ferant. Qvibus & Gallus promiserit, si qviescere velint, se ipsis Brabantiæ loca à Belgis erepta redditurum, aperta qvoqve Scaldis navigatione. Qvin & iisdem offensivum fœdus contra Belgas obtulerit, Regis destinata non longius porrigi, qvam ad Belgarum insolentiam castigandam, qvi suæ sortis obliti totius Europæ negotia moderari, & omnium nationum commercia servitio premere instituant suæ avaritiæ satiandæ. Eosdem insuper compellendos ad reddenda Ecclesiæ, ac Principibus Imperii, qvæ ab his usurparint loca. Ut Belgio bene sit ad Cæsarem non pertinere; qvin hujus, ac totius Imperii interesse, istos in ordinem redigi. Mansuram tamen eorum Rempublicam, postqvam Ecclesiæ, & vicinis sua reddiderint, ac ad modestiam se compositerint. Unde Regem rogare, Moguntinus apud Cæsarem operam navet, ne is huic negotio se misceat, sed Reges solos litem suam cum Belgis persequi patiatur. Tum ut ipse liberam Rheni navigationem Gallis indulgeat. Scripserat qvoqve Argentoratensis ad Schœnbornium; aulam Cæsaream induceret, ne Galli destinatis se opponat, qvod de incrementis Catholicæ religionis agatur, ad qvæ qvilibet, cui hæc cordi sit, qvantum possit conferre debeat. Ad ista hæc se declarasse: Eo negotio plane se abstenturum, ni qvid interveniat, qvod qvieti Germaniæ, ac paci Westphalicæ fraudi sit, aut ni leges Imperii, & munus, qvo in Germania fungatur, diversum injungat. Nec repugnaturum, qvo minus Rex Rheni navigatione utatur, si alii ad eum fluvium siti Principes eam annuant. Inde à se Melchiorem Schoenbornium Viennam missum, qvi à Cæsare responsum laxis verbis reportarit; gratum sibi esse, qvod Gallus declararit super qviete Germaniæ, & pace Westphalica haut turbanda. Qvo promisso se fidere, ac paria facturum. Sperare tamen, viam inventum iri componendo inter Gallum, & Belgas disidio. Et uti ipse hactenus nulli extraneo justam qverelarum caulam præbuerit; ita ubi opus sit, cum Electoribus, & Principibus, qvæ salus Germaniæ reqvirat, in consultationem deducere haut omissurum. 1672.

Altera vice ad Moguntinum mittitur. 26. April.

§. 45. Paulo post idem Marenholtzius ad Moguntinum denuo missus est, ut ingruens indies periculum demonstraret; simul communia Imperii arma promoveret; qvod Electori anceps sit, ista per suos Ratisponæ eminenti studio urgere. Tum ostenderet, Cæsarem arbitrari, fœdus cum Belgis paci Westphalicæ haut repugnare, velut qva diserte disponatur, singulis Ordinum integrum fore post factam semel inter Gallos, & Hispanos pacem uni, aut alteri Coronarum adsistere. Ad qvæ Moguntinus; super Imperii securitate se Viennæ, ac Ratisponæ summo studio acturum. Æqvum esse, ut Imperium Electori auxilium præstet, si Clivia invadatur. Sed qvomodo centum octoginta armatorum millibus, qvibus Gallus succingatur, sit resistendum, se nil consilii expedire; nec suas ditiones in minore periculo, qvam Electoris versari. Regem Schœnbornio à se nuper in Galliam misso declarasse; Imperium, aut qvenqvam Ordinum haut invadendum. Qvid fiduciæ his promissis superstruendum sit, non constare. Interventionem suam offerenti Gallos respondisse; id serum jam esse; nec Regi licitum ob fœdus cum Anglo arma sua sistere. Jactatum qvoqve fuisse, Vesaliam à Gallis in potestatem redigendam, qvod hostem à tergo relinqvi ratio belli non ferat. Ac gratum esse Electori debere istam urbem recepisse, qvam expugnatam Rex isti statim traditurus sit. Addebat Moguntinus; non esse Monasterienscm fidendum. Mirum qvoqve Colonienses de actione in Lipstadiū movere. Num fœdus cum Belgis Instrumento Pacis congruat, in neutram partem definire velle: nam Gallos verba Instrumenti Gallici pro se interpretari.

1672. pretari. Cæterum litem inter Gallum, & Belgas qvocunqve modo ad compositionem deducendam, & Belgium haut deserendum; qvo everso non posse non Germaniæ ruinam consequi. Idem alias mirabatur, Gallos ita præmature de bonis sacris per Belgium vindicandis movere; qvo ipso Protestantibus non obscure denuntietur, qvid expectandum ipsis sit, si Belgium, cui in præsens vires, voluntasqve ad resistendum sit, vel plane opprimatur, vel eo redigatur, ut nil amplius ad repellendam Galli libidinem conferre qveat. Sane ubi destinata Gallo succedant, non posse non aliam rerum per Europam faciem, & Imperii ruinam provenire. Ast sibi ob ditionis suæ situm, modestia utendum, alias libenter omnia sua pro patria sacrificaturum, si sat virium sit. 1672.

Controversia cũ Brunsvicensibus super Reinsteinensi Comitatu.

§. 46. Ast qvod cum Brunsvicensibus parcior tunc communicatio esset, qvam ancipitia temporum reqvirerent, in causa erat, qvod Joannes Fridericus Hanoveranus Dux in Gallorum partes propenderet, & qvia surgens super Reinsteinensi Comitatu lis animos utrinq; nonnihil irritaverat. Postremus ejus Comitatus possessor fuerat Joannes Erasmus Tettenbachius; qvo ob perduellionis crimen apud Cæsarem accusato, is cum Halberstadiensi principatu, cujus feudum fuerat, consolidabatur. Ejusdem possessionem à se adprehensam Elector Brunsvicensi Duci significabat, ac si qvid scrupuli haberet, ad amicum colloqvium eundem invitabat. Sed is minas spargere, ac milites ad arcem Reinsteinam occupandam mittere; sed qvæ jam Electorali præsidio tenebatur. Unde ab eodem certus homo missus capessendæ possessioni; qvi nocturno tempore velut hospitii qværendi causa in cauponam vici divertens glebas tollere, ac festucas è janua cædere, qvasi exercendo actui possessorio. Sed cum interrogatus respondere nollet, à qvo, & qvibuscum mandatis missus esset, ab Electoralibus in custodiam datus est. Brunsvicenses contra haut petita capti relaxatione, utut Halberstadiense regimen istum plecti peteret, immissis ducentis militibus eundem noctu iterum custodia eripuerunt è vico, qvi indubie territorii Electoralis erat, tantum non vi hostilem in modum adhibita, simul Electorales è fodinis Reinsteinensibus, & Sylvis vi expulerunt. Ista vis Electorem non parum protelabat, cum si qvid actionis Duci in nonnullas ejus feudi partes competeret, ad amicam transactionem promus esset; ac ipse non ita pridem Ducibus nil impedimenti circa occupationem Brunsvicensis urbis objicere voluisset servandæ cum ea Domo amicitiæ. Unde Elector apud Ducem Rudolfum Augustum protestationem interponebat, ac vim adhibitam emendari postulabat. Ad qvæ is reposuit; Electori de facto non satis constare. A se Blanckenburgicum scribam missum cum Notario & testibus capessendæ possessioni partium, qvæ à Domo Brunsvicensi feudi vinculo dependeant. Ei ab Electorali milite in via publica manus injectas, qvem ut qvovis modo liberaret, existimationis suæ interfuisse. Cæterum amicæ se compositioni paratum, si qvæ controversa sint. Non abs re fuerit paucis exposuisse, ex qvo fonte Brunsvicensium prætensio promanarit. Fuit Comitatus Reinsteinensis, seu Regensteinensis vetustum Halberstadiensis Præsulatus feudum, cujus dominium directum Electori per Instrumentum Pacis una cum ipso Præsulatu collatum fuit ea tamen lege, ut Elector Comitem à Tettenbach in possessione ejus Comitatus relinqveret, eiqve investituram ab Archiduce Leopoldo Wilhelmo concessam renovaret. Id qvod & ab Electore præstitum, postqvam possessionem ejus Principatus cepisset. Sed post intellexit, Duces Brunsvicenses jam anno 1644 clandestinum pactum inscio Episcopo & Capitulo cum eo Comite iniisse, qvi ab iisdem comitatum Blanckensteinum in feudum tenebat; ut omnes prope partes feudi Reinsteinensis, qvæ ab Halberstadiensi Præsulatu dependent, & in qvas huic jus territorii, ac dominium directum competit, literis feudalibus Brunsvicensibus inserentur. Qvod ubi Electori intellectum, statim protestatione interposita, Comiti interdixit, ne partium illarum nomine ullum dominum præter ipsum respiceret. Ducibus tamen curæ fuit qvalemcunqve suam usurpationem tueri, actusq; possessorios exercere, simul insignia sua affigere. Qvæ Elector detrahi simul usurpationibus contradici jussit, ut tamen tractatibus se offerret, qvos ii Duces semper declinarunt. Detulit post Elector qverelam ad Cæsarem, postulans ut is Circulo superioris Saxoniæ injungere velit tutelam eorum, qvæ ipsi per Instrumentum Pacis tradita forent. Unde Cæsar sub pœna Instrumento Pacis definita Ducibus imperabat vim abstinere, ac litem amica compositione, ac jure expedire. Saxo qvoqve officium suum offerebat, qvod ab utroqve acceptatum, ac in locum congressus paulo post habendi Werningeroda placuit. Ubi missus

8. April. 70.

6. Maij. 70

6. Jun. 70.

6. Jul. 70.

1672. missus à Saxone Carolus Frisius Baro de
6. Jul. 70. compromisso proponebat; qvod ab Electore repudiatum; qvod ipse liqvido nimis jure niteretur, ac indubiis documentis constaret, qvosdam Brunsvicenses Duces istum Comitatum aliqvandiu in feudum à Præsulatu Halberstadiensi recognovisse. Injunxerat qvoqve Galliæ Rex suo Dresdæ Residenti Chassano, ut officium apud Electorem, & Duces componendæ liti offerret. Sed Elector petebat, ut iter id differretur, qvoad de successu tractationis Werningerodæ susceptæ constaret. Ea infecta Chassanus denuo operam suam venditabat. Sed Elector excusabat, se eo nomine ad ipsum Regem Galliæ scripturum. Revera nolebat Gallum huic negotio sese ingerere, ne è scintilla incendium excitaret. Cum tamen ea lis amica transactione componi non posset, ad Spirense forum ea demum remissa est, possessione penes Electorem manente.

13. Sept. 70.

Belgæ fœdus Electoris ambiunt.

§. 47. Cæterum eam curam circa avertendum bellum Elector ultroneo in eam Remp. ac communem pacem studio susceperat. Nam ipsi Belgæ sat tarde auxilium istius expetebant, misso Goderto Adriano Redio, Amerongæ domino. Is de æstimatione præfatus, qva Resp. Electorem proseqvatur velut vicinum, fœderatum, ac inter Germaniæ Principes potentissimum, memorabat; qvæ circa Coloniense negotium contigerint, & uti Resp. ejus urbis causam non prius amplexa fuerit, qvam de consilio ministrorum Cæsaris, cujus cum consensu legio pedestris urbi immissa sit; velut qvi satis intellexerit, qvanti ejus urbis conservatio Germaniæ esse debeat, inter alia etiam receptui inservitura, si tractu isto bellum gerentibus calamitas qvædam accepta foret. Contra Coloniensem Præsulem non solum proprium militem conduxisse, sed & externum adsumsisse, simul immensam vim paratus bellici, annonæqve congerere, Gallis palam jactantibus, ista in Belgas parari. Nec tamen Reip. constare, qvam offensæ causam ipsa Gallo dederit. Inde autem non huic solum, sed & universo Christiano orbi, ac inprimis Rheno adsitis, & Electori vicinorum proximo gravissimum periculum imminere. Intercedere porro Belgis duo fœdera cum Electore, unum cum ipso solo, alterum, cui & Daniæ Rex, & Luneburgici innexi sint, cui qvadruplicis vocabulum, ex qvo mutua auxilia, simul officia componendis dissidiis debeantur. Utraqve Remp. ab Electore expectare. Et qvanqvam merito opera navanda sit, num amica via bellum averti qveat: bene tamen Electorem, aliosqve facturos, si mature arma parent, qvo pondus officio suo accedat, & hoc irrito vim vi repellere possint. Unde se venisse ad arctius fœdus defensivum ineundum, negotiatione citra moram suscepta, qvod periculum indies propius videatur admovendum. In Monasteriensi qvoqve præsulatu ad fines Geldriæ paratus armorum fieri, ac famam esse, à Præsule machinas, & instrumenta ignivoma Gallo vendita. Si Electori, cui plurima facultas parandis armis, id negotium suscipere placeat, se jussum pecunias conducendo militi offerre. Eadem in transitu apud Luneburgicos Duces insinuasse, sed qvi omnes expectent, qvid consilii Elector capturus sit. Ad ista Elector; *sepositis ambagibus considerandum, qvomodo imminenti periculo occurrendum, ut vel declinetur bellum, vel si hoc utiqve surrecturum sit, Resp. auxiliis fulciatur. Sane sibi gratissimum, Gallo à Rep. ultro satisfactionem offerri, qvo istius honori, qvem ante omnia cordi sibi esse ferat, consulatur. Circa qvam à se jam ultro elaboratum sit, idemqve deinceps continuandum. Qvia autem Rex sine dubio pressiorem declarationem desideraturus sit, se nosse cupere; num Resp. idoneis pœnis afficere velit, qvi indigne de Rege locuti arguuntur; num edictum de inhibenda Gallicarum mercium importatione abolere; num declarare, se non impedituram, qvo minus Rex iis, qvæ jure ipsi competunt, potiatur? Num deniqve Resp. Galli qvoqve sociis satisfacere velit, sine qvibus is tractatus à se suscipi posse neget, Anglo, atqve Coloniensi? Considerandum porro sibi esse, annon officia sua promovendæ paci reddantur irrita, si ipse in partem belli veniat. Tum & in hac causa ita sibi procedendum, ne Imperium bello implicetur. Deniqve sciendum, qvid auxilii Resp. petat, ac qvid vicissim offerat, ac num tandem aliqvando sua sibi oppida reddenda sint?* Amerongius ad ista: *Unicum missionis suæ scopum fœdus mutuæ defensionis ferire. Belgis validas jam copias, qvas ad C M militum augere velint. Per omnes provincias adparari, qvæ defensioni reqvirantur. Ab Hollandia pecunias suppeditari. Gratum Reip. fore, si Elector amica ratione bellum avertere possit. Sed cum maximo periculo conjunctum tantisper se otiosos desidere, ferocia Regis per Reip. infirmitatem accendenda. Alias inter primaria suæ Reip. scita esse cum omnibus orbis Christiani Principibus pacem colere. Si qvis de Rege indigne locutus convincatur, eum pœnas daturum. Circa commercia se Regi satisfacturos, ac nuperum edictum abrogaturos. Cum Anglo nil controversiæ sibi esse. Rheinberca aliam à Rep.*

19. Jan.

1672. *prætensionem opponi. Ideo tamen isthoc negotium haut differendum; nec ipsi Electori satis tutum, ut inermis maneat, dum Colonienſis, Brunſvicenſis, Monaſterienſis, Sveci arma parant. Gallum inita cum Colonienſi ſocietate Imperium jam ſatis hoc negotio implicaſſe; unde penes hunc invidiam fore bellis in Germaniam pertracti. Cupere Belgas, ab Electore comparari XVI M militum, qvibus accedere debeant copiæ, è prioribus fœderibus debitæ. In dimidiam ejus exercitus partem autoramenta, ac ſtipendia danda. Belgas cum omnibus, qvi Electorem invaſuri ſint, bellum terra marique ſuſcepturos, nulla eo nomine refuſione petenda.* Ad iſta Belgæ demon-
22. Jan. ſtrabatur: *E priori fœdere auxiliarium militem exigi non poſſe, pace nondum abrupta, & qvia Gallus Belgas aggreſſores arguat. Tum hactenus cum Electore non ita actum, uti cum antiqvo, ac fideliſſimo fœderato, vicinoqve, & ſacrorum participe agi par erat; cum tamen proximo bello Monaſterienſi Reſp. ſatis deprehenderit, qvanto uſui Electoris amicitia ipſi ſit. Inprimis circa triplex fœdus Electorem plane fuiſſe neglectum. Pro Svecorum emolumentis enixe eos laboraſſe: ab hoc ad extremum poſt omnia jam transacta, ut accederet, poſtulatum, nullo oſtentato præmio, ne ſecretis qvidem articulis communicatis. Si tunc Reſp. Electori ſtuduiſſet, ut alienis ſumtibus exercitum parare potuerit, nunc auxilia in promtu fuiſſe futura. Ac maxime dolendum, id à qvibusdam hoc poſtiſſimum præcexto impeditum, ne iſtius autoritas, & potentia gliſcat.* Contra Belgæ, præterita excuſare. Triplex fœdus non à Belgis, ſed Anglis profectum, qvi & Svecis ſubſidia ſtipulati ſint. A Gallis eodem jure ſe aggreſſionis inſimulari, qvo
16. Febr. in fabula agnus à lupo turbatæ aqvæ. Poſt iſta hinc inde diſceptata tractatio ſuſcipiebatur, poſtqvam noſtri ſilentium ſtipulati eſſent, ne qvid ante tempus vulgetur: alias enim Electori omnia retractare, ac ſecuritati ſuæ proſpicere neceſſum fore. Negotio melius diſſimulando apud legatum Gallicum oſtendendum; Electorem à medio ſtatu non abhorrere, ac ſuper hoc cum Amerongio qvoqve agi; ſed qvi contendat, ab Electore utiqve auxilia è fœdere præſtanda. Poſtulabat inde Elector, ut poſt pacem factam Orſoia, & Enmericum præſidio vacua ſibi traderentur. Tum ut compromiſſum Geldricum una cum debito Hufiſeriano penitus aboleatur; & qvia in hoc Mechliniæ pro ſe pronunciatum ſit, ut poſt bellum Reſp. C M uncialium per ſpeciem liberalitatis ſolveret. Deniqve ut Belgæ vectigal ad Gennepam, qvod adhuc in ſexennium tenere poterant, nunc cederent. Sed Belgæ etiam circa æqviſſima moroſe cauponando, multum temporis incaſſum terebant. Orſoiam duntaxat ea lege offerebant, ut Elector ipſis Duisburgum, aut Rurortam vicißim concederet munitionibus firmandam, ac tamdiu detinendam, qvam reliqva Cliviæ oppida poſſeſſuri ſint. Circa debitum Hufiſerianum abolendum abnuebant. Geldricum compromiſſum eſſe privatum negotium, qvod Remp. non tangat. Sed qvia ſumma rerum potior habebatur, iſtis ſepoſitis demum fœdus cum Belgis concluſum, opera Sverini, Somnicii, & Meinderſii; cujus illhæc ſumma capita erant. 1672.

§. 48. *Elector in auxilium Belgarum, ubi in ipſorum ditione invadantur, exercitum XX M conſtantem qvamprimum comparet; cum Belgis qvibus tamen is, ubi opus fuerit, III M pedi-*
26. April Fœdus Electoris cum Belgis.
tum DC equites præſidio Weſtphalicis adhibere poſſit. Ad dimidiam harum copiarum 2.
partem Belgæ autoramentum præbebunt, nempe ad IV M equitum, VI M peditum, ſub qvibus & idoneus dimacharum numerus comprehendatur, qvorum trini binis equitibus & uni peditи aqvæparabuntur. Autoramenti loco 3.
in ſingulos equites qvadrageni, in ſingulos pedites deni unciales præbebuntur; eaqve pecunia 4.
ſtatim poſt abſolutum hoc fœdus Hamburgi, aut Bremæ ſolvetur. Intra duos menſes ab accepta ea pecunia Elector exercitum paratum habebit; ac iter ingredi, & in uſum Reſp. rem gerere curabit. Stipendiorum itidem 5.
dimidiam partem Belgæ ſolvent, & ita qvidem, ut equitatus in ſedecim legiones qvingenis equitibus conſtantes, qvarum ſingulæ è ſenis turmis componantur, ſed peditatus in duodecim legiones millenis capitibus conſtantes, ac in denas cohortes digeratur. In ſingulas legiones eqveſtres Belgæ menſtruatim 4776. unciales, in ſingulas legiones pedeſtres 4104. ſolvent, additis 210. uncialibus in ſingularum legionum præfectos: tum ad ſuperiorum Ordinum præfectos, ac rem machinariam, 1484. unciales. In menſem triginta dies, in unum 6.
annum duodecim menſes computabuntur. Electori integrum erit legiones & cohortes pro ſuo judicio numeris augere, & minuere, modo 7.
totus exercitus XX M bellatorum conſtet. Machinas qvinqvaginta cum neceſſario paratu, & hominibus, qvi eas tractent, Elector ſuis 8.
ſumtibus præbebit. Pecuniæ ſubſidiariæ ſolvendæ tempus cedere incipiet à die, qvo autoramenta ſolventur, ut tamen primo menſe dimidia duntaxat, reliqvis integra ſumma ſolvatur. Contra Elector intra duos menſes ab 9.
eo die exercitum integrum numeris ſiſtet, & prout opus fuerit, in hoſtem rem gerat. Poſt 10.
elapſos

1672. elapsos illos duos menses integrum erit Belgis
11. quoties placuerit per commissarios suos Electori alibus junctos exercitum recensere; ubi prorata subsidiis detrahetur, quantum numeris defuerit. Subsidia à Belgis initio singulorum mensium Bremæ, aut Hamburgi solventur. Exercitus iste per quatuor menses sustentabitur, etsi intra id tempus Belgæ terra hanc invadantur, pecunia citra exceptionem solvenda. Si quarto mense pax fiat, quintus subsidiorum mensis à Belgis addetur. Subsidia ista in quaternos menses ad finem usque belli
15. continuabuntur. Post duos menses Elector exercitum in Westphaliam ducet, & rei in
16. hostem gerendæ paratum habebit. Is Electori sacramentum dicet; sed ubi Belgarum territorium ingressus fuerit, his quoque jurabit, salva ducum in suos milites jurisdictione. Vicissim, si Belgicus miles Electoris exercitui junctus fuerit, in hujus territorio eidem quoque
17. sacramentum dicet. In has copias penes Electorem summum imperium erit, qui & id per se exercebit, quatenus valetudo permiserit.
18. Dux quem Elector his copiis præficiet, chirographo cavebit, se hujus fœderis leges observaturum.
19. Actiones bellicæ communi consensu Electoris, & à Rep. delegatorum suscipientur, adhibito quoque in consilium Arausionensi: ut tamen Belgicorum sententia prævaleat, si in Republica; Electoralium, si in Electoris usum res geratur. Etiam exercitu in Belgarum
20. territorium deducto, Elector supremum imperium habebit, ubi ipse adfuerit. Eo absente id imperium penes ducem Belgicum erit, ut tamen is dignatione gradus militaris Electore eidem præcedat. Idem obtinebit, si res in Electoris territorio sit gerenda. Fœdus hoc ne-
21. minis offensam, sed tantum utriusque ditionum tutelam spectabit: nec exercitus is alter, quam tuendæ Belgarum ditionis adhibebitur, si
22. hac bello invadatur. Hostium terris militaria tributa imperabuntur, ac utrinque æqualiter dividentur eo melius tolerandis belli sumtibus. Ubi exercitus rem gerere cœperit, neutri integrum erit cum hoste, ejusve sociis pacem, aut inducias inire, nisi accedente alterius consensu; qui consensus tamen non denegabitur, si uterque fœderatorum in eo statu conservetur, aut in eum reponatur, qui ante bellum fuit. Tractatu probato neutri licebit negotiationem suscipere absque communicatione, & quoad alter suos quoque ad locum tractatuum miserit. Ibi ministri mutuo quæ agentur ad se referent, ac neuter cum hoste, sociisve pacem faciet, nisi quoad uterque in possessionem suarum urbium, aditionum, usumque jurium, & privilegiorum, quem ante bellum habuerat, repositus sit. Uterque eandem pro altero conditionem, quam pro se ipso, stipulabitur. Duces utrinque militem exacta disciplina coërcebunt. Si Elector in aliquam suarum urbium Belgico milite infessam ingrediatur, integrum ipsi erit custodes corporis ad ducentos, aut minus introducere, quibus nulla alia militaria munia obeunda, quam circa Electorem stationes obire, à quo & solo imperia accipient; nec quidquam in fraudem securitatis, & præsidii dictorum locorum suscipient. Licebit quoque Electori in aliqua suarum urbium Belgico præsidio infessarum penum struere. Pulvis bellicus Electoris æquo pretio, & qui ipsa Respublica emit, vendetur, ni ipsi Belgæo opus habeant. Utrinque de aliis quoque remediis stabiliendæ communi securitati dispicietur, & ut alii quoque in societatem pertrahantur, ac nominatim Cellensis, & Guelferbytanus Dux. Isthæc omnia & singula bona fide implebuntur. Id fœdus ab Electore Kalendis Junii ratihabitum. Belgarum autem ratihabitio, ultro urgente Electore demum initio Julii exhibita fuit.

1672. 24. 25. 26. 27. 28. 11 Jun.

§. 49. Fœdere cum Belgis absoluto proximum erat Cæsarem quoque in partes trahere. Qua super re etsi dudum cum Goësio Barone actum esset: tamen cum ea lentius procederet, quam periculi magnitudo requireret, Elector Joannem Georgium Anhaltinum Principem Viennam misit, qui proprii se negotii causa eo proficisci vulgabat. Is Cæsari propoliturus erat; *Supervacuum esse ipsi periculum Germaniæ imminens multis demonstrare, quod ultro eidem cordi sit. Electori acerbum accidisse, jampridem externum militem intra Imperii fines duci; ejus limitaneas, quin & interius sitas munitiones eodem insideri, easque novis operibus firmari: præstantissimum Germaniæ militem in usum exterorum, etiam ab ipsis Imperii Principibus conduci, & exteris tradi. Adversus quæ nil remedii parari. Unde Electori necessitatem allatam ad Cæsarem se convertendi, eumque requirendi, ut consilia arripiat Germaniæ salutaria, & quibus ea adversus exteros tegatur, ejusque dilaceratio prohibeatur. Sane se memorem officii, quo Cæsari ac Imperio teneatur, haud omisisse Ratisponæ superparando publico exercitu urgere. Enimvero tarde ibi omnia procedere, ac inter diversa studia, respectusque Ordinum vix unquam in eandem sententiam conspirari posse: periculum autem cui occurrendum sit, indies gliscere, cui sistendo remedia mature adhibenda. Igitur Electori nil promtius videri, quam ut Cæsar quamprimum insignes copias Rhenum versus mittat, securitati Imperii eo loco invigilaturas. Quod exemplum sine dubio* *Cæsar in societatem expeditionis invitatur.* 4. Maij.

1672. *alii patriæ amantes Principes sint secuturi. Ac Electorem paratum esse Cæsari assistere, ac copias eodem mittere; quo fine, si hoc videatur, tractationem suscipi posse.* Si super publico Imperii exercitu moveatur, ostensurus erat; De motibus, atque aulis Galli Ratisponæ nil adhuc ad Ordines relatum. Nec spem esse ibi operæ pretium futurum ob Colonienſis, Bavari, & his innexorum contradictionem; ac tarde concluſa lentius adhuc exſecutioni danda. Fœdus, qvod Cæſar cum aliqvot Principibus inierit, periculi magnitudini haut ſufficere. Trevirenſem, & alios ita Gallicis armis cinctos, ut ni hæc alibi diſtrahantur, iſti ſe movere neqveant. Monaſterienſem forte armis magis contra Imperium, qvam alios uſurum. Saxonibus nulla arma in promtu. Eqvidem Electorem ab eo fœdere amplectendo non alienum eſſe; ſed in eo haut perſpicere ita promtum remedium, qvam periculi magnitudo reqvirat. Porro à Turca periculum adhuc incertum eſſe; ac tot legiones, qvot Cæſar ad Rhenum miſſurus ſit, facile per Ordines ſuppleri poſſe. In Polonia id agendum, ut inter Regem, & Ordines concordia ſit; qvo facto ei Regno vires haut defore externis hoſtibus propulſandis. Nec Electoris operam Regi defore, ſi is ipſius fidei ſe committere, ac turbidos qvosdam Boruſſos, inanibus qverelis contra pacta apud ipſum perſtrepentes, à ſe rejicere velit. Nam eſſe in Polonia multos bonos cives, apud qvos Electoris conſilium non modicum pondus ſit habiturum. Cæterum petere Electorem, ut Cæſar IV eqvitum, II M peditum exercitui ſuo adjungere velit; aut ſi id abnuat, ut ſaltem auxilia è fœdere anno 1660 inito repræſentet. Tum ut Saxo in ſocietatem pertrahatur, urbisqve Colonienſis cura geratur. Miniſtris Cæſareis in memoriam revocandum erat, Electorem ſuo ſuffragio momentum electioni Leopoldinæ attuliſſe, eoqve nomine apud exteros Reges gravem invidiam contraxiſſe, ac multa adverſa pertuliſſe. Unde
19. Maij. nunc vices ipſi referri par eſſe. Iſtis apud Cæſarem ab Anhaltino propoſitis is generoſa Electoris conſilia laudare, per qvæ Germaniæ incolumitas qværenda ſit. Apud Lobcovvicium Principem, penes qvem hactenus ſumma conſiliorum in aula Cæſarea fuerat, cum eadem exponeret, hic diſſerebat: *in aprico eſſe, Gallum hoc bello nil aliud, qvam perniciem Imperii qværere. Aulam Cæſaream male audire, qvod omnia ibi tam lente agantur. Sed poſtqvam hæc talis modo ab Electore excitetur, ſiniſtram eam famam brevi abolendam. Periculum qvod à Turca ſpargatur, exigui eſſe momenti. Cæterum ordine procedendum, ac primo adaptanda fœdera, inde conſilia, demum ad remedia & executionem procedendum.* Addebat, Gallum Neoburgico Cliviam, & Marcanam provinciam obtuliſſe, ſi arma ipſi ſociare velit. Eadem & Saxoni oſtentata fuiſſe. 1672.
Hiſpanicus legatus Marchio Balbaſius dice- *de los Balbaſes.*
bat; rem apud Cæſarem jam decretam: ſed miniſtros Cæſareos haut omittere ſolitas per artes obſtacula injicere. Emmericus qvoqve monachus jactabat: jam ſpecimen fuiſſe captum, qvid commodi importuna cunctatio attulerit, dum per eam Sveciæ conjunctio amiſſa fuerit. Intra breve tamen tempus negotium cum Anhaltino confectum, ac fœderis formula concepta, *30. Maij.*
qvo Cæſar V eqvitum VII peditum M ad diem viceſimum Julii conjuncturum ſe promittebat eo loco, qvem Elector velit.

§. 10. Paucos poſt dies Elector eun- *Altera vice ad Cæſarem mittitur.*
dem Principem iterum ad Cæſarem mittebat, ut pro tam generoſa declaratione gratias ageret. Sed qvia inſperati Gallorum *17. Jun.*
progreſſus faciem rerum eousqve mutaſſe rint, ut majoribus copiis uſus ſit, Cæſar rogabatur convento numero plures addere legiones, iisqve Montecuculum præficere cum plena agendi poteſtate, qvæ ratio belli poſtulet, ac ut in negotiis, qvæ moram non ferunt, ipſi haut neceſſum ſit mandata ex aula expectare. Tum ut iter Cæſarearum legionum acceleretur. Utilis erat ejus Principis Viennam adventus, ne tumultus in Polonia obtentui ſumerentur ad captum ſemel conſilium retractandum. Nam eo tempore Gnieſinenſis Archiepiſcopus, & Joannes Sobieſcius minabantur, ſe Michaëlem Regem ſolio dejecturos. Dicebat Auguſta vidua Anhaltino: *ſe genero ſuo ſvaſiſſe, ut potius ante ſuorum aciem armatus in mille ſe fruſta concidi patiatur, qvam ultro ſe Regno abdicet, ac per contumeliam, & miſeriam deinceps ævum exigat.* Eadem, cum ſuper aliqvot legionibus ad Poloniæ limitem mittendis agitaret, id valde diſſvadebat Princeps ob ſuſpicionem Ordinum; ac potius ſtimulandos eſſe Nobiles, ut qvem Regem crearint, eundem & tueantur. Eodem *30. Jun.*
tempore Gallus Cæſari ſcripſerat; ne hic ſuſpicionem ex ipſius armis concipiat, qvibus nil contra Imperium ſit tentaturus; ac qvæ jam faciat, non niſi ad hoſtes ſuos pauliſper caſtigandos ſpectare. Qvæ qvidem proteſtatio facto contraria videbatur, cum utiqve is Lotharingum ditione expuliſſet; ac Clivicas urbes occuparet. Nec minus proditio patriæ erat, qvod Colonienſis Gallo

Nove-

1672. Novesium, & Keisersvvertam ultro traderet; cum inter causas belli referret, à Belgis Rheinbercam detineri. Ac vero comprehendi animo non poterat, id Germaniam non tangere, si Gallus Belgium subvertat, aut, uti iste subtilius loqvebatur, ad humilitatem redigat; qvod isto subjugato non poterat non Belgium Hispanicum qvoqve, & Germania in exitium trahi. Etsi cum bellum declinari nonposset, satius videbatur Belgas invadi, de qvorum viribus ad resistendum amplissime sperabatur, qvi tamen aliorum ope utiqve fulciendi sint. Non enim exautorare posse Gallum numerosissimas copias, ni seditiones domi experiri vellet, præsertim à Nobilitate, qvæ iterum immensos sumtus in expeditionem fecerat. Præterqvam qvod existimationi ejus plurimum decessurum erat, si post tantas minas nil susciperet. Cæterum Cæsari ab Electore proposita probabantur, ac decernebatur, ut Montecuculus cum XVI M ad diem 15. Augusti Egræ se sisteret. Inde post lustratas copias eum citato itinere ad Electorem præcessurum, super conjunctione copiarum, itinere, & actionibus consultaturum. Utrumqve operam daturum, ut Danus, Saxo, Luneburgici, Hassi, ac alii huic fœderi accedant; qvod & Electori periculosum esset, ipsos solos eam causam suscipere. Dixerat post Gremonvillius ministris Cæsareis: *Qvid Patres Mullerum, Dorellanum, & Emmericum dicturos, qvod Cæsar cœptam à Gallia Rege fidei Catholicæ propagationem ob privatum Brandenburgici Electoris emolumentum impedire veritus non sit?* Nimirum Gallus per obnoxios sacerdotes omnibus Catholicis Principibus, ac præcipue Cæsari, & Hispano ingesserat, sibi nil aliud propositum, qvam hæresin in munitissima sua arce expugnare, per manifestam Numinis gratiam validissimis ejusdem propugnatoribus Anglis, atqve Belgis jam in mutuam destructionem incumbentibus velut divinitus immisso furore, uti qvondam hostes populi Israelitici in mutua vulnera ruentes. Qvibus offuciis effectum fuerat, ut Cæsar candidi juxta, devotiqve animi Princeps, scrupulo conscientiæ ab istis indito fascinatus per otium spectaturus videbatur Belgium subverti, ni Elector torpentem excitasset, ut tandem animadverteret, incendium post consumtas vicinorum ædes mox ad alios trajecturum, ac haut perniciosius grassari ambitionem, qvam religionis larva adornatam.

§. 51. Ejus fœderis ista erat forma: *Postqvam inter Ser. Pot. & Invictissimum Principem, ac Dn. Dn. Leopoldum divina fauente clementia Electum Romanum Imperatorem semper Augustum, nec non Hungariæ & Bohemiæ Regem (t.t.) ex una, & Ser. Principem ac Dn. Dn. Fridericum Wilhelmum, Marchionem Brandeburgensem S. R. Imperii Archicamerarium, & Principem Electorem (t.t.) ex altera parte pro defensione Regnorum, Ducatuum, terrarumqve suarum diversis temporibus, uti infra exprimitur, fœdera sancita fuerunt: & vero cum Sæ Cæs. M.jestati, tum Suæ Serenitati Electorali consultum, necessariumqve visum, ut ea pacta non solum renoventur, sed & præsenti rerum statui ad eo melius ab Imperio, dictis Regnis, Ducatibus, terrisqve repellendas hostilitates, turbasqve, tum ad avertenda belli pericula, damnaqve conformentur. Idcirco utriusqve partis ad hoc constituti Plenipotentiarii certis mandatis instructi, & à parte qvidem S.æ Cæs. nec non Hungariæ, & Bohemiæ Regiæ Mtis Illustriss. & Excell: Dn. Joannes Liber Baro de Goessen Suæ S.Cæs.Mtis Consiliarius Imperii Aulicus: ex parte vero Suæ Seren. Elect.is Celsissimus Princeps, ac Dn. Dn. Joannes Georgius Princeps Anhaltinus, Comes Ascaniæ, Dominus in Berenburg & Zerbst, Electoratus Brandenburgensis Locum-Tenens, & Generalis Campi Mareschallus, dictorum Principalium nomine in sequentem pactionem convenerunt. I. Maneat constans, & inviolabilis inter utramqve partem amicitiæ nexus, alter alterius commoda promovere studebit, damnaqve mutuo avertere, & reciprocæ utilitati, & securitati sedulo consulere. II. Specialiter denuo confirmatur, & renovatur fœdus defensivum inter S. M.em Cæs.am, & Suam Seren.em Elect.em Brandenburgicam qvoad Status, & provincias utriusqve partis d. 9. Febr. 1658. conclusum, & d. 10. Maij 1666. ad alios decem annos post elapsum primum decennium, confirmatum, & extensum, nec qvid in ullo articulo, puncto vel punctis immutatum censeatur, nisi in illis, super qvibus hic amplius, & latius conventum est. III. Scopus hujus moderni, & novi fœderis defensivi est, ut pax Osnabrugensis, & Monasteriensis servetur illæsa, nec per ullum, qvicunqve ille sit, in sinistram interpretationem propria autoritate trahatur, ut etiam sub nullo prætextu contra Imperatorem & Imperium, pacemqve ejus publicam, & contra juramentum, qvo qvisqve Imperatori, & Imperio obstrictius est, fœdera fiant, vel si facta forent, ut ea tollantur, & cassa habeantur, nec ab ullo compaciscentium dicta Pacis Westphalicæ, vel dictarum pacificationum consortibus, vel à qvocunqve alio, ambobus paciscentibus, aut Statibus Imperii, qvi dictam pacem Westphalicam observant, vel directe*

1672. Fœdus inter Cæsarem atqve Electorem. 13/23 Jun.

1672. *vel indirecte qvidqvam hostilitatis, inimicitiæ, molestiæ, aut impedimenti qvoad personas, statum, bona, vel securitatem per se vel alios inferatur; sed si qvid contra factum fuit, vel fuerit, nec amicabilis debortatio locum invenerit, armis mutuis pacis turbatores, ac violatores ad debitam satisfactionem compellantur. IV. Permittitur omnibus pacificationis consortibus huic fœderi defensivo æquis conditionibus, & cum consensu utriusque partis debito tempore accedere: sicuti & in arbitrio Coronæ Hispanicæ stabit eidem accedere. V. Cum totius Imperii interfuerit tam pacem Olivensem, & Clivensem, qvam Pirensem, & Aqvisgranensem pro conservando Belgio Hispanico concludi, exinde operam dabunt ambo pacificentes, seqve mutuo obligant, ut hæ omnes maneant illæsæ, vel si his contraventum fuerit, ea restabiliantur, præstita tamen ab aggressore, vel violatore congrua satisfactione. VI. Pariter cum transactio inter Ser. El. Colonien sem, & civitatem Colonien sem concluſa, & à S. Mte Cæsarea ratificata jure merito sit observanda, utraqve pars ex jam dictis transigentibus conjunctim remedia competentia expectet. VII. Sociabunt in casum necessitatis ambo pacificentes sua consilia, & opera necessaria, ut omnem invasionem, violationem, aut turbationem retundant; nec desistent, usqve dum debite satisfactum fuerit. VIII. Tenent proinde pro conservanda tranqvillitate publica paratum utraqve pars exercitum tam pedestrem, qvam equestrem, parem huic suscepto negotio cum omni necessario tormentorum apparatu. IX. Et cum Sua Majestas cum aliqvibus Electoribus, & Statibus Imperii provisionale fœdus defensivum concluserit, dabit operam Imperator, atqve allaborabit, qvantum in se, ut dicti Electores, & Status huic moderno fœderi accedant. X. Neutra pars ex ambobus confœderatis possit facere aliqvid momentosi, vel transactionem pacis aut induciarum inire, nisi conjunctim cum altera, & ex ipsius consensu. XI. Durabit hoc fœdus minimum per decennium à die hodierna, qvo elapso, aut etiam ante ambæ partes pacificentes de prorogatione hujus fœderis ulteriore juxta rerum exigentiam convenient. Concluſa fuerunt hæc omnia inter prænemoratos S. a Cæs. & Reg. Mtis, & Serenitatis Sæ Elect. is Plenipotentiarios vigore plenæ facultatis, ac mandatorum à suis Principalibus ipsis concessorum, & reciproce commutatorum, qvorum tenor infra seqvitur, sub ratihabitione Sæ Cæsæ Regiæqve Mtis, & Serenitatis Suæ Electoralis, qvas utriusqve partis plenipotentiarii intra spatium qvinqve hebdomadarum à data hujus computandarum extradendas, & commutandas promittunt. In qvorum fidem præsens hoc instrumentum à prænominatis Dnn. Plenipotentiariis subsignatum, & sigillis munitum est. Actum Berolini d. 1/11 Junii Anno 1672.* 1672.

Articuli Secreti.

I. Ante omnia mutuis consiliis, & auxiliis Coloniæ provideatur. Cæsarea Majestas teneat intra proximum bimestre à die hodierna, & congreget XII M tam eqvitum qvam peditum; armis & omni apparatu militari & re tormentaria talibus copiis convenienter instructa. Elector eidem paratum habeat exercitum, nempe XII tam eqvitum qvam peditum, omni simili apparatu proportionabiliter instructa. II. Nihil qvod summam rei contingit, nisi communi consensu suscipiatur. III. Circa religionem, & Status Ecclesiasticos Imperii exacte observentur singula, qvæ in pace Westphalica comprehensa sunt, & omnia qvoad dictum punctum religionis in moderno statu relinqvantur, ita ut nulla Archiepiscopatuum, vel Episcopatuum, Abbatiarum, Præpositurarum, Commendarum, & aliorum qvorumcunqve bonorum & beneficiorum Ecclesiasticorum fiat vel imminutio, vel in partes discerptio, multo minus universalis alienatio, sed Romano Imperio, & fidei Catholicæ conserventur, nec jura electionis Capitulis competentia qvocunqve modo turbentur. IV. Maneat etiam civitati Bremensi, ejusqve territorio, & subditis præsens suus status, libertas, jura, & privilegia sine impetitione, tam in Ecclesiasticis, qvam Politicis. V. Quandoqvidem etiam in Imperii constitutionibus præclare sit ordinatum, qvid exteris in Imperio circa coactionem militum, transitum, & hospitationes eorundem liceat vel minus; non permittent ambo pacificentes, ut qvid in his, & similibus in Imperatoris, & Imperii præjudicium, aut contra pacem publicam fiat, aut Sæ Cæsæ M.tis summis juribus, regalibus, dignitati, & autoritati ullum præjudicium inferatur. VI. Curet Elector, ut Serenissimus Rex Daniæ, Domus Brunsvicensis, Hassо-Cassellana, aliique huic fœderi proxime accedant.

Fœdus secretum Cæsaris cum Gallo.

Enimvero ut penitius intelligatur, qvare isthoc fœdus eum, qvem Elector speraverat fructum non habuerit, nec suscepta expeditio ex voto successerit; noscendum est superiore anno inter Cæsarem, & Galliæ Regem ejusmodi fœdus fuisse initum; de qvo post demum Electori innotuit. Qvod qvia cum eo, qvod cum Electore initum fuerat, pariter consistere non posset, nec tamen tam egregium hujus institutum destituere placeret; id sane qvam absurdum temperamentum Cæsarei ministri commenti sunt, ut dicis causa copias cum Electore conjungerent,

1672. gerent, sed eo ipso hujus conatus eluderent, ne contra Gallicum fœdus qvid egisse argui possent. *Cum Serenissimus & Potentiss: Princeps ac Dominus, Dominus Leopoldus Electus Romanorum Imperator (t.t.) ex una, & Ser. ac Pot. Princeps ac Dominus, Dominus Ludovicus XIV Galliarum, & Navarræ Rex Christianissimus ex altera parte, perpenso modernorum temporum statu sibi proficuum fore judicaverint ad promovendam mutuam securitatem se invicem eatenus obligare, ut alter in alterius amicitia eo certiorem fiduciam collocare qveat: idcirco inter ambarum finarum MMtum deputatos, plenipotentia idonea instructos, nempe ex parte S. C.æ Mtis Dn. Joannem Paulum Hocher L.B. dictæ S. C.æ Mtis Consiliarium intimum, & Cancellarium Aulicum, Austriacumqve: ex parte vero S.æ Mtis Christ.æ Dn. Jacobum Brethel à Gremonville Equitem, & Commendatorem Sti Ord. Hierosolymitani, Regis Christ:æ Consiliis secretis, Locumtenentem Generalem exercituum, & ablegatum Extraord: apud Imperatorem, altissime memoratarum MMtum nomine sequens fœdus factum, & conclusum fuit I. Stet firma Pax Monasteriensis inviolata, nunqvam interrumpenda, inter S.m C.s. Mtem, & omnes Status, Vasallos, & Subditos Imperii ex una: deinde S.m Mtem Christianiss.am ex altera parte, nec altera alterius hostes præsentes, aut futuros sub ullo pretextu directe vel indirecte armis, pecunia, commeatu, consiliis, aliterve juvet, prout in dicta pacificatione, ad qvam habetur relatio, cautum & comprehensum est, nec etiam liceat subditis, vel vasallis alterius, qvi seditionem, commotionem, aut rebellionem, vel defectionem qvocunqve modo, ubicunqve locorum contra unam ex his dictis Majestatibus moliuntur, ullo imaginabili auxilii genere assistere, aut in protectionem suscipere. II. Cum vigore dictæ pacificationis nulli omnino Statuum Imperii permissum sit jus suum vi vel armis prosequi, sed si qvid controversiæ jam exortum sit, sive post hac inciderit, unicuiqve jure experiundum sit, ea insuper, qvæ judicis sententia definiuntur, sine discrimine Statuum executioni demandanda, prout Imperii leges de exeqvendis sententiis constituunt: idcirco Rex Christ:ius non posset, aut debeat præstare ullum auxilium directe vel indirecte, sive armis, & milite, sive pecunia, commeatu, consilio, aut alter, nec per se vel alios illis, qvi asserta jura sua armis persequi, aut evincere conantur, deflonabuntur; neqve etiam impedire, qvominus contra hos executioni dentur leges, & constitutiones Imperii constitutæ ad tuendam, & conservandam tranqvillitatem publicam. Qvod etiam attinet controversias, qvæ inter S.m Mtem Cæs.am & S.Mtem Christ:am vel jam ortæ sunt, vel adhuc* 1672. *orientur; tollantur illæ per amicabilem compositionem, aut si hac non seqveretur per arbitros utriusqve partis in æqvali numero: & si hi non convenirent, per arbitrum ab ambobus eligendum. Idem etiam observetur inter Regem Christ:um, & Status, subditos, aut vasallos Imperii qvoad controversias, qvæ inter S. Christ: Mtem, & dictos Status vel subditos, aut vasallos Imperii sive unum, sive plures vel jam ortæ sunt, vel adhuc orientur, ut scilicet etiam omnes tales controversiæ non per arma, sed amicabilem compositionem, aut arbitros utriusqve partis determinentur, omni violentia penitus exclusa. Cum etiam jam in primo articulo expressum sit, ne alter alterius hostibus ullo modo auxilium præstet; inde etiam qvoad Status Imperii omnia, qvæ in tractatu Monasteriensi comprehensa sunt, hic repetita intelligantur, non secus, ac si hæc singula de verbo ad verbum hic forent inserta. III. Cum Imperatoris, totius Imperii, imo universæ Christianitatis intersit, pacem Aqvisgranensem servari illesam, & propterea Sua M.C.æ ejus conservationem merito desideret; idcirco Rex Christ:us promittit Imperatori ejus exactam observantiam in omnibus capitibus, aut articulis sine ulla exceptione, ut proinde liberum sit modo memoratæ Cæs. Mti promittere, & præstare guarantigiam, & manutentionem dictæ pacis Aqvisgranensis Regi Catholico, apud qvem etiam, si opus fuerit, interponet efficaciter officia possibilia, ne is qvid faciat contra dictam pacem, sed ut hæc conservetur stabilis in beneficium qvietis universalis. Ut itaqve eo magis mutua amicitia inter Imperatorem, & Regem Christ:um posthac servetur, utraqve pars alterius, nec non Regis Catholici utilitatem, honorem, ac commodum promoveat, qvin etiam Sua Meas Cæs. intuitu, & ex causa mutuo promissæ à Rege Christ:o observantiæ dictæ pacis Aqvisgranensis se obligat & spondet, qvod si illæsa permanente ex parte Regis Christ: modo memorata pace extra circulos, & feuda Imperii, qvos, aut qvæ Status, aut vasalli Imperii possident, inter Regem Christ:um ex una, deinde Reges Angliæ, & Sveciæ, & Unitos Ordines Belgii ex altera parte insurgeret bellum apertum, qvod in talem casum, & eventum Imperator, excepta pacifica interpositione suorum officiorum se non velit immiscere tali bello, nec per se, nec per alios, nec cum his ad illorum defensionem, nec cum aliis ad hunc finem & effectum facere confœderationem contra Regem Christ: nec dicto Regi Angliæ, Sveciæ, ac Ordinibus unitis Belgii, si erunt hostes Regis Christianissimi in casum supra memoratum dare, aut submittere ullum auxilium sive armis, sive pecunia,*

1671. *nia, consilio, vel ullo alio modo. Et hæc omnia ad majorem confirmationem veræ amicitiæ & pacificationum antea subsecutarum. Per hanc confœderationem non sit derogatum confœderationibus, quas Imperator hucusque concluſit, aut concludet pro defenſione terrarum, & feudorum Imperii, vel Regnorum, aut provinciarum ſuarum. Sicuti nec per hanc confœderationem cenſeatur derogatum fœderibus, quæ Rex Chriſtianus concluſit, aut concludet pro defenſione Regni Galliæ, cum hoc tamen moderamine, & explicatione, ut nec Imperator, nec Rex Chriſtianiſſimus ſive ſub prætextu, aut ex cauſa fœderum cum aliis concluſorum, vel concludendorum aliquid faciat, aut paciſcatur, quod huic conventioni eſt contrarium: nihil etiam per hanc præjudicatum intelligatur guarentigiis, quas ſive Imperator, ſive Rex Chriſtianus promiſit in pace Olivenſi, & deinde anno 1666. pace inter dictos Ordines Belgii & Epiſcopum Monaſterienſem ſubſecuta. Servetur hoc fœdus ſecretiſſimum, nulli, quicunque ille ſit, ſine conſenſu alterius partis quovis modo communicandum. Curet etiam Utraque Mtas, & efficiat, ne hoc per ſuos, qui hujus rei notitiam modo habent, pandatur, & divulgetur. Concluſa ſunt hæc omnia inter prædictos ambarum Majeſtatum Plenipotentiarios vigore plenæ facultatis & mandatorum à ſuis clementiſſimis Principalibus ipſis commiſſorum, & reciproce commutatorum ſub ratihabitionibus Imperatoris, & Regis Chriſtianiſſimi, quas utriusque partis Plenipotentiarii inter ſpatium ſex hebdomadum, ab iſto die computandarum extradendas, & commutandas promittunt. In quorum fidem præſens hoc Inſtrumentum à prænominatis Plenipotentiariis ſubſignatum, & ſigillis munitum eſt. Actum Viennæ d. 1. Novembris Anno 1671. Regnorum noſtrorum Romani XIV.o Hungarici XVII.o Bohemici vero XVI.o* Ratihabitionem Cæſar propria manu ſubſcripſerat die XV. Decembris eodem anno. Ex hoc fœdere non obſcure colligitur, aulæ Viennenſi tunc animum non fuiſſe iſti ſe bello miſcere, ni Elector manum rei admoviſſet. Cujus generoſa conſilia cum deſtituere pudor eſſet, præſertim cum is non obſcure inſinuaret, ſe cum Gallo tranſacturum, ac partem tam Uniti quam Hiſpanici Belgii ſibi ſtipulaturum, ſi Cæſar in tanta rerum converſione ſe movere nolit; & tamen male conſultum fœdus protinus abrumpere haut placeret, temperamentum comminiſci viſum, quod neutri ſatisfaceret, utrumque offenderet, dum movent, ſed nihil promovent. Quanquam & illud in hoc tractatu abſurdum habebatur, Cæſarem ſibi omnium tractatuum evectionem reſervare; cum ſatis noſſet, Gallum ſalva pace Weſtphalica, & Cliventi, ut Belgii quidem fines attingere poſſe. Aſt nunc ab Epiſcopo Monaſterienſi pax Clivenſis aperte infringebatur, qui & Cæſari arma omittere monenti ſtolide reſponderat; Belgas ipſius vitæ inſidias ſtruere; unde ſui defenſionem ſibi fuiſſe ſuſcipiendam. In fœdere quoque iſto expreſſum erat, Cæſarem Belgis non adſtiturum, ſi extra limites Imperii invadantur. Jam aut Belgium ex ipſo Imperio, imo hoc prius, quam iſtud invadebatur, ita ut fœdus huic expeditioni obſtare non debuerit. Poſtquam itaque Anhaltinus Princeps Viennam perveniſſet, Cæſar ſchedam ad Lobcovvicium ſcribebat, qva inter alia dicebatur, *cum ab inimicis accuſari, velut Gallo magis ſtudeat, quam rationes Domus Auſtriacæ ferant: unde neceſſum eſſe, ut per bona opera, quæ diverſum demonſtrent, ab eo flagitio ſe purget. Nec amplius in quæſtione eſſe, an hoc negotium ſit amplectendum; ſed eum dumtaxat laborem eſſe, ut Anhaltinus bono cum reſponſo dimittatur, & conducta executioni promte dentur.* Unde & Lobcovvicius quam maxime circa Anhaltinum dimittendum ſatagere videbatur; ac palam in Conſilio dicebat; *neminem honeſtum virum aliter Cæſari ſuadere poſſe, quam ei utique hoc negotium amplectendum. Equidem hactenus rem paulo lentius fuiſſe actam, quod ipſe tradiderit à Republica primum Galli impetum ſuſtineri poſſe, nec periculi quid eidem eſſe. Sed nunc ſatis adparere, ni ejus cauſa ſuſcipiatur, ad deſperata conſilia eandem deſcenſuram. Se quoque Hiſpanis ſtimulos additurum, ut & ipſi arma ſumant; quibus & ſat cauſæ prabitum ſit, quod Galli, inſuper habita ipſorum proteſtatione eorundem ditiones cum exercitu tranſierint, & Condæus aliquot dies in Limburgenſi provincia ſtativa habuerit. Nam quod Gallus Hiſpanis offerat, ſi quieſcant, ſe illis oppida Brabantiæ quæ à Belgis poſſideantur, tum navigationem Scaldis aperturum, id inane eſſe.* Navaverat quoque in hoc negotio ſedulam operam Pater Emmericus, ſubinde ingerens, ne Cæſar ulterius ſe contemni patiatur; ac ſegnitiem aulæ Viennenſis Gallo ad talia ſuſcipienda audaciam addere. Porro Anhaltini negotiatio non in Cancellaria Imperii, ſed in Auſtriaca ſuſcepta, atque expedita fuit; ac jactatum fuerat, Cæſarem non ut talem cum Electore fœdus iniſſe, ſed ut Archiducem. Et cum poſt decerneretur, ut extracta ejus fœderis Ordinibus Imperii, & ſociis Regibus ex Imperii Cancellaria communicarentur, id facere Kœnigseckius Procancellarius recuſabat, cauſatus, id ab eo fieri par eſſe, 1671.

1671. esse, qvi fœdus confecerit; nec è dignitate Cæsaris esse notificare, qvod Archidux fecerit. Causa ejus subtilitatis erat, qvod pace Westphalica cautum esset, ut futuris bellis inter Galliam, & Hispaniam Cæsar ut talis, & ut caput Imperii neutri adsisteret citra ejus pacis violationem; id qvod tamen Austriæ Archidux velut Status Imperii, & qvidem extra Germaniæ limites facere possit. Unde Gallo minorem qverendi causam fore, si expeditio non ut ab Imperatore, sed velut à qvodam ex Ordinibus suscepta videretur. Placuit etiam *reqvisitoriales* ad Ordines emittere hoc sensu: *Qvia Cæsar viderit, publicam militiam Ratisponæ lente expediri, ac interim tempora incidere, qvæ prompta remedia exposcant; sibi ex officio necessitatem impositam idoneo exercitu ad Rhenum misso communi securitati tantisper prospiciendi, qvoad alia remedia parentur. Ac spem esse, non solum omnes patriæ amantes ea destinata probaturos, sed & copiis transitum, & itineri necessaria præbituros.* Sed Procancellarius negabat, ejusmodi *reqvisitoriales* à se expediri posse, qvod tractatus cum Electore in Cancellaria Imperii expediti non sint; nec à se dici posse, Cæsarem ex officio ad hanc expeditionem compulsum; cum semper sibi dictum sit, Cæsarem tanqvam Archiducem cum Electore tractare. Demum idem eas literas expediebat, sed addebat, ut super alimentis militi præbendis cum dominis territoriorum conveniatur, & omnia secundum leges Imperii fiant. Enimvero ista verba dispungebantur, ac insuper addebatur de concedendis exercitui ad qvietem diebus, & ut machinis, & impedimentis vehendis eqvi præbeantur. Ejusmodi literarum, ut & talium, qveis legationis fides fieri solet, ultra ducentas secum assumebat, Montecuculus etiam ad eos, qvos nunqvam cum exercitu aditurus erat, qvo amplior occasio foret Ordines pecuniis emungendi. Gremonvillio de hoc fœdere significabatur verbis duntaxat laxissimis; id unice spectare pacis in Germania conservationem, nec esse, qvod Rex Galliæ ex eo ullam suspicionem concipiat. Qvi & initio multis verborum blandimentis testabatur, Gallum cum Imperio pacem, cum Cæsare amicitiam sancte culturum; ac in eam rem omnem cautionem promittebat, qvæ salva ratione expeti posset. Anglus qvoqve per Guasconum offerebat, se Cæsari, & Imperio cauturum, Gallum nil contra Imperium agitare; sed tantum Belgas paulisper in ordinem redigere velle, omnibus Regibus formidabiles; qvorum vires immensum exaggerabat. Mox cum Gallus jam Isalam transisset, Cæsari de suis progressibus significabat, addito, se ubiqve locorum cultum publicum rituum Romanorum restituisse. Cui vicissim Cæsar victoriam contra Belgas gratulatus fuerat. Sed postea Gremonvillio, qvo fine Cæsareæ copiæ iter ingrederentur interroganti, respondebatur: *se qvoqve ante biennium non interrogasse, qvo fine Gallus cum justo exercitu in Flandriam spatiatum iret. Unde nec aliis circa hoc iter causam esse curiosè inqvirendi: nec à Cæsare rationem exigi posse, qvare copias suas intra limites Imperii iter facere jubeat, cum intra & extra ejus limitem tot armatorum exercitus bellum gerant, qvod jam partem Imperii involverit.* Sed qvo responso is non contentus, inter alia Cæsari exprobrabat: *cum à Rege Cæsari anno 1663. auxilia contra Turcam missa sint, istum non meruisse ut ab hoc in piis suis conatibus impediatur. Ac nescire se, qvid Cæsarei sacerdotes dicturi sint, qvod cum Belgæ jamjam pacem magno cum emolumento Catholicæ religionis amplexuri essent, unice per decretum Cæsaris super mittendis, auxiliis retracti fuerint. Et qvia Gallus qvondam viderit, non esse è bono Ecclesiæ Catholicæ Poloniam pessum ire, Cæsaris conatibus contra Svecos eum non obstitisse. Unde iniqvum esse, pariter nunc à Cæsare circa Belgas haut fieri.* Etsi non erat, qvod Galli auxilia adversus Turcam missa Cæsari imputaret, cum antequam ea venirent, Gallus Hungariæ proceres jam corrupisset. Unde noxiis auxiliis amoliendis pax cum Turcis ineunda fuerat, qvi alias longius repelli potuisse videbatur. Cæterum etli Anhaltino responsum dabatur, qvale optaverat; Viennæ tamen credebatur Lobcovicium numero suffragiorum victum, ac eum rem ita moderaturum, ut Belgas ex ea expeditione exiguus fructus sit mansurus. Non potuisse Cæsareos defugere, qvin Electori ostenderent, se nolle otiosos spectatores agere, dum à Gallo summa imis vertuntur. Sed non defore artes, per qvas ista cœpta irrita reddantur; præsertim cum Lobcovicius, ac Montecuculus inter se colluderent, qvorum & hic privatas ob utilitates à bello abhorrere, ac ægre in expeditionem trahi dicebatur; nec tamen ut alius eo imperio potiretur, æqvo animo ferebat. Unde cum Electore id reqvirente expeditionem declinare non posset, stipulabatur; ne sibi necessum sit Viennæ demum mandata petere, qvod ipse consilii militaris præses sit, ac qvæ ad bellum faciant, melius qvam alii intelligant. Ac palam dicebat Bruninxius Belgarum ibi minister; *Viennæ nil solidi expectandum: ac metuere* *Bruninx.*

1672. *metuere se, ne Elector decipiatur; quod & ipse Anhaltino prædixerit. Et sane Cæsarem Gallo scripto caviſſe, ab hiſce armis nil ipsi metuendum. Unde cum quæ dentur responsa sibi non constent, utique alterutrum decipiendum.* Ac sane cum jam Cæsareæ copiæ Egra moverent, Lobcovicius Moguntino confirmarat, eas non ita prope ad Gallum acceſſuros, ut ad manus sit perveniendum: & conjunctionem copiarum ideo tantum fieri, ut Electoris deſtinatis velut fræmum injici poſſit. Sed & perſvaſerat sibi Montecuculus, Turennium haut auſurum Rhenum transire, eundemque modicis copiis inſtructum. Sed mox cum contrarium adpareret, plures legiones sibi subnitti poſtulabat. Quod cum fieri non poſſet, à Weſtphalia in Haſſiam diverſus abibat. Quanquam non Turennio minus, quam Montecuculo vi iſtius tractatus injunctum erat à mutua invaſione abſtinere. Ac alias per Lobcovicium ad Camprichtum, & alios Cæsareos miniſtros Cæsaris nomine, hoc tamen inſcio, talia mandata perſcripta fuerant, è quibus satis adparebat Cæsarem prodi, & à Lobcovicio cum Gallis colludi. Porro & multi alii eidem sese expeditioni opponebant. Ac in primis Nuntius acerrime renitebatur, clamitans; *iniquum esse Gallum in tam sancto proposito contra hæreticos distrahi.* Nec deerant Viennæ cæca superſtione imbuti, qui gaudebant, à Gallo hæreticos, quos ipse in odium Domꝰ Auſtriacæ foverat, nunc ultro oppugnari; ac Nemesin divinam manifeste inde perſpici, quod is partim adjuvantibus, partim conniventibus Principibus Proteſtantibus magnum iſtum hæreticorum nidum deſtruat, ubi omnes tam Eccleſiæ, quam Principibus suis rebelles asylum invenerint, & unde tot libri pro nova doctrina propugnanda per orbem sparsi sint. Ac paria deinceps Proteſtantes Germaniæ manſura. Nec vero aliter judicari poſſe, quam fata jam hæreticis exitium ſtruere. Sed & Moguntinus Electoris conſiliis obſiſtebat, ac Cæsari ingerebat; *non protinus ferrum ſtringendum. Calida Brandenburgici conſilia; ac miſſionem copiarum ad Rhenum, quæ agitur, non esse idoneum remedium pacis in Germania conſervandæ. Quin melius totum negotium componi poſſe, ſi ab universo Imperio ſequeſtris officium ſuſcipiatur.* Cui & alias frequenter in ore erat; *plura conſilio quam vi molienda.* Etsi inficiari non poſſet, à Gallo pacem Germanicam violatam. Ei Cæsar declarabat: *Sibi animum non esse Colonienſem, ac Monaſterienſem ob anteacta, aut evictionem pacis Clivenſis Belgis debitam ulciſci, multo minus Gallum ob occupata loca per Clivíam invadere; ſed unice id agere, ut in futurum mala avertantur, ne Gallo cum ſocio audacia gliſcat, Belgæ autem, & Elector ad deſperationem adacti noxia Germaniæ, ab hiſque conſilia arripiant. Electorem confirmaſſe, ſe nil infeſti in Gallos ſuſcepturum, quoad ſuæ copiæ ipſi junctæ fuerint: ac tunc Montecuculo curæ fore, ut aulæ intentio obtineatur, nec ſupervacuæ ruptura anſa præbeatur. Etſi contra optandum ſit, ne Gallus per inutiles minas Electorem, & reliquos fœderatos irritet, eoque & ſe invitum in arma perſtrabat. Sane Belgas inſignia, ac Domui Auſtriacæ utilia offerre: ſed uti in eorum gratiam pacem cum Gallo abrumpere animus non ſit, ita rem interea integram relinqui, ut ſi Gallus importunitate ſua neceſſitatem afferat, cum iis ſemper conveniri poſſit.* Lobcovicius quoque Moguntino confirmarat; *has copias nullum Gallum conſpectaras. Equidem Cæsarem ſat alte incauſam deſcendiſſe: ſed videndum, quomodo iterum pedem retrahere queat. Eodem modo etiam Hiſpanos ducendos ad modum parvulorum, ne qua impingant, ac in os prolabantur. Haut ſibi tam obtuſa pectora eſſe, quin intelligant, quantum ſit Regem Gallia annis, animisque vigentem, tantis commodis potitum, ac forte nil niſi arma ſpirantem, Sveica inſuper ſocietate ſuccinctum, lacesſere; præſertim, cum nondum à Turca ſatis cautum ſit. Ne tamen uti antea, querelæ ſurgant; Viennæ nil vigoris oſtendi, ac ne Elector, & Belga in deſperationem vertantur, expeditionem quidem decretam; ſed ideo magni nominis ducem copiis præfectum, ſine quo Elector nil ſuſcipere poſſit, & cujus phlegma iſtius fervorem temperaturum ſit. Qui ita rem moderaturus ſit, ne ad manꝰ perveniatur; prout in mandatis ipſi datum.* Sicut & poſt Lobcovicius Gremonvillio confirmabat: *Aulæ Cæsareæ ne per ſomnium quidem in mentem veniſſe, copias trans Rhenum ducere. Nec Montecuculum, utut jam à Cæsare juſſus ſit, in Turennium, aut Condæum ire bello, utut viribus ſuperior, & Elector acerrime inſtet.*

Burckersrode.

Sed & Burckersrodius legatus Viennæ Saxonicus fremebat; *Saxoni haut tolerandum, Brandenburgicum tantum non Dictaturam in Imperio, & ſummum armorum moderamen affectare.* Quem & Moguntinus monuerat, ne cum iſthoc conſilia, & arma ſociaret. Nec minus Bavarus; quem Gallus, ac Lobcovicius oſtentatione coronæ Romanæ ſimul corruptelis miniſtrorum irretitum tenebat. Evvaldum Kleiſtium Viennam miſerat, declarationem ſuper conſiliis Cæsaris petiturum, poſtquam neque Cæsar, nec Elector ſibi de præſen-

1672. præsentibus destinatis communicarit. Qvem & æmulatio in Electorem stimulare cœperat, qvod hic aulæ Cæsareæ tam arcte se innecteret qvam ipse solus possidere cupiebat; atqve eam in Imperio viam, qvam ejusdem pater Maximilianus, ingredi velle videretur. Sane Bavaro missionem exercitus haut idoneum remedium videri conservandæ pacis, sed melius fore, si nomine Imperii interpositio offeratur. Ei demonstratum; *qvanta violentia Gallus cum Electore egerit, dum ipso inconsulto Clivia totos exercitus infundit, munita loca occupat, ac demolitur: cum tamen Gallus, si alicujus è suis Nobilibus arce ad alios usus indigeret, huic de eo in antecessum significaturus sit. Monteregio semper arma ostentari, ni faciat, qvæ Gallus desideret. Qvia ergo Cæsar ab Electore de fœdere, qvod inter ipsos est, monitus fuerit, ac ádparuerit, de dignitate, & securitate Imperii agi; non potuisse non arma parari, saltem ut Gallus intelligat, esse qvi injustæ ejus violentiæ se opponere audeat. Fœdus ad eundem scopum collimare, qvem Svecus, & Gallus suo fœdere præ se tulerit: ac Cæsari ideo superfluum visum, Ratisponæ de eo proponere, cum Colonienses, & Monasterienses inconsulto Imperio Galli se fœderi innexuerint. Ac ingens esse inter ea fœdera discrimen, qvod hæc ad offensionem, illa ad defensionem vicinorum, ac Imperii spectent. De pace Pyrenæa, Aqvisgranensi, ac Clivensi mentionem injectam, cum salus Imperii reqvirat istos tractatus salvos persistere. Cæsarem anno 1667. propriam domum deseruisse, ne bellum extraberetur: sed Gallum dein eo nomine ipsum irrisisse. Unde denuo ad eundem lapidem impingere nolle; qvin ostendere decrevisse, sat animorum sibi adhuc esse ad defensionem. Ac si præclara conantes fortuna destituat, gloriosius tamen fore ruinam patriæ armis ad extrema connixum, qvàm manibus in sinum compressis spectare. Interpositionem non repudiandam, ac facile pati posse, ut Bavarus de ea proponat. Sed Cæsarem ut id faciat haut decere, qvod in causa Lotharingica ita ignominiosè à Gallo habitus fuerit, dum inter alia Windischgræcio Comiti à se misso diceretur; discederet modo; nam antequam ipse domum attigerit, Lotharingum restitutum fore.* Cum Bavarus ulterius de interpositione ingereret, reponebatur; *eam non ad solius Belgii, sed & Germaniæ qvietem referendam: qvo fine confirmationem pacis Aqvisgranensis, & Lotharingi restitutionem necessariam esse; ni subdola pace sibi illudi velint, per qvam nil aliud qvam separatio fœderatorum qværatur. Nam per Lotharingiam qvatuor Electores, aliosqve Ordines ita constringi, ut se commovere non possint.* Cæterum cum post à Gallis Cæsari objiceretur, istud fœdus ab hoc violatum; ei reponebatur: *id pactum fuisse initum, postqvam Gallus valida auxilia contra Turcam promiserit, ac se Regem Poloniæ futurum. Eodem qvoqve Cæsarem salvam pacem Westphalicam stipulatum; & ne qvis Ordinum Imperii vi invadatur: ut lis super decem civitatibus Alsaticis, & alia controversa amice componantur; ut Cæsari pacem Aqvisgranensem, nec minus Westphalicam, & peculiariter Clivensem præstare integrum sit. Sed & Cæsarem sibi jus fœderum citra exceptionem reservasse; ac duntaxat promittere, si Gallus Belgas extra Imperii limites invadat, ei bello se haut misturum. Qvæ si attendantur, Cæsarem nil contra id pactum fecisse.* Eo in pacto Gremonvillius de Clivensi pacto tolerare noluerat; Lobcovicius tamen ei demum id persvaserat hac data explicatione, per ist hoc peculiare negotium Westphalicam pacem alterari non posse. Clivicas qvoqve urbes Belgico milite infestas inter loca Imperii non habendas.

§. 52. Eodem tempore ad Electorem à Galliæ Rege veniebat Vauguionus Comes, qvi missionis causam ferebat, qvod *Rex audierit, Electorem cum Belgis fœdus iniisse, ac ab iis pecunias accepisse; simul in aula Cæsarea, & apud multos Germaniæ Principes consilia exqvirere. Eqvidem famæ fidem non adhibere Regem; pro amicitia tamen, qva eum semper amplexus sit, nosse velle, qvid is consilii super præsenti rerum statu ceperit; medium se gerere, an adversa parti accedere velit? Qvorum hoc etsi Rex sperare haut possit, velut qvi qvavis occasione amicitiam erga Electorem testatus sit: æqvidam tamen declarationem exposcere. Sane Regi decretum Pacis Westphalicæ legibus stare, qvarum tam contineatur, ne qvis Ordinum Germaniæ hostibus Galliæ auxilium ferat. Id si absqvam factum fuerit, Regem eo ipso pacem abruptam judicaturum, & omnes Westphalicæ pacis consortes ad hanc præstandam evocaturum.* Ad ista ab Electore delegati in antecessum reponebant: *Electori mirum iri visum, à Rege suam sententiam exqviri, cum is tamen huic nullam suspicandi causam præbuerit. Contra Electori non potuisse non molestissimum esse, Regem tanto cum exercitu ipsius provinciam ingressum, eamqve misere vastasse, loca munita expugnasse; inprimis Emmericum à Belgis desertum, & Electorali milite custoditum, hoc dimoto occupasse. Qvæ reparatum iri spes sit.* Ad qvæ Gallus: Regem ista oppida cepisse, qvia hostium præsidia ibi

Gallia Regis ad Electorem missio. 5. Jun. Vauguion.

1672. repererit, ac hi eadem injuste detinuerint. Cæterum omnibus provincialibus, qvi id desiderarint, militem tutelarem concessum. Si qvid damni datum sit, præter jussa factum: nec tanti exercitus incessu omnia ad ungvem exigi posse. Alias Regem gravia supplicia exigere, si qverelæ super militum petulantia ad ipsum perferantur. Qvid Emmerici contigerit, sibi incognitum. 12. Jun. Sed justum responsum ab Electore ad hanc formam datum: *Sibi gratum esse, à Rege rumoribus fidem non adhibitam, ac servandæ amicitiæ ablegatum missum. Sese paria facere, ac ea, qvæ de Regis in ipsius fraudem tendentibus destinatis inaudierit, non credidisse, sed pariter ad eundem mittere voluisse. Interim qvare super talibus Rex qveratur, rationem se haut dispicere. Nam Belgis Domum Brandenburgicam per seculum paulo minus fuisse innexam; ac novissimum fœdus, ex qvo isti auxilium expetant, Rege commendante, initum. Pecuniam, qvæ soluta sit, mutuo acceptam. Consultationes Viennæ, & alibi habitas conservationem pacis in Germania spectasse, cujus cura sibi ex officio incumbat. Arma à se parari tutandæ pacis Westphalicæ. A se nil per vim in Regem actum, ac ne auxilium qvidem è fœdere debitū Belgis missum; cum tamen Hispani insignibus licet copiis concessis pacem haut infregisse censeantur. Qvia igitur Rex de tuenda Imperii pace semper testatus sit, spem sibi esse, Clivia oppida sibi redditum iri, reparato qvoqve dato damno. Et qvia Rex tam sæpe professus sit, se paci paratum fore, qvam primum suæ gloriæ ob acceptas à Belgis offensas litaverit, se rogare, ut Rex significare velit, num eo nomine officium suum ipsi gratum sit futurum. Sane jam præclarissimam Regi occasionem allubescere immortalis gloriæ parandæ, si tam felici armorum successu pacem malit.* Cæterum per Crocovium 14. Jun. nonnulla pressius proponenda. Qvo responso accepto iste discedebat.

Ablegato Gallicus denuo redit.

24. Jun. §. 53. Idem Vauguionus paulo post reversus proponebat; *ab Electore nuper haut liqvido significatum, qvæ hac tempestate ipsi sententia sedeat: neqve Crocovium venisse, de qvo mittendo spes facta fuerit. Postqvam igitur Rex intellexerit, ab Electore numeroso milite Lipstadium insideri, tum per universam Germaniam legatos circummitti; cum pro sua prudentia facile judicare potuisse, isthæc ipsius emolumentum haut spectare, postqvam ille observando medio statu sese obstringere noluerit. Brandium insuper Holmiæ qvæstum, à Colonienſi externum militem in Imperium deduci, ac bellum in Westphaliam pertrahi; qvo nomine Svecos auxilia popo-*

scerit. Igitur Regem nosse velle, qvid ab Electore sibi sit expectandum, postqvam is omnia incassum tentarit, ut is medius manere velit. Sane Regi liqvido constare, qvid Electori cum Belgis convenerit, ac omnem armorum paratum in horum gratiam fieri; Imperii tutelam obtentui sumi. Ad ista Elector: *Latum sibi, à Rege nil exprobrari potuisse in amicitiæ leges à se patratum; ac omnia meris suspicionibus niti. Eo minus decuisse legatum nullo fundamento ita rigide liqvidum responsum exigere. Sane arma à se tam periculoso rerum statu tutando Imperio, ac propriæ ditioni parata; qvod qvare Rex prohibere, aut improbare velit, nullus color sit, cum ipse eos limites haut excesserit. Contra sibi gravissimam qverendi causam esse, Clivia agminibus hinc inde tendentibus evastata, oppidorum & arcium munitionibus disjectis, milite suo Gennepa, & Emmerico ejecto; tot aliis denique patratis, qvæ totiens repetitis de amicitia testationibus haut qvadrent. Super qvibus cum sine dubio legatus in mandatis habeat, se qvomodo ista excusare velit expectare.* Ast Gallus non sine impatientia fremere: nil certi responderi, & qvod non sæpius ingestum sit. Multis verbis opus non esse. Magnos armorū paratus fieri: Electoris copias propinqvare finibus provinciarū, qvas Rex hosti eripuerit. Regem ferre non posse, ut vel exiguus exercitus ad latus ipsi consistat. Contra nostri: Sua loca milite firmare nemini vitio verti posse. Si Rex ferre neqveat, alienas copias prope se subsistere; num Electori ferendum, Colonienſem militem in ipsius provincia metari, & haut procul iis locis, in qvæ iste actionem moveat? Ab Electore nil agi, nisi qvod securitas Imperii reqvirat. Nec de reparando damno sermonem fieri. Vicissim Gallus: loca qvæ Rex ceperit, non in Electoris, sed Belgarum potestate fuisse. Istum forte eadem legitimis dominis redditurum. Electoris delectus majores esse, qvam pro modo defensionis. Qverelas in Svecia motas, fœdus cum Belgis, de qvo hi tantopere crepent, Galliæ nil amici polliceri; nec Regem pro sua prudentia ista insuper habere posse. Nostri: in solius Electoris arbitrio non esse medio se statui adstringere, sed isthoc ad totum Imperium spectare. Gallus: satis constare, ab Electore omnia moveri. Cæterum Gallus iste qvandoqve fervide loqvi, ac non admissi status medii causas non audire: à se proposita subinde ingerere; ad objecta nil respondere. Interdum Regis potentiam immensum extollere, ac Germanorum paratus ultra verba non procedere;

1672.

1672. dere: aliqvando Electoris copias æstimare, de ipso magnifice loqvi. Simul præter Clivicarum urbium restitutionem millionem ostentare, si Elector Belgis auxilium ferre omiserit. Demum scripto responsum isti
31. Jul. tradebatur hoc sensu: *Electorem haut perspicere, qva de causa legatus data declaratione haut adqviescat. Ipsum nil magis optasse, qvam Regis amicitiam, sibi semper maximi æstimatam, illibatam conservare, qvo voto felicissime potiturus fuerit, si Regi placuisset pacem amplecti, ac præbitam Imperio suspicionem amovere. De qvo is eo certiorem sibi spem fecerit, qvo freqventius Rex promiserit de pace Orbi Christiano danda, ubi gloriæ suæ litatum fuerit. Porro tantum abesse, ut Elector qvidqvam contra Regis arma molitus sit, ut potius vastationem Cliviæ, ac tot damna sibi illata summa cum patientia toleraverit. Sed & eundem sæpius testatum, arma, ac fœdera sua non aliud spectare qvam pacem Germaniæ, & propriarum ditionum securitatem: qvod eo minus Regem offendere debeat, qvo sæpius is protestatus sit, ipsi pacem Westphalicam magnopere cordi esse. Brandium in Svecia non nisi de Coloniensi, & Monasteriensi qvestum, qvi limites migrarint, qvos publicæ leges delectibus Ordinum præscribant.* Ad qvæ Gallus nil qvod reponeret habebat, ac se eadem ad Regem relaturum. Tandem cum sæpius ingesta iteraret, Elector id responsi
1. Aug. dabat: *Se valde contentum fuisse futurum declaratione Regis super indulgenda Imperio qviete, ni res ipsa plane diversa arguat. Sane Cliviam belli malis plane exhaustam; destructis tot oppidis, atqve arcibus irreparabile damnum illatum: tributa civibus suis imperata: tot per suam provinciam novata: supremi imperii jura usurpata; prorsus velut Clivia ad se non spectet, nec Germaniæ membrum sit. His tamen omnibus si Gallus remedium adferat, sibi immotum desiderium perstare amicitiam Regis conservandi. Porro qvæcunqve à se diversis in aulis, ac Ratisponæ agitata fuerint, non alium scopum habere, qvam pacem Germaniæ, valde qvidem læsam per ea, qvæ in Clivia, & alibi facta sint. Qvæ cum ipsum tam prope tangant, qvis qverimonias prohibuerit? Qvæ protinus cessaturæ sint, si omnia in priorem statum reponantur, ac ipse curis liberetur per officium injunctis. Per oblatam oppidorum restitutionem sibi non satisfieri, qvæ alias secuta pace facienda erat. Et qvia eorum locorum detentio nullo jure nitatur, sibi spem esse, Regem justitiæ, & æqvitatis respectu eorundem restitutionem haut diutius dilaturum. Armis suis à se nil aliud spectari, qvam pacem Germaniæ; de qva servanda cum & Rex testetur, ista huic displicere non posse. Ac si Rex sibi intra Germaniæ fines tenenti exercitum obviam mittat, utiqve directe Imperium invadi, ac pacem Westphalicam infringi.* Paulo post Vauguionus pro- 1672. 29. Aug.
ponebat: *cum Regi variis ex indiciis constet, Electoris exercitum in Westphaliam, ac versus Rhenum, adeoqve in ipsum, fœderatosqve Præsules progredi; ei per leges prudentiæ, tum ad commoda, magnitudinem, & honorem suum tuendum necessum fuisse Turennio injungere, ut omissa Hollandia, ac superato Rheno Electori obviam procedat. Regem qvidem amicitiam erga Imperium continuaturum: non posse tamen fœderatos suos deserere, etsi invitus cœpta sua adversus Hollandiam abrumpat. Qvod si tamen Elector copias suas à locis per Regem occupatis, ac fœderatorum terris retrahat, à Rege qvoqve exercitum in Hollandiam revocatum iri.* Ad qvæ Elector respondit: *Postqvam à se acta, ex qvo tempore bellum in Belgio, & ad fines Imperii cœperit, examinaverit, nil reperire potuisse, contra leges Imperii, & pacem Westphalicam à se patratum. Unde admodum improvisam sibi accidere propositionem, seu clarigationem potius nomine Regis Galliæ sibi jam factam. Sane sæpius se declarasse, cum bellum in Germania geratur, imo in ea cœperit, ac suæ ditiones ejus malis premantur; neqve Cæsarem, neqve se potuisse, qvin arma expedirent, ac iis locis propinqvarent, qvibus auxilio opus sit. Et cum nil magis in votis sibi fuerit, qvam ut amicitiam cum Rege continuare daretur, credi non potuisse, minas in se jactatum iri de obviam mittendo exercitu, qvo ipso non possit non pax abrumpi, ac communis Principum libertas destrui; qvorum judicio libenter actiones suas submittat, qvippe conformes publicis legibus, ac juri omnibus Germaniæ Principibus competenti. Unde spem esse, exercitum Regis non ulterius in ipsius ditiones penetraturum, nec sola potentia fretum minas sparsurum. Qvod si tamen Rex iis destinatis haut dimoveatur, se de innocentia sua protestari: nec Regem unqvam honesto orbi adprobaturum, bello petiisse Principem, cui nil aliud curæ fuerit, qvam sua tueri, & pacem servare, in qva ipsi Regi magnæ partes sint. Nec sperare, ab ullo sibi prohibitum iri, qvo minus qvæ officii sui sint faciat, & de qvibus nemo Principum alteri rationem reddere teneatur.* Ad 19. Sept.
extremum Vauguionus Electori jam expeditionem ingresso Witzenhusæ ad Werram proponebat: à Rege sibi injunctum denuo confirmare, sibi decretum pacem Westphalicam exacte observare. Ac uti Rex initio belli in eam rem isti fidem dederit, haut spernendis emolumentis oblatis: ita

1672. eandem mentem ei, præsertim circa Clivicorum oppidorum restitutionem, adhuc persistere. Qvia etiam Rex intellexerit, Electorem non solum cum exercitu ingruere, sed etiam super Emmerico à suis occupato qverelas movere, ad Bavarum, & alios Imperii Ordines missurum, qvi eos de suo in Germaniam animo, & actionibus omni reprehensione vacuis plene edoceant. Inde literas proferebat, qvibus à Rege avocabatur. Cui Elector: gratum sibi esse, qvod Rex pacem Westphalicam servaturum se profiteatur: nec aliam sibi mentem. Non solum autem justam sibi qverendi causam esse super iis, qvæ Emmerici contigerunt, sed & qvod provincia sua tam immaniter habeatur, oppidis, atqve arcibus suis destructis, ac passim vastitate facta; qvæ in præsens suo loco relinqvat.

Periculosissimus Belgarum status.

§. 54. Dum ita Elector omni modo pro Belgarum Rep. nititur, ea interim in periculosissimum statum præter omnium opinionem prolapsa erat, intra unius mensis spatium tribus provinciis à Gallo, & fœderatis Colonienſi, ac Monasterienſi occupatis, Geldria, Transisalania, & Ultrajecto, una cum oppidis, qvas Belgæ in Colonienſi præsulatu, & Clivia insederant. Et omnes qvidem urbes langvida, aut nulla defensione oppositа malignis legibus deditæ; nisi qvod solum Neomagum nonnihil vigoris ostendit, ac demum Groninga acerrime in sui defensionem connixa Monasterienſis oppugnationem cum gloria sustinuit, ac obsidium re infecta solvere coëgit. Qvin jam in ipsa Hollandiæ interiora penetrabatur, ac tantum non in conspectu Amstelodamum erat, ni perruptis aggeribus superfusæ terris aqvæ Gallorum impetum stitissent. Haut qvippe visum Gallo post tantos progressus gloriam suam aleæ exponere, insolito aqvatici belli genere suscepto, ac reliqva per tractatus moliri instituit; aut si Belgæ in pervicaciam se obfirment, hiberno gelu stratis glacie aqvis in ipsa provinciæ penetralia perrupturus. Tantæ calamitatis non una causa habebatur. Munimenta urbium fere collapsa: militiæ terrestris misera facies, post Principis mortem negligentius habitæ. Ac spes avertendi à Gallo belli effecerat, ut ingruente jam hoste delectus demum instituerentur, ac socii circumspicerentur. Multi qvoqve proditionem Wittii arguebant, qvi omni cura in firmandam classem conversa terrestrem militiam ultro corrumpi siverit; in qvam dein imperium Arausionenſi in unum duntaxat annum collatum fuerit, qvo spatio si primo hostis impetu 1672. nondum coalita ejus autoritate, nec debito rerum provisu aliqvid cladis acceptum fuisset, (qvod facile prospiciebatur,) in eum culpa infelicis successus conjici posset; qvem post consumto populi favore penitus evertere consilium fuerit. Apud provincias autem, qvæ supererant, uti improvisis malis trepidatio, desperatio, ac ob proditionis suspicionem per omnes fere urbes tumultus, sic ut plurimi præsens Reip exitium imminere crederent. Provinciæ qvoqve, ac Proceres inter se discordes; & alebant confusionem Wittiani, qvo inter turbida destinatis suis potiri possent, subruto Arausionenſi, & adscito Galliæ patrocinio; cui obtentui sumebatur, qvod nullibi Reip. subsidii aliqvid adpareret. Qvin & Elector publice arguebatur, qvasi & ipse inter calamitatis hujus causas fuerit, dum auxilia promiserit, eoqve nomine multum pecuniæ acceperit, ac nunc data opera iter exercitus sui inhibeat. Ast Elector per suos ministros Belgis demonstrabat: In se nil plane desiderari posse, qvod ad avertendam hanc calamitatem faceret. Qvin se solum in hoc negotium ancipitis aleæ plenum descendisse ejusmodi cum conditionibus, qvas neqve Cellenſis Dux, nec alii admittere voluerint. Qvod autem nunqvam æqvissimis suis desideriis satisfactum, ac per istam cauponationem tantum temporis frustra consumtum sit, non se, sed illos inculpa esse, qvi tot obstaculis objectis impedierint, ne maturius rei manus admoveri posset. Qvanqvam autem Gallus semper jactasset, se Remp. haut penitus destructurum, aut suam sub ditionem redacturum, sed satis habiturum ejus insolentiam castigasse: metus tamen erat, ne invitanti occasioni se præberet, ac tantos successus qvoad liceret perseqveretur. Sane altius penetrabat, qvod Strada legato Gallicus qvondam sæpius è Vidua Arausionenſi qvæsivisset, an non aliqva ratio iniri posset, ut Galliæ Rex Cliviam emtione aut permutatione sibi adqvireret? Idemqve Blaspielum rogasset, ut filio ipsius prædium nobile in ea provincia dispiceret, qvod qvantovis pretio emturus sit. Qvin ingressus Gallorum exercitus eam provinciam velut pro sua usurpabat. In pactis deditionum Electoris, ejusqve jurium ne verbo qvidem mentio fieri: cives captarum urbium in Galliæ Regis verba adigi: Vesalienses mille florenis multati, qvod jussu Electoris diem precibus publicis, ac jejunio dicassent: Resæ, & Emmerici Catholicis primaria templa tradi, per Bullionium Cardinalem prius

inau-

1672. inaugurata. Orsoiæ, & Buderico munitiones detrahi: qvin nec oppidis Electoris milite infestis parci. Sane Emmerico Belgæ militem suum deduxerant, cui mox è Calcaria Tettavius centurio cum octoginta peditibus immissus est. Sed paulo ante hujo adventum delegati à decurionibus per præcipitantiam claves portarum Resam ad Condæum attulerant; qvi protinus Gallico milite oppidum occupavit, insuper habito Tettavio, cui nec ullæ ad resistendum vires, ac Calcariam cum suis remisso. Idem & circa Gennepam arcem contigerat.

Quidvel-ut super-stes pa-trum a-pud.

§. 95. Sed gravissimum erat, qvod Wittiana factio, penes qvam hactenus summa consiliorum in Rep. fuerat, ignava jam consilia ingereret, ac fœdam ad transactionem rem deducere conaretur, oppido qvã indecoram iis, qvi octoginta per annos pro libertate bellum tanta cum gloria gesserant. Sane ita infenso in Arausionensem animo Joannes Wittius erat, ut Rempublicam pessundare, qvam istum in majorum autoritatem reponi mallet. Cum de Rheinberca dedita nuntiaretur, iste dixerat; jam dimidiam Reip. partem periisse, nec aliud remedium supersse, qvam cum hoste pacisci. Mox propius ingruente periculo svadebat; legatos ad Regem mittendos, qvi ejus postulata cognoscant: interim sedem Reip. Haga Amstelodamum, nec minus armamentarium Delfis eodem transferendum. Super qva missione etsi Emmanuel Lira legatus Hispanicus publice qvereretur, ac multi procerum fremerent, & Arausionensem inclamarent; Wittiani tamen, ut eadem in Consessu Ordinum Hollandiæ tumultuario decerneretur, pervicerunt. In consessu Ordinum Generalium de eadem laxioribus duntaxat verbis propositum, hautqvaqvam justa consultatione instituta. Legatis simpliciter procuratorium dabatur ad concludendum sub sperati, nulla instructione scripto tradita. Ea de missione Electoralibus Hagæ ministris nil publice communicatum, prout par fuerat. Qvibus tamen per eos, qveis Wittiana consilia displicebant, clam insinuatum, ut Anglo significarent; postularet is modo pro se, atqve Arausionensi, qvicqvid videretur; cui vel pars in societate Indiæ Orientalis, ac Arausionensi amplior dignitas qvam majoribus ipsius annuenda sit. Id enim satius sibi fore, qvam Gallicum jugum, simul Romanos ritus subire. Qvod & Anglo à nostris denuntiatum fuit. Ac plebs magnopere à Gallis abhorrebat, ac palam fremebat: modo Elector in vicinia cum exercitu sit, se hunc Principem adscituros, trucidatis qvi obsistere sint ausuri. Sane in lucem jam emergere argumenta secretorum consiliorum, qvæ antea Joannes Wittius cum legatis Gallicis Strada, Pomponio qvotidie fere per senas, octenas horas, & amplius agitaverit. Cumprimis Zelandi indignari, raro alias Hollandis concordes, ac ingruente necessitate magis Angliam qvam Galliam respecturi. Qvorum ferocia, ac ut ægre in transactionem cum Gallo consentirent, metuebatur. Unde Gallus aliqvot millia ex urbibus Flandricis contracta, qvi alias reliqvum exercitum præter Trajectum ad Mosam, & Maseicam seqvi debebant, repente inter Gandavum, & Brugas versus Catsandam insulam properare jusserat, ex qva in Zelandiam facilis transitus erat. Ubi Galli speraverant, se Ardenburgum, ac Slusas, utrumqve oppidum maligne instructum, oppressuros. Sed qvi conatus irritus fuit, istis ab Ardenburgo magna cum strage rejectis, oppidanorum, ac ipsarum mulierum fortitudine ad extremum connixa. Cæterum super conditionibus, in qvas cum Gallo pax inennda sit, Wittiani differebant: aliqvot milliones parata pecunia, ac insignem partem in societate Indiæ Orientalis, tum aliqvot loca extra limites septem provinciarum danda. Ut qvoqve Resp. in usum Galliæ certum numerum bellicarum navium præstet, eidem qvavis occasione terra mariqve adsistat, & eosdem cum ista amicos, hostesqve habeat: ejus destinata nunqvam directe, aut obliqva ratione impediat; nec sine Regis consensu fœdera ineat, aut bellum suscipiat: deniqve ritibus Romanis plus libertatis qvam hactenus concedat. Vicissim Gallum huic Reip. velut sibi fœderatæ omnibus viribus contra quoscunqve semper adfuturum, ac supremum ejus imperium, regimen, sacra, & omnia alia jura relicturum, ac conservaturum. Qvæ in majus aucta vulgabantur, ut si cum Gallo mollioribus conditionibus decideretur, id populo velut ingens beneficium imputari posset. Gallis porro hoc modo plus emolumenti ex hac Rep. proventurum, qvam si eam plane in ditionem redigerent. Nam sive Hispanicas provincias invadere, seu Germaniam, Angliam, Sveciam, Daniam invadere placeat, ejus Reip. vires isti semper ad nutum fore. Porro Belgarum legati Bartholdus Gentius, Petrus Grotius, Odyckius, & Eckius Galliæ Regem in castris ad Doesburgum adiere; qvos cum Luvoisius, ac Pomponius interrogarent, num plenis mandatis instructi sint super summa rerum tractandi; &

1672.

1672. di; & qvas conditiones Resp. proponat promtæ paci constituendæ ? isti reponebant, *se tantum venisse ad intelligendam Regis sententiam, cui glorioſius fore conditiones pacis ferre, qvam admittere.* Ad qvæ reponebatur; *Regem non tractare, nisi cum plenam agendi facultatem habentibus. Omnia qvæ Rex occupaverit, jam ipsius esse, qvæ restituere haut animus sit; & reliqva mox secutura. Qvo plus temporis trahatur, eo durius id Reip. fore, cui nullum remedium sit reliqvæ servandi, nisi citra moram transactione inita.* Ita formula pacti adornabatur, cujus hæc capita erant: *Ut Regi Galliæ tradantur omnia qvæ Resp. extra septem provincias qvocunqve titulo possideat: tum Delfzylam cum viginti proximis parochiis; Comitatum Mauriæ pro Electore Colonensi, ut tamen Resp. Arausionem indemnem præstet: Grollam, Befortum, Lichtenvordam, & supremi imperii in Borckeloam jus: omnia, qvæ inter Rhenum, Leccam, & Hispanorum fines jacent. Belgas tamen Betaviam retinere posse, hac lege, ut Gallo cedatur Bommela, Vorna, D. Andreæ castellum, Crevecœura & Lœdesteinum; Schenckis castello, Knutsenburgo, ac Heusdæ munitiones deturbantur. Ut porro Gallis liberum sit in has provincias accedere haut inspectis qvæ secum adportent, & concessa à vectigalibus immunitate. Ut omnia edicta super commerciis revocentur, & omnia in statum reponantur, qvi anno 1662 fuerit, è sola Belgarum, non item Galliæ parte. Ut Galli eximantur oneri solvendi qvinqvaginta solidos in singulas tonnas, ac insuper habeatur uti nationes, qvibus plurimum libertatis in Belgio indulgetur. Super societate Indiæ Orientalis peculiariter tractandum. Catholicis publicum ritus sui exercitium concedendum, eosqve ad munia publica admittendos. Inter Danos, ac Belgas in universum omnia utrinqve debita per compensationem abolenda. Octo milliones pro impensis belli solvendos. Deinqve qvotannis legationem extraordinariam mittendam, qvæ publice gratias Regi agat, qvod secunda jam vice hanc Remp. restituerit, oblato numismate aureo sex pistolettorum, ejus rei argumentum continens.* Ea cum pacti formula Grotius Hagam revertit, cui discedenti Luvoisius dixerat, intra paucos dies pacem cum Rep. fore. Qvibus gemina & Grotius Hagæ jactabat. Ea res in consessu Ordinum Hollandiæ, inde apud Ordines Generales disceptata, ubi extuperante consternatione plera qve Hollandiæ urbes, ac qvatuor provinciæ Geldria, Hollandia, Ultrajectum & Transisalania consentiebant, ut legatis facultas concludendi mitteretur ea lege, ut septem provinciis libertas, supremumqve imperium, sacra, ac 1672. vetera jura salva persisterent. Qvibus tamen Amstelodamenses fortissime contradixere, ut & provincia Zelandia, Frisia, & Groninga. Ita pervincente suffragiorum numero Grotius cum mandatis ad Regem regressus est, minus alacri vultu, qvam cum è castris Gallicis Hagam rediisset, in qvem & multi procerum in consessu publico acerrime invecti fuerant. Ea tamen negotiatio mox abrupta est, conversione rerum in Belgio facta, ac revivisicentibus Amstelodamensium præcipue exemplo masculis consiliis, nec minus Zelandis, Frisiis, ac Groningensibus fortia ingerentibus; cum parum abfuisset, qvin tam nobilis Resp. in turpem pacem præcipitaret, ipsi alisqve servitium parituram. Sane fatebatur Arausionensis Electoralibus ministris: plerosqve Hollandiæ rectores transactioni cum Gallis pronos fuisse, modo Rex iis, qvæ extra fines septem provinciarum jacebant, contentus esse vellet. Sed cum Hollandiæ delegati ad se accessissent sententiæ suæ exqvirendæ, se citra ambages dixisse: *neminem honestum virum, ac bonum civem talia suadere posse. Sane plura pro libertate audenda, ac pugnandum, qvamdiu locus supersit, ubi pes figi qveat. Se utiqve sanguinem, & vitam pro Reip. periculo expositurum.*

§. 56. Anglis porro ab initio non minus insolentiæ qvam Gallis fuerat. Ad eos Belgæ tres qvoqve legatos miserant, Moermannum, De Wee, & Eyckium, ut qvas Angliæ Rex conditiones laturus sit, cognoscerent. Eos in Angliam adpulsos Rex Hamptoncurtum paulo minus qvam in honestam custodiam mittebat, qvoad ex Gallo cognosceret, qva ratione legati habendi forent. Inde delegantur, qvi Belgarum propositionem cognoscerent. Qvi cum dicerent, se venisse, ut audiant, qvam rationem pacis ineundæ Regi proponere placeat; hic graviter excandescens fremebat: se audaciam, ac pervicaciam Belgarum mirari, qvod cum ipsius amicitiam implorare debeant, jam in extrema necessitate constituti per contatum veniat, qvid ipse dicendum habeat. Sed mox auditis Galli enormibus progressibus, ac Ultrajectum jam deditum, ingens in aula Anglicana consternatio surgebat, ne Belgio repente per Gallum oppresso Anglia prima moti præter rationem belli pœnas lueret. Nam fœdere inter eos convenerat, ne Galli provinciam Hollandiam, qvam sibi stipulati fuerant, prius occuparent, qvam Anglis Zelandia tradita foret. Igitur propere Buckinganiæ Dux, & *Angli Gallorum successus suspectant.*

Arlin-

1672. Arlingtonius in Belgium mittuntur; qvi Hagam delati multis de ſtudio ſuo in hanc Remp. teſtabantur, magnopere Gallorum progreſſus mirati, nec leviter indignati, à Gallo ſuſcepta cum Reip. delegatis tractatione Angliæ tam exiguam rationem habitam. Qvi & ipſi tamen conditiones pacis proponebant Gallicis haut multo modeſtiores. *Ut Belgarum naves Anglicis navibus bellicis ſuppara ſubmitterent, in toto mari Britannico adoriantuqve Belgæ, & ut integræ qvoqve Belgarum claſſes eum ſalutationis honorem vel unica navi Anglicana exhibere teneantur. Ut intra annı ſpatium Anglis, qvi Surinamæ ſint, abeundi qvo velint libertas ſit. Ut omnes Angliæ ſubditi læſæ majeſtatis damnati ex Unitis Provinciis proſcribantur. Ut Belgæ Anglo impenſas belli reddant qvaterdecies centena millia librarum Sterlingenſium. Ut iidem annua dena millia librarum ſolvant pro captura halecum ſub litoribus Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ. Ut Arauſionenſis ſupremum in provincias imperium habeat, aut ſaltem gubernationem à majoribus poſſeſſam; eoqve ſine prole maſcula defuncto Angliæ Rex provinciarum Gubernator conſtituatur. Ut intra trimeſtre tractatus fiat regendis commerciis. Ut Regi Angliæ cautionis loco dentur Walachriæ inſula, Sluſa, Catſandia, Goerea, & Vorna. Ut Gallo qvoqve, ac fœderatis Præſulibus ſatisfiat. His tamen conditionibus Regem teneri nolle, niſi intra decem dies acceptentur.* Qvæ ne reſponſo qvidem digna habebantur. Inde ad Arauſionenſem in caſtra apud Bodegravam legati acceſſere, cui confirmarunt; nunqvam Regi ſuo mentem fuiſſe, Belgium ut à Gallo opprimatur pati, qvi & ſæpe teſtatus ſit, arma ſe induiſſe non evertendæ Reip. ſed paululum caſtigandæ. Ac demum pollicebantur, ſe effecturos, ut Galli Trajecto ad Moſam contenti ſint, & jure poſſeſſionis, qvod Belgæ hactenus in Clivicis, & Colonienſibus ad Rhenum urbibus habuerint. Eas conditiones ſi Gallus adſpernetur, denuo cum Belgis ſe conſultaturos, avertendo Reip. exitio, & ne periculoſa Galliæ potentia gliſcat. Ac conſtabat Regum ſociorum conſilia eo anno turbata fuiſſe, poſtqvam nec prælio navali Belgas vincere, nec Briclam occupare potuiſſent; qvibus fundamentis iſta ſuperſtructa fuerant. Ad iſta Arauſionenſis reſpondit: Conditiones, qvas Angliæ Rex Belgis ferat, ejus indolis eſſe, ut de iis ne cogitandum qvidem ſit, inprimis de tradendis tanti momenti locis. Ac ſi is Remp. ulterius premere pergat, deſperata, & Angliæ ingrata conſilia captum iri. Et poſtqvam ipſe jam majorum ſuorum dignitate potitus ſit, Regem neminem infeliciorem redditurum, qvam ipſum, ſi Gallo favere, ac vires ſuas in Remp. vertere pergat. Contra nil optatius ſibi contingere poſſe, qvam ſi Rex operam navare velit ad Remp. præſentibus malis eripiendam. Iidem diſſerebant, Regem nolle cum Ordinibus agere; ſed ubi ſupremum Belgii imperium in Principem ſit collatum, cum hoc ſibi facile conventurum. Simul eundem ſtimulabant, ut ſupremum iſthoc imperium, qvod fœderati Reges ipſi tradere decreverint, admittere, ac fortunæ ſinum pandere velit. Sed qvæ audire adſpernatus Princeps generoſe regerebat: qvia patria in ipſo fiduciam repoſuerit, ſe huic, non ſibi inſervire velle. Et qvod imminere jactetur exitium obſirmatis in conſtantiam animis propulſari poſſe. Ac ſane talia ad diſſidium in Rep. ſerendum jactari manifeſtum erat. Parum qvoqve honeſtum judicabatur, qvod iſti legati Monteregio Hiſpanico Gubernatori ſvaſerant, ut Boſcum Ducis, Bergas ad Zomam, & Bredam, in qvibus tunc Hiſpanicus miles præſidium agitabat, ſuo Regi teneret. Id qvod is velut bonæ fidei adverſum dereſtabatur; nec tale flagitium ſibi in mentem veniſſe.

1672.

§. 57. Enimvero novum velut ſpiritum recepiſſe viſa eſt Belgarum Reſpublica, poſtqvam Arauſionenſis inſtinctu velut populi in majorum ſuorum munia eſt repoſitus. Initium à Dordracenis factum, ubi tumultu orto cives in magiſtratum inſurgere, eumqve compellere, ut exemplo Amſtelodamenſium jurejurando ſe obſtringat, qvod urbem ad extrema usqve defenſurus ſit: ſimul Arauſionenſem, tam auſpicatum Belgarum Reip. nomen, Gubernatorem denominant, ac aliqvot ablegant, eum rogaturos, ut ei dignitati capeſſendæ in urbem venire velit. Ac cogebatur Cornelius Wittius, ut è lecto in curiam portari ſe pateretur, primusqve id juramentum diceret, ac mandata delegatorum ad Principem primo loco ſubſcriberet. Erant delegati iſti è præcipuis Wittianæ factionis, qvi per omnia ſacra orabant, properaret Princeps in urbem venire, alias vitam ſuam, domosqve, ac bona periclitari. Ita ſvaſu Benerningii Princeps Dordracum ivit, ubi à Senatu, populoqve ſumma cum lætitia exceptus, ac in curiam deductus, lauteqve habitus fuit. Sed offerentibus vicarium provinciæ regimen ſingulari cum modeſtia gratias egit, atqve excuſavit, Reipublicæ ſe jusjurandum præſtitiſſe, oblatum licet Gubernatoris munus ſe haut acceptarum, à qvo niſi totius Reip. conſenſu exſolvi haut

Arauſionenſis in majorum ſuorum munia reponitur.

1672. qveat. Nec penes unum, & alterum provinciæ membrum esse Gubernatorem eligere, sed ab universa id provincia proficisci debere. Ac sperare se, civitatem isthoc ultro agnituram, nec justo longius progressuram. Interim ne dubitarent, qvin ipse pro Reip. conservatione vel extremam sangvinis guttam sit impensurus. Qvod responsum omnibus valde probabatur, ac eandem sibi mentem esse; ac deputatos civitatis suæ connixuros, ut Principi juramenti venia fiat, eiqve gubernatio à tota provincia deferatur. Id exemplum Roterodamenses, Goudani, aliiqve tota Hollandia secuti; nec in Zelandis mora fuit, qvo minus in Principem à majoribus suis gesta dignitas conferretur, simul ab universis surrecturæ in pristinam fortunam Reip. spes conciperetur. Ac dudum à rerum civilium peritis observatum est, Remp. Belgicam absqve illustri capite haut subsistere posse, sed ejus compagem successu temporis ultro dilapsuram, nec si qvæ masculà consilia capiantur alacriter ac promte effectui datum iri, ni, qvem multitudo parere solet, lentorem atqve confusionem executoris autoritas tollat, rebusqve vigorem, ac pondus addat; præsertim ubi validus terra hostis ingruat. Sane Helvetios, validissimam viris nationem, inter Europæ populos nullo fere numero esse, qvod capite careant, qvi ignavam molem vegetiore spiritu animare qveat. Qværes & Electori magnam lætitiam attulit, qvam datis ad Principem literis prolixe testatus est. Paulo post qvoqve Cornelius, ac Joannes Wittii fratres, qvi tot ab annis Arausionensem presserant, Hagæ ab efferatis civibus trucidati sunt, sævitia qvoqve in mortuorum cadavera grassante. Qvo peracto pleriqve ita tranqvilli, atqve contenti adparebant, velut Resp. maximo periculo defuncta esset; ac facinus illud, etsi in se atrox, nec legibus, ac civili mori conforme; plurimi laudabant, ac plausu prosequebantur, utut alias indoles ejus populi in misericordiam prona sit. Secuta est mox mutatio magistratuum per omnes urbes, ac solutum à Monasteriensi Groningæ obsidium; qvi, uti antiqvi Præsules scriptis editis memoriam suam Ecclesiæ commendarunt; ita is diro globorum ignivomorum genere, qvos militari vocabulo *fœtentes ollas* nuncupabant, eo obsidio specimen nescio an sacerdotalis professionis edidit. Cæterum restituto Arausionensi ut omnes amici de Republica Belgica bene sperare cœperunt: ita Gallus blandimentis, ac amplissimis promissis eundem, ut ab ipso pendere velit, solicitabat, ostentato supremo in septem provincias imperio sub Galliæ, & Angliæ protectione. Sed qvi spretis omnibus illecebris sine hæsitatione respondebat; nunqvam se proditurum fiduciam, qvam Belgæ in ipso reposuerint, nec unqvam venditurum libertatem, qvam majores sui tamdiu defenderint. Qvi & cuipiam domesticorum suorum, interroganti, qvid acturus sit perdita Hollandia, responderat; secessurum se in prædia sua in Germania, ac potius venatione ætatem ibi consumturum, qvam patriam suam Galliæ qvantocunqve pretio proditurum.

10. Aug.

1672.

Electoris ad Belgas missio.

§. 58. Isthæc tam inopina rerum apud Belgas conversio Electori svadebat, ut circumspectius procederet, nec agendi modo ab initio designato insisteret, simul destinata sua qvantum posset premeret, ne forte Belgis cum Gallo repente transigentibus ipse solus inter ancipitia destitueretur, ac promti nimis sui in amicos studii pœnas daret. Perstabat tamen propositum Reip. subveniendi, & expeditionem qvantum poterat accelerandi. Interim erigendis Belgarum animis in Hollandiam mittebatur Gerhardus Bernhardus Pœlnicius, ut nuntiaret, Electorem post conclusum, ut ut nondum ratihabitum fœdus, delectibus agendis acriter instare; ac spem esse, intra duos menses numeros impletum iri. Sed & passim se legatos circummisisse, ut & alii sublevandæ Reip. manum admoveant: simul per biennium apud Gallum super ea tempestate avertenda laborasse, ut ne circa proprium qvidem negotium acrius conniti potuerit. Sed qvia haut eo secius intelligat, vulgus periculi magnitudine impatientiam accendente fremere, Remp. à se deseri, nec fœderi satisfieri, aut saltem auxilia tardius accedere; qvin & qvosdam è Proceribus talia spargere insciția rerum, aut ut ejusmodi rumoribus à se admissorum invidiam in alios derivent: igitur Pœlnicius demonstraret; gratum Electori fuisse futurum fœdus prius conclusum, ac autoramentum solutum fuisse. Amerongii qvoqve mandata ita fuisse circumscripta, ut non nisi sub finem Aprilis tractatio absolvi potuerit, qvantumvis Elector acriter institerit, ac æqvissima postulata remiserit negotio accelerando, & qvia major boni publici, qvam privati emolumenti cura fuerit. Qvod si Belgæ postulent, ut exercitus statim, aut minimum intra conventum tempus iter ingrediatur, ac rem gerere incipiat, reponeret: tempus sistendis copiis nondum elapsum; ac si iste Belgicis copiis,

17. Jun.

qvæ

qvæ in præsens nusquam adpareant, haut sociatus, aut aliis auxiliis fultus in hostem ducatur, non magis Reip. qvam sibi consuli, ac varia incommoda, qvin istius exitium metuendum. Contra si cum Cæsareis, & aliis conjunctio fiat, justo robore rem geri, ac operæ pretium fieri posse. Præterea Remp. ad constantiam hortaretur, consiliis bellicis adesset, ac qvæ ibi agitentur, referret. Inprimis impediret, ne Elector urgeatur ad qvid præmature suscipiendum, Reip. juxta ac ipsi periculum pariturum. Simul moneret, ut Resp. tractatus cum Cæsare, ac Luneburgicis qvantum possit acceleret, qvi arguant velut per istam stet, qvod fœdera adhuc infecta hæreant. Insuper significaret, Electorem in usum Reip. legatum in Angliam missurum; & qvid cum ablegato Gallico actum sit. Instaret qvoqve ut præfecti, qvi ita segniter Electoris oppida hosti tradiderant, pœnas dent: tum ne forte excluso Electore cum hoste transigatur. Deniqve ne circa solutionem pecuniarum moræ necterentur. Nam tertium jam labi mensem à die solvendo autoramento statutum maximo cum Electoris incommodo, & causæ communis damno. Ac mirum esse, inter tanta pericula ratihabitionem fœderis integrum mensem ultra conventum tempus à Belgis extractum. Ast Arausionensem idem monere jubebatur, ne Gallorum illecebris aurem præbeat, qvi ostentato supremo in Belgium imperio in transversum eum abducere conentur. Nam eam præcipuam viam esse ipsi perdendo, qvod oppressa libertate Respublica qvoqve pessum itura sit. Eoqve istud promissum effectui dari non posse, nisi Rep. per Gallum subacta. Qvo obtento Principem huic ludibria debiturum. Inde idem Bruxellas profectus Monteregio demonstrare jubebatur, qvam necessarium ipsis Hispanis futurum sit, eos in partes descendere, ac hostem distrahere, non nisi plurium conspiratione domandum. Pœlnicius cum Hagam pervenisset, Arausionensis adventum Electoralis exercitus avide expectabat, qvo valde indigeat ob Belgicam militiam maligne admodum instructam. Iste mirari se ferebat, Remp. tam potentem ita cito prostratam. Spem tamen esse restitutionis, si ea per impatientiam haut nimium festinet, ac plures amicos, Cæsarem, Danum, Luneburgicos sibi innectat. Qvod & Principi probabatur. Ordinibus idem proponebat; *ex qvo fœdus conclusum sit, insperatam rerum mutationem contigisse. Namnec Hispanos pacem cum Gallo abrupisse, uti semper spes facta fuerit; nec Danum, & Luneburgicum in partes transisse. Svecos Gallis se innexuisse: pleraqve oppida limitanea per ignaviam hosti dedita, ut jam nullus transitus Rheni, & Isalæ supersit. Qvin à toto prope orbe ipsos desertos, nisi qvod Elector nondum amicitiam cum fortuna exuerit. Necessum tamen esse, ut ipsi strenue manum rei admoveant: fœdus cum Cæsare, Dano, ac Luneburgicis accelerent; militiam suppleant; majore vi qvam hactenus rem administrent.* Ad qvæ Ordines: *omnia qvæ proponantur vera esse; ac rem militarem qvantum possit se firmaturos. Lisolam jam procuratorium à Cæsare accepisse ad tractatus cum ipsis suscipiendos. A Danie Rege VI M militum se sperare. Pecunias promissas non defore, si vel per integrum annum bellum sit duraturum. In præsens autem tantum pecuniæ repræsentari, qvantum postulatur, supra facultates suas esse. Sed deinceps testaturos, qvam libenter omnibus satisfacere velint.* Cum Pœlnicius qvereretur, ipsos inconsulto Electore legatos ad Gallum misisse, id qvod contra fœdus sit: excusabant, à se decretum, ut Electoralibus ministris communicatio fieret: id tamen fortasse in tanta perturbatione oblivioni traditum: deinceps id emendatum iri. Differebat Hispanicus legatus Lira: *Hispanos huic Reip. plura exhibuisse, qvam in obligatione fuerint, ac omni prope milite provincias suas nudasse. Deinceps qvoqve facturos qvantum possint, ac per copias suas ubiqve locorum rem gesturos, modo id sub Reip. insignibus fiat. Nam peculiari distractione hosti se negotium facessere non posse, qvod in vicem abruptæ pacis acceptandum sit; qvo nondum descendere qveant, rebus haut dum satis paratis. Etsi probe agnoscat, bellum cum Gallo declinari non posse, velut servandæ huic Reip. necessarium, citra qvam Hispani provincias suas tutari neqveant.* In castra Principis ad Schonhoviam cum Pœlnicius pervenisset, iste qverebatur, militiam Belgicam ita tenuem esse, ut brevi pessum itura sit, ni propere ab Electore fulciatur. Hunc adjunctis XII M Cæsareis sufficere distrahendis Gallis, si recta Coloniam tendat, eamqve urbem in potestatem redigat. Id qvod Pœlnicius fieri posse negabat; qvod Elector hoc modo non solum omnes suas provincias milite nudaturus, sed & omnia munita oppida, per Belgici militis ignaviam amissa à latere, à fronte L M hostium habiturus sit, qvibus in prælium descendendi necessitatem fames allatura sit. Qvas rationes cum improbare Princeps non posset, non nisi qvestibus miseram suorum sortem prosequebatur. Bruxellis Monteregius ul-

1672.

4. Jul.

19. Jul.

1672. tro testabatur, se omnia facturum, qvæ ab ipso desideranda sint; ac plus hoc modo à se profici, qvam si in præsens professum se Gallo hostem ferat; qvod tunc copiæ suæ à Belgis revocandæ essent, protegendis propriis provinciis; qvoad alium militem pararit, qvi propediem præsto futurus sit.

Hispani ad Electorem missio. 23. Jul.

§. 59. Eodem tempore & à Monteregio Bergeickius missus apud Electorem aderat, qvi demonstrabat, qvam necessarium sit, ab isto causam publicam suscipi, & Germaniæ, Belgiiqve, ac orbis Christiani pacem servari, aut qva ea sit rupta instaurari. Referebat idem à Colonienſi legatum in Hispaniam missum confirmasse, nil controversiæ sibi cum Belgis esse; Ac haut eo secius illum concesso suæ provinciæ usu Gallo facilem viam invadendis Belgis straviſſe; ut merito culpa turbatæ Germaniæ, orbisqve Christiani penes eundem hæreat; etsi is ad talia per Furstenbergios inductus fuerit; qvibus castigandis Cæsari facultas defutura non sit. Addebat preces nomine Regis sui, ut Elector Belgis opem ferat; qvod & Viennæ qværatur; ac eo nomine ad aliorum qvoqve Principum aulas sese iturum. Simul scisciteabatur, qvantum copiarum Elector Belgis auxilio missurus sit, ut Monteregio constet, qva ratione iis sociari qveat. Qvarum iter accelerari petebat, ne malum in Belgio per moram incurabile fiat. Nam constare de Henrici IV. destinatis, qvæ nepos Ludovicus effectui dare velit. *Nec considerandum qvid hic dicat, sed qvid faciat*; cujus & ambitioni C M bellatorum ingens pondus addant. Ad qvæ Elector: Eandem ob causam se Bruxellas misisse, qvod circa scopum utrinqve conveniatur: & qvantopere sibi publicum bonum cordi sit, rem ipsam loqvi. Se qvoqve serio apud Colonienſem institisse, ut is nil admittat, qvo Germania inqvietari, ac suæ provinciæ belli malis involvi possint, ac protestatum, se reparationem damni, cui is causam daturus sit, ab eodem repetiturum. Sed istum hæc monita ægerrime tulisse. Non tamen alia remedia omittenda istum partibus Gallorum abstrahendi. Nam cum Colonienſi, ac Monasterienſi primo loco amicos tractatus, aut arma tentanda; id qvod & tutissimum futurum sit, qvod Sveci declararint, posse istos armis invadi salvo suo cum Gallia fœdere. Sed ut ipse in præsens ad istum literas det, haut consultum ducere; ac majore id cum autoritate fore, qvando copiæ lustratæ, & in unum locum contractæ fuerint. De cætero se promissa, ac rationes suas circa ferenda Belgis auxilia probe observaturum. Pro opera ab Hispano Viennæ navata gratias agere. Cæsarem eqvidem egregiam voluntatem ostendisse: sed expressis verbis in tractatu haut positum, ipsum pro Belgis rem à suis geri jussurum. Unde Hispanos probe facturos, si id negotium Viennæ ulterius urgeant. Utile qvoqve futurum, ipsum ad alias aulas proficisci. Sed cavendum, ne spem belli ab Hispanis Gallo inferendi eminus tantum ostentet. Nam Principes Germaniæ maxime ad Hispanos respicere, ut hi prius in arma erumpant. Ad qvæ legatus: Si Imperium Gallo bellum indicat, Hispanos paria facturos. Milites in Hispania triplo majori pretio conduci, qvam in Belgio; ac ideo Hispanos tantopere hæsitare, qvo minus bellum aliis in locis gerere velint. 1672.

Elector expeditionem suscipit.

§. 60. Interea Elector summa vi arma paraverat, ac legiones paulatim Halberstadium versus præmittebat, aliqvot millibus excedentes conventum cum Belgis numerum. Ipse Elector Berolino movens Halberstadii Montecuculum, legiones Cæsareas prægressum expectabat, ut super modo bellum administrandi cum ipso statueret. Ad Belgas literæ dabantur, de eo significantes; ac exercitum jam longius fuisse progressurum, ni Cæsarearum legionum iter per impedita loca lentius processisset. Sed qvia hæ jam circa Erfordiam consistant, brevi conjunctionem fore, ac recta in Westphaliam eundum. Ad Sveciæ Regem scribebatur: Gallos insuper habita sua patientia per Cliviam hostilia continuare. Ideo se decrevisse in Westphaliam ire, ac contra Turennii minas sua tutari. Eo fine se Regem auxilia ex fœdere poscere. Ad hæc Rex respondit: Molestum sibi, rem ad arma inter ipsum, & Gallos procedere. Sperare tamen, rationem adhuc iniri posse ista declinandi, qvod non solum bellantes partes ipsum sequestrem acceptarint; sed & Gallus super restitutione ditionis Electoralis, atqve satisfactione sat æqvum se declararit: ac se ex fœdere prius amica officia tentaturum. A Neoburgico qvoqve Elector è transactione hæreditaria auxilium expetierat. Qvi reponebat; se cum Galliæ Rege Boxtelæ locutum, cum è Belgio in Galliam reverteret, ac Electoris causam commendasse, simul qvantum damni huic datum fuerit demonstrasse. Id Regem excusasse partim inevitabili necessitate belli, partim æqvam satisfactionem obtulisse, tum occupata loca finito bello (de qvibus tamen adhuc tractari possit,) redditurum; modo nil hostile ab isto suscipiatur. Simul

8. Aug. *28. Aug.* *5. Sept.* *28. Jul.*

1672. Simul significabat, sese pactum super servando medio statu cum Rege iniisse, prout ipse Elector svaserit: (id qvod hic se meminisse negabat.) In vicem auxiliorum fida opera promittebatur ad componendum cum Gallo dissidium. Qvod & bona fide ab isto præstitum fuit. Porro ad Turennium Elector scripserat, se Crocovium Lutetia revocasse, ut eum iterum ad Regem mitteret. Sed post hæsisse, cum intelligeret, qvam hostilia in Cliviam exerceantur. Qvorum etsi nonnulla indoli belli qveant adscribi: ejus tamen rationem perspicere non posse, qvod castellum Gennepæ, pauco suo milite insessum, ac in solo Imperii situm ipsius jussu occupatum sit. Qvæ omnia totiens iteratis Regis pollicitis repugnent. Ad qvæ Turennius humanis admodum verbis respondit: non posse non talia evenire, ubi hostis invadatur, qvi alienas ditiones usurpet. A Rege jussum se Belgicum militem Gennepa, ac Gravia expellere; qvod exseqvi Chamillio sit injunctum. Sed cum interim Belgicus miles Gennepa deserta Neomagum se conjecisset, Chamillium ignarum Electoris militem ibi agere priora mandata exsecutum. Alias Regi haut in animo esse Electoris loca, ubi miles Belgicus non sit, infestare. Sed post cum Electoris exercitus iter ingredi cepisset, Turennius relicta Hollandia contractis hinc inde copiis inter Dorstenam, Vesaliam, & Rheinbercam consistebat, Rheno, Lippia, Amasi, ac Rura fluviis cinctus, cui & a Colonienſi, & Monasterienſi legiones accesserant. Qvæ copiæ etsi XXX M bellatorum haut excedere dicerentur, tamen ita alta crepabant, velut totam Germaniam eversuræ essent. Ac dixerat Strada Comes Vesaliæ Gubernator delegatis Clivicis ipsum adeuntibus: Turennium Electori obviam tendere ad committendum prælium; qvo si is victor existat, hunc Clivica provincia multandum.

1. Jul. 1. Sept. Convenere mox Vesaliæ Turennius, ac Strada, cum Monasterienſi, & Argentoratenſi Præsulibus, ubi literas circulares ad omnes Electores, & Principes Rheni accolas concipiebant. Earum argumentum erat; *A Rege se relictum servandis locis hoc bello occupatis, ac ut alia curaret ipsius rationibus congrua; simul jussum declarare istis, & omnibus aliis, qvos communis qvies cordi sit, Regem nolle qvid tangere ad Imperium spectans, ac si qva loca copiæ Gallicæ transierint id ex bello in hostes suscepto provenisse, nec declinari potuisse. Cum autem perceperit copias contrahi, ac versus ista loca progredi inqvietandæ eorum possessioni, ac fœderatis Gallis suspicionem injicere; Regi necessitatem fuisse allatam ipsum eis Rhenum mittendi, ut tamen protinus in Hollandiam sit regressurus, ubi videat ab istis copiis Galliæ fœderatis nil periculi esse; atqve Elector caverit, suas, & iis sociatas copias intra proprias ditiones, & eorum, qvos eas contraxerunt mansuras, nec sibi, aut sociis molestiam, aut suspicionem injecturas. Prout & Elector sæpius a Rege sit monitus, ne bellose ingerat, ad ipsum nil spectanti, nisi qva ipse ultro in id descendere velit. De qvo se jussu Regis eos monuisse, qvo tota Germania agnoscat, penes Principes stetisse, qvi arma sua negotio Imperium haut tangenti miscent, qvo minus Imperii qvies conservaretur.* In hisce literis observabatur, qvod cum semper, ubi Regis mentio fieret, solicite vocabulum *majestatis* exprimeretur, isti ad qvos scribebatur simpliciter *vos* nominarentur. Tum qvod inevitabilis belli ratio allegaretur, qvare exercitui Regio terræ Imperii transeundæ fuerint; sed de legibus Imperii sileretur, qvæ praviam reqvisitionem, & ut is transitus innoxius sit, exigunt. Licet qvoqve diceretur, si Imperiales copiæ nil in Gallum, ejusqve socios tentent, Gallicum exercitum retro in capta hoc bello loca versurum; non tamen addebatur, eundem solo Imperii, ac peculiariter Clivica provincia deducendum. Qvin hoc modo Gallus qvamdiu libido ferret, aut ulla arma in Germania adparerent, obtendere poterat, copias Imperiales aliqvid in ipsum, aut socios agitare. Absurdum qvoqve dictu erat, id bellum ad Electorem non spectare, qvi tamen proximus Belgarum vicinus erat, & cujus provinciam Galli occuparant, ac irreparabili damno affecerant; de qva restituenda, ac reparando damno ne verbo qvidem mentio fiebat. Turennius porro circa se, & in Clivia omnia consumebat ac vastabat, ut Germanicis copiis, si eo accessissent, non esset unde sustentarentur.

1672.

1. Jul.

Elector iter designarum mutat.

§. 61. Enimvero Montecuculus multis rationibus Halberstadii demonstratum ibat, qvare haut recta in Westphaliam sit eundum, sed potius ad sinistram flectendum, atqve id agendum, ut superato Rheno, ac Mosella, ac intercepta annonæ subvectione Galli inopia atteri possint. Inde pro lubitu in Leodiensi ditione arma cum Arausionensi, atq; Hispanis conjungere integrum fore. Sic necessitatem Gallis illatum iri Germaniam, ac forte ipsum Belgium deserendi. Qvæ rationes etsi sat speciosæ erant; arcana tamen causa ejus consilii erat, qvod uperiore anno secretum illud fœdus, de

1672. qvo tunc nondum Electori constabat, Cæsarem inter, atqve Gallum Viennæ initum foret, qvo Cæsar promiserat, se huic nil impedimenti circa bellum Belgis inferendum allaturum, nec ei se primo anno ingesturum. Unde qvanqvam lætum Cæsari erat, Electorem Gallo se adversum declarare, qvos inter secreta commercia miscerì è freqventibus hinc inde legationibus suspicio erat; eoqve ut Elector in eo proposito confirmaretur, copias ipsi conjungere placuerat: injunctum tamen Montecuculo fuerat, Electoris destinata eludere, ac impedire, ne ad manus veniatur, ne Cæsar violati fœderis argui posset. Dum itaqve per Hildesiensem agrum, inde apud Witzenhusam superato Werra per Fuldensem agrum in Superiorem Hassiam tenditur, Elector ut mutati consilii rationes Belgis adprobaret, Ludolfum Laurentium Krosseggium Hornburgo ad Arausionensem mittit, qvi exponeret; habito cum Montecuculo consilio id qvidem fixum stetisse, omni ope ad propositum scopum connitendum: ita tamen rem administrandam, ut hic exercitus, anteqvam alea prælii tentetur, qvibusdam Belgicis copiis firmetur. Tum & id adparuisse, si recta trans Visurgim eatur, prælium declinari non posse, ad qvod Galli rem deduci cupiant, anteqvam conjunctio cum Belgicis copiis fiat, & reliqvæ Cæsareæ legiones, qvæ adhuc expectentur, accedant, aut alii, qvos adhuc in fœdus pertrahi posse spes sit, arma sociaverint. Gallos præterea in præsens fœderatum exercitum numero longe excedere, ut propter inæqvalitatem virium rationis non sit prælii aleam tentare. Ast ante omnia cavendum, ne initio clades aliqva accipiatur, haut facile reparanda, & communem, Belgarumqve causam gravissime afflictura. Igitur viam ineundam, ubi nec manifestum periculum adpareat, & haut eo secius Belgarum desiderium, utut paulo secius, tamen commodius obtineri qveat. Sane summam rerum in eo verti, ut fœderati Rhenum, Mosellam, & Coloniam in potestate habeant, qvo Gallis annona, & communicatio cum suo Regno intercludatur. Nam intercepram per Gallos Coloniam plurimum iis momenti allaturam tutandis qvæ occuparint locis, ac ad fœderatos gravibus incommodis afficiendos. Unde rationem belli svadere iter paululum inflecti, & hinc qvantum potest Confluentes tentendum. Ita in præsens nondum conjunctis fœderatorum viribus prælium declinari. Luneburgicos qvoqve facilius in partes pertrahendos; qvos alias metus sit, si itinere trans Visurgim suscepto bellum in ipsorum ditionem pertrahatur, 1672. in adversas partes transituros. Hoc modo qvoqve Trevirensem partibus adjungi, qvod idem de Moguntino, & aliis speretur, qvibus hactenus qviescendum fuerit nemine in vicinia agente, cujus auxilio niterentur. Redacto qvoqve in potestatem ponte ad Confluentes de Rheni transitu ad utramqve ripam caveri, unde & protinus copias secundo flumine demitti posse; ac qvod maximum, nullibi commodiorem occasionem conjunctionis cum Hispanicis, ac Belgicis copiis inveniri. Gallorum qvoqve vires distractum iri, qveis ratio belli imperatura sit partem copiarum in Lotharingiam, & Alsatiam vertere, incertis fœderatorum destinatis. Sane Electoris iter id jam effecisse, ut Galli præter præsidia, & ipsa satis imminuta, unitis provinciis excesserint: obsidium laxius Trajecti ad Mosam solutum sit, ac Monasteriensis Groningam deseruerit. Unde Belgis integrum jam fore unum atqve alterum locum recuperare. Saltem haut metuendum, ne post suscepram hanc expeditionem magna vi in Belgium qvid tentent. Qvæ consilia, rerum facie probe expensa, Arausionensis sine dubio Reip. & communi causæ proficua judicaturus sit; qvæ pro lubitu qvibusdam è proceribus sibi addictis communicare possit, ne Elector deinceps talia absqve communicatione fecisse arguatur. Ut tamen maxime caveatur, ne id vulgatum Gallis ante tempus innotescat, qvi alias designata loca, & transitum præreprurì sint. Qvod si hoc consilii Belgis parum arrideat, diceret: Ordines Generales ab initio contendisse, Coloniam in potestate habendam, suæ Reip. salutem, aut ingens malum parere aptam: id qvod post tot amissa ad Rhenum loca magis adhuc necessarium sit. Ac si maxime suscepto trans Visurgim itinere prælium declinari possit; tamen interjecto exercitu Gallico inter Electorem, & Belgas in emolumentum horum nil effici posse. Ne in Monasteriensi qvidem ditione operæ pretium fieri posse, prævalente Gallico exercitu, ac tempestate anni haut ferente oblidium munitì loci suscipi; cum contra Electoris institutum brevi longe potiores fructus producturum sit. Denique Principem hortaretur, ut exercitum ibi una cum Hispanis componat, qvi Cæsareo ac Electorali exercitui junctus Gallorum vires frangere, Remp. periculo eripere, ac honestam pacem stabilire valeat. Ad ista Princeps: Scopum itineris utiqve probandum. Sed metum esse, ne istud ob breves dies, aspera viarum, & locorum intercapedinem

7. Sept. Ejusqve causas Belgis adprobare studet.

23 Sept.

mul-

1672. multum temporis absumat, ac hieme interim ingruente Resp. è copiis auxiliaribus, in qvibus hactenus omnem fiduciam collocarit, parum fructus captura sit. Qvod si cives non brevi levamenti qvid accipiant, ac commercia intermissa instaurentur, abnegatis tributis subsidia cessatura. Igitur utiqve necessarium videri, auxiliares copias recta huc tendere, prævertendis incommodis, qvæ longior earum absentia paritura sit. Turennij vires tantas non esse, qvæ facile frangi possint, si à fronte ac tergo hostis urgeat. Ast si Elector in diversa abeat, istum submissa Luxenburgio, qvi Ultrajecti curet, copiarum parte, omnes suos conatus heic elusurum. Qvod si & Turennio constet, Præsulibus omnium malorum autoribus nil infesti imminere, eum præsidiis firmatis, ac annona apertis locis dimota omnes vires in Hollandiam versurum. Qvod si alia ratione Colonia obtineri neqveat, X M militum Imperiali exercitui detracta apud Confluentes superato Rheno ad eam urbem tutandam mittenda esse, pro re nata inde Hispanis, ac Belgis jungenda. Reliqvo exercitui utiqve in Westphaliam eundum, prout fœdere conventum. Cæterum Belgas maxime premebat copiarum paucitas, sic ut præter necessaria præsidia vix XX M contrahi possent. Et plebs animis ægra, ac moræ impatiens nil aliud, nisi ut brevi his malis defungeretur, anhelabat; id qvod in Electoris manu positum arbitrabatur.

Trevirensis transitum Rhenum negat, ibique.

§. 62. Ast Elector haut eo secius cœptum iter urgens, Blumenthalium ad Trevirensem præmittebat, qvi usum pontis apud Confluentes peteret. Metum à Gallis causanti diceret; neqve Cæsari, neqve Electori hostilitatem cum Gallo intercedere. Esse eum liberum Imperii Principem, Gallo haut obnoxium. Eundem in re licita versari, ao salvis Imperii legibus haut facile Cæsaris, atqve Imperii copiis transitum negare posse. Qvod si eo nomine adversi qvid inferatur, Cæsaris, atqve Electoris auxilium præsto fore. Ad qvæ Trevirensis: *Electorem hac tempestate primum fuisse, qvi laude digno auso in ruinam vergens Imperium fulcire, ac priorem ejus splendorem instaurare aggressus sit. Ei instituto sè pro virili velificaturum, ac sincero ex animo provinciam suam offerre, ut Elector ea velut propria utatur; qvod multo tolerabilius sit eam per amicos, qvam per hostes exedi. Sed ut exercitum inter duas munitiones suas Confluentes, & Hermansteinum transire patiatur, id à se postulari non posse, qvod Gallicis legatis Marchioni Anjavienſi, & Vitrio Duci promiserit, id se nunqvam permissurum; ad* 1672. *ii Anjou. qvæ promissa per minas Gallorum, & qvia non satis norit, Electorem heic an alibi Rhenum transire velle, inductus sit. Supra tamen aut infra transire cupientibus annonam, ac alia necessaria libenter prabiturum. Ut autem se connivente heic pontem superent, ignominiosum sibi fore; cum id facile prohiberi possit; ac ejusmodi indulgentiam sibi in faucibus Orci sedenti Electore digresso male cessuram. Nam qvi jam cum Cæsare fortia consilia pro salute patriæ capiant, iis domi de securitate cautum, cum ipse heic inermis libidini Gallorum exponatur. Id qvod tamen non obstet, qvo minus optet à Turennio se lacessi, qvo ad alia consilia ca; essendæ prætextum foret. Sed nec Hispanos adhuc in bellum erumpere, à qvibus è Luxenburgica tutamen sibi sit expectandum. Sed si in tempore de hisce destinatis communicatum sibi fuisset. Augustam se Trevirorum usibus Cæsarei, ac Electoralis exercitus fuisse exhibiturum, qvæ huic vel per biennium alendo sufficitura fuerat, eoqve ipso Gallis velut gulam potuisse claudi.* Qvia igitur transitus ad Confluentes concedi non poterat, id temperamenti iste proponebat, ut aliqvot navigia Moguntiæ emerentur, ac Welmenacum suæ ditionis oppidum adducerentur, cui ipse data opera sex duntaxat pedites imposuerit, qvibus expulsis id à fœderatis præsidio firmari posse. Apud Engersianos qvoqve, Neuenvviethan, & Albani Turrim stationem capi posse; ad qvod prohibendum Turennio vires haut suppetant, cujus exercitus male habitus sit. Ac ipse qvoqve struendo ponti naves, anchoras, & rudentes offerebat. Contra Argentoratensis Præsul minacibus verbis Trevirensem hortabatur, ut pontem ad Confluentes tolleret; alias si Colonensis ditio damni qvid inde patiatur, reparationem ab ipso exigendam: ac ipsum brevi visurum, in Cæsareo, ac Brandenburgico exercitu nil sibi præsidii esse, qvem Turennius mox sub machinas Hermansteini compulsurus sit. Ad qvæ Trevirensis: Se Cæsaris, & Imperii amicum fore; ac si sub machinas suas procedatur, se effecturum, ut his autoritas constet.

Cum Moguntino de transitu Rheni agitur.

§. 63. Sed cum in Trevirensi ditione pons ita tuto extrui non posse videretur, Turennio in vicinia metante, placuit altius Mœnum versus progredi, eoqve superato in Moguntini, aut Palatini provincia procul à Gallis Rhenum superare. Eo de instituto cum Moguntino innotuisset, hic per literas 4. Oct. apud Electorem qverebatur, qvod is provinciam

1672. vinciam ipsius vastatum veniat, ac in ea theatrum belli struere meditetur; qvestus insuper suos cives à milite male habitos, & qvod apud se potissimum transitus Rheni qværatur. Cui Elector respondit: Se ab initio harum turbarum cum ipso amice communicasse super iis avertendis; ac semper consilium, eundem consilia, virèsqve cum iis sociaturum, qvibus unicus scopus sit Germaniam ab oppressione vindicare. Si qvid ejus civibus acciderit, de qvo sibi non constet, id bono publico condonandum. Missus inde ab Electore ad Moguntinum Espencæus Comes, ut hunc ad arma sociandà permoveret. *Esse utique Cæsarem Imperii caput in partibus, nec alium horum armorum scopum, qvam salutem Germaniæ, tutamen communis qvietis, defensionem Ordinum Imperii, qvorum libertati, ac juribus nunqvam majus periculum fuerit intentatum. Eam fiduciam Electorem de ipso concepisse, tanqvam primo inter Imperii Principes, cui tantus rerum usus diuturno regimine, & circa rationes Germaniæ perspicacia; fore ut is sese armis societ tam salutari fini sumtis, ac in partem veniat gloriæ, Imperii a ruina, ac desolatione liberati.* Qvod si hisce nil proficiatur, saltim pontis usum peteret, qvod alias ipsius ditio multum incommodi sit sensura diuturnis copiarum stativis. Sed cum is nil solidi responsi præter qverelas, ac demonstrationem periculi sibi à Gallo imminentis reportasset, ad eundem missus est Blumenthalius, qvi proponebat; *ab Electore iter cum exercitu aliter fuisse instituendum, qvam antea decretum fuerat. Nam cum Turennius Electoris caterbas ad Lanum studium in solo Imperii ultro invasisset, utut antea Galliæ Rex semper testatus sit, sese Electorem haut lacessiturum, antequam hic fœderatos suos invasisset, simul exercitum propius Lanum admoverit, gloriam Cæsarcorum, ac suorum armorum id exegisse, ut Turennio obviam tenderetur: qvo fine aliqvot per dies legionibus in aciem dispositis processum, ac istius adventum fuisse expectatum. Sed cum is propius haut moveret, Electorem decrevisse utiqve Mœnum, ac Rhenum transire: eoqve rogare, ut Moguntinus eos conatus promovere, simul insinuare velit, qvo loco cum minimo incommodo suæ ditionis transitus instituì qveat. Nam Arausionensi animum esse cum Hispanicis è Lucenburgica copiis, inde cum Electoris, ac Cæsaris exercitu se conjungere. Qvi conatus bonas partes firmaturus, ac forte honestam pacem producturus sit.* Ad qvæ Moguntinus; *Non posse non se magnopere laudare egregium Electoris pro communi salute studium, qvod fraterno affectu prò virili qvantum præsentia tempora permittunt, fulcire decreverit. Et qvanqvam transitus exercituum vastitatem suæ ditionis parturus sit; sperare tamen, Cæsarem post factam pacem id damnum sarcituram. Electorem bene fecisse, qvod existimationis causa Turennio, cujus adventu Galli omnibus terrorem incutere voluerint, obviam processerit. Latum qvoqve sibi auditu, qvod proximo caterbarum ad Lanum concursu Arnheimius rem strenue admodum gesserit. Ac secutura Cæsareorum, atqve Electoralium cum Arausionensi, & Hispanis conjunctione Turennio res in angusto fore. Sed exercitum, qvem Condæus circa Metim componat, XII M peditibus VI M eqvitibus constantem cavendum esse. Commodissimum locum transeundo Rheno esse apud Nierstenium, ubi fluvius angusto alveo labitur. Sed oppositum vicum Palatini esse, cui tempestive præsidium immittendum sit. Alterum transitum esse Gimsenheimi ad Rivum Nigrum,* Schwartzbach. *unius horæ itinere supra Gustaviburgum. Ubi id commodi sit, qvod si pons hieme ob fluitantia glaciei fragmina sit solvendus, naves in rivum deduci qveant. Ad tuendum transitum in adversa ripa castellum excitandum. Moguntiæ adhuc viginti qvinqve navigia esse, qvibus sejungantur, qveis pons Mœno injectus componitur, Rhenum facile transiri posse. Clam tamen Palatinum, & Darmstadiensem habendum, id consilii à se profectum. Qvanqvam ipse magis Vaubrunium legatum Gallicum timeat, qvi jam fremat; silentium, ac patientiam suam circa molestias in suam ditionem ab Electore attractus collusionem arguere. Aſt alendo exercitu ditionem suam jam exhaustam nihil amplius suppeditare posse. Se tamen studio in Electorem testando permissurum, ut qvini aut seni milites Moguntiæ pontem transeant, modo vicis suis transrhenanis, ac Königsteinæ pareant. Qvod si largatur, Electori in animo esse pontem ad Moguntiam di occupare, ei rumori fidem se adhibere nolle: ac ea patientia inutilem se muneri sequestris reddi. Qvanqvam non parum scrupuli injiciat, qvod per aliqvot dies exercitus in aciem digestus incesserit, ac Moguntiæ propinqvaverit, haut significato, ubi, & qva ratione Rhenus sit transeundus.* Qvæ inania suspicionum Blumenthalius Electori satis eximebat. Paulo post congressu Electoris cum Moguntino Francofurti ille hujus sententiam exqvirebat super his qvæstionibus: Qvomodo Imperium in ejusmodi statum reponendum, qvo ejusdem major apud vicinos sit autoritas? Qva ratione brevi firma pax obtineri, ac per eam qvilibet, qvæ ante bellum habuit, recuperare possit? Qva via ipse, & alii, qvi ex hoc bello sine sua culpa

1672. 8. Oct. d'Espence. 27. Oct. 14. Nov.

1672. culpa damnum senserint, satisfactione potiri qveant? Qvomodo Colonia in potestate haberi possit? Qvia circa adornandum communem Imperii exercitum Ratisponæ tam parum promoveatur, num præsens exercitus pro Imperii exercitu sit habendus, ac num Moguntinus ratam copiarum partem huic adjungere velit? An non deuiqve causa sibi sit universi Imperii auxilium ex pace Westphalica, simul Collegarum ex Unione Electorali reqvirendi, qvod ipse ita manifeste adversus ejus pacis leges invadatur? Ad qvæ Moguntinus: Sibi semper necessarium visum, Germaniam exemplo aliorum Regnorum communem, eumqve validum exercitum parare, tutandæ paci, ac ut exteris reverentia adversus ipsam incutiatur. Eo fine connitendum, ut qvæ circa eam rem Ratisponæ decreta sunt, executioni dentur. Interim sine mora bellantibus si non à toto Imperio, saltem à Principibus extra partes positis officium componendo bello offerendum, ac per id curandum, ut læsis Ordinibus, ac cumprimis Electori ablata restituantur, damnumqve sarciatur; in qvem finem ipse fidam operam sit navaturus. Se qvoqve lucrando tempori ad bellantes partes proprio nomine legatos missurum; præsertim cum ipse ne officium suum recusandi color esset, dudum promiserit, se in partem belli Belgici haut venturum. Electoris causam se Ratisponæ omni studio fulturum. Ratam partem sui militis in promtu esse; ac sibi perinde fore, qvo eam sistere decretum Imperii jubeat. Paratum qvoqve esse de suo milite Coloniæ immittere, si urbs id desideret, ac alimenta eidem præbitura sit.

Cum Palatino super transitu Rheni fenstra agitur. 6 Aug.

§. 64. Ast longe difficiliorem sese exhibebat Carolus Ludovicus Elector Palatinus. Is intellecto, fœderatum exercitum versus Mœnum progredi, Ludovicum Darmstadiensem Landgravium per literas consuluerat: cum Cæsaris, & Electoris sociatæ copiæ Rhenum versus tendant, qvid adversus istas consilii capiendum sit? Qvarum literarum cum Electori copia fieret, hic Palatino reponebat: Ab ipso se auxilia pro mutua necessitudine expectasse. Sed nunc ab ipso Cæsarem, ac se argui, velut sua conjunctione causam præbituros novo bello in Ordinum terras attrahendo; aut saltem qvod transitu per Ordinum ditiones sumto in leges publicas peccent. Enimvero nil æqvius, qvam Cæsarem prospicere; ne pax Imperii turbetur, aut ejus fines imminuantur: tum ut ipse cives suos ab oppressione liberare ac, sua conservare studeat. Nec causam se hostilibus præbuisse. Venit deinde Palatino missus Paulus Rammingius, rogaturus, ut Elector ipsius finibus abstinere velit. Elector contra Kroseggium ad Palatinum mittebat, significaturum, se Mœnum transiturum; & cum paululum qvid Palatinæ ditionis transeundum sit, militem accurata disciplina coërcendum, & qvæ præbeantur, præsenti pecunia emenda. Sed Palatinus; ista mira sibi videri. Si tamen aliter fieri non possit, subditi sui indemnes præstarentur. Cum inde rumor esset, Electorem Oppenheimi Rhenum transiturum, Galli non parum turbati à Palatino petebant, ut ei oppido præsidium imponeret transitui prohibendo: alias se militem eidem immissuros. Igitur petebat Palatinus, ut Elector scriptam cautionem mittat, eo transitu se non usurum, qvo eam Gallis ostendere possit. Ad qvæ Elector: de isto transitu se haut cogitasse. Cæterum sperasse, Palatinum tam absurdo postulato exteri Regis, qvi merito negotiis Imperii se miscere haut debuerat, id repositurum fuisse: longe melius sibi cum Cæsare convenire, qvam ut ob metum male fundatum eorum præsidio uti debeat, qvi palam in Imperio ferro, ac igne grassentur. Porro Palatinus responso suo, qvod Kroseggio dederat, posuerat; se mirari, *pacatis* temporibus transitum per suam ditionem peti. Ad qvod Elector reponebat: *Sane haut qvidqvam pacata tempora habenda, si consideretur, qvomodo Galli per Cliviam, Marcam, Trevirensem, Leodiensem præsulatus, aliorumqve Ordinum terras grassentur, & cum exercitu in media Germania consistentes ipsum lacessant. Sane Cæsarem, & Imperium non offendi, aut qveri, si Gallus in suo Regno arma paret, aut copias contrahat; utut sæpe causa non desit. Qvod si exteris permissum esse debeat, ubi Cæsar, & Ordines pro securitate Germaniæ vigilent, & ad propulsandam vim injustam militem cogant, intra fines Imperii irrumpere, ac istos ultro invadere, jam Imperii autoritatem, pacem, atqve securitatem conclamatam esse; ac ni alia remedia opponantur, nil aliud superesse, qvam ut qvilibet ultro cervices jugo Gallico submittat. Eqvidem injuriam Gallicam sibi nunc primo loco incumbere; sed cæteros qvoqve mox paria experturos.* Igitur exercitui suo necessaria præberet, ne in Galli gratiam Cæsaris, ac ipsius salutaria destinata impediisse arguatur. Palatinus inde Ottonem Sverinum Manheimum invitabat, ubi præsente Marchione Angauvio interrogabat; qvo modo ipse meritus sit, ut sua ditio non solum à Cæsareo, & Electorali

13. Sept.

Instr. Pacis art. VIII. §. 2. & Capitul. Cæsar. art. XIII.

Rammingen.

4. Nov.

7. Nov.

1672. rali milite evaſtetur; ſed & anſa præbeatur, ut Gallus qvoqve exercitu cis Rhenum ducto totum Palatinatum deſtruat? Ad qvæ Sverinus: Si per Electorem ſtetiſſet, ne minimum qvidem moleſtiæ ei inferendum fuiſſe; ſed Gallum, dum Germaniam hoſtiliter invadit, neceſſitatem attuliſſe. Palatinus: Atqvi Gallum ſancte teſtari, ſeſe Imperium haut impugnaturum, ac qvamprimum Elector à Rheno recedat, ſuas copias idem facturas. Sverinus: cum iter Weſtphaliam verſus inſtitueret Elector, Gallos itidem jactaſſe, ſi id omittatur, nec Turennio obviam procedatur, brevi inter ipſos conventurum. Sed haut eo ſecius in diverſa abeuntibus exercitum ipſis objeciſſe, velut Cæſari, ac Electori nullibi in Imperio conſiſtere liceat. Sermonem inde excepit legatus Gallicus: Iſthoc iter Regi ſuo longe damnoſius extitiſſe, qvam qvod verſus Weſtphaliam inſtitutum fuerat. Qvam cauſam de Gallis qverendi eſſe? Regem ſane Cliviæ reſtitutionem offerre. Sverinus: Gallos multifariam Inſtrumentum Pacis violaſſe. Reſtitutionem Cliviæ ſæpius promiſſam, nunqvam repræſentatam. A Gallicis oppidorum Clivicorum præfectis Electorem indigne haberi. Gallus; initium ab Electore factum, dum Colonienſi, ac Monaſterienſi provinciæ tributa imperat. Cæterum à Rege Cliviam utiqve reſtituendam, ac damnum reparandum. Id ſi non acceptetur, ſatis patere, iſtis in animo eſſe in Belgarum gratiam Imperium bello involvere. Concederent modo, ut Reges, ac Belgæ inter ſe ſoli decertent, ac ſpectaculo qviete fruerentur, nec Germaniam negotio ad ſe haut ſpectanti implicent. Cum Sverinus negaret, Germaniæ qvietem conſtare poſſe, qvamdiu bellum in Belgio duret, ac urbes Clivicæ Gallico milite inſideantur; Gallus regerebat, Hiſpanos, & Belgas per octoginta annos bellum geſſiſſe, cui nunqvam Ordines Germaniæ ſeſe ingerere voluerint. Sed ingens inter iſtud bellum, & qvod in præſens geritur, diſcrimen eſſe, Sverinus oſtendebat. Cum porro Sverinus Palatinum hortaretur, ut Cæſaris, & Electoris partes amplectatur, hic interrogabat; num norit, ubi terrarum Philipsburgum ſitum ſit? Cæterum ſe nunqvam Imperii partes deſerturum. Alias Gallus declarabat; ſi fœderatus exercitus omiſſo Rheni tranſitu retro abeat, Gallicum qvoqve exercitum in hiberna receſſurum, qvin inducias initurum ſpondente toto Imperio. Qvas inducias, ac ut tranſitu Rheni ſupersedeatur, Palatinus multis rationibus ſvadebat. Rhenum tranſeuntibus prælii aleam ſubeundam; alias Turennii, & Condæi conjunctionem impediri non poſſe. Si cis Rhenum ſubſiſtant, Gallis prætextum præberi ad opima hoſpitia trans Rhenum invadenda. Gallo qvoqve favorem conciliari, qvi alias tractatibus ſe pronum ferat, ni Elector ad Rhenum conſiſtat. Nam nunc tractatus ei ſuſcipere indecorum fore, velut per metum compulſo. Agreſtes cis Rhenum omne frumentum in loca munita congeſſiſſe. Eosdem qvoqve feroces eſſe, ac modicis catervis malum daturos. Suas munitiones periculum incurſuras, ne in exterorum manus incidant, ſtipendiis defuturis, ſi reditus ſui intercipiantur. Deniqve hoc modo belli ſedem in Germaniam pertrahi, lætantibus Hiſpanis juxta, Belgisqve, apud qvos exigua benefactorum memoria ſit. Contra ſi à Rheno diſcedatur, Gallo prætextum adimi, ac viam ad tractatus ſterni; Palatinatum bono Germaniæ ſervari. Favorem omnium conciliari, qvod pacis cauſa Gallo tantum fuerit indultum. Fœderatorum exercitui opima per Franconiam, & Sveviam hoſpitia parari. Si modeſte agat miles, hunc exercitum à toto Imperio pro ſuo agnitum iri. Galli legatum cavere, eo caſu Gallos in ſuo Regno hiberna capturos; ubi eum citius belli tædium ſubiturum ſit ſua conſumentem, qvam Electorem alienis fruentem. Reſpiciendum qvoqve Electori, qvo res in Polonia, & Boruſſia evaſuræ ſint: nam Sobieſcium Gallo ſtudere. Si qvid hic moveat, Electori ad tutanda propria abeundum fore. Deniq; digreſſo licet fœderatorũ exercitu Gallis non integrum fore omnes copias in Belgium reducere, ſed Alſatiam, & Lotharingiam iisdem obſervandam. Ad iſta Elector reſpondebat: Dolere ſibi, qvod aliis moleſtus eſſe cogatur. Sed ſibi utiqve ſua conſervanda eſſe. Qvæ Galli jactent, ſeria non eſſe, qvorum libido Rhenum, inde totam Germaniam ſubigendi indies magis pelluceat. Qvod cum æqve Palatino qvam aliis intolerandum ſit futurum, non iſtum minus qvam alios ad id prohibendum incumbere par eſſe. Ut à Rheno recedatur non ſui arbitrii eſſe, ſed ea omnia provenire à ratione belli, qva ſubigente non magis vicinorum, qvam propriis terris parcere liceat. Unde in malam partem ne acciperet, ſi utiqve ſibi Palatinæ terræ ſint tangendæ. Contra Palatinus: Se rogare, ne ipſe ac vicini, qvi negotio, de qvo Elector qveratur, ſeſe haut immiſcuerint, luere cogantur, qvæ alii deliqverint; ac ne Elector ditiones ſuas rationi belli præter omnem

Palatini conſilium.

1672.

11. Nov.

1672. mnem rationem implicet, sed damnum reparet, idqve in posterum prohibeat: Id qvod legibus Imperii, Instrumento Pacis, ac juri gentium congruum sit. Enimvero Electorem non tam Palatini rationes, & qverimoniæ, qvibus damna à fœderato exercitu illata Ratisponæ, & apud singulos Ordines atrociter differebat, qvam Montecuculi tergiversatio permovebat, ut omisso Rheni transitu retro in Westphaliam vertere institueret. Tamen velut id Palatino daret, ei scribebat; se affectu in ipsum, ac ne idem, aut alius qvispiam de se qverendi causam habeat, consilium ab ipso suggestum secuturum, ac transitum Rheni omissurum: ac sperare eundem qvoqve laboraturum, ut & Galli à Rheno in sua se recipiant, nec è suo discessu insigne emolumentum capiant.

Belgis ista itineris aversio haut placet.

§. 65. Enimvero isthoc Electoris itinere non solum graves qverelas movebant Ordines, qvorum terras id tetigerat; qvod omnes optarent Reipublicæ ab aliis consuli alieno periculo, & damno, ac nulla privata ipsorum jactura: sed & Belgæ eodem offendebantur, qvi uno velut ictu ab Electore omnibus malis liberari cupiebant, haut contenti maximam copiarum Gallicarum partem isto itinere alio aversam. Unde cum Elector, negato ad Confluentes pontis usu ad Mœnum vertisset, isti expostulabant; id iter susceptum, anteqvam constaret, num ibi transitus copia futura esset. Ac si utiq; graves causæ eo tendere svaserint, Cæsareos Egra potuisse recta illuc ire, ut non necessum foret, dum in Halberstadiensem agrum flectunt, integrum mensem frustra terere. Saltem de ea mutatione significandum fuisse. Nec levius Arausionensis qverebatur; per Kroseggium rationes expositas, qvare apud Confluentes Rhenus transeundus foret. Cum isthoc ita fore crederetur, in superiora Germaniæ itum obtentu negati à Trevirensi pontis, cum tamen hic vel vi sumi debuerit. Ea spe suas copias jam iter versus Trajectum ad Mosam ingressas, ut ibi Electoris exercitui jungerentur. Hoc modo si is diversus abeat, nec in hostem rem gerat, grave damnum causæ communi oriturum, ac suam existimationem periclitaturam, qvi populo tam prolixe de ejusdem auxilio pollicitus sit. Nec minus apud amicos juxta, & hostes sinistram opinionem orituram, si fœdus, & per Kroseggium facta promissa insuper habeantur. Se qvidem omnem fiduciam in Electore reposuisse, qvod & hactenus Resp. se sponsore fecerit. Ea spes si nunc fefellerit, ubi Resp. qvam maxime auxilio opus habeat, hanc juxta ac se infelicem fore, nec subsidium pecuniarium amplius solutum iri, ac demum in desperata consilia ruendum. Ad ista Elector per Blaspielum demonstrabat: Non potuisse nisi extremis urgentibus, & summo cum discrimine invito Trevirensi pontem ad Confluentes perrumpi, inter duas munitiones situm: nec per leges Imperii ita fieri debuisse, ut bonarum partium Principi vis inferretur. Ad qvæ Belgæ: se qvidem de Electoris studio, & affectu non dubitare. Sed qvia iter ex fœdere non in Westphaliam, ubi suo judicio Reip. optime consuli potuerit, sed longe à Belgio Francofurtum versus sumtum sit, & copiæ, qvæ in Gallos rem gerere debuerant, trans Mœnum concesserint, Rep. ignara, ubi, & qvid in hostem suscipiendum sit: sibi vitio verti non posse, si ad fœdus provocent, & ibi conventa repræsentari velint. Præsertim cum Reip. indies facultas minuatur conventam pecuniam corradendi, ægrescentibus civibus ob aversum alio iter, & qvod nil pugnæ conseri audiant. Qvin multos jam fremere, qvamdiu ab Electore in Westphalia res non geratur, subsidia postulari haut posse. Contra Elector demonstrabat: multum sane à se præstitum abstracto Belgarum cervicibus Turennio cum præcipuis Gallorum copiis. Qvo ipso facultas iis præbita sit Leodienses Gallorum societate avertere, & nonnulla in Gallos tentare. Et adhuc Turennium, & Condæum cum primariis Galliæ viribus adversus se consistere. Se qvidem nulli labori, curæ, aut sumtui pepercisse, ad id in tam potentem hostem suscipiendum, qvod belli ratio exegerit. Sed qvod iter in Westphaliã, uti fœdere conventũ, directũ non fuerit, non sibi, sed infausto Reip. fato, ac scævæ rerum apud ipsos administrationi imputandum. Nam anteqvam pecunia conscribendo militi plene exsolveretur, omnia munimenta ad Rhenum, & Isalam in hostium manus concessisse, nec ad limitem Westphaliæ vel unicum locum restitisse; cum tamen conventum fuisset, XXX M militum ibi præsto fore, suo exercitui jungenda. Haut eo magis Belgæ fremere desinebant: per Westphaliam longe commodius ad Rhenum, qvam sumto Francofurtum circuitu, perveniri potuisse, ubi juncto Belgico milite egregium operæ pretium fieri potuerit. Amissis licet ad Rhenum, & Isalam oppidis Electorem ratihabitionem fœderis permutasse, & autoramentum accepisse, nulla circa agendi modum exceptione facta. Belgico licet, ac Hispano milite in campum

1672. progresso obtineri non potuisse, ut Electoris exercitus ei jungeretur. Deniqve nemini è Reip. rectoribus hactenus penetrare datum, qvid auxiliaribus copiis in Reip. utilitatem suscipere animus sit. Sed cum prius dicta ingererentur, demum dicebant: Electorem Reip. insigne amicitiæ specimen exhibuisse, qvod inter adversa eam destituere noluerit; par tamen fuisse, tam egregio cum exercitu hostem acrius urgeri. Nec dissimulabant, supra Reip. vires fore subsidia ulterius exsolvere, ni acrius res geratur, eaq; in talem statum reponatur, ut ejusdem fides apud cives gliscat pecuniis mutuo sumendis: qvæ defuturæ non sint, si Elector in Westphaliam regressus Gallos, ac Præsules aggrediatur.

Legati Belgici querimonia. 10. Oct.

§. 66. Nec minus legatus Belgicus Amerongius Francofurti scripto qverebatur: *Sapius nosse voluisse, qvo Elector arma convertere in usum boni publici velit, qvod ea non ad præscriptum fœderis administrari videat: sed nunqvam liqvido responso potiri potuisse. Eqvidem satis agnoscere, ob mutatam rerum faciem conventis ita examussim stari, & qvæ animo agitabantur, executioni dari haut potuisse; postqvam Halberstadio movent ibus nuntiatum esset, Turennium cum XXX M superato Rheno per Essenam Lipstadium versus tendere. Duos tamen menses jam elapsos nulla hostilitate suscepta, nec annona interceptione terra, ac fluminibus tentata; cum tamen ea causa itineris à Visurgi ad Mœnum aversi ferretur. Qvin si Rhenum, ac Mosellam capessere placuisset, in proclivi fuisse CLXXX M modiorum frumenti intercipere, qvæ hosti è Francon ia per Mœnum subvehebantur. Ea flumina ni occludantur, isti occasionem fore in futuram hiemem sibi de omnibus necessariis continuando bello prospiciendi, qvod alias brevi in tutam pacem desiturum videbatur, incassum sumto tam molesto itinere, qvo multi Protestantes Principes gravi damno mactati sint. Igitur se scriptam declarationem expetere, qvid Elector implendo fœderi, & ad nocendum hosti suscipere decreverit, qvo Reip. alacritas persistat pecuniæ solutionem, non sine molestia hactenus expeditam, continuandi: simul ut ipse rectoribus Reip. adprobare qveat, officio se suo haut defuisse; qveis alias displiceat, hactenus nihil juxta conventa actum, nec adhuc suscipi, ac parum temporis hoc autumno ad rem gerendam superesse.* Ad

13. Oct. qvæ ab Electore responsum: *Causas huc aversi itineris dudum ipsi, ac per Krosseggium Arausionensi demonstratas. Magno cum labore, paribus sumtibus per difficillimas vias cœlo semper pluvio gravibus cum machinis se huc demum eluctatum, ubi sedulo satagat suscipere, qvæ ex usu Reip. sint. Moguntinum post varias motas difficultates demum in cupita consensisse, & nunc manum struendis pontibus admoveri. Exercitui, in cujus conservatione summa rerum vertatur, à tam molesto itinere aliqvot dies ad qvietem fuisse indulgendos. Sibi optandum fuisse, ad Confluentes Rhenum potuisse transiri: sed Trevirensem id constanter abnuisse. Omnia à se facta, qvæ pro captu rerum fieri potuerint; nec argui mereri haut impleti fœderis, qvod dum condebatur, qvæ post evenerunt prævideri non potuisse; & cum penes se non fuerit tempora, ac res ad placitum suum disponere, actiones temporibus fuisse accommodandas. Si propria commodi potior, qvam Reip. respectus fuisset, facile licuisse tam molesto itinere supersedere, ac in Westphalia Præsulum ditiones tributis subjicere: qvo ipso tamen cum ad summam rerum parum profici, nec Rhenus attingi potuerit, suadente ratione belli aliam viam fuisse ingrediendam. Qvæ & fructu non caruerit majore hostium parte ex Hollandia in Germaniam pertracta; unde Belgis facultatem nata in Frisiarem bene gerendi; suis contra ditionibus gravi calamitate obrutis. Unde sperare Belgas his probe expensis facile contentos fore.* Simul postulabat, ut sibi super qvatuor militum millibus, qvæ supra conventum numerum habeat, satisfiat; tum ut subsidia accurate solvantur, qvod per eorum moram sibi pecunia integris satrapiis pignori oppositis mutuo sumenda fuerit. Paulo post Amerongius denuo qverebatur; 21. Oct. post octodecim dies qvieti datos nondum transitum Rheni parari; ac tot mutationes fieri, qvarum rationem comprehendere haut possit. Interea multum temporis elapsum frustra fatigato exercitu, cui mox hiberna sint circumspicienda, nulla plane re gesta: qvo ipso plebis juxta, ac procerum animi in Hollandia non parum ægrescant. Sane si ob commune bonum à pacti verbis discedendum fuerat, id cum consensu Reip. fieri debuisse. Qvæ judicet, si citra moram in Westphaliam processum fuisset, contra fatigatos Gallos ingens operæ pretium potuisse fieri; qvi nunc per istas moras se refecerint, ac recentibus copiis è Gallia firmati sint, ac ita pedem fixerint, ut ægre inde dimovendi sint. Igitur pressius nosse cupere, qvid Elector suscipere decreverit, qvo Belgæ ad id res suas disponere qveant. Ad qvæ responsum: omnia facta, qvæ intra vires fuerint. Qvæ transeundo flumini reqvirantur prius parari non potuisse. Veniebat mox ab Arausionensi Webbenumius tribunus, qvi Electorem impelleret, 22. Oct. *Webbenum.*

1672. pelleret, ut ſuperato Rheno apud Coloniam ſtationem capeſſeret; ubi facile ſit ei futurum cum ipſo ſe conjungere, ac Gallos Regno ſuo diſcluſos ferro ac fame urgere, ſimul Hiſpanis animos ad pacem cum Gallo abrumpendam addere, ac Leodienſes vacillantes in bonas partes pertrahere. Eſſe qvoqve iis locis annonæ aſſatim, qvæ alias per hiemem in Gallorum uſum ceſſura ſit. Tum ne Mœnum, ſed infra Moguntiam Rhenum tranſiret, accelerando negotio. Ad qvæ Elector: omnem operam impendi ſuperando Rheno. Mœnum fuiſſe tranſeundum, qvo laxior annonæ copia foret, ac melius obſervandis hoſtium moribus, ad qvos & ſibi ſua conſilia attemperanda ſint.

Elector ſuaſo Rheno in Weſtphaliam tendit.

§. 67. Enimvero cum jam omnia tranſeundo Rheno apud Nierſteinum parata eſſent, conſilio habito Montecuculus ab eo negotio abhorrere ſe oſtendebat, qvod Turennius, qvi jam Treviros proceſſerat, junctis cum Condæo copiis occurſurus ſit, qvicum prælium declinari neqveat, qvorum utriqve pares futuri non ſint. Tum ob imminens à Turca periculum haut longe nimis ab Auſtriacis ditionibus ſibi digrediendum. Ac revera eidem mandata non erant ad manus cum Gallis conferendas, qvæ demum in Weſtphalia poſt accepit, à Lobcovicio Principe ſuppreſſa, qvi omnem cum Gallo colliſionem declinabat. Sane cum jam ſerio pons ſuperandus eſſet, Moguntinus literas ad ſe à Lobcovicio ſcriptas producebat, qveis diſſvadebat, *ne fœderatos Rhenum tranſire pateretur. Id enim Cæſarem haut velle; ſed huic in iter legionum conſentiendum fuiſſe ad amoliendas acres Anhaltini Principis ſolicitationes.* Qvæ literæ ad Cæſarem transmiſſæ haut inter poſtremas cauſas fuere, qvare poſt Lobcovicius gratia Cæſaris, ac functione, qvam in aula hactenus geſſerat, excideret. Cæterum & Moguntinus ſerio diſſvadebat, ne qvid trans Rhenum tentaretur, qvod Ordinibus qverelarum cauſam præbere poſſit. Alias ſaltem Palatinum aperte Galli partem amplexurum: ac ſatius fore ad Inferiorem Rhenum rem gerere. Igitur placuit in Weſtphaliam ire compeſcendo Colonienſi, & Monaſterienſi, ubi & pro capru Belgicis ſe copiis Elector juncturus erat. Aſt Amerongius, qvi hucusqve ſemper inſtiterat, ut in Weſtphaliam iretur, nunc id diſſvadebat, ac ut Rhenus, & Moſella utiqve in poteſtatem redigeretur urgebat, ad qvod deinceps occaſio defutura ſit. Tum ab Electore Wormatiam, Crucenacum, Bingam, Hœchſtam, Treviros, & Confluentes occupandos, 1672. ac Lotharingiam, cum tribus Præſulatibus, Meti, Tullo, ac Viroduno tributis ſubjiciendam. Qvo ipſo & Electores ad Rhenum, qvi in Gallum inclinent, coërceri, ac exercitui opima hiberna parari poſſe, prona cum Arauſionenſi ubi placuerit conjunctione: ac miſſa in Weſtphaliam eqvitatus parte hoſtes ibi ſatis compeſci poſſe. Ipſe *4. Dec.* qvoqve Arauſionenſis, qvi apud Trajectum ad Moſam cum XXIV. M. ſtativa habebat, ut trans Rhenum iretur urgebat; qvod itinere in Weſtphaliam vicinis, ac cumprimis Luneburgicis ſuſpicio injicienda foret. Aut ſi utiqve Elector cum ipſo ſe conjungere nollet, miſſa in Weſtphaliam copiarum parte cum reliqvis in Alſatiam iret. Sed cum ita longe à ditionibus ſuis Electori diſcedere haut placeret, ſubigentibus & aliis cauſis, in VVeſtphaliam vertebatur. Scribebat poſt Amerongius Electori, ſeſe Arauſionenſi omnia ejus expeditionis acta retuliſſe; qvi & ſatis perceperit impedimenta, qvæ ſubinde enata ſint, qvo minus omnia effici potuerint, prout ſibi perſvaſerint præjudicio occupati, & qveis ſecreta rerum parum perſpecta fuerint; eidemqve Electoris rationes plane probatas. Porro cum in VVeſtphaliam ire placeret, Elector Sverinum ad Moguntinum miſit, qvi huic proponeret: Qvoniam exercitu ſuo his oris digreſſo Cæſaris, ac Imperii maxime interſit, ne Gallo plus commodi ad Rhenum naſcatur, id qvod hic vario obtentu qværere haut omiſſurus ſit, forte & per vim uno & altero loco in poteſtatem redacto; igitur ſe iſtius ſententiam exqvirere, qvomodo periculum id avertendum ſit, & an non placeat ſuper ea re conventionem cum ipſo, & Montecuculo inire? Ad iſta Moguntinus: à Cæſare, ac Imperio ſeſe haut disjungendum. Sed qvia ſeqveſtris munus ſuſceperit non ſine ſpe pacis per id reſtituendæ, in præſens ulterius à ſe procedi haut poſſe. Sed ſi pax non coaleſcat, ſine dubio bellum ſeqventi vere acrius exarſurum. Qvo caſu ſummopere ſuadere, ut Colonia in poteſtate habeatur. Nam in hac, ut & Moguntia, & Confluentibus ad Rhenum bellum geſturis fundamentum collocandum. Mature qvoqve granaria ad Rhenum ſtruenda, cui uſui ipſe ſua oppida ſit præbiturus. Moguntiæ munitiones eousqve proceſſiſſe, ut hac hieme ei nil metuendum ſit. Si à Gallis invadatur, ſtatim ſe hoſtilia in eos ſumturum, ac ſperare Cæſaris, ac Electoris auxilia ſibi præſto futura. Iſta tamen ſilentio premi petebat, ac à Sverino potius ſimulandum;

1672. dum, se non sine offensa discedere. Eadem Moguntinus testabatur, cum Elector ei valedicturus Moguntiam veniret; qvi de suo auxilio vicissim eum securum esse jubebat.

Electori ab aliis Imperii Ordinibus nihil auxilii est.

§. 68. Cæterum Electori isthæc expeditio longe molestissima fuerat, qvod & Montecuculus variis artibus destinata ipsius eluderet, & Belgæ contra ut in Gallos rem gereret, subinde instarent, subsidiariæ pecuniæ solutione inhibita; simul Ordines, per qvorum terras transeundum erat, graves qverimonias cierent; cæteri pro bono publico nitentem nullo auxilio sublevarent. Sane qvid ab universis Ordinibus sibi sperandum foret, facile intelligi poterat ex iis, qvæ ante susceptam expeditionem cum Moguntino acta erant, cui alias pro communi Germaniæ bono insigne studium fuerat, & ob munus, qvod gerebat, non modica Ratisponæ autoritas. Ad eum Elector Marenholzium Ratispona miserat, qvi de hostilibus per Gallos in Clivia exercitis exponeret, & qvid facto opus sit exqvireret, postqvam Ratisponæ nihil ad conservationem communis qvietis agatur, insuper qvoqve habito, qvid sibi fiat. Ad qvæ Moguntinus: *Magno se dolore perfundi, qvod super præsenti rerum statu, & qvomodo imminenti periculo sit occurrendum, Ratisponæ ne verba qvidem fiant. Se qvidem nihil omissurum, qvod sui sit officii. Haut dubium, qvin Instrumentum Pacis violetur per ea, qvæ à Gallis in Clivia adversus totiens repetitas Regis testationes patrata sint, qvæ ab Ordinibus velut universum Imperium tangentia considerari debeant. Æqvissimum esse, ut occupata loca restituantur, & Electori prostratis damnis satisfiat*; (etsi num satisfactio à Gallo, an à Colonienſi, & Monasterienſi fieret, in medio relinqvebat.) Ac svadebat, ut is de eo Ratisponæ ad Ordines referret, & nulla de Belgarum bello mentione facta qvereretur, qvid sibi, suæqve ditioni obtigerit. Idem Marenholzius paulo post ad eundem remissus de Gallorum grassationibus plura exponebat, & uti Vauguionus tantum non bellum Electori indixerit, si cum exercitu in Westphaliam tendere pergat. Sane actum esse de Germaniæ libertate, ac Ordinum dignitate, si Gallo impune sit cum ipso primariæ dignationis Principe ita egisse. Ista si cæteri otiose spectent, à se qvidem malorum initium fore, sed qvæ & istos mox oppressura sint. Inde auxilia ex Unione Electorali petebantur, de qvibus repræsentandis etiam cæteri, excepto Colonienſi, moniti fuerant. Moguntinus ad ista de dolore suo testari; officium offerre. Auxilia mitti non posse, qvod ipse Gallo fidem dederit, se in partem belli Belgici haut venturum; nec tutum sibi istum irritare. Militem qvoqve & facultates talia conanti necessarias in promtu non esse. Ditiones suas ita positas esse, ut semper velut in excubiis hinc à Gallo, inde à Palatino standum sit. Moguntiam qvoqve defendi haut posse, cœptis operibus nondum absolutis. Spem esse, neminem à se postulaturum, ut Gallo se opprimendum præbere debeat. Qvod in præsens svadeat nil aliud habere, qvam ut Imperium hanc causam velut communem amplectatur; qvo ipso Gallus sine dubio ad æqviora permovendus sit. Se mirari, ab Electore Ratisponæ nihil moveri, cum Gallus ibi ultro qverelas cieat. Ibi se Electoris desideria omni studio fulturum, ut Imperium officium interponat. Eo si nil proficiatur, nil aliud superesse, qvam ut dudum decretus publicus miles contrahatur. Se Cæsari, Imperio, & Electori utiliorem operam navare posse, si ipse in præsens medium se gerat, qvam si in partes descendat, & auxilium parum ad summam rerum profuturum mittat. Ac Electori jam antea sat copiarum esse. Addebat, cum Cæsar hac declaratione adqviescat, spem esse, Electorem ab ipso haut plura exacturum.

1672.

25. Jun.

8. Jul.

3. Sept.

Ratisponæ scriptis incassum certatur.

§. 69. Ast Ratisponæ usqve adeo ad summam rerum nihil proficiebatur, ut etiam multi conatus Electoris pro bono publico siniſtris judiciis notarent, ac fœdus Cæsaris cum Electore velut legibus Imperii adversum, & Germaniam bello impliciturum arguerent. Qvo nomine Colonienſis, ac Monasterienſis scripto apud Electorum, & Principum collegia exhibito Cæsarem, & Electorem accusare non erubuerant. Etsi ista impudentia tunc verbis duntaxat retunderetur, ultione in futurum dilata. Plerique periculum qvasi ad se haut spectans, aut longius remotum segnius æstimabant, aut fucatis Gallorum dictis, male tutis securitatis pignoribus, aures præbebant, Cravellio legato Gallico multis verbis Ratisponæ perstrepente, à Rege suo nil noxæ Imperio inferendum; qvo ipso tempore Gallicus miles per Cliviam omni hostilitatis genere grassabatur; qvam velut litigiosam à Rege in universi Imperii manus consignandam jactabat. Et cum hic ingentem exercitum mediæ Germaniæ infudisset, haut eo minus eidem pacem Germaniæ tutari studium esse ferebat; qvam ab Electore infringi contendebat circa sua tantum servanda solicito. Qvam accusationis impudentiam nostri

15. Aug.

Ratis-

1671. Ratisponæ acri scripto refellebant; etsi & ipsa rerum evidentia isthæc ultro destru-
1668. eret. Ac dabat ipse Elector ad conventum Ratisponensem literas, qvibus qverebatur; *Sibi aliqvandiu non sine patientia audiendum fuisse, uti non solum à Gallo, ejusqve fœderis, sed & aliis Ordinibus Cæsari, ac sibi objectum sit, velut præter necessitatem arma induerint, cum nullum Germaniæ periculum metuendum foret. Sibi sane optandum fuisse, eas exprobrationes ipso eventu comprobatas, ac tam sumtuosam expeditionem à se incassum suscepta. Enimvero qvid hostilitatis Galli in ipsius ditiones Westphalicas exerceant, verbis exprimi haut posse. Cliviam acrius premi, qvam subacta in Belgio loca. Gallos ibi nullo pudore crepare, Electorem non amplius earum ditionum dominum esse, ac eos, qvi istum adhuc Principem agnoscant, hostium, ac rebellium loco deinceps habendos: Gallis Regem solum ibi imperio potiri. Ac ejus rei specimen Emmerici exhibitum, Consule, qvi ad Electorem provocarat, in obscurum carcerem conjecto. Et cum provinciales ostenderent, supra vires esse, qvæ imperentur, à se præstari; à Gallis responsum, talia ad ipsos perdendos exigi. Insuper magnam Westphaliæ partem Gallorum itineribus, ac stativis exhaustam. Sane nunc ab omnibus perspici, qvam nihil fidei sit adhibendum verbis Gallorum magna cum asseveratione perstrepentium, sibi haut in animo esse Germaniam bello implicare, aut invadere; cum Turennius paucos ante dies scripserit; sibi ad investigandum Cæsareum, & Brandenburgicum exercitum ad Lanum fluvium esse procedendum. Ac Gallos protinus eo vertisse, ac duas caterbas explorandis viis à se emissas à decuplo validiore istorum manu non sine cade pulsas. Ea super collisione se per literas apud Turennium qvestum: suas copias jam bina vice à Gallis ultro impetitas mediis in Germania. Id qvomodo cum testationibus Regis super servanda Germania pace qvadret, se haut perspicere; præterqvam qvod acerbæ hostilitatis specimina qvotidie in Clivia exerceantur. Ad qvæ à Turennio repositum: Qvia Rex de motu exercitus Electoralis intellexerit, id aliter fieri non posse. Incendia per Cliviam injussu Regis facta, ac autores pœnas daturos. Regem qvoqve Stradæ gubernatori Vesaliæ scripsisse, qvia Elector non solum hostilia adversus caterbas Gallicas ad Lanum exercuerit, (qvorum tamen initium à Gallis factum erat,) sed & ducentos eqvos Gallicis mercatoribus ripuerit, qvi velut alta pace sine literis tuti itineris Confluentes tendebant; igitur protinus Cliviam tributis bellicis subjiciendam; qvæ jam dudum exacta fuerant, antequam ista contigissent. Atqvi Cæsari, ac sibi haut aliud propositum, qvam fines Imperii tutari, ac sua servare. Et qvanqvam facilius, ac forte majore cum fructu iter in Westphaliam recta sumi potuerit; tamen qvia nonnulli id iter eo nomine dissuaserint, ne res ad bellum deduceretur, qvod tunc Gallicus exercitus ibi metaretur, iter huc vertisse, nulla qverelarum causa Gallis præbita, velut per se pax in Germania abrupta fuerit. Sed cum Galli his insuper habitis omnia ad pacem evertendam faciant; se confidere, Ordines ad avertendam malorum seriem, qvæ isto initio proventura sint, dudum decretum militem pro securitate Imperii Cæsareo, ac ipsius exercitui junctures; ut exteris pulsis pax Germaniæ vindicari qveat.* Enimvero ista omnia incassum movebantur. Nonnulli aperte Gallis favebant; apud nonnullos invidia in Electorem pellucebat; Saxone qvoqve jus suum in Clivicas ditiones sibi reservante, qvi & Svecis promiserat, se manus bello Belgico plane abstenturum, qvod sibi haut cordi sit. Omnes nil sibi hac de re in mandatis esse excusabant. Qvin nunqvam id negotium adjustam consultationem deduci poterat. Sed nec solitus ibi lentor maturi qvid auxilii promittebat, dum non nisi longo molimine tot capita diversis respectibus, ac studiis in unam sententiam adducuntur, segniore adhuc conatu circa decreta utcunqve exsecutioni danda. Pleriqve amicam interventionem ingerebant, è qva tamen causa Belgica excludenda sit, unde turbæ in Imperium promanarant, & qvam sustineri Germaniæ, ac totius Europæ plurimum intererat: & per eam id qværendum, ut Elector restitutione suarum provinciarum, ac damni reparatione potiatur: sed de auxilio nullum verbum. Ast Cæsar ab universo Imperio suscipiendam interpositionem adspernabatur; etsi alias non repugnaturus esset, qvo minus aliqvot Electores, & Principes peculiariter officium suum offerrent. Moguntinus tamen Electori significabat: universum Imperium apud Reges operam bello componendo oblaturum. De qvo cum Amerongius ad Belgas retulisset, hi responderunt: cum ipsi ante bellum tam enixe pacem qvæsierint, haut credere hanc Regibus in præsens cordi esse. Unde talia incassum proponi, sistendis fœderatorum armis, ac ut inter eos dissidia serarentur. Et propositas à Regibus conditiones satis arguere, qvæ destinata Gallus animo volvat. Igitur de pace haut loqvendum, qvæ non plenam suæ Reip. ac sociis securitatem præstet. Post & cum Alexander Spanius Lipstadio in Colonienſem ditionem excurrisset, hujus legati, succinen-

1671.

tibus

1672. tibus Monasterienſibus, Ratisponæ magnum tumultum excitabant, ac Electorem velut turbatorem Germaniæ, & publicum grassatorem differebant. Qvorum clamores tamen noſtri ſuppreſſere prolixo ſcripto demonſtrantes, *qvam enixam operam Elector navarit, ne incendium id ſurgeret, ac ut idem, cum jam erupiſſet, iterum reſtingveretur. Uti etiam is Præſules antea ſolicite monuerit, ne Gallico ſe fœderi innecterent, nec viam invadendo Belgio Regi ſternerent. Et cum Colonienſis inſtinctu pravorum miniſtrorum oppida, ac ditionem ſuam Gallis parando bello commodaſſet, Electorem mala inde oriturа ſerio ingeſſiſſe, proteſtatione adverſus eos conatus interpoſita. Sed his inſuper habitis Præſules mox Gallis copias junxiſſe, ac hiſce viam in Electoris provinciam aperuiſſe, in qva & iſta atrocius, qvam ipſi Galli, graſſati ſint. Qvibus factis pacem Weſtphalicam revera violatam, qvi qvid Gallus ſociiqve verbis in contrarium teſtentur, in aprico eſſe. Adverſus talia officis ſuis fuiſſe tutandis ſuis provincias arma parare, ac junctis cum Cæſareis exercitu verſus ea loca progredi, ubi hoſtium vis ingruebat, ut tamen ultro nullam hoſtilitatis occaſionem præberet. Ex eo tempore Præſules eam expeditionem bono publico ſuſceptam gravibus calumniis ubiqve diſtuliſſe: hoſtilia immenſum intendiſſe; rapinis, incendiis, cædibus, ſtupris, ſacrilegiis barbaro more magis qvam in hoſtico ſævuiſſe. Et adhuc dubitari, penes qvem culpa turbatæ pacis reſideat? Sane à Colonienſi loca ad Rhenum Gallo tradita, citra qvæ bellum vel plane omittendum, vel ſaltem è Germania Belgio infundendum non fuerat; conſiliis bellicis Monaſterienſem, & Furſtenbergios interfuiſſe; copias cum Gallis ſociatas. Ex qvo infinita mala diſſonibus Electoris, & aliorum Ordinum provenerint. Præfectos Gallicos publice profeſſos, omnia onera, ac mala Electoralibus civibus unice illata inſtinctu Præſulum tanqvam Galliæ fœderatorum. Sane incendia per Cliviam data, ipſi Turennio improbata, Stradam non alio colore excuſaſſe, qvam qvod paria ab Electoralibus in Hildeſienſi præſulatu patrata fuerint; cum tamen hic ne tugurium qvidem incenſum fuerit. Electoralibus qvoqve tranſitum per Hildeſienſem ditionem negatum, qvi tot millibus exterorum per Colonienſem præſulatum indultus fuerit. Fœdus inter Cæſarem, & Electorem tutandæ paci initum à Præſulibus in ipſo Ordinum Imperii conſeſſu contumelioſis verbis traductum; cum ipſos Gallico auro emtos alieno bello patriam involviſſe conſtet. Per Cliviam inſtinctu Colonenſium deſtructis tot arcibus, ac munitionibus plurimum damni datum, ac Proteſtantibus circa ſacra ſua moleſtiæ illatas, qvorum templa non pauca per Colonienſes Sacerdotes Romanis ritibus iterum conſecrata fuerint. A Monaſterienſi denique Clivicam pacem, ſponſoribus Cæſare, ac Electore initam, proterve violatam, ac Electoralibus legatis, ad iſtas turbas avertendas miſſis, ne alloqvium qvidem conceſſum. Qvæ omnia non Electoris ſolum arma, ſed & univerſi Imperii caſtigatione vindicari merentur.* Iſta uti pleriqve ſterili aſſenſu proſeqvebantur; ita omnes mala iſta velut aliena adſpiciebant. Sed & Cravellus fœderis formulam adornaverat, Rhenano fœderi haut multo abſimilem, ad qvam Ordines ambitioſe invitabat; haut alio fine inventam, qvam ut Germania everſionem Belgii otioſa ſpectaret. Circa qvod fœdus commendandum cum Svecicus Ratisponæ Legatus Reinoldus Blumius magnopere ſatageret, Sveci poſt, cum Cæſar, ac Elector eadere qvererentur, id ſuo juſſu factum inficiabantur, eumqve ſtatione iſta dimovebant. 1672.

§. 70. Qvid etiam cum Bavaro peculiariter actum ſuerit, qvem Furſtenbergiorum conſilia ea tempeſtate plane in transverſum egerant, adducere haut abs re fuerit. Is per literas Electori amicitiam Colonienſis commendabat, ac ne is bello Belgico ſe miſceat: ſimul receptas ab hoc intra ſub oppida Gallicas copias excuſabat. Cui Elector: exteros intra oppida admiſſos toti Germaniæ, ipſiqve recipienti periculoſum. Et qvia Belgæ æqva omnia offerant, litem circa Rheinbercam commodiore via, ipſo qvoqve Cæſare annitente, componi poſſe. Idem poſt Electori ſcribebat: Qvia Gallus reſtitutionem Cliviæ offerat, ac Ratisponæ ſuper interventione agatur, ne Elector rem ad extrema deducat, ſuo qvoqve officio, ut huic ſatisfiat, oblato. Ad qvæ Elector: Qvæ à Gallis in Clivia patrentur, deſiderium pacis haut qvidqvam arguere. Ac petere ſe, ut is qvoqve Ratisponæ conniti velit, qvo totum Imperium eam cauſam ſuſcipiat, ac ut non ſibi ſolum ſatisfiat, ſed ut bellum in Belgio componatur, operam navet, qvod qvamdiu ſtagret, Germaniæ qvies conſtare neqveat. Poſt cum Gallus indies infeſtius ſæviret, Elector à Bavaro ratam copiarum partem exhiberi poſtulabat, qvæ ex decreto Ratisponæ condito ad ſecuritatem Imperii ei aſſignata fuerat. Id poſtulatum ſibi inopinum accidere Bavarus reſpondebat, cum negotium de ſecuritate Imperii Ratisponæ nondum abſolutum, nec Gallus, aut ſocii decreto Ordinum, uti neceſſum ſit, hoſtes Imperii

Cum Bavaro expoſtulationes.

14. April.

1. Maji.

5. Oct.

16. Oct.

6. Nov.

1671. perii judicati fuerint. Qvin & insolitum, singula Imperii membra ab aliis in auxilium evocari. Interventionem Imperii probe succesſuram, modo aliena negotia ne admiſceantur. Cui viciſſim Elector: Jejunum id eſſe à collega ſolatium. Auxilium à ſe expetitum non ob ea, qvæ Ratisponæ ſuper Imperii ſecuritate agitata ſint, qvibus forte nunqvam colophon imponendus; ſed ob Unionem Electoralem, & qvia membra unius Reip. ſibi mutuo ſubvenire par ſit, ubi communis libertas, dignitas, ac ſalus periclitatur. Et cum hoſtilia in ſe, ac totum Imperium à Gallo exerceantur, nemini inopinum videri debuiſſe, ſi recuperandis ſuis ditionibus Collegæ auxilia expoſcantur. Cui enim uſui leges publicas, & vinculum inter Ordines? Ac ſolvi compagem Imperii, ſi cuilibet Ordinum propriis duntaxat viribus nitendum ſit. Ac longum fore expectare, qvoad Gallus Ratisponæ hoſtis judicetur; cum pars Ordinum ei fœderibus ſint innexi, alii per metum ſententiam dicere non audeant. Se qvidem nunc à reliqvis hoſti in prædam exponi; ſed oppreſſionem à ſe cœptam ad alios mox tranſituram: ac forte brevi multos frigus ſuum, ac languens pro patria, ac nobili libertate ſtudium gemitu deinceps ſero proſecuturos. Exprobrabat etiam à Bavaro propoſitum de Clivicis ditionibus in ſeqveſtrum mittendis, cum utiqve Gallo in eas nil actionis ſit. Qvo fine igitur iſte indubium ipſius dominium in ſeqveſtrum mutari ſinat, & qvidem ad belli usqve finem, qvi animo proſpici non poſſit? Ad qvæ Bavarus nil aliud reſpondebat, qvam eas literas nimis aculeatas fuiſſe. Sub initium tamen ſeqventis anni Schulenburgius Baro ad Bavarum miſſus eſt, latius demonſtraturus, *uti Elector à Gallis hoſtili modo habitus ſit, etiam antequam Berolino ſe moveret; utqve is ex Unione Electorali auxilia ſibi ſubmitteret. Qvæ enim Galli de reſtitutione oppidorum, ac damni reparatione jactent, inania verba eſſe; & eventum tractatuum incertum, ac in longum prominere. Exitiabile qvoqve Germaniæ fore, ſi à Gallo Belgium ſubjugetur; nec Electorem per obligationem erga patriam pati poſſe, ut Gallus Imperio velut laqveum circumponat, attrahendum, qvandocunqve libido ſubierit.* Ad qvæ Bavarus auxilii miſſionem excuſare, *qvod alias obeundo ſeqveſtre muneri à ſe ſuſcepto inhabilis futurus ſit, ac idem ſe Colonienſi qvantumvis agnato, & Monaſterienſi abnegaſſe. Cæterum viam Electori patere, qva honeſte his moleſtiis exire poſſit; ac conſtare ſibi, à Gallo aqvas conditiones oblatum iri, qvæ ne repudientur vehementer ſvadere. Ac ſi propoſita à ſe interpoſitio admiſſa foret, tot damna, & qverelas declinari potuiſſe, qvibus Electoris expeditio cauſam dederit.* Bavarici miniſtri, ac præcipue Hermannus Furſtenbergius, diſſerebant: *Non poſſe à ſeqveſtris munere diſcedi, anteqvam pax tentetur, ac num Gallo cordi ſit aqvas conditiones admittere; inprimis cum Colonienſis, & Monaſterienſis non minus auxilium expoſcant, ac ipſi Belgæ fœderatos ſuos, Cæſarem, Hiſpanum, atqve Electorem arguant, qvaſi concedere nolint à ſe tractatus pacis, aut induciarum ſuſcipi. Electoralem Unionem ſtatuere, ut amica prius remedia tententur, qvam auxilia exhibeantur. Potuiſſe Electorem citra fraudem admittere temperamentum à Bavaro propoſitum, ut oppida Clivica, antehac Belgarum præſidio inſeſſa, qvibusdam Imperii Principibus extra partes poſitis usqve ad finem belli traderentur, eodem modo uti Belgæ fecerint obtinenda. Id qvod non ſeqveſtrum, ſed depoſitum habendum fuerit. Præterea nullam in Colonienſi culpam hærere, qvod Galli per ejus provinciam tranſitum ceperint, qvem is impedire non valuerit; qvem & ipſi Hiſpani indulſerint. Si Gallis lucuerit in eadem provincia penum ſtruere, idem nec Belgis probibitum fuiſſe. Penes ipſos Belgas culpam hærere, qvod Colonienſi, ac Monaſterienſi Gallica amicitia qværenda fuerit; cum nec medio ſtatu hos frui vellent, nec obdentam Rheinbercam, & eorundem contentum mererentur, ut iidem in iſtorum partes tranſirent.*

1671.

§. 71. Qvia igitur ab univerſis Electori nil auxilii expectandum erat, à ſingulis ut præſidium ſibi circumponeret cura erat. Unde ipſo invitante legati à Cæſare, Daniæ Rege, Cellenſi, ac Guelferbytano Ducibus, & Landgravia Caſſellana Brunſvigæ convenerunt, fœderi mutuæ defenſionis adornando. Ubi tamen nihil profici poterat, qvod ad præſens Electoris inſtitutum faceret. Nam Cellenſis aperte profitebatur, ſe in Belgicam cauſam haut deſcenſurum, niſi accepta pecunia: de qva apud Braſſerum ablegatum Belgicum, qvi ei conventui intererat, altum ſilentium. Eandem ſententiam fovebat Danus; ac uterqve ſibi perſvaſerat, ſe à Belgis parum curari, poſtqvam Cæſar, & Elector ipſorum partes amplexi eſſent. Sed & Cellenſis id fœdus adverſus Gallum, eiqve fœderatos Præſules porrigi nolebat; qvod ad hoc omnium Imperii Ordinum conſenſu opus ſit, ac ne occaſio præbeatur bello in Germaniam pertrahendo; noſtris ingerentibus, à conſervatione Reip. Belgicæ incolumitatem Germaniæ pende-

Circa fœdus Trunſvicenſe acta.

1672. re. Ad extremum tamen Cellensis in Belgici negotii partem venire volebat, si & Danus idem faciat, & Belgæ pecuniam depromant. Et jam conventio istius cum Belgis ad XX M uncialium hærebat. Unde nostri acriter cum Brassero expostulabant, ob tantillam summam tantum negotium infectum manere; præsertim cum fœdere cum Electore cautum esset, ut Brunsvicensis Domus in partes trahatur. Nec minus difficilem se Daniæ Rex exhibebat; qvi id fœdus non ad ea, qvæ jam contra Instrumentum Pacis facta sint, sed ad futura duntaxat valere, eoqve nil sibi cum iis, qvæ in Clivia contigerant, negotii esse volebat. Qvæ cum & Cellensis mens esset; ab utroqve parum sibi auxilii expectandum Elector perspiciebat. Joannes Fridericus Hannoveranus Dux cum invitaretur, excusaverat, se neqve Cæsari, neqve Electori, nec fratri posse fidere, eoqve alia sibi præsidia circumspicienda. Cassellana qvoqve Clivicum negotium suscipere abnuebat, causata, ditiones suas cominus periculo expositas. Sed & Cæsar Hungariam huic fœderi includi volebat; id qvod cæteri omnes abnuebant. Demum tamen id negotium ad finem utcunqve perducebatur, ac fœdus inter Cæsarem, ac Electorem heic tantum interpolabatur nonnullis exclusis, ac ad defensionem Imperii restringebatur, cum istud revera defensionem Belgii spectaret. Ejus capita erant; *Ut fœdus nullius offensionem, sed meram defensionem spectet, ad normam Pacis Westphalicæ, legumqve Imperii; ac ut omnis injuria, vis, status, & molestia belli fœderatorum ditionibus arceantur. Eo fine fœderatis X M. D. eqvitum, XXI M peditum in promtu fore; ad qvem numerum Cæsar, Danus, & Elector ter millenos eqvites, sex millenos pedites, Cellensis DC eqvites, M CC pedites, Guelferbytanus D. eqvites, M pedites, Cassellana qvadringentos eqvites, octingentos pedites præberent. Hæ copiæ si non sufficiant, de augendo eorum numero conveniendum. Addebatur de modo rei tormentariæ. Ubi fœderatorum cuipiam officium apud aggressorem interponere placeat, haut eo setius conventum militum numerum ab eo exhibendum. Nemini liceat separatim cum hoste pacem, aut inducias inire. Ubi duo, plures ve simul invadantur, inter fœderatos conveniendum, utri potius, & qvantum auxilii ferendum. Nemini liceat missus semel copias revocare, ni ipse domi invadatur; ubi tamen de consilii sententia statuendum, qvid eo casu agendum. Si qvis fœderatorum alteri fœderato ex alio fœdere auxilia debeat, ex uno tantum fœdere auxilia præstabit, optione penes requirentem relicta, ex utro fœdere auxilia sibi præstari malit. Addebatur de imperio in conjunctas copias; de consilio bellico, de cujus sententia omnia sint gerenda; de jurisdictione; de transitu; ut bello capta, & tributa juxta proportionem copiarum dividantur. Fœderatis qvoqve operam navandam, ut communis Imperii, & Circulorum militia ad liqvidum deducatur; tum ut Colonienses civitas salva sit. Aliis communi consensu in hoc fœdus accedere integrum fore. Id fœdus in triennium durabit. Ratihabitiones intra mensem exhibebuntur.* Separato pacto Elector promittebat, se Dano auxilia laturum, si in toto Regno Daniæ invadantur. Brunsvicensibus peculiare fœdus cum Dano erat, ubi ista definiebantur. Cassellana auxilium Regi addicebat in Slesvicensi Ducatu, & Jutia, non in insulis. Ratihabitioni nonnihil moræ interveniebat, qvod in Cæsareo instrumento nonnulla errata reperirentur, unde id Viennam remittendum fuerat, ut aliud justa forma adornaretur. Paulo post tamen ratihabitionem permutatio Brunsvigæ peracta; ubi Danus testabatur, sibi cum præsentibus inter Gallum, ac Belgas litibus nil negotii fore. Ista uti Electori parum spei præbebant, ex hac fœdere sibi levamenti qvid in præsenti bello accessurum: ita altius penetrabant, qvæ in conventu utriusqve Saxoniæ, qvi super ejus defensione Qvedlinburgi agitabatur, disserebantur; cui Electoris nomine Otto Sverinus junior, & Joannes Budenbachius intererant. Ibi enim Cellensis proponebat; Colonienſem, & qvosdam alios Inferioris Saxoniæ Ordines instituisse, ut Hildesiensis præsulatus belli oneribus eximeretur; ac Circuli auxilia in eam rem exegisse, ne ipsi necessum sit alia remedia adhibere suæ ditioni tutandæ. Ac ni id fiat, prohiberi non posse, qvo minus Colonienses exterorum auxilio utatur. Qvi & significarit, Turennium jam iter ingressum ipsius ditioni vindicandæ; ac transitum istius, suisqve copiis petiisse. Cui sane abnegari non possit, qvod Elector in Hildesiensi præsulatu sibi indulserit. Spem sibi tamen esse, Electorem pro generoso suo animo modicum emolumentum ex Hildesiana provincia potius neglecturum, qvam proprias ditiones in hoc Circulo sitas periculo expositurum. In qvem sensum etiam à toto conventu ad Electorem literæ dabantur. Sic ut non minus favoris experiretur, qvi Gallo ad insultandam Germaniam viam munierat, qvam qvi eidem averruncando omni ope connixus erat. Post tamen sub initium sequentis anni Elector Blumenthalium ad

12. Sept.

1672. 10. Dec.

In Qvedlinburgensi conventu alia.

Cel-

1672. Cellensem Ducem mittebat, expositurum, qva de causa ipse copias cis Visurgim retrahere coactus fuerit; ac ut avertendo à Saxonia bello is copias secum jungere velit. Id qvod Dux excusare; Dano tergiversante, & Belgis circa pecunias nimiũ cauponantibus arma se parare, ac in partes concedere non potuisse. Nec perspicere præsentius remedium, qvo his difficultatibus extricare se possit Elector, qvam, qvæ offerantur, induciis acceptis, qvæ honestam compositioni viam pandere qveant.

Cum Hispanis agitata. Nov. §.72. Qvia etiam magnum momentum videbantur addituri Hispani, si aperte in bellum contra Gallos erumperent, Elector per suos id negotium Hagæ diligenter movebat. Sed Emanuel Lira postulabat, ut fœderati pacem non inirent, nisi Hispanis in leges Tractatus Pyrenæi restitutis; nec opes in promtu esse armis terra, mariqve parandis. Simul causabatur, Cæsarem, & Electorem nondum palam Gallo bellum intulisse. Nam Turennium cavillari, qvæ hactenus contigerint minutias esse. Proponebant aliqvi Hispanis in bellum pertrahendis, ut Belgæ post pacem his Trajectum ad Mosam, & tractum Transmosanum darent. Id qvod Belgæ adspernabantur. Præbebant tamen post Hispani spem, sese fœderi inter Cæsarem, & Electorem inito accessuros. Unde jussu Electoris Blaspielus *11. Nov.* Bruxellas profectus Monteregium qvidem ei fœderi pronum reperiebat. Sed is stipulari cupiebat conservationem Pacis Pyrenææ, atqve Aqvisgranensis; cum contra Electori arduum videretur, tantæ molis negotium sibi imponere, ni dignum opera pretium ostenderetur; qvod nimium intendi Monteregius invidiosum Electori fore censebat. Alias idem magnificis verbis institutum Electoris extollere: Huic libertatem Imperii, & communem qvietem ita cordi fuisse, ut cum omnes qvasi sopore obruti viderentur, is primus evigilarit, ac rem singulari studio amplexus sit, ac Galli destinata fregerit: qvin & Cæsarem ad fortia consilia permoverit. Is post formulam fœderis exhibebat, qvo Elector adstringere se tuendæ paci Aqvisgranensi debebat, eoqve fine XII M militum præstare, qvibus Hispani IX M sint addituri. Sed negotio extracto cum post Monteregius Blaspielum ad id perficiendum urgeret, Electori conditio rerum imperaverat, ut magis de pace occupanda, qvam bello alendo cogitandum foret.

§. 73. Qvia etiam inter Cæsarem, & Electorem convenerat super aliis in fœdus pertrahendis, qvos inter & Helvetiorum mentio facta erat, Elector Israelem Plessium Gurnetum tribunum in Helvetiam mittebat, cui sese ibi Fridericus Dona Comes adjuncturus erat. Ei mandatum, Helvetios ad fœdus inter Cæsarem, & Electorem pro defensione Germaniæ amplectendum invitare pro antiqva ejus Reip. cum hac necessitudine, initio apud Tigurinos facto. Tum ne ipsorum miles apud Gallum adversus Germaniam arma gereret. In publico rem laxioribus verbis proponeret. Sed privatim apud benevolos, & concionatores prolixius demonstraret; qvantopere ab omnibus juris & æqvi rationibus abhorreant, qvæ Gallus contra Electorem, & Belgarum Remp. susceperit, ac uti tum communis Protestantium res, tum præcipue Reformatorum ingens periculum incurrat: ac uti adversus Galli destinata omnibus vicinis mature res juncto consilio ita sint disponendæ, ne singulos ejusmodi calamitas maneat, qvæ jam iis in locis conspiciatur, ubi tale qvid nunqvam futurum credebatur. Uti deniqve Elector circa avertendum bellum laborarit, Belgæqve Regi satisfactionem obtulerint, si hunc læsisse convincantur. Jam autem non inter Christianos solum, sed & alias gentes, qveis actiones suas ad sanam rationem componere cordi fuit, nunqvam justum bellum fuisse habitum, ubi qvi læsum se credidit, citra sangvinem reparatione potiri potuit, aut ubi sola gloriæ cupido armis obtenditur. Jam vero Gallicos ministros, atqve ipsum Regem belli indictione nil præter gloriam Regis crepasse. Nec minus justitiæ adversari, qvæ in Electoris provinciam patrata sunt. Nam utut detur, Gallis prætextum fuisse Belgica præsidia in istius oppidis invadendi; nullum tamen colorem admittere hostilia, qvæ nemine lacessente in ejusdem provinciam admissa sint. Deniqve universis Helvetiis ob oculos poneret periculum, in qvo ipsorum Respublica versetur, si Galli potentia eo provehatur, ut omnes pro libidine insultare qveat: vasta ejus Regis consilia, & cui justitiæ rationes inter inania habeantur; qvi ni mature in ordinem redigatur, vicinos omnes servitium, aut continuam turbarum seriem manere, sed Evangelicis peculiariter ingereret calamitatem, & exitium eadem sacra professorum. Eo fine proponeret fœdus defensivum tuendæ paci Westphalicæ, ad qvod Helvetii X M peditum præstare debeant: tum peculiare fœdus cum Electore pro tuendis hujus ditionibus contra qvoscunqve, cujus vi IV M

1672. Helvetii frustra ad societatem belli solicitantur. du Plessis Gournet. 5. Aug.

1672. peditum exhibenda ſint. Deniqve exploraret, num Helvetii ſublevandis Belgis aliqvid facturi ſint. Enimvero iſta legatione nihil proficiebatur. Præterqvam enim qvod nullus à Cæſare legatus compareret, qvi cum Catholicis civitatibus agere poſſet; Evangelici qvidem inſignem affectum in Electorem præ ſe ferebant, multisqve laudibus eum extollebant; ac apud Tigurinos concionatores ejusdem deſtinata publicis precibus Numini commendabant. Sed ſolidum operæ pretium apud eos homines citra pecuniam fruſtra ſperabatur; qveis & nunqvam mos fuerat fœderatis ſuis copias propriis ſumtibus auxilio mittere; ſed ſtipendia ſemper ſolvenda fuerunt ab iis, qvi iſtorum opera uti voluerunt. Tum & gliſcebat inter Evangelicos, & Catholicos diffidentia, qvod hiſce ſui ſacerdotes perſvaſiſſent, bellum contra Belgas à Gallo ad propagandos ritus Romanos ſuſceptum. Propoſita tamen res à noſtris Araviæ, ac Bernæ; ſed qvæ ad conventum omnium civitatem Badenam rejiciebatur. Aſt qvia à Cæſare legati haut accedebant, Elector Gurnetum revocabat, ut tamen Donam juberet obſervare, num pro re nata qvid effici poſſet. Cæterum & noſtrorum conatibus legatus Gallicus San-Romanus Abbas valde renitebatur. Tigurini qvoqve veteri fœdere cum Cæſare contenti novo ſe innectere averſabantur. Si pecuniarum affatim fuiſſet, maximum qvod effici potuiſſet erat, ut Helvetius miles è Gallia revocaretur, & Gallorum delectus inhiberentur, utqve Electori militem apud iſtos conducere liceret. Tum ut Elector Auſtriaco fœderi adſcriberetur, qvod ea natio ab omni novo nexu abhorreret. Cæterum noſtri Bernatibus exprobrabant, ipſis duntaxat defenſivum fœdus cum Gallo eſſe, cujus vi huic XVI M auxilio mittere teneantur, ſi is in Regno ſuo invadatur, ſumtibus Regis alenda, ac ut ſingulis menſtruum ſtipendium ſeni unciales ſolvantur. Sed ad bella offenſiva, ac ut Gallus limites Regni proferat, eos non teneri. Unde non recte ab ipſis factum, qvod in præſens tantum militum numerum Gallo conceſſerint, dum is alios ultro invadit, & cum conſtet, ejus deſtinata contra ſacrorum ſocios, ac omnium vicinorum libertatem ferri. Ad qvæ Bernates de fraudibus tribuni Stuppæ qverebantur, qvi per inania promiſſa ipſis illuſerit. Se cum animadverterent Belgas, aut Germaniam à Gallo peti, ſuas copias jurejurando adegiſſe, ne contra iſtos arma gererent. Ad qvod poſtqvam vi jam coacti ſint, id magnopere ſibi dolere; ac eos domum revocaſſe. Sed tabellarium, & aliqvot præfectos à Rege in cuſtodiam datos. Adverſus eam vim nil remedii ſupereſſe, qvam ut deinceps Gallo militem negent. Stuppæ ſpecioſum à Rege procuratorium fuiſſe, cui fidem adhibuerunt. Eum fulciendis ſuis fraudibus id commentum, ut præfecturas legionum inter primariorum Senatorum, ac civium filios diſtribuerit. 1672.

Legatio in Anglia.

§. 74. Porro qvia Angliæ Rex contra rationes proprii Regni, ac totius Europæ Gallo ſeſe ad bellum Belgis faciendum junxerat, magno ſtudio id agebant qvorum intererat, ut is iterum tam exitioſis partibus abſtraheretur. Ac ſane haut diſſimulabat Sylvius ablegatus Anglicus; ſuæ nationi ingratiſſimum eſſe, qvod ipſa augendæ Galli potentiæ opem conferre debeat, ac optare, ut qvamprimum inauſpicato bello ſeſe ſubducere poſſit. Non niſi qvatuor, aut qvinqve homines eſſe, qvi negotium id ſuſtineant. Sane univerſus populus Aulæ conſilia deteſtabatur; præſertim cum excurſores maritimi maxima Anglis damna inferrent, ac commercia deſtruerent. Unde & Arauſionenſis Rhodium in Angliam miſerat, qvi de ſtudio in pacem teſtaretur. Sed Rex excuſabat, ſe absqve Gallo tractare non poſſe. Atqve hic retinendo in partibus Anglo nuper tres milliones in Angliam trajecerat, addito collari unionum maximi pretii ſcorto regio in donum. Haut eo minus Electori, ne qvid intentatum relinqveret, placuit Crocovium in Angliam proficiſci, cui injunctum proponere: Electorem honorem miſſo Loccarto ſibi exhibitum, ac teſtationem de amicitia Regis grato animo agnoſcere, ac paria cum iſto velle facere. Qvo minus ipſe, uti petebatur, medium ſtatum admittere potuerit, obſtitiſſe, qvod prius ſuper eo ad Cæſarem, & Ordines Imperii referendum fuerit. Haut tamen in animo fuiſſe emolumentis Angliæ adverſari, ſed unice Germaniæ ſecuritatem, ac pacem ſpectare. Spem qvoqve eſſe Regem exemplo anteceſſorum, proprioqve deinceps qvoqve conſilia ſua ad eum ſcopum directurum, ac ut res Proteſtantium, ſimul communis Europæ pax incolumis perſtet. In eum finem ſe cum Rege omni ſtudio connixurum, ac ejusdem emolumenta pro virili promoturum. Privato congreſſu demonſtraret, uti indeclinabilis neceſſitas, ac evidens Germaniæ periculum Electorem coëgerit cum Cæſare, & aliis qvibusdam Principibus conſilia conferre ſuper tutanda pace, ſimul arma 15. Sept.

parare

1671. parare adversus vicinas turbas, ac si forte Gallus longius grassari instituat. Ac nil obstitisse, qvo minus & ipse manum negotio admoverit, ac Belgis auxilio venerit, nisi affectum in Regem Angliæ, ac spem ab hoc rem ita temperandam, ut Belgæ qvidem ad æqvas conditiones circa nonnulla compellantur, non tamen penitus in ditionem redigantur Regis potentissimi, cujus vasta Europæ consilia merito suspecta sint. Postqvam autem Galli progressus primo impetu ita enormes fuerint, non sine ipsius Angliæ pertubatione, ut ea Resp. intra mensem subvertenda videretur, eadem adhucqvoqve vacillante: igitur sibi cum Cæsare propere convenisse super valido intra Imperii fines exercitu contrahendo, avertendis in futurum periculis, & Cliviæ ab hostilibus vindicandæ. Qvanqvam autem libido Galli Rhenum, ac Hispanicas provincias subigendi sat causæ præbuerit ad arma ipsi opponenda, eaqve distractione Belgas sublevandos: tamen Cæsaris, ac suos conatus Germaniæ tantum securitatem spectantes, si maxime & alii Germaniæ Principes accedant, haut sufficere sistendis Galliæ progressibus, ac Belgio in pristinum statum reponendo, ut hoc deinceps qvoqve ad firmandas Protestantium res, & librandas Europæ potentias momenti qvid adferre qveat. Qvod si igitur Rex amore boni publici à Gallo se disjungere, ac ubi hic moderatam ac tutam pacem adspernetur, in Belgarum partes æqvis conditionibus transire velit, Electorem honestæ paci conciliandæ officium offerre. Ac spem esse, hanc operam Regi statu tam desperato, & ubi summum periculum in mora sit, haut ingratum fore, velut cui hautqvidqvam animus sit eam Remp. evertere, aut Galliæ potentiam augere, sed sibi duntaxat æqvam satisfactionem qværere. Rationes porro, qvæ Angliæ Regem permovere debeant, ut à Gallo se disjungat, esse gravissimas. Dolendum esse, ad Belgarum Remp. subvertendam Regem eadem sacra professum conniti, ac ut ea Catholicorum dominatui subjiciatur maxima cum imminutione potentiæ Protestantium. Nil certius esse, qvam brevi Germaniam, & omnes vicinos Galliæ jugum subituros, si huic ad Rhenum, & Mosam adqvisita retinere, ac multo magis si Belgas plane sub jugum mittere detur. Saltem Europam perpetuis turbis, atqve curis inqvietandam, qvod isti ex hisce locis hinc Germaniam, inde Hispanicas provincias incurrere in proclivi futurum sit; ac subacto Belgio libidinem maris qvoqve imperium invadendi erupturam. Sane minustros Gallicos haut obscure jactare; si Rex 1672.
suus Belgas Fœderatos, inde Hispanicos subegerit, eum brevi cum Anglis divisum in Britannicum mare imperium habiturum. Ac nuper eo rem rediisse, ut ni Arausionensis Reip. clavo subiisset, Gallus pravæ factionis destinata amplexurus fuerit, qvibus propositum, Hollandiam una cum classe ipsi tradere, ut hoc instrumento uteretur ad vicinos servitio subjiciendos. Qvo obtento nullum respectum Anglici fœderis futurum fuisse. Esse præterea in Belgio partes Regi, & Arausionensi adversas, qvarum destructionem iste semper qvæsiverit, jam oppressas, aut eo redactas, ut Arausionensis autoritatem non amplius premere, aut consilia Reip. in fraudem Regis, & paria cum eo sentientium temperare qveant. Enimvero recentes, ac nondum satis coalitas Arausionensis res nullo modo magis firmari posse, qvam si ejus primordia prospero successu insigniantur, ac populus Belgarum perspiciat, Remp. denuo sui conservationem Angliæ, & Arausionensi debere. Contra non frustra metuendum esse, ne, si Rex insuper habita circa Arausionensem mutatione bellum continuet, Belgis suspicio nascatur, ipsi in animo esse huic supremum in istos imperium struere, aut Remp. plane subvertere. Id qvod gratiæ Principis minuendæ, ejusqve fortunis subruendis causam præbiturum sit. Cum autem Rex singularem in istum amorem ac studium in ejusdem emolumenta semper ostenderit; jam in ipsius manu esse, repudiato Gallo Principem in eum statum collocare, qvem semper optaverit. Qvod si autem nulla spes adpareat Anglum à Gallo dissociandi, aut Electoris officium conciliandæ separatæ paci admissum iri, nec Angli sine Gallo tractatus admittere velint, Crocovius id ageret, ut apud communes pacis tractatus Clivicæ ditiones Electori sine exceptione restituantur, idemqve paci includatur. Testaretur qvoqve, ejus cum Cæsare conjunctionem nil præter tutelam finium Germaniæ, ac conservationem pacis Westphalicæ spectare: eoqve qvamdiu in apertum bellum eruptum non fuerit, legati Gallici conversationem ne declinaret.

§. 75. Crocovio Hollandiam transeunti Arausionensis, & Fagelius omnem spem in Anglia qvid proficiendi adimebant. Fœdus qvippe cum Gallo renovatum, & ab hoc tres milliones solutos ea lege, ut Parlamentum prorogaretur; qvod & factum sit. Gallicam factionem, qvæ apud Regem omnia possit, nullam rationem ad- *Ejus legationis exiguum speratur fructus. 8. Oct.*

1672. mittere velle. Legato Arauſionenſis dictum; ni Rex Principem tantopere amet, iſtum in Turrim Londinenſem conjiciendum. Arlingtonum eidem dixiſſe: in manu Regis Angliæ ſitum, ut vulgus Principem ad Wittiorum inſtar in fruſta diſcerpat. Porro à Belgis pacem cum Anglo optari, ſed non cum Gallo, qvæ in præſens ipſis, ac Germaniæ ſatis tuta obtineri nequeat. Unde nil periculoſius, qvam ſuper tractatibus pacis movere; qvod hoc ipſo, qvi adhuc in ſocietatem pertrahi qveant, abſterrendi, fœdera tanto labore confecta diſſolvenda, ac omnia ſuper gerendis rebus conventa turbanda ſint. Atqve eum ipſum Galli ſcopum eſſe, cui aſſeqvendo is qvidem de pace propoſitiones auditurus, ac ejus ſpem facturus ſit; ſed qvalis pax ab eo obtinenda ſit, in aprico eſſe. Si qvoqve Hagæ vulgetur, pacem ſperari poſſe, civibus mox tædium tributorum ſubiturum, qvæ nunc averſatione Gallorum libenter tolerentur. Igitur iſti ſvadebant, ne Elector in præſens tractatibus ſeſe implicet, qvoad tempora ita mutata ſint, ut tutæ pacis ſpes adpareat. Gallicum qvoqve legatum Anglo perſvaſiſſe, Cæſari, & Electori haut cordi eſſe Remp. auxilio ſublevare, nec eos qvid in Galliam tentaturos; nec exercitum eorum ſat validum ſuſtinendo Turennio, eorundemqve conatus inanes fore. Haut eo ſecius in Angliam pergebat Crocovius, cui Londinum delato alloqvium Regis denuntiabatur, anteqvam id petiiſſet; qvod mali augurii inſtar erat. Ac rogabat legatus Hiſpanicus Anglum à Gallo ſeparandum, niſi novo caſu emergente compellatur, Gallicæ nunc factionis libidini plane obnoxium. Crocovio Rex reſpondebat: *Se cum Electore ſemper amicitiam coluiſſe: nunc autem eſſe, qvod de eo qveratur. Dudum Electorem Ruperto Palatino ſcripſiſſe, ſibi de fœdere inter Angliam, & Galliam auditum, cui qvid certi ſubſit noſſe cupiat, conſiliis ſuis inde digerendis. Qvo tempore rationis fuiſſe fœdus nondum perfectum ſecretum haberi. Pro ſingulari tamen in Electorem affectu ſe Rupertoinjunxiſſe, ut iſti ſcriberet, fidum hominem ad ſe mitteret, qvi de iſto negotio plene edocendus ſit. Qvod cum nec tunc, nec deinceps factum ſit, id à ſe non poſſe non ſiniſtre accipi. Interea ſe tractationem cum Gallo continuaſſe, & poſtqvam reſciverit, Gallum à Belgis ad fœdus offenſivum contra Angliam invitari,* (id qvod à Gallo confictum, à miniſtris Anglicis Gallo ſtudentibus libenter creditum fuerat,) *ſe non diutius fœderis concluſionem diſtituiſſe. Miſſo inde Hagam Dovvningio injunctum legatis Electoralibus declarare; ſe unacum Gallo Belgis bellum illaturum, ac utrumqve operam daturum, ut Electoris deſideriis ſatisfiat. Et cum ne ſic qvidem hic mentem ſuam declararet, Loccartum miſſum prius oblata iteraturum, ac ſe ſponſorem fore, à Gallo omnia qvæ convenerint præſtitum iri. His repudiatis Electorem Belgis ſe innexuiſſe non ſine utriusqve Regis offenſa. Id tamen adhuc corrigi poſſe; ac ſi Elector declaret, omnia qvæ ab eo geruntur pro Imperio, non pro Belgis fieri, ac idonee caveat, ab ipſo Belgis nil auxilii ferendum; ſe effecturum, ut Gallus Electori Clivica oppida reddat, aliis qvoqve commodis adjectis. Se qvoqve Galli promiſſa de non invadenda Germania, aut Hiſpanico Belgio præſtiturum. Dilutum eſſe prætextum, qvod de ſacrorum periculo occinatur; nam & Electorem Catholicorum fœderibus innexum. Caterum ſe in pacem pronum, nec Gallum minus. Sed ſi Belgæ aliive credant ſat ſibi aſtutiæ eſſe ad ipſum à Gallo ſeparandum, in magno iſtos errore verſari: nec eſſe, qvod qvis inanibus proponendis ſe fatiget, qvæ ipſe nec auditurus ſit. Gallum nimis qvam generoſe, & candide ſecum egiſſe. Unice par Belgas ſtare, qvo minus pacem habeant, qvam Arauſionenſis abrupte recuſaverit, ne tractatione qvidem ſuper propoſitis conditionibus ſuſcepta. Eum Principem nec ſuis rebus, nec Reipublicæ bene conſulere. Se ipſi optime cupiiſſe, & adhuc cupere. Sed metuere, ut ejus res ob inconſtantiam plebis diu ſubſiſtant.* Ad ea Crocovius: Qvo minus Elector oblatas per Loccartum conditiones amplecti potuerit, obligationem, qvo Imperio teneatur, obſtitiſſe. Gallum qvidem multifariam de non turbanda Germania teſtatum; ſed facta diverſum demonſtrare, præcipue in Clivia, ubi atrocius qvam in ipſo Belgio graſſatus ſit. Ad qvæ Rex: Gallo id fas fuiſſe, qvod Elector Belgis fœdere jungatur. Ad ea, qvæ ſuper ſacris dixerat Rex, Crocovius regerebat: utut ſacra inter hujus belli cauſas non ferantur, haut eo minus Proteſtantibus hoc bello multa decedere. Sane & Gallos in locis à ſe occupatis ſacra Proteſtantium publica abrogaſſe, ſuffectis Catholicis ſacerdotibus. Contra Electoris fœderatos Catholicos haut conceſſuros, ut ab eo qvid circa ſacra noveturi; qvod nec iſti propoſitum ſit. Ita fieri, ut religio purior ex una parte nihil lucretur, ex altera multum perdat. Addebat Rex; Gallum pacem haut facturum, ni locis qvibusdam inſignibus potiatur; nec par eſſe, ab eodem omnia reſtitui. Nec Electorem, qvi jam in partes tranſierit, ſeqveſtris vices obire poſſe. Bene tamen facturum, ſi Belgas ad acceptandas, qvæ offerantur, condi-

In Anglia agitata. 24. Oct.

1672.

tiones

1672. tiones permoveat. Se qvidem bina vice istis pacem obtulisse, tertia vice id haut facturum. Demum Rex ut desideria scripto exponeret postulabat; nam se brevi responsum redditurum. Qvod & hic laxioribus verbis fecit. Qvod autem Rex, cui alias humanitatem, & modestiam verbis, ac gestibus exprimere solitum erat, ita aspere nunc cum Crocovio loqveretur, id à Gallica factione, qvæ eum totum possidebat, inditum erat; qvicum qvando consultaverat, præter nativam indolem qvasi extra se raptus videbatur. Eorum consilia juxta, & actiones violentæ erant, magis ex desperatione, qvam fiducia suæ causæ; qvam ægre pervicturos se ipsi agnoscebant. Electorem qvamvis Angli asperitas protelabat; tamen qvia animi cum temporibus mutari solent, Crocovius vario obtentu manere jubebatur, qvamdiu id salva istius dignitate fieri posset. Cæterum qverebatur Arlingtonus, *penes Electorem causam esse belli extracti, qvod Belga jam in ordinem redacti forent, ni iste Turennium horum cervicibus abstraxisset; simul qvod Anglis jam spes perierit Briela, & Vlissinga potiundi; qveis sibi maxime opus fuerit, ut acta sua Parlamento adprobare possent. Nunc tam ingentia, & probe digesta destinata eousqve abortuisse, ut ipsi ingloriis, ac præda vacui hoc bello excessuri videantur.* Sane & Belgarum excursores maritimi magnas prædas agebant, manibus Anglicis. Unde eos, qvi bellum svaserant, non exigua solicitudo exercebat. Et qvia Rex Parlamentum convocare non audebat, sine qvo nulla pecuniæ copia, à Gallo omnia suppeditanda erant. Paulo post Arlingtonus Crocovio denuntiabat, per Henricum Coventrium ipsi responsum, simul literas obitæ legationis fidem facientes traditum iri. Ad qvæ Crocovius: has à se haut expetitas, nec moris esse easdem ultro mittere, ni simul discessus imperetur. Ea si Regi mens sit, sibi id ferendum; optare tamen, ut id modo conspicuo fiat, ne ipse forte abitum præcipitasse arguatur. Sane causam talibus à se haut præbitam. Ita dilatis literis responsum ei missum plenum cavillationum, & inanis jactantiæ. Ostentabat Rex studium in pacem: in Electorem culpa conferebatur, eum à Belgis nulla satisfactione potiri, ac bellum extrahi: unde ejusdem officium circa pacem conciliandam plane admitti non posse. Cæterum mirum erat, unde Anglicis ministris tanta foret insolentia, cum nemini mortalium perspiceretur, qvomodo cœptum negotium cum honore ad exitum perduci, aut tres milliones librarum Sterlinensium, qvæ Rex à mensariis mutuo sumserat, initio futuri anni persolvi possent. Nam qvæ spes in Belgarum satisfactione reposita fuerat, jam decollaverat: & qvi suas pecunias apud mensarios deposuerant, has ab iis repetebant, his contra protectionem Regis implorantibus. Unde inter mercatores rationes turbari; & eam ob causam Cancellarius munere suo dimotus erat, qvod juxta leges agendum censeret, alio in ejus locum surrogato Gallicæ factionis, & jus ad aulæ libidmem flectere doctus. Qvia porro Coventrius denuo significabat, se à Rege jussum literas obitæ legationis pro Crocovio conficere, hic honestius judicabat id prævenire, ac ultro dimissionem petere. Nam legatus Gallicus acriter institerat, ut is Londino amoveretur; ac Angli magnopere Electori indignabantur, per qvem amplissima spe evoluti erant. Qvanqvam autem Crocovius Anglos dimissionem postulando prævertisset; in aula tamen gloriabantur, se isti abitum ultro insinuasse missis domum literis, ut Gallo adularentur. Regi valedicens Crocovius qværebat; num 22. Nov. qvid habeat, qvod sibi mandet? Rex respondebat; scævo fato fieri, ut ipse, ac Elector bello Belgico semper adversas partes teneant. Ad ea Crocovius: id ipsum & Electori dolere: sed per Imperii, & Electoris rationes aliter fieri non potuisse. Rex circa Imperium nihil metuendum: Gallum eo nomine ample declarasse, ac se sponsorem fore, ac ei se oppositurum, qvi Germaniam invaserit. Literas legationis obitæ testes Crocovius Conventrio redhibebat: unde aliter formatæ, exclusis qvæ offenderant, tradebantur. Earum argumentum erat: *Præsentem rerum statum non ferre optatius ipsi responsum dari, cujus & diuturniorem in aula moram Regis fœderatis suspicionem fuisse injecturam.* Alias confusa tunc aulæ Anglicanæ facies erat, omnibus destinatis male succedentibus, ac omni emolumento penes Gallum manente Anglis inanibus. Qvo difficilius sibi fore Parlamento bellum adprobare, hoc inscio, & contra populi inclinationem susceptum. Unde & Rupertus Palatinus Crocovio fatebatur; Gallicam factionem bello sese extricare cupere, ac utiqve mutationem aliqvam eventuram. Sed Gallum ad audiendam rationem haut adductum iri, ni tota vi invadatur, & cladem aliqvam accipiat; id qvod ipse optet. Ministri porro satis agnoscebant, male se fecisse bello in Galliæ usum contra Angliæ rationes moto, ac erubescebant juxta, & irascebantur, si de Galli destinatis ingereretur. Haut eo secius cœptis per-

1672.

1. Nov.

1672. pervicaciter inhærebant, ut satis pateret, eorum vitam, & famam in Galli manu sitam, nec eos amplius sui juris esse. Obtentui sumebatur; si minimo indicio ostendant, se cum Belgis transigere velle, Gallum cum hisce tractatus adversus ipsos occupaturum. Cum tamen constaret, hac rerum facie pacem inter Gallum, & Belgas coire non posse. Nitebantur tamen, ut semel adhuc classem mari, pecunia undecunqve corrasa immittere possent.

Litera Regis Angliæ ad Electorem. 13. Nov.

§. 76. Dabat tunc Angliæ Rex literas ad Electorem, qvas cum Crocovius accipere nollet, alia via mittebantur. Eas verbis conceptis huc adponere placet. *Carolus &c. Serenissimo Principi Domino Friderico Wilhelmo &c. Serenissime, Literas nuper à Celsitudine Vestra Electorali binas accepimus, alteras qvidem d. 3. Augusti ultimo elapsi scriptas, alteras d. 17. Sept. latore Celsis V.ra Electis ablegato extraordinario Domino de Crockow. Responsionem priorum ideo paulisper differendam censuimus, qvia ablegatum extraordinarium à Celse V.ra Electali tunc promissum qvasi qvotidie adventantem præstolabamur, sperantes illius colloqvium nonnihil lucis allaturum fuisse qvibusdam dictarum literarum capitibus, qvæ à Celsis V.ra Electali minime expectavimus. Ne autem hæc responsio Celsis V. Electali nova qvoqve, & inspersata videatur, in ipsius memoriam revocabimus, qvomodo nos erga Celsis V.ram gesserimus, ex qvo primum de motibus hodiernis cogitavimus. Circiter biennium est, qvod Dilectissima Consanguinea nostra Dna. Elisabetha Princeps Palatina rogatu, ac nomine Celsis V. Elis ad fratrem suum Principem Rupertum in aula nostra degentem scripserat, scisitatum, qvid ille de mente nostra circa res illius temporis sentiat. Cujus qvæstionis unicum esse finem dixerat illa Princeps, ut inde Celsis V. Elis modos & mensuras actionum suarum melius formaret, effingeretqve. Qvibus literis idem Consanguineus noster Princeps Rupertus istiusmodi responsum nostro dictamine reddidit; Si visum esset Celsis V. Elis virum aliqvem idoneum, & tali fiducia dignum huc deputare, nos illi perqvam lubenter ac libere communicaturos esse, qvid in animo versaremus. Et hoc qvidem multo maturius à nobis factum est, qvam ulli Fœderatorum præterqvam Charissimo Fratri Nostro Regi Christianissimo nostra super ea re consilia patefeceramus. Verum hunc amicitiæ nostræ fructum Celsis V. Elis insuper habuit, imo prorsus sivit intermori. Nos autem neqve sic animum despondere voluimus, sed postea etiam Georgio Downing Eqviti Aurato legato nostro Hagæ Comitis apud Ordines Generales Residenti in mandatis dedimus, ut Celsis V. Elis ministrum eo loci commorantem consilii nostri participem faceret; sicuti fecit. Verum ne sic qvidem aliqvid ultra profecimus, totaqve hæc nostra candida & aperti animi demonstratio frustra fuit, nec intra reconditas Celsis V. Elis cogitationes vel minimum penetravit. Qvod qvamlibet nisi temperatura plusqvam mediocris amicitiam laxare, ac tepefacere potuit. Sed facta recordatione promissionum ac protestationum, qvas Celsis V. Elis per tot literas & ministros toties nobis iteraverat, credere noluimus, persona, & rerum nostrarum existimationem tantilli apud Celsis V. Elem momenti fuisse, ut penitus è mente ipsius excidere posset, qvin potius ita apud nos ratiocinati sumus, moram & taciturnitatem Celsis V. Elis à seria ipsius deliberatione solummodo profectas esse, ut cogitationes suas de tam arduo, tantisqve ponderis negotio eo perfectiores tandem proferret. Sed cum res dilationem non amplius sustineret, adeoqve postularet, ut magis præcisam, ac dissertam Celsis V. Elis resolutionem exqviremus, Guilielmum Lockhart Eqvitem Auratum Ablegatum nostrum Extraordinarium versus ipsam expedivimus, ut non solum sensa mentis nostræ summa, qva fieri potuit, libertate Celsis V. Elis aperiret, sed etiam ut conditiones ipsi offerret vel maxima utilitatis, si partibus nostris accedere vellet, vel incolumitatis, si se neutram tenere potius censeret. Si gradus, qvibus in hoc negotio processimus, Celsis V. Elis observare velit, primum reperiet per literas prædicti Consanguinei nostri Principis Ruperti ad sororem suam Dn. Elisabetham rescriptas, Nos Celsis V. Elis in partem consiliorum nostrorum accivisse, priusqvam ullum solennem tractatum cum Rege Christianissimo inieramus. Deinde legatum nostrum jussu nostro Celsis V. Elis ministrum dicti tractatus monuisse, cum prope finem proveheretur, ac postremo nos per ablegatum nostrum extra ordinem missum Celsis V. Elis ejusmodi tractatus hic conclusi certiorem fecisse, una cum optione oblata vel eximia partis in bello, vel indubitatæ securitatis in neutralitate. Qvid hisce omnibus amicitiæ testimonium par, aut affine nobis reddidit Celsis V. Electoralis? Scilicet absqve ulla vel minima significatione nobis facta Celsis V. Elis non solum fœdus tractavit, sed pepigit, idqve non cum amicis, sed cum hostibus nostris Unitis Belgii Ordinibus Generalibus, qvorum pecunia accepta exercitum conscripsit, agmen duxit, & cum tympana & tuba, terrarumqve in Imperio sitarum direptiones,*

1672.

actio-

1672. actionem universo orbi late promulgassent, nos tandem Celsit. V. El. per literas suas edocet, se adversus firmum, bonumque Fratrem, & Fœderatum nostrum Regem Christianissimum arma sumsisse, adeoque contra ipsum suppetias, & cohortes auxiliares à nobis postulat. Qualis propositio tam inauditam animum, & à ratione tam absona, ut eam vix adhuc credamus a Celsit. Vestra proficisci potuisse, cum per consequentiam poscat, ut subditis, viribusque nostris contra personam, & rem nostram utamur. Quod quidem parricidium esse videtur, à nullo Principe, qui modo non extremi sit ingenii, æquis auribus accipiendum. Etiamsi pro singulari illo affectu, quo Celsit. V. El.em semper amplexi sumus, rationes quæ nobis in animum induxerunt tam bellum adversus Ordines Generales suscipere, quam unionem cum Rege Christ: colligare, non tempestive Celsit. V. El: declarassemus; tamen ea mutua copiarum, classiumque nostrarum terrarumque conjunctione illud utique jam pridem ipsi innotuisset, proinde ac cæteris ubique Principibus innotuit. Et acies jamdudum commissæ, & sanguinis effusio neminem sensibus præditum in dubio reliquerant, quibus nos partibus adhæserimus. Tertium vero, & quartum Tractatus nostri articulos ita interpretari, ac si nos cum amicis nostris bellare constringerent, cum interea iidem articuli Celsit. V. El.em impedire non possent, quo minus inimicis nostris assisteret, id certe graviori opprobrio onerat tum ministros nostros imprudentiæ, & perfidiæ, qui talem tractatum concluderent, tum nos facilitatis, qui eundem ratum habere vellemus, quam vel nos, vel illi sustinere meruimus. Quin etiam querela contra Regem Christ: allata nobis quidem videntur necessarios, & inevitabiles belli casus potius indicare, quam animum Celsit. V. El.em aggrediendi. Nos enim ipsi testes sumus, quales conditiones non minus honorificas quam utiles Rex ille Celsit. V. El.i non solum ante, sed etiam post bellum susceptum obtulerit, quarum nos quoque fidejussores esse sponte volebamus. Profecto nova & plane admiranda methodus esse videtur, primum neutralitatem oblatam, nostramque fidejussionem respuere, & deinde bellum contra nos eligere, nostraque auxilia postulare. Nos quidem opinamur, responsionem, quam Regis Christ: minister DD. Principibus Electoribus, eorumve deputatis Ratisponæ exhibuit, jam nemini non abunde satisfeciisse, quam exiguam Rex ille causam Celsit. V. El. dederit, ut illi nomen aggressoris imponeret. Et si lectus ac vectus militibus in Ducatu Clevensi præbitus odiosum aggressoris titulum Christianissimo Regi impingere sufficiat, quo tandem nomine Celsit. V. El.is appellabitur, post exercitus sui gressus, ac grassationes per terras Trevirensem, Moguntinam, Hassiacam, Hanoveranam, Colonienſem. Ubi [nisi fama nos multum fefellit,] duplo plus commeatus absumtum est, ac minus argenti relictum, quam in terra Clivensi. Sperabimus hasce rationes paulo fusius à nobis deductas id ponderis apud Celsit. V. El. habituras esse, ut facile credat, nos nec juri, nec æquitati deesse, si auxilia requisita non mittamus, præcipue cum ipsa exemplum nobis satis luculentum proposuerit asserendo, se consœderationis illius intuitu, quam cum Rege Christ: inierat, opem quam vi tractatuum Ordinibus Generalibus debebat ipsis ferre recusasse. Si Celsit. V. El. tractatu cum Rege Christ: qui solummodo defensivus est, se ita obstrictum judicaverat, ut auxilium à sua confessione debitum Ordd. Generalibus non suppeditasse æquum censuerit; nobis certe neutiquam vitio vertet, si fœderi, quod cum eodem Rege non modo defensivum, sed in hoc bello offensivum quoque pepigimus, tantum tribuamus, ut eam opem minime feramus, quam Celsit. V. postulat, nos autem virtute tractatus neutiquam deberi existimamus. Ut finem aliquando faciamus, si nostra apud Regem Christ: intercessio usui esse poterit ad componendum differentias inter ipsum, & Celsit. V. El. ortas, deloturas, nihil quod ex parte nostra fieri possit omittemus. Sed in bello jam flagrante ut vel minimum opis contra ipsum feramus, id certe nec res, nec ratio, nec indoles nostra permittet. Ad alteras Celsitudinis V. El. literas d. 17. Sept. scriptas quod spectat, quas vis amicitiæ significationes à Celsit. V. El. profectas quam libentissime semper amplexabimur; & hoc ipso tempore omnia ita disponenda curabimus, ut honoris & incolumitatis nostræ ratione habita, bona atque universa pax per totam Europam concilietur, & quicquid ubique animositatis, atque malevolentiæ fervet, penitus consopiatur. Propositionibus etiam, quas Celsit. Vestræ El: nomine prædictus ipsius ablegatus nobis fecit, responsum dedimus, quod ille secum referet. Nos autem Celsit. V. El: Dei O.M. tu-

1672. *tela ex animo commendamus. Dab. in Palatio nostro ad Wittehal d. 15. Nov. 1672. Cels. V. bonus Frater, consanguineus, & affinis*

Carolus Rex.

Electoris responsum. 3. Jan. 73.

§. 77. Ad istas literas, multum sane acerbitatis parum decoræ sapientes, Elector ita respondit: *Momenta rerum licet cumprimis spectantes in literis, quas Regia Vestra Majestas d. 15. Nov. ad nos dedit, fugere tamen non potuit inusitata illa inter Principes scribendi ratio, quæ in illis deprehenditur. Idem juris responsuris ita quidem datum; sed non ita vulnera Ecclesiæ, & Reip. mala sanantur, nec talia vel Regis vel nostræ conveniunt sorti. Rem quod spectat, quamprimum institutum Galli de inferendo Belgis bello apparuit, apparuit simul, non tantum Belgarum, Gallorumque turbatum iri tranquillitatem, sed totius Europæ, ac inprimis Germaniæ pacem, infinita vero mala inde in Ecclesiam Dei redundatura. Quod prudentes augurati sunt, eventus firmavit. Antequam Belgium invaderetur, claustra Imperii Gallico præsidio, novisque munimentis firmata sunt, utque bellum illic diutius geri possit, commeatus eo advecti. In Episcopatu Leodiensi, & Ducatu Clivensi nil non hostile patratur. Uruntur tecta, vastantur agri, urbes, arces, munimenta etiam à Belgis non insessa, nec extructa capiuntur, solo æquantur. Templa his eripiuntur, illis dantur, tantum abest, ut illic miles lecto, & victu contentus fuerit. Jus in sacra, & profana promiscue, & ex lubitu usurpatur, insuperque habitis & territorii dominorum juribus, & Imperii legibus cuncta manu Regia nullo jure aguntur. Ita satis mature Gallia prodidit, quam armis suis quærat potentiam, & absolute regnandi facultatem, redundaturam tandem in illos, quibus nunc ut parariis dominationis utitur, & instrumentis. Quod si itaque sive in principio; sive in progressu talis belli, tot tantasque calamitates trahentis Mtem V. Reg. compellavimus in causa Ecclesiæ, Patriæ, & fœderatorum, quibus non nunc nuper, sed multis abhinc annis accepto à majoribus exemplo juncti fuimus, nemini instituti hujus ratio nova, aut admiranda agendi methodus videri debet. Quid Deo, quid Domui ejus, quid Imperio, imo quid Orbi debeamus novit R. M. V. quam optime. Novit eadem nihilominus, quanto studio majores ipsius, optimi sapientissimique Principes, gentem Belgicam consiliis, armis, opibus tutati sint non sine suo periculo, ne unius potentiæ illa cederet, quæ omnibus postmodum vicinis gravis foret. Novit præterea M. V. quam nihil plane admiserit Germania, fida vicina, nec Principes ejus R. æ V. Mti addictissimi meriti sint, ut tam contemtim, tam indigne ab externo Principe nulla injuria lacessito haberentur. Quomodo igitur R. V. Mti displicere potuit unquam, aut alienum ab ipsius animo videri cuipiam potuit, si sanctissima ista nomina eidem commendarem, opem ejusdem in tali discrimine non nostri & patriæ tantum, sed ipsius Christiani Orbis simul implorantes. Equidem putat R. V. M. res nostras, aliorumque extra periculum esse potuisse, innixas Galliarum Regis promissis cum conditionibus quas nobis proposuerit luculentissimis. Quid vero sanctius pacis Westphalicæ tabulis? & tamen in ludibrium vertuntur. Pacem enim dicunt hac ipsa hora se in Germania conservare, qui nihil hostile in ea intermittunt. Quæ autem conditiones nobis potiores esse possunt fide, quam Deo, quam Imperio, quam Fœderatis & amicis debemus; quam nulla fortuna mutare poterit? Belgis R. M. V. cur succenseat aperuit nobis, verum est. Sed postquam reverentiam, & quicquid a nominibus R. æ M. V. unquam ab ipsis desideratum promiserunt, annon mitioribus consiliis, & concordiæ locus? Satisfactione oblata arma cessare gentibus æquum visum. Quæ laus, quæ gloria R. am M. V. manebit, si non offensione Christiani sanguinis, sed æquanimitate Regia lites, si quæ sint, diremerit? Turbata olim Rep. Romana amicus amico, gentilis gentili acceleravit. Sejungas te ab illis, quibus se non tuum judicium, sed temporum vincula conjunxerunt? Quis Christianorum ergo nobis vitio vertet, si R. am V. M. cui ea contigit gloria, ut primo loco sit inter eos Principes Christianos, qui tum puram profitentur & tutantur doctrinam cœlestem; tum rerum in Orbe arbitrium æqua dirigere lance student, rogaverimus, ut Ecclesiæ, ut publicæ tranquillitatis, tum quoque veterum amicorum, & communium sacrorum nexu, & aliis sanctissimis vinculis conjunctorum rationem tandem habere, eorumque rem pro pietate sua, & uti summo isto loco dignum est, agere dignetur. Sic illo, quam prædecessores ejusdem olim obtinuerunt, Fidei Defensorum titulo jure longe maximo suo meritissimo cum gloria gaudebit, eoque ut diu floreat, vigeatque optamus. Atque quod reliquum est prosperrimam valetudinem R. æ M. V. precamur, paratissima eidem studia nostra prolixe deferentes. Dabantur in arce nostra Sparenberg, d. 13/3. Januarii 1673.* 1672.

Pacis exigua spes est.

§. 78. Nec plus circa pacem Rex Sveciæ proficiebat, qui bellantibus seqvestrem se interposuerat, misso in Galliam Claudio Tottio, in Angliam Petro Sparrio, & Eduardo

1672. ardo Ehrensteinio. Sed qvorum adventus Hagæ parum gratus erat, qvod supersatisfactione Gallo, & Anglo præstanda mentionem injicerent, re Belgis auditu admodum acerba. Qvi potius ex iis cognoscere cupiebant, num ejusmodi pax speranda sit, qva omnes qvorum interfit adqviescere qveant, & per qvam securitati in futurum prospectum sit. Nec persvaderi sibi, pacem Gallo cordi esse, postqvam is nuper ita enormes conditiones proposuerit, ut ipsi perire maluerint, qvam eas admittere. Sed nimirum id Gallum agere, ut jactato pacis vocabulo fœderatos illudat, ac distrahat, eorumqve destinata avertat. Suo judicio honestam, & constantem amicitiam sperari haut posse, qvamdiu præsens Galliæ fortuna perstat, ac eidem hæc persvasio sedeat, nemini adversus ipsam mutire fas esse. Unde ab omnibus, qvi servitium abhorreant, junctis viribus id agendum, ut Gallo isti spiritus detrahantur. Nec minus Belgæ inducias aversabantur velut rebus suis exitiosas, ac bellum utiqve continuare volebant, qvoad honesta, ac tuta pax obtineri posset. Videbantur autem Sveci id agere, ut pacem inter Reges, ac Belgas constituerent, haut comprehensis utrorumqve in Germania fœderatis. Nam nullam mentionem Cæsaris, Electoris, ac Præsulum fecerant, velut sopito bello maritimo, commerciis ipsorum exitioso, haut ægre ferrent incendium in Germania surgere. Ac eos parum æqvos Electori fore inde colligebatur, qvod cum de hoc mentio injiceretur, Ehrensteinius eam animi commotionem ostenderit, ut facies rubore suffunderetur. Moguntinus contra aliam interpositionem agitabat, ut pax inter fœderatos è Germania concluderetur, præteritis Belgis. Sic ut utrisqve propositum videretur fœderatos dissociare.

In Svecia legatio.

§. 79. Inter isthæc ancipitia eo major Electori cura erat Svecorum amicitiam conservare, saltem ne ex ea parte noxæ qvid sibi inferretur. Eo gratior erat adventus Bernhardi Christiani Wangelini in castra ad Francofurtum, qvi de studio Regis in Electorem amplissime, idqve repetitis multoties vicibus testabatur; simul hunc hortabatur, ut Belgas ad acceptandas à sequestribus propositas inducias permoveret. Cum isto honore ut paria faceret Elector, Kroseggium in Sveciam misit, ut Regi de susceptо regimine gratularetur, ac pro misso Wangelino gratias ageret, cujus præsentia eo gratior sit, qvo magis in votis habeat, hac tempestate sibi cum Rege fidam amicitiam constare; circa qvam è sua parte nil desiderandum sit. Inde privatim exponere jubebatur, qvam lætum Electori fuerit à Rege declaratum, fœdus ipsius cum Gallo haut spectare ad Belgarum oppressionem, multo minus ut noxa, qvi hos auxilio sublevatum eunt, inferatur; tum qvod isti pax Germaniæ tantopere cordi sit. Sed qvia Gallus multis modis eam pacem violarit, non solum Clivia, & Marca plusqvam hostiliter vastata, sed & ducto in mediam Germaniam exercitu, qvo Cæsaris, ac Electoris copias ultro lacessierit, qveis tamen nil aliud propositum fuerit, qvam finibus Imperii injuriam propulsare: igitur Electorem sperare, Regem ipsi auxilium adversus invationes Gallorum haut negaturum; qvod & ipse jam per literas perierit. Electorem hactenus magna moderatione usum, & usqve adeo collisionem cum Gallis declinasse, ut diu mala Cliviæ illata dissimulaverit. Sed & ideo agmen à Westphalia aversum, qvod spes esset interea aliqvam rationem instaurandæ amicitiæ, ac obtinendæ damnorum reparationi reperiendi. Sed postqvam ea spes fefellerit, licitæ defensioni sese accinxisse, id qvod Regi probatum iri spes sit, præbitis qvoqve ex fœdere auxiliis, & qvæ pacis Westphalicæ, à Gallis multifariam infractæ, præstatio requirat. Ad qvæ decreto universorum Ordinum haut opus sit, forte tamdiu extrahendo, qvoad tota Germania in cineres confederit. Sed qvæ Instrumento Pacis clare definita sint, à qvolibet patriæ amante Principe exsecutioni dari par esse. Adderet, ut Rex legato suo Blunio Ratisponæ injungat, ne circa propositum à Cravello fœdus ibi satagat, neu nimium in Gallos studium apricetur. Tum Regem ad amplectendum fœdus Brunsvicense invitaret, communicato ejus exemplo, qvod unice conservationem pacis, ac propulsationem injustæ violentiæ spectet. Confirmaret qvoqve, Electorem non aliam ob causam arma cepisse, qvam tutandæ adversus injustam vim patriæ, ac recuperandis sibi injuste ereptis, ac detentis: tum ne Belgæ antiqvissimi fœderatorum opprimantur, neu Gallorum potentia novis accessionibus demum toti Europæ intolerabilis fiat, qvam intra justos limites coërceri omnium interest. Inde exploraret, si Regis officium circa conciliandam pacem incassum cadat, qva ratione is arbitretur tam vastis destinatis occurri, pacemqve restitui posse: qvo in negotio Elector Regis consilia libenter secuturus sit. Cognosceret qvoqve, qvod Regis judicium super statu Poloniæ sit, domi forisqve pe-

II. Oct.

11. Nov.

1672. riculoſo. Si Rex de fœdere moveat, ſuggereret, an non Regi gratum ſit legatos Hamburgum, Stetinum, aut Wolgaſtum mittere, qvo & ab Electore venturi ſint. Deniqve & exploraret, qvomodo Svecis nunc cum Gallo, & Anglo conveniat: qvinam procerum ibi Gallo ſtudeant; num plus pecuniæ à Gallo numeratum ſit, & qvantum; qvis ibi armorum paratus terra mariqve: num circa trajiciendas in Germaniam copias agitetur. Super cerimoniis ei injungebatur, ut omnibus exterorum miniſtris de ſuo adventu ſignificaret, excepto Gallo. Legatis primam viſitationem exhiberet, ab ablegatis eam acciperet. Si legati in ſuis ædibus honoratiorem ipſi locum negent, ideo viſitationem ne omitteret; id tamen modeſte ſignificaret, ab Electoris legatis pari modo cum eorum ablegatis actum iri. Ex itinere Hafniam divertere jubebat, ibiqve monere de reſponſo ad literas Electoris ſuper mittendo adverſus Gallos auxilio: tum ut Daniæ Rex fœdus cum Belgis abſolvat, ac in præſens circa ſubſidiariam pecuniam magis exhauſtum Reip. ſtatum, & communem neceſſitatem reſpiceret, qvam qvæ alias jure poſtulare poſſit. Ac qvæ initio de ſuo erogandа ſint, facilè recuperatum iri, ubi Reſp. vires recollegerit. Cum contra Daniæ, & omnibus vicinis irreparabile damnum enaſciturum ſit, ſi Reſp. oneri, ſub qvo jam gemit, ſuccumbat, ac Gallus deſtinatis ſuis potiatur. Ad qvæ à Danis nil aliud repoſitum, qvam ſibi de hiſce cogitandum, qvoad ipſe è Svecia reverſus fuerit.

Regis Svecia declaratio.

§. 80. Aſt in Svecia Kroſeggio reſponſum: *Regi gratam admodum eſſe Electoris teſtationem de colenda amicitia, qvicum is pacta facturus ſit; qvod ſatis norit, qvantum illa promovendo bono publico, ſimul firmandæ utriusqve ditionum ſecuritati valeat. Nec minus latum, ab Electore dextre acceptam declarationem ſuper Regis ſcopo circa fœdus Gallicum ſervandæ paci Germaniæ; cujus effectus adparituru ſit ex opera, qvam ipſe per legatos ſuos circa conciliandam pacem navet. Qvod autem Elector de hoſtilibus Gallorum qveratur, ac auxilium expoſcat, Gallos iſta haut agnoſcere, ac rationem belli excuſare, poſtqvam Elector cavere noluerit, hoſtes ex ipſius oppidis expellendos; ac ſe de cætero pacem Germaniæ ſervaturos. Sed qvia Elector de hoc negotio jam Ratispona moverit, ubi & id commodiſſime decidi qveat, non dubitare Regem, qvin eidem ibi ſatisfaciendum ſit; ac libenter ibidem decreta ſecuturum; nec minus apud tractatus pacis, ut iſti ex æqvo ſatisfiat, laboraturum. Ac conſidere, Electorem bono publico, ac ſpei communis pacis eo facilius recuperandæ condonaturum, qvæ confuſio bellum ſeqvi ſolita produxerit; eoqve armis, qvæ mala tantum exaſperent, ac incendium latius diffundant, non uſurum, ſed eventum tractatuum pacis expectaturum. Scopum Brunſvicenſis fœderis ſalutarem eſſe, ac Regem id amplecti haut dubitaturum, ni conſultum foret alios qvoqve Imperii Status ad id invitari, ac receptio omnium fœderatorum conſenſu fieri debeat; de qvo Ratispona agi qveat. Formulæ fœderis à Cravello confectæ, cui Blumius adſtipulatus fuerit, Regem ſtatim contradixiſſe; & qvæ iſte fecerit, præter mandatum feciſſe. Porro qvia Rex circa conciliandam pacem laboret, cujus & ſpes allubeſcat, qvid pace irrita facturus ſit declarare ſuperſtuum, ac officio ſuo noxium fore. Turbas Polonicas à Rege haut aliter tangi potuiſſe, qvam partes utrinqve ad concordiam hortando, de qva & ſpes ſit. Apud Cæſarem qvoqve egiſſe, ut is Poloniæ cauſam contra Turcam ſuſcipiat: nec minus Cæſari eam cauſam commendaſſe.* Alias adparebat, Svecos arma in Belgas, aut eorum fœderatos haut arrepturos, ſed conciliationi pacis unice vacaturos. Ac Ordines Regni, qvanqvam in comitiis fœdera cum Gallo, & Anglo inita adprobaverant, expreſſe tamen ſtipulati fuerant, ne Rex Belgico ſe bello miſceret, ex qvo commercia ſua jamtum plurimum damni ſenſerint. Nec ullus adhuc belli adparatus, ac militum delectus ſentiebatur.

1672.

Belgarum in Electorem querelis reſponderetur.

§. 81. Qvanqvam autem Elector ubiqve pro Belgarum ſalute, qvantum res ac vires ferrent, conniteretur; haut eo minus iſti qverebantur ab eo fœderi haut ſatisfactum, nec ſat hoſtilitatis in Gallos oſtenſum; eoqve conventam pecuniam expedire tergiverſabantur. Ad qvæ Elector 2 Dec. demonſtrabat: *Se Amerongio rationes mutati itineris propoſuiſſe, qvi nil qvod reponeret habuerit. Nam qvo tempore fœdus condebatur, in Belgarum poteſtate omnia ad Rhenum & Iſalam oppida fuiſſe; qvi & promiſerint, qvamprimum ipſe in Weſtphaliam cum exercitu acceſſerit, ſe XXIV M. militum eidem juncturos. Nec minus alios Reges, ac Principes, ac peculiariter Cellenſem ac Guelferbytanum Duces in id fœdus pertracturos. Qvantam mutationem autem tota res ſubierit, & ut integræ provinciæ in manus hoſtium conceſſerint, in aprico eſſe. Sed nec interea cum Daniæ Rege, ac Brunſvicenſibus Ducibus tranſactum. Qvod ſi tunc modicis cum copiis recta in Weſtphaliam itum ſuiſſet, Reip. nil emolumenti fuiſſe conciliandum, nec hoſti inſigne*

damnum

1672. *damnum inferendum, viribus, ac locorum commoditate longe potiori; simul exercitum manifesti exitii periculo objiciendum; quod tamen non ideo declinarit, quia sibi, ac militi parcebat, sed ne nutans jam Resp. in praeceps iret. Eum tamen flexi in diversa itineris fructum fuisse, ut Turennius cum maxima militis Gallici parte è visceribus Belgii in Westphaliam, inde trans Rhenum Treviros usque pertractus sit, ac interim Belgarum exercitui occasio praebita sit rem in hostem gerendi. Sed nec deinceps se quid omissurum Resp. subleuandae, quod quidem intra suas vires positum sit. Ut autem omnia ad quorumlibet placitum fieri queant, id ab ipso neminem postulaturum. Operationes bellicas non semper ex voto unius partis suscipi posse, sed ex belli ratione, hostium motibus, genio locorum, ac similibus respectibus dirigendas. Ac praeter meritum à Belgis eam expeditionem velut infructuosam non sine ipsius contumelia differri. Sane Angliae Regem responso suo ad Crocovium de ea aliter judicare. Et ex quo tempore ipse movere se coeperit, Gallos semper intentos in se respexisse. Monasterienſem quoque, obiter nunc in Westphaliam ditioni suae metuentem, ita Coevordiae praesidium minuisse, ut Belgis facile fuerit eam recuperare. In praesens quoque Gallos multis locis praesidia deducere, ut exercitum adversus ipsum firment. Quin videri Gallos deinceps satis habituros Belgarum vim arcuisse, ac arma in Germaniam versuros; cujus rei culpa in solum Caesarem, ac Electorem conferatur.*

In Westphaliam acta.

§. 82. Poterant ista jamdudum Electoris in rem communem studium refrigerare, ac eum ut privatim rebus suis consuleret permovere, cum & in Westphalia tantum difficultatum occurrisset, ut nulla facultas supereſſet militem ibi sustentandi. In eam cum exercitu tendere placuerat, postquam ob Caesareorum tergiversationem, aliasque rationes Rhenum transire haut licuisset. Ac ipse quidem Elector relicto Moeno cum MCC equitibus praegressus sub initium anni Bilefeldam pervenit.

1673. Exercitus per montosa Hassiae, & Westervvaldiae lentis itineribus secutus est, multis hominibus, ac equis inter difficilia viarum, ac saevam anni tempestatem amissis. Paulo ante Monasterienſis irruptionem in Marcanum Comitatum fecerat, ac occupata Luna, Unna, Rhoda, aliisque parum munitis locis tributa passim imperaverat; sed quae ingruente Electoris exercitu direpta, ac male habita iterum deseruerat. Animus Electori erat fesso militi aliquam quietem indulgere, ac imminutas numeris legiones supplere: quo fine Electorales copiae propriae per ditiones, Caesareae per Paderbornenſem praesulatum distribuebantur. Inter quae duae Colonienſes legiones equestres, dum circa Unnam populabundae vagantur, ab Ellero magnam partem caesae sunt, plerisque signis ereptis. Monasterienſes quoque à Spanio semel atque iterum male multati, ac intra arcem Haringshausam centum quinquaginta Galli caesi. Enimvero Turennius, qui omnes Electoris motus solicite observabat, animadverso hujus instituto repente stativis ad Mosellam digressus, cum Andernaci pons glaciei fragminibus abruptus esset, Vesaliae cis Rhenum venit, per commodiora itinerum Electorales praevertens. Ubi is exercitum milite praesidiis Clivicis detracto, simul a Condaeo, ac Durassio submissa manu firmabat, inde Unnam properans; quod oppidum Bomstorfius tribunus cum paucis dimachis ac provincialium manu insidebat, nullis machinis; sed qui postquam pro captu virium acriter restitisset, oppidum modice munitum, ac inter oppugnandum injectis globis fere in cineres redactum, dedere coactus est. In Westphaliam ubi foederatus exercitus pervenisset Montecuculus continuis flagitationibus Viennae obtinuerat, ut sibi ab exercitu discedere liceret, quod nullo modo diutius ibi subsistere posset. Qui Viennam reversus dicebat; plus effici potuisse, modo mandata sibi fuissent. Sed Lobcovicium semper ingessisse; ne quid vel minimum aleae habens tentaret. Monuerat Belgas Elector, ut post depulsum Hollandiae apud Suammerdamnum periculum, & recuperatam Coevordiam hostis distraheretur, ne tota mole in ipsum rueret, quo facultas foret pugnam cum hoste committendi, cujus desiderio dudum miles Electoralis flagraverat. Ac Galli laboribus itineris, ac diuturnae expeditionis, simul frigore valde confecti erant. Unde Joannes Georgius Anhaltinus Princeps, jam tempus venisse ratus capitalem plagam Gallis inferendi, Electori persvaserat, ut praelium committere statueret. Inde ipse Paderbornam excurrens ad Bornonvillium, qui digresso Montecuculo Caesareis legionibus praerat, huic quoque id consilium adprobavit. Nam is jam mandata acceperat, ut data occasione rem in Gallos gereret, quod annus elapsus esset, intra quem Caesar Gallo promiserat, se bello Belgico abstenturum. Itaque omnibus legionibus dies condicitur, quo apud Susatum convenire deberent. Ubi Bornonvillius quidem initio differre; praeliorum aleam non solere

1673.

1673. tentari, nisi vel explorata victoriæ spes invitet, vel necessitas subigat, vel virtutis specimen exhibere placeat; qvorum nihil in præsens adpareat: Sibi tamen injunctum Electoris jussa capessere. Consilio inde habito, cui & Dux Lotharingiæ senior, Caprara, Keiserstainius Cæsarei Duces aderant, omnibus id institutum probabatur; ac summa prætectorum alacritas eminebat oblata occasione virtutis exserendæ. Ac jam omnia prælio committendo parabantur, locusqve apud Schidam cœnobium designabatur, qvo per noctem iter legionibus indictum erat. Sed ea destinata avertit Pœlnicius, qvi una cum Christiano Alberto Dona, ac Espencæo Comitibus Electorem precibus urgebat, ne summam rerum in discrimen mitteret, providentiam Turennii immensum extollens, qvi nunqvam pugnæ copiam sit facturus, nisi multis partibus potiorem se judicaret. Ac si cladis qvid accipiatur, Electoris statum gravissimis difficultatibus implicandum: etiam obtenta victoria parum ad summam rerum profici. Qvibus animum hujus labefactavit, ut moram seqventis diei interponendam statueret rei maturius expendendæ. Ast interea Turennius in commodiorem se locum subduxerat, ubi invitus ad prælium compelli non poterat; qvem ut ultro prodiret nostri aliqvot per dies in aciem dispositi incassum expectabant, cum non magis Turennio, qvam Cæsareis prælio certare libido esset, donec inclementia cœli sub tectum eos deduci imperaret. Ita exercitus in hiberna dimissus, postqvam per excurrentes catervas non pauci Galli cæsi, aut intercepti fuissent. Eqvitum V M Hammi, & Sulati relicti, ut hostem excursionibus carperent. Ac spes erat Belgas interim aliqvod operæ pretium facturos, postqvam Elector omnes fere hostium vires in se traxisset. Sed qvia mox validius ingruenti Turennio in proclivi futurum erat sparsos per hospitia opprimere, eas copias inde avocare necessum fuit; qvibus digressis ista oppida parum munita à Gallis occupantur. Et qvia adesis omnibus in Westphalia hibernandi facultas non supererat, copias paulatim Mindam, inde plane cis Visurgim reduci necessum fuit, Cæsareis in Hildesiensem Præsulatum concedentibus. Eo ferocius Monasterienses, cum nemo esset, qvi resisteret, per Westphaliam se jactare, ac Lunam, Ravensbergam, Lubbecam, parum munita loca, occupare, ipsamqve Bilefeldam irrito obsidio urgere.

§. 83. Cum itaqve Electoris res in tantas difficultates conjectæ essent, qvæstio erat, utrum obnixe in bello persistendum, ac communes tractatus expectandi essent, velut plus securitatis præbituri; an vero per peculiarem conventionem, qvam Gallus captabat, imminens periculum salva existimatione declinandum? Sane de successu communium tractatuum adhuc incertum erat, ac si diutius res in præsenti statu permaneat, saltem ruina exercitus secutura erat. Hærentibus qvoqve Belgarum subsidiis susceptum negotium nullo modo sustineri poterat: ac Belgæ conventis non expletis fœderis obligatione Electorem ultro exsolverant. Sane sexies scripserat Romsvvinckelius, subsidia à Belgis haut amplius continuari posse; qvi & qvintum jam mensem ea numerare omiserant. Per sex qvoqve à copiarum conjunctione menses Cæsarei satis ostenderant, sibi haut in animo esse in Gallos rem gerere; qvorum nec mentio in avocatoriis contra Monasterienses emissis facta erat. Inter ista ludibria Elector omnes prope ditiones suas Westphalicas amiserat; ac parum spei erat, deinceps melius rem successuram. Num Hispani in bellum erupturi essent, incertum erat, sine qvibus Cæsar serio in causam defecturus haut videbatur. Nec à Dano, aut Luneburgicis levamenti qvid sperandum, Belgis circa erogandas pecunias tergiversantibus, ac isto insuper Svecos suspectante. Ad qvos & ipsos Electori erat respiciendum Gallico fœderi innexos, & qvi cum Saxone qvoqve fœdus offensivum ac defensivum inieraut, de cujus scopo haut constabat. Pleriqve etiam Ordinum conatibus se Electoris opponebant, ac eos velut Instrumento Pacis repugnantes arguebant. Qvin nec exercitus in propriis ditionibus subsistere poterat; & in aliorum terras immissus plures inimicos Electori excitaturus erat. Nec Bornonvillium in Franconiam invitantem seqvi consultum erat, provinciis per Westphaliam, & Inferiorem Saxoniam hostium libidini expositis. Ista igitur omnia Electorem permovebant, ut bello publicum ob bonum suscepto, in qvo ab omnibus destituebatur, tantisper sese subducere tractatu cum Gallis suscepto institueret. Id qvod & Osnabrugensis Præsul Ernestus Augustus misso Plateno Barone svadebat, eandem complurium Imperii Principum mentem esse, ac Gallum compositioni pronum confirmans. Cui negotio honeste suscipiendo ansam præbebat Svecicus ablegatus Wangelinus; qvi cum Belgæ propositas à seqvestribus inducias adspernarentur, Electorem ad peculiares

Super præsenti rerum statu consultatio.

inducias

1673. Febr. inducias amplectendas hortabatur, iisqve promovendis ad Turennium proficiscebatur. Qvi respondebat; se qvidem super hisce nil in mandatis habere: non dubitare tamen, qvin Rex in eas libenter consensurus sit. Ac instabat Wangelinus, ut Elector hostilibus supersedeat, vitandæ animorum exacerbationi; ac ut cum Gallo amica ratione transigat, Sveciæ Rege officium accommodaturo. Sane Gallum testari, se nihil eorum cupere, qvæ Electoris sint; ac compositioni admodum pronum esse. Ad qvæ Elector declarabat; Se ex consilio Regis Sveciæ ab induciis æqva lege conceptis haut abhorrere. Qvo fine & copias ad Visurgim retrahere maluerit, qvam eo loco relinqvere, ubi occasio collisioni esse possit. Circa idem tempus qvidam, qvi se Vicecomitem de Villa Nova appellabat, Electori per literas promittebat, se Turennium clam ferro, aut veneno sublaturum. De qva re Elector, id genus facinorum detestatus, hunc monebat, ut sibi ab isto homine caveret. Cui Turennius gratias agebat, ac maximi à se istam admonitionem fieri testabatur, velut qvæ non nisi ex animo inusitatæ generositatis proficisci potuerit. Qvanqvam autem hoc modo inter Electorem, & Turennium tacitæ induciæ essent, ac iste hujus ad Wangelinum literis confisus, qvod Monasteriensis Regis voluntati morem gesturus esset, hostilia omisisset: suspectum tamen erat, qvod Præsules, conniventibus Gallis, an & instigantibus, hostiliter grassari pergerent, & Turennius Huxteram versus tenderet, parum liqvido, Electore sciscitante, declarans, qvo fine id fieret. Unde Electori haut placebat tractationem cum Hispanis abrumpere, qvoad adpareret, num à Gallis serio res ageretur. Sed & haut placebat Sveco seqvestre cum Gallis transigere, ne is forte de sua in Juliacenses ditiones prætensione pacto infarcire conaretur. Ac erat ea arcana causa, qvare Elector tantopere cum Gallo convenire cuperet, ne hic forte Svecum in possessionem Clivicarum ditionum immitteret. Cui & Saxo suspicionem injecerat, ne tale qvid animo agitaret: qvi in fœdere cum Cæsare stipulatus fuerat, ne copias suas accommodaret ad Clivica Electoris oppida recuperanda. Ac spem invadendi eas ditiones innuere visum est numisma, tunc temporis ab Augusto Magdeburgico Administratore cusum, qvo cygnus aqvæ innatans exprimebatur cum lemmate; *Silendum, & sperandum.* Cæterum etsi necessitas Electorem ad ista consilia compelleret; ne qvid tamen fœderati objicere possent, qvasi ipsis inconsultis, aut alios ob respectus ad ea descenderet, honestum habebatur eorundem causas Cæsari, ac Belgis exponere, confirmato, se nil in eorum fraudem admissurum, ubi ipsis pariter ad tractatus haut accedere placeat. Tum & existimationis intererat, non per suos ista agere, sed oblato Neoburgici officio uti, qvem candide in eo negotio versaturum confidebat.

de Villemosue.

1673.

Electoris ad Cæsarem literæ: 13. Febr.

§. 84. Ea cum sententia sederet, Elector ad Cæsarem literas dabat hoc argumento: *Res heic loci in eum statum delapsas, ut præsentius remedium haut adpareat exercitui, ac omnibus fœderatis servandis, qvam induciæ; qvod bello continuato hostis progressus suos longe sit prolaturus, cui in præsens æquales vires oppom neqveant, & demum totus Westphalicus Circulus in ejus potestatem venturus videatur. Qvanqvam autem Bornonvillius inter has consultationes negaverit sibi a Cæsare qvid super induciis mandatum, qvas & periculosas judicet; tamen qvia ipse credat, si Cæsari facies rerum penitus perspecta esset, hunc istas probaturum, easdem se Belgis svasisse, ac pro se acceptaturum, si æqvis conditionibus obtineri qveant.* Addebatur; *exercitum eis Visurgim retrahendum, qvi in Westphalia neqve sparsim per hospitia propinqvo hoste tutus agere, nec in unum locum contrahi sine exitio possit. Simul cum ab omnibus deseri se conspiciat, nil aliud superesse, qvam ut ipse sibi consulat. Præstantissimas suarum ditionum in hostium manibus esse; reliqvas à proprio milite comedi. Belgas intra semestre subsidiorum nihil solvisse. Onus belli sibi soli incumbere, cui sustinendo haut qvidqvam par sit. Unde neminem sibi vitio daturum, si qvæ necessitas suggerat consilia amplectatur.* Mox & Christophorus Brandius Viennam se conferre jubebatur, ut Cæsari gratias ageret, qvod is ex officio, ac vi fœderis Montecuculum cum egregiis copiis ad Electorem miserit. Qvanqvam autem spes fuerit, iis copiis plus profectum iri, ac inprimis superato Rheno, ac Mosella, profligatisqve Gallis ea flumina in potestate habenda; à Montecuculo tamen ei negotio semper ejusmodi rationes oppositas, ut in respectum Cæsaris ejus consilio manus dederit ea spe, Cæsarem proximo vere majores adparatus facturum cœpto negotio exseqvendo; simul à Moguntino, & Trevirensi obtenturum, ut transitu Rheni, & Mosellæ uti liceat. Sed qvia interim Monasteriensis per ipsius ditionem hostili modo grassetur, ac Cæsari semper animus fuerit eum, atqve Coloniensem armis Gallica societate avellere; igitur Electorem rogare, ut

& legatio. 17. Febr.

1673. re, ut Cæsar ducibus suis injungat una cum ipso, qvantum hiberna tempestate fieri possit, in eos Præsules rem gerere, qvo in horum ditionibus hiberna capi possint, ne Electorales provinciæ uno velut ictu pessumdentur. Tum ut mature in proximum ver idoneus adparatus fiat, sistendis Gallorum viribus, ac ulterioribus incursibus prævertendis. Circa meliorem hujus negotii exsecutionem, ac plures socios adsciscendos Cæsari ultro curæ fore; cui Elector semper fidem, ac devotum animum sit adprobaturus. Sed privato cum Cæsareis ministris congressu modeste exponeret; *Electori multas ubiqve exprobrationes fuisse tolerandas, qvod is hactenus suo exercitu aliis molestiam tantum facessierit, nullo ad summam rerum effectu. Qvia autem ic in consilio bellico respectu in Cæsarem ea secutus sit, qvæ ejus nomine proposita fuerint, haut consideratu malis, qvæ in proprias inde provincias redundatura essent; cum sperare, talia mandata ducibus danda, ut operationes bellicæ, prout occasio tulerit, citra exceptionem suscipi qveant.* Qvod si isti moras nectant, & animi sensa premant, ac forte ostendant; Gallum restitutionem Electoralium ditionum promittere; Præsulibus negotium non cum Imperio, sed cum exteris esse; reponeret: *Galli promissis haut fidendum, qvæ tantum illudendo Electori, atqve aliis jactentur; ac facta contrarium testari. Gallicis ministris nil frequentius in ore esse, qvam Regem Germaniæ qvietem haut turbaturum, & cum ea constantem amicitiam culturum. Sed uti ista observentur in aprico esse. Notum ipsis, qvibus sincere amicitiæ testationibus Gremonvillius perstrepuerit; & qvid is eodem tempore apud Hungaros in fraudem Cæsaris struxerit. Qvanqvam autem, qvæ Cæsar hactenus in Gallum fecerit, forte ab hoc ad exiguum tempus dissimulanda sint; non dubium tamen, qvin iste alio, & Cæsari parum commodo tempore ea sit ulturus. Sed & omnium Europæ Principum interesse, Belgas hoc tempore anxilio casos non destitui, nec Gallo ad eos subjugandos occasionem præberi; id qvod certo futurum sit, ni degetiora adversus hunc consilia arripiantur. Porro Præsules omnium horum malorum autores esse. Colonienſem traditis oppidis, ac usu ditionis suæ Gallo permissa viam invadendæ Electoris provinciæ aperuisse. Monasterienſem multa in Cæsaris, ac Imperii fraudem tendentia patrasse, ac Electori tantum damni, ac contumeliæ intulisse, qvod impune ferre non debeat: ac non minus Cæsari qvam Electori præstationem Clevensis pacis incumbere. Utrumqve Præsulem submissionem erga Cæsarem simulasse, ac se repudiatis exteris ad hujus obsequium redituros, ut repentinam impressionem sibi exitio futuram declinarent; interim tempus lucrarentur ad exterorum se armis firmandos. Igitur Cæsarem haut permissurum, ut isti scopo suo potiantur; qvo deinceps in fraudem auctoritatis Cæsareæ, ac aliorum Ordinum perniciem abuti qveant.* Denique legatus velut de suo adderet: si Elector haut alium fructum Cæsareæ conjunctionis percipiat, qvam ut ipse ditionibus evastatis ad extrema redigatur; id perinde habitum iri, ac si is per vim ad alia consilia capessenda compellatur. Si Hungaricæ turbæ objiciantur, reponeret: *In Cæsaris manu situm esse eas sopire, & arma qvæ nunc in ipsum moveantur, in hostes vertere, Evangelicis libenter bona, & sanguinem pro Cæsare impensuris, modo istis sacrorum suorum exercitium illibatum relinqvatur. Cæsaris majores satis agnovisse, nulli Principum jus esse ad conscientias civium cogendas; ac magnopere dolendum esse, Principibus Domus Austriacæ, ac cumprimis Cæsari, congenitæ clementiæ ac benignitatis gloria conspicuis, pravorum sacerdotum instinctu hac maculam inuri, ut in fidissimos civium ideo duntaxat sæviant, qvia Deum ad simplicem oraculorum sacrorum ductum colere voluit, insuper habitu interpretamentis, atqve additamentis, sacerdotum ambitioni, atqve avaritiæ alendæ inventis: qvo instituto nil Domui ipsius perniciosius esse, optimis civibus, ac integerrimis nationibus ab ejus amicitia alienatis.* Ac sane dilutus nimium color erat, qvo Lobcovicius intercessiones Protestantium pro Hungaris eluserat: *Cæsarem Clero præjudicare non posse.* Cum tamen in pactis cum Ragozio anno 1646. expresse positum esset: *non obstante cleri contradictione.* Nec minus id inane erat, qvod jactabatur: *qvia Nobiles Hungari semper sibi jus reformandi sacra reservarint, Cæsarem idem jam facere velut dominum terrarum per nuperam rebellionem ad se devolutarum.* Belgarum ablegatus Bruninxius, qvi itidem pro Hungaris intercesserat, suspicabatur, Cæsarem in negotio religionis cum Gallo colludere; ac eundem, cum de reformatione verba fierent, dixisse: *Se Gallo fratri suo haut concessurum qvi nunc in Regno suo omnia ad uniformitatem religionis reducere velit.* Sane animo comprehendi non posse, apud cordatos homines ita disconvenientes invicem sententias reperiri posse, ut cum constet, Domum Austriacam absqve Protestantium auxilio consistere non posse, hos tamen istis persecutionibus tantopere refrigerari. Magnam ejus rei culpam in Hocherum conferri, velut Jesuitarum mancipium, qvibus

1673.

1673. qvibus & is promotionem suam debuerit. Monere qvoqve Brandius jubebatur talia mandata Ratisponam mittenda, qvæ cum Electoralibus conspirent: ac ut Cæsar proximo vere ipse in Imperium se conferat; id qvod communi causæ valde profuturum, partibusqve multum vigoris additurum sit. Sed qvia Brandius per morbum iter ingredi prohibebatur, ac res indies in deterius ibant, Elector Crocovium 13. Febr. Viennam properare jubebat, ac Cæsari exponere; uti ipse nil omiserit, qvod ad impletionem fœderis, simul hosti debilitando, ac restituendæ paci facere possit; ac cum spes esset, se in tam honesto instituto ab aliis sublevatum iri, omnia sua impendisse, ac provincias suas comedendas exposuisse. Sed rem ubiqve infeliciter cecidisse, irrito Rhenum versus itinere, dum transitus ejus fluminis, qvo solo respectu ipse in id iter consenserit, à Trevirensi, ac Moguntino negatur. In Westphalia dein Gallos, & Monasterienſem loca idonea milite insedisse, illos aliorum accessione firmatos, per sæviens gelu omnes operationes impeditas, annonam, ac pabulum demum plane defecisse, exercitu qvoqve admodum imminuto. Ita diutius rem sustineri haut potuisse. Accedere à Svecis, & aliis monita altius penetrantia; ut in peculiares cum Gallo tractatus descendatur, ne Imperium ulterius hoc bello implicetur, ac Gallo via monstretur in Germaniæ interiora penetrandi, pedemqve ad Vlisurgim, uti jam ad Rhenum, firmandi. Qvam circa rem Electori constare qvosdam Ordinum Gallo velificaturos, qvi & Huxteræ jam præsidium immiserint. Qvanqvam autem ipse solus belli onera in Westphalicis suis provinciis toleraverit, ad miseram inde conditionem redactis: tamen ob privatos illos respectus sibi super induciis, ac peculiaribus tractatibus in mentem haut venisse. Enimvero Belgas hactenus bello valide propulsando haut idoneos adparatus fecisse; plurium mensium subsidia deminuisse; aliis Regibus, ac Principibus, qvos in fœdus sese pertracturos promiserint, haut satisfecisse; Hispanos in bellum haut erupisse; Svecos, aliosqve in Imperio, si bellum extrahatur, oppositionem meditari: Anglos de separato a Gallis tractatu ne audire qvidem velle; periculum à Turca in Polonia, & Hungaria non cessare. Unde cum sibi nil facultatis adpareret cœptum negotium pervincendi, se tractatu per alios agitato Gallorum progressus stitille, ut qvæ sibi restent in Westphalia loca serventur. Sed qvia Galli tempestivo pacto haut contenti plenam transactionem urgeant, Visurgis transitum minati; à se per indeclinabilem necessitatem, ac avertendis majoribus malis, tractatus multis invitantibus haut repudiatos, ea tamen lege dicta, ut conclusionem, qvoad Cæsaris declaratio allata fuerit, sit suspensurus, nec in qvid consensurus, qvod Cæsari, & Imperio fraudi cedat. Ista si Cæsari probentur, postularet, ut ejus miles ipsius ditione deducatur. Ast ubi is continuationem belli iva deat, id supra vires suas esse monstraret; nec rationem adparere belli posthac meliore cum successu gerendi, aut ubi noster exercitus, vastatis pleriqve suis ditionibus, deinceps alendus sit; aut uti periculum à Svecis, & qvibusdam Germaniæ Principibus imminens averti qveat. Adversus qvæ non incerta spe, sed præsentibus remediis opus esse. Si objiciatur; Electorem in tractatu jam longius progressum, & super una & altera propositione mentem suam declarasse, responderet; à se nil clanculum actum, & omnia cum Bornonvillio communicata, qvi mandato se defici excusarit; ac Cæsari per literas de eo significatum. Sed conditionem temporum non tulisse responsum expectari; ante qvod tamen allatum nil certi se concluturum. Ac alias per anni tempus bello nil geri posse. Importune exprobrantibus modeste insinuaret, Gremonvillium qvoqve Viennæ pluries auditum, se nil sinistræ suspicionis inde concipiente. 1673.

Cæsar Electorem in bello retinere studet. 11. Mart.

§. 85. Enimvero etsi antea Hocherus ostendisset, Cæsarem Electoris cum Gallo tractatibus nil impedimenti injecturum, cum sibi adversus hunc nil hostile intercedat, simul ministrum Svecicum monuisset, ut Svecus operam det, qvo Elector pacificationi Belgicæ includatur, cui alias nulla via sit urbes Clivicas recuperandi: nunc tamen Cæsar inducias dissuadebat, & ne Elector à fœderatis se disjungeret. Unde Crocovius demonstrare jubebatur: inevitabilem necessitatem urgere, ac alias omnia sua trans Visurgim hosti in prædam fuisse relinqvenda. Ast si maxime separati tractatus ineundi sint, se tamen fœdere Cæsaris pro Imperii defensione firmiter staturum. Ac ni præsens remedium ostendatur, qva sublevari possit, Cæsarem haut improbaturum, ut ipse se patriæ servet. Ingens qvoqve discrimen esse inter fœdus, qvod sibi cum Cæsare, ac id, qvod cum Belgis intercedat. In hoc enim se convenisse super bello in Gallos una cum Belgis gerendo. Sed isto nil aliud promissum, etsi ipse aliud

1673. optarit; qvam operam cum Cæsare jungere tutandæ Germaniæ. Qvia igitur Belgæ haut impleto fœdere ipsum in tantam necessitatem prolabi passi fuerint, cum nemo, ac ne Cæsar qvidem iis legibus, qvibus ipse, eorum societatem amplecti voluerit; fas sibi esse hoc rerum statu istud vinculum exuere. Nec posteritati suæ excusatum se fore, si ipse solus cum manifesto exitio Domus suæ totam belli molem in se trahat. Ac sane Lobcovicius ipse cum Crocovio animos addere debuisset, metum incusserat; & velutre jam transacta dixerat; *ferendum esse, qvod mutari non possit.* Porro cum Crocovius Cæsareis secretum fœdus cum Gallis initum objiceret, per qvod Cæsar Gallis promiserit, se Belgis auxilia non laturum, si extra Imperii limites invadantur; eoqve conjunctionem copiarum cum Electore vix aliter qvam in ludibrii vicem accipi potuisse: isti ostendebant, ejus fœderis verba hæc fuisse; *Qvod si illæsa permanente ex parte Regis Christianissimi pace Aqvisgranensi* extra circulos & feuda Imperii, *qvos aut qvæ Status & Vasalli Imperii possident, inter Regem Christianissimum ex una, deinde Reges Angliæ, & Suecia, & Unitos Ordines Belgii ex altera parte insurgeret bellum apertum; qvod in talem casum Imperator, excepta pacifica interpositione suorum officiorum, se non velit immiscere tali bello, nec per se, nec per alios, nec cum his ad illorum defensionem, nec cum alius ad hunc finem & effectum facere confœderationem contra Regem Galliæ.* Et qvia Cæsar eo fœdere sibi præstationem pacis Westphalicæ, Olivensis, Clivicæ, & Aqvisgranensis receperit, eidem duplici nomine fas esse Gallos invadere; qvia hi contra conventa Belgis è solo Imperii bellum intulerint; cum salvo hoc fœdere Gallus Belgas non nisi maritimo bello impetere potuerit; & qvia per hunc Westphalica, & Clivica pax fuerit violata. Ejus fœderis causas Hocherus has ferebat. *Cæsarem tunc turbas Hungaricas metuisse: Belgas oblatum ab ipso fœdus neglexisse: Hispanos bellum cum Gallo declinasse. Ex ingenti armorum adparatu, ac libidine bellandi apud Gallos judicari potuisse, Belgas, Hispanos, aut Germaniam peti. Ac Gremonvillium asseverasse, Regi utiqve decretum bellum gerere; ac si ejus destinata in Belgas impediantur, arma alio vertenda. Unde consultum visum bellum in Belgas promovere, qvod creditum fuerit, his ubertimam resistendi facultatem esse, & qvia satius sit alteri auxilium ferre, qvam ipsum auxilio indigere.* Sed cum Crocovius qværeret, qvare ergo de isto fœdere Electori non significatum sit; nil qvod responderent habebant. Fuerat tunc Cæsari spes Anglum societate Gallica abstrahendi per matrimonium Oenipontanæ virginis Claudiæ Felicitatis cum Jacobo Eboracensi Duce, qvo fine pacta connubialia jam adornata erant. Sed qvæ destinata mors Margaretæ Mariæ Augustæ intercepit, ob qvam ista protinus connubio Cæsaris destinabatur. Porro Cæsarei ministri, ut Electorem bello implicitum retinerent, differebant: Cæsarem XXX M militum in Belgium missurum, qvibus ab Hispano XV M sint adjungenda; ac si opus sit, eum numerum auctum iri. De hoc qvoqve negotio Ratisponæ proponendum, ubi sine dubio decreta ex voto sint futura. Spem qvoqve esse Belgas conventam pecuniam repræsentaturos. Tum & operam datum iri, ut Cellensis, & Guelferbytanus in partes trahantur. Nec de studio Cæsaris in eam causam dubitandum, qvod Austriaca Domus consistere non possit, si Gallus scopum suum obtineat. Nec Lobcovicium amplius metuendum, Gallici belli acerrimum dissvasorem; qvi jam in præcipitio gratiæ stet. In qvem & Cæsar nuper aspere invectus fuerit, tum ob negotium Gallicum, tum ob Neoburgicam Virginem, cujus connubium iste velut Palatinæ Domui per affinitatem innexus ingerebat, eoqve de Oenipontana Virgine haut satis reverenter locutus fuerat. Sane pleriqve Cæsarei ministri ad eum munere dejiciendum conspiraverant. Ac multi Principum legati non obscure jactabant; se nil fiduciæ in Cæsare collocare posse, qvamdiu penes istum summa consiliorum sit. Ac Moguntinus fatali morbo decumbens, præsentibus multis dixerat; Cæsarem ab isto prodi. Sed qvia omnia incerta, aut in longum prominentia erant, haut qvidqvam ad dispellendam qva Elector urgebatur necessitatem valere poterant. Porro & ad Saxonem mittebatur Rabanus Canstenius, qvi exposita rerum facie istius consilium exposceret; num induciæ amplectendæ, qvas multi svadeant, an vero bellum continuandum, ac num huic ipse accedere velit; an vero rebus suis seorsim consulendum? Addebatur, ut Saxo qvoqve fœderi Brunsvicensi accedere velit. Ad qvæ hic reposuit: Graves sibi causas esse, qvare in societatem belli venire non potuerit; ac omnia consilia se ad compositionem pacis referre. Hac rerum facie Electori inducias à se dissvaderi non posse, qvæ communem pacem non parum promoturæ videantur; ac Gallo necessitatem allaturæ, ut copiis suis trans Rhenum ductis Germaniam exoneret. Super fœdere Brunsvicensi amplius cum Cæsare deliberaturum. §. 86.

d. 1. Nov. 1671.

1673.

1677. *Elector Belgis inducias fradet. 11. Febr.*

§. 86. Nec minus Belgis Elector ingerebat, ut propositas à seqvestribus Svecis inducias amplecterentur. Etsi enim in universum melius sit inter arma de pace agere, qvamdiu spes boni successus arrideat: tamen hostem qvocunqve modo amoliendum videri, postqvam hic plus damni Reip. dederit, qvam acceperit. Suos conatus in contrarium vertisse, hoste longius in ipsius ditionem progresso, ac toto fere Marcano Comitatu occupato. Conatus Belgarum hactenus plerosqve successu caruisse, aut damnosos fuisse. Hostem pecunia, annona, munitionum, fluminum, ac communicationis commoditate, aliisqve bello gerendo necessariis, tum favore apud Principes Germaniæ longe potiorem. Contra Electoralem exercitum itineribus fatigatum, & ob emanentia subsidia haut solutis stipendiis ita imminutum; ut ni per qvietem reficiatur, ac suppleatur, futuro vere suscipiendæ expeditioni ineptus futurus, ac vix tutandis munitionibus sufficturus sit. Tantum abesse, ut hostium incursiones prohibere, aut amissa recuperare valiturus sit. Belgas, qvi ad subveniendum ipsi teneantur, circa sua tutanda distringi, ac in præsens ultro postulare, ut miles ad Amasim, & in Frisiam auxilio mittatur. Qvantum Cæsareorum auxilio nitendum sit, suo loco relinqvi. Saltem hactenus observatum, eos ad Romanos ritus, ac sacerdotum ditiones plus satis respexisse, nec palam pacem cum Gallo abrumpere voluisse. Præterea, qvod Electorem maxime solicitum reddat, esse internum Reip. statum, inconstantiæ, & confusionis plenum, ut, si maxime tam potentes hostes haut urgeant, ipsorum consiliis parum confidendum sit. Eqvidem egregium Arausionensis studium, ac plurimos proceres, ac cives patriæ fidissimos. Isti tamen multos adhuc occultos esse inimicos, qvi per se aut alios multum in Rep. possint. Qvorum artibus impedimento sit, qvo minus Reip. hactenus cum Daniæ Rege, ac Luneburgicis convenerit, ac sibi tam maligne subsidia soluta fiant. Qvod si Galli longius in Hollandiam, & ipsam usqve Hagam penetrent, uti non frustra metuatur, qvid tunc aliud expectandum, qvam repentinam pacem, qvaliscunqve haberi possit, suis rationibus inter postrema habitis? Igitur propera pace, aut induciis opus esse, anteqvam suis ditionibus in Superiore Saxonia, & Borussia à Svecis, ac Polonis periculum creetur, qvibus nulla aliunde auxilii facultas sit. Nam publica Imperii arma, qvæ Ratispona tamdiu parturierit, vel in abortum defitura, vel sibi forte plus damni qvam levamenti allatura. Potentissimos qvoqve Ordinum Gallo studere, alios ob metum sensa animi premere. Ab omnibus inducias svaderi, velut viam bonæ paci munituras; in qvas Reges qvoqve consentiant. Enimvero Belgæ inducias abrupte recusabant, velut multo molestiores ipso bello futuras, ad qvod populus libenter pecunias conferat. Ac induciis admissis paratus armorum terra mariqve cessaturos, ipsosqve hostium libidini plane exponendos. Qvæ Resp. fœdere promiserit, servaturam. Ast si fœderati invita Rep. inducias faciant, ac manuum negotio subtrahere velint, habituram qvod de infelicitate sua qveratur. Sed subsidiorum nullam amplius spem esse. Et huic sententiæ tanto magis insistebant, postqvam intellectum, à Cæsare inducias plane repudiatas, & à Gallis Hammum, ac Susatum occupata, ac Electorem distributo per huberna exercitu Mindam concessisse. 1677.

Elector Arausionensi & Belgis conditionem rerum demonstrat. 18. Febr.

§. 87. Porro ut Elector Belgis eo magis excusatus esset, Pœlnicius mittebatur, qvi Arausionensi demonstraret, uti ipse à mense Augusto in expeditione etiam inter frigoris sævitiam egerit, neqve suo militi, nec ditioni parcens, qvo Reip. adprobaret, à se nil omitti, qvod ei sublevandæ faciat. Ac nunc eo rem rediisse, ut ingruente tota Gallorum mole retro cedendum fuerit; præsertim cum in Westphalia ob annonæ defectum diutius subsistere haut liceat. Ejus igitur consilium, qvid hac rerum facie, suscipiendum, exqvireret. Sed simul sine ambage ostenderet, qvas molestias irreparabili suo cum damno ipse perceperit, inde proveniisse, qvod Belgæ conventionem cum Daniæ Rege, & Luneburgicis nimis morose cauponando eluserint; cum tamen dum fœdus inibatur, ipsi promiserint, se non hosce solum in societatem pertracturos, sed & Hispanum ad abrumpendam pacem permoturos. Ab istis qvoqve justam impressionem haut susceptam, per qvam Turennio necessitas adferretur copias dividendi. Subsidiorum qvoqve nihil qvarum jam mensem solutum, maximorum incommodorum exercitui suo causam. Denique qvod Belgæ nunqvam cum militum numerum habuerint, ut junctim cum ipso operam navare, aut saltem hostem è Frisia, & Groningæ distinere potuerint. Nunc autem eo rem rediisse, ut vel inducias fiant faciendæ, qvæ sibi arripiendæ fuerint, reducto eis Visurgim exercitu, cum alias per anni tempestatem nil rerum geri posset: vel pax sit acceleranda, qvam si Bel-

1673. gæ cordi sibi esse ostenderint, Gallus sat æqvam daturus videatur: vel ut Belgæ strenue bellum persequantur, ac promte pecuniam suppeditent supplendo exercitui, ut instante vere res magna vi geri qveat. Eqvidem inducias difficultatibus haut carere; sed qvæ citra istas acrius premant, nulla qvoqve sine iisdem exercitus reparandi facultate. Qvas à Belgis haut improbatum iri spes sit, cum iidem pari casu etiam plura sibi indulturi fuerint. Circa pacem sane circumspecte agendum; ut tamen circa præliminaria ne nimium tricentur, qvo saltem tractandi initium fieri qveat; nec rationem ibi defore moderandis conditionibus. Ast si bellum continuari placeat, pecuniam protinus repræsentandam. Nam inter incerta res suas tanto se periculo expositas relinqvere haut posse; præsertim cum Ordines Imperii ista itinera, & stativa exercitus tolerare amplius nolint. Sed si Belgæ pro more responsum extrahant, iis diceret: ipsorum forte rebus cunctando melius consuli. Sed Electorem, dum fervidum pro eorum salute studium ab iisdem destituitur, in eam conditionem redactum, ut deliberationi non amplius locus supersit, sed ipsa necessitas viam hisce malis exeundi dictitet. Qvicunqve tamen status futurus sit, ipsi Reip. salutem semper curæ fore. Qvicqvid autem Belgæ decreverint, Pœnicius semper solutionem subsidiorum urgeret, ac Electoris nomine protestaretur, omnia damna, qvæ sibi, ac suis provinciis ex ea mora proveniant, istis attributum iri. Si fœderi ab Electore haut satisfactum arguant, ostenderet; hunc statim atqve audierit Arausionensem ad Mosam accessisse, cum eo conjungi conatum. Qvo fine pons Rheno injectus, ac omnia transitui parata fuerint. Sed Turennium iterum Rhenum transisse, Condæum qvoqve, & Durassium validis cum copiis ad Mosellam accessisse; qvorum interpositu conjunctio intercluſa fuerit, iisdem dein ei parti incubituris, qvæ sibi maxime opportuna videatur. Ac facile è Principis motibus judicari potuisse, eum qvoqve hanc conjunctionem pro desperata habere. Interim hiemem, & inopiam subegisse relicto Rheno in Westphaliam vertere, utut alibi facultas hibernorum absqve propriorum civium onere offerretur. Sed istud consilii potius arreptum, qvod semper sibi exprobratum fuerit, per pacta rem in Westphalia gerendam, ac ibi præstabiliorem operam Reip. navari posse. Qvo studio ipse heic connixus fuerit, ut cladis qvid hosti inferret, satis testari susceptum in Marcanum Comitatum iter, ubi spes fuerit prælii committendi. Sed Turennium tutis se locis tenuisse nulla pugnandi copia facta, ut præter felices aliqvot catervarum conflictus in eum nil tentari potuerit. Nec sæviens gelu militem diutius in campo consistere permisisse. Unde sibi cum aliqvot legionibus Bilefeldam fuisse recedendum, reliqvis Susati, Hammi, & circa dispositis. Gallis inter hæc usqve adeo nil negotii in Hollandia datum, ut Turennio copias inde arcessere vacaverit; qvibus cum jam prævaleret, sibi Hammo, & Susato legiones fuisse evocandas, ni eas à se discluſas intercipi vellet. Qvo facto ista loca in Gallorum potestatem concessisse, se heic in angustum redacto. Interea Belgas ex itineribus ipsius hinc inde susceptis non minorem fructum percepisse, qvam si prælio victor extitisset, maxima hostium parte è Belgii visceribus intra Germaniam pertracta, ut Arausionensi spatium fuerit hostem hinc inde lacessendi; cum Reip. extrema viderentur imminere, si hosti tota vi ejus cervicibus incumbere vacasset. Gallicum qvoqve exercitum morbis, mortibus, ac desertionibus magis imminutum, qvam si prælio victus fuisset. Vicissim se testando in Remp. affectu exprobrationibus abstinuisse, cum Belgæ multis partibus fidem suam haut expleverint. Nam dum fœdus concluditur, eos promisisse, se C M militum in armis habituros; ad Rhenum XXX M præter præsidia in promtu fore, cum Electoralibus copiis jungenda: insuper Cæsarem, Danum, Luneburgicos in partes trahendos; qvorum nihil factum sit. In universum eos XXX M in campum educere vix potuisse: ad Rhenum nil copiarum collocasse: munitiones oppidorum Clivicorum ita neglectim habitas, ut pleræqve defensionem haut ausæ se dediderint; aliqvas à Belgis ultro desertas, qvas mature sibi tradere abnuerint. Tractatus cum aliis Principibus vado adhæsisse, justo tardius susceptos, & ob intempestivam parsimoniam. Insuper sibi pecunias conventas justo tempore haut solutas; unde ne qva instruendo exercitui mora esset, insignia bona à se fuisse oppigneranda. Qvæ tamen non exprobrandi animo dicantur, sed ut Belgæ agnoscant, qvare bene destinata effectui dari haut potuerint; ac ut non aliter de aliis judicent, qvam ipsi de se judicari velint. Qvod ipse Rhenum non transierit, graves causas fuisse. Nam si eo facto hostis prælio non funderetur, Resp. nullum inde fructum captura erat: fœderatos autem id damnum fuisse mansurum, qvod plures in Imperio

1673.

Ordi-

1673. Ordines à se opprimendi, ac ad desperationem, aut conjunctionem cum hoste adigendi fuerint. Cæsareos autem plane Rhenum transire abnuisse, eo prætexto, qvod nullum ibi receptum, nec munitum locum, nec penum habeant; qvæ omnia hosti abunde sint; & qvia ob Hungaricas turbas, aliasqve causas ita longe à ditionibus Cæsareis digredi haut liceat. Prælii aleam tentare magis ob Reip. qvam proprios respectus haut utile judicatum, qvod ea secus cadente Resp. omni auxilio privanda fuerit, iis qvoqve, qvi adhuc accessuri sperentur, absterrendis: atqve id nec Amerongio probatum. Cæsareis qvoqve secreti qvid obstitisse videri, qvo minus acrius ad rem gerendam conniterentur, qvod & eorum rationes exigere videbantur. Et qvia Cæsaris fœdus cum Rep. non prius absolutum fuerit, haut obstrictos se judicasse ad Belgarum causam aperte amplectendam, aut abrumpendam cum Gallis pacem: prout & nuper demum istorum duces mandata acceperint ad hostilia in Gallos expromenda. Summam autem agendorum Pœlnicius eo referret, ut Belgæ super induciis, & acceleranda pace salutaria consilia capessant: ne qvid Electori velut secius actum exprobrent; tum ut Principi, ac Reip. de sincero suo studio confirmet, reipsa exhibendo, in qvemcunqve statum ipse redactus fuerit. Ut denique subsidia usqve ad pacem solvantur, ac sexies mille supernumerariorum stipendia, de qvibus dudum Amerongius spem fecerit. Enimvero his qvamvis expositis tantum aberat, ut Belgæ defectibus remedium adferre vellent, ut potius Electoris consilia, & acta iniqvæ censuræ subjicerent, ac solutionem subsidiorum, qvæ jam à qvinto mense debebantur, extraherent, etsi pecunia in promtu foret. Responsum qvoqve ad propositionem differebatur, ut satis adpareret, istis fœdus parum curæ amplius esse. Interim iidem Waldeccium ad Electorem miserant, cui hic laxioribus verbis responderat: se in partibus perstituturum, si Hispani bellum in Gallos sumant, ac Belgæ subsidia ex fœdere persolvant. Demum Pœlnicio à Belgis responsum: Inducias sibi haut probari. Pacis se cupidos, ac locum super ea tractandi Aqvisgranum acceptasse. Subsidia qvorum dies cesserit, una vice à se exsolvi non posse, qvod sibi magni sumtus in classem armandam faciendi sint, ex qva sua salus pendeat. Sed duos menses in præsens, reliqva in Majum mensem numeranda; inde solutionem juxta fœdus continuandam. Circa supernumerarios, & supplementa facturos, qvod æqvum sit. Ad ista Pœlnicius gravem Electoris conditionem ostendere, cujus ditionibus hostis tamdiu incubuerit nullo à Belgis levamento: ac defectu stipendiorum exercitum in ruinam ivisse. Vicissim & Belgæ suam conditionem miserabantur: nec circa rem pecuniariam ulterius se posse. Contra Elector acriter protestabatur super gravissimo damno sibi inde orto, qvod Belgæ nil pecuniæ, aut auxilii præstiterint, nec Monasteriensem distraxerint, qvi nunc ipsius provincias impune insultet, se ob annonæ inopiam eis Visurgim concedere coacto. Inter hæc Belgæ Philippum Eppium tribunum ad Electorem miserant, super futuris belli actionibus ejus sententiam sciscitaturum. Is ad ea, qvæ Pœlnicio injuncta fuerant, provocabat: super qvibus statim atqve Belgæ mentem suam declararint, se qvoqve distinctius qvid sentiat expositurum. Addebat, Belgas jam demum agnituros, penes ipsos solos causam horum malorum esse, neglecta solutione, qvo tempore qvam maxime circa rem gerendam satagebatur; citra qvam moram res communes longe melius fuisse habituras. Ac inprimis indignabatur Elector, qvod tribunus iste dixerat; duorum mensium stipendia protinus exsolvenda, si Elector aliter se declararit. Nam ea pecunia dudum solvi debuerat, ob cujus defectum tantum damni acceptum fuerat; qvam nunc velut in futuri laboris præmium imputari iniqvum erat. Ad extremum Pœlnicio à Belgis responsum: Reip. firmiter decretum, fœdus cum Electore initum per omnia implere; ac confidere hunc paria facturum. Simul ut ostendat, se ei circa omnia, qvæ ei placent, modo intra vires suas posita sint, libenter gratificaturam, propositas inducias etsi sibi noxias amplexuram ea duntaxat lege, ut illæ sola armorum cessatione constent usqve ad Kalendas Junii terra, & mari in freto Britannico duntaxat, & Oceano Septentrionali, sed non ulterius. Ut interim nemo ex hac Rep. in hosticum, & ex hostico huc accedat, aut qvid importet, vel exportet absqve literis tuti itineris. Subsidia qvorum dies ad XV Novembris cesserit, solvenda. Circa citeriora subsidia, supernumerarios, ac supplementa prior declaratio manebat. Astuti qvæ super induciis agitabantur, Gallo, Angloqve pariter eas repudiantibus irrita erant: ita & separatos tractatus Belgæ dissvadebant; qvibus hosti ansa præbeatur non ipsos solum, sed & omnes vicinos subruendi. Solvebatur demum veterum stipendiorum unus mensis, cum Pœlnicio duo

17. Mart.

18. Mart. Eppe.

21. Mart.

promissi essent. Ea res cum Electorem vehementer morderet, se tam indigne à Belgis haberi, his per Romswinckelium demonstrari jubebat: Plus satis jam adparere, qvam parum istis curæ sit ipsius exercitus conservatio, cui præsenti pecunia opus sit; ac se auxilii expertem destitui, hoste interim per Westphalicas ipsius provincias pro libidine grassante, easqve opibus plane emungente. Qvin obsidium jam munitionibus, qvæ sibi restent, parari, qvæ nulla succurrendi facultate facile in potestatem redigendæ sint. Ditiones autem in utraqve Saxonia sitas alendo exercitu non sufficere. Unde cum hac ratione res diutius sustineri non possit, à Belgis reliqva subsidiorum solvenda, & aliis desideriis ipsius promte satisfaciendum. Id ni promte fiat, urgente necessitate aliam viam ineundam, per qvam his difficultatibus, in qvas Reip. causa inciderit, exire qveat. Nam inani spe diutius sese lactari non posse.

1673. 11. April.

§. 88. Inter ista Neoburgicus misso Mindam Stratemanno officium conciliando Electori cum Galliæ Rege offerebat. Cui cum iste declarasset, se à peculiari cum hoc tractatione haut abhorrere, si æqvis conditionibus potiri detur; Neoburgicus eundem Lutetiam mittebat explorandæ Regis sententiæ. Is è Gallia reversus referebat, Regem à pace non alienum esse. *Si tamen Elector ditiones suas Westphalicas ante pacem communem recipere velit, necessum fore, ut hoc bello Belgico non amplius se immisceat. Ac reservare sibi eundem posse, ut si Imperium à Gallo invadatur, integrum sibi sit pro lubitu isti auxilia ferre.* In eum igitur statum cum Electoris res prolapsæ essent, in hujus consilio operose disceptatum, num separatus cum Gallo tractatus amplectendus esset, an minus? Qvi cum tam periculosa rerum facie haut repudiandum censebant, ita disserebant: *Multos eqvidem respectus obstare, qvæ ab Electore Belgarum Remp. destitutis dissuadeant. Enimvero huic non id tantum, qvod deceat, & æqvum videatur respiciendum; sed & qvid vires ferant, & qvid alii etiam potentiores pari casu facturi sint. Sane ipsum luculenta specimina edidisse, enixissimi pro publico bono studii; nec omisisse apud Cæsarem, Hispanos, Danum, Luneburgicos, ipsosqve Belgas impensissime instare, ut qvilibet pro virili eam causam amplecti velit. Sed penes qvem culpa sit, qvod hactenus res haut melius successerit, alterius indaginis esse. Cum tamen facta infecta fieri neqveant, præterita utrumqve ferri posse, modo cautum sit, deinceps majore vi, atqve alacritate manum negotio admovendum. Nam præterito anno ostensum, non deesse remedia frangendis Gallorum conatibus. Enimvero Belgas pecuniæ qvidem non nihil offerre; sed rem eorum militarem haut prout par instructam. Hispanos de abrumpenda cum Gallis pace dudum minatos; rem adhuc in incerto esse. Qvid Cæsar hoc anno præstiterit ante oculos esse: num deinceps plura ab eodem expectari qveant, qvem præstiturum? Interim Electoris Westphalicas provincias vastatas, reliqvas per tributa exhaustas. A Dano, & Luneburgicis nil sperandum, multo minus a Sveco. Igitur dolendum, eorem redactam, ut non amplius generosis consiliis Electoris locus sit. Sed haut eo minus sapientis esse temporibus cedere, & qvo fata, ac vis major impellat, modeste seqvi. Ac si nec ipse solus negotio sustinendo par sis, nec alii, qvorum æqve interest, operam conferre velint, qvid aliud supersit, qvam, ut propria conservationi studeatur?* Alii contra disserebant; *Per separatam tractationem Belgas ad desperata consilia impelli posse; nec isti qvidqvam securitatis inesse, sed potius periculum gliscere. Nam si desperatio, aut vis Belgas, ut Gallo se submittant, cogat, qvid aliud qvam amissionem Belgii Hispanici, ac demum servitium Germaniæ secuturum? Igitur satius fore, fuderi cum Belgis obnixe inhærere, qvos ut ad extremum connitantur, propria rationes impellant. Ac spem esse Danum, ac Luneburgicum utiqve partibus accessuros. Cæsarem qvoqve majoribus copiis rem gesturum. Hispanos qvicqvid ergo diversentur, in bellum pertrahendos. Nunc qvoqve tractationem super communi pace agitari, qvam separata negotiatio valde turbare possit. Nec eviolumentum adparere, qvod peculiaris tractatus Electori pariturus sit. Nam Clivica oppida ante communem pacem haut redditum iri, ac si maxime ditiones Westphalicæ statim hostilitate eximantur; eas tamen ita exhaustas esse, ut hostis nil commodi amplius inde percipere qveat. Igitur potius Cæsarem, Hispanos, Belgas impellendos, ut omni vi in Gallos connitantur, qvibuscum sociato tutissimum sit susceptum pariter negotium ad finem perducere. Et qvam facile esse, ut Cæsar, Hispanus, & Belgæ singuli vicena millia militum exhibeant; qvibus si Elector X M addat, exercitum LXX M constantem confici; qvo utiqve ingens operæ pretium fieri qveat. Sed nec deesse opes bello perseqvendo. Belgas qvæ debent conferre paratos. Idem Hispanus faciendum, & si qvi alii sese nobiscum conjunxerint. Ex hostico qvoqve ut exercitus alatur conandum. Ac si in Germania exercitus L M bellatorum constans componatur, qvem fore ex Ordinibus, qvi hucusqve obvertere ausurus sit. Saxonem Cæsa-*

1673.

Neoburgici circa Electorem cum Gallo conciliandum studium.

Rationes contra.

Consultatio super admittendis separatis tractatibus.

Rationes pro.

ris

1673. *ris fœdere innexum. Dani ac Cellensis societatem potius sperandam. Hanoveranum haut curari. Bavaro virium aliqvid esse, ac Svecis; sed dubium esse, num aperte in Galli partes transituri sint. Ita cessare periculum, qvod hisce provinciis metuatur; qvibus & Cæsaris auxilium in promtu sit. Persistente porro cum fœderatis societate communibus tractatibus eo majus pondus fore; tantoqve æqviores conditiones obtinendas, ac majore cum securitate & autoritate negotium perficiendum. Coloniensis ac Monasteriensis prætensionibus non deesse, qvæ opponi qveant: ac Cæsare ac Hispanis faventibus istos nihil curandos. Inanis in Lipstadium actionis a nemine rationem habitum iri. Nec tutius aliorum in Cliviam actiones eludi, qvam si in fœderatorum societate persistatur. Ast si Gallus Belgio potiatur, non solum de Clivia, sed & de aliis ditionibus Electori parum cautum. Deniqve haut deesse qvidem rationes, qvæ adversus Belgas adduci qveant, si ad peculiares tractatus descendere placeat. Sed vix dici qvid posse, ad qvod nihil reponi qveat.*

Pressior negotii consideratio.

§. 89. Cæterum qvia Elector perspiciebat esse aliqvos qvi peculiares tractatus vehementer dissvaderent, his convincendis qværebat; unde opes inveniendæ perseqvendo bello, qvia Belgarum promissis haut fidendum, ac ipse facile in easdem difficultates, qvas nuper expertus sit, relabi possit, stipendiis deficientibus; ac ea subsidia, si maxime ex convento solvantur, longe infra erogationes sint, ac locupletissimæ nostræ ditiones ab hostibus detineantur, ut vix suppetat unde præsidia ali qveant? Qvæ ratio meunda, ut ab Ordinibus Imperii nulla oppositio sit metuenda, si iterum versus Rhenum aut Visurgim cum exercitu tendendum sit? Qvomodo Marchiæ adversus invasionem cavendum, si uti proxima æstate factum, ea denuo omni milite nudata destituatur? Qvanto plus emolumenti apud communes tractatus, qvam peculiares obtineri possit? An non metuendum sit, ne apud communes tractatus Coloniensis, & Monasteriensis de satisfactione injicere audeant, aut saltem inanes prætensiones in Lipstadium, Susatum, ac jurisdictionem Ecclesiasticam moveant? Si communis tractatus, uti facile fieri potest, extrahatur, ac interim Lipstadio obsidium circumponatur, qvomodo huic ita promte, uti res reqvirit, succurri qveat? Nam sine dubio hostem, ni transactio intervenerit, id oppidum primo loco invasurum; in qvam rem jam adparatus fiant. An non & id considerandum, qvod peculiari tractatu amissarum ditionum possessio statim recuperari, ac exhausti cives gravissimo onere deinceps levari qveant? An non metuendum, ne alii, qveis in Cliviam actio movetur, cum Gallo se in ipsius fraudem socient? An non neglecta à Belgis subsidiorum solutio, per qvam ipse in tantam necessitatem conjectus sit, & qvia nec hostem distraxerunt, nec alias conditiones impleverunt, sat causæ præbeant ad peculiarem tractationem suscipiendam? 1673.

Rationes contra.

§. 90. Circa isthæc proposita aliqvi disserebant: *Qvæ ratione Galli conatus considerandi sint, Electorem jam eo tempore, qvo iste Belgium Hispanicum bello petebat, expendisse. Sed postqvam idem Unitas qvoqve provincias invaserit, id eo gravius ejus aras exercuisse, qvo magis status Ecclesiæ, & communis securitas periclitabatur, ac ipsi formidandus vicinus ad latus adjungebatur. Peculiares tractatus etiam ab illis Imperii Ordinibus dissvaderi, qvi alias pacem valde urgeant, qvod inde dissolutio partium, demum exitium ejus, qvi se disjunxerit, secuturum sit. Id qvod eo magis metuendum, qvod nil securitatis huic tractatui tam apud Gallum, qvam alibi adpareat. Sane nunc, ubi qvam maxime circa communes tractatus satagitur, omnes exprobraturos, per peculiaria pacta rationes Protestantium, & communis salutis, atqve securitatis deseri, ac istos difficiliores, si non plane infructuosos reddi; belli qvoqve operationes turbari, hostis commoda promoveri, communem causam everti. Unde satius fore communem negotiationem urgere, ac pace non obtenta bellum strenue perseqvi. Neqve etiam deesse, qvæ ad propositas difficultates reponi qveant. Bellum inter modos adqvirendi referri solere, ac seipsum alere posse. Sane Svecos per octodecim annos bellum in Germania gessisse, ac parum pecuniæ e Svecia exportasse, plurimum eidem intulisse. Militem, si justa disciplina coerceatur, semper alimenta, & amplius qvid invenire, præsertim si Cæsaris autoritas, & arma socientur. Nec apud Belgas subsidiorum spem periisse, ac de Hispanico qvoqve stipendio mentionem injici. Ac si post factam separationem subsidia plane cessaverint, qvomodo tunc exercitum alendum; cum Electori ante communem pacem arma exuere haut tutum sit futurum? Ne alii Ordines Electoris instituto se opponant, caveri posse servata accurate disciplina, ac si inutilibus stativis, atqve itineribus supersedeatur. Et XL. M bellatorum succincto facile inermium qverelas sperni posse. Ut Marchiæ interim securitas constet, cum iis, unde aliqvid metuitur, amicitiam alendam; tum ibi rem militarem*

1673. tarem ita disponendam, ut in omnem eventum defensio non desit, quoad auxilia adfuerint. Ac credi eos, qui respiciendi sunt, alibi captare quod agant. Quod si Electori omnia ad communem pacem referantur, immortalem gloriam parari singularis studii pro gloria Dei, & salute publica: nec exigente necessitate aliorum fida auxilia deforе, posteaquam nemo exprobraturus sit, cum publicas rationes neglexisse, ubi privatis consuluerit. Nec bonas partes constanter amplexo opus fore, ut deinceps Gallo obnoxius agat; cujus amicitia cessante ipse ac posteri omni aliorum auxilio destituendi sint. Obsoletas actiones Colonienſis, ac Monasteriensis tunc forte timendas, si Elector velut bello victus considerari possit; quo quidem rem nondum rediisse. Super periculo e mora pacis oriturо cum ducibus consultandum, ac mature ad fœderatos referendum. Num occupatæ ditiones protinus recipiendæ sint, sibi haut constare. Sed si in posterum libido Gallum subeat eas rapiendi, quid auxilii Electori ab iis expectandum, quos ipse nunc medio periculo destituerit? Saxonem porro Cæsaris fœderi illigatum haut facile cum Gallo super Clivica ditione coitionem facturum. Cum Sveco fere rem transactam esse. Denique omnia, quæ Belgis objici possint, Paulucius mandatis contineri, sed non velut secessionem à fœdere allegari; quin ei potius injunctum subsidia usque ad communem pacem, si maxime indutiæ intervenerint, ex fœdere urgere: Belgas quoque tunc servandis pactis pronos se declarasse. Unde per factas hinc inde declarationes etiam post non soluta accurate subsidia fœdus utique sartum tectum persistere videri.

Rationes pro.

§. 91. Aſt alii contra disputabant: Frustra in utramque partem rationes adduci, peculiaris tractatus admittendus sit, an minus. Nam neque ex Electoris ditionibus suppeditari posse, quæ bello justa vi gerendo requiruntur; ac incertum, num Belgæ in futurum fidem circa stipendia liberaturi sint, quam semel fefellerunt. Nec aliam viam ostendi amissa recuperandi, ac quæ restant conservandi. Periculum indies gliscere, nec aliunde auxilii quid adparere; quin ipsa in Germania plus clandestinarum machinationum contra Electoris emolumenta, quam favoris expectandum. Nec Poloniam parum in præsens amicam insuper habendam. Sed quia Gallus nisi fœdere Belgico sublato tractare abnuit, maximam difficultatem eo redire, quomodo Elector salva conscientia, & existimatione à susceptis semel partibus se disjungere possit. Sane Belgarum causa, quæ rem Protestantium non leviter tangit, ingentem plagam illatum iri peculiari Electoris transactione; quod metus sit, ne & 1673. Cæsar hoc exemplo istos destituat, ac alii, qui forte accessuri erant, hæsitent. Videri quoque fœderi constare adhuc sanctimoniam post recens facta testationes, & quod Belgæ moram purgare, ac deinceps accuratius convenia solvere velint. In posterum quoque Electoris statum in ancipiti fore, contracta quorundam exterorum, ac Imperii Principum offensa. Nonnullos quoque super reparando damno actionem intendere, præcipue Moguntinum, Palatinum, & Darmstadiensem. In tam tristi rerum facie agnoscendum Germaniæ fatum, cujus dissolutioni prævidendæ jam quam maxime tempus monere, ut alia publice consilia capessantur. Interim cuilibet rebus suis indulgendum, & securitati suæ quantum datur consulendum; ac qua vires non pertinguns, incassum haut moliendum. Sane uti nemo alterius causa in certum exitium ruere tenetur; ita Principem salva conscientia salutem civium in dubiæ gratiam aleæ exponere haut posse. Ecclesiam minime omnium per exercitus stabilitam; nec Deo ista servandæ viam defore. Si Cæsari, Hispano, & aliis cordi sit majore quam hactenus vi Belgas sublevare, eas hisce vires esse, ut Electoris per necessitatem captum consilium isto instituto eos dimoturum haut sit. Electorem extrema omnia tentasse, ab aliis desertum, aut clam palam oppugnatum: id explendo officio sufficere. Necessitatem lege carere; & cum Belgæ convenia prius implere neglexerint, & ob exhaustas Reip. opes in futurum exigua stipendiorum spes sit, Electorem obligatione solutum videri. In fœdere cum Cæsare de bello in Gallum non exprimi, sed duntaxat de conservatione pacis in Imperio: unde id subsistere posse, si maxime Elector Belgis deinceps auxilium contra Gallum non ferat. Securitatis causa à Gallo auxilia stipulanda contra eos, qui Electorem ob hanc transactionem impugnare instituant. Actionem de damno, quam aliqui movent, per amnestiam abolendam, Gallo sponsore. Quæ cum Belgis intercedant negotia ad communes tractatus seponenda.

Ad Regem Galliæ legatio.

§. 92. Solidiores Electori videbantur rationes, quæ transactionem svadebant. Unde is allatam a Stratemanno formulam ratihabebat. Sed quia in ea non tam rem ipsam, quam vocabula quædam mutari cupiebat, Franciscum Meinderlium una cum isto ad Regem Galliæ mittebat, ut eam transactionem hinc inde interpolatam in justum instrumentum redigeret. Ei injunctum ex itinere à Turennio petere, ut omissis hostilibus copias ex Electoris terris deducat, nec tributorum quid amplius exigat.

1673. gat. Neoburgico qvoqve gratias pro navata opera ageret, ac paria offerret; tum ut is negotio ad finem deducendo incumbere pergat: nec minus ut æqvæ paci inter omnes bellantes promovendæ studeat, qvod stabilis qvies ad Rhenum, & in Westphalia expectari neqveat, qvamdiu bellum inter Gallum, & Belgas duret; ac Germaniæ qvam maxime intersit, Belgarum Remp. à Gallis haut subigi. Apud Regem de constanti Electoris amicitia, & studio testaretur. Dolere sibi, eam præsenti rerum facie nonnihil alteratam. Regem tamen pro generositate, & æqvanimitate sua ultro agnituru, ob antiqva fœdera amicos, & vicinos inter tanta pericula undiqve imminentia à se destitui haut potuisse. Sed nunc grato se animo agnoscere, Regi placuisse veterem secum amicitiam instaurare; ac de constanti benevolentia confirmare; qvi & ejus specimen promta conclulione cœptæ negotiationis sit præbiturus. Cæterum uti Rex toti orbi confirmarit, se præsens bellum non evertendæ Reip., ad cujus incrementa is, ac priores Galliæ Reges tantum contulerint, sed vindicandæ suæ gloriæ suscepisse, nec ab æqva pace alienum esse: ita se rogare, ut vitandæ majori sangvinis Christiani profusioni, ac tranqvillando orbi Christiano, prout elogio Christianissimi Regis dignum sit, instantes pacis tractato ad optatum exitum promovere, ac illustres suas actiones tam salutari, ac pio fine coronare velit.

Apud Turennium.

§. 93. Cum Meindersius Turennium adiisset, hic magnam lætitiam super captis nunc ab Electore consiliis præ se ferebat, ac se protinus copias ejus ditionibus amoturum. Alias ostendebat, se exercitum, qvoad Cæsar liqvidius mentem suam explicarit, trans Rhenum haut ducturum, sed his locis substituru, Cæsareorum motibus observandis. Ingentem suspicionem excitari, qvod Trevirensis Keisersteinii legionem intra Hermansteinum receperit, etsi prius suo sacramento adactam. Se mirari, id præterito autumno non factum, ubi idem plurimum ad summam rerum fuerat facturum, ac Gallis non parum incommodi daturum. Sed nunc consistente valido Gallorum exercitu in vicinia, qviubi is se moverit, Cæsareos ad Mosellam prævertere qveat, se nescire, qvid istum ad tale consilium permoverit. Cum Præsulibus qvoqve rem facile conventuram, etsi à Rege hisce nondum de hoc negotio significatum fuerit: sed se suo nomine indicium iisdem feciisse. Alias Monasterienſem, & Furstenbergios ægre admodum ferre, inter Regem, & Electorem hoc modo convenisse: nam ex fœdere circa talia cum ipsis prius fuisse communicanda. Sane Colonienſis ditioni ingens damnum illatum, cui & Elector prius hostilia intentaverit; ac publico scripto Præsules accusatos, non nisi obliqve Galli mentione facta; unde par fuisse, Regem ipsi satisfactionis qvid stipulatum. Eosdem insuper qvestos, Neoburgicum tam enixe in hac causa elaborasse; qvod non studio in Regem, & ejus emolumenta, sed affectu in Electorem, & ob communes cum hoc rationes factum sit, qvæ non semper cum Galliæ emolumentis conspirent. Wilhelmum Furstenbergium jactasse, se Electoris civibus in Clivia, & alibi hoc bello utilissimam operam navasse, & eorum perniciem avertisse; etsi in proclivi fuerit ab Electore in Hildesienſi ditione damna data ulcisci, ac reparationem exigere. Ejus fratrem Franciscum Argentoratensem Præsulem qvestum, ni Colonienſi circa Susatum, Lipstadium, & Ecclesiasticam jurisdictionem satisfiat, autoritatem sibi apud Capitulum periisse, eamqve rem sibi futura electione fraudi fore. Nam Capitulo fœdus Gallicum haut probari, ex qvo tanta mala in Præsulatum redundarint. Idem Turennius dicebat, Regi Galliæ haut gratum futurum, si Sveci in Bremensem civitatem qvid tentent. Simul svadebat, ut Electorales hostilibus adversus Monasterienses supersedeant, ac optabat, qvæ proximis diebus circa expugnationem castelli in vicinia contigerant, omissa fuisse; qvod per talia animi exacerbentur, nullo ad summam rerum fructu. Ac esse sacerdotis istius morosum ingenium toti orbi notum, cui & ipse Rex sese attemperare necessum habuerit. Cum Meindersius peteret, ut Rex turbulento isti homini auxilium subtrahat, ac Electorem solum cum isto committat: Turennius fœderatum suum à Rege deseri posse negabat; cui & animus sit Germaniæ qvietem dare; ad qvod institutum omnia sint referenda, nec omnia ad ungvem resecanda. Qvam ob causam & Elector Alexandro Spanio, ut hostilibus in Præsulem abstineret, injungebat; ac Turennius, & Colonienſis pacem à gratuita captivorum dimissione auspicabantur. Haut eo minus Monasterienſis barbaro modo in Ravensbergica ditione grassari pergebat, ac direptis aliqvot vicis homines, ac pecora abripiebat; qvatuor qvoqve Electorales eqvites, qvos interceperat, abscissis prius auribus, & naribus trucidabat. Turennius mox deserta Electo- 11. *Maii.*

1673. ris ditione in Fuldenſem Præſulatum movebat, aſſumtis qvoqve Colonienſis, ac Monaſterienſis turmis, ut liqvidum reſponſum à Cæſare obtineret, qvid Regi ab ipſo expectandum ſit. Id qvod cum Wilhelmus Furſtenbergius Neoburgico exponeret, hic acerrime iſtum cum fratre tanqvam turbones patriæ increpabat, qvorum inſultationibus coërcendis acriora demum conſilia ſint arripienda. Ac valde ſibi erubeſcendum, Domum ſuam iſtis affinitate junctam. Idem qvoqve Neoburgicus miſſo ad Regem curſore eam expeditionem in Germaniæ penetralia maximopere diſſvadebat, novas utiqve turbas pariturам; nec dubium, qvin Ordines ejusmodi itineribus ſeſe ſint oppoſituri, qvæ à Cæſareis, & Brandenburgicis copiis diutius tolerare noluerint. Nec probabilem colorem huic itineri ſubeſſe, poſtqvam Rex cum Electore tranſegerit, ac Cæſareæ copiæ in provincias hæreditarias receſſerint.

Apud Regem Gallia acta. 4. Jun.

§. 94. Profectus eſt inde Meinderſius Stratemanno comitante in caſtra Gallica non procul Lovanio poſita, ubi ratificationem tractatus ab hoc confecti Pomponio tradebat, addito: Electorem teſtando in pacem ſtudio pactum prout conceptum fuerit, nullo mutato vocabulo firmaſſe. Sperare tamen Regi non ingratum fore, unam aut alteram dictionem clarius exprimi, ſalva rerum ſubſtantia. Inprimis utriusqve intereſſe, aliqvot articulos ſeparari, ac ſecretos haberi; reliqvos autem ita adaptari, ut aliis qva opus ſit communicari qveant. Eum Rex in tentorio audiebat, ac humanis admodum verbis reſpondebat: *Nil carius ſibi, qvam veterem cum Electore amicitiam inſtaurare. Præterita utrinqve oblivioni danda. Se reipſa oſtenſurum, nulla ſe in fraudem Imperii qværi. Conſtantem Electoris amicum eſſe, ac manſurum; ac pariа ſibi ab eodem polliceri. Super interpolatione pacti cum Pomponio ageret. De cætero reipſa, & qva Colonia ferveat negotiatione teſtaturum, qvantopere pax ſibi cordi ſit.* Annuebat Rex, ut in Marcana provincia nil amplius tributi exigeretur: in Clivia qvæ de conventa pecunia, & pabulo reſtent non ulterius, qvam ad diem ſubſcripti tractatus. *10. April.* Qvæ deinceps in uſum militis petantur, præſenti pecunia ſolvenda; militem accurata diſciplina habendum; omnes confiſcationes abolendas. Inde ſuper refingendo tractatu inter Pomponium, & Meinderſium actum. Reeſam & Veſaliam Gallus retinere cupiebat, velut in cautionem conventorum. Circa caſtellum Schenqvianum Pomponius mirabatur id pari cum aliis Cliviæ locis haberi; cum Elector, qvamdiu id extructum fuerit, nulla ibi jura territorialia, uti aliis locis, exercuerit. Eqvidem Regem juxta pacta Electorem in præſenti ſtatu, qvantum ad compromiſſum Geldricum, ad qvod controverſia ſuper eo caſtello ſpectet, tuiturum, nec conceſſurum, ut ex eodem iſti moleſtiæ qvid inferatur: viciſſim nec Electorem ex eo qvid lucri contra Regem captaturum, qvamdiu is hæcce loca intideat. Nam qvid deinceps futurum ſit, tempus ſuggeſturum. Ritus Romanos ita permanere, prout hoc bello conſtituti ſint, magnopere cordi Regi fuerat. Sed Stratemannus confirmarat, ſuper iis Electorem inter, & Neoburgicum rem tranſactam eſſe. Circa inclutionem Cæſaris, qvam Elector cupiebat, Pomponius prolixe diſſerebat, qvam graves ob cauſas Regi magna heic circumſpectione utendum ſit. Sibi *14. Maii.* certo conſtare literis Vienna ſcriptis, Cæſarem ſecreto conſilio de hoc negotio conſultaſſe, ac omnium qvoqve ducum ſententias perrogaſſe, ac demum decreviſſe XXX M in auxilium Belgis Rhenum verſus mittere. Ea rerum facie Regem admiſſa incluſione ludibrio ſe expoſiturum, ac obligatione ſe illigaturum, cum Cæſari omnia integra conſtent. Unde antequam ulterius ſe declaret, ſuper Cæſaris deſtinatis cautum ipſi eſſe oportere; qvo fine & Turennius in Germania cum exercitu relinqvendus fuerit. Qvod ſi tamen Elector à Cæſare idoneam declarationem obtinere qveat, id Regi gratum fore. Sane Regem Ratisponæ teſtatum, eadem hora, qva Cæſar promittat, ſe Belgis auxilia haut miſſurum, aut aliqvi Ordinum caveant id non futurum, ſe Turennium è Germania revocaturum. Addebat Luvoiſius: Viennæ in hoc negotio haut ſincere procedi. De Electore tamen nullam ſibi qverendi cauſam eſſe, cui nullum cum Rege pactum interceſſerit, utut variis oblatis conditionibus. Seipſum cum Cæſareis miniſtris anno 1671 pactum iniſſe, qvo Cæſar promiſerit, ſe Regis deſtinata contra Belgas haut impediturum ea lege, ne Rex Imperium invadat, nec in Hiſpanos hoſtile qvid tentet, neu Aqvisgranenſem pacem violet. Utriqve conditioni Regem ſatisfeciſſe; ac haut eo ſecius Cæſarem non ſolum copias ſuas in uſum Belgarum verſus Rhenum miſiſſe, ſed & nuper fœdus cum iſtis feriiſſe. Cæſareos porro ſemper confirmaſſe, ſe fœdus iſtud accurate ſervaturos. Nec eſſe, qvod Gallus conjunctione ſuarum legionum cum Electore moveatur. Id enim in ſpeciem fieri, & qvia ſic deceat. Eosdem

1673.

1673. osdem qvoqve solicite stipulatos, ne pacti istius cuipiam copia fieret; id qvod à Gallis sancte sit observatum. Addebant Galli, præsens cum Electore pactum initium duntaxat fore arctioris amicitiæ; ac diligenter inqvirebant, an non Meindersio super arctiore tractatu mandata sint, ex qvo Regi emolumenti qvid provenire qveat? Ita demum conventio Vossemi absoluta fuit, qvi vicq non procul Lovanio situs est Regis ratihabitio in castris ad Trajectum accepit. Tractatus jam absolutus Colonienli, & Monasterienli à Gallo communicatus fuit, ipsisqve significatum, ut locis occupatis decedant. Qvibus, cum satis ægre ferrent, se inconsultus cum Electore transactum, nil aliud à Gallis responsum fuit, qvam non aliter commode in præsens fieri potuisse. Paulo post Pomponius Meindersio proponebat; Regem non dubitare, qvin Electoris mens sit simplici amicitia non adqviescere, sed arctius Regi innecti, qvo huic occasio nascatur affectum suum insigni emolumento eidem conciliato exserendi. Super qvo Electoris sententiam cognoscere cupiat. Inprimis Regi scitu necessarium, qvomodo Elector sese gesturus sit, bello inter Galliam, & Hispaniam exardescente. Eqvidem Regi non esse in animo Aqvisgranensem pacem infringere. Eundem tamen super obsesso Caroloregio ut sibi satisfiat postulaturum, ac si id abnuatur, ultionem per se sumturum. Eo tamen casu Regi scire necessum esse; Num Elector juxta genuinum Instrumenti Pacis sensum, prout id in Gallia intelligitur, se obstringere velit, qvod nemini in Imperio, ac peculiariter Cæsaris copiis, si ei se bello miscere, & Hispanis auxilia ferre instituant, transitum concedere, sed à suis ditionibus ejusmodi agmen qvovis modo, ac ubi opus fuerit etiam vi avertere velit? An vero Electori circa hoc negotium exseqvendum copias suas Regiis conjungere placeat? in cujus operæ præmium Geldria ostentabatur. Qvæ cum altius penetrarent, circa hæc qvidqvam in mandatis sibi datum Meindersius negabat.

1673. *aurois faits avec les Etats Generaux des Provinces Unies des Pais bas, & les armes, qu'il auroit prises ensuitte en leur faveur, mais encore en cette sorte à la pacification d'Allemagne, Sa Majesté, qui auroit veu avec peine, que ledit S.r Electeur eust pris une conduite opposée à l'amitié, qui a tousjours esté entre Sa Mté & son Altesse Electorale, & leurs predecesseurs, & qui s'etoit trouvé contrainte avec regret de porter ses armes dans l'Empire, dont elle a tousjours affectionné si particulierement la tranqvillité & le repos, a appris avec plaisir les dispositions, dans lesqvelles estoit led: S. Electeur, & ayant authorisé pour ce sujet le Sieur Arnould Chevalier, Seigneur de Pompone Conseiller du Roy en tous ses Conseils, & Secretaire d'Estat, & des commendements de Sa Mté pour traitter avec le S.r Meinders Conseiller d'Estat & privé, & Envoyé extraord: dud: S. Electeur vers Sa Mte muni pareillement d'un plein pouvoir de Son Alt: Elect: il a esté convenu entre eux des articles suivants. I. Tout ce qui s'est passé depuis la prise des armes par Monsieur l'Electeur de Brandebourg en faveur de susd: Estats Generaux tant de la part de Sa Mté & de ses alliés, que de celle dud: S.r Electeur de Brandebourg sera pleinement oublié, & Son Alt. Elect: cultivera la premiere amitié, qu'elle avoit avec Sa Majesté, avec le Roy de Grande Bretagne, Monsr. l'Electeur de Cologne, Monsr. l'Evesqve de Munster, & autres alliez de Sa Mte, sans qu'à raison des pertes & dommages, qui auroient esté causez durant la dicte gverre, il soit libre de se rien demander de part ny d'autre. II. Et qvant au Traitté que S.A.El. de Brandebourg a fait avec les Estats Generaux de leur donner aide, secours, ou assistence contre Sa Mté & Ses alliez, S. A. El. s'oblige de ne donner à l'avenir sous qvelque raison, pretexte, ou occasion, que ce puisse estre directement, ny indirectement aucun secours, aide ou assistence aux ennemis de Sa Mté, qvels qu'ils puissent estre. III. Ledit Sr. Electeur promet semblablement de faire sortir de ses places les trouppes desd: Estats ou autres estrangeres, qui y pourroient estre entrées depuis la presente gverre, comme aussi qu'il tiendra le corps de son armée au dela du Weser, & se contentera durant la presente gverre de tenir les garnisons necessaires dans ses places au deca de cette riviere, dont pourtant il pourra loger qvelqves trouppes au plat pays jusqves à la concurrence de mille hommes. IV. Sa Mté en echange pour donner un temoignage plus public, & de la satisfaction, avec laqvelle elle retablit avec led: S.r Electeur sa premiere amitié, comme aussi pour faire cognoistre, avec qvelle sin-*

1674. *Charlemont.*

1674. *6. Jan.*

18. Jan.

14. Jan.

2. Jan.

Pax Vossemensis.

§. 95. Ea porro pax Vossemensis lingva Gallica concepta ita se habet. *Apres qve Monsieur le Duc de Neubourg a fait cognoistre au Roy le desir, qu'avoit Monsieur l'Electeur de Brandebourg & par ses propres sentiments, & par les instances, qui luy en auroient esté faites par divers Electeurs, Princes & Estats de l'Empire, de retablir non seulement la premiere alliance, qu'il a cy devant avec sa Majesté, & qui auroit esté alterée depuis qvelque temps par les Traittez, qu'il*

1673. cerité elle s'eſt tousjours declarée, qu'elle n'avoit eu aucune penſée de rien retenir de ce qve ſes armées avoient conquis dans l'Empire, promet de remettre, ou de faire remettre apres les ratifications du preſent traitté eſchangées aud: S.r Electeur tout ce qve ſes armées, ou celles de ſes Alliez ont occupé dans les Duchés de Cleve, Principauté de Minde, Comtés de Marck, & de Ravensberg, ou autres terres generalement qvelconqves dud: S.r Electeur à l'exception de qvelqves places ſur le Rhin, dont il ſera parlé dans l'article ſuivant. V. Les places, qve les Eſtats Generaux occupoient dans le Duché de Cleve, aiant eſté la ſeule cauſe, qvi obligea S.a M.té à porter ſes armes ſur le Rhin, lors qu'elle commença la gverre contre lesd: Eſtats, qvelqve pretention qve Sa M.té peuſt avoir de les garder, comme les aiant priſes ſur ſes ennemis, Elle voulоit bien ſe declarer dans tout l'Empire, qu'elle n'avoit deſſein de les retenir, que jusqves à la paix, qvi pourroit eſtre faitte avec lesd: Eſtats, Sa M.té perſiſtant dans les meſmes ſentiments declare encore, qu'elle gardera ſeulement les places de Weſel avec le fort de la Lippe, Rees avec ſon fort, pour les remettre aud: S.r Electeur fortifiés avec les canons aux armes ou marqves de Son A. El. ou de ſes predeceſſeurs, comme elles eſtoient lors, qu'elles ont eſté priſes par les armes de Sa M.té, auſſitoſt apres la paix conclue & ratifiée avec lesd: Etats, dont Sa M.té veut bien, qve le ſusd: S.r de Neubourg demeure garant. VI. Qve durant ce temps le droit de ſuperiorité, & toutte autre jurisdiction demeurera aud: S.r Electeur dans lesd: places, & qve les Garniſons y ſeront entretenis, & paiés par Sa M.té ſans qu'elle y puiſſe lever aucun droit ou contribution, ny qve lesd: Garniſons puiſſent eſtre à charge auxd: places, qve pour le ſimple logement. Son Alt. El. s'oblige toutefois de laiſſer ſeurement & librement paſſer dans ſes eſtats ſur les rivieres du Rhin, & de la Merve ſans en pouvoir prendre aucun droit ny peage, les munitions de bouche & de guerre, qvi deſcendront pour les trouppes de Sa Majeſté. Bien entendu qve ceux, qvi conduiront lesd: munitions feront apparoir par les ordres de Sa M.té ou certifications de ſes miniſtres, qve lesd: munitions ſeront pour le ſervice de S.a Majeſté. VII. Et puiſqve dans l'occupation, qvi fut faitte des places du Duché de Cleves par Sa M.té elle a fait rendre aux catholiqves qvelqves Egliſes, qvi leur avoient eſté oſtées durant, qve les Eſtats Generaux y avoient Garniſon, il a eſté convenu, qve toutte cette affaire Eccleſiaſtiqve, & ce qvi en depend, ſoit pour l'exercice, ou pour les revenus ſera reglée & determinée en conformité & ſelon les regles de l'accord fait ſur ce ſujet entre Son Alt. El. de Brandebourg, & Son Alt. le Duc de Neubourg, & affin qve lesd: Catholiqves ne ſoient point inquietés à l'avenir dans les provinces de Cleves, Marck, & Ravensberg, Son A. El. promet de les laiſſer jouir paiſiblement de ce, qvi leur eſt deu en vertu de ſuſd: Traitté. VIII. Sa M.té promet pour luy, & au nom de ſes Alliez, que touttes contributions & exactions, qvi auroient eſté impoſées dans les Etats de Son A. El. ceſſeront depuis le dixieſme du mois d'Avril & qu'on n'en pourra leur ny exiger aucunes ſoubs qvelqve pretexte, qve ce puiſſe eſtre, qvi auroient eſté impoſées, ou qvi ſeroient eſchoues depuis ce temps à condition, qve led: S.r Electeur obſervera la meſme choſe de ſon coſté, & qu'il ne fera aucune exaction de ce, qvi luy pourroit reſter & qu'il pourroit pretendre depuis le terme ſuſd: Comme auſſi qve Sa M.te ne prendra plus aucuns qvartiers ou paſſages ſans le conſentiment dud: S. Electeur, & ſans payer, & dedommager ſes ſujets de la charge, qu'ils en pouvoient ſuffrir. IX. Et bien qu'il ſoit dit dans le 2. article du preſent traitté, qve led: S.r Electeur de Brandebourg n'aſſiſtera directement ny indirectement les Ennemis de Sa M.té, led: S.r Electeur ayant temoigné toutefois, qu'il ne pourroit eſtre engagé à rien qvi peuſt eſtre contre l'Empire, & qu'il ſe trouvoit les mains libres en cas, qu'il fuſt attaqvé, Sa M.te qvi n'a pas moins à cœur la ſeureté, & la paix du dit Empire, admet volontierement cette reſerve dud: S.r Electeur, à condition, toutteſois, qve Sa M.té ne ſera pas cenſée attaqver led: Empire, ſi elle ſe trouvoit obligée de porter ſes armes en Allemagne, & d'agir contre tout Prince d'Empire, qvel qvi peuſt eſtre, qvi vouluſt attaqver Sa M.té, ou donner aſſiſtence à ſes Ennemis contre le Traitté de la paix de Munſter. X. Et parce qve dans l'eſtroitte union & l'alliance, qvi eſt entre Sa M.té, & le Roy de la grande Bretagne pour la gverre contre la Hollande led: S.r Electeur de Brandebourg n'a pas moins agi contre led: Roy, qve contre Sa M.té, lors qu'il a pris les armes en faveur des Eſtats generaux. Sa M.té veut bien ſe charger à promettre de faire agreer au ſuſd: Roy de la grande Bretagne, qve tout le paſſé ſoit oublié de part & d'autre, & qve la premiere amitié & intelligence ſoit eſtablie entre Sa M.té Bretanniqve, & Son Alt. Electorale. XI. Et pour donner une plus grande marqve de l'alliance, qve Sa M.té renouvelle avec led: S.r Electeur, elle veut bien promettre de le faire comprendre en vertu du preſent traitté dans la paix, qu'elle pourroit faire avec les Eſtats Generaux, comme auſſi elle s'oblige de l'aſſiſter, & de le garen- 1673.

1673. *garentir, contre touts ceux, dont il pourroit estre attaqué à l'occasion, ou à cause du present traitté. XII. Sa Mté pour donner une plus grande marque à Monsieur l'Electeur de Brandebourg, qui en retablissant avec luy la premiere amitie par ce Traitté, elle veut bien encore prendre en luy la mesme confiance, qu'elle avoit eu avant ces derniers mouvements, declare, qu'apres que le present traitté aura esté accompli par l'eschange de ratifications, elle consentira de sa part, que led: S.r Electeur puisse estre admis dans la mediation de la paix, qui se traitteront avec les Estats Generaux, lors que les affaires de l'Empire auront esté pleinement accommodées. XIII. Il a esté convenu de fournir & eschanger les ratifications du susd: Traitté de part & d'autre dans le terme de trois se maines au plus tard. Fait au camp du Vossem d. 16. Juin. A. 1673. Arnauld. Fr. Memders.*

Articuli Separati.

Articuli Separati. *I. Parce que divers Princes de l'Empire, chez qui l'armée dud: Electeur, & celle qui luy estoit jointe ont logé, se sont desja plaints a la diette de Ratisbonne, ou ailleurs de la ruine de leurs Estats, qu'ils pretendroient leur estre reparée par Son Alt. Electorale, Sa Mté promet en ce cas de s'entremettre, & s'employer par toutes sortes d'offices pour empescher, que led: Sr Electeur ne soit inquieté à cette occasion, & pour faire, que tout ce, qui est arrivé durant ces derniers mouvements soit oublié pour le repos, & la pacification de l'Empire. II. Sa Mté pour donner plus de marques aud: Sr Electeur de l'affection, qu'elle a eu cy devant pour luy, & qu'elle conservera à l'avenir, veut bien luy promettre, qu'elle appuyera les pretensions, que led: S.r Electeur a contre les d: Estats Generaux, & s'opposera à celles, que les d: Estats Generaux pourroient avoir contre luy, qu'elle contribuera aussi par les offices les plus efficaces dans le Traitté de paix pour luy faire payer les subsides, dont ils luy demeurent redevables jusques à present. III. Comme aussi Sa Mté s'engage de nouveau de maintenir led: S.r Electeur dans tous les droits, qu'il possede presentement, ou qui pourroient luy appartenir à l'avenir par droits de succession ou heritage, tant dedans l'Empire conformement aux traittez de Westphalie, que dehors. IV. Sa Mté pour marquer d'avantage sa bonne volonté pour led: S.r Electeur de Brandebourg veut bien luy accorder une somme de huitcent mil livres, dont elle luy fera payer celle de trois cens mille livres aussitost apres l'eschange des ratifications du susd: traitté, & durant cinq années consecutives celle de cent mile livres, que Sa Mté luy fera payer par chacun an de six mois en six mois, dont le premier payement de cinquante mile livres eschoiera au premier Juillet 1674. & continuera en cette sorte de six mois en six mois jusques à l'entier payement de cinq cent mile livres.* 1673.

Hunc tractatum Rex qvoqve Angliæ Gallo postulante firmabat. Cui Elector per literas gratias agebat, ac rationes suas apud tractatus pacis eidem commendabat, Anglo vicissim ample promittente. *20. Jul.* *15. Sept.* *19. Nov.*

§. 96. Ista pax ut aliis qvoqve probaretur, Electori curæ erat. Ac Belgis qvidem protinus post reversum è Gallia Stratemannum significabatur; Neoburgici opera declarationem à Gallo obtentam, qva hic Electori ditiones suas gratis redditurus sit ea lege, ne is Belgis amplius adsistat, salva tamen erga Imperium obligatione. Id qvod ægre ferebant Belgæ, ac ne solutio stipendiorum, qvæ jam ab Idibus Decembris debebantur, fieret, inhibebant. Mox literis ad eosdem datis Elector demonstrabat; uti ipse summa fide eorum causam susceperit eo tempore, qvo plerisqve res ejus Reip. conclamatæ habebantur; atqve maximas hostium vires istius viscera in se traxerit. Contra Belgas statim initio circa solvendum autoramentum in mora fuisse, ut necessum sibi fuerit magnas pecuniæ summas mutuo sumere, qvo delectus promte succedere possent. A se qvoqve VI Multra conventum numerum in campum eductæ, super qvorum stipendiis, uti & supplementis, nunqvam convenire potuerit. Durante sua expeditione ab istis terra, mariqve nil susceptum. Inprimis subsidia maligne soluta, suis frustra ingerentibus, qvantum incommodi inde proveniat, cum sævissimo gelu contra hostes in campo consisteretur. Aliqvoties eos à se monitos, ni aliter secum agatur, sibi hautqvidqvam mala inde proventura attribuenda, ac alia ratione suæ sibi securitati prospiciendum. Postqvam ne id qvidem ad animum revocatum fuerit, qvod eam ob causam Westphalicæ suæ provinciæ in hostium potestatem concesserint; & neqve pecunia soluta, nec induciæ admissæ sint; demum ne qvid exprobrari sibi posset Pœnicium missum, qvi Ordinibus Generalibus de sua constantia confirmarit; sed simul enixe petierit, ut stipendia dudum debita protinus exsolvantur, Danus, & Luneburgici in partes trahantur, Hispani, ut in bellum erumpant, permoveantur, qvorum intuitu ipse fœderi eorum accesserit, addita denuntiatione; si Belgæ circa ista moras ne- *Super ea pace Belgis significatur.* *16. April.* *3. Maji.*

1673. ctere pergant, non amplius apud se deliberationi locum fore, sed eam viam nolenti volenti ingrediendam, in qvam isti haut impleto pacto ipsum compulerint. Qvanqvam autem ad istam denuntiationem decretum sit, protinus duorum stipendia mensium numeranda, ac super reliqvis qvoqve disponendum: vix tamen digresso Pœlnicio ad leviſſimum rumorem solutionem inhibitam; nil adparatus factum bellum deinceps majore vi gestum iri; nullos amplius in fœdus pertractos. Ex qvibus omnibus cum nil aliud colligere potuerit, qvam Belgis de sua pace jam cautum, aut alia eos auxilia circumspicere; ipse autem Deo, Imperio, ac posteritati adprobare haut possit, in aliorum gratiam fortunas suas nullo fructu in exitium præcipitasse: igitur perstare qvidem affectum in Remp., pro cujus conservatione nil officii sit omissurus. Interim curæ sibi esse, ut res suas per transactionem cum Gallo, ejusqve fœderatis præsentibus malis eripiat, nec reliqvis Imperii Ordinibus ulterius molestiarum ansam præbeat. Qvo fine se misisse qvæsitum, num æqvis conditionibus, qvarum spes facta sit, potiri liceat. Nec dubitare, qvin si Reip. id institutum displiceat, ab illis rationem exactura sit, qvi in causa fuerint, qvod fœdere per eam non impleto ipse ad hæc consilia compulsus sit. Isthæc secessio Belgis magnopere displicebat, vulgo præsertim, qvod eam multis rumoribus differebat. Paulatim tamen offensa evanescebat, qvod in locum Electoris Cæsar, & Hispani aperte bellum in Gallos sumerent. Unde responsum ad Electoris literas differebant, qvoad exemplum transactionis inspexissent; & mox placuit responsum plane omittere, non nisi inutilibus qverimoniis, & exprobrationibus constiturum. Ac jam Belgæ majorem fiduciam rerum suarum concipiebant, postqvam bino prælio navali Anglicam, & Gallicam classem profligassent. Unde spes surgebat, Anglos inauspicati belli pertæsos ad separatam pacem descensuros; præsertim cum in prælio navali Galli primi fugam arripuissent, velut serio rem gerere nollent. Accedebat & alia diffidentiæ inter Reges causa, qvod Gallus expugnato Trajecto ad Mosam rebus suis caviſſe visus esset, ut Angli Zelandia potirentur parum solicitus. Nam qvia Gallus hanc pacis conditionem laturus erat, *uti possidetis*, inde æqvivalentis loco propositurus, ut ab Hispanis qvædam urbes Galliæ admodum opportunæ sibi traderentur, pro qvibus Belgæ alias urbes Hispanis darent: facile perspiciebant Angli, hoc modo penes solum Gallum lucrum fore, sibi præter damna, & invidiam orbis Christiani nihil relictum. Qvanqvam porro Gallus declarasset, post perfectam transactionem, se officium Electoris circa conciliandam pacem admissurum; qvia tamen per id aliqva mora tractatibus adferenda videbatur, Svecis, ac forte Belgis id repudiaturis, satius visum Electori eam operam declinare. Petiere post 10. Jun. Belgæ, misso Diterico Brasserto; cum ratihabito Gallico pacto fœdus cum Rep. expiraverit, ut Elector ipsis saltem VI M peditum, IV M eqvitum, qvibus conscribendis autoramentum à se solutum fuerit, concedat. Ad qvæ Elector; si Belgæ ita exacte conventa servassent, uti ipse fecerit, in has molestias se perventurum haut fuisse. Autoramenti nomine Reip. nil actionis in eas copias competere. Et qvia suus exercitus ob non soluta stipendia valde imminutus sit, eo se milite carere non posse.

§. 97. Ast Cæsar, cum per Crocovium Elector de ista transactione significaret, 11. Maii. *Ut & Cesari:* respondebat; sibi optandum fuisse, commune bonum alia ratione potuisse obtineri. Si tamen ea sententia Electori sedeat, id suo se loco relinqvere; ac optare, ut is in Galli promissis emolumentum, & securitatem inveniat; de qvo ipse valde dubitet, si Gallus alterutrum Belgium subegerit. Gratum tamen sibi esse, qvod iste ab Imperii rationibus disjungi non velit. Qvia autem salus Germaniæ tantopere periclitatur, se de ea mature consultaturum, ac cum ipso communicaturum; ac sperare eundem in hisce negotiis sibi haut defuturum, cujus & commoda ipse vicissim cordi habiturus sit. Ministri tamen valde consternatos hac re se ostendebant. Nam Galli scopum esse hoc bello sibi viam sternere ad Belgium Hispanicum, & partes Germaniæ transrhenanas occupandas, reliqvis ad tributariam conditionem redactis. Et crepare Gremonvillium: se non credere homines dari, qvi credere possint, Regem Trajecto ad Mosam, Boscoducis, & Bredâ contentum fore; cum tamen qvi tribus hisce locis potiatur, Belgium Hispanicum in potestate habeat. Qvod si nunc Gallo resisti non possit, cum magna virium ejus pars circa Hollandiam districta, ac ipse pecunia & milite exhaustus sit, salvis Belgis: qvid futurum, ubi is rem pecuniariam restituerit, ac hos plane oppresserit, vel eo redegerit, ut se tueri neqveant: ac si propugnaculum Germaniæ ea parte eversum fuerit, aut per tria ista oppida Gallorum velut indagine cingatur, à reliqvis secluſum? Nullis pacis spon-

1673. sponsoribus, ac fœderibus confidi amplius posse. Nam eo jam rem rediisse, ut Gallus jactare non dubitet, se mutuam omnium pacis consortium evictionem haut toleraturum; cum tamen ideo cæteris sua salus haut prodenda sit, qvia id Gallo parum arridet, nisi eo ipso dominum istum agnoscere velint. Qvanqvam & ejusmodi fœderibus, ac mutuis sponsionibus, si maxime in chartam redigantur, parum cautionis insit. Dum convenitur, dum arma parantur, dum dijudicatur an Gallus aggressor sit, Germaniam ob eo copiis inundari. Ejusmodi fœdera, ni primo in fervore executioni dentur, per peculiares fœderatorum rationes, nova inter hos litigia, Gallicam astutiam, & alios modos infringi. Qvin & difficulter ista conflari posse, qvod nemo facile Gallo suspicionem injicere audeat. Neminem plura habere qvæ amittat, qvam Electorem. Nam cum is inter Germaniæ Principes potentissimus sit, ac per innatam generositatem servitium Gallicum qvam maxime abhorreat; Gallo curæ fore, ut istum primo loco subruat. Astute Gallum facere, qvod Electori sua nunc restituat, qvin plura promittat; cum in proclivi sit ista omnia iterum eripere post subactam Hollandiam. Eum non prius qvieturum, qvam tractu Transrhenano in potestatem redacto, qvi Ucrainæ faciem mox habiturus sit, armorum ibi sede fixa, unde Germaniam perpetuis incursionibus fatigaturus sit. Qvod tamen Elector declaret Imperio se adhæsurum, eundem effectum habere, ac si Belgis adsistat. Jam sine dubio communem Imperii causam esse, qvod Galli pro libidine per Germaniam stativa capessant, tributa imperent, jam fere tertiam ejus partem insideant. Non sufficere Gallum declarare, à se pacem haut violatam. Idem dicturum, si totam Germaniam subegerit. Si qvæ jam patrata sint, ad infractionem pacis non valeant, nullam amplius causam suffecturam suscipiendæ defensioni. Qvæ de restitutione dicat, incerta esse; & si maxime hæc seqvatur, per eam damna, & injurias non reparari; sed contumeliam, & infractionem pacis ulciscendam, ni per ignavam patientiam nationem qviescere nesciam ad plura tentanda invitare velimus. Nec ullam Germaniæ securitatem constare posse, Hollandia oppressa, aut enervata. Qvod hac pace in fraudem Imperii admissum sit, id non nisi novo, eoqve longe atrociore bello corrigendum, postqvam Gallus domi vires suas recollegerit, multis modis Germaniæ in se divisæ prævalituras. Eqvidem bello semper aleam inesse: ast pacem, qvalem Gallus meditetur, Germaniæ certissimum exitium allaturam. Talia autem à Cæsareis eo fortius disserebantur, qvod Lobcovicii autoritas jam vacillaret; inter cujus scita fuerat: *Cæsarem Gallo haut resistere, nec cupiam confidere posse; sed qvovis pretio Galli amicitiam conservandam.* Ex qvo fonte & fœdus istud secretum cum Gallo promanarat: qvi & idem omni modo reluctatus fuerat, ne Cæsar legiones in Imperium mitteret, aut ne istæ operæ pretium facerent. Tali consiliorum moderatore tutum Gremonvillio fuerat crepare; jam ejusmodi interpretationem Pacis Westphalicæ faciendam, ut Cæsar, ac Imperium obstringantur ad nemini auxilium ferendum, qvemcunqve invadere Regi placuerit. Qvin minabatur, si Cæsar etiam in hæreditariis suis ditionibus exercitum contrahat, Gallos ei in has usqve obviam processuros. Cum eidem diceretur, Brandenburgicum haut obstante facta nuper pace, à Cæsaris & Imperii partibus staturum, is regesserat: Ab Electore semel Regem offensum: si altera vice id tentet, idem qvod Lotharingum experturum. Gallo tunc Pontificis legatus succinebat, contendens: haut fas esse Cæsari impedimentum Gallo objicere, qvo minus protestantium sacra extirpet, ac Belgas validissimam eorum partem subruat. Cum Gremonvillius qvoqve urgeret, ut Cæsar declararet, se Galli fœderatis in Imperio negotium haut daturum, reponebatur: qva fronte postulari posse, ut Cæsar qviescat, ac tamē duobus turbidis sacerdotibus impune sit omnia ferro, flammaqve miscere? Sane nec Gallus promissa servarat, qva militem se Germania educturum dixerat, si Cæsar copias intra Bohemiam retraheret. Qvin contra immani petulantia grassabantur, inter alia Comite ab Hohensolms fustibus ad necem cæso. De qvibus cum apud Gremonvillium qverelæ moverentur, hic admodum insolenter respondebat: mitterent ergo Montecuculum, & Gallos abigeret. Turennius qvoqve nil aliud qverentibus respondebat; qvam belli infelicitatem non aliter ferre. Ast lusce insuper habitis Cæsar ea æstate validum exercitum in Imperium misit, cujus lustrationi obeundæ ipse Egram profectus est. Eam expeditionem ut Gremonvillius impediret, (cui præter legatum Pontificis etiam Bavaricus, Venetus, & Neoburgicus favebant;) pollicebatur: Gallum copias suas finibus Germaniæ abducturum, omnia qvæ occuparit loca, ac Lotharingiam Principi Carolo redditurum; Hispanis de damno dato satisfacturum, qvin

1673.

§. Ut eo sincerior.

1673. qvin cum Belgis æqvam pacem initurum, modo Cæsar exercitum extra suas ditiones ne educat, ac seperatim cum ipso tractare velit. Ast Cæsar judicabat; si ipse in tractatus cum Gallo descendat, Belgas protinus excluſis omnibus qvorum interest, pacem facturos: ac tunc Gallo oblatas jam conditiones curæ haut fore. Unde Gremonvillio responsum: Gallos Coloniæ aliter plane loqvi; talia ibi proponenda. Persistere Cæsari animum paci pronum; sed absqve fœderatis suis tractare nolle. Si Gallo cordi sit cum Belgis pacem inire, qva securitati Imperii caveatur, facile eam obtineri posse. Scilicet ea tunc Aulæ Cæsareæ sententia erat; neqve Domum Austriacam, neqve Germaniam, nec provincias Hispanicas salvas esse posse citra fœdus cum Belgis; qvibus & Hispani ad conservationem Indiæ Occidentalis indigeant. Valedicenti Crocovio Cæsar dicebat: Se confidere, Electorem destinata ipsius, ad libertatem, & securitatem Imperii tutandam tendentia, probaturum, ac iisdem fulciendis suam qvoqve operam collaturum. Tum se circa fœdus cum Belgis nuper initum Electoris rationibus diligenter prospexisse; ac nunqvam non hujus commoda Belgarum rebus prælaturum. Voluerant Belgæ isti fœderi infarcire, se ab Electore desertos: sed Cæsarei id dispunxerant. Iidem obtulerant, si Cæsar ipsos in statum qvi ante bellum fuerit, (qvo & Clivicarum urbium possessio comprehendi videbatur,) reponere velit, se pacem non prius facturos, qvam Cæsar Alsatiam recuperarit. Qvam conditionem à se repudiatam Cæsar Electori imputabat.

24. Jul.

ac Svecia Regi;

15. April.

§. 98. Ast Sveciæ Regi Krosseggius proponere jubebatur: *Instante bello Gallico omnes Europæ Principes solicitos fuisse, ne Gallus misso sub jugum Belgio vicinis omnibus fieret formidabilis. Eam ob causam cum Elector crederet qvoslibet, ipsumqve adeo Suecia Regem ad eam Remp. tuendam concursuros, cum Belgis super certo auxilii modo convenisse, non qvod sibi cum Gallo controversia qvid intercederet, qvicum semper amicitiam coluerit; sed ut cum aliis pressæ Reip. defensionem susciperet, eoqve ipso Germaniæ libertatem, ac securitatem pro viribus stabiliret. Enimvero omnes alios, qvorum accessio sperabatur, manum negotio abstinuisse: à qvibusdam varia obstacula objecta, tum pericula intentata; simul exprobratum, se causam præbiturum, ut Germania bello invadatur. Qvo accessisse, ut Rex per literas, ac misso Wangelino asseverit omnia consilia ad Germaniæ qvietem referre, simul confirmarit, se pacis inter Reges conciliandæ operaturum, nec ut Belgæ plane opprimantur concessurum. Eos Regis hortatus tantum apud se valuisse, ut objecta de bello cogitatione ejusmodi transactionem qværeret, per qvam Germaniæ sua securitas constaret. Tum ab ipso propositas inducias admisisse, ac eo ex tempore ita consilia & actiones suas temperasse, ut qvanti Regis voluntas apud se valeret, facile perspiceretur. Et cum ita solus intra tantas difficultates destitueretur, nemini mirum videri potuisse, eum qvavis idonea ratione salutem suam curasse.* Addebatur, ut Rex ministris suis injungat, qvo apud instantes tractatus, & ubi alias occasio tulerit, ipsius emolumenta diligenter observent. Simul qværebat, num Rex separatam cum Gallo conventionem præstare velit, an vero Electori communes tractatus expectandi sint? Ad qvæ Magnus Gardius respondebat: Regi valde gratum esse, Electorem ipsius consilia secutum. Si is proficua transactione rebus suis consulere possit, id se haut dissvadere. Eqvidem Gallum apud Tottium paulo asperiorem se adversus Electorem declarasse; sed eo instante circa multa remisisse. Conventorum Regem Sveciæ libenter sponsorem fore. Communes tamen tractatus expectare paulo decentius esse, in qvibus non ut sequester, sed ut pars belli consideranda sit. Super Monasterienſis importunitate apud Gallos acturum; contra qvem tamen auxilia mittere neqveant, nisi de universorum Ordinum, ac Circuli Westphalici sententia constet, qvem ea res peculiariter tangat. Demum cum super pace inter Electorem, & Gallum allatum esset, Sveci verbis qvidem eam sibi probari ostendebant: sed revera cura suberat, ne ideo ipsorum apud Gallum subsidia cessarent, velut supervacua deinceps Sveciæ opera futura.

11. Maii.

ac Imperii Ordinibus.

4. Maii.

§. 99. Deniqve & præcipuis Imperii Ordinibus de ea transactione significatum: Meminisse eos, uti ipse ob imminens, ac mox erumpens Germaniæ periculum cum Cæsare fœdus inierit, ac arma conjunxerit. Cujus negotii uti unicus scopus fuerit pacem Germaniæ firmare; ita cum Gallus nuper tam pronum se in eam declararit, simul æqvas sibi conditiones obtulerit, eas repudiare haut voluisse, præsertim cum à plerisqve ejusmodi transactio remedium habeatur præcavendis ulterius in Germania turbis. Uti autem ipsum nil à rationibus Imperii, & obligatione, qva huic obstringatur, divellere possit, ac debeat; ita hoc tractatu istas probe observaturum, ac eo nomine

1673. nomine omnia sibi integra servaturum. Ac si qvod periculum patriæ ingruat, aut cuipiam in Imperio vis inferatur, se semper ad ejus defensionem pro virili connixurum.

Cum Polonis &c.

§. 100. Inter ista curas Electoris non parum auxerant res Poloniæ satis turbidæ, plurimis proceribus Regem Michaëlem dedignantibus, nec minari dubitantibus; qvia interregni acta nondum per constitutionem comitialem confirmata sint, Regem nondum pro legitimo haberi posse; qvod electio, & coronatio ab hac demum plenam vim sortiatur. Cum itaqve novi Regis status admodum vacillaret, rationis videbatur esse, cum officio, ac promta pactorum observantia Electoris sibi favorem pignerare. Is igitur Felicem Morstinium ad
14. Mart. 1670. Electorem mittebat, super gratulatione de parta corona gratias acturum, & ut super recognitione feudi Lauenburgici, & Butovensis conveniret: cui actui Kalendæ Juliæ constituebantur; simul ut controversiæ, & prætensiones mutuæ inter Regnum Poloniæ, & Electorem expedirentur. Ad qvod Elector paratum se ferebat, sed non nisi
17. Maij. postqvam pacta confirmata forent. Unde Hoverbeqvius, & Albertus Ostavius Warsaviam mittebantur, ut de consummato matrimonio gratularentur, ac insignia dona nuptialia offerrent: tum ut ista feuda renovarent, ac Bydgostiensia pacta confirmari curarent. Circa feuda istis injunctum nil aliud admittere, qvam qvod pactis expressum sit; nec de reverentia, aut fidelitate mentionem facere, sed tantum de observantia pactorum, & amicitia, qvam fœderatus, & vicinus alteri debeat. Hi cum Warsaviam venissent, ut convento die feudi negotium perficeretur, instabant. Sed Poloni id non uno prætexto extrahere studebant, postulantes, ut legati juramentum præstarent; qvod hi pactis expressum negabant. Tum ut recognitio feudi à pluribus uno fieret; qvod ad hunc actum solus Hoverbeqvius constitutus esset. Querebantur etiam ab Electore legatum ad coronationem haut missum; nec renovationem hanc solennibus comitiis qvæsitam. Inprimis Procancellarius Electori iniqvissimus, à cujus consilio Rex totus pendebat, ante feudi renovationem controversias componendas contendebat. Contra Elector
4. Jul. suis injungebat, ni Poloni ejusmodi postulatis desistant, interposita protestatione discederent, scriptis tamen sibi probe caverent, se in mora haut fuisse. Ipse tamen Rex familiariter cum Hoverbeqvio loqvebatur, qvid tempore sui regiminis sibi contigerit; qvæ obstacula nuptiis suis Gremonvillius objicere conatus sit. Testabatur, amicitiam Electoris magnopere sibi cordi esse. Tum excusabat, sibi velut novo Principi magis Senatorum qvam propriam sententiam sequendam: facturum tamen, ut Elector sui in ipsum affectus documenta perspiciat. Addebat, ab adversariis sibi objici, qvod tempus non probe collocet. Unde nosse cupiebat, qva ratione Electori sua tempora disponantur; qvam curam is circa arma, paratum bellicum, struendas munitiones, & similia impendeat. Nam istius exemplum sequentem nil reprehensionis metuere. Missis tamen scrupulis renovatio feudi fiebat hora sexta pomeridiana; qvo tempore non magnus concursus in aula erat. Volebant Senatores, ut & ipsi una cum Rege in hoc actu sederent, Hoverbeqvio stante. Sed hic dicebat; se hautqvaqvam solito loco, sed in primo gradu apud Regem constiturum, tergo omnibus obverso. Ita & Senatores nudato capite adstabant. Rex pileum profunde submittebat, cum Hoverbeqvius sese inclinaret, & qvoties Electoris mentio fiebat. Procancellarius responsum de scripto recitabat, cui varia admixta erant extra oleas vagantia. Nam Regem non *directum* tantum, sed & *naturalem* dominum vocabat. Tum ulteriori tractationi reservabat recognitionem deinceps per plures uno faciendam, idqve interposito jurejurando: ac ut recognitio deinceps semper die coronationis fieret, ut tamen ea negligentia Electori fraudi ne sit. Qvæ à Procancellarii morositate præter mentem Regis provenerant. Qvia autem Hoverbeqvius hoc actu declinaverat, ne ab Electore reversales literæ exhiberentur, neu ad Procancellarii sermonem prolixum responsum reponendum foret; iste supervacuum judicabat, postqvam Rex renovationem acceptarat, ac confirmationem scripto facturus erat, plura verba addere. Ne tamen Procancellarius in futurum prætendere posset, ab ipso recitatum responsum fuisse adprobatum, paucis dicebat: Uti Rex certus esse posit, Electorem non pacta solum servaturum, sed & circa amicitiam vicino, & æterno fœderato dignam nil in se desiderari passurum: ita se vicissim stipulari, ac præcavere, ne ab Electore extra & præter contenta pactorum qvidqvam posit, aut debeat postulari. Formula ejus recognitionis ista erat: *Ego Serenissimi Electoris Brandenburgici Consiliarius, & Officialis ad recognoscendum juxta tenorem pactorum Bydgostiensium jus feudale de duabus præfecturis*

1670. *Renovatio feudi fit.* 9. Jul.

1670. *Lauenburg, & Butaw cum omnibus & singulis earum pertinentiis, juribus, reditibus, & eminentiis delegatus plenipotentiarius Joannes L.B. ab Hoverbeck nomine Suæ Serenitatis Electoralis hoc ipsum jus feudale ad Regnum Poloniæ pertinens à Sacra Regia Majestate Vestra uti earundem arcium & oppidorum directo domino recognosco, literasqve ejusdem recognitionis, & renovationis feudi à S.a R.a M.te Vestra mihi extradi peto.*

Circa renovationem pactorum Poloni tricantur.

§. 101. Ast circa pactorum confirmationem Procancellarius Andreas Olskovvski multa tricabatur, ac id negotium ad comitia pertrahere cupiebat: nostris contra contendentibus; ad discutiendas controversias accedi non posse, anteqvam pacta jurejurando confirmata sint. Nam ei negotio prius firmitatem suam constare debere, qvam de ejusdem interpretatione agi qveat. Procancellarius contra; qvæstionem, num pactorum confirmatio disqvisitionem prætensionum debeat præcedere, ad Comitiorum decisionem referendam. Qvod nostri nullo modo concedendum ostendebant: sed post jusjurandum in Electore nullam moram fore, qvo minus per utrinqve delegatos controversiæ expediantur. Nimirûm id agebant Poloni, ut pacta interpolarent, aut plane subverterent. Prætextum inde sumebatur, qvod jam tempore Joannis Casimiri super his prætensionibus motum fuerit, ac Elector declararit, se legatis suis mandata super hisce missurum. Sed nec ideo jurare se posse, qvod diffiteri neqveant, pacta à se circa Elbingense negotium haut servata; prout & eadem ab Electore alicubi impleta non sint. Enimvero absurdum erat id negotium ad Comitia pertrahi, qvod alias Poloni in propria causa judices futuri essent, ac negotium pro lubitu intricatum reddere, & extrahere possent. Unde Elector legatis injungebat: si Poloni hac in sententia persisterent, Regi, ac Senatoribus denuntiarent; ipsum omnia, ad qvæ per pacta obligetur, feciſſe; sed non posse nec velle diutius illudi. Ac ita digrederentur præmissa protestatione, penes se culpam infecti negotii haut esse. Nam cum Regni Ordinibus nil sibi amplius negotii esse. Eos velut æternum corpus semper obligari; ac repetitionem tantum propter personam Principum utrinqve mortalium placuisse. Addebatur; si re infecta ipsis Warsavia discedendum foret, id factioni Regi adversæ dextre insinuarent, ut & hoc inter qverelas suas referrent, qvod Rex in tam perspicuo negotio è variis prætextibus hinc inde corrasis Electori satisfacere nolit; eoqve ansam præbeat Reip. turbis implicandæ. Ita cum nostri nihil proficerent, ac nil aliud responsi obtinerent, qvam obortas controversias prius expediendas; inde Regem pactorum confirmationi paratum esse: nostri protestationem (ipsi *præcustoditionem* vocabant) interponebant, ac multis rationibus deducebant; qvare confirmatio pactorum controversiarum disceptationem præcedere debeat. Eam protestationem Rex per Eusebium Brandium sibi traditam æqvo animo admittebat, ac se ad Electorem literas daturum significabat; qvod licet pacta in præsens ob instantia Comitia haut confirmata fuerint, se tamen eadem non minus servaturum, qvoad dei ceps confirmentur. Ita enim Senatusconsulto decretum, ut disceptatio controversiarum confirmationem pactorum præcedat; cui ipse turbido hoc Regni statu contravenire non audeat. Ei SCto Procancellarius causam dederat; qvi tamen post pœnitentia ducebatur, postqvam amoliendis hisce tricis Hoverbeqvius per tertium qvempiam duo aureorum millia isti obtulerat; qvod ipse solus id SCtum nunc evertere non posset. Is porro legatorum protestationem ægerrime ferebat, ac aliam huic opponebat, multis inanibus consarcinatam; qvam Elector non suo, sed privato nomine refelli jubebat. Idem in recognitionis literis titulum Episcopi Pomezaniæ sibi attribuerat; adversus qvem Elector protestationem per Hoverbeqvium, & Eusebium Brandium exhiberi jubebat. Nam sacerdotes isti horum titulorum usurpatione jurisdictionem Ecclesiasticam in Electoris provincia affectabant. Eqvidem fatebantur, Electorem in possessione esse omnium Episcopalium bonorum *cameralium, & mensalium:* sed eam usurpationem esse, qvæ sedi Romanæ nil præjudicii adferre qveat. Sane Episcopus Warmiensis cum in subscriptione pactorum Olivensium se Episcopum qvoqve Samlandiæ nuncupasset, urgente Hoverbeqvio id ipse cultello eradere necessum habuerat. Qvi tamen post mire gloriabatur, jus suum agnitum fuisse, qvod plures suæ epistolæ cum titulo Samlandiæ in sigillo ab Electore acceptatæ fuerint; qvod curiosius rimari tanti visum non fuerat.

1670.

7 Aug.

13. Aug.

Alia super pactis renovandis legatio.

§. 102. Post annum amplius interjectum Elector Hoverbeqvium, & Danielem Tettavium iterum Warsaviam mittere decreverat pactorum renovationi qværendæ. Sed qvia Comitia tunc instabant, Hoverbeqvius eam missionem differri svadebat, ne

4 Nov. 71.

ea

1671. ea causa ad Ordines pertraheretur, lubrico eventu, qvod apud eos unius qvoqve dissensus omnia subvertere posset. Ac Procancellarii astutia effectum erat, ut in districtuum conventibus inter capita deliberanda Bydgostiensium pactorum renovatio poneretur. Unde si ante comitia legati accederent, non poterat non ea res ad Ordines rejici, ac velut turbido mari Nuntiorum Terrestrium commixti fórte plane subvertenda. Unde satius videri, missionem post Comitia differre. Sed nec anxie nimis eam renovationem qværendam, ne pactorum firmitas ab ea pendere videatur. Ac si Poloni eam denuo recusarint, id Electori ignominiæ fore ac forte Borussis scrupulum injecturum. Etsi revera Regis magis qvam Electoris interesset eam renovationem fieri; qvod iste per *pacta conventa*, ac in coronatione ea pacta jam confirmasset, eoqve ad horum observationem ex jurejurando teneretur. Electori contra si qvid ex pactis postularetur, id abnegandi causa erat ob protractam per Polonos pactorum renovationem. Ac Polonos, circa qvæ nunc tergiversentur, ubi necessitas urgeat, ultro oblaturos. Sicuti qvondam Sigismundus III. Georgio Wilhelmo literas investituræ aliqvandiu tradere abnuerat, qvo is tantisper à regimine Borussiæ excluderetur. Sed cum Osmanus Podoliæ, Gustavus Adolfus Livoniæ ingrueret, eæ literæ ultro exhibitæ fuerant. Haut eo minus
1. Dec. 71. legatorum mandata adornabantur, qvibus inter alia monebatur, ne pacta nunc describi paterentur, sed nude jurejurando ea firmarent; nec negotium ad Ordines referrent, cum ea jam anno 1658. in Comitiis solenniter confirmata fuerint. Tum ne jusjurandum hinc inde præstaretur præsentibus Ordinibus, cum id ansam præbere possit deinceps eam confirmationem protrahendi, aut solicitandi. Multo minus ullo modo consentirent, ut congressus super expediendis hinc inde prætensionibus pactorum renovationem præcedat. Pacta enim heic claris verbis Electori favere; ac magis ad stabiliendam amicitiam facere, si commune vinculum fœderis prius adstringatur, qvam si à controversiis initium fiat. Multas qvoqve lites, puta de Vistulæ trajectu dudum vasallagii tempore motas fuisse, qvæ tamen isthoc impedire non potuerint: qvo colore ergo easdem ad differendam pactorum confirmationem valere posse? Ast post hanc factam Electorem de istis agere haut recusaturum, ac æqvitatem suam Polonis satis adprobaturum. Sed auxilia ex pacto Reip. debita semper præsto fuisse.

His ubi nihil proficiatur, legati denuntia- 1672.
rent: Electorem id negotium neqve ad Comitia, neqve ad utrinqve Delegatos ante confirmationem rejici velle, sed ad seqvestres, & pactorum sponsores. Nam qvæ Ordines semel in æternum adprobarint, ea horum decisioni denuo subjici non posse, ni pro æternis pactis æterna litigia habere velint. Si ne id qvidem prosit, interposita protestatione discederent. Sane Procancellarius veteri Polonorum artificio eam causam denuo ad Ordines pertrahere studebat, ut eandem irritam redderet; qvod Elector non magis permittere poterat, qvam ut Rex de sua electione iterum ad Ordines referre vellet. Ac non animadvertebat Rex sane haut astutissimus, malevolorum dolo fieri, ut hoc modo amicorum optimus ipsi subtraheretur. Eam ob causam legatis injunctum, ut super hoc negotio neqve apud universum Senatum, neqve apud conventum Nuntiorum Terrestrium sermone, aut scripto agerent; sed unice apud Aulam instisterent, ut id ante Comitia expediatur. Ast si Rex ad hæc usqve negotium extrahat, cum uno qvidem & altero Senatorum agerent, ut Regem ad pacta implenda hortarentur, simul caverent, ne qvid eo nomine Constitutioni inseratur, nisi forte id, ut Resp. Regem urgeat, ne hic, qvod ipsa semel probavit, ulterius differat. Nullo autem modo negotium comitiale ex eo fieri paterentur, qvod Resp. qvæ ab ipsa reqvirebantur jam præstiterit, ac pacta firmarit, eoqve nulla deliberatione apud eam opus sit. Unde nec Electorem ullas declarationes aut restrictiones per SCtum, aut Constitutionem Regni admissurum, sed ad interpositionem eorum, qvi in pactis expressi sunt, id relaturum. His cum mandatis legati tribus septimanis ante comitia Warsaviam venie- 4. Jan. 72.
bant.

De causa Kalcsteiniana.

§. 103. Sed qvia in hoc negotio gravem difficultatem pariebat Kalesteiniana causa, ea qvomodo se habuerit, exacte heic referemus. Christianus Ludovicus Kalcsteinius, postqvam multis ab Electore beneficiis usus esset, tribunus qvoqve dimacharum, & eqvitum legioni præfectus, simul Olcikæ capitaneatu potitus, cum in isthoc munere multa immanitatis, & crudelitatis exempla patrasset, ut eo iterum privaretur meruerat. Unde efferatus atroces in Electorem minas spargere, ac tubos gestare, qvibus eum occideret, simul cum confœderato Polonorum exercitu in Borussiam se irrupturum, ac ulciscendæ ignominiæ ferro, flammaqve ibi grassaturum.

1670. rum jactans. Unde in jus vocatus capitis primum, inde clementia Electoris sententiam mitigante ad perpetuos carceres damnatus est. Cum unum annum in carcere egisset, intercessione Electricis, cum primogenitum filium peperisset, ex eo dimissus est hac lege, ut X M uncialium solveret, nec è prædio suo absqve Electoris venia discederet, multo minus Poloniæ fines intraret, ni famæ, bonorum, & capitis pœnam subire velit; ad qvod observandum iste jurejurando, simul scripto sese obstrinxerat. Inde mox eidem supplicanti dimidia pars multæ pecuniariæ condonata fuit. Ast his insuper habitis, cum vix novus Rex Michaël electus esset, cujus multi amici intenso in Electorem animo erant, è prædio suo
9. Mart. Warsaviam se proripuit. De hoc statim atqve intellexisset Elector, Eusebio Brandio suo Warsaviæ Residenti injunxit, ut istum probe observaret, & à Rege dedi postularet, tanqvam maleficum, & contra jusjurandum profugum. Sed cum Rex id abnueret, causatus; Kalcsteinium non alio fine venisse, qvam ut legionem, cui antea in Polonia præfectus fuerat, recuperaret; hic ferocior atrocia in Electorem convitia spargere, ac Borussiæ statum, inprimis Bydgostiana pacta moliri cœpit, jactans se effecturum, ut Electori necessum sit Borussiam iterum in feudum recognoscere, non sine multorum favore, qvi istam Electori invi-
21. Mart. debant. Scribebat dehinc Elector literas admodum serias ad Regem, ut iste perduellis sibi dederetur. Mittebatur etiam à Regimine Borussiæ ad Brandium exemplum processus, qvo iste damnatus fuerat, ut de ejus hominis facinoribus Regem, & Senatores edocere posset. Qvibus cum Rex haut permoveretur, utut ostenderetur, totum orbem judicaturum, Electoris amicitiam à Rege contemni, dum tot facinorum, & perduellionis convictus in istius fraudem fovetur; Kalcsteinius indies magis insolescere, & cum Rhodio juniore, qvi Regis gratia florebat, clam conspirare; qvi subinde jactabat; Kalcsteinium Electori palam, se clanculum negotium facessiturum.
15. Maij. Igitur cum iste conviciandi, ac minandi finem non faceret, Elector Brandio, & Friderico Wilhelmo Lehndorfio subtribuno injungebat, ut inter se meditarentur, qvomodo is clanculum per emtos ad id Polonos intercipi, ac in Borussiam abduci posset. Sed ne ad hæc extrema procedendum foret, Brandius tanto enixius Kalcsteinii conatibus reluctabatur, ut demum Rex aula isti interdicere vellet. Etsi Procancellarius mature eundem moneret, ut propere Warsavia se subduceret, nec eam ignominiam expectaret. Nam hic Kalcsteinium tunc aperte protegere non audebat, qvod Rex Electoris amicitia inter turbida Regni opus haberet. Kalcsteinius porro Warsavia digressus ad Regis patruum Demetrium Wiesnovicium se contulit, ubi mendaciis ac fraudibus eo rem deduxit, ut hic legioni prætoriæ istum præficere vellet, conventione jam eo nomine inita. Qvo cognito Brandius statim ad Demetrium *29. Aug.* scribebat, missis processus Borussici actis, idqve negotium Megelino ejusdem legionis subtribuno commendabat, qvi perficiebat, ut is honesta functione indignus judicaretur, ac Principis aula eidem interdiceretur, retractata qvoqve conventione. Igitur exercitu pulsus Warsaviam regressus est ipsis in Comitiis; ubi in modestiam compositus Brandium rogabat, ut apud Electorem pro ipso intercederet, data fide, se contra hunc nihil machinaturum, qvoad responsum adferretur. Ast iste promisso insuper habito post qvatriduum duos libellos, Regi unum, alterum Reip. exhibebat, velut nomine Ordinum Ducalis Borussiæ scriptos; qveis servitio sibi imposito ut liberarentur multa cum verborum atrocitate, & in Electorem contumelia supplicabant. Ac posteriorem qvidem libellum Mareschallus Nuntiorum Terrestrium palam prælegebat, cui Kalcsteinius orationem invectivam in Electorem præmiserat, pluribus, qvam ipse libellus, injuriis refertam. Adversus eos libellos, & orationem Brandius ipsi Regi, cum in Senatum iret, scriptum tradebat, qvo è Kalcsteinio inqviri petebat, unde ipsi mandatum, ac procuratorium sit, qvo delegatus Ducatus Borussiæ constituatur, ac si tale nil proferre possit, ut velut falsarius, & proditor Electori dedatur, qvo meritas pœnas ob violatum jus gentium & pacta novissima dare possit. Id scriptum Referendarius Regni Krasinius *Krasinski* jussu Regis in pleno consessu prælegere volebat. Sed Kalcsteinius instigante Procancellario per gradus throni adscendens id scriptum Referendario ad latus Regis è manu abripiebat, ac per gradus raptim è throno iterū descendebat; Referendario acclamante, ut à Secretario suo alapa Kalcsteinio infligeretur; sed qvi id facere non audebat. Perlectum à se scriptum Kalcsteinius Referendario redditurus erat: sed Procancellarius, ut id sibi daretur, vocabat, eoqve perlecto dicebat, id bene se habere: verum hoc negotium non ad Comitia pertinere, sed ad consessum delegatorum, in qvo Polonici judicum, Electorales actorum partes agere de-

1670. debeant, Kalcsteinio causam dicturo. Eo super facto insolentiæ plenissimo cum Brandius apud Procancellarium qvereretur, hic, utut omnia in facie Reip. patrata forent, id à se suppressum inficiebatur, ac ut idem renovatum denuo exhiberet, ac prælegi curaret, svadebat. Nec eo secius cum Brandius novum exemplum alteri Referendario Prazmovio tradidisset, idem suppressum, nec prælectum fuit. Tam atroci injuria intellecta Elector tertia vice acribus literis à Rege postulabat, istum sibi dedi, id qvod fas gentium, & sanctissima pacta reqvirant: in qvem sensum & Brandius ad Regem verba facere jubebatur. Simul Gærtzkio injunctum aliqvot eqvites cum præfecto mittere, qvi à Rege deditum statim in Borussiam abducerent. Sed qvia dubitabatur, num Rex Electori gratificaturus esset, Brandius jubebatur hoc casu cum Megelino, & Lonscio tribuno consilia conferre, qvomodo is clam interceptus in Borussiam abduci qveat. Mittebant qvoqve Ordines Borussiæ declarationem suam coram supremo Consilio factam, qva talia Kalcsteinio mandare sibi in mentem venisse negabant: ac tam flagitiosa ejus hominis ausa se magnopere detestari profitebantur. Qvam & ipsam declarationem Brandius Regi, ac Reip. communicabat. Contra Kalcsteinius aliud scriptum commentus erat, idqve per omnes conventus provinciales circummittebat, cujus centum exemplaria Regiomonte in plateis reperta mentiebatur; qvo Borussiæ Ordines ipsum confirmare, ac rogare fingebantur, ut in egregio instituto strenue pergeret: publicam nuper declarationem pro ratione præsentium rerum factam: successu temporis auxilium suum ipsi haut defore. Interea cum Brandius qvotidie expectaret, ut Rex super tam enormi injuria Electori satisfaceret, prout jus gentium, & jurata pacta reqvirebant; is contra intelligebat, à Rege, & Rep. decretum esse Kalcsteinium deinceps utiqve protegere, ejusqve causam ad delegatum judicium rejicere. Qvam in rem jam literæ ad Electorem conceptæ erant, qvarum exemplum Thesaurarius Regni Brandio legendum præbebat. Ea res Brandium magnopere solicitum habebat. Nam ob oculos versabatur, ejusmodi indignitates non posse non in nervum erumpere, ac bellum parere, multis hominum millibus exitio futurum. Ac jam ministri Electorales clam significarant, Electorem cum octo militum millibus iter in Borussiam suscepturum, ubi jam septem legiones agebant; qveis conjunctis injuriam sibi

Prazmovski. 19. Oct.

à Rege illatam ulturus sit. Ac in proclivi erat Electori inita societate cum factione Regi adversa hunc solio deturbare; id qvod tunc inter inimicos ejusdem agitabatur. Tantorum igitur malorum materiam, & discordiæ autorem vel cum aliqvo suo periculo è medio amovere fas piumqve Brandius judicabat. Latebat in ipsius ædibus Mongommerius turmæ præfectus cum aliqvot eqvitibus è Borussia missis ad Kalcsteinium à Rege deditum, uti spes erat, abducendum. In eas ædes Kalcsteinius semel atqve iterum accesserat aliqvot armatis stipatus. Sed cum pridie literas protectorias accepisset, his fidentior ultro, nec invitatus uno comitante in Brandii conclave introivit. Ubi cum multa digna indigna blateraret, is evocato Mongommerio & eqvitibus subito absqve tumultu comprehensum, inde manibus pedibusqve ligatum, ac ore obturato, ne clamorem tollere posset, tapetibus involutum in clausum currum conjici, ac eqvitibus istis comitantibus in Borussiam abduci curavit. Qvi tamen cum ad tertium à Warsavia milliare pervenissent, curru extractum eqvo imposuere. Unde cum jam ad Borussiæ fines pervenisset, agnitus ab obviis fuit, qvi de eo Warsaviæ nuntiavere, ubi jam qvartum in diem desideratus non fuerat. Ast ubi Procancellarius istum in Borussiam abductum audiisset, magnum tumultum in aula excitabat; ac protinus suspicione facti in Brandium conjecta, Rex per Boccomum supremum vigiliarum præfectum ex eo qværebat, qva de causa id fecisset; sed qvi de eo qvidqvam sibi constare negabat. Ea res in conclavi Regis magna cum acerbitate disceptata fuerat, ubi inter alios Meiersbergius Cæsareus minister velut pro sententia dixerat; si constet Brandium eo facto teneri, vinculis tamdiu onerandum, qvoad Kalcsteinius restitutus foret. Et cum Thesaurarius Regni Morsteinius exciperet, id juri gentium repugnare; Culmensis Palatinus Gninscius respondebat; jus gentium non protegere illos, qvi id jus violassent; aliis reponentibus, si maxime Brandius deliqvisse convincatur, tamen ad Electorem remittendum, ac ab hoc ejus pœnam exposcendam. Conspirabant inde in Brandii necem omnes Procancellarii, & Episcopi Posnaniensis domestici, qvorum hic ideo Kalcsteinio fervide patrocinabatur, qvod is paulo ante ritus Romanos professus esset. Brandium dein cum Procancellario loqvi cupientem, is obtentu morbi aditu arcuit. In Aulam accedenti Rex misit, qvi eadem abstinere juberet, qvoad inqvisitione facta

Mongommeri.

20. Nov.

Boccom.

Gninski.

1670. adpareret, num is innocens sit. Nam in aulæ judicium hospes, omnesqve hujus domestici trahebantur. Ast omnes Electoris fautores, & Brandii amici, qvi qvid in aula cuderetur norant, rogabant, ut is se subduceret, ne Rex, cujus hoc facto existimationem graviter læsam istius inimici arguebant, sumta de ipso vindicta Electori contumeliam inferret, bello causam præbituram. Permanebat tamen Brandius, qvoad inqvisitio absoluta foret. Sed Thesaurarius ipsi significabat, in Senatu decretum, ut is comprehensus in custodiam daretur; simul per omnia sacra orabat, ut ei ignominiæ declinandæ se subduceret. Unde Brandius clara luce velut alicubi exspatiaturus cum famulis suis urbe excedebat nemine sentiente, relicta in conclavi pleraqve supellectile, dissimulandi discessus causa, ac in Borussiam se recipiebat; idqve admodum tempestive, cum jam decretum esset postera die eum in jus rapere.

Super isto facto disceptationes.

§. 104. Brandio Warsavia digresso Rex asperis literis ad Regimen Borussiæ scriptis postulabat, ut Kalcsteinius protinus Warsaviam remittatur, ac qvi illum abduxerint tanqvam læsæ majestatis Regiæ, ac violatæ securitatis publicæ, jurisqve gentium rei vel sibi dedantur, vel ibi pro enormitate facinoris supplicio afficiantur. Procancellarius qvoqve, ac Lithuanicæ militiæ supremus dux Pacius enixe svadebant, ut Rex huic ignominiæ ulciscendæ bellum Electori indicat, ac raptim in Borussiam, ac Novam Marchiam irrumpat. Elector contra

5. Dec.

19. Dec.

ad eas literas reponebat: *Se per Brandium perduellem istius flagitia, ac infamiam Regi, totiqve Reip. satis demonstrasse; eum, notum ipsius civem, non uno fidei sacramento sibi obstrictum, ob atrocissima delicta ad perpetuos carceres damnatum; mitigata pœna per fugam è prædio, in qvo se moraturum fide jurato data promiserat, se propulisse: Warsaviæ sanctissima fœdera, ac amicitiæ jura, qvæ sibi cum Rege, ac Rep. intercedant, ab isto turbata; existimationem ipsius atrocibus injuriis prosciissam; seditiosa qvævis in ipsum omni nisu structa: Regi ac Reip. commentitio scripto, velut à Ducatus Borussiæ Ordinibus profecto, falsarium imponere ausum. Hunc læsæ majestatis reum, perduellem, perjurum, publicoqve judicio eo nomine capitis damnatum se à Rege dedi totiens, sed frustra, petisse; id qvod tamen fas fœderum, & jura gentium requisiverint. Unde nihil non esse infra meritum, & delicta impuri hominis, qvod in eum statuatur, qvi commune Regum, ac Principum decus violare, ac sacrum, & indissolubilem nexum inter ipsum, ac Regem dissolvere annixus sit. Eoqve se considere, Regem eos, qvi pio, justoqve zelo motis sceleratum istum in ipsius potestatem tradiderunt, laude potius, Regioqve favore, qvam indignatione, immeritaqve ultione prosecuturum: id qvod & amice roget. Qvandam nondum sibi constet, à qvo, & qvo modo abductio illa facta sit.* Enimvero Rex Albertum Opackium Berolinum mittebat, qvi atroces in Eusebium Brandium qverelas movebat. Ab eo Kalcsteinium in ædes suas allectum, inde vinctum, præcluso ore, tapetibus involutum, currui qve injectum per mutatos eqvos in Borussiam abreptum. Ipsum Brandium sexto post die Warsavia clam digressum, eoqve se haut obscure facinoris autorem professum, cui Mongommerius turmæ præfectus, ac Baumgartius signifer administros se præbuerint. *Qvia itaqve atrocissimo hoc, & inaudito facinore Regia Majestas graviter offensa, atqve jus gentium violatum sit, Reip. ac nationis Polonicæ dignitas læsa, ordinarius inter Principes tractandi modus sublatus, fœderis, ac amicitiæ, bonaqve correspondentiæ interruptus prope nexus, sè postulare, ut in satisfactionem gravissimæ injuriæ Regi ac Reip. illatæ Kalcsteinius Warsaviam illæsus restituatur, Brandius violati juris gentium pœna condigna afficiatur; Mongommerius, & alii milites læsæ majestatis, & securitatis publicæ, ac plagiariorum pœna afficiantur: Baumgartius vexillifer tanqvam miles regio sacramento obstrictus Regi extradatur. Et qvia Brandius contra Majestatem Regiam, contra ministerii sui, honestiqve viri officium deliqverit, ideo Regem ab Electore reqvirere, ut in posterum nullum ad aulam Polonicam mittat ministrum, qvi continuo ibi resideat, sed ut mittendi expositis mandatis, & peracta negotiatione redeat: Qvemadmodum Rex similem ministrum in aula Electorali non fovet.* Addebat, responsum jam ad Electoris petitum super dedendo Kalcsteinio fuisse confectum: sed Brandium obtentu valetudinis id accipere, & eo nomine Procancellarium adire noluisse; qvod is thoc facinus jam animo agitaret. Id qvod tamen confictum erat. Nam cum Brandius Regi Electoris

Opacki.

12. Nov. 1670.

literas super Kalcsteinio traderet, hic respondebat: *Sese istum hominem haut qvaqvam protegere, non tamen eum dedere posse, qvod neminem nisi jure dictum in custodiam dare liceat. Nam Borussos, etsi sub Electoris imperio sint, tamen si in Polonia agant, Polonicis privilegiis frui.* Ad qvæ Brandius: *Kalcsteinium jam in Borussia jure convictum, & damnatum. Qvod si libeat denuo conveniendus sit, appellationem per pacta sublatam*

post-

1671. *poſtliminio reduci. Qvid juris Boruſſis adhuc in Polonia competat, ſibi non conſtare; ſaltem id Electoris juribus fraudi eſſe non poſſe. Sane ſi maxime per pacta iſte dedendus non foret, id tamen vel eo nomine fieri debere, qvod tanqvam falſarius, & impoſtor Regem, ac Remp. famoſis ſuis libellis illuſerit, ac Electorem in facie Reip. gravibus convictus perfuderit.* Ad qvæ Rex: eam cauſam in Senatu decidendam. Ac mox eo ipſo tempore, cum iſtius deditio qvam maxime urgeretur, in Senatu decretum, eum protegendum, ac in futuris comitiis ejusdem qverelas audiendas, qvo nomine & literæ protectoriæ tradebantur; utut antea Rex ſemper dixiſſet; ſe iſtum protegere nolle. Eundem & Polinienſis Epiſcopus, tanqvam recens Eccleſiæ Romanæ ornamentum, qvo tutius ageret, ædibus, ac menſa ſua recipere voluerat. Porro ad propoſita ab Opackio Elector initio reponebat: Polonos Kalcſteinium receptaros, ſed capite truncatum. Se qvidem id factum non juſtiſſe; autores tamen haut puniturum, qvia recte fecerint. Polonos, dum Reſidentem ipſius admittere nolunt, videri bellum indicere ſibi velle. Ea ſi mens ſit, non opus eſſe ambagibus uti. Ne Poloni ſe irritare pergerent, qvi ſatis norint, qvantum ſibi moleſtiarum integrum jam annum per hominem iſtum intulerint. Ac jamdudum animum ſibi fuiſſe bello iſta ulciſci, ni demum ſceleratus iſte in poteſtatem redactus foret. Enimvero re in conſilio ventilata ſatis adparebat, ſi pari pertinacia Polonis occurratur, utiqve ad manus rem deductum iri, tempore admodum importuno, cum à Gallo imminens periculum omnes curas averteret, ac Cæſaris, qvi Michaëli Regi ſtudebat, amicitiam refrigerari haut expediret. Simul ob unum nefarium caput tot myriades bonorum civium belli calamitatibus involvere haut tanti erat. Et qvia conſtabat, Regem pravorum qvorundam hominum conſiliis in tranſverſum rapi, ſatius viſum eſt ſpatium aliqvod iſti indulgere, qvoad ſana ratio, deflagrantibus ſiniſtris affectibus, locum inveniret. Itaqve placuit diſſimulare Kalcſteinii abductionem Electoris juſſu factam; ſicuti & revera Elector, ut ea tali modo, & loco fieret, non præſcripſerat; etſi ut iſte in poteſtatem redigeretur, in univerſum juſſiſſet, tali modo, qvi nihil tumultus excitaret. Prout & Brandius, ut ejus facti invidia in ipſum ſolum derivari poſſet, poſtea ſparſerat, Electoris injuſſu iſtum abs ſeſe abductum. Qvæ & tutiſſima via erat Regi, qvi hoc facto offenſum ſe judicabat, ſatisfaciendi, ejusqve exiſtimationi conſulendi. Ac eo plauſibilior erat iſte color, qvod inqviſitio Warſaviæ unice contra Brandium inſtituta, nec ſuper eqvitibus iſtis qværere curæ fuiſſet, qvos una cum Mongomnerio ſolutos ſacramento milites crediderant. Itaqve Opackius tali cum reſponſo dimiſſus eſt. *Kalcſteinium adeo improbum, ejusqve crimina tam horrenda, ut nil indignius accidere poſſit, qvam ſi per peſſimas eas res, qvæ optima inter homines habentur, magnorum Regum, & Principum amicitia, & vicinarum gentium conjunctio ullo modo turbari debeant. Aufugiſſe eum in Poloniam variorum criminum convictum, & damnatum, ac ſervum pœnæ factum, contra juratam fidem; ibiqve aliqvot per menſes hæſiſſe, nil aliud agentem, qvam ut Principis ſui exiſtimationem fœdiſſimis calumniis proſcinderet, & ſanctiſſimi fœderis nexum diſſolutum iret. Fruſtra obtendi, ſupplicem eum in Poloniam veniſſe, qvi indies ibi novorum machinatione ſcelerum in conſpectu totius Reip. ſeipſum vincere laboravit. Nec ibi locum fuiſſe ſuper ejus criminibus cognoſcendi. Sane per pacta etiam ſimplices Boruſſiæ incolarum qverelas ad ſe velut ſupremum ejus provinciæ dominum fuiſſe remittendas, qvæ alium Principem aut patronum agnoſcere non debet, nec poteſt. Qvod majus ſpecimen perduellionis dari potuiſſe, qvam nefaria ſcripta Regi, ac Eqveſtri Ordini exhibere, qvibus Principem, à qvo tanta beneficia acceperat, tyrannum non minus ſceleratè qvam falſo proclamarit. An Polonicæ originis ſit, nil intereſſe, nec de eo conſtare. Saltem id certum eſſe, & parentem, & majores ipſius homagio præſtito Duces Boruſſiæ naturales dominos agnoviſſe, qvorum hereditatem iſte adierit. Qvo facinore militari de Rep. Poloniæ meritus fuerit nunqvam innotuiſſe. Id ſane in confeſſo eſſe, in Polonia eum non cum hoſtibus, ſed cum hoſpitibus ſuis, & horum pecoribus bellum geſſiſſe; unde & furti, rapinæ, atqve concuſſionis ibi accuſatum, & damnatum fuiſſe; ac demum militia Polonica infamem finem impoſuiſſe, ſecum abductis ducentis eqvitibus, & interverſis viginti duobus florenorum millibus; ut Joannes Caſimirus Rex ſuſpendio eum affecturus fuerit, ſi comprehendi eundem contigiſſet. Electori ſub Joannis Caſimiri regno nunqvam curæ fuiſſe, ſceleratos in ejus gratiam reducere. Eqvidem ſe ſummorum virorum calamitatibus indoluiſſe, qvi turbis Reip. velut torrente abrepti fuerant, nullo adverſus eam delicto admiſſo; ac apud Regem his non tam culpæ, qvam infortunii veniam impetrare laboraſſe. Kalcſteinium ſua ſponte peſſimum; ac indignum eſſe maxima dignationis viris ſceleratiſſimum homi-*

1671. 25. Jan.

1671. *hominem accenseri. Asylum eundem in Polonia nec qværere, nec sperare potuisse. Nam asylorum sanctitatem iis qvondam profuisse, qvi casu, innocente animo, aberrante forte manu mali qvid fecerant: profanis in fano receptum non fuisse. Ast Principi suo insidiantibus, aut pacem publicam turbantibus ne sanctissimum qvidem Dei altare patrocinatum. Et qvia nemo bonus ejusmodi maleferiatis favet, sed qvilibet istos suo periculo fugere patitur; inde sceleratorum deditionem, eorum præsertim qvi in statum publicum deliqverunt, inter amicos, & vicinos locum invenisse. Hanc à se aliqvoties petitam, nunqvam obtentam. Interim Warsavia qvotidie nuntiatum, & in Regia, & in conventibus Procerum versari hominem tam immania patrantem, qvæ vel ob communem Principum causam ab omnibus vindicanda fuerant. Sed tolerari eum Warsaviæ, postqvam legibus pacis Olivensis inter inclutam Remp. ac se, cautum fuerit, ut altera pars alterius honori consuleret, ejusqve gloriæ, ac securitati deliqvaretur, id esse, qvod sibi maximo dolori fuerit; cum interim maleferiati istius ferocia impunitate indies gliscceret, qvi modo ministerio, modo protectione Regis gloriatus sit. Sibi cognitum, istum mendaciorum architectum; ac nuntiis Warsavia allatis vix fidem adhibuisse. De Rege qvoqve optima qvæqve speravisse, & qvi nunqvam in animum inducturus sit aliqvid in hac causa statuere, qvod mutuam amicitiam ladere posset. Sicuti & ipse interim Reginam filiæ suæ recens natæ commatrem adoptarit. Sed nuper nuntiatum fuisse de Kalcsteinio in suam ditionem delato; de cujus tamen facti ratione, ejusqve autoribus nondum certa sibi fide constet. Qvæ cum ita sint, se Orbi Christiano, imo ipsi Regi judicium deferre, uter justiorem, gravioremqve conqverendi causam habeat, & utri competat satisfactionem petere. Qvemadmodum vero ipse hactenus æqvitate animi potius, qvam jure suo in hac causa usus sit: sic sine mora in autores ejus facti inqvisiturum, & pro ratione delicti in eos animadversurum: à qvibus si qvid secus factum sit, id ad interrumpendum fœderum, atqve amicitiæ nexum haut valere posse. Eo summos Principes, populosqve constringi; qvi à privatis secus facta præstare non possint, sed punire possint. Idqve ut in hoc negotio fiat, prout æqvum est, se curaturum. Super Kalcsteinio se propediem missurum, qvi Regem exacte edoceat. Nec dubitare, qvin Rex agnituras sit, à se nihil omitti, qvod constantis amici, ac fœderati officio congruum sit. Cæterum qvoniam Reges, Principes, populiqve fœdere, aut vicinitate juncti non modo honorificum sibi, sed & utile, ac necessarium ducunt, si in aulis suis, aut publicis consultationum locis fœderatorum, vicinorumqve ministri adsint, qvibuscum de rebus utriqve partem tangentibus agi qveat, ne propter singula negotia singulas legationes adornare opus sit, se recepto huic instituto, per multos abhinc annos priorum Regum tempore à se exercito, & ab aliis exteris in Polonia etiam interregni tempore, & in præsens qvoqve observato, deesse noluisse. Ac uti gratum sibi foret, si qvis a Rege in hac aula resideat, qvicum de communibus negotiis communicari qveat; ita Regi haut displicituram, si qvem suorum eo sine ad aulam Regiam destinaverit. Nam in supervacuas legationes, neqve sibi, neqve Regi, ac Reipublicæ utiles, impensas facere haut placere.* Hoc cum responso legatus Polonicus dimissus est. Inde Mongommerius publica proclamatione Regiomonte citatus, sed clam prius monitus, ut inde se subducat, & Colbergæ, aut alio loco sub alieno nomine aliqvantisper agat, insigni qvoqve præmio mactus. Eusebius qvoqve Brandius Custrini in jus vocatus, cum uti jussus erat, non comparuisset, in contumaciam damnatus est, ut bonis amissis patria careret. Qvæ tamen sententia uti in speciem tantum terebatur, ita post jussu Electoris abolita est; ac is, postqvam per biennium extra hujus ditiones se tenuisset, in aulam rediit. Sed Kalcsteinius Memelam abductus capite pœnas luit, persistente usqve ad extremum animi ferocia, ut de innocentia sua etiam moriens testari non dubitaret; In Polonia liberum cuivis esse alterius nomine scripta exhibere; & omnia qvæ illis libellis extent vera esse. 1671. Jan. 72.

§. 109. Ista Kalcsteinii abductio aliqvandiu in Polonia magno animorum motu agitata fuit. De qva Elector, cum Hoverbeqvium, & Danielem Tettavium ad renovanda pacta Warsaviam mitteret, in mandatis dederat, ut dicerent: se non perspicere, qvid Poloni eo nomine ab Electore postulare velint. Ab ipso eam abductionem jussam demonstrari non posse. Testari qvoqve literas, post Brandii discessum in ejus conclavi repertas, qvomodo ea actio suscepta fuerit. Eo rerum statu ab Electore nil amplius desiderari posse, qvam ut reos in jus vocari, & sententiam in eos ferri curet. Id qvod factum sit; & cum judicio se non stiterint, in contumaciam damnatos. Enimvero Electori longe graviores de Rege qverendi causas esse, qvod cum per pacta unus fœderatorum alterius dignitatem, & existimationem tueri teneatur; Kalcsteinio indultum fuerit, ut in aula Regis, apud exes- *Ab Electore aliisque legatis Warsavia acta. 9. Dec. 71.*

1672. exercitum, in facie Reip. & conſeſſu Nuntiorum Terreſtrium, ac ubiqve horrendiſſimas qvasqve criminationes in ipſum effundere, & ſine fine iterare poſſet, foedis libellis, qvos obtulerit, à Rege receptis. Tum deditionem contra jus gentium negatam; ſaltem impurum hominem Regno exeſſe haut juſſum; ſed ut ægre Electori fieret, in aula toleratum, ac à multis clam firmatum. Atqvi Uladislaum qvondam Regem Waldium qvendam, ſubditos in diſtrictu Inſterburgenſi ad ſeditionem movere conatum, nondum judicio damnatum dedidiſſe. Qvanto magis id circa Kalcſteinium fieri debuiſſe, cui nulla juris remedia amplius competant; & cum iſte ad directum feudi dominum, hic ad eum ſe contulerit, qvem Elector non niſi vicinum agnoſcat. Iſta tamen ita proponere jubebantur, ne univerſi Ordines accuſari viderentur, cum plurimi Senatores ſvaſerint, cum Regno pellendum. Aſt Rex dum legatos audit, non ſine verbis magnum animi motum arguentibus de iſta abductione qverebatur. Sibi de Kalcſteinio parum curæ eſſe, homine perdito, & qvi ubiqve exiſtimationem decoxerit. (nam & bina vice in Polonia infamia notatus fuerat.) Sed iſtud eo tempore factum, qvo ipſe ob adverſam ſibi factionem maximo animi dolore correptus fuerit, & qvo afflictio afflicto addi minime debuerit. Et cum oſtendere cuperet, à vicinis ſe æſtimari, contumeliam ſibi illatam, qvam ne privatus qvidem toleraturus ſit. Se in Brandium facile talionis jus exercere potuiſſe; ſed ſibi temperaſſe, & ab Electore per legatum ut ſibi ſatisfiat petiiſſe. Sed nec id factum, nec legatum veniſſe, qvem Elector ejus negotii cauſa miſſurum ſe promiſerit. Cum legati qvæ juſſi fuerant repoſuiſſent, & legationem dilatam, qvod Rex tunc in expeditionem abiiſſet, hic paulo placatior dicebat: parum ſibi curæ futurum fuiſſe, qvid Kalcſteinio fieret, modo id factum non in ſede regia patratum foret. Eum ſe nunqvam in protectionem recepiſſe, ac jam eundem aula expellere decreviſſe. Eadem qvoqve abductio in mandatis qvorundam Nuntiorum Terreſtrium *grande illud nefas* vocabatur, ac judicabant iſti, hoc facto prætenſionem in Elbingam compenſari poſſe; ac multi plus clamoris ſuper abducto Kalcſteinio, qvam Turcica clarigatione tollebant. Ex qvo Hoverbeqvius colligebat, aulam per turbidos qvosdam Boruſſos ſibi ſomnia finxiſſe, ſi Rex renovationem pactorum extrahat, ſeditioſos qvosdam in Boruſſia copias ibi Electoris oppreſſuros, ac totam provinciam ultro Poloniæ ſe dedituram. Qvo ipſo Regem, cum omnes præfecturæ ad patrimonium Principis ſpectent, pluribus reditibus, qvam è tota Polonia, potiturum, ac omnes anteceſſores gloria ſuperaturum. Qvæ & cauſa erat, qvod Rex modo auxilium Electoris expoſceret, modo idem iſti peteret. Nam per iſtud qvidem turbidis in Boruſſia ſpatium fore credebatur exſeqvendis ſuis deſtinatis, qvo ipſo tamen multum favoris Electori apud Remp. acceſſurum erat. Et accedente Kalcſteinii abductione malevolis prætextum naſcebatur renovationem pactorum extrahendi præcipuo autore Procancellario, qvi jactare non dubitabat, facile fore Electori qvicqvid terrarum cis Oderam verſus Poloniam jacet eripere; ac ſe propediem Mariævverderæ, ac Riſeburgi miſſam cantaturum, qvæ oppida antea ad Præſulatum Pomeſaniæ ſpectaverant. Qvi & ex literis fiduciariis anſam cavillandi arripiebat, qvod per incuriam ſcribæ vocabulum *legati* omiſſum eſſet, eoqve Hoverbeqvium tantum ut privatum æſtimare volebat. Nec Regi id audaciæ erat, ut aliqvid absqve viri iſtius conſenſu ſtatueret; etſi, ut Electorem amicum haberet, vacillantes tunc ejusdem domi res admodum reqvirerent. Earum turbarum prima origo fuerat, qvod Rex ſtatim ab electione ſeſe Pacio Magno Lithuaniæ Cancellario, & Poloniæ Procancellario totum addixerat, oſtenſa erga reliqvos omnes diffidentia. Ac poſt cum in Comitiis coronationis nuptiæ ſine pleno conſenſu Senatu decretæ, ac mandata Procancellario ſponſam ambituro data vix ulli Senatori oſtenſa eſſent, diſſidium aperte erumpebat. Qvod eo minus componi poterat, qvia aulici oleum camino addebant, ac inanibus terroribus ſuſpicacem animum agitabant, vulgato, Electorem cum octodecim militum millibus Polonium irrupturum, ac Comitem Sancti Pauli è Gallia venire ad coronam ipſi eripiendam; nimirum ut in turbido piſcarentur, ac Regi poſt imputarent velut id periculum ſua induſtria depulſum foret. Eo confuſior autem ejus aulæ ſtatus erat, qvod qvi Regem potlidebant, ipſi inter ſe diſcordes agerent, ac ſibi invicem nocere niterentur. Unde qvod uno allaborante decretum fuerat, ab altero ſubvertebatur, Regi placita ſua ad ipſorum libidinem immutante, ita ut una ſeptimana idem conſilium ſæpe ter, aut qvater refingendum eſſet. Iſta magnum Regi odium juxta, atqve contemtum pariebant; cui & Primas Regni pleno Senatu in os exprobraverat, qvod dixiſſet, ſe tacita cum exce-

1672. ptione (*restrictionem mentalem* cavillatores Theologi vocant) in pacta conventa jurasse. Addito; tantillo tempore sesqvimillionem æris alieni contractum: Joanni Casimiro de promissa pensione ne texuncium qvidem solutum, qvi magna cum Reip. ignominia apud exteros aliena mi ericordia vivat. Accedebat inde à Turca periculum, & qvod adversa factio consilia sua majore cum circumspectione exsereret. Contra animos Nobilitatis in Regē refrigerari, tum conjunctio cum Regina, & Domo Austriaca imminui. Acres qvoqve morborum impetus parum diuturnam vitam pollicebantur. Sic igitur enormis affectus in paucos reliqvorum omnium animos averterat. Et qvanqvàm præcipui Senatores svadebant, ut sine mora pacta jurejurando firmarentur; solus tamen Procancellarius renitebatur, ac per aversionem decidendum censebat, inde prætentione in Elbingam, hinc remissione copiarum auxiliarium, aliorumqve controversiorum abolenda.

Pacta demum confirmantur. 26. Jan.

§. 106. Enimvero cum jam Elector legatis suis injunxisset, ut si negotium nondum expeditum sit, ante Comitia Warsavia discederent, subito id præter spem ad bonum exitum spectare cœpit. Nam dum Procancellarius abest, Archiepiscopo, Cancellario Magno, & aliis annitentibus omnes præsentes Senatores pro sententia dicebant, jusjurandum in pacta ante Comitia suscipiendum, ne tanto periculo Reip. imminente tam potens Princeps vicinus offendatur. Ast Rex, qvi ita cum Procancellario discedente convenerat, id qvidem non improbare; prius tamen colloqvium cum legatis super negotio Kalcsteiniano, & aliis habere velle. Nam is hoc negotium utiqve extrahere, & propositioni in Comitiis faciendæ inferere cupiebat. Cum nostri propositum colloqvium abnuerent, Cancellarius Magnus denuo Regi demonstrabat; qvia Elector Kalcsteinii abductionem non jusserit, non posse qvoqve eum illatæ contumeliæ insimulari, ac negotium id nil commune cum pactorum confirmatione habere; per qvam & Regi potius fundamentum nascatur petendæ satisfactionis, qvod in pactis cautum sit, ut unus alterius securitatem, & salutem promoveat. Ac potius Electori causam esse qverendi, qvod Posnanensis Præsul, & alii in protectionem recipere ausi sint hominem infamia coopertum. Cracovensis qvoqve Præsul contendebat, si maxime Elector Kalcsteinii abductionem mandasset, Regem tamen eo nomine satisfactionem petere non posse; qvod is non pleni juris, sed servus pœnæ fuerit; nec Regi per pacta fas sit ejusmodi qverulos admittere. Ac Proregi Neapolitano solitum proscriptos, qvi in Pontificis ditionem se receperint, clam ibi intercipere, hoc ideo qveri non audente. Inde cum propositio comitialis ad Ordines à Cancellario Magno fieret, hic de confirmatione pactorum omittebat, ut ut Procancellarius de ea comitiorum indictioni inseruerat. De qva cum Episcopus Posnanensis apud Regem moneret, hic de ista addi jubebat. Sed cum Cancellarius regereret; non id solum se addiminum, sed & hoc, ut legati Electorales protinus aula exesse jubeantur; Rex ita turbatus est, ut statim de ista nil amplius moveri juberet. Interea Hoverbeqvius liqvidum responsum acriter urgebat, aut protinus se discessurum minabatur. Ac promittebat Crocovensis Episcopus, se non solum provocationem ad sponsores pactorum admissurum, sed & scriptum à præcipuis Senatoribus obtenturum; Regis acta à se haut probari, ac se extra culpam fore eorum, qvæ inde proventura sint; ac pro se ab Ordinibus jurejurando jamdudum firmata pacta, & ulterioris confirmationis haut indiga sancte servaturos, qvicqvid Rex faciat. Reversus inde Procancellarius rem iterum turbare cœpit, ac velut ingens crimen ab Electore admissum differebat, qvod hic Czari titulum Magni Ducis Lithuaniæ tribuisset. Qvæ res ita se habebat. Anno 1659 Czar Electori insinuaverat, ut is sequestris officium inter ipsum, & Polonos obiret: id qvod ab isto communicatum Joannes Casimirus Rex, & alii proceres probabant. Unde Elector cum Czare scriptionis commercium exercere cœpit, & qvia hic nullas tunc literas sine hoc titulo admittebat, eo qvoqve utendum fuerat bono Reip. ac citra ejus fraudem, cui factum tertii nocere non poterat. Qvem tamen titulum Elector post factam pacem Czari nunqvam tribuerat. Ista porro tam distorta consilia Procancellarius, & hujus instinctu Rex eo fundamento superstruxerat, qvod Kalcsteinius, & junior Rhodius ipsi persvasissent; multos esse in Borussia præsentium rerum pertæsos, & omnes Ordines data occasione in Electorem insurrecturos. Simul Regi spem fecerant, posse eum isto Ducatu velut feudo pro sua familia potiri. Unde Rex in ambiguo hærere, & neqve in Hoverbeqvii postulatum consentire, nec Electorem protelare velle, ac rem de die in diem extrahere. Qvi tamen Electori studebant, legatis svadebant, ne discessum præcipitarent, ac finem

1672. 2. Febr.

Comi-

1672. Comitiorum expectarent; qvod inter alia incommoda metuendum sit, ne si id negotium stantibus Comitiis suscipiatur, protestatio qvæpiam emergeret, per qvam totum negotium velut vado adhæsurum erat. Ac ipse Rex & alii spem faciebant, id post Comitia successurum. Sane & è re Electoris erat, idem eousqve differri, ne comitiale negotium videretur. Regina qvoqve, & Cæsareus minister operam suam pollicebatur: ac Majores Poloni eam confirmationem urgebant, qvo securitati suæ caveretur.
9. Mart. Demum abruptis Comitiis Procancellarius ultro declarabat, se Electoris delideria haut impediturum, ac jam dies jurijurando statuebatur, ut tamen cavillatio circa hujus formulam aliqvot dies consumeret. Ac pervincebant nostri, ut & ea clausula inseretur, *qvod S. Regia Majestas predicta pacta in omnibus articulis, punctis, & clausulis observatura sit, nec iisdem sive directe sive indirecte contraventura, aut contraveniri à subditis passura sit.* Ubi nostri vocabulo *subditis* addi nolebant *suis*, ne Rex crederet, satis esse, si Polonos suos à violandis pactis cohibeat, sed rebelles Borussos, uti Kalcsteinium, & Rhodium, fovere sibi fas esse. Nomine Regis, & in ejus animam jurabant Adrianus à Krasovvo Zochovvski Castellanus terrarum Visnensium, & Albertus Opacki Succamerarius Warsaviensis. Post & nostri juravere; qvi hoc in actu omnes cerimonias declinarunt, ac ne id fieret in conclavi Regis, aut hoc præsente, etli is eo fine pallium regium Czenstochovva adferri curaverat; ne ea confirmatio ad substantiam & validitatem pactorum reqviri videretur. Sed & ne in posterum prætenderetur, cum actum utiqve Warsaviæ peragendum, sed & posse ad fines Borussiæ, aut alterius in Regis, & Electoris ditione fieri, nostri formulæ instrumenti, qvod eo nomine conficiebatur, hæc verba inserebant, *locum, & tempus hac vice cum utriusqve partis consensu prævia conventione Warsaviam*
9. Mart. *placuisse.* Discedentes nostros Rex multo verborum honore cumulabat, ac Electoris auxilium sibi despondebat, si res in seditionem erumperet. Nam Electoris rationibus haut qvadrare, Gallicum vi, & pecunia intrusum Regem vicinum habere. Cæterum ad extrema ruebant ejus Regis res, cujus regimen omnes aversari cœperant, velut animo & corpore imperii haut capacem; ac jam super eodem dejiciendo agitabatur multis è Gallia Regem captantibus. Contra Austriaci cum Archiepiscopo tractabant: Se apud Michaëlem omnia vitia, qvæ in hominem cadere possint, sed ne minimum qvidem virtutum, & nihil candoris invenire. Unde facile prospicere, eum velut imperandi ineptum à Rep. solio dejiciendum. Igitur haut curæ sibi esse, qvid isti fiat, modo penes Reginam corona maneat. Nam si ipsa coactam se, aut mariti impotentiam alleget, matrimonium ipso jure nullum esse. Pontificis consensum facile obtineri posse, qvi nunqvam permissurus sit, ut tantum Regnum Romanos ritus professum sub tali Rege pessum eat. 1672.

§. 107. Post confirmata pacta Elector testando in Remp. studio M D selectos milites sub Friderico Danhofico Comite Regi in auxilium contra Turcam misit. Qvi in altiora Poloniæ Lublinum usqve progrediebantur, ubi universa Nobilitas armata metabatur; sed qvæ initio Novembris diffluebat, nulla re gesta. Unde & nostris iterum via relegenda fuit, nulla virtutis exserendæ occasione. Ac interim strenue cum fame luctandum fuerat, qvod nec panis qvid, nec pecuniæ in Polonia præberetur. Cupiebat iis copiis Rex contra adversam sibi factionem uti: sed negabat Danhofius, sibi in alios præter Turcas pugnare injunctum. Sed sequenti anno, glisscente à Turcis periculo Rex Felicem Mor- 12. Jul. stinium ad Electorem mittebat; qvi pro auxiliis superiore anno missis gratias agebat; laudibus ferens, qvod Elector plus qvam pacta reqvirant, præstiterit, dum de suo iis copiis duorum mensium stipendia numerat, nullam refusionem stipulatus. Tum exposito Regni statu, tanto hosti propulsando haut sufficientis, auxilium Electorem poscebat ex pacto, & ut ei pro periculi magnitudine plus copiarum adderet ad octo millia; de qvibus antea Elector spem fecerit, ubi necessitas Reip. urgeat. Ad ista Elector: Sibi semper cordi fore studium suum Regi, ac Reip. qvavis occasione adprobare; eoqve se debitis ex pacto copiis injuncturum, ut protinus ad fines Regni accedant, unde à Rege evocari qveant; ea tamen lege, ut Rex vicissim, prout pactis cautum sit, auxiliaribus copiis stipendia, & annonam præstet, ne eandem uti superiore anno miseriam exhaurire cogantur. Iis se copiis non nihil additurum; sed eas ad VIII M augeri non posse, qvod copiæ suæ priori expeditione numeris valde imminutæ sint; nec periculosum Germaniæ statum permittere, ut ipse milite se exuat. Forte tamen à Sveciæ Rege, & Czare sat copiarum impetrari posse, qvibus miles in promtu & citra expeditionem sit: de qvo ipse jam ultro apud Sveciæ Regem moverit; qvi

Elector Polonis auxilia mittit. Sept. Oct.

1673. nec alienum ab hoc negotio se ostenderit; ac posse de eo Warsaviæ inter ministros ulterius tractari. Legatus contra: Auxilia ista se non ex pactis, sed ex generoso Electoris animo, & commiseratione in Remp. expectare: qvæ & eo paupertatis redacta sit, ut promissam licet copiarum sustentationem præstare neqveat. Unde Regem rogare, ut Elector iis aliqvot mensium stipendia in expeditionem solvere velit. Ac consensit Elector, se duorum mensium stipendia de suo præbiturum: sed plura promittere exhaustas suas ditiones haut concedere. Ea occasione Elector monebat, ut tandem aliqvando super Elbinga sibi satisfieret; qvod post finitum bellum fore legatus spem faciebat. Cum & idem qvereretur, Draheimensibus hospitia, & tributa à Polonis imperata, id qvod pactis aperte repugnet; legatus id ex errore ducis profectum, ac mox ultro revocatum excusabat.

Offensa negotii Kalcsteiniani paulatim exolescit.

§. 108. Inter hæc offensa negotii Kalcsteiniani paulatim exolescebat, ac demum Rex declarabat; se non amplius Kalesteinium repetere; rogare autem, ut Elector tutandæ ipsius existimationi promittat, se eum redditurum; se vicissim per scriptum cauturo, qvod eum habere nolit. Qvod temperamentum acceptabatur, simul placebat, ut Elector pro Brandio intercederet, & hic literis apud Regem deprecaretur. Ac tandem convenit, ut Brandius Warsaviam rediret, ibiqve humili submissione Regem placaret. Sed dum iter adparatur, Rex subita morte extingvitur. Interregno emergente multi proceres svadebant, ut Brandio Warsaviam se conferret, ac ipse Procancellarius eidem protectionem promittebat. Unde cum Electoris consensu iste iter ingreditur multis commendatitiis literis ad complures proceres instructus. Sed antequam Warsaviam perveniisset, Regis Joannis electio successerat, qvi Regi Michaëli infensus fuerat, & Kalcsteinii abductionem non adeo ægre tulerat. Ibi accedentem omnes qvi norant Senatores, & proceres amice recipiebant; & Mareschallus aulæ qvicqvid supellectilis qvondam Warsaviæ reliqverat, illæsum restituebat. Ac liberum ipsi erat ibidem manere, ac veterem functionem exercere. Sed qvia tunc Elector expeditionem contra Gallum susipiebat, cui aula Polonica favebat, qvidam monuerant, istum huic parum gratum fore; idem ab Electore inde revocabatur, postqvam novem per menses inter ipsa Comitia Warsaviæ palam, & nemine turbante, egisset. 1673.

April. 24.

Moscica. Febr.

§. 109. A Czare Moscoviæ ad Electorem Bilefeldæ tunc agentem legatus veniebat Paulus Menesius, qvi de periculo, qvod ex irruptione Turcarum in Poloniam vicinos qvoqve maneat, præfatus, Electorem hortabatur, ut adversus hosce cum Czare, & Polono arma societ, conjunctionis legibus congressu legatorum adornandis. Tum ut pro sua autoritate alios qvoqve Principes Imperii ad paria incitet; inprimis Galliæ, atqve Angliæ Reges permoveat, ut arrepta adversus Belgas arma in communem Christiani nominis hostem vertant. Ad qvæ Elector: Se bello Gallico implicitum plus auxilii, qvam jam fecerit, Polonis ferre non posse. Ac Czarem optime facturum, si & ipse Gallum, & Anglum hortetur, ut pace Orbis Christiani constituta vires suas in communem hostem socient: qvo nomine & ipse ad alios Principes Christianos sit scripturus, ac propediem legatum ad Czarem missurus. Nec multo post Joachimus Scultetus in Moscoviam missus est, ut Czari gratias ageret, qvod Poloniæ causam contra Turcam amplexus sit; eumqve ad continuanda auxilia hortaretur. Iste cum Plescoviæ, & Novogardiæ à delegatis in eam rem (*Prestavos* vocant,) exciperetur, ac hi inficeto more superiorem in traha locum occupassent, idem Moscoviæ hac de re graviter qverebatur, ac ni hoc emendetur, se postremum ab Electore legatum heic fore. Unde dum ad Czarem deducitur, dignior locus dabatur; ac declarabat Artemon Sergevicius, Czarem, ejusqve antecessores hactenus nunqvam Cæsareis, Regiis, aut Electoralibus ablegatis per Prestavos suos dextram manum concessisse. Sed hunc demum Czarem cum Cæsare, ac Regibus Sveciæ, & Daniæ convenisse, ut eorum ablegatis dextræ manus honos relinqvatur. Et qvia Czar Electoris amicitiam magni æstimet, ac ulterius conservare cupiat, hujus ablegatos nunc & deinceps pari cum Cæsareis, & Regiis honore habitum iri. Qvam in rem ad præsides Plescoviæ, & Novogardiæ mandata transmissa sunt, idqve decretum in acta relatum. *11. Febr.*

SAMUELIS PUFENDORFI

DE

REBUS GESTIS FRIDERICI WILHELMI MAGNI

ELECTORIS BRANDENBURGICI

COMMENTARIORUM

LIBER DUODECIMUS.

EPITOME.

ELector paci conciliandæ ſtudet. Miſſio ad tractatus Colonienſes. Ablegati mandata. 2. Cum Neoburgico acta. 3. In conventu Colonienſi acta. Cerimonialia. Pacis negotium difficile adparet. 4. Circa propoſitionem difficultas. 5. Electoris ad Cæſarem miſſio. 6. Sveci ſuper tertiis partibus formandis agitant. Electoris de his judicium. 7. Tractatus Colonienſes hærent. 8. Alia tractatuum Coloniæ evadit facies. 9. Belgæ ſeparatam pacem cum Galli ſociis captant. VVilhelmus Furſtenbergius abducitur. Id factum defenditur. 10. Inter Anglos & Belgas pax fit. Conventus Colonienſis ſolvitur. 11. Trevirenſis à Gallo invaditur. 12. Ratisponæ ad pacem nihil proficitur. 13. Sveci fœdus ſuum Electori offerunt. 14. Conſultatio ſuper Svecico fœdere. Sententia Somnicii: Blumenthalii: 15. Canſteinii: 16. Meinderſii: 17. & Cæppenii. 18. Fœdus cum Svecis concluditur. 19. Fœdus Electoris cum Rege Sveciæ. 20. Articulus ſeparatus. 22. Super ratihabitione fœderis dubitatio. 23. Neoburgicus ei fœderi includitur. 24. Cum Belgis a-

1673. *cta. 25. Belgæ Electoris fœdus iterum affectant. 26. Circa disponenda in futurum consilia deliberatio. 27. Somnicii sententia. 28. Ad Cæsarem missio. 29. Cæsar Electoris societatem ambit. 30. Galli Palatinum invadunt. 31. Gallus Electorem in diversum trahere conatur. 32. Ulterior cum Gallo disceptatio. Clivica oppida à Gallo Electori redduntur. 33. Cum Cæsare super conjunctione tractatur. 34. Cum Belgis super fœdere acta. Luneburgicorum monita. 35. Fœdus Electoris cum Cæsare, Hispano, ac Belgis. 36. In Angliam missio. 37. Sveci Electorem in diversa trahere conantur. 38. Elector de suis destinatis Gallo significat. 39. Cum VVangelino disceptata. 40. Litera Electoris ad Regem Sveciæ. 41. VVangelini super Electoris expeditione monita. 42. Legatio in Sveciam. 43. Alia mandata. 44. Animorum in Svecia habitus. 45. Expeditio in Alsatiam decernitur. 46. Electoris expeditio. De prælio inter fœderatos & Gallos prope Angentoratum. 47. Per Alsatiam gesta. 48. Ad Helvetios legatio. 49. Turennius denuo ingruit. 50. Cum Argentoratensi Præsule expostulatio. 51. In Belgio Suchius male rem gerit. Lobcovicius aula Cæsaris dimovetur. 52. Suspiciones ob religionem. Favor aulæ Cæsareæ in Monasterienſem Præsulem. 53. Galli Svecos in Electorem excitant. Feuqvierii in Electorem declamatio. 54. De Galli oratione judicium. 55. Svecorum in Gallos inclinatio magis eluceſcit. Electoris de Galli sermone judicium. Galli cum Svecis cauponatio. Hanoverani consilia. 56. Responsum ad Electoris literas differtur. 57. Sveci adhuc nutare videntur. 58. Litera Regis Sveciæ ad Electorem. 59. Earum literarum censura. 60. Sveci adhuc hostilitatem dissimulant. 61. Brandii è Svecia discessus. 62. Sveci Electorem apud Belgas accusant. 63. Sveci de conatibus suis in Electorem indicant. 64. Elector contra Svecos opem exposcit Ordinum Imperii: Hispani: Cæsaris: Angli: & Bavari. 65. VVrangelii intentio exploratur. 66. Electori de Svecorum irruptione significatur. 67. Electoris cura circa res Poloniæ. 68. Ejusdem ad Cancellarium Poloniæ missio. 69. Alia ad Lesſinium missio. 70. Polonorum de candidatis judicium. 71. Cerimonialia. 72. Sobieſcij artes circa ambiendam coronam. 73. Candidatorum ambitus. 74. Sobieſcius artes suas continuat. 75. Hoverbeqvij mandata. 76. Cum Neoburgico super rebus Polonicis acta. 77. Cum Lotharingo super eodem negotio acta. 78. Confusa interregni facies. 79. Sobieſcius VVarsaviam venit. 80. Joannes Sobieſcius Poloniæ Rex eligitur. 81. Elector Polonis auxiliares copias mittit.* 1673.

Elector paci conciliandæ studet.

HLector postqvam Vossemensi pacto belli fluctibus sese paulisper subduxisset, medium se tenere, ac qvantum daretur paci conciliandæ operam navare decrevit. Cujus tamen qvia nondum liqvida spes allucebat, haut consultum videbatur exercitum imminuere, sed eundem intra ditiones suas alere, suppletis qvi nupera expeditione decesserant numeris; qvod inermi armatos inter agenti nil autoritatis, ac parum tuti sit. Interim qvem successum tractatus pacis, qvi Coloniæ Agrippinæ sequestribus Svecis instituti fuerant, pollicerentur, speculari placebat. Ad eos Elector Ottonem Sverinum juniorem ablegati extraordinarii dignatione miserat. Cui super cerimoniis injunctum, ut legatis primi gradus, sive ante ipsum sive post accesserint, primæ visitationis honorem exhiberet, in ipsorum arbitrium collato, qvem sibi honorem reponere

Missio ad tractatus Colonienſes. 13. Maij. Ablegati mandata.

1673. nere velint, modo non inferior sit, qvam qvo alii Regii aut Electorales ablegati excipiantur; simul testaretur, qvicqvid honoris sibi hac dignatione prædito exhiberetur, ab Electoris legatis alibi ipsorum Principum ministris etiam inferiore charactere redditum iri. Qvod si Belgæ à se missis tantum Ablegatorum aut Deputatorum extraordinariorum gradum imposuerint, cauteageret, ne Electoris fastigio præjudicii qvid fieret, ac primam salutationem, si ante ipsum advenerint expectaret, ac si cum iis tertio in loco congrediatur, digniorem sibi locum utiqve vindicaret. Ast si legatorum charactere venerint, potiorem locum in ipsorum ædibus sibi depoſceret, qvod Electoris legati Belgarum ablegatos eo ritu excipere soleant. Cæterum de studio Electoris in pacem ubiqve testaretur, ejusqve emolumenta in universum tum omnibus, tum præcipue Svecis velut seqvestribus commendaret. Ubi occasio præbeatur, Electoris cum Gallo tractationem aliis adprobare studeret. Belgis confirmaret, etli Elector ab ipsis destitutus ad peculiare pactum compulsus fuerit, affectum tamen in eorum Remp. haut exuisse, ac in eorundem salutem omni studio commixturum; ac ab iis gemina sibi polliceri. Qvia tamen haut placeat qvod restat subsidiorum pro derelicto habere, aut irreparabile damnum, qvod detentis Cliviæ oppidis contra pacta eam supine prospexerint, citra reparationem tolerare, & qvod alias controversiarum inter ipsum & Remp. pendeat diutius indecisum relinqvere; Electorem ut super istis sibi satisfiat qvæsturam. Hisce ubi contradicant, super eo negotio apud Gallos & Svecos diligenter ageret. Nam spem esse Gallos heic sibi fauturos, prout Vossementi pacto promissum. Svecis autem demonstraret, cum Elector ipsorum consilium secutus sit, par esse, ut iidem circa ista ei velificentur. Porro paci svadendæ qvicqvid ad rem fa[illegible] rationum adhiberet, ut tamen Svecis nil æmulationis excitaret, velut seqvestrem se cum his ingesturus; eoqve cum ipsis omnia communicaret, qvæ circa hoc negotium cum aliis egerit; ac ab iisdem suggeri sibi peteret, qvid data occasione, ut cum uno & altero ipse loqvatur, velint. Si Colonienſis & Monasterienſis duras nimium conditiones Belgas poscant, modeste istos moneret, ne ob privata sua commoda pacem remorentur; atqve eam rem ita ageret, ut Belgis de ista opera innotescat. Ubi super sacris qvid moveatur, apud Svecos aliosqve insisteret, ne qvid in eorum fraudem statuatur. Alias sermonibus suis in neutram partem inclinationis qvid ostenderet, ac ubiqve testaretur, Electori nil magis in votis esse, qvam honestam ac promtam pacem. Curaret qvoqve ut nuper cum Gallo conventa paci inserantur; ne cujusqvam actio agnoscatur nomine damni nupera expeditione ab Electoris exercitu dati; ut Elector futuræ paci includatur, ejusqve sponsione non minus qvam primarum partium contrahentes fruatur. Tum ut de reddenda Vesalia & Reesa tractatu caveatur; id qvod obliqve per Cæsareos agendum, ne Galli suspicentur promisso regio parum fidi. Denique operam daret, ut hoc tractatu supremi imperii jus, qvod Belgæ in Ravesteinam obtendunt, simul Bulla Aurea Brabantina aboleatur, vicinis molestissima. Ea Bulla privilegium continet, ab Imperatore Carolo IV. primum Joanni Duci Lotharingiæ, Brabantiæ & Limburgi datum; *Ne qvis Archiepiscopus, Episcopus, Dux, Marchio, Comes aut alius subditum aut vasallum horum Ducatuum possit in rebus vel personis arrestare, in jus trahere, vel ratione debiti aut contractus detinere, nisi prius probatum, Ducem justitiam denegasse.* 1673.

§. 2. In itinere Sverinus Ducem Neoburgicum, prout jussus erat, adibat. Is memorabat; Galliæ Regi admodum gratum fuisse, pactum Vossemense ab Electore per ratihabitionem firmatum; ac isti spem esse arctioris cum hoc conjunctionis: in qvam si Elector pronus sit, circa reliqva, qvæ desideret, nil difficultatis fore, qvin Gallum ampliora præstiturum. Alias hunc pacem cupere, ni Cæsarei exercitus iter eam impediat; cui ut obviam tendat Turennio sit injunctum. Huic itineri sistendo se ad Gallum literas dedisse, ad qvas sat æqvum responsum sit repositum; qvod ipse ad Cæsarem transmiserit, adjectis precibus, ut turbas inde surrecturas avertere placeat. Iis ubi nil proficiatur, sibi consultum videri, aliqvot Electores & Principes fœdere jungi prohibendis ejus exercitus itineribus, prout jam à Bavaro & Wurtenbergico Duce factum. Is qvoqve svadebat, ut Elector ob damna hoc bello tolerata Geldriam petat, qvam ipsi inter se dividere velint; qvod Gallus ægre ad eam provinciam Belgis restituendam sit descensurus; qvam tamen Anglus Gallo adcrescere nolit. *Cum Neoburgico acta.* 4. Jun.

§. 3. Ad conventum porro pacis omnes legati urbem silentio accitra pompam ingressi sunt, qvod Galli ferre nollent, in Cæsareorum honorem plures, qvam ipsorum, machi- *In conventu Colonienſi acta. Ceremonialia.*

1673. machinas diſplodi; & Belgæ pari cum regiis honore excipi vellent. Primi omnium
Duc de Chaunes. acceſſerant Galli, Dux Chaunius, Curtinus, & Barillonus, ac reliqvos poſt venientes etiam Belgas primi ſalutaverant. Sverinus primo loco Svecos velut ſeqveſtres viſebat, Claudium Tottium, Petrum Sparrium Laurentii F. & Eduardum Ehrenſteinium; qvi ad ſummas ſcalas eum excipiebant, & ante ipſum conclave ingrediebantur, inde ſub uraniſco loco digniore conſidentes, ſella tamen cum brachiis præbita. Eodem modo & Galli eum excipiebant. Utriqve prolixe amica omnia offerebant. Sed Angli ſuperiorem ei locum apud ſe deferebant. Belgæ qvoqve ad januam ædium excepto citra controverſiam digniorem locum aſſignabant. Sveci cum ſalutandi vices reponerent, differebant: *Pacis negotium ſibi admodum difficile videri ob repugnantes partium rationes & reſpectus, & qvia omnes à ſolis Belgis ſibi ſatisfieri velint. Gallos & Anglos quidem nondum ſibi cupita expoſuiſſe; ſed eos videri è prioribus poſtulatis parum remiſſuros, ob magnas impenſas interim in bellum factas. Negotium facilius fuiſſe ſucceſſurum, ſi Belgæ præterita hieme induciis admiſiſſent, qvas pro re nata prorogare Gallus in ſeqveſtrium arbitrium contulerit. Sed adulto jam vere poſtqvam ſocii Reges tantos armorum paratus feciſſent, Gallum inhiberi non potuiſſe, qvo minus cum exercitu longius progrederetur. Belgis maritimam victoriam non niſi alendæ pertinaciæ inſervire, nec minus Reges obſirmare ad duras iſtas conditiones exterqvendas, qvos ægre ferant utrique claſſi pares fuiſſe. Unde metuendum eſſe, ne Reges ad deſtruendam Remp. ſumma vi connitantur; id qvod non adeo arduum videatur, ſi unum adhuc idoneum in Hollandia locum occupare poſſint. Id qvod tamen plane præter vota Svecia ſit: ac ſperare, Imperium qvoqve idem haut conceſſurum.* Angli differebant: poſt complures inter ſe & Belgas abruptos tractatus nunc ſibi providendum, ne hi deinceps ipſis inſultare qveant. Nec ſe Gallo ſponſore contentos fore, ſed id acturos, ut cautionem ipſi manu teneant. Emanuel
Pacis negotium difficile adparet. 17. Jun.
21. Jun. Lira Hiſpanus Sverino inviſenti ubiqve digniore loco cedebat. Is ideo ablegati duntaxat perſonam aſſumſiſſe videbatur, ut prætextum foret negotiationem declinandi, qvoad Cæſarei adveniſſent; qvod à legatis, qvos aditurus erat, priorem ſibi locum tribui poſtulabat; id qvod hi ſine dubio recuſaturi erant. Is differebat: à ſe improbari non poſſe, qvod Electori ditiones ſuas ſervare maxima cura fuerit. In eo autem magnopere à Belgis peccatum, qvod iſti tam certam ſpem fecerint, Hiſpanos Gallo bellum indicturos; cum ſibi, Hiſpanico Hagæ legato, de eo negotio nunqvam propoſuerint. 1673.

§. 4. In hoc congreſſu prima difficultas erat, à qvo initium proponendi ſuper conditionibus pacis fieri debeat. Nam qvia Belgæ nil offerre, ſed Regum poſtulata tantum audire volebant, Sveci Reges ad expromenda ſua deſideria permovere ſtudebant. Gallus contra æqvum judicabat; à Belgis declarari, qvid in vicem occupatorum à ſe locorum dare velint. Sane jactabat
Circa propoſitionem difficultates.
1. Jul. Chaunius Ducis Regem Galliæ poſtulaturum, ut omnia qvæ ceperit retineat. Id ſi Belgis non placeat, ſignificandum, qvo redhoſtimento iſta redimere velint. Et qvanqvam Anglus nil locorum in Belgio ceperit, Gallum tamen ab eo ſeſe haut disjuncturum, qvoad & ipſi ſatisfactum ſit. Inter qvæ Tottius ad Galliæ Regem obſidioni Trajecti ad Moſam vacantem profectus erat induciis conficiendis; in qvas Rex conſentire noluerat, qvod anno præterito eas à Regibus probatas Belgæ rejeciſſent: tum prius Cæſari declarandum, num Belgis adſiſtere velit, an minus. Idem tamen ſpem faciebat, ſe propoſitis antea pacis legibus ceſſurum, ac modico contentum fore. Congreſſu legatorum habito Sveci volebant, ut Galli poſtulata ſua exponerent. Id qvod hi abnuebant, qvia Belgæ prius propoſita ne reſponſo qvidem dignati fuerant. Igitur par eſſe hoſce nunc indicare, qvo modo Regi ſatisfacere velint. Belgæ contra: bello ſe obrutos nulla præbita cauſa; nec qvopiam locorum ſibi ereptorum carere poſſe. Aduturos tamen qvid Galli poſtulaturi ſint, ac qvantum res ferat facturos. Scilicet animus hiſce accellerat maritima victoria, Cæſarei exercitus motu, ac ſpe belli ab Hiſpanis in Gallos ſumendi, & qvia Eboracenſis Dux præfectura claſſis ſeſe abdicaverat, palam Romanos ritus profeſſus. Igitur partibus tergiverſantibus ſeqveſtres Belgis formulam tradebant conditiones pacis complexam; qva accepta Beverningius & Harenus legati Belgici Hagam abibant. Galli oſtendebant, ſe Geldriam & Bommelam remiſſuros, contra qvæ inter Moſam & Scaldim jacent habituri. Angli jam duobus ſe portubus contentos ferebant, cum antea qvinqve voluiſſent. Cum de moderando Colonienſis poſtulato ageretur, Franciſcus Furſtenbergius fremebat; Gallos & Svecos inter ſe colludere, ut pauxillo qvopiam ipſi ſatisfiat. Sed ſe fœderi inhærere, ac

ſatius

1673. latius habituros nihil accipere, ut gloriari possint, se à Gallo deceptos fuisse. (ea verba 11. Aug. erant.) Reversi Belgarum legati declarabant, Gallis datum iri Trajectum ad Mosam, Hulstam, & Comitatum Zutphaniæ, excepto tamen oppido cognomine, & Doesburgo, ac ducentis perticis secundum Isalam, qvæ Belgæ sibi retinere velint. Ut tamen Galli ista loca in Hispanos permutatione, aut alio contractu transferant. Qvæ Galli tanqvam longe inferiora aspernabantur. Circa Cliviæ oppida Belgæ declarabant; ferre se posse, ut Gallus ista Electori tradat; sed in hunc actionem eo nomine salvam sibi fore. Galli qvoqve audito munitionem Schenckianum in Clivico solo sitam, ad eam Electori restituendam pronos se ferebant. Porro Sveci Gallis persvadere laborabant, ut à Belgis oblata acceptarent, ostentato Cæsaris exercitu, & ab Hispanis bello; Gallis jactantibus, se utrisqve pares esse, nec Belgas ab hisce levamenti qvid sensuros. 13. Aug. Contra Belgæ non minore ferocia minari, ni intra octiduum conditiones, qvæ honeste admitti qveant, se domum discessuros. Nec segnius adversa pars discessum minabatur, ni Sveci tumentes animos mitigassent. Angli dehinc de portubus Belgicis remittere, ac præcipue impletionem pacis Bredanæ, ac summam pecuniæ poscebant. Galli qvoqve ac socii postulata se sua temperaturos ostendebant. Sed cum Belgæ extrema postulatorum utiqve cognoscere vellent, fœderati hæc edebant, sed ut istis qvatriduum præfigerent, intra qvod ea acceptanda aut plane rejicienda sint. Nam Anglo ob Parlamentum mox convocandum festinatione opus erat, ut huic vel pacem ratihabendam, vel de pecunia bello continuando proponere posset. Erant autem isthæc extrema Galli postulata: Trajectum ad Mosam, Breda, Buscum Ducis, Crevecœra, castellum D. Andreæ, Comitatus Meursæ Colonienſi dandus, pars Geldriæ intra Mosam & Vahalim sita; tum ut Brandenburgico & Neoburgico satisfiat. Angli impletionem pacis Bredanæ, ac summam pecuniæ sumtibus belli reparandis, tum pro captura halecum annuam pensionem. Nam circa submittenda summa vela parum controversiæ restabat. Præsules Transisalaniam & qvædam Frisiæ loca, simul summam pecuniæ captabant. Ast Belgæ Præsulibus omnia abnuere; de Breda & Busco Ducis ne audire qvidem velle. Ita cum neutra pars qvidqvam remitteret, tractatus vado adhærebant.' Nam Galli, in deterius licet ruentibus ipsorum rebus, indignum duce-

1673. bant spiritus suos minuisse videri. Ac Belgis animos addebat Nardena vi expugnata, ac Cæsareus exercitus illuso in Franconia Turennio versus Inferiorem Germaniam descendens. Unde Gallis necessitas nascitura erat dispersum per tot oppidorum præsidia militem contrahendi, & pleraqve occupata ultro deserendi. Ac jam Lisola legatus Cæsareus palam differebat: à Gallo acta merito Cæsari ac Imperio suspecta esse debere, nec diutius dissimulari posse Germaniam extero milite inundari, aut Belgas opprimi. Qvi & Svecis ad promovendam pacem hortantibus responderat; pacem non Coloniæ, sed ante portas Lutetiæ qværendam. Ac interim nuntius de capta à Gallis Augusta Trevirorum majus isti prætextum dabat in hos declamandi. Etsi Galli excusabant; sibi constitisse, eam urbem milite Hispanico & Belgico insidendum; eoqve hunc præveniendum fuisse. Regem tamen eam urbem alicui Germanorum Principum in seqvestrum daturum, ut demonstret, se nihil eorum cupere, qvæ Imperii sint.

Electoris ad Cæsarem missio. 27. Aug.

§. 5. Cumitaqve Sveci juxta ac Galli animum Cæsaris paci aversum arguerent, ac Electorem, ut hunc ad servandam Germaniæ qvietem hortaretur urgerent, is ne qvid in se desiderari pateretur, Marenholzium Ratispona Viennam proficisci jubet. Ei mandatum, ut Cæsari exponeret; Electorem qvidem sua consilia & actiones semper ad tuendam Germaniæ pacem direxisse, qvæ & Cæsaris mens sit, & cui fini isthæc expeditio sit suscepta. Haut eo secius complures Imperii Principes juxta exterosqve sibi persvasisse, isto exercitus motu pacis negotiationem longiuscule progressam turbari, ac magnam belli partem in Germaniam pertrahi multorum cum Ordinum oppressione. Atqvi Gallum, Svecosqve & alios confirmasse, statim atqve Cæsar exercitui suo injunxerit iter retro vertere, aut non ulterius progredi, Gallum qvoqve protinus suas copias solo Imperii deducturum, initis communibus induciis, tum æqvam cum Belgis pacem facturum. Qvam in rem is Svecis fidem dedisse feratur. Unde Electorem sui officii duxisse, ista Cæsari probe expendenda commendare, ut consilia Germaniæ salutaria capessantur. Eqvidem Cæsari in proclivi esse demonstrare, hanc expeditionem à se suscipi, subigente officio, suffragante capitulatione, Instrumento Pacis; omniqve divino ac humano jure. Nec ferendum, extraneas copias media in Germania consi-

1673. ſtere, qvæ fidos Imperii Electores atqve Ordines hoſtili modo opprimant. Omni qvoqve laude dignumeſſe Cæſaris ſtudium circa aſſerendam patriæ qvietem. Magis tamen plauſibilem gloriæ materiam eſſe, ubi id ipſum ſine moleſtia, ſine periculo, ac ſangvine obtinere qveat. Igitur rogari ab Electore Cæſarem, ut exercitum qvo loco jam ſit conſiſtere jubeat, ac negotio pacis promovendo incumbat, prout id vota orbis Chriſtiani qviete ſua excuſſi, ac imminens à Turca periculum reqvirat. Electorem paratum una cum aliis, ac præcipue Svecis ſpondere, Gallum copias ſuas ex Imperio abducturum, nulli Ordinum amplius moleſtiam illaturum, ac initis induciis cum Belgis æqvam pacem initurum. Nec id peti, ut Cæſar copias ſuas plane intra proprias ditiones retrahat, ſed ut iter eas ſiſtere jubeat ea lege, ut Gallus declaratione ipſius cognita promiſſa ſua repræſentet. His irritis Cæſari omnia integra manere; ac tunc majore cum adplauſu deſtinata perſecuturum; ac ubi res ſecus cadat, neminem Ordinum, ac inprimis Svecos non habituros, qvod arguant. Sin autem, uti Elector non dubitet, à Gallo reipſa præſtentur, maximæ gloriæ ceſſurum Cæſari, dexteritate conſiliorum tam pium, ac ſalutare Chriſtiano orbi, tamqve neceſſarium negotium citra ſangvinem fuiſſe obtentum. Iſthæc mandata cum Wangelino & Verjo, hoc Galli, illo Sveci miniſtro communicabantur. Marenholzio à Cæſare Græcij, ubi hic tunc agebat paucis verbis reſponſum: Per Gallorum violentiam aliter ſe facere non potuiſſe. Rem tamen penitius conſideraturum, qvo fine dicta ſcripto exhiberi velle. Cæſarei miniſtri diſſerebant; *Galli pollicitis fidem deeſſe; & cum aliqvot ante menſes Cæſaris ac Electoris exercitus retro cederent, Gallos diverſa qvantumvis ſæpe teſtatos, in mediterrallium Germaniæ penetraſſe.* Mox Cæſar ita ſcripto reſpondit: *Electorem rectè agnoſcere, ſibi hucusqve pacem Germaniæ cordi fuiſſe, & conſilium copias verſus Rhenum mittendi ex officio, ac legibus publicis arreptum. Ac eſſe hujus animi Electorem teſtem, qvi ante annum ſecum arma ſociarit non ob privatum emolumentum, aut ut ditionum qvid adqvirat, velut qvi ſorte divinitus aſſignata contentus ſit; ſed ut pax Monaſterienſis, Aqvigranenſis, & Clivica ſarta tecta præſtetur, itaqve patriæ qvies ſervetur, paci adverſa inhibeantur, externus miles Germaniæ dimoveatur, ablata dominis reſtituantur, læſisqve ſatisfiat. Eam ſibi mentem adhuc perſiſtere: ſimul paci promovendæ Coloniam legatorum congreſſibus acceptaſſe, propoſitis qvoque communibus induciis, qvas à Gallo & ſociis acceptatum iri ſpes fuerit, velut qvi declararit; qvamprimum Cæſar & Elector copias ſuas intra proprias ditiones retraxerint, ipſum qvoqve oſtentando in pacem ſtudio militem Gallicum è Germania revocaturum. Enimvero qvomodo Gallus hanc declarationem impleverit, rem ipſam oſtendere. Nam regreſſis licet intra ditiones hereditarias Cæſareis copiis, Gallum propoſitas inducias repudiaſſe, longius in Germaniam penetraſſe, multos Ordinum plane proruiſſe; Fridbergam, Aſchaffenburgum & Selingſtadium vi occupaſſe; decem civitates Imperiales in Alſatia pendente arbitrio crudeliter habuiſſe; Trevirenſem, cui nullum cum Belgis fœdus fuerit, hoſtili modo invaſiſſe, tantum qvia a Cæſare ac Imperio ſe diſſociare noluerit. Ac primo qvidem per Cravellium Ratiſpona excuſſiſſe, iſta præter juſſum ſuum facta; mox ipſam Trevirorum urbem vi expugnatam. Atqve iſthæc pleraqve patrata, anteqvam Cæſareæ legiones in Imperium moverent. Nec adhuc finem hoſtilium fieri, officiumqve Imperii Moguntino, Bavaro ac Cellenſi delatum eo modo, qvi in SCto deſignatus eſt, haut admiſſum. Unde ſibi ex munere qvod gerat neceſſitatem impoſitam oppreſſis auxilia mittendi, ac Germaniam ab exitio vindicandi, ſimul propriæ ſecuritati proſpiciendi. Qvam ultro proditurus ſit, ſi ipſe, poſtqvam Gallis nulla fides, nec aliunde idonea cautio, inconſultis & haut conſentientibus fœderatis exercitum retrovocet, aut eo loco ſiſtat, ubi jam agit, eorum Ordinum terras plane exeſurum. Præſertim cum Gallus erga Svecos id duntaxat declararit; ni ipſe è Bohemia qvoqve copias in interiora ducat, ſe copias ſuas non plane extra Imperium, ſed tantum trans Rhenum reducturum, velut eum fluvium Imperii limitem facturus; nulla inſuper mentione facta de reddendis locis ad Imperium pertinentibus, aut de reparatione tantorum damnorum innoxiis illatorum. Unde Galli poſtulata non alio ſpectare, qvam infeſtis ſuis in Germaniam deſtinatis promovendis, ac fœderatis divellendis; ac ut Cæſari non amplius integrum ſit cum qvopiam fœdus ferire tutandæ propriæ ditioni, ac univerſæ Germaniæ. Atqvi intolerandum eſſe, à Gallo legem dici Cæſari, qvæ huic in Imperio, divinitus per legitimam electionem collato, circa ejus defenſionem facienda aut omittenda ſint. Nec ideo tamen à pace abhorrere, qvam deinceps qvoqve promoturus ſit. Super inducias qvoqve cum fœderatis conſulturum, ac Electori ulterius ſuper ſententia ſua ſignificaturum.* Addebantur hortatus ad Electorem, ut digna primario Germaniæ Principe conſilia capeſſat. Communicabatur

qvo-

1673. qvoqve Galli responsum Baroni Rollingero datum super interpositione Imperii nomine oblata. Hoc officium sibi gratum fore duntaxat circa controversias cum Cæsare, Imperio, & qvibusdam ejus membris ab anno septuagesimo secundo enatis. Sed existimationem suam non pati, ut à designatis per Imperium officio obeundo Principibus Belgicum qvoqve negotium tangatur, qvod Cæsar Belgis fœdere innexus sit. Eoqve hosce tractatus alio loco suscipiendos; qvo fine à se Moguntiam, Francofurtum ad Mœnum, & Argentoratum proponi. Sed qvamprimum controversiæ cum Cæsare & Imperio compositæ, ac Imperio qvies parta fuerit, se libenter officium Imperii componendo bello Belgico admissurum. Prius tamen sententiam Cæsaris cognoscendam; qvod sibi decretum sit non ulterius circa negotium pacis procedere, qvam jam fecerit. Nam dum nimis pronum se in pacem ostenderit, aliis credendi ansam præbitam, velut à se pax per metum desideretur. Ast si Cæsar suas & qvorundam Ordinum rationes haut separare velit, sed eas velut accessorium, & è Belgicis turbis promanans negotium utiqve conjunctim cum Belgica pace tractare pertendat, se non nisi Svecos seqvestres admittere posse.

Rollinger.

Sveci super tertiis partibus formandis agitant.

§.6. Isthæc Cæsaris constantia Svecorum consilia non parum turbabat. His enim ab initio, cum fœderi se Gallico innecterent, spes fuerat, vim Gallorum à Belgis pari vigore exceptum iri, atqve eos mutua collisione vires egregie attrituros. Interim se per otium conciliandæ paci operaturos, & pecunia Gallica gratis fruituros, nulla vicissim opera præstita. Sed cum Belgæ primo impetu à Gallis tantum non pessumdatos conspicerent, trepidi circa pacem conciliandam satagebant, ac Gallo in præmium belli egregia qvædam oppida concedi par censebant. Tum ne Germania eo bello implicaretur, horrebant, qvod eo casu sibi pro Gallo ex fœdere arma stringenda forent, qvibus cum vigore gerendis domi vires sibi deesse norant. Unde & apud Cæsarem, ne ei se bello misceret, sedulo instabant; & Electorem in partes digressum inde retrahere laborabant, eoqve obtento non parum gaudebant. Nam nec Cæsarem solum sine Ordinum consensu & auxilio qvid suscepturum judicabant; ac ni Brandenburgicus alios suo exemplo accenderet, reliqvos Ordines ægre se commoturos. Sed cum circa Cæsarem eos sua spes fefellisset, id agebant, ut Electorem saltem à conjunctione cum Cæsare retraherent, eumqve ad partes & consilia sua pellicerent; cujus autoritatem sine dubio alii qvoqve Principes secuturi sint. Unde Cæsari necessitatem allatum iri arma ponendi; aut si ea pertinaciter retinere velit, bellum ejus ditionibus infundi posse, lucrosum juxta, tutumqve complurium Germaniæ Principum societate succinctis. Igitur cum legatis Svecicis Coloniæ spes pacis minueretur, proponere cœperunt, ut præcipui Ordinum ad exemplum Electoris legatos suos eodem mittant, Moguntinus, Saxo, Neoburgicus, Brunsvicenses, Hassi; ac societate inter se inita prohibeant, ne Germania bello implicetur, ac tertiis formatis partibus Belgas juxta ac Cæsarem ad pacem amplectendam compellerent. Galli qvoqve disserebant; Electorem propriis commodis, ac Germaniæ qvieti plurimum consulere posse, si tantum simulet, se Galliæ arctius innexum; ac confirmabant, à se exitium Reip. Belgicæ haut qværi. Atqve istis destinatis Neoburgicus qvoqve succinebat. Id negotium, cum altioris indaginis esset, Elector matura consultatione discutiebat. Ubi tres præcipue scrupuli occurrebant: hac via utiqve in bellum rui, qvod declinare studeant: tum Svecos directionem harum partium sibi arrogaturos; deniqve hoc modo arma propriis sumtibus habenda, nullis alicunde subsidiis, qvæ Svecis per Gallos liberaliter suppeditanda sint. Ac universi consiliarii uno ore isthoc institutum improbabant. Nam hac ratione rem utiqve ad bellum deduci, & qvidem uti manifestum sit contra Cæsarem in causa, ubi Germania ab exteris vi armata invadatur, Cæsar autem testetur, se nil nisi munus impositum legitime impletum ire. Id remedium qvoqve sistendo bello jam sero adhiberi. Nam si Cæsar instituto suo depellendus sit, fœderatorum copias jam in promtu esse oportere. Contra si Gallus bona fide Germania excedat, aut eo nomine idonee caveat, Cæsarem facile arma positurum videri, ut tam invidioso remedio opus haut sit. Sed & superfluum fore ejusmodi societatem iniri Belgis ad pacem compellendis, qvod ubi Gallus relicta Germania cum istis solis rem habere cœperit, pax facile successura videatur. Ast si Gallus uti hactenus grassari pergat, nullo colore ab Ordinibus arma Cæsari dissvaderi, multo minus opposita vi retundi posse. Porro si Sveci moderamen hujus negotii, qvod sine dubio affectant, obtineant, novas ditiones eos in Germania aucupaturos; ac forte libidinem subituram ad Oceani littus fines proferendi, uti jam Baltici maris oram in-

Electoris de his judicium. 27. Aug.

1673. ſederunt. Qvod qvam commodum vicinis futurum ſit, ex iis colligi poſſe, qvæ Elector in Pomerania toleraverit. Forte & Svecos poſſeſſionem urbium Clivicarum affectaturos, qvas Gallus in tertii manus ſe depoſiturum obtulerit. Ejusmodi qvoqve conjunctionem, qvæ reipſa contra Cæſarem tendat, Galli deſtinatis velificaturam, ac magis bello in Germania alendo, qvam paci Belgicæ promovendæ facturam. Deniqve & privatas rationes eſſe, ob qvas Electori cum Belgis haut ita duriter agendum ſit. Igitur hanc confœderationem declinandam, & hinc pactis cum Gallo ſtandum, inde adverſus obligationem patriæ debitam nil admittendum. Enimvero cum antea Galli juxta ac Sveci tertias iſtas partes ſolicite ingeſſiſſent velut commodiſſimum remedium bello finiendo, qvibus digerendis Wilhelmus Furſtenbergius, & nomine Neoburgici Winckelhuſio iter in Galliam adparabant; mox ea profectio omiſſa fuit, qvod tale fœdus Gallo parum gratum foret, de qvo & legati Gallici Coloniæ ſolenniter declarabant. Inprimis diſplicebat Svecos id fœdus ingredi, qvod ad auxilia Galliæ ferenda tenerentur, ſi Cæſar hujus ſe hoſtem ferret. Haut co minus Tottius eas tertias partes à ſe optari teſtabatur. Nam Svecos qvidem Gallicum fœdus accurate ſervaturos: ſed ab his qvasdam conditiones reſervatas, qvibus neceſſitate exigente ad pacem Germaniæ ſervandam uti qveant. Id tantum optabat, ut omnes in amplectendas eas partes conſentiant; qvo facto dubium non eſſe, qvin ſola armorum oſtentatione pax promoveri qveat. Unde & gratum ſibi ferebat ab Electore militem non exautorari, qvod iſtos, qvibus adhuc omnia integra ſint, præcipuum paci momentum allaturos adpareat. Sveci qvoqve Electoris Palatini ſententiam ſuper iſtis partibus exploraverant, qvi ab iis ſeſe haut alienum oſtenderat.

10. Oct.

Tractatus Colonienſes hærent.

§. 7. Inter qvæ Coloniæ ad pacem nil proficiebatur. Nam qvia Sveci ferebant, enixo nimium ſuo circa pacem ſtudio eam magis retardatam, Belgisqve pertinaciam acceſſiſſe, paulo lentius ſibi agendum, ac Cæſareæ expeditionis ſucceſſum ſpeculandum. Qvia tamen fama erat, Belgas repentino diſceſſu tractatus abrumpere velle, circa qvod & Hiſpani valde laborabant; Sveci id enixe diſſvadebant, qvod hoc modo toti orbi oſtenſuri ſint, ſe bellum paci præferre. Ad qvæ Belgæ: Optari utiqve à ſe ſtabilem ac æqvam pacem; ſed ſuam heic præſentiam nulli uſui eſſe, ni adverſa pars duris conditionibus deſiſtat. Oſtendebant qvoqve Belgis Sveci, qvantis malis Germania in ipſorum gratiam obruatur, præſertim per fœdus cum Cæſare, qvo tota belli moles in iſtam devolvatur, nullo ipſorum levamento, qvin ut per id plus præjudicii qvam forte credi poſſit iisdem concilietur. Nam ſi penes Gallum victoria ſit, ei tantum ferociæ acceſſurum, ut huic compeſcendæ nemo par deinceps ſit futurus: & tunc Belgii juxta & Germaniæ libertatem conclamatam fore. Victore Cæſare Gallum qvidem non plane ſubvertendum. Hoc tamen penitus intra fines ſuos compulſo Cæſaris potentiam Ordinibus prægravem futuram, ac forte Belgas tunc iterum antiqvi domini jugum ſubituros. Enimvero iſta ſero canebantur, poſtqvam hi jam Cæſari ac Hiſpano ſeſe innexuiſſent; ac poſt ratihabita cum his & Lotharingiæ Duce fœdera belli magis, qvam pacis cura erat; ac jam poſtulabant, ut Cæſar qvoqve huic tractatui includeretur. Contra Galli nunqvam teſtati fuerant, præſentiam Cæſareorum & Hiſpanicorum legatorum ſibi ingratam eſſe; ut tamen nollent omnes controverſias Coloniæ componi; ſed ſæpius confirmarent, Regem conventu alibi indicto Principibus extra partium ſtudia poſitis cognitionem delaturum, num ipſe adverſus pacem Weſtphalicam qvid admiſerit. Circa pacem Belgicam eo deſcendebant, ut Ariam, D. Audomari Fanum, Cameracum, Ipras, & duas exiguas præfecturas ſibi depoſcerent, pro qvibus Belgæ Hiſpanis ſatisfacere debeant; qvæ ſane conditiones ſine ſuo inſigni damno à Belgis acceptari poſſint. Differebant qvoqve exiguam pacis ſpem ſupereſſe, ni qvidam extra partes poſiti Principes ſocietate inita non minus Gallo denuntient, ſe Belgii oppreſſionem haut toleraturos, qvam Cæſari, turbis in Germania excitatis ſibi haut conſuli. Nam Regi ſuo haut ſufficere, à Cæſare declarari, Gallicis copiis toto Imperio excedentibus ſuas non longius progreſſuras. Nam ita Cæſari integrum fore cum exercitu ſuo ad Mœnum, in alieno utiqve conſiſtere: Gallo contra omnia opportuna loca deferenda, ac poſt abruptas forte inducias bellum intra proprios fines expectandum. Aſt Elector Gallis per Sverinum demonſtrari jubebat, ut tot Ordines ita duriter habere omitterent; de qvo tam atroces qverimoniæ moveantur. Nam ea graſſatione durante Cæſari cum ratione ſvaderi non poſſe, ut otioſus Germaniæ vaſtationem ſpectet. Eadem ut Sveci qvoqve Gallis ingererent, monebantur. Sed Sveci reſpondebant:

1673. debant: ista se Gallis sæpe asperis verbis demonstrasse; sed præter excusationes & laxa promissa nil extundere potuisse. Galli qvoqve Sverino reponebant: anteqvam Cæsar exercitum retrahat, à se postulari non posse, ut qvæsita commoda ultro exuant. Ac digressis Gallis Cæsarem haut omissurum autoritatem suam stabilire, nec ditionibus Ordinum copias deducturum. Super Gallico milite tantas qverelas moveri mirum non esse. Nam præterqvam qvod subigente belli ratione sæpe dura qvædam suscipienda sint, etiam modica delicta odio in nationem Gallicam velut enormia facinora differri. Se tamen ista ad Regem & Turennium relaturos. Alias ostendebant, Belgis pacem cordi non esse, id qvod non à Rep. sed solo Arausionensi proveniat.

Mattra-tium Colonia evadit fasci. 1.08.

§. 8. Postqvam igitur Hispani fœdere cum Belgis inito Gallis bellum decrevissent, alia tractatuum facies surgebat. Nam Belgæ jam suæ paci Cæsarem qvoqve, Hispanum, & Lotharingum includi volebant. Eqvidem Elector per Sverinum Belgis pacem commendabat, qvod exitus belli sit incertus, & forte post immensos sumtus duriores conditiones admittendas. Sed isti respondebant: acta transacta omnia, & Arausionensem à Monteregio jam reqvisivisse, ut Gallis bellum indicat. A Gallo propositas pacis leges præstari non posse. Nam etsi ipsi permutationem oppidorum Hispanicorum acceptent; incertum tamen esse, num Hispani in eam consensuri sint; sed potius metuendum, ne ista tanto pretio taxent, cui à Rep. satisfieri neqveat. Insuper à Gallo postulari restitutionem bonorum Melitensium, ac leges obtrudi circa sacra observandas. Anglorum qvoqve postulata circa capturam halecum, ac qvæ Præsules velint enormia esse. Sed & transactionem super demissione apluſtrium hæsisse, qvod Angli supremum ipsorum in mare dominium à se agnosci velint. Innocentes se atrocissimo bello petitos. Nunc validis se fœderibus fulciri, ac ita instructos, ut cum Gallo pedem pedi conferre possint. Igitur decrevisse amissa armis recuperare, nec turpem pacem amplius morari. Ita isti seqvestribus declarabant: qvia propositæ pacis leges admitti non potuerint, Reip. cum Cæsare, Hispano, ac Lotharingo fœdus fuisse feriendum; eoqve & hos ad tractatus pacis admittendos, ac diploma tuti itineris pro Lotharingi legatis expediendum. Eam ob causam Elector Sverino injungebat, ne amplius Belgas super pace urgeret, ne hi suspicentur, id Galli instinctu fieri; præsertim qvia res in eum jam statum devoluta erat, ut per monita parum proficeretur. Ast Galli uti Cæsaris & Hispani inclusionem non valde abnuebant, ita de Lotharingo plane adspernabantur. Unde Sveci hoc temperamentum proponebant, ut Dux per proprios legatos ne tractaret; cæterum ejus fœderatis integrum fore super ejusdem restitutione hoc conventu agere. Cum ne id qvidem admitteretur, Sveci communes inducias proponebant; sed qvæ neutri parti arridebant. Haut eo minus Sveci moderationem conditionum ingerebant, Belgis semper Lotharingi admissionem urgentibus. Et cum Sveci objicerent; fœdus cum eo Principe Reip. noxium, cum is nil habeat qvod amittat, & Reip. etiam sumtus scribendo militi præbendos fuisse; ac videri Belgas id fœdus ultro affectasse, ne prætextum abrumpendis tractatibus deforet; Belgæ nil aliud respondebant, qvam se obligationem induisse, qvæ implenda sit. Inter qvæ Administrator Magdeburgicus Gallis & Svecis libellum exhibuerat, qvo millionem uncialium Electorem poscebat, ob hospitia, exactiones, & alia onera ei Præsulatui imposita. Sed utriqve id negotium rejiciebant tanqvam huc non spectans. Qvæ velut altius penetrantia Elector ægerrime ferebat. Ast postqvam Hispani bellum Gallo indixissent, de qvo Condæus Coloniam nuntiabat, iidem Colonienſem ditionem tribut s subjiciebant. Unde is Præsul Bonnæ diffisus Coloniam se recipiebat, ac Pantaleonis cœnobio inclusus agebat. Venit tunc ab Hanoverano Duce missus Wittius, qvi ostendebat, Ducem ab amplectendis tertiis partibus non alienum esse, si istæ ad tuendam pacem Westphalicam, & reducendam Europæ tranqvillitatem tendant. Cui instituto iterum Galli succinebant, qvod suo Regi ingratum esse non possit. Sed nec Electorem rebus suis melius consulturum, qvam si Sveciæ se per fœdus innectat. Ac jam magna erat expectatio, qvid Conradus Mardefeldius à Rege Sveciæ Berolinum missus effecturus esset. Qvia porro Belgæ tam sæpe de discessu suo minabantur, Gallus Chaunium Ducem Colonia avocabat, velut conventui Ordinum Britanniæ, qvæ ipsius provincia erat, interfuturū, qvi tamen partem familiæ & supellectilis ibi relinqvebat. Interim Cæsareus exercitus Bonnæ circumfunditur segniter munitæ, haut prævisa tanta rerum mutatione; & qvia enormis subigendi Belgii fervor effecerat, ut Colonienſis propriæ defensionis parum meminisset. Argentoratensis qvoqve Præsul

1673.

1.08.

21.08.

2.Nov.

1673. Coloniæ ſe parum tutum ratus Keiſers vvertam diſcedebat. Elector tamen ipſe, Senatu urbano cavente, Coloniæ ſubſiſtebat, calamitatem ſuam celebrandis ſacris ſolatus, & ſpe per Gallos omnia abunde penſatum iri. Aſt Sveci circa moderandas pacis leges deſudabant, multis ad arbitros rejectis. Præſulum ſingulis tricena uncialium millia reparandis belli ſumtibus depoſcebant. Cum Cæſare omnia ad leges pacis Weſtphalicæ revocanda. Super decem oppidis Alſatiæ, ac Vaſallis Metenſibus, Tullenſibus ac Verodunenſibus ſententia arbitrorum ſtandum. Hiſpanis Aqvisgranenſem pacem reddendam. Circa Lotharingum Moguntini, Bavari & Cellenſis officium adhibendum, à Gallo jam admiſſum; aut ad arbitros eundum. Aſt Liſolæ iſta ratio haut placebat, qvæ lites non extingvebat, ſed differebat; ac præſtare dicebat aliqvot per menſes tractationem continuare, & omnia plene expedire, qvam aliqvid indeciſum relinqvere futuris turbis ſemen præbiturum. 11. Nov. Regii qvoqve & eorum ſocii declarabant, ſe in ſæpius jam propoſitas inducias conſenſuros. Sed Belgæ iſta omnia, niſi admiſſo Lotharingo, repudiabant. Nec formula pacis à Svecis deſignata arridebat, qvod per eam, qvæ ab ipſis poſtulabantur, in præſens præſtanda forent, ſuis deſideriis in futurum rejectis. Aſt rem pro illiqvida ſpe dare ſibi haut prudentis videri. Qvin poſtqvam Galli, tot oppida in Belgio occupata deſerere inciperent, ne qvidem Trajecto ad Moſam ſe carituros jactabant. Ea occaſione Elector ſuper reddenda ſibi Veſalia, Reeſa, & caſtello Schenckiano moneri jubebat. Sed Galli reponebant: Regem qvidem nonnulla loca derelicturum, ut præſidiario milite alibi utatur. Sed eo rem haut redituram, ut Neomago, Gravia, & locis altius ad Rhenum ſitis decedat. Si id tamen futurum ſit, Regem malle iſta in Electoris, qvam cujusvis alterius manus pervenire. Ad qvæ Elector viciſſim petebat, ut Galli mature ipſum moneant, ac qvid paratus bellici ibi relinqvant, qvo a ſe ſuper immittendo præſidio diſponi qveat, ne forte ab alio qvopiam iſta loca intercipiantur. Tottio Sverini rogatu ſuper eorundem oppidorum reſtitutione agenti Galli negabant de horum derelictione cogitari. Si tamen Elector plus favoris in rationes Galliæ oſtendat, ſuper iis facile conveniri poſſe. Alias ea loca ante pacem haut recepturum. Cum Sverinus interrogaret, qvidnam Galli ab Electore deſiderent; Tottius reponebat: qvia Gallus pacem cupiat, Electorem ei rem gratam facturum, ſi ad eam promovendam incumbere velit. Qvod Sverinus 1673. Electorem libenter facturum oſtendebat, modo talia poſtulentur, qvæ adverſæ parti placere poſſint. Ad qvæ Tottius: Tertias partes, qvibus antea Gallus tantopere reluctatus fuerat, nunc ei non ingratas fore. Neqve Svecis animum eſſe, ut per iſtas Gallus ſublevetur; ſed ut is tantum in ordinem redigatur, qvi paci obſtiterit. Idem qvoqve ſignificabat, Gallum acriter inſtitiſſe, ut Sveciæ Rex ex fœdere pro ipſo arma expediat. Id autem plane recuſatum, qvod fœdus id non ſolum pacem Monaſterienſem pro fundamento habeat; ſed & eodem contineatur, ut à Gallo æqvæ pacis conditiones ferantur aut admittantur: ſed à Gallo in utramqve conditionem peccatum. Idem & de fœdere, qvod tunc inter Svecum, Bavarum, Neoburgicum & Hanoveranum agitabatur, diſſerebat; id in neminis favorem tendere, ac fœderatos exacte ſe medios geſturos. Eqvidem id nonnihil ſuſpicionis excitare, qvi illi ipſi, qveis Gallica ſubſidia percepta, ei fœderi nomina dent. Sed hos probe perſpexiſſe, ſi Gallo ita graſſari concederetur, idemqve promiſſis auxiliis firmaretur, rem longius qvam creditum fuerat, proceſſuram. Unde maluiſſe hoc remedium arripere, qvam ulterioribus turbis in Imperio anſam præbere. Ac ſi Elector huic fœderi accedere velit, intra unum menſem pacem fore. Aſt ſi qvi credant, id fœdus in favorem Galli cudi, ac contra idem alias partes formare inſtituat, facile fieri poſſe ut iſti ſimpliciter in Galli partes transeant. Interim cum Belgæ ſuper admittendo Lotharingo inſtarent, Svecis qvoqve urgentibus, Galli declarabant, in futura pace peculiarem articulum concipiendum ſuper Lotharingo reſtituendo. Minoris momenti capita ad arbitros poſſe remitti; puta, num Nanceium munitionibus ſit firmandum; num Regi an Duci actio ſuper reparando damno competat. Tum non ſolum Ducis fœderatis, ſed & Sveco ac Anglo integrum fore præſtationem pacti in ſe ſuſcipere, ac junctis viribus Galliam invadere, ubi hæc promiſſis non ſteterit. Cum itaqve hoc modo res ipſa obtineatur, eam eſſe acceptandam. Nam alias Regem judicaturum, de honore ſuo agi, & extrema potius tentaturum, qvam ut ad tradenda diplomata coactus videatur. Enimvero Lotharingus Gallo haut fidebat, qvod huic in proclivi foret apud arbitros tam dura poſtulare, ut reſtitutio ſua in perpetuum eludi poſſet.

§. 9. Enimvero cum Belgæ pertractis in ſocietatem Cæſare atqve Hiſpano parem

1673. parem jam belli molem Gallo oppoſuiſſent, ſatius videbatur cum hujus ſociis ſeparatim tranſigere; qvi & in iſtius gratiam peſſundari, aut bello non neceſſario contra proprias rationes atteri ſtolidum ducebant. Unde poſt captam Bonnam cum præſulatus belli calamitatibus penitus obrueretur, ac Præſul cœnobio incluſus non niſi ſacris faciendis vacaret, Capitulum formulam conceperat peculiaris inter Cæſarem ac Præſulem tranſactionis; qvam hic facile admiſiſſet, velut toto hoc in negotio alienæ libidini obnoxius, ni Wilhelmus Furſtenbergius obſtitiſſet, ſpe facta, Gallum accepta damna ubertim penſaturum. Nec minus Belgæ ut Anglum ſocietate Gallica abſtraherent ſatagebant; ac jam iſte Londini apud Marchionem de Frelino Legatum Hiſpanicum à pace ſe non alienum oſtenderat. Sed qvi Coloniæ erant legati Anglici Svecis teſtabantur; Regis ſui mentem non eſſe à Gallo ſe disjungere; ſed eum extrema potius tentaturum, qvam ut datæ fidei deſit. Neqve tamen ſe Galli pertinaciam obfirmaturos, ſi adpareat, eum æqvas conditiones repudiare. Haut eo minus iſti cum Belgis ſuper adornandis ſuis conditionibus ſatagebant. Ac jam ſpes oriebatur, diu velut ſopitos tractatus iterum excitandos, Gallis denuntiantibus, Ducem Chaunium a Rege juſſum Coloniam reverti; cum abductus Wilhelmus Furſtenbergius totam negotiationem evertit. Eum inclinato in veſperam die à Comitiſſa Marcana, cujus converſatione delectabatur, regredientem in loco minus freqvente qvadraginta milites è legione Marchionis Granæ immiſſi invadunt, ac cæſis aut ſauciatis comitibus extra portam abreptum trajecto Rheno Tuitium, inde Siburgum, ac demum Bonnam abducunt. Decreti ſuper eo captivando præter Cæſarem nemo niſi Hocherus, & Abela Secretarius conſcius fuerat. Et Grana Marchio, cum prima vice ejus exſecutio injungeretur, eam deprecatus fuerat. Sed iteratis juſſis parendum erat. Referebat Schvvartzenbergius Princeps, Furſtenbergium poſtridie Colonia ſe ſubducere conſtituiſſe. Unde colligi poſſe, eum ſibi conſcium fuiſſe, ſecuritatem ipſi eo loco haut deberi. Eares magnum inter legatos tumultum excitavit, ac Regii legati ad ſuum qvisqve Regem curſores miſere ſciſcitatum, qvid hoc caſu faciendum foret. Inprimis Sveci tanqvam ſeqveſtres apud legatum Cæſareum Joannem Fiſcherum demonſtrabant; neminem magis qvam Sveciæ Regem hoc facinore offenſum. Nam eo conſcio in hanc urbem fuiſſe conſenſum. Sua opera omnes legatos defenſionem ſuam ultro exuiſſe, interdicto, ne qvis famulorum arma geſtaret. (cum tamen Furſtenbergii pedifeqvi omnes tubis minoribus fuerint armati.) Se non ſolum cautione Senatus urbani, ſed qvam maximè declaratione Cæſaris Ratisponæ facta confiſos. Qvin imo cum Wilhelmus Furſtenbergius vidiſſet, fratrem Franciſcum metu hinc ſe ſubduxiſſe, tam apud ſe, qvam Liſolam Cæſareum legatum exploraſſe, num ipſe heic ſat tuto agere qveat: ab utrisqve Cæſaream declarationem oſtentatam. Cæterum talia in ſe cudi Wilhelmus dudum præſciverat; qvin monitus fuerat, eo ipſe die, & ab iisdem hominibus, qvi id facinus patrarunt, ſe invadendum; neqve tamen melius ſibi caverat ſanctimonia loci, aut comitum fortitudine fretus, aut qvod talia interdiu ſuſcepta civium concurſu facile prohibenda ſint. Veroſimile erat, qvia Wilhelmus iſte peculiarem tranſactionem inter Cæſarem & Colonienſem impedierat, Liſola ſvadente ita cum eo actum. Unde & hic avertendæ ſuſpicioni diu Leodii hæſerat, ac licet dudum inde diſceſſiſſet, tantiper neſcio qvo loco ignoratus egerat. Miſſus inde à Senatu Colonienſi ad duces Cæſareos Bonnam, qvi Furſtenbergium repoſceret, ac ut in miniſtros facinoris animadvertatur; qvi juſſu Cæſaris id ſuſceptum ferebant. Igitur à ſeqveſtribus nobilis raptim Viennam miſſus eſt ad miniſtrum ibi Svecicum Eſaiam Pufendorfium, ut exhibito ſcripto ejus liberationem expoſceret. Nam ſalvum conductum in Comitiis Imperii publicatum, & ab univerſis Ordinibus probatum: ſanctiſſimum juris gentium caput immani facto violatum; unde abductum protinus libertati reſtituendum, ac in autores & patratores pro gravitate criminis animadvertendum. Ei a Cæſare reſponſum: *Sibi non conſtare Wilhelmum Furſtenbergium legati dignatione fuiſſe, aut procuratorium ab ullo Imperii ſtatu, qvem negotium pacis ſpectet, debitis locis ad notitiam publicam edidiſſe; cum nec locus ſit procuratorio præſente Principe, nec vocabulo familiarium comprehendantur, niſi qvi panc & victu domini alantur; minime vero illi, qvi diverſas à diverſis functiones gerant. Nec ſi is maxime ejusmodi perſonam induere tentaſſet, eum admittendum fuiſſe: cum non deceat originis Germanicæ ac Imperii ſubditum, domusqve Auſtriacæ vaſallum, ac provincialem Archiducatus Auſtriæ tale munus contra Cæſarem ſuſcipere.* (Etſi ejus frater Franciſcus Ego in qvodam ſcripto de iſto poſuerat: *ab Imperio nihil habuit, Imperio nihil*

1674.

Belga ſeparatam pacem cum Galli ſocio capiunt.

Vilhelmus Furſtenbergius abducitur. 14. Febr.

19. Aprił.

Id factum defenditur.

1674. *nihil dubii.*) *Nomine qvoqve Principum & Statuum Imperii non alios intelligi, qvam qvi suffragio & sessione in Comitiis gaudent. Qvin nec Regum ac Principum legatis, qvi revera isto munere funguntur, permissum esse in loco, ubi id exercent delinqvere, & infesta in statum ejus, cui peculiariter ob originem, subjectionem, aut alio nexu sunt adstricti, machinari, aliaque in fraudem Cæsareæ autoritatis & existimationis patrare. Orbi insuper Christiano constare, qva & qvanta iste in dispendium totius Imperii admiserit, præsentis belli primarius incentor, legionis qvoqve Gallicæ tribunus nulla avocatorii edicti cura. Igitur juste in custodiam datum, ne ei amplius liceat exitiabilem consiliorum telam in perniciem Cæsaris ac Germaniæ pertexere. Nec Gallicis legatis qverendi causam esse, cum eorum securitati nil decesserit; qvibus & non paulo graviora objici qveant, qvod Lotharingo Cæsaris fœderato diploma tuti accessus negent, eoqve obtentu tractatus exerabant. Tum Nassovium Comitem contra securitatem à Cravellio Imperii Ordinibus totiens in Comitiis promissam dura sat custodia hucusque detineant.* Eo super facto Cæsar qvoqve ad Electorem referebat, hortatus ut operam daret, ne ob eam causam negotiatio pacis abrumpatur. Circa qvod hujus sententia erat: tanti non esse istum hominem, ut in ejus gratiam tam salutare negotium intercidat: nec ita de Germania meritum, ut à fidis patriæ Ordinibus ejus causam suscipi par sit. Nec adparere, qvomodo alii hoc factum tantopere exaggerare qveant; cum nec tractatibus velut plenipotentiarius interfuerit, qvo præsente Colonienſi opus non fuerit; nec inter Gallicos ministros censeri possit; eoqve persona publica haberi neqveat. Sed non in obscuro esse, illorum qvi tantopere tumultuantur, utilitatem heic verti ob exitiosas machinationes, qvas iste in fraudem patriæ aliqvot per annos agitaverit. Igitur se libenter Cæsaris placitum secuturum, ne eam ob causam negotium pacis interrumpatur. Aſt legati Svecici ad responsum Cæsaris regerebant. *Id se qvidem dare, Cæsari de Furstenbergii charactere nil constitisse. Eum tamen ab omnibus ad hos tractatus missis pro legato habitum, ac cum eo ut tali actum: eundem stipendio ac sumtibus Colonienſis victitasse; nomen ministri & consiliarii intimi gessisse, ejus negotia tractasse, procuratorium exhibuisse. Ipsum Electorem numqvam congressibus interfuisse, sed omnia per istum egisse; nec ejus personæ qvid unqvam oppositum aut contradictum. Processum qvoqve ab executione cœpisse. Eum non nisi suspicionibus onerari, qva in qvemvis cadere qveant. Sane promovendæ* 1674. *pacis sedulam operam navasse. Domui Austriacæ eundem neqve subditum, neqve vasallum, nec jurejurando obstrictum. Nam utut parens aut frater natu major ipso pupillo existente, eoqve inscio bona qvædam ejusdem qvoqve nomine inserto in feudum acceperit; ab ipso tamen juramentum fidelitatis haut præstitum, nec qvid eorum bonorum unqvam possessum: qvin omni expectationi bonorum in Imperio & alibi sitorum multos ante annos in gratiam fratrum majorum natu renuntiasse; sicqve liberum fortunam sibi suam struxisse, sacroqve se ordini addixisse. Durantibus qvoqve his tractatibus functionem tribuni militaris Gallici non egisse, nec legionem, qvæ ab eo nomen gerit, unqvam contra Cæsarem armas gessisse; qvi & semper de Cæsare reverenter locutus sit. Igitur saltem citra cognitionem causæ ad extrema non fuisse procedendum: ac denuo eum libertati restitui petebant.* Super 17. Febr. eodem facto Colonienſis qvoqve literis ad Electorem datis qverebatur, petens ut is apud Cæsarem instet, qvo id factum reparetur, & in autores animadvertatur. Cui Elector respondebat: se prius inqvisiturum, jussu Cæsaris an injussu id patratum sit; ac inde facturum, qvod æqvitas ac Imperii salus dictitet. Galliæ qvoqve Rex Electo- 23. Febr. ri per Verjum super eodem facto significabat; circa qvod, qvid Cæsar declaraturus sit, expectare velit. Interim legatis suis injunxisse negotiationem suspendere. Eqvidem nondum credere, id jussu Cæsaris factum; inde tamen id judicaturum, num Cæsar captum in libertatem repositurus, ac de iis, qvi istum abduxerunt, supplicium sit sumturus. Qvod si Cæsar agnoscat factum, qvo non solum fides publica & jus gentium, sed & fides, qvam is toti Imperio in Comitiis dedit, violata sit; sat manifestum esse, hoc modo ansam qvæsitam tractatibus abrumpendis, qvod metuat, ne per pacem arma ipsi è manibus eripiantur, qvæ prætexto tutandæ libertatis Germanicæ arrepta ad eandem opprimendam retinere cupiat: cujus partem jam itineribus exercituum suorum oppressérit, ac unum Electorem ditione exuerit; cujus & miles tractu Rhenano stativa nullo discrimine capessat, ac bello extrahendo viam qværat. Specimen qvoqve in Wilhelmo Furstenbergio editum, qvid deinceps in libertatem Principum Imperii statuendum sit. Qvæ tanto fervore jactari eo absurdius habebatur, qvod Gallus sola bellandi libidine tot hominum myriades armis nulla justa causa motis exitio dedisset, aut fortunis evertisset, & magnam Germaniæ partem exercitu

suo

1674. suo protrivisset. Porro Lisola, qvi vulgo ejus facti architectus habebatur, ignorantiam simulabat; sed dolebat, id ante biennium non fuisse susceptum. Nec ejus restituendi spem faciebat, qvod Cæsari sine dubio gravissimæ causæ fuerint, ut ad extrema hæc descenderet. Contra qvi Wilhelmo favebant, id præcipue mirabantur, qvod is legatus fuisse negaretur: cum tamen legationis suæ fidem apud sequestres fecisset, ac pro tali ab omnibus, præcipue Belgis agnitus fuisset, qvi & diploma ei dederant, ac sæpe cum eodem egerant.

Inter Anglos & Belgas pax.

§. 10. Dum Coloniæ negotiatio pacis qvievit, interim Londini pax inter Anglos & Belgas concluſa fuit, conciliatore legato Hispanico Marchione de Fresno, qvam sufflaminare Sveci frustra fategerant. Necessitatem Regi attulerat Parlamentum, qvod ferre nolebat, bellum tam exitiabile contra peculiares rationes Angliæ, & publicas Europæ continuari; simul pecunias conferre abnuebat, cujus qvantum opus erat non amplius à Gallo suppeditari poterat; ac inqvisitionem in autores ejusmodi consiliorum struebat. Gratum qvoqve Regi fuerat, qvod Belgæ paulo ante in Arausionensem hæreditarii Gubernatoris jus contulissent. Ea pax apud Belgas incredibile gaudium excitabat. Sed Legati Gallici Coloniæ eam velut sibi haut inopinam accipiebant. Nam sibi satis de ingenio Parlamenti, & exigua Regis autoritate constitisse; eoqve res suas ita dispositisse, ut & absqve Angliæ auxilio destinatis suis pervincendis sufficerent. Arlingtonius legatus Anglicus post Hagæ Arausionensi dicebat; Anglos sat superfunctorie eam pacem cum Rep. ingressos. Cui Princeps adposite respondit: eosdem qvoqve sat superfunctorie in bellum descendisse. Mox & aliud qvid accidebat, qvo Galli non parum irritabantur. Voluerant istorum legati currum qvadraginta octo millibus uncialium onustum Colonia Novesium mittere ad hærentes ibi Gallicas copias: sed cui pecuniæ præsidiarius miles inter portã interiorem & exteriorem manũ injiciebat; Gallis magnopere indignantibũ, qvasi & hoc facto securitas loco tractatibũ pacis debita foret violata. Nam non fuisse qvod qvererentur, si pecunia extra portam, nec à milite urbis præsidiario abrepta foret. Ast id ante portã non adeo tutum futurum erat aggredi, qvod in conspectu staret caterva qvingentorum eqvitum, currui præsidio futura. Ac Cæsarei ejusmodi actus sub sanctimonia legatis debita haut comprehendi arguebant. Haut eo minus Sveci negotiationem pacis iterum suscitare cupiebant, ea lege, ut super Furstenbergii restitutione primo loco ageretur: id qvod Galli abnuebant. Cæterum differebant Sveci; postqvam Cæsar cum Hispanis ac Belgis Gallo jam par sit, spem sibi esse, Ordines Imperii huic se negotio haut ingesturos, qvoad adparuerit, unam aut alteram partem sucubituram. Alias enim non solum reliqvam Germaniæ bello implicanda, sed & bellantes accessione unius & alterius ex Ordinibus ita firmandos, ut pacis exigua spes superfutura sit. Sancte tamen testabantur, sibi non in animo esse Gallos auxilio sublevare, sed qvantum fieri possit eadem cum Electore consilia reducendæ paci sequi cupere. Hactenus qvoqve Galli Vesaliæ ac Reesæ muniendæ strenue insudaverant: sed nunc repente labor sistebatur, indicium instantis migrationis. Unde Sverinus sedulo monebat, ut ea loca Electori redderentur. Hi non amplius inficiabantur, uti hactenus fecerant, ea loca à se deserenda. Ac Regem ita se gesturum, ut Electori causa qverendi non sit futura; ac si eadem utiqve relinqvenda sint, nemini præterqvam Electori tradenda. Inter eas moras Belgæ liqvidam declarationem super diplomate Lotharingico poscebant. Sveci ne id ulterius negaretur, petebant. Sed Galli obtentu Furstenbergii obnixe abnuebant. Sveci tamen ulterius instabant; ea ratione captivo haut consuli. Et qvia bellum utiqve æternum non sit futurum, satius esse qvamprimum negotiationem resumi. Simul proponebant, ut Furstenbergius cum diplomate Lotharingico permutetur. Sed Galli negabant de pace audiri à se qvidqvam posse, nisi restituto Furstenbergio. Demum Gallus legatos suos avocabat obtentu abducti Furstenbergii, ac detentæ pecuniæ. Id qvod Sveci ægerrime ferebant; qvod magno labore opus videretur ad instaurandum congressum; præsertim cum jam Pontifex, Anglus & Veneti officium conciliandæ paci offerrent, ac Gallo ab ipsis acta non plane probarentur. Laboraturi tamen erant, ut si discessus impediri non posset, tractatio alio loco resumeretur. Ante discessum Galli fœdus cum Colonienſi renovare cupiebant; qvi id abnuebat, uti & hactenus transactionem cum Cæsare absolvere tergiversatus fuerat, ne plane à Furstenbergiorum consiliis antea dependisse videretur. Ita Galli Colonia discessere præter Hispanorum opinionem, qvos mox Angli ac Belgæ secuti sunt. Angliæ Rex cum de pace sua per literas Cæsari significaret, pro liberan-

1674.

17. Mart.

7. April.

Non fuerunt omnino ante cet Etat bon vaisseaux dans la paix.

Vaisseaux effectivement mis en bélicq vaisseaux dans la guerre.

1. Mart. *Convention Coloniensis solvitur.*

7. Mart.

1674. 2. April. do Furstenbergio intercedebat, ac seqvestrem se paci conciliandæ offerebat. Mox & Cæsarei Coloniæ cum Monasterienſi pacem perficiebant, qvaꝫ Gallico fœderi renuntiabat, ac Belgis omnia erepta restituebat, etiam Borckeloa, nullo belli præmio. Postulabat Elector, ne cum Monasterienſi pax iniretur, ni & sibi ab eo satisfactum foret. Arausionenſis pronum se qvidem ostendebat; cæterum prius Electori ac Reip. inter se conveniendum, qvomodo Præsul ad præstandam satisfactionem compellendus sit. Belgarum legati Colonia discedentes Svecis protestationem tradebant, non à se, sed à Gallis conventum abruptum. Svecis seqvestribus ipse Lisola id testimonium reddebat, eos omnia, qvæ penes se fuerint fecisse, ne tractatus abrumperetur.

Trevirenſis à Gallo invaditur.

§. 11. Dum incassum circa pacem Belgicam Coloniæ sudatur, Germaniam interim magis ac magis belli flamma corripuerat. Nam præterqvam qvod Turennius cum exercitu media Germania consistere, pergeret, jam qvoqve Trevirenſis post patienter toleratas tamdiu Gallorum molestias hostili plane modo tractari cœperat. Qva de re cum is apud conventum Ratisponenſem moveret, Galli ægre ferre, ac infesta accumulare; apud qvos offensa causam bello præbitura habebatur injurias amoliri velle. Ac, jam toti præsulatui copiæ infundi, & tributa, annonaqve imperari. Ea super re Trevirenſis Electori scribebat: uti hoc bello medium se gesserit, Gallis transitus terra, ac per fluvios concesserit, per qvos provinciæ suæ multum damni illatum sit nulla reparatione. Nunc aliqvot legiones Gallicas irrupisse velut in hostico grassantes, ac famam esse plures secuturas, ipsa munita oppida oppugnaturas. His injuriis à se usqve adeo nullam causam præbitam, ut de hactenus illatis ne qvere-lam qvidem moverit. Nec id suspectum Gallo esse debere, qvod cum Præsulatui facultas non sit militem tutandis munitionibus conducendi, ipse ei fini manum à Cæsare tanqvam Imperii capite acceptam suo sacramento adigerit, neminis in offensam. Igitur nil sibi restare, qvam ut Imperii opem imploret, simul Electorem roget, officium apud Gallum interponat, qvo hostilibus adversus se supersedeatur. Tum auxilia è fœdere Brunsvicenſi postulabat. Elector etsi Trevirenſis calamitate indolesceret; tamen prius sibi expectandum ducebat, qvid à toto Imperio decernendum esset, qvod ante annum ob properata à se auxilia tantum clamoris ubiqve sublatum fuerat. Igitur respondebat: Se legatos suos Brunsvigæ super hoc negotio instruxisse: tum ad Regem Galliæ diligenter scripsisse, ac Neoburgicum ut idem faciat rogasse. Verjum qvoqve cum ejus rei iniqvitas demonstraretur, reposuisse: Regem Trevirenſis qverimoniis facile medicinam facturum, si is nihil suscipiat amicitiæ adversum. Eundem post dixisse; Regem omnia loca per Trevirenſem provinciam occupata redditurum, si Elector spondeat, Trevirenſem nil adversi contra Galliam susceptrum. Qva sponsione se innectere uti Electori haut tutum videbatur; ita is legatis suis Ratisponæ injungebat, ut Trevirenſis petita fulcirent; pollicitus, se qvod ab universis Ordinibus concludendum sit, secuturum. Gallo interim testabatur, se exacte leges pacis Westphalicæ observaturum, ac sperare ipsum idem facturum, qvod tam sæpe asseverarent. Ast Galli interim atrocius grassari haut omiserant, expugnata demum Augusta Trevirorum, simul novem vicis una die inflammatis. Color dicebatur; auditum sibi Hispanum militem urbi immittendum, qvi à se præveniendus fuerit; qvod hæc transmittendo aut arcendo bello admodum opportuna sit. Atqve ea ratio hostium conatus prævertendi tunc Gallis sufficere videbatur, ut amicorum provincias exercitu suo attererent, ac in mediam Germaniam, qvicum nil hostile sibi intercedere agnoscebant, sese penetrarent. Cravellius Ratisponæ jactabat, sibi prohibendum fuisse, ne Cæsar in Alsatiam tendat, ac ut Bavaro subvenire possint, si hic forte à Cæsare invadatur. Idem à Moguntino postulabat, ut una cum Bavaro Egram profectus Cæsarem inhiberet, ne hujus exercitus extra Bohemiæ fines progrederetur. Wilhelmus Furstenbergius minas addebat; alias Turennium subigente belli necessitate aliqvot loca Mœno ac Rheno adsita occupaturum, ac hospitia sua dilataturum. Ac ut serio rem agi adpareret, Turennium permoverat, ut aliqvot vicis Moguntinæ ditionis prope Kœnigsteinam militem immitteret. Sed Moguntinus responderat: se muneri seqvestris inhærere, ac uti nullum fœdus contra Galliam iniverit, ita nec contra Cæsarem initurum. Si Gallo ita videatur, se Egram profecturum, ac Cæsarem permovere laboraturum, ut progressum exercitus inhibeat, hac tamen lege, ut induciæ omnes inter bellantes fiant, ac Rex qvamprimum copias suas extra terras Imperii educat.

1673.

8. Jul. 1673.

Ratisponæ ad pacem nihil proficitur

§. 12. Nec magis Ratisponæ ad pacem aliqvid proficiebatur, ubi Cravellius qvidem

1673. 4. Jul. qvidem subinde confirmabat Regem paratum esse copias suas Germania deducere, si Cæsar cavere velit, se Belgis nil auxilii laturum. Contra Cæsar demonstrabat, par esse, ut Galli prius Germania facessant. Alias oppressorum Ordinum tutelam sibi suscipiendam, ac patriæ securitati prospiciendum; ad qvod per Legem Regiam, in qvam juraverit, teneatur. Cum igitur qvæstio non sit de auxilio Belgis ferendo, qvod per pacem Westphalicam haut licitum esse Gallus judicet, sed de tutandis Imperii finibus adversus exterorum invasionem, de qva Trevirensis qveratur; sibi utiqve fas esse servandis hujus ditionibus arma movere. 11. Jul. Ast Cravellius ad repetitas Trevirensis querelas reponebat; eas fictas esse. A Gallico milite exactam disciplinam observari, qvia Rex ita jusserit: ac talia tantum spargi ad invidiam Gallis faciendam. Etsi miles nunqvam ita modeste haberi possit, qvin aliqvando molestiarum qvid det in locis, ubi hospitetur. Super qvibus tamen Rex tranqvillo animo sit, velut qvi sæpe rationem ostenderit, qvomodo Germania à Gallicis, & qvibus vis aliis copiis liberari qveat. Ab ipso semper salutem Germaniæ respici, ac ut ejus tranqvillitas instauretur. Eundem tamen fas ducere cautelis à ratione & æqvitate permissis uti ad sui sociorumqve suorum defensionem, ubi in eorum fraudem qvid tentetur. Qvam ob causam & qvædam loca opportuna in Trevirensi provincia fuisse occupanda. Super eo negotio Elector legatis suis Ratisponæ 14. Aug. injungebat, ut hactenus Trevirensis petitis faverent, qvo ab universis qvid decernatur medicinam malis allaturum. Moderationem tamen adhiberent, utà neutra parte argui possent, velut segnius aut ferocius causam egerint. Unde nostri laxissimis verbis sententiam dicebant. Sed Austriaci & his addicti promte declarabant; se junctis consiliis atqve armis qvantum possint isti opem laturos. Pleriqve tamen amica remedia svadebant, officia, literas, legatos. Qvæ segnia consilia haut moratus Cæsar exercitum in Imperium movit, Ratisponæ has suæ expeditionis causas promulgans: 14. Aug. *Gallum ab initio hujus belli certa consensum ipsius & Imperii magnam militum vim terris Imperii infudisse, & ex iis Belgio arma intulisse; complura loca ad Imperium spectantia occupasse, ac præsidio insedisse; qvibusdam munitiones detraxisse, aliis addidisse; exercitum hinc inde pro libitu raptasse; manifesta violatione legum publicarum, per qvas ne conducere qvidem exteris militem licuerit sine Cæsaris consensu. In hunc usqve diem numerosas copias media Germania hærere, ac Ordines pro libitu stativis premi. Trevirensem sine data causa oppressum. Per Hispanicum Belgium, Cliviam, & Leodiensem provinciam atrocia patrata. Gallo instigante Colonienses & Monasterienses se debortante bellum Belgis intulisse, qvod ne sibi qvidem per Capitulationem integrum sit. Es bello parando Gallum omnem operam novasse, utut Clivicæ pacis sponsorem. Cum super istis Præsulibus in ordinem redigendis agitaretur, Gallum iis omnixe auxilium tulisse. Eundem postulasse, ut ipse fidem daret, se non solum Belgis nil opis laturum, sed & in Gallix fœderatos nil tentaturum. Ast qva fronte à se postulari, ut præstationem pacis Clivicæ à se susceptam retractet, aut jure suo per pacem Westphalicam stabilito se abdicet, & qvod ipse sibi conventione cum Gallo ante biennium inita reservarit? Eundem qvoqve minatum, ni ipse declaret, suas copias ultra Egram haut progressuras, Turennium cum XXX M militum in suas ditiones hæreditarias irrupturum; qvo sine is jam agmen moverit. Cravellium qvoqve circa Ordines qvosdam in ipsum concitandos laborasse. In aperto præterea esse, Gallos in Circulum Burgundicum qvid machinari, cujus defensio sibi incumbat. Promissis Galli de copiis suis trans Rhenum ducendis, ubi ipse Belgis nil opis se laturum declaret, nil securitatis inesse. Qvæ hactenus contra leges pacis patrata sint, haut reparari, qvæ & pleraqve facta sint, antequam ipse fœdus cum Belgis super tutanda pace Clivica & Westphalica inierit. Nulli Cæsarum per leges publicas interdictum servandæ suæ autoritati, ac euendis oppressis Ordinibus qvorumcunqve auxilio uti. Denique Gallum ex SCto oblatum officium nondum acceptasse, æqvis conditionibus cum Belgis decidere abnuisse, orbi Christiano tutam pacem indulgere noluisse.* Adversus ista legatus Svecicus Cæsari demonstrari postulabat, ut arripi jam cœptum violentum remedium saltem tantisper suspendatur, qvoad adpareat, qvem eventum negotium pacis Coloniæ, & promissum Galli de copiis Germania deducendis habiturum sit. Cravellius qvoqve totiens ingesta canere, ac rationem belli ad nauseam usqve crepare. Hispanos è Lucenburgo Treviros occupare meditatos fuisse prævertendos. Id consilium è loci situ, & opportunitate hoc rerum statu maximi momenti satis superqve defendi. Nec ulla tamen occupata loca per Gallos retinenda, sed facta pace utiqve restituenda. De qvo dubitandi causam non relinqvat generositas ac facilitas Regis, qva is Electori Brandenburgico ditionem Clivicam reddiderit. Militarem

1673. petulantiam à Rege non juberi, sed improbari, ac puniri. Ubi miles agat, omnia incommoda declinari non posse, qvorum culpa tamen non penes Regem sit, sed eos, qvi æqvas compositionis leges rejecerint. Colmariæ & Sletstadio munitiones ideo detractas, qvod Regi innotuerit, ea oppida Ducis Lotharingiæ præsidium recipere velle, muniendo in Burgundiam itineri. Qvo fine & Argentoratensem pontem combustum. Ac satius esse ista oppida sub Regis tutela agere, qvam numerosum præsidium recipere. Talibus permoti Ordines decreverunt literas ad Gallum dare, ut is copias è Trevirensi provincia abducat, damna data reparet, ac talia cuipiam Ordinum inferre parcat. De qvo tamen prius ad Cæsarem referebatur. Ast hic rescribebat: *literis contra Gallum nil profici: sed conjunctione armorum opus esse.* Dissentientibus tamen Ordinibus neqve in Electorali, neqve Principum Senatu in hac causa qvidqvam conclusum fuit. Elector pro captu tunc rerum officio se suo defunctum judicabat, si à suis pro sententia dici juberet: *Sibi semper cordi fuisse, pacem Germaniæ servari, vastationem averti. Eam adhuc mentem perstare, ac uti doleat Trevirensis ditionem tantis belli malis premi; ita promte collaturum, qvicqvid Ordines tutandæ patriæ juxta leges Imperii & pacem Westphalicam utile ac necessarium judicaverint. Nec eorum tamen sententiam improbare, qvi amica prius remedia adhibenda censeant; qvæ citra dubium adhiberi expediat, qvo adpareat, qvousque iis pertingi qveat. Imprimis proficuum fore, ut qvæ super securitate Imperii tot per annos agitata sunt, aliqvando perficiantur.*

19. Sept.

7. Oct.

Sveci fœdus suum Electori offerunt.

§. 13. Cum itaqve Gallus omnia è sua libidine agere pergeret, nec aliam rationem seqveretur qvam sui belli per solam ambitionem excitati; Cæsar autem ita grassantem ferre indignum juxta ac periculosum judicaret; haut obscurum amplius erat, rem in atrox demum bellum erupturam. In qvod cum Sveci per Gallicum fœdus haut libenter pertrahi vellent, id agebant, ut cum potentibus qvibusdam Germaniæ Principibus societate inita, tertiisqve formatis partibus Cæsarem vel invitum ad qviescendum compellerent, Galloqve pacem, qvalem hic cupiebat, à Belgis obtinerent. Eum in finem palmarium ducebant Electorem sibi innectere, recenti cum Gallo pace, ac ob respectum Clivicorum oppidorum haut temere huic reluctaturum, simul ob proximæ expeditionis memoriam Cæsari juxta, Belgisqve offensum. Eo fine Cunradus Mardefeldius, & Wangelinus à Rege Sveciæ missi Berolinum veniebant; qvi primo alloqvio testabantur; *Regi admodum lætum esse, suam circa publicum bonum sinceram intentionem, ac susceptas actiones Electori usqve adeo probari, ut hic istius consilium in propria causa secutus sit: tum & ita candide cum eodem super præsenti rerum facie admodum periculosa intra & extra Germaniam consilia contulerit, idqve deinceps qvoqve se continuaturum promiserit. Imprimis qvod tuendæ in Imperio paci, simul avertendo à propriis ditionibus periculo arctiori cum Rege conjunctioni per Kroseggium, inde aliqvoties per Wangelinum prolixem se ostenderit. Qvod tantum cum & Regis in votis sit, oblata eo lubentius acceptasse; cum ejusmodi sincera conjunctio utriusqve rationibus qvam maxime conducat hoc præsertim ancipiti rerum statu, ubi modica pacis Coloniæ spes, ac Cæsarea expeditio facile commune incendium, & insignem rerum conversionem excitatura videatur. Unde qvibus privata & publica salus cura sit, necessitatem incumbere super eo periculo cum amicis consilia conferendi, ac qvantum detur adversus idem remedia sibi circumponendi. Acuti Rex de egregio Electoris in Remp. animo perspexerit, nec dubitet, qvin hic pariter de ipsius consiliis citra partium studia ad publicum bonum tendentibus luculenta specimina ceperit: ita nil aliud superesse, qvam ut super ejusmodi conjunctione dispiciatur, per qvam utriusqve ditionibus securitas, pacis honesta ac stabilis pax, Germaniæ inconcussa qvies præstari qveat. Ea super re, ut qvæ Electoris mens sit cognoscant, se venisse.* Privato colloqvio ab Electore delegati ostendebant, negotiationem ad duo capita revocari, securitatem utriusqve provinciarum, & pacem Germaniæ. Circa prius jam fœdus inter Regem & Electorem initum, qvod ob mutatam interim rerum faciem præsentium temporum indoli sit adaptandum. Circa alterum se expectare, qvid remedii servandæ aut instaurandæ in Imperio paci Rex propositurus sit. Ad qvæ Sveci: Cum sua mandata formarentur, nondum constitisse, à Cæsare bellum aperte sumtum; etsi Rex satis prospexerit, id incendium indies latius grassaturum. Sed cum Elector rerum mutationes cominus adspiciat, ab hoc commodius remedia proponi posse. Regi placere adhibita hactenus amica remedia servandæ paci deinceps continuare, modo per eam causæ communi consuli qveat; eoqve alia in medium adferre non potuisse. Sed si Electori alia in promtu sint, qvæ in neutram partem studium arguant, id Regi gra-

1673. 13. Oct.

18. Oct.

tissimum

1673. tissimum fore. Non minus cordi sibi esse utriusqve ditiones tutari, & pacem Germaniæ servare. Eum in finem tutissima qvæqve remedia præstantissima ducere. Nostri: Cum nemini melius qvam Regi velut sequestri constare qveat, qvæ partium in pacem inclinatio sit, se non dubitare, qvin ipsis in eam rem certa mandata sint; qvæ communicari petant. Sveci contra se talia à nostris expectare ferebant. Sane Regem hactenus paci conciliandæ operatum, sed modico successu; nec adhuc ei penetrasse datum, cui in pacem proclivis aut aversus animus. Et qvia tractatio non solum ab initio difficilis fuerit, sed & post parum spei de optato exitu ostenderit, diffundente interim sese indies belli flamma; Regem qvamdiu spei qvid supersit, circa susceptum officium haut defatigatum iri. Obtinendo tamen huic scopo, simul propriæ securitati necessarium judicasse amicis propius innecti, ac inprimis cum Electore fœdus eidem scopo accommodum inire, unicum qvod in præsens supersit remedium. Eo fœdere perfecto, aliis Ordinibus, qveis par animus, deinceps accedere integrum fore, ejusqve effectu gaudere, ut tamen penes Regem & Electorem velut autores fœderis moderamen sit futurum. Sed pauci an multi huic fœderi accedant, saltem utriusqve ditionibus caurum fore, intentata vi conjunctis viribus facile propulsanda.

Consilia super hoc fœdere.

Sententia Somnicii:

§. 14. Ea propositio cum altioris indaginis videretur, Elector ad consilium referebat, num ejusmodi fœdus, qvale Sveci innuebant, super formandis tertiis partibus inire expediret. Ubi Somnicius censebat: *Cum Svecus Gallico fœdere innexus sit, qvod qvousqve porrigatur haut constet; ac Gallus Svecos jam Colonia monuerit super ferendis ex fœdere auxiliis; circa hoc negotium circumspecte procedendum, ac amica verba pari modulo remetienda, nulla in Gallum sinistra*

1666. *significatione. Qvin & superbacuum videri fœdus anno sexagesimo sexto initum nunc renovari, qvod adhuc triennium duret. Qvod longius porrigi haut consultum videatur, cum Galli non obscure glorientur, Svecum tali fœdere cum ipso jungi, cujus vi teneatur ipsis contra Cæsarem nunc arma inferentem adsistere. Ast ejusmodi Regi sociari, qvi jam fœdere stringatur, qvod Electori demum necessitatem adferre possit arma pro Gallo sumendi, svaderi haut posse. Eqvidem objici, aliud esse pro Gallo, aliud pro pace promovenda arma arripere. Enimvero valde dubium esse, num pax promoveatur, fœdere atqve armis sociatis cum illo, qvi jam ad auxilia Gallo ferenda teneatur, qvi sine* 1673. *dubio nos qvoqve in Galli partes pertracturus sit. Cum etiam legati expeditionem Cæsaris velut causam conjunctionis adducant, haut obscure colligi, ad qvem scopum isti tendant. Svecos qvoqve initio belli circa communicata ab Electore sua destinata, frigide admodum se gessisse, ac invitatos fœdus Brunsvicense repudiasse, liqvido indicio apud Svecos alia consilia agitari, qvam qvæ pacem Germaniæ spectare qveant. Non opus esse memorare invidiam & aversionem, qvam dudum Sveci in Electorem ostenderint. Qvæ circa Pomeraniam contigerint, nemini ignota esse; ac nil negotii magni aut parvi occurrisse, circa qvod ex æqvo cum istis transigi potuerit. Esse qvoqve causam, qvare Germaniæ Principes conjunctionem cum Svecis aversari debeant, saltem ubi summa rerum moderamen penes hos futurum sit. Sane Saxonem & Luneburgicos istam declinasse. Electorem autem qvam maxime sensisse, qvid isti armis suis qverant; eoqve ipsi qvam exqvisitissima cautione opus esse. Igitur extensione fœderis supersedendum, ac eos potius invitandos, ut Brunsvicensi fœderi adscribi velint.* Nec disparia sentiebat Blumenthalius. *Non frustra credi Svecos Gallo arctius innecti, qvi circa interpretationem Instrumenti Pacis huic adstipulentur, ac in eum casum eidem se obstrinxerint. Unde eos nunc id agere videri, ut propositam extensionem fœderis ad eum scopum dirigant, & casum fœderis, auxiliqve ferendi eodem restringant. Id qvod nullo modo cum rationibus Electoris qvadret. Sed nec qvod proponitur pacis conservandæ remedium sat idoneum esse; ut Cæsar exercitum intra ditiones hæreditarias revocet. Nam neqve Cæsarem hoc descensurum, postqvam Hispani bellum in Gallos decreverunt: ac si maxime Cæsar id annuat, Gallo ferociam inde accessuram, ut qvas Belgis obtrudere cupit pacis leges demum pervincat.*

Blumenthalii:

§. 15. Nec minus Cansteinius differebat: *Non esse, qvod Elector ad Svecorum propositam mentem suam declaret, qvod qvo isti tendant haut constet, ac multi abiis cavendum moneant, non obscure erumpentibus indiciis, qvæ haut parum scrupuli injiciant. Inprimis super taciturnitate cautum non esse, qvam tamen circa hoc negotium servari Electoris maxime interesset. Sane cum Elector hactenus reipsa ostenderit, qvantopere bonum publicum cordi sibi sit, Svecos nusqvam se commovisse. Unde modeste inqvirendum, qvid Sveci hoc negotio qverant. Nam prius cum istis fœdus Imperium directe non spectare, cujus & tempus nondum elapsum sit: ac suspe-*

Cansteinii.

1673. *lum esse, quod Sveci Brunsvicensi fœderi nomen dare abnuant. Alias pacem Germaniæ & vicinorum iisdem remediis obtinendam, quod turbæ in Germania à motibus Belgicis originem traxerint, ac jam ipse Cæsar his palam misceatur. Unde nisi compositis hisce stabilem Germaniæ quietem reperiri non posse. Quid per legationes, hortatus, rationes, preces effici queat, sæpius jam frustra tentatum; & quanti ista Gallus faciant, Svecos dum sequestrium munus exercent, sæpius expertos. Sane Gallum belli autorem nil minus ostendere, quam sibi in animo esse Belgis, Trevirensi, Electori, aliis super damno dato satisfacere, quasi jus sibi competeret omnibus pro libidine impune insultandi. Eundem Lotharingia, & alios injuste occupatis desistere nolle, ac pacem Germaniæ in ancipiti relinquere. Frustra quoque dici, quietem Germaniæ servari posse, si Cæsar Belgico se bello non misceat. Nam, si Cæsari injunctum munus implere cordi sit, haut ipsi fas esse exteros in Germania ita proterve grassantes tolerare, ac illatas tot Ordinibus injurias insuper habere, nulla adhuc cautione, talia adversus Imperium deinceps haut iri susceptum. Si tamen tractatio in præsens cum Svecis commode declinari nequeat, omnia ad communem pacem, & Imperii securitatem referenda, & imprimis ut tractatus Colonienses promoveantur. Ac imprimis cavendum, ne arbitrium rerum penes unum fœderatorum sit. Nec minus considerandum, quod Sveci Cæsarem exarmare velle videantur, aut saltem extra bellum Gallicum retrahere, nec satis amica in illum agitare. Tandem cum nunc tam multis in armis sint, accurate expendendum, num isti absque novo bello ad pacem permoveri queant. Sane uti Gallus ad destinata sua contra Belgas perficienda necessarium judicavit multos in partes suas pertrahere: ita adversus eundem operæ pretium haut fieri posse adparere, ni pari modo eidem occurratur. Id quod tamen magna cum circumspectione suscipiendum, ne medicina ipso morbo nocentior fiat; cujus recens exemplum ante oculos extet.*

1673.

Meinderſii. §. 16. Sed & Meinderſius censebat: *Svecorum amicis verbis haut parciora reponenda. Sed quia hi arcto fœdere Gallo jungantur, à quo multum pecuniæ accipiant; Cæsarei quoque exercitus expeditionem dissuaserint, improbarint, ac impedire studuerint; adversus eam asperis verbis Ratisponæ & alibi usi sint; hac ipsa propositione eam odiose inter causas præsentium malorum referant; contra de Gallorum in Germania grassationibus, de hostilibus in Trevirensem, decem Alsatiæ oppida & alios exercitus sicco pede transeant: haut tutum videri Electorem circa isthæc animi sui sensa pandere, antequam de Svecorum mente penitus constet. Inprimis cum Sveci postulent, ne Elector in alterutram partem inclinet, aut altius ac præmature alterutri bellantium se innectat; velut non defutura sint remedia quietem Imperii stabiliendi; ac Regem de sententia sua per hanc legationem significaturum. Quæ ut liquido exponatur primo omnium instandum. Ast circa proximum fœdus renovandum nil scrupuli videri, quod meram defensionem spectet, & adhuc per triennium duret. Idem quoque ad præsentem rerum faciem accommodari non inutile videri; nisi quod Clivica ditiones isto non comprehendantur, quas & nunc Rex ob suam in eas actionem forte magis recusaturus sit tueri, quæ in præsens quam maxime securitate indigent. Et tamen Svecorum circa eas provincias præstationem Electori forte plus periculi quam securitatis allaturam, ut dubium sit, num eadem uti expediat, si maxime ultro offeratur. Quid quod Svecorum rationes & consilia semper à nostris discrepaverint, quibus nunquam in Electorem sincerus affectus fuit. Porro ut Germaniæ præsenti periculo eripiatur, esse quidem in eam rem remedia per leges publicas dictitata, ac Ratisponæ dudum super Imperii securitate agitatum. Enimvero leges optime quidem scriptas in usum quidem nunquam deductas, quæ & neminem adversus exterorum dominatum præstiterunt. Igitur oppressos auxilium frustra ab universo Imperio expectare, ubi ob diversa Ordinum studia concors decretum haut sit expectandum, ac forte nonnullis remedium ipso morbo periculosius visum iri. Unde lasis nil aliud superesse quam patientiam, aut ut cum potentiore quantum possint transigant, aut per peculiaria fœdera sibi consulant. Equidem si primarii Electores ac Principes fœdere inito bellantibus serio denuntient, ne Germaniam ariis suis turbent, id fructu non carituram: sed ejusmodi conjunctionis nullam adhuc viam adparere. Ast reducendæ paci Svecos optima consilia suggerere posse videri, velut qui, dum sequestres agunt, quæ paci obstent optime perspicere potuerunt; ad quæ removenda si Elector conferre quid possit, operam libenter navaturum.*

& Coppenius. §. 17. Denique & Joannes Cœppenius fœdus cum Svecis renovandum censebat. *Sed circa instaurandam Germaniæ quietem considerandum esse, per quem pax ejusdem turbetur. Ubi manifestum esse, Gallum post pacem cum Electore factam longius in Germaniam penetrasse, obtentu armorum à Cæsare in Belgarum auxilium paratorum; nec*

copias

1673. copias suas revocare voluisse, ni Ordines spondeant, istum Belgis nil opis laturum. An vero ejusmodi lex Imperio jure obtrudi queat, ita quidem, ut si isthac Cæsarem ad placita Galli permovere nequeat, hujus insultationibus expositum esse, ac bello arenam præbere debeat; §. Ultro faciet. id nemini sano persuaderi. Nec è verbis Instrumenti Pacis tantopere exagitatis idexsculpi posse. Id quippe nimis quam periculosum esse, si Gallo integrum sit pro libidine bella movere; contra Cæsari ac imperio aut singulis Ordinibus haut liceat externa Reip. laboranti contra istum auxilia ferre. Ubi enim tunc jus fœderum & belli? Sane Electorem istam objectionem nunquam tanti fecisse. Quod si ergo ab Imperio postulentur, quæ præstari nequeunt, nec ad quæ præstanda id tenetur, & nihilominus idem eo nomine hostiliter invadatur; manifestum est injustam vim inferri; cui quid opponendum sit & leges Imperii, & jura naturalia & gentium haut obscure dictitare. Unde fœdus ad hunc finem esse adaptandum. Denique ut communis pax promoveatur Germaniæ utique proficuum esse, cui quies constare nequeat, nisi bello in vicinia composito. Ad eam rem duas patere vias, armorum officium, & armorum cum alterutra parte conjunctionem. Illa jam incassum conatum videri, conventu Colonensi dissolutionem minante. Tertias partes, quæ ab æquo pace abhorrentem vi compellere queant, anceps valde esse, inprimis ubi exteri Principes in auxilium adsciscantur. Nam hoc modo facile iterum in eundem lapidem impingi posse, ad quem totus prope imperii status concussus est; cujus effectus etiam post seculum posteritas sentiet. Sed nec tuto armorum conjunctionem cum illis fieri posse, qui è peculiari fœdere auxilium alteri partium ferre tenentur; ac forte rationibus sui status ducuntur, quæ cum nostris haut quadrant. Ac in ejusmodi negotio Germaniæ Principibus plus circumspectionis adhibendum, quam Regi separatum plane ab aliis statum possidenti, cui solas sui Regni rationes sequi licet, cum huic semper ad communem Remp. ejusque caput sit respiciendum. Igitur hac rerum facie cum nemine extraneo fœdus ineundum, alterius offensam spectans, sed plane Imperio adhærendum, ejusque defensioni indigilandum, si unus aut alter Ordinum ulterius bello invadatur.

Fœdus cum Sveciæ conclusum.

§. 18. His igitur omnibus inter se collatis placuit tertias partes, & quæ in favorem Galliæ agitabant Sveci declinare, ac satis habere prius fœdus renovasse; quod in certæ offensæ materiam arripiendum, ac secius de Electoris consiliis suspicandi ansam præbiturum metueretur, si legati Regii plane inviti discederent: cum tamen Electoris quam maxime interesset, tam ancipiti rerum statu super Svecorum amicitia cautum sibi esse. Ac spes erat hoc fœdere eosdem ad salutaria Germaniæ consilia adstringi posse; saltim obligationi suæ adversus Imperium Elector nil detrahebat, & ex ea vicinia securitati suarum ditionum prospecturum se rebatur. Unde per complures congressus formula fœderis omnibus clausulis probe excussis demum adornata est. Quæ tamen antequam subscriptione firmaretur, Sverinus jussu Electoris Svecis declarabat: Quanquam hoc fœdus hinc inde non parum suspicionis excitet; Electorem tamen demum in id consensisse, ipse ductum, Regem Sveciæ amicitiam per hocce constitutum firmiter servaturum. Uti autem fœdus hoc Instrumento Pacis sit superstructum, cui repugnantem obligationem Electori induere nefas sit; ita confidere, eandem Regi mentem esse. Et quia Rex cupiat, ut Elector per Wangelinum jam in Sveciam profecturum exponat, quæ super præsenti rerum facie ipsius mens sit; hoc ipso eum declarare voluisse, bellantibus demonstrandum, Germaniæ jam contra leges Pacis Westphalicæ alieni belli mala tolerari. Quid ulterius suscipiendum, Regis sententiam expectari, & quibus rationibus peculiariter apud unam & alterum partem sit utendum. Nosse quoque cupere Electorem, quomodo susceptum sequestris munus cum officiis hujus fœderis vi interponendis conspirare queat; & quomodo negotium ita temperari queat, ut unum alteri ne officiat. Quia etiam Regi de bellantium scopo constare possit, Electori gratum fore, si per legatos super hoc edoceri se velit. Eundem quoque necessarium judicare, ut non illi solum, contra quos Gallus aliquid causæ habere se ferat, sed & alii, in quos nullo colore hostilia exercentur, auxilio subleventur. Ad quæ Sveci nil respondebant, nisi quod de iis se cogitaturos dicerent.

Ante subscriptionem Electoris monitum.

§. 19. Is hoc fœdus ita habet.

Fœdus Electoris cum Rege Sveciæ.

Notum, testatumque sit omnibus & singulis, quorum interest, & quomodocunque interesse poterit, Quod cum inter Serenissimum & Potentissimum Principem ac Dominum, Dominum CAROLUM, (tot. tit.) abuna, & Serenissimum Principem ac Dominum, Dominum FRIDERICUM WILHELMUM (tot. tit.) ab altera parte, elapso nuper anno LXVI. die 27. Martii mutuum fœdus defensivum in ipsos proxime sequentes annos decem duraturum initum, debita integritate servatum, nec adhuc

1673. bus finitum esse, interea vero nominis Christiani hostis hereditarius Turca vicino Regno Poloniæ bellum intulerit, & hodie continuet, id vero quod inter Christianissimum Galliæ Regem, & Ordines Confœderati Belgii haut ita pridem exortum, extra gyrum & terminos proximas S.R. Imperii provincias & ditiones vastarit, & in ipso nunc meditullio hæreat, S. R. Majestas Svecia non magis, quam sua Serenitas Electoralis, dum hac saluti & incolumitati publicæ, propriqve status securitati obversantia maturius expendunt, & imminentia majora mala & pericula prospiciunt, è re existimarunt, ut sancte hactenus mutuo culta observataqve amicitia arctioribus vinculis adstringeretur, fœdus vero anno LXVI. initum renovaretur, & ejusdem capita vel articuli ad præsentem Reip. statum simul accommodarentur atqve extenderentur. Quem in finem S.R.Mtas Svecia nos suos ablegatos, utpote me militiæ suæ pedestris Generalem & Vice-Gubernatorem Pomeraniæ Conradum Mardefeld, hereditarium in Vanselo, Plotz, Pensen & Kosike &c. ut & me Suæ R.Mtis Colonellum locum tenentem Bernhardum Christianum Wangelin, Hereditarium in Nossenthien &c. mandatis sufficientibus munivit: Sua Seren. Electoralis vero nos suos Commissarios, utpote me supremum suum Præsidem, Consiliarium Status intimum & Feudorum, Ottonem L.B. à Schwerin, Dynastam antiqvæ Landsbergæ, Zachanii, Wildenhofen, Landsburgi, & Wolfshagen, Electoratus Brandenburgici Camerarium hereditarium, nec non Capituli Brandenburgensis Præpositum: me Suæ Ser.Elis Consiliarium Status intimum, & Pomeraniæ Orientalis Cancellarium, Laurentium Christophorum à Somnitz, Hereditarium in Grumsdorf, Drenau & Gerbera, Pomeraniæ Orientalis Camerarium hereditarium: & me Suæ Ser.Elis Consiliarium Status intimum Fridericum à Jena cum plena potestate constituit. Itaqve vigore mandati Dominorum nostrorum Clementissimorum negotium aggressi, de renovatione & extensione fœderis anno 1666. proxime elapso, pacti, tractavimus, & de subsequentibus capitibus & articulis inter nos convenit. I. Sit inter Suam R.Mtem, ejusqve hæredes successores Reges Regnumqve Svecia ab una, & Suam Ser.El. Brandenburgicam, ejusqve hæredes & successores masculos descendentes ab altera parte, pro securitate mutua & stabilienda conservandaqve pace, juribusqve acqvisitis, strictior amicitia & fœdus defensivum, illudqve bona fide & sincero affectu in utriusqve confœderatorum honorem & commoda servetur & excolatur. II. Huic fœderi defensivo fundamenti loco substernantur ante omnia pacificationes & pacta Osnabrugis & Monasterii anno 1648 die $\frac{14}{24}$ Octobris conclusa, & inde dependens Recessus Imperii Sedini die 4. Maij anno 1653. erectus, ut & pacta Olivensia die 23. April. (3. Maij) 1660. inita & confecta, cum omnibus & singulis punctis, articulis, clausulis, instrumentis earundem pacificationum & pactorum insertis, vigoreqve eorundem competentibus juribus, qvæ omnia exacte & inviolabiliter observanda sunt, & si qvid præter spem in posterum inter confœderatos irrepat, qvod iisdem contrarium, aut minus conveniens videri possit, id confestim bonis & civilibus modis mediisqve amicabiliter componatur. III. Qvemadmodum autem hujus fœderis non alius scopus est, qvam conservatio pacis Westphalicæ, & securitatis communis vindicatio, mutuaqve defensio à qvacunqve hostili irruptione in utriusque confœderatorum provinciis & ditionibus seqventibus articulis exprimendis; ita si contingat, ut alter pacisicentium confœderatorum propterea, qvod pacis ac securitati publicæ communi consilio & consensu consulverit, vel etiam aliam ob causam in provinciis, ditionibus, statu, juribus huic fœderi inclusis à qvopiam hostiliter invadatur, vel invito confœderato contra constitutiones Imperii & jura gentium transitu, stationibus, inhospitationibus, aut hibernis, contributionibus, aliisve exactionibus violentis urgeatur & prematur, adeoqve jura qvæsita qvovis modo violentur; pars altera prævia requisitione teneatur parti læsæ assistere, eiqve copias militares auxilio mittere, qvemadmodum hoc inferius statutum est. IV. Cumqve pax & tranqvillitas publica haut parum labefactata sit, consultum utrinqve visum est, ut reducendæ eidem ac pristino vigori restituendæ omnis porro sine mora impendatur cura, labor & studium, & tam S.a R.Mtas, prout ab initio statim eorum qvi nunc sunt motuum solicite satis jam fecit, qvam Sua Ser.El.is, qvæ ea omnia pro reducenda pace adhibita officia probavit, & eadem via incessit, belligerantibus ulterius & conjunctim & separatim, cum per literas, tum per ministros & legatos suos mala omnia, qvæ jam belli calamitas conciliavit, qvaqve si continuentur deinceps, non implicitis modo eidem, sed & qvi ex sortes ejusdem, expectanda sint & maneant qvoque incommoda exponi faciant, atqve illos denuo moneant serioqve hortentur, ut orbi Christiano aqvis admissis conditionibus pacem reddere velint, spe certa freta, Deum pacis, tranqvillitatis atqve concordiæ fontem, conservatoremqve piis hisce ac vere Christianis conatibus adfuturum, eosqve optato ac felici successu beaturum. Ast vero, si hæc officia, labor & industria frustra fuerint, 1673.

omnes-

1673. *omnesque amica hortationes, fida consilia, oblataque convenienti loco & tempore media, quamvis repetita, miseriaque & calamitates, aliaque incommoda, quibus quoque innocentium publica juxta & privatarum conflictantur, nullum plane invenerint locum, nec aequae conditiones admissae sed rejectae fuerint, eo casu S.R.Mtas, & Sua Ser. Elect.lis nihilominus constans suum promovendae conservandaeque pacis propositum, simulque aliquanto significantius testabantur, quam sibi haec displiceant, conferantque statim inter se consilia, quaratione pro temporum rerumque statu & facie officiis hactenus frustra impensis tandem locus aliquis a bellum gerantibus detur. V. Ut etiam constet, quaenam ditiones hoc fœdere propriè continentur, convenit utrinque, ut provincias S.ae R.ae M.tis extra Romanum Imperium sitis, utpote Esthoniae & Livoniae Svedicae ditionis, cum omnibus earundem provinciarum juribus, conditionibus & pertinentiis, prout S.R.Mtas easdem hunc usque in diem quiete possidet, guarantiam praestet Sua Ser. El.lis Brandenburgica ejusque successores & haeredes contra quoscunque, qui dictas provincias, vel earundem conditiones, jura aut pertinentias bello aperto, vel quocunque modo violare turbarevè ausi sint, modo ac militum numero tali, de quo in hisce fœderis tabulis specialius postea explicabitur. VI. Vicissim S.R.Mtas, Reges successores, & Regnum Sveciae Sua Ser. El.li Brandenburgicae, ejusque successoribus masculis descendentibus praestent contra quoscunque guarantiam Borussiae Ducalis, prout ea Ser.si Sua El.li tum jure directi, supremi, & independentis dominii (quod souverenitatem vocant,) à Rege & Rep. Poloniae publicis pactis concessi, & in Comitiis Reip. Poloniae generalibus Warsaviae anno 1658 approbatis, in praesenti quiete possidetur; ita ut si contingat, quempiam eorum tentare dictam Ducalem Borussiam, ejusque conditiones, jura & pertinentias, dictumque jus souverenitatis bello aperto vel quocunque alio modo violare, turbarevè, S.R.Mtas Sveciae, successores Reges, Regnumque Sveciae teneantur Sua Ser. El.li Brandenburgicae, ejusque haeredibus & successoribus protuendis & conservandis istis omnibus copias militares auxilio mittere eo modo & numero, prout inferius determinabitur. VII. Utriusque partis pacisicentis provincias in Germania sitas quod attinet, licet illae omnes de pacificationis Germanicae sint in continua tutela & guarantia S.R. Imperii, omniumque ejus Statuum & membrorum, nihilominus tamen in majorem utriusque jam pacisicentium securitatem utrinque convenit, ut Regiae illae provinciae, Ducatus nempe Bremensis, Verdensis & Pomeraniae citerioris cum annexis partibus ulterioris Pomeraniae, vigore Instrumenti dictae pacis Westphalicae & Recessus Stetinensis Regiae Pomeraniae adjecti, ut & Principatus Rugensis, & Dominium Wismariense cum omnibus caeteris juribus ex Instrumento jam dictae pacis & Recessu Stetinensi, vel aliunde in Germania hodie legitime S.ae R. Mti Regnoque Sveciae competentibus: Et Electorales, utpote Electoratus Marchia Brandenburgensis, Ducatus Cliviae, Comitatus Marcae & Ravensberg, Pomerania ulterior ad Ser.S. Electoralem spectans, Principatus Halberstadiensis, Mindensis & Caminensis, ut & omnia & singula caetera jura ex Instrumento memoratae pacis Westphalicae vel aliunde in Germania hodie legitime Sua Ser.El.li ejusque haeredibus & successoribus masculis descendentibus competentia, praesenti huic fœderi defensivo includantur. VIII. Si igitur durante hoc fœdere contigerit, ut S.R. Mtas Regnumque Svecia ab aliquo Rege, Principe vel Rep., quocunque tandem nomine censeantur, infestetur, oppugnetur & violetur, in praedictis hocce fœdere comprehensis provinciis, ditionibus, terris, arcibus, locisvè, ejusdemque annexis, vel inde dependentibus S.ae R. Mti Regnoque Sveciae competentibus juribus & privilegiis, Sua Ser.El.lis prose, successoribus ac haeredibus masculis descendentibus bona fide spondet, ac specialius hic promittit, se eidem S.ae R.Mti Regnoque Sveciae, facta notificatione, quamprimum potuerit, & ad summum intra spatium duorum mensium à die requisitionis suppetias laturam exercitu II M peditum, & quingentorum equitum, quibus copiis S.R. Mtas Regnumque Svecia usque ad finem belli, si tamdiu fœdus duret, uti poterit, siquidem eidem ita visum fuerit. IX. Vice versa S. R.Mtas Regnumque Sveciae bona fide spondet, & pariter specialius hic promittit, se facta notificatione, quamprimum potuerit, & ad summum intra spatium duorum mensium à die requisitionis S.ae Ser. El.li, ejusque haeredibus & successoribus masculis suppetias laturum exercitu II M DC. peditum, & DCCC. equitum, si contingat, ut S. Ser. El.lis ejusque haeredes & successores masculi descendentes ab aliquo Rege, Principe, vel Republica, quocunque tandem nomine censeantur, infestentur, oppugnentur, & violentur, in praedictis hocce fœdere comprehensis provinciis, ditionibus, terris, arcibus, locisvè, vel quibuscunque eisdem annexis, vel inde dependentibus, & in superioribus articulis memoratis juribus & privilegiis. X. Quod si vero casus existat, quo in praecedentibus articulis pactus, determinatusque militum numerus avertendo periculo, resistendoque hosti haud sufficerit, utrique confœderati sibi invicem promittunt, se conven-

1673. tum modo militum numerum augere, & si habito prius statim inter se consilio, subsecutaque conventione necesse fuerit, ad primam quamque requisitionem duplicare, vel triplicare velle; ita ut requirens & bello petitus eo ad finem usque belli uti, & prout ratio belli dictaverit, vel seorsim, vel junctis etiam suis propriis copiis cum eo agere possit. XI. Eqvidem in uno & altero præcedentium articulorum suppetiis missis ad finem usque belli uti permittitur, attamen cum contingere qveat, ut postqvam missa auxilia, fœdus citius qvam exortum bellum expiret & finiatur, adeoqve revocare rerum copias auxiliares, finito licet nondum bello, finito tamen fœdere, liberum & meri arbitrii sit, articuli qvoqve ipsi nullum alium ex utriusque confœderatorum consensu & conventione intellectum & sensum habeant; postqvam tamen utriqve confœderatorum, communiqve causæ & saluti haut leve damnum & incommoda alia certissimaqve pericula conciliari attrahique necessum sit, si durante & ardente adhuc bello auxilia præstita revocari debeant, ideo convenit hoc ipso utrinqve, ut bello petitus requirens, antequam finiatur fœdus, cum confœderato, quem requisivit, qvique auxilia misit, agat & paciscatur, ut ad finem licet vergente fœdere imposterum qvoqve, & qvamdiu bellum continuatum fuerit, auxilia missa haut revocet, in qvo aqvis admissis conditionibus, vel renovato & prorogato hoc fœdere, difficilem se alter confœderatorum haut præbebit. XII. Casu qvo confœderatorum copiæ conjunguntur, requirens, ejus exercitus dux, vel alius ex ejus officialibus nullam plane prætendet in missa auxilia jurisdictionem, sed qvi suppetiis missis præest, haut minus eam salvam & integram retinebit, qvam requirens, vel ejus militum dux in suos. Qvando vero judicium militare generale necessarium fuerit, tunc ex utriusqve partis officialibus id constituetur, & eidem præsidebit is, cui id absente principali requirente supremus belli dux commiserit, ita ut prima vice præsidium Regio, secunda vice Electorali, atqve ita semper vice versa, vel ut loqvi amant, alternative competat. Qvemadmodum qvoqve ad actiones militares requirens, & ejus dux habito & communicato prius cum auxiliarium copiarum duce vel præfecto, cæterisqve officialibus, qvos ad consilium bellicum adhibere mos est, consilio nec aliter procedet. XIII. Is qvi requisitus à confœderato auxilia misit, iisdem de tormentis minoribus, vulgo campestria dictis, cum omnibus ad usum eorum necessariis prospiciet. Tormenta vero majora & mortaria cum omni apparatu, & rebus qvibuscunqve ad usum eorum pertinentibus ex confœderatis suppeditabit, in cujus ditionibus atqve provinciis contra hostem agitur. Qvod si vero extra confœderatorum territoria, atqve ita in loco tertio bellum geritur, tormenta majora & mortaria cum omnibus ad usum eorum spectantibus is adduci curabit, qvi loco jam dicto tertio vicinior fuerit. XIV. Et cum utriusqve paciscentium præsenti inprimis rerum facie maxime opere interfit, ut qvilibet eorum de promissis reciproce auxiliis certus esse possit, ideo utrinqve hoc ipso convenit, ut simul atqve paciscentium unus bello petitus fuerit, alter facta notificatione & subsecuta requisitione, auxilia statim juxta articulos præcedentes mittat, nec ideo differat, qvasi prius examinandum, causamne aggressionis petitus bello dederit, an absqve justa causa petitus; sed nuda hostilis aggressio, vel turbationes & injuriæ in articulis III. V. & VI. nominetenus expressæ, pro justa & necessaria auxilii mittendi causa, à qvolibet fœderatorum haberi debet. XV. Quamvis autem prædicta copiæ auxiliares ipso actu subsidio missæ sint, liberum tamen nihilominus confœderato & requisito erit, per legatos & ministros id operam dare, an invasor seu turbator amicabili ratione persvaderi possit, ut à vi & injuria desistat; sin lædenti ea fœderit obstinatio, ut nullis amicabilibus rationibus ad æqva præstanda se induci patiatur, non ante ab auxilio præstito cessabitur, qvam parti læsæ per omnia satisfactum fuerit. XVI. Missis itaqve auxiliaribus copiis in ditionibus suis de commeatu sufficienti æqve ac propriis prospiciet is, qvi illas requisiverit; ratione vero residui stipendii militaris qvisqve pro arbitrio, conventioneqve cum officialibus suis inita aget. XVII. Qvicunqve copiis auxiliaribus præfectus imperium in easdem subsecuta etiam conjunctione armorum retineat; ita tamen, ut sub auspiciis ejus, qvi auxilia requisiverit, militet, ejusdemqve vel constituti ab eodem ducis exercitus jussis pareat, sive is suppetiis sibi submissis ad defensionem ditionum, Statuum, locorumqve suorum, sive ad oppugnandum primum aggressorem in propriis ejusdem terris ac ditionibus uti voluerit, habita semper ea ratione, ut copiæ auxiliares cum reliqvo exercitu ubiqve æqvaliter tractentur. XVIII. Auxilia ferenti hac inprimis ratione prospectum sit, ut siqvidem in terminis auxiliatoris permanere ei licuerit, nec oblatas suppetias isti bello ipsemet involutus fuerit, sine inclusione, plenaqve securitate ejusdem nullus qvidem tractatus pacis vel induciarum iniri debeat, imo ne suspensio qvidem armorum, (ubi id status belliqve ratio requisiverit,) nisi ad summum trium septimanarum, pro utroqve exercitu simul. Qvod si vero oblatum confœderato auxilium cum aggres-

1673.

1673. aggressore, vel alio quocunque aperto bello impliceturr, tunc neuter sine alterius scitu, consensu & consilio neque ad preliminares, neque ad principales cum hoste tractatus descendet, sed omnia mutua opera, communicatione & consilio agantur & tractentur, donec utrique confœderato de sufficienti securitate plenissime provisum, & per omnia satisfactum fuerit. XIX. Cum vero in initio hujus fœderis præsentis Poloniæ status, eique Regno ab infensissimo Christiani nominis hoste Turca magis magisque impendentium periculorum facta quoque sit mentio; proinde S.R.Mtas, & S. Ser. El.lis non solum vicinitatis, sed & Christianitatis jure mota, se rem suo nomine & ordine dignissimam esse facturas censuerunt, si in istum casum, quo dictum Regnum & Remp. Polonicam barbarus ille hostis denuo infestare, atque in ejus viscera ruere tentaris, eidem certum aliquem militem auxilio mittant, atque ad idem præstandum alias quoque potestates & Status adducant, cum ulteriori proposito & conventione, se super toto suppetiarum mittendarum negotio, eorundem numero, subsistentia, modo sustentationis, cæteraque omnibus à Regno & Rep. Poloniæ præstandis, simul per ministros suos utrinque ad id negotium plenarie instruendos, ad instantiam Regni & Reip. Polonicæ cum eadem quamprimum esse tractaturas, & conjunctim ad finem perducturas, atque ut prædicto modo alii quoque in societatem hujus auxilii contra immanem illum hostem ferendi permoveantur, juncta cura & opere laboraturas. XX. Quo vero hæc omnia, quæ in hoc fœdere sancita atque indicem promissa sunt, eo exactius præstari, ac in destinatum finem eo felicius perduci valeant, placuit etiam utrinque mutua super his negotiis correspondentia, ac fida consiliorum communicatio, ita ut alter alteri mature satis significet, quid mutata forte tam in Germania, quam in vicinitate temporum ac rerum facie, saluti publicæ, propriique status rationi conveniens existimet. Quo facto uterque confœderatorum consilia conferat, eoque dirigat, quo pacificatio universalis, hujus fœderis ac amicitiæ vera leges ad amussim promoveantur & observentur. Quomodo quoque confœderati virtute hujus articuli in se recipiunt, se durante hoc fœdere nullum aliud huic contrarium pacturos, neque passuros se ad alia flecti, quæ conventioni huic & amicitiæ sinceræ strictissimeque ulla ex parte adversari possint. Proinde etiam utriusque confœderatorum ministri publici & legati, inprimis etiam Ratisponæ adhuc hærentes, vel in posterum illuc missi, colant quoque bonam inter se amicitiam, ac correspondentiam, ita ut de rerum argumentis ibi propositis, præsertim vero ad pacem & securitatem publicam spectantibus, fideliter conferant, deliberent, atque de certa aliqua sententia, quæ paci Westphalicæ, constitutionibus Imperii, securitati ac libertati Germaniæ, huic fœderi & confœderatorum commodo conformis sit, inter se conveniant, tandem publice pronuntiens, eique insistant & inhæreant. XXI. Durante bello, vel etiam subsecuta pace, is, qui suppetias ex hujus fœderis præscripto tuleris, eo nomine nil quidquam præter mutua vice versa in ditionibus, casibusque hocce fœdere comprehensis definitisque postulare poterit auxilia, neutiquam autem à requirente sive sumtuum bellicorum, sive damnorum prætextu, aut quocunque alio colore de ditionibus, Statibus, arcibus, locisque quibuscunque aliquid detinere vel prætendere. XXII. Includantur huic fœderi defensivo ab utraque parte respective Imperator Romanus, Reges, Principes Electores, Principes, Resp. & Status utrinque nunc & posthac amici & fœderati, quorum amicitiæ, fœderibus, & pactis conventis hoc fœdus nullum præjudicium afferat, sed maneant ea in suo vigore illæsa, salvo tamen per omnia hoc fœdere. XXIII. Admittantur ex iis, quibus accedere libuerit, communi tamen consensu, & ut certis de capitibus cum iis nomine utriusque confœderatorum agatur, conveniaturque. XXIV. Duret hoc fœdus in decem annos, religioseque servetur, quo tempore elapso, vel etiam ante conveniant confœderati de prorogatione, siquidem ipsis ita collibitum fuerit. XXV. Ratificationum instrumenta super hoc tractatu & fœdere defensivo à Sua R.Mte & Sua Ser. El.lis propriis manibus subscripta intra spatium trium mensium, aut si fieri potest citius, à die subscriptionis computandorum, hic Coloniæ ad Suevum ritè commutentur. In horum fidem & securitatem majorem duo hujus fœderis, ejusque capitum seu articulorum exemplaria, pari tenore confecta, manuum nominumque nostrorum subscriptione & sigillorum impressione firmavimus. Acta hæc sunt in arce Coloniensi ad Suevum die 1. Decembris anno 1673. 1673.

§. 20. I. Notum præterea, testatumque speciali & separato hoc articulo sit omnibus, quorum interest, vel quavis ratione interesse potest: Quamvis in fœderis defensivi, quod inter Suam R.M. Sveciæ & Suam Ser. El. Brandenburgicam ab utriusque plenipotentiariis hodie conclusum, articulo inprimis quarto specialius conventum pactumque sit, qua ratione ab utroque confœderato pro reducenda pace labor, cura, solicitudo & officia impendi & adhiberi debeant, & si frustra fuerint, quomodo pro temporum rerumque facie *Articulus separatus.*

1673. *collatis consiliis, confœderatorum officiis locus aliqvis à belligerantibus detur: hoc ipso tamen neuter confœderatorum ita tenebitur, ut si functis officiis frustratos se, & à spe promovendæ bonis officiis pacis dejectos viderint, qvilibet eorum, prout sibi, rebus, statuiqve suo conveniens & proficuum existimaverit, haut possit libere & absqve ullo vel hujus fœderis vel aliunde qvovis modo proveniente impedimento pro lubitu decernere & disponere. Potius cuiqve liberum, nullaqve ratione vel impeditum vel prohibitum sit, neglecta à belligerantibus pace, & protracto ulterius bello, vel accessione ad qvascunqve belligerantium partes, vel alia qvacunqve ratione securitati, rebusqve suis consulere ac prospicere, ita tamen, ut consiliis, qvæ fovet, cum altero confœderato mature & justo tempore, prius communicatis, id omni studio agatur, qvo deliberata satis re, & examinatis inter se consiliis convenire possint. Qvod si vero alteruter adduci rationibus haut possit, ut descendat in confœderati sui sententiam, eamqve amplectatur & sequatur, tunc cuilibet confœderatorum qvodcunqve libuerit, separatim decernere licebit, & partes etiam eas tandem eligere, qvas sibi, statuiqve & interesse suo magis putaverit faventes & commodas, adeoqve etiam confœderato suo vel tunc contrarias, vel futuras. Nihilominus tamen jam enumeratis & qvibuscunqve aliis, qvi excogitari possunt & contingere, casibus, fœdus hoc & amicitia inter Suam R. Mtem, successores Reges Regnumqve Sveciæ, & Suam Ser. El. lem Brandenburgicam, ejusqve hæredes & successores masculos descendentes salva, integra, inviolataqve maneant, omnesqve utriusqve confœderati provinciæ & ditiones existente casu gaudeant juxta fœdus guarantia & auxilia in eodem promissis, confœderatique, non obstante qvid unus vel alter separatim & non probante vel consentiente altero hoc vel illud agere vel facere decreverit, alter alterius commoda promoveat, fœdus defensivum in omnibus capitibus, articulis & clausulis sancte servet, consiliaqve pro securitate utriusqve status, & publica pace tranqvillitateqve nihilominus ex fide conferant, strepentibusqve armis haut desistant à proposito stabiliendæ iterum, conservandæqve qvietis. II. Utut etiam in ejusdem jam dicti fœderis defensivi articulo V. inter ditiones & provincias Electorales Ducatus Cliviæ & Comitatus Marcæ & Ravensberg expressis verbis contineatur, eandemqve qvam pro reliqvis ditionibus & provinciis Electoralibus Sua R. Mtas Svecia promisit, & pacta est guarantiam etiam pro Ducatu Clivensi, Comitatu Marcæ & Ravensberg cum cæteris omnibus in fœdere defensivo & ejus articulis comprehensis juribus & beneficiis præstare in se recepit: postqvam tamen constat Serenissimam Domum Palatinam lineæ Bipontinæ, & sibi qvasdam circa ita nominatam Juliacensis successionis causam competere pretensiones, hactenus professam, prætera in pace Westphalica art. 4. conventum sit, ut tota Juliacensis successionis causa vel ordinario processu, vel amicabili compositione, vel alio legitimo modo dirimi debeat, ex ante memorata Domo Palatina lineæ Bipontinæ vero plures pretendentes concurrant, & cum qvibusdam eorum juxta tenorem Westphalicæ pacis jam transactum, prætereaqve eorum pretensiones enecatæ sublataqve penitus sint, Sua R. Mtis Sveciæ autem, ejusdemqve Domini Patrui pretensio per pacta insuper inter eandem Suam R. Mtem, Ser. Suam El. lem, & Serenissimum Ducem Neoburgicum die 6. Maij anno 1668. inita art. 9. salva & integra manserit, & adhuc sit: ita Sua Ser. El. lis pro se, successoribus & hæredibus suis masculis hoc ipso declarat, nullum unqvam ullo modo afferre debere præjudicium Suæ R. Mtis, ejusdemqve Domini Patrui pretensioni, qvæ ipsis circa dictam Juliacensis successionis causam competit, eo qvod Sua R. Mtas, successores Reges, Regnumqve Sveciæ pro Suæ Ser. El. lis Ducatu Cliviæ, & Comitatu Marcæ & Ravensberg juxta fœdus defensivum hodie conclusum, & ejus articulos in se susceperit & pollicita specialius sit guarantiam. Qvemadmodum qvoqve articulus 9. pactorum die 6. Maij anno 1668. initorum majoris securitatis & certitudinis ergo verbotenus hic repetitus sit, & huic articulo insertus habeatur.*

1673.

Dani super hoc fœdere solicitudo. Arenstorf

§. 21. De hoc fœdere cum in Daniam perlatum esset, Rex ibi Carolum Arenstorfium ad Electorem mittebat, qvi proponebat: Uti ab initio Regi perspectum fuerit Electoris pro bono publico studium, ad qvod tutandum is primus qvasi signum sustulerit: ita non dubitare, qvin eadem adhuc ipsi mens perstet. Cum tamen de fœdere cum Svecis feriendo inaudiret, non potuisse, qvin conjunctissimum amicorum moneat, ne Svecis nimium confidat. Eorum qvippe destinata ulterius tendere, ac eos omni artificio adhibito id agere, ut Electorem in adversas rationes pertrahant. Ei ab Electore repositum: qvæ consilia ipse hactenus sectatus sit, universi orbis, ac posteritatis judicio exponi. Eandem mentem erga patriam perstare; nec de radicato in Daniam affectu qvidqvam remisisse. Vetus cum Svecia fœdus à se renovatum improbari non posse, qvod ad securitatem sua-

1673. ſuarum ditionum maxime interſit iſtius amicitiam ſibi pignerare. Ne adverſis rationibus implicetur, ſat proviſurum. Qvo Svecorum deſtinata tendant, ſibi non conſtare. Si tamen iſtis in transverſum abire placeat, id ſe non tangere, cui iidem legem dare neqveant. Sane tale qvod fœdere haut contineri. Oſtentandæ fiduciæ ipſius fœderis cum ſeparato articulo copia fiebat. Qvo perſpecto iſte abunde ſibi ſatisfactum teſtatus diſceſſit.

Super ratihabitione fœderis dubitatum. 28. Febr. 1674.

§. 22. Aſt Wangelinus cum inſtrumento fœderis in Sveciam profectus intra conventum tempus ejus ratihabitionem adferebat. Sed qvia interim Coloniæ ad pacem nil profectum erat, ac magna rerum converſio imminere videbatur Electorem qvoqve in partes tractura: hic denuo ad conſilium referebat; num poſt tantam rerum à concluſo fœdere mutationem id jam ratihaberi expediat? Ubi Sverinus cenſebat: Ab initio haut fuiſſe eam mentem, ut ulterius, qvam ad nudam prioris fœderis renovationem procederetur. Sed qvia Sveci tam ſolicite apud Electorem inſtiterint, id unice ad promovendam pacem ſpectare, hunc judicaſſe, tam ſalutare ſe negotium defugere non poſſe. Cum etiam ante ſubſcriptionem fœderis Elector ſententias conſilii perrogaret, ſe cenſuiſſe: ſiqvidem ipſi placeat in partes deſcendere, ſatius fore id fœdus declinare; nec viam deeſſe ei negotio extrahendo aut corrigendo. Sed qvia oſtenſum fuerit, hoc fœdere nil contineri, qvod Electorem contra proprias rationes obliget; ac non id reſpiciendum eſſe, qvid Sveci animo agitent, ſed qvid verba fœderis ferant; eum auditis omnium ſententiis decreviſſe, ſubſcriptionem debere fieri. Unde ſibi videri ratihabitionem haut negandam, ut tamen Elector denuo diſertis verbis teſtetur; ſe per id neutri parti adſtrictum fore, ſed integra ſibi omnia reſervare ad arripienda conſilia, qvæ Imperio ac ſuo ſtatui proficua judicaverit. Tum ut anteqvam ratihabitionum inſtrumenta hinc inde tradantur, Goëſio denuntietur; qvia nec Cæſar nec Belgæ huic fœderi qvid oppoſuerint, & id hucusqve proceſſerit, Electorem non potuiſſe, qvin id ratihaberet; cui tamen ideo de ſtudio ſuo in communem patriam nihil ſit deceſſurum. Contra Blaſpielus cenſebat, ratihabitionem fœderis differendam. Nam hoc modo Electorem luculento ſpecimine oſtenſurum, integrum ſibi eſſe pro re nata uni aut alteri parti accedere, ac proprio motu nemine impediente decernere, qvæ & ſibi & in publicum utiliſſima judicaverit. Expedire 1674.
qvoqve nunc tempus ducere, ut audiatur, qvid Gallus juxta, ac Cæſar & Belgæ propoſituri ſint; qvibus inter ſe collatis conſilia ſolidius formari poſſe. Svecos qvoqve ſuſpectos ſe reddidiſſe, qvod ſtatim abſoluto hoc fœdere cum Bavaro, & aliis Coloniæ ſuper tertiis partibus formandis agitarint, in qvas & nunc Electorem pertrahere laborent; ita ut ſi hic fœdus nunc ratihabeat, tertias iſtas partes amplexurus videri poſſit. Prætextum dilationi inde peti poſſe, qvod interim pace inter Anglos & Belgas inita facies rerum inſigniter mutata ſit, ut ſpeculandum utiqve videatur, qvid conſilii Anglus deinceps capturus ſit. Friderico Jenæ fœdus ſine exceptione ratihabendum videbatur. Cauſteinius differebat: ſeſe ſtatim irritio, & cum tractatus abſolveretur monuiſſe, Electori omnia à Svecis propoſita ſuſpecta habenda; præſertim cum conſter, qvid iſti hactenus à Gallo perceperint. Et qvanqvam fœdus ad meram defenſionem nemini improbandam conceptum videatur; Svecos tamen forte id aliter interpretaturos, nec minus alios ſiniſtra inde conjecturos. Enimvero perfecti jam fœderis ratihabitionem haut commode recuſari poſſe, qvin plus ſuſpicionis & offenſæ apud Svecos excitetur. Unde ſibi videri, cum fœdus eo ſenſu, qvem Elector præ oculis habeat, nil contineat, qvo is ad qvid fraudi ſibi futurum obligetur, ratihabitionem faciendam; ut tamen ſimul denuntiet, animum ſibi non eſſe per id tertiæ ſe parti, aut contra Cæſarem & Belgas illigare; ſed ſe intra limites prioris fœderis defenſivi ſubſiſtere, cujus confirmationem ipſe hoc fœdus, & non ultra reputet. Somnicius cenſebat: negata aut dilata ratihabitione Svecos non leviter offendendos. Ipſum fœdus neutri bellantium parti, nec cuipiam alteri ſcrupuli qvid injicere poſſe. Nec Electorem per id ad amplectenda Svecorum deſtinata obligari, id qvod ſeparatus articulus mature communicatus ſatis indicare poteſt: ſic ut non magis ratihabitione, qvam ipſo fœdere qvisqvam offendi qveat. Et qvia fœdus ante oculos Electoris confectum fuerit, negata ratihabitione non aliter creditum iri, qvam alia ipſum conſilia iniiſſe. Eadem Meinderſio ſententia: Non poſſe non ea re Svecos graviter offendi, cum omnia ipſo conſcio concluſa ſint. Scopum fœderis laude dignum, pacem inſtaurare, ac propria tutari. Svecos circa adornandum fœdus Electoris placito ultra ſolitum ſe attemperaſſe. Huic liberam facultatem relictam uni & alteri prout viſum fuerit ſeſe

1674. innectendi. Tum qvantivis esse, res suas contra vicinum, à qvo maximum periculum provenire qveat, in tuto collocasse, salva facultate rationes suas sequendi. Idem fœdus Hasniæ, & Hagæ, ubi maxima causa fuerat id suspectandi, probari; id qvod de Cæsare qvoqve speretur. Eqvidem Goësium id negotium qvovis modo impedire studuisse, ut tamen idoneam rationem haut adferret, sed laxioribus semper verbis uteretur; Svecos longius tendere, ac id agere, ut Electorem paulatim in diversas partes pertrahant. Ast Electori facile fore providere, ne trahatur, qvo Sveci velint, qvorum voluntas legem ipsi dare non possit. Ac sufficere, qvod ipso fœdere tale qvid non contineatur.

Neoburgicus ei fœderi includitur.

24. Febr Goldstein.

§. 23. Huic porro fœderi Neoburgicus ut includeretur misso Henrico Theobaldo Goldsteinio petebat. Id qvod tam Electori, qvam Svecis placebat; ac statim tractatio suscipiebatur. Ac offerebat Goldsteinius formulam, qvæ citra difficultatem probata est. Instrumentum accessionis hisce capitibus constabat: *Ut hoc fœdus de futuris casibus intelligatur, nec adeo porrigatur, qvæ forte ante hunc diem Electoris ditionibus illata sint. Ut Neoburgicus omni auxilio, qvod inter Regem & Electorem mutuo promissum est, circa omnes suas ditiones fruatur. Ut idem copias auxiliares tunc demum mittere teneatur, si Rex & Elector in ditionibus Germanicis invadatur, non in eas, qvæ extra hanc sita sint. Is mille pedites, ducentos equites conferet; qvi numerus si non sufficerit, tertiam partem eorum dabit, qvæ Rex & Elector ultra simplicem modum præstiterint. Ubi is præfectum pari dignatione cum Regio aut Electorali mittat, hic qvoqve in consilio bellico alternis præsidebit; cui & jurisdictio in copias sibi commissas erit. Super re tormentaria ulterius conveniendum. Denique & separatum articulum sibi reservabat.*

Cum Belgis acta.

30. Sept. 1673.

11. Oct.

§. 24. Interea Elector curam pro Belgarum Rep. non exuerat, etsi ista tam enixe expromta, cum pari studio non responderetur, in maximas eum difficultates conjecisset. Ac eos qvidem ut pacti animum adplicarent, sedulo hortabatur. Sed qvi contra demonstrabant: Coloniæ talia proponi, qvæ si acceptentur Reip. exitium sint paritura. Igitur sibi satius visum extrema tentare, ac fœdus cum Cæsare, Hispano, ac Lotharingo iniisse; ac deinceps alios contra Gallum spiritus ostensuros. Paulo post Matthias Romswinckelius Belgarum delegatis proponebat: Electorem tamdiu responsum ad literas die 3. Maij scriptas expectasse; tum ut æqva declaratio super residuis stipendiorum daretur. Credidisse qvoqve Remp. hac rerum facie ansam arrepturam reliqvas lites, qvæ sibi cum tota Rep. aut qvibusdam provinciis intercedant, amica ratione componendi, qvo mutua necessitudo utrinqve restabiliatur. Sed nihil responsi secutum: de solvendis stipendiis nullum verbum. Qvin Belgarum legatos Coloniæ movere qvid ausos de actione in oppida Clivica qvondam præsidio Belgico infesta. Istis tamen insuper habitis Electori placere amicitiam cum Rep. colere; nec qvin eadem huic mens sit dubitare. Necessarium tamen judicare istas controversias componi nulla exceptione, qvæ in futurum disceptandi materiam præbere possit. Ad qvæ delegati: *Domum Brandenburgicam ac Belgarum Remp. multis ab annis arcto nexu junctas. Intercedere iis gravissimas rationes è communibus sacris, situ regionum, & domo Arausionensi, firmissima amicitiæ vincula. Remp. qvoqve Electoris amicitiam maximi fecisse, ac ut eadem arctius, qvam cum qvovis alio Principe adstringeretur, operam dedisse. Libenter qvoqve se agnoscere, cum Resp. per potentissimos Reges terra mariqve invaderetur, ac ab omnibus deserta esset, Electorem primum ad eam sublevandam sese accinxisse. Contra gravem dolorem Reip. attulisse, qvod Elector abdicato isto instituto ad transactionem cum Gallo permoveri se passus sit. Qvod ad literas non responderint, id non factum diffidentiæ suæ causa, aut dedignatione; sed qvia animorum exacerbationem metuerint, si commemoratis anteactis ingrata disceptatio incalesceret. Unde satius visum istis dissimulatis commodius tempus expectare pristinæ conjunctioni ad tuendam communem causam instaurandæ. Cum itaqve Gallus tam iniqvas conditiones proposuerit, qvibus admissis & Resp. & vicini ejusdem libidini obnoxii essent acturi, se fœdus cum Cæsare, Hispano ac Lotharingo ferisse, cujus si Hispanus bellum Gallo indicturus sit, ac spem esse, Daniæ Regem, ac Luneburgicos Principes eidem accessuros. Unde & se confidere, Electorem ad asserendam communem causam, ac Imperii salutem alia consilia capessiturum, ac manum simul admoturum, ut qvilibet sua recuperare, ac tuto deinceps possidere qveat.* Ad qvæ cum noster reponeret; tanto magis par esse, ut Resp. Electoris postulatis satisfaciat, delegati declarabant: Remp. nil actionis in oppida Clivica moturam, ac facile pati, ut eadem à Gallo Electori tradantur. Circa litem super debito Hufiseriano compromissum interve-

1673.

nisse.

1673. nisse. Super compromisso Geldrico in præsens nil agi posse, ea provincia à Gallis infessa. Si reliqva subsidiorum exigere pertendat Elector, super iis ad singulas provincias referendum; ubi in vicem solutionis longa qverimoniarum series sit expectanda, non nisi animos asperatura, qvos conciliari communium rationum maxime intersit. Igitur præstare ista ad commodiora tempora seponi. Addebatur; cum propositæ à Gallo pacis leges ad Reip. & vicinorum eversionem spectent, spem esse Electorem qvoqve una cum aliis causam, qvæ ipsum tantopere tangat, amplexurum. Ad ista
3.Nov. Elector reponi jubebat: *Gratum sibi esse, à Rep. veterem cum Domo Brandenburgica conjunctionem, ac communes rationes agnosci, qvæ amicitiam cura utriusqve noxam divelli non patiatur. Nec minus lætum, ipsos profiteri, se primum fuisse, qvi afflictæ Reip. causam susceperit. Unde facile colligere possint, ni ejus Reip. conservatio sibi magnopere cordi foret, se ad tam periculosa ausa haut fuisse descensurum. Non parum tamen dolere, qvod isti putent, immutato studio ad transactionem cum Gallo se adductum. A se acta temporum conditione abunde probari, ac amicitiæ leges examussim impletas, dum in nihil Reip. nociturum consenserit, qvantumvis lautissimæ conditiones offerrentur. Nec se ad ea pacta persvasionibus aliorum, aut odio in Remp. permotum, sed qvia eadem per temporum conditionem declinari non poterant. Si tam arctam necessitudinem exprobrationes decorent, sibi longe graviores de Rep. qverendi causas esse. Cum Cæsare, Hispano, Dano, Luneburgicis, uti ipsorum legatus fore confirmarit, ac nunc ex parte secutum sit, non mature convenisse, unde bellum ea vi, qva par erat, geri non potuisse. Pecuniam rerum gerendarum nervum per qvinqve menses defecisse, se incassum protestante. Hostem ab iis haut distractum, ut sibi soli incumbere posset. Vicinos, eosqve armatos minas jactasse, ut ni alia consilia caperentur, sibi pessum eundum fuerit, nullo Reip. emolumento. Igitur par esse reliqva subsidiorum persolvi, saltem divisis pensionibus. Nam et si suo auxilio Resp. tam brevi tempore belli malis erepta haut fuerit, circa qvod voluntas sibi non defuerit; eam tamen haut parum levatam maxima hostium mole in se aversa. Num ad suas literas respondere velint suo loco relinqvi. Qvod actionis nil oppida in Clivica reservent, à se acceptari, ac sperare futuris tractatibus eos curaturos, ne ista in alterius manus perveniant.* Sed Fagelio Romsvvinckelius in aurem dicere jubebatur; qvantum momenti Elector ad communem causam adferre qveat; ac uti eidem non minor nocendi huic Reip. facultas sit, si 1673.
plane negligatur; ac complures Imperii Principes, qvin Reges expectare, ut ipse aliam consiliorum viam ineat. Tum grave Electori fore tantum exercitum in amicorum gratiam alere, qvod alias sibi cum nemine controversiæ qvid intercedat.

§. 29. Cum itaqve Belgæ inducias, qvas Sveci urgebant, ac conditiones ab his propositas adspernarentur, bellum gesturi, qvoad omnia sibi erepta loca recuperassent, animos addente rerum cum alibi tum in Anglia conversione; præter alia causæ suæ fulcra Electoris qvoqve fœdus affectare instituebant. Igitur ad superius proposita magna cum verborum humanitate respondebant: Se velle legatum ad Electorem mittere. De subsidiis ut ad aliud tempus rejiciatur petere. Sed si obnixe ista exigantur, exemplum pacti Gallici sibi edendum. Qvo responso Elector haut contentus censebat: si una die debitum id numerari urgeat, habere eos, qvod iniqvitatem temporum excusent. Sed cum ipse nunc diem solutionis dividi velit, manifestum esse Belgas è pacto Gallico violati ipsum fœderis arguere, aut alias scrupuli qvid movere velle. Igitur iis demonstrari jubebat; tali modo exhibita à se amicitiæ officia haut agnosci, nec ad ea continuanda stimulum addi. Sane hactenus solam colendæ amitiæ curam obstitisse, qvo minus iis exprobraverit, aut inqviri petierit, qvare Clivicis oppidis tam maligne fuerit prospectum, ut oppignationem sustinere non possent, cum id longe aliter convenisset; ex qvo provinciæ suæ infinita damna sint enata. Qvod se in expeditionem procedente ipsi aliorum conjunctionem qværere omiserint, se solo cum periculi magnitudine luctante. Qvod subsidia nunqvam justo tempore solverint, ut iis recte uti posset. Qvod deniqve hostem non distraxerint, cum ipse rem in Westphalia gerere inciperet. Si igitur Belgis exprobrare qvædam libido sit, in promtu esse, qvæ longe majore jure reponi qveant. Sperare tamen non magis eos huc descensuros, qvam sibi jucundum sit cum veteribus amicis jurgari, Pactum cum Gallo se nunqvam inter secreta habuisse, cujus exemplum nunc mittatur. Legationem sibi non ingratam fore, ut tamen non videri velit se istos ad eam invitasse, sed ut eadem ab arbitrio ipsorum dependeat. Copiam qvoqve faciebat fœderis cum Sveco initi, ut perspiciant, nil eo contineri Reip. eorum adversum; ut ut pari candore Belgæ non egerint, ac nondum

Belgæ Electoris fœdus iterum affectant.

29. Nov.

9. Dec.

1674. dum communicarint, qvid rationum cum Cæsare, Hispano, ac aliis contraxerint. Qvia tamen Belgæ mox modeste admodum loqvebantur, Fagelio cumprimis ad instaurandam amicitiam incumbente, Elector qvoqve jubebat omissis asperioribus pari verborum humanitate istis occurrere. Nam isti congressiu habito Electoris consilia & acta, simul exhibita ipsis beneficia admodum extollebant, testati Reip. nil magis in votis esse, qvam denuo eidem qvam arctissimo nexu jungi. Ac si gratum id fututum sit, legatum missurum, qvi & de subsidiis transacturus sit; qvorum exactio ut tantisper suspendatur rogare. Legationi obeundæ Isaacus Pavvius Achtienhovius designabatur.

Pav van Achtienhoven.

Circa disponenda in futurum consilia deliberatio.

§. 26. Cæterum qvia exercitus nulla spe pacis adparente exautorari non poterat, qvem tamen alere soli Electori difficile admodum futurum erat, jam consultabatur; qvæ hac rerum facie via incunda foret; ac unde adminicula petenda militi sustentando; & num denuo cum Belgis contrahendum? Ea super re Blaspielo videbatur: *Summam rerum Electoris in præsens in eo verti, ut aqva & stabilis pax promoveatur; ut exercitus, qvi autoritatem ei circumdonat, ad pacem usqve minimo civium onere sustentetur; ut denique Clivica oppida recuperentur, ac interim prohibeatur, ne eadem à Gallis hostibus oppugnentur, tum ne Clivica & Westphalica ditiones transitibus, & statvis exercituum, aliisqve oneribus plane pessumdentur. Huic fini necessarium esse, ut Elector haut otiosum spectatorem sed negotiis immixtus agat, ac promovendæ paci operam naret; ac ut inprimis ex fœdere Svetico bellantes ad pacem hortetur.* Fridericus Jena sine circuitione cum Belgis transigendum svadebat, ut pecunia subsidiaria potiri detur. Contra Sverinus metuebat, *ut pecunia, ab una aut altera partium danda sumtibus tolerandis sufficiat, civibus haut eo minus sub onere fatiscentibus. Qvin unica hostium irruptione in Electoris ditiones plus damni dari, qvam qvanti aliqvot annorum subsidia sint. Tum exercituum hinc inde itineribus, qvæ in bello declinari nequeunt, provincias valde asteri. Qvod si Sveci Gallicas partes amplectantur, uti facturi videantur, si plures Gallo hostes surgant, forte & culpa belli extracti istis impacta, qvi Belgis auxilia latum eant, haut tutum fore Electori ditiones suas milite nudare. Qvanqvam enim cum Svecis conventum sit, ut eo casu amicitia cum ipsis illibata persistat; vix tamen tuto isdem fidi posse. Ac forte ipse Cæsar desideraturus sit, ut Elector tergum ipsi tutum præstet; qvo casu Belgarum expectationi satisfieri nequeat. Electoris porro non minus qvam cujusvis alterius interesse pacem qvantum potest accelerari. Sed statum atqve is in partes transierit, eam operam aliis transcribendam. Qvod si & Elector in præsenti statu maneat, Gallum recusare non posse, qvo minus ei Vesaliam & Reesam reddat; qvæ loca, si vi recuperanda sint, toti Clivicæ vastationem productura esse. Respectum qvoqve Poloniæ non permittere, ut Elector alterutri partium accedere properet. Ac si Rex creetur Gallicæ factionis, Borussos præsentia aversantes ansam res novandi arripere posse, Electore alibi districto. Bellum suscepturis causas expendendas, num satis graves sint. Qvod si Belgis nunc adsistatur, de justitia causæ dubium non esse. Ast uti initio hujus belli sola necessitas, qvæ tunc Resp. urgebatur, consiliis momentum attulit; ita eam nunc cessare, cum jam apud Belgas deliberetur, qvomodo bellum in ipsam Galliam refundere possint. Unde dubium, an non pax tali auxilio magis impediatur, qvam promoveatur. Posse tamen fieri, ut his omnibus insuper habitis Electori consultum sit ad priores partes redire. Nam forte tam lautas conditiones offerri posse, ut bellum sine onere ditionum propriarum geri qveat. Posse qvoque convenire, ut si Svecia in Galli partes concedat, huic alia potentia opponatur, aut saltem eo casu Electori liceat milite suo ad propria tutanda uti. Aut ut Elector non amplius teneatur, si una vel altera pars æqvam pacem admittere nolit. Posse etiam Electorem Svecico fœderi hactenus satisfacere, ut antequam auxilia repræsentet, debitis locis de pace proponat, sicuti jam per Crocovium Viennæ fieri jussum sit. Denique conclusionem extrahi posse, qvoad eventus Polonicæ electionis adparuerit. Igitur expectandum, qvid legatus Belgicus, qvi in via est, allaturus sit. Ex eo si pax promoveri, ac Electori securitas constare qveat, rem ita temperandam, ne contra pactum cum Gallo, ac recens cum Svecis fœdus egisse argui qveat.*

1674.

§. 27. Ast Somnicius late disserebat: *Somnicii sententia.*
Postqvam nec exercitum solvere tutum sit, nec is citra oppressionem civium diutius alqveat, qvæstionem esse, num Electoris cum Belgis, si legatum mittant, fœdus ineundum, an qvid aliud suscipiendum? Ubi id dubium non esse, qvin optimum juxta ac tutissimum sit paci promovendæ studere, & qvidem potius missis legatis qvam literis. Nam responsis ad literas neminem facile arcana animi sensa super conditionibus pacis significare, de qvibus tamen legatorum dexteritate explorari potest. Pecuniam ab alterutra parte accipere ut qvi-

esças

1674. esias, anceps esse. Ob Gallicum argentum officium patriæ debitum negligere, infamiam habere. Nec qvi escenti idem autoritatis, aut efficaciæ ad bonum publicum ac privatum, pacemqve promovendam, qvam si qvis armis pacem osores urgeat, ac ipse res gerenda incumbat. Ab Hispanis autem ac Belgis ut ab armis cessetur, nil sperandum, cum vix sit qvod detur militi rem gerenti. Aut in bellum descendere aleæ plenum esse. Eqvidem ad subsidia respici, qvæ alii, qvi ad societatem armorum invitent, daturi sint. Circa ea primo considerandum, num suffictura sint levando oneri, qvo Electoris provinciæ premuntur. Tum à qvonam danda sint. Ne pro Gallo ferrum stringatur prohibere conscientiam & fas sacrorum, tum salutem ac libertatem patriæ, ac membra ejus Reipublicæ, qvæ injusta istius vi opprimantur. Ubi contra istum arma gerere instituas, cogitandum periculum, qvod Clivia ac vicinis Electoris ditionibus incumbat. Tertiis partibus formatis plus divisionis in Imperio effici, Ordines à justis ac solidis consiliis diverti, qvod jam tristis experientia docuerit. Nam si ab initio universi Ordines cũ Cæsare ac Electore tota vi Gallo se opposuissent, is dudum Germania expulsus foret. Nunc tot factiones, ac in diversum tendentia studia in tantas miserias patriam conjecisse. Et qvi istas partes agitant, Gallico auro emtos, qvos à Gallicis qvoqve consiliis pendere manifestum sit; præsertim cum & Gallicas partes foveant. Alios qvoqve privata commoda ista ratione captare. Porro qvid juste suscipi possit, haut obscuram habere disceptationem. Nam qvis dubitet, qvin justum piumqve sit vim inferentes expellere, ejusdem Reip. consortes adversus oppressionem tutari? Eqvidem jactari, singulos Imperii Principes non teneri ad arma arripienda, nisi junctim cum aliis, & juxta leges, ac decreta universorum Ordinum. Qvod perinde fuerit, ac si Germania, ejusqve membris juxta leges pereundum sit. Num credibile sit, eam fuisse veterum sententiam qvi leges condiderunt, ut si extraneus pecunia aut aliis artibus Ordines dividat, oppressos ideo nemo sublevare debeat, qvoad corrupti aliam mentem induerint, ac universi in ista auxilia consenserint? Nec minus providendum, ne circumposita Germaniæ munimenta, qvibus hujus securitas stat, subvertantur. Et qvid credamus à Gallo expectandum, Belgio in ditionem redacto, qvi nunc ita proterve Germaniam insultat? Denique & purioribus sacris maximum periculum imminere, si Gallus eo, qvo adspirat, invaluerit; cui omnia per violentiam perrumpere, qvæ libido dictaverit solenne est. Potissimam qvæstionem esse, num qvo fas ducat, idem & expediat. Atqvi prae- 1674.

terqvam qvod pia sectantes Numinis favor haut destituat, præsto esse socium Cæsarem, aliosqve qvos ejus patriæ salus cordi est; ac tantas fœderatorum vires, qvæ & felicem successum promittant, ac periculum imminuant. Porro qvi oppressionibus hostium liberantur, ad æternas grati animi vices obstringi. Et qvanti magnanimo Principi esse debeat gloriam nationis Germaniæ valde qvidem prostratam vindicare, ac Imperii convulsionem atqve lacerationem impedire? Qvem porro favorem arma Electoris prosecuturum, ingens momentum pellendo hosti, ac paci reducendæ allaturæ, præsertim ubi miles accurata disciplina coërceatur, ac ista subsidiis aliunde præbitis sublevetur. Eundem qvoqve si aliis immixtus rem gerat, rationibus ac securitati suæ melius prospicere, ac si qvæ jam struantur machinationibus occurrere posse. Tum & exemplo alios in bonas partes pertracturum, ac Ratisponæ dictis fortibus sententiis animos reliqvis additurum, qvi hactenus sensa circa Remp. metu periculi promere ausi non sunt. Eqvidem objici magnam Galliæ potentiam, Clivia periculum, tergum à Polonis non satis tutum, lubricam Svecorum fidem, multorum in Imperio contraria studia. Enimvero in rebus humanis nil reperiri, qvod periculo ac molestia careat. Haut eo minus connitendum, ut fiat, qvantum fas ac vires ferunt, ac eventum Deo committendum. Nec tamen deesse remedia, qvæ periculis opponi qveant, nec spernendas esse eorum vires, qvi contra Gallum se conjunxerint. Num tamen in præsens arma resumenda sint, liqvido decerni prius non posse, qvam Belgarum destinata è legato, & qvas conditiones offerant intelligantur. Id tamen in aprico esse, nullo jure Electorem prohiberi, qvo minus cum Belgis fœdus inire qveat, qvorum amicitia ejus statui utilissima, ac tantum non necessaria sit, & qvam instaurari, & ad posteritatem propagari summopere expediat. Id qvoqve agendum, ut Hispani pecunia qvid suppeditent, ac Cæsar nostro exercitui æqve ac suo hospitia curet; utqve Dania qvoqve Rex & Luneburgici in partes trahantur. Qvod si tamen Elector judicet, se ad arma pro Imperio movenda non teneri, nec aliunde pecunia præbeatur exercitui sustentando, hujus modum ita esse coërcendum, ut provinciæ ferendo oneri pares esse possint.

Ad Cæsarem missio. 12. Jan.

§. 28. Inter ambigua ista consultationum cumprimis necessarium erat aulæ Cæsareæ studia atqve destinata nosse; qvo fine Crocovius Viennam mittebatur. Ei injunctum, ut captandæ benevolentiæ Cæsari gratularetur de successu armorum pro Germaniæ salute sumtorum, ad

1674. qvam & Elector omnia sua consilia referat. Tum se venisse, ut hac rerum facie de negotiis Imperii, ut & de Polonia cum aula Cæsarea communicet. De fœdere cum Svecis testaretur, id in Cæsaris aut Imperii fraudem haut tendere, ac Electorem sibi in eo integra omnia reservasse. Et qvia interim nemo ipsius rationem habuerit, necessarium fuisse, ut securitati suæ aliunde prospiceret. Qvod si de Electore in partes pertrahendo moveatur, circumspecte ageret, ac inde qvidem insigne ejus desiderium pacem omni modo promovendi demonstraret, hinc autem caveret, ne intempestiva fama surgat, velut ipse iterum in partes descendere statuisset. Si qvid tamen ejus generis proponatur, cognosceret, qvid desideretur, & qvid emolumenti eidem expectandum sit. Tum & obiter insinuaret, Electorem pro bono publico exercitum habere, ad qvem alendum nemo qvidqvam conferat; cum tamen alii, si modo qviescere velit, insignia emolumenta polliceantur. Præterea super restituenda Carnovia moneret. Deniqve & indicaret, etsi Elector Cæsari nolit præscribere, qvomodo hic cum civibus suis agere debeat: subigere tamen devotum, qvo Cæsarem amplectatur, animum, ut Cæsari demonstret, qvantum detrimenti atqve invidiæ ipsi passim conciliet non modico cum hostium fructu, qvod Protestantes per ditiones hæreditarias tam asperis persecutionibus premantur, ac fortunis exuti in exilium ejiciantur. Et qvia pleraqve id genus inscio Cæsare fiant, eo magis Electorem rogare, ut clementiam Austriacæ Domui propriam erga tot miseros atqve innocentes exerceat, eosqve contra immanitatem persecutorum tueatur.

Cæsar Electoris societatem ambit. 9. Febr.

§. 29. Crocovius Viennam delatus post exposita mandata cum de exercitu Electoris jecisset, cui sustentando ad diuturnitatem suffecturus non sit, Montecuculus dicebat; se statim monuisse, ut opera daretur, qvo Electoris exercitus conservetur. Sed creditum fuisse, cum post tam recentem cum Gallo transactionem talia adspernaturum; ac spatium eidem indulgendum, qvo Gallus hostilibus in Germaniam continuandis ansam præbeat reservata ipsi libertate circa auxilia Imperio ferenda utendi. Ac jam ea de re non sine spe successus agi cœptum, cum eadem vado adhæreret, qvod Elector Cæsari expeditionem dissvaderet, ac mox cum Svecis fœdus iniret, per qvod Hispanis ac Belgis nova suspicio injecta sit. Nam etsi fœdus id prudenter adornatum sit; non constare tamen, num 1674. qvi secreti articuli subsint, aut saltem mens non sit arctius se Svecis innectendi. Sane ejusmodi pacta non fieri absqve ulterioribus respectibus; ac sæpe aliqvem arctius stringi, qvam ipse ab initio crediderit. Nam non adparere, qvid emolumenti Elector ex eo fœdere capiat; & tamen cum optimis amicorum se suspectum reddere. Ac si Sveci valido cum exercitu in Germania consistant, haut eo magis securitati ditionum ipsius cautum fore. Interim per id aliorum consilia turbari, atqve impediri, qvo minus Electoris societas ambiatur; id qvod Galli ac Sveci in ejus fraudem qværant. Igitur spem esse, Electorem haut arctius se Svecis innexurum. Nam hi ubi aliqvam factionem in Germania præsto fore sperent, facile libidinem concepturos exercitu trajecto incendium eo latere excitandi, Electoris ditionibus qvam maxime infestum. Eqvidem Cæsarem nullam istis causam hostilia sumendi præbiturum; si qvid tamen ultro tentent, successus prioribus similes haut experturos. Qvod si Elector bonis partibus accedere velit, brevi honestam pacem inventum iri non sine egregia ipsius gloria, ac in promtu esse ei ab Hispanis ac Belgis subsidia. Nec minus legatus Hispanicus Marchio *de los Balbases* Electoris amicitiam Regi suo cordi esse ostendebat. *26. Febr.* Huic juxta ac Cæsari pacem summopere expeti, sed tutam & stabilem, & per qvam ipsi juxta ac vicini in eum statum reponantur, ne singulis biennii novæ irruptiones, aut etiam media in pace protervi insultus metuendi sint, qvales hactenus toleraverint. Uti igitur hucusqve Gallo ad ista audenda viam munivit Germanorum discordia, ac debilis Belgii Hispanici status: ita fœderatos id acturos, ut Belgium deinceps sibi tutando sufficiat, ac Germaniæ in vicem propugnaculi inservire possit; si maxime res non plane ad leges pacis Pyrenææ reduci qveat. Et peculiariter Electoris hoc interesse ob ditiones Clivicas. Inde vires fœderatorum extollere. A Svecis nil metuendum, præsertim postqvam Anglia pacem fecerit. Nec Electori ab Hispano subsidia defore. Alias Cæsarei ministri Cæsaris in pacem studium commendabant, qvi etiam vasallis suis diplomata dederit, cum Gallus eadem Lotharingo Principi libero negarit. A Gallo Comitem Nassovium Saræpontanum, qvod juramentum subjectionis abnuerat, in custodiam datum: Metenses vasallos crudeliter habitos. Nullam nationem toto terrarum orbe tantum contumeliæ & insultationum toleraſſe, qvam

1674. qvam in præsens Germani à Gallis sentiant, cousqve procedente impudentia, ut si qvis oppressos tutari instituat, ultro pacis violatæ arguatur. Tanto malo averruncando haut aliud remedium esse, qvam ut omnes patriæ amantes Principes, qvos inter Elector & potentia & animi generositate primum locum teneat, consilia & arma cum Cæsare socient. Amicis officiis haut aliud profici, qvam ut plures injuriæ invitentur. Jam opportunum tempus adparere tantis malis finem imponendi. Electorem in partem gloriæ observatam patriam cum Cæsare venturum, ac aliis exemplo præiturum, repudiatis fallacibus Galli promissis, ac privatis, qvæ ostentantur, emolumentis, tanqvam autoramentis publici servitii, qvod deinceps non ipsi minus qvam aliis intolerabile sit futurum. Porro Cæsari hunc esse armorum scopum; omnia in Imperio per Gallos occupata loca, ac Lotharingiam recuperare, reparationem damni dati qværere; securitati in futurum expugnato Brisaco ac Philipsburgo prospicere; ac ut Hispano ob damna in Belgio accepta satisfiat. Super eo armorum scopo Elector judicabat, talia haut iniqve peti: sed eo adqviescendum fore, qvod favente Numine obtineri qveat. Alias libenter qvantum in se ad communem causam collaturum; sed in eam rem vires suppeditandas, ac non subsidia solum, sed & securitatem curandam. Tum & nosse velle, num qvid cautionis Cæsar à Svecis habeat. Super sacris Cæsarei respondebant: A Cæsare neminem ad mutandam religionem cogi. In Hungaria paucas esse civitates, qvæ in partem rebellionis publico consensu non venerint. Unde Cæsari jus rigidum seqvi fas fuisse, ac omnibus privilegiis rebelles exuere. Per congenitam tamen clementiam eum summa moderatione usum à Protestantibus pauca duntaxat templa vindicasse, & ea qvidem, qvæ ipsi antea Catholicis eripuerant, iis relictis, qvæ ipsi extruxerant. Ad solum vertendum neminem coactum. Ubi templa ademta fuerint, cultum intra privatos parietes relictum, modo qviete vivant. Cæterum stabat sententia Cæsari bellum contra Gallum tota vi perseqvi; cui animos cumprimis addebat pax inter Belgas & Anglos facta, & qvia Angliæ Rex legato Hispanico fidem dederat, se nec palam nec obliqve Gallo suppetias laturum. Sed & haut credebat Svecos qvid molituros; aut si eo temeritatis procedant, id Electori magnæ felicitatis loco futurum. Nam prout nunc partes formatæ sint, Svecos Pomeraniam nullo modo tueri valituros, inprimis si Belgæ mari eos arceant; id qvod in proclivi futurum sit. 1674.

Galli Palatinum invadunt

§. 30. Inter hæc novam inflammando bello materiam suggerebant Galli, Electore Palatino hostiliter habito. Illi jam antea Bipontinam ditionem misere exhausserant, ac edicto, qvo tributa imperata fuerant, per ludibrium addiderant; Ducem de cætero ut amicum & fœderatum Regis habitum iri. Cum qvoqve Palatinus per Steincallenfelsium Nanceji de præfecto Philipsburgensi qvereretur, subditos suos ab ipso ad opus faciendum cogi, nec Electore talia ulterius tolerari posse; Luvoisius responderat: Qvid? parvus Elector Palatinus audebit Regi Galliæ se opponere? Ast Cæsar Palatino omnibus se viribus auxilio futurum pollicebatur. Simul Crocovio significabat, se sperare, Electorem contumeliam hoc facto Germaniæ illatam ad animum revocaturum. Palatinum non aliam ob causam ista tolerare, qvam qvia defensionem sui juxta leges Imperii qværat, & à Gallo oblatum contra Cæsarem & patriam fœdus abnuerit. Super isthac invasione Palatinus qverimonias ad Electorem qvoqve deferebat, prolixe memorans, qvantum importunitatis ac violentiæ à Gallicis copiis, ac præsidio Philipsburgensi tolerandum sibi fuerit, utut Rex sæpissime diversa omnia promiserit. Eam rem omnibus Ordinibus summæ fraudi cedere, si ipsi externo bello haut impliciti ideo hostili modo invadendi sint, qvia svadentibus Imperii legibus, à Cæsare aliisqve Ordinibus auxilia avertendo extraneo periculo qværant, atqve obtineant. Simul Electoris opem exposcebat. Ad qvæ hic confirmabat; se qvæ Ratisponæ adversus ista sint decernanda probaturum, & exseqvendis ibi decretis paratum fore. Cæterum Galli pontem navalem apud Philipsburgum struxerant, ad qvem, simul muniendæ viæ Palatini subditos vi compulerant, rapinis qvoqve passim grassati. Inde Vaubrunus mense Octobri superioris anni, cum superato isto ponte qvinqve millia in Franconiam duceret, Palatinatum pessime habuerat, donec demum Turennius è Franconia facessens totam belli colluviem in eundem effunderet, per sesqvimensem licentia hostili eidem incumbens. Qva super vastatione cum Palatinus apud Galliæ Regem, ac Turennium qvereretur, his nil qvod reponerent erat, præterrationem belli, inevitabilem necessitatem,

Comment. Monsieur, un petit Electeur Palatin ose-t-il bien s'opposer à un Roy de France? 20. Mart.

1674. tem, & qvod in tanto exercitu disciplina à Rege commendata ita accurate servari neqveat. Accedere & alias causas, de qvibus nemini rationem reddere teneantur. Cum igitur Palatinus Franconico, Svevicoqve Circulo, ipsoqve Cæsare contra ejusmodi oppressionem auxilia petiisset, ac ab istis qvidem mille pedites, centum eqvites firmandis suis præsidiis obtinuisset, à Gallo
Febr. missus veniebat Bethunius, multa de Regis amicitia in Electorem testatus, cui pro damnis à transeunte exercitu & alias datis satisfaciendum sit. Nam tractatibus pacis cum Belgis Regem curaturum, ut hi damna ista aliqvo modo reparent, tanqvam autores belli. Addebat, Regi cognitum, uti Palatinus Cæsari ac reliqvis Ordinibus sese innexuerit, ac missum ab his auxiliarium militem intra munitiones suas recepturus sit; id qvod non possit non Regem gravi suspicione perstringere. Igitur hunc postulare, ut ipse medium se teneat, nec alibi præsidium qværat, sed sola Galliæ amicitia, fide, ac tutela nitatur, abunde suffectura ad eundem contra omnes insultus protegendum. Ad qvæ Palatinus: Amicitiam Regis maximi à se fieri; sed facta verbis non congruere, provincia sua proximo Gallorum transitu funditus evastata, ac plusqvam hostiliter habita. Super qva re ipse sæpius in aula Gallica qvestus, sed nunqvam auditus sit, aut qvid reparationis obtinuerit. Delegationem ad Belgas esse ridiculam & illusoriam, cum incertum sit, qvando & qvibus legibus hi pacem sint facturi. Medium se semper egisse, ac in belli Belgici partem haut venisse; nec aliud qværere, qvam Germaniæ suæqve provinciæ ac vicinitatis qvietem, damni reparationem, ac idoneam cautionem, ne deinceps ejusmodi oppressionibus, ac ducum Gallicorum, & præfectorum Philipsburgensium importunitati obnoxius agere cogatur. A Cæsare atqve Imperio, cui obstrictus sit, disjungere se haut potuisse; à vicinis Circulis ad sua tuenda auxilium petiisse, & obtinuisse. Istud Gallo eo minus suspicionis præbere posse, qvod ipse pacis sponsionem in se receperit. Eo responso accepto Bethunius statim ad Vaubrunium & Rochefortium Gallicos duces profectus erat; qvi nulla mora cum aliqvot millibus irruptione facta Germersheimum oppidum cum arce paucis provincialibus insessum occuparunt, toti præfecturæ tributis imperatis. Obtentui sumebatur fœdus inter Cæsarem & Palatinum
14. Jan. Viennæ in fraudem Galliæ initum. Qvod Palatinus nunqvam se vidisse, nedum ratihabuisse testabatur; etsi forte formulam aliqvam ibi conceptam haut valde inficiaretur. Ac revera super ejusmodi fœdere Viennæ agitatum fuerat, qvo inter alia Cæsar promiserat, se Philipsburgum suis ac Imperii sumtibus recuperaturum, ac Palatino præfecturam provincialem Hagenoensem in feudum collaturum. Cujus exemplum Cæsareorum secretorum proditores Gallo communicaverant, qvod & circa tractatum cum Trevirensi factum erat; unde utriqve præmaturæ calamitatis causa fuerat. Cum inde Palatinus è ducibus Gallicis per literas causam hostilitatis exqviereret, Rochefortius respondebat: *Id se bonorum fortitum, ut sit natividate Gallus, & maximi omnium toto terrarum orbe Regis subditus, cui soli suarum actionum rationem teneatur reddere.* Vaubrunius vanitatis parcior nil plane responderat. Bethunius ejus rei causam ignorare se ferebat, ac id valde sibi dolere, eoqve nomine ad duces scripturum. Qvi tamen revera à Rege missus erat, ut Palatino super anteactis conditiones offerret, eumqve in futurum Galliæ partibus adstringeret. A qvibus si eum alienum reperiret, ducibus id significaret; qvi mandata, qvæ eo nomine habeant, sint executuri. Reverso à ducibus cursore Bethunius accessum Palatini petebat, velut rem magni momenti significaturus. Admissus dicebat, Regem intellexisse, Palatinum fœdus cum Cæsare contra Galliam iniisse, cujus exemplum exhibere possit; qvo Palatinus Cæsari Germersheimum tradere promiserit. Igitur Regem præveniendo locum Philipsburgo tam propinqvum occupasse. Qvæ omnia Palatinus inficiabatur; ac ut id daretur, vitio tamen idem sibi non vertendum, circa conservationem patriæ satagenti. Inde Galli longius progressi Hagenbacum qvoqve & Saletionem invadebant. Is Bethunius tota sua negotiatione nil scripti exhibere volebat, nec sermone suo sibi constabat. Qvæ pridie dixerat, hodie inficiabatur, aut in alium sensum trahebat. Cum mentione de medio statu servando injecta interrogaretur, num procuratorium habeat super eo tractandi, id negabat; sed brevi id accipere posse. Eam tamen legem istius status fore, ut solis Gallis transitus concederetur, reliqvis abnueretur; id qvod ejus erat, qvi in partes Galli concessurus esset. Cum itaqve Galli rapinis atqve incendiis grassari pergerent, Palatinus repetita vice Electoris opem implorabat. Cui hic respondebat: Imperii decreta se secuturum, ac ferendo auxilio paratum esse, modo constet, unde miles sustentandus sit. Idem & legatos suos Ratisponæ declarare jubebat:

Se

1674. Se non ſolum à communi Imperii decreto non diſceſſurum, ſed & promte collaturum, qvicqvid propulſandæ exterorum violentiæ neceſſarium ſit futurum. Porro cauſa Palatina propoſita initio qvidem pleriqve cenſebant, Palatinum opis exſortem haut relinqvendum. Sed cum de modo anqviereretur, pleriqve literas ſcribendas innuebant. 3. April. Sed demum concluſum, per literas oppreſſis non conſuli, ſed auxilio militari opus eſſe. Elector porro efficaciſſimum remedium judicabat, ut proximi periculo Circuli arma expedirent, tum qvilibet patriæ fidi Ordines ſine mora Cæſari ſe jungerent, ac unitis conſiliis ac viribus hoſtium invaſiones propulſarent, qveis unus poſt alterum peſſumdetur. Nam in communi Imperii militia ſerum auxilium eſſe, qvam forte unus & alter ideo ingerat, qvod externis armis occurri nolit; cum norit, ab univerſis ob tam diverſa ſtudia nunqvam in unam ſententiam conſpirandum, nec decreta effectum ſortitura. Tum & promto auxilio opus eſſe, Gallis ſubinde longius penetrantibus, ac in viſceribus Germaniæ pedem figere molientibus. Id tamen curandum, ut Ratisponæ ſuper ſtipendio ac commeatu auxiliarium copiarum ſtatuatur; qvo facto ſuas legiones protinus iter ingreſſuras. Enimvero heic pleriqve frigebant, ac cenſebant; par eſſe, ut qvi auxilia expoſcunt, eadem qvoqve alant. Et qvia legatus Gallicus Cravellius Ratisponæ hactenus nil aliud egerat, qvam ut partem Ordinum Gallo innecteret, ac conſilia in publicum utilia turbaret, Cæſar edicto iſtum Ratispona exeſſe juſſit. Nam nullam amplius Galli verbis fidem eſſe, poſtqvam nunc hic, modo alius ex improviſo ab iſto opprimatur, ac longius ſemper in Germaniæ viſcera penetretur.

Gallus Electorem in diverſum trahere conatur.

§. 31. Uti porro Electorem & officium, & publicæ, privatæqve rationes, ac hortatus Cæſaris, preceſqve oppreſſorum ad defenſionem patriæ vocabant: ita Gallus ut in diverſa eundem pertraheret laborabat. 23. Febr. Cujus juſſu Verjus proponebat; ſibi mandatum certas conditiones ſuper reſtitutione Veſaliæ ac Reeſæ, uti & inſignia commoda ſuper Germaniæ pace promovenda offerre, Electori ſummæ gloriæ ceſſura. Unde delegebantur, qvi cum eo colloqverentur. Heic Verjus Electori offerebat ſtipendia in XII M. militum exercitui inſtruendo, qvo is eo majore cum autoritate pacem promovere qveat; ſuper qvo negotio Rex arctiore fœdere ipſi jungi cupiat. 1. Mart. Ad qvæ Elector: iſtam propoſitionem ſibi haut ingratam: ſed noſſe velle, 1674. qvam viam Rex oſtendat ad pacem perveniendi. Verjus heic varie, multasqve per ambages differere; uti Rex copias ſuas è Germania revocare, ac omnia reſtituere voluerit, modo Cæſar idem faciat. Igitur neceſſum eſſe, ut Cæſar, qvi in ſolius Hiſpani gratiam pacem moretur, ad iſtud armis permoveatur; ad qvæ paranda Rex ſubſidia daturus ſit, protinus qvoqve reſtituta Veſalia ac Reeſa, ſimul reparato damno per ſuos in Clivia dato. Præter iſta oſtendebat; qvia Palatinus communicationem cum Philipsburgo Gallis præcludere voluerit, Regem decreviſſe Germersheimum occupare. Simul exhibebat exemplum pacti inter Cæſarem & Palatinum initi. 9. Mart. Ad qvæ Elector: Se omnem operam dediſſe, ut Cæſari perſvaderet, ne copias ſuas Imperio immitteret, ſpe facta, Regem ſuos pariter revocaturum. Sed cum interim Trevirenſis ditio milite Gallico inundata ſit, Cæſarem officii ſui judicaſſe oppreſſis ſuccurrere. Et cum ipſe non omiſiſſet pacem ingerere, jam qvoqve negotium Palatinum interveniſſe. Unde ſe dubitare, num per amica remedia apud Cæſarem qvid proficiqveat. Sed ſi Rex ſerio declaret, ſe copias ſuas è Germania revocaturum, occupata loca dominis redditurum, læſis ſatisfacturum, & omnia in ſtatum, qvi ante bellum fuit, repoſiturum; ac Cæſar haut eo ſecius bellum in Galliam transferre pertendat, tunc demum deliberato opus fore, qva ratione id impediri qveat. Qvo minus autem nunc in propoſita conſentiatur, multa eſſe, qvæ obſtent. Nam ſolum ſe rem, qvæ univerſum Imperium ſpectet, ſine reliqvorum Ordinum conſenſu ſuſcipere haut poſſe; cum pleriqve judicent, Cæſarem nil præter officium feciſſe; multi etiam, ut in eo propoſito pergat, ſtimulent. Eſſe qvoqve ſibi cum Sveco fœdus, ex qvo talia communicare teneatur. Suas deniqve provincias ita ſitas, ut ſi ipſe tale pactum ineat, Cæſari in proclivi ſit eas opprimere. Aſt ſi Rex liberalius ſe declaret ſuper revocandis copiis, & occupatis locis reſtituendis, ſe omni ſtudio incubiturum ad pacem Cæſari perſvadendam. Simul petebat Veſaliam & Reeſam ſine exceptione reddi, uti Verjus ab initio ſpem fecerit, & qvæ reſtitutio cum hoc negotio nil commune habeat. Ac Ordines Imperii ſpecimen inde capturos, Regi pacem cum Imperio colere cordi eſſe. Iſthæc à Verjo propoſita Elector Arauſionenſi communicabat; qvi ea altius penetrare, ac Reip. aliisqve fœderatis noxia, ac

1674. propriis Electoris rationibus periculosa indicabat. Vicissim Elector ostendebat; satis se perspicere, sine armis à Gallo bonam pacem haut sperandam. Sed suis se sumtibus id negotium sustinere non posse; unde par esse, subsidiis se levari; præsertim cum adversa pars ista offerat. Id qvod æqvum agnoscebat Princeps, modo ne Elector Remp. ultra vires urgeat.

Ulterior cum Gallo disceptatio.

§. 32. Ast Verjus Electoris responso haut contentus multa differebat: Amica officia non sufficere Cæsari ad qvietem permovendo. Circa refusionem damni prius
18. Mart. inspiciendum, qvam viam altera pars circa eandem insistat. Etsi ista post factam pacem seponi præstet, cum longa heic discussione opus sit. Motas ab Electore difficultates scopo Regis obstare non posse; ac satius esse, animi sensa utrinqve liqvidius exponi. Nam si Electori placeat, intra qvadrantem horæ negotium absolvendum, ex qvo ipsum qvoad vivat animi voluptas, immortalis gloria, & applausus Germaniæ, qvin totius Europæ secutura sit. Sed promto sibi responso opus esse. Scilicet Cæsarem serio monendum, ut exercitum intra proprias ditiones revocet; ac ut his monitis pondus sit, exercitum instruendum, ad qvem Rex autoramentum ac stipendium daturus sit, super qvo inter ipsos conveniendum; ubi persvasionibus nil proficiatur, armis in eum finem rem ge-
21. Mart. rendam. Ad hæc Elector: Haut judicare se posse, ejusmodi conjunctionem cum Rege idoneum remedium fore paci reducendæ. Unde Regem satisfacturum, si ipse operam suam pro pace apud Cæsarem interponere pergat. Sed ad eam multum profuturum, si Trevirensis & Palatinus, tantæ dignationis Electores, in integrum restituantur, iisqve satisfiat, qvos Cæsar & Imperium deserere haut possit. Nec se idoneum fore amicis officiis obeundis, si qvidqvam pacti cum Gallo ineat, vel super medio statu tenendo. Sperare qvoqve, Vesaliam & Reesam citra novam conventionem redditum iri. Verjus super his oppidis nil sibi mandatum excusare, & ad Regem sibi referendum. Ista sine tractatibus tradi haut expedire. Fœderatos iis oppugnandis distineri posse, ut in Flandria rem gerere haut qveant; ac eadem Regi insignem præstare usum posse, qvamdiu Cæsar
28. Mart. arma non exuat. Ast Elector, hautqvidqvam magno emturus, qvod mox gratis derelinqvendum erat, reponebat; Verjum hoc responso contentum esse debere, nec ulterius urgere, qvam qva pactum Vossemense ducat, cui novus qvi proponatur tractatus haut qvadret. Nam ibi Regem declarasse, ipsum obligationi, qva Imperio teneatur, renuntiare non posse. Igitur Regem nil desideraturum, qvod ei conventioni repugnet, nec ideo restitutionem oppidorum Clivicorum dilaturum, qvæ Regi amplius prodesse neqveant; & qvorum detentio ruinam provinciæ post se tractura sit, si per vim expugnari ista oporteat. Verjus ista abnuere, ni saltem in pactum super medio statu consentiatur. Elector: eum statum satis novissimo pacto contineri; hoc ut longius porrigatur res suas non ferre. Haut eo secius Gallus formu- *4. April.* lam conventionis conceperat; qvæ Electori hautqvidqvam probabatur, qvod per eam impingenda ipsi essent obligationi erga Imperium adversantia. Simul decreta Ratisponæ facta ostendebat. Sed Verjus; Si Imperium pro Palatino amica prius officia interponat, Regem reipsa ostensurum, qvanti nationem Germanicam æstimet. Demum Elector declarabat: Se damna à mense Junio superioris anni à Gallis per Clivicam data condonaturum; Gallicis copiis innoxium transitum permissurum; forum præsenti pecunia emturis præbiturum; paratui bellico durante bello Mosa ac Rheno à vectigalibus immunitatem indulturum; deniqve paci promovendæ operam navaturum: modo Rex vicissim æqvas conditiones proponat, ac pro Lotharingo diplomata exhibeat, simul oppida Clivica protinus restituat. Enimvero dum Verjus circa ista oppida cauponatur, ratio belli Gallum subegerat ad eadem Electori statim reddenda. Nam Bellefondius Alexandro Spanio Neomagum invitato declarabat; Regem Galliæ vires suas contra Hispanum vertere decrevisse, qvi tanta cum protervia bellum ipsi ausus sit indicere. Unde sibi in mandatis dedisse Electori Vesaliam, Reesam, & castellum Schenckianum tradere; qvod ea loca penes neminem, qvam istum esse malit. Instrumenti qvoqve bellici, machinarumqve & annonæ non parum ibi relinqvendum; qvæ alias sibi abducere licuisset. Igitur Spanius paratis, qvæ in eam rem necessaria erant, primo castellum Schenckianum, qvatriduo *1. Maij.* post Reesam, biduo dehinc Vesaliam Gallo *4. Maij.* tradente recipit; qvibus locis sexaginta *6. Maij.* qvatuor machinæ reperiebantur. Electori cumprimis lætum erat, tanto post spatio in plenam se possessionem ditionis suæ repositum; ac inprimis castellum Schenckianum probe muniri jubebat, qvod non pauci Belgarum fremerent, id injuria ab Elec-

Clivica oppida à Gallo Electori reddun-tur.

tore

1674. ctore insideri, qvod à Belgis extructum, ac per nonaginta annos possessum sit; ac qvidam fremerent, ni id ultro reddatur, armis vindicandum. Cum tamen Belgæ initio Cliviæ Duci scripto caviſſent, ſeſe bello cum Hiſpanis posito Clivensibus Ducibus tanqvam Dominis territorii id castellum reddituros; Belgis contra excipientibus, cum super eo lis pendeat, reliqvarum Clivicarum urbium conditione idem censeri non posse. Nec minus Svveci post initum fœdus Electorem in diversa trahere instituebant. Nam Wangelinus cum ratihabitione è Svecia reversus proponebat, ut Hamburgi aut Coloniæ conveniretur super aliorum Electorum & Principum in id fœdus receptione. Id qvod Elector haut consultum judicabat, velut suspicionem aliis injecturum. Sed si qvis ultro id ambiat, super loco congressus conveniri posse. Ac Elector jam ea de re ad Saxonem, Cellensem Ducem, & Cassellanum retulerat; sed qvi parum id sibi gratum ostenderant. Monebat qvoqve Wangelinus, parum gratum esse Regi, qvod Elector cum Belgis ac Cæsare agere institueret, velut ista parum cum Svvecico fœdere qvadrarent.

11. Febr.

Cum Cæsare super emunitione vallatur.

§. 33. Contra Cæsar impense urgebat, ut Elector iterum in partes transgressus cum fœderatis super tuenda pace Westphalica, Clivensi, & Aqvisgranensi convenirct, eoqve fine duodecim millia militum cum iis jungeret. Eam in rem præcipue ostentabatur bonum publicum, communis qvies, & securitas. Eqvidem Gallum plus pecuniæ oblaturum; sed causam disparem esse. Cæsarem cupere id qvod justum sit, ac Electoris obligationi congruat, ac solidam securitatem producturum sit. Contra Gallum id affectare, ut Elector violatæ ab ipso pacis piaculum asserendum suscipiat. Ampla ejus promissa, sed incerta. Destinata ejusdem sociis, sive succedant, seu minus æqve, periculosa, ac vel exitium vel servitium post se trahere. Sed privatim Electori à fœderatis præstandam securitatem, tum subsidia alendo exercitui. Si instaurationem pacis Pyrenææ recipiat, pluribus emolumentis potiturum. Daniæ qvoqve Regem, & Cellensem Ducem in partes trahendum. Horum copiis junctis effici posse exercitum triginta millibus constantem. Cæsarem XL M habiturum, Hiſpanos & Belgas L M. tum in Catalonia XX M. Tantis fœderatorum viribus Svecos sese commovere haut ausuros; aut si id faciant, Electori occasionem nascituram insigni emolumento potiundi. Eam ob causam Elector Crocovio procuratorium mittebat cum Cæsare & Hiſpano super fœdere agendi, paratus qvoqve pactis inter Cæsarem, Hiſpanum atqve Belgas accedere: ut tamen mallet cum singulis seorsim transigere, qvam omnia uno loco, eodemqve tractatu comprehendere. Præcipuus ipsi scopus erat bonum publicum: sed qvia id propriis sumtibus obtinere non dabatur, menstrua CXX Muncialium postulabat; ut tamen cum Cæsare minoris decidere vellet, si is exercitui ipsius de commodis hospitiis prospexerit. Et qvia ipse Hiſpani qvoqve causam suscipiat, ab hoc D Muncialium præmii loco exigebat, pro qvibus hypothecæ in vicem qvædam Geldriæ loca tradenda sint, unde annua vicena millia redirent. A Cæsare nil certi præmii stipulari volebat, id arbitrio ipsius relicturus, ut tamen ante omnia Carnovia sibi redderetur. Exercitum sibi minimum viginti millium esse oportere, qvod aliis, qvi forte adjungendi sint, confidere neqveat. Ac merito se nunc majora subsidia exigere, qvam initio belli, qvod tum solorum Belgarum causam susciperet, nunc & Hiſpanorum: ac præter Belgas tunc & Hiſpanos subsidia obtuliſſe. Provincias qvoqve suas jam plane exhaustas. Qvod si ante hiemem pax non coëat, pecuniam pro supplementis & re tormentaria præbendam. De Brisaco & Philipsburgo in pacto mentionem haut faciendam; obligationem tamen ita concipi posse, ne pax prius ineatur, qvam ejusmodi securitate inventa, ut Germania non semper inqvietari possit; nec dubium esse, qvin Rheno adsiti Ordines de hoc ultro suggesturi sint. Nam fœderati Brisacum & Philipsburgum, ac Gallo per Aqvisgranensem pacem cessa recuperare optabant, ut tamen ea desideria successibus armorum artemperarentur. Cæterum Viennæ Cæsarei ministri confirmabant, non esse dubitandum qvin conventa accurate servanda sint: qvod legato Hiſpanico solenne sit considerate promittere, ac promissa examussim repræsentare. Circa hospitia, qvæ Elector cupiebat, Cæsar tergiversabatur, velut nimium odiosa: ad extremum tamen connivere se posse; ac minuendæ invidiæ eadem apud suspectos, aut publice exosos capi posse, qvalis Monasteriensis sit. Svecos legatus Hiſpanicus haut censebat hoc anno qvid tentaturos. Nam Dano, Electore, ac Cellensi junctis, & modica Belgarum classe in Mare Balticum accedente, Svecos movere se non ausuros. Aliqvot etiam Senatores à Nunnesio ablegato Hiſpanico in suas partes pertractos.

26. Mart.

Cui

1674. Cui reponebatur; Gallum plures ac potiores sibi adjunxisse; & qvia Sveci plures copias in Germaniam trajicere parent, haut verosimile esse, eos Cæsaris partes contra Gallum sumturos, aut hunc pecuniam gratis daturum. Porro prima difficultas surgebat, qvod Cæsar, Hispanus & Belgæ conjunctim cum Electore tractare vellent, qvi inter se jam super modo subsidiorum convenerant. Id qvod Crocovius repudiabat, qvod ei, qvi Electoris auxilio frui velit, cum ipso conveniendum sit. Ac ideo triplex fœdus socios non potuisse invenire, qvod tres isti status aliis leges præscribere instituissent. Vix qvoqve spes erat CXX M menstrua obtineri posse. Nam Cæsar, qvi cum exercitu qvadraginta millium rem gesturus erat, ab Hispanis & Belgis non plus qvam XCVIII M. uncialium menstrua accipiebat. Mox tamen Elector hactenus remittebat, ut super exercitu octodecim millibus constante conveniretur, & cum fœderatis, qvia id valde volebant, junctim tractaretur; ut tamen super solutione idonee caveretur, ac Cæsar pro Hispano fidejuberet, oppigneratis suis apud Belgas subsidiis. Itineri exercitus instruendo qvoqve CC M postulabat loco autoramenti, & qvia exercitum tamdiu propriis sumtibus aluisset. Et qvia Cæsar ad subsidia nil conferebat, par esse, ut hic Electoralibus copiis de hospitiis prospiceret. Ac mittebat Viennam Elector formulam pacti, prout cum Belgis convenerat. Id si Cæsari ac Hispano probaretur, optabat ut id Berolini perficeretur, eo melius servando secreto. Aut Viennæ varia disceptabantur. Cæsarei non nisi in exercitum XV M constantem consentire volebant. Contra Elector subsidiorum diem cedere cupiebat statim à concluso, etsi nondum ratihabito fœdere. Tum super loco rem gerendi nolebat Belgio Hispanico alligari. Nam & eum Hispanis opem ferre, qvi à Palatinatu aut alibi Gallos distrahat. Hospitia in Imperio Cæsar cum Electore divisurus erat: sed in antecessum certos Ordines eum in finem designare non posse. De Pyrenæa pace Elector in fœdere mentionem fieri nolebat. Contra Cæsarei dicebant; Electorem utiqve eum articulum probaturum, ut neutra pars sine altera pacem ineat. Qvod si igitur Cæsar, Hispanus ac Belgæ super ea pace restituenda conveniant, reipsa Electorem ad idem obstrictum fore. Ostendebat porro Elector, sese fœderi etiam citra Danum & Cellensem accessurum; sed eo casu exercitum sibi augendum, ac plus stipendiorum habendum. Cæterum rem accelerandam, qvod sibi onerosum sit copias alere, nec expedire diutius incertum agere. Super Carnovia Cæsarei non nisi laxis verbis spem faciebant; ac id separatum negotium esse; etsi Elector eidem finem imponi optaret. Cum inter hæc Elector oppida Clivica recepisset, is Cæsari significabat; etsi ipse privatis commodis potitus sit, ob publicum tamen bonum fœdus haut eo minus perfectum, repudiatis qvæ alibi de offerantur insignibus emolumentis. Circa traditionem qvoqve oppidorum omnia sibi integra servasse; si modo Hispani ac Belgæ æqvas conditiones præstent. Nam multa adhuc restabant, super qvibus nondum conveniri poterat, ob duritiam legati Hispanici ubiqve cauponantis & cavillantis; qvi non solum mandatis stricte inhærebat, sed & efficiebat, ut talia sibi mandata mitterentur. Unde sæpe ob levis momenti negotium maximæ occasiones elabebantur; qvo nomine ministri Cæsarei subinde cum eo expostulabant. Simul è gravitate Hispanica ducebat, non facile concedere. Eo tamen nomine laudabatur, qvod qvæ promitteret, exacte præstarentur. Demum in XVI M militum auxiliarium consensum; ac circa reliqva Belgæ parum difficultatis amplius ostendebant. Ac cum Viennam nuntius de Sobiescii electione adferretur, jam majus desiderium ostendebant cum Electore transigendi, etsi negotiationem Berolinum remittere placeret. Qvanqvam autem hæc electio præter mentem aulæ Cæsareæ cecidisset, nulla tamen ideo consiliorum mutatio sentiebatur. Nam sibi persvaserant, Turcas Caminicciam, & alia loca per tractatus haut reddituros. Qvod si novus Rex bellum contra Turcas continuaret, ab hisce nil sibi metuendum. Si idem ignominiosam pacem faceret, tanti momenti loco derelicto, autoritas & gratia apud Polonos ruitura erat. Porro cum eo tempore spargeretur, Cæsarem de Wilhelmo Furstenbergio supplicium sumturum, Elector Paulo Hochero demonstrari jubebat; etsi pestilentia istius hominis consilia sibi semper detestata fuerint, ac gavisus sit, eo capto exitiosis ejusdem machinationibus metam positam: ac nemo Cæsarem injuriæ sit accusaturus, si in istum animadvertat: tamen qvia Gallus inde prætextum sit arreptarus paci sufflaminandæ, sibi satius videri exsecutionem omittendam. Eum Hocherus solus examinaverat, admodum qvidem tristem & consternatum; qvi & multa dicebatur confessus capitali supplicio digna; inter alia de adimenda Domui Austriacæ

1674.

20. Maij.

24. Maij.

1674. acæ Bohemia, ac in eum transferendæ, qvem Gallus Cæsarem facere meditabatur. Id sane constabat, in Galli gratiam totam Germaniam turbis involvisse, ac Gallicum dominatum ubiqve stabilire conatum, ut non temere exemplum civis patriæ nocentioris reperire liceat.

Cum Belgis super fœdere actum. 4. Mart.

§. 34. Nec minus super fœdere cum Belgis Berolini tractabatur, qvo legatus Achtienhovius jam accesserat. Is apud delegatos ostendebat, se missum constituendæ inter Remp. & Electorem sinceræ amicitiæ, ac constanti unioni. Qvo fine antiqva fœdera renovanda, ac ad præsentem rerum faciem porrigenda sint. Sibi injunctum, negotiationem suam veteribus amicitiæ fundamentis superstruere, communibus utrinqve rationibus, situi provinciarum, harmoniæ ingeniorum, aliis. Et qvia Arausionensis nuper in majorum suorum dignitates repositus ac cum Rep. qvasi consolidatus sit, Electori jam de Belgarum amicitia eo amplius cautum esse. Accedere jam recentem cum Anglia pacem, tum fœdera cum Cæsare, Hispano, aliisqve, qvæ spondeant, Electori haut citra præmium fore operam promovendæ paci impendendam. Si à Belgis qvid factum sit Electori parum gratum, id velut præter eorum intentionem atqve inclinationem factum oblivione sepeliendum. Sibi injunctum nihil eorum omittere, qvæ stabiliendæ amicitiæ faciant. Sed qvia Electori cum Gallo & Sveco pacta intercedant, qvæ qvousqve porrigantur Belgis haut constet; sibi pressiora mandata dari non potuisse, ne qvid proponerent, qvod istis pactis non qvadraret. Sed Electori optime perspectum, qvousqve ipse procedere qveat: unde qvæ cupiat, ab ipso proponenda. Sibi amplissima mandata esse, ac operam daturum, ut eidem ubertim satisfiat. Belgas optare negotium maturari, qvod tempus rei gerendæ immineat. Ad qvæ nostri: hæc sibi auditu admodum grata esse. Pacta cum Gallo & Sveco amicitiæ inter Electorem & Remp. haut obstare etiam arctius adstringendæ; cui & mutatio rerum à tempore initi cum Gallo pacti ansam præbere possit. Addebantur monita de subsidiorum reliqvis. Belga: Remp. cupere super omnibus simul transigere; modo circa summam rerum convenerit, circa subsidia parum difficultatis fore. Nostri contra negabant, summam rerum & subsidiorum negotium separari posse. Unde multa super iis disceptatio; qvæ demum Electoris ad CL M uncialium remittebat. Sed qvia de modo solutionis conveniri non poterat, Elector id negotium, qvoad ipse Clivos accederet, differebat. Ad ista Elector delegatis suis significabat: constantem & immutabilem suam sententiam esse, qvam multis gravibusqve de causis, qvas dicere jam nihil attineat, ceperit, partes Belgarum amplecti; ac ut ipsi in tractatu cum Belga, ac in consilio semper huc respiciant; ac inprimis id agant, ut negotium qvantum possit maturetur, ac silentio prematur. Legatus inde super fœdere offensivo ac defensivo proponebat; & qvia Resp. jam potentes fœderatos sibi adjunxerit, id taliter adaptari posse, ut omnes ad eundem scopum incumbant. Belgis hautqvidqvam in animo esse perpetuo se bello innectere, nec in eas leges cum Hispano conveniisse. Id tantum qværi, ut Gallus eo redigatur, ne libido ipsum subire possit ita repente pacem iterum abrumpendi. Belgas vicissim Electori adversus qvasvis invasiones operam laturos, & eosdem cum ipso hostes amicosqve habituros. In easdem porro leges Belgæ cum Daniæ Rege, ac Cellensi & Guelferbytano Ducibus tractabant. Cum Hispanis qvoqve convenerant super pace Pyrenæa restituenda, cui tamen se haut presse adstrinxerant, sed prout tempus laturum sit: ac in universum honestam & æqvam pacem pro scopo posuerant. Cupiebant Belgæ conventionem cum Cæsare, Hispano atqve ipsis uno tractatu comprehendi; sed Elector cum singulis agere malebat. Præcipua difficultas erat, qvod Elector subsidia augeri vellet ob exhaustas jam suas provincias, ac qvod sibi pro Cæsaris qvoqve & Hispani emolumentis certandum esset. Formulæ inde fœderis utrinqve concipiebantur; ubi Belga ad nostram nonnulla monebat, qvæ Electori parum grata erant, qvi & plane ad prius fœdus respicere nolebat. Et qvia id fœdus vel brevi absolvendum, vel plane omittendum erat, Elector Georgium Dœrflingium supremum Ducem ad Arausionensem mittebat amovendis difficultatibus, qvæ cum fere militaria tangerent, ipsi optime cognitæ erant. Istæ huc redibant, qvod Elector in XX M militum subsidia cuperet, cum Belgæ non nisi in XIV M annuerent. Elector hanc rationem adducebat, qvod Reip. interesset qvam validissima habere auxilia ab Evangelico Principe librandis Catholicis sociis. Et cum Belga objiceret, Danum & Luneburgicos itidem tam numerosa auxilia obtrusuros, qvibus sustentandis Resp. non sufficiat; nostri reponebant, Luneburgicos tantum numerum non postulare, Danum ob respe-

1674. 4. Mart.

2. April.

1674. ctum Sveciæ tantas copias Regno educere non posse. Electorem autem priori qvoqve fœdere parem numerum præstitisse; nec Belgis opes deesse istis stipendiis expediendis. Sed Electorem non sufficere tanto exercitui alendo Westphalicis provinciis vastatis, & post diem 27. Januarii anni superioris amplius sesqvimillione in eum impensо. Ac Hispanos partem stipendiorum conferre velle. Abnuebant qvoqve Belgæ L. M. uncialium, qvæ Elector in autoramenti vicem postulabat. Tum & super divisione legionum in cohortes & capita, item circa præfectos, rem machinariam, & annonam priori fœdere conventis inhærere nolebat. De genere qvoqve monetæ nondum convenerat. Volebat qvoqve Elector solutionem in qvaternos menses fieri, ita ut si pax intra primum aut secundum mensem coiret, qvatuor mensium stipendia plene exsolverentur; qvod statim à concluſa pace militem exautorare tutum non sit. Contra Belga stipendia eo statim mense, qvo pax fieret, cessare volebat. Denique circa rem pecuniariam Elector solos Belgas respicere volebat; cum hi pro Hispanis teneri nollent. Ad extremum res præcipue circa numerum copiarum hærebat, qvod Belgæ non nisi partem dimidiam stipendiorum in XV M militum in se suscipere vellent, cum Elector octodecim millibus insisteret. Circa qvam rem Goesius præcipue difficilem se exhibebat, utut Cæsar nihil pecuniæ conferret, ac Belgam retrahebat; scilicet qvod Austriaci Electorem ita potentem habere nollent. Qvæ ipsa tamen causa Belgas movere debebat, ut qvantum possent Electoris vires firmarent, Catholicis in æqvilibrio tenendis. Super his igitur Dœrflingius cum solo Arausionensi agere jubebatur, ac promtum responsum urgere, qvod Elector diutius in ancipiti hærere non posset, & ut omnia qvam secretissime tractarentur. Et cum 18. April. Belgæ negotium extractum irent, ac ad singulas provincias referre vellent, deliberationem qvoqve cum Cæsareis & Hispanicis legatis suscepturi, unde negotium sine dubio emanaturum erat; Elector Dœrflingio injungebat, ut si Belgæ hanc viam insisterent, ipse protinus Haga iterum discederet. Ast is Hagam delatus satis animadvertebat modicum se operæ pretium facturum, qvod Belgæ post pacem cum Monasterienſi Electoris auxilio non magnopere sibi opus censerent. Et qvia Principi propere in Brabantiam abeundum erat, omnia ad Achtienhovium rejiciebantur, ac Dœrflingius protinus Haga discedebat. Ita cum diu Viennæ ac Berolini super fœderis legibus disceptatum fuisset, demum Hagæ formula concinnabatur; in qva etsi Elector nonnulla desideraret, eam tamen additis suis monitis subscribi jussit, ut aliqvando finis negotio imponeretur. Ac missus à Brunsvicensibus Ducibus Fridericus Heimburgius urgebat, ut tractatus accelerarentur. Nam & Duces multa, qvæ negotium retardare poterant, sepositse, etiam cum suo damno, ut id expeditius procederet. Nam adversam partem omni opera conniti, ut Belgas à rationibus Germaniæ sejungat; qvem in finem Angli qvoqve ac Sveci sedulo laborent, polliciti, se rem apud Gallum eo perducturos, ac fidem suam interposituros, cum nil in locis Belgio vicinis adqvisiturum, sed belli præmia alibi qvæsiturum. Huic periculo prævertendo haut præsentius remedium esse, qvam ut Elector qvoqve in partes veniat, una cum Dano grande momentum additurus. Hanoveranum qvoqve Ducem Joannem Fridericum confirmare, se nil in fraudem Germaniæ tentaturum, ac decretis Imperii & Circulorum satisfacturum; ac fœdus ipsius cum Svecia meram defensionem spectare. Etsi contra legatus Polonicus tunc Electorem verbis altius penetrantibus moneret, ne Elector ulli partium accederet; cujus causam ipse norit, sed eam propalare haut sibi fas esse. Porro ejus fœderis duo exempla conficiebantur, Latinum & Teutonicum. Illud Joannes de Goes, & Electorales delegati Sverinus, Somnicius & Blaspielus subscribebant, ac eo mox Hagam transmisso Hispanicus legatus Emanuel Lira suam qvoqve manum addiderat. Sed Teutonicum exemplum soli nostri ac legatus Belgicus signabant.

1674.

Lunebur-gicorum mensa.

Jun.

21. *Jun.*

1. *Jul.*

10. *Jul.*

§. 35. Fœdus autem, qvod tunc Electori cum Cæsare, Hispano, ac Belgis iniba-tur, ita habebat. *Cum in omnium oculos incurrat, qvam insignes calamitates, oppressiones, devastationesqve, nec non tot innocentium Christianorum sanguinis effusio ex suscitatis nuper à Gallia, & continuatis hucusqve bellis orta sit; Sacra Cæsarea Majestas, & Hispaniarum Regis Majestas, Serenitas Sua Electoralis Brandenburgica, & Præpotentes Fœderatarum Provinciarum Ordines Generales in id præcipue sibi incumbendum duxerunt, qvo pacto divina auxiliante gratia malis istis, & tam injustæ violentiæ occurri, oppressi subditi ab eadem liberari, unaqvaqve pars sibi debita una cum æqva satisfactione recuperare, eoqve modo pacifico & tranqvillo statui restitui possit. Cumqve ad eundem qvanto-*

Fœdus Electoris cum Cæsare, Hispano ac Belgis.

cyus

1674. ejus perveniendi concepta hactenus spes non modo evanescere visa sit, sed & indies magis magisque appareat, etiam alias nil tale promeritas provincias progrediente tempore iisdem malis ac miseriis involvi; Eo magis necessarium visum fuit, qvæ inter S. Cæs. Mtem, & Reg. Hispaniarum Mtem, Suam Ser. Electoralem, & Præpotentes Dnn. Ordines Generales vigent fœdera, amicitiam ac correspondentiam non redintegrari solummodo, sed & ad scopum supra dictum collimantia in commune conferri, fœdusque hunc temporum rationi accommodum inter alte memoratas partes tractari ac concludi. I. Sit maneatque Sacræ Cæs. Mti, Reg. Mti Hisp. Suæ Ser. El. li Brand: & Præpot. Dnn. Ordinibus Fœderati Belgii scopus hujus fœderis præcipuus promta qvam maxime restauratio universalis, aqva, & constantus pacis; cujus spem fere omnem tractatuum, qvi Coloniæ ad Rhenum instituebantur, secuta interruptio, latiusque hinc inde serpens belli flamma subvertere videntur, agantque in hunc finem dicti fœderati vigore hujus fœderis contra hostes communes præsentes aut futuros; cum hæc sit fœderatorum intentio, ut contra adversa molimina omnium illorum, qvi partibus dictorum hostium aut accedunt, aut jam accesserunt, offensive & defensive agatur, ea ratione, ut Sua Ser. El. lis una cum S. Cæs. Mte, & Catholica Mte, nec non cum Præpot. Ordinibus Fœderati Belgii contra eosdem directe plenam publici belli societatem inire debeat. II. Sistet huic finis Sua Ser. El. lis exercitum XVI M. V nimirum eqvitum, X M. peditum, & M. dimachas, vulgo Dragones, qvorum tres ratione stipendii pro duobus peditibus & uno eqvite computantur; educaturque hic exercitus in campum statim à dato subscriptionis hujus tractatus, & postqvam sequenti articulo 3. expressa pecunia Suæ Ser. El. li soluta fuerit; atque communi consensu omnium contrahentium adversus supra articulo primo nominatos hostes agatur. III. Ut autem hic exercitus XVI M. cujus sustentationi Suæ S. El. lis jam ultra annum de proprio gravibus prospexit sumtibus, qvique ex bene exercitato milite compositus est, tanto sit instructior, atque ex remotis partium, ubi degit, oris, in campum educi, locoque, de qvo inter fœderatos conveniet, sisti qveat; solvetur Suæ S. El. li eodem tempore, qvo fiet subscriptio, summa CC M. imperialium pro dimidia qvidem parte à R. Mte Catholica, pro altera dimidia à Præpot: Dnn. Ordinibus. IV. Sumtuum ad sustentationem antedicti exercitus R. a Hispanica Mtas, & Præpot: Dnn. Ordines unam, & Sua Ser. El. lis alteram dimidiam sustinent, ita ut equitatus in X. legiones sive regimenta, & unumqvodque regimentum D. eqvitibus constans in sex turmas seu compagnias; peditatus vero similiter in X. regimenta, & unumqvodque regimentum M. militibus constans in X. cohortes, & prædicti M. dragones in unum regimentum X turmis constans, & unaqvæque turma in C dragones redigi, iisque constare debeat. In unumqvodque eqvitum regimentum primam uti vocant planam sive officiales turmarum, & gregarios milites solvetur summa 4767. imperialium, 30. stuverorum monetæ Hollandicæ, inqve singula regimenta pedestria 4104. imperiales, 4. stuv. monetæ Hollandicæ. Adhæc in cujusqve regimenti officiarios superiores, qvos communi nomine Regiments-stab indigitamus, CCX imperiales, idqve singulis mensibus, mensem pro XXX. diebus, & annum pro XII. mensibus computando. Atque hæc ita, ut nulli ulteriores sumtus, neqve ratione curruum, eqvorum, aut similium, cujuscunqve sint generis exigi aut reqviri debeant. Non tamen tenebitur hac ratione Sua S. El. lis regimenta, qvæ sub signis habet imminuere, qvin imo eadem statu præsenti relinqvere, atqve ita cum aliis ad exercitum ducere poterit. V. Præter hæc per singulos menses à R. a Mte Catholica, & Præpot: DD. Ordinibus in superiores exercitus officiarios sive General-stab, nec non ad sustentationem rei tormentariæ præfectorum, eoqve spectantium eqvorum, porro ad sumtus qvotidie emergentes, in munitiones, ad munimenta exstruenda necessaria instrumenta, arma, vestimenta, exploratores, legationes, & similes inevitabiles necessitates, solvetur ad cassam summa qvintæ parte minor illa, qvæ antehac tractatu anni 1672 singulis mensibus promissa fuit. VI. Liberum tamen erit Suæ Ser. El. li pro arbitrio, & prout rationi belli congruum, & promovendis operationibus incidentibus expedire judicabit, Regimenta ac turmas augere aut minuere. Dummodo ipsum corpus non imminuatur, sed semper V M eqvitibus, X M peditibus, & M. dragonibus effective belligerantibus constet, numerusqve officiariorum, puta tribunorum, eorundem locum tenentium, præfectorum vigilum, centurionum, & minorum officialium eo modo relinqvatur, qvo tempore ordinationis regimentorum fuit. VII. Rei tormentariæ ministros, & qvicqvid machinarum bellicarum, munitionum, curruum, rhedarum, eqvorum, aut aliis ad eam reqviritur, id omne Sua S. El. lis suis procurat sistitqve sumtibus. Æqvabiturqve hæc res tormentaria, & qvi ad eam necessarii globi, munitiones, nec non officiales & ministri pro rata exercitus sedecim millium, atque ita qvinta parte infra illum numerum, qvo res tormentaria sive artilleria juxta tractatum anni 1672 formata fuit.

1674. VIII. Sustentatio exercitus & subsidia, quæ altememorata Regia Catholica Mtas & Ordines Generales supra dicto modo singulis mensibus solvere tenentur, initium sumunt a dato subscriptionis hujus tractatus, ita ut die dicta subscriptionis mensem unum solvere, atque hoc pacto de mense in mensem continuare debeant. Vice versa Sua S.El.lis dicta subscriptionis hujus die, pariqve passu R.æ Hispanica Mtis & Dnn.Ordinum Commissariis ab officialibus ipsis subscripta lustrationis dictis totius exercitus tabulæ cum nominibus & cognominibus omnium militum exhibebuntur. Quo prævio dictus exercitus intra quatuor septimanarum spatium in campo lustrabitur, eaqve lustratio a parte Suæ Ser. El.lis diutius haut differetur; adeont R. Catholica Mtas & Prapotentes Dnn. Ordines, anteqvam lustratio ista effective peracta fuerit, solutionem ullam ulteriorem facere haut obligati esse debeant; hac tamen expressa conditione, ut si in lustratione exercitus minus completus reperiatur, defectus iste de facta jam solutione deduci, inqve rationem sequentis secundi mensis imputari debeat. IX. Liberum quoqve erit R.æ Hispanicæ Mti & Prapotentibus Dnn.Ordinibus exercitum aut pro parte aut totum, quando & qvotiescunqve ipsis placuerit, per suos ad id nominatos Commissarios, una cum iis Commissariis, qvos Sua S.El.lis ad id ordinabit lustrare & inspicere. Idqve à R. Hisp.Mte & DD. Ordinibus ex ante dictis subsidiis pro rata minus solvetur, quod successive in lustrationibus equitatus, peditatus, aut dragonum numero deesse deprehensum fuerit. X. Regia Hisp.Mtas & Prapot: Dnn. Ordines ante dicta subsidia initio cujusqve mensis absqve ulla mora promteqve in præsenti pecunia Amstelodami ad manus illius, qvem Sua Ser. El.lis ad id nominabit, & pleno mandato instruet, solvi curabunt. Eaqve postea solutionem particularem fieri curabit, eoqve nomine tenebitur. Optioni autem Suæ Hisp. Mtis & DD.Ordinum relinqvitur, utrum dictam solutionem argenteis ducatonibus, singulis ad 63. stuveros computatis, an vero Hollandicis aut Brabanticis cassæ Imperialibus ad L. stuveros fieri velint, omnibus in eo consentientibus, ut omnes solutiones, qvarum in hoc tractatu mentio fit, non in banco, uti vocant, sed Hollandica currente cassæ pecunia fieri debeant. XI. Ad hæc conventum & determinatum est, qvod si divino auxilio pax, tranqvillitas & amicitia undiqve restituta fuerit, Ser. Sua El.li præter tum temporis currentia adhuc post initam pacem unius mensis subsidia, nihilqve præterea præstari, & sine mora exsolvi debeant. XII. Sua Ser.El.tis ex iis, qvas sub signis habet, copiis eum qvem poterit cohortium & militum numerum versus terras suas in Westphalia sitas tendere, ibidemqve hospitium sumere faciet, qvo & totus exercitus statim à facta subscriptione una cum tormentis procedet. XIII. Majores etiam & minores officiales, tum gregarii milites juramentum Suæ Ser.El.li præstitum R.æ Hisp: Mti & Prapot.DD.Ordinibus aut Commissariis iis, qvos ad id ordinabunt, præstare tenebuntur, & si id postulatum fuerit dicto juramento eousque obstricti manebunt, qvoad in memoratæ R. Catholicæ Mtis & DD. Ordinum terris ac ditione militant, atqve in specie promittere debent, se Imperatori, Regi Hispaniarum & Ordinibus Generalibus id præstituros, qvod à strenuis & honestis militibus exigi qveat. Officialibus tamen Brandenburgicis plenaria tum maneat jurisdictio & disciplina militaris in concreditas sibi copias, absqve turbatione & imminutione ulla. XIV. Obligant qvoqve se S.Cæs.Mtas, & Sua Hisp: Mtas, nec non Prapot: DD. Ordines Suæ Ser.El.li, si eandem durante hoc bello à qvopiam facto & reipsa in terris aut portibus ipsius armis infestari contigerit, pari ac minori numero, prout de eo tunc inter ipsos convenier, assistere, omnemqve ab illis vim hostilem amoliri debere, donec ditiones ipsius in pristinam tranqvillitatem vindicatæ, Suæ Ser.El:li sua restituta ac satisfactum fuerit. XV. Casu conjunctionis in Ser. Suæ Elect:is provinciis, Cæsarei, Hispanici & Ordinum majores minoresqve Officiales, ut & gregarii milites juramentum S.Cæs.Mti, Reg. Catholicæ Mti, nec non Prapot: DD.Ordinibus præstitum Suæ qvoqve Ser. El.li præstabunt, manetqve Cæsareis, Hispanicis & Ordinum Officialibus sua in legiones suas jurisdictio & disciplina militaris perinde uti antea. XVI. Summum imperium competit Suæ Ser.El.li, idqve semper, dummodo infirmitate aut vi majori non impediatur, ipsa præsens exercebit. Promisit eadem qvoqve ac pollicita est, qvemadmodum hoc ipso promittit ac pollicetur, se omnem hunc militem, qvamdiu vigore hujus tractatus aget, ac una consistet, præcise & serio eo adacturam & directuram, ut qvibusvis subnascentibus occasionibus indiscriminatim publico bono, commodo & securitati inserviat & adhibeatur. XVII. Et qvemadmodum Suæ Ser.El.lis arbitrio relictum, Generalatum hujus exercitus capaci necessariisqve qvalitatibus instructo committere duci; ita ille, cui Sua Ser: El.lis id munus deferet, obstrictus erit vigore ab ipso subscripti & sigillo roborati reversus memoratis S. Cæs. Mti, R.æ Hisp: Mti, nec non Prapot: DD. Ordinibus promittere, iisqve fidem suam dare, se omnes articulos & puncta hujus tractatus diligenter observaturum, tenoriqve eorum præcise inhæ-

1674. inhæsurum. XVIII. Obligat sese Sua Ser. El. lis se cum prædictis copiis contra ante memoratos hostes eo loco, tempore ac modo acturam, qvibus id alte nominata S. Cæs. Mtas, & Regia Hisp. Mtas, ut & Præpot: DD. Ordines publico commodo maxime conveniens fore pro majora judicabunt: Sicut & omnes actiones principaliores casu qvo fœderatorum exercitus toti aut pro parte huic exercitui conjuncti erunt, inter dictos fœderatos, aut eorum commendantes, qvantum conjunctas hasce copias attinet, expendi ac ventilari, & prout id majori parti consultum visum fuerit, executioni mandari debent. XIX. Ubi porro conventum cautumqve est, ut, licet exercitus hic totus aut pro parte in R.æ Mtis Hisp: aut DD. Ordinum territoria ducendus sit, ibidemqve militare debeat; supremum tamen imperium, & quicquid inde vatione distributionis tesseræ militaris & alias dependet, Sæ Ser: El. li, si ipsa præsens exercitui præerit, relinqvi debeat. Qvod si vero Ser: Sua Electoralis eo casu supremum imperium non exerceat, tum inter fœderatos ulterius super ea re disponenda deliberabitur & convenietur. XX. Qvod si locus aliqvis ad Ser. S. El. lem spectans obsideatur & occupetur, ex copiis Electoralibus Brandenburgicis præsidium accipiet. Plane uti R.æ Hisp: Mtis & Præpot: DD. Ordinum locis ab hoste receptatis ipsorum milites imponentur. Si vero hosti ejusdé adhærentibus locus extra Romanum Imperium & Fœderatorum territoria situs eripiatur; fœderati super ejus præsidio transigent; captivi vero, munitiones, tormenta bellica, & similia nullo excepto ibidem reperta R.æ Hisp. Mti & DD. Ordinibus pro dimidia parte, & pro altera dimidia Suæ S. El: li cedent. XXI. In divisione tormentorum bellicorum, munitionum & similium in acie & conflictibus captorum: secundum modo dictam proportionem procedetur. XXII. Captivi spectatæ conditionis, civiles illi sive militares sint, illi parti manent, à qva capti sint. Permutatio tamen undiqve locum habebit, illiqve, qvi talem captivum ceperit, juxta conceptam super hac re formulam, vulgo Cartel, satisfieri debet. XXIII. Si ante dictus exercitus contagione, aut in actionibus cum hoste aut similes casus duorum aut plurium millium numero diminutus, & ob id supplementis opus sit, eo casu R. Mtas Hisp: & Præpot: DD. Ordines pro rata portionem suam contribuent. XXIV. Secuta subscriptione, factaqve prima solutione nulli contrahentium licebit cum hoste, ejusvé adhærentibus armistitium ullum inire, nisi conjunctim & communi consilio. Et præterea conventum est, qvod si Sua Ser. El. lis Civitatæ & aliæ provinciæ ob confectionem hujus fœderis in futurum per communes hostes ad majorem ruinam redigantur, ut in pacis tractatibus omni opera eo allaborari debeat, qvo id damnum inprimis & ante omnia resarciatur. Qvod si etiam ad tractatum aliqvem sive pacis, sive armistitii aliqvot annorum deveniatur, tum nemo confœderatorum istam negotiationem sive tractatum absqve reliqvorum participatione, & priusqvam ipsis eodem tempore & tam cito ac sibi ipsi requisitam & necessariam facultatem ac securitatem ministros suos ad locum tractatus mittendi procuraverit, aggredietur. Prædicti qvoqve fœderati, eorundemqve ministri successive & semper qvæ in dicta negotiatione occurrent, sibi mutuo communicabunt. Similiter alter alteri eadem jura, immunitates, exemtiones, prærogativas & securitatem ab hostibus, eorumqve adhærentibus & fœderatis pacisceatur, qvæ sibi ipsi stipulatus & adeptus est, nisi aliter super eo inter se conveniant, qvo cum generatim attendi debet, ut hostilitates tam adversus unum qvam alterum contrahentium simul tollantur. XXV. Generales, tribuni, commendantes exercitus & cohortium ubiqve exactam servare disciplinam, & unicuiqve debitam justitiam sine mora administrare tenebuntur. XXVI. Suæ qvoqve Ser. El: li liberum erit in qvibusdam ad Præpot: DD. Ordines spectantibus, eorundemqve præsidiis insessis locis domum frumentariam, vulgo Magazin, erigere. Eidem qvoqve singulis vicibus munitiones & commeatus necessarii, aqvo, illoqve pretio, qvo DD. Ordines ipsi ea coëmerunt, vendi debent, nisi ipsi illis indigeant. XXVII. Porro inter contrahentes perpendetur & examinabitur, qvanam ulteriora media ad conservationem aut reductionem pacis & stabilimentum communis tranqvillitatis & securitatis per arctiores confœderationes aut alias amplectenda sint. Cæsarea qvoqve Mtas, Regia Catholica Mtas, nec non Fœderati Ordines id agent, ut institutus hactenus cum Dominis Ducibus Brunsvicensibus tractatus omnibus modis qvantocyus finiatur, ita tamen ut hac pactio tanqvam conditio sine qva non, non habeatur. XXVIII. Ut etiam exercitus tanto melius sustentari qveat, opera dari debet, ut illis provinciis, qvæ se hostiliter declaraverint, contributiones imperentur, eaqve contributio, qvantum ex ea deductis impensis supererit, in utilitatem & commodum contrahentium ex aqvis partibus juxta rationes superinde reddendas vertatur. XXIX. Prædicti fœderati durante præsenti bello nulli se committent bello contra alios Principes & Potestates, qvæ sese hisce prædictorum fœderatorum partibus adjunxerunt. XXX. Omnia & singula supra posita puncta & articulos, omnes contrahentes sincere & inviolabiliter 1674.

1674. *biliter se præstituros, eaqve perfecte bona fide, & ex omni parte reipsa adimpleturos spondent. In majorem hujus rei firmitatem & constantem observationem qvatuor ejusdem tenoris instrumenta desuper confecta, & à contrahentium plenipotentiariis subscripta ac signata sunt; qvorum ratificationes, si fieri potest intra duos menses à dato hujus computandos, vel citius etiam debita forma extradi & commutari debent. Acta hæc Coloniæ & Svevum die 21. Jun. (1. Jul.) anno 1674.* Elector post per Blaspielum Monteregio denuntiabat, se atqve Luneburgicos non ulterius, qvam ad pacem Monasterienſem, Clivenſem & Aqvisgranenſem obstringi velle. Sed si Hispani utiqve rem ad pacem Pyrenæam reduci cupiant, separatim sibi satisfaciendum. 1674.

In Angliam missio. 25. April.

§. 36. Dum circa id fœdus cudendum satagitur, Elector Ottonem Sverinum juniorem post abruptum Coloniæ conventum in Angliam miserat, ut Regi de pace cum Belgis inita gratularetur, qvæ viam ad communem pacem munitura speretur. Tum ut ipsius rationes eidem seqvestris partes susceпturo commendaret, ac de continuatione amicitiæ testaretur. Simul Angliæ statum exploraret, & qvomodo Regi cum Parlamento conveniat; ac num is pace cum Belgis staturus, an forte clam aut aperte inde discessurus, & qvid eo casu Parlamentum facturum sit. Ubi super Electoris destinatis scisciteпtur, diceret, se diu in aula non fuisse, nec de iis, qvæ ibi gerantur sibi constare. Id tamen nosse, istum communem ac stabilem pacem ex animo optare. Belgis & Hispanicis legatis causam adventus, si inqvirant, panderet. Svecis autem & Gallis nil aliud diceret, qvam Electorem pro sua cum Anglo conjunctione non potuisse, qvin super pace officio gratulandi defungeretur. Svecis qvoqve diceret; gratum fore Electori, si efficere possint, ut à bellantibus in alium congressum consentiatur. Exploraret qvoqve, qvid Gallus & Svecus in aula Anglicana negotientur; ac alias testaretur, Electori cum istis Regibus bene convenire. Insinuaret qvoqve, ut Electoris primogenitus aureæ periscelidis insigni ornetur adstringendæ cum Anglia conjunctioni. Cum Sverinus Windesoræ Regem alloqveretur, hic humanissimis verbis amica omnia offerebat. Arlingtonus & Coventrius hanc legationem valde probabant, qvod Elector insuper habita refrigeratione, qvæ magis ex aculeato scriptoris calamo, qvam Principum animo provenerit, veterem, eamqve conjunctissimam cum Anglia amicitiam instauratum eat. Alias istis spes propinqvæ pacis erat, qvod Arausionensis deprehendisset, Hispanis eos armorum paratus non esse, qvales apud Belgas jactarint; & qvia in solos Belgas onus redundaturum sit omnibus exercitibus stipendia solvendi, his facile tædium belli subiturum, Hispanis qvoqve permovendis, ut æqvam pacem admittant. Nam qvod Gallum ad pacem Pyrenæam compellere velint eo tempore, qvo hic totum Burgundiæ Comitatum arripuerit, hostibus ejus nondum qvid aggressis, absurdum esse; ac Belgas istud minantes Ruvignius legatus Gallicus irridebat. Potius metuendum esse, ni inclinatio, qvam Gallus hucusqve in pacem ostendit, in usum vertatur, ne succedente victoria in futurum difficilius fiat æqvas conditiones obtinere. Cæteri Arausionensis literis ad Anglū scriptis de Monteregio gravissime qvest9 fuerat deceptum se ab isto arguens, dum ipsi persuasum it, Hispanos XX M in expeditionem educere velle, cum vix VI M præsto sint; simul Regem rogarat, ut viam honestæ paci disperiat, aut in Gallum arma sumat. Legatus Svecicus Petrus Sparrius dicebat, spem pacis exiguam esse, qvam Hispani adspernentur, & cujus conditiones Gallus nimium intendat. Germaniæ ingens periculum imminere, ni mature obviam catur, ac magnam partem penes Electorem fore præsens incendium extingvere. Rupertus Palatinus differebat; super firmitate pacis cum Belgis initæ dubitandum non esse. Sed ut Angliæ Rex in Gallum arma stringat, frustra sperari. Et qvia Regi decretum sit pacem servare, de convocatione Parlamenti nil audiri, qvod nec pecunia opus Regi sit, nec idem ejus convocatione ansam præbere velit in odiosas qvasdam res inqvirendi. Eundem qvoqve decreviisse in Galliam non prius qvid movere, qvam adpareat, de Belgio Hispanico actum esse. Qvanqvam Germaniæ magis qvam Angliæ interſit, ne Galli potentia nimium gliscat. Sed Palatinum qvi misericordia prosequeretur in Anglia nemo inveniebatur, velut qvi eam calamitatem ipse sibi attraxerit. Ac mordebat Regem, qvod, cum sui legati una cum Svecis officium ipsi obtulissent componendo dissidio, ne responso qvidem eos dignatus foret. Belgæ tunc cupiebant tractatus pacis Londini resumi. Sed Sveci id declinabant ob loci distantiam, & incerta literarum hiberna tempestate commercia; alii ob immensum ibi incensa hoc bello rerum pretia. Ac Cæsar Hispaniqve Pontificem seqvestrem acceptaverant. Galli au-

7. Jun.

tem

1674. tem adhuc jactabant, citra restitutionem Furstenbergii & ablatæ pecuniæ de pace nil se audituros. Sed qvia tunc nil in Anglia esset qvod ageretur, Elector Sverinum inde revocabat, ante discessum Regi significare jussum, uti is Cæsari se per fœdus innexuerit; cujus consilii causæ fuerint oppressos protegere, ac ab Imperio vim propulsare. De istis armis Arlingtonus in neutram partem; sed tantum optabat, ut Elector per eadem propositum scopum asseqvatur. Rex testabatur; promotionem communis pacis sibi maximopere cordi fore, cujus tamē haut par desiderium apud omnes sentiatur. *Nam constare sibi Gallum ab æqva pace non abhorrere. Contra se dubitare, an non Cæsar & præcipue Hispani eam extrahere cupiant, admisso in sequestrem Pontifice; cum tamen ad oblatum à se officium tamdiu nil responsum, sed de eo ad fœderatorum deliberationem rejectum sit. Qvin Arausionensem ad literas, qveis ipsum consuluerit, num interpositio sua grata sit futura, ne post duos qvidem menses respondisse. Circa pacem hucusqve Gallum æqvis conditionibus institisse. Sed si is vel minimum ab æqvitate discedat, se primum fore, qvi ei se adversum declaraturus sit. Extra hoc nemini mirum videri debere, qvod ipse ei Regi studeat, cui tantopere obstrictus sit. Super Furstenbergio id se temperamenti propositurum, ut is in tertii cujuspiam manus consignetur, ac secuta pace libertati restituatur: id qvod Cæsari fraudi non sit, ac Gallo satisfacere qveat. Ast si partibus bellum magis placeat, id se facile tolerare posse, qvi heic nil habeat, qvod amittat, & cui pax solo concordiæ studio, non proprium ob emolumentum qværatur.* Super Electoris expeditione dicebat: integrum ei esse facere, qvid placeat. Se sperare, eam soli paci promovendæ susceptam; ac faustos successus precari. Sed si sensa animi candide dicere debeat, sibi videri, id esse oleum camino addere. Nam si ei parti adsistatur, qvæ bellum trahere cupiat, exiguam pacis spem esse. Ast si Elector ad exemplum Sveciæ Regis, Moguntini & aliorum medium se gerere velit, facilem compositioni viam esse. Isthæc omnia, qvæ Rex cum Sverino locutus fuerat, legatus Gallicus ad verbum resciverat.

Sveci Electorem in diversa trahere conantur. 31. Mart.

§. 37. Ast Sveci, cum suboleret, qvanto studio Cæsar & Belgæ Electoris societatem ambirent, non minus enixe eum in diversa pertrahere laborabant. Unde a Rege Sveciæ ad Wangelinum literæ dabantur hoc argumento; *Se admodum optare, ut Elector operam sibi sociare velit ad exortum in Germania & vicinis locis incendium extinguendum. Nam qvæ Crocovius Viennæ jactet, nimium in alteram partem studium prodere, ac ab Austriaca factione, in qvam is forte inclinet, inspirata videri; hautqvidqvam accommoda æqvæ paci reducendæ, qvam Elector antea cordi sibi esse ostenderit. Contra se minime probare posse, qvæ Gallus in Electoris & aliorum Ordinum ditiones patraverit. Igitur optare, ut Elector mediam viam ingrediatur, per qvam utrinqve secius acta per pacem aut inducias avertantur, ac æqva satisfactione reparentur; utqve adeo is vires secum conjungat, aliosqve Principes in easdem partes pertrahat, qvo huic conjunctioni autoritas accedat; per qvam ea bellantium pars, qvæ ob prævalentes vires nunc parum studii in pacem ostendat, ad amplectendas æqvas conditiones persvaderi qveat. Atqve id obtineri posse eo plus spei esse, qvod non dubitet, Gallum de priorum duritie postulatorum qvid remissurum, ac Belgas Gallo ex æqvo satisfacturos. Igitur jam id in qvæstione esse, utrum pium ac æqvum sit, ob vasta Hispanorum destinata, qvæ Germaniam non tangant, hanc tam misere opprimi. Nam cum Cæsar fateatur, Lotharingo, aliisqve Imperii Ordinibus in priorem statum repositis, nil sibi contra Gallum actionis esse; utiqve in solius Hispani gratiam tam exitiabile bellum protrahi. Sane Hispanorum in aula Cæsarea instinctu interpositionem suam suspectam reddi, & cum insociabili Pontificis officio absurde combinatum iri: ac Furstenbergii liberationem tanta pertinacia abnui. Igitur inqvirendum, an Electoris eadem qvæ Crocovii sententia sit; & num expediat ob Gallum in angustias redigendum bellum esse continuandum; cum utiqve qvo magis Gallus prematur, eo magis Austriacorum potentia gliscat; qvos facile libido subire possit Ferdinandi II. consilia resumendi.* Super hisce literis Wangelino petente cum Electoris delegatis colloqvium habebatur. Ubi nostri disserebant: *Electorem à Rege insimulari videri, velut non omnia ex ipsius sententia egerit, & in Austriacas partes inclinet. Sed isti constans propositum perstare, paci promovendæ operari. Alias apud Gallum haut dissimulasse, à rationibus Imperii separari se non posse; id qvod & per totam Germaniam publice declararit. Nec eum media via deflectere, si ad patriam contra hostilia tutandam, connitatur. Nec Regem suis literis Galli acta probare; qvæ sane nil pacifici arguant. Tantum porro abesse, ut Belgæ ostenderint, se Gallo satisfacturos, ut potius sæpe testati sint, se suorum nil amittere posse; ac bellum tamdiu gesturos, qvoad Gallus pacem inire cogatur, qva ipsorum securitati*

1674. 1. Maji.

1674. *tati prospiciatur. In solius Hispani gratiam bellum haut extrahendum. Cæsari qvoqve non pro solo Lotharingo curam, sed & pro Trevirensi, Palatino, aliisqve injuria oppressis. De Pontifice insequestrem adsciscendo nil sibi auditum. Ob Furstenbergium, qvem Cæsar Austriacæ Domui fiduciario nexu devinctum arguat, pacem haut retardandam, ac inter tractatus facile viam ei liberando inveniendam. Laude dignum esse, qvod Rex circa librandas partium vires solicitus sit, ne consilia anni vicesimi nom recoqvantur. Sed hæc longe abesse videri, ac si talia moveantur, eum cause Protestantium haut defore.* Ad qvæ Wangelinus: *Regem adhuc constanter mediam viam tenere, ac nullo partium studio apud bellantes paci promovendæ incubiturum; ac confidere Electorem pariter facturum. Qvid Regi super Palatino negotio videatur, nil sibi mandatum. Sed cum hujusqve, omnis opera circa inducias & pacem incassum consumta sit, unicum superesse remedium, ut Elector cum Rege omnes vires societ, aliosqve Germaniæ Principes in eadem consilia pertrahere studeat, qvo ad æqvam & stabilem pacem proponenda justo pondere pervinci qveant.* Addebantur obsoleta de vastis Hispanorum consiliis, qveis Cæsar & Belgæ à pace retrahantur. Paulo post Wangelinus Electori

4. Jun. stipendia offerebat alendo exercitui. Ad qvæ cum hic interrogaret; num eo nomine à Rege mandata habeat, & qvæ conditiones proponantur; is reponebat: sibi qvidem eam in rem nova mandata non esse; sed talia per literas insinuata. Et qvia Rex medium se tenere constituerit, qvod & Electorem facturum speret; & vero is facile intelligat exercitum hujus provinciis gravem incumbere, Regem ei sustentando subsidia curaturum, si qvid in menses postulet, indicare velit; ac sat facultatis sibi esse sub spe rati tractandi. Neqve vero Regi animum esse Electorem in bellum pertrahere, aut ut aliqvid qvieti ac saluti patriæ adversum suscipiat. Sed qvid peculiarium heic considerationum occurrat, ex Electore cogniturum. Et qvia rumor sit, legiones è Borussia huc movere, & qvæ in vicinia hospitentur, contrahi; Regem qvo ista spectent, nosse cupere.

Elector de suis destinatis Gallo significat. 25. Jun. §. 38. Enimvero cum ista tanti non essent, ut Electorem à studio patriam contra insultationes Gallicas vindicandi retrahere posset, & jam copiæ ad ineundam expeditionem contrahi inciperent, hic destinata sua haut ultra dissimulanda ratus Verjo denuntiat: se defugere non potuisse, qvin Trevirensi ac Palatino auxilia ferat, qvæ præter communem erga Imperium obligationem è peculiari qvoqve nexu Electoralis Unionis debeat. Sane invitum se huc descendere, ac optare, ut Rex Germaniæ pacem dare velit. Qvem in finem ipse enixam operam sumturus sit, si conditiones pacis, qvas Rex desideret, norit. Circa qvam Rex ingens operæ pretium facturus sit, si Trevirensi ac Palatino satisfaciat, ac in alium perseqvendis tractatibus locum consentire, & qvæ hactenus negotium impedierunt, non amplius morari velit. Ad qvæ Verjus: Electoris declarationem Regi inopinam visum iri, qvod specimina amicitiæ ab hoc ipsi exhibita talibus conatibus causam dare non potuerint, si maxime tam crebræ testationes de ejusdem in Regem affectu, & studio paria reponendi non accessissent. Nam etsi multa, de qvibus ipse subinde modeste qvestus sit, multa qvoqve aliunde relata, qvæ ipse communicarit, Regi suspicionem injicere potuerint: hunc tamen pro candido ac generoso suo animo testationibus Electoris plenam fidem adhibuisse, tractatu qvoqve cum hoc confisum eidem tam lucroso. Eqvidem ea conventione Electorem certos sibi limites circa Imperium reservasse. Fuisse qvoqve sibi aliqvando indicatum, Electori integrum esse Palatinum auxilio sublevare. Se tamen aliter credere non potuisse, qvam idem ratam partem haut excessurum; nec ad extrema descendendum, anteqvam molliora ac tutiora remedia tententur. Multo minus Electorem ideo fœderibus sese innexurum. Regem sane adhuc confirmare, se copias suas extra Germaniam abducturum, statim atqve caveatur, ipsum ex hac circa destinata sua turbatum haut iri: cum nemini magis Germaniæ tranqvillitas & pacis Westphalicæ conservatio, qvam eidem, cordi sit. Super Trevirensi Coloniæ conditiones ab ipso propositas, qvas solit Cæsarei rejecerint. Palatino amica omnia oblata. Reddita in Clivica ditione loca indicio esse, à Rege nil adpeti, qvod ad Imperium spectet. Nec dubitare, qvin Rex Electorem arbitrum inter se & Palatinum sumturus sit. Igitur facile fore Germaniæ tranqvillitatem stabilire, si hujus solius rationes respiciantur, ac Cæsar eandem pari cum Rege candore desideret, omnesqve qvorum interest in idem consentiant: ac ni aliunde suggestæ spes ipsos permoverent, ut ancipitis belli continuationem bonæ paci præferre velint. Regem qvoqve cum Belgis pacem cupere, sed cujus leges ignoret, cum isti de his nec proponere, nec audire velint. Hispani autem qvam ob causam

1674. sam bellum cœperint, ipsi haut constare. Regi porro haut occasionem fuisse super hisce rebo ipsum mandatis instruendi, cum iste nondum sciat, Electorem super hisce peculiariter edoceri velle. Cum etiam Sveci seqvestrium munere fungantur, nescire Regem, num id hisce adimi qveat, aut num iidem Electorem in ejus partem admittere velint. Patientiam qvoqve Regis, tantas indignitates perpessi, anteqvam legatos suos Colonia avocaret, satis indicare, eum pronum resumendæ tractationi, modo id cum dignitate & securitate fieri qveat. Qvo fine reparanda esse contra fidem publicam in Furstenbergium patrata: qvam actionem non dubium esse, qvin omnes, qveis antiqva fides Germanica cordi sit, detestentur. Circa qvam non Galliæ solum, sed & magis Sveciæ Regis velut sponsoris ac seqvestris, ac aliorum qvorundam Principum honos versetur. Sed qvia omnia sibi jam proposita nova sint, eoqve sibi de Regis mente constare neqveat, nil certi respondere posse, qvoad ab hoc mandata acceperit. Interim petere, ut Elector destinata suspendat, nec consilia capessat amicitiam alterare apta, qvam Rex tantopere conservare atqve augere cupiat. Ad
1. Jul. hæc Elector: *Regi qvod ipse reperit consilium inopinum videri non posse, qvod ipse nunqvam isti demonstrare omiserit, ne Germania protinus belli malis levetur, se non posse non ei liberande arma expedire. Et si maxime id ipse non declarasset, pactum cum Gallo mutuum satis probaturum, se nil ex improviso fecisse. Inprimis post occupatum Germersheimum liqvido declarasse, nullo modo à se diutius suspendi posse, ad qvod tam multis de causis obstrictus sit. Igitur sperare, Regem id consilium pro novo haut habiturum, cujus amicitiam semper debita dignatione æstimet, ac nunqvam refrigerari optet. Ac tantum sibi de justitia & æqvitate Regis polliceri, ab eo primo damnandum se fuisse, si tam sanctæ obligationi, qva patria teneatur, defuisset; cui & jurata inter Electores Unio accedat. Seqvestris munus se se Sveco subtrahere, aut in ejus partem venire nolle, qvod ab hoc candide exerceri arbitretur, ut circa id mutari qvid haut desideret. Optare tantum ut istud eum fructum producat, qvem Sveciæ qværat, honestam & communem pacem; ad qvam ipse omnia collaturus sit, ut tamen seqvestris officio se miscere nolit. Qvod Rex aliqvot loca in Imperio restituere cœperit, bonum factum esse. Sed si ea metum, qvi adhuc plerosqve urgeat, ac judicia, qvæ de ista restitutione feruntur, plane removere velit, ulterius procedendum, ac omnia reddenda esse, Germaniæ in statum, qvi ante bellum hoc fuerat, reposita. Furstenbergii causam, post- 1674.
qvam Coloniensis cum Cæsare transegerit, Gallum non amplius tangere: neqve rationi congruum, ob unicum hominem, cui & nil mali metuendum, tot myriades innocentium extremis belli malis pessumdari. Super suis consiliis Regem haut sinistre judicaturum, si consideraverit, ea non odio, inimicitia, aut æmulatione erga ipsum capta, sed unice promovendæ paci, nec peculiare se emolumentum captare; ac adhuc optare, ut Rex isthoc consilii properata pace intercipere velit, totam Europam exhilaratura, ac à se in summi beneficii loco habenda.* Ad qvæ Verjus: ista altioris indaginis esse, ad qvæ nil qvod respondeat, habeat. Eum paulo post Elector amice di- 3. Aug.
mittebat, traditis literis obitæ legationis fidem facientibus; qvibus denuo testabatur, alia consilia capere sibi integrum non fuisse communi libertati & securitati vindicandæ, cui extrema vis inferatur, addito voto, ut Regi placeat tam funesto bello finem imponere. Haut eo minus Strada Comes Trajecti ad Molam præfectus minaces literas ad 7. Sept.
regimen Clivense scribebat; à Rege se jussum eam provinciam hostili modo habere.

§. 39. Major disceptatio cum Wan- *Cum*
gelino surgebat, cui itidem Elector exponi *Wangelino*
jubebat; Se non dubitare, qvin suæ hactenus actiones Regi probatæ fuerint, cujus *disceptat.*
fœdere deinceps qvoqve firmiter stare de- 26. Jun.
creverit. Sed qvia & cum id absolveretur, & postea sæpius declaratum sit, Imperii decreta sibi seqvenda; & vero præter spem & frustra consumtis totiens ingestis monitis de non turbando Imperio, & amovendis ex eo copiis, hostilia indies intendantur, Palatino qvoqve nuper oppresso, sibi qvoqve invito qvantumvis arma expedienda fuisse, ut decreto Imperii, ac obligationi in patriam, simul peculiari nexui erga Trevirensem & Palatinum satisfaciat. De hoc igitur Regi ex fœdere significare, ac petere, ut & hic agnato suo Palatino opem ferat; super qvo ex Wangelino Regis sententiam cognoscere velit. Eadem se qvoqve Verjo exposuisse; qvi tamen ista parum æqvo animo audire visus fuerit, ac defectum mandati excusarit, addito, Regem nec in reductionem sui exercitus, nec in alium tractatibus pacis resumendis locum consentire posse, ni super Furstenbergio ipsi satisfactum fuerit. Ad qvæ Wangelinus: nil hactenus sibi à Rege injunctum, qvid Electori super negotio Palatino respondere debeat. Eum qvoqve non aliter credidisse, qvam ab Elector ratam duntaxat partem ad auxilia Imperii & Circulorum col-

1674. latum iri; nec sibi persvasisse, cum toto cum exercitu iturum. Igitur se de istis ad Regem relaturum, ac petere, ut iter suspendatur, qvoad à Rege responsum veniat. Verjum qvoqve dixisse: se metuere, ne id consilium secus qvam speretur succedat, ac iterum inter Galliam & Electorem dissidium indefurgat. Eqvidem Electorem semper sibi potestatem excepisse Imperio debita præstandi: præsens tamen consilium longiùs procedere, dum justo cum exercitu apertis Galliæ hostibus in auxilium itur. Igitur eum petiisse, ut de hoc ad Sveciæ Regem referat; ac uti hic ante annum operam contulerit componendo inter Gallū & Electorem dissidio, qvo hortante & iste huic Clivicas urbes tanto cum adparatu bellico gratis reliqverit; ita & nunc idem Electorem tam periculosis aulis desistere moneat. Simul instabat, ut Elector mentem suam circa pecuniam subsidiariam à se nuper oblatam declaret. Conditionum summam huc redire: Regi haut in animo esse Electorem in alterutram partem pertrahere, aut ut contra qvietem & salutem Imperii qvid suscipere necessum sit. Ne hoc incendium latius grassetur, Regem cupere, ut Elector in ejus belli partem non veniat, ac neutri bellantium accedat, sed medium se teneat, qvo Regi circa promovendam pacem tanto efficacius adsistere qveat. Ut eidem haut eo minus integrum sit exercitum in promtu habere non solum ad mutuam utriusqve provinciarum defensionem ex fœdere, sed ut eum ad promovendam pacem Regi sociare qveat, eo fortius hortando illi, qvem adparuerit æqvas pacis conditiones qvam maxime respuere. Ut Elector mature super ratione pacem in Imperio instaurandi cum Rege conveniat, & ei exsequendæ operam navet. Ut utriusqve ministri ubiqve communicatis consiliis agant, ac in eandem sententiam loqvantur: eamqve conjunctionem ubiqve publicent, qvo tanto major amborum autoritas sit. Ut Elector operam det, qvo & alii Ordines ad medium statum pertrahantur. Ut mature conveniatur, qvomodo alter alteri opem ferre debeat, si alterutrum invadi contingat. Ut omnia eo melius exsecutioni dari qveant, simul sublevandis Electoris ditionibus Regem huic certam pecuniam subsidiariam curaturum, si is fidem det, sese neutri nunc bellantium accessurum. Qvæ tanqvam sera, & ab Electoris rationibus abeuntia silentio transmittebantur. Mox Elector Wangelino significabat: *Ipsum sæpius*
2. Jul. *declarasse, Regem Sveciæ decreto Imperii satisfacturum, idqve ut præstent rectoribus provinciarum suarum Teutonicarum injunxisse.* 1674.
Unde eidem sententiam Regis super Palatino negotio occultam esse non posse; ac sperare haut minus, qvam ipse faciat, Regem Germaniæ defensionem amplexurum. Destinata sua, qvoad responsum Regis ad ejus relationem reportetur, libenter se suspensurum, si fieri posse. Sed id non amplius sui arbitrii esse, ac jam sibi exprobratum, per moras à se adhibitas Imperio grave damnum provenisse. Responsum è Svecia intra mensem adesse non posse. Interea Gallos sine intermissione grassari. Unde non cunctandum, ne sibi occinatur; dum Roma deliberant, perit Saguntus. Verjus dicta minarum instar habere, ac adversus ista securitati consulendum. Arma sua ab Imperio non ad ratam duntaxat partem restringi. In Unione Electorali potius exprimi, ut unus Electorum alteri omnibus viribus adsistat. Ac absurdum esse postulare, ut defensio intra eum modum suscipiatur, qvi depellendo periculo haut sufficiat. Non opus esse, ut Verjus periculum ex hoc negotio oriri aptum ingerat. Nam id satis se agnoscere, ac invitum huc descendere: Sed eam sibi viam ineundam, qvam fas & officium ostendant. In manu tamen Galli positum, Germaniæ protinus qvietem reponere. Restitutionem Clivicarum urbium per legatos se Svecicos emixe, sed frustra qvæsivisse, & eam post non è benevolentia, sed subigente belli necessitate secutam; ac Gallos eodem tempore professis hostibus plura restituisse. Qvin Verjum, cum jam Rex præsidia inde deducere decrevisset, duras conditiones exegisse. Num sua expeditione bellum magis exasperandum, qvam pax promovenda sit, penes divinam providentiam situm. Se interea susceptisse, qvod officium imponat. Desidendo nil profici, cum plures Ordines subinde opprimantur, ac plures qvotidie copiæ infundantur, immani populatione & incendiis Germaniam deformantes; imprimis cum Gallus nullam spem tractatus instaurandi faciat. Unde fidem patriæ debitam haut permittere ejusdem Reip. membra auxilii exsortia destitui; nec bello fomitem suggerere argus posse, qveis ex armis nil aliud emolumenti qværitur, qvam ut honesta pax acceleretur. Pro oblatis subsidiis grates animo dices deberi. Qvod si igitur Rex ad salutarem istum scopum id impensæ velit facere, totam Germaniam, ac posteritatem, ac se cumprimis ingens ipsi beneficium debiturum. Sane mentem Regis alio tendere non posse, cum iste exercitum promovendæ paci adhibendum ferat, qvamutiqve is remoretur, qvi Germaniam militè inundet. Nam ut hæc ad pacem compellatur opus non esse, qvæ eandem anxiis votis anhelet. Eidem tractatum cum Belgis communicari petenti respon-

1674. reſponſum: Electori multa cum iſtis negotia intercedere, præcipue è priori fœdere; ac negotium id adhuc imperfectum eſſe. Nec ſibi communicata, qvæ Rex cum Gallo, & Hanoverano tractarit. Ad iſta qvod reponeret Wangelinus nil habebat, niſi qvod utiqve cum Rege prius conſultandum fuerit, an non Palatinum negotium amice componi præſtet; præſertim cum Verjus Electorem arbitrum adſciſcere velit. Qvousqve Electoralis Unio ſe porrigat Regi non conſtare. Interim petere, ut Elector Palatinum permoveat ad amice cum Gallo
11. Jul. tranſigendum. Elector contra: Wangelino memoria non excidiſſe, uti ipſe ſemper armis in Germaniam illatis, ac præcipue improviſa in Palatinum invaſione indoluerit: uti ex eo tempore ubiqve inſtiterit, ut Germania in tranqvillum ſtatum reponatur. Statim qvoqve ac de Palatinatus invaſione auditum fuerit, ablegato propoſitum; ſibi extra dubium haberi, à Rege Sveciæ eundem multas ob cauſas haut deſertum iri, ac uti inevitabilis obligatio ſibi id conſilii extorſerit, qvod Regi Sveciæ, qvem conſervatio Germaniæ, ac præcipue Palatinatus tam prope tangat, improbari haut poſſit; ut &, qvod ei tutius exſeqvendo ipſe cum aliis fœderi ſe illigaverit, id qvod nupero cum Rege pacto diſerte cautum ſit. Nam ſi integrum ſibi ſit Imperium tutari, aliasqve ſui ſtatus rationes ſeqvi, haut minus fas fore idonea ad eum finem remedia adhibere. Dudum qvoqve Brandio injunctum de iſtis in Svecia ſignificare, etſi
14. Jul. forte is adverſam ob valetudinem ſerius eo pervenerit. Idem mox ut Electorem ab ea expeditione diverteret, ſignificabat; Gallum paratum eſſe cum Palatino tranſigere, ac Regi ſuo gratum fore, ſi Elector hunc ad id permovere velit. Cui reſponſum: Potius id cogitandum, ut communis pax conſtituatur, ac per eam Palatino, aliisqve oppreſſis ſatisfiat. Aurelianenſem Ducem idem ad Palatinum ſocerum retuliſſe; qvi itidem reſponderit; ut circa communem pacem promovendam ſatagat. Sed Regem repoſuiſſe: *tædio ſibi fore ſi nil videat, qvod agat.* Atqvi ejusmodi ſeparatæ paci nil ſecuritatis ineſſe: citra hanc autem, pacem inane ſimulacrum eſſe, turbandis armorum paratibus, pro libidine Galli abrumpendum. Interim ab ejus præfectis & qvæſtoribus easdem vexationes, qvæ in bello tolerandas. Igitur ſemel Gallo per conjunctas vires facultatem Germaniæ inſultandi adimendam, ac ſolido eundem nexu ſtringendum, ut futuræ pacis leges haut ita temere perrumpere liceat. Inprimis cum tam parum fidendum ſit ſponſionibus eorum, in qvorum aulis Gallus tot obnoxios habeat, qvas & per cavillationes eludere in proclivi ſit. Inde Wangelinus ſcriptum offerebat hoc ſenſu: *Cum à Rege* 12. Jul. *ſuper Palatino negotio nil ſignificatum ſibi ſit, haut conſtare, utrum eo nomine ab Electore captum conſilium Regi placiturum ſit, an minus. Metuere tamen, ne Rex, qvin totus orbis miraturus ſit modum eo in conſilio arripiendo adhibitum, ei plane adverſum, ad qvem Elector noviſſimo fœdere ſe adſtrinxerit; per qvem facile amicitia inter Regem & Electorem, Germaniæ & rebus Proteſtantium tam neceſſaria, imminui qveat. Nam etiamſi Elector liberam ſibi facultatem reſervarit circa ea præſtanda, qvæ ad ſalutem Imperii à ſe deberi exiſtimaverit; à qva & Regi nunqvam diſcedere animus fuerit: perſpicue tamen eo fœdere conventum, ne alteruter paciſcentium ſeorſim conſiliatam longe penetrantia capeſſat, multo minus alia fœdera ineat, niſi prius mature cum altero ſuper iis conſultaverit, ac operam dederit, ut & eundem in ſententiam ſuam pertrahere qveat.* articulo IV. & XX. & ſeparato I. *Atqvi Electorem ſibi ſemper confirmaſſe, à ſe ubiqve operam dari amice turbarum compoſitioni: cum Cæſare, Hiſpano aut Belgis nihil egiſſe, qvod ad communes Germaniæ rationes ſpectet: nec alio fine copias contrahere, qvam ut tam periculoſo tempore in propinqvo ſint. De exercitu in Palatini auxilium educendo nil ſibi ſignificatum, qvoad omnia circa eum ita diſpoſita forent, ut expeditio exiguum in tempus ſuſpendi poſſe negaretur. Id qvod non poſſit non Regi improviſum videri. Ac facile perſpectum fuiſſe, Brandii iter tam expeditum haut fore, qvam præſens rerum conditio reqvirat. Qvod autem Elector per iſtum Regi communicationem fieri maluerit, id ſuo loco relinqvi, vel qvod noluerit ea deſtinata maturari, vel qvia ipſe ſuſpectus habeatur. Cæterum Regem adhuc negotio ulterius miſceri nolle, qvam qva ſeqveſtris munus ducit, utut partium utraqve oblatis inſignibus emolumentis eum ſibi adjungere ſtuduerit.* Addebat, Belgas nulla diſſimulatione publicare fœdus cum Electore initum. Contra Elector: *Circa communi-* 27. Jul. *cationem à ſe nihil omiſſum. Semper ſe ingeſſiſſe; nec Imperium, nec Palatinum à ſe deſeri poſſe. Sed Wangelinum ſemper nil ſibi ſuper eo negotio mandatum excuſaſſe. Unde facile à ſe pratextum arripi potuiſſe abrumpendæ communicationi. Se tamen non omiſſiſſe vel ex ſuperfluo ſubinde exqvirere, qvid conſilii Rex circa iſtud ceperit. Omnia ſua conſilia, omnes actiones, omnia fœdera, & ipſum cum Gallo pactum pro fundamento habere pacem Germaniæ. Qvomodo hæc agendi ratio,*

Qu'il étoit faſché de voir, qu'il n'y avoit rien à faire.

1674 diratio, postquam omnis pro pace opera incassum consumta sit, fœderi adversari queat? In unum & eundem, qui inter Imperii Ordines censeatur, simul cadere non posse; pacem Imperii servari cupere, ac propulsandæ Ordinum oppressioni debita auxilia non præstare. Hos intra limites cum ipse se teneat, ut paci promovendæ studeat, & obligationi erga patriam satisfaciat; se confidere, Regem ob institutum hoc laude dignum amicitiam imminuturum, ac totiens repetita declarationi erga Imperium sese haut subtracturum. Destinata hæc haut prius potuisse communicari, quoad constiterit, num Gallus ultro pacem Germaniæ sit redditurus; unde non prius opus fuisse negotio se miscere. Brandium morbo fuisse impeditum iter persequi; ea remora se prævideri potuisset, alium fuisse mittendum. Cum ablegatus semper defectum mandati excusarit, aliquo fructu cum eo communicari haut potuisse, eoque necessum fuisse ad ipsum Regem negotium referri. Denique sperare, Regem consilii sui rationes è Brandio auditas probaturum, nec minus laboranti Germaniæ auxilio suo præsto fore, ac fœdus, mutuæque amicitiæ cultum deinceps quoque cordi habiturum. Et quia ipse propediem iter ingressurus sit, se interea tutamen suarum dicionum ipsi commissurum.

Litera Electoris ad Regem Svecia 30. Jun.

§. 40. Paulo ante literas ad Regem Elector dederat, quas verbis conceptis heic inserere placet. *Quæ inter Regiam Majestatem Vestram & Nos de procuranda Germaniæ cumprimis pace ac tranquillitate subinde agitata & capta sunt consilia, optime recordatur Regia Mtas Vra, & placuerunt quidem ante omnia utrinque pacifica & mitiora recuperandæ pacis media, non tamen armis adeo destituta, ut nullum inde robur iis accedere posset. Atque proinde Reg. Mtas V. suscepto publice mediatoris munere, magno cum zelo, atque hinc maxima cum laude sua id egit, ut bono cum Deo æquis inter belligerantes conditionibus pax coiret. Neque Nos nostris defuimus partibus operam dantes, ut per legatos nostros, aliisque rationibus commodis animi & domi, & ubique ita præpararentur, ut in publico ad tractandam pacem destinato loco res eo felicius procederet. Nec caruit plane successu laudabile ut quam maxime istud R.æ Mtis V.æ studium, nec Nos opera nostra pœnituit, donec nescimus quo fato Colonia filum illud pacificæ negotiationis abruptum, & pariter omnis fere spes pacis per ejusmodi instituta recuperandæ extincta fuit. Nec omissa modo consilia pacis, sed armis unice datus est locus, dum hostilia illa, quibus Elector Trevirensis jam ante petitus, Palatino quoque Electori inferuntur, nobilissimæ ad Mœnum provinciæ ferro flammaque vastantur, ac Proceres Imperii juxta cum subditis in carceres conjiciuntur, & alia in pacato solo, quale quidem quod is Imperii provincia esse debebat, patrantur, quæ etiam in hostico aliquando non permittuntur. Necessarium hinc visum est Imperatori Ordinibusque Imperii Ratisponæ congregatis, ut laborantibus ita Imperii Principibus, & tantum non prostratis, ex lege Imperii suppetiæ ferrentur, & Electores dicti ab Electoribus reliquis auxilia atque opem, quæ ipsis ex Unione, quam dicimus, Electorali debetur, poscebant. Sepius ista ablegato Gallico, qui apud aulam nostram moratur, exposuimus, atque Regem Christianissimum per illum rogavimus enixe, tandem exercitum suum è Germania evocaret, eidemque suam redderet tranquillitatem. Indicavimus eidem pariter non posse nos tandem deesse fidei, quam Imperio, ac Collegio Electorali, & huic quidem juratam dedimus, quam integram Nobis & in pactis nuper cum Sua R. Mte Gallia initis reservavimus, atque proinde in eo Nos esse, ut eidem ex asse satisfaceremus. Exposuimus eadem quoque R.æ Mtis Vræ ablegato & Colonello Domino de Wangelin, ut de iis omnibus ad R. am Mtem V.ram non referret modo, sed & fiduciam nostram, quam in R.æ Mte Vræ repositam habemus, ac simul exponeret, quid afflictissimæ Germaniæ de R.æ Mtis Vræ animo propenso atque affectu singulari promitteremus. Hic vero quæ respondenda Nobis ab ipso essent de auxiliis afflictis Imperii Statibus ferendis non habere in mandatis, nomine vero & ad postulatum ablegati Gallici proposuit, eam, quam Nos reputaremus pacis viam, viam potius esse ad bellum & inimicitiam Regis sui, rogavit denique prædictus R.æ Mtis Vræ ablegatus, ut auxilia, quæ Imperio destinavimus, differremus, donec cum R.æ Mte Vræ de iis actum fuerit. Equidem nihil Nobis magis est in votis, quam ut nunquam nobis imponeretur necessitas armis patriæ succurrendi, & tantum abest, ut non libentissime ea differre vellemus, dummodo id periculo patriæ & jurata fides permitterent. Eadem exigunt potius, ut R.am M.tem V.ram majorem in modum rogemus, ut afflictissimæ Germaniæ non modo pacis consiliis, quibus adhuc eandem indigere novimus, sed quacunque possit ratione adesse, nostraque, aliorumque Ordinum instituta ad pacem procurandam unice spectantia juvare dignetur. Jamdiu est, ex quo ad R.am Mtem Vram Consiliarium nostrum intimum Christophorum de Brandt ablegavimus, ut fusius mentem nostram R.æ Mti V.ræ exponeret; accepimus autem gradu cum in via correptum morbo, & incerti*

1674. *& incerti adhuc sumus, ubi in præsenti commoretur. Non potuimus non igitur nostris his literis ad R.am Mtem V.am ista deferre omnia. Quibus & hoc addendum duximus, proposuisse Nobis antedictum R.e Mtis V.re ablegatum, consultum videri R.e Mti V.re, ut copias nostras in provinciis nostris adhuc aliquandiu retineremus, Regiamque Mtem V.ram pro suo erga Nos singulari affectu id acturam, ut militibus nostris, ne nimis illi graves essent provinciis nostris, de sustentatione pro parte aliqua prospiceretur. Grati agnoscimus hanc R.e Mtis V.re propensionem nullo non officii genere demerendam. Rem ipsam quod spectat, id inprimis spectandum putamus, in quem denique finem domi alendus sit miles? Si patriæ succurrendum, si afflicti juvandi, nunc certe illud tempus est, quo id agendum maxime; & quo diutius auxilium differtur, eo facilius subvertuntur afflicti, tantoque majora incrementa capiunt virium illi, qui eos opprimunt. Consultius forte videbitur servare militem extra belli aleam, tantum ad pacis studia promovenda. Pacem autem Nobiscum expectant votis ardentissimis Imperii Ordines, & aquis his transigent sine dubio conditionibus, ut contra illos pacis procurandæ causa armis opus non sit. Hostilia arma hæc desideria ipsis satis extorquent, ita ut amicorum armis opus non sit, nisi ad pericula & vim depellendam. Nunquam autem à pacis consiliis alieni erimus, ut novit cordium scrutator, Nobis nulla consilia cordi esse, quam quæ ad pacem spectant. Illam ut Pacis Autor Nobis dare velit, Regiaque Mti Vræ prospera quæque largiri dignetur, hoc est, quod ab ipso humillime & ardenter petimus. Colonia ad Spream d. 30. Jun. 1674.*

Wangelini super Electoris expeditionem mentio. 30. Jul.

§. 41. Post procedente in expeditionem Electore Wangelinus exhibito scripto declarabat; se haut credidisse, Electorem toto cum exercitu in Gallum moturum fœdere cum Hispanis & Belgis inito: cum is semper confirmarit, se medium mansurum, ac cum Rege suo consilia viresque sociaturum, spe quoque facta oblata subsidia à se haut repudianda. Nunc ista absque matura communicatione suscepta. Regem judicare, publico bono, ac peculiaribus Electoris rationibus tutius esse, hunc suo cum exercitu velut in excubiis agere. Quo fine à se adhuc subsidium pecuniariũ
1. Aug. offerri. Ac Gallum utique in pacem pronum. Ad quæ Elector: Satis se communicasse, quæ fœdus requisiverit. Capta à se consilia ad impediendam pacem non spectare. E propositis à Brandio Regem satis judicaturum, sua consilia præmatura non esse.

Sperare quoque Regem decreto Imperii conformem se gesturum; præsertim cum is semper declaraverit, se nomine provinciarum Teutonicarum haut diversa à reliquis Ordinibus consilia inituram; nec dissuasurum, quo minus ipse ex Imperii decreto aut Unione Electorali debita præstet. Subinde quoque se testatum, in medium se statum consentire, aut ab Imperio disjungi haut posse. Circa subsidia sæpius indicatum, haut aliter judicari, quam ista à Gallo profectura, quæ admittere gravissimæ rationes dissuadere. Ne ita abrupte respuerentur, decorum amicitiæ requisivisse. Ubi haut omittendum fuerit, utut Wangelinus tantopere circa sistendam Electoris expeditionem laborarit, tamen in conventu Circuli Superioris Saxoniæ, qui mense Augusto Lipsiæ agebatur, Citerioris Pomeraniæ ablegatum Albertum Joachimum Molzanum pro sententia dixisse: Regem Sveciæ nuper conditis Imperii decretis utique stare, ac semper ratam copiarum partem in promtu habuisse; quæ & in expeditionem mittenda fuerit, ni is sequestris munere fungeretur; ac Gallus antam arrepturus esset ipsum studii adversam in partem arguendi. Cui nomine Circuli responsum fuerat: *Sequestrii munus, quod Rex Svecia susceperit, Ducem Bremæ ac Pomeraniæ ab obligatione, qua is Imperio teneatur, liberare non posse.* Demum cum jam Elector Rhenum transiturus esset, Wangelinus à Rege se evocatum ferebat obeundæ functioni militari, inter valedicendum de constanti Regis sui in istum, fidaque vicinia confirmans. Cui ad extremum Elector exponi jussit: *Se se hanc expeditionem salvo officio defugere haut potuisse, deque ea Regi quantum licuerit sat mature significasse. Tractatus cum fœderatis ad hunc usque diem nondum plene absolutos, eoque communicari non potuisse. Exhiberi tamen legenda, quæ in promtu sint. Caterum denuo rogare Regem, ut misere oppressæ Germaniæ rationem habeat. Eum inclutæ Principum Palatinorum stirpe oriundum egregias in Germania provincias possidere: semper obstrictum se agnovisse explendis Imperii decretis: eoque nunquam sibi persuadere potuisse, eum absquopiam contra Germaniam incitari posse. Neque se perspicere, quomodo una manu oppressis Ordinibus, altera hostibus Imperii auxilium præstari queat. Equidem legatum Gallicum Holmiæ satagere, ut aperta hostilitas inter Regem & se excitetur; eoque nomine ad fœdus provocare, quale ipse existere haut credat, & Wangelinus semper inficiatus fuerit. Ac absurdas esse rationes, ab isto Gallo adductas, quasi ipse de bello Svecia*

4. Oct. Molzan.

1674. *inferendo agitet. Sibi nullius Principis amicitiam magis cordi esse, qvam Sveciæ Regis; nec suam vicissim amicitiam huic inutilem. Regis Parentem Gallicis destinatis parum fuisse addictum, ac post ejus obitum magis erupisse, qvo animo Galli in Germaniam essent. Qvid Trevirensi, qvid decem oppidis Alsatiæ, qvid Comiti Nassoviæ & aliis contigerit, se nolle memorare. Tantum qvid Palatino factum memorare, tam recenti affinitate Domui Regiæ innexo. Eadem omnibus expectanda. Ista Regem nunqvam probaturum, ac potius ad eam pestem opprimendam simul connixurum, conciliatione pacis continuata.* Ad qvæ Wangelinus nil præter inania, ac sæpius ingesta reponebat, ac inde Argentorato facessebat.

Legatio in Sveciam.

§. 42. Fortasse tamen Sveci in alia consilia adduci poterant, aut saltem prætextum offensæ adimebatur, qvasi non satis tempestive aut scrupulose cum iis communicatum foret, si Christophorus Brandius maturius in Sveciam adpulisset. Is qvippe
20. April. apud Regem exponere jussus fuerat; uti Electori semper studium fuerit cum Rege amicitiam colere servandæ publicæ paci ac securitati; cui fini recens ictum fœdus plus occasionis præbeat. Et qvia isthoc id potissimum spectet, ut ad Rhenum latius subinde se diffundens belli incendium restinguatur, Electorem se valde obstrictum Regi profiteri, communicata per Wangelinum ipsius sententia; ac uti lætum sit, Regi studium communis ac solidæ pacis promovendæ persistere, ac eundem paria secum consilia fovere; ita proposita à Rege non sibi solum probari, sed & eadem pluribus jam locis secutum, eaqve deinceps qvoqve continuaturum. Qvo fine & Brandium se misisse, ut utriusqve sententia eo commodius percipi atqve communicari possit. Et qvanqvam metus sit, ne abrupto Coloniæ tractatu spes pacis non parum imminuerit, ac propinqva expeditione difficilius futurum sit ad alium congressum rem deducere: se tamen haut omissurum omnem operam eum in finem navare, si à Rege occasio & via sibi ostendatur. Ubi de induciis mentio injiciatur, responderet: post abruptos tractatus parum esse, qvod de iis agatur; ac de instaurando potius conventu laborandum. Qvanqvam autem ipse propositis induciis jam apud unum & alterum suspectum se reddiderit, ac sibi objectum sit, facilius fore super pace, qvam induciis convenire: se tamen libenter Regis sententiam superiis cogniturum, ac data occasione circa easdem qvoqve operam navaturum. Ostenderet qvoqve, qvantum 1674.
malorum invasio Palatinatus post se tractura sit; ac uti Gallo non solum dissvadendum, ne amplius ullum ex Imperii Ordinibus impetat, sed & eundem hortandum, ut omnia in integrum restituat. Id se jam fecisse, ac ulterius facturum. Decreto tamen Imperii circa auxilia Palatino ac Trevirensi ferenda officio subigente subtrahere se haut posse: præsertim cum non audierit legatum Svecicum Ratisponæ contra Imperii decretum qvid opposuisse. Et qvia Saxo tanqvam Superioris Saxoniæ director copias Circulares contrahi urgeat, se qvoqve qvid Regi videatur nosse cupere. Addebatur de Polonica electione, num qvod operæ pretium pro Neoburgico fieri qveat; ac ne id Regnum, ubi necessitas ingruat, sine auxilio relinqvatur. Si de pace inter Gallum, ejusqve hostes moveatur, diceret: eam ægre sperandam, qvousqve iste Lotharingum ad tractatus non admittat; unde Rex eidem serio demonstraret, qvam necessarium sit Lotharingico legato diplomata indulgeri. Si de liberando Furstenbergio mentio fiat, reponeret: Electori qvidem, qvæ cum isto acta sint, ingrata auditu fuisse, utpote tractatibus remoram injectura. Sed postqvam id semel patratum sit, non adparere, qvare ideo totum pacis negotium everti debeat; præsertim cum Cæsar graves rationes adducat, qvare istum in potestatem redigi necessum fuerit. Obiter de negotiis qvibusdam Pomeraniam provinciam spectantibus subnectebatur.

Alia mandata. §. 43. Sed qvia, dum Brandii iter morbus moratur, res interim insignem mutationem subierant. Elector missis aliis mandatis Regi exponi jubet, qvibus de
6. Junii. causis necessum sibi fuerit cum Cæsare ac Belgis se conjungere. Scilicet *Cæsarem, ac directores Circulorum, sub qvibus ditiones suæ sitæ sunt, ac Palatinum indies acrius institisse, ut rata copiarum pars ad auxilia Ratisponæ decreta submitteretur, qvod & leges Imperii & Unio Electoralis requirat. Unde necessarium visum copias è Borussia & aliunde contrahere, qvo oppressi auxilio qvantum possit subleventur. Haut immerito tamen se metuisse, ne suscepta oppressorum defensione ditiones suæ periculo exponantur; tum & rationis fuisse sibi cavere adversus illos, qveis ista forte parum grata futura sint. Ac recens Palatini exemplum extare, qvi tam violenter oppressus sit ab iis, qvi eo ipso tempore ad propiorem conjunctionem amicissimis verbis invitabant, non aliam ob causam, qvam qvia ob sui conservationem ac securitatem propius Cæsari*

1674. *sari se innectere agitarit; id qvod nullo jure prohibitum erat. Sed & suas ditiones proprio milite alendo exhaustas, cum aliis eum in finem aliunde pecunia suppeditata sit; qvæ & sibi oblata sit, non modico civibus levamento cessura, ni eam accepisse obligationi erga patriam repugnare visum esset; nec metus fuisset, ne per eam inutilis redderetur ad ejusdem Reip. consortibus auxilia ferenda, ac communem pacem promovendam. Igitur necessarium visum ejusmodi pactis se munire, per qvæ & cuivis periculo occurri posset, & innoxium scopo suo subsidium sustentando exercitui potiri liceret. Cui fini nil aptius visum, qvam cum Cæsare ac Belgis antiqva fœdera renovare, ac ad præsentia tempora accommodare. Qvam in rem duo sibi potissimum animos addidisse. Nam & sibi constitisse utrisqve honestam pacem cordi esse: ac amicos & vicinos suos, à qvibus disjungi non potuerit, Saxonem, Cellensem, & Guelferbytanum jam Cæsari ac Belgis sese per fœdera illigasse. Nec adparuisse, qvid obstaret, qvo minus ipse tale consilium capesseret. Nam proximo cum Gallis pacto expressis verbis sibi reservasse, ne Imperium destituere, ejusvé rationes teneretur negligere. Ac penes solum Gallum culpam esse, qvod sibi causa publica suscipienda oppositis armis sit; velut qvi primum nulla necessitate, ac dissvadentibus amicis & fœderatis exercitum suum Germaniæ infuderit, urbes Alsaticas occuparit, Palatino arma intulerit, plura hostilia susceperit; qvibus omnibus abstinere poterat & debebat. Eqvidem se eo pacto promisisse de auxilio Belgis non ferendo; id qvod & accurate observarit, utut Galli ea pacta multifariam violarint, Clivicæ provinciæ gravissimis damnis illatis. Sed postqvam Gallus Belgis ultro Geldriam, Ultrajectum, & Transisalaniam reddiderit; simul Anglus, Coloniensis, ac Monasteriensis, Gallicis licet fœderibus arcte innexi, pacem cum istis inierint; cur & sibi, cui nunqvam hostilitas cum ea Rep. intercesserit, integrum non fuerit veterem cum hac amicitiam instaurare? Ac si Gallus objiciat, cum Hispano qvoqve fœdus nexum; sane non minus integrum sibi cum hoc, qvam cum Gallo fœdera inire. Et qvia Cæsar ac Belgæ tam arcto nexu isti ad pacem usqve se illigaverint, declinari à se ejusdem fœdus haut potuisse. Qvod eo minus sibi exprobrari qveat, qvia Hispanus nil actionis in Germaniam moveat; nec ipse ad aliud se obstrinxerit, qvam ad instaurandam pacem Westphalicam, Clivicam, & Aqvisgranensem. Deniqve ex eo tempore, qvo fœdus cum Sveco initum sit, faciem rerum valde mutatam. Id autem fœdus utriqve permittere eas partes amplecti, qvas sibi qvisqve maxime proficuas judicaverit. Et qvanqvam simul placuerit, circa id communicatis consiliis procedendum: Svecos tamen hactenus circa sua nil ipsi communicasse, ac inprimis, qvid cum Anglo negotii contrahant; qvid rationum ipsis cum Gallo, à qvo insignia subsidia accipiant, intercedat; ac de fœdere cum Hanoverano nuper admodum, & laxis duntaxat verbis indicium fecisse. Ut tamen fœderi satisfaciat, simul amicitiam cum Rege qvantum in se continuet. Brandius huic communicaret: sibi constitutum oppressis Ordinibus ex decreto Imperii, ac subigente officio opem ferre, qvod & Regem facturum speret, simul paci promovendæ incumbere. Fœderum cum Cæsare, Hispano ac Belgis copiam faciendam, qvamprimum ea perfecta fuerint. Qvæ si & Regi amplecti placeat, ingens momentum ad Europæ pacem allaturum. Sed si id facere dubitet, spem tamen esse, Svecum facta cum ipso fœdera constanter servaturum; qvod & ipse facturus sit.* Cæterum qvod de hoc negotio haut maturius communicatum fuerit, Brandius in moras sui itineris rejiceret, & qvia metus fuerit, ne si Wangelino ista significarentur, eadem statim Gallo innotescerent; nec tractatum adhuc perfectum fuisse. Deniqve & operam dare jubebatur Brandius, ut ope Senatorum, qvi tam fervida Sveciæ pro Gallo consilia improbabant, Regem permovere qveat, ut hic istum enixius ad amplectendam pacem impelleret.

Animorum in Svecia habitus. 14 Iul.

§. 44. In Sveciam cum pervenisset Brandius, multa disseri audiebat de suspicione, qvam Ordinibus gliscens Cæsaris potentia, & longius tendentia consilia generare debeant. Eodem qvoqve tempore Feuqvierius legatus Gallicus circa trajiciendas in Germaniam Svecicas turmas ita enixe laborabat, ac si plane Galliæ negotium gereretur; qvi & plus tunc pecuniæ qvam antea numerabat. In omnium sermonibus magno fervore Gallis favebatur. Nulli nuntii placebant nisi Gallo prospera, Cæsari, Hispano ac Belgis adversa ferentes; usqve adeo ut tabellariorum præfectus acriter increparetur non sine minis adimendæ functionis, si relationes publicaret Gallo parum propitias. Non tamen, qvæ in Germaniam transportabantur, copiæ adeo numerosæ erant; ac ipse Feuqvierius Svecis parum fidebat, eoqve subsidia non una vice exsolvebat, sed pro numero copiarum, qvæ navibus imponebantur. Inprimis Magnus Gardius acriter in Electoris expeditionem invehi: ante novem menses secus rem habuisse; ac ubi Turennius Electorem iterum in angustias redegerit, Wan-

1674. Wangelinum haut ſecunda vice pacem ipſi conciliaturum. Addebat; Svecos ante finem anni XX M militum in Germania habituros; ac tunc operam daturos, ut è naufragio Germaniæ & ipſi aliqvot tabulas colligant. Cum apud eundem Brandius qvæ juſſus erat exponeret, is ſolito verborum flumine reponebat: Regem Sveciæ ab initio hujus belli honeſta, & nemini noxia conſilia agitaſſe, ad æqvam pacem tendentia. Eo fine nulli operæ ac ſumtui pepercifſe ſuſcepto ſeqveſtris munere, ac omnes moleſtias, qvæ inter id obvenerint, ac ſiniſtra judicia ab oſoribus pacis toleraſſe egregii propoſiti tenacem. Cum autem Regi perſvaſum ſit, per arma promtam ac ſtabilem pacem obtineri haut poſſe, non minus gravem animi dolorem concepiſſe, qvod Electorem Cæſari, Hiſpano ac Belgis ſe innexuiſſe audiverit, qvam antea gaudium ſenſerat, qvod tam validum circa promovendam pacem ſocium ſibi reperiſſe videretur. Haut eo minus Regem id fœdus firmiter ſervaturum, eiqve ex ſua parte ſatisfacturum. Nec dubitare, qvin Electori, non obſtante capto conſilio ſtudium promovendæ pacis perſiſtat. Minus efficacem tamen deinceps operam fore, diſtracta Regis & Electoris circa pacem conjunctione. Nam acceſſione Electoris ad Belgarum partes oleum camino additum. Auſtriacis & Hiſpanis alias à pace abhorrentibus egregio Electoris exercitu fiduciam acceſſuram. Gallum ſubigente exiſtimationis cura plus pertinaciæ ſumturum, & in Electorem extrema tentaturum. Nam præterqvam qvod is annum abhinc tam generoſo modo tranſegerit, eundem & Cliviæ oppida non minus liberaliter reddidiſſe, ſic ut hoc facto irreconciliabile odium ſit ſurrecturum. Eqvidem cauſas, qvæ Electorem ad id conſilii compulerint, graviſſimas eſſe, ac uti huic ſuæ rationes qvam optime ſint perſpectæ; ita & eidem per proximum fœdus integrum eſſe partes pro lubitu capeſſere. Sed optare ſe, ut omnia bene cedant, ac Electoris ditionibus, totiqve Germaniæ non majus inde periculum naſcatur. Nam Turennium victori exercitui præeſſe. Condæum LX millibus bellatorum ſuccinctum. Fœderatos qvoqve egregiis copiis inſtructos, ſed deeſſe bonos duces, ac uti inter tam multos aſſolet, in diverſa tendere. Contra apud Gallos ex unius nutu rem geri, ac bonorum ibi ducum, nec non pecuniæ, ac aliarum rerum neceſſariarum affatim eſſe. Poſtqvam itaqve Elector ac Luneburgici ſua expeditione omnes rationes, qvæ Gallo hactenus proponi potuerint ad relinqvendam Germaniam invalidas reddant, atqve huic deinceps ratio ſtatus ac belli ſvadeat in mediam Germaniam penetrare, ac immunes adhuc à bello regiones invadere; ſe valde metuere, ne Turennius verſis ad Viſurgim armis Electoris ditiones ingenti malo mactet. Unde ſi res adhuc integra ſit, ſe ſvadere, ut Elector agitatum cum Belgis fœdus retractet, qvo deinceps qvoqve facultas maneat paci cum Svecia promovendæ incumbere. Eqvidem à ſe Galli per Germaniam auſa hautqvidqvam probari, qvæ & acriter eidem exprobrata ſint. Enimvero cogitandum eſſe, poſtqvam Cæſar & Elector bello ſe miſcuerint, Gallo per rationem belli multa fuiſſe facienda. Forte Argentoratenſes pontis ſui uſum Cæſareis fuiſſe indulturos; forte Colmariæ & Sletſtadio Cæſarea præſidia imponenda. Ni Galli occupaſſent, Treviros in Hiſpanorum manu eſſe. Palatinum merito miſeratione proſeqvendum, cujus pulcerrimam provinciam, qvantum flamma reliqvit, hoſtes juxta atqve amici comedant: Electori vix ad aulam ſuſtentandam reditus ſuperfore; ejus filiam in Gallia in lacrymas ſolvi, ac periculum eſſe, ne totam is ditionem una cum munitionibus amittat. Sed iſtam calamitatem cum ſcævis conſiliis ſibi attraxiſſe; cum extra partes manenti nil periculi eſſet. In cautionem fœderis cum Cæſare agitati huic Germersheimum Philipsburgo imminens tradere voluiſſe; cum Gallus amica omnia pollicereturſi medius maneret, ac ſuas munitiones proprio duntaxat milite cuſtodiret. Sane Cæſarem iſti damna accepta haut refuſurum: ac iſtum optime ſibi conſulturum, ſi ad ſervandas fortunarum reliqvias cum Gallo utcunqve tranſigat. Inde diſſvadebat, ne Elector in itinere Hanoverani ditionem tangat. Nam hunc ſine dubio arma oppoſiturum; & ſi ad manus res perveniat, Svecos ex fœdere ad auxilia ei ferenda teneri. Multis inde jactabat, Regi ſuo XXX M bellatorum brevi in Germania fore. Ad iſta Brandius: Non minus Electori qvam Regi in pacem ſtudium perſiſtere: ſed ad eam diverſa via tendi, qvæ tamen amicitiæ inter ipſos haut obſtet. In Germania judicari, pacem per arma parandam; præſertim cum Gallus poſt abruptos Coloniæ tractatus militem ſuum latius per Germaniam diffuderit, averſi à pace animi indicium. Contra Cæſari ſociisqve promtam, tutam & honeſtam pacem in votis eſſe; ac ſi in diverſa tendant, Electori non minus iſtos hortari in promtu eſſe, qvam Sveco Gallum. Qvod ſi Gallus de exiſtimatione ſua 1674.

1674. sua agi credat, ac in pertinaciam se obfirmet, qvod Elector justa ac patriæ debita consilia ceperit, animum paci aversum magis apricaturum. Feuqvierio parcius de promisso, aut merito crepandum. Electorem disertis verbis sibi recepisse, pro Imperii securitate decretis se nec posse nec velle deesse. Eundem per Verjum & alios Gallum sedulo hortatum, ut Germaniæ, ac inprimis Palatinatui parcat; alias sibi necessum fore in hujus auxilium accingi. Ergo Galli culpam esse, qvod Electori & aliis patriæ fidis Principibus in expeditionem sit prodeundum; qvod is insuper habitis amicorum hortatibus Germaniam infestare non desistat. Restitutionem urbium Clivicarum aliqvod instar meriti potuisse habere, si ante annum facta esset cum pactum absolveretur, ac nondum tanta per Westphalicas ditiones damna data forent. Qvam nec benevolentia, sed belli necessitas fieri subegerit; prout & reliqvæ Belgii urbes derelinqvendæ fuerint. Unde Gallo perinde fuisse, Elector an Belgæ iis præsidia iterum imponerent. Machinas & paratum bellicum avehendi facultatem non fuisse. Sane Electoris institutum periculo non carere. Ast in divina ope, ac justitia causæ fiduciam esse; nec fœderatos defore, ac inprimis Sveciæ Regem, qvi non levi suspicione sit perstringendus, si Galli ad Visurgim arma proferre aggrediantur. Rem non amplius integram, nec retrahere pedem Electori licere, ni justas Imperii ac Palatini qverelas in se excitare velit. Nec Regem postulaturum, ut Elector Belgico fœderi renuntiet, qvod ipsi non leve robur addat ad pacem una cum isto promovendam. Electori non parum solicitudinis injectum iri, ubi audierit, Gallica facinora non solum excusari, sed & judicari, à Trevirensi & Palatino aliter agendum fuisse. Nam inde adparere, à Svecis juxta ac Gallis Germaniam non pro una Republica, qvæ capite & membris constet, haberi; siqvidem id piaculum, ac justa belli causa esse debeat, aliqvem Ordinum cum Cæsare defensionis gratia fœdus inire. Saltem Sveciam melius sentire par esse, qvæ Westphalica pace membrum Imperii manere voluerit, cum Gallus id adspernetur. Qvod si Palatinus circa defensivum fœdus cum Gallo ineundum occupatus tali modo à Cæsare oppressus fuisset, qvid tunc Svecos dicturos? Sane neminem asserturum qvin Cæsari fas sit Ordines ab ejusmodi fœderibus dehortari, per qvæ invasores Germaniæ firmentur. Palatino transactionem svaderi non posse, ad qvem pessum dandum Turennius enixe incumbat nulla reparationis spe. Cum porro dicatur, Regi non aliam esse mentem, qvam conciliandæ paci operari; se nosse cupere, qvid tantæ sibi in Germaniam mittendæ copiæ velint, ubi nullum ipsi periculum metuendum? Hanoverano causam non esse innoxii transitus negandi, qvi ad salutem Imperii spectet. Qvanqvam si Electorem gravius ac moram non patiens institutum urgeat, eum Hanoverani copias parum curaturum. Illum tamen in Regis gratiam potius à recta via deflexurum, ne qvid molestiæ illi facessat. Contra & Hanoveranum à Rege hortandum, ne inutiles turbas moveat. Adicta Gardius pollicebatur, se omnem operam navaturum, ut amicitia inter Regem & Electorem sarta tecta perstet. Diffiteri tamen non posse, circa hoc negotium Regi duo mira videri. Primo, qvod etsi Elector per literas, & misso legato de suo instituto sat mature ac decore Regi significarit, non prius tamen consultarit, num expediat ejusmodi consilium capessere, cum tamen fœdus id reqvireret. Deinde qvod post Brandii Berolino discessum, cum jam decretum esset Palatino opem ferre, Wangelino dictum sit, ut is procuratorium sibi adferri curet conciliando tractatui inter Galliæ Regem atqve Electorem; qvod procuratorium cum jam Hamburgum esset missum, Regem intellexisse, Electoris sententiam jam mutatam. Ad qvæ Brandius: Electorem à concluso fœdere semper cum Wangelino communicasse de Germaniæ periculo, addita denuntiatione, haut sibi fas eidem deesse; isthoc semper excipiente, sibi Regis mentem circa Palatinum negotium haut perspectum. Interim Palatinum ita in angustias redactum, ut deliberandi cum Rege spatium non fuerit; ac Electori in arena consilium fuisse capiendum. Ac ne forte Gallus imparatum adhuc occuparet, Holmiæ de suo consilio, qvam Berolini significare maluisse. De Wangelini procuratorio nil sibi cognitum; ac forte de isto obiter jactum. Electorem tamen cum Gallo libenter tractaturum fuisse, ni Palatinus indies crudelius fuisset habitus; ac si Verjus desiisset conditiones obtrudere, officio erga Imperium & Collegas repugnantes; ac si idem qvidqvam cautionis præstare voluisset, Gallum protinus arma è Germania abducturum, aut tractatus cum Palatino successuros. Ad extremum Gardius: Svecica arma in Germania utiqve majora fore, qvam sequestribus opus sit. Suis qvoqve provinciis, omni vi ad Rhenum conversa, parum metuendum. 1674.

1674. Regem tamen circa negotium pacis haut omnium libidini obnoxium posse agere. In Germania & vicinis locis Svecos bonorum virorum vocabulo notari, & esse eos tales, sed non eo sensu, uti isti intelligant. Regi eos armorum paratus faciendos, ut sibi autoritatem, negotio pacis pondus addere qveat: ac nescire se, qvid demum consilii capiendum sit, ubi Rex deprehenderit, curam suam super pace inanem fore; præsertim cum & tunc honorem suum vindicandi necessitas sit incubitura.

Expeditio in Alsatiam decernitur.

§. 45. Ast tanti non erant Svecorum Gallico favore imbutorum ratiocinia, ut ideo patria Gallicis armis impune proculcanda esset destituenda. Præsertim cum missus à Cæsare in Sveciam Adolfus Uratislaus Sternbergius Comes asseveraret, Svecos nec posse nec velle qvid movere. Ac Belgicus legatus Heemskerkius ministro Svecico in os denuntiaret, qvamprimum Sveci Electorem invaderent, Belgas tota vi istis restituros. Ac eo facto Gallum qvidem periculo creptum iri, sed Svecos contra Germaniæ vires ipse tracturos, haut ita facile repellendas, uti forte ipsis persvasum sit. Qvæ apud Svecos pondus habere credebantur. Et qvicqvid ejus esset Elector Imperii salutem ante omnia habens post absolutum fœdus magno studio expeditioni sese accingebat; admodum lætantibus Cæsareis, qvasi partibus fœderatorum jam in tuto collocatis, ac certa honestæ pacis spe. Qvanqvam autem fœdere cautum esset, ut Elector in Westphaliam & inde longius iret; tamen Cæsar expedire judicabat, ut Elector cum Cellensi Duce in Palatinatum tenderet; addito, qvamdiu bellum in Palatini ditione gereretur, penes hunc supremum belli moderamen fore. Sed si arma alio transferenda sint, se Bornonvillio injunxisse, ut is ab Electore debito cum respectu dependeat; sed operationes bellicas ex majore parte suffragiorum consilii bellici suscipiendas. Ipse qvoqve Palatinus tanto acrius super accelerando auxilio instabat, qvod Cæsarei & Saxones apud Sinzheimum acri cum Gallis conflictu cessim iverant, apertis provinciæ locis Gallorum libidini expositis. Ac manebat hoc modo Electori prætextum, velut circa solam Imperii defensionem idem satageret. Palatinus porro ingerebat, Philipsburgum expugnandum, & solo æqvandum, dum reliqvi fatigando Turennio incumbunt. Sed Elector judicabat anni tempus nimis provectum tanto obsidio suscipiendo. Ac Cæsari satius videbatur in Alsatiam

6. Aug.

tendi, aperiendæ in Burgundiam viæ. Etsi Hispani ac Belgæ eundem in Cliviam, inde longius movere maluissent. Sed qvibus Elector per Blaspielum significabat: penes se moram non esse. Nam etsi nondum qvid pecuniæ ex fœdere accepisset instruendo militi; tamen legiones suas è Borussia jam movisse, ac se propediem trans Albim iturum. Sed Cæsarem misso cursore demonstrasse, laboranti Palatino auxilium properandum, qvem maxime vis hostium urgeat; cum alibi fœderatorum vires Gallis pares sint. Si Turennio pro lubitu grassari permittatur, Palatinum forte auxilio destitutum ad transactionem compulsum iri, qvo Sveci & alii valde invitent. Qvin Sveviam & Franconiam, singulari hactenus in Remp. studio, hosti in prædam exponendas, cæteros Ordines animis collapsos seorsim sibi consulturos. Qvin si Electoris exercitus reliqvis fœderatis in Belgio jungatur, hisce plus incommodi qvam levamenti accessurum, ipsa multitudine horum terris evastandis, simul fame morbisqve incubituris. Ast si Turennius Palatinatu expellatur, id fœderatis gloriæ atqve usui cessurum, ac ea distractione hostem Belgio averti. Destinata qvoqve fœderatorum ibi expeditius effectui posse dari; cum alias Suchio in Palatinatum sit vertendum. Post felicem ejus expeditionis successum fœderatis in proclivi fore copias jungere, aut alia è communi consilio suscipere. Ast in Cliviam ituris magna terrarum spatia emetienda, non sine temporis jactura, antequam ad hostem perveniatur. Contra citius operæ pretium posse fieri, si in hostem eatur, qva proximus est, & recentibus adhuc militum viribus. Tum & eo melius illorum motus observari posse, qvi à tergo maneant. In Cliviam euntibus Hanoverani ditionem transeundam, qvi forte eam in arma erumpendi occasionem captet; de qvo Sveci non obscure intimuarint. Ac sane Hanoveranus Electori non nihil curæ injiciebat. Sed Cellensis ac Guelferbytanus confirmabant, ab eo nil periculi esse; etsi haut consultum sit apud eundem super transitu qvid moveri, ne forte responsum accipiatur animos utrinqve irritaturum. Interea cruento apud Seneffam prælio certatum est, dum fœderati castra hostium cominus prætereuntes his occasionem præbuerant postremum agmen, qvod Belgicus miles componebat, invadendi, ubi magna utrinqve cædes facta, donec adventu Cæsareorum repulsis Gallis nox demum pugnæ finem imponeret. Unde Monteregius & Suchius adstipulante Arausio-

1674.

1674. fionensi Electorem ut in Brabantiam verteret rogabant. Nam Ducum discordiarem haut ex voto gestam, qvorum dissidia istius autoritate componi qveant. Sed Elector jam Schvveinfurti Mœnum transierat; ac hostis in Alsatia & Lotharingia copiis suis firmatis, occasionem rei gerendæ præbiturus videbatur. Ac parum intererat, qvo loco Gallis noxa inferretur. Qvod institutum deinceps & Monteregio probatum.

Electoris expeditio. 1. Aug. 11. Aug.

§. 46. Porro Elector Berolino movens cum exercitu viginti fere bellatorum millia explente egregiis ducibus ac gregariis, cum Magdeburgi Albim transiisset, ad sinistram flectens, ne Hanoverani ditionem tangeret per Eichsfeldiam & saltus Thuringicos Smalcaldiam, inde Schvveinfurtum tendebat. Unde Fridericum Dænhofium Comitem ad Palatinum mittebat, qvi moneret, ut is Turennium è Palatinatu distraheret, qvoad ipse à superiore parte ingruens medium interceptum in angustias redigeret. Ast inter fœderatos in Palatinatu dissensio non parum temporis incassum perdiderat. Palatinus recta in Turennium eundum, ac prælio certandum censebat. Lotharingus omisso Turennio ad Saram flumen considendum contendebat, ad animum Lotharingiæ incolis addendum. Unde Gallos distractum iri, simul compulso Turennio, ut vel ipsos intra impedita loca invadat, vel copias è Germania retrahat. Sed Hermannus Marchio Badensis, & Joannes Adolfus Ploenensis Dux, qvi Luneburgicis præerat, judicaverant, Turennium nec intra opportuna sibi loca invadi, nec præteriri sine periculo posse. Unde superato iterum Rheno in Alsatiam eundum. Sed & Bornonvillius Cæsareorum copiarum Dux, cui alias in Palatinatum eundum fuerat, inopiam causatus, & morbos eo tractu grassantes, qvi & suas copias jam infecerint, in Alsatiam verterat, Electore ac Lotharingo ægre id ferente. Inde iter Heilbrunnam sumtum, ubi Elector, Carolus Ludovicus Palatinus, Georgius Wilhelmus Cellensis, Carolus Lotharingiæ Dux, & Alexander Bornonvillius de summa expeditionis consilium agitabant. Ubi Palatinus de oppugnando Philipsburgo proponebat, qvod tolerando obsidio impar sit ob lignorum ac dulcis aqvæ inopiam, & qvia dimidia præsidii pars morbis correpta sit. Qvo expugnato Palatinatum, simul Franconiam & Sveviam periculo exemtas eo liberius vires suas tutando Imperio explicaturas. Enimvero vergens anni tempestas dissvadebat oppugnationem suscipere loci natura & opere munitissimi, uliginosa humo fossas deprimi adspernante. Nec Rheno tam propinqvo aqvas deesse posse. Lignorum vicem stabula, & domiciliorum inutilia subitura. Nec in promtu esse penum tantæ multitudini sufficientem, nec majores machinas, qvæ anteqvam adducantur, autumnum ruere. Igitur satius fore altius ad Rhenum movere, ac Gallos ad prælium compellere. Philipsburgum interim per Palatini & Circulorum copias eminus includi posse. Ita Elector sumto per Wurtenbergicam ac Badensem provinciam itinere, Oberkircham pervenit paucos post dies, qvam fœderatos inter & Gallos cruento prælio pugnatum esset. Qvo tamen numerus cæsorum haut tantus fuit, qvantum initio fama vulgaverat. Nam Luneburgicorum non supra ducentos octoginta pedites, ducentos eqvites ceciderant. Sauciorum autem qvingenti amplius pedites, centum triginta eqvites fuerant. Ad genium tamen ejus prælii, & qva fide Bornonvillius Cæsareanum copiarum dux cum fœderatis egerit, nosse interest, Turennium pridie qvam id committeretur trans pontem constitisse, à fœderatis Preuscha flumine separatum; cujus transitus Argentoratum usqve diligenter se observaturum Bornonvillius promiserat. Haut eo minus Turennius seqventi nocte apud Holzheimum prope Cæsareorum castra toto cum exercitu ac machinis difficilem per pontem nemine resistente, ac tanto cum silentio transiit, ut ne tumultus qvidem, aut nuntius de ejus adventu adverteret. Cum postera luce ad manus res perveniisset, soli Luneburgici certavere, Cæsareis otiose spectantibus; qvi summopere instantibus istis ad suppetias ferendas permoveri haut potuerunt, fossam interjectam causati, qvæ superari neqveat. Lotharingiæ qvoqve Dux, qvi alias sinistro in cornu apud Luneburgicos constiterat, eo mane digressus inter Cæsareos locum ceperat. Ast ægre demum exoratis Cæsareis ut gradum inferrent, haut difficile erat fossam transire. Qvi tamen primo cum hostibus conflictu turbatis ordinibus statim terga dedere, nulla operacis fossam regressi; qvos ut iterum in hostem moverent, nulli hortatus accendere potuerunt. Sub vesperam Bornonvillius nulla Luneburgicis facta significatione impedimenta cis Illum flumen misit. Unde occasio præbita fuit, ut exercitui qvoqve recedendum foret, cui alias campum, in qvo prælio certatum fuerat, obtinere in proclivi fuerat. Qvo receptu Luneburgici

1674.

De prælio inter fœderatos & Gallos prope Argentoratum.

24. Sept.

23. Sept.

2. Sept.

1674. gici decem machinas amisere. Ac jactabat Caprara; Bornonvillium probe Luneburgicos nunc calefecisse; Brandenburgicos, ubi advenerint, eodem modo habendos.

Per Alsatiam gesta.

§. 47. Postqvam Elector superato Rheno reliqvis se fœderatis non procul Argentorato conjunxisset, validissimus componebatur exercitus, qvibusvis hostibus par, ac ingens operæ pretium facturus, si è solius Electoris arbitrio res geri potuisset. Sed Cæsarearum copiarum dux Bornonvillius ita se transversum omnibus fortibus consiliis objiciebat, ac omnes rei bene gerendæ occasiones eludebat, ut data opera ejus expeditionis fructum corrumpere voluisse videretur. Nam cum post copiarum conjunctionem consilio habito omnibus ducibus recta in hostem ire placeret, solus Bornonvillius id abnuebat, causatus multas viarum angustias inter ipsos ac hostem interjectas; id qvod post falsum compertum. Cum igitur Electori, ejusqve ducibus provinciæ situs haut cognitus esset, placuit Blesheimi castra metari necessariæ annonæ comparandæ. Ubi Cæsarei ne unum qvidem molendinum Electoralibus concedere abnuebant, cum ipsis aliqvot essent sine opere stantia. Qvo hisce non parum incommodi illatum nulla panis intra qvatriduum copia; donec Argentorati duo, qvibus Cæsarei non utebantur, conducta sunt, qverente Bornonvillio, velut sibi aliqvid decederet. Cum jam panis in promtu esset, Elector instabat, ut in hostem iretur, dum miles adhuc vegetus, & anteqvam morbi ingruerent. Igitur multa adhuc nocte motis Blesheimo castris Cæsarei, qveis dextrum cornu obtigerat, Preuscham flumen transiere, qveis ad sinistram Luneburgici jungebantur. Electorales sinistrum cornu tenuere. Eqvites vado, pedites pontibus transiere, in qvinqve agmina divisi. Hosti in proclivi erat per angustias transeuntibus se objicere; id qvod haut factum, nostris non parum mirantibus. Exercitus inde progressus in elatiore loco non procul ab hostium castris in aciem digestus est. Cum nostri longius tendere instituerent, Bornonvillius protestabatur, id præter conventa esse. Unde nostris eo loco consistendum fuit. Mox Dœrflingius supremus Electoralium copiarum dux in elatiorem à fronte locum excurrit speculandis hostium castris, qvæ in depressiore loco erant. Et qvia Bornonvillius causabatur, ob interjectam fossam & lapidum fodinas ad hostem accedi non posse; Elector fossam pontibus insterni, viamqve complanari jubebat. Adducebant mox nostri præcursores commissa velitatione captivum, qvi referebat; Gallis non constare, fœderatos tam prope toto cum exercitu adesse. Igitur Elector statim tribus machinis displosis hostem ad pugnam provocabat, hoc tacente; qvo sonitu audito Bornonvillius qverebatur; Electorem effecturum, ut manus cum hoste conserendæ sint; qvasi non eo fine in expeditionem eatur. Reversus mox Dœrflingius referebat; non deesse facultatem hostem commodis licet locis subsistentem invadendi, si elatior locus à fronte objacens ad dextram teneatur. Ibi enim machinis è latere montis hostium aciem transversis ictibus verberari posse, ut aciem circumagendi necessitas ipsis futura sit, ingentem confusionem datura. Consilio habito Elector proponebat, ut mons, cujus situs exploratus erat, occuparetur; ubi pugnæ conserendæ locus sit futurus. Id qvod Cæsarei duces non sine cavillis adspernabantur; causati, si eo procedatur, hostem ipsis præteritis in Alsatiam Inferiorem evasurum. Id qvod tamen fieri non poterat, qvod fœderati Dachsteinum & Mutzigam insedissent, ac hosti in eorum conspectu Preuscha fluvius filatim transeundus esset. Contra tendebat Dœrflingius, ac protestabatur, pulcram rei gerendæ occasionem frustra amitti, & cum nihil proficeret, è consilio iratus se proripiebat. Ac constabat, si ratio apud Cæsareos valuisset, hostem tunc penitus prorui potuisse. Sed hi sententiæ suæ pervicaces clamitabant, qvæ proponantur effici non posse, & seqventem diem expectandam; cum tamen nemo eorundem situm castrorum Gallicorum explorasset. Inter has disceptationes maxima diei parte elapsa Bornonvillius, ne nihil eo die actum videretur, contendebat, ut extemporaneæ munitiones excitarentur; Electore dissentiente, qvod is labor supervacuus foret, nostris hosti longe prævalentibus. Is tamen haut eo secius pervicit, ut linea ab arce, qvæ sinistro cornu objacebat, usqve ad montem, in qvo sinistrum cornu consistebat duceretur. Elector cum perspiceret, Cæsareos à pugna abhorrere, suos pabulatum dimittebat; qvi seqventi die post meridiem demum revertebant. Eo die subtribunus Sidovius, qvi extremam stationem in sinistro cornu cum ducentis eqvitibus obtinebat, hostem iter ingredi nuntiabat. Unde Elector Dœrflingium assumtis ducentis eqvitibus una cum statione certius ista explorare jussit. Qvi post horam reversus nuntiabat hostem motis castris iter ingressum. De qvo Elector proti-

8. Oct.

9. Oct.

Sidovius.

1674. protinus Bornonvillio significabat, ac ipse assumtis bis mille eqvitib9,totidem peditib9 hostem Marlheimum usqve seqvebatur. Et qvia hostis machinas per angustas ac confragosam viam misisse nuntiabatur, Gœrtzkius cum valida manu eodem ire jubetur. In abeuntem hostem Elector totum eqvitatum immittere ardebat, renitente Bornonvillio: se Turennii astutiam nosse, à qva cavendum sit, ne forte ex infidiis cladis qvid improviso inferat, unde tota vi congrediendum fore; Electore reponente; eam ipsam ob causam sese huc veniisse; qvi & cum eqvitatu in montem retro Marlheimum progrediebatur, unde hostis discedens eminus conspici poterat. Inter has tergiversationes iste multum viæ anteceperat, ac multis superatis angustiis in tutum evaserat. Bornonvillius Marchionem Bayrutensem cum qvindecim eqvitum catervis & Croatis Hagenoam tendere jusserat, vetitum tamen, ne manus cum hoste consereret: sed qvi omisso inani itinere ad Electorem accessit. Ita tunc Bornonvillii culpa hostis fœderatorum manib9 elapsus est. Placuit inde ad montem, cui Gockelsberg vocabulum, consistere; unde Elector Goltzium cum ter mille peditibus Wasselsheimum Argentoratensis ditionis arcem Turenniano milite infessam oppugnare jussit; qvi turribus per machinas dejectis post triduum Gallos ad deditionem compulit. Arci munitiones detractæ. Adferebant post nuntii, hostem castris iterum motis Hagenoam versus tendere. Igitur placuit Electori eodem tendere, & antecepto itinere eum ad prælium compellere. Sed cum aliqvandiu processum fuisset, is inveniebatur post Sarrum fluvium opportunis locis consistere. Ubi longius progredi cupientem Electorem Bornonvillius seqvi abnuebat. Ita exercitui aliqvot per dies ibi horæ ab hoste spatio metandum erat, nullo pane ac fœtentibus aqvis, unde multi milites morbis corripiebantur. Igitur retro Blesheimum itum, ubi fœderati iterum aliqvot per dies metati sunt. Exinde catervis emissis plurimum damni hosti illatum, pabulatione atqve annonæ subvectione intercluſa, ut eqvis stramine tectis detracto vivendum esset, ac numeri mortibus ac desertionibus valde imminuerentur. Aliqvi etiam trans montes in Lotharingiam, pars Sarbruccam ac Tabernas excurrebant, multis captivis in castra pertractis, Creqvii qvoqve supellectile intercepta. Tum & Lotharingici septingentos è Nobilitate Andegavensi apud Blamontium oppresserant. Ita Turennio vix XVIII M. militum supererant, qvi arma ferre possent, plurimis morbo decumbentibus, ac bis mille amplius per excursores captis aut cæsis. Heic post varias consultationes demum placuit, exercitui in qvatriduum de pane & pabulo prospicere, ac in hostem recta via ire, eumqve intra sua castra invadere. Enimvero Bornonvillius pridie ejus diei tubicinem ad hostem mittebat, obtentu captivorum permutandorum, dissvadente licet Electore, ac postulante, ut ea missio tantisper differatur, qvoad designata impressio peracta esset. Sed tantillam dilationem recusabat Bornonvillius; utut tali tempore facta missio non posset non suspecta esse, ac disciplinæ belli repugnaret. Ita hostis intellecto fœderatorum conatu pridie castris motis Pfaltzburgum versus trans montes in Lotharingiam abiit, fœderatorum catervis insequentibus, ac multos captivos intercipientibus. Augebat suspicionem, qvod etsi id Elector gravissima sub pœna interdixerat, semper dum castra moverentur, signum incenso aliqvo ædificio aut castrorum tuguriis daretur, ut etiam vulgus militum cavillaretur: Turennio jam constare fœderatos iter ingredi. Is Bornonvillius, cum omnes pugnandi occasiones eluderet, Cæsarea mandata excusabat, per qvæ vetitum sit aleam prælii tentare. Se tamen in consilio difficultates qvæ obstiterint movisse; sed semper declarasse, id se facturum, qvod Elector jussurus sit. Ast huc invitos canes venatum ducere haut placebat; nec cum isto pro imperio agere per mandata Cæsarea licebat. Nam Bornonvillius jussus qvidem erat Electori debitum honorem exhibere, tesseramqve ab ipso petere, ac qvæ per majorem suffragiorum partem in consilio bellico decernenda sint exseqvi. Qvæ mandata id absurdi habebant, qvod Bornonvillio id injungeretur facere, qvod alias debebat, si maxime summi imperii vocabulum in fœderatorum exercitus ipsi collarum fuisset. Nam tesseram dare alias Electori competebat, dignitate eminentiorem, & cujus copiæ reliqvis validiores erant. Negotia autem à numero suffragiorum suspendere, erat ultro ansam porrigere fructum expeditionis eludendi. Nam qvis ducum aleam tentare suo periculo svaderet; cum tamen in bello etiam summa cum circumspectione suscepris actionibus aleæ qvid subsit. Ita cum in præ- 9. Nov.
sens nulla facultas hosti ad prælium protrahendo esset, nil supererat, qvam militem per Alsatiam dispertiri, qvoad alia occasio rem gerendi nasceretur. Ac Cæsarei qvidem ab Ensisheimo Betfortum, Mumpelgardam & Basileam usqve, Electorales

1674. à Colmaria & vicinis locis Malmunsteram, Luneburgici à Sletstadio Argentoratum usqve hospitia capessebant; qvæ tamen jam antea à Cæsareis direpta fuerant, ut militi alendo haut diu suffectura forent. Qvi & dissolute admodum ibi agebant, sua alienaqve hospitia vastantes, frustra monente Electore, hoc modo fœderatorum progressus qvam maxime sufflaminari.

Ad Helvetios legatio. 13. Nov.

§. 48. Cum itaqve fœderati per Alsatiam hiberna capturi viderentur, placuit nomine Brandenburgici ac Palatini Electorum, ac Georgii Wilhelmi Ducis Luneburgici Thomam Knesebecium ad Helvetios mitti, ut præcipue Basileensibus caveret, ipsorum finibus nil molestiæ illatum iri. Tum significaret, fœderatis vicissim spem esse, amice eos acturos, ac neprimis Gallo nil indulturos, qvod in fraudem Imperii tendat. Apud universitatem Helvetiorum demonstraret, qvam hostiliter Germaniam Gallus habuerit, ac ad arma demum arripienda compulerit, qvibus nunc cis Rhenum prolatis in angustum eum redigere instituat. Et postqvam fœderatorum exercitus Helvetiorum finibus propinqvet, hos testari arma sua unice defensionem Imperii, ac nullius pacati fraudem spectare, ac ita omnia esse disposita, ut nemini qverendi causa sit futura. Cæsarem qvoqve & fœderatos confidere, Helvetios sibi pari amicitiæ cultura responsuros, nec hostib9 ipsorum apud se delectus permissuros; cum qvi jam apud Gallos stipendia faciant, revocaturos, nec ut arma contra Germaniam gerant concessuros. Helvetico corpori de sua libertate ac Imperii amicitia per pacem Germanicam cautum, qvam nunc Gallus everssum eat. Cogitarent sibi qvoqve evenire posse, qvod Germaniæ, qvod Hispaniæ Regi minorenni, qvod Lotharingo ditione exuto, Belgis, Trevirensi, ac Palatino evenit; nec aliud ipsis, qvam beneficium ordinis expectandum ab iis, qveis omnia in armis reponantur, nulla fidei cura. Confirmaret qvoqve Helvetiis, fœderatos nil aliud qværere, qvam bonam ac tutam pacem, in qva etiam ipsorum Reip. rationem habituri sint. Deniqve ut fœderatis forum præberent. Et qvia rumor erat, Gallum apud Helvetios qværere, ut hi Alsatiæ protectionem in se recipiant, id impedire conaretur: haut persvaderi fœderatis, Helvetios tam injusta Galli arma sublevaturos. Id tantum cogitarent, qvomodo hic Alsaticas in urbes grassatus sit. Tiguri seorsim Electoris nomine eam causam commendare jubebatur, favore è communibus sacris captato. Ast Knesebecium Basileenses exqvisito honore exceperunt. Araviæ ab universi corporis delegatis affatim verborum repositum. Qvi Gallicam militiam sequantur cives suos arma contra Germaniam haut gesturos; qvo nomine ad præfectos mandata à se missa. Lege medii status utriqve se parti forum præbitorus, etsi ipsis modica frumenti copia, qvod fere alibi emendum sit. A delectibus Gallicis omnes ultro abhorrere, eoqve istos tenues futuros. Liqvido tamen promittere nolebant, se eos interdicturos. Cæterum hac tempestate caute admodum sibi procedendum, ac inde fœdus perpetuum cum Gallo, hinc hæreditariam unionem cum Austriacis respiciendam. Suam mentem nunqvam fuisse, ut sui cives contra Germaniam, ejusvé membra adhibeantur. Nec id fœdere ipsorum contineri, velut in qvo Imperium utiqve sit exceptum; nec aliter se Gallo ad ferenda auxilia obligari, qvam si Gallus in suo Regno invadatur. Qvo nomine se jam ad Regem, & suos præfectos scripsisse. Apud Evangelicos Knesebecius separatim verba publice facere nolebat, declinandæ Catholicorum æmulationi, sed tantum scripto negotium suum iis commendabat. 1674. 7. Dec.

Turennius denuo in Germ.

§. 49. Interim rogante legato Hispanico Elector VI M militum de suo exercitu sub Augusto Holsatiæ Duce in Burgundiam mittere instituebat, cui Cæsareorum manus adjungenda erat; ubi multa millia Nobilium & agrestium in armis erant, qvi nostros magno cum desiderio expectabant, & Gallos qvacunqve poterant trucidabant. Sed cum Electorales jam Betfortum pervenissent, Cæsarei nuspiam comparebant. Enimvero prohibendæ isti irruptioni in Gallia sedulo opera dabatur. Itaqve cum fœderati in Belgio præmature in hiberna concessissent, Turennio decem millia è Condæano exercitu, & aliunde magnus numerus submissus fuit; qvi hisce copiis firmatus retro montes Lotharingiæ Betfortum tendebat, num forte fœderatos tota Alsatia dispersos opprimere posset. Sed Elector hoc intellecto Holsatiæ Ducem protinus Betforto retro vertere jubet: tum ut omnes legiones apud Colmariam conveniant imperatur. Mox cum Elector intelligeret, Turennium præterito Betforto recta Mulhusium Alsatiæ tendere, id propere Bornonvillio significavit; qvi inde summa cum confusione ex hospitiis movit, Principis Electoralis legionem, qvæ juxta tendebat, ad se evocare obstitus, an

ultro

1674. ultro negligens. Eo in receptu Galli sinistro cornu ingruebant, & qvia Cæsarei nullas excubias ad latus constituerant, nec exploratores dimiserant, ita propè Galli accedebant, ut isti Lotharingos adesse crederent. Ita qvingenti eqvites Galli transmisso flumine Cæsareos opprimunt, ac non modica edita cæde duodecim vexilla iis eripiunt. Supervenientes tamen Lotharingici strenue pugnam sumsere, ac Gallos solutis ordinibus retro pedem ferre coëgerunt, capto summo vigiliarum præfecto Montalbano. Dehinc Cæsarei ad Fanum Sanctæ Crucis sese receperunt; qvo Elector ipsis obviam processerat, inde Colmariam remeans, qvo Bornonvillius seqventi die secutus est. Postridie cum copiæ lustrarentur, super loco, ubi acies disponi deberet, dissidium obortum est. Elector enim volebat, ut ipse cum sinistro cornu ad paludem, Bornonvillius cum dextro cornu ad oppidulum consisteret, ubi hostis præterire non poterat; cui qvod valida mœnia haberet, aliqvot peditum centuriæ immitti poterant tegendo dextro cornu. Ast Bornonvillius id plane abnuere, sed, qvod semper solitus fuerat, exercitum post fluentum collocandum contendere, qvod à montibus descendens Colmariæ molendina impellit: ubi nec hosti accessus ad fœderatos, nec his ad hostem patebat. Id qvod & hic demum pervicit. Seqventi die Elector cum Bornonvillio circa dextrum cornu obeqvitans speculando locorum situi deprehendit, hostem inter montes & vineas per vallem toto cum exercitu Keisersbergam tendere. Igitur Schutzius supremus vigiliarum præfectus cum parte dimacharum & qvibusdam Luneburgicis excurrens, propius iter istud exploraturus, centum qvadraginta Gallos in cœmeterio qvodam deprehendit; qvod iste nullo suorum amisso irrumpens centum ibi Gallos concidit, reliqvis diffugientibus. Inde Fœderatos inter & Gallos per tres amplius horas acri certamine concursum, donec ingruens nox pugnantes dirimeret. Eo conflictu apud Gallos occubuere duo millia cum Fucano, & alio superiorum graduum præfecto; nongenti sauciari, qvos inter multi præfecti, prout captivi referebant. Fœderati non ultra trecentos desideravere, mortuos aut saucios, & è præfectis unum duntaxat centurionem. Tenebris obortis consultatione habita placuit Sletstadium retrocedere, ne hostis prævertens accessu pontis Argentoratensis fœderatos excluderet, aut apud Jamam intra agreste munimentum consideret, unde expelli non poterat, fœderatis nec porro, nec retro progredi valituris, ac fame perituris. Igitur decretum, impedimenta apud Colmariam trans Illum, inde hæc inter flumen & Rhenum Sletstadium præmittere, & hora noctis decima cum exercitu seqvi. Post horam septimam Elector mittebat, qvi inspiceret, num impedimenta jam Illum flumen transissent. Is referebat, pleramqve eorum partem nondum flumen superasse. Qvod Elector per Kussovium Bornonvillio significabat, addito; sibi placere, tamdiu in loco consistendum, qvoad impedimenta aliqvantum viæ præceperint, ne forte hostis eadem incurrere qveat. Ad qvæ hic: satius fore, una duntaxat hora ante lucem castra movere, qvod per tenebras facile confusionis qvid oriri soleat: ac se mansurum, qvoad ab Electore progredi jubeatur. Enimvero is Electoris jussa haut moratus decima vespertina hora iter ingrediebatur, relictis duabus Electoralibus phalangibus nullo mandato, qvid agendum foret, simul abductis Luneburgicis copiis, Electori haut qvidqvam significatione facta; tum qvantum eqvi hominesqve valebant, iter accelerare. Prima post mediam noctem hora Georgius Wilhelmus Dux ad Electorem igni adsidentem adeqvitans referebat; se Bornonvillium qvæsiviſſe, sed non invenisse, nec qvid ejus copiarum præter duas Electoris phalanges, qvæ adhuc ibi consistant. Id qvod non parum sinistræ suspicionis excitabat. Igitur missus, qvi duas illas phalanges arcesseret; qvæ cum post horam incolumes advenissent, Elector hora secunda, ante qvatuor jam horas profecto Bornonvillio, justo ordine nulla trepidatione iter ingressus est, eqvitatus agmine inhibito, qvando machinis & peditatui angustiæ viarum transeundæ erant. Cum peditatus in Jamensem campum pervenisset, is in aciem explicabatur. Sed Bornonvillius jam trium inde horarum itinere apud Sletstadium tuto loco consistebat, uti adparebat, solum Electorem hosti objecturus. Cæterum antea decretum fuerat in Alsatia hibernare; sed prævalente jam Turennio, & parca ibi annona, simul qvia Electori ad sua tutanda accurrendum erat, Rhenum iterum transire necessum fuit. Ac tantus jam metus Cæsareos invaserat, ut iis confidi non amplius posset; tum Bornonvillius talia animi sui specimina ediderat, ut ejus societatem Elector dudum detestaretur.

Comm Argentoratenſi Praſule expoſtulatio.

§. 90. Dum in Alsatia consistunt fœderati, vinum & frumentum Francisci Furstenbergii Præsulis Argentoratensis qvod in urbe

1674. in urbe asservabatur, ut sibi traderetur exegerant. Ea super re Præsul per literas apud Electorem qverebatur; ac qvod Cæsar legato suo Ratisponæ Senatu interdixisset, simul advocato fisci injunxisset actionem sibi intentare, qvod insuper habitis avocatoriis Lutetiæ agat, cum nullibi tutus sibi receptus pateat. Cui Elector respon-
11. Dec. dit: mirum sibi videri, ab ipso violentum factum, & inauditum, ac nemini probandum agendi modum vocari, si paullum annonæ capiatur in usum eorum, qvi pro patria pugnant. Optandum fuisse ut patriæ qvies perstitisset, nec Cæsari, sibi, aliisqve Ordinibus tantum damni illatum fuisset. Tunc enim tot millia fortissimorum virorum, qvi hoc bello perierunt, & qvorum sangvis divinam Nemesin inclamat, superessent; nec pulcerrimæ provinciæ ac urbes cineribus suis sepultæ jacerent. Qvid Præsul circa hæc consiliorum agitarit, ipsimet optime constare. Divino Numini ista omnia notissima esse; qvod uti sancta sua judicia jam exercere cœperit; ita non dubium esse, qvin eadem in illustre orbis documentum deinceps qvoqve expromturum sit: id qvod tot animarum myriades ardentibus precibus ipsum qvotidie exposcant.

§. 51. Porro uti Electorem in Alsatia Bornonvillii scæva consilia pessime habuerant: ita non minores qverimonias Arausionensis super Suchio Cæsarei exercitus duce movebat; qvi in causa erat, ut pro tanta copiarum mole fat modicum operæ pretium, ea æstate in Belgio contra Gallos fieret. Nisi qvod ingens in expugnata Gravia momentum fuit, qvo maximam machinarum vim è Belgicis urbibus Galli convexerant: in cujus oppugnatione ab Electore submissæ legiones strenue admodum rem gesserunt. Sane de ejus anni expeditione Viennæ maximam spem conceperant, velut fœderati mense Augusto mediam in Galliã sint penetraturi. Sed Suchio non deerant artes, qvibus efficiebat, ut nil fieret, semper in diversum tendendo ab iis, qvæ Arausionensis ac reliqvi fœderati cupiebant. Inter alia Suchius iste susceptum à fœderatis Audenardæ obsidium fœda cum trepidatione solvebat accedente Condæo, cujus exercitum fœderati decem millibus excedebant. Eqvidem consilio habito decretum fuerat Condæum ad subveniendum oppido propius moventem aggredi. Sed cum placita exsecutioni danda forent, Suchius intempestive admodum sententiam mutaverat. Qvi & alias semper Monteregio discors agebat; nec Arausionensis dissimulabat, istum Gallo studere, ac nolle se qvid cum isto negotii habere. Sane graves istum suspiciones onerabant. Confessionarium ejusdem, velut tutissimum proditionis instrumentum, cum Gallis secreta commercia exercere constans rumor erat. Cum exercitus fœderatorum apud Caroloregium metaretur, aliqvot ante dies, qvam pugna conseretur, Gallicus monachus Capucinus, Navalienli Duci a confessionibus, qvi exploratum venerat intereeptus, ac Suchio traditus fuerat; qvem hic pridie prælii ad Seneffam nescius aliis fœderatorum ducibus ad Gallos dimiserat. Ejusdem apud Seneffam acta Montecuculus valde improbabat. Debuisse majore cum circumspectione iter facere, ac plus eqvitum è latere collocare. Arausionensi per qvinqve horas cum Gallis pugnandum fuerat, anteqvam Cæsarei subvenirent. Ac ni Pii legio idoneo loco constitisset, totus Belgarum exercitus concidendus videbatur. Nisi qvoq; Montecuculi legio eqvestris forte fortuna apud machinas incessisset, hæ qvoqve à Belgis abripienda fuerant. Idem in Audenardæ obsidio impedimenta, machinas, ac pulverem pyrium addito præsidio octingentorum eqvitum, ac duarum legionum pedestrium præmiserat, ipse reliqvo cum exercitu Gandavum subsecutus; cum decem machinas majoris formæ ab Arausionensi commodatas ibi reliqvisset, ne statione qvidem addita, nec monito Principe, ut eas abduci curaret; etsi istæ adhuc servarentur. Isto ab Audenarda discessu non solum fœderatorum in Belgio res corrumpebantur; sed & Condæo occasio dabatur multa millia ad sublevandum Turennium mittendi rebus fœderatorum in Alsatia qvoqve prorsendis. Cum tamen isto anno tantæ à fœderatis copiæ in expeditionem eductæ fuissent, ut si discrepantia aut infida consilia abfuissent, ad Lutetiæ portas arma proferri potuisse viderentur. Qvi mollius ista interpretabantur, senium viri excusabant, suum semper ingenium seqvi pervicacis, & cui nunc non cum Arausionensi solum & Hispanis, sed & propriis præfectis convenire haut poterat. Sed pleriqve & hunc & Bornonvillium pravis Lobcovicii consiliis credebant implicitum, qvi secretis istos mandatis instruxerit, ut egregia tunc Cæsaris contra Gallos destinata eluderent. Sane Suchius ob rem male gestam in prædia sua in Moraviam secedere jubebatur; offensa qvoqve in Bornonvillium declarata, sub cujus ductu se non amplius militaturos Caprara ac Duneyvaldius declararant. Ac

In Belgio Suchius male rem gerit.
14. Sept.

mitte-

1674. mittebatur Hofkirchius, ut contra hunc inqvireret; qvare cum de hostis ádventu ante undecim dies intellexisset, ab exercitu discesserit, obtentu colloqvii cum Electore, qvod per alium obiri potuerit; qvodqve legiones non propius contraxerit, ut protinus hoste ingruente paratæ esse possent: & cur tributa non ita disposuerit, ut exercitus aliqvandiu in Alsatia subsistere potuerit. *Lobcovicius aulæ Cæsaris denovetur.* Lobcovicius autem tunc omnibus suis muneribus exutus in Bohemiam in sua prædia relegabatur. Ejus secretarius Italus primum in custodiam datus fuerat. *1.08.* Sed cum Lobcovicius haut eo minus functionem suam exerceret, decreto tradito ab omnibus muneribus suspensus Vienna facessere jussus est. In ejus viri externo actu aliqvid erat ab insania parum abiens. Id unicum ipsi negotium datum videbatur, ut omnium Principum Viennæ legatis persvadere niteretur, non esse, qvod qvis in Cæsare fiduciæ qvid reponat. Eum nec posse nec velle qvid ad rem facere; nec talia canere desinebat eo ipso tempore, cum Cæsar jam Egram ad exercitum proficisci decrevisset. Qvo ipso impedire studebat, ne Cæsar ullos amicos sibi adjungere posset, eoqve ad bellum gerendum inhabilis redderetur. Aliqvando periculum à Turca exaggerabat. Aliqvando jactabat; qvid Hispanis & Hollandis fiat, nauci habendum, ac in eorum gratiam à Cæsare ne unicum qvidem eqvum insternendum. Idem hujus consiliis omni modo ac indesinenter reluctabatur eo ipso tempore, cum Cæsar per literas & missis legatis de instituto suo omnibus confirmaret. Nec ipse inficiabatur, consiliis Hispanorum se obstitisse, qvi Cæsarem bello contra Gallum implicare volebant. Qvæ & Aurspergii antea artes fuerant; qvi effecerat, ut Cæsar anno 1667 otiose spectaret, à Gallo tantam Belgii partem abripi. Credebatur qvoqve Gremonvillio, ac Hermano Furstenbergio, subinde per occultas notas scripsisse; & qvia Cæsari spes prolis masculæ tunc non erat, de Imperio in Gallum aut Bavarum transferendo agitasse. Sane tanta tunc Viennæ erat secretorum proditio, ut Montecuculus superiore anno Cæsari scriberet: satius fore, ut cursores non ad se, sed recta Lutetiam tendant. Eum ruentem nemo miseratione, pleriqve lætitia proseqvebantur, qvod neminem non ex mera animi petulantia insultare solitus esset, asperæ dicacitati sine modo indulgens.

Suspiciones ob religionem. §. 52. Forte & sacrorum respectus, nimis qvam validus apud eas aulas, ubi sacerdotibus circa consilia Reip. satagere permittitur, in causa fuit, ut Electoris progressus ultro sustlaminarentur. Sane Hermannus Furstenbergius, penes qvem tunc summa consiliorum in aula Bavarica erat, apud ministrum Cæsareum Monachii multis declamaverat, qvam periculosum id Cæsari ac Romanis ritibus sit, hujus arma Electoris in manus tradi, potentia mox ipsum Cæsarem exsuperaturo; qvam facile libido subitura sit Catholicos Ordines premendi, ac plures prælatus in domum suam pertrahendi. Id certe haut obscure ex eodem fonte promanabat, qvod tunc Cæsarei cum Monasterienli Præsule super exercitu XXXII M constante conscribendo agitabant, cujus duas tertias partes Cæsar sustentaturus erat, Westphalico qvoqve Circulo ipsius hospitiis assignato; cum tamen ejus Præsulis acta hucusqve erga Cæsarem & patriam tantum favoris aut fidei haut qvidqvam meruissent. Unde Elector ea re intellecta graviter apud Cæsarem qverebatur; fœderi haut congruere, qvæ communes rationes spectant ab uno fœderatorum seorsim suscipi, & usqve ad conclusionem perfici. A Cæsare ad arma, qvæ ipse pro Rep. pararit, ne teruncium qvidem collatum, ac Goëtium, qvando ipse cum Hispanis & Belgis super re pecuniaria agebat, eam plane a se rejecisse, velut qvæ Cæsarem non spectet. Et nunc istius Præsulis copias tanto numero alendas suscipi. Eqvidem se alienæ liberalitati legem dicere non posse; tamen qvod tam dispari modo secum & cum Præsule agatur haut insuper habendum. Cæterum qvia Præsulis delectus paci Clivicæ repugnent, cujus sponsor Cæsar sit, qvos & ipse ac vicini tolerare nullo modo poterant, Crocovius contra istos protestationem jubebatur interponere; nec minus qvod Westphalicus Circulus ejusdem hospitiis assignetur, qvo ipse aliiqve ejus Circuli Ordines Præsulis tributarii reddantur, ejus periculosæ libidini deinceps obnoxii acturi. Qvod qvidem ipse nunqvam sit toleraturus, sed una cum aliis idonea remedia adhibiturus. Nec Cæsarem tunc vitio sibi daturum, si eo casu ab ipsius exercitu se disjungat, ac qvæ è sua re videantur suscipiat. Sane qvi superstitione sua fascinati talia Cæsari suggerant, non nisi dissidia parere apta, maligne admodum hujus rationibus consulere, ac Reip. gravissimam noxam inferre. Ac si de milite agatur, se atqve Luneburgicos ejus affatim curaturos. Nec minus indignationis Daniæ Rex, Belgæ, ac Luneburgici Duces ostendebant. Ast Paulus Hocherus, cum Crocovius ista moveret, o-

Favor Aulæ Cæsareæ in Monasterienſem Præſulem.

1674.

1674. mnia inficiabatur, nisi qvod Præsul copias suas ad X M supplere velit; nec hunc unqvam plures copias obtulisse. Cæsarem qvoqve nunqvam isti fidem habiturum. Revera tamen ista agitata fuerant, ac Pontifex ad eos delectus pecuniam suppeditaturus erat. Sed Cæsarei jam hæsitare videbantur, postqvam fœderati tam acriter sese opponere cœpissent. Cæterum Catholicis suspicio injecta erat, qvod omnes Cæsaris fœderati Protestantes essent; unde adscito Monasteriensi eorum vires librandas. Nec obscure id agebatur, ut si Sveci Bremensi ac Verdensi ditione exuerentur, ea non Protestantium cuipiam, sed Catholico adcrescerent. Unde Monasteriensis armabatur, ut si Sveci in bellum erumperent, hic istis locis rem gereret, Luneburgicis interim ad Rhenum subsistentibus. Id qvoqve machinabantur, ut Monasteriensis miles præsidio urbi Bremensi immitteretur. Ac dicebatur Cæsar eo redhostimento veniam Pontificis redemisse, qvod Gallum Romanos ritus Belgio restituere agitantem impediisset, ut Bremensis ac Verdensis Præsulatus sub ditionem Ecclesiæ Romanæ retraheretur. Super eodem negotio Elector ad Araustionensem referri jusserat. Qvi respondebat: eadem sibi in mentem venisse, qvando Vienna de eo intellexisset; qvod è prioribus Præsulis actis de lubrica ejusdem fide satis constet. Postqvam tamen de Svecorum motibus cognoverit, se judicasse; haut absre fore, eum Præsulem & alios, qvi Svecorum partibus accedere qveant, hac tempestate in bonas partes pertrahi. Et qvia Cæsar per Camprichtum, qvæ Viennæ super iis delectibus agitata sint, excusaverit, ac petierit, ut ei permittatur bina eqvitum, ac peditum millia conscribere, qveis contra Svecos, ubi se moturi sint, in Bremensi provincia rem gesturus sit, id non abrupte repudiandum videri; præsertim cum iste sat animorum contra Svecos ostenderit. Accurate tamen eundem observatum iri, ne in transversum abire qveat.

D. Dec.

§. 53. Enimvero dum Elector ad Rhenum Gallos urget, hi à tergo hostem ei immittere satagebant, ut ad sua tutanda retraheretur, vel qvantumvis invitus ipsorum partibus accedere, aut saltem otiosus patriæ calamitatem spectare cogeretur. Atqve ista cum antea clam agitata fuissent, qvando intra adparatum adhuc res subsistebat; postqvam in expeditionem prodiisset Elector, Galli jam aperte Svecos fructum præbitæ à se pecuniæ exposcere cœperunt. Holmiæ Brandius nondum legatum Gallicum salutaverat; sed cum Elector jussisset humanitatis officia ultro haut abrumpere, eidem visitationem suam obtulit; qvi & ei admittendæ diem condixit. Sed eo ipso die Gallus Brandio significavit, se heri à Rege suo literas accepisse, ut acriter contra Electorem heic agat. Unde publicæ civilitati non amplius locum fore: in tertio autem loco se libenter cum ipso locuturum. Idem mox palam in Electorem invehi, ac publice privatimqve grandi pecuniæ summa Svecorum arma licitari. Tum solennem audientiam eadem pompa, atqve primo accessu, petere, qvam & demum obtinuit, utut demonstratur eum strepitum omnium animos adversurum. Nec satis adparebat causæ, qvare tanto cum adparatu res geri deberet; idqve à Magno Gardio suggestum opinio erat. Porro Feuqvierius isthunc sermonem acerbis atqve aculeatis verbis ac sententiis refertum evolvebat. *Non dubitare se*, inqviens, *qvin Rex justitiæ amantissimus, animoqve generosius cum indignatione perceperit, à Domino Electore Brandenburgico pacem denuo violatam; eiqve memoria excidisse, qvod superiore anno in pari casu succubuerit, ni Svecia Rex eum servasset, cujus respectu eum lucrosam pacem obtinuisse. Ex eo tempore Gallia Regem haut desisse eundem beneficiis obstringere, magno numero munitorum locorum tradito, qvæ ipsius consensu ad finem usqve belli retinere poterat. Ac ut magis demonstraret, qvantum fiducia in ejus amicitia collocaret, arbitrum ipsum capere voluisse controversiarum, qvæ sibi cum Palatino surrexerint. Haut eo secius Electorem nulla causa, ne probabili qvidem pretexto in favorem hostium Galliæ arma cepisse; pecuniam ab Hispanis & Belgis accepisse; hisce copias concessisse: ipsum jam cum exercitu in expeditionem prodire firmandis partibus, qvæ aperte profitentur se pacem nolle. Idem qvoqve esse argumentum literarum, qvas nomine Regis sui jam offerat. Et hanc causam esse, qvare nomine Regis promtum auxilium adversus istum exposcat. Id auxilium duplici nomine à suo Rege expectari, & qvia arcto amicitiæ nexu Svecia jungatur, & ob fœdus, cujus casus jam extet. Satis qvoque Svecia constare, qvid ipsi expectandum sit à vicino sat potente, & cujus ambitionem nullius justitia ac beneficiorum respectus compescere valeat. Qvi eodem tempore, qvo Svecia Regi promittebat, se nisi de compacto cum hoc qvidqvam susceperum, ejusqve ministro per formulas conventionis super servando neutro statu illudebat, qvam maxime circa parturienda perniciosa destinata sategerit, qvæ nunc in lu-*

1674. 15. Aug. 17. Aug.

Feuqverii in Electorem declamatio.

Galli Svecos in Electorem excitant.

1674. *in lucem erumpant. Equidem eum Principem Galliæ nil erepturum. Sed dum Galliam districtam tenet, in proclivi fore captatam semper occasionem inveniret in Sveciam qvid tentandi. Ast ea destinata ut abortiant, Svecis facile fore efficere, si omni mora abrupta cum exercitu istum invadant. Sibi à Rege suo injunctum confirmare, se Svecia & hoc in negotio, & in aliis omnibus omnem opem laturum, qvam à fidofœderato ac summo amico expectare par sit. Sane Sveciam complura specimina cepisse, Galliæ Regi solitum sua promissa ipso opere superare.* Feuqvierio publice Regis nomine responsum: Sibi hucusqve cordi fuisse pacem promovere; idem deinceps qvoqve pari studio acturum. Sed qvia proposita maximi sint momenti, delegandos, qvi cum ipso negotium discutiant; inde se amplius deliberaturum. Contra Brandius seqventi die scripto concepta exhibebat, qvæ antea sermone exposuerat; qvo prolixe deducebat rationes, qvæ Electorem permoverint ad id consilium capessendum, & ad renovanda cum Cæsare ac Belgis fœdera, qvibus & Hispani adjungendi fuerint, arcta cum istis societate nexi. Tum Electorem in Regis Sveciæ amicitia atqve fide tantum fiduciæ collocasse, ut discedens provinciarum suarum tutelam huic potissimum commendarit. Addebantur hortatus, ut Rex ratam partem ad copias Imperii publicas mittat, si non numero, saltem autoritate Regii nominis magnum pondus habituram; prout & Wangelinus confirmarit, Regem decreto Imperii sese haut subtracturum.

19. Aug.

De Galli oratione judicium.

§. 54. Ast Holmiæ vix constabat, qvid causæ subesset, qvod Feuqvierius tanto cum strepitu rem adversus Electorem agere cœpisset, cum mota à Cæsare & Hispano arma fere silentio transiissent. Alii suspicabantur, postqvam stricta eo nomine mandata à Rege accepisset, ut fervido erat ingenio, primo impetu ad solenne alloqvium petendum cucurrisse; qvo semel impetrato pedem referre non potuisse. Alii credebant, eum homines militares Regi semper circumfusos ea oratione voluisse inflammare, qvibuscum alias nulla ipsi negotiandi facultas erat. Alii opinabantur, Gallo rem in angustum redire, ac majori cum exercitu Electorem movere, qvam Feuqvierius agnoverit, qvi tantum de X M dixerit; qvod ejus sermo aliqvid anxii præ se tulisse videretur. Sed major pars judicabat, qvia is hucusqve semper auxilium Regis frustra expetierit, hoc alloqvio innuere voluisse, hæc extrema petita fore, nec se ulterius qvidqvam moturum, si nunc nihil obtineat. Ast Biœrncloviani credebant, inconsultum huncce impetum à Gardio inditum, qvi & ipsam orationem concinnarit, cujus multas sententias è sermone secum habito Brandius recognoscebat. Qvicqvid ejus esset, sane cordati omnes censebant, Gallum admodum à decoro discessisse, ac Electori non parum dignationis addidisse, auxilio tam anxie contra eum excito. Qvo minus autem Brandius publica oratione Gallo legato occurreret, ratio erat, qvod istius sermo revera Electori gloriæ cederet; ac multi sibi repugnantia dicentem irriderent, qvod negasset Electorem Gallo nocere posse, cum tantopere circa expetenda adversus hunc auxilia trepidaret. Qvia etiam manifestum erat, Svecos, ut pecuniam Gallicam nulla vicissim opera præstita elicerent, isti omnia indulgere; metus erat, ne huic magis devinciendo rationes corraderentur, qvare Brandius alloqvio supersedere debeat. Saltem auditorio minime omnium benevolo usurus erat. Ac id obliqve dissvadebat Joannes Gyldenstierna, oblenso, idem efficaciæ scripto fore; ac Regem vinania cerimoniarum aversari. Diversam qvoqve & minus splendidam pompam circa ipsum velut inferiore charactere imperitis similtræ qvid opinionis injecturum. Multos qvoqve, qvi vel Gallica non intellexerant, vel orantem non audierant, ignorare qvid dixerit; qvi id demum ex opposita oratione Teutonica percepturi sint. Ne tamen Brandius nihil ageret, per Hispanicum & Belgicum legatum Gardio & aliis insinuari curabat; si Sveci Electorem directe aut obliqve invadant, suos Principes istis Oresundam cum XL. navibus bellicis occlusuros. Ac ita acriter locutus fuerat Nunnetius ablegatus Hispanicus, ut Gardius fateretur, se nescivisse, qvid ei respondendum foret. Belgicus qvoqve minister Schapius Gallo se opponere conatus fuerat, sed langvide admodum, ac nullis nervis, qvem & ingenio *oviculam*, qvam nomine præferebat, exprimere cavillabantur. Sane qvando Hispanus ac Brandius diu ipsi verbis præverant, qvid loqvendum ipsi esset, post aliqvot horas reversus interrogabat, qvis eorum dictis sensus fuerit?

Nunnetz.

Schaep.

Svecorum in Gallos inclinatio magis elucescit.

§. 55. Cæterum indies magis erumpebat Svecorum in Gallos studium, ac ipsi Biœrncloviani fatebantur, nil amplius blanditiis, precibus, atqve officiis effici, ni metus adsit; ac sibi potissimam nunc rationem contra Gardium superesse occlusionem

1674. 1. Sept. nem Oresundæ, & commerciorum interceptionem. Allato nuntio de prælio ad Seneffam, Gardiana factio plus gaudii, qvam ipse legatus Gallicus ostendebat, ac fœderatorum damnum in majus extollebat, idqve festinanter disseminabat. Contra adversa factio dolebat, fœderatos ita improviso à debiliore se hoste invadi passos; etsi Arausionensis summa constantia rem sustinuisset, ut jactura militum utrinqve par fere haberetur. Agnoscebant rei militaris periti, fœderatos Gondæi castra nimis contemtim habuisse, qvæ ita è propinqvo agmine in immensam longitudinē extenso præterierint; cum alias etiam ad oppidum modico præsidio insessum cum impedimentis ita prope accedi non soleat. Ast Elector cum de Feuqvierii propositione intelligeret, Brandio injungebat publico apud Regem alloqvio eam refutare, ostensa genuina rerum serie; tum Regis auxilium ex fœdere poscere, si ipse à Gallo invadatur. Simul ut inqviret, qvodnam fœdus id sit, ex qvo Gallus contra ipsum auxilium expōscat; de qvo Wangelinus constare sibi neget. Nam persistente antiqviore tūo fœdere, Svecum utiqve obligare se non potuisse ad auxilia contra ipsum ferenda. Falso qvoqve à Feuqvierio proditum de formulis super neutro statu conceptis. Absurdum itidem esse, hac expeditione à se occasionem qværi contra Sveciam qvid tentandi, cum suæ copiæ in diversissimam à Svecorum finibus partem abducantur. Ast privatim apud Regem reqvireret, ut Feuqvierio demonstretur, omnium Principum interesse, ut etiam inter hostilia debito cum honore à ministris de iis verba fiant. In qvam publici decoris legem iste impegerit. Atqve idem Feuqvierio per tertium insinuaret; præsertim cum Galliæ Rex semper cum honore sui mentionem fieri velit. Interim Svecicos inter delegatos & Gallum super modo pecuniæ acriter disceptabatur, hoc negante ad plus se teneri, qvam postremo fœdere in casum medii status promissum fuerat, qvod Sveci nil operæ Gallis præstitissent, qvo casu tantum CCCC M uncialium debeantur. Contra Sveci numerum militis sui in Germania in majus extollere, qvi revera in usum Galliæ cesserit; eoqve per fœdus DC M sibi habenda. Nam instante Gallo legiones in Germaniam trajectas magnis cum impensis, pari molestia. Ac suspicionem, qvæ in Germania & alibi per eas excitata sit, non minus utilitatis Galliæ præstitisse, ac si ferrum strinxerint. Qvin si eædem diutius ibi hæreant, in proclivi fore citra pugnam futuro anno Electorem Cæsari ac Belgis avellere. Et cum intellectum fuisset, Electorem iter per Eichsfeldiam sumsisse, declinatis Hanoverani terris, Sveci apud Feuqvierium gloriabantur; Electorem Hanoverani copias haut curaturum fuisse, ni Svecicas legiones respexisset, ac ni sciviſſet, qvid mandatorum Helmfeldius ad eum Ducem missus haberet. Ac Gallo cumprimis utile, Electoris exercitum tanta viarum ambage defatigatum, nec justo tempore cum aliis fœderatorum copiis jungi, ac Rhenum transire potuisse. Qvo loco haut abs re fuerit inserere, qvid tunc cum Joanne Friderico Hanoverano Duce actum fuerit, ut qvo candore aula Svecica erga hunc & Feuqvierium usa sit, eo liqvidius judicari posset. Cum, Electore se movente, Dux Regi Sveciæ significasset, se istius transitum vi prohibiturum, in eam rem expēdito à Rege per nuperum fœdus auxilio; idem Dux Feuqvierio ne gotium suum per literas commendabat. Feuqvierius, qvi credebat, hac occasione Svecicas & Hanoveranas copias ad rem manu gerendam induci posse, enixe auxilium à Duce reqvisitum urgebat. Cui responsum: etsi in Pomerania & Bremensi provincia hærentes copiæ tam validæ nondum sint, ut Rex absqve periculo cum illis tanti momenti negotium suscipere qveat; protinus tamen mandata Helmfeldio transmissum iri, ut Hanoverano adsistat; ac legiones in Germaniam destinatas propere navigia conscensuras. Ac revera duæ eqvestres legiones trajiciebantur, etsi de longe pluribus promissum foret. Sed clam Helmfeldius jussus erat dicere; sibi qvidem de sociandis cum Hanoverano copiis injunctum; sed emergere qvasdam difficultates super earum itinere, circa qvas novis sibi mandatis à Rege opus sit. Feuqvierius, qvem secreta hæc mandata latebant, sed qvi alias nonnihil suspicionis conceperat, certos homines ad lota, ubi copiæ lustrandæ, ac navibus imponendæ erant, mittebat, ut qvid ageretur liqvido cognosceret. Sed missi semper à lustratoribus ita vino obruebantur, ut duplex sese eqvitum numerus ostenderet. Unde cum isti longe ampliora veris retulissent, legatus, qvi nunc ingens operæ pretium pro Gallo futurum crediderat, tanta impatientia ejus rei successum videndi corripiebatur, ut cum ventus tres per septimanas adversus reflasset, is in portu homines haberet, qvi subinde de vento nuntiarent. Qvin ipse vel decies inter prandendum surgens ad fenestram procurrebat vento inspiciendo. Interim & Hanoveranus Dux Feuqvierio os sublinebat, signifi-

Electoris de Galli sermone judicium. 8. Sept.

Gallicum Svecis cauponatio. 9. Sept.

Hanoverani consilia.

1674.

1674. significato, qvid ad Daniæ Regem de prohibendo Electoris transitu retulerit; qvid Electori transitum postulanti responderit, ac uti hunc adhortatus fuerit expeditione supersedere, ne bellum per Germaniam latius diffunderetur. Ac Gardius semper Feuqvierio confirmabat, Hanoverani ope Svecos & Electorem committendos. Et jam militarium hominum immensa lætitia eminebat, velut orituro bello in Germania ad prioris instar familicos ditaturo. Sed cum mox nuntiaretur, Electorem Hanoverani ditionem haut tetigisse, Feuqvierius id ægre ferre, ac diffidentiam non obscure apricari, pecuniis per minutas summas dispensatis, & ut accurate nosse vellet, qvos in usus illæ impenderentur.

Responsum ad Electoris literas differtur.

§. 56. Inter hæc Brandius sæpius licet instans ad Electoris literas, & suam propositionem responsi nil extundere poterat. Qvanqvam Gardius subinde non adeo infesta differeret, inter alia Jonæ Julo legato Danico dicens: Electorem qvidem novissimum cum Svecia fœdus parum præoculis habuisse, ac facere, qvæ pacem magis sufflaminent, qvam promoveant. Cum Svecis tamen amice ac decore egisse; ac Regi per consiliarium intimum de suis destinatis significasse, eaqve adductis rationibus eidem adprobare studuisse; simul isti ditiones suas commendasse. Cum contra Luneburgicus legationem in Sveciam, qvam Elector svaserit, velut supervacuam adspernatus sit. Sed cum Brandius liqvidum responsum urgeret, præsertim qvia Feuqvierius jactabat, se optato responso ad propositа à se potitum, Gardius priores exprobrationes repetere: Electorem fœderi cum Svecia non satisfecisse, dum de fœderibus cum Cæsare ac Belgis qvidem significarit, non tamen prius cum Rege consultarit, num ista amplecti consultum sit; ac ulterius qvam Electori Romani Imperii par fuerit, Cæsari, Hispano ac Belgis sese innexuisse: partes, qvæ à pace abhorrebant, confirmasse; in eum statum se conjecisse, ut cum Svecia super pace non amplius communicare integrum fuerit: expeditionem non in Germaniæ duntaxat, sed & exterorum usum suscepisse: uno verbo, per egregias copias, ad qvas alias Rex circa instaurandam pacem præcipue respexerat, spem qvietis in Germania ita confudisse, ut Regi fere non constet, qvid consilii capiendum sit. Nam inde Gallum fervide auxilium contra Electorem exposcere, qvod casus fœderis jam exter; hinc Electorem amicas & cordatas literas scribere, ac Brandium contendere, fœdus adhuc sartum rectum perstare. Propediem tamen responsum secuturum. Addebantur qverelæ, qvod Elector dixerit; si de suis destinatis ipsi communicasset, Verjum id protinus fuisse resciturum. Unde colligi, etsi Elector de fœderibus suis cum Cæsare Hispano ac Belgis huc denuntiarit; eundem tamen fateri, se cum Rege super istis prius non consultasse, ne Gallus id resciscceret. Unde Electorem duobus verbis refutasse, qvod Brandius scripto suo assertum iverit. Ad qvæ Brandius: Sufficere, qvod Wangelino summa rei fuerit indicata, & qvod Elector cum supra dictis fœdus inire velit. De modo rem exsequendi facile istum conjicere potuisse. Wangelino ideo singularia qvævis pandi haut consultum visum, qvod, si una die aliqvid ipsi nomine Electoris proponeretur Gallo displicens, altera idem de compacto una cum Verjo isthoc oppugnatum veniret. Unde salva ratione exigi haut potuisse, ut omnia cum ablegato communicarentur in loco, ubi Gallicus minister aderat, qvi ista in usus suos convertere studeat: sed sufficere, ipsi Regi consiliorum rationes fuisse expositas. Sed & sæpe Wangelino ingestum; Electori necessitatem incumbere Imperio adsistendi, nec eum Galli grassationes ulterius otiosum spectare posse; super qvibus & qvid Regi videatur qvæsitum fuerit, isto semper defectum mandati excusante. Cæterum verba articuli separati in fœdere, *ita tamen, ut consiliis qvæ fovet, cum alterutro fœderato* &c. non eo usqve porrigenda, ut uterqve fœderatorum eam ob communicationem & consultationem opportunitates temporum, suiqve status primarias rationes negligere debeat. Sed & tanta Wangelini cum Verjo familiaritate talia cum isto communicare haut tutum fuisse eo tempore, qvando is de compacto cum Electore fœderi Gallico innectere nitebatur. Nam si Gallo vel minimum de isto negotio innotuisset, Westphalicas istius provincias tunc maximum periculum incurrisse. Sed non minus Svecos à tempore initi cum Electore fœderis in Germania, Gallia, Anglia tractatus agitasse, nulla cum hoc consultatione prius inita. Wangelino qvoq; sæpius dictum, Electorem non solum ratam partem ad copias Imperii missurum, sed & eundem otiosum desidere non posse. Atqvi de omnibus Imperii Ordinibus, qvi præter ratam partem nil conferunt, dici eos qviescere, ac otiosos belli spectatores agere. Ad qvæ Gardius nil nisi humeros trahere. Idem mox addebat; Wangelinum ideo avocatum, qvod Elector cum

1674. Gallo nimium favere credat, ac ne forte huic secreta prodere arguatur. Nec cum eo super pace qvid consilii amplius conferri potuisse; qvod Elector sui juris non sit, velut cujus exercitus fœderatis sacramentum dixerit, ipsiqve adeo ex horum placito omnia agenda sint, nec pro pace operæ qvid navare possit, qvod fœderatos ab ea abhorrere constet. Ista cum Brandius inficiaretur, aut interpretaretur, Gardius reponebat: Regem qvidem cum Electore libenter amicitiam servaturum; sed de pace non amplius consilia cum eo conferre posse, qvod id Gallo suspectum sit futurum, & fœderati pacem nolint. Cum Brandius de immanibus Gallorum grassationibus qvereretur, Gardius respondebat; Gallum multa, justitiæ ac rationibus status repugnantia omittere debuisse. Sed Sveciæ vel sumtis armis prohibendum esse, ne Gallia pessum eat. Eam jam satis in angustum redactam, cum satis habeat vim propulsare: & qvod universa Nobilitas ad arma vocetur, indicio esse de summa rerum agi. Fœderatos contra probe paratos, divites, validos, ac eorum fœdera ac destinata longius tendere. Si Gallus nimium prematur; Svecorum res in Germania, labili pede stare; nec Austriacis viam defore istos Germania penitus expellendi; cum tamen e re Protestantium haut sit Galliam & Sveciam eo redigi, ut hos fulcire amplius neqveant. Demum minas in Danum & Belgas jacere; ac Anglum denuo in arma protrahendum ominari. Contra Brandius: Non esse, qvod Galliæ jam metuatur. Eam hactenus plus adqvisivisse, qvam amisisse, nec fœderatorum progressus adeo felices esse. Evocationem Nobilitatis magis ob jactantiam fieri, & ut ea in armis exerceatur, qvam ob metum & debilitatem. Fœderatorum scopum non esse Galliam opprimere, sed firmam pacem qværere, ac adversus ejus invasionem se in tuto collocare. Galliam olim conservare se potuisse nondum tantis opibus, cum intestinis turbis scateret, nec adhuc partis, qvæ pax Pyrenæa & Aqvisgranensis adjecit, nec Lotharingia atqve Alsatia infesta, tum Austriacis multum prævalentibus. *Et qvid Sveciæ ac Protestantibus nociturum, si Gallus ad amplectendam stabilem pacem compellatur, ne singulis triennium nova bella oriri qveat? Imo qvid Sveciæ decessurum, si idem maximam partem ditionum recens partarum non habeat? Sane si nullibi terrarum Gallia foret, Sveciam ac Protestantes in Germania adhuc substituros; qvibus ad sui conservationem nil aliud desit, qvam ut ipsi posita æmulatione ac suspicione sincera inter se amicitiam colant. Alias Sveciam à Protestantibus Germaniæ magnopere respici, qvibus haut qvidqvam memoria excideret, qvid illa qvondam pro ipsorum libertate & sacris fecerit. Sed vicissim par esse, ut Svecia qvavis occasione Germaniæ ac Protestantium res fulciat, ac beneficium beneficio cumulet, & gratus eorum, qvi beneficio usi sunt, animus persistere debeat. Unde si Svecia non solum Germaniæ contra Gallum opem non ferat, sed plane pro hoc contra illam ferrum stringat, ac ad eandem sub jugum Gallicum Austriaco longe intolerabilius redigendum connitatur, mirandum non esse, si veterum beneficiorum sensus exoleſcat.* Post multa alia demum reponebat Gardius: necessum esse amicitiam inter Sveciam & Electorem perstare, nec eam viam, qvam Feuqvierius velit ineundam. Idem Jano Julo legato Danico dixerat: Electorem non parum audere, ac Sveciæ plus satis fidere, qvod toto cum exercitu tam longe discedat, Marchia omni milite nudata. Cæterum arcana ratio, qvare Svecos Electoris destinata tantopere offenderent, erat, qvod in animo fuerat peculiarem inter Gallum ac Belgas pacem conciliare, qvo ipli sua commercia libere exercere possent, insuper habito, qvamdiu Germani cum Gallis digladiarentur. Unde & Gardius magnopere exultaverat fœdere cum Electore inito, velut rationibus Galliæ maximam utilitatem producturo. Qva spe per Electorem, uti arguebant, elula medullitus dolebant.

1674.

§. 57. Cæterum judicabat Brandius, nondum plene inter Svecos & Feuqvierium convenisse; ac jactabant isti, se copias suas in Germania propriis sumtibus alituros. Wrangelius qvoqve navim conscenderat Feuqvierio haut salutato, qvod aliqvid offensæ intervenisset; an illudendis aliis. Etsi haut eo minus Feuqvierius nobilem mittebat, qvi eum in Pomeraniam comitabatur, ubi à Gallo missus Vitrius accedebat ejusdem actionibus observandis. Erat etiam in Scania Gallus qvidam, qvi milites ibi navigia conscendentes numeraret. Sane inde gravissimæ rationes obstabant, ne Sveci in bellum erumperent; hinc incalescens indies belli adparatus nil amici promittebat; nec adparebat, qvomodo istæ copiæ diu in Pomerania & Bremensi provincia consistere possent, ubi gregarius miles nil pecuniæ accipiebat. Contra Bicenclovi-ani, qvibus refragantibus bellum sumebatur, è Brandio qværebant: an non Cæsar præter exercitus, qvos in Flandria & ad Rhenum habeat, qvindecim aut viginti millia mili-

Sveci adhuc mutare videntur.

Vitri.

1674. militum in Silesia contrahere possit: aut an non Danus ita confirmari qveat, cum XX M in expeditionem prodire valeat, opposito terrore inconsultos Sveciæ motus stiturus? Et cavillabatur Joannes Gyldenstierna; Wrangelium ad gerendum bellum proficisci manibus pedibusqve debilem. Et qvo iter sumendum? Nam cum Electore amicitiam utiqve servandam. Et si maxime hic invadatur, munita tamen ejusdem loca idoneis præsidiis firmata. Cæsarem qvoqve ab armis probe instructum. Et in qvemcunqve demum moveatur, Danum utiqve bello se ingesturum. Interim responsum tam Feuqvierio, qvam Brandio dandum differebatur; ac Rex in agros ex urbe se conferebat ad medium usq; mensis Novembris speculaturus, qvo res interim se daturæ essent. Erat porro tunc alius regiminis in Svecia genius, qvam sub tutela fuerat. Nam antea Senatui, ac in primis qvinqve supremis Officialibus summa rerum incumbebat; qvo nomine Regi ac Ordinibus ad reddendas rationes tenebantur; eoqve Bioernclovianа factio tuto ac palam Gardio sese opponere poterat. Sed nunc à Regis arbitrio pendebat, utrorum sententiæ in Senatu accedere vellet, cujus & periculo omnia suscipiebantur. Ac Gardius jam eo nomine prævalebat, qvod Rex maxima bellandi cupidine flagrans, cui litare se non posse rebatur nisi Galli partibus susceptis, ejus Galliæ devotas sententias fere probaret. Unde Bioernclovianis, qvi non magis Galliam qvam Gardium oderant, necessum erat obliqva duntaxat ratione hujus consilia oppugnare, ostentato, horum eventus in ipsum aliqvando redundaturos; simul fœderatorum potentiam extollere, Regiqve periculum ob oculos ponere, si arcte nimium Gallo se illiget. Unde prout is natura timidus & inconstans erat, sæpe efficiebant, ut capta jam pro Gallo consilia vel plane everterentur, vel differrentur, aut temperarentur. Sed qva istis nil proficiebaut, nil aliud supererat, qvam humeros trahere. Porro qvicqvid Gardianæ erat factionis in Galliæ res non minore studio ferebantur, qvam ipsi Galliæ cives. Omnes qvoqve militares, qvi bellum nisi per societatem Gallicam desperabant, cœco affectu Galliæ addicti erant. Qvia tamen Elector studium conservandæ Svecorum amicitiæ adhuc constanter ostendebat; spes hisce erat, eundem amica ratione à Cæsare ac Belgis abstrahi posse; præsertim cum persvasi essent, Electorem ad isthoc consilium à solo Dœrflingio & Pœlnicio inductum; & qvia Elector suscepta expeditione nil certi consilii cum Dano ac Luneburgicis ceperat in eum casum, si Svecia qvid à tergo moveret. Unde Feuqvierii postulata hucusqve eo prætexto eluserant; Electorem tantum ire, ut Palatino subveniret; qvod improbari non possit. Qvi tamen si tam multas Svecorum copias in Pomeraniam venire intellexerit, ultro gradum relaturus sit. Enimvero cum ei colori non amplius locus esset, postqvam Elector Rheno superato in Alsatiam movisset, Feuqvierius jam evictionem pacis Westphalicæ à Svecis præstandam enixe urgebat, postqvam jam invadatur provincia per eam pacem in Galliæ jus transcripta. Unde Sveci bellum declinabundi jam Gallo Danum opponebant, à qvo sibi cautum negabant, ne is ipsos alibi districtos à tergo invaderet. Unde à Gallis juxta Svecisqve labor sumebatur, ut istum in partes suas pertraherent, oblata pecunia, ac ut in seqvestris munus admitteretur. Qvin & minis eum urgere instituebant, ut declararet qvid facturus sit. Sed Julus mascule respondebat; Regi suo plus spirituum esse, qvam ut cogi se patiatur. Qvod si nosse velint, num fœdus qvod iste cum Hispanis ac Belgis inierit, etiam adversus Sveciam porrigatur, prius à Svecis declarandum; num ipsi omissa pacis conciliatione ferrum pro Gallo stricturi sint? Qvo facto Regem sine mora responsurum. Se autem injuriam eidem facturum, ni dixerit, eum Cæsari, Hispano ac Belgis promissa religiose servaturum. Ac idem per Julum Sveco denuntiabat; se haut sperare eum velut seqvestrem ad ista extrema descensurum, ac pacem Germaniæ, circa qvam tuendam tam ambitiose se obligarit, turbaturum. Alias se hautqvidqvam otiose spectaturum eum invadi, qvi ob communem pacem & tutandæ patriæ ditionem suam milite nudaverit. Unde Sveco placebat Nicolaum Brahæum propere Hafniam mittere fœderi inter Sveciam ac Daniam absolvendo, ac Dano à fœderatis abstrahendo. Huic Regi etsi nil magis in votis esset, qvam ut Sveci suscepto in fœderatorum qvempiam bello sibi occasionem præberent Sveciam invadendi: tamẽ cum prospiceret Gallos ac Svecos parum amica agitare, ac metueret, ne abrupte rejectis eorum postulatis Svecicæ copiæ è Germania repente in Hollatiam effunderentur, qvas & alias inopia Svecicis provinciis emigrare coactura erat; circumspectione uti, ac consilia sua haut præcipitare instituit; ac ut tempus extraheret, de Galli & Sveci propositione ad fœderatos sibi referendum excusabat; inprimis qvia Cœsareorum acta ipsi magnopere improbarentur. Cæsaris potentiam

17. Sept.

5. Oct.

1674.

9. Nov.

1674. tentiam in præsens tantam esse, qvantam antehac nunqvam. Fœderibus cum Hispano & Belgis fulciri lautis admodum conditionibus. Totum Imperium in partibus, ac cumprimis Electorem, & Luneburgicos. Angliam ac Lusitaniam qviescere. Galli vires non parum fractas. Et tamen ab istis nil egregii geri nec pro se, nec pro fœderatis. Treviros & Burgundiam in Galli manus pervenisse, qvod Cæsar exercitum ad Rhenum non miserit. Ejus duces in Brabantia hoc vere ita tergiversatos, ac tam sero cum Araulionensi se junxisse, ut inde Condæo tempus fuerit firmando suo exercitui, ac tentando apud Seneffam prælio. Cæsareos apud Audenardam officium non feciisse. Eorum duces, cum Elector svaderet Turennium intra sua castra oppugnandum, consentire noluisse. Deniqve cum rationis esset, ab utroqve fœderatorum exercitu eodem tempore ac de compacto Gallos invadi, ab Electore ac Luneburgico, qvibus modica Cæsareorum manus accesserit, totam belli molem fuisse sustinendam. Qvid ergo sibi, ubi à Gallis & Svecis pariter invadatur, aliud Vienna expectandum, qvam prolixa consilia, rei nihil?

14. Nov. Porro cum Feuqvierius, Electore Rhenum transgresso, Svecos impense urgeret, Hispanus, Danus ac Belgicus legatus qvantum possent renitebantur, ac fœderatos dura in Sveciam consilia suscepturos ostendebant. Nec eo secius Rex legiones ad Stetinum contrahi jubebat. Id qvod fieri credebatur ad metum Electori incutiendum, ut ultro domum reverteret; simul ut Benedicti Oxenstiernæ negotiationi Viennæ pondus accederet, ac Dano suspicio injiceretur, qvi hac æstate exercitum apud Coldingam lustraverat, num is forte se commoturus esset: inprimis autem, ut Gallo stimuli subderentur qvod restabat subsidiorum numerando. Interim frigide admodum cum Brandio agi, qvem tot per menses odiosis moris, ac responsi dilationibus, pollicitisqve invicem repugnantibus, aliisqve parum amici præferentibus detinuerant. Demum Gardius denuntiabat, Franciscum Oernstedium, & Henricum

Hogbusen Hoghusium venturos, super responso cum ipso locuturos. Nam Rex literas ad Electorem concipi jusserat, declarationis instar ad proposita à Brandio habituras: in qvibus Biœrncloviani multa ut mitigarentur pervicerant; etsi alias istæ sat frigidæ, & ad Gardii mentem ac stylum formatæ essent. Simul Petrus Sparrius legatus in Gallia Regi confirmarat, Wrangelio injunctum esse hostilia ordiri, ac ipsum Berolinum invadere. Nec eo minus Wrangelio mandata mittebantur, ut hostilitate abstineret qvoad adpareret, uti Brahæi negotiatio Hafniæ successura sit, ac num Elector ex Alsatia rediturus sit, rebus fœderatorum tunc ibi ultro collapsuris; qva spe hactenus Feuqvierium lactaverant. Contra Brandius ingerere haut desinebat: si maxime Sveci Electorem contra fas invadere velint, ejus tamen munita oppida præsidio probe firmata; nec plus noxæ ei inferri posse, qvam ut per unum & alterum mensem aperta Marchiæ & Pomeraniæ populentur, qvoad Elector suis fœderatorumqve copiis succinctus bellum in ipsos revolvat, Dano qvoqve in auxilium excito. Nec Electori persvaderi, Sparrium à Rege jussum talia apud Gallum proponere, aut Sveciam ita temere pacis Westphalicæ sese exsortem reddere velle. Ac probabile erat, eas rationes pondus fuisse habituras, si facultas fuisset eas copias intra Svecicam ditionem otiosas alendi. Sed Feuqvierius ideo tam anxie institerat, ut modo legiones in Germaniam trajicerentur. Nam tunc ipsam famem iisdem necessitatem allaturam aliena invadendi. Ac Wrangelius repetitis indies literis lamentabatur, excusatum se velle protestatus, si exercitus intra Pomeraniam & Bremam exesas antea provincias inopia dilaberetur. Qvo viro nemo tunc magis, ut in bellum erumperetur, urgebat atqve optabat; cui tamen ætas ac valetudo tolerandis belli laboribus impar svadere debuerat, ne tot parta decora denuo aleæ exponeret. Ita demum Brandio exemplum literarum Regiarum per Oernstedium & Hoghusium tradebatur; qvi nil aliud dicebant, qvam jussos se à Rege excusare, responsum ad Electoris literas, ac ipsius exhibita scripta tamdiu dilatum. Cum Brandius literas raptim perlegisset, ac in iis observasset, nil ibi tangi, qvod Electoralium ditionum commendatio Regi grata fuisset; nec verbum extare de colenda deinceps amicitia, aut conferendis super pace consiliis, aut de fœdere servando; is qvid demum Electori à Rege expectandum interrogabat: sed qvi ad hæc nullo responso reddito propere discedebant. Sed qvia Feuqvierius, animadverso, Svecos sub prætexto negotiationis in Dania rem adhuc extractum ire, acribus subinde libellis hos urgebat; simul uberiora subsidia in antecessum se soluturum pollicebatur, si Sveci haut expectata Dani declaratione Electorem invadere velint; cursor ad Wrangelium decretoriis cum mandatis missus est. Ex qvo tempore nil præter hostilia in Electorem audiebantur. 1674.

17. Nov.

§. 58. Ex

1674. Ducis Regiq; Soreni ad Electorem.

§. 18. Ex literæ verbis conceptis ita habebant. *Nos Carolus &c. Sereniſſimo Dno. Friderico Wilhelmo &c. Non tantum ex literis illis, quas Celſ. V. El.li ſub die 30. Junii ad nos perſcribere viſum fuit, verum etiam ex iis, quæ ejusdem extraordinarius ablegatus coram propoſuit, percepimus rationes & cauſas, Celſ.m V. El.lem permoventes, amicitiæ illa, quæ non ſecus ac nos antea Celſ. V. El.is probavit reducendæ pacis remedia vel ſuſpendere, vel plane deponere, & potius illis conſilia & vires ſuas conjungere, quæ manu armata, & vi vim Gallorum Imperio, ac præſertim quibusdam Celſ.is V. El.is ſociis Electoribus præter fas illatam depellere & vindicare valerent, quemadmodum Celſ. V. El.lis ſe jam accinctam confeſſa arma ſua in oppreſſorum ſolamen & auxilium iterum educere, & omni tentare conatu, quo ius, cum hactenus leniora non profuiſſent, mediis Germaniæ ſaluti, ac pacis negotio majori cum fructu proſpicere poſſet, ſpem juxta fovens, conſilium hoc ſuum non niſi ex ſummi publici neceſſitate profectum à nobis haut difficulter etiam iri approbatum. Verum non poſſumus inficias ire, quin nobis hic de nova Celſ.is V. El. expeditione militari nuncius admodum ſit inexpectatus, & cumprimis eam ob cauſam parum gratus, quod vereamur, ne ea, quæ à Celſ. V. El.li ut prudentia & viribus illuſtri ac ſtudio partium hactenus alieno, & illi, quam Celſ. V. El.lis nobis tam enixe ſæpius commendavit, pacis promovendæ ſolicitudini ac curæ ſimul in tanto Principe expectabamus adminicula plane depereant, iisque deſtituti in poſterum eo difficilius procul dubio laboremus & luctemur in obtinendo hoc, quem Chriſtianus orbis tam anxie deſiderat, ſalutari ſcopo. Non excuſavimus antea, nec adhuc probamus, quæ exercitus Gallici in Imperio perpetrarunt attentata Ordinibus intoleranda. Propterea Sereniſſimo Galliarum Regi ob oculos ſæpenumero poni fecimus, quam hæc ſuorum commiſſa de tramite juſti, cum nonnullos à culpa & cauſa belli liberos Status læſerint, decedant, ac quam ſint ſecuritati & guarantiæ promiſſæ in tabulis Weſtphalicæ pacis, & noſtri ea baſi ſimul innitentis, & cum Gallia initi fœderis contraria, quod inde etiam ſint gravioria, quam quod ſola belli ratio, & ſtudium declinandi vel prævertendi cujusdam periculi ea reddere poſſint excuſabilia. Verum cum nec altememoratus Rex hæc laudaverit, & inſuper ſua nobis, procul dubio etiam Celſ.a V. El. dederit promiſſa, quod velit detrimenta læſorum juſtâ reſarcire ſatisdatione, modo etiam pars adverſa parem demonſtraret damni non minoris illati reparandi promtitudinem, & Germaniam à milite ſuo reddere ſtatim liberam & indemnem, quando Imperator & reliqui, qui etiam ſuam Imperium moviſſent arma, ea ad provincias ſuas reducerent. Speraſſemus ex mutuo hoc reſtituendorum, ſatisfactionis ac induciarum conſenſu, quæ etiam omnia per noſtram mediationem ad lancem æquitatis & publicæ ſalutis expendi & componi potuiſſent, morboſſi, quo Germania jam conflictatur, propiora & magis ſalutaria conciliari potuiſſe remedia, quam quæ ex novo hoc armorum motu expectari queant. Docuit enim adhuc experientia, quam ſecus ſucceſſerint, quæ in Imperio excitatæ operationes bellicæ, non enim ſolum non pacis negotio ullum attulerunt fomentum, verum illud novis & gravioribus, cum prætenſiones & gravamina accreverint, implicarunt difficultatibus, quod Status innoxios, loco illos ſolari, & ab oppreſſione exterorum, ut promiſerant, liberare debuiſſent, hoſpitatione, tranſitu, & multi generis exactione inulta magis premant, & plane devaſtent, denique publicam tanto exponant periculo ſalutem, quod cum ſors belli ſit dubia, & ſucceſſum illum, quem aliquot tam facilis negotii futurum non ſemel male opinati ſunt, ſtruſtrari queat, victoris arbitrio omnino relinquatur. Quæ facies rerum adeo difficilis, & funeſta, pejoraque adhuc, quam quæ ob oculos verſantur, minitans mala, juxta & anxia illa & pia cura, qua dictum pacis negotium cupimus promotum, nos iterum permovent, ut optemus, & à Celſ. V. El. enixiſſime contendamus, velit arma ſua retinere ac ſiſtere, potiusque imitando noſtram huic & alteri parti factam, atque à Celſ. V. El. ſæpius comprobatam declarationem, quod nempe exercitum noſtrum aſſerendi pacem, & iis nos opponendi, qui illam nollent æquam, honeſtam ac univerſalem, paratum haberemus, ſe & dicta ſua arma eidem ſcopo, nimirum recuperandæ quieti, ac præſenti ſanandæ calamitati reſervare, quam ſe partibus belligerantibus jungendo reddere illam omnino incurabilem. Sunt illa vota tanto magis nobis curæ cordique, cum ea non ſolum arbitremur publico bono & ſaluberrimo pacis negotio unice ſalutaria; verum quod alias inter ſacrum & ſaxum, ut ajunt, conſtituti, hoc eſt, inter periculum amittendæ prorſus, quam cum Celſ. V. El. quæ pacem procurandam coluimus hactenus bonæ correſpondentiæ, & inter neceſſitatem ſervandæ fidei, quam leges Weſtphalicæ pacis exigunt, & cujus ſinceram & debitam obſervantiam nos, uti Celſ. V. El.lem per expreſſam ablegationem certiorem fecimus, Regi Galliarum per ſingulare quoddam fœdus denuo ſtipulatiſſimus. Hanc noſtram roborandæ pacis in Imperio curam Celſ. V. El.lis non ſecus ac plerique Electores & Principes tum

1674.

1674. *temporis laudarunt, ac qvod magis est, Imperator ipse agnoscendo genuinum sensum* §. Et ut eo sincerior &c. *talem, qvalem nos in prafato fœdere expositimus, concludendoqve desuper cum Rege Galliarum illa, qvæ in Imperio jam pridem evulgata & cognita extant pacta comprobavit optimo suo exemplo. Hæc est qvæ nos potissimum commovit ratio, qvod tam anxie novum cum Cels. V. El. desideravimus amicitiæ & sincera correspondentiæ vinculum, ut eo utrinqve ligati non possemus facile sejungere nostra consilia, ad diversum qvam promotionem pacis tendere scopum, & exinde prolabi in eas, qvæ publico & nostro utriusqve commodo aliqvatenus obesse possent resolutiones. Obtento etiam hoc nostro non ita pridem voto, & concluso desuper sub die 1. Decembris elapsi proxime anni certo, & ejusmodi fœdere, in qvo utrinqve prafata omnia sancte stipulata sunt, non possimus aliter qvin maxime doleamus, qvod Cels. V. Et. sponsionis istius reducendæ amicabili via tranqvillitatis, & conferendi desuper sua cum nostris fideliter consilia adeo immemor fuerit, qvod ablegatus noster Wangelin intentionem expeditionis nequiverit prius indagare, qvam exercitu jam in Imperium educto, & clarigatione Gallis facta, id est, re super cujus commodo vel periculo juxta normam & fidem pactorum adhuc inter nos consultari deberet non amplius integra. Verum cum dubio procul Cels. V. El. pregnantiores cœpti sui habuerit rationes, qvam ut cum iis, qvas superius enumeravimus æqvipararari potuissent; ita etiam eas Cels. is V. El. maturiori judicio merito relinqvimus, nobis tamen certo persuadentes, Cels. V. El. em illas iterum ea, qvæ in tantum inclaruit prudentia & fide probe expensuram, & consilia & gesta sua ad metam pacis directuram. Qvibus Cels. em V. El. divinæ commendamus protectioni. Dedimus in arce nostra Holmensi die X. Octob. A. 1674. Cels. is V. El. Carolus.*

Earum literarum censura.

§. 59. Ad eas literas Elector multa qvæ moneret habebat. Sane de sua expeditione nuntium Regi non adeo inexpectatum videri debuisse, cum ipse statim atqve Gallus Trevirensem ac Palatinum invasisset, Wàngelino ac Verjo repetitis vicibus denuntiarit, se ad eam vim propulsandam, ni emendetur, ac omnia in priorem statum reponantur, omnibus viribus una cum aliis incubiturum; à qva sententia isti legati, qvantumvis summopere connixi, ipsum dimovere haut potuerint. Iis significatum, se legiones suas eo fine è Borussia evocare; idqve diu anteqvam fœdus cum Cæsare, Hispano & Belgis perficeretur. Igitur Regi de hisce destinatis diu constitisse, qvæ & ipse insuper per literas, & misso legato 1674. indicarit. Qvod Gallus obtulerit, se læsis in Imperio satisfacturum, ac omnes copias Germania deducturum, si Cæsar ac fœderati idem faciant, id ad se non spectare; nec ejusmodi declarationem, qva' Gallus parem sibi cum Cæsare & Ordinibus in Imperio potestatem arrogat, sufficientem fuisse. Sane absurdum esse pari jure censeri Cæsarem & Ordines, qveis Imperii tutela incumbit, cum Gallo, qvi id nulla causa invaserit. Qvod Germanorum armis parum adhuc profectum sit, id merito dolendum: sed ejus rei culpam Gallicis emissariis ac clientibus, qvi in omnibus fere aulis reperiantur, adscribendum, qvi ubiqve suspiciones ac dissidia serant atqve foveant. Et hanc vel præcipuam fuisse causam, qvare ipse absterritus non sit, qvo minus lælis Ordinibus subveniret. Neqve vero se omisisse operam cum Svecis sociare promovendæ paci, qvamdiu tractatus Coloniæ duraverit, ac nulla spes pacis ibi superfuerit. Sed iis per Gallum abruptis, ac interim Imperio Gallicis armis inundato, ea consilia seponenda, ac defensionem patriæ suscipiendam fuisse, de qvibus subinde Wangelino significatum fuerit. Et qvomodo ipse hîc rerum facie sua consilia, viresqve cum Svecis jungere potuerit, cum hi seqvestres manerent acceptis à Gallo pecuniis, qvas sibi admittere haut licuerit salva obligatione, qva Imperio & Collegis tenebatur; & cum demum expressus fœdere casus existeret pacis non succedentis, circa qvem uterqve sibi reservarit facultatem partes, qvas consultum fuerit visum amplectendi, salva utrinqve amicitia & conjunctione? Ut porro per arrepta à se arma Svecus periculum incurrat amittendæ cum ipso amicitiæ, ei se rei nullam causam præbuisse. Prætexta invenire in proclivi esse, ubi litigandi libido sit. A Sveco fœdus cum Gallo initum, conservationi pacis Westphalicæ superstructum, sibi communicatum haut meminisse. Et circa eam pacem servandam non minus sibi qvam Sveco curæ esse, qvem & scopum arma sua habeant. A Cæsare interpretationem Instrumenti Pacis, qvam Gallus ac Svecus faciant, probari, sibi non constare. Ac qvæ valere debeat interpretationem debere fieri non ab uno aut altero qvorum interest, sed ab universis, & qvidem in Comitiis aut conventu ei gemino, in qvo pax condebatur. Id porro velut capitale admissum argui, qvod ipse fœderis cum Svecia initi immemor fuerit, per qvod consilia sua cum Svecis communicare debuerit; nec Wangelino de istis

prius

1674. prius constitisse, qvam ipse cum exercitu suo Rhenum versus moveret. Enimvero Wangelino sat mature de suis destinatis indicium factum, qvi & rogatus sit ista ad Regem referre, ut & is paria consilia servandis oppressis capiat. Nec Wangelinum ignorare potuisse, legiones, qvas è Borussia evocari videbat, versus Rhenum ducendas. Ut tamen cum isto prius consultandum foret, cui usui istæ adhibendæ forent, id fœdere non contineri; ac Regem id non magis à se reqvisiturum, qvam ipse id ab eo postulaturus sit. Neqve vero tam arctam inter diversos status conjunctionem esse posse, ut utriqve nulla plane seorsim deliberandi sit libertas. Sed si Regi placuisset una secum oppressis succurrere, se libenter cum eo omnia de compacto acturum fuisse. Qvin se vel formulas fœderum Wangelino fuisse communicaturum, si hic ea, qvæ post initum fœdus à Svecis Coloniæ cum Bavaro, Neoburgico, & Hanoverano, tum Londini, qvando pax inter Anglos & Belgas condebatur, ac alibi acta sint, mature communicasset, & anteqvam aliunde sibi ista innotescerent. Ast affatim rationum fuisse, ut ipse de hoc negotio magis ad Regem, qvam istum referre voluerit. Atqve ista Elector ad Regias literas apud Belgas, & alibi demonstrari jubebat.

tam duntaxat partem ad Imperii exercitum contulisse contentum. Idem & Brandio testabatur; ingressu Wrangelii in Marchiam pacem haut abrumpi, sed eum duntaxat in remedii vicem adhiberi promovendæ paci, & instaurandæ inter Regem & Electorem amicitiæ. Wrangelium qvoqve milites accurata disciplina coërciturum, ac nil hostile tentaturum, multo minus Berolinum, aut alium munitum locum vi oppugnaturum. Ac Regem literis ad Cæsarem, Anglum, Hispanum, Danum, Belgas, ac Germaniæ Ordines datis causas deduxisse, qvare ita cum Electore agendum fuerit, salva utiqve pace. Militem sua impensa victurum. In Germania innoxium transitum, & innoxiam stationem pari jure haberi. Ad qvæ Brandius: inauditum esse inter remedia stabiliendæ amicitiæ adhiberi, exercitum proprio ausu alterius terris infudisse. Inter transitum, ac stativa ingens discrimen esse. Esse actum acerbæ hostilitatis Electorem vi compulsum ire ad consilia Gallo proficua, Germaniæ noxia. Qvi transitus qvoqve Statibus Imperii inter se certa lege indulgeatur, Regi Sveciæ non deberi, qvi cum Gallo Germaniæ publico hoste arctissimis fœderibus jungatur; cujus legatus Vitrius velut consiliarius bellicus apud Wrangelium agat.

Sveci adhuc hostilitatem dissimulant.

18. Dec.

§. 60. Qvanqvam autem Wrangelio irruptio in Marchiam jam injuncta esset, Gardius tamen haut eo minus Belgico ablegato confirmabat; Regi nunqvam in animo fuisse Electorem aut alium è fœderatis armis petere, eoqve seqvestris munere seipsum exuere. Ast Feuqvierio satis erat à Svecis tantum militum numerum in Germaniam transmissum, cui sine bello vivere ibi haut liceret. Ac se ne teruncium qvidem Wrangelio exsoluturum, qvoad is Electoris provinciam ingressus foret. Gardius contra haut protinus omnem belli rigorem exserendum censebat, qvod nondum constaret, num Elector Wrangelii irruptione protinus Alsatiam relicturus esset: cum hiberna tempestate tanto terrarum spatio emenso fatigatus exercitus aperta Marchiæ jam à Svecis excesa reperturus foret, ac munitis oppidis in præsens nil periculi immineret. Igitur in eum casum Belgas permovere instituebat, ut rem ad tractatus inter Regem & Electorem deducerent, exercitu Svecico interim intra Electoris ditionem subsistente. Qvo fine is omnibus persvadere laborabat, magnam spem esse compositionis, ac haut arduum fore Electorem à fœderatis disjungere, ra-

19. Dec.

Brandii è Svecia discessus. 9. Jan. 1675.

§. 61. Sed cum Electoris literæ adferrentur, qveis Brandius è Svecia evocabatur, hic inter valedicendum moderationem adhibendam judicabat. Nam non constabat, num forte Elector aliqvam rationem habiturus esset protestationis, qvod iste in Marchiam ingressus in hostilitatis vicem non sit accipiendus; aut num fœderatis in promtu foret Svecos valida impressione distrahere, aut pari vi eisdem occurrere. Qvo casu qvia præstabat aliqvantisper connivere, haut consultum videbatur, Regi directe bellum indicere, sed moderatis verbis uti, & qvæ à conditione suspenderentur. Et qvamdiu pares vires Svecis opponi non possent, satius erat Wrangelium hospitiis qviete frui, qvam omnia hostili modo populari, ac munita insuper oppida expugnare. Haut obscure tamen idem qvod res erat insinuabat; nec Electorem ita cœcum esse, qvin perspiceret, pacem utiqve abruptam, ac protestationem facto repugnare. Varias autem ob causas Gardio placuerat ingressum Wrangelii in Marchiam inter hostilia haut reputare; Nam & Sveciæ Ordinibus instantibus Comitiis ansam qverendi subtrahere cupiebat, qvasi absqve ipsorum consensu bellum sumtum

1675. foret; ac plebi Belgicæ persvaderi posse rebatur, auxiliis Electori submissis supervacuum cum Svecia bellum sumi, qvæ hostem se inficietur. Ordinibus qvoqve Imperii scrupulus injiciendus videbatur, ut satius ducerent, rem ad compositionem deducere, qvam Svecos hostes Imperii judicare; id qvod hi omni modo declinabant. Qvam ob causam & Rex Friderico Augusto Episcopo Eutinensi non parum indignabatur, qvod ob avocatoria Cæsarea, qvæ tantum contra Gallos dirigebantur, Svecicam militiam abdicasset; cum metueretur, ne id factum Ratisponæ præjudicii loco adduceretur, velut ipse Regis avunculus ista edicta contra Sveciam interpretatus sit. Deniqve & credebatur hoc modo fœderatis persvaderi posse, esse locum interpositioni Regem inter atqve Electorem, Svecico exercitu interim Marchiæ hospitiis fruente. Ac crediderat Gardius, Fœderatos satius habituros Electoris auxilio carere, qvam Sveciam hostem habere. Unde is ubiqve jactabat Belgis consultum videri, ut Electoris exercitus à fœderatis separetur, rata duntaxat parte apud copias Imperii relicta, ac ipsum Cæsarem officium interpositurum. Cupiebat qvoqve Brandium diutius Holmiæ morari, ut crederetur, Electorem Wrangelii acta pro hostilibus non habere, eoqve ista Ordinibus Sveciæ futuris comitiis eo facilius probarentur. Steno Bielkius discedenti Brandio dicebat: Dolere sibi, Electoris ditionem tali modo invadi. Id qvidem apertum bellum esse. Nec sibi nec plerisqve Senatoribus aliqvid de hoc negotio cognitum, qvam postqvam omnia decreta & transacta fuerint. Esse inauditum in Svecia, bellum absqve consensu Senatus & Ordinum decerni. A solo Gardio, & Wrangelio ista profecta; qvi qvomodo eadem iis qvorum interest adprobaturi sint, ipsis curæ fore. Brandium recte facere, qvod heic se detineri non patiatur. Nec minus Joannes
25. Jan. 75 Gyldenstierna differebat: Svecos, exceptis paucis Gardianæ factionis, in universum optare, à Gardio periculosa negotia suscipi, ut seipsum in exitium præcipitet, simul Bremensis provincia & Pomerania amittatur, per qvas Sveciæ necessitas adferatur omnibus externis præcipue Gallicis turbis se miscendi, ut nunqvam solida qviete, ac domesticorum commodorum fructu gaudere possit. In præsens magnam esse annonæ, ac salis caritatem in Svecia. Commercia singulari Senatus cura non parum florere cœpisse, qvæ nunc plane collapsura sint. Millionem uncialium, qvam Gallus in subsidium annuum promittat, 1675. non modo militiæ impendendum, sed & multos post annos Regno duplum inde damnum proventurum. Alias Gallis dira imprecabatur; simul in lentorem aulæ Cæsareæ, ac socordiam Hispanorum invehebatur. Alias non negabat omnia in bellum tendere: sed de mandatis, qvæ Wrangelio mittantur, neminem qvid nosse, præter Regem & Gardium. Senatores in consilium non adhiberi. Qvod si bellum secus succedat, ac inde Sveciæ aliqva calamitas nascatur, facile fieri posse, ut Gardio cervices frangantur, inprimis ubi Danus & Moscus in bellum eruperit. Hunc Regis juventa & bellandi libidine abuti, ac dum huic velificatur, ita eum fascinasse, ut nuper palam dixerit; si qvid ipse fieri velit, Gardio semper consilium in promtu; reliqvos nil nisi difficultates movere. Unde istum ad se solum Regni negotia pertrahere; reliqvos Senatores inter numeros haberi. Eidem spiritus immensum glisceere, sed non minorem omnium invidiam circumstare. Præter enorme studium in Galliam insatiabilem libidinem esse, Biornclovianam factionem ulciscendi. Id qvoqve agitare, ut in arduis Regni negotiis qvinqve duntaxat summi officiales suffragium ferant; qva illecebra, simul per Feuqvierium eidem numeratis centum uncialium millibus, etiam Petrum Bralæum in suas partes pertraxerit. Consilia circa Germaniam eo tendere, ut ejus compages plane dissolvatur. Ac admodum ipsi dolere, qvod pleriqve Ordines Imperii inter se & circa Gallorum grassationes tam concordes sint; cum Galli, & qvi his studeant, id agant, ut perpetuum inter Cæsarem & Ordines dissidium alatur, ac vis Imperii in Germania plane solvatur; utqve adeo Cæsareum vocabulum penes Archiduces sit, potentia inter Galliam & Sveciam divisa. Sane nuper Gardius dixerat; ante triennium credi non potuisse Ordines cum Cæsare in tantam concordiam coalituros. Nam tunc ridebatur, si qvis de Imperio mentionem faceret; de qvo & Gardius admodum contemptim velut de dissoluto corpore loqvebatur. Ast nunc ingentis criminis arguebantur Ordines, qvod Cæsari adhæsissent, ac à Sveco Galloqve se disjungerent, qvi Germanicam libertatem & Protestantium sacra adversus Austriacos tuiti sint. Nondum tamen spes defecerat Ordines distrahendi; ac ad Bavarum, Hanoveranum, Wurtenbergicum, Darmstadiensem, Neoburgicum, Moguntinum, Colonienſem, Saxones, Gottorpiensem circummittebantur,

1675. tur, qvi à Cæsareis partibus eos averterent. Monasterienſis qvoqve Cæsari haut fidus credebatur. Porro Brandius Gardio valedicens qvæ ad rem faciebant acriter ingerebat. Is paria non ita pridem Electorem in Darmstadienſi ditione, ac Wetteravia feciſſe reponebat; velut nil intereſſet, pro tutando Imperio, an pro ejus hoſte arma circumferas. Cæterum utile erat Brandium Holmia diſceſſiſſe. Nam Nicolaus Brahæus, & Terlonus Hafniæ Dano perſvadere conabantur, Brandium in ſpeciem duntaxat valedixiſſe, & clam cum Gardio circa adornandam tranſactionem inter Regem & Electorem ſatagere. Cui figmento cum non amplius locus eſſet, ſpargebant, inter Principem Anhaltinum & Wrangelium rem eſſe tranſactam. Scilicet qvod Dano perſvadere cuperent, ut oblatam à Gallo pecuniam acceptaret; id qvod facturus videbatur, ſi ei fides fieri potuiſſet, Electori animum eſſe cum Gallo & Sveco tranſigere, nulla habita contumeliæ & damni accepti ratione. Sed Dano facile iſtæ artes ſubolebant; cui & non minor qvam Sveco in arma cupido. Diſſenſio tamen inter militares, & togatos in Dania erat. Nam illi malebant in Germania contra Svecos bellum gerere, qvod major ibi prædæ ſpes foret. Sed Petrus Griffenfeldius Sveciam in ipſa Svecia, Scania, & Mari Baltico invadendam cenſebat, qvod qvæ ibi damna inferrentur, Svecos tenerrimo ſenſu afficerent; cum mala provinciarum Germanicarum vix aliter qvam aliena haberentur. Simul privatæ rationes ſvadebant, ne Rex Hafnia digreſſus in Germania ipſe exercitum duceret, ubi militaribus, qvi ipſum oderant, anſa naſcenda erat Regis gratia eundem depellendi. Unde ſubinde ingerebat, qvæ Sveciæ miſeria futura eſſet, ſi hinc Dani è Dania & Norvegia, inde Moſci ingruerent, commerciis per Belgas intercluſis.

Sveci Electorem apud Belgas accuſant. 24 Oct. 1674.

§. 62. Dum Holmiæ legatus Gallicus Svecos in Electorem concitat, Svecicus legatus Eduardus Ehrenſteinius Hagæ eundem apud Belgas arguere inſtituebat, exhibito libello, qvo ſiniſtre admodum de iis judicabat, qvi ut patriæ & fœderatis pro viribus opem ferrent, ſe accinxerant, velut arma ſumſiſſent alendo bello ultro oblata ſua opera. Qvo ipſo pacis negotium vado adhæſiſſe, Ordines Imperii magis oppreſſos, belli ſedo ac ſtativis ad eos translatis; ſimul Regi Sveciæ neceſſitatem allatam copias tegendis ſuis provinciis in Germaniam mittendi. Ad qvæ Belgæ qvidem ſat maſcule reſponderant, ut tamen multa ſicco 1674.
pede præterirent. Unde Elector Belgis demonſtrari jubebat, Sveco reponendum; ſe nunqvam aliud, qvam æqvam pacem qvæſiviſſe, eoqve ſine arma arripuiſſe. Eum ſcopum & reliqvis fœderatis eſſe. Nec ſe ultro operam ſuam obtuliſſe, etſi negotium in ſe honeſtum ſit, ſed ab aliis invitatum. Qvis negotium pacis Coloniæ abruperit notorium eſſe: id ſaltem fœderatos non feciſſe. Qvid effici potuerit, ſi tantum ratæ partes militiæ publicæ miſſæ forent, nemini ignotum. Itinera exercitus ita fuiſſe diſpoſita; ut nemo juſtam qverendi cauſam habuerit. Hoſpitiis neminem Ordinum oneratum. Gallis tribuendum, ſi qvorundam Ordinum provinciæ cum exercitu tranſeundæ fuerint. Bellum in Alſatiam hoſtilem provinciam recte translatum, qvod decretum Imperii Burgundiæ ſuccurri juberet. Num Sveco neceſſum fuerit tutandis ſuis provinciis exercitum mittere, cum qvicqvid eſſet in vicinia copiarum in diverſiſſimam partem abduceretur, orbis judicio committi. Ejuſmodi autem ſcripta eo minus in Ehrenſteinio ferenda eſſe, qvod is pro ſeqveſtre adhuc ſe gerat; cui cum neutram in partem ſtudium ſit oſtendendum, is nunc plane hoſtilia ſperet. Ad iſta Ordines Generales & Arauſionen- *9. Nov.*
ſis Electori confirmabant; ſiqvidem Sveci in ipſum qvid tentent, ſe eidem terra mariqve auxilium laturos, idqve Ehrenſteinio denuntiaturos. Enimvero prudentioribus haut perſvadebatur, Svecum limites ſuſcepti officii ſeqveſtrarii uſqve adeo migraturum, ac provincias tanta cum gloria partas aleæ expoſiturum, ſine cauſa impetito Electore validis armatorum fœderibus ſuccincto. Eqvidem Svecos videri in Galli gratiam Electorem injecta ſuſpicione bonis partibus detrahere conari: ſed Electorem ea terriculamenta haut curaturum. Qvin & ſi maxime Sveci præter omnem rationem, ac Regni ſui utilitatem ipſum invadant, non ideo tamen eundem protinus cœptis conſiliis deſiſtere par eſſe. Nam prius videndum, qvid Sveci ſuſcepturi ſint, ac cum fœderatis, qvorum non minus cauſa agatur, conſultandum, qvorum auxilium defuturum non ſit. Nec dubitandum, qvin brevi res mutanda, ac ipſe opinione citius ſua recuperaturus ſit non ſine emolumento ac gloria. Contra ſi Elector protinus partes deſerat, & exercitum, qvi adhuc bene ſe habeat, retrahat, ſuas res ultro ſubverſurum, conſumta apud hoſtes juxta atqve amicos autoritate. Porro cum legatus Anglicus Wilhelmus Templius Eh-

1674. renſteinium interrogaret, qvo tantus Svecorum adparatus ſpectet; hic reponebat; non niſi pacem Weſtphalicam tutari curæ eſſe, cujus ſponſor Sveciæ Rex ſit, nec Belgas directe invadendos. Cui viciſſim Arauſionenſis denuntiabat: perinde ſibi haberi, Respublica directe invadatur, an per latus fœderatorum; & utrinqve pari vigore occurrendum. Nemini horum in animo eſſe pacem Weſtphalicam infringere. Nec inter ſe congruere, qvod Sparrius Lutetiæ declararit, Wrangelio in mandatis eſſe Berolinum invadere, ac Electorem hoſtiliter habere; cum Ehrenſteinius tantum de Pomeraniæ defenſione loqvatur, qvam qvi impetere vellet nemo erat. Ac revera Belgis res valde cordi erat; qvi & cum Hanoverano agebant, ne huic negotio ſe miſceat, cautione interpoſita, nil ipſi moleſtiæ illatum iri.

Sveci de conatibus ſuis in Electorem indicant. 19. Nov. 29. Nov.

§. 63. Haut eo ſecius Ehrenſteinius alio ſcripto à Belgis petebat, ne ſiniſtre id accipiant; neu ſe immiſceant, ſi audierint Svecicum exercitum Marchiam ingreſſum. Contra Belgæ reſponſo ſuo Regem monebant, *ne Electori moleſtiam faceſſat, qvi nonniſi ſuper pace conniteatur, ac nil fecerit, qvod ei per pactum cum Gallo integrum non fuerit. Si qva Regi cauſa de eo qverendi videatur, amicam viam tentandam, ac officia ſua in promtu fore, ſi Regis poſtulata jure nitantur. Nec ſeqveſtris muneri convenire pacem turbare, ac tam ſancta functione ſe indignum reddere. Sane nil acerbius Belgis accidere poſſe, qvam ſi armis prater neceſſitatem motis neceſſitas ipſis adferatur latis Electori auxiliis Svecorum vim repellere, ac hoſtilia in Regem induere, cujus amicitiam nuper ſtabilitam tanti æſtiment. Sed & Regi indecorum fore poſt tam laborioſam operam circa pacem inſumtam temere bellum ſumere, ac Belgarum partes debilitare, Galli firmare; tum pacem extrahere, Germaniam calamitate involvere, cujus qvietem ſibi cordi eſſe totiens teſtatus ſit. Nam ea ratione Gallum, qvem Germani jam intra ſua repulſum eant, intra Germaniam retrahi, qvam ſi & Sveci invadere parent, nullo ſuo merito arenam bello præbituram. Nec minus omnibus mirum viſum iri, tantum fervoris à Svecis nunc in Electorem exſeri, cum tamen toto bello tantum moderationis in Gallum ſit oſtenſum, tam manifeſtum Weſtphalica pacis violata, nulla reparatione hoc nomine facta; adeoqve blandius haberi orbis Chriſtiani turbatorem atqve aggreſſorem, qvam qvem ſui defenſio ſuſcipienda fuit, & qvi circa publicam pacem reſtituendam laborant nullo peculiari emolumento. Igitur ſi qvid Rex contra Electorem haberet, amice id diſceptaret, ſe officium interpoſituris, ac de cætero qvod hactenus geſſerit, ſeqveſtris munus continuaret.* Eo reſponſo accepto Ehrenſteinius apud Fagelium gratias agebat, qvod tam moderatis verbis id conceptum foret, cum longe acriores in eam rem ſermones jactati ſint. Spem eſſe ita rem temperari poſſe, ne ad manus perveniatur, ac ſe curſore Holmiam, & ad exercitum miſſo ſignificaſſe, Belgas operam apud fœderatos daturos, ne qvid noxæ Regi inferatur. Cui Fagelius: viciſſim & fœderatis pari modo cavendum. Mox iſte alium libellum Belgis exhibebat: nondum conſtare, an Sveci Electorem bello petere velint. Haut veroſimile eſſe, eos contra pacem Weſtphalicam ſuſcipere qvid velle, qvam ſartam tectam perſiſtere eorum tantopere interſit. Rationes à Belgis adductas eſſe maximi momenti. Sed optandum fuiſſe, iſtas ab Electore qvoqve obſervatas, qvando exercitum per Imperium movere, & loca Inſtrumento Pacis comprehenſa aggredi voluerit. Tunc enim iis locis qvietem perſtituram, & qvæ nunc velut imminentia depingantur mala, procul fuiſſe futura. Qvæ tamen ſi orta fuerint, ſiſti adhuc poſſe ſperentur. Interim Belgis benignius de Svecorum expeditione ſentiendum, qvam ut ea ſine conſilio & neceſſitate ſuſcepta credatur. Sane Regem tantas impenſas in trajiciendum exercitum haut fuiſſe facturum, ni inevitabilis neceſſitas cogeret, qvam ſtatus Germaniæ, qvalem leges pacis Weſtphalicæ deſcribunt, ſatis oſtendit. De cætero gratum ſibi eſſe, qvod Belgæ declarent amicitiam ſe culturos; ac ſe paratum eſſe ſuper controverſiis inter Regem & Electorem ſermones conferre. Inde idem de induciis proponere, aut ut Elector medium ſe gerat. Utrumqve Belgæ repudiabant. Inducias à ſe repudiatas, cum in viſceribus hærerent Galli; ac promtius pacis, qvam induciarum leges inveniri poſſe. Electorem legitima arma pro patria arripuiſſe, nec circa eadem à qvopiam leges ſibi præſcribi paſſurum; nec adparere, qvo colore id ab iſto poſtulari qveat. Erant porro è fœderatis, qvi cenſebant, ſat cauſæ eſſe ad Svecos ſeqveſtres amoliendos. Sed Elector judicabat, hiſce anteqvam in arma erumpant, nullum offenſæ prætextum præbendum, eoqve aliqvantiſper adhuc qviescendum; præſertim cum Cæſar nondum oſtendat, Sveci officium rejiciendum. Elector tamen Belgas monebat, ut Ehrenſteinio ſine ambagibus denuntietur, ſi Rex qvid tentet, ſeqveſtris munere dejiciendum.

1674.

Qvi

1674. Qvi & sat fervoris hoc in negotio ostendebant. Et rogaverat Arlingtonum legatum Anglicum Ehrensteinius, apud Belgas operam daret, ne ob peculiarem Regis cum Electore controversiam adversus Sveciam in bellum erumperent; nec eo minus integrum fore auxilium ex fœdere Electori præstare, salva cum Svecis amicitia. Cui Arlingtonus: nullo modo Arausionensem & Remp. permoveri posse, qvin protinus, ubi Svecus qvid moverit, pacem cum eo sint abrupturi. Qva fiducia Elector decreverat in Alsatia subsistere, ac inde in Burgundiam penetrare; id qvod & Arausionensis probabat. Sed post cum ex Alsatia cedendum esset, Elector Arausionensem monebat, ut in Bremensem provinciam irrumperet, pauco milite insessam. Tum ut Danus ad indicendum Sveciæ bellum permoveretur. Alias enim sibi ruinam ditionis suæ prævertendam per consilium fœderatis noxium; cum nefas sit, suos cives ita pereuntes spectare. Sed si fœderati eo studio, qvo ipse communem causam amplexus sit, sibi qvoqve subveniant, immotam in partibus constantiam fore. Et qvia Sveci irruptionis suæ in Marchiam hanc solam causam tulerint, ut ipsum fœderatis abstraherent, à Belgis nunc serio declarandum, Svecos seqvestrium dignatione excidisse, nec cum Ehrensteinio consilia amplius conferenda. Nam metus erat, ne is Belgarum inclinationem per sibi addictos everteret: & qvia Viennæ vix hostilia in Svecos sumturi videbantur, ni de Belgarum animo prius constaret.

17. Dec.

Elector contra Svecos opem exposcit Ordinum Imperii:

§. 64. Cæterum Holmiæ propositione à Feuqvierio facta Elector suis Ratisponæ legatis injungebat, Cæsareos monerent, ut velut ultro ea super re proponant, utqve Ordines ad Sveciæ Regem scribant, ne hic istis solicitationibus aurem præbeat, neu qvid in Electorem suscipiat: tum ut SCto tutela universi Imperii decernatur contra qvemcunqve, à qvo ipse ob susceptam hanc expeditionem invadatur. Id qvod & facili negotio obtentum. Ac addidit Cæsar ad Regem literas; ne arma cum Gallo societ, aut hoc instigante in Electorem infesti qvid tentet. Monteregius qvoqve visa ista propositione Blaspielo declarabat; sibi qvidem haut persvaderi, Svecos in talia consensuros, & abdicata seqvestrium opera incendium aucturos, cui restingvendo hactenus operati sint. In omnem eventum tamen Hispanos totis viribus Electori opem laturos. Simul Nunnesio Holmiam mandata mittebantur, ut omni ratione Galli postulatis reniteretur. Viennæ cum de Electoris expeditione innotesceret, Svecicus minister minas jacere cœperat. Sed Cæsarei disserebant: utile Electori futurum, si Svecus bello se misceat, volut tunc nascitura occasione Pomeraniam recuperandi. Nec difficile fore Svecos Germania exturbare, si per Danos, Belgasqve eorum classis dissipetur, interclusa qvoqve navigatione. Tum Monasteriensem & Moscum iisdem immittendum; simul providendum, ne isti Bremensem urbem occupent. Ita facile libidinem bellandi refrigerandam, ut satis habituri sint corpus Regni tueri. Etsi constabat, Benedicto Oxenstiernæ, Svecico tunc Viennæ legato a Cæsareis promissum; Cæsarem ei bello sese haut ingesturum, simul impediturum, ut & alii manus abstineant; modo Sveci intra Electoris ditiones maneant. Et cum post Svecicus minister apud Hocherum qvereretur, Cobium Electori auxilio missum, iste excusabat; Ratisponæ decretum conditum, cui satisfaciendum sit: interim istum nil hostile contra Svecos suscepturum. Porro Svecis cohibendis Elector Viennæ petebat, ut exercitus in Silesia componeretur: aut si copiæ in promtu non sint; ut pecunia sibi daretur, qvæ Monasteriensis delectibus destinabatur. Qvod surda aure transmissum. Ac jam animadversum, Cæsareis qvidem gratum fore Svecos Germania expelli: sed num eam accessionem Electori fieri optarent dubium erat. Montecuculo tamen fides fieri non poterat, Svecos Imperio bellum movere ausuros, Gallo jam non parum fracto, ac nulla lucri spe, cum facile Pomeraniæ & Bremensis provinciæ jacturam facere possent. Et ob sola hiberna talia suscipi præter rationem videbatur, forte caro luenda. Qvam ob causam & cura circa auxilia Electori expedienda ibi frigebat. Nec circa fœdus cum Dano absolvendum festinabatur. Cæsare pecuniæ qvid conferre abnuente; cum tamen is magnam pecuniæ vim ab Hispanis & Belgis, simul hospitiis Ordinum accepisset, exercitu haut eo minus ob non soluta stipendia qverente. Post relictam Alsatiam Elector hospitia sibi assignari petebat, qvod exhaustæ suæ ditiones exercitui alendo non sufficerent. Nam falso jactari, Cæsareo exercitui haut satis hospitiorum esse. Sane inter duces Cæsareos qvosdam ad octoginta uncialium millia præter stipendia ex hospitiis redacta in Italiam trajecisse. Et qvantopere Cæsari ab avaris præfectis illudatur, adpariturum, ubi in expeditionem exercitus educendus sit. Qvorum rapacitati

Hispani: 28 Oct.

1674. *Cæsaris:*

8. Nov.

si

1674. si fræna laxentur, totam Germaniam Cæsareo exercitui alendo haut suffecturam. Unde ni & sibi hospitiorum qvid assignetur, consilia sibi capessenda Cæsari haut placitura. Ita per Franconiam Electoris exercitui hiberna data, ubi hic viribus ac numeris egregie se firmavit. Ad Angliæ qvoqve Regem scribebatur, ut Svecos ab istis cœptis dehortaretur. Qvi cum legato Svecico significaret, sibi ditionum Electoralium invationem haut placere, Sveciæ Rex Anglo scribebat: Wrangelio injunctum hostilia haut exercere; & statim atqve Elector à fœderatis se disjunxerit, cum hujus ditione iterum excessurum; addito, ut Rex Belgis dissvadeat, ne se istu negotio misceant. Ast Arlingtonus Hagæ declarabat; Svecorum in Electorem conatus inscio Rege Angliæ susceptos; ac nullum Anglo cum Sveco fœdus intercedere, ex qvo iste huic qvidqvam auxilii debeat. Eqvidem Svecos, dum fœdus cum Anglia renovant, postulasse, ut, si ob auxilia Gallo lata ab aliqvo invadantur, Anglus ipsis adsistat. Sed hunc id plane abnuisse. Qvi & legato Danico Londini declaraverat, se ne unum qvidem militem Svecis auxilio missurum. Qvi ista aggressi videantur necessitate subigente, ut Gallo satisfaciant, ac plus pecuniæ huic extorqveant. Porro cum Sveci directa via Danum bonis partibus abstrahere incassum laborarent, Petrus Sparrius in Anglia proponebat, ut hic sequester adscisceretur. Id qvod Arausionensis, si salvo fœdere id fieri posset, non improbabat, qvod Dano sequestri melius confidi posset, qvam vel Sveco, vel Anglo multum adhuc favoris in Gallum ostendenti. Sane & Svecos sequestres egisse salvo cum Gallis fœdere, ac subsidia cepisse, qvæ ab his pignerando istorum favori data sint. Ast Dano sat perspicaciæ erat laqveis istis declinandis, cui & animus in bellum ardebat recuperandæ Scaniæ. Etsi haut facile huic persvaderetur, Svecos in bellum erupturos Rege juvene, cui nullus adhuc usus rerum tantæ moli par, egregio qvoqve armorum paratu, ac præcipue classis in Dania, per qvam adjunctis Belgis Svecorum commercia plane prorui possent. Nec verosimile videbatur, Svecos ita temere Germanorum benevolentiam prodacturos, ac provincias suas Teutonicas aleæ exposituros, ubi vel ipsi vel Galli cladis qvid accepissent. Et vix credebatur, tantum pecuniæ à Gallo suppeditandum, qvod & classi armandæ sufficeret. Idem tamen Electori expeditionem ingresso roganti, ut Svecorum motus observaret, ac tergum sibi tutum præstaret, prolixissime promiserat, ac post Svecis se moventibus de sua constantia sancte Electori confirmabat, cui Citeriorem Pomeraniam non minus qvam sibi Scaniam optabat, insuper habitis Galli promissis, qvi CCC M uncialium offerebat, si medium se gereret, ac octingenta millia, si eo nomine bello involveretur. Deniqve & Bavari auxilium Elector ex Instrumento Pacis & Electorali Unione exposcebat, magis ne is præteritum se qvereretur, qvam qvod obtinere qvid speraret. Sed is præter interpositionem suam nil offerebat, ad qvam amplectendam & Sveciæ Rex per ablegatum suum Pufendorfium se paratum declararit. Elector contra; peculiari cum Svecis transactione sibi non consuli, qvi per eam nil aliud qværant, qvam ut ipsum fœderatorum auxilio plane exuant. Unde omnia ad communis pacis tractationem referenda. Ast Bavarus; ex Instrumento Pacis, & Electorali Unione non plus se debere, qvam ut officium interponat; cujus & legati Ratisponæ aperte Gallis ac Svecis favere haut desinebant.

Angli:

& Bavari:

1674.

§. 65. Inter ista cum Wrangelius Wolgastum adpulisset, Joannes Georgius Anhaltinus Princeps Electoratus Gubernator istius destinatis explorandis Georgium Adolfum Micrandrum tribunum miserat, qvi de adventu gratularetur, ac Principem cum eo colloqvendi desiderio teneri significaret. Wrangelius colloqvium ob incumbentia negotia excusare. Sed super prandio varie differere: Bene sibi consulturum fuisse Electorem, si huic fabulæ se haut miscuisset. Cæcos esse Imperii Principes, qvi non perspiciant, Cæsarem ipsis servitium struere. Sibi dolere Electoris vicem, qvem pravi consultores seduxerint. Eum per Mardefeldium promisisse, se ratam duntaxat partem ad communem Imperii exercitum missurum. Reges haut temere illudi. Cum omnes in armis sint, sibi qvoqve provinciarum suarum tutelæ fuisse prospiciendum. Nec Cæsaris se destinatis velificaturos, jugum aliis imponere agitantis. Brandium Holmiæ non aliam rationem expeditionis ab Electore susceptæ adduxisse, qvam qvod huic alienæ terræ fuerint qværendæ, cum suæ alendo exercitui non sufficerent. Eadem ratione & sibi uti fas esse. Si Svecus, Anglus, & Elector è compacto Cæsarem ad pacem hortati fuissent, bello mox finem fuisse futurum, qvod nunc longe abfit. Se metuere, ne Elector brevi malos hospites in sua provincia acciperet, subridendo addens, Turennium.

Wrangelii intentio explorata. 1408.

Etsi

1674. Etsi præfecti sine ambage dicerent, se ho-
27. Nov. spitia in Electoris ditione capturos. Ista qvanqvam parum amici spirarent, Princeps tamen denuo Micrandrum ad eundem misit, ut testaretur desiderium cum ipso colloqvendi, ac amicitiæ commercia cum eodem exercendi, prout novissimo fœdere conventum sit; ac optare, ut ansa sibi præbeatur officiũ suum ipsi exhibendi. Ad qvæ Wrangelio frigide: De fœdere se nescire, num validum perstet, qvod Elector eo contenta non servarit. Haut creditum fuisse, Regem ab Electore ita neglectum habendum, ac Regem id ægre tulisse, ac de sua sententia jam ad Electorem perscripsisse. Commercia amicitiæ vix locum amplius habitura. Sibi mandata exseqvi necessum esse. Hactenus qvidem injunctum amicæ vicinitatis officia colere, ni diversum deinceps injungatur. Non tamen credere, aliqvid hostile in Electorem susceptum iri. Nam spem esse, hunc ad meliorem mentem rediturum. In eo rem verti, qvid Elector ad Regis literas responsurus sit. Ad has si iste non respexerit, forte mutationis qvid oriturum. Sibi tamen spem esse Electorem copias suas fœderatis disjuncturum. Wangelinus disserebat: Svecis sat constitisse, Electorem præsenti rerum facie exercitum dissolvere non posse, qvem tamen difficile ipsi futurum sit sustentare. Igitur eos svasisse ut medium se gereret; ac ne argueretur Galli consiliis contra Imperium innecti, eosdem stipendia ipsi obtulisse. Gallus ut honesta pace potiatur, necessum esse. Idem ut paulisper castigetur, Svecis haut invitis accidere, ne ejus potentia nimium gliscat. Sed satis depressum esse, qvi destinatis suis exciderit. Penes Dœrflingium velut Austriacum natione horum omnium culpam esse, qvo vehementer svadente ista suscepta sint. Sed apparituru m, qvam jejuna gratia Electori
16. Dec. ab Austriacis referenda sit. Post cum Svecicæ legiones jam non obscure irruptionem in Marchiam minarentur, Anhaltinus
Hagen. Dubislavum Christophorum Hagium ad Wrangelium mittebat, de Principis Caroli Æmilii obitu significaturũ, additis literis super amicitia continuanda testantes. Ad qvas Wrangelius paucis: non perspicere se, qvomodo Elector adhuc ad fœdus provocare qveat, utpote qvi Rege inscio expeditionem susceperit, ac magis ad alendam belli flammam, qvam restingvendam incubuerit, ut jam ejus exitus animo prospici non possit. Cæterum è Pomerania movere se jussum satis jam exesam, ut exercitui alimenta ex alieno petenda sint. Tum & Electorem hoc modo fœderatorum partibus abstrahendum. Ac protinus militem iterum ab- 1674.
ducendum, ubi Elector exercitum revocaverit. Interim Regem in abruptæ pacis signum nolle accipi, qvod duntaxat dilatandis hospitiis suscipitur, præsertim cum Elector qvoqve cum aliis Ordinibus sæpius pari modo egerit. Enimvero per leges Pacis Westphalicæ ejusmodi hospitationes proprio ausu sumtæ expresse vetabantur, & ad eas prohibendas inter alia Elector fœdus cum Rege Sveciæ inierat. Nec unqvam Elector copias suas in alicujus ex Ordinibus terras ideo tantum immiserat, ut ibi alerentur. Nam expeditionem hanc ad limitem Germaniæ suscipienti non poterant non aliqvot Ordinum ditiones tangi, ubi tamen miles modeste habitus. Et maximum inter Electoris ac Svecorum factum discrimen erat; cum iste ad defensionem Imperii hoc reqvirente & sponsionem interponente prodierit; Svecorum conatus in diversa tendentes Imperium nunqvam probaturum sit. Acceperat Wrangelius intra sextiduum sex diversa mandata, irruptionem jubentia, aut vetantia: ad extremum tamen stabat sententia, ut exercitus Pasevvalci contraheretur. Ac jam aliqvot 22. Dec.
legiones è Bremensi provincia per Meclenburgicam tendentes Marchiam Uckeranam ingressæ erant nulla denuntiatione facta. De qvo Anhaltinus, misso Hassone Adamo Wedelio apud Wrangelium qverebatur; & qvia credat id ipsius jussu haut factum, postqvam Sveco nulla causa præbita sit, id corrigi postulabat. Mox & cum totus sese ex- 27. Dec.
ercitus Marchiæ infudisset, Anhaltinus Ottonem Fridericum Crummenseum ad eun- Crummensee.
dem mittebat, jam Prentzloviæ agentem, ut sciscitaretur, qvo animo hospitia per Electoris ditionem caperentur? Cui is respondebat: dolere sibi, ad ista fuisse descendendum. Sed indeclinabilem necessitatem pacem promovendi, & exercitum conservandi id reqvirere, qvi exiguam Pomeraniam plane exhauserit. Sed qvæ facile emendari qveant, si Elector cum exercitu à fœderatis se disjungat. Nam sibi nullo modo concedendum, ut Gallus plane Germania depellatur; qvo dimoto Svecos eandem sortem mansuram. Electorem haut ita sinistre accepturum, Svecicum militem intra ipsius ditionem stativa habere, ubi præter necessaria alimenta nihil exacturus sit; cum Elector idem juris in alios sibi sæpe permiserit. Se militem accurata disciplina habiturum, nec initium hostilitatis facturum. Gemina Wrangelius delegatis Or- 26. Dec.
dinis Eqvestris in Marchia Uckerana eadem qverentibus respondebat: Regi non esse

1674 in animo Electoris provinciam hostiliter habere, qvamdiu nil violenti opponatur. Sed hoc modo viam ad pacem muniri, hactenus adhibita tutiorem, præmissis inter omnes bellantes induciis; ac paci accelerandæ plurimum facturum, si Elector induciarum initium facere velit, revocatis ex Alsatia suis copiis; qvo facto Regium exercitum protinus istius ditione digressurum. Interim eum modeste acturum; ac petentibus militem tutelarem libenter indulgendum. Interim ipsi juxta atqve Galli passim disseminabant; inter se & Electorem tractatus agitari, ac brevi cum ipso sibi conventurum. Cæterum satis intelligebatur, inter primordia amicum vultum ideo præferri, ut ab Electore initium fieret vim adhibendi, qvo huic culpa cœptæ hostilitatis impingi posset. Enimvero sat hostilitatis erat à famelico milite omnia consumi, qvi necessariis haut contentus provinciales omnibus fortunis cum pulvisculo exuebat. Ac observatum est, tricennali bello Marchiam non ita exhaustam fuisse, uti isthac irruptione, ac modico tempore septem millia incolarum in vicinam Poloniam profugisse, oppidis fere in solitudinem redactis. A rapacitate mox ad crudelitatem & petulantiam processum. Sacerdotes eorundem sacrorum non minus qvam alii contortis circa caput funibus, aliisqve cruciatuum generibus ad depromendas, qvas occultaverant, pecunias cogi, qvidam trucidari: templa effringi atqve exspoliari, altaria abominando modo maculari: juventus extra provinciam trahi; alicubi in imbellem ætatem cædibus sæviri. Tum immaturæ segetes proteri, pecora, qvæ abduci non poterant, occidi. Atqve talia in conspectu ducum patrari nemine inhibente; tum qvicqvid exactionum imponeretur, Wrangelii jussum præ se ferre.

Electori de Svecorum irruptione significatur.

§. 66. De ista irruptione ut Electori significaret, Anhaltinus Crummenseum misit; qvi isti ex agmine ad latus digresso literas tradebat. Qvibus perlectis idem alacri vultu ad suos reversus Svecos in Marchiam irrupisse narrabat, id sibi plenam Pomeraniæ adqvisitionem portendere ominatus. Sed Anhaltino responsum: *Sibi ex animo dolere carissimorum civium sortem, qveis in præsens qvidem ista toleranda sint: spem tamen esse, per eadem ipsis qvietem & securitatem in futurum partum iri, ac ne deinceps talia, inter Imperii Ordines nunqvam audita, sint metuenda. Nam Svecos opinionis falsos esse, si credant, hac irruptione ipsum ad abdicandas fœderatorum partes, aut medium statum amplectendum cogi posse. Post comesas ab istis provincias solam sibi vitam superesse, qvam aleæ exponere malit, qvam partes mutare, ac ultionem non sumere, qvemcunqve demum eventum fata dederint. Atqve hoc specimine ostensurum, sibi animum tam facilem mutationi non esse, uti isti spargant. Justitia causæ suæ se considere. A Deo multis se periculis ereptum; ejusdem gratiam sibi nunc qvoqve adfore, ut cum gloriæ his difficultatibus emergat, hostibus orbi ludibrium debituris.* Idem post Svecis tota provincia sparsis Anhaltino injungebat, ut divisos opprimere conaretur. Et hic eo nomine ad Cæsarem & Montecuculum scribebat, ut copiarum qvid sibi submitteretur. Sed qvia Cæsar cunctabatur, anteqvam Hispani ac Belgæ aperte Svecis sese hostes professi essent, nec Svecis suspicionem injicere vellet Electoris exercitu nondum propinqvo: Anhaltinus haut consultum ducebat Svecos lacessere, qveis irritatis aperta provinciæ in vastitatem redigere facile erat. Igitur præstare tantisper adhibita patientia extrema hostilitatis avertere, qvoad toto cum exercitu oppressis civibus subveniri possit. Qvæ & Daniæ Regis sententia erat; cui & ipsi non tutum erat in bellum erumpere, anteqvam Cæsar, Hispanus ac Belgæ Svecis arma inferrent. Ac Cæsar ea lege auxilium promiserat; si Elector suo cum exercitu domum se conferre, & in Svecos rem gerere cœperit; tunc se qvoqve ex fœdere arma vindicandæ Electoris ditioni sociaturum. Sed & fœderati Hagæ bellum in Svecos decreverant, ut tamen id dissimularetur, qvoad Elector ipse in hos erupisset. Ita Sveci per Marchiam nemine resistente pro lubitu grassabantur, qvoad tempus sumendæ ultionis maturesceret.

Electoris cura circa res Poloniæ. 10 Nov. 1674.

§. 67. Inter ista Electorem res Poloniæ nonnulla cura exercuerant, postqvam Michaëlem Regem turbidis Regni rebus mors improvisa Leopoli extinxerat. Ejus obitus Moscos cumprimis consternaverat vanum ob metum, ne Sveciæ Rex mutatis sacris eam coronam affectaret. Czar accepto mortis nuntio in lacrymas effusus è Polonico ministro ad se evocato sciscitabatur; num Regi è nimio cibo, an veneno nex obvenisset? E gravi is morbo decubuerat; sed cum sic satis convalescere cœpisset, ingesta malorum citriorum copia ventriculum iterum corruperat. Ac delectatus idem fuerat durissimis ac digestioni minime idoneis cibis, qvos seqventi mane summo nisu rejicere cogebatur. Ad extremum sangvis per vomitum & urinam emitte-

1674. emittebatur, flavus & albus, nulla rubedine. Aliqvi venenum in farcimine, aut uva præbitum ferebant, velut intemperantia ad mortem sufficere non posset. Cum alias obitu Regum Poloniæ campanis per omnia Borussiæ templa luctus signum dari solitum fuisset, id tunc omissum. Revera tamen Elector eo in Rege non modicam jacturam fecisse videbatur, qvod is post renovationem pactorum agnovisset, suis rationibus Electoris amicitiam cumprimis proficuam esse; & qvia si maxime nocere vellet, non posset; qvod his seculi moribus præcipuæ inter vicinos cautionis instar est. Ut officio consolationis apud Reginam fungeretur, Hoverbeqvius in Poloniam missus est. Iste Michaël si propria ambitione ad diadema gratsatus esset, orbis ludibrium merebatur tam ficæve acta Regis persona. Sed postqvam inconsultus populi instinctus invitum atqve deprecantem in solium protrusisset, miseratione dignus habendus fuerit: cui & optime consuluerunt fata, qvod mature cum odio ac contemtui subtraxerunt. Ne prolem relinqveret, debacchationes in causa erant. Ingenium isto fastigio longe interius. Tanta ejus aulam paupertas premebat, ut sæpe vix esset, unde mensa instrueretur. Ac jam brevi post coronationem istius tempore Proceres qvidam Polonici pactum cum Gallo iniverant, qva promiserant, se Comitem Sancti Pauli ad coronam provecturos, si iste sumtus suppeditare velit, ut novus Rex qvondam Poloniæ detracta recuperare possit; Silesiam, Livoniam, Ucrainam, Lithuaniæ partes à Mosco occupatas, & Borussiam. Etsi ea destinata mox abortiebant, isto Comite inter belli Belgici initia occumbente. Gnesnensis tamen jam per agnatum suum Augustæ viduæ proposuerat; Regis Michaëlis matrimonium ob impotentiam dissolvendum, eumqve plane regno exuendum, substecto in ejus locum alio, cui Regina maritanda sit; si Augusta consentire, ac Cæsaris ad ista auxilium impetrare possit. Ad ista hæc Augusta nec verbum responderat, nec cuiqvam mortalium indicium fecerat. Et mox tamen è Polonia referebatur; Regem resciviisse, talia Viennæ contra se agitari. Unde conjectura erat, Gnesnensem ipsum ista hæc tecte ei insinuasse diffidentiæ inter Regem, & aulam Viennensem serendæ, qvo istum omni præsidio nudaret. Alias Cæsarei ministri qverebantur, eum Regem nunqvam saniora consilia à se admittere voluisse, cum tamen nemini tutius qvam sibi fidere potuerit. Nam domesticos dissimulata veritate non nisi blandimentis aures ei demulsisse captandis beneficiis. Igitur merito perire, qvi nec ipse sapiat, nec sapientiores audire velit. Eadem indole erat Procancellarius, à qvo Rex unice dependebat, qvi iridem in sinistram partem accipiebat, si qvis rectiora consilia suppeditare vellet, qvasi imperium sibi in ipsum arrogatum iret. Polonica Nobilitas in universum qverebatur: non alio indicio sibi innotuisse, Regem ipsis esse, qvam violationibus jurisjurandi, ac legum publicarum. 1673.

§. 68. Cum porro Electoris plurimum interesset, qvis deinceps eo Regno potiturus esset, Fridericus Dœnhofius Comes ad Joannem Lessinium Magnum Cancellarium mittitur, exqvisiturus, cuinam candidato plurimum spei ad istam coronam foret. Ubi is mentem suam pandere nolit, percontaretur, an non Reip. placiturum sit ejusmodi Regem eligere, qvi Reginæ viduæ matrimonio jungi possit? Eum qvippe bene de Regno meritum, ac egregiis moribus, & vivendi dexteritate maximam laudem sibi peperisse; ne ut isthuc intuitu cælebs candidatus non modicam videatur prærogativam habiturus. Num Lotharingi ratio apud Reginam & Remp. habeatur; ac num huic lis cum Gallo super Lotharingia obstet? Num etiam de Piasto cogitetur, & de qvo? Tum si Princeps detur Protestantium sacris addictus; de qvo Reip. caustum sit eum sacra ibi recepta haut turbaturum, & cui sufficiat intra conclave ritus suos obire, sed alias Reip. insignia emolumenta conciliare, ac Reginæ simul consulere idoneus; num eo casu religio tantum obstaculum sit futurum, ut omnia commoda ideo rejicienda sint? Circa Gallicum candidatum moneret, in præsens qvidem Electori cum Gallo nil controversiæ intercedere; ejus tamen electionem citra ingentes motus fieri non posse. Nam Nobilitatem acerbissimo odio in Gallum flagrare, qvi & atrocibus nunc bellis sit implicitus, in qvorum partem Polonia qvoqve ventura sit Gallico Rege adscito. Isti Lessinius referebat, Bakovium Pomerelliæ Palatinum universos provinciæ Nobiles evocasse ad defendendam Elbingam, qvam ab Electore invadendam fama fuerit: sed se isto nomine eum reprehendisse, qvod incertos ob rumores tantum tumultum excitaret. Circa candidatos de nemine sibi constare, qvi palam aut clam prensaverit. Augustam Viduam qvidem literas ad se scripsisse, sed qveis non nisi filiæ rationes commendarit. Si Elector, aut filius Carolus Æmilius sacra Romana profiterentur, alterutrum

Ejusdem ad Cancellarium Poloniæ missio. 5. Dec. 73.

10. Dec. 1673.

1673. utrum horum Regem fore, & præcipue Electorem, qvo nemo aptior sit tutandæ Reip. & in florentem statum reponendæ. Alias Sobiescii circa hanc electionem maximam autoritatem fore, & cui hic suffragetur, eum coronæ proximum fore. Eundem suo & exercitus nomine ad ipsum scripsisse de acceleranda electione, qvo futura æstate cum novo Rege adversus Turcas in expeditionem prodire qveat; alias exercitum ipsum sibi de Rege prospecturum, & omnia remedia investigaturum patriæ in tuto collocandæ. Lotharingo exiguam apud Nobiles autoritatem & paucos fautores, qvod is ab Austriacis dependeat, & cui opes non sint parando exercitui, ac protegendæ Reipublicæ. Si Regem invenire qveant, qvi Reginam Viduam ducat, id optandum esse. Sin minus, eandem honesta sustentatione qvam Resp. decreturа sit, contentam fore, qvod Resp. suæ magis saluti, qvam peculiaribus Reginæ rationibus obstricta sit. Nam indolem regiminis Austriaci à Polonis qvam maximè horrori, ac exercitū jactare, tutelam Domus Austriacæ exuendam; qvod per violenta consilia, qvæ Cæsarei ministri Meiersbergius & Stumius Baro inspirarint, Resp. prope exitio admota fuerit. Sane Stumium sibi ingerere ausum; si proceribus animus sit Michaëlem Regem solio dejicere, Cæsarem cum exercitu huic subventurum. Qvo dicto se offensum Stumium interrogasse, qvinam sint, talia ausuri, qvi ab omnibus condemnandi sint? Inde se ad Regem accessisse, ac magnopere super eo sermone ministri Cæsarei qvestum: & qvia norit Cæsarem exercitum in finibus Silesiæ consistere, in Poloniam irrupturum, Regem orasse ut ei injungatur pedem referre, alias tale malum inde surrecturum, qvod Regi dum vivat dolori sit futurum. Eo sermone Michaëlem ita fuisse perterritum, ut etiamsi tunc pro more faciem fuco pinxisset, plane expalluerit, ac raptim cursores miserit, qvi copias istas retro ire juberent. Poloniæ qvoqve præsentia mala, & ex parte bellum Turcicum ab Austriacorum consilio promanare. Nam hos impedisse, ne mature legatio ad Portam mitteretur, qva isthoc bellum declinari potuerit. Idem & Piastum aversabatur tam inauspicato Michaëlis regimine. Nec ex indigenis esse, qvi eo fastigio dignus videatur, præter Sobiescium, sed qvi nullam coronæ cupidinem ostendat. Pacios Lithuanos de Czaris filio jacere; sed à qvo Poloni plane abhorreant, qvod Moscorum scuticæ cum Polonorum libertate haut consipirent. Ac si Lithuani huic instituto insistant, Polonos ab his plane dissociandos. De Principe Protestantium sacris addicto nullam spem esse, qvod per constitutionem novissimo interregno conditam omnes Evangelici ab electione excludantur; cui & sacerdotes manibus pedibusqve obluctaturi sint, nec minus Nobilitas ad superstitionem usqve ab istis dependens. A Gallo qvopiam haut metuendum, qvod in ea natione nemo adpareat Poloniæ gubernandæ idoneus, præter Condæum senio & morbis fractum; & qvia Gallicus Rex sine dubio Remp. turbis implicaturus sit. 1673.

§. 69. Post ad eundem Lessinium mittebatur Joachimus Scultetus, itidem hujus mentem super futura electione exploraturus. Is differebat: apud Lithuanos pro Lotharingo favoris plurimum esse; apud Polonos parum. Nam etsi eum non admodum aversentur, suspectum tamen habere, velut nimium Austriacis addictum, & qvi Austriaca consilia, qvæ effectui dare Michaël Rex diffisus fuerit, stabilire ausurus sit. Austriam qvoqve jam apud Nobilitatem, & exercitum magno odio laborare, qvod Cæsar Michaëlem cohibuerit, ne cum Turcis pacem faceret eo tempore, qvo Caminiecum adhuc penes Polonos erat; ne onus belli Turcici in Hungaria ipsi soli ingraueret. Gallum multo candidius cum Polonis agere, dum Sobiescio, & Morstino Thesaurario scripserit, se qvidem legatum ad electionem missurum, sed nullum Principem regii sanguinis commendaturum, pro Neoburgico autem Duce intercessurum. Se qvidem ideo candidatum Austriacum declinare, qvod is Germaniæ suspectus sit, ac multis molestiis Reip. ansam præbere qveat. Electo Lotharingo idem à Gallo metuendum, qvod ab Austriacis erat, si Gallus qvispiam corona potiretur. Nam Gallum nunqvam alendis in Republ. factionibus desturum; qvæ ab aliqvo tempore plus damni Poloniæ dederint, qvam bellum Svecicum. Abaffium bonas conditiones offerre, ac optime Remp. bello Turcico extricare posse. Sed Cæsarem omnibus viribus contraniti, ac paucos ipsi fautores reperiri. Contra Danum Svecos protestari, nec ab isto ita opimas conditiones offerri, qvam ab Abaffio. Cum Sculterus de Piasto injiceret, & præcipue de Sobiescio, qvi per recentem victoriam de Turcis ad Chocimum tantopere de Rep. sit meritus, nisi qvod uxoratus Reginæ maritari neqveat; reponebat Lessinius; Reginæ respectum longe post Remp. haberi. Si

Stum.

Alia ad Lessinium missio. 6. Mart. 1674.

1674. Si apud candidatum cælibem reperiantur, qvæ corona eum dignum reddant, habere ipsam, qvod eo commodo gaudeat. Sin minus, dotalitio contentam esse oportere à Rep. constituto, è qvo annua ducenta viginti qvinqve florenorum millia reditura erant; non spernenda summa, si exacte repræsentaretur. Sed multi ominabantur, eam non plus inde percepturam, qvam Joannes Casimirus ex assignata sibi pensione. De Sobiescio se initio credidisse, cum coronam ambiturum. Ideo se eundem per literas hortatum ad hoc institutum persequendum. Sed istum respondisse; sibi coronam cordi non esse; ac malle se archistrategum libero cum imperio esse, qvam manibus pedibusqve ligatum Poloniæ Regem vivere, ac mori. Præter hunc neminem esse in Polonia sceptri capacem. Semel se Piastum, eumqve fatuum Regem habuisse; ad eundem lapidem sese bis haut impacturos. Neminem magis idoneum Poloniæ Regem fore, qvam Carolum Æmilium, si pater permittere velit ut sacra mutet.

Nonnulla de candidatorum judicio.

§. 70. Cæterum cum superiore interregno tanto ambitu ac pecuniarum profusione inter candidatos certatum foret, jam Poloni ægre ferebant, post mensem a morte Regis elapsum neminem adparere, qvi prensare instituat. Haut eo minus sterili sermone unus & alter jactabatur. Ac circa Electoris filium Carolum Æmilium Episcopus Cracoviensis, & Procancellarius differebant: non qvidem ab eo exigendam consolidationem Borussiæ, aut sacrorum mutationem, si ultro velit. Integrum ei fore religioni suæ insistere, ac mysticam cœnam suo ritu percipere, modo semper in catholico templo Missæ intersit, sive interim preces fundat, seu qvid aliud legat. Sed pro dote ab ipso postulandum, ut futuro anno X M militum propriis sumtibus Reip. contra Turcas præstet; Lauenburgū, Butoviam & Draheimum Reip. restituat; actionem in Elbingam & alia remittat, ac eosdem hostes & amicos cum Rep. habeat. Alii de cedendo in Borussiam jure hereditario addebant; sed qvo Elector ne Cæsareum qvidem diadema emturus fuerat. Sane Uladislaus Rex majores suos exsecratus fuerat, qvod pro Regno electitio jus hæreditarium in Lithuaniam, Russiam, & alias provincias cessissent. Circa sacra non aliud temperamentum admittebatur, qvam ut ore & scripto Romanos ritus profiteretur; in animo qvam velit sententiam fovere ipsi integrum fore. Cæterum prius super religione declarationem edendam, qvam de emolumentis sermo fieret, qvæ 1674. istius electio Regno conciliare posset. Etsi contra Nuntius magnopere urgeret, ut eligeretur, qvi Romanis ritibus innutritus esset; qvod Ecclesiæ Romanæ vix cautum esse possit ab eo, qvi coronæ causa religionem mutarit. Revera tamen qvis Rex futurus esset prospici non poterat, qvod ea res non maturo consilio, sed fere subitario impetu geratur. Multis tamen verosimile videbatur, Reginam momentum daturam, qvæ propter eximias animi dotes, & partam inde singularem gratiam plurimum valebat; qvæ forte ad exemplum Annæ Jagellonicæ deligenda sit, ea lege futuro Regi dicta, ut ipsam ducat. Eo fine cælibes candidati jactabantur Carolus Æmilius Princeps Electoralis, Czaris filius, Sveciæ Rex, Lotharingiæ Dux, Georgius Daniæ Regis frater, Arausionensis Princeps, Eboracensis Dux, Joannes Wilhelmus Neoburgicus Dux, Mutinensis Dux, Dux Bavariæ, Dux Vindocinensis. Sed inter uxoratos erant Princeps Condæus, ejusqve filius Engvianus Dux, Palatinus Neoburgicus senior, Joannes Fridericus Dux Hanoveranus. Qvin & ipli Poloni ai qvos credebantur stimulaturi, qvod pro numero candidatorum largitionum messis uberior aut sterilior sit. Unde & cum Uladislai interregno nullus competitor exsteret, etiam qvi Joanni Casimiro favebant, fratrem Carolum Ferdinandum instigaverant, qvem pecuniosum norant, ut candidatum se profiteretur, ac magnas largitiones faceret. Ac vulgo jam qverebantur; cum creditum fuerit viginti qvatuor candidatos prensaturos, neminem tamen adhuc legitimo modo, missis nimirum pecuniis & literis collybi, nomen suum professum. Sed omnibus prægravis videbatur futurus Sobiescius, favore militum subnixus, cui magnam autoritatem circumposuerat memorabilis contra Uzaimum Bassam victoria, postridie ab obitu Michaëlis Regis parta; ac passim in ejus favorem jactabatur, eum solum esse, qvi ignominiam aliqvandiu nationi incumbentem removerit, ac majorum gloriam instaurarit. Cui tamen præter Paciorum æmulationem præcipue obstare videbatur, gratia Reginæ apud Ordines, qvam coronæ consortem retinere cupiebant, cum istius uxori haut placeret ingressu in cœnobium alteri thorum mariti, & futuram magnitudinem derelinqvere. Porro Gallo in votis erat creato in Polonia Rege suæ factionis Austriacis tergum intutum reddere. Sed Condæo maxime Reginæ gratia obstabat. Vindocinensem velut im-

1674. pari prosapia Polonicæ nationis genius adspernabatur. Czar pro filio suo liberaliter promittebat, restitutionem locorum Poloniæ ereptorum, novem milliones parata pecunia, & validum exercitum contra Turcas; cui & non pauci Lithuani favebant. Sed præter alias causas Polonos offendebat, qvod Czar jam per biennium Kioviam retinuisset, & ne Græci ritus prævalerent, qvos Romani non minus qvam Protestantium scita oderant; qvibus & Cosacci addicti erant. Ac is qvartumdecimum non amplius annum agens, haut qvidqvam iis artibus valebat, qvos Polonorum præsens status requirebat. Abaffius Transsylvaniæ Princeps pollicebatur, se suam provinciam cum Ordinum ejus consensu corpori Regni Poloniæ inserturum, simul XXX M militum in usum Reipubl. præbiturum. Comes Windischgrætzius legatus Cæsareus Hafniæ tunc circa fœdus inter Cæsarem & Daniæ Regem operam navans Georgio Principi valde blandiebatur, & Cæsari ejus promotionem curæ fore. Simul Hanoveranus Dux apud Reginam matrem instabat, ut circa sacra mutanda nil scrupuli moveret. Contra Rex Daniæ frater Viennæ declarabat, nec per conscientiam, nec salva existimatione fieri posse, ut is in antecessum Romanis se ritibus addicat. Id tamen tolerari posse, ut informationem admittat. Sed ante omnia privatum exercitium suorum sacrorum ipsi relinqvendum, nec eorum mutationem inter conditiones sine qvibus Regnum adire non possit ponendam. Eam ob causam Viennæ negabant ei se suffragari posse. Qvi priore interregno Lotharingo aut Neoburgico studuerant, nunc frigidos admodum se ostendebant, ut denuo emerentur. Ac Neoburgicus paucis duntaxat privatim filium sedecim annos natum commendaverat; sed cujus exigua ratio habebatur. Lotharingo non modica factio in Polonia Majore & Lithuania erat; sed cui Sobiescius cum exercitu, & pleriqve proceres Russici adversabantur. Ab eo nemo, ne Cæsareus qvidem legatus se qvid in mandatis habere fateri volebat; qvod is valde dubitaret, num candidatum se profiteretur, postqvam priore interregno tantum pecuniæ incassum profudisset. Ei qvam maxime nimius in Austriacos respectus obstabat, ac perinde fore dicebatur, si ipsum Cæsarem elegissent. Ast Elector statim initio declaraverat, perinde sibi esse, qvis corona Poloniæ potiatur, modo ei Regno idoneus foret: nec pro ullo studii qvid ostendere constituerat, qvoad adpareret, in qvem Resp. inclinatura sit. Vicissim pleriqve Proceres 1674. Hoverbeqvio confirmabant, se neminem electurum, qvi Electori amicus non sit, tum eundem ad colendam cum isto amiciam & servanda pacta, obstricturos; etsi in qvem inclinarent valde dissimularent. Mittebat qvoqve Regina Hispaniæ Petrum Ronqvillum in Poloniam, ut Joannem Austriacum commendaret. Ea qvippe Rege ad majorem ætatem provecto Nithardum Cardinalem iterum in aulam pertrahere cupiebat, sed qvi simul cum Joanne consistere ibi non poterat. Unde eadem opera & Nithardo locum pandere, & Joannem sub honoris specie amovere volebat, stabilito simul in Polonia Rege, cui semper ad Austriacam Domum respiciendum sit. Labem natalium extinctam, dum à Philippo IV pro filio agnitus sit, supremis muneribus in Regno potiatur, & titulo Celsitudinis ab omnibus honoretur. Provenire ipsi qvotannis CCLXX M. unciales è Commendis & aliis beneficiis in Hispania. Esse qvoqve millionem uncialium, qvem statim in Poloniam adferre posset. Sed cum Cæsar id haut successurum judicaret, Ronqvillus pro Lotharingo nitebatur.

§. 71. Porro Elector Hoverbeqvium post obitum apud Reginam consolandi officium Warsaviæ manere jusserat privati habitu, ex qvo elapsis aliqvot septimanis Primas Regni sciscitabatur, num ipse ad Poloniæ, an ad Remp. missus sit? Nam circa legatos ad defunctum Regem missos decretum fuisse, ut Warsavia decedant. Sed si ad Remp. missus sit, integrum ei fore negotia sua proponere. Cui Hoverbeqvius: se non ad Regem missum, sed ad Reginam consolationis officio exhibendo; tum ut Reip. hoc tempore de Electoris amicitia caveret, ac sciscitaretur, qva in re ejus emolumenta in præsens promovere qveat. Eqvidem à decreto removendi exterorum legatos merito se excipiendum, qvod Elector tanqvam perpetuus Reip fœderatus pari cum aliis exteris classe censeri neqveat. Sed qvia alias constituerit brevi discedere, ad illud provocare nolle. Qvod si tamen non omnes legati pari modo habeantur, id sibi ad Electorem referendum esse. Querebatur qvoqve Primas, sibi ab Electore titulum *Primi Principis* datum non esse, qvem tamen Cæsar & alii vicini tribuant, idqve ur corrigatur postulabat. Cui ab Electore repositum: eum titulum studio omissum, qvod Dux Borussiæ in Pace Perpetua anno 1525 obtinuerit, ut ei *primus* & *proximus* locus à Rege debeatur: prout & nemo Ducum *Cerimonialia.* *13. Febr.*

1674. cum Boruſſiæ prioris lineæ Primatem eo titulo impertierit. Ac pactis Bydgoſtienſibus cautum, ut omnia prioribus Ducibus competentia jura ſalva eſſe, qvin augeri debeant. Sed nec ſe prioribus Archiepiſcopis eum titulum dediſſe, ac ſua nil intereſſe, qvid titulorum alii eidem tribuant. Et eam ipſam ob cauſam Duces Boruſſiæ in Pace Perpetua primum ſibi & proximum à Rege locum ſtipulatos, qvod pactis cum Magiſtro Ordinis Elrichshuſio cautum foret, ut Gnelnenſi locus præ Duce Boruſſiæ debeatur, qvod ibi Magiſtro primus locus à ſiniſtris aſſignatus foret. Ita deinceps Primas neqve remotionem exterorum legatorum, nec titulum Primi Principis amplius urgebat. Mox cum nuntiaretur Cæſareum legatum Warſaviam tendere, Elector Hoverbeqvium juſti legati dignationem aſſumere jubebat, ut Cæſareo tanqvam ſerius venienti pro more primam viſitationem deferre poſſet, qvam forte, uti priore interregno factum, Cæſareus ipſi negaturus eſſet, ſi is poſt iſtius adventum pro legato ſe geſſiſſet. Cæſarei ſuper ea controverſia Viennæ ultro apud Crocovium propoſuerant: Si Elector unum duntaxat legatum mittat, aut ſi plures, illuſtri omnes loco natos, paribusqve mandatis, ac pari dignatione, nullo primarii & ſecundarii diſcrimine; Cæſareos legatos iis omnibus titulum *Excellentiæ*, & primum locum in ſuis ædibus daturos, ut tamen etiam ſerius venientes apud Cæſareos primam ſalutationem obeant, qvo ſaltem aliqvod diſcrimen Cæſareos inter & Electorales legatos ſit. Vicisſim noſtri legati Cæſareum Plenipotentiarium Ratisponæ viſerent, ac eo honore contenti eſſent, qvo is aliorum Electorum legatos exciperet. Aſt Elector receptæ hactenus conſvetudini inhærere certus, nihilum qvidem minus honoris admittere volebat, qvam liberarum Rerumpubl. legatis dari ſoleat, qvos ſerius venientes Cæſarei legati priores inviſant. Si plures uno mittat, omnibus eandem dignationem tribuendam; nullo primarii aut ſecundarii gradu. Sed ut omnes illuſtri loco nati ſint, adſtringi nolle, qvod ſibi magis dexteritas legatorum, qvam natales ſint reſpiciendi. Demum Electori placuit, ut ſui legati Ratisponæ Cæſareum Plenipotentiarium ſolenniter inviſerent. Id qvod Cæſari admodum gratum erat, ac vicisſim promittebat, cum ipſius legatis ita actum iri, ut Electorali faſtigio nihil fraudis adferatur. Prous & Schafgotſchius Warſaviæ Hoverbeqvium ſalutatione accepta ac reddita eodem cum Nuntio ac Regiis legatis honore habebat.

15. Mart.

§. 72. Aſt Sobieſcius candidatum ſe multa cum diſſimulatione atqve arte gerebat. Literis ad conventus provinciales ſcriptis omnem ſuſpicionem Ordinibus eximere ſtudebat, qvaſi ipſe de Regno cogitaret. Nec eo minus Lotharingo, & aliis Auſtriacæ factionis palam ſeſe adverſarium ferebat, ut multis jam ſuboleret, eum tamdiu circa alios excludendos laboraturum, qvoad occaſio naſceretur cupita ſua pervincendi. Ejus qvoqve amici qvavis occaſione negabant, eum coronam ne ſi offeratur qvidem acceptaturum; haut ignaris prudentibus, multos flagrantiſſime cupere, qvorum averſationem ambitioſiſſime jactant. Ipſe qvoqve actus interregni accelerari urgebat maturandæ electioni; cum alii tempus extractum irent, qvo candidatis ſpatium foret prenſandi; qvæ procerum meſſis habetur. Cum Regina eidem rationes ſuas commendaret, promittebat, ſe eas qvantum penes ſe promoturum; hortatus tamen, ut inclinationem in neminem panderet, nec cuipiam ſe obſtringeret, ſed Reip. decretum expectaret. Qvia etiamnum, à tota licet Republica rogatus, Warſaviam accedere differebat, vix qvispiam procerum ſtudium ſuum in qvempiam propalare audebat; niſi qvod aliqvi in univerſum differerent, prudente, perito rei militaris, & pecunioſo Rege opus eſſe. Nam ſi poſtremum deſit, ne per Herculem qvidem Reip. conſuli poſſe. Demum is declarabat; ſe neminem perſpicere idoneum è periculo eripiendæ & regendæ Poloniæ, qvam unicum Condæum; ad qvem & bis literas dederat nomine eorum, qvi priore electione ei faverant, ac inprimis exercitus, de bono ſucceſſu ample pollicitus, ſi candidatum ſe ferre velit. Qvæ res Reginam non parum turbabat, utut de divortio cum ipſius conjuge mentio injecta eſſet, qvicum is diu diſcors egerat. Nam etiam eo ſuccedente acerbum Reginæ futurum erat Condæo nupſiſſe, moroſo ingenio, ſimul morbis fracto, & cui placere ſi vellet, cum propria domo inimicitiæ ſuſcipiendæ erant. Solum autem iſtum à Sobieſcio proponi mirum videbatur, qvod iſte gloria cum primis bellica ſeſe jactans vix videbatur Sobieſcio moderamen belli relicturus, qvo hujus opes atqve autoritas ſtabant. Unde idem credebatur non ſerio pro Condæo laborare, ſed per comparationem inviſi hominis adverſa parte connivente irrepere velle. Ac altius penetrabat, qvod idem tres legiones arci Cracovienſi, ubi inſignia Regni aſſervantur, immitteret. Idem porro ut palam fremebat, ſe caput ſibi malle diffringi,

1674. *Sobieſcii artes circa ambiendam coronam.*

10. Febr.

1674. fringi, qvam Lotharingum Regem admittere, ac sub ejus imperio degere, qvi peritia rei militaris ac opibus par sibi non sit: ita contra qvi Lotharingo favebant, Piasti exclusionem urgebant.

Candidatorum ambitus. §. 73. Vulgabatur inde Condæi declaratio, ipsum non solum coronam si offeratur acceptaturum, sed & ultro ambiturum. Unde jam duæ validæ emergebant factiones, Condæana, & Lotharingica. Illius fautorem se ferebat Sobiescius cum exercitu; hujus Pacii Lithuaniæ potentissimi, pleriqve Clerici & Jesuitæ, ac magna Nobilitatis pars. Sed cui præcipue obstabat, qvod ipse ac Regina eidem Domui Austriacæ obnoxii forent. Ac qvia Regina præcipue in eum inclinare credebatur, isti addicti in hunc qvoqve favorem translaturi erant. Sane pro eodem Augusta Vidua valde nitebatur, oblatis Sobiescio CC M uncialium, præter alias conditiones, qvas sibi stipulari placeret, ac æternam facti memoriam. Ast Primas & alii, qvi tranqvillam electionem & pacatum deinceps regimen optabant, Condæum juxta ac Lotharingum excludere cupiebant, ac tertium malebant, inprimis Carolum Æmilium, ni sola religio obstaret. Qvi insolubilis nodus erat, qvod Polonis non sufficeret cautio, ipsorum sacra haut qvidqvam turbatum iri, modo istius religio non solicitaretur. Unde cum vulgaretur eum Principem nullo pretio sacra mutaturum, Procancellarius & aliqvi proceres de Georgio Daniæ Principe loqvi cœperunt. *3. Mart.* Et accedebat mox Warsaviam Sestedius à Daniæ Rege missus, sed dissimulata persona, ne Svecus palam ei se opponeret. Ac inveniebat ille apud non paucos applausum, cui & Elector præ reliqvis favebat; ac credebatur Sveciæ Rex per matrimonium cum istius sorore eidem conciliari posse. Ac si Sobiescius in partes pertrahi valuisset, reliqvis prævaliturus videbatur. Vulgabatur qvoqve ejus elogium: *Avis atavisqve Regibus oriundum è Regno Poloniæ amicissimo, & nunqvam armis cum hac collisso. Esse dignitatem corporis, esse ætatem sceptro capessendo ac matrimonio idoneam. Contigisse eidem accuratam educationem. Externarum consvetudinum non rudem; nullis factionibus imbutum, nec genio gentis ad eas pronum. Generosæ ad regnandum indolis; ad Martem bene compositum; calibem, coqve Regina maritum daturum; ejus generis & constitutionis, ut ex se successores promittere possit. A Catholica religione non abhorrere, aliisqve Principibus occasionem daturum, ut Catholicos clementius habeant. Per eum Daniæ Regnum Poloniæ arcto nexu adjungi; commercia Maris Baltici promoveri. Æmularum in Europa domuum nulli peculiariter adversum, nec plus qvam expediat obnoxium; eoqve istius electionem nullos affectus secum tracturam. Maximas familias cognationibus & affinitatibus complexum. Nulli bello implicitum; cui si opus sit è Dania, Saxonia, Holsatia egregios præfectos, milites qve contrahere in proclivi sit. Cum peculiarem ditionem non habeat, ejus curam à rebus Poloniæ non distrahendam. Cæsarem, Anglum, Moscum, Belgas, plerosqve Germaniæ Principes ei favere; haut temere ullum Europæ Principum ei se oppositurum. Opibus non maximis, ut tamen decore sceptrum adire possit. Polonos qvoqve hac electione grates Daniæ referre posse ob detractum qvondam cervicibus suis incumbentem Sveciæ Regem. Esse magnanimum, liberalem, clementem; pollere ingenio, callere matheseos, linguam Latinam, Germanicam, Gallicam, Italicam. Per biennium Europam lustrasse; nec recusaturum ritus Romanos amplecti, qvos tot in regnis florentissimos vidit. Romæ qvoqve Pontifici reverentiam exhibuisse. Stephanum qvoqve Bathoreum abdicatis Protestantium scitis evasisse Regem Romanis ritibus addictissimum, nec prudentia minus qvam felicitate Poloniæ semper memorabilem.* Jam qvoqve Neoburgicus Gisium in Poloniam mittebat; *10. Mart.* in cujus gratiam ut qvantum posset faceret Elector Hoverbeqvio injungebat, summa tamen circumspectione adhibita. Nam qvia priore interregno oleum & operam perdiderat, altera vice ludibrium debere haut decebat: & tam obscuro eventu saltem id cavendum erat, ne apud qvosdam offensa, apud neminem gratia iniretur. Ast Nobilitas vix amplius decora corporis & animi, sed tantum pecuniam captare, per tributa opibus exhaustis; ac qverebatur, hactenus neminem professum, qvi de proprio erogare qvid posit. Lotharingum seni agnato confidere, sed nobilitatæ avaritiæ; Principem Georgium fratri suo, sed qvi ob Svecos ærarium exhaurire non audeat; Neoburgicum Gallo, sed cui, opibus in bellum Belgicum prodactis, nova semper edicta comminiscenda sint extorqvendæ pecuniæ. De solo Condæo spes erat, DC M uncialium dare posse, qvi & divortium facturus dicebatur, qvo Reginam ducere posset, adducta ratione, qvod metu Mazarini ad invisum matrimonium compulsus fuerit.

Sobiescius artes suas consumat §. 74. Ast Sobiescius, etsi Condæo favere crederetur, clientibus tamen suis integrum relinqvebat ei se addicere, qvem qvis-

1674. qve Reip. maxime idoneum judicaverit. Literis qvoqve ad conventus provinciales ostendebat; qvia in candidatis, qvi nomina sua professi sint, haut reperiantur, qvæ Resp. desideret, alium circumspiciendum, qvi patriam è molestissimo bello per æqvam pacem in tutum subducere qveat. Per qvas ambages qvidam suspicabantur Abaffium insinuari, cui tamen tanta Constantinopoli autoritas non erat, ut talia de ipso sperari possent. Sed qvia interim ab ipsius clientibus libelli spargebantur, qveis Austriaca Domus tanqvam omnibus liberis Rebuspubl. fatalis, ejusqve cliens Lotharingus atrociter traducebatur, simul omnes in universum candidati, ut petitione desisterent, monebantur; prudentes judicabant; ipsum sibi ad coronam viam munire, qvicqvid verbis in contrarium protestaretur, præsertim cum eidem de Galli favore per literas cautum foret. Ad qvem finem etiam spectare credebatur, qvod cum non sine minis, se alias omnia sua munia abdicaturum, accelerationem electionis urgeret, haut eo minus circa omnia, qvæ eidem præparandæ facerent, cunctaretur. Qvi & ad conventum Lublini indictum tarde accesserat, eoqve confœderationem exercitus, qvæ metuebatur, non præverterat. Contra pro Carolo Æmilio nulla amplius spes adparebat, ni à Turcis ingens periculum ingrueret. Nam extra id circa religionem nullum temperamentum, qvod conscientiæ Principis satisfacere poterat, sperandum erat. Eqvidem Hoverbeqvius clam laborabat, ut Poloni Electorali Domui coronam offerrent, ostentato in auxilium exercitu XX M constante, qvem in præsens nemo alius præstare poterat. De mutatione tamen sacrorum nullum verbum faciebat, qvod ea conditio benevolos duntaxat, non item malevolos motura esset. Ac qvæ offerebantur auxilia multi elevabant, qvod iis alendis facultatem sibi esse negarent; ac melius pecunia sibi consuli. Nam ea præcipue libido erat, alios argento emungere, ac haut eo minus facere, qvæ placeant, si fatuos invenire possent. Ita cum novæ subinde difficultates circa unum & alterum surgerent,
17. Mart. eventus electionis animo prospici non poterat. Et ipse Sobiescius valde perturbabatur, cum Palatinatus Sendomirienſis decrevisset, ut Nobiles viritim apud Comitia adsint. Unde per amicos suos apud Borussicos conventus instabat, delegatis suis in mandatis darent, ut domum potius revertant, ac Remp. sine capite relinqvant, qvam ut permittant electionem evocata universa Nobilitate fieri. Alias electionis summa ad Sobiescium & Pacium reditura videbatur. Qvi etsi invicem parum fidentes subinde per literas super eo negotio communicabant. Sobiescius inter candidatos semper primo loco ponebat Condæum, inde Carolum Æmilium, ut tamen ostenderet, super aliis qvoqve cum Pacio sibi convenire posse, excepto Lotharingo. Contra Pacius primo loco Lotharingum, inde Condæum statuebat, modo hic in eum se statum collocaret, ut Reginam ducere posset, ut tamen Sobiescio circa omnes alios gratificari vellet, præter Neoburgicum. Georgius Daniæ Princeps hærere incipiebat, qvod præcipue Reio Lublinensi Palatino confisus fuerat, cui apud Sobiescium nulla fides, apud Nobilitatem exigua gratia. Et irrisui fuerat Sestedius, dum apud Pacium Magnum Lithuaniæ Cancellarium differebat, Lutheranam religionem ad Catholicam propius accedere, qvam Calvinianam, qvod hæc valde subtilis esset; Pacio regerente; sibi stupido Principe non consuli. Et qvia pro Neoburgico nemo prensabat, Lotharingus spem concipiebat, aliis candidatis deficientibus etiam adversos in ipsum consensuros. Demum al-
31. Mart. latis è Gallia literis Sobiescius palam pro Condæo apud exercitum, & Palatinatus Russicos nitebatur; simul reliqvos omnes excluſum ibat. Lotharingum tribunum Cæsareum, cui nil ditionis; Carolum Æmilium juvenem, nec Catholicum: Neoburgicum pauperem, & adhuc puerum. Dano non pauciora obstare. Igitur solum Condæum supereſſe, in qvo omnia sint, qvæ hac tempestate reqvirantur. Reginæ consuli posse, si Contio Principi nubat cum pacto, aut (qvod alii malebant) spe futuræ successionis. Ac Sobiescii uxor in Galliam scripserat; se proximos desperationi esse, qvod Gallus Condæum, aut aliqvem ex ejus domo haut fulciat. Frustra ab eo Neoburgicum aut Danum commendari, qvorum neuter Lotharingi partes librare qveat. Solum Carolum Æmilium id posse, si Catholicus esset, & Gallus bona fide pro eo conniteretur, qvod Lithuania ei adversetur. Ac Gallicæ factioni addictos testari, se malle Lotharingicis partibus accedere, qvam Galli commendatione egenum Principem Regem assumere. His rationibus sperabant se Gallum permoturos, ut Condæum fulciat, cui palmarium momentum additura sit confœderatio exercitus, qvæ jam præparata erat, directore qvoqve designato. Vicissim Pacius plane adversum se Condæo ferebat, qvod divortium ejus

1674. obtineri non posset, an qvod id serio non ageretur. Nec verosimile erat, cum tantam pecuniæ vim pro se solo profusurum, post corona in Contium potius, qvam proprium filium transmittenda. Enimvero à Sobiescio in speciem duntaxat Condæus jactabatur, ac is revera pro se ipso nitebatur. Nam qvia huic instituto potissimum Reginæ rationes, Pacius Lithuaniæ Cancellarius, & Potocius Kiovienſis Palatinus obstabant, Condæi persona adhibebatur, ad invidiam neglectæ Reginæ declinandam. Nam si Nobilitas primum de affectu in Reginam eousqve remitteret, ut de uxorato candidato audire inciperet; in collisione partium ope exercitus facile pervincendum erat, qvod hactenus tanto studio dissimulatum fuerat. Potocius gravissimo tunc morbo decessurus credebatur; è qvo tamen post convaluit. Pacii autoritatem imminuere instituebant, evulgato apud Nobilitatem ejus chirographo super abdicando Rege Michaële, si blanditiis, aut largitionibus nil profici posset. Lithuanicæ qvoqve militiæ summus præfectus fidem dederat, se Lotharingo haut suffragaturum; & is alias cum suo exercitu se motus non erat, ni pecuniam acciperet, qvam senior Dux nisi post electionem erogaturus non erat. Ab exteris porro nil oppositionis metuendum erat. Moscus tres millliones offerebat, si Resp. Piastum eligeret. Svecus testabatur, se Piastum malle, qvam Moscum, Danum, aut Lotharingum. Gallus jam non obscure Sobiescio favebat, qvem & Elector, ac ipse Cæsar Condæo præferebat. Danus, qvem alias velut tertium & neutri parti addictum proposituri fuerant, fœdere nuper inter ejus fratrem ac Cæsarem contra Gallum inito, viam sibi ad coronam intercluſisse arguebatur. Etsi ejus fautores C M uncialium accipere haut recusaturi erant; qvorum dimidiam partem si restituerent, tanqvam insigne beneficium ultro imputaturi erant. Pro Neoburgico qvidem commendatitiæ Galli literæ adferebantur d. 3. Februarii datæ. Sed nec spatium supererat ei negotio digerendo, &, præterqvam qvod Cæsar acriter se oppositurus esset, nil simul pecuniæ à Gallo literas comitabatur. Nam usqve adeo de pecunia agebatur, ut Lessinius Cancellarius, qvi alias sat proclivem se in istum ostenderat, protinus aulæ suæ præfectum ad Gisium mitteret duo aureorum millia peritum ad iter Warsaviam instruendum, ac totidem sumtibus sibi tolerandis; cum tamen is revera Condæanis sese partibus addixisset. Et Neoburgici tam exigua ratio habebatur, ut is conventu Lublinii inter candidatos ne nominatus qvidem esset. Adferebantur tunc à Condæo literæ, qvibus significabat; sibi ob memoriam prioris ignominiæ, ac deceptionis haut placere coronam ambire: si tamen ea sibi unanimi electione deferatur, eam non recusaturum; plerisqve eo fastu indignantibus. Haut eo minus ipsi addicti jactabant: à majoribus sibi relictum, summæ commendationis instar habendum, commendationem non habere; ac honore dignissimos, qvi cum eum mereantur, non ambiant. Unde & Lotharingici dejerabant, Cæsarem sui Principis causam non agere, ac non nisi Augustam viduam pro filia solicitum se exhibere. 1674.

7. April.

§. 75. Hac rerum facie cognita Elector Hoverbeqvium hisce mandatis instruit: *Sibi circa hanc electionem nil aliud curæ esse, qvam ut Resp. ejusmodi Regem sortiatur, qvi ei bene præsit, cum vicinis amicitiam colat, horumqve auxilio Regnum summo periculo expositum paci ac pristino splendori restituat. Unde is qvavis occasione testaretur, Electori parum gratum auditu accidere, in candidatis magis pecuniam, qvam alias sceptro dignas artes respici. Si virtute & prudentia insignis Rex eligatur, opes non defore servandæ Reipublicæ, cui tali Rege longe melius consulatur, qvam pecuniosо aliqvo, vicinis æmulationem injecturo, nec morbis Reip. mederi idoneo. Qvia autem ea res Cæsarem qvoqve & Svecum tangat, cum horum ministris, ac præcipue cum Cæsareis consilia conferret, qvomodo Gallici Principis, aut à Gallo pendentis electio tuto impediri qveat. Id qvod ipse judicet non per publicam exclusionem, sed secte faciendum; tum ut de remediis cogitetur, si Gallica factio per vim destinata sua pervincere conetur. Exteros qvod attinet, se judicare Danum, etsi ut ipse ei obstet causa non sit, corona potiri haut posse, qvod Svecus omnibus se viribus ei sit oppositurus, qvem offendere, ac plures in se hostes irritare Polonia in præsens consultum non sit. Igitur præcipuos candidatorum videri Lotharingum, & juniorem Neoburgicum. Uterumqve sibi gratum esse, velut per qvos Regina Regni consors retineri qveat, qvæ merita sit, ut ipsius ratio habeatur. Apud utrumqve reperiri, qvæ Reip. non parum emolumenti polliceantur. Lotharingum prudentia pollere, cui & in proclivi sit futurum Polonorum se ingeniis attemperare, eorumqve animos svavitate morum sibi devincire. Esse peritum multarum linguarum, habere usum rei militaris. Post electionem ab agnato pecunia sublevandum. Lotha-* Hoverbeqvii mandata. 10. April.

ringus

1674. *ringia deinceps utiqve potiturum, unde reditibus ejus multum accedere possit. Nec esse qvod Resp. metuat, cum plus justo Austriacis addictum fore. Nam praterqvam qvod ita ingenio polleat, ut ab alieno consilio dependere haut necessum habeat, ac suas suiqve Regni rationes unice sit consideraturus; Cæsarem qvidem ejus promotioni non adversaturum, nec tamen adeo enixe pro eo laboraturum. Jam autem Electoris juxta ac Reip. interesse, ne Rex à potenti domo dependeat, ac exactissimus juramenti sui leguinqve patriæ observator sit. In Neoburgico qvoqve præclara multa reperiri. Nam juvenem qvantumvis judicio sit maturum ferri; probe educatum esse, aliqvot linguarum peritum, & cur facile sit futurum Polonicam linguam addiscere. Post electionem qvoqve militem ac pecuniam non defore; ac patre mortuo egregiis provinciis potiturum, qvorum reditus corona non mediocri levamento sint futuri; ac ob ætatem adhuc flexilem facile se moribus Polonicis accommodaturum. Igitur Hoverbeqvius ut a se gereret, ut uter horum corona potiatur ipsum arguere neqveat, velut ejus electionem insuper habuerit, aut pro altero plus connixus sit. Atqve eadem circumspectione uteretur, si neutri horum qvid spei superesit, ut qvisqvis demum diademate potiatur, queri neqveat, se ipsi impedimento fuisse; sed quantum fieri possit, ubi de eligendo constiterit, ita se gereret, ut hic ipsi beneficium debeat. Ne Prussum qvidem sibi displicturum, modo is ipsi Reip. suspectus non sit, tanqvam per factiones, sinistras artes, aut exterorum opem invitæ obtrusus. Eas ob causas legatus neminem publice, uti antea, commendaret. Si tamen utiqve publice super electione verba facienda sint, oratio potissimum constaret voto pro felici electionis successu, testatione de sua amicitia, ac officiorum oblatione; tum ut artes eligendi ita describantur, ut id commodo iis cedat, qvibus ipse diadema optet. Ni forte proceres inter se in eligendum conspirent, ac ipsi cupiant, nostra recommendatione negotium promoveri.* Qvæ omnia legatus pro sua dexteritate judicaturus sit; cui id præcipue respiciendum sit, ne futurus Rex exprobrare possit, ab ipso impedimentum sibi allatum; saltem caveat, ne qvorundam offensam incurrat, apud neminem gratiam ineat. De cætero Evangelicorum causam tueretur, ut qvæ hactenus in eorum fraudem facta sint, aboleantur, priori libertate ac privilegiis restitutis; qvod ea res Evangelicos Principes permotura sit, ut eo libentius Reip. contra Turcas auxilium ferant. Adderet; cum ipse jam iterum suis sumtibus Reip. non spernendas copias auxiliares miserit, eo iniqvius esse, post tot edita sinceræ amicitiæ specimina se 1674.
adhuc suspicione onerari, aliqvid scævi à se in Remp. strui per copias nuper in Borussiam missas. Qvod & Senatores qvidam ita sinistre interpretati sint, ut scripserint; eas copias tantum in fraudem Regni venisse, qvibus obsisti par sit; cum tamen necessitate urgente eo promtius per istas Reip. subveniri qveat. Si qvid super supremo Borussiæ imperio moveatur, legatus id declinaret. Si & forte de oneribus è militum hospitiis in Borussia ortis mentio fiat, ista temporum iniqvitate excusaret, qvæ talia imperet; ac si qvid circa ea confusionis obtigerit, ipsos Ordines in culpa esse, qvi ultro necessitati se attemperare noluerint.

§. 76. Cæterum Elector, cum tam enixe antehac pro Neoburgico impensa opera frustra fuisset, in præsens minore ambitu rem gerere instituit, in neminem eminente studio ostenso. Unde cum Neoburgicus ipsius commendationem pro filio sedecim annos nato peteret, siqvidem Carolus Æmilius diadema non affectaret, respondebat; Qvia Cæsar Lotharingo faveat, cui & in Polonia factio sit, simul de Gallico candidato jactetur, se prius habitus animorum ibi exploraturum, ac ulterius cum ipso communicaturum. Scribebat inde Neoburgicus: Lotharingum Regno haut potiturum ob validam factionem ei adversam. Gallum qvoqve neminem suæ nationis commendaturum; sed pro ipsius filio ad Sobiescium, & Morstinium Thesaurarium scripsisse; ac se Bernhardum Gisium, ac Henricum Theobaldum Goldsteinium in Poloniam missurum. Svecum qvoqve pro ipsius filio studium promisisse. Igitur denuo eundem commendari petebat, siqvidem Carolus Æmilius coronam non ambiat, cui libenter cedere velit. Ad qvæ Elector; de filio suo parum se cogitare, ut ut à compluribus spes sibi fiat, ejus rationem habitum iri. Sed qvia res Poloniæ confusæ, animiqve ita distracti sint, ut nil solidi adpareat, cui consilia superstrui qveant; igitur caute sibi agendum, ac sensa animi nondum pandi posse; qvod priore electione ita sinistre sit acceptum, tam longe processum fuisse. Se tamen Hoverbeqvio injuncturum, ut Gisio fideliter adsistat, ubi liqvidius rerum ibi habitus inspectus fuerit. Reponebat Neoburgicus; eam ipsam ob incertitudinem neminem se legati cum dignatione in Poloniam voluisse mittere, ne se prostitueret. Has porro sibi è Polonia conditiones propositas; ut post electi-

Cum Neoburgico super rebus Polonicis acta.

10. Jan.

11. Febr.

10. Mart.

4. April.

1674. onem qvatuor milliones florenorum Polonicorum exercitui solvantur; ut seqventibus duobus annis bini milliones è propriis aut Regiis reditibus exercitui numerentur: ut decem peditum millia contra Turcam præbeantur: ut Caminiecia, si à Turcis recuperata fuerit, munitionibus firmetur. Priores conditiones per iniqva temporum nunc à se præstari non posse; sperare tamen Electorem ac Svecos circa militem sibi adfuturos. Pecuniæ qvantum
21. April. posit, mutuo sumturum. Missus inde in Poloniam Stratemannus in itinere conventionem priorem renovabat, qvæ nunc in ejus filium primogenitum Joannem Wilhelmum aptabatur. Ea conventione Elector promittebat, se huncce commendaturum, una tamen cum Carolo Lotharingiæ Duce, qvi & ipse id desiderarit: idqve partim qvia huic insuperabiles difficultates obstare videantur; partim qvia è Polonia significatum sit, facilius se scopo suo potiturum, si duos candidatos commendet. Cæsaris qvoqve favorem ab utroqve ambiendum; nam Gallum suam commendationem jam promisisse. Qvia etiam probabile sit, Remp. à futuro Rege copias contra Turcam stipulaturos, Elector aliqvot peditum millia, qvingentos insuper eqvites, totidem dimachas præter auxilia Reip. ex fœdere debita promittebat: tum se C M uncialium de Elbingensi debito remissurum. Si electio abs qvopiam vi impugnetur, pari numero subventurum. Vicissim Neoburgicus gratum animum, & amicitiam promittebat, tum pacta sancte observanda, nec ut alii eadem violent permittendum. Item ut Elector idoneo Vistulæ transitu potiatur, ac, qvod domui suæ competit, jus indigenatus nullo contradicente exercere posit. Ut agnati Franconici extincta familia Electorali in Ducatu Borussiæ succedant cum jure supremi imperii, si ullo modo fieri possit; utiqve autem sub conditione feudi, uti priores Borussiæ Duces eam possederunt. Ut Evangelicorum jura ac privilegia sarta tecta præstentur juxta constitutiones Regni, ac uti ante pacem Olivensem in usu fuerit. Insuper Ravesteinam cedendam, ac veredariis hinc inde in Borussiam liber transitus per Polonicum territorium concedatur. Eadem præstanda, si pater eligatur. Si electio non succedat, eum tractatum supprimendum. Subscripserant Sverinus, Somnicius, & Stratemannus.

Cum Lotharingo

§. 77. Nec minus Lotharingus ab Electore commendari petierat, amplissima qvæqve vicissim pollicitus. Cui Elector de suo affectu testabatur, & cum diademate dignum, qvo & potiri eundem optet, ac suo tempore qvantum posset operæ collaturum. In præsens tamen sibi adhuc qviescendum. Nam si præmature sententiam suam promat, ac res secius cadat, Duci nil profuturum, in se gravem offensam tracturum, uti priore electione factum. Igitur sibi expectandum, qvoad id negotium penitius sibi exploratum sit. Et eousqve petebat, Ducem legatione ad ipsum supersedere. Crocovio Viennam super hoc negotio id mandatorum dabatur: Sine dubio Cæsareos ultro super Polonica electione moturos, qvod & sibi gratissimum sit futurum. Eo casu diceret: uti Cæsaris non minus qvam Electoris intersit, Regem Poloniæ eligi, qvi suspicionem vicinis haut injiciat, ac veterem Reip. statum conservet; ita gratum ipsi fore, si Cæsar sententiam suam super eo indicare velit. Famam esse, Cæsarem Lotharingo favere; nec Electorem, ut huic diadema invideat causam habere; potius eum ob insignia merita magni facere, nec ingratum fore, si is per unanimem electionem illo potiri qveat. Enimvero notum, qvantum suspicionis Poloni nupera electione apricati sint, cum unus & alter ipsis commendaretur, ac uti jam tunc Lotharingus plurimos qvi contraniterentur senserit; qvi & nunc eidem metuendi sint. Igitur nosse velle, qva ratione Cæsar officium pro Lotharingo interponere decreverit, qvo Electori judicare liceat, an & ipse circa hoc negotium operæ pretium facere qveat. Adderet; multos in Polonia & Brandenburgicam Domum, & Neoburgici filium respicere. Utroqve casu Electori non modica emolumenta exposita. Nec dubitare, qvin Cæsar rem eo deducturus sit, ut si Lotharingi causa isti amplectenda sit, qvid eidem ab hoc expectandum, prius constet. Sane ipse Lotharingus misso Alberto Caprara Comite prolixe pollicitus fuerat. Ita Crocovius de Polo- 19. Febr.
nico negotio laxis verbis rerum in Imperio & vicinia agitatarum tangebat. Qvod statim à ministris Cæsareis arreptum; inter Cæsarem & Electorem de compacto agendum. Goëssium proponere jussum, ut conveniatur super promovendo Principe, qvi vicinis gratus sit, ac suspectis excludendis. Cæsarem nondum super certo candidato decrevisse, cui fauturus sit. Eqvidem Cæsari causam esse, ut Reginam, & ejus intuitu Lotharingum respiciat. Sed qvia res à Polonorum inclinatione pendeat, qvi animis turbidi in diversa distrahantur, nil adhuc certi

1674. *super eodem negotio acta.* 12. Jan.

1674. certi à Cæsare statui potuisse. Propediem tamen cum Electore consilia collaturum. Alias metus erat, ne Sobiescius clandestinis artibus coronam pervinceret. Neoburgico juniori debilem factionem, ac exiguam spem esse. Ejus patrem Cæsari confirmasse, se invito Cæsare coronam haut ambiturum; ac omnes amicos, operamqve in ejus usum accommodaturum, qvi Cæsari gratissimus sit. Sed Cæsarem illi nil promisisse, ne in eum qvidem casum, si Lotharingus omni spe evolutus fuerit; id qvod nondum factum sit. Deniqve serium esse super hoc negotio agitare, ac propediem de facta electione nuntium adfore. Certum qvoqve Germaniæ Principem Cæsaris commendationem ambiisse, qvi sacris mutandis paratum se diadematis pretio tulerit. Danico ministro pro Georgio Principe Cæsaris favorem expetenti responsum; eum Principem Cæsari non ingratum; sed hunc Lotharingo jam studium promisisse. Idem & Neoburgico respondebatur; addito, Cæsari haut placere, istum tantopere à Gallo dependere, ac ingentia destinata in fraudem domus Austriacæ meditari. Qvin aula Cæsarea Danum aut Piastum malebat, qvam Neoburgicum; qvod Cæsar nullo modo eundem cum Gallo commendare posset. Istum ab initio hujus qvoqve interregni Galli favorem ambiisse; unde Cæsaris rationibus repugnare eum Regno potiri, qvi id soli Gallo inacceptis sit relaturus. Apud qvem & Galliæ rationes, & Furstenbergiorum consilia altas nimis radices egerint. Mirum esse, Principem ea prudentia Gallo tantum fidei adhibere, à qvo non semel tam crasse deceptus sit. Sane magnis eum commodis, insigni spe duci oportere. Palatinæ Domus magnitudinem omnibus Principibus merito suspectam esse debere, præsertim cum eadem Neoburgici instinctu tam secreta & altius penetrantia consilia agitet, ut ipse Palatinus Elector iis misceri nolit. In qvæ & Electori ob Sveciæ ac Neoburgici viciniam maxime sit respiciendum. In universum autem Cæsarei omnes candidatos excludendos censebant nativitate Gallos, aut à Gallis commendatos, etiam Piastos, ac inprimis Sobiescium, qvi in Galli gratiam impedire neglexerit, qvo minus Caminiecia cum extrema fame jam luctanti annona inferretur.

Confusa interregni facies 11. April.

§. 78. Interea Poloniæ res inter diversa studia, cœcasqve artes trahebantur, obscuro adhuc exitu. Lithuaniæ Strategus Pacius ingentem erga Piastum aversionem præ se ferre, ac ne Elector ei faveret dissvadere. Nam frustra eum metuere, ne si corona potiatur, qvi à potente vicino dependeat, is oppressa libertate vicinis prægravis evadat. Ordines qvippe nunqvam concessuros, ut Rex alteri bellum proprio ausu inferat. Idem autem ne consensu Reip. fiat, unicum Nuntium Terrestrem sua intercessione impedire posse, qvi vicinis nunqvam deesse qveat. Idem qvoqve periculum à Piasto, qvam extraneo metuendum; ac Michaëli vires magis qvam voluntatem defuisse, qvo minus vicinorum pacem turbaret. Is Pacius Lotharingo addictus Neoburgicum aversabatur, etsi istius ablegatum humaniter exceperat. Contra Sobiescii uxor Bellocampio Lotharingico ablegato responderat: Principem Lotharingiæ à se magni fieri; sed eum sero venire, cum ipsa addictam Galliæ fidem retractare neqveat. Id altius penetrabat, qvod delegati exercitus ob non soluta stipendia qvæstoribus Lublini militiam renuntiaverant, denuntiato simul, se nunc velut sacramento solutos nobiles triginta sex millium numero electioni adfuturos, ac Sobiescio velut patrono suo suffragia sua delaturos, ei danda, qvi stipendia ipsis persolvere qveat. Pacius contra armata Nobilitate confidebat; simul Moscicam potentiam illi minabatur, qvi periculum sibi intentare, aut Reginæ commoda negligere auderet. Aft Neoburgici causa somnolenter admodum agebatur. Literæ à Gallo nondum exhibitæ erant, cum adhuc ad electionem sextiduum restaret. Eqvidem è Gallia scribebatur; Condæum haut sese candidatum professurum ob valetudinem & senectam, ac satis habere primum Regii sanguinis Principem in Gallia agere; qvam dignationem cum Polonico diademate permutare nolit. Unde Regem Galliæ Furbino Massilienssium Episcopo injunxisse iter accelerare, fulciendo apud instantem electionem Neoburgico. Sed nondum vel unicus Senator reperiebatur, qvi ejus debilis adhuc factionis caput se nominare volebat, præter Gembiccium Cujaviæ Episcopum, qvi & ipse tamen ob senium omnibus in negotiis frigebat. Ac judicabant prudentes eum melius fuisse facturum, si velut tertium se inter æmulas partes, Gallicas & Austriacas tulisset, qvam qvod nunc velut Gallicus candidatus Austriacis opponeretur; aut si Gallus palam pro Condæo, vel Contio, clam pro isto laborasset. Sed & perspicacissimo cuiqve fides haut fiebat, Massilienssem Præsulem venisse, ut pro solo Neoburgico bona fide rem gerat; sed potius

14. April.

Gembicki

1674. id prætextum adhibitum, ut sit, qvi Regnum continuis motibus exercitum teneat. Nam tantum pecuniæ non attulisse, qvantum promovendæ electioni sufficiat; sed turbandæ Reip. vel C M florenorum sufficere. Qvanqvam etiam Gallus Regi Sveciæ confirmasset, sibi non in animo esse ullum è domo sua promovere, sed omnem operam pro Neoburgico impendere: tamen legato suo injunxerat Galliæ addictis significare; inter candidatos Regi cognatione proximum eundem gratissimum fore. Tum ut Lotharingus, & Danus ob fœdus cum Cæsare, ac tertius alius excluderetur. Idem legato Polonico Opackio auxilium ipsius contra Turcam petenti dixerat; Se mirari, eodem tempore, qvo in Polonia circa inimicum suum solio imponendum satagatur, auxilium à se peti. Sed si gratum sibi Regem eligant, pecunia & milite Reip. se adfuturum. Secus si fiat, non modo Turcas & Svecos, sed & si fieri possit ipsum Cacodæmonem Reip. immissurum. Qvæ minæ, simul operosæ pro Condæo machinationes Polonos valde irritabant, ut Strategus Lithuaniæ doceret; se malle noxiam cum Turcis pacem promisso tributo annuo inire, qvam ejusmodi insultationes à Gallo tolerare. Inter hæc reliqvis candidatis non parum æmulationis excitabat, qvod Carolus Æmilius ubiqve omnibus aliis præferretur, si religionem mutare vellet. Etsi Gisius protestaretur, Neoburgicum id diadema magis illi, qvam proprio filio optare. Legatus qvoqve Cæsareus, qvi alias pro Lotharingo palam nil movebat, omnem operam pro isto se interpositum confirmabat. Cui Hoverbeqvius reponebat; nullo officio opus fore, si obstaculum religionis è medio remotum foret. Sestedius contra jactabat: ab Electore nil offerri posse, qvod ipse non qvadruplum præstare possit. Qvi & cum Berolini in itinere pernoctasset, aulam non adierat, nec Electorem salutaverat. Svecus qvoqve aliqvando jaciebat; non modicam vicinis suspicionem posse injici, si Polonia cum Electoratu, ac tot aliis provinciis in eodem Principe uniatur. Interim cum Lotharingica & Condæana factio indies magis inter se exacerbarentur, ut demum res in cædem eruptura videretur, multi in Danum flectebant, tanqvam medium inter æmulas Europæ domos. Sed qvia Sestedius intra duos menses ad propositas conditiones neqve idoneum responsum, nec procuratorium, aut justa mandata acceperat, nemo non dubitabat ejus studium palam profiteri, sic ut ejus causa propriam per culpam pro desperata haberetur. Etsi is 1674.
jactaret, literas collybi integros in millione Gedani in promtu jacere. Interrogabant tunc Hoverbeqvium nonnulli: num in mandatis habeat declarare, Carolum Æmilium si eligatur, decrevisse sacra mutare. Qvibus iste respondebat: talia se mandata nunqvam accepisse. Sed si unanimis electio sequatur, temperamenta reperiri posse, ut & catholicæ religionis securitati caveatur. & Principis conscientia ne vulneretur. Qvo responso accepto illi indignabundi discedebant; frustra se hactenus Principis conversionem expectasse. Esse primariam status sui legem; Rex Catholicus esto. Daniæ Regem longe minus postulasse, ut fratrem eligant, se sponsore, eum utiqve Romanos ritus amplexurum; nec tamen per conscientiam se eam conditionem admittere potuisse. Multo minus Electoralem Principem sub incerta, qvin impossibili conditione eligere sibi fas esse, cum in negotio religionis temperamento locus non sit. Inter ista ancipitia Cæsari ei probatam Electori viam insistebant, ut circumspecte procederent, nec eminentis qvid favoris pro qvopiam ostenderent. Qvi & plane Neoburgico adversabantur, velut qvi non solum à Gallo, sed & à Sveco dependeat; & efficacius qvam Turennius, Electorem moverit, ut à Cæsare se dissociaret. Hoverbeqvium autem Lotharingus juxta ac Neoburgicus urgebat, ut suam causam publice amplecteretur. Sed ille istum repellebat, se non plus, qvam Cæsarei, facere posse, hunc autem, non plus se, qvam ipsum, committi posse; cum tamen Neoburgicus irrito conatu nihil amittat; Electori autem eo casu molestum vicinum accepturus sit: præsertim cum omnia instabilia sint. Nam prima convocatione Lotharingum voto potitum visum. Post provincialibus conventibus Danum velut medium maxime idoneum visum. Nunc neminem propiorem haberi Svessionense, cui qvi faveant, ne à Gallo pendere videatur, Thomam Sabaudiæ Principem vocari, ac potius à Bavaro, qvam Gallo commendari velle, etsi hic isti non minus qvam Contio faveret. Unde & Schafgotschius, cum adpareret Lotharingum pervincere non posse, jactabat; Svessionensem se malle, qvam Neoburgicum. Adversus qvæ Elector demonstrari jubebat: Se qvidem ut Cæsari circa Lotharingum gratificaretur, Condæo obstitisse. Atl si suæ nunc rationes insuper habeantur, ac perinde sit, qvis demum corona potiatur; sibi qvoqve alia consilia capessenda; ac fortasse utilius sibi

fore

1674. fore Condæum promovere, qvam Svessionensem. Ac eo gravius id sibi accidere, qvod ideo Neoburgicus junior excludendus jactetur, qvia pater apud Gallum sibi operæ qvid navarit. Eo modo si Cæsarei efficiant, ut Gallicus Princeps diademate potiatur, necessitatem sibi allatum iri, Gallicas rationes, qvibus hactenus obstiterit, deinceps fulcire. Nam sibi Rege Poloniæ amico opus esse. Ac se fidem suam interpositurum, Neoburgicum Cæsari amicitiam suam satis adprobaturum.

Sobiescius Warsaviam venit. 4 Maij. 13 Maij.

§. 79. Inter hæc Sobiescius diu expectatus Warsaviam accesserat; cujus adventu Condæana factio cristas erigebat. Lotharingicis non parum perculsis. Is cum Hoverbeqvium inviseret, dicebat: nondum se certi qvid decrevisse, sed à Gallis & aliis proponenda prius auditurum; simul laboraturum, ne Electoris jura labefactentur, ac ut à Rep. tantum in eo fiduciæ reponatur, qvo futurus Rex fortunam suam ipsi potissimum debeat. Pridie istius dicens ex Hoverbeqvio qvæsierat; num Elector, si Sobiescius eligatur, milite ipsi adstiturus sit? Cui qvidem is nil aliud responderat, qvam super eo nil se in mandatis habere. Sed cum facile adpareret, qvo ista tenderent, jam is Sobiescio testabatur: Electorem, ac reliqvos vicinos eo fastigio ipsum dignissimum judicare, idemqve ex animo eidem adprecari. Qvæ ista magno cum honoris ac devotionis testatione accipiebat: sed simul asseverabat, id neqve sibi congruum, nec Reip. proficuum judicare. Svadebat qvoqve, ut Hoverbeqvius ad Ordines verba faceret laxissimo sensu, nec ad singularia descenderet. De Carolo Æmilio dicebat; Nullo modo probari posse, tam splendidam conditionem, qvalis intra aliqvot secula forte occursura non sit, ob religionem repudiari. Non tamen reprehendi posse, qvod Elector dixerat; si Princeps ante annum in Romanos ritus transiisset, videri potuisse, id impulsu conscientiæ factum. Sed nunc neminem crediturum, qvin diadematis ac Reginæ gratia id susceptum sit. Idem in Neoburgicum nil inclinationis ostendebat, qvod Resp. hoc statu Principem reqvirat, qvi per se imperare, ac præsentem inopiam insigni pecuniæ summa sublevare possit. Spem qvoqve esse Lithuanos Lotharingi favore depelli posse, ut tamen nunqvam in Neoburgici partes pertrahendi sint. Gemina legatus Gallicus disserebat: se publice omnia pro Neoburgico facturum. Id si non succedat, circa excludendum Lotharingum laboraturum. Ac sane post Sobiescii adventum tota fere Polonia Lotharingo se adversam declarabat. Haut eo minus hujus legatus Comes Taffius bis apud Sobiescii uxorem institerat; ac prima qvidem vice citra promissa. Ad qvæ ista Ducem laxioribus verbis laudare, semper tamen protestata; cum is magno Galliarum Monarchæ, cujus subdita qvod sit ipsa summæ sibi gloriæ ducat, submittere se nolit, in ejus gratiam sibi nil integrum esse facere, nec verbum pro eo apud maritum facturam. Sed cum altera vice C M uncialium offerret, ac partem Lotharingiæ, feudi lege ab Imperio pendentem, qvam Principatus dignatione Cæsar insignire possit, præter alia beneficia & emolumenta; non sine irrisu eum dimittebat: pecuniæ se haut egenam; ac si necessitate prematur, à potentissimo suo Rege hæreditario haut deserendam. In Imperio Principatum possidere sibi haut placere, postqvam perspexerit, qvomodo cum Imperii Principibus agatur. Se qvidem Polonos, qvi dignatione Principum Imperii macti sunt, sedulo monere, ut summa cum diligentia in Cæsaris sanitatem bibant, ne cum Wilhelmo Furstenbergio captivitatis sortem subeant; ac ut contra aulam Cæsaream ne qvidem hiscant, ne idem qvod Nadastus & Serinus experiantur. De gratia successoris securam se esse, qvod maritus suus in eo statu sit, ut ea ipsi deesse neqveat. Ipse autem Sobiescius, tum exercitus, & plurimi Poloni palam fremebant, se malle vitam aleæ exponere, qvam in Lotharingi electionem consentire. Ast legatus Gallicus, etsi in publico egregie pro Neoburgico dixerat; animadverti tamen non potuit, aliqvem è Gallica factione in ejus partes transiisse. Cæsareus qvoqve legatus in mandatis acceperat, ut, Condæo excepto, nullum candidatum Neoburgico nocentiorem haberet, à Gallo juxta ac Sveco pendentem, ac vasta in Domum Austriacam consilia agitantem. Danum autem non minus gratum fore, qvam Lotharingum. Ex qvo spes Sestedio redibat; qvi & apud Hoverbeqvium excusabat, eo tempore, cum Berolinum transiret, nil se adhuc mandati super eo negotio habuisse. Sed Sobiescius in Danum, velut à Gallo haut commendatum, minus inclinationis, qvam in Neoburgicum ostendebat, etiam eum in casum, si Condæus corona excidisset, qvem ante omnes sibi cordi esse ferebat. Sed nimirum indies magis pellucebat, ipsum diadema sibi captare. Qvo casu Lithuani fremebant, se electo Lotharingo conjunctionem cum Polonia abrupturos. Ea res Hoverbeqvium

1674. verbeqvium movit, ut Sobieſcio teſtaretur, ſi electio Piaſtum tangat, neminem Electori qvam ipſum gratiorem fore. Ac confidere ſemper eum propenſi in ipſum animi memorem fore, ac ſinceram cum ipſo amicitiam culturum. Ad qvæ viciſſim iſte amicitiam qvæqve reponebat. Imminente jam electionis die Neoburgicus VI M militum offerebat, ac ſeptem milliones qvinqvaginta millia florenorum Polonicorum; pro qvibus ut Hoverbeqvius nomine Electoris fidejuberet, Stratemannus poſtulabat, tum ut publice Principem commendaret. Qvorum utrumqve is recuſabat, qvod tunc ius, qvæ pro Sobieſcio facta erant, gratia deceſſura fuerat, velut ſimulatis. Ac Hoverbeqvius Neoburgici ſpem in uno Sobieſcio collocarat; qvi ſi ſuffragia ſua huic ceſſiſſet, Electori qvoqve tutum erat pro eo publice conniti. Sed cum id non fieret, manifeſtum erat, eum coronam ſibi, qvam alteri malle. Unde ſatius erat, eum ſibi devincire, cui ſucceſſus ſpes, qvam pro alio incallum niti. Seſtedius nomine Principis Georgii tres milliones vulgaris monetæ, libertatem commerciorum in Regno Daniæ, V M militum cum ſtipendio in ſex menſes offerebat. Super Catholica religione certi qvid declarare non poſſe. Sed eſſe ſat Epiſcoporum & Theologorum, qvi eum informare ac convertere poſſint. Inſuper ejus opera bonam pacem cum Moſco curandam. Nomine Sveſſionenſis, qvem Thomas Caroli Emanuelis Sabaudiæ Ducis filius ex Olympia Mancinia genuerat, octodecim annos tunc nati offerebantur duo milliones, pro qvibus certi mercatores fidem interpoſituri erant, & qvinqve peditum millia. Poſt matris obitum Comitatum Sveſſionenſem in eum devolvi, qvi qvinqve millionibus vendi poſſit. Denique Renaldi Mutinenſis Ducis legatus Alexander Belentanus literas collybi in qvingenta aureorum millia oſtentabat. Is Princeps poſt per literas Electori gratias agebat pro favore, qvem hic per Hoverbeqvium erga Domum Eſtenſem declaraſſet.

1674. nebat, qva omnia nunc acta irrita declarabantur, qvod obſtante ipſorum diſſenſu, & ante abolita *exorbitantia* acta ſint; & qvia Sobieſcius per ſuffragia ipſi data candidatus evaſerit, eum ideo conſeſſu publico excludendum; ſimul Piaſto Lithuanicum opponendum fremebant. Ea ſpe candidatorum legati qvinqvaginta millibus uncialium amplius emungebantur. Haut eo minus iſti ſeqvente luce reliqvis ſeſe adjungebant, ut demum Sobieſcius nemine contradicente Rex proclamaretur. Is offerebat, ſe pacem cum Turcis, & ſecuritatem à Coſaccis curaturum; tum ſex militum millia uſibus Reip. præbiturum, & exercitui ſex menſium ſtipendia donaturum. Compertum eſt, legatum Gallicum, ut ut publice Neoburgicum commendaret, totamqve factionem Gallicam ſub Condæi prætexto pro Sobieſcio laboraſſe. Nec iſte lætitiam diſſimulabat, teſtatus Regem Galliæ ob hanc electionem Reip. eadem emolumenta repræſentaturum, qvæ Condæo electo ei deſtinarit. Stratemanno novus Rex per Vexilliferum coronæ denuntiabat: ſe extremis viribus pro Neoburgici filio connixum. Sed qvia perſpexerit, Numinis voluntate ſibi coronam deſtinari, ei reſiſtere fas non fuiſſe. Neoburgico tamen amicum victurum, & moriturum. Exitus oſtendit, Hoverbeqvium prudenter feciſſe declarato Electoris in Sobieſcium ſtudio, & hujus aliorumqve ſvaſu omiſſa publica propoſitione. Nam ſi Neoburgicum commendaſſet, Lotharingus offendebatur, ac vice verſa. Si autem laxioribus duntaxat verbis uſus eſſet, qvæ in utrumqve cadere poterant, uterqve qveſturus erat, qvod contrariis ſe rationibus niti contenderent. Piaſtum commendare, qvem multi Palatinatus excluſerant, haut docebat. Contra Sobieſcius ſilentium pro commendatione acceperat, ac Hoverbeqvio dixerat: in tempore tacere noſſe non minorem laudem eſſe, qvam ornate dicere; eoqve nomine Electori ſe valde obſtrictum profitebatur. Simul ejusdem officium expetebat inter ſe & Lithuanos; qvo tamen opus non erat, poſtqvam hi ultro in eum Regem conſenſerant. Idem ultro in Lithuanos cavillabatur, Lotharingicam factionem contra voluntatem ſuam Regem ipſum feciſſe; dum neqve à Lotharingo deliſtere, neqve propoſitionem de Neoburgico admittere volunt. Eo qvippe caſu nullum ſibi acceſſum ad coronam fuiſſe. Ac jam Cæſarei miniſtri ſero qvorebantur, ſuam aulam Electoris conſilium haut ſecutam, & cum Lotharingum pervinci

Joannes Sobieſcius Poloniæ Rex eligitur 19. Maij.

§. 80. Enimvero omnes exteri candidati non minus nunc, qvam priore electione operam luſerant, etſi minore argenti diſpendio. Nam cum ad ſuffragia ferenda accederetur, pleriqve Poloni ac pars Lithuanorum Joannem Sobieſcium Regem nominabant, non paucis licet contradicentibus, ut per eum diem electio abſolvi non poſſet. Ac Lotharingica factio proteſtationem in judicium aulicum depo-

1674. vinci nullo modo posse adpareret, Neoburgicum fovere noluerint. Ac ipsi Lotharingici adhibitum ab Hoverbeqvio agendi modum probabant, postqvam Elector prævideratt, ei Duci per civilia remedia ad coronam accessum non esse. Scilicet is longo cum Polonis usu didicerat, verborum humanitate horum destinata haut metienda; ac ni qvis ultro suggerat, qvomodo procedendum sit, aut sibi suisq; amicis qvid stipuletur, ita ut emolumentum ipsius cum eo negotio sit conjunctum, ejusqve amici idem loqvantur & promoveant, nemini eorum fidem habendam. Enimvero Regina Maria Anna hac electione tantum dolorem conceperat, ut in lecto decumberet. Qvæ & initio offensæ qvid præ se ferebat, discessum suum minata; qvi tamen præsenti Reginæ nec tædii qvid, nec damni allaturus erat. Sed post ejus ministri mollius loqvebantur de expediendis ejus reditibus, & sede Gedani aut Thorunii constituenda. De hujus connubio cum Carolo Æmilio Petrus Ronqvillus legatus Hispanicus post proponebat; id qvod Hoverbeqvius ideo fieri judicabat, ut hoc modo ejusdem nuptiæ cum Rege Hispaniæ eluderentur, promovendo cum Infante Portugalliæ connubio, ac per id duabus istis coronis combinandis. Ipsum qvoqve Cæsarem hæc electio non parum perturbabat; præsertim cum Schafgotschius Sobiescium se invisentem ad summas duntaxat scalas deduxisset, hoc valde indignante. Atqve iste qvidem facta electione offensæ qvid præ se ferebat; sed mox à Cæsare exqvisitissimis verbis gratulatione defungi jubebatur. Cæterum Polonici Palatinatus ad eum eligendum amore & æstimatione, non uti prius, inconsulto impetu permoti fuerant. Lithuani, qvi initio se opposuerant, post cedebant, sed non ita repente, ut dici posset eum casu Regem factum, sed nec ita tarde, qvin divinus instinctus sentiri potuerit. Electori hæc electio, qvantumvis inopina, admodum grata erat, ob amicitiam semper cum isto cultam, & qvia capax gubernando Regno erat. Ac nondum licet significatione facta literas gratulatorias scribebat, idqve officium Hoverbeqvium obire jubebat: addito ut hic super die renovandis pactis, ac feudo Lauenburgico & Butovienſi constituenda moneret, ac circa designationem loci caveret, ne is ritus Warsaviæ alligatus videretur; ac ne debiti Elbingensis memoriam silentio
4 Maji. obliterari pateretur. Ad gratulationem expromendā Hoverbeqvius solenni ritu receptus est. Rex vicissim omnem amicitiā pollicebatur, ob sui electionem Electori se magnopere obstrictum professus. Qvod idem non minq qvam Regina passim magno cum verborum honore agnoscebat. Movebat 1. Jun. dehinc Elector super jure suffragii, circa electionem Regum Poloniæ sibi competente. Nam id se in Uladislai electione exercuisse: Joannis Casimiri electione cum id non admitteretur, protestationem interposuisse. Ei juri Senatorum præcipui contradicebant, qvod valde periculosum id sit tam potenti Principi concedere, præsertim per supremum Borussiæ imperium à Rep. Poloniæ separato. Sed Rex differebat: Si Electori placeat Remp. bello petere, in proclivi fore prætextum invenire, si maxime jus suffragii in dubium vocetur: imo eam ipsam solicitationem semel concessi juris ansam bello præbere posse. Circa id unum se hærere, qvod suffragium ad jus feudi pertinere videatur, & hoc sublato istud qvoqve expirasse. Hoverbeqvius autem demonstrabat; pactis Bydgostiensibus Electori de prioribus juribus ac prærogativis nil detractum, sed potius omnia & singula qvantum potest efficacissimo modo confirmata fuisse. Regis qvoqve Bohemiæ supremum imperium cum suffragio in electione Cæsarum ferendo citra controversiam consistere. Nec eo minus servando Electoris juri Hoverbeqvius hujus suffra- 11. Jun. gium pro eligendo Rege Joanne ei ipsi offerebat, ut tabulario Regni insereretur. Qvod Rex facturum se promittebat, præsertim cum id non solum propter argumentū, sed & qvod à tam magno ac potente Principe proficiscatur, sibi admodum honorificū sit. Reges qvoqve nunqvam, sed tantum Remp. super eo controversiam movisse. Idem qvoqve ab Episcopo Cracovienſi acceptabatur: sed qvi in testimonio, qvod ejus nomine reddebat, id *qvasi* suffragium nuncupabat, qvod acceptarit *non qvasi de jure concessum, sed prout signum benevolentiæ & humanitatis erga suam Majestatem Serenissimum Regem electum.* Qvæ verba Hoverbeqvius dispungi cupiebat; electione Joannis Casimiri illum ipsum Episcopum propria manu ejusmodi testimonium exhibuisse absqve tali clausula. Sed hic respondebat: id se tunc fecisse jussu Primatis, nec eo nomine ad reddendam rationem fuisse obstrictum; qvod nunc secus sit. Cum *pacta conventa* adornarentur, qvidam eis in- 5. Jun. fercire conabantur de contributionibus in Lauenburgico & Butovienſi districtu, ac de Catholicæ religionis exercitio. Sed Hoverbeqvius ægre demum pervicit, ut ita poneretur: *Super redimendo Drabeimo, item tra-*

1674. *jectu Vistulæ apud Neuburgum, missione auxiliarium copiarum, & aliis prætensionibus cum Electore conferemus, atqve operam dabimus, ut per Commissionem ex vi pactorum omnia componantur. Ut etiam præfecturarum Lauenburgi & Butoviæ tam ecclesiastica qvam civilia jura, privilegia, immunitates, prout per omnia sub immediato dominio Regni utebantur, conserventur, cavebimus, ac ut incolæ Eqvestris Ordinis ibidem supra ultroneum consensum in suis conventibus nullis contributionibus onerentur, apud Electorem Regiam nostram autoritatem interponemus.* Adversus qvæ Elector protestationem interponi jubebat. Rex testabatur; id sibi molestum esse, sed id impedire haut valuisse; nec decorum adhuc fuisse contra pacta conventa disputare. Id tamen Electori fraudi non fore. Et qvia coronatio in seqventem annum dilata erat, Elector de renovatione feudi, pactorum confirmatione, aliisqve obiter tantum moveri volebat, qvod ante coronationem Regis potestas circa omnia Imperii negotia admodum sit circumscripta. Jubebat qvoqve Elector innoxium transitum pro suis legionibus, è Borussia evocandis à Rege postulari hisce verbis: *Etiamsi innoxius transitus jure gentium amico, ac multo minus perpetuo fœderato denegari haut possit; Elector etiam apud priores Reges eum nunqvam qvæsierit, sed pro re nata haut facta denuntiatione transitum pro lubito ceperit: se tamen novo Regis regimine ad testandum singularem affectum velut ex superabundanti facere, ac prius id denuntiari voluisse.* Id qvod à Rege benevole admodum admissum. Ita Rex initio prolixam erga Electorem amicitiam ostendebat, qvamdiu hic contra Galliæ rationes nihil suscipere videbatur.

12. Jun.

Elector Polonis auxiliares copias mittit. Jan.

§. 81. Cæterum interregno adhuc durante Respublica misso Alberto Opackio ab Electore auxilia contra Turcam petierat. Cui Elector responderat; se præstiturum, qvæ pactis caveantur, qvæ & eum militem à Polonis ali velint. Sed si malint, se duodecim centurias dimacharum missurum, qvorum usus eo in bello insignis sit, ac septem mensium stipendio eos instructurum; ut tamen id in exemplum seqventi tempore ne trahatur. Pacato Germaniæ statu plures præbiturum. Post mense Junio novus Rex Uladislaum Scorazevium misit, de electione sua significaturum; qvi honos nemini alteri exhibitus erat, cum aliis Principibus tantum per literas publicis veredariis commissas de ea nuntiaretur. Is cum aliqvot peditum millia extra pactum peteret, de qvibus & apud Hoverbeqvium moverant, Elector proprii status, ac communis patriæ periculum excusabat. Qvæ ratio etsi gravissima foret, cum salva ratione ab alio peti non possit, qvo ipse admodum indigeat: malevoli tamen nonnulli ex eo sinistrum Electoris in Regem affectum arguebant; Nam Regi non tam de milite agi, qvam ut specimen caperetur, qvid necessitate urgente ab Electore sibi expectandum foret; ac potuisse eas vel sub conditione, qvæ à Polonis præstari neqveat, promitti. Etsi cum Rex dimachas istos, sub tribunis Caspare Hohendorfio, & Bodone Slibio Polonico qvæstori traditos audiret, egregium & probe instructum militem, gratum id valde sibi ostendebat, atqve amica omnia vicissim pollicebatur. Enimvero cum adpareret, Electorem adversus Gallos in expeditionem ire, Regis qvoqve Poloniæ affectus istorum instinctu refrigerari visus est. Ante electionem Gallus Polonis duos milliones promiserat; qvæ promissa post retractatum ibat, cum horum ope se haut indigere crederet, Polonis non parum ideo in istos irritatis. Sed post, incitando in Cæsarem atqve Electorem Regi pecunia solvebatur, promissis amplioribus summis, si is aperte Galliæ partes amplecti velit. Id qvod Regi annuere haut licebat, qvod etsi in pactis conventis ea verba, *ut Rex peculiariter cum Cæsare pacem colat*, dispuncta essent, in universum tamen priorum conventionum sensus circa pacem cum vicinis colendam manserat. Cum tamen Galli juxta ac Sveci omnem lapidem moverent, ut Polonos cum Electore committerent, hic per Hoverbeqvium istis demonstrari jubebat; *uti Galli tempore Ludovicæ Mariæ Reginæ in Polonia tantam confusionis ac diffidentiæ sementem fecerint, qvæ ne in præsens qvidem extirpari qveat, continuo calamitatum proventu fertilem. Nunc eos nobilissimum Regnum & fortissimam nationem libertate exuere, ac Turcæ tributariam reddere conari, in eo qvoqve barbaro isti velificatos; ut Christianis Principibus inter se per ipsos collisis, eidem fines suos proferre in proclivi sit. Sane eorum machinationes in aula Polonica & Turcica eo tendere, ut cum emolumento Turcæ qvaliscunqve pax in Polonia fiat, jactura Caminiecia, & onere tributi annui redimenda; utqve Poloni cum vicinis ac veteribus fœderatis ob alienas lites injustis bellis implicentur: ut deniqve Regnum perpetuis turbis exercitum nunqvam ad pristinam felicitatem adspirare possit. Qvo ipso libertas civium gravissime periclitetur, ac tam recenti imperio Bethunium jam aliosqve Gallos ostendere, se reipsa in Polonia, qvam pri-*

Skorazowski.

1674.

1. Aug.

13. Oct.

1674. *primarios Senatores valere, qvi & hisce ultro offerant, se gratiam Regis ac beneficia iis conciliaturos. Qvin & rem eo deduci posse, ut inde Turca, hinc alii insignes Regno partes avellant, non obscuris jam in Gedanensem urbem insidiis*; ubi turbidi qvidam Sacerdotes cives in Senatum irritabant, Svecis frigidam suffundentibus, ut vulgus ipsos in auxilium evocaret. Qvin aliqvi eousqve stoliditatis processerant, ut jactarent, in singularem Reip. utilitatem redundaturum, si Sveci Gedanensem urbem & Electoralem Borussiam in potestatem redegerint. Nam hosce urbis proventus Polono relicturos, ac contentos fore portum Vistulæ in sui securitatem retinuisse. Borussiam qvoqve Ducalem statim corpori Reip. inseri posse, Pillavia & Memela penes Svecos manente. Regi qvoqve Gallici ministri ingerebant; Galli exemplo constare, Electorem nullo beneficio devinciri posse, qvi tantis ab isto beneficiis acceptis tam malignam gratiam referat. Austriacos qvoqve ab odio, qvod tempore Michaëlis Regis ostenderant, non discessisse; ac ut eum solio iterum dejiciant agitare, qvo viduæ Reginæ ad consortium Regni iterum aditus fiat. Iste porro per Gallos inditus affectus in eas qvoqve copias exserebatur, qvas Elector Regi contra Turcas auxilio miserat, qvæ usqve adeo male habebantur, qvasi studio id qværeretur, ut perirent. Ac nuntiata Electoris contra Gallum expeditione jam vulgus militum fremebat, spem esse se hibernis Borussiæ fruituros. Eundum tamen erat nostris in loca vasta, ubi nec annonæ, nec pabuli copia erat; qvod Rex diceret, famam copiarum Electoralium magnum hosti terrorem incussisse. Cum per Ucrainam sæva anni tempestate arma circumtulissent, demum Ilsinica, lacerum oppidum, stativis eorum assignabatur, ubi reliqviæ eqvorum, & magna pars hominum morbis absumebantur, aëre & aqvis insaluberrimis velut veneno infectis. Post seqventis anni initio cum Sveci in Marchiam irrupissent, Hohendorfius jussu Electoris à Rege dimitti se cum suis petebat. Si postero die, cum Rex prius consilium cum legato Gallico contulisset, Cholmuinscius Palatinus id responsi retulit: Regem non parum mirari, Electorem copias auxiliares, qvo tempore iis maxime opus sit, avocare velle. Sed qvid verbis opus esse? Sane de istius animo in Poloniam abunde constare. Nam ut priora taceantur, per pacem Bydgostiensem abolita, ista tantum tangi, qvæ ex eo tempore contigerint: qvæ in Elbingam agitata sint, uti Draheimum occupatum: uti Kalcsteinius tantum non è complexu Regis abreptus sit: qvantis oneribus provincia prematur; qvam duriter cum Regiomontanis agatur. Eqvidem eam provinciam tunc à Rege & Senatoribus pecunia corruptis traditam fuisse, sed ea cum conditione, qva tunc sub corona fuerit, non autem ut hoc modo ejus libertas proculcaretur. Id qvod præsens Rex ad prioris exemplum hautqvidqvam toleraturus sit. Cæterum de copiis ad qvadringentos apud Regem relinqveret, cum reliqvis in Borussiam discedere liberum esse. Ad qvæ Hohendorfius: mirum videri talia sibi occini, qvæ neqve ad se, neqve ad præsens negotium qvidqvam spectent. Sibi mandata sua seqvenda; nec copias dividere fas esse. Vi se discedere non posse. Sed si dimittere nolint, stipendium dandum. Cum demum vel centum sibi relinqvi peteret Rex, hic immotus mandatis insistebat. Braslaviæ tamen digredientem Rex benevole, ac egregio cum testimonio dimittebat; & qvi eos in Borussiam deducebat, septingentos numero (tot enim supererant, omnibus eqvis amissis,) Joannes Chodzinscius Regiomonte Duci Crojæ gratias agebat ob fortissimos milites, qvi qvavis occasione in conspectu Regis, omniumqve Senatorum ac totius Nobilitatis, præcipue in expugnatione Zbaravii strenue rem gesserint. Simul omnia amica nomine Regis offerebat, inprimis præsenti Svecorum irruptione. Nam Regem iis non solum iter in Ducalem Borussiam haut concessurum, sed & ad tuendam eam provinciam, ubi necessitas exigat, ipsum cum totius Regni viribus incubiturum. Etsi iste in itinere longe secius locutus fuerat. Haut eo secius post mense Novembri cum Elector eas copias per qvietem refectas, & suppletas è Borussia evocaret, Bakovius Pomerelliæ Palatinus instinctu Andreæ Lilliehœckii legati Svecici transitu easdem prohibere instituebat, datis ad Ducem Crojæ, Gubernatorem Borussiæ literis. Qvæ cum obscuro sensu essent, nec penes istum foret pacta interpretari; nostri jubebantur eo neglecto iter perseqvi, nec in disceptationem cum eodem descendere. Vistulam transeunti capitaneus Neuburgicus dicebat: se qvidem ex aula jussum nostros transitu etiam vi adhibita arcere; sed in præsens protestatione se contentum fore. Cui contrariam protestationem tribunus reponebat. Ea super re, simul Gallorum, Svecorumqve in aula Polonica machinationibus Elector apud Cæsarem, Reges Angliæ ac Daniæ, Belgasqve qverebatur: qvi ut talibus desisteret, Regem monebant. Prætextum negati transitus ferebatur,

1675.

Chodzinski.

Lilliehœck.

1675. batur, qvod Sveci promisissent, se ditionibus, qvas Elector à Polonia accepisset, parcituros, si Poloni Electoralibus copiis iter è Borussia in Pomeraniam, & Marchiam negaret. Unde metum esse, ne Wrangelius ansam inde arripiat Polonicas ditiones invadendi. Enimvero demonstrabatur; qvæ Poloni moveant nullo jure niti. In pactis nil extare, qvod libertati transitus adversetur. Per Jus Gentium Principi integrum esse ad status sui securitatem & contra hostes suos ex omnibus ditionibus suis auxilia arcessere. Et cum nemini obnoxius Princeps vicinis atqve amicis auxilia mittere possit; cur non & in proprios usus militem suum adhibere possit è ditione, in qvam nemini imperii qvid competat? Posse qvoqve Electorem Borussiæ nomine fœdera inire, ac eorum vi contra qvoscunqve fœderato auxilia mittere. Electorem, cum adhuc fiduciario nexu Poloniæ teneretur, è Borussia pro lubitu copias evocasse. Eundem egregias copias è Germania in Borussiam deduxisse auxilio Polonis contra Svecos; cur illicitum sit inde in Germaniam proprium militem adversus eosdem evocare? qvi & ipsi undiqve copias in Germaniam contrahant. Repugnare id juri amicitiæ ac vicinitatis; & eo exemplo transitum copiis auxiliaribus in Poloniam negari posse. Polonos multis millibus è Borussia, Curlandia, Gedano iter in Belgium contra Gallos permisisse. Deniqve ante biennium, cum itidem Electoris copiæ è Borussiæ in Germaniam transirent, eosdem nil difficultatis movisse. 1675.

SAMU.

SAMUELIS PUFENDORFI

DE

REBUS GESTIS FRIDERICI WILHELMI MAGNI

ELECTORIS BRANDENBURGICI

COMMENTARIORUM

LIBER DECIMUSTERTIUS.

EPITOME.

Lectori Alsatia excedendum est. 2. Hiberna in Franconia capiuntur. 3. Haut placet protimus in Marchiam ire. 4. Elector hostilia in Svecos sumi vetat. 5. VVrangelii ad Anhaltinum litera. Responsum ad eas literas. 6. Belgarum auxilium imploratur. Horum cum legato Svecico disceptatio. 7. Belgæ ad auxilium ferendum sat proni sunt. 8. Sveci bellum cum Belgis declinant. 9. Circa bellum Svecis indicendum difficultates. 10. Belgæ Svecis bellum indicunt. 11. Cæsarei cunctanter in Svecos commoventur. 12. Regis Sveciæ ad Cæsarem litera. 13. Objecta à Svecis diluuntur. Elector Cæsaris auxilium exposcit. 14. Aula Cæsarea cunctatur. 15. Ratispona acta. 16. Ab Ordinibus parum auxilii sperandum. Habitus animorum tunc conventus Ratisponensis. 17. A Saxonicis Circulis parum auxilii expectandum. 18. Elector collisionem cum Hanoverano declinat. 19. Negotiatio cum Hanoverano continuatur. 20. Hanoveranus ad suscipiendum seqvestris officium invitatur. 21. Monasterienſis in fœderatorum partes trahitur. 22. Cum

1675. *Angliæ Rege acta.* 23. *Daniæ Rex statim in bellum erumpere non potest.* 1675.
24. *Elector per legatos Danum auxilia poscit.* 25. *Suspiciones circa Danorum mentem.* 26. *Sveci Danum a bello avertere student.* 27. *Dani legatum Svecicum inani spe lactant.* 28. *Inanis circa fœdus inter Svecos, & Danos tractatio.* 29. *Danorum circa modum Sveciæ nocendi consilia.* 30. *Dani circa ordiendum bellum tergiversantur.* 31. *Sveciæ Rex Ulrica Eleonoræ nuptias ambit.* 32. *Daniæ Rex clarigationem differt.* 33. *Sveci tantisper in Marchia pro lubitu grassantur.* 34. *Elector in Marchiam movet. Ratenaviæ Sveci opprimuntur.* 35. *Elector victoriam persequitur.* 36. *Prælium ad Fehrberlinum.* 37. *Motus animorum super ea victoria.* 38. *Cæsarei Gallos trans Rhenum pellunt. Luneburgicorum victoria de Gallis.* 39. *Sveci hostes Imperii judicantur.* 40. *Elector apud Cæsarem de sua satisfactione agit.* 41. *Num Sveci Germania expellendi?* 42. *Danus in bellum stimulatur. Gottorpiensis Dux capitur.* 43. *Danus adhuc moras nectit.* 44. *Elector misso legato Danum urget.* 45. *Electoris cum Rege Daniæ congressus.* 46. *Cum Hanoverano acta.* 47. *Conventio cum Hanoverano Duce.* 48. *Super Bremensi provincia inter fœderatos æmulatio.* 49. *Cum Monasteriensi acta.* 50. *Monasteriensis Præsulis importunitas.* 51. *Electoris circa servandam inter fœderatos concordiam studium.* 52. *Luneburgici acta sua Electori probare student.* 53. *Bremensi civitati cavetur.* 54. *Elector in Pomeraniam irrumpit.* 55. *VVollinum expugnatur.* 56. *VVolgastum expugnatur.* 57. *Super hospitiis difficultates.* 58. *Cum Polonis ambigue agitur.* 59. *Svecorum Gedani machinationes.* 60. *Legati Svecici ad regimen Borussiæ litera.* 61. *Ad Moscum legatio.* 62. *Super præliminaribus pacis Neomagensis acta. De sequestribus.* 63. *De loco tractatuum.* 64. *Circa VVilhelmum Furstenbergium difficultas.* 65. *Super conditionibus pacis præludia.* 66. *Beuningii anxietas circa pacem parum proficua.* 67. *Temperamentum circa VVilhelmum Furstenbergium.* 68. *Galli ad propositum temperamentum declaratio.* 69. *De legatorum diplomatibus.* 70. *De invitatione ad congressum pacis causa.*

Electori Alsatia excedendum est.

SUperiore æstate egregia videbatur nata occasio Gallos intra veteres limites repellendi, ac recuperato Brisaco, & Alsatia bellum in Burgundiam, & Lotharingiam transferendi, ni Bornonvillius obstitisset, qvominus Turennius primo Electoris adventu profligari posset; ac ni Suchius re siniſtre admodum in Belgio gesta effecisset, ut Turennius trans montes facessere coactus, mox magna virium parte auctior Alsatiæ sese iterum infunderet. Unde nec fœderatis progrediendi amplius facultas; nec in Alsatia subsistere annonæ, pabuliqve inopia patiebatur, tenui terrarum tractu inter montes, & Rhenum brevi exeso, qvi & vineis magis, qvam arvis, ac pratis uber est. Unde nil amplius supererat, qvam in hiberna cis Rhenum concedere; præsertim cum Electori post Svecorum in Marchiam irruptionem statio capessenda esset haut nimium à ditionibus suis remota & ubi cum fœderatis copias conjungere in promtu foret. Qvod si per hos Sveci non distraherentur, ut Marchiam ultro deserent, ipsi pro terris suis liberandis contendendum erat, qvantum posset: si plane à sociis destitueretur, consilia qvæ necessitas suggereret, arripienda erant.

Hiberna in Franconia capiuntur.

§. 2. Cum autem Cæsaris miles per Sveviam hiberna cepisset. Elector propiore situ per Franconiam suos disponebat, prætorio Sveinfurti constituto, non tam liqvido, aut stato jure, qvam necessitate, ac utilitate

1675. utilitate publica excuſante ; & qvia utiqve par eſt, ut qvi pro univerſis pugnant, ſaltem ab his alantur; utqve hi, dum ab iſtis proteguntur, in aliqvam oneris partem veniant. Etſi uti aſſolet multæ ſuper iſtis hoſpitiis qverelæ, magis tamen ob inæqvalem diſtributionem, aut qvosdam exceſſus, qvam qvod expenſis in Reip. uſum cedentibus ſeſe ſubtrahere vellent. Ut tamen Ordines Franconiæ iſthoc onus eo patientius tolerarent, Elector Cæſarem rogabat, ut eo nomine ad iſtos ſcriberet. Id qvod Cæſarei miniſtri detrectabant, cauſati, Cæſarem nolle ejus rei invidiam in ſe derivare. Sibi haut jus eſſe in alieno hoſpitia aſſignare; Cæſarem ne pro ſuo qvidem milite ſcribere. Potius colorem adhibendum, tranſitu, & paucorum dierum qviete duntaxat utendum. Sed revera Cæſarei ſuo exercitui Franconiæ hiberna vindicare maluerant, & ut Elector ſuos in proprias ditiones deduceret. Sed cum Crocovius, ac Cellenſis miniſter acriter contenderent, demum promittebatur, ad Francos ſcribendum, ut hanc moleſtiam ad breve tempus ob bonum publicum tolerare velint. Etſi iſta ſcriptione opus non eſſet, qvod Elector interim cum præcipuis Franconiæ Ordinibus, Bambergenſi, & Wurtzburgenſi Epiſcopis transegiſſet, minoribus recalcitrare non auſis. Sane ipſe Cæſar ab Electore per literas petierat, curam haberet, ne Turennius cis Rhenum progredi, ac per Sveviam, & Franconiam omnia turbare poſſit; id qvod prohibere non dabatur, ni Electorali exercitu in vicinia ſubſiſtente. Sed & Arauſionenſis ſvaſerat, ne Elector copias à fœderatis diſſociaret, qvoad ſuper ratione belli in futurum gerendi convenerit. Haut eo minus Cæſarei ſubinde murmurabant: ſoli Cæſari licitum eſſe per Imperium hoſpitia militi ſuo capere: ac hujus, & Electoris jura magno intervallo diſcriminari. Qvibus Crocovius reponebat: ipſum Cæſarem talia non vi poteſtatis Cæſareæ, ſed unice ex neceſſitate, & ratione belli exigere. Qvin Cæſarem inter, & Electorem diſcrimen ſit neminem ignorare. Sed inter Cæſareum, & Electoralem exercitum haut qvidqvam diſcrimen ſtatui poſſe, qvi juncti contra communem hoſtem auſpiciis Cæſaris, ductu Electoris rem gerant: qvi uti ſimul pugnent, ita ut ſimul cibum capiant par ſit. Ac neſcire ſe, an è Cæſaris re ſit, ut nullius Electoris, aut Principis copiæ cum iſtius exercitu jungi poſſint, niſi hac conditione, ut illis miſeria pereundum ſit.

§. 3. Porro cum Elector tam genero-

roſum pro ſalute patriæ conſilium cepiſſet, haut decorum judicabat per periculum ex tranſverſo incurrens eo protinus dimoveri. Unde cum qvi domi erant relicti conſiliarii copiis Svecorum in Germaniam trajectis commoverentur, ipſe eos confirmabat: ſe haut omittere de ſuarum ditionum ſecuritate cogitare, & qvantum poſſit rebus ſuis proſpicere. Sed cum nemini vicinorum cauſam bello dederit, ſperare, aliis qvoqve pacem, & amicitiam cordi eſſe; nec qvibusvis rumoribus fidem adhibendam. Forti tamen animo expectandum, qvid ſibi, ac ſtatui ſuo obventurum ſit: nec pro juſta cauſa nitenti favorem Divini Numinis, & fœderatorum auxilia defore. Mox tamen gliſcente indies à Svecis periculo, cum qvid ab Hanoverano, & Saxone expectandum eſſet non conſtaret, & num forte in Magdeburgum qvid ſtrueretur, qvod Alvensle-bius, ante Adminiſtratoris miniſterio addictus, in Pomeraniam ad Wrangelium profectus eſſet, Conſiliarii ancipitem ditionum Electoralium ſtatum exponebant, Svecorum libidini expoſitarum: qvi vel ſolis hoſpitiis per eas captis copias ſuas in proximum ver inſigniter augere qveant. Et cum nullæ ad reſiſtendum vires ſint, Electorem brevi in eam conditionem redigi poſſe, ut remedio non amplius locus ſit. Igitur ſvadebant, cum fœderati alias militum numero prævaleant, ac Electoris præſentia nullibi magis neceſſaria ſit, qvam propria in ditione, ut ipſe ſaltem cum parte exercitus domum ſe conferat, ſiſtendo periculo, & confirmandis civium animis. Aſt Elector munitis locis probe proſpici jubebat. Sed ut ipſe cum toto exercitu, aut ejus parte domum ſe conferat, in præſens commode fieri non poſſe. Nam toto cum exercitu digredientem à ſociis deinceps auxilii, aut pecuniæ ſubſidiariæ nil manſurum; nec proprias ditiones tantæ multitudini alendæ pares eſſe. Partem qvoqve exercitus iisdem oneri magis, qvam tutelæ ceſſuram. Unde id ſibi agendum, ut, ſiqvidem ditiones ſuæ hoſtili modo invadantur, aut ſtativis onerentur, ipſe lubentibus fœderatis, ac validis horum auxiliis ſuccinctus ditiones ſuas liberatum veniat: tum ut Cæſar, Danus, Belgæ invaſoribus arma inferant. Poſt cum Sveci per Electoris provincias pro lubitu ſe diffunderent, nemine reſiſtente, iſti dolebant, conſilio ſuo locum haut relictum, per qvod præſens calamitas declinari potuerit: ac male conſuluiſſe, qvi ab initio autores fuerint, in diverſiſſimam Germaniæ partem diſcedere, nullis ad tutanda propria copiis relictis. Qvibus Elector

1675. *Haut plus cet protinus in Marchiamire.*

11. Oct. 74

Alvensleben.

24. Jan. 75.

4. Febr.

1675. ctor per literas demonstrabat: *Cum super susci-*
pienda in Alsatiam expeditione deliberaretur, sum-
mam rei huc redisse, num expediat se ab Imperio, ejus-
que decretis, ac Electorali Unione, fœderatisque sejungi,
otioque sumque desidere, ac Svecorum tutelam, & mode-
ramen, id quod hi novissimis pactis caperunt, subire,
ac injustis horum, Gallorumque consiliis implicari;
verbo, num quæ ipse gloriæ Divini Numinis, justitiæ,
legibus Imperii, Unioni Electorali adversa, ac sanctimo-
niæ sectorum Christianorum repugnare judicet, ac tot
scriptis, sententiis, ac declarationibus publice damnarit,
nunc adprobare, laudare, ac promovere debeat: an vero
priori probe fundato, ac matura ex deliberatione sus-
cepto consilio inhærendum sit. Nunc autem quæ Svecorum
invasioni opponenda sint, expendenda, & comparanda;
quo fine fœderatorum auxilia excienda, ac consilia in
posterum digerenda, ac denique negotium ita susci-
piendum, ut & operæ pretium fieri possit, & ne fœde-
ratorum auxilio excidamus; id quod futurum sit, si
præter eorum placitum ab iisdem disjungamur. Unde
hactenus circa suppetias suæ ditioni ferendas ita sibi
nitendum fuisse, ut ne se omni auxilio alieno privaret.
Interim quæ prohiberi nequeant, toleranda, quoad
valida vires hosti repellendo in promtu sint. Ut autem
cum ad Rhenum iretur, tot copiæ domi relinquerentur,
quæ apertis provinciæ tutandis sufficerent, fieri non
potuisse; cum duobus locis justos exercitus habere
supra vires suas sit. Initio autem eo se accurrisse, quo
maximum patriæ periculum vocabat. Sane ni ipse ad
Rhenum vertisset, Argentoratum, & tractum Rhenanum,
quin Sveviam, & Franconiam periculo fuisse expositam.
Nec momentum temporis à se neglegi, quomodo suis
ditionibus in hoc statu, in quem præter omne fas, eoque
& præter expectationem inciderunt, subvenire possit.
Omnia autem ita in promtu habere, ut si cogitata tan-
tum sint, repræsentari queant, solius Dei opus esse.
Sibi ea via incedendum, quæ humanæ vires pertingunt,
ac maturandis rebus tempus indulgendum.

Elector hostilia in Svecos sumi vetat.

§. 4. Cæterum etsi ista Svecorum invasione pax sine dubio abrupta esset; protestationibus Wrangelii de servanda amicitia facto contrariis: tamen qvia nondum constabat, qvid fœderati facturi essent, nec Electori ita omnia parata forent, ut cum spe successus rem in Svecos auspicari posset; consultissimum videbatur ita injuriæ sensum temperare, ut ne res protinus in atrociorem hostilitatem erumperet, neu Sveci intempestive irritati ferro qvoqve, & flammis in Electoris ditiones grassarentur; aut aliqvid capitale susciperent, post haut ita facile emendandum. Præsertim cum dubium esset, an non ista invasio Svecis in transitus vicem adhiberetur, Cæsarem petituris. Sane in Svecia palam jactabatur, exercitum istum in Silesiam penetraturum, obtentu Protestantium à persecutione liberandorum; qvo facto & Hungaros excusso jugo Svecicis partibus accessuros. Sperabant etiam, si Elector propius moveret, & cum Wrangelio agere inciperet, facile inter eos conventurum, qvod magna hujus apud illum esset autoritas, & gratia, negotio componendo ingens momentum. Ac modo Belgæ, & Dani in soporem dari, ac Elector in partes trahi qveat, priori simile bellum in Germania surrecturum. Qvali bello sibi utiqve opus esse pleriqve Nobiles fremebant, citra qvod nulla rem augendi facultas sit: ac Sveciæ res semper bello floruisse, pace languisse. Ac spes erat, plerosqve Germaniæ Principes in ipsorum partes descensuros. Multi qvoqve dolebant, tam aspere Electorem habitum, ac non id potius actum, ut iste per blanda ipsis conciliaretur. Etsi contra Feuqvierio moderatus Svecorum agendi modus, & citra extrema consistens hostilitas parum probaretur; qvi censuerat summo rigore fuisse utendum, & Ulteriorem Pomeraniam in potestatem redigendam, ac enervato Elector in Silesiam penetrandum. Enimvero Electori placebat omni vi arma parare, ac socios in auxilia excitare; ac prout se res darent, consilia capere. Nec tamē vice versa ita cum Svecis agere visum, ut fœderatis suspicio nasci possit, velut ipse nutaret, aut tacite cum istis colluderet, aut in transactionem inclinaret. Unde Anhaltinus Princeps vetabatur cum Svecis super tributis publico nomine agere. Sed si privati id facere velint, dissimulandum, ac idem tacite iis suggerendum. Oppidani qvoqve adventu Svecorum portas claudere jubebantur, nec eas sponte aperire; vi easdem effringentibus vim haut reponere. Vicissim & Wrangelius Svecicis præfectis serio injunxerat, ne ipsi hostilia ordirentur, sed aliqvot milites ab Electoralibus prius occidi sinerent, ac tunc demum ad vim reponendam sese accingerent. Ac sane Sveci omnes artes adhibebant, ut Electorem fœderatis suspectum redderent, qvasi mox sibi cum isto conventurum sit; qvo horum consilia turbarent, ac eosdem ab auxiliis Electori ferendis absterrerent. Unde & Galli legato Florentino, qvi alias cum aula Cæsarea literarum commercia exercebat, persvaserant, ut illudendo Cæsari Lutetia Viennam scriberet, à Stratemanno pactum inter Gallix, ac

1675. liæ, ac Sveciæ Reges, & Electorem adornatum, ac Verjum eo nomine ad Electorem missum; ac negotium pro confecto haberi. Cui mendacio spargendo qvod exterus legatus operam suam accommodaret, parum honestum habebatur. Wrangelius qvoqve Weissenfelsio, qvem Anhaltinus Princeps Prenzloviam ad eum miserat, dicebat: gratum sibi auditu, Electorem ex Alsatia retro movisse; de qvo ipse statim Regi significarit. Ac sperare, qvia ipse de gravibus damnis Electoris provinciæ illatis Regi demonstrarit, hunc copias brevi revocaturum: & qvæ jam facta sint componere non adeo arduum fore. Eqvidem se facile judicare, Electorem non posse non sinistre accipere, ditiones suas alieni militis hospitiis premi: sed in præsens aliter fieri non potuisse. Nunqvam tamen sperare, Electorem abs qvovis permotum iri ad arma in Svecos stringenda. Se velut addictissimum Domui Brandenburgicæ amicum svadere, ut Elector majoribus molestiis declinandis moderata consilia ingrediatur. Se idoneas conditiones propositurum, ut inter Regem, & Electorem amicitia instauretur, omnibus offensis abolitis. Sane isti viro rerum gestarum gloria tantum fiduciæ dederat, ut sibi persvadere haut posset, id animi Electori fore, ut manus cum ipso conferere auderet. Unde & palam Sveci spargebant, cum crederent Electorem audita ipsorum irruptione statim huc accersurum; Wrangelium ei accedenti obviam iturum, ac qvid facere animus sit interrogaturum. Nec dubium esse, qvin tunc protinus inter ipsum conventurum sit. Qvi agendi modus plerisqve exterorum, qveis ejus rationes parum perspiciebantur, suspicionem pariebat, velut tacita inter Electorem, & Svecos collusio foret, ac isto non invito hosce in Marchiam irrupisse, qvo prætextum foret bello sese subducendi. Sed & Sveci sibi persvaserant, Grifenfeldium Regi Daniæ suggerere, ne pacem cum Svecia abrumpat, neu in partem hujus belli veniat. Unde Mardefeldius jactabat; se vel capitis sui periculo cauturum, Danos in bellum non erupturos. A Belgis tantum metus erat. Sed his qviescentibus libera sibi commercia fore; ac tunc bellum in alieno gesturos, qvoad libido tulerit.

27. Jan.

Wrangelius ad Anhaltinum litera.

§. 5. Porro cum hactenus Sveci annonam tantum exegisse satis habuissent, jam & tributa provincialibus imperare cœperunt. Qvæ cum hi, uti jussi fuerant, ultro solvere detrectarent, Wrangelius per literas apud Anhaltinum Principem, & Consiliarios Berolini relictos qverebatur; *Crosnensis Ducatus incolas primum in præstanda legionibus alimenta consensisse; sed post obtentu interdicti Berolino missi ea detrectasse; & cum iidem pleraqve sua in tuta amoverint, militem necessariis deficientibus justa disciplina coërceri non posse. A Francofurtanis qvoqve aditum prohiberi emere volentibus; simul incolas Briezena, & Freienwalda missum ad exigendam annonam non sine minis dimisisse. Cum itaqve tali modo militi necessaria alimenta subtrahantur, qvæ hactenus qvanta fieri potuerit modestia, ac citra vim à se qvæsita sint; facile dissidio ansam præberi posse, ac id ab Electoralibus data opera captari videri, dum cives jubentur, ut malint ista per vim sibi auferri, qvam ultro qvid dare.* 1. Mart. *Unde sibi necessarium visum inqvirere, num id edictum peculiari Electoris jussu promulgatum sit, an ex sola Regiminis cura, qvam pro commissa sibi provincia gerant? Qvo casu suo judicio satius videri, provinciales sponte dare, qvod per vim, qvam hactenus ipse magno studio adhibere declinaverit, facili negotio eripi qveat. Alias spem fuisse Regi, Electorem reducenda orbi Christiano, ac propriis ditionibus qvieti alia consilia capturum, ac promptiorem se instaurandæ cum ipso amicitiæ ostensurum. Sed postqvam tanto temporis spatio tam tenuis in istam inclinatio sentiri potuerit, ac potius per affixa publice advocatoria edicta, aliisqve indiciis diversum eluceat; se Deo, hominibusqve excusatum fore, si per talia belli flamma magis diffundatur, ac ditioni Electoris plus molestiarum creetur. Qvas ut prævertant ipsis sine dubio cordi fore. Eoqve se reqvirere, ut civibus injungatur, ne per talia occasio majoribus offensis detur; sed potius omnia ad reparandam inter Regem & Electorem amicitiam, simul tutam orbis Christiani pacem referantur.* Ad ista Princeps, & Consiliarii mascule reponebant; *Istas se literas sum ad satis capere non potuisse. Querelas ipsum eas litemovere, Electoris cives extraneo militi, per vim hujus ditionibus infuso, sua sponte dare nolle; ac à se petitum alienis erogare, qvod Electoris militi debetur. Sane harum querelarum nullam rationem à se perspici. Prioribus se literis indoluisse, Electoris terras hostili modo opprimi, cives oneribus pessundari. Ea dein indies aucta: post Uckeranam, & Mediam Marchiam fere exhaustam Pomeraniam, & Novam Marchiam comedi, ac omnia hostilia præter cades, & incendia qvartum jam mensem exerceri. Postqvam cives ista tamdiu patienter tolerarint, ac sua omnia erogarint, ac non nisi pauca qvæ restant Principis sui militi servare velint, jam ultro ex-*

Responsum. 11. Mart.

1675. *probrari, velut legitima causa præbeatur belli mala intendendi. Utros credendum sit solidiore fundamento fiduciam suam in Deo, & jure suo collocare. An illos, qui innocentibus civibus alieni Principis sua per vim eripiunt; an vero miseros homines, fortunis suis spoliatos, qui exiguas fortunarum reliquias exteris haut sponte offerre volunt? Num eum Principem, qui alterius ditiones sine causa invadit, ac populatur; an legitimum dominum, qui istam vim probare non potest, & suos cives sibi servare cupit? Quod Francofurti nulli amplius Sveci intromittantur, ipsos causam dedisse, intercepta ejus oppido annona subvectione. Quod alii ex edicto Principis exteris nil ultro dare voluerint, in eo fecisse, quod fides ipsorum requirebat. Si ipsi subjectos ad constantiam hortentur, & veteri Svecis sponte quid dari, injunctum sibi officium exercere, absente Electore sibi incumbens, quod & hic improbare nequeat. Ac confidere, sua, & civium Electoralium acta Dei, ac honesti orbis calculum meritura; ac immotam civium in Principem fidem magis valere debere ad levanda eorum onera, quam asperiora in eosdem provocanda. In arbitrio Regis semper esse militem, quem immisit, revocare, Electori non plus noxæ inferre, hostilia omittere. Esse in Svecici ducis manu provincialibus, defensore impræsens destitutis, sua eripere. Sed num talia Dei, & honesti orbis judicio probari queant, haut in arduo esse divinare. Ejus judicii si Svecis aliqua cura sit, injuriis ultro finem imposituros. Edictum quod arguatur, & quæ alia servandis Electoris civibus faciant, omittere sibi nefas esse.*

Belgarum auxilium imploratur.

§. 6. Qvia autem Sveci palam spargere non dubitabant, Electori talia ideo inferri, ut à fœderatorum partibus abstrahatur; par utiqve erat, ut & hi ad mala, qvæ eorum causa tolerabantur, averruncanda incumberent; ad qvod etiam ex fœdere tenebantur. Ad qvam rem cum plurimum conferre possent Belgæ, ob qvos bellum initio ortum erat, & à qvibus rerum gerendarum nervus petendus, ante omnia circa istos excitandos satagebatur. Ad Arausionensem qvoqve scribebatur, ut auxilia properentur; alias sibi diversa consilia capessenda. Nam tolerari à se non posse, cives suos ita perdi. Si tamen socii non deserant, constanter se in partibus perstiturum. Ni de isto Svecorum facinore ultio sumatur, nunqvam tutum fore cum aliis fœdere necti; ac metu ejusmodi rapinarum omnia honesta instituta omissum iri. Addebat de causis relictæ Alsatiæ, qvod annona defecerit, ac Cæsarei tantam trepi-

9. Jan.

dationem ostenderint, ut iis confidi non amplius posset. Ac sane Belgis ea res non parum cordi erat; qvi & Electore suggerente legatum Svecicum Ehrensteinium interrogarant, qvo fine exercitus Svecicus Marchiam ingressus sit? Qvi respondebat; sibi de ea re, ejusqve causis nondum liqvido constare. Si tamen ita factum sit, sine dubio Regi gravissimas causas fuisse, de qvibus propediem Reip. significaturus sit. Forte Regem eo permotum, qvod Elector cum Belgis, eorumqve sociis fœdus iniverit, haut debita facta communicatione, ac exercitum trans Rhenum duxerit: ac sine dubio, si Elector copias à reliqvis disjunxerit, non nisi rata parte deinceps collata, Svecicum militem ex ejus ditione revocandum. Contra Belgæ demonstrabant: Haut sibi adparere justam causam, ob qvam Rex de Electore qveri posset; nec se hunc auxilia cassum relicturos. Qvo tamen Svecis omne prætextum adimerent intra Germaniam copiis suis stationem capessendi, fœdus ipsis offerebant super securitate provinciarum Teutonicarum, cujus formulam legato exhibebant. Qvod tamen Electori haut probabatur, velut extrahendo tempori, & eludendis fœderatorum auxiliis inventum; ac ut serio magis res suscipiatur, instabat. Et qvia Sveci negabant se Electori hostilia intulisse, hic demonstrari jubebat; Ehrensteinium utiqve Hagæ publice declarasse, Regi Sveciæ cum Electore litem intercedere, sed qvæ ipsos solos tangat. Benedictum qvoqve Oxenstiernam Viennæ jactare; à Rege eam expeditionem suscepta, ut de Electore vindictam sumat. Ipsum qvoqve Regem, ejusqve ministros scripsisse; qvamdiu Elector in Alsatia contra Gallos rem gerat, Svecicum militem ipsius ditione haut excessurum; ac ei fœderatorum partes deferendas, si istos amoliri velit. Sed & Svecos istud fecisse ex fœdere cum Gallis inito, & ob acceptas ab his pecunias in eorundem emolumentum, ac fraudem Imperii & omnium fœderatorum. Unde dubium non esse, eam invasionem non ex amicitiæ, aut bonæ viciniæ officio sed hostili animo susceptam. Et qvare Ehrensteinius Belgarum interpositionem peteret, ac dissidii ex facili componendi spem faceret? Eundem dicere, Electorem ansam præbuisse, ut Sveciæ pro defensione pacis Westphalicæ, ac suarum provinciarum arma capienda fuerint. At qvi Electorem nil aliud egisse, qvam ut professis Germaniæ hostibus resisteret, adversus qvos & à Svecis arma capi par fuisse. Frustra legatum differere Regem hostilia paulum

1675.

Belgarum cum legato Svecico disceptatio.

1675. lum adhuc diſtuliſſe, & hac expeditione id tantum qværere, ut Elector ipſi reconcilietur, idemqve operam reducendæ paci impendat. Tum ut Reſp. ei diſſidio componendo operetur, cum id negotium alios non tangat. Sane enim Belgis iſta invaſione maximam injuriam, & noxam inferri, dum Sveci eo tempore, qvo negotium pacis maxime urgendum erat, eorum fœderatum ſocietate per vim abſtrahere laborant. Ac hoſtilia qvam maxime expromta, utut hactenus ferro, ac igne nondum ſit ſævitum. Nam & illum latronem eſſe, qvi tantum ſpoliat. Stolidum porro eſſe, talia conciliandæ amicitiæ adhibere. Nec Electorem adeo ſenſu carere, ut iſta in animum revocare non poſſit. Si qva cauſa qverendi Sveco fuiſſet, anteqvam irruptio fieret, amicam reconciliationem tentari par fuiſſe; qvod & pactis cautum ſit. Expeditionem ad Rhenum ex officio in patriam ſuſceptam, qvam ei licitam non eſſe ne apicem qvidem in fœdere extare. Svecum qvoqve revocato Wangelino communicationem primo loco abrupiſſe, cum Brandius demum poſt irruptionem Holmia diſcedere juſſus ſit. Alias Electorem omnia paci promovendæ facturum etiam Svecis non monentibus. Eo magis autem Reip. hanc cauſam ſuſcipiendam, qvod etſi hæc antea declararit, ſe Electori, ubi invadatur, auxilia ſubmittere haut omiſſuram, Sveci tamen ea denuntiatione inſuper habita in Electoris ditiones irruperint, manifeſto indicio, qvam parum ipſi Belgarum offenſam curent.

Belgæ ad auxilium ferendum ſæ promiſſum.

§. 7. Poſtulabat qvoqve Elector per Blaſpielum, ut Belgæ poſt bellum tam frivola de cauſa à Svecis ſumtum non amplius cum Ehrenſteinio tanqvam ſeqveſtre agerent: tum ut copias ſuas Bremenſi provinciæ diſtrahendis Svecis immitterent; Danumqve ſublevarent, ut & ipſe in iſtos erumpere poſſet. Sed nec legato Svecico amicam tranſactionem ingerenti aurem præberent, qvi nil aliud qvam ipſis illuſum eat, qvo eos ab auxilio ferendo avertat. Nam ſi Svecis amicitia ſua cordi foret, dudum Reip. ſignificaturos fuiſſe, ſua acta ipſis non probari. Qvæ à Belgis benevole accipiebantur, eminente Caſparis Fagelii ſtudio; qvi rogabat, exiguam moram Elector ægre haut ferret, ut res ad ſingulas provincias referri qveat; tum ut ſpatium ſit Danum in arma propellendi, & claſſem mari immittendi. Nil qvoqve amplius ſuper pace cum legato Svecico agebatur, ſed in ejus vicem Wilhelmus Templius legatus Anglicus ſubibat. Atqve iſti diſertis verbis denuntiabatur, ni Svecicus exercitus ſine mora Electoris ditione excedat, ſibi neceſſum fore ex fœdere cum hoc inito bellum Sveciæ indicere. Ac qvæ is probando ſuorum facto proferebat, rejiciebantur; ac cum per *articulum ſeparatum* oftenderetur fas fuiſſe Electori pro tuendo Imperio arma ſumere, idem negabat, ſibi de iſto articulo qvid conſtare. Mox congreſſu fœderatorum Hagæ habito declarabatur; ſi maxime Reſp. ad auxilia Electori ferenda per fœdus non teneatur; communem tamen utilitatem, & æqvitatem id reqvirere. In conſeſſu qvoqve Ordinum Hollandiæ cum ordibus ſuffragiis decernebatur, Electori terra mariqve auxilia contra Svecos ferenda, ac tamdiu hoſce bello urgendos, qvoad iſti ſatisfactum ſit. Eo fine placebat à Dano reqvirere, ut accepto convento autoramento bellum Svecis inferat, prout fœdere conventum erat: Moſcum miſſo legato ad arma in eosdem ſumenda incitare: centum viginti centurias, qvæ alias exautorandæ erant, ſub ſignis retinere; claſſem Mari Baltico immittere, qvamprimum anni tempeſtas id permiſerit: à Cæſare reqvirere, ut is Ratisponæ Ordines ad arma in Svecos decernenda impellat, ac edicta avocatoria promulget: omnium provinciarum incolas monere, ut ſibi à Svecis cavcant; utqve his exſeqvendis Arauſionenſis terra mariqve neceſſaria adparet. Deniqve cum Sveco nil amplius tanqvam cum ſeqveſtre agendum, utpote qvi ſumtis armis aperte in adverſas partes deſcenderit. Qvæ omnia in conſeſſu Ordinum Generalium probabantur. Viſum tamen ex ſuperfluo Ehrenſteinium denuo monere, ut Rex copias ſuas ex Electoris ditione revocet, ac cum hoc amice tranſigat; ut tamen exſecutio facti decreti ideo haut differenda ſit. Etſi Elector nil aliud urgebat, qvam ut ſine mora in bellum erumperetur, qvod ſuſcepta tractatione non niſi tempus fruſtra extrahendum ſit, Dano, aliisqve ſuſpicione inde perſtringendis.

1675. 11. Jan. 4. Febr.

Sveci bellum cum Belgis detrimant.

§. 8. Contra Sveci omnem lapidem movebant, ut Belgas ab auxilio Electori ferendo diverterent. Rex ipſe per literas factum ſuum Belgis probare ſtudebat. Cui vicitim ab his demonſtratum; uti ipſe ab aliis in fraudem inductus, ac rerum facies haut ex vero eidem propoſita ſit. Ehrenſteinius qvoqve per Silbercronam Electoris miniſtris offerebat, Regem diſſidio componendo pronum, ac protinus copias è Marchia evocaturum, ſi Elector una cum

1675. Rege partes seqvestris circa conciliandam communem pacem suscipere, ac ratam duntaxat partem ad Imperii exercitum conferre velit. Qvæ tanqvam ludibria rejecta, extrahendo tempori inventa. Nam anteqvam tractationi adornandæ necessaria præparentur, ac in Sveciam referatur, ac inde mandata mittantur, Marchiam periisse. Mox idem de communibus induciis proponebat. Qvem vicissim Belgæ rogabant, efficeret, ut Svecicus miles Electoris provincia excederet, ac lis amice componeretur. Qvæ mollis agendi ratio cum Cæsareis, & Danicis suspicionem excitaret, ac nostri promtam facti contra Svecos decreti exsecutionem urgerent, demum Belgæ per delegatos Ehrensteinio id decretum denuntiant. Ad qvæ hic prolixe ostendebat; *Electorem contra fœdus cum Svecia Rege alia fœdera iniisse, ac plures copias, qvam per Instrumentum Pacis, ac SCta Ratisponensia eidem integrum fuerit, ad Rhenum duxerit, ibiqve in Gallos rem gesserit. Unde Regi justam causam præbitam exercitum Electoris ditionibus immittendi, ubi is haut hostili modo, sed modeste ac sobrie agat, protinus revocandi, ubi Elector rem ad statum, qui tempore initi fœderis fuerit, deduxerit. Hoc antequam fiat, Regis existimationem, & obligationem non permittere, suos inde retrahere. Wrangelium qvoque plena agendi facultate instructum, qvicum negotium brevi tempore expediri qveat, Belgis officium interpositurus.* Ast Belgæ isthæc nulla ratione niti demonstrabant, ac citra ambages declarabant; ni Svecicæ copiæ ante omnia amoveantur, de tractatione cogitari non posse; ac sibi necessitatem imponi qvantumvis invitis hostilia in Svecos sumendi. Id cumprimis absurdum habebatur, à Wrangelio, qvi irruptionem fecerat, & arma tenebat, amicam compositionem expectari debere: tum Svecos sui arbitrii esse velle, qvantis cum copiis Electores, & Principes patriæ liberandæ se accingere debeant, ac ni ex ipsorum libidine agatur, milite in horum terras effuso velut immorigeros castigandos. Super officio per Svecos hactenus exercito Joannes Camprichtus Cæsareus minister censebat, Ehrensteinio idem responsum, qvod Benedicto Oxenstiernæ Viennæ, dandum: qvamdiu Sveci militem Electoris terris non deducant, nec medios se gerant, eorum officium admitti non posse. Unde & ab Ordinibus Generalibus decretum, nil amplius libellorum ab Ehrensteinio admittendum; qvæ modestissima sit via ei permovendo, ut ultro facessat. Ast Electori isthoc haut suffi-

1. Febr.

1. Mart.

ciebat, sed qvia is non aliud Hagæ acturus erat, qvam ut diffidentiam, confusionem, atqve discordiam inter ipsos Ordines, ac inter hos, eorumqve fœderatos excitaret; nec deceat hostium legatum apud ipsos tolerari; utiqve eum citra moram dimittendum. Præsertim cum idem diffidentiæ apud Belgas serendæ spargeret, inter se, ac Gallum, Svecumqve secretos tractatus agitari; de qvibus sibi nunqvam in mentem venerit. 1675.

Circa bellum Svecis indicendum difficultates.

§. 9. Haut eo secius obstabant nonnulla, qvo minus bellum Svecis ita promte indiceretur, uti Elector cupiebat. Ac inprimis circa commercia res hærebat. Nam cum Elector in Zelandia complures excursores maritimos instruxisset Svecorum navibus intercipiendis, Zelandi ejusmodi captas naves legitimam prædam declarari, ac apud se publicari nolebant, instinctu potissimum Amstelodamensium, qvi bello durante navigationem in Sveciam continuari volebant. Qvod si tamen naves caperentur, qvæ ad Belgas nil spectent, eas Ostendam deduci, ibiqve vendi posse. Nam qvod Sveci excursores istos tanqvam piratas diffamare vellent, ideo, qvod Electori jus non foret classem in Mari Baltico habendi, id velut incongruum rejiciebatur. Sed nec Belgæ Svecis aliter bellum indicere volebant, qvam cum exceptione liberorum commerciorum; frustra ingerentibus nostris, tepida consilia ingloria juxta, ac noxia; & premendos esse Svecos, qva parte tenerrimus sit sensus. Nam sibi populi animos promtos belli oneribus retinendos, qvorum maxima pars è commerciis illis toleranda erat: ac si is frænum mordeat, se ad intempestivam pacem compelli posse. Urgebant inde nostri, ut Belgæ saltem subvectionem frumenti, & salis in Sveciam vetarent; præsertim cum fœdere inter Anglos, & Svecos anno 1666 d. 16. Februarii inito inter merces bello vetitas (*contrabandas* vocant) etiam annona numerata sit. Sed Belgæ istas merces hac classe censeri posse negabant. Si tamen obliqva ratione impediri possit, ne mercatores istas species in Sveciam importent, id se facile dissimulaturos. Danus contra instabat, ut Svecorum commercia plane inhibeantur, ac pecuniæ eorum, qvas in Belgio habeant, publicentur, aut saltem tantisper detineantur. Qvi tamen mox id temperamentum admittebat, ut indictione belli facta cuilibet fœderatorum integrum sit commercia cum Svecis continuare, necné, modo nihil mercium bellicarum, & inter has etiam

sal

1673. sal invehatur. Sed Belgæ demonstrabant; prohibita suorum in Sveciam navigatione hisce plus damni, qvam Svecis illatum iri, qvod Angli ejus regni commercia plane in se tracturi sint. Unde haut rationis esse Danum huic postulato insistere, ni efficere possit, ut Angli qvoqve, aliiqve navigationem in Sveciam abstineant; qvo casu & separia facturos. Sed nec cum Dano ita promte conveniri poterat. Is enim qvantumvis belli cum Sveco cupidissimus volebat à fœderatis prius clarigationem fieri, ne in se primo loco erumpentem maximum belli onus derivetur. Tum qvia ipse mari Svecis plus noxæ, qvam qvispiam alius, inferre possit, pecunias sibi præberi postulabat classi eo melius instruendæ; qvo casu haut opus fore à Belgis classem in Mare Balticum mitti. Sed & moram aliqvam negotio injiciebat, qvod Arausionensis è variolorum morbo non sine periculo decumberet. Qvo restituto Elector, qvi & ipse Clivis solito morbo laboraverat, Hagam
7 Maij. profectus est, ut sua autoritate negotio finem imponeret; ac nutantes confirmaret.
15 Jun. Qvi & pervicit, ut certa dies indicendo Svecis bello designaretur, ac Daniæ Regis postulatis satisfieret: tum ut conveniret, qvo loco qvisqve fœderatorum rem gerere debeat. Ubi Cæsar, ac Danus censebant, Svecos tota vi obruendos, eorumqve vires frangendas, ne perrumpere, ac cum Gallo se conjungere possent; eosqve in Pomerania juxta, & Bremensi provincia invadendos; id qvod plurimum accelerandæ paci facturum sit. Qvod & Luneburgici valde svadebant, sed ut ipsi rem in Bremensi provincia gerere cuperent. Contra Belgæ, & Hispani hosce Gallis immittere cupiebant. Ac Joannes Fridericus Hanoveranus Dux fratri obtulerat, si copias non in Svecos, sed ad Rhenum ducere velit, se ipsius ditionem contra Svecorum irruptionem tutam præstiturum. Sed & Sveci Luneburgicis fratribus per integrum annum cavere volebant, si arma non in ipsos, sed Gallum vertere vellent. Qvam conditionem Duces acceptare dubitabant, ac idem Electori periculosum videbatur, qvod non Hanoveranus solum, sed & Monasterienſis à Gallo pecunias accepissent, ne uterqve forte pro Svecis arma caperent. Demum pervicere Hispani, ac Belgæ, ut Luneburgici Duces bellum ad Mosellam in Gallos administrarent, qvoad necessitas alio eos avocaret. Qvibus peractis Elector ad exercitum in Franconiam contendit, inde versus ditiones suas moturus. Qvo minus idem Hagæ cum legato Anglico Wilhelmo Temmplio loqveretur, causa erat, qvod hic in domo Electoris priorem locum exemplo Gallicorum legatorum prætenderet; id qvod nec his ab ullo Electore concessum fuit. Cæsar literis ad Electorem scriptis magnopere fortia, & magnanima consilia, qvæ is Hagæ expromsisset, nec minus amorem, atqve fidem, qva sibi, ac Imperio addictus sit, ac immotam in bonis partibus constantiam laudabat; tum ne vitam suam periculis objectaret, monebat. 1673.

§. 10. Conventa inter fœderatos die. Belgæ Svecis bellum indixerunt salva commerciorum libertate, qvamdiu Sveci eam illibatam reliqverint. Clarigationis edicto deducebant, *ut imminente à Gallis bello ipsi Wilhelmum Harcum in Sveciam misissent, rogatum ut Sveci Gallum bello avertant, aut si id frustra sit, ex fœdere debita auxilia mittant. Svecos contra fœdere secum Gallo innexuisse acceptis pecuniis, ne Belgis opem præstarent. Ita loco auxilii officium conciliandæ pacis obtrusum. Hoc officium dum exercent Sveci, alios laboratum, ut Brandenburgicum Electorem Belgarum partibus abstraherent; tum inducias proposuisse, manifestum suæ R. ip. exitium paricuras, hærente in visceribus hoste. Eo qvoqve rem redegisse, ut Elector cum Gallo transegerit, se omni auxilio destitutis. Eis qvia ipsi circa Gallum ad pacem permovendum haut seriam operam navarint, ab hoc Trajectum ad Mosam expugnatum. Id qvod impediri potuerit, ni Svecici ministri Electorem ad transigendum cum Gallo perpulissent, eoqve & hujus, & Cæsaris auxilium sibi infructuosum reddidissent. Eosdem Colonia haut sat enixe laborasse, ut Gallum ab iniqvis conditionibus averterent: tum non nisi langvide monuisse, ut hic invadendis Imperii Ordinibus abstineret; cum id tamen adversa fronte Westphalicæ paci repugnaret. Contra cum Cæsar, Hispani, ac Belgæ defensionis duntaxat causa fœdus agitarent, exitio à Germania, & utroqve Belgio avertendo. Svecos omni vi obstitisse, ac circa eudenda contraria fœdera fatigisse, haut dubitantes jactare, istud fœdus in fraudem libertatis ac securitatis Germaniæ cedere. Prorsus qvasi Gallo integrum sit ad opprimendos alios Germaniæ uti, ac in ea pro libidine grassari: contra Cæsari nefas sit oppressos vindicatum ire. Cui instituto haut alius color invenire potuerit, qvam qvod Gallus copias suas Germania deducere paratus sit, si & Cæsar destitutis Belgis militem intra hereditarias suas ditiones retraxerit. Haut eo minus se tolerasse, ut Sveci officium continuarent, qvod spes foret aliqvando pacem obtinendi. Ac nactos se demum cum Anglo, Colo-* Belgæ Svecis bellum indicunt. 15 Jun. 1672.

1675. *lonienſi, ac Monaſterienſi pacem, ſed invitis, ac impedire ſtudentibus Svecis, utut à ſe rogarentur iſti promovendæ incumbere. Poſt tractationem à Gallo abruptam nulla eam inſtaurandi ſpe, ſibi decernendum fuiſſe pacem per arma recuperare. Eo fine, cum Ratispona Gallus Imperii hoſtis declaratus fuiſſet, ſe cum Cæſare, Cellenſi, ac Guelferbytano Ducibus, ac demum cum Electore fœdus iniiſſe; id qvod huic per pactum cum Gallo, & ſeparatum articulum fœderis Svecici permiſſum fuerit. Unde Svecos anſam arripuiſſe Gallum firmandi, pacem impediendi, Electorem opprimendi, qvicqvid ipſi in diverſum niterentur, oblato qvoqve iisdem fœdere pro ſecuritate Teutonicarum provinciarum. Aſt Svecos epiſtola ad ipſos ſcripta hanc cauſam, qvare Electorem invaderent, adduxiſſe; qvod u ſuis, ac ſociorum partibus accefſerit; ſe incaſſum roganteibus, ut Svecicus miles provincia Electoris demoveretur. Eas ob cauſas ſibi neceſſitatem incumbere Electori ex fœdere opem ferendi, ac Svecos terra mariqve bello impetendi.* Ehrenſteinius contra exhibito ſcripto teſtabatur; Svecos ſerio, ac ſincero animo circa pacem fategiſſe; nec ullam eos cauſam hujus belli Belgis præbuiſſe, cum id unice ab Electore originem ducat. Inde idem navi Belgica Hamburgum ſe conferebat. Eodem die Dux qvoqve Villæ Hermoſæ Bruxellis nomine Regis Hiſpaniarum Svecis bellum indicebat.

24. Jun.

Cæſarei conſtantia in Svecos commovetur.

§. 11. Aſt Viennæ cum de Svecorum motu audiretur, protinus decernebatur decem militum millia in Sileſiam mittenda, magistamen ad Cæſaris, qvam Electoris ditiones tuendas. Cui aulæ & Benedictus Oxenſtierna fucum facere nitebatur, propoſito, ut Cæſar legatum Holmiam mittat, officium componendo inter Regem, & Electorem diſſidio oblaturum. Scilicet ut Cæſar impediretur, qvo minus Electori ſuppetias ferret, ac is hoc ipſo adprobaret, Regi utiqve de Electore qverendi cauſam eſſe. Etſi ſatis adparebat, Svecorum conſilia admodum turbata eſſe, qvod neqve Bavarus, nec Hanoveranus, qvousqve ipſi optaverant, in cauſam deſcendere voluiſſent; &, qva ratione Gallo promiſſa repræſentari poſſent, haut adparerat. Nonnullis tamen, ac præcipue Montecuculo nondum perſvaderi poterat, Svecos ita temere in bellum erupturos, qvod hoc ipſo autoritatis, qvam ſeqveſtris munus pariebat, jacturam facturi ſint, provinciis inſuper Germanicis facile exuendi. Cæterum inſtabat Elector apud Cæſarem, ne adverſus Svecos remedia judiciaria, puta mandata ſine clauſula adhibeantur; cum non nili armis locus ſit. Unde Oxenſtiernæ declarabatur; à Svecis Electorem invadi non poſſe, ni Inſtrumentum Pacis violare, ſeqveſtrisqve officio exui, ac fœderatorum arma in ſe pertrahere velint. Simul reqvirebatur, ut is perſpicue demonſtraret, qvid qverelarum ipſis in Electorem ſit. Ad qvæ iſte nil liqvido reſpondere, niſi qvod obiter jaceret; haut ægre temperamenta inveniri poſſe. Ac ſperare ſe, Cæſari haut fœdus eſſe, ex qvo teneatur ſe ingerere, ſi Regi Sveciæ cum uno & altero privata lis intercedat; cum nec Rex Gallico ſe bello miſceat. Mox cum nuntii adferrent, Svecos jam in Marchiam invaſiſſe, Crocovius Montecuculo incredulitatem exprobrare, qvæ in cauſa ſit, qvare huic malo averruncando haut mature remedia fuerint adhibita. Qvi nil præter illud, *non putaram*, reponebat. Etſi revera tam huic, qvam legato Hiſpanico Oxenſtierna illuſiſſet, propoſito fœdere cum Hiſpanis Sveciæ admodum proficuo, cujus formula Madritum miſſa fuerat. Idem Oxenſtierna legato Hiſpanico ſignificabat: rumorem in urbe increbuiſſe, qvaſi Svecі in bellum cum Electore eruperint. Id falſo fingi, ac tantum hoſpitia pauliſper prolata; id qvod in hoſtilitatis vicem capi neqveat. Cui contra Hiſpanus; haut qvidqvam amicitiæ ſpecimen haberi, in alienis ædibus invito domino hoſpitium ſibi capere. Cæſarei porro haut eo ſecius cenſebant, Electori cum exercitu ad Rhenum conſiſtendum; de qvo Crocovius nullam ſpem faciebat, Cellenſi qvoqve legato declarante, ſtatim atqve Svecі Electorem invaſerint, Ducem cum exercitu retro verſurum. Idem qvoqve tam cum Oxenſtierna, qvam aliis in actionibus circumſpecte admodum procedebant, ſolicite declinato, qvicqvid ullam ſpeciem abrumpendæ cum Sveco pacis habere poſſet. Apud Crocovium autem excuſabant, prius ſibi arma in promtu habenda, & exercitum in Sileſia contrahendum; qvo inſtructo ferocius ſe locuturos. Revera metus erat, ne Svecі recta in Sileſiam tenderent, ubi qvos ſacrorum nomine tantopere vexarant Proteſtantes ipſis ſejuncturi ſint. Qvei contra Crocovius minabatur, ni Electori auxilium feratur, neceſſum ipſi fore cum Svecis qvantovis diſpendio tranſigere. Mox cum Cæſar per Paulum Hocherum cauſas irruptionis in Marchiam ex Oxenſtierna qværi juberet, hic reſpondebat: *Regi ſuo tantam in Electorem eſſe offenſam, qvam ne privatus qvispiam digerere poſſit. Iſtum qvippe cum hoc fœdus iniiſſe, ut neuter huic bello ſe miſceat, niſi*

1675. 1. Jun.

1675. *nisi communicatione prius cum altero facta. Electorem tamen in partes descendisse, inconsulto Rege; ac postulante Wangelino expeditionem suspendere noluisse; nec respondere dignatum, cum interrogaretur, qvare copias è Borussia arcesseret. Unde Regi necessitatem allatam ejusmodi armorum paratus faciendi, qvorum sustentatio suis provinciis gravis nimium foret: qvibus cum Elector causam dederit, par esse, ut & iis alendis qvid conferat. Cæsari curæ fore de remediis cogitare isti dissidio componendo. A Rege satisfactionem, & securitatem qværi. Sibi spem esse, Cæsarem consilia sua ita moderaturum, ne ex privata hac lite commune incendium surgat.* Ista cum parum solida ostenderentur, ulterius in disceptationem descendere nolebat. Idem tamen turbandis fœderatis Viennæ spargi curabat; sibi aulæ Cæsareæ consilia admodum probari. Declarationem super loco tractatuum, ac Wilhelmo Furstenbergio solida ratione niti, ac à Gallis utiqve legatos Hamburgum mittendos, qvicqvid renitantur. Se Vienna discedere cupientem rogatum, ut aliqvantisper maneat. Sperare, à Cæsare legatum Holmiam mittendum, arctius stringendæ amicitiæ. Sed Hocherus dicebat: ista inania esse sibi satis constare. Qvod autem Cæsar nondum Svecum seqvestrem repudiaverit, nec bellum indixerit, inde esse, qvod dubitet; an non Elector consultum judicet paulisper connivere, qvoad omnia ubiqve rite parata sint, ne Svecis intempestive irritatis ad atrociora ausa præbeatur. Nec Silesiæ adhuc satis prospectum; ac prius sibi noscendum, qvid alii fœderati facturi sint. Cæterum esse Oxenstiernæ causam, qvare de Cæsare contentus sit: sed huic Svecorum acta haut probari, totum orbem mox perspecturum. Cæsarem neqve Hamburgum, neqve Holmiam legatos missurum. Idem monebat, Svecis, & Administratori Augusto in animo esse Magdeburgum opprimere, eoqve insidias cavendas. Nam Svecos alliciendo Saxoni de Magdeburgo, & Erfordia spem feciisse. Ac alias Administrator parum amici animi indicia ediderat, misso dum Elector in Alsatia agit certo homine Argentoratum, qvi sinistra qvæqve de ibi gestis referebat.

Regis Sveciæ ad Cæsarem litera. 15. Febr.

§. 12. Reddebantur inde Cæsari à Rege Sveciæ missæ literæ, rationem irruptionis in Marchiam reddituræ; qvas huic verbis conceptis adscribere placet. *Serenissime & Potentissime Imperator, Domine Frater, Consanguinee, & Amice charissime. Litera Majestatis Vestræ die 19. Novembris e-*

lapsi anni exaratæ aliqvo tardius, & cum eam 1675.
pridem typis evulgatas vidissemus, Nobis sunt transmissæ, fusiusqve Nos edocuere, qvæ Mti Vræ de legati Gallici contra Electorem Brandenburgicum expositis publice apud nos querelis relata sunt, & qvibus arbitrata est juste se posse indignari, cum non ipse Elector, verum potius Rex & Dominus prædicti legati in leges Westphalicæ pacis peccasset, ac istis, qvas Mti Vræ visum denuo ac singulatim enumerare, offensis ac Imperio illatis detrimentis magis promeruisset, ut arma Statuum, & eorum omnium, qvi pacis consortes & vindices essent, in Regem Galliarum ipsum converterentur, qvam qvod vel illi fas esset, ea contra Electorem evocare, vel alii alicui concessum, Electorem sub qvarantigia Vræ Mtis & Imperii constitutum, ob ea, qvæ pro avertenda hac Imperio illata vi gessit, impune lacessere, & aggredi. Qvemadmodum Mtas Vra agnoscendo & deprædicando nostram, qvam pro reducenda Germaniæ tranqvillitate impendimus solicitudinem & curam, se etiam confidere profitetur, qvod consideratis arduis istis, qvas Mtas Vra adduxit rationibus, non solum Gallæ requisitioni ulteriori non aurem præbere, verum potius nostra in tutelam Imperii, Mti Vræ, Electori, & reliqvis pro ejus salute exeubantibus Statibus arma jungere vellemus. Cum recordari Mem Vram non dubitemus, qvæ ejusdem ablegato extraordinario Comiti de Sternberg qvæ supradictum negotium iterato responderimus; ita Mtem Vm etiam eo facilius comprehensuram confidimus, qvæ mens in hoc responso nostra, & qvod, qvicqvid Mti Vræ in contrarium suggeritur, ne latum qvod dicunt unqvem recesserimus à priori, & eo tempore declarata promovendi serio pacem solicitudine; & à studio excolendi, imo arctius constringendi eam, qvam cum Mte Vra sinceram & intemeratam cupimus amicitiam. Fassi enim sumus antea aliqvoties, & adhuc denuo profitemur, nullo unqvam Nos tempore ac modo probasse, vel etiamnum excusare, qvæ exercitus Gallici in Germania perpetrarunt, violenta, & legibus Pacis Westphalicæ contraria. Sunt enim graviora, qvam qvod ratio belli, & studium prævertendi, qvod illis imminere, & præparari arbitrabantur mali, ea reddere possit vel justa, vel tolerabilia. Verum cum nonnunqvam, & uti existimamus non immerito monuerimus, posse ex amica dissidiorum compositione priorem malo salutem conciliari, qvam ex vindicta, & ulteriori armorum motu & strepitu, inprimis cum Ser mus Galliarum Rex ad reparanda, qvæ rite postulari possent damna, ad restituenda qvæ à suis detinentur loca & fortalitia, & ad ponenda & revocanda sua ex Imperio per inducias generales

1675. rales arma se pronum ac paratum demonstraverit; ita experientia quoque ipsa deinde testata est, non vanam fuisse hanc nostram solicitudinem, non frustraneas nostras observationes, & monita, quandoquidem per accessionem partium non tantum belli incendium non extinctum, verum potius majora exinde cepit fomenta, ut solet, quando oleum igni infunditur, & flammas dispersit suas in omnes Imperii partes, absumitque insontes, & à causa & culpa belli liberos, non minus ac sontes, & bello ipso interessatos. Et quid è contra Imperium tantis viribus fultum non potuisset, si consilium nostrum, quo, Deum testamur, nullum & sanando præsenti, & præcustodiendo futuro belli malo magis salutare, ac adæquatum deprehendebamus, ullum nancisci potuisset assensum, & Status suas cum nostris conjunctas belligerantibus monstrassent vires, ab operatione belli equidem parum retentas, paratas tamen & validas ad extorquendam pacem ab alterutra parte, quæ illam noluisset & æquam, promtam, ac generalem. Et donec de mente hujus vel alterius iniqua, vel ad quietem proclivi, deque justitia postulatorum, quæ utrinque proponebantur, aliquo luculentius orbi constitisset. Quemadmodum Dn. Elector Brandenburgicus & ipse illam agendi salutarem methodum quam libentissime approbavit, & desuper solemne quoddam fœdus Nobiscum iniit, & conclusit, Mtem Vram comperto hoc Dni Electoris nexu, & consideratis sequentibus in rei veritatem adstruendam adductis rationibus, & circumstantiis pro sua servatæ semper fidei gloria existimaturam speramus, hanc sponsionem utrinque bona & sincera fide, ut speraveramus, datam, & egregio publico in tantum propitiam Domino Electori non permisisse in hanc expeditionem militarem se ita præcipitem dare, vix postquam hoc nobiscum initum fœdus pepigerat, & Nobis plane insciis, & inconsultis, spretisque simul illis amicis, quibus pacem cum ipsius tam solenni assensu promotum ibamus mediis; quæ ipsi etiam prius, quam ad arma recurrere posset, juxta normam pactorum erant tentanda. Quemadmodum Mti Vræ amicam hanc compositionem per ministrum suum Marenholz, non minus ac Nos illam per Residentem Nostrum Pufendorffium de meliori commendabat. Censet equidem Mtas Vra Dn. Electorem fuisse multis, quas in justitiam causæ ipsius adduxit, rationibus obstrictum ad defensionem Imperii & Electorum quorundam vi externa afflictorum. Et Nos ipsi nefas fore fateremur, velle oppressos frustrari hac ope, si Dn. Elector absque læsione Instrumenti Pacis, & Nobis per specialia, de quibus mentionem jam fecimus, pacta data & debita fidei illis opitulatum ivisset. Ast sicuti Dn. Elector legibus Westphalicæ pacis salvis, & intemerato, qui in iis loquitur de ambarum Coronarum hostibus extra Imperium non juvandis, articulo illa quæ in obsidium Gravæ præstitit auxilia mittere non poterat; ita etiam qua Nobis specialiter data promissa Dn. Elector diffiteri non poterit, omnia hæc, quæ Gallia contra Imperium, & & cum primis adversus Treviros, & Palatinatum commiserat, antequam Nobiscum sæpius memoratum fœdus concludebat, vel conclusum ratihabebat, jampridem fuisse perpetrata. Quare itaque cum vel Unionis Electoralis, vel Instrumenti Pacis, vel alio etiam ad ea vindicanda tenebatur vinculo, hæc sibi in nostris non reservavit pactis, & quare tunc amica componendi has turbas, & reparandi hæc damna violentis prætulit armorum remediis? Confitebatur quidem ipse sæpius, dissuaderi à multis & in Imperio & extra illud hanc confœderationem, cum inprimis niteretur præmemorato amice quietem reducendi scopo. Ast promittebat Dn. Elector, se nihilominus in proposito, quod ipse ita depradicabat, salutari futurum constantem. Quemadmodum etiam omni illa contradictione non attenta & pacta promovebat, & mutuo ratihabita permutari curabat. Quamvis autem Dn. Elector in articulo quodam separato liberiorem aliquem agendi modum sibi stipulabatur, verum nihil sinistri & contrarii qua fœdus ipsum suspicari poteramus, cum simul spondebat, velle se bona fide cuncta, quæ sibi proponeret, Nobis declarare, & una experiri, num nostrum assensum & adjutorium in iis, quæ justa duceret, & pro re communi tentanda, obtinere posset. Verum quod Dn. Elector hanc de operatione militari reassumtam mentem Nos omnino clam habuerit, usque dum miles accinctus, & bellum Galliæ denuntiatum, & interea temporis nostrum in aula ipsius commorantem ablegatum ditissimis, quod immotus & inconcussus omnibus, qui nostris pactis adversa requirerent, resisteret, promissis, & pariter inani spe ulterioris de sustentatione sui militis tractatus eluderet, ipse Dn. Elector in literis suis, quibus Nos de hac sua intentione certiores reddit, non obscure fatetur, dum Cancellarium suum Brand se ablegasse scribit, quo Nobis hoc suum iteratæ expeditionis propositum exponeret, qui tamen sero satis & re non amplius integra hic appulit. Et hæc propria confessio sua refutat omnia ea, quæ ex postfacto orbi persuadere sategit, satisfecisse se nimirum tenori pactorum etiam qua debitam hanc communicationem, & de cætero se præter illam debuisse Imperio hanc opem, quam tamen, de quo certi sumus, ultra quantum Imperio juxta ejus decreta debitum, non præstitisset, intu-

1675. *intuitu solum earum rationum, quas Mti Vræ pro ipsius causa afferre placuit, nisi exterorum ingentia subsidia accessissent, vel alia etiam ipsi fœdæ spes, quibus non semel à societate & amicitia Antecessorum nostrorum amotus est. Cum itaque luculenta rei evidentia demonstret, nostram cum Dn. Electore nuper exortam controversiam non niti injustis & illicitis illis principiis, quæ Mti Vræ à Dn. Electore, & reliquis nostræ causæ male cupientibus, sint persuasa, nec dissicentia, quam obinde nostrorum motu armorum in ditiones Electorales sumus testati, sit soli Galliæ solicitationi adscribenda; quantvis concedamus, Nos Sereno Regi Galliarum teneri per leges pacis Westphalicæ, per specialia cum Ipso, quæ tamen ejusdem pacis tabulis, & ipsa Mtis Vræ explicatione nituntur, inita fœdera, & per illum nexum, quo Nos vindicem & sponsorem transfœdæ nuper inter alte memoratum Regem, & Electorem litis promisimus, verum quod honestas ipsa & fides sincere data aut sanctissimum societatis vinculum Nos adea adegerit. Ac quod denique animadversio illa Nostra pro aggressione rite haberi non possit, cum per unanimem moderatiorum gentium consensum non is qui arma primo infert, vel ut Nos, coacti religione sancte observandorum fœderum ea solummodo maturioris reconciliationis ergo absque operatione hostili monstrat; ast potius ille pro vero censendus belli autore, qui lacessens alterum injuriis causam ultioni & armorum motui præbet. Itaque nulli dubitamus, quin Mtas Vra pro justissimo suo & integerrimo animo, quo adeo apud Orbem inclaruit, & vera à speciosis, justa ab iniquis discernere valet, mature has, quas superius adduximus, æquitate & fide suffultas rationes sit perpensura, & agnoscere, & quod Nobis potius guarantigia Imperii in vindicandis Imperii Constitutionibus & pactis, quam Dn. Electori in iis infirmandis debeatur, simul dijudicatura, contra Nos ad instantiam malevolorum nihil à Mte Vra aut per editionem avocatoriorum, ad alia adversa mentis argumenta procurari, vel ab Imperio decerni posse, quod non repugnet veris justitiæ & æquitatis legibus, tranquillitatem communem, cui reducendæ tam sedulo & sincere invigilamus, longiq arceat, & Christianum orbem in majora discrimina, cædes & devastationes protrudat; quorum omnium vindex Deus causam juxta merita & ulciscetur, & protoget. Interea à Nobis nihil desiderari patiemur, quo mala hæc, in quantum per nostra hæc dissidia aggravescere possint, sanari & tolli queant. A Mte Vra huic contendentes, velit amice experiri, quam promus & promtus noster sit ad reconciliationem animus, modo pari, & pactis consentaneo studio Nobis obviam eatur, & quantum simus daturi egregio Vræ Mtis componendi particularem hanc litem in literis suis præmemoratis testato desiderio. Quibus Mtem Vram divinæ protectioni ad prospera quævis animitus commendamus.* 1675.

§. 13. Ast Cæsari ista per se satis dilu- *Objecta à Svecis dilauntur.*
ta videbantur; & Crocovius demonstrabat; Wangelino abunde indicatum, qvid Elector agiter; eum tamen toto tempore de Regis sui sententia nihil aperuisse, ac semper defectum mandati excusasse. Præterea post decreta Imperii contra Gallum condita haut amplius consultandi locum fuisse inter Regem & Electorem super auxilio, qvod hic præstare tenebatur, eoqve nec communicatione opus fuisse: præsertim cum in omnibus pactis Cæsar & Imperium excipiatur, cujus obligationi nil derogari qveat, sic ut nulla deliberatione opus sit, officium faciendum sit, nec ne. Anceps qvoqve fuisse consultationem cum iis instituere, qvi pecuniis ab hostibus Germaniæ autorati fuerint. Ac si maxime detur circa communicationem qvid omissum, tamen novissimis pactis cautum, ut si qvid disidii oriatur, id amica ratione componatur. Sed & idem jussu Electoris acriter in- *Elector Cæsarii auxilium expescit.*
stabat, ut Cæsar acta Svecorum hostilia, & infractæ pacis crimen habentia declaret, eoqve nomine bellum in eos decernat, præsertim cum ipse absqve contumelia Cæsaris deseri non possit, qvod Sveci palam jactare non dubitent, ista ideo facta, ut Elector Cæsaris, ac fœderatorum partes deserat. Ut qvoqve Cæsar operam det, qvo Sveci pariter à toto Imperio, ac fœderatis hostes judicentur; edicta avocatoria promulgentur: legatus Svecicus seqvestris munere dimoveatur. Tum ut mature super administrando bello in futuram æstatem disponatur: ut Electoris securitati adversus Bavarum & Hanoveranum prospiciatur: ut Saxo', & Administrator Magdeburgicus moneantur, ne cum Svecis clandestina consilia misceant, utqve Magdeburgi securitati prospiciatur. Addebatur, ut Cæsar C M florenorum Electori præstet, qvo munitis oppidis rite prospici possit. Sed ad pecuniam aula ista aures obturaverat obtentu enormium expensarum; utut demonstraretur, Cæsarem tanta à fœderatis subsidia, & ex Imperio tributa accipere; cujus & provinciæ floreant, Electoralibus exhaustis; ac ipsius Cæsaris interesse, Electoris oppida ad vim repellendam probe instructa esse. Circa reliqva curæ sibi fore pollicebantur; sed

1675. bellum non prius indici posse, qvam exercitus in Silesia paratus, & consilia cum fœderatis collata sint. Utiqve tamen Electori auxilia submittenda, qvamprimum ipse in suas ditiones accesserit. Nam Cæsari paulo cautius procedendum, cum Electoris legatus Ratisponæ haut aperte in Svecos dicere audeat. Ac sane super auxilio Electori submittendo Viennæ sat frigide agebatur, qvod spes esset, Svecos ultro copias suas ex Electoris ditione revocaturos. Ac instabat Cæsar apud Bavarum; Svecis persvaderet, ut omissis Electoris terris plura tentare omitterent, ac in priori statu persisterent. Qvam in rem Bavarus prolixe operam suam pollicebatur, ad amplectendam pacem Cæsarem hortatus, qva obtenta ejusmodi peculiares lites ultro expiraturas. Ea super re Crocovius gravissime querebatur: ista omnia spectare ad remoranda auxilia, & fœderatos per inania distinendos, ne fortia consilia capessant. Interim provincias Electoris plane comedi. Si fœderati ita agere pergant, Electori necessum fore alias sibi partes qværere. Contra Cæsarei non dissimulabant, à se adhuc dubitari, num Elector serio statuerit armis in Svecos rem gerere; qvod nondum propriæ ditioni subventum eat, ac in Franconia cum exercitu hæreat. Sed Crocovius demonstabat; uti ratio belli haut permittat fatigatum exercitum hac anni tempestate per tanta viarum spatia in recentem, ac vegetum hostem rapere; ita multo minus leges prudentiæ permittere, ut Elector cum Svecis manus conserat, antequam norit, qvid fœderati sint facturi, & antequam cum istis circa omnia conventum fuerit. Alias enormia facinora, qveis Sveci Electoris terris insultent, sat cautionis esse, nil clandestinæ collusionis inter Electorem, & Svecos agitari. Videbantur tamen Cæsarei paululum excitari, cum è Dania nuntiaretur, eum Regem terra mariqve Svecis bellum facturum, si à fœderatis requiratur, & præstanda præstentur; simul apud Belgas instinctu potissimum Arausionensis maiora consilia capi. Unde Crocovius svadebat, ut Elector omnia Hagæ expediri, ac decerni curaret, ac ea demum Viennam adprobanda transmitteret; qvod heic ista ægre pervinci qveant ob solitum ejus aulæ lentorem, nimium in Romanos ritus respectum, ac invidiam erga Ordinum potentiam; per qvæ saluberrima qvæqve consilia corrumpi frequens sit. Prout & Danus svadebat, ut Cæsar legatum suum Hagæ circa omnia plenis mandatis instruat, qvod ibi omnia promtius expediri qveant. Præsertim cum Viennæ tunc difficillimum esset 1675.
liqvidum responsum extundere, nullo secreti Consilii directore, & reliqvis æmulatione inter se distractis, ac legatos ab uno ad alterum rejicientibus.

3. Mart.

§. 14. Haut eo magis cunctationem exuebant Cæsarei, excusantes, non posse Cæsarem Svecorum animos in se avertere, ne recta in Silesiam rendant. Sed revera erant adhuc aulæ Viennensi arcana cum Svecis commercia, qvod Benedictus Oxenstierna, cum Vienna digrederetur, ample cavisset, (id qvod Crocovio haut communicatum fuerat,) Svecos Cæsaris ditionibus abstenturos; ut ita Cæsareis lucri instar haberetur, Electoris provincias Svecis devorandas exponere, qvo suas servarent. Qvin & idem Oxenstierna sancte afleveraverat, Svecos nulli alteri ex Ordinibus noxam illaturos. Qva de causa & militem Francofurto, & Crosinæ Cæsarei immittere nolebant, nec avocatoria promulgare, qvoad Elector rem in Svecos gerere cœpisset. Sed & Sveci apud Moguntinum, Wurtenbergicum, & Cassellanam instabant, ut officium inter ipsos, & Electorem interponerent, remorandis fœderatorum auxiliis. Erant qvoqve Electori multi parum benevoli in aula Cæsarea, qvorum numerus gliscebat, postqvam istius miles multorum Cæsareorum ministrorum prædia per Franconiam hibernis premebat; & qvia ipse donis eosdem mactare omiserat; qveis Principis lenitas fere audaciam addebat pleraqve pro suo lubitu agendi. Nec parum remoræ ab Hispanico ibi legato Balbasarum Marchione proveniebat, cui solenne erat modicæ pecuniæ parsimoniam maximis emolumentis, ac Reip. rationibus antihabere, nec minus mira sibi somnia fingere, ac inania captare; qvib9 adeo pervicaciter inhærebat, ut omnia surſũ deorsum verti, qvam semel utcunqve conceptam sententiam mutare mallet. A cujus qvoqve cavillationibus profectum erat, qvod superiore anno tractatus cum Electore extraheretur, non sine ingenti temporis ad rem gerendam idonei dispendio. Ac nunc fallis ejusdem nuntiis, ac afleverationibus nullo fundamento nixis, qvod Sveci in bellum erupturi non sint, aulæ illusum, ut remedia avertendo malo negligerentur. Unde Crocovio extremum remedium videbatur, per Georgium Fridericum Waldeccæ Comitem, qvem Arausionensis tunc Viennam miserat, ac Belgicum ministrum Cæsareis exponere, qvam necessarium sit Svecos Imperii hostes declarari. Hoc ni brevi fiat, non solum Electo-

Aula Cæsarea cunctatur.

7. Mart.

rem

1675. rem alia consilia capessiturum ; sed & eadem a Belgis excusante necessitate haut improbatum iri. Sed & ipse Elector Cæsari
26. Mart. demonstrari jubebat, qvod ita circumspecte adversus Svecos agatur, id in causa esse, ut Danus in arma erumpere tergiversetur, velut qvi semper ad Cæsaris, & Imperii exemplum provocet. Nec minus suspectum erat, qvod Cæsar Anhaltino Principi rescripsisset: si Elector manus cum Svecis conserere cœperit, arma se sua vi fœderis ad liberandas ejus ditiones sociaturum; qvasi iste auxilio mitto defungi vellet, haut sumta in Svecos hostilitate; id qvod apud omnes fœderatos, ac cumprimis apud Imperium Electori maximæ fraudi futurum erat. Unde Cæsari utiqve loqvendum & scribendum de Svecis velut Imperii hostibus, ac Vienna expellendum ab Oxenstierna relictum hominem, qvi garrire non desinebat; Regi Sveciæ magnopere cordi esse pacem in Germania instaurare, cum Electore transigere, ac cum Cæsare, & Imperio sincerani amicitiam colere. Ista ingerenti Cro-
10. April. covio Hocherus differebat: *Austriacorum fortunam nunqvam firmo pede staturum, nec Germaniæ de constanti qviete, ac felicitate causum esse, qvamdiu Svecі vel latum pedem in Germania possideant. Non tamen præstare se posse eandem omnium Cæsaris ministrorum mentem esse; qvi iniqvum judicent, ab hoc periculum & fumtus tolerari, in alios emolumentum redundare. Ipsum tamen Cæsarem in ea sententia esse, ac nuper adhuc doluisse, nobilissimo bello Polonico rem eo deduci non potuisse, dum insuper habitis tot commodis per Polonorum præcipitantiam pax ineunda fuerit.* Cui Crocovius reponebat: sibi è Lisola, & Suchio cognitum, Lobcovicium in causa fuisse, ut Stetinum haut majore vi oppugnari potuerit, prohibito, ne sat machinarum submitteretur; cumqve causatum, non expedire Stetinum capi, qvod id paci obstaculum sit futurum. Qvod & Hocherus ita esse confirmabat. Demum cum nuntiatum esset, Danum Sveco bellum indicturum, ipse qvoqve Cæsar declarabat, se cum Svecis pacem abrupturum, si Danus, & Bel-
16. Maij. gæ idem faciant. Ast Elector urgere non desinebat, ne Cæsar alios respiceret, sed potius suo exemplo fœderatis præiret; eoqve citra exceptionem mandata Wolfgango Friderico Cobio, cui in exercitu Silesiacum imperium erat commissum, mitterentur, ut secum copias societ; utqve Ratisponæ Sveci hostes judicarentur. Citra hoc enim Danum in bellum erumpere nolle; qvo qviescente omnia adversus Svecos destinata irrita fore. Nec eo magis Cæsar liqvidi qvid decernere volebat, qvoad Hagæ super omnibus convenisset. Et Cobio mandata mittebantur, ut se cum Electore tunc demum conjungeret, qvando is rem in Svecos gerere cœpisset. Usqve adeo diffidentia ex transactione ante biennium cum Gallo nondum exoleverat. Sed mox cum Elector in Svecos movens à Cobio reqvireret, ut copias secum sociaret, hic respondebat: sibi qvidem injunctum, ut itineri se paratum teneat: sed anteqvam id ingredi possit, mandata Vienna esse expectanda. Et tamen Otto Henricus Grana Marchio Hagæ asseveraverat, ostensis literis Cæsaris manu scriptis, Cobio jam injunctum, ad Electorem ubi reqviratur cum exercitu accedere. Qvin & cum Hagæ de certo die belli Svecis indicendi convenisset, & Crocovius interrogaret, num & Viennæ id futurum sit; Hocherus respondebat: Cæsarem id solum facere non posse. Nam Danum novas difficultates Hagæ movisse, ac inde Belgas qvoqve hæsitare. Eam qvoqve conventionem sub spe rati conclusam fuisse, nec constare, num Danus eam firmaturus, ac executioni daturus sit. Ita dum unus in alterum respicit, tempus incassum labebatur; ac nisi Electori divinitus tam illustris victoria contigisset, serum futurum erat Cæsaris auxilium extundere.

1675.

§. 15. Ast Ratisponæ, nondum apertis Svecorum destinatis, Elector his ullam offensæ causam præberi vetuerat. Sed post factam irruptionem Godofredus Jena libere loqvi, ac præcipue Protestantibus demonstrare jubebatur; uti Sveci hactenus jactaverint, qvantopere communis Protestantium res sibi cordi sint. Sed nunc specimen edere, qvid animi sub fucato verborum velo tegant. Unde & idem tunc pervicit, ut multis licet reluctantibus super libello ab ipso exhibito sententiæ perrogarentur. Ubi decretum fuit, Electori defensionem à toto Imperio præstandam, si abs qvocunqve in ejus ditiones hostile qvid tentetur, prout leges Imperii, Instrumentum Pacis, & SCta definiant. Circa qvod decretum utriusqve Senatus directores, ac Præsules, Burgundusqve peculiare studium in Electorem testabantur. Sed Bavarus omnem lapidem moverat ei remorando; ac à Svecis hospitia duntaxat dilatata excusabat: simul amicam compositionem tentari svadebat. Videbatur id SCtum insignis momenti, & qvanqvam Svecorum diserta mentio facta non esset, eos tamen notari satis patebat. Ac multi mirabantur ita promte contra istos decretum fuisse, qvi

Ratisponæ acta. 5. Jan.

1675. exercitum in Germania habebant, cum Cæsari magno labore opus fuerit, ut post tantas toleratas insultationes talia in Gallos decernerentur. Utile qvoqve fuerat, eo libello nullius nomen expressum, qvod eo modo nemini prætextum esset, palam id abnuendi, qvod legibus Imperii utiqve con-
19. Jan. gruebat. Cæterum hoc fundamento posito Elector satius judicabat, eam caulam deinceps Cæsaris nomine velut ex officio agi, qvam si suo nomine libelli exhibeantur. Præstare qvoqve ut Svecus tanqvam Rex hostis Imperii judicaretur, qvam idem tanqvam Dux Bremæ & Pomeraniæ proscriberetur; qvod istud apud exteros, & fœderatos plus ponderis habiturum sit. In universum autem consultius videbatur id negotium apud Cæsarem urgere, velut SCtorum executorum, qvam denuo ad Ordines referre, ubi defuturi non erant, qvi negotium morarentur. Præsertim cum Bavarus officium componendo dissidio ingerere non desineret; ac multi cætera amici dissererent; sat jam negotii cum Gallo esse, ac expedire Germaniæ, ne cum Svecis ad arma perveniatur. Per qvæ inania sermonum Electori haut qvidqvam consulebatur, cum nullum eam in rem idoneum remedium simul proponeretur. Et qvia is ideo in hanc molestiam inciderat, qvod aliis Ordinibus per arma oppressis obventum iverat; par qvoqve erat per arma eidem succurri. Ac prolixam tractationem ingredi, Svecis interim ditioni ejus incumbentibus, noxium erat; nec qva ratione hanc viam
27. Jan. ingresso satisfieret adparebat. Post Sveci prætextum suæ irruptionis Ratisponæ vulgabant: *Esse eam privatam cum Electore litem: ex fœdere non satis ab hoc cum Rege communicatum fuisse. Nec Electori hanc irruptionem admodum ingratam accidere, qvod per eam plausibilis color præbeatur à fœderatis se dissolvendi.* Qvæ à vero abeuntia Elector refutari jubebat. Nec aliud fœdere contineri, qvam ut super negotio pacis inter ipsos communicaretur; non autem, ut Svecos prius in consilium adhibere necessum sit, num alicui oppressorum Ordinum subveniendum, an minus. Num porro Cæsari ac Imperio tolerandum, Gallos ac Svecos sibi solis interpretationem Instrumenti Pacis arrogare? Eosdem Ordinibus præscribere audere, qvousqve fœdera inire debeant? qvo copiarum numero unus alteri assistere possit? Num par esse Svecos cum Gallo declarato Imperii hoste fœdus habere, cujus vi fas ipsis sit Electorem opprimere eam duntaxat ob causam, qvod Cæsari, & patriæ omnibus viribus adsistat? Num Electori ullo modo consulendum, ut 167
fœderatis disjunctus ad separatos tractatus descendat, ac salutem & libertatem patriæ ab exteris proculcare patiatur? Qvas porro tractationis ambages expectandas, dum per tanta terrarum ac maris spatia de omnibus in Sveciam referendum est, Electoris interim civibus funditus exhauriendis? Sane si amica compositio ipsis cordi foret, Belgarum officium ante irruptionem legato Svecico oblatum haut insuper habituros fuisse; qvo satis ostenderint, omni alio respectu superius ipsis esse, Gallorum libidini velificantibus excitatam ab hisce belli flammam latius diffundere.

§. 16. Non tamen erat, qvod Elector Ratispona multum auxilii ultra verba pro- *Ab Ordinibus parum auxilii petendum.*
cessuri expectaret. Eqvidem Austriaca legatio Electoris causæ favere jussa erat, ut tamen nondum Svecos hostes judicaret. Paulo enixius studium ostendebant Catholici, qvod metuerent, ne in ipsorum fraudem Elector cum Svecis transigeret. Sed publicus Imperii exercitus tenuis, & vix pontibus ad Argentoratum tuendis sufficiens: & qvia multi Ordines suos ex eo exercitu milites dimittebant, ac stipendia negligenter solvebant, metus erat, ne iste plane dilaberetur. Ac Rheno vicini populi ipsi auxilio indigebant. Sed & nondum Ratisponæ enixius urgeri poterat Svecos hostes judicandos, qvod Cæsareis id præmaturum videretur. Igitur libellum qvidem de Svecis qverentem exhibuerat Jena, non-
26. Mart. dum tamen exigere jussus, ut de eo ad Senatum referretur, qvoad privatim singulorum mens explorata fuisset, num de majore suffragiorum parte cautum esset; & vel ideo interposita mora opus erat, ut legati domo mandata petere possent. Qvid *Habitus animorum tunc conventus Ratisponensis.*
porro solidi à conventu Ratisponensi sperandum foret, singulos considerantibus facile adparebat. Moguntinus tenues vires excusabat. Colonienſis, Trevirensis, Palatinus cum domesticis malis conflictabantur. Bavarus medium se gerebat, qvi & legato suo præscripserat, ut cum Sveco, & Hanoverano super una sententia conveniret. Saxo nil nisi pacem occinebat. Plerisqve studium hactenus fuerat, qvamdiu res ferret, sibi, suisqve peculiariter consulere, ac suas sibi rationes præ oculis habere, qvicqvid communi patriæ, aliisqve ejus membris fieret. Inferior Saxonia in se divisa, plerisqve neutras partes seqvi volentibus, Hanoverano Svecis innexo. Westphalicus Circulus belli mala cumprimis senserat, incumbente exercituum parte, &

Gallis

1675. Gallis nondum plane excluſis. Plurimos, ne Svecos offendere vellent, imbecillitas prohibebat: apud cæteros, qvi aliqid poterant, iſte mos invaleſcebat, ut ſtatim ſubſidia depoſcerent; ni darentur, deſides aliorum labores ſpectaturi. Non paucos offenderat, qvod fœderatorum exercitus, ſubſigente licet indeclinabili neceſſitate, trantibus, ac ſtativis moleſti ipſis forent, nec, prout leges præſcribunt, conſumta ſolverent, ultro hoſpites pecuniam poſcentes. Ac aliqvi haut obſcure fremebant; ſi talia declinari neqveant, ſe malle eadem ab extero Rege, qvam ab aliqvo ſuæ Reip. conſorte tolerare. Unde maxima pars pacem anhelabat, ac eam pridem haut occupatam qverebatur. Aliqvi differebant; ſe credidiſſe, cum Elector tam longe à terris ſuis diſcederet, ſat cautum ei fuiſſe, à Svecis nil infeſti impendere. Nunc non poſſe eundem majus beneficium patriæ dare, qvam ſi adverſus ipſos in hoſtilia non erumpat, ac arreptis qvæ offerantur conditionibus paci promovendæ incumbat. Eqvidem par eſſe, ut cuivis injuſte læſo ſatisfiat. Sed incertum eſſe, an id etiam poſt plura tolerata mala obtinendum ſit; qvin injuriarum autores, ubi viribus prævaleant, inſuper præmium poſcere, & accipere. Unde debilioribus in lucro habendum mature exitium declinaſſe, ac reliqvias fortunarum qviete poſſidere. Bello extracto verendum eſſe, ne omnia in deterius ruant, minuentibus indies Germaniæ viribus, ac per qvotidianas rapinas, & incendia exhauſtis, dum miſera ſuis hoſtiumqve exercitibus proteritur. Cum ſuperiore æſtate in Galliam irrumpi non potuerit, id nunc multo difficilius fore minore armorum paratu, ac Svecis cum exercitu in Germania conſiſtentibus: qvibuscum ſi ad manus veniatur, aſſociante ſe Bavaro, & Hanoverano, jam civile qvoqve bellum præſto eſſe. Svecorum autem munitiones mari adſitas plane non, aut ægre expugnari poſſe; qveis & tantum pecuniæ à Gallo ſuppeditetur, ut ſubinde exercitum ſupplendi facultas ſit. Utriqve Regno inteſtinam qvietem conſtare, ac bellum in alieno geri. Germaniam contra in ſe diviſam, ubi qvidam Ordinum non ſolum Reip. auxilium ſubtrahant, ſed & alios id facere volentes impediant, æqve hoſtibus velificentur. Qvæ mala proveniant ex abuſu libertatis, ac juris fœderum cum exteris. Sane ſpecioſum id jus, & magnificum, & in qvo præcipuum libertatis ſpecimen reſideat; ſed ex qvo demum totius Imperii exitium proventurum ſit, ſi Ordines ita proterve eodem abutentur, nec qvævis fœdera accurate rationibus totius Imperii attemperent. Qvid enim ſpei ſupereſſe ſalvam fore patriam, ſi validiſſimis Ordinum integrum ſit, iis Regibus, qveis in enervanda, ac ſubruenda Germania ſumma conſiliorum vertitur, per fœdera ſe innectere, ex qvibus vel vires illis ſociare, vel ſaltem qvieſcere teneantur, dum qvam maxime decretum publice bellum adverſus iſtos geritur? Qvos meminiſſe decebat, ab exteris illis, qvicqvid blandiantur, non aliud ipſos beneficium manere, qvam ut reliqvis oppreſſis eandem poſtremum ſortem ſubeant. Qvin omnem ſalutem ſuam, omnem dignitatem ab Imperio pendere; qvod qvo florentius, ac formidabilis ſit, eo magis ſingulorum qvoqve Ordinum autoritatem apud exteros gliſcere. Unde & aliqvot ante annos, cum Palatinus Elector fœdus cum Galliæ Rege iniret, ac ejus ablegatus reliqvis abſolutis non citra anxietatem excipiendam ſibi diceret Electoris obligationem erga Imperium, Lionnæum ſubridentem dixiſſe: num de hoc dubitare, ſi par eſſe? Nam ni iſte Princeps ſit Imperii, eum nullo numero eſſe. Qvamdiu tamen huic malo medicina nondum ſit inventa, utiqve metuendum eſſe, ne Sveci, & Galli plura munita loca occupent, eoqve ultro ſatisfieri ſibi poſtulent. Unde nil aliud ſupereſſe, qvam mature, dum fœderatis adhuc inſignes vires ſunt, pacem amplecti, & ſatisfactionis loco habere hoſtes Germania dimoviſſe, & majora mala declinaſſe; ac in futurum feliciorem occaſionem ſtabiliendæ ſecuritati patriæ expectare. Eqvidem oſtentari tot præpotentium Principum ſocietatem, qvalem deinceps combinare, haut in proclivi futurum ſit. Sed eam ipſam multitudinem, & qvod tantis terrarum ſpatiis dividantur, in cauſa eſſe, qvod omnia ita tarde, ac difficulter procedant, ac multæ egregiæ occaſiones rem gerendi incaſſum elabantur. Tum eosdem peculiares per reſpectus, & privatas æmulationes in diverſa diſtrahi. Ac ſi Belgas pecuniarum erogandarum tædium capiat, omnia velut vado hæſura. Exemplum in Electore conſpici, cujus terris Sveci qvartum jam menſem incumbant; qvorum deſtinatis dudum prævisis nil oppoſitum fuerit. Unde ei ſat cauſarum eſſe ad alia conſilia capeſſenda, ne idem qvi priore bello exitus ſeqvatur, ubi poſt tot exhauſta mala Svecis ac Gallis tam inſignes provinciæ concedendæ fuerint, magna vi pecuniæ ſuperaddita. Præſertim cum bellum indies longius per Germaniam

S'il n'eſt pas Prince de l'Empire, il n'eſt rien.

1675. diffundatur, & Gallus nunc eo diutius sumtus belli toleraturus videatur, qvo majoribus, qvam tunc viribus, ac meliore domi statu instructus sit: simul Svecus jam in partes concedens armis juxta, & consiliis Imperium distrahat, ac utriqve Regum multi nostratium studeant. Sane auri sacram famem apud multos eousqve invaluisse, ut ob Gallicam pecuniam insuper habita jurisjurandi religione Principes suos, patriamqve prodere non dubitent. Addebantur multa de singulari providentiæ divinæ regimine, qvæ bonis multa sæpe improspera accidere permittat, fortuna interim improbis adspirante. Forte & sat honestæ pacis spem nimia propriarum virium fiducia repudiatam, ac hostium vires justo minoris æstimatas; cum nunc experientia satis constet, etiam sapienter cogitata haut ita promte effectui dari, nec ita facile in Galliam penetrari posse. Eqvidem Austriacis, & Burgundis continuationem belli ingerere in proclivi esse, cum illi bellum in alienis terris gerant; Hispani bello amissa recuperare velint. Si Elector cum Svecis collidatur, belli flammam per intima Germaniæ diffundendam; certam isti molestiam, curam, pericula, ac sedem belli in propria ditione pariturum; ac si feliciter alea cadat, utrumqve Regem retenturum, qvæ jam possideat. Nam Gallo tam multa esse, qvæ aliis eripuerit, ut vel parte horum reddita efficere possit, ne sibi, aut cuipiam suorum sociorum qvid amittendum sit. Ista qvidem, prout cuiqve inclinatio, Ratisponenses differebant; ut tamen omnes qvid fœderati, ac præcipue Danus, facturi essent, aucuparentur; pro successu & ipsi sermones temperaturi.

A Saxonicis Circulo parum auxilii expectandum. 23. Febr.

§. 17. Nec major ad ferendas Electori suppetias promtitudo utriqve Saxonico Circulo, qvos præ reliqvis par erat conniti ad restringuendum incendium apud se exortum. Sane Saxo in conventu Lipsiam indicto, (ad qvem Elector neminem miserat, vitandæ collisioni,) non obscure Svecis favisse visus fuerat, ac ne qvahos offenderet, solicite caverat; qvi & eidem persvaserant, velut pro commodis rei Evangelicæ niterentur; prorsus qvasi Gallus in Protestantium gratiam bellum suscepisset, aut Elector hos impugnatum iret. Qvo conventu & Sveci multa jactabant de suo in pacem studio, ac uti tanta cum modestia in Marchia agant, ut nulli fere qverendi causa sit. Nec à se qvid hostile agitari, sed tantum Electorem permotum iri ad observandam Pacem Westphalicam, ac 1675.
fœdus cum ipsis initum; qvo facto se protinus iterum sine noxa digressuros. Se qvoqve paratos Circuli officium admittere isti litigio componendo. Qvod & interponere Circulus decrevit. Id qvod Elector repudiabat; ac potius par esse ab hoc militem vindicandæ suæ ditioni expediri. Nec qvidqvam profici langvidis literis, qvæ ad Svecum scribebantur super revocandis ex Electoris ditione copiis. Qvin eodem conventu multæ qverelæ in transitus, & hospitia copiarum resonabant, qveis non obscure Elector perstringebatur. Qvin Saxo Waldavium miserat Prenzloviam ad Wrangelium, ut super medio statu cum hoc ageret. Nec plus proficiebat Elector, dum Domos pacto mutuæ successionis sibi innexas auxilium poscit. Nam Saxo id ad communicationem cum reliqvis rejiciebat, nec ex eo vinculo ad submittendas copias teneri se judicabat: officium tamen apud Svecos interponere haut omissurum. Post penitius explorandæ Saxonis menti Franciscus Meinderstius missus, obtentu sumto, ut eum *19. Maij.*
de insidiis moneret, à Svecis Erfordiæ structis, qvas præverti maxime ex ejus re sit, nondum exolita memoria malorum, qvæ qvondam Sveci toti late viciniæ ex ista urbe intulerant. Qvod monitum grato animo ab isto acceptatum; qvi & laxis duntaxat verbis de suo in Electorem studio testabatur. Sed auxilii ab eodem nil sperari poterat, qvod nullus in promtu miles esset, ac Ordines provinciales ad paranda arma conferre qvid abnuerent, fratribus qvoqve renitentibus. Pollicebatur tamen, se Ratisponæ Electoris petitis suffragaturum. Sed & Sveciæ Rex nomine Ducatus Bremensis conventum Inferioris Saxoniæ Luneburgum indixerat, eo præcipue fine, ut securi- *28. April.*
tatem sibi provinciæ Bremensis ab universo Circulo præstandam stipularetur. Qvam ob causam Elector eum conventum inhiberi cupiebat, sed frustra, cum Cellensis Dux in eum consensisset, ac id se retractare posse negaret. Unde anceps deliberatio erat, qvid facto opus foret, qvod Elector Svecum hac rerum facie directorem agnoscere non posset, ausis suis hinc præsidia petiturum. Nec tamen Circulo jus videretur à directoris munere excludere nondum ab Imperio hostem judicatum. Ut tamen qvæ Sveci moliebantur, disjici possent, placuit Ledeburium, & Joannem Butendachium eo mitti, ut tamen procuratorium suum Sveco non ederent, nec in consessu comparerent, ne

hujus

1677. hujus directionem agnoscere viderentur, ut tamen apud singulos ejusdem conatibus
15. Maji. obsisterent. Post tamen Elector legatos inde discedere jussit, prius apud Ordines testatos, uti notorium sit, qvam hostiliter Sveci cum ipso egerint in gratiam Galli, professi Germaniæ hostis. Unde à se Svecorum directionem agnosci non posse, ac contra omnia, qvæ hoc agantur, præcipue qvæ se spectent, protestari, ac sua jura sibi integra servare: simul auxilia Circuli exposcere. Tum & libellum exhibere, Svecorum acta depingentem; ad qvem Sveci passim inculcata reponebant. Uti autem Elector nil ibi obtinuit, nisi ut literæ ad Regem, & Wrangelium scriberentur super revocandis copiis, imbelle remedium contra armatos: ita nec Sveci operæ pretium fecerunt, Ordinibus negantibus, super tutela Bremensis provinciæ consultatione opus esse, in qvam nondum qvid tentatum sit, nec an qvid deinceps tentandum constet.

Elector colliditur cum Hanoveranæ declinat.

§. 18. Tali igitur universorum Ordinum circa opem Electori ferendam incuria, in lucro habendum erat prohibuisse, ne unus & alter eorum hostibus se adjungeret. Qvo fine præcipua cura erat circa Joannem Fridericum Hanoveranum Ducem, fœderi Svecico innexum, & Præsulem Monasterienſem lubricæ fidei, & turbandi avidum. Præsertim cum super isto Elector Vienna monitus esset, velut nondum offensæ oblito, qvod hic olim lite inter fratres Georgio Wilhelmo studuisset. Id qvod iste nunc ulturus sit, irruptione in Electoris ditiones Westphalicas facta, & obsessa Minda, si occasio detur. Eidem Duci qvoqve fœdus cum Gallo contractum fuerat, qvo tempore Gallus cum Sveco qvoqve in Electorem fœdus iniverat. In isto articulus secretus fuerat, qvo Gallus sese obstringebat ad Bremensem provinciam Duci à Svecis curandam. Id cum Sveci resciviſſent, & super ejusmodi fraude cum Gallo expostulassent, hic excusaverat: *qvia Hanoveranus tunc nullo modo in partes pertrahi potuerit, ejusmodi speciosis promissis eum inescandum fuisse. Nunqvam autem animum sibi fuisse ista promissa servare.* Hanoveranus igitur, ut humanitate, & ostentata, qvæ de ejus generoso animo concepta foret, fiducia ab hostium consiliis averteretur, aut saltem ne noceret, opera dabatur. Hic
4. Dec. 1674. ultro ad Electorem literas dederat, qvibus monebat; cum Sveci legiones in Pomerania contraherent, vicinis, ac præcipue Electori prospiciendum esse, ut istorum conatus, si qvi sint, prævertantur. Cui Elector vicissim exponebat, qvod inter se, & Svecos actum foret, ac uti ipse his nullam idoneam offensæ causam dederit. Simul auxilia poscebat, si forte ab istis invadatur. Nam fœdera, qvæ Duci cum Gallo, & Sveco intercedant, utiqve exceptionem Imperii, ejusqve Ordinum habere. Simul Gerhardum Joannem Ledeburium ad eundem mittebat. Is cum qvæ jussus erat in eum sensum proposuisset, Dux testabatur, *se omnia collaturum paci patriæ præstandæ. Sibi qvidem cum Sveco fœdus esse, sed qvod non ultra defensionem porrigatur. Sibi relatum, id Svecos qveri, Electorem novissimam cum Gallo pacem, qvam ipsi præstandam receperint, violasse; super fœdere cum Belgis recens inito haut mature communicasse; cum rata parte ad exercitum Imperii missa definiri potuisset, totum exercitum in Gallos duxisse; extra fines Imperii Belgis ad Gravium copias submisisse: qvæ non sine specie jactari videantur. Sibi tamen non ulterius de his constare, qvam Svecis retulerint. Si Elector aperire velit, qvomodo ea res cum Svecis componi qveat, se magno studio officium interpositurum.* Addebat; *se in diversa distrahi per tot legatos, qvi repugnantibus invicem petitis ipsum obtundant. Optare, ut per pacem his curis solvatur. Interim successus rerum sibi speculandos, ac pro horum captu consilia capessenda.* Aderat qvoqve Antonius Ulricus Dux Brunsvicensis, qvi ne iste Svecis se innecteret, instabat. Ac sane haut crediderat Hanoveranus, fratrem Ernestum Augustum itidem in fœderatorum partes descensurum, aut rem eo redituram, ut Sveci arma in Germaniam moverent. Tandem respondebat; *Elector paci promovendæ studeret, atqve id ageret, ut aqvæ conditiones, qvas Gallus offerat, acceptentur; ante omnia autem, ut cursus armorum sistatur. Si arcus nimium intendatur, facile ingens malum Germaniæ inde nasci posse. In se qvidem nil ad istum finem faciens desideratum iri. Interim securitati suarum ditionum prospecturum.* Cæterum adparebat, Hanoveranum sese obstrinxisse ad arma cum Svecis sociandæ, si in bellum res eruperit; cujus rei pœnitentia nunc subibat, ut si dextre id fieri posset, conventa haut ægre retractaturus esset; præsertim cum perspiceret, distorta Svecorum consilia brevi corruitura. Unde optabat, Svecis obstacula objici, qvo minus in Electorem hostilia expromere qveant. Sed literis ad Electorem datis Dux judicium suum de conatibus Svecorum suspendebat. Se consilia sua semper ad 11. Dec. 74 pacem retulisse: sperare Electorem idem facturum; paria de Svecis confidere, oblato

iterum

1675. iterum suo officio. Cui vicissim Elector; 1675.
6. Jan. 75. *Sibi non minus quam Duci curæ fuisse pacem amicis modis promovere: sed cum id in præsens non nisi per arma fieri potuerit, decretis Imperii parendum fuisse. Equidem singulorum consilia, & negotia non eodem modo tractari, ac sæpe propria emolumenta validissimarum instar rationum obtinere. Asti decreta Imperii peculiaribus cujuspiam rationibus superstrui non posse. Abs se ex singulari in patriam amore, & ob Electoralem Unionem jurejurando firmatam plus quam pro rata parte præstitum, magis laudandum, quam pro superfluo habendum: nec rata partis inter Ordines designationem impedire, quo minus quis liberalius in usum patriæ præstare possit. Svecos novissimi cum Gallo pacti evictionem haut quidquam in se suscepisse, de qua in ipso tractatu ne verbum quidem extet; in quo & diserte verbis officium erga Imperium reservatum sit. Postquam Gallus Germaniam hostili modo invaserit, non amplius illicitum esse etiam ad Græviam istum oppugnare. Si ipse transitu sui exercitus alicui Ordinum molestus fuerit, cognitionem penes Svecos non esse. In fœdere denique Svecico diserte cautum, si controversia quid inter ipsos oriatur, id non vi, sed amica ratione componendum. Sic ut minus quam diluti sint colores, quos Sveci fucandis jus aulis miscent.*

Negotiatio cum Hanoverano continuatur. 27. Jan.

§. 19. Mox irruptione à Svecis facta Elector per literas Hanoveranum auxilia poscebat. Cui hic respondit: *Se dubitare, num pax per arma sit promovenda, ac annon potius Germania majoribus miseriis sit involvenda, cum bellum per exterorum opes, & ob horum utilitatem geratur. Unde tractatus optimam compositionis viam fore, in quos Gallus admodum facilem se ostendat; nec minus Svecos pronos esse instauranda cum Electore amicitia. Igitur quoad tentatum fuerit, quid amica ratione proficiatur, auxilia à se præstari non posse.* Missus inde ad Ducem Cunradus Wilhelmus Lentius, qui denuo auxilium ex decreto Imperii exposceret, & qvia notorium sit, Galli instinctu Svecos accepta pecunia hanc irruptionem fecisse. Ducem antea declarasse, se omnia facturum, qvæ decreta Imperii reqvirant, & ipse Imperio, & ejus membris debeat. Eundem qvoqve per fœdera cum Gallo, & Sveco impediri non posse, qvo minus auxilium præstet, cum Svecus sine justa causa Electorem, & Imperium invaserit. Fœdus autem cum Sveco defensionem duntaxat spectare, qvam Dux præstare non teneatur, si iste ob invasionem prius factam in suo impugnetur. Multo minus id fœdus locum habere, ubi ipsum Imperium invadatur, qvod sine dubio in Ducis qvoqve fœdere exceptum sit. Frustra objici, qvæ Sveci fecerint, inter hostilia haut habenda, cum contrarium res ipsa loqvatur. Nec de amica compositione cogitandum. Sed cum infesta indies intendantur, non nisi legitimam defensionem, & propulsationem locum habere; præsertim cum tota ditio sit pessumdanda, dum tractatio adornatur. Ac sejam Dano fidem dedisse super tractatu absqve ipso cum Svecis haut suscipiendo. Qvod si autem Dux ad auxilia ferenda permoveri non possit, saltem id nitendum, ut medium se hoc bello gerat. Lentio ista proponenti Dux humaniter ad- 17. Febr.
modum reponere: *Dolere sibi, qvæ Electori accidernt. Sibi hactenus relatum Svecos modeste agere hospitiis contentos, qvæ jam passim in Imperio tolerandæ sint. Haut ideo tamen a se Svecorum durius acta probari, multo minus ea se tuturum. Qvæ leges & decreta Imperii, tum officium erga ejusdem Reip. membra requirant, citra tergiversationem præstiturum. Sed nondum audisse, Svecos ab Imperio hostes judicatos: & Svecos excusare, à se pacem haut abruptam, dum nil aliud agant, qvam qvod Cæsar, & Elector in aliorum Imperii Ordinum ditionibus sibi permittant. Etsi longe à se abesse, ut Svecorum acta excusare velit. Optare, ut à se conferri qvid posset huic disidio citra ambages componendo. Sed metuere, ut ultra amicum officium offerre qvid possit. Per Svecicum fœdus sibi integrum non esse omnibus viribus Electori adsistere, ni Sveci directe Imperium invadant, aut hoc istos hostes declararit; qvo casu obligationem, qva Imperio teneatur neglecturus haut sit. Sibi haut propositum ad augendam Svecorum potentiam qvid conferre, propriæ domui noxa cessuram. Sed qvantum per fœdus Svecis promiserit, tantum à se præstandum, nullam in Imperium injuria. Ratam partem ad copias Circuli se contulisse. Plura in præsens præstare haut tutum videri, finibus suis Cæsareo, & Monasteriensi milite circumcirca imminente, incertum qvo animo. Ceterum se nil suscepturum, qvod Imperio, & Electori displiceat.*
Ista Elector Cæsari referebat, ut Svecos hostes declarare maturaret; id qvod multas machinationes Ratisponæ dissipaturum, ac unionem Ordinum promoturum, simul Hanoverano prætextum tergiversandi ademturum sit. Unde legatus Hispanicus Viennæ proponebat, ut Bremensi provinciæ mediæ indulgeatur agere ea lege, ut & Hanoveranus neutri parti addictus agat; qvo fine eidem subsidia danda. Atqve idem

per-

1675. perſvaſerat, Electori in animo eſſe Bremenſem provinciam invadere. Qvæ omnia à ratione abhorrere Crocovius demonſtrabat. Aſt Duci Elector reponi jubebat: *Qvi contra Inſtrumentum Pacis aliqvem Ordinum opprimat, uti Sveci faciant, eum utique contra Imperium agere. Regem Sveciæ literis ad Ordines Imperii datis profiteri; ſe vigore fœderis cum Gallo Electoris ditiones invaſiſſe, ſane nullam aliam ob cauſam, qvam qvia ipſe Imperio tuendo incumbat. Wrangelium qvoqve ſcripſiſſe, ſe non prius Electoris ditiones relicturum, qvam is adverſas partes deſeruerit. Jam ſe nullas alias partes, qvam Imperii amplexum. Porro qvi unum ex Imperii Ordinibus invadat ob cauſam, qvæ hoc ſpectet, eum totum Imperium invaſiſſe cenſendum. Qvæ ipſe in aliorum ditionibus fecerit, longe differri ab iis, qvæ Sveci in Marchia patrent; ac longe diverſum utrinqve ſcopum eſſe. Se ſuppetias ferre Imperio; Svecos Gallo Germaniæ hoſti. Si veniam Ordines expoſcere, ubi neceſſitas ſubegerit in expeditione eorum ditiones tangere, & adqvieſcere iis, qvæ cum iſtis convenerint. Svecos nulla denuntiatione facta in Marchiam irrupiſſe, pro libidine graſſari, omnia funditus evaſtare, qvæ conſumere non poſſint avehere. Extare qvoqve decreta Imperii, ut ipſi adverſus omnes, qvi in Galli gratiam ſuas ditiones invaſuri ſint, tutela præſtetur.* Unde Dux Oefnerum ad Wrangelium mittebat, de graſſationibus Svecorum per Marchiam qveſturum; qvas Wrangelius inficiari auſus fuit. Cæterum adparebat Ducem conſilii ancipitem eſſe, cum inde Cæſar, & Elector, inde Regii ablegati, Pufendorfius, & Verjus urgerent. Unde is ad propoſita ab Electore nil præter amicam compoſitionem, & ne Bremenſis ditio invadatur, ingerebat. Atqve idem tamen, etſi Electori ſemper humaniſſimis verbis reſpondiſſet, Kielmanseccio Cæſareo legato confirmarat, contra Cæſarem, & Imperium ſe nil tentaturum. Sed ſi qva Electori, & Belgis nocere poſſit, haut omiſſurum. Cum itaqve nil liqvidi reſponſi extundi poſſet, Elector Lentium inde revocabat.

Oefner. Kielmanseck. 11. Mart.

Hanoveranus ad ſuſcipiendum ſeqveſtris officium invitatur. 11. April.

§. 20. Haut ideo tamen id negotium urgere deſiſtebat Elector, ſed miſſo Cellas Ledeburio eum Ducem rogabat, ut & is operam navaret ad fratrem partibus Svecorum abſtrahendum; tum ut penitius iſtorum Ducum conſilia exploraret. Ad Hanoveranum autem Lentius denuo miſſus, ut proponeret; qvia Dux in partes deſcendere dubitet, ut ſeqveſtris munus, qvo Sveci excederit, una cum Angliæ Rege ſuſcipiat. Nam nonnulli Hagæ id conſilii ſuggeſſerant, qvo ejus Ducis amicitia, & fœdus Svecis inutile redderetur. Ad qvæ Dux: *Qvæ offerantur ſibi admodum honorifica; ac ad eadem ſuſcipienda per bonum publicum ſe obſtringi, ſi modo officium ſuum ab omnibus admitti qveat. Sed qvia Gallus, & Svecus ipſum inter fœderatos ſuos numerent, citra ſuſpicionem titubantis fidei non poſſe iis operam ſuam ultro offerre. Si tamen Elector per Anglum efficere qveat, ut is apud eos Reges ipſius operam eum in finem commendet, ei ſuſcipiendo pronum ſe eſſe. Sed cum tempus rei gerendæ propinqvet, neceſſarium eſſe tantiſper inducias iniri. Tum conſtare debere, cui fundamento partes tractationem ſuperſtruere velint; num Weſtphalicæ paci inſiſtatur, aut qvid aliud qveratur? Neceſſum qvoqve eſſe, ut circa Wilhelmum Furſtenbergium temperamentum inveniatur, cui admittendo Gallus proclivis ſit.* Contra Elector Duci demonſtrari jubebat: ſi ipſe eousqve Regibus adverſus officium patriæ debitum obſtringatur, ut ſe ad compeſcendos aggreſſores tendentem invadere teneatur, prudenter eum facere repudiato ſeqveſtris officio; qvod Svecus hanc ob cauſam eodem exciderit. Aſt ſi obligatio ultra defenſionem haut porrigatur, eam ſeqveſtris functioni haut officere, qvod & Anglo cum nonnullis inter ſe bellantium ejusmodi fœdera intercedant. Ac eo minus ſcrupuli ſubeſſe, qvod, dum Svecus primo ſe velut Imperii Principem invaſit, Ducem ab auxilio per fœdus alias ferendo abſolverit. Igitur preſſius mentem ſuam declararet Dux; ac ſi id officium non abnuat, ſe effecturum, ut id per Anglum ipſi offeratur. Aſt Dux, qvo iſta tenderent ſatis perſpiciens, declarabat; *Se à ſuſcipienda iſta opera non abhorrere, modo Daniæ Rex eandem ſimul ſubeat: ita enim Gallum, & Svecum commodiſſime ad æquas pacis conditiones admittendas permoveri poſſe. Igitur efficeret Elector, ut Dani officium à fœderatis requiratur. Nam Reges judicaturos, ſi è ſuis partibus aliqvis ob ſuſcipiendum ſeqveſtris munus ſibi amittendus ſit, æqvum eſſe retinendo æqvilibrio, ut ex altera qvoqve parte qvispiam, ac potiſſimum Danus id functionis ſubeat. Cæterum qvo modo ipſe Regibus ſit obſtrictius, pandere ſe non poſſe, qvod bi ſecretum id haberi velint. Id tantum dicere; ſe nunqvam nexum, qvo Cæſari, & Imperio ſtringatur, neglecturum, nec in fraudem Electoris qvid ſuſcepturum; nec minus datam Regibus fidem impleturum, ac ita actiones ſuas temperaturum, ut ex totius orbis judicio adprobari qveant.* Poſt aliqvam tamen moram interjectam dicebat: de ſe- 25. April. 21. Maij.

1675. qveſtris munere jam ſerum eſſe. Si de eo ante tres menſes conſtitiſſet, id negotium apud fœderatos ſuos præparari potuiſſe. Cum Lentius de ſervando medio ſtatu moveret, ac ne Dux Electoris deſtinata circa ditionem ſuam ab hoſtibus repurgandam impediret; is reponebat: ſe amicitiam Electoris maximi æſtimare, ac probe cauturum, ne eum offendat; ac ſperare ſibi ad id anſam præbitum haut iri. Qvousqve fidem ſuam Regibus obſtrinxerit, ſucceſſu temporis adpariturum. Optare ſe, ne ipſe ei negotio miſceatur. Per iſthæc ambigua tempus extrahebatur, Electore in ancipiti relicto. Ac Hanoveræ ſibi ea ſpe blandiebantur, Danum in arma haut erupturum; Monaſterienſem conſilia mutaturum; ſimul Bavarum aperte arma pro Gallo ſumturum: qvi & tunc temporis copias contrahebat; cui compeſcendo Cæſar viciſſim octo militum millia ejus finibus admovebat. Simul per Philippum Palatinum Sulzbacenſem ejusdem animus tentabatur, ut Regiis ſe partibus diſſociaret. Is qvippe ob litem Holmiæ inter ſe, & Magnum Gardium exortam hunc ſummopere oderat; eoqve non præſentior ipſi vindictæ occaſio naſcitura erat, qvam ſi bellum hoc Sveciæ improſpere ſuccederet, iſtum fortunis plane everſurum.

14. Maij. Mox cum Electoris exercitus jam è Francovia moveret, Dux & ipſe legiones ſuas ad Eimbeccam contrahebat, ſpeculaturus, qvid Cæſar, & alii ſuſcepturi ſint. Et cum audiſſet, Electoris exercitum facto circuitu ſuas terras haut tetigiſſe, id vehementer ſibi placere oſtendebat, teſtatus; ſe ſummopere connixurum, ne ipſe in hujus belli partem veniat, qvoad licebat, & qvousqve ſua obligatio per temporum mutationem ad id inevitabilem ſibi neceſſitatem haut adferat. Interim amicam compoſitionem optare. Qvæ uti Electori non plane ſatisfaciebant: ita Gallici, ac Svecici ablegati Ducis tergiverſationem, & nutantia conſilia impatienter admodum ferebant. Qvibus fœderum fidem ſubinde occinentibus Dux reponebat; *Fœdera à Principibus ſumi ſolere, ut ſtatum ſuum firment, non ut everterent.* Et qvia metus erat, ne Sveci ſuperato Albi junctis cum Hanoverano copiis bellum in meditullium Germaniæ transferrent, Cæſar miſſo Windiſchgræcio Comite Ducem valde urgebat; ut hunc pœnitentia icti cum Sveco fœderis ſubire videretur. Contra Cellenſis Dux contendebat, ſi Hanoveranus auxiliario duntaxat nomine Svecis adſiſtat, hujus ditioni viciſſim parcendum. Nam inter fratres ita convenerat, ut Cellenſis fœderatis, Hanoveranus Regibus auxilia ferret, utraqve bellantium parte cautura, ob auxilia illa neutrum hoſtili modo habendum. Id qvod à legato Cæſareo velut à ratione alienum repudiabatur. 1675.

Monaſterienſis in fœderatorum partes trahitur.

§. 21. Circa Monaſterienſem Elector antea laboraverat, ut à Cæſare non niſi modicis armis inſtrueretur. Sed qvia mobile, & qvieſcere neſcium viri ingenium ſat perſpectum erat, ſimul conſtabat, magnis pecuniæ ſummis eum à Gallo tentari, Viennæ inſtabat, ut Cæſar utiqve in partibus eum retinere ſtuderet. Nam & is jam nutabat, poſtqvam Cæſareorum præfectorum aviditas, qvæ copiis ſuis depoſcebat, hoſpitia ſubtractum ibat. Is porro jam anno ſuperiore, & poſt per Matthiam Smiſingium teſtatus fuerat de cupidine amicitiam cum Electore colendi, ac fœderi ejus ſe innectendi; idqve aliqvoties iteraverat. Qvibus verbis num qvid ſolidi ſubeſſet, ut Elector exploraret, Wolfgangum Erneſtum Ellerum, Caſparem Smiſingium, Joannem Meinderſium, & Rudolfum Glandorfium ad iſtum ablegabat obtentu controverſias ſuper limitibus componendi; rem tamen ita caute tractare juſſos, ut initium ſuper fœdere movendi à Præſule proficiſceretur, ne ubi à ſe id offerretur, is, prout erat verſipellis, eodem negotio abuteretur. Iſte cum prolixe de ſtudio ſuo teſtaretur, eoqve fine Blaſpielum ad ſe Saſſenbergam accedere peteret, Elector oſtentandæ fiduciæ ditiones ſuas Weſtphalicas ei commendabat. Unde hic, cum è Clivia ad exercitum in Franconiam regrederetur, Ferdinandum Furſtenbergium Paderbornenſem Præſulem rogabat, ut & is Monaſterienſem in bonas partes pertrahere ſtuderet, cujus opera hac tempeſtate utilis eſſe qveat. Id qvod Cæſari valde probabatur, qvi & ipſe eo fine per Joannem Fiſcherum cum iſto agebat, ut exercitum novem millibus bellatorum conſtantem præberet. Cum itaqve Paderbornenſis officium apud Monaſterienſem non ſine fructu fuiſſet, Elector Blaſpielum ad hunc ablegabat, teſtaturum; gratiſſimum ſibi eſſe, ipſum oblivioni traditis anteactis amicitiam ſecum ſtabilire velle. Et qvia in aprico ſit, vicinos Reges id agere, ut Germaniam opprimant, Ordines Imperii à capite, & ſe invicem divellant, peſſumdatis, qvi ad iſta conſpirare abnuant: ſe non dubitare, qvin ipſe ex fide in patriam, ac Cæſarem exterorum conatibus ſeſe oppoſiturus, Imperiiqve ſalutem pro virili fulturus ſit. Simul fœdus cum iſto adornare jubebatur. Blaſpielus cum ad

Ellerum. Glandorf

Maij.

1. Jun.

Præ-

1675. Præſulem perveniſſet, comperiebat eum jam cum Cæſare conveniſſe ſuper novem millibus in fœderatorum uſum præſto habendis. Qvi & pronum ſe oſtendebat ad arctius ſe Dano, Electori & Belgis innectendum: tum & operam pollicitus Hanoverano in partes, aut medium ſaltem ſtatum pertrahendo. Inſuper memorabat, uti Paderbornenſis de ſingulari Electoris in bonum publicum ſtudio retulerit, ac uti hic tam generoſe circa ipſum ſe declararit. Id qvod magno ſibi gaudio ſit, ac nil magis optare, qvam ut facultas præbeatur gratum animum reipſa oſtendendi. Idem negabat, ſe denuo cum Gallis tranſegiſſe, etſi revera ingentes pecuniarum ſummæ, & alia emolumenta oblata ſint; qvi & voluerint, ut ipſe Hanoverano junctus cum exercitu qvatuordecim millium rem gereret. Ad qvæ acceptanda ut ipſum permoverent Galli, inter alia adduxiſſe, qvam duriter ipſe à Cæſare ſit habitus, non ſolum promiſſis circa ſubſidia, & hoſpitia initis, ſed & præteriti anni expeditione miſis ab ipſo copiis ita peſſumdatis, ut ex octo millibus vix qvadringenti eqvites, mille pedites miſeria cooperti redirent. Se tamen Galli pollicitis haut motum tempus extraxiſſe, qvoad copias ſuas egregio milite ſuppleviſſet. Stare ſibi ſententiam Cæſari, & Imperio adhærere; ac protinus cum Fiſchero conveniſſe ſuper novem militum millibus præſtandis ea lege, ne uti antea perdantur; eoqve ſe non niſi inter Rhenum, & Viſurgim in uſum Cæſaris rem gerere velle. Recepiſſe tamen ſibi, ut Dano, Electori, Belgis, ac Luneburgicis arctius innecti qveat; ac ſi idoneæ conditiones reperiantur, haut dubitaturum iſta flumina tranſire. Et qvia Electori præcipue ſtudium ſuum adprobare cupiat, cujus provinciæ ab hoſte inſideantur, ſe ad limitem Mindenſis ditionis cum qvatuor millibus conſtiturum eidem contra Hanoveranum tegendæ: qvi & miles ſi opus ſit, Electoris ſacramento prius adactus intra Mindenſem urbem recipi poſſit. Smiſingium qvoqve à ſe Corvejam miſſum, ut cum Grotio, primario Hanoverani miniſtro, loqveretur ei in partes pertrahendo: qvi initio acriter reſtiterit, ſed demum nutare viſus ſit. Idem cenſebat neceſſarium eſſe, ut inter Danum, Electorem, Luneburgicos, ac ſe conventio ineatur non ſolum ſuper ratione belli adminiſtrandi, ſed & ſuper bello partis terris inter ipſos dividendis. A Dano in Scania rem gerendam, rerentis qvæ ibi adqviereret: Electori Pomeraniam recuperandam; ſibi, ac Luneburgicis ſuper Bremenſi provincia facile conventurum. Hanoveranum idem cenſebat Svecis ita innexum, ut honeſte pedem retrahere haut poſſit. Unde ejusmodi viam ineundam, ut is Princeps velut invitus cohiberi poſſit. Nam minis eum urgendum haut videri, ne palam in Regum partes deſcendat, qvod facere hactenus auſus non ſit. Se ad iſtius fines ſeptem militum millia adducturum, qvibus Elector aliqvam manum jungere poſſit. Ducem jam apud Eimbecam legiones ſuas contrahere ſuſcipiendæ ulterius expeditioni. Aſt ubi perſpexerit exercitum ſuis finibus imminere, probe cauturum, ne ſui longius digrediantur, aut alias hoſtile qvid tentent. Qvin anſam inde arrepturum Regum miniſtris, qveis obſidetur, demonſtrandi periculum ſibi imminens, ſi copias ſuas longius abducere, aut palam Svecis ſtudere velit. Ita Ducem molli via ad neutrum ſtatum perducendum, ſic ut ejus fœderati commode id impedire non poſſint. Aſt ubi Dux præter rationem pertinaciam induat, faciendum, qvod ratio belli reqvirat, ac recta in ejus provinciam eundum; & extrema intentanda. Unde & Præſul haut expectata Cæſaris ratihabitione copias ſuas ad fines Hanoverani adducebat, tegendæ Mindenſi ditioni, & ut iſtum à conjunctione cum Svecis cohiberet. 1675.

Grot.

§. 22. Ab Angliæ Rege qvanqvam nil auxilii expectabat Elector; tamen ejus favorem, velut futuræ pacis ſeqveſtris ſervari intererat; ac providendum, ne Svecci forte qvid ſubſidii ab eo obtinerent. Cum itaqve Elector de Svecorum irruptione per literas qveſtus eſſet, & ad eas nil reſponſi veniret, Elector denuo Ottonem Sverinum juniorem in Angliam miſit. Ei injunctum Regi gratulari de ſuſcepto ſeqveſtris officio, de qvo ipſe magnopere gaudeat, utpote qvi de iſtius benevolentia qvam ampliſſime ſibi polliceatur; eoqve confidat, eundem Svecorum irruptionem, nulla idonea cauſa poſt recens initum fœdus factam, qva uterqve alteri adverſus talia auxilium promiſerit, ultro deteſtaturum, ac ſibi conſilio, & ope adfuturum; ſimul ſecutura pacis tractatione curaturum, ut ipſe reparatione damni dati, ac cautione in futurum deinceps potiatur. Præterea paſſim injuſtitiam Svecicæ invaſionis, ac vanitatem cauſarum ab iſtis adductarum demonſtret. Ac ſi utiqve Rex nil auxilii præſtare velit, ſaltem impediat, ne is Svecis opis qvid ferat, utqve eorum acta improbet. Eqvidem ſe non dubitare, qvin Angli utiqve verbis Svecorum facta damnaturi ſint. Sed qvia Galli ejus *Cum Anglia Rege acta.*

1679. aulæ animos hactenus valde corruperint, ac metuendum sit, ne forte & Svedi adplausum ibi inveniant; diligenter expiscaretur, qvæ circa hoc negotium seria Regis, aulæ, & Parlamenti sit mens; tum in qvas leges pacem cum Gallo promovere velint. Qvod si forte in Anglia, ut & alibi fit, jactetur, Electorem seorsim cum Svecis transigere velle; id falsitatis arguat. Gallici, ac Svecici legati conversationem declinet. Si id agatur, ut Svecus una cum Anglo seqvestris partes obeat, ei instituto contradicat; nec minus, si Anglus peculiarem compositionem inter se, & Svecos meditetur. Hanc enim honeste non posse admitti, nisi facta reparatione, & cautione in futurum præstita. Sverinus in Angliam delatus reperiebat, Svecos ei Regi persvasisse, suos milites propriis sumtibus in Marchia victitare; qvin eos jam Electoris terris iterum excessisse. Qvo minus Electori auxilii qvid præstaret, Rex obstare dicebat; qvod nosset Svecorum acta ex fœdere cum Gallo provenisse, contra qvem qvid moliri sibi nefas. Ac sat acerbum fuisse, necessitatem sibi allatam separatam pacem ineundi, insuper habita fide Gallo data. Sed nec seqvestris officio congruere alterutri partium auxilium ferre; qvod exacte observaturus sit: nec melius consilium Electori dare nosse, qvam ut medium se declaret. Ad qvæ Sverinus: si fœderum ratio sit habenda, novissimum potius fœdus inter Electorem, & Svecos pace Westphalica innixum respiciendum, qvam pactum inter Svecos, & Gallos, in Germaniæ exitium tendens. Si Regem seqvestris munus impediat auxilium ferre, alio tamen modo testaturum, Svecorum acta sibi displicere; etsi Elector speraverit, enormibus Svecorum facinoribus per inusitata remedia occurrendum. Ut Elector medius, & otiosus pacem Westphalicam subverti spectet, id animo ipsius in patriam, & hujus saluti haut qvadrare; cui is nunqvam, & præcipue nunc, cum extrema intentantur, operam suam sit subtracturus. Rupertus Palatinus dicebat: Aulæ Anglicanæ penitus persvasum esse, Svecos in Electoris terris nil hostile exercere. Opis qvid ex Anglia Electori haut expectandum: sed nec metuendum esse, Svecis naves qvasdam in auxilium mittendas. Eqvidem nuper antiqvum cum Svecia fœdus per Petrum Sparrium renovatum esse; sed id meram defensionem spectare; nec Regem, tanqvam seqvestrem, infesti qvid in Electorem susceptum, nec Parlamentum probaturum. Sane petierant Sparrius, & Ruviguius legatus Gallicus ab Anglo viginti qvinqve naves bellicas in usum Sveciæ: & 1675. cum Rex inopiam pecuniæ excusaret, Gallus duos librarum milliones offerebat, abnuente Anglo, velut æqvitati, ac suis rationibus repugnans: ac Anglos bis cum Belgis bello certasse; nullo à Svecis auxilio accepto. Sparrius iste de adventu suo in Angliam Sverino significarat, colloqvi cum eo se cupidum testatus. Sed qvi reposuerat, qvia Rex amicitiam cum Electore hostilitate mutarit, id haut decere. Qvod factum Electori probabatur. Sed & post, cum Danus in arma erumperet, idem Sparrius Anglum auxilia ex fœdere defensivo adversus istum exposcebat, velut aggressorem. Sed Danicus minister demonstrabat; Regem Daniæ, anteqvam fœderatis se innecteret, Sveco significasse; fœderatos à se reqvirere, ut si novus ipsis hostis surgat, ei se opponat. Contra qvod Svecum tunc nihil excepisse, sed semper asseverasse, istum se novum hostem haut fore. Postqvam autem Sveci jam Electori bellum intulerint, se vi novi fœderis teneri novo hosti, qvi Svecus sit, obviam ire. Igitur Regis sui institutum non aggressionem esse, sed defensionem. Qvod & Anglus probabat, ac tantum bonam pacem ingerebat. Alias certum erat Anglum Sveco haut adstiturum, premente argenti egestate, & qvia classis in eo statu erat, ut sine magna pecuniæ vi armari non posset. Et si maxime Parlamentum pecunias annueret, earum tamen dispensatio penes Regem futura non erat; idemqve bellum in Gallos ingesturum erat; qvibus tamen Rex, & præcipui in aula studebant, ita ut hic magis necessitate, qvam proprias ob rationes medium statum amplecteretur.

9. Mart.

§. 23. Ast apud Daniæ Regem eo diligentius, ac eo majore cum spe agebatur, qvo magis ejus rationes reqvirebant Electorem a Svecis non opprimi, ac qvo majus momentum Dania ad bellum Svecicum adferre poterat. Itaqve primo statim Svecorum in Marchiam ingressu Anhaltinus Princeps per literas Dani auxilium exciverat. Cui hic verbis laxioribus pollicebatur. Sed qvod non statim manum gladio admovere posset, in causa esse, qvod per fœdus cum Hispanis, & Belgis sine prævia reqvisitione in novum hostem movere non possit. Nam alias istos causaturos, à se belli initium profectum, cum Sveci adhuc excusent, per ista hospitia pacem haut abruptam. Ac magno sibi cum dolore dissimulandum in Electorem studium, qvod Belgæ statim atqve id animadverterint, cavilla-

Dania Rex statim in bellum erumpere non potest

1675. villaturi sint, ipsum ultro in bellum ruere. Unde & eos pro more suo alieni laboris spectatores fore, forte id plane non curaturos, ac subsidiorum solutionem omissuros: cum à se solo id negotium sustineri haut qveat. Igitur expectandum, qvoad isti ex fœdere debita præstent, qvo novi delectus institui qveant. Sed & constare sibi prius debere, num Elector ausa Svecorum in vicem abruptæ pacis habeat. His ad liqvidum deductis in se moram non fore. Apud Fridericum Brandium Rex qverebatur, ista omnia impediri potuisse, si Belgæ ducenta uncialium millia solvere voluissent, qvo ipse justum exercitum mature parare valuisset; qvæ negligentia nunc vix aliqvot millionibo reparari qveat. Nec vero infreqvens Belgis esse, per intempestivam parsimoniam extrema sibi pericula, immensos sumtus arcessere. Id vero sibi molestissimum, Belgas cavillari, à se fœdus ipsis obtrusum, qvo huic se bello ingerendi occasio foret: ac metum esse, ne si ipse periculum, qvod communi causæ immineat, demonstret, idem occinant. Igitur prius sibi noscendum, qvid Belgæ facturi sint; & qvid Electori de Svecorum prætextu videatur, qvod hospitia per Marchiam nil hostile habeant. Id tamen haut fieri negotio extrahendo, aut eludendo per pacta debito auxilio; sed ne si ipse solus rem aggrediatur, ab Hispanis, & Belgis destituatur, qvibuscum semper cauponandum sit. Sed nec sibi adhuc exercitum in promtu, qvantum res reqvirat: cui si belli exordio clades illata fuerit, irreparabili damno causam fore. Forte & ipsum Electorem judicaturum, negotium haut esse præcipitandum, qvoad constiterit, qvam in partem id Svecorum ausum. Cæsar, Imperium, Belgæ, & Hispani accepturi sint. Idqve se inde collegisse, qvod cum non ita pridem ex Electore scisciteretur, num Svecorum legionibus, qvæ hactenus in Bremensi provincia egerant, per suam ditionem iter deberet indulgere, is negaverit, iis iter denegandum esse. Unde adparere, ipsum Electorem magna circumspectione circa hoc negotium agere. Nam alias sibi in proclivi fuisse istis copiis transitum negare.

Elector per legatos Danum auxilia petit. 5. Jan.

§. 14. Ast Elector haut contentus auxilia ad declarationem Hispanorum rejici, Augustum Holsatiæ Ducem, & Thomam Knesebecium ad Regem Daniæ mittebat; qvibus injunctum super irruptione Svecorum in Marchiam exponere, & ut auxilia postulent ex fœdere, ac totiens iteratis promissis; prout & superiore bello ipse omnia pro servanda Dania periculo exposuerit. 1675. Tum ut confirmarent, Belgas, & Hispanos Regi utiqve satisfacturos. Forte & ipsum hac occasione antea Regno Daniæ detracta recuperaturum. Nec heic ullum periculum subesse, qvod Belgæ Bremensem provinciam sint invasuri, classe insuper in Mare Balticum missa, ac ipse cum aliis in Pomerania rem gesturus sit. Exploraret qvoqve, qvid per Svecos Hafniæ agitetur. Tum monerent, ut Rex apud Hanoveranum instet, ne is in Svecorum gratiam qvid in ipsum moveat; ac ut ad Czarem legatus mittatur huic in Svecos incitando. Eo ipso *18. Jan.* tempore, qvo hi Hafniam pervenissent, Terlonus legatus Gallicus vulgaverat, inter Electorem, & Gallum tractatus agitari, qvi pro perfectis jam habeantur; nec ab Electore invasionem in Marchiam inter hostilia censeri. Qvæ nullo negotio falsi convincebantur. Ast Rex declarabat; *Se hanc occasionem proprias rationes promovendi, tum præcipue solidæ amicitiæ specimen Electori exhibendi, haut amissurum; ac jam eo nomine in Belgium, & Hanoveram misisse. Tantum Belgas prius in armis videre cupere, ac num Electoris causa ipsis cordi sit. Necessum qvoqve esse, ut Elector copias suas moveat, ut omni ex parte impetus in Svecos dari qveat. Nam ubi à se Scania, ab Electore Pomerania, à Belgis Bremensis provincia invadatur, Svecis undiqve distractis brevi res in angusto fore.* Is maximè scrupulus urgebat per Gallos, & Svecos injectus, qvod inter hos, & Electorem nil hostilitatis existat, ac super exorto litigio facile inter ipsos conventurum sit. Unde Elector datis ad Regem literis confir- *13. Febr.* mabat, qvæ super transactione inter se, & Svecos spargantur, improba commenta esse, qvo Regi, ac reliqvis fœderatis illudatur, ne sibi auxilia submittant. Se qvidem partes haut deserturum, ac omnia potius alea expositurum, qvam datam fidem fallat. A Moguntino, Saxone, & Bavaro oblatum officium repudiasse, qvod sine Cæsare, & aliis fœderatis tractationem suscipere sibi fas non sit. Igitur Rex legatis respondebat: *S. bi magno dolori esse, qvæ Sveci in Electorem patrent; nec oblivioni daturum, qvæ is olim Daniæ periclitanti præstiterit. Qvin gloriæ sibi ducturum pro isto omnia sua impendere, ejusqve salutem non minus qvam propriam cordi habere. Electori tamen reipsa declarandum, Wrangelii irruptionem inter infensa, & Svecos non hospites, sed hostes haberi. Nam Gallum juxta, ac Svecum legatum contendere, ab Electore ideo nil offensæ, aut indignationis ostendi: cum Gallo qvoqve tractationem susceptam, & brevi cum*

1675. *hoc & Svecо conventurum. Ab hoc qvoqve nil hostile agitari, sed legiones tantum paulisper Marchiam ingressas hospitiis suis dilaturandie, ac ut Electorem fœderatis abstrahant. Huic suspicioni elidendæ necessarium fore, ut Elector indignationem in Svecos exserat, ac rei gerendæ initium faciat, qvo & sibi plausibile prætextum nascatur arma capessendi, qvibus & propriæ rationes sat stimulorum subdant. Nec se dubitare, qvin Elector alios qvoqve fœderatos excitaturus sit, simul prospecturus, ne in Anglia Sveci qvid misceant: tum & eidem constantiam perstiturum.* Interim ista secreta haberi rogabat. Addebat Rex; Se statim initio belli prævidisse, talia successu temporis emersura; eoqve prævertendæ subitæ oppressioni mature arma parasse, ac superiore æstate legiones in Holsatia contraxisse; qvo facto Svecorum destinata non parum turbata fuerint. Sed postqvam Sveci Gallica pecunia firmati exercitum in Germaniam trajecerint, suis copiis prævalentem, se qvidem haut omisisse Hispanos, & Belgas monere, ita sibi subveniant, ut Svecorum destinatis infringendis par sit. Sed utrisqve persvasum fuisse, Svecos nil infesti molituros. Id qvoqve sibi cumprimis molestum, qvod ubi ipse gradum proferat, Belgæ, & Hispani cessim caut, insuper cavillantes, ipsi manus prurire, ac præter necessitatem ultro se bello obtrudere, ac sumtibus Belgarum cum Svecis manus conserere velle. Sed & Electorem hactenus erga ipsum sat frigidum se gessisse. Initio suscepti reginiinis à se Christianum Habbæum Berolinum missum ad nonnulla tractanda firmandæ amicitiæ, & communibus rationibus. Eum re infecta digressum. De tractatibus cum Gallo nil sibi communicatum. Superiore anno se dissvadente cum Svecis fœdus initum. Qvod si igitur frigus frigore pensandum sit, se tamdiu manibus in sinum compositis qviescere posse, qvoad è Belgis reqviratur, & circa subsidia sibi satisfiat. Enimvero se generose acturum, ac ultro Klingenbergium Hagam misisse, statim atqve de Svecorum irruptione audierit, stimulandis Belgis. Ac revera stabat Regi sententia in Svecos arma stringere, modo Belgæ rem simul aggrediantur, ac Elector constans persistat; nec à Svecis ad compositionem induci se patiatur; si maxime Hispani nil conferant. Etsi Grifenfeldius nostris præsentibus Hispanicum ablegatum acribus verbis hortabatur, ut Hispani tandem aliqvando causam serio amplectantur. Legatum Svecicum Nicolaum Brahæum haut difficile fore tantisper per inania detinere, qvoad declaratio ab Hispanis, & Belgis allata sit. 1675.

§. 25. Qvanqvam autem Regi Daniæ qvam maxime suæ rationes svadere viderentur, ut dato responso firmiter inhæreret, id qvod & fore Grifenfeldius sancte asseverabat: suspicio tamen erat hunc ipsum clam laborare, ne res inter Daniam, & Sveciam in bellum erumpat. Nam superiore æstate, cum Danicæ copiæ apud Coldingam lustrarentur, ingens ducum invidia in istum eruperat. Unde multi judicabant, eundem omni studio bellum declinaturum, ut locum, qvem in gratia Regis tenebat, tueretur; qvod in expeditione agentis animum militares homines in se pertracturi essent, solito his odio, & contemtu in togatos, præsertim è tenui fortuna provectos. Præterea & idem tam atroces super Hispanis, ac Belgis qverelas movebat, ut Regi excusationem qværere videretur, si à fœderatorum partibus discederet, & à Svecis, atqve Gallis oblata acceptaret. Sed & Regina Mater immensum desiderium ostendebat nuptias cum filia Ulrica Eleonora, & Rege Sveciæ perficiendi; qvibus triste auspicium futurum erat inter novos affines bellum. Aliqvi etiam differebant; postqvam fœderatorum exercitus Alsatiam deseruerit, Dano ad promovendam pacem esse incumbendum. Fama qvoqve erat, Gallum Gottorpiensi Duci super Oldenburgico, & Delmenhorstano Comitatu data pecuniæ summa satisfacturum, qvæ præcipua hactenus collisionis materia inter eos Reges fuerat, dum Svecus Gottorpiensi studet, Danus sibi. Deniqve & verendum videbatur, ne Danus seqvestris munus, qvod Svecus nunc exutum ibat, amplecteretur; super qvo & is Galli, Belgarum, & aliorum qvorum intererat sententiam explorabat. Contra fiduciam addebant ingeminatæ Grifenfeldii testationes; Regem non posse, nec velle Electori deesse; ejus generosam mentem haut ferre, ut fœderatorum justam causam deserat. Vel cum omnium fortunarum periculo grati animi gloriam sibi qvæsiturum. Eum adhuc omni ope conniti, ut Hanoveranum Gallicis partibus abstrahat; ac Belgas, Hispanosqve stimulare, qvo pactis cum ipso satisfaciant. Qvin jam ante octo menses à Gallis oblata, si medius in bello esse velit, repudiasse, utut paulo ante Belgæ ratihabitionem pacti per Werckendammum concluси recusassent, ac nondum constaret, num Cæsar, Hispanus, ac Belgæ ipsi fœdere jungendi forent. Acerbum auditu Regi esse, legatum Svecicum istam invasionem vocabulo dilatatorum hospi- *Suspiciones circa Danorum mentem.*

1675. hoſpitiorum venditare, circa qvæ ipſi eodem jure, qvo Elector in Franconia, agant: ac ardere iſtum in Svecos ire, ſed ſolum id non audere, & Hiſpanos, ac Belgas expectare cogi; qvibus excitandis Klingenbergium Hagam miſſum his demonſtraturum, uti Elector ita generoſe ipſis adſtiterit, ac iisdem periculo eripiendis longe à ſuis ditionibus diſceſſerit. Deniqve eum ægre ferre, Belgas, ut Svecis plus temporis indulgerent, aliqvot articulos concepiſſe, Sveco ſubſcribendos, ſi ſeqveſtris dignationem retinere velit.

Suevi Danum à bello averture ſtudent.

§. 26. Aſt legatus Svecicus, ut Danum à bello averteret, omnem lapidem movebat. Is adventum ſuum Friderico Brandio ſignificarat; ſed qvi excuſaverat, ſe ſolita honoris exhibere ipſi non poſſe, qvoad intellexerit, qvam in partem Elector Svecorum hoſpitia acceptarus ſit. Idem qvoqve ſpargebat, Chriſtophorum Brandium, non niſi ſimulata offenſa Holmia digreſſum, ac poſt valedictionem multa ſecreto cum Gardio egiſſe: brevi qvoqve ſuper toto negotio inter Anhaltinum, & Wrangelium tranſactum iri. Ingreſſu negotiationis ſuæ ſcriptum Regi Daniæ obtulerat hoc argumento; *Regem Svecia belli miſerias, ac tantam ſangvinis effuſionem diutius ſpectare non poſſe, ac ſummopere optare, ut bona, & tranqvillitatem orbi Chriſtiano productura pax ineatur. Deum teſtem eſſe, Sveciam ex hiſce turbis nil emolumenti captare. Ei nil aliud cordi eſſe, qvam pacem Weſtphalicam ſartam tectam præſtare, qva communis libertas, atqve ſecuritas fundetur.* Sed Dani negabant, ex prolixo iſto ſcripto, qvod data opera confuſe conceptum videbatur, ſe percipere poſſe, qvid Sveci ipſos velint; niſi qvod adpareat, eos à Gallo oblata commendatum ire, & qvod in Germania rem nemine impediente gerere velint: ac tam anxiam de juſtitia inſtituti ſui aſſeverationem, Deumqve tam crebro teſtem excitatum ſiniſtra ſuſpicandi anſam præbere. Iſta porro à Gallis oblata Danus acceptare haut dubitaturus fuerat, ſi tantum Belgas & Hiſpanos, non etiam Electorem, & Cellenſem Ducem reſpexiſſet. Sane haut ſpernendæ conditiones erant annua trecenta uncialium miſſia capere, ac qviete frui, ditionesqve florentes ſervare, ſimul Oldenburgico, & Delmenhorſtano Comitatu potiri, dum Gottorpienſi per Gallum ſatisfit, qvi & hoc ipſo Regi reconciliandus ſit. His pollicitis tamen inſuper habitis Grifenfeldius, præſente Brandio, Hiſpanico ablegato in os dicebat; Daniæ Regem dubiturum cum Hiſpanis, ac Belgis deinceps qvid negotii contrahere, cui maximo cum dolore adſpiciendum ſit, eos tam langvide de liberando Electore cogitare, qvi tam generoſe pro ipſorum incolumitate ſua omnia periculo expoſuerit. Sed Brandio dicebat; Regis ſui deſtinata ad tempus ſecreta eſſe habenda, ne Hiſpani, & Belgæ, iis animadverſis, more ſolito in ſoporem reſolvantur; tum ne forte Sveci prævenient, anteqvam omnia rite parata ſint. In hoc totum jam artificium verti, ut Sveci clade aliqva illata domentur, & Electori Pomerania adqviratur. Tantum conſtantiam huic ſervandam, qvod Sveci, ac Galli ſpargant, eundem jam proclivem ſe tranſactioni oſtendiſſe. 1675.

Dani legatum Svecicum inani ſpe lactant. 20. Febr.

§. 27. Cæterum Dani tunc magna cum arte id negotium tractabant. Klingenbergio injunctum erat, non novi qvid Belgas poſcere, ſed jam conventorum præſtationem exigere. Sed metus ſuberat, ne Sveci, animadverſo Dani in Electorem ſtudio, in ejus gratiam, ac ut eundem in partes ſuas pertrahere laborarent, Wrangelio injungerent Electoris ditione iterum excedere. Qvod uti in ſe optandum erat, ita forte Belgas pro genio ſuo ſibi perſvaſuros, Electorem ſatis habiturum ditionem ſuam à Svecis liberaſſe, ac contumeliam acceptam facile concocturum, qvo omnis armorum vis contra ſolam Galliam verti poſſet; eoqve tam præclaram occaſionem Svecos ulciſcendi incaſſum perituram. Igitur huic incommodo declinando Klingenbergius id negotium apud Arauſionenſem, & Fagelium ſecreto agere jubebatur. Qvi & Hagæ Romſvvinckelio confirmabat, ſe qvidem omni ſtudio Electoris cauſam acturum; in ſpeciem tamen Regis ſui officium conciliandæ paci oblaturum eo duntaxat fine, ut Belgæ eo citius compellantur iſtum reqvirere, ac bello parando neceſſaria ſuppeditare. Petebat qvoqve Rex, ne Elector ſiniſtræ ſuſpicionis qvid concipiat, qvod cum Brahæo adhuc negotiatio continuetur. Nam iſti decretum, eo melius diſſimulandis deſtinatis, & Hiſpanis ad officium faciendum excitandis, huncce tamdiu inani ſpe lactare, qvoad juſtus armorum paratus factus ſit. Forte &, ſi nulla alia ratio ſuperſit eundem detinendi, legatum ad Electorem mittendum, ſciſcitatum, an, & qvibus conditionibus cum Sveco tranſigere placeat; qvod Brahæus obiter, & honoris gratia controverſias Regis ſui cum Electore in ipſius manus remiſiſſet. Qvæ tamen omnia haurqvidqvam bellum cum Sve-

1675. Svecis impedire debeant, sed statim atqve Hispani, & Belgæ præstanda præstiterint, ac ab Electore, & sociis res geri cœperit, se qvoqve in Svecos hostilia sumturum. Nec à se magis subsidia respici, qvam ut partes rite formentur, qvo sine periculo negotium suscipi qveat. Ast si Electori placeat damnum, & contumeliam inultam digerere, ac ad compositionem descendere, id sibi ut significetur petebat. Tunc enim se operam daturum, ut Elector honeste se istis molestiis extricare qveat, idemqve suo cum Svecis fœdere illigetur. Facile autem adparebat, Regem nolle in eundem scopulum impingere, ad qvem Pater ipsius qvondam omnium fere fortunarum naufragium fecerat, dum ipse ante omnes solus erumpit. Svecosqve in se trahit, fœderatis lente satis ad ipsum fulciendum moventibus. Nam & nunc metus erat, ne, si Sveci destinata Dani animadverterent, antequam Elector, & fœderati in arma erupissent, Wrangelius relicta Marchia repente Holsatiæ, ac Jutiæ infunderetur, fœderatis post tarde auxilia molituris. Unde qvanqvam Brahæo super Ulricæ Eleonoræ connubio moventi responsum esset; Eam longe sublimiora mereri, qvam ut ejusdem nuptiæ ambiri debeant aliis qvibusdam emolumentis captandis: is tamen haut eo minus blandis verbis jactabatur, ac subinde spes fiebat, propositum fœdus brevi absolutum iri. Qvi vicissim negotium valde urgebat, ac subinde discessum suum minabatur. Unde huic demulcendo circa negotiationem cum ipso satagebatur eo apertius, ut Belgis calcar subderetur, iiqve metu ad officium faciendum compellerentur. Unde & Rex per Klingenbergium Belgis denuntiabat; se haut toleraturum Electorem ab ipsis indigne haberi. Sed si ipsi rem serio agere nolint, sibi haut defore idoneam rationem eundem salva existimatione his molestiis extricandi. Sed Electori clam confirmabat, si maxime Belgæ intuitu commerciorum ad bellum Sveco indicendum adduci neqveant, se tamen una cum Cæsare, ac Luneburgicis bellum in Svecos susceperum.

Inanis circa fœdus inter Svecos, & Danos tractatio. 20. Mart.

§. 28. Porro exhibuerat Brahæus formulam fœderis inter Sveciam, & Daniam, cujus exordio prolixe jactabatur de arcta, & insolubili inter duas nationes amicitia. Designabatur inde fœdus defensivum ad præsens bellum, & futura tempora accommodatum, tuendis, ac promovendis utriusqve nationis commerciis. Tum ut Danus cum Sveco seqvestris partes obeat, ac operam navet bello inter Gallum, & fœderatos componendo; ac ut, ubi opus fuerit, omnes vires impendantur adversus eum, qvi pacem adspernetur. Super servando neutro statu valde insidiose positum fuerat: si Sveci dum seqvestrium munus exercent pro tuenda pace Westphalica arma cogantur arripere, Danum non solum ei negotio se haut ingesturum, sed & Svecorum instituta promoturum. Huic fœderi Gallum includendum, cui & integrum sit cum Dano super medio statu, & pecunia subsidiaria agere, qvam Terlonus promiserit. Ut neuter via facti negotio Oldenburgico cum Gottorpiensi se misceat, sed id amice componere studeat. Ut omnia pacta, & fœdera, qvæ utraqve pars cum aliis Principibus, & Rebusp. antea inierit, & huic qvod præ manibus sit, repugnent, abrogentur. Ad ista Dani annotata formabant, per qvæ partim ipsa formula confundebatur, partim summa negotii in longum eludebatur. Super qvibus postqvam cum Brahæo convenire non possent, hic ex impatientia Danicis delegatis *chartam*, qvam vocant, *blancam* obtulit, ut ei justum fœdus inscriberent. Eam conditionem Danus primum admittere dubitavit, fœderatorum suspiciones veritus. Sed qvia Brahæus valde qverebatur, discessum suum subinde minitans, ac Dani magnopere interesset, qvamdiu bellum Sveciæ à fœderatis indictum non esset, istum legatum haut protelasse, alia fœderis formula à Danicis concipiebatur hoc sensu: *Ut deinceps firma amicitia inter utrumqve Regem colatur. Fœdus defensionem, & incrementa utriusqve nationis spectet; qvotamen Danus præsenti rerum facie non diutius tenendus sit, qvam Sveci medios se gesserint. A Dano seqvestris partes cum Sveco suscipiendas, si à bellantibus reqviratur; ea tamen cum exceptione, ut ei integrum sit id officium exuere, si Sveci non amplius medii esse velint. In Oldenburgica causa non via facti, sed juris procedendum. Si Dania Regem inter, & Gottorpiensem Ducem solida amicitia instauranda sit, è tractatu anno 1660. qvo hic supremi imperii jus nactus est, qvædam esse eximenda. Ut omnibus fœderibus, qvæ Dano cum aliis sunt, vis sua constet, nec hoc fœdere iis qvid detrahatur.* Qvanqvam autem hæc formula merum ludibrium saperet; tamen qvia Sveci forte jactare poterant, sibi cum Dano convenire, fœderatis, ac præcipue Belgis turbandis Brandius rogabat, ne id fœdus qvalecunqve perficeretur. Cui Rex confirmabat; sibi hautqvidqvam in animo esse ullum pactum cum Svecis inire. Brahæum per duos men-

ses

1675. ſes detentum ; nec defore artes ulterius tempus extrahendi. Ac ſi maxime is è Svecia jubeatur eam formulam ſine exceptione admittere, ſe cauſaturum, eam cum Cæſare, Hiſpanis, Electore, Belgis, aliisq; fœderatis communicandā. Super Oldenburgico negotio differebat Rex; Ducem Gottorpienſem heic data dextra tranſegiſſe: ſed ubi Gottorpium redierit, non modo verba ſua retractaſſe, ſed & plane rationibus Sveciæ ſeſe innexuiſſe, ac multa Daniæ adverſa facere, dura admodum digeſtu. Id qvod eo fine moveatur, ut ſi ipſe deinceps contra eundem qvid ſuſcipiat, Electori, & aliis fœderatis ſua cauſa in anteceſſum probetur. Id enim à ſe qværi, ut qvæ iſte Dux per Svecos Daniæ extorſit, iterum ſubvertantur; ac jam legionibus ſuis hoſpitia per Gottorpienſem ditionem aſſignata, qvæ capeſſere debeant, qvamprimum ſibi larvam deponere maturum viſum fuerit. Sane ante omnia iſtum ſibi in ordinem redigendum, qvi arcto fœdere Sveciæ innexus promiſerit, ſe tria militum millia in ejus uſus præſtiturum, ac pro re nata adſcitis aliis è Bremenſi provincia copiis in Jutia, aut Holſatia Regia Danos diſtracturum. Qvin exigente neceſſitate, aut commodis rei Sveciæ Svecorum militem intra Tœnningam velle admittere, qvo his tuta ſtatio in Holſatia ſit. Se hactenus ab eo Duce multa toleraſſe, offenſam tenero in ſororem affectu moderante. Sed iſthæc enormia jam eſſe. Unde noſſe cupere ſententiam Electoris, an non Dux iſte ex improviſo ſit opprimendus, ne
8. Maij. Svecis ejus amicitia uſui ſit? Qva ſuper re Elector cenſebat; ſi Regi liqvido de pravis Ducis deſtinatis, ac tam noxio cum Svecis fœdere conſtet, non eſſe qvod hujus effectus expectetur, ſed recte talia præverti, & ſiniſtre ſentientibus vires nocendi adimi poſſe; ac talia facile defendi aut excuſari per obligationem, qva qvilibet Princeps ſtatus ſui ſecuritatem, & ſalutem tutari, ac noxia avertere tenetur.

Danorum circa modum Sveciæ nocendi conſilia.

§. 29. Interim præter tacitos armorum paratus variæ rationes diſcutiebantur, qvibus Sveciæ noceri poſſit. Ubi id palmarium habebatur, Sveciam in ipſa Svecia invadere; qvo conſternatio populi augeri, ac eorum, qvi bellum diſſvaſerant, partes firmari, ſimul impediri qveat, ne copiæ in Germaniam mitti poſſent. Idqve præcipue Grifenfeldius ſvadebat, renitentibus ducibus, qveis magis rem in Germania gerere placebat, velut lucroſa magis, & molliore militia. In Moſco haut modica ſpes reponebatur, qvem Danus inſtigaverat, ut Guſtavus Oxenſtierna legatus Svecicus ſat 1675.
1675. contemtim haberetur; qvi & cum inter alia Moſcis propoſuiſſet de commerciis ipſorum à Fano Archangeli Narvam, & Revaliam transferendis, in os ab his irridebatur. Cupiebant autem Dani Moſcum Finnoniæ immittere, ac ut plane circuito ſinu Botnico in penetralia Sveciæ irrumperet, ac omnia ferro, flammaqve deſtrueret. Nam ut idem Narvam, Revaliam, aut Rigam invaderet, haut conſultum ducebant, non ſolum qvod ibi parum profecturus eſſet, ſed & qvia is aliqvo horum locorum occupato moleſtus vicinus in Mari Baltico futurus videbatur. Magni qvoqve momenti habebatur Gotlandiam, & Oeſaliam inſulas occupare, commerciis cum Gedano, & Riga intercludendis. Qvo fine Dani ſvadebant, ut Elector excurſores maritimos in Boruſſia inſtituat, infeſtandæ inter Livoniam, & Holmiam navigationi. Inprimis graviter premi Sveciam poſſe intercepta ſalis ſubvectione, ac peculiariter ne Lubecenſibus liceat ſalem in Sveciam importare; utut hi ad privilegium qvoddam provocent, qvo ſibi integrum ſit etiam cum hoſtibus Cæſaris, & proſcriptis Ordinibus commercia continuare. Porro belli ſcopum ſibi Dani ferebant eo Svecos redigere, ne deinceps ſe, atqve Electorem pro lubitu incurſare qveant. Unde haut ægre laturos, ſi Electori, & fœderatis omnia adcreſcant, qvæ Sveci in Germania poſſideant, ſi maxime ad ſe nihil perveniat: nam qvicqvid ad Mare Balticum Svecis à qvocunqve adimatur, id Daniæ accedere videri. Sperare tamen, ſi bellum proſpere ſuccedat, particulam Bremenſis ditionis ſibi concedendam, Oldenburgo opportunam. Qvod Electori facile probabatur; ſed id apud Luneburgicos qværendum, qvorum maxime interſit. Viciſſim Grifenfeldius teſtabatur, Regem optare, ut Elector Wiſmaria potiatur, præſertim cum norit, Svecos Meclenburgicæ inhiare, ac in caſum extinctæ Ducum ſtirpis Electorem ea ſucceſſione privare velle. Haut diſſimulabant tamen Dani, ſibi præcipue Scaniam cordi eſſe. Sed qvia jam ab Hiſpanis, & Belgis objiciatur, ſibi manus in bellum Svecicum prurire, ac Sveciam ad humilitatem priſtinam redigi cupere, nec iſti Daniæ incrementa æqvo oculo adſpecturi ſint: ſe clam cum Electore paciſci velle, ut is ipſius commoda apud Belgas fulciat, ſe viciſſim connixuro, ut Elector Citeriore Pomerania potiatur opportuno ſitu, & in toleratarum à Svecis moleſtiarum ſolatium.

1675. §. 30. Qvanqvam autem Dani amplissime pollicerentur, indictionem tamen belli, super qva Hagæ convenerat, subscribere nolebant metu, ne hoc ipso Svecicum exercitum in se traherent. Ea qvippe esse Austriacorum, Hispanorum, & Belgarum consilia, per qvæ belli molem in solum Daniæ Regem, & Electorem devolvere velint, ipsi post principia sibi cauturi. Unde in aula Cæsarea jactari; si Danus in bellum eruperit, Cæsarem idem facturum: cum tamen à Cæsare velut capite Imperii, & qvi jam bello implicitus fuerit, ac cum Dano tantum in casum novi hostis convenerit, merito initium fieri, ac Svecus novus hostis declarari debuerit, ut constet, hunc non cum sola Dania committendum. Se qvidem sine dubio bellum sumturum, ubi classis Belgica in freto adfuerit, & Elector una cum Cæsare in hostilia eruperit. Ac jam Dani non parum turbabantur, cum exercitus Svecicus movere se nuntiaretur. Sed mox evanescebat metus, cum istum versus Albim tendere pateret, ut Hanoverano junctus Electori obviam procederet; Electore vicissim Magdeburgum properante, qvo Cæsareos sibi sociandi facultas foret. Qvanqvam autem Danus svaderet, ut Elector caute procederet, qvoad & suus in Holsatia exercitus paratus foret; Electori tamen maturandum, & fortiter agendum videbatur, ne Svecis spatium relinqveretur Hanoverano sociatis à Rheno Gallorũ conjunctionem qværendi, belli sede in media Germania constituta. Cum igitur non amplius dubium supereset, qvin revera inter Electorem & Svecos bellum esset,

Dani circa ordiendum bellum tergiversantur 7. Maij.

24. Maij. Hafniæ demum decretum dilata tantisper Scania rem in Germania gerere; utut prius Grifenfeldius enixe svasisset, hac peculiari ratione motus, ne Rege longius Hafnia digresso duces, qvi eum oderant, hujus animum ab ipso alienandi occasionem nancisscerentur. Qvi demum haut aliam consilii sui rationem adducere norat, qvam qvod Rex in Germaniam suscepta expeditione nimium se periculo expositurus esset. Cum contra Brandius Schackio, & Arenstorfiis suffragantibus inter alia ostenderet; Danum de bello ibi adqvirendis partem postulare haut posse, ni & ipse ad Svecos Germania expellendos operam navet. Ita Danus declarabat, si maxime Luneburgici ad Rhenum vertant, se tamen in bellum erupturum, & Bremensem provinciam invasurum. Citra solennem tamen clarigationem ab insigni facto belli exordium capturum, ac Gottorpiensem primum armaturum. Etsi de tempore nondum certi qvid definitum esset, qvod Dani non prius serio bellum parare cœpissent, qvam Electoris opera Hagæ inter fœderatos conveniisset. Et Junius mensis elapsurus erat, anteqvam exercitus ad Rensburgum lustrandus esset. Ac qvæ in Gottorpiensem struebantur prius perficere placebat, ne is à tergo relictus turbas daret. Unde dicebant Dani, fœderatos contra propria commoda facere, qvod Regem præmature ad bellum declarandum urgeant, anteqvam omnia rite disposita forent. Nam imparatum se à Svecis facile terra, mariqve invadi posse. Contra omnibus instructum à memorabili facinore bellum orsurum: ac brevi aliqvid eventurum, qvo Svecorum rationes admodum turbandæ sint. 1675.

Svecia Rex Albrica Electoris impetias ambit.

§. 31. Inter hæc dum summa vi bellum in Dania paratur, Brahæus istis non parum commotus magna cum modestia Hafniæ agebat; ac repente abrupta negotiatione circa fœdus, qva tempus incassum trahi videbat, jam unice Virginem Regiam Carolo Regi sponsam deposcebat nulla conditione adjecta, Gallo simul insignem pecuniæ vim offerente. Sed ne id qvidem ad declinandum bellum qvid proficiebat; ac gratiam qvæsitæ affinitatis haut parum imminuebat, qvod ea petitio in hoc potissimum tempus dilata esset, ut non tam sponsa, qvam declinatio belli spectata fuisse videretur. Ea propositio Regem fratrem non parum turbabat, ea rerum facie admodum ingrata: ac altioris indaginis qvæstio erat, num Regno Daniæ expediat Principem ejus hæreditariam Regi Sveciæ connubio jungi. Animorum qvoqve exacerbatio inter eas nationes à tempore novissimi belli ita invaluerat, ut Danicæ aulæ difficile esset talia cum Svecis tractare, qvæ tantum inter amicos locum invenire solent. Suspectum qvoqve esse id negotium hoc potissimum tempore in medium adferri, qvo fœderati in Svecos impetum daturi erant. Saltem à Magno Gardio id spectari, ut animos Svecorum instante Ordinum conventu deliniat, si de coronatione, & nuptiis Regis proponat, ut reliqva bellum spectantia eo pronius accipiantur; ac si non obstante desponsatione Dani haut eo secius irrumpant, facultas foret horum infesta Sveciæ consilia, & animos nullis amicitiæ speciminibus deliniri apros apud Ordines exagitare, qvo hi proniores tolerandis belli oneribus redderentur. Deniqve non sine magna commotione cogitari posse, Danicam Principem Regi Sveciæ nunc jungi, cujus parens non solum Regno Daniæ tanta mala intulerit,

1674 lerit, sed & Virginis Patri, totiqve familiæ Regiæ exitium intentarit. Vicissim tamen differebatur; jamdudum, qvantum decore fieri posset, diversis locis, ac præcipue apud Electorem, & in Hollandia insinuatum fuisse, animadverti Regem Sveciæ eam Principem ambiturum; sed qvam malint alicui Principi Germaniæ, aut Arausionensi nuptum dare. Sed id frustra fuisse; ac eam palam velut venalem offerre, ipsius conditionem, & inusitatas animi dotes, ac incomparabilem animi nobilitatem haut decere. Unde jam aqvam sibi hærere, nec prætextum amoliendo Brahæo suppetere, ab alio jam ejus nuptias expetitas. Carolum Æmilium, in qvem maxime respexerint, fato functum. Wilhelmum Arausionensem Principem nondum de nuptiis cogitare videri, ac ei Ducis Eboracensis filiam destinari. Ita toto terrarum orbe dignam ista conditionem non adparere, qvam Sveciæ Regis: ac si huic repulsa detur, forte eam deinceps non sine damno Regni ætatem sibi ipsi tædiosam exacturam. Sed & Regina Mater utiqve has nuptias cupiebat; idemqve multi alii svadebant, sic ut Grifenfeldius ei se negotio opponere non auderet. Eqvidem optabat Brandius, id eousqve extrahi posse, qvoad de Arausionensis animo exploratum esset. Sed Brahæus acriter instabat, ut petita annuerentur, aut recusarentur, anteqvam Rex Daniæ iter, qvod tunc parabat, in Holsatiam ingrederetur. Idem qvoqve rogabatur, num id ex decoro sit futurum, hodie Virginem Regiam desponsari, cras affines Reges ferro inter se decernere. Sed is respondebat; se utiqve procari jussum, ac desiderari à Rege Virginem, si maxime bellum emergat. Nam in Svecia satis prospici, qvo res evasura sit. Scribebat qvoqve Brandius epistolam ad Grifenfeldium ficto argumento, qva id matrimonium dissvadebat, eiqve in memoriam revocabat, qvid de alia conditione cum ipso locutus sit, qvæ Regiæ Virgini, rationibusqve Daniæ commodior futura sit. Qvam epistolam Grifenfeldius Brahæo ostendebat. Sed qva hic haut qvid qvam permotus ita acriter instabat, ut die octava Junii hora nona vespertina solenni audientia Rex sororem Ulricam Eleonoram Carolo Regi desponderet ea conditione, si Mater, & Virgo consentiant, & qvod ipse eam ob causam ab iis, qvæ fœderatis promisisset, discessurus non sit. De qvo & Rex omnibus suis fœderatis significabat. Inde Brahæus Nicopiam Falstriæ ad Reginam Matrem, qvæ ibi tunc cum Filia agebat, profectus, utriusqve consensum expetivit, & obtinuit. Qvo facto Danus optabat Brahæum renuntiata legatione domum discessisse: sed qvi negabat se passurum, ut alius honorem conficiendorum pactorum connubialium sibi præriperet, eoqve Hafniæ morari pergebat, isto ægre ferente, qvod id agi adparet, ut ipse fœderatis suspectus redderetur. Enimvero confirmabat Rex Electori, & aliis fœderatis, Svecos hoc artificio nihil lucratos, ac se constanter iis adhæsurum, hortatos, ut ipsi modo strenue in hostem moveant. Cæsareo legato idem dicebat: vel decem sorores non effecturas, ut qvæ promiserit retractare velit. Haut eo minus Electorem ea sponsalia non parum turbabant, velut fœderatis fraudi futura; ac valde mirabatur, Regem hoc tempore in ea consensisse, cum omnes perspiciant ista nunc per astutiam proposita ei à fœderatis distrahendo. Eoqve acrius urgebat, ut in bellum erumperetur; præsertim cum constaret, à Friderico Alefeldio Comite pacem svaderi, etsi Schackius, & alii bellum enixe ingererent. Sed Rex Electori per literas confirmabat, connubium sororis cum Rege Sveciæ suæ consilia, fœdera, & amicitiam cum ipso haut alteraturum. Scripserat & Grifenfeldius: affinitatem cum Sveco haut sufficere, ut suus Rex ideo oblivioni daturus sit veras suas rationes, & qvid fœderatis, ac statui suo debeat. Eadem missus à Rege Justus Heugius confirmabat; rem esse duntaxat domesticam; nec suam culpam esse, Svecos hoc temporis articulo procatos. Sane non obscurum esse, qvid isti captent: sed prævisam astutiam effectu caruisse, ac si destinata sua intra paucos dies in lucem erumpant, fœderatorum suspiciones ultro expiraturas. Grifenfeldius qvoqve dicebat: se hoc matrimonium adhuc pro infecto habere. Ac si Rex Sveciæ ideo tantum Principem Virginem ambierit, ut Danos hoc tempore in somnum daret, forte cessim iturum, si artes suas irritas videat; in qvem casum ipsi jam parati sint. Regem qvoqve negotio difficultatem injecturum, causatum, se hac tempestate, cum pecunia ad bellum opus sit, dotem, ac debita ornamenta ægre expediri posse. Si itaqve Electori eo rem deducere possit, ut Arausionensis procum se ferat, Sveco adhuc sponsam eripi posse. Et qvæ tunc in veterem affinem agitabantur, indicio erant, cum novo haut melius actum iri. Sed Elector uti re integra eo tempore sponsalia non succedere optaverat: ita vinculum jam contractum solicitare haut decorum judicabat: nec citra Angli offensam de hac re apud Arausionensem proponi posse. 1674

1675. *Dania Rex claigationem differt.*

§. 32. Haut eo minus scrupulum movebat, qvod Daniæ Rex exemplo reliqvorum fœderatorum conventa die Sveco bellum haut indiceret. Cujus rei causas Grifenfeldius has adducebat: *Regem Daniæ nondum bello implicitum fuisse, sed id nunc ex recens ingrediendum, eoqve magno adparatu opus esse. Fœderatos haut desideraturos, ut is se hostem declaret, antequam hostilia inferre, ac insulas suas protegere possit. Alios fœderatos terrestri duntaxat adparatu indigere; Daniæ securitati terra mariqve prospiciendum; qvæ & ob bella qvondam improspere gesta paratu bellico, machinisqve exhausta fuerit, longa qvoqve pace defes. Ac non minus causæ Regi qvam Electori fuisse, ut non prius bello sese immergeret, qvam hujus opera res cum Hispanis, & Belgis ad liqvidum deducta fuerit. Sed nec Regem consultum ducere inutili strepitu hostem advertere, ut sibi caveat: qvin satius fore bellum ab insigni aliqvo facinore auspicari, & hostem ictu gladii excitare. Et sane talia animo agitari, qvæ ubi successerint fœderatis admodum placitura sint. Expecturi qvoqve septem naves e Norvvegia, militem, & navalem materiam advecturas, ac totidem navibus militem in Holsatiam trajectum, qvæ bello mature indicto a Svecico navarcho Agla, qvi cum numero navium Mare Balticum percurrat, intercipi qveant. Nondum qvoqve promissas a Belgis novem naves bellicas in freto adesse, forte domi mansuras, ubi Danos in bellum jam erupisse auditum fuerit.* Sed & Dani rationes nonnihil turbabat Monasteriensis Præsul Bremensi provinciæ imminens, qvicum nil sibi negotii esse volebat, velut pertinacis, & importuni ingenii viro; qvem à Cæsare isti provinciæ immitti ægre ferebat. Deniqve ante omnia à Gottorpiensi cautum sibi esse cupiebat.

Sveci transitum per in Marchia pro iubitu grassantur.

§. 33. Interim Sveci sedulam operam dederant, ut Electoris ditiones funditus evastarent, per qvas rapax miles omni parte circumtrahebatur. Cum enim ab initio Uckeranæ, & Mediæ Marchiæ sese infundissent, ea comesa trans Oderam in Pomeraniam, & Novam Marchiam se conferebant, ubi pari modo grassabantur, nisi qvod Wrangelius postulante Bakovio Pomerelliæ Palatino Lauenburgicum, Bytoviensem, & Draheimensem districtum, velut à Polonia pendentes, belli oneribus exemisset, confirmans qvoqve in Borussiam nil tentatum iri, ac vicissim stipulatus, ne Poloni Electoralibus copiis è Borussia transitum concedant. Ulterioris Pomeraniæ Ordines cum Svecis super modo tributorum convenerant: id qvod à multis acceptum tanqvam medii status indicium, ac Electori parum probabatur: qvod pactum tamen paulo post secuta rerum mutatione expirabat. Cæterum Sveci edicto provinciales monuerant, ne penatibus suis profugerent, polliciti nil mali ipsis illatum iri; revera ne qvid rerum suarum in munita loca conferrent, qvo una vice omnibus fortunis exui possent. Ac initio isti omnia consumsisse, ac abstulisse fere contenti fuerant: mox indies hostilia intendebantur; ac cum post pessumdatam Novam Marchiam apud Stetinum cis Oderam regrederentur, denuo Uckeranam, & Mediam Marchiam inundantes atrociora subinde exserebant. Exitinere Lœckenitza arx machinis verberata vi expugnabatur; qvod factum Wrangelius Ratisponæ ita excusari jubebat, qvod præfectus petitum transitum abnuisset, cæsis aliqvot militibus, qvi propius subierint. Unde sui defensionis causa vim sibi fuisse repellendam. Velut ipse suo jure alienam ditionem qva placeret transire posset, cum nondum hostis audire vellet. Eo magis autem licentiæ fræna laxabantur, qvod dum Wrangelius è morbo decumbit, exercitus per fratrem ipsius Woldemarum tantisper regeretur, perversissimi hominem ingenii, & qvi è petulantissimis facinoribus voluptatem capiebat. Igitur miles passim, qva pertingere poterat, omnia diripere, pecora occidere, immaturas segetes proterere; ædes sacras diripere, easqve, ut & vasa usibus sacris destinata fœdis dictu modis polluere; tum passim homines contortis circa capita funibus cogere ad promendas, qvas abdiderant, pecunias; aliqvos ad collum usqve in terram defodere, qvosdam pueros per petulantiam globis trajicere. Aliqvot fœminæ mammellis ad parietem clavis affigebantur, nonnemo fune ad scrotum alligato trahebatur. Deniqve ad mortuos rapina porrigebatur, dum Gransoiæ Gorgasii turmæ præfecti uxor ante aliqvot septimanas tumulata capulo excutitur, vestibusqve spoliatur; qvod & in Trottium summum dum viveret vigiliarum præfectum Badingæ sepultum patratum fuit. Atqve ista omnia jubente, aut connivente Woldemaro facta; qvæ tamen Vitrio legato Gallico haut sufficiebant, qvod incendiis abstineretur; cum iste omnia in cineres redigenda subinde ingereret. Sane & ipse Archistrategus Wrangelius ista vehementer detestabatur, cujus literæ ad Woldemarum fratrem Ruppino scriptæ intercipiebantur hoc sensu: *Morbum suum valde auctum* 9. Jun.

1675. *auctum fuisse, qvod ubiqve qva transierit magna cum animi perturbatione, ac dolore perspexerit, qvam enormiter exercitus in itinere grassatus sit; uti provinciales excruciati, ædes sacræ direptæ, omnia ita evastata fuerint, ut qvæ hominum memoria pertingit, & qvamdiu ipse militiam secutus sit, tale quid inter Christianos auditum non sit. Istainhiberi, ac in autores inqviri, ac graviter animadverti jubebat.* 10. Jun. Paris argumenti literæ ab eodem ad subtribunum Molzanum scriptæ in hujus vestimentis, cum loco prælii mox secuti mortuus exspoliaretur, repertæ sunt; *Uti intellexerit, ex qvo tempore exercitus Svecicus in has provincias pervenerit, provinciales ita atrociter habitos; ut miseris omnia sua erepta, templa effracta, ac directa fuerint, multis qvem nil qvod darent fuerit, per cruciatus necatis: qvod cum reliqvi perspexerint, desertis laribus profugisse. Ex qvo agendi modo Christianis indigno cum non possint non justa alioqvin Regis arma vicinis, & præcipue toti nationi Germanicæ exosa reddi maximo cum rerum Svecicarum damno: igitur in patratores talium inqviri jubebat.* Cæterum cum Sveci versus Albim tenderent, Havelandiam ex itinere populari placebat, qvæ fertilissima Mediæ Marchiæ pars est: Electorales, qvi ejus regionis aditus custodiebant, apud Fehrberlinum, & Cremmam ingruentes Svecos, qva Sommerfeldius curabat, aliqvamdiu repellebant. Sed major vis apud Uraniburgum admovebatur; ubi cum submissa à Sommerfeldio eqvitum turma sub diluculum accederet, venatores, qvi ibi servabant, hostem esse rati deserta statione fugam arripiebant. Et qvanqvam præfecti hortarentur, ut post sepes se conferrent, & accedentes certis ictibus exciperent; ii tamen regerebant, venatores se, non milites esse. Sed & interim manus Svecorum viam monstrantibus agrestibus Dossam fluentum vado transgressa à tergo imminebat. Unde qvæ ibi aditum custodiebant cohortes, cum nulla resistendi facultas esset, Spandoam se receperunt. Qvo & Sommerfeldius se contulit, cum alias à tergo facile ad Fehrberlinum, & Cremmam intercipi posset. Havelbergæ subtribunus Nickelius aliqvoties in subeuntes ejaculatus, cum cives obsecrarent, ne parum munito oppido exitii causam daret, cum centum peditibus Werbenam trans Albim abiit. Ita & Sveci totam Havelandiam inundabant. Wrangelius Havelbergam concedebat, qvo navigia Brandeburgo, Ratenavia, aliisqve locis contrahebat, pontem ibi navalem extructurus.

§. 34. Ast Elector, postqvam cum fœderatis Hagæ super necessariis convenisset, propere exercitum è Franconia, ubi egregie per hiberna se refecerat, numerosqve suppleverat, versus Magdeburgum movere jussit; etsi multis anceps videretur eo progredi, cum ab Hanoverano nondum satis cautum esset. Sed qvia fœderatorum unus in alterum respiciebat, ac nemo prius in arma adversus Svecos erumpere volebat, qvam initio per ipsum facto; præsentissimum scilicet ac fidissimum auxilium erat, qvod sibi qvisqve præstabat; ac non desides, & meticulosi, sed strenue rerum suarum satagentes qvam amplissime sibi de divino auxilio polliceri poterant. Igitur & ipse Dei auxilio confisus, cujus paci exorandæ per omnes suas ditiones preces publicas ad diem X. Junii indixerat, maternam sermoni publico præscribens, qvalem mox eventus comprobavit; ad rem strenue suscipiendam sese accinxit. Qvia autem magni momenti futurum erat, si hostibus ex improviso ingruere posset, omissa Cobii conjunctione, qvi moras nectebat, solus rem aggredi constituit. Et qvia Magdeburgum summa cum diligentia maturato itinere delatus cognoverat, hosti de suo tam propinqvo accessu haut constare, eumqve copiis haut undiqve contractis negligentius agere; consilio habito, isto, ac seqventi die omnes urbis portas clausas tenuit, ne de suo instituto hosti innotescere posset. Inde hora nona vespertina omnes eqvites, & dimachas cum decem machinis trilibres globos ejaculantibus pontem Albis transire jussit; qvos mille selecti pedites seqvebantur, centum qvadraginta sex curribus impositi, qvorum qvilibet cymbam qvoqve vehebat. Electorem comitabantur majorum graduum duces Georgius Dœrflingius, Fridericus Landgravius Hasso-Homburgicus, Joachimus Ernestus Gœrtzkius, Ludeca, Gœtzius, & Pœlnicius. Ea nocte & seqventi die qvinqve milliaria absolvebantur. Postera die ob continuas pluvias tardius iter fiebat, ut hora demum octava vespertina Elector cum eqvitatu ad horæ iter Ratenaviæ propinqvaret, peditibus, & machinis post duas horas eodem pervenientibus. Inde protinus sexcenti pedites ducentibus subtribuno Cannio, & Canofscio supra oppidum per silentium cymbis Havelam superabant, ut ab altera parte oppidum invaderent. Primo diluculo totus eqvitatus propius subibat, qvem Dœrflingius cum dimacharum manu præcedens ad exteriorem Havelæ pontem, qvi attractus erat, ruebat, Svecum se simulans, cui Brandenburgica caterva immineret; ac cum

1675. *Elector in Marchiam movet.*

Jeremiæ XX, 11-12.

11. *Jun.*

12. *Jun.*

13. *Jun.*

14. *Jun.*

Ratenavia Sveci opprimuntur. Canne. Canofski.

15. *Jun.*

1675. non sine expostulatione, & minis obtinuisset, ut pons pensilis dimitteretur, mox irrumpens stationem trucidabat. Ad majorem Haveliæ pontem pes figendus erat, qvod & ibi duo pontes pensiles in altum subducti essent, parte qvoqve pontis amota. Ac Sveci jam excitati strenue jaculabantur, occiso subtribuno, Uckermanno ac uno signifero cum aliqvot peditibus. Eo strepitu audito Canofscius ex altera parte ingruens semel licet repulsus minutam portam repetito impetu expugnabat. In diversa parte Gœtzius qvoqve, & Dœnhofius Comes apud molendinum in oppidum irrumpebant. Sveci qvo se verterent nescii, utcunqve ex ædibus tela emittebant: qvi in plateis occurrebant trucidabantur. Inde ad portam aqvaticam nostri penetrabant, ubi centum Sveci consistebant, qvi cum qvantum tempus ferebat restitissent, ad unum cædebantur. Mox & ea porta refringebatur, ac pontes pensiles demittebantur, raptim qvoqve reparato ponte, qva dejectus erat, ut eqvitatui in oppidum accessus pateret. Qvi cædi superfuerant Sveci capiebantur cum tribuno Wangelino, subtribuno, præfecto vigilum, & tribus centurionibus: qvibus sex vexilla accedebant. Wangelinus iste primus cladem inauspicati belli excepit, ad qvod conflandum ipse non parum contulerat, cum reliqvis præfectis Peizam in custodiam abductus. Eadem nocte tribunus Rochius in suburbium Brandenburgi irrumpens tres hostium stationes conciderat, ducentis eqvis abreptis.

La Roche

Elector victoriam persequitur.

§. 35. Cum itaqve intercepta Ratenavia Wrangelius, qvi cum valida manu, ac multis præfectis Havelbergæ agebat, ab exercitu ad Brandenburgum metante intercluſus esset, Elector peditatum Magdeburgo evocabat, ad Ratenaviam qvoad is adveniret moraturus. Sed seqventi mane

16. Jun.

Joannes Christophorus Straussius subtribunus, qvi exploratum missus fuerat, referebat, Svecos desertis ad Brandenburgum stativis Barneviciam versus iter properare. Igitur peditatum haut moratus, ac invitantem fortunam secutus, hostis vestigia cum eqvitatu legere instituit, Ratenaviæ qvingentis peditibus relictis. Cum hinc moveret Elector, Rochius tribunus, qvi post excursionem ad Brandenburgum Havelbergam versus missus fuerat, catervam qvinqvaginta eqvitum profligaverat, captivis qvibusdam adductis. Elector sub vesperam non procul Barnevicia progressus Svecos ex altera parte metantes reperit, in qvos ingruentes tenebræ nil suscipere permittebant. Ea nocte hostis propere Navvenam versus processerat, qvem Elector orta luce seqvebatur, multis in via deprehensis, qvi omnes cædebantur. Passim qvoqve fracti currus, abjecta supellex, & thoraces ferrei conspiciebantur. Adventu nostrorum hostis jam flumen ad Navvenam transierat præter mille eqvites agmen claudentes, qvi impetu pellebantur, multis in oppido, & ad pontem cæsis, reliqvis trepida fuga per pontem sibi consulentibus. Trans flumen hostis dispositis ordinibus, ac machinis constiterat, ut perrumpi non posset. Elector tamen dimachas ad citeriorem ripam in conspectu hostis locum capere jubebat, ubi aliqvot machinæ hinc inde displodebantur. Interim Elector per devia sylvarum, ac paludum subtribunum Henningum Treffenfeldium, Canofscium, & Zabelticium cum centum eqvitibus, triginta dimachis viam monstrantibus venatoribus mittebat, qvi pontes, qva hosti transeundum erat, & præcipue Fehrberlini dejicerent; qvi re magnam partem perfecta regressi in centum qvinqvaginta eqvites Svecicos incidebant: qvos numero licet prævalentes post acrem conflictum in fugam pepulerunt, captivis aliqvot Navvenam attractis.

1675. *17. Jun.*

Zabeltitz

Prælium ad Fehrberlinum 18. Jun.

§. 36. Cum itaqve hostis perspiceret, se citra pugnam trans flumen ad Fehrberlinum evadere non posse, qvod Fridericus Landgravius cum sinistro cornu semper extremo agmini immineret, horæ spatio ab isto oppidulo apud vicum Hackelbergam legiones una cum machinis disponebat, nostrosqve expectabat. Elector ex tempore in campo consilium habebat, qvid facto opus sit; & num consultum videatur, justum exercitum plurimis machinis instructum, ac bene dispositum, cui & à tergo surgens ventus favebat, aggredi solo cum eqvitatu, qvem citatum complures per dies iter admodum delassaverat, ac paucis minoris formæ machinis. Ubi pleriqve ducum id temeritati proximum, ac rationibus bellandi adversum censebant. Contra Elector hostem in angustias redactum, ac duce suo maximæ autoritatis, & experientiæ nunc destitutum è manibus haut amittendum judicabat: ac Dei favorem, qvod numero, & robori deest, facile supplere posse. Igitur statim paucæ machinæ in arenaceo colle disponuntur, adjuncta dimacharum legione. Ipse Elector aliqvot alas è sinistro cornu ad strenue pugnandum animatas in hostem ducebat non

sine

1675. sine maximo periculo, confertim fulminantibus Svecorum machinis; è qvibus emissus globus Emanuelem Frobenium stabuli præfectum retro istum eqvitantem prosternebat. Sub horam octavam matutinam asperrima pugna surgebat, initio per sinistrum cornu facto; qva Svecorum eqvitatus loco pellebatur, nec obnixo pede stare deinceps volebat, sed peditatui semper adhærebat; qvicum eqvitatui nostro durissima conditione manus conserendæ erant inter tuborum longiorum grandines, è qvibus aliqvot alæ non parum detrimenti capiebant. Tum pars peditatus Svecici versus machinas Electorales pedem promovebat. Sed ingruentes custodes corporis, cum legione Anhaltina, & Mœrneriana post acrem, & initio ancipitem pugnam hostes repellebant, simul Svecica legio prætoria sub Dalvvigio summo vigiliarum præfecto octo cohortibus constans concidebatur, Ostrogothica qvoqve legione, & aliis turmis profligatis. Unde exercitus Svecicus propere servatis tamen ordinibus, retro ad vicum, & inde juxta paludem Fehrberlinum cedebat, campo mortuis instrato cum victoria Electori relicto. Hic se recipientibus è latere imminebat, si qva medium in agmen perrumpere posset. Sed hostis, qvi inter conflictum impedimenta præmiserat, arcte stipatis ordinibus incedebat, qvem & ex uno latere palus tegebat, ut nostrorum impetus facile sustineri posset, etsi complures telis eminus emissis subinde caderent; donec sub noctem citato passu Fehrberlinum attingeret. Hostium minimum mille qvingenti in loco conflictus occubuerunt, præter ingentem numerum sauciorum; pauci per fervorem pugnæ capti. Inter cæsos erat Adamus Wachmeisterus legionis Ostrogothicæ tribunus, Molzanus subtribunus, & alii præfecti. Inter Electorales cecidit Mœrnerus tribunus, cum aliis qvibusdam præfectis, & gregariis; sauciati Treffenfeldius, (qvem Elector in ipso campo insignibus Nobilitatis ob rem fortiter gestam mactabat,) Strausius, Sidovius, alii, & centum qvinqvaginta gregarii. Signa octo legionis prætoriæ pedestris, & duo vexilla eqvestria capta. Pleraqve per sinistrum cornu gesta, cum aliqvot dextri cornu alis manum conserere haut contigerit. Qvod si Electori peditatus adfuisset, ut angustiæ occupari potuissent, Svecorum exercitus internecione delendus videbatur. Eam per noctem Elector ante Fehrberlinum consistebat, ubi hostis noctu raptim reparatum pontem transierat. Altera luce Elector animadversa hostium fuga aliqvot turmas oppido immittebat, ubi duæ phalanges peditum adhuc deprehendebantur; sed qvæ mox trans pontem, qvem post se inflammabant, se recipiebant. Repertæ tamen ibi tres selibrium, duæ trilibrium globorum machinæ, multo cum instrumento bellico, ac ducenti impedimentorum currus, & multa millia raptorum à Svecis pecorum. Reparato ponte Elector cum eqvitatu insequebatur, multis in via vehiculis interceptis. Sed Sveci per Ruppinum, & Witstocum ita propere se subduxerant, ut non amplius eos adseqvi daretur. Unde satis tunc habuit Elector fugientibus ad fines usqve Meclenburgicæ institisse, postqvam isti qvatuor millia amplius amisissent, festinato receptu plurimis deserentibus, qvi catervatim Hamburgum se conferebant, auspicatiorem militiam secuturi. Ac necessum erat eqvitatui aliqvot dierum qvietem indulgeri, qvi tanto è Franconia itinere nullum labori diem interposuerat. Interim peditatus, & machinæ adveniebant, qvibus adjunctis longius hostis impellendus erat. Elector postqvam Berolinum excurrisset, ubi immenso omnium cum gaudio exceptus fuit, ac Deo pro tam conspicua ope præstita grates persolvisset, brevi post iterum ad exercitum revertit. 23. Jun.

19. Jun.

§. 37. Memorabilis cumprimis habita fuit ea victoria non tam multitudine cæsorum, qvam ipsa vincendi ratione, & magnitudine effectus inde consecuti. Sane rerum militarium periti mirabantur Electoris providentiam Magdeburgi adhibitam, silentium, & celeritatem circa occupandam Ratenaviam, solertiam hostem divisum retinendi, ac dejectis passim pontibus receptum difficilem reddendi. Tum ipsum consilium invadendi hostem summa cum constantia, animiqve magnitudine susceptum, dum nullo sociorum auxilio cum solo eqvitatu per longum iter fatigato tenditur in exercitum numero prævalentem, viribus integris, probe saginatum, loco commodo una cum machinis in acie consistentem, ac veteranis legionibus compositum, qvi nuper totam Germaniam terrore afflaverat, ac cui clarissimus eo tempore dux imperabat, etsi prælio non interesset, qvi solo nominis sui terrore Electorem ad compositionem adducturus credebatur. Eum insigni clade affectum, terroris, atqve confusionis plenum paucos intra dies toto Electoratu expulsum, ac ita debilitatum, ut toto deinceps bello vix amplius in campo se ostendere auderet. In cujus qvoqve victoriæ partem nemo alius veni-

Hostium animorum super ea victoria.

1675. veniebat. Eadem per Melchiorem Rucqvium ab Electore missum Viennam nuntiata Cæsarem, totamqve aulam summo gaudio perfuderunt, qvi & supplicationes eo nomine indixit, ac honorificis literis Electori gratulatus est, amanter tamen qvestus, Electorem seipsum tanto periculo exposuisse, simul monens rogansqve, ut custodiendæ vitæ, è qva tantum patriæ momentum pendeat, majorem deinceps curam adhibeat. Eadem à Rege Daniæ, Belgis Fœderatis, Ducibus Luneburgicis, aliisqve amicis ingerebantur: qvi & omnes hæsitationem, qvam hactenus circa inferendum Svecis bellum adhibuerant, exuebant; horum contra amicis cristas demittentibus. Ast in Svecia, nuntiata ea clade, apud summos imos magna consternatio, omnibus Wangelinum exsecrantibus, cujus socordia Electori viam ad eam victoriam munierat, & qvia is ad belli incendium excitandum faces supposuisse arguebatur. Ac prudentiores ejus nationis metuebant, ne hac ignominia accepta armorum Svecicorum hactenus parta gloria haut parum obfuscaretur. Saltem nunc omnis spes, qvam sibi plurimi conceperant, veteri simile bellum in Germania excitandi decollabat, satis deinceps habituris summam rerum suarum exitio subduxisse. In Anglia Sveci, ac Galli eam victoriam elevarant. Unde Rex ex Sverino seorsim, cum reliqvi legati abessent, uti res gesta esset, cognoscebat. Is consilium Electoris, & constantiam magnis laudibus ferebat. Confusionem, qvæ in exercitu Svecico fuerit, ortam judicabat partim ex imperitia ducis, partim ex magnitudine prædæ, qva onustus iste grave agmen traxerit. Cumprimis hoc exemplo perspici, qvantum momentum habeat suo exercitui sine exceptione imperitare, nullis sociis, qvi bene cogitata eludere qveant: nec se dubitare, qvin Elector solis suis cum copiis majus sit operæ pretium facturus, qvam si aliis ducibus conjunctus agat, qveis secreta mandata, & peculiares respectus sint. Idem Rex, cum delineationem ejus prælii spectaret, & qvantum Sveci peditatu, machinis, lociqve opportunitate prævaluissent, Ruperto Palatino dicebat: omnes, qvi ex eo prælio evasissent, suspendio dignos esse.

1675. *Luneburgicorum Ducum victoria de Gallis.*

Cæsarei Gallos trans Rhenum pellunt.

§. 38. Sed & Elector hac victoria reliqvis fœderatorum exercitibus facem ad feliciter rem gerendam præviisse visus fuit. Sane paulo post Cæsarei duce Montecuculo Gallos magna cum strage trans Rhenum pepulere cæso Turennio, qvi ea tempestate inter celeberrimos duces habebatur. Tum Duces Luneburgici Georgius Wilhelmus, & Ernestus Augustus fratres insigni prælio ad Saram fluvium Gallos cæciderunt, expugnata post Augusta Trevirorum, & capto Gallici exercitus duce Creqvio, ut tunc facile in Galliam penetrari potuisse videretur, ni scæva consilia tam illustrium victoriarum fructum corrupissent. Ac Luneburgici qvidem, uti per Belgas demum persvasi fuerant ad Mosellam vertere, qvo molem hostium Arausionensi prægravem distraherent; ita caveri sibi voluerant, ne qvid speratæ prædæ in Bremensi provincia decederet. Unde cum Monasteriensis Præsul, qvo plane in partes traheretur, in aliqvam prædæ partem admittendus fuisset, ac idem post justo longius grassaretur; Ducibus omissa Mosella domum vertendum fuit, ne alii tam opportunam Domui ipsorum provinciam præriperent, molestiorem forte viciniam daturi. Angliæ qvoqve Rex mirum sibi videri ferebat, Cæsareos Gallis post Turennii mortem haut majorem cladem intulisse, cum minimum dimidia exercitus Gallici pars pro perdita haberetur. Cæsarei excusabant valida munimenta pouri circumposita, & incommoditatem loci, ubi eqvitatui usus non fuerit. Sed pleriqve arguebant Montecuculum præmature pugnam conseruisse; cum expectare debuerit, qvoad pars Gallorum flumen transiisset, ac in reliqvos impressio tota vi facienda fuerit. Sed id magis mirabantur, qvod cum Creqvius exercitu suo in aciem dispositio celsum montem insedisset, ac Luneburgicos partim natando, partim per pontem tenuato agmine accedere vidisset, tamen tantam sibi cladem inferri passus esset. Sed & omnibus suspectum videbatur, Cæsareos post pulsos Gallos decem per septimanas ad Lauterburgum otiosos consistere, ne minima qvidem re in Gallos suscepta; ac ne Hagenoa qvidem tentata, deditioni parata; inani prætexto, qvod numeroso nimis præsidio ibi opus esset, cum annonam avehere in promtu foret, disjectis oppidi munitionibus. Idem color dicebatur, qvare Tabernæ non impeterentur prona expugnatione; ex qvo tamen loco communicatio cum Brisaco Gallis difficilis reddi poterat. Sed nimirum Cæsarei duces metuebant, ne si ista loca occupassent, sibi toto cum exercitu, aut majore parte trans Rhenum foret hibernandum; cum ipsi opimis Sveviæ, & Franconiæ hospitiis inhiarent, ubi amplior litandæ avaritiæ materia erat. Ac inprimis Montecuculus ob aulicas factiones tamdiu Vi-

enna

1675. enna abesse nolebat. Qvæ res Ordines harum provinciarum valde affligebat, Palatino qvoqve Electore tantum non ad desperationem redacto. Multis qvoqve altioris indaginis videbantur mandata Montecuculo Viennæ data, ut in expeditione nil ancipitem aleam habens tentaret, ac satis haberet ulteriores Galli progressus sistere, ac exercitum in bono statu conservare: qvasi data opera bellum aleretur, ut Ordinum vires enervandi facultas foret. Cæterum Angliæ Regi isti Cæsareorum progressus, si justo vigore eos persequi placuisset, tanti videbantur, ut ad legatum Templium Hagam scriberet; jam potentiam Domus Austriacæ in vicem Galliæ metuendam esse. Ac Carolus Lotharingiæ Dux tam propinqva spe in ditionem suam revertendi, cum Cæsareos in diversa abire cerneret, indignatione animi vita excessit. Princeps, cui maximæ calamitates, qvas perpessus est, nunqvam firmitatem, & alacritatem animi concussisse visæ sunt, qvin eadem æqvanimitate in utraqve fortuna ageret. Malorum origo isti è studio in Domum Austriacam; unde dum bello contra Svecos se miscet, Gallorum offensam incurrit; à qvibus ditione sua expulsus à Gubernatoribus Hispanicis indigne habitus, demum in custodiam datus, post Pyrenæa pace utcunqve restitutus fuit. Sed decennio post intempesta nocte ingruentibus Gallis profugere coactus, reliqvum tempus inter turbas exegit. A subditis, ac militibus suis impense semper amatus fuit ob facilitatem morum, & qvia fastum aliis Principibus usitatum aversabatur; & his qvamdiu qvid ipsi supererat liberaliter dabat; qva stipendia deficiebant, licentia qvævis faciendi supplente.

Svecí hostes Imperii judicantur.

§. 39. Cæterum dissipato jam metu, qvi Cæsareos hactenus attinuerat, avocatoria edicta ea, qva desideratum erat, forma contra Svecos promulgantur. Qvæ cum Bavaro in sua ditione affigenda transmitterentur, is non sine indignatione iisdem apud se locum esse negabat. Nam ita laute subjectos, ac milites à se haberi, ut eorum nemo alteri magis, qvam sibi militare malit. Cæsar qvoqve jam exuta tergiversatione Electori protectionem ita promittebat, ut ea non huic solum, sed & omnibus fœderatis, & assistentibus contra Svecos, & qvoscunqve aggressores, & horum auxiliarios sit præstanda, hisqve persequendis ubiqve locorum insistatur, qvoad Electori plene satisfactum sit. Tum & ministri Svecici Vienna exesse jubebantur. Ratisponæ Ordines hactenus speculati fuerant, qvid fœderati, ac præcipue Danus, facturi essent. 1675. Interim Cæsarei laboraverant, ut qvanqvam super negotio Svecico referre cunctarentur, de majore tamen suffragiorum parte sibi cautum esset. Sed Svecis per Electorem pulsis dubitatio abrumpebatur. Cum sententiæ perrogarentur, Præsules a- 15. Jul. cerrime in Svecos dicebant. Evangelicorum non nisi octo in mandatis habebant contra Svecos calculum ferre; Lauterensis, Simmerensis, Culmbacensis, Cellensis, Guelferbytanus, Osnabrugensis, Anhaltinus, & Nassovius. Reliqvi omnes, & inter hos Saxonicæ & Hassicæ Domus, utut pacto mutuæ successionis Domui Brandenburgicæ innexæ, vel absentes erant, vel mandatis destituebantur: & Gothanus, Altenburgicus, Coburgicus, Isenacensis, Vinariensis, Darmstadiensis, & Hennebergicus tunc plane in Senatum non veniebant, velut nil habentes, qvod pro sententia dicerent. Etsi Saxones post factis decretis adstipulabantur. Durlacensis, etli mandatis non instructus, sat fortiter loqvebatur. Bavaricus, & Hanoveranus negabant oleum incendio addendum, sed mollissima via incedendum. Qvibus Jena reponebat: Svecos illos ipsos esse, qvi non solum sub vocabulo pacis conciliandæ oleum, qvod magno sibi pretio persolvi fecerint, incendio affuderint: sed & ante aliqvot menses novum in Germania ignem accenderint, Cæsaris monitis insuper habitis. Isti tamen majori suffragiorum parti haut aperte contradicebant; nec eorum ratio à reliqvis habebatur. Neoburgicus qvoqve non parum adhuc favoris in Svecos præ se ferebat, parum probans eos hostes judicari. In Electorali Senatu Moguntinus, Trevirensis, Saxo, & Palatinus pro Electore connitebantur, in qvorum sententiam & Colonien sis concedebat, qvod amica remedia, qvæ initio commendaverat, non amplius locum haberent. Bavarus sententiam in Senatu Principum dictam in Electorali repetiit. Directores utriusqve Senatus singulare studium in Electorem ostendebant. Ordinum decretis Svedi non qvidem disertis verbis hostes declarabantur; res tamen ipsa satis insinuabatur, qvod aperta hostilitate grassati arguerentur, qvi violentam, & hostilem aggressionem commiserint, & qvod Electori contra istos, eorumqve auxiliarios Imperii evictio, & tutela præstaretur. Ea SCta hoc decreto Cæsareo firmabantur. *S. Cæsareæ Majestati humillime exhibitum est, qvod Electorum, Principum, ac Statuum Imperii Ratisponæ congregatis Consiliariis, Nuntiis, atqve Legatis*

1675. gatis habita deliberatione super eo, qvod Serenissimus Elector Brandenburgicus ibidem proponi fecit, nec non super literis, qvas Circulus Saxoniæ inferioris dedit, ratione guarantiæ Serenitatis Suæ Electoralis Brandenburgicæ adversus Svecos è re Sacri Imperii 7/17 Julii visum fuit, statuendo justitiæ, ac æqvitati congruum, Serenitati Suæ Electorali adversus hostiles Svecorum invasiones, atqve violentas oppressiones vigore Constitutionum Imperii, Ordinationum Executionis, nec non Instrumenti pacis Westphalicæ suppetias ferendas esse. Prout conclusum, non minus Serenissimo Dn. Electori Brandenburgico, ac aliis contra tenorem pacis Westphalicæ oppressis Statibus guarantiam Imperii tam contra prædictos Svecos, qvam contra qvoscunqve aggressores cum effectu præstandam. Qva fini S.am Cæs.am Mtem una cum submississima gratiarum actione pro exantlatis in gratiam Serenitatis Suæ Electoralis laboribus, & determinato jam auxilio humillime implorandam, ut in eo summe laudabili proposito atqve cura Imperatorio nomine maxime digna perseverare, & non solum adversus coronam Svecicam, ejusdemqve ministros, atqve officiarios, & milites mandata inhibitoria, nec non avocatoria decernere, verum etiam secundum ante dictas Imperii constitutiones, & pacis Westphalicæ tabulas Circulos terris Brandenburgicis vicinos, numprimis superioris atqve inferioris Saxoniæ, nec non Westphaliæ ad subitaneam opem (cum clausula, ut Principes convocantes atqve duces Circulorum adversus morosos, & insistendo militi, nec non præstando eo, qvod ipsis incumbit, tardantes modo in Recessibus Imperii atqve Ordinatione Executionis jam determinato, vel etiam, si res ita postulet, assumto milite Cæsareo, vel Circulari, qvi ibidem in vicinia reperiri est, ad præstandum debitum compellant,) excitare, nec non id, qvod Imperii constitutionibus, Ordinatione Executionis, & Instrumento Pacis Westphalicæ in gratiam aggressorum Imperii Statuum ulterius sancitum, ad effectum perducere dignetur, qvo & Ser.us Dn. Elector Brandenburgicus, & reliqvi injuste offensi Imperii Status ab insultibus sine mora liberari, atqve reparationem damni illati obtinere possent. Qvemadmodum igitur S.a Cæs.a Mti pergratum fuit, Electores, Principes, & Imperii Status retia, qvæ Sveci Germaniæ tendunt, deprehendisse, hostilesqve eorum invasiones in terras Brandenburgicas perpendisse, ac debinc maturo satis consilio de remediis Serenitati Suæ Electorali, aliisqve oppressis Imperii Statibus subveniendi prospexisse: ita iisdem procul dubio ex decreto Commissionis Cæsareo postea ad dictaturam exhibito constare, qvod alte memorata S.a Cæs.a Mtas jamtum mandata avocatoria, & inhibitoria contra Svecos, eorumqve milites ediderit, & ad Circulos Saxoniæ superioris, & inferioris, nec non Westphaliæ auxiliatoria qvæ appellant mandata 19. Junii A.C. miserit, ac insuper avocatoria illa nuper 16. Julii renovari fecerit. Ceterum S.am Cæs.am Mtem qvidvis in gratiam Imperii, & pro salute ejus, ac liberatione tentandi promtam, atqve paratam esse, Eandemqve iterum pro paterno in Imperium affectu secundum Laudi tenorem, & prout ex appositis videri possit, ad prædictos Circulos rescripsisse, & eos ad opem ferendam exhortatam esse, extra dubium ponendo, qvin prælaudati Status id exacte observaturi sint, qvo præallegatum Laudum ad effectum perducatur, Ser.o Electori Brandenburgico, nec non aliis contra tabulas pacis Westphalicæ afflictis Electoribus, ac Principibus, eorumqve fœderatis, & assistentibus guarantia firmiter concluſa adversus Svecos, & qvosvis aggressores, eorumqve socios cum effectu, & sine ulla mora præstetur, vis vi repellatur, Svecique cum prædictis suis assectis ubivis terrarum profligentur, & ad reparandum damnum, qvod vel dederunt, vel imposterum adhuc daturi sunt, adigantur. Insuper S. Cæs.am Mtem sibi omnino persvasum habere, neminem non fore, qvi prædictis adversus Svecos publicatis mandatis non minus qvam iis, qvo anno præterito contra Gallos edicta sunt, non morem gerere, & qvod iisdem cautum est, exseqvi velit. Cujus rei Dn. Commissarius Cæsareus principalis Electorum, Principum, ac Statuum Consiliarios, Nuntios, & Legatos hoc ipso certiores reddere voluit, qvibus pro ratione conditionis, ac status ad qvod vis officiorum genus separatum profitetur. Signatum in residentia Celsissimi Principis, qvæ est Aschstadii in monte Wilibaldi 15. Aug. 1675. Sub finem anni peculiare qvo- 7. Dec.
qve edictum ad Ordines provinciales citerioris Pomeraniæ à Cæsare emittebatur, qvibus isti obsequio coronæ Sveciæ exsolvebantur, & ne eam provinciæ suæ dominam amplius agnoscant, neu fœderatorum armis se opponant, sed lubenter eos admittant, iisdemqve benevolos, ac promtos se exhibeant.

§. 40. Ast non par Cæsareorum promtitudo circa promovenda præmia, qvæ Electori ex hoc bello debebantur. Super his Elector Crocovio injunxerat: *Qvia spes sit per sua tractatus pacis brevi successuros, necessarium esse, ut mature sua emolumenta commendet. Eqvidem se ab initio declarasse, arma citra satisfactionis stipulationem à se arrepta solo amore recuperandæ pacis, ac liberandis in Imperio* — *Elector apud Cæsarem suæ satisfactione agit.* 3. April.

1675. *perio oppressis Ordinibus: qvo in statu si res permansissent, se de ullo præmio cogitaturum haut fuisse. Sed postqvam Svecі abrupta pace ipsius ditiones evastarint, nec à fœderatis uti par sibi subveniatur, eoqve huic negotio exsequendo maximi sumtus sint faciendi, are qvoqve alieno contrahendo: spem esse, Cæsari ultro curæ fore, ut non solum damnum repararetur, sed & sibi facultas nascatur deinceps Cæsari, ac fœderatis, ubi opus sit, utilem operam navandi. Porro se haut dubitare, qvin Cæsar pro Austriaca Domo, pro Germania, pro toto orbe Christiano salutare judicaturus sit eo incumbere, ut Svecі plane Germanico solo dimoveantur. Eo casu sperare, citeriorem Pomeraniam absqve redhibitione alterius cujuspiam provinciæ sibi traditum iri. Si tamen Cæsar mature communem, eamqve tutam pacem promovere possit, se ob isthoc postulatum pacem haut remoraturum. Sine dubio autem Cæsarem æqvum judicaturum, ut his tractatibus ipsi saltem Stetinum, & qvæ antea ad ulteriorem Pomeraniam pertinuerint, nanciscatur, sublata qvoqve communione in Capitulo Caminensi, & participatione vectigalium in portubus ulterioris Pomeraniæ. Ex qvo Recessus Stetinensis ultro expiraturus sit, qvo Svecі se coëgerint, ut post extinctam Electoralem familiam Nova Marchia ipsis additeretur, qvale jus ex Instrumento Pacis vix ac ne vix qvidem demonstrari qveat; qvod tamen Austriacæ Domui haut exiguæ fraudi cedat.* Sed qvia Stetinum accepta damna haut qvidqvam æqvare possit, qvod magis à se affectetur tegendis propriis, & Cæsareis ditionibus, & ne Svecis ita in promtu sit bellum in vicinorum terras effundere; Elector ulterius petebat, ut sibi ad secularem conditionem liceret redigere ditionem Sonnenburgicam post obitum præsentis Magistri, & Commendatorum, salva pensione Magistro Melitensi solvenda. Ut qvoqve integrum sit post mortem eorum, qvi nunc sunt, possessorum ærario suo adplicare Canonicatus Magdeburgi, Halberstadii, Mindæ, & Cammini. Ut qvoqve sibi à Colonienſi, ac Monasterienſi satisfiat, velut incentoribus belli, ex qvo per Clivicam ditionem immensa sibi damna sint conciliata. Et exemplo profuturum, si isti probe multentur, ne alios ita facile libido subeat tam exitiosa patriæ fœdera cum exteris ineundi. Circa Colonienſem proponebatur Reclingshusa; circa Monasterienſem summa pecuniæ. Ipse vicissim fœdus perpetuum cum Cæsare, ac Hispanis, ac cessionem juris in Carnoviam offerebat. Ea super re cum Crocovius per ambages insi-
18. April. nuaret, Hocherus dicebat: *Se non dubitare,* *qvin gratum Cæsari sit futurum, Electorem tota Pomerania potiri: forte tamen non defore, qvi judicaturi sint, ejus potentiam nimia incrementa capturam.* Sed ista Cæsari haut considerari; ac in proclivi fore circa id negotium convenire: super conditionibus tamen in præsens mentem suam declarare non posse. Ac prius cum Dano, Cellensi, ac Belgis rem discutiendam, qvibus & ipsis satisfaciendum sit. Cæterum id negotium maximam habere difficultatem videbatur, qvod Gallus, ubi Svecos de amittenda Pomerania, & Brema periclitari perspexerit, potius Belgis, & Hispanis æqvas conditiones concessurus sit properandæ paci, qvam ut Svecos Germania exturbari pateretur; qvod facilius futurum sit, deinceps unam, & alteram urbem Belgis eripere, qvam Svecos semel Germania pulsos restituere. Eo casu valde dubium fore, num Cæsar, Hispanus, ipsiqve Belgæ bellum ideo continuaturi sint, ut Electori tanta potentia adcrescat, qvæ istis ipsis suspecta futura sit. Sane Cæsarei id negotium extrahebant, suasqve rationes eidem innectere cupiebant, & ipsi in partem prædæ venturi. Ac differebat legatus Hispanicus: æqvum esse omnes fœderatos de bello adqvirendis participare pro ratione militum, & pecuniæ, qvam bello impenderint. Hispanos qvidem facile ferre posse Svecos Germania ejici, ac totam Pomeraniam Electori adcrescere, ea tamen lege, ut Elector non prius arma deponat, qvam Hispanis à Gallo satisfactum sit. Qvi presse qvidem redintegrationi pacis Pyrenææ haut inhæreant, sed tantum qvinqve aut sex loca restitui cupiant, Belgio Hispanico ita firmando, ut sua vi subsistere, simul Hollandiæ, ac Germaniæ propugnaculi vicem præstare qveat, ne debilitas aviditatem Galli irritet. Ac institutum hoc eo minus invidiæ habere, qvod in eo communis utilitas vertatur. Post longas moras Crocovio scriptum responsum tradebatur hoc 18. Jul.
sensu: *Cæsari, ac toti orbi notum esse, qvalem sese Elector hactenus erga ipsum, Romanum Imperium, & communem causam gesserit. Unde istum à Svecis illata huic damna serio ad animum revocare, eidemqve omnem opem pro viribus præstiturum. Sed satisfactionem ad futuros pacis tractatus spectare, ac præcipue à consensu universorum fœderatorum pendere. Unde etsi Cæsar ex animo optet Electori plene satisfieri; tamen qvia fœderibus, qvæ sibi cum sociis intercedant, expressis verbis cautum sit, ut nemo insciis, & non consentientibus universis fœderatis aliqvid magni momenti seorsim suscipiat, ac perficiat, incon-*

1675 *sultis reliqvis circa proposita à se nil statui posse: sed necessum fore, ut Elector ipse super eare cum fœderatis agat. Qvod si Cæsari de fœderatorum sententia constiterit, cum omni studio commodis Electoris velificaturum, qvantum communis causa, ac præsens rerum facies concessura sit. Qvod Reclingshusam attinet, fœdere inter Cæsarem, & Electorem anno 1672 inito cautum, ut omnia circa religionem, & Ordines Ecclesiasticos in præsenti statu relinqvantur; nec Cæsari per pacem Westphalicam integrum esse circa bona sacra qvid disponere, eaqve alienare, aut Canonicatus ad secularium bonorum conditionem redigere: ac Catholicos id aegerrime laturos, qvi Ratispona ad sortia decreta in Svecos majorem suffragiorum partem confecerint. Sed si Cæsar salvis fœderibus, & Catholica religione, ac Imperii legibus fundamentalibus Electori gratificari qveat, id lubentissime facturum. Penes hunc esse, qvomodo negotium hoc ad fœderatos referre, & cum iis convenire velit. Cæsarem omnia facturum, qvæ ad incrementum Domus Elector. alis spectent; ac sperare, Electorem vicissim de studio in bonum publicum nihil remissurum.* Id responsum Crocovio haut satisfaciebat, velut nimis laxum. Jam ante Electorem nosse, cum fœderatis conveniendum esse. Unde horum supremum, & in qvo plurimum fiduciæ collocarit, adiisse; qvem sperarit mentem liqvidius expositurum fuisse, & qva ratione negotium sociis proponendum sit; id qvod citra fraudem reliqvorum fœderatorum fieri potuerit; cujus & placitum hi facile secuturi sint. Qvod Catholici Ratisponæ Electori faverint, non sine causa factum. Nam ni Elector Svecos pepulisset, eos sensuros fuisse, qvid Sveci animo agitarint. Dedisse id specimen Electorem, ob sacra neminem se odisse, sed unice conservationem pacis in Imperio spectare; negotium religionis aliis rationibus haut implicare. Porro iniqvissimum esse, si Eccleſiasticus qvispiam secularem lædat, & huic integrum non sit damni reparationem exigere ob sanctimoniam, qvam ejus ordinis homines sibi arrogant. Hocherus demum ad Cæsarem se relaturum promittebat, addito; Daniæ Regem, Cellensem Ducem, & Monasteriensem itidem super dividendis inter se bello adqvirendis agitare. Sed si qvid solide decernendum sit, primarios qvoqve fœderatos, Cæsarem, Hispanum, ac Belgas adhibendos: Crocovio excipiente; etiam Electorem è primariis fœderatis esse, ac ei ut à Svecis satisfiat præcipue deberi. Ex eo frigore satis adparebat, Viennæ circa eam rem parum profici posse; sed aliorum favore heic nitendum. Legatus Hispanicus dis- 1675
serebat; si Elector tota Pomerania potiri debeat, Cæsarem postulaturum, ut sibi Crosnensis Ducatus cedatur. Alii laxioribus verbis jactabant; Cæsari per compensationem, aut alia ratione partem de præda tradendam. Pleriqve Hagam id negotium rejiciendum censebant. Ast Electori neqve Hagæ id tractari placebat, loco secreti haut capace: ac indignum videbatur, cum ipse vitam, & omnia pro communi causa exposuisset, avitarum qvid ditionum sibi amittendum esse. Igitur Crocovius, cum Cæsarei contenderent, Cæsari velut primario fœderato utiqve partem de præda deberi, ostendebat; à Gallo in Alsatia eam qværendam. Et cum ne hoc qvidem adqviescerent, interrogabat; qvidnam igitur sibi vellent, Stetinum, Stralsundam, an Bremam? Isti horum nihil Cæsari usui esse ferebant, sed aliqvid habendum per compensationem, qvod reliqvis ditionibus hæreditariis opportunum situ sit. De eo tamen liqvido animi sensa declarare præmaturum esse. Ac satis patebat, Cæsareos omnia heic integra sibi servare, nec eo nomine adhuc aliqvid obligationis contrahere velle. Nam neqve totam Pomeraniam Electori accedere optabant, si maxime Sveci ea pulsi forent; nec tamen placebat Electorem præmature protelare. Nec alio modo cum Dano agebatur. Scilicet promtissimum erat Cæsari fœderatos pro lubitu versare, qvod uno vel altero in suam sententiam pertracto tertius velut minus necessarius facile negligeretur. Ac tunc Luneburgicis qvam maxime blandiebantur, qvos post subactam Bremensem provinciam Gallis iterum immittere cupiebant. De Electore autem sibi persvaserant, eum tanta cupidine Pomeraniam nanciscendi teneri, ut nullum ab eo periculum sit, velut ad peculiares tractatus descensuro; nec opus esse, ut aliorum ostentatione commodorum in partibus retineatur. Eam ob causam Elector istud negotium deinceps molli brachio agere, ac tantum idoneis locis obiter qveri; se talia haut meritum, nec eadem expectasse.

§. 41. Nec minus Cæsar dubitabat declarare, num Sveci Germania plane expellendi forent; sed semper eam rem sibi integram servare volebat; ac forte id agitabatur, ut post Gallos in ordinem redactos ipse in Svecos exsecutionem susciperet, præda inde pro suo lubitu assignanda. Sed & Daniæ Rex apud Cæsarem explorabat; an non rationes Austriacæ ferant, Svecos Germania *Num Sveci Germania expellendi?*

1675. nia eliminari, eorumqve provincias sibi, Electori, ac Luneburgicis adcrescere? Ad qvæ Hocherus laxioribus verbis; Cæsari curæ fore, ut circa satisfactionem, & dividendam prædam inter fœderatos certi qvid decernatur, ac dissidii materia tollatur. Ulterius instanti respondebatur: id commodissime Hagæ, ubi omnium fœderatorum legati præsto sint, expediri posse; & eo nomine jam ad Camprichtum mandata fuisse missa. Qvæ declaratio ideo suspecta erat, qvod res ad eos rejiceretur, qvi magna pacis cupidine flagrabant, eoqve huic instituti minime omnium fauturi erant: ac videbatur Cæsar difficultates, qvas Belgæ moturi erant, in prætextum arrepturus negotio sufflaminando. Angliæ qvoqve Rex Petro Ronqvillio legato Hispanico confirmarat; Si Cæsar Svecos non ultra premat, sed operam dare velit, ut his difficultatibus eripiantur, se sponsorem fore, istos contra Austriacos nil facturos, nec horum destinatis obstituros. Cæterum cum talia ab Electore Viennæ qværi facile Sveci conjicere possent, Esaiam Pufendorfium apud Saxonem agere jusserant, ut is aulæ Cæsareæ diversa ingereret, ac rem ad pacem deduceret. Unde ab hoc Nicolaus Gerstorfius Viennam mittebatur, qvi multa de pace cum Svecis ineunda differebat. De cujus propositione Hocherus dicebat: Saxonem Electori sperata incrementa invidere; nec concedere velle, ut Sveci ex Imperio ejiciantur, ac omnem lapidem iis servandis movere. Sed tunc Viennæ modica Saxonis ratio habebatur, nec ad ista qvid responsum. Nec minus qvod à Saxone offerebatur fœdus Cæsar declinabat, qvod jam ante Viennæ fœderatorum multitudine distracti essent, qvorum rationes parum invicem conspirabant. Nec Dresda vegeti qvid consilii expectandum; ac satis habebatur Hanoveranum adversæ parti detractum. Ast contra propositа à Saxone Elector Gerstorfio per Crocovium demonstrari jubebat: *Peculiares tractatus non nisi ad divellendos fœderatos spectare, & ad Germaniam majori periculo implicandam. Eqvidem qvia à Svecis bellum apud Saxones non geratur, ab his mala per Brandenburgicas ditiones data velut aliena langvide respici. Esse Instrumentum Pacis probe digestum, leges Imperii salutares, SCta Ratisponæ fortia: sed qvid ista omnia sibi, & aliis oppressis ante & in præsens solidi auxilii attulisse? Cum Carolus Gustavus bello in Poloniam suscepto per terras Imperii exercitum hinc inde duceret, ac ipsius provincias, Meclenburgicam, & Holsatiam pessime haberet, qvid opis se ab utroqve Circulo Saxonico, qvid ab universo Imperio obtinuisse? Qvanta* 1675.
contentione enitendum fuisse, ut litera ab Imperio ad eum Regem extundi possent, nullum effectum habitura? Nunc cum tam egregia SCta contra Imperii hostes facta sint, num ab ullo Ordinum vel unicum militem sibi auxilio submissum? Imo num Saxonem vel tanqvam præfectum Circuli, in qvo provincia à Svecis infestatæ sunt sitæ, vel tanqvam collegam vi Unionis Electoralis in ipsius gratiam vel unum eqvum instravisse? Sane in Consilio Saxonico ornate, ac copiose super legibus Imperii declamari posse. Sed si ipsi imminentes finibus suis Svecos haberent, aut eos terris suis incumbentes sentirent, experimentum capturos, qvem respectus legum ad suppetias ferendas permoturus sit. Non potuisse Saxoni memoria excidisse, qvantum malorum cum universa Germania, tum ipsius provincia à Svecis perpessa sint. Et tamen eundem autores tantarum calamitatum in Imperio conservare, eorumqve causam agere haut dubitare, ut ipse posteriqve inter perpetuos metus Svecorum insultibus obnoxii agant. Nullam stabilem in Germania pacem sperandam, qvamdiu Svecis facultas maneat vicinos suos, qvotiescunqve libido, aut qvæ sibi comminiscuntur prætexta suadent, opprimendi. Unde nullum præsentius remedium esse, qvam ut Saxo secum, aliisqve vires socient, ac ad patriam periculo, qvod alias æternum à Svecis immineat, semel penitus liberandam incumbant. Saxoni notum esse, uti ipse una cum Electore Brandenburgico in Imperio pro Augustanæ Confessionis consortibus non minore studio, qvam pro Reformatis certaverit; ac si in posterum sinceram fiduciam in ipso reponere velint, missa æmulatione è dogmatum non capitali dissensu orta, nec rationibus status fulta, dubium non esse, qvin res Protestantium in Germania propria vi absqve extraneorum auxilio stare qveant. Sed Hochero Crocovius dicere jubebatur; uti è Gerstorfii propositione invidia Saxonum in Electorem emicuerit, qva & Domus Austriaca laboret, ob florentes opes favore Numinis in eam congestas. Qvæ ipsa duabus hisce Domibus svadere debeat, ut eo sinceriore fide mutuo se fulcire laborent. Cæterum cum animadversum esset, Cæsareos qvidem optare Svecos Germania eliminari, ut tamen parum gratum esset eorum provincias Dano, Electori, & Luneburgicis adcrescere; nil aliud restabat, qvam tres hosce inter se convenire, ac Svecis provincias Teutonicas eripere; id qvod postulatis ipsorum maximum pondus additurum sit; promisso qvoqve Cæsari facto, se tamdiu bellum gesturos, qvoad Cæsar Alsatiam recuperaverit. Sane Fagelius ju-

1675. dicabat, esse è re Electoris, ut citra prævium pactum Svecis qvantum possit eripere nitatur; ac confirmabat, Belgas operam navaturos, ut Elector illa retineat, qvæ ex istis delideret; ac hisce gratum fore, Electorem citeriore Pomerania potiri. Contra Beuningius Londini jactabat; eundem satis habiturum, si recipiat, qvæ jam à Svecis erepta ipsis sint. De qva viri in se malignitate Elector apud Belgas qverebatur.

§. 42. Cum igitur primum omnium esset, qvæ ab hostibus delideres in potestatem redigere, qvod semel occupata facilius retineantur, omnis opera adhibebatur, ut Daniæ Rex ad arma in Svecos stringenda permoveretur, velut qvi ex omnibus fœderatis maximum huic momentum adferre posset. Huic Elector victoriam ad Fehrberlinum per tribunum Detlevum Brocdorfium nuntiabat; ob qvam Dani immensam lætitiam ostendebant, haut amplius dissimulantes, utiqve in bellum adversus Sveciam sibi erumpendum. Haut eo minus Regi consultius videbatur dilata tantisper clarigatione, cum jam Svecos clades ab Electore illata omnes curas ad sua tuenda vertere subegisset, Gottorpiensem Ducem in ordinem redigere. Eum ad se Rensburgum amica spe invitatum Rex cum omnibus consiliariis in custodiam dabat: inde proponebat, qvo sibi longius progressuro tergum tutum sit, ut Gottorpiensem arcem, castellum Stapelholmense, ac Tœnningam tradat; qvicqvid esset militum sibi transscribat, Danicis copiis hospitia, & alimenta præbeat; id qvod & Cæsar jusserit: deniqve concedat ut Rex Oldenburgi, & Delmenhorsti defensioni prospiciat, aut pactum antea Hafniæ conclusum adprobet, acceptis pro actione sua in eos Comitatus centum qvinqvaginta uncialium millibus. Tum protinus copiæ Gottorpium, ac Tœnningam versus mittuntur. Dux initio ista respuere. Sed cum intra casses se teneri consideraret, aliqvot præfecturas in Holsatia pro duobus Comitatibus offerebat. Id qvod Christophorus Brandius valde dissvadebat; qvod isti tam opportuni sint futuri Regi ditionem Bremensem affectanti. Tum periculosum esse Saxoniæ inferiori & Westphaliæ, si Gottorpiensis Oldenburgum, Sveci Carlsburgum tenuerint, ostium Visurgis in potestate habituri. Qvin Belgis idem suspectum esse, ne forte Sveci ad Frisiam Orientalem pedem promoveant. Ac longius penetrantia Ducem meditari id indicio esse, qvod præfecturas Gottorpio vicinas offerat pro Comitatibus longe dissitis, qveis tutandis etiam militari præsidio opus sit. Idem qvoqve ingerebat, ne Rex nimia erga Ducem lenitate fœderatorum suspiciones augeat, qvi alias tollusionis qvid inter Regem, & Ducem esse facile credituri sint. Circa Tœnningam Dux qvam maxime abnuebat, qvæ qvatuor millium præsidio insidebatur; ac si Dux animum ad constantiam obfirmasset, aut præfectus jusso Ducis velut non sui juris parere detrectasset, non exiguo labore ad eam expugnandam opus futurum erat. Sed postqvam Kielmannus omni arte, ac immensis promissis Grifenfeldium frustra tentasset, ac Rex postulatis immotus insisteret, Dux demum, cum delegatis Regiis qvos oderat tractare aversatus, literis manu propria scriptis omnia in Regis placitum conferebat. Et qvia metuebatur, ne Joannulus Walterus exemplo Widerholtii qvondam Hohentvvilæ præfecti scriptum à Duce mandatum rejiceret, tres à Duce delegati, qvos inter & junior Kielmannus erat, mittebantur ad munitionem tradendam. Walterus cum initio paululum tergiversatus esset, mox oppidum per fœdam ignaviam tradebat; in qva inusitata armorum, adparatusqve bellici vis reperta, ac nonaginta amplius machinæ æneæ, manifesto indicio, à Duce altiora fuisse agitata. Omnes qvoqve Ducis milites sacramento Regis adacti. Dux qvoqve supremo imperio in Slesvicensem ditionem, & omnibus per pacem Roschildensem partis renuntiavit, redhibito diplomate, qvod antea eo nomine à Friderico III. acceperat. Nec minus participatione tributorum bellicorum Regi cedebatur, concessis insuper hospitiis. Postqvam nuntius de tradita Tœnninga Rensburgum allatus esset, Rex fratre Georgio, & Grifenfeldio comitantibus repente nulla prævia denuntiatione ad Ducem ingressus omnia humanitatis incitamenta ei exhibebat. Dux inde ex eo conclavi, qvo hactenus custoditus fuerat, in Regium deductus, tanto rubore perfusus observabatur, ac si balneo egressus esset, vel ob tacitos iræ motus, vel pudore; ac cum eodem, ejusqve ministris ita blande post agebatur, ac si nil ingrati ipsis accidisset. Statim qvoqve frater Ducis Episcopus Eutinensis Gottorpio, ubi hactenus laxiore custodia detentus fuerat, Rensburgum arcessebatur; per qvem Dani cupiebant Kielmannum Duci suspectum reddere, ac omnem dissidii culpam Regem inter, ac Ducem in istum devolvere. Svadebat Grifenfeldius, ut Gottorpium sine præsidio relinqveretur minuendæ invidiæ: sed militares viri repugnabant.

Dania in bellum stimulatur.

Gottorpiensis Dux capitur.

30. Jun.

Häntgen Walter.

4. Jul.

His

1675. His peractis Rex Brandiis fratribus ad se evocatis dicebat: Se sperare, Electorem hoc specimen abruptæ cum Sveco pacis longe efficacius habiturum, qvam si à verbis, & clarigatione initium factum esset. Sane intra octiduum majus se operæ pretium feciſſe, qvam per arma totius æstatis expeditione obtineri poterat. Nunc tergum sibi tutum esse, ac arma vertere se jam posse, qvo placeat; tum & Comitatuum possessionem sibi firmatam. Simul rogabat, ut Elector isthoc factum aliis adprobare studeat. Sane Gottorpiensem periculosa in Daniam consilia cum Carolo Gustavo miscuisse; & qvanqvam post filiam Regiam huic Duci in connubium datam spes fuerit colluſiones cum Svecis cessaturas; eum tamen Holmiam profectum noxia pacta iniviſſe, per qvæ se obstrinxerit ad aliqvot militum millia in usum Sveciæ sustentanda, ac si opus sit Svecicum præsidium intra Tœnningam recipiendum. Unde duplo præsidio id oppidum firmasse; magnum provincialium numerum armis instrui, & exerceri curasse; Benedicto Alefeldio legionem eqvestrem conscribendam commisisse; ex insulis Pomeranicis manum Svecicorum peditum evocasse, ni Danicæ naves impediissent. Kielmannum qvoqve Hamburgi cum Verjo, & Bidalio Gallicis ministris super pecunia subsidiaria egisse. Qvanqvam autem ipse dudum perspexerit, qvo ista tenderent, se tamen amice cum eo transigere voluisse, cum Kielmannus Ducem in id proclivem affirmasset. Sed è propositis perspexisse, à Duce tempus tantum extrahi, qvoad ipse bello cum Svecis implicitus sit: tunc impressionem in Jutiam facturum, id qvod Svecis promiserit. Igitur se occasione usum brevi manu controversiam decidisse. Electori gratum erat, Regem istam spinam pedi extraxisse, ac Svecorum rationes hoc ipso admodum turbasse. Ac ipse interceperat literas à Rege Sveciæ ad Wrangelium scriptas, qvibus hunc Ducis securitati prospicere jubebat, velut cujus rationes non minus qvam propriæ sibi cordi sint. Cum qvoqve fœderati Hagæ qvererentur, à Dano indictionem belli conventa die haut factam; Rex excusabat: capto Duce pacem cum Sveco satis abruptam, ac se nunc tuto, & omni vi bellum terra, mariqve gerere posse, postqvam iste tergo non amplius immineat. Elector qvoqve Regi Angliæ super eo facto demonstrari jubebat: uti Sveci ob violatam in ipso pacem non minus qvam Galli hostes Imperii judicati sint. Cum autem Daniæ Regis velut fœderati, ac Germanicæ Reip. participis auxilium exciretur, atqve is arma parare inciperet, Gottorpiensem instinctu Gallorum, & Svecorum Dani generosa destinata variis modis sufflaminare conatum, ac plane istorum se rationibus innexuisse, præter infensum animum, qvem ea Domus semper in Daniam gesserit; simul nuper in Svecia consilia Imperio, & Daniæ noxia cudisse. Præcipuos ejus ministros stipendio Gallico, & Svecico illigatos eo rem redegisse, ut Dux offensivum fœdus cum Sveco in fraudem Germaniæ, ac Daniæ concluserit. Ac si Daniæ Rex Holsatiæ Ordines qvid tributorum ad arma ab Imperio decreta, poscceret, Ducem id semper impediisse; qvoad ipse Cæsar eos Ordines ad præstanda debita hortaretur. Igitur per rationes belli, & status eum Ducem in potestate fuisse habendum. In aula Cæsarea modus agendi à Rege Daniæ adhibitus inusitatus, ac nimis violentus censebatur. Ipsum factum tamen bono publico cedere; ac gratum erat negotium tam brevi fuisse expeditum. 1675.

§. 45. Qvanqvam autem Danus hoc facto Svecos gravissime læsisset; haut eo minus Viennæ is suspectus erat, velut secreta cum Gallis, & Svecis commercia aleret, & declinato cum his bello rationibus suis peculiari transactione consultum iret. Qvas suspiciones Crocovius refutatum ibat: Manifestam Daniæ utilitatem svadere, ne tam præclara occasio incassum amittatur. Daniæ securitati per peculiares cum Sveco tractatus haut consuli, ac ejusmodi subtilia commenta nil soliditatis habere. Ac ubi fœderati talia agi senserint, Dani consilia plane confundenda. Deniqve tantos terra mariqve adparatus haut frustra fieri. Per qvæ Cæsari dubitatio haut eximebatur, qvod causam dispicere non posset, qvare iste Rex circa indicendum bellum moras necteret fœderatis tam suspectas, cum nil amplius à Svecis periculi ipsi foret. Nec Belgæ minus eam cunctationem ægre ferebant, & qvod Danicus legatus adhuc Parisiis ageret, ac cum Brahæo negotiatio adhuc continuaretur. Nam qvæ cum Gottorpiensi acta sint, privatam causam esse. Ac frustra reponi, ne ab Electore qvidem bellum Svecis indictum. Nam hunc ab ipsis Svecis bello petitum, ac prælio jam cum iis certaviſſe. Ac declarabant Hispani, & Belgæ, se ne teruncium subsidiorum soluturos, qvoad palam bellum sumeret. Etsi Fagelius de hoc fere desperaret, ni is ab Electore permoveretur. Qvin & cursor Vienna mittebatur, non sine minis denuntians, ni Rex in bellum erumpat, pacem cum Svecis in-

Danus adhuc moras nectit.

14. Jul.

cun-

1675. eundam fore; nec prius exsecutionem in causa Oldenburgica ipsi delatum iri. Tanto cunctius Elector Regem ad exuendam cunctationem stimulabat, qvi cum exercitu in Meclenburgica confederat intercipiendæ communicationi inter Pomeraniam, & Wismariam, non sine summo dolore commodissimum rem gerendi tempus per otium elabi adspiciens, alacri milite eas moras detestante, per qvas Svecis sese recolligendi spatium dabatur. Ac alias idem ægrescebat ob neglectim ab Hispanis, & Belgis soluta subsidia, & qvod amici Principis provin ia interim comedenda esset. Qvæ inopia pecuniæ apud Belgas inde proveniebat, qvod valida classis in Siciliam Messanæ recuperandæ tunc mitteretur. Præcipue autem urgebat Elector, ut classis Danica in mare procederet, ne è Svecia Pomeraniæ, & Wismariæ auxilia submitti possent. Eqvidem a Dano moræ culpa in naves è Belgio sibi auxilio destinatas conjiciebatur, qvæ circa Hitiandiam excipiendis ex India Orientali venturis navibus vagabantur. Revera tamen cunctationis causa erat, qvod non pauci bello Svecico magnopere reniterentur; & qvod nondum expeditum esset, qvodnam præmium hoc bello potissimum esset affectandum, & in qvam partem arma vertenda. Ac fama erat, post subactum Gottorpiensem Hamburgum peti. Id qvod Elector valde dissvadebat, Rege confirmante, se in eam urbem nil tentaturum, etsi militares viros, qveis omnia prædæ magnitudine metiri solenne est, ejus rei tentandæ cupido agitaret. Sed apud Cæsarem spes erat vectigal ad Glucstadium ad pacem usqve extorqveri posse, singulis uncialibus è centenis duntaxat exigendis; sed qvi verebatur, ne id per pacem qvoqve continuaretur. Ac Elector id petitum molliter dissvadebat: ea re Belgas graviter qvesturos; ac Albis accolas jamdudum de imminuendis vectigalibus deliberasse, qvod hisce glisccntibus commercia indies attenuentur. Cui & Luneburgici acriter contradicebant. Præcipue autem Rex in partem Bremensis provinciæ oculos conjecerat, Oldenburgicæ opportunam; qvæ res tamen magnis difficultatibus implicita erat ob æmulationem Domus Luneburgicæ, & qvia ut Monasteriensis in bellum pertraheretur, pars qvoqve prædæ ostentanda ei fuerat, ac præcipue Wilzhusa, qvam Danus Oldenburgicæ adjici cupiebat: ac qvo plures ad Bremam concurrerent, eo minores fore portiones adparebat. Unde ministri Danici Hagæ nostris proponebant; non inutile fore, Electorem cum Rege suo super partibus Pomeraniæ convenire; ad qvam occupandam cum is plurimum collaturus sit, non iniqvum esse, ut re succedente & ipse portionem nanciscatur, nempe Rugiam insulam, qvæ olim ad Daniam spectaverit, & Wismariam, è cujus portu Daniæ tantum mali illatum sit. Ea propositio etsi nostris valde inopina videretur, id tamen dissimulabant, qvoad de Electoris mente percepissent; præsertim cum ipse Grifenfeldius proposuisset, ut Elector Wismariam sibi adqvireret, qvam & hic primo loco invadere cupiebat, qvod Pomeraniam tentare arduum videretur validis Svecorum copiis intellam; ac si forte ob Belgarum impatientiam cita pax proveniret, eam pro Stetino cum Svecis permutare statuerat. Unde magna circumspectione opus erat cum Dano circa satisfactionem agentibus. Et expendendum erat, an non satius foret Wismariam Svecis ereptam Ducibus Meclenburgicis restitui; qvod & Cæsar censebat. Ac sine dubio gliscebat in Electorem invidia, si Pomeraniæ etiam Wismaria accederet. Circa Rugiam proponebatur, ut Elector eam insulam Grifenfeldio in feudum offerret, si Dani opera citerior Pomerania recuperaretur; qvod Regem vicinum habere anceps foret. Cæterum qvia Danus ab initio Electori Wismariam ostentarat, hic istum hortabatur, ut castellum portui imperans, cui a *balena* vocabulum, mari invaderet, ipse interim è continenti oppidum impugnaturus, octingentis duntaxat præsidiariis infessum, & modico provisu. Ac jam se cum exercitu paucis abhinc milliaribus consistere. Ast Arensdorfii fratres Meclenburgica oriundi Regi persvaserant, ut is Wismariam affectaret. Unde Danus Electori dissvadere instituebat, ne id oppidum oppugnatum iret, validis operibus munitum, & ad qvod egregius peditatus atterendus sit; qvo fine ad Electorem Gustavus Adolfus Baudisius mittebatur. Nam operam ibi ludi, nisi portu clauso; ad qvod integra classe opus sit. Nec vero Belgicas adhuc naves adesse; nec divisam classem Svecis parem fore. Qvia tamen Dani non aperte profitebantur se Wismariam sibi velle, Brandius, velut eorum sensa non intelligens, extra dubium ponebat, eam utiqve Electori habendam, tanqvam magni momenti ob situs commoditatem, & commercia ac Electorali Domui valde utilem, si stirpem Meclenburgicam deficere contingat. Ac dubium adhuc erat, annon satius foret, prout res se darent, cum locum penes Svecos, qvam Danos esse; præsertim cum Danus, si res hoc bello ex voto

Walfisch.

17. Jul. Baudis.

6. Jul.

suc-

1675. succederent, multo formidabilior, qvam Sveci, futurus videretur. Aſt Elector Brandio injungebat, ſi ea de re ſermo injiceretur, tantum diceret; ſi modo oppidum in poteſtatem redactum fuerit, ſibi facile cum Rege conventurum; nec ægre idem Regi conceſſurum, ſi hic viciſſim conniti velit, ut ipſe Stetino potiatur. Sed Dani directe ſenſa animi circa Wiſmariam pandere nolebant. Nam aperte operam ſuam ad hanc oppugnandam Electori negare nolebant; ſed obliqve id inſtitutum diſſvadebant, qvaſi metuerent, ne attrito Electoris exercitu ipſi ingruentibus poſt refectas vires Svecis pares haut forent. Ac alias in conſilio Danico diſſidium erat, ducibus bellicis à Grifenfeldio in diverſa abeuntibus. Nam etſi Elector ſvadebat, ut Danus Bremenſem ditionem invaderet, in qva à ſolo Monaſterienſi rem geri haut conſultum erat; Danici tamen duces abnuebant, ac inprimis Adamus Weierus, avaritia, & pervicacia inflexibilis, qvi per Meclenburgicam uberiorem ſibi corradendæ pecuniæ materiam fore rebatur. Cum contra Grifenfeldius ſvaderet, ut Rex decem millia militum trans Albim Bremenſi provinciæ immitteret; cum totidem millibus in Holſatia conſiſteret. Cujus conſilii ratio erat, qvod eo modo Rex Glucſtadii, aut Rensburgi agere poterat, à qvo diſcedere nolebat, & tamen in expeditione verſari ob corpus laborum impatiens abhorrebat.

Weier.

Elector miſſo legato Danum urget. 18. Jul.

§. 44. Inter iſtas dubitationes cum æſtas laberetur, ac Electori ſumma cum moleſtia intra Meclenburgicam eſſet conſiſtendum, cui provinciæ parcere maluiſſet, urgendo Dano Thomam Kneſebecium mittebat, ſuper operationibus belli ulterius communicaturum. Nam poſtqvam Dano haut placuerat à ſe Wiſmariam invadi, velut ad qvam fructum victoriæ fruſtra conſumturus ſit, ſibi qvoqve viſum Pomeraniam aggredi, modo à Danica, ac Belgica claſſe Rugia, Uſedomum, & Wollinum oppugnetur, dum ipſe per anguſtias adituum in Pomeraniam penetrat. Nam ſuas copias paratas ſtare, Cæſareas propediem adfore. Solam Danicam claſſem deeſſe, cujus acceſſum legatus urgere jubebatur; tum ut executioni dentur, qvæ cum Baudiſio ſuper invadenda Bremenſi provincia convenerant. Qvod ſi adhuc moras necti animadvertat, demonſtraret, dudum veniſſe Belgicam claſſem, rei gerendæ cupidam, adqvam ſemper Rex provocarit. Optimum tempus fruſtra elabi, Svecosqve ex conſternatione ſe recolligere, ac meſſe potituros. Fœderatos magna inde ſuſpicione perſtringi, præſertim Brahæo iterum Hafniam regreſſo; ac metum eſſe, ne Belgæ ſeorſim pacem ineant, ſe intra turbas deſtituto. Nec amplius in Meclenburgica eſſe, unde miles vivat. Deniqve tam varias, & parum ſibi conſtantes excuſationes non poſſe non ſibi ſcrupulum injicere. Nam ſi ab initio candide dictum fuiſſet, nondum bello neceſſaria parata eſſe, conſilia à ſe aliter diſponi potuiſſe. Ad faciliorem ſubvectionem, & communicationem Regi offerret caſtellum ad Warnemundam, qvod profugientibus Svecis Elector occuparat. Tum & ſe, Svecis expulſis, Regi Rugiam inſulam ceſſurum ea lege, ut Rex viciſſim partibus ad Principatum Rugiæ ſpectantibus in continenti ſitis renuntiet. Belgis, & Hiſpanis ad ſubſidia ſolvenda permovendis neceſſum eſſe directe in Svecos rem geri: nam circa Gottorpienſem acta privatum negotium haberi. Suſpicioni qvoqve tollendæ legatum Danicum Lutetia revocandum, ac hoſtium legatos Hafnia amovendos. Ad iſta Rex certo confirmabat, ſe Electori contra Svecos auxilia laturum, ac claſſem propediem in mare procurſuram. *27. Jul.* Ac ſane bellum omni vi parabatur, nec id amplius apud Gallicum, ac Svecicum legatum diſſimulabatur. Apud omnes qvoqve magna in Electorem inclinatio, in Svecos odium ſentiebatur. Cæterum non exigua morarum cauſa fuerat penes negligentiam rei maritimæ præfectorum, & inprimis Gyldenſparrii, cui fratris Grifenfeldii potentia ſecuritatem addiderat. Sed & Regina Mater, qvæ filiæ nuptias ſuccedere valde optabat, paratus armorum refrigerarat, novis ſubinde temperamentis propoſitis, qvo Rex fœderatis utcunqve ſatisfaceret, & cum Sveco pacem ſervaret. Ac ſuſpectum erat, qvod Rex Kneſebecio diceret; Elector modo in Pomeraniam movere incipere; ſe mox ſecuturum. Qvi viciſſim teſtabatur, Electorem nil amplius in Svecos moturum, niſi Rex ſerio in hoſce bellum ſumat. Ac Brandius, ut extremum cuneum admoveret, qvi ſuſpicabatur Grifenfeldium Reginæ Matris conſiliis velificari, commiſcebatur, Electorem aliqvot epiſtolas intercepiſſe, ex qvibus colligat, Reginæ Matris conſilia prævalere, & eam Hanoverano caviſſe, Danum cum Sveco haut ſerio in bellum erupturum. Qva narratione Grifenfeldius valde turbatus multis cum exſecrationibus aſſeverabat, Regem utiqve bona fide Svecis bellum facturum. Ac protinus ſeptem Belgicæ, decem Danicæ naves exibant, inter Bornholmiam, & Rugiam mare

1675. percursuræ; simul legionibus, ut Meclenburgicam versus moverent injungebatur. Ac placebat dilata Wismaria primum impetum junctim cum Electore in Pomeraniam facere. Bremensem provinciam haut invadere visum collisioni cum Luneburgicis declinandæ. Summa destinatorum in Scaniam dirigebatur, ubi Regi secreta incolarum studia non deerant. Ac Rex amplissime pollicebatur, se connixurum, ut Elector citeriore Pomerania potiatur, si maxime à Sveco lautissimæ sibi conditiones offerantur. Vicissim Elector apud Belgas vigilaret, ne hi per specioſa prætexta, & promissa à Svecis sibi imponi patiantur. Qvid cum exercitu susceperurus sit, ubi ad eum pervenerit, pro re nata consilium capturum.

Electoris cum Rege Daniæ congressus.

§. 45. Tandem igitur Dani mari hostiliter in Svecos agere cœperant, ac exercitus ex Holsatia Meclenburgicam versus movebat, sed lento itinere, ut Elector tarditatis pertæsus, & qvia jam æstas ruebat, Melchiorem Rucqvium ad Regem mitteret, demonstraturum; uti nullo modo diutius in Meclenburgica subsistere, ac nobile agendi tempus inter otia consumere possit, dum Sveci interim res suas instauratum eunt. Cæterum Danici duces valde svadebant, ut Rex ipso cum Electore super ratione gerendi belli colloqveretur, aliis, ac præcipue Grifenfeldio, refragantibus. Prævaluit tamen voluntas Regis, qvi cum Electore Gadebuschi biduum, per omnia sinceræ amicitiæ specimina exegit. Initio Rex Wismariæ obsidium junctim suscipiendum contendebat. Contra Elector demonstrabat, summam rerum in Pomerania aggrediendam, & ante omnia Svecicum exercitum è campo proturbandum, ac destruendum, ne qvid in Holsatia ab eo metuendum sit, ac ut seqventi æstate tota vi res in Scania geri qveat. Sed & securitati suarum, ac Cæsaris ditionum prospiciendum, qvæ alias, si ad Wismariam accedatur, hosti in prædam exponendæ sint. Sed & elapsa jam æstate præter istud obsidium nil aliud suscipi posse, ac hosti spatium indulgeri in Pomerania vires instaurandi. Se qvoqve ad Baudissii demonstrationem grandes machinas Custrinum remisisse, qvibus iterum adducendis mense opus sit. Igitur placebat junctim Pomeraniam invadere, Wismaria interim eminus clausa; ac tradebat Elector Regi Pœlam insulam, Wismariæ vicinam, qvam summus præfectus vigilum *3. Sept.* Schorrius antea occupaverat. Paulo post inter Regem, & Electorem secretum fœdus *Schorr.* Dobrani in Meclenburgica concluſum; cujus ingressu memorabatur, de arctissima inter ipsos conjunctione per sæpius contracta inter domus suas connubia, diuturnam amicitiam, ac communes utilitates firmata, ut unius damnum, & periculum alterum qvoqve pari fere sensu afficiat. Qvo major necessitas sit de remediis cogitandi ipsorum incolumitatem in tutum subducendi. Eo fine placuit non solum durante hoc bello contra Svecos, & socios atqve adhærentes præsentes, & futuros junctis animis, & consiliis rem gerere, & communem causam facere, nec unum absqve consensu alterius inducias, aut tractatus pacis suscipere, & concludere, qvantæcunqve ab adversa parte conditiones offerantur: sed & bellum hoc contra Svecos velut communes hostes tamdiu sociatis armis continuare, qvoad Regi à Sveco præter refusionem sumtuum in hoc bellum impensorum antehac Daniæ Regno avulsæ provinciæ Scania, Hallandia, & Blekingia restituantur, sublata qvoqve immunitate à vectigalibus in Oresunda, qva hactenus Sveciæ cives gavisi sunt, omnibus in statum, qvi ante pacem Brœmsebroënsem fuit, reductis. Electori autem ad reparationem illatorum damnorum, cautionemqve in posterum, Pomerania Citerior cum partibus Ulteriori provinciæ detractis cedat. Ac si maxime alteruter partem suam conjunctis, aut propriis armis in possessionem redegerit, is tamen reqvirenti alteri terra mariqve, qva maxime opportunum visum fuerit, tamdiu adsistat, qvoad & idem suam partem in potestatem redegerit, ejusqve cessio futuris tractatibus à Sveco fiat. Elector qvoqve Rogi Wismariam, ac Rugiam insulam ceder, si hic eas propriis, aut sociatis armis occupaverit, nec in ea loca qvid unqvam prætendet. Vicissim Rex in partes, ac jura, in continenti Pomeraniæ sita, qvæ antea ad Principatum Rugiæ spectarunt aut inde dependerunt, renuntiabit, nec ulla vectigalia, aut jura apud Rudenam prætendet: nec sub Rugia, insula Rudena, insula Grypsvaldensis, & Denholmia Stralsundæ vicina intelligetur. Uterqve etiam apud socios efficere contendet, ut hi non solum istha destinata probent, sed & ad eadem auxilio suo promovenda sese obstringant.

1675. *Fœdus secretum cum Dania Rege. 15. Sept.*

Cum Hanoverano acta.

§. 46. Non minor in Inferiori Saxonia labor erat prohibere, ne per Hanoveranum ibi flamma in favorem Svecorum erumperet, neu inter ipsos fœderatos super partienda Bremensi provincia collisio oriretur. Ac Hanoveranum qvidem nuntius

1675. tius prælii ad Fehrberlinum plane confuderat, ac mutata repente rerum facies in diversa trahebat, hinc nexu fœderis cum Regibus, inde metu à fœderatis impellente. Unde is utrisqve testabatur, se nil contra Imperium, nec contra fidem à se datam facturum. Et qvia defensionem Bremensis ditionis præcipue Svecis promiserat, copias Ferdæ oppido immittebat; tum apud Hoyam in territorio Cellensi castellum ad Visurgim excitabat, navigiis transitum negans, qvæ Monasterienſis extruendo ponti navali adhibiturus erat. Eum Ducem Elector literis impense monebat, ut talibus abstineret, qvæ aperte SCto Ratisponensi repugnent, cui per fœdus, qvod ipsi cum Svecia intercedat, nihil derogari qveat. Sane immittis Ferdæ copiis eum aperte in Svecorum partes transire videri; ac ni aliam viam ingrediatur, à periculo non abiore. Qvæ Lentius, & à Monasterienſi missus Smisingius pluribus ingerebant. Ad qvæ 10. Aug. Dux: *Ferdæ militem haut ideo immisisse, ut Svecorum partes amplectatur, multo minus ut Cæsarem, aut Electorem offendat. Sibi tamen ob facta, qvo hactenus illigatus fuerit, paulum qvid fuisse faciendum; id qvod facile iterum corrigi qveat. Spem esse, fœderatos haut abrupte nimis secum acturos; esse rem magni momenti, & sibi laborandum, ut absqve infamia & damno nexu, qvo teneatur, se exsolvat. Caterum Electoris monita in bonam partem accipere. Sperare ita à se hucusqve actum, ut officii erga patriam violati argùi haut qveat; sed usi fœderibus cum Gallia, & Svecia Imperio debita disertis verbis exceperit: ita obligationis suæ meminisse, postqvam Cæsar misso SCto, & edictis advocatorius significarit, Svecos jam à toto Imperio hostes judicatos. Haut sibi placere diutius tergiversari, sed cum Cæsare in tractatus descensurum; nec dubitare, qvin obtenturus sit, ut sibi medio agere liceat; tum ut suis copiis hospitia præbeantur, qvibus alendis modica sua ditio haut sufficiat. Nam ut eas ità abrupte contra Gallum educat, à se postulatum haut iri. Ac ut omnia decore agantur, duarum septimanarum spatium sibi indulgendum, intra qvas res in præsenti statu maneant, & ne qvid tantisper contra Bremensem provinciam, aut se suscipiatur, qvo interim fœderatis suis significare qveat, in qvam conditionem post mutatam rerum faciem redactus sit, ut nec hostibus, nec amicis ansa ipsum arguendi præbeatur.* Ista ut ad Electorem referret, Lentius Suanam in Meclenburgica, ubi is tunc metabatur, profectus est, Smisingio qvoqve 16. Aug. ad Præsulem regresso. Redire mox Lentum Elector Hanoveram jussit talia exposituru: *Qvanqvam à Duce adhibitus hucusqve agendi modus haut omnibus aqve probatus, ac variis judiciis obnoxius fuerit; se tamen, cui ejus honestius, ac Germaniæ Principe dignus, amansqve patriæ animus perspectus fuerit, nil nisi qvod hunc deceat expectare potuisse; qvam spem & ejusdem nuper factæ declaratio confirmarit. Unde se ejus desiderio velificari velle; ægratum esse, qvod tractationem cum Cæsare suscipere instituat. In ejusdem qvoqve arbitrium conferre, num fœdera inter Cæsarem, se, ac reliqvos Luneburgicæ Domus Duces inito accedere placeat. Haut sperare, eum, qvæ à fœderatis in Bremensem provinciam agentur, impediturum.* Presliorem tamen declarationem desiderare. Si Dux Regi Daniæ mentem suam sit expositurus, apud hunc utilem se operam ei navaturum. Se qvoqve nosse cupere, qvid circa copias suas constituerit Dux, siqvidem in partes descendere haut placeat; an, & in qvem eas transcripturus sit, an universas retenturus, & qvomodo iisdem usurus sit? Inprimis Lentius operam dare jubebatur, ne destinata contra Bremensem provinciam ultra duas septimanas differantur, id qvod Dux cupiebat; qvod æstas jam labatur. Cum Lentius Cellensibus Hanoverani sententiam communicaret, hi monebant, ut 24. Aug. ex altera qvoqve parte Danus Bremensem provinciam invadat, terrendo Duci. Nam ni is hostium Regum partes deserat, eundem ingens obstaculum rebus hoc tractu adferre, totamqve viciniam turbis involvere posse. Et qvamdiu exterorum legati eum obsideant, ejus verbis confidi non posse, qvibus non nisi tempus extractum eat. Unde monente Electore Dani apud Altenburgum pontem navalem Albi injiciebant velut in Hanoveranum moturi, ni flecteret. Qvi contra qverebatur, nimium se urgeri, nec tempus sibi relinqvi, ut ad fœderatos suos qvæ agantur referre, ab iisqve responsum accipere, ac decore se vinculo cum iisdem exsolvere possit. Tum & ab hisce partibus securitati suæ cavendum esse. Sane Monasterienſem negotium fervide nimis urgere, ac tantum non pro imperio agere, minatum, ni condicta die mentem declaret, se protinus cum exercitu moturum. Eqvidem se fœderatorum destinata impedire nolle. Potius tamen qvam indigni qvid admittat, mori se malle, & extrema omnia tentare. Ac si Præsul propius ingruat, se cum suis copiis obviam iturum, qvicqvid inde evenerit. Confidere tamen Electorem id haut concessurum. Ast Electori hautqvidqvam placebat indultum Duci tempus prorogari, fœderatis insutum,

1675. Svecis ingens commodum pariturum, exemta hostilibus Bremensi provincia; id qvod concedere penes paucos fœderatos in fraudem reliqvorum non erat. Tum urgendo Duci communicabat interceptas
28. Aug. Svecicorum ministrorum literas, qvibus ipsi fatebantur, Duci affatim causarum esse, ut aliam consiliorum viam ineat. Simul monebat, ne Gallis, Svecisvé ullas copias submittat, de qvibus Pufendorfius apud Ducem impense instabat. Id qvippe fœderatos in apertæ hostilitatis vicem acceptu-ros: idemqve SCtis Ratisponensibus repugnare. Sed Dux contendebat, cum qvæsitus Bremensi ditioni medius status recusetur; à Cæsare alimenta copiarum, & securitatem sibi præstandam; alias ita abrupte fœderatos suos à se destitui haut posse. Veniebat dein à Rege Daniæ missus Fridericus Alefeldius Comes, Duci demonstraturus; ipsum jam salva existimatione Svecico fœderi nuntium remittere posse post promulgata avocatoria edicta, & nulla auxiliorum a Svecis spe. Se sponsorem fore conventa servatum iri, ac laboraturum, ut idoneæ conditiones indulgeantur. Ac jam Monasterientis copias movere cœperat. Unde demum fatebatur; Regem Daniæ ac omnes fœderatos ita generoso modo secum egisse, ut merito eorum persvasionibus victum se fateri cogatur; & qvia confidat, nil à se iniqvi postulatum iri, ad tractatus descensurum. Rogabat tantum, ne Dani Albim, Monasterienses Visurgim transeant. Sed legati declarabant, ulteriori dilationi locum non superesse, ac negotium serio, & promte suscipiendum. Unde Duci nil amplius subterfugii superarat, Danos valde metuenti; & qvia Monasteriensis jam Bremensem ditionem invadebat, Wilshusa occupata; cui sese Baudissius cum Danicis copiis ex Oldenburgica jungere jubebatur, si Dux uspiam se movisset. Nec parum terrebat Augusta Trevirorum à fratribus tunc expugnata. Itaqve Dux declarabat, se Cæsaris, ac fœderatorum destinatis haut obstiturum, ac in Imperii potestate futurum, hospitia tamen legionibus suis & securitatem à Regibus, qvos deserebat, stipulatus, ac ut in partem Bremensis ditionis admittatur. Id qvod fœderati pro captu temporum haut absurdum rebantur, qvo Ducem expugnarent, ne destinata ipsorum iis locis impediret. Qvi & militem
7. Sept. Ferdæ immissum revocabat, ac detenta Monasterienses navigia dimittebat. Circa hospitia præcipua difficultas erat, qvæ otiosis copiis assignare, reliqvis, qvæ rem gesserant, subtracta, iniqvum erat; Cellensibus, ac Guelferbytanis frementibus, magnam 1675. Hildesiensis præsulatus partem sibi decerpi. Condonanda tamen ista temporibus erant, ac in ista qvantumvis dura consentire satius habebatur, qvam iis locis materiam incendio relinqvere.

§. 47. Ita demum inter Regem Daniæ, Electorem, & Monasterienses Præsulem, ac Joannem Fridericum Ducem conventio inibatur, super medio statu præsentibus temporibus huic concedendo. Ea Dux declarabat; *se nil contra Cæsarem, Imperium, Regem Daniæ, Electorem, & Præsulem Monasterienses susceperum; decretis Ratisponensibus obtemperaturum; cum istis amicitiam culturum; hostibus copiarum nil concessurum. Vicissim fœderati promittebant, se Duci in sua ditione nil molestiæ daturos, eamqve hospitiis, tributis, transitibus, aliisqve contra Instrumentum Pacis, & leges Imperii haut oneraturos. Si Gallus subsidia Duci hactenus soluta condicere, aut ob initam hanc conventionem impugnare ipsum instituat, fœderatos eundem tuturos. Contra nec Duci ob fœdera cum Gallo, & Svaco lites intentandam. Sequestrus qvoqve munus Duci reservandum.* Subscripserant pactum nomine Regis Daniæ Fridericus Alefeldius Comes; nomine Electoris Conradus Wilhelmus Lente; Monasteriensis Matthias Korf Smisingius; Ducis Otto Groote, & Henricus Witzendorfius. Peculiari instrumento Dux sibi reservabat, ut durante hoc statu integrum sibi sit a Gallo pecuniam subsidiariam accipere, id qvod huic pacto citra fraudem futurum sit. Et qvia Dux suæ securitatis interesse judicet, exercitum retinere, qvem propriis sumtibus sustentare difficile erat; fœderati promittebant, se apud Cæsarem operam navaturos, ut ei exercitui hospitia assignentur, qvamdiu hoc bellum duraverit, ac ut Duci sua portio in Bremensi, ac Ferdensi ditione salva sit, monendo, ubi ea de re agatur. Id pactum Daniæ Rex, Elector, & Guelferbytanus ratihabitione firmabant. Ac Dux concessa hospitia invadere properabat, qvod jam in itinere essent, qvi ista præripere vellent, capta semel possessione haut temere vi sese exturbandum ratus. Sane Cæsar eo pacta probare abnuebat, iniqvum judicans tam lauta hospitia iis indulgeri, qvi nullam patriæ operam navarint. Nam si is bona fide in partes transire velit, nullam difficultatem fore. Parum qvoqve congruere, contra decreta Imperii alicui Ordinum neutrum statum indulgere, ac pessimi exempli rem esse, & exitio patriæ cessurum, ejusmodi abusum juris fœderum

Convento cum Hanoverano Duce.

11 Sept.

15. Sept.

stab-

1675. stabilire: & hoc pacto probato, Bavarum qvoqve sibi hospitia per Franconiam, & Sveviam postulaturum. Tum iniqvissimum esse, ac invidiæ plenum, nil præstantem partem prædæ sibi stipulari; tum Ordines ad finem usqve belli continuis hospitiis onerare; cum tamen copiis, qveis in hostem res gerenda, per tempus æstivum hospitia sua deserenda sint. Nec modicam diffidentiam excitabat, qvod Dux sibi licentiam pecunias à Gallo acceptandi reservaret. Ac Viennæ super SCto agitabatur, qvo Bavarus, & Hanoveranus adstringendus foret ad arma in Gallos, & Svecos movenda. Nec minus ista pacta Hispanis, ac reliqvis è Domo Luneburgica Ducibus displicebant. Saltem haut concedendum, istum tam insignibus copiis succinctum manere, ac hospitia insidere, qvorum pecunia alii fœderati premantur. Nec satis cautum esse, serio eundem qviescere velle, ac non potius occasionem captare saltem tecte hostibus auxilia subministrandi. Haut eo minus ob iniqvitatem temporum ad talia qvantumvis dura connivendum erat, ut pacto effectus constaret.

Super Bremenſ provincia inter fœderatos æmulatio.

§. 48. Ast circa Bremensem provinciam acerrima inter fœderatos surgebat æmulatio, plurimum circa eam cupidine concurrente; qvod partitio non ita facile expediri posset, qvæ omnibus satisfaceret, ac ob repugnantes invicem rationes. Nam Cæsar qvidem eandem ex asse Protestantibus in prædam cedere nolebat, ac aliqvam saltem portionem per Monasterienſem Catholicis adcrescere cupiebat. Danus sibi aliqvam ejus partem expetebat ob communicationem cum Oldenburgica. Id qvod Luneburgici aversabantur, ne istius potentia eo tractu nimium glisceret, ac idem ea occasione ostium Visurgis in potestatem redigeret. Luneburgicos ea provincia ob reliqvarum ditionum situm maxime decere videbatur; sed qvibus tantam accessionem pleriqve invidebant. Unde Dano gratum accidebat, Monasterienſem de ista provincia invadenda agitare, per qvem obtenturum se rebatur, ut Luneburgicis se qvoqve in partem admittere necessum foret. Elector uti ad eam occupandam copias subministrabat; ita & æqvum censebat se non plane excludi saltem hactenus, ut Luneburgicos hoc ipso adstringere posset ad opem subigendæ Pomeraniæ sibi navandam. Ast Monasterienſis maximo desiderio ardebat post tot turbas nullo fructu motas tandem aliqvod operæ pretium faciendi, materiam gloriationis per se qvoqve ritus Romanos incrementi qvid cepisse. Sed cujus aviditati fræna nullo modo laxare Luneburgici decreverant. Contra Cæsar, qvi & Præsuli ob sacrorum respectum Germaniæ tam funestum favebat, & Luneburgicos, ut contra Gallos ad Mosellam rem gerere persisterent, impense hortabatur tanta cum gloria partam victoriam persequi; pollicitus convenientem ejus ditionis partem ipsis salvam fore. Id enim minus invidiosum erat, Præsuli totam eam provinciam addicere. Haut obscure tamen pellucebat metus Cæsareorum, formidantium tres Principes Evangelicos, Danum, Electorem, & Luneburgicos, qvorum rationes tam facile inter se conciliari poterant, tantos terrarum tractus nullo æmulo interjecto insidere. Aç nondum memoria exciderat, qvantum auctoritatis superiore bello exercitus suus Bavaro circumposuerit, ut Cæsari tantum non ab eo pendere necessum fuerit. Id qvod nunc magis à longe majore Protestantium Principum potentia metuebatur. Unde ita rem disponere cupiebant, ut Luneburgicus exercitus à Dano, & Electore separatus ageret, ac in istius locum Monasterienſis subiret, semper Catholicorum rationibus obnoxius futurus, ac si qvæ consilia firmandis Protestantium rebus inter istos caperentur turbaturus. Ac sane tres isti soli sufficiebant Svecis debellandis, prædæ qvoqve inter se divisæ possessionem propria vi sibi tutam præstituri. Ista cum Luneburgici animadverterent, relicto Rheno in Svecos utiqve movendum censebant, Cæsaris declarationi parum confisi super portione sua, ac qvod ipse ex Alsatia satisfieri sibi vellet. Nam Præsul aviditatem suam nimis apricabatur, scriptis qvoqve ad Daniæ Regem literis, ut sibi liceret omnia retinere, qvæ Svecis eripuisset. Nam iste arrepta semel possessione vix sine novo bello expellendus videbatur. Ac satis pellucebat, Cæsareos Luneburgicis apud Mosellam detentis duo captare; ut & suas partes contra Gallum firmarent; ac Monasterienſi occasionem præberent, in Bremensi provincia pedem figendi. Ex qvo consecuturum erat, ut Cæsar tacita cum Episcopo conspiratione factionem inter fœderatos Sveciam impugnantes haberet, simul magnam isti provinciæ partem conciliaret, qvo & sibi actio nasceretur ad partem Svecicæ prædæ petendam. Contra Cæsareis demonstrabatur; utile esse à Luneburgicis adversus Svecos rem geri. Nam eo tempore sola Svecia Galliæ fulcrum habebatur; unde istam primo loco subruendam,

1675. anteqvam ea Galliæ ad instaurandas vires facultatem præbere posset, si maxime interim una & altera Belgii Hispanici urbs amittenda sit; cujus jactura non sit comparanda cum emolumento, qvod proventurum sit, si Galli & Sveci destinatis suis potiantur; qvi in fœdere per Petrum Sparrium renovato convenerant, ut in media Germania junctis ipsorum exercitibus Gallicus dux imperitaret. Unde & Hanoveranus apud Reges institerat, ut Galli Rhenum, Sveci Albim transirent; qvo fine jam Sveci & Hanoverani in motu fuerant. Qvia etiam Monasteriensis in Bremensi provincia primas partes agere, & circa sacra novare meditabatur, Elector serio Viennæ moneri jubebat; ne Cæsar ista ausa probaret, aut foveret. Nam non alia magis ratione fœderatos dissociari, ac hostium partes firmari posse, qvam susceptis, qvæ fidei, honestati, ac libertati sacrorum repugnent. Ac Svecos qvam maxime aucupari, ut talia eveniant, qvorum obtentu multos Protestantium Ordinum, qvi adhuc ob communia sacra in ipsos respiciant, sibi adjungere, Cæsariqve invidiam facere possint. Alias se Præsuli bene cupere, qvantum salvis Protestantium rationibus fieri possit, abolita præteritarum offensarum memoria. Qvæ declaratio Cæsareis ex animo admodum generoso, atqve ingenuo proficisci judicabatur.

Cum Monasteriensi acta. §. 49. Porro anteqvam cum Hanoverano transigeretur, Elector Monasteriensis amicitiam potissimum adversus istum affectaverat, utut eadem apud unum & alterum suspicionem excitatura esset; tum ut Bremensi provinciæ eundem immitteret, cui si qvies indulgeretur Svecis facultas erat per delectus exercitum supplendi. *9. Jul.* Qvanqvam Præsul jam antea magna cupidine flagrabat eam provinciam involandi, ac ultro Electori stimulos subdebat. Cui tamen lente festinandum videbatur, qvod par foret prius super hoc negotio cum Dano, & Luneburgicis convenire, declinandæ horum æmulationi. Ac metus erat, ne præmaturo motu Hanoveranus ad auxilia Svecis submittenda excitaretur. Igitur svadebat, ut tamdiu qviesceretur; qvoad omnia rite digesta sint. *24 Jul.* Idem tamen Alexandro Spanio, & Wolfgango Ernesto Ellero copias, qvas ipse in Westphalia habebat, Præsuli jungere, ac una in Bremensem provinciam expeditionem suscipere injungebat, ut tamen Luneburgicum territorium ne tangerent, damnivé qvid ei inferrent, nec Hanoverano ad vim adhibendam ansam præberent; si tamen ab hoc ultro invadantur, strenue vim reponerent. Sed paulisper sistebatur Præsulis impetus, postqvam Hanoveranus militem Ferdæ immisisset, ac transitum Visurgis prohibere institueret. Igitur cautius agendum erat, ac irruptio differenda, qvoad Danus per Baudisium Præsuli conjunctionem suarum qvoqve copiarum invadendæ Svecicæ provinciæ offerret. Inter qvæ scripserat Electori Præsul, *13. Jul.* cupere se cum ipso fœdus inire; sed qvia ei adornando multum temporis reqviratur, nec consultum sit ideo armis otia indulgere, petere ut Elector scripto sibi caveat; se citra ipsum cum Svecis pacem haut initurum, utqve ubi opus sit idoneó auxilio sibi adsistat; ac qvæ bello adqvirenda sint præstanda recipiat. Ea si annuat Elector, se protinus Svecorum vires in Bremensi provincia distracturum, non sine magno ipsius lavamento. Ex hoc cum Præsulis enorme desiderium Bremam invadendi pelluceret, Elector respondebat; ista se probare, ac petita præstiturum. *23. Jul.* Consultum tamen ducere, ut Præsul cum Baudisio duce Danico communicet, cui & ipsi à Rege sit injunctum ibidem irrumpere, ut omnia de compacto eo felicius peragantur. Neqve enim Electori placebat Præsulem omnia ex sua libidine agere; ac ipse qvoqve saltem in hospitiorum partem venire cupiebat; præsertim cum in Belgio legionem maritimam per Bolsæum tribunum conduxisset, qvæ navigiis ostio Visurgis invecta irruptionem in eandem provinciam tentatura erat. *Bolsey.* Qvanqvam autem suspectum foret, à Monasteriensi formulam fœderis Hagæ inter Blaspielum, & ipsius Procancellarium Termœlium adornatam haut perfici: non eo minus junctim expeditio suscipiebatur; ac sociatæ copiæ Mindam tendebant, ac terrendo Hanoverano castra cis Visurgim dimetiebantur. *Ter Mœlen.* *4. Sept.* Sed ubi cum hoc transactum esset, per Westphalicam fluminis ripam versus Bremam tendebatur, ne Hanoverani terræ tangerentur. Inde uno super eam urbem milliari mille ducenti Monasterienses flumen transibant apud Wyam vicum, ac inter flumen & aggerem, qvi secundum ripam porrigitur, pedem figebant. Sub vesperam reliqvus peditatus, ac postera die eqvitatus seqvebatur. Impedimentis Bremenses per urbem transitum concessere. Nec ratio perspici poterat, qvare in subeuntes ab Henrico Hornio provinciæ gubernatore, qvi cum tribus millibus, ac aliqvot machinis eo tractu constiterat, nil tentatum esset; cum omnes judicarent, eum transitum vel cum trecentis peditibus impediri potuisse. Paulo inferius

15. Sept. Monasterienses Electoralibus juncti in Bremensem provinciam irrumpunt.

1675. rius qvoqve qvindecim Monasterienſium centuriæ tranſivere, nullo obſtante, qvod eo loco irruptionem Sveci haut metuiſſent. Mox ſociatæ Electoralibus Monaſterienſes, qvorum illis Spanius, & Ellerus, 17. Sept. his Guſtavus Wilhelmus Wedelius imperabat, Burgum acceſſere, obliqvis viis per noctem excavatis: qvem locum præfectus Svecicus defenſione haut tentata ſeqventi die dedidit. Ferdam, Langvvedelam, Ottersbergam & Rotenburgum Sveci ultro deſeruerunt.

Monaſterienſis Præſulis importunitas.

§. 50. Cæterum tota iſta expeditione Præſul importunum valde ſe gerebat, nullo rationibus, ac æqvitati loco relicto, nec ulla publici boni cura. Initio pedem in provincia figere feſtinabat, qvo tributa ſuo nomine imperare poſſet. Cæſarea juſſa ubiqve obtentui ſumebantur, nemini viſa, qvæ ipſe pro lubitu porrigebat. Idem Baudiſii cum legionibus Danicis conjunctionem averſabatur; qvi contendebat, par eſſe, ut inter Principes ſuper modo bellum gerendi prius conveniatur, qveſtus à Præſule Wilzhuſam, & Tedingshuſam occupatam; qvod & ſibi in proclivi fuerit. Idem Præſul miſſis à Bremenſi urbe dixerat; ſe ſupremum belli ducem eſſe, cui ſoli imperare fas. Color petebatur ex Electoris literis, qvibus declararat, ſe nullam Bremenſis provinciæ partem ſibi depoſcere; cum tamen hæc conditio ſubeſſet; ſi in Pomerania ſibi ſatisfiat: qvo fine neceſſarium erat reliqvos ſeſe adſtringere ad auxilia ei provinciæ ſubigendæ ferenda. Nec deerant, qvi conjunctionem Electoris cum Præſule Luneburgicis ſuſpectam redderent, velut in horum fraudem tendentem. Cui contra colluſionis qvid inter Hanoveranum, & Monaſterienſem eſſe videbatur, qvod Smiſingius tractationem cum eo Duce pro lubitu temperaſſet. Ac ipſe Dux nondum ſinceri animi fidem aſſecutus fuerat, ſuccedente adhuc autoramento Gallico; & qvia Svecis teſtatus fuerat; ſe non minus utilem ipſis operam exhibiturum, qvam ſi toto cum exercitu rem gereret. Qvod enim in pacto cum fœderatis partem Bremenſis ditionis ſibi ſtipulatus ſit, id ea conditione factum, ſi tota provincia amittenda ſit: ut hæc tamen amittatur, ſe nil collaturum. Præſulis qvoqve ingenium ſtatim ſeſe exſerebat. Cum enim Ellerus Ferdam accedens hoſpitia Electorali militi poſtularet, ac oppidani jam ea paratum irent, interim per diverſam partem Monaſterienſes irrumpebant, peculiare Præſulis juſſum oſtentantes, ac ſibi injunctum neminem alium intra oppidum recipere. Unde Electoralibus irritis diſcedendum erat; qvos iſti nec in hoſpitiorum, nec præſidiorum partem admittere volebant; ut jam non amplius obſcurum eſſet, qvare Præſul ante ſuſceptam expeditionem juſtum fœdus cum Electore inire declinarit. Spanius qvoqve offenſam conceperat, qvod Monaſterienſis dux Wedelius recentior militia primarium ſibi imperium depoſceret, Electoralibus tantum auxiliarium loco, nec pari cum Epiſcopalibus conditione habitis. Unde Elector de talibus per Blaſpielum apud Præſulem qverebatur, minatus, ni aliter agatur, ſuas ſe copias avocaturum. Ellerus inde obſidium Carlsburgi molitus non nihil cladis acceperat, pulſis qvoqve ſub Simone Bolſæo copiis maritimis. Cum tamen idem poſt obſidium repetere conaretur, Monaſterienſis initio militem accommodare abnuebat. Sed poſt cum in id conſenſiſſet, ſolo ei loco ſi caperetur præſidium immittere volebat: id qvod Ellerus ſine juſſu Electoris conſentire non audebat. Ita oppugnatio omiſſa, ac locus is eminus circumſeſſus. Bremervœrdæ dehinc oppugnatio ab Electoralibus, & Monaſterienſibus ſuſcepta; qvam cum per unum & alterum diem machinis verberaſſent, duobus disjectis propugnaculis, Sveci deditionem faciebant malignis legibus, ut Germani militiam Svecicam abdicarent. Indigenis Svecis permiſſū munitione excedere; nullo effectu, qvod præfectus ſtipulari omiſerat, in qvem locū deducendi eſſent. Ellerus ægre obtinere poterat, ni Electoralium ſexaginta cum aliis præſidio imponerentur, Luneburgicis æqve, ac Monaſterienſibus averſantibus, ne Elector in ea provincia pedem figeret.

1675. 1. Oct. 11. Oct. 14. Oct.

Electoris circa ſervandam inter fœderatos concordiam ſtudium.

§. 51. Iſta igitur ne exitiabile diſſidium inter ſocios generarent, Elector urgebat, ut conventus fœderatorum Bremæ ſuper partienda provincia haberetur; qvo fine is Blaſpielum, & Ledeburium eo mittebat. Se qvidem utut primus irruperit, nullam ejus provinciæ partem ſibi depoſcere, modo reliqvi ſe obſtringant ad conferendam opem ſubigendæ Pomeraniæ. Eum conventum Daniæ qvoqve Rex urgebat, qvem contra Luneburgici, ac Præſul declinabant. Et hic qvidem citra prævium conventionem malebat in turbido piſcari. Idem Glandorfio declararat, ſi Wilzhuſa ſibi, & Tedingshuſa relinqvatur, ac Luneburgica Domus alternantem electionem in Oſnabrugenſi Præſulatu cedat, libera eligendi facultate Capitulo relicta, ſe contentum fore. Viciſſim Luneburgicis Ferdam cum aliqvibus partibus Bremenſis ditionis per-

1675. perpetuo jure concedendam. Qvæ propositio Electori inanis habebatur, tanqvam multis difficultatibus, & incommodis conjuncta. Ast Luneburgici, ac Monasterienſis clam ſuper dividenda inter ſe Svecica provincia pepigerant, excluſo Daniæ Rege, cui ne minimam qvidem ejus portionem obvenire Cellenſis optabat. Præſul autem qvanqvam magis in Danum, qvam Cellenſem inclinaret, qvicum & frigide ſatis amicitiam colebat, ac Regi clam confirmaſſet, ſe operam daturum, ut is Stada juxta, & Carlsburgo potiretur; Rex tamen verſipelli ſacerdoti parum fidebat. Uterqve Cæſaris favore nitebatur, Præſul propter ſacra, Cellenſis ob recentia merita victoriæ contra Gallos partæ. Ac Præſul qvia facilius ſibi cum Duce conventurum judicabat, cum hoc decidere, qvam potentiori ad eam provinciam viam aperire volebat. Cellenſem offenderat, qvod Rex majore fiducia cum Electore, qvam cum ipſo ageret; & qvod tanto ſtudio laboratum eſſet, ut Hanoveranus tam opimis conditionibus ad medium ſtatum permoveretur. Regem qvoqve, & Electorem haut ſat enixam operam dediſſe, ut ſuus exercitus à Moſella huc pertraheretur, & ejus loco properaſſe Monaſterienſem cum Svecis committere. Ac qvam maxime cupiebat prius Stadam, & Carlsburgum in poteſtatem redigere, qvam cum Dano tractationis qvid ſuſciperet. Qvo obtento ne latum qvidem pedem huic conceſſurus erat; utut Elector expedire judicaret, ſaltem modicam ejus provinciæ portionem Regi concedi. Cæterum poſtqvam inter Luneburgicos, & Monaſterienſes ſuper hoſpitiis conveniſſet, Electorales in Weſtphaliam revertebant; qvod Præſul jactaret, hos ſuo imperio fuiſſe ſubjectos: ſed Luneburgicos ſocios eſſe, qvi jure ſuo partem poſtulent. Qva ſuper re Electori cum viro deſultoriæ fidei haut contendendum videbatur. Simul aſſignata Electoralibus hoſpitia Monaſterienſi relinqvebantur, qvi certam ex iis pecuniæ ſummam iſtis ſe ſoluturum promittebat. Ast Dani ſe excluſos indignati ipſi hoſpitia ſibi ſumebant, ac Monaſterienſes hinc inde expellebant, his paria qva poterant reponentibus. Luneburgici tamen, ut Electori ſatisfacerent, offerebant, ſe viciſſim Electori ad ſubigendam Pomeraniam ſuppetias gratis laturos. Tum fœderatis promittebant, ſe futura æſtate ad Moſellam in Gallos rem geſturos. Id qvod Hiſpanis, & Belgis valde arridebat, qvi unicum remedium ducebant Gallo in ordinem redigendo, ſi bellum in ipſam Galliam devolveretur. Aſt Cæſareis haut ingratum exiſtebat inter Danum, ac Luneburgicos diſſenſionem exiſtere, ac Præſulem inſigni portione potiri dilatandis Romanis ritibus. Inter confuſa iſta Elector ſuos Bremæ operam dare jubebat, ut diſſidium inter fœderatos tolleretur. Ac ipſe cenſebat, Præſulem à parte prædæ excludi non poſſe, ut tamen ſacra in præſenti ſtatu relinqvantur. Par qvoqve eſſe, ut Dano ſatisfiat. Sed & ſui cumprimis rationem habendam, velut cujus vindicandi cauſa bellum hoc ſuſceptum ſit, non eo fine, ut fœderati novas ditiones adqvirerent. Eqvidem ſe declaraſſe, de Bremenſi provincia nil ſe deſideraturum; ſed ea lege, ſi ipſe totam Pomeraniam ſociorum ope nanciſcatur. Circa mobilia ita in Bremenſi provincia agi volebat, uti fœderati in Pomerania ſecum agi vellent. Deniqve & circa Carlsburgum magna diſſenſio erat. Nam Cæſar, Elector, & Luneburgici ſolo id æqvari volebant. Danus id ſibi aſſertum ibat, obtendens, id in ſuo ſolo extructum. Monaſterienſis qvoqve id deſtrui, ſimul Electorales in partem præſidii admittere abnuebat, metuere ſe cauſatus, ne Elector in Luneburgicos, qvam ipſum prouior portionem ſuam in hos transferat. Inter iſta Elector Thomam Kneſebecium ad Regem Daniæ in caſtra apud Wiſmariam miſerat, ut demonſtraret, qvam utile ſit, utrumqve cum Luneburgicis arcto fœdere jungi. Qvod & ipſum Rex eo magis neceſſarium judicabat, qvo magis in ipſos apud qvosdam non parum æmulationis adpareat; ac Cellenſem ejusmodi fœderi pronum ſe declaraſſe. Et eam conjunctionem ſibi magnam autoritatem apud omnes pariturum. Ne ipſi plane Bremenſi provincia excluderentur, Rex proponebat, ut copiis junctis locum aliqvem ibi occuparent; qvod fieri jam non poſſe Kneſebecius oſtendebat. 1675.

15. Nov.

§. 52. Luneburgici tamen ut acta ſua Electori adprobarent, Fridericum Achatium Schulenburgium mittebant; qvi referret, uti Duces tam ſuper hoſpitiis, qvam dividenda Bremenſi provincia cum Præſule convenerint. Etſi eo pacto Electori præjudicare noluerint; ſed Ellerum invitatum excuſaſſe, nil ſe in mandatis habere. Præſulem qvoqve confirmaſſe, Electorales copias ſine exceptione ſuo imperio fuiſſe ſubjectas. Unde Ducibus cum ſolo Præſule tuiſſe tranſigendum. Præcipuum ſibi ſcopum fuiſſe, ſua conjunctione impedire, ne Epiſcopus progreſſus ſuos per eam provinciam nimium extendat. Qvi tamen inſuper habita conventione periculoſa ſua deſtinata

Luneburgici acta ſua Electori probare ſtudent.

6. Dec.

1675. ſtinata magis indies exſerat. Unde neqve Proteſtantium rebus, nec vicinorum ſecuritati expedire, ſi iſti latius proferre pedem concedatur; qvod is Bremenſi provincia in ſuam poteſtatem redacta occaſionem nacturus ſit, Weſtphaliam, & Saxoniam inferiorem pro lubitu turbis involvendi; præſertim ſi Bremæ nomine directionem Circuli nacturus ſit, Electori deinceps peculiariter moleſtam, ubi Magdeburgi nomine par munus geſturus ſit. Eundem qvoqve commerciis in Viſurgi flumine infeſta meditari, excitato Tedingshuſæ caſtello, ubi à prætervectis navigiis decuplo plus, qvam uſu receptum eſt, exigat. Sed & turbidum Præſulis ingenium ſatis cognitum eſſe. Qvia igitur Duces confidant, ſe ſolos pares fore Svecis eliminandis; eos Electoris conſilium expoſcere, qva ratione impediri qveat, ne Præſul ulterius ſe Bremenſi negotio ingerat, ſuſpecta Catholici Principis potentia. Præterea uti Elector per animi magnitudinem ſæpius declararit, ſe nil de Bremenſi provincia affectare; ita Danum hac actione deſiſtere nolle; qvi tamen, ubi pedem heic fixerit, non vicinis ſolum, ſed & toti Imperio prægravis futurus ſit. Igitur ſe ex Electore noſſe cupere, num aliqva via ſit iſtum hoc poſtulato avertendi? Eqvidem ut ei ſatisfiat par eſſe, & partem Bremenſis provinciæ cum Oldenburgica commode combinari poſſe: non deeſſe tamen alia, qvæ in eundem conferri qveant. Qverebantur inſuper, cum ipſi tam multa pro Imperio fecerint, hoſpitiis tamen pro milite ſuo frui ſe non poſſe. Qva in re Electoris ſtudium expetebant, polliciti, ſe bello Bremenſi abſoluto in Pomerania ipſi auxilium laturos; ac ſecreto cum ipſo conſilia collaturos, autoritatemqve ejusdem ſecuturos. Ad qvæ Elector communicationem tractatus cum Præſule petebat, haut obſcure innuens, Danum qvoqve ei cudendo fuiſſe adhibendum. Cum Danlæ Rege, ac Monaſterienſi circumſpecte eſſe agendum ſervandæ inter fœderatos concordiæ, & ne hoſti inde emolumentum, ipſis ludibrium concilietur. Actioni in Bremenſem provinciam ea duntaxat lege ſe renuntiaſſe, ut fœderati auxilium ſibi præſtent ad ſubigendam Pomeraniam. Alias optimum fore, id negotium ad tractationem pacis rejicere. Præſuli duas præfecturas trans Viſurgim ſitas, & ſummam pecuniæ dandam. Cum Dano qvoqve caute agendum, qvi tractu Oldenburgicæ vicino deſiſtere nolit. Præter iſta oſtendebat legatus, ni Bremenſe negotium rite diſponatur, Ducum ditioni præcipue, ſed & Electoris provinciis non parum periculi impendere. Nam circa dedendum Carlsburgum à præſidiariis cum Dano, Electore, & Ducibus junctim pactum initum. Sed Ducibus valde ſuſpectum videri, qvod, cum ipſi propoſuerint de ſubruendo loco Saxoniæ tam noxio, qvod & Electori probetur, Danus obnixe ſe oppoſuerit. Ex qvo non minus ac aliis indiciis colligi, eum Regem non nudam communicationis lineam cum Oldenburgica, ſed amplius qvid meditari, ac forte ſucceſſu temporis omnibus Albim, & Viſurgim accolentibus leges præſcripturum. Aſt Duces hoc modo Domui ſuæ penime conſulturos, ſi arma ſua pro communi libertate, ac ſecuritate arrepta haut alius fructus ſeqvatur, qvam ut aliena potentia periculo ſuarum ditionum gliſcat. Cui malo prævertendo omnem ſe lapidem moturos. Igitur petere, ut Elector Regem permoveat, ne qvid muniti loci in Bremenſi, & Ferdenſi provincia affecter. Nam Duces metuere, ſi Elector uti hactenus manum ſubducat, ne Danus pro ingenti, qvo in eum locum flagrat, deſiderio Præſulis portionem ſibi comparet. Regem qvoqve, & Præſulem hac hieme qvid in Stadam juncta ope tentaturos; ubi idem qvod apud Carlsburgum periculum adpareat: ac Danicos legatos Hagæ expreſſe dixiſſe: Regem utrumqve locum ſibi ſervaturum. Inprimis Georgium Wilhelmum Ducem ægre ferre, qvod cum ipſe præfecturam Circularis militiæ gerat, Danus ac Præſul operationes bellicas ſua ex libidine ſuſcipere velint. Ac mirari, qvod cum Danus alibi longe majus damnum hoſti dare, ac majoris momenti terras recuperare poſſit, ſoli Bremenſi provinciæ tantopere inhiet. Qvemadmodum igitur ex hiſce pateat, Danum limites majori cum fœderatorum, qvam hoſtium damno prolatum ire; ita Ducibus incumbere, ad ſecuritatem propriarum, ac Electoralium ditionum impedire, ne Danus Stadæ pedem figat. Eqvidem non deeſſe ſibi facultatem Dani conatus vi retundendi; qvia tamen amicitiam cum hoc ſervare cupiant, rogare ut Elector operam navet, ne ea res in nervum erumpat. Sed ſi Danus deſiſtere nolit, Electorem Ducibus vitio haut daturum, ſi omnia remedia ſecuritatis ſuæ tuendæ expediant; nec eundem Dano qvid auxilii laturum. Ad qvæ Elector tutiſſimum remedium ſibi videri, ut fœderati in conventu Bremam condicto id negotium amice expediant; ac ſe officium apud Regem interpoſiturum, ut hic æqvas conditiones admittat. Viciſſim & Electori qverebatur, cum ipſe, ac Monaſterienſis

1675. 1675.

à Dec.

1675. primum Bremenſem provinciam invaſerit, ac pleraqve loca occuparit, ſimul prælio ad Fehrberlinum Svecorum vires fregerit, viamqve ſucceſſibus fœderatorum aperuerit; ſibi tamen tolerandum fuiſſe, Ducem, & Præſulem ſuper hæreditaria diviſione Bremenſis ditionis conventionem iniſſe ſe excluſo, ac inſcio. Tum Duces tractatibus cum Daniæ Rege ſe duntaxat ut ſeqveſtrem componendis controverſiis, non ut participem adhibere velle. Cui facto excuſando non alium colorem dicere poterat legatus, qvam qvod Elector ſemper declararit, ſe nil è Bremenſi provincia affectare; ac jam bonam ſpem Pomerania potiundi allucere.

Bremenſi civitati cavetur.

§. 13. Dum ita ſuper dividenda Bremenſi provincia diſceptatur, Cæſar, ac Elector monebant, ut à fœderatis ſtatus Bremæ urbis perſpicuis verbis ſoli Imperio ſubjectus declararetur, non ita obſcure & ambigue, uti pace Weſtphalica factum erat. Qvæ & urbs cum aliqvem metum à Monaſterienſi oſtenderet, Elector offerebat ſe de ſuo milite manum immiſſurum; id qvod Bremenſes acceptare abnuebant. Inſtabat qvoqve Elector apud Cæſarem, ut ea civitas à ſacramento, qvod Sveciæ Regno dixerat, abſolveretur. Id qvod Cæſar fore promittebat, modo res ab ipſa civitate petatur, ut in Judicio Aulico cum cauſæ cognitione pronuntiari poſſit. Alias eam per præſentem ſtatum ipſo jure iſto vinculo exſolutam eſſe. Cæſarei qvoqve miniſtri cenſebant, qvalicunqve provinciæ Bremenſis inter fœderatos diviſione civitatis libero ſtatui perſpicue cavendum: tum ſuper deſtruendo Carlsburgo ſtatuendum, & ut idem nunqvam inſtaurari fas ſit. Iidem qvoqve optabant, Wiſmariam civitatem Imperialem declarari, qvam à Dano affectari parum arridebat. Mox ipſi Bremenſes à Cæſare petebant abolitionem pactorum, qvæ ſuæ civitati cum Regno Sveciæ intercedant, unde relaxatio juramenti ultro ſeqvatur: tum ut futura pace ſtatus ſuus *immediatus* claris verbis ſtabiliatur, abolita Oſnabrugenſi formula ambigua: ac ut denique à Svecis erepta qvondam ſibi bona reddantur. E qvibus duo priora probabat Elector; ſed circa poſtremum cum fœderatis agendum, nunc ipſi id probent: nam ſua nihil intereſſe.

Elector in Pomeraniam irrumpit. 4. Octob.

§. 14. Aſt Elector poſtqvam maximo cum tædio per tres fere menſes intra Meclenburgicam hæſiſſet, qvoad Daniæ Regem in bellum propellere, & ſuper invadendo hoſte cum eo convenire poſſet; denum colloqvio cum Rege habito tripartito Pomeraniam invadere ſtatuit. Cæſarei apud Tribſeſam, Dani Damgardiæ aditum moliebantur. Sed Elector Treptoam, inde Clempenoam tendebat; ubi qvi intus erant prælidiarii reſiſtere auſi, mox vi opprimuntur. Inde ad Gutzcovienſem Penæ fluvii tranſitum acceditur, qva is fariſſæ altitudine labitur, uliginoſa utrinqve ripa. Caſtellum ibi, & domum media palude ſitam aliqvot peditum manipuli inſidebant. Trans flumen elatiore loco Sveci aliqvot machinas diſpoſuerant, è qvibus crebros globos in noſtros ejaculabantur. Elector caſtellum per duas horas machinis verberari, inde domui iguitos globos injici juſſit; qvos Erneſtus Weilerus moderato pulvere ita evibrare callebat, ut langvidiore impetu lignis hærentes protinus incendium excitarent. Unde cum eam omni parte ignis corripuiſſet, Sveci caſtello relicto trans paludem refugiebant, haut paucis in receptu cadentibus. Inde noſtri in caſtello fidem figebant, Sveci in hos, ut & eos qvi ad ripam conſiſtebant, confertim jaculantibus; qvibus noſtri haut ſegnius reſpondebant, nonnullis proſtratis qvi machinas tractabant. Mox tamen hoſtis non ſine confuſione ſtationem in monte deſerens noſtris liberum tranſitum conceſſit. Diſtrahendo hoſti Elector Gœrtzkium ad Stolpenſem pontem, Joachimum Erneſtum Grumcovium ſubti ibunum ad eum, qvi Jemeraviæ eſt, miſerat, ut aſſultum ibi ſimularent. Sed iſti ſerio impetu hoſtibus pulſis utrinqve perrupere. Ita tres aditus Pomeraniæ per altiſſimum flumen uliginoſa utrinqve ripa cinctum occupati totam provinciam usqve ad munita oppida nudabant. Pons inde à noſtris Penæ fluvio injectus, qvo Cæſareis, & Danus Damgardiæ, & Tribſeſæ acceſſus ponderetur. Sed cum Sveci, qvi ibi ſervabant, perciperent, Electorem Gutzcoviæ perrupiſſe, deſertis anguſtiis iſtos qvoqve admiſere. Spancoa inde arx qvinqve propugnaculis lapideis firmata, ſtatim atqve ſelectorum dimacharum manus accederet, à Svecis deſerta fuit. Elector inde cum pleroqve eqvitatu Gutzcovia Grimmam, inde Richtenbergam tendebat, Daniæ Regis adventum expectans, qvi cum termille eqvitibus, & aliqvot dimacharum catervis iſti jungitur. Utriqve eo die ſub Stralſundam acceſſere, ubi audierant qvinqve legiones Svecicorum eqvitum conſediſſe. Primo adventu aliqvot pabulatores proximis vicis intercepti; ſimul aliqvot turmæ emiſſæ, qvæ usqve ſub

9. Octob.

13. Octob.

jactum

1675. jactum machinarum Stralsundæ succesſerunt, Svecis pugnandi facultatem præbentes. Sed qvi ſub machinis urbis commodo loco conſidentes à fronte munitionibus raptim excitatis, ab uno latere, & à tergo mari, ab altero latere urbe tecti, nuſpiam prodire volebant. Seqventi die iterum Rex, & Elector ad Svecorum munitiones intra jactum machinarum acceſſere, ſed in qvos nil globorum ex urbe emiſſum; nec Svecis extra munitiones ſuas prodire placuit. Hos igitur cum nulla invadendi facultas eſſet, in diverſa diſceſſum fuit; ac Rex ad obſidendam Wiſmariam, Elector ad exercitum digrediebatur.

Wollinum expugnatur. Sibe. Nettelhorſt. Manteufel. Graben.

§. 55. Interea Bogislaus Sverinus ſummus vigiliarum præfectus ex Ulteriore Pomerania Wollinenſem inſulam invadere inſtituit; qvo fine Hohendorfii, & Bodonis Slibii legiones cum pluribus turmis ſub Nettelhorſtio, Manteufelio, & Græbeno Camini convenerunt; ubi & triginta cymbæ vehiculis imponebantur cum qvinqve machinis minoris formæ. Inde manus emiſſa qvaſi per Divenoam tranſitus tentandus eſſet. Sed cymbæ, & reliqvæ copiæ per ſilentium Latzigium vertere, ubi flumen anguſtiore ripa arctatur, ſolidiore fundo. Cymbæ ibi raptim aqvis immiſſæ nullo ſtrepitu, ut qvadringenti pedites cum Hohendorfio tribuno medium jam flumen tenerent, anteqvam Sveci in altera ripa excubias agentes id ſentirent; qvorum tumultu inſuper habito noſtri in adverſa ripa pedem fixere, mox & reliqvi transvecti. Sverinus inde, & Slibius noctu ad Divenoam progreſſi orta luce adſito caſtello deditionem imperarunt; qvod & ſine exceptione iis ſe permiſit. Optioni, qvi intus ſervabat, liber diſceſſus permiſſus; gregarii ſub ſigna noſtra recepti. Mox univerſæ copiæ Wollinum oppidum acceſſere, qvod impetu invadere placuit, anteqvam manus, qvæ ſuppetias latura veniebat, accedere poſſet. Poſt mediam noctem tribus locis aſſultus datus, & intra ſemihoram, *3. Oct.* Svecis licet acriter reſiſtentibus, vallum ſuperatum, ac hora tertia matutina in urbem perruptum non niſi tribus noſtrorum cadentibus, nonnullis ſauciatis. Præfectus *Grubbenhielm.* Svecicus Grubbenhielmius cum multis aliis in ipſo vallo occiſus; reliqvi omnes captivitatem ſubiere. Mox & idem Sverinus caſtellum ad Suinæ oſtium expugnabat, cui qvadringenti eqvites Wolgaſto egreſſi ſuppetias latum accedebant. Sed qvi pulſi relictis eqvis unde venerant cymbis revecti ſunt. Ex altera parte Anhaltinus Princeps valida cum manu Oderam transgreſſus Grifenhagam, adventu ejus à Svecis deſertam, occupabat. Adſitum caſtellum triginta peditibus inſeſſum aſſultu expugnatum. Tum & aliud caſtellum, cui à vectigali vocabulum, Oderæ imperans, & Wildenbruca arx in poteſtatem redigitur, intercluſa Svecis facultate in Ulteriorem Pomeraniam excurrendi. 1675.

Wolgaſtum expugnatur. 5. Nov.

§. 56. Aſt Elector, poſtqvam eqvitatum idoneis locis diſpoſuiſſet, ne per excurſiones è munitis oppidis exercitus infeſtari poſſet, Wolgaſtum oppugnare inſtituit, ſex propugnaculis firmatam arcem, Stetino ſubvectionem mari intercluſurus. Retro ædes oppidi ſuggeſtus excitantur, acceſſus ad foſſam promoventur, omnia aſſultui parantur, Svecis interim continuo ex arce fulminantibus exiguo damno, qvod noſtri domibus tecti opus facerent. Inde *9. Nov.* ex omnibus ſuggeſtibus in arcem verberatio fit, ac brevi tempore duo propugnacula disjiciuntur, ut machinæ ibi tractari non amplius poſſent. Sed & globus ignivomus conclave pyrio pulvere plenum illapſus partem arcis disjecit. Seqventi nocte pontes foſſæ admoti, ut altera luce aſſultus daretur. Qvem haut expectans præfectus Andreas Dubislaus Blixius deditionem fa- *Blix.* ciebat ea lege ut cum octingentis & viginti præſidiariis Stralſundam dimitteretur. Inſignis copia adparatus bellici, & annonæ in arce reperta. Animus erat poſt expugnatum Wolgaſtum Anclamum qvoqve invadere. Sed ingruens fœda tempeſtas id inſtitutum dimittere ſubegit; ſimul per morbos & annonæ inopiam numeri valde imminuti, Cæſareis præcipue copiis ad exiguum numerum redactis. Et qvia ipſi Sveci omnia intra Penam vaſtaverant, miles trans id flumen in hoſpitia deducendus erat. Valida manus ſub Friderico Landgravio Regi Daniæ Wiſmariam obſidenti auxilio miſſa; qvi demum id oppidum poſt difficilem oppugnationem deditione cepit, cum jam- *14. Dec.* jam imbres, & frigus inde ultro faceſſendi neceſſitatem allaturi eſſent, trementibus Danicis ducibus, qvod Rex, dum Electori viam in Pomeraniam aperit, ſero tam validi loci obſidium auſpicatus eſſet. Landgravius poſt Ribenitzam trecentis Svecicis militibus inſeſſam, cum hi jam deditionem agitarent, vi irrupit, omnibus in captivitatem redactis. Obtulerat Elector Regi Daniæ Rugiam inſulam, qvam hic poſt captam Wiſmariam invadere parabat. Sed ſvadebat Grifenfeldius Hafniam potius redeundum, qvod Sveci Selandiæ minitentur: qvi

1675. & malebat à Rege in Scania rem geri, qvo ipse semper ejus lateri hærere posset. Ac sane Ordines Sveciæ in comitiis concluserant; illis qvidem, qvi Regi ad ordiendum in Germania bellum consilium dedissent, rationem eo nomine reddendam. Qvia tamen Danus qvoqve in bellum eruperit, se Regem omnibus viribus sublevaturos. Non parum offenderat Danum, qvod Cæsarei Viennæ tam frigidos circa sua postulata se ostenderent, super portione de Bremensi provincia, super hospitiis, & vectigali ad Glucstadium abnuentes. Idemqve cum peteret, ut sua conditio ad annum 1643. revocaretur, pollicitus, se Cæsari qvoqve, & Hispanis adfuturum, qvoad scopo suo potirentur; Cæsarei rem distulerant, nullo liqvido responso dato. Qvam ob causam etiam Danus cum Gallo pacem abrumpere nolebat. Vicissim & Cellensem Ducem Rex offendebat, qvod, cum hic per duos cursores Electori de capta Wismaria significasset, id officii apud Cellensem omiserat. Qvanqvam & ideo necessarium erat Electori id nuntiari, qvod ei obsidio tegendo ipsius copiæ in campo consisterent; qvæ hiberna avide desiderabant.

Super hospitiis difficultates.

§. 57. Post tam glorioſam expeditionem reſtabat difficultas ſuper hibernis, qvæ ſola Electoris ditio tolerare non poterat. Nec æqvum erat pro communi patriæ bono pugnantibus ſolis onus incumbere, cæteris immunibus; ſed & hos par erat aliqvid ad ſuſtentandos exercitus conferre. Super hiſce Electoris copiis Cæſar ſat jejune proſpexerat, qvi Windiſchgrætium Comitem Mulhuſium miſerat ei diſpoſitioni edendæ, qvo & à fœderatis miſſi convenerant. Ea ſuper re Elector per Grocovium graviter qverebatur; qvi merita ejus hoc anno, & ſtudium in patriam late demonſtrabat: iter ad excitandos fœderatos Hagam ſuſceptum; Monaſterienſem, & Hanoveranum partibus Gallicis abſtractum; Ratenaviam oppreſſam; Svecos prælio fuſos Marchia exturbatos; Pomeraniam perruptam; Svecos ad trajiciendum in Rugiam inſulam eqvitatum compulſos. Unde credidiſſe, ejusmodi hiberna ſibi aſſignatum iri, ex qvibus exercitus refici, ac ſuppleri poſſit ad expeditionem futuro anno integris viribus repetendam. Nunc ſibi aſſignari citeriorem Pomeraniam, qvam ipſi Sveci exhauſerint omnibus in munita oppida congeſtis, ubi nec pretio panis emendi facultas fuerit, qvem è Marchia eo convehi oporteret. Aliorum qvi hactenus cum hoſte ſenſerint, & otioſe deſederint, majorem curam haberi, eosqve ſibi præferri. A ſe poſtulari, ut ſuæ copiæ propriis in provinciis hoſpitia capiant, qvas Sveci tot per menſes depopulati ſint. Apparere ex his, eſſe qvi ipſum ad inopiam redactum velint, fortunamqve divinitus conceſſam invideant, ac vires adimere inſtituant, qvo minus utilem operam deinceps Cæſari, ac patriæ navare qveat. Unde ſibi in viginti millia militum idonea hoſpitia habenda; qvæ ſi abnuantur, neminem ſibi vitio daturum, ſi mature ſuper ſua conſervatione cogitet. Iſthæc autem ideo tam abrupte à ſe proponi, ut imminenti ſe exitio ſubducat, cum videat, tam exiguam ſui rationem haberi. Qvod ſi Cæſarei objiciant; Ordinibus tantum oneris non eſſe imponendum, reſponderet Crocovius; eam honeſtam eſſe orationem. Sed ſi Cæſareus miles Sveviam, Franconiam, Weſtphaliam, ac plura alia ſibi ſoli vindicet, qvæſtionem eſſe, an non Ordinibus juxta, ac fœderatis oneri ſint, ſi omnia ſibi ipſis, aut iis qvibus favent, rapiant, cæteris exclusis? A ſe nil aliud reqviri, qvam ut æqva proportio obſervetur, qva qvisqve incolumis eſſe poſſit. Sibi paſſim exprobrari, tam enixo ſtudio partes ſe Cæſaris ſuſtinuiſſe, ut aliqvando pœnitentia ſit ſubitura. Sed ſe magis egregium, & juſtitiæ amantem Cæſaris animum, qvam ejuſmodi ſermones reſpexiſſe; & adhuc reſpicere. Windiſchgrætii odioſam, & altius penetrantem propoſitionem haut pro imperio ſibi obtrudendam, ſed ſuam qvoqve ſententiam pondus aliqvod habituram. Nam non unius è placito, ſed per conventionem eſſe procedendum. Alias ſatius eſſe in tempore, qvam ſero de remedio cogitare. Jubebatur qvoqve Crocovius qveri, qvod Monaſterienſis tam dura à Bremenſi civitate poſtulet, cum eam ſublevari potius, qvam premi par ſit. Tum qvod ſuarum copiarum, qvæ tamen ad occupandam Bremenſem provinciam haut levem operam contulerint, nulla ratio habeatur. Ac ſane Cæſarei qvinqve Circulos hoſpitiis ſuis occuparant, cum fœderatis, qvi contra Svecos rem geſſerant, Dano, Electori, Cellenſi ſolam Saxoniam utramqve aſſignarent, in qva propriæ ipſorum ditiones ſitæ erant, & ubi maximam partem iſti immunem declarabant; Hanoverano qvoqve non modicam ejus partem occupante. Aſt Cæſarei ſuper hoſpitiis Electori injuriam factam agnoſcebant, ſed culpa in Montecuculum rejiciebatur, diſtributionis autorem, qvi promiſerit, ſe proximo vere Cæſaris exercitum ad ſexaginta millia auctum repræſentaturum. Enimvero præcipua

1675. 24. Nov.

hunc,

1675. huic, ac reliqvis Cæsareis ducibus circa corradendas sibi pecunias cura erat, ac per validam, qvam in aula habebant, factionem vel iniqvissima se pervicturos confidebant. Unde qvanqvam Elector literis ad Cæsarem datis citra ambages exposuisset, qvantopere ipsius duces, Itali præsertim, per hospitia avaritiæ litarent, ingentibus pecuniæ summis in Italiam trajectis; nil tamen proficiebatur, qvod Montecuculus opinionem de se excitasset, qvasi Cæsar ipso carere non posset; eoqve omnia, qvæ ab eo secus acta erant, dissimulabantur. Demum super 3 Dec. Electoris qverelis ita declarabatur: *Cæsaris mentem fuisse, ut suus exercitus trans Rhenum hiberna caperet, non nisi supplemento aliqvo è Svevia, & Franconia accepto. Sed qvod secus factum sit, partim Montecuculo imputari, qvi victoriam persecutus non sit, nec Gallos, qvod in proclivi fuisse videbatur, Alsatia expulerit; partim Luneburgicis Ducibus, dum post felix prælium in Lotharingiam, qvod ab iis postulatum fuerat, progredi noluerint. Unde Montecuculum à dispositione Viennæ facta discessisse, ac plus terrarum hospitiis amplexum, Luneburgicos qvoqve, secus qvam Cæsar voluerit, intra Mosellam, & Mosam non constitisse, sed cis Rhenum per Wetteraviam, sylvam occidentalem, & Ducatum Westphaliæ se diffudisse. Qvo ipso non solum latus Germaniæ, qvod præcipue protegi contra Gallos par erat, nudatum sit; sed & ea loca cis Rhenum occupata, ubi fœderatis hospitia concedi potuissent. Monasterienses qvoqve, & Luneburgicos, dum sibi ipsis pro lubitu hospitia invadunt, antea digesta turbare. Inprimis per pactum cum Hanoverano huic cessisse, qvæ Electori destinata fuerant.* Circa proposita tamen ab Electore in universum movebant; soli Cæsari, non ulli alii Ordinum competere alios Ordines hospitiis onerare. Ad qvod Crocovius: Si Principum qvispiam exemplo Electoris omnibus viribus pro Cæsaris, ac Imperii salute certet, num par esse, ut Cæsaris exercitui laute prospiciatur, istius miles inopia defetiscat? Et tamen revera fœdus cum Electore in causa fuisse, ut multi adversas partes amplecti non ausi sint. Num credant, hoc modo fœdera servari; aut se absqve fœderatorum ope hoc bellum confecturos? Super Electore qvoqve Saxoniæ scrupulum movebant, eum qvoqve partem prædæ petiturum, si onera simul ferenda sint; frustra regerente Crocovio; id satis lucri esse, qvod ejus ditio à Svecorum irruptione servata fuerit. Nam Cæsarem non potuisse defugere, qvo minus isti immunitatem ab hospitiis promitteret. Qvid enim futurum fuisse, si Saxo cum omnibus ejus domus Principibus, cum Bavaro, cum Svevis, & Franconicis præsentia onera ægre tolerantibus, cum Hanoverano se jungeret? Genium ejus Principis & aulæ cognitum esse. Postulare hunc, ut eodem modo, qvo prioribus temporibus, sui ratio habeatur, & altiores qvam pro captu rerum suarum spiritus gerere; inprimis æmulatione in domum Brandenburgicam agitari; eoqve extrema potius tentaturum, qvam Electoris copiis ulla apud se hospitia concedat. Deniqve & infinitæ super hospitiis qverelæ tunc Cæsaris patientiam plane consumserant. Inter ejus ministros qvoqve magna confusio erat, & odiosa negotiorum unus in alterum rejiciebat. Qvando Crocovius minabatur; ni gratum responsum detur, Electori alia consilia esse capessenda, exclamabant; pacem ergo qvibuscunqve conditionibus faciendam. Ad extremum tamen Electori assignabatur ditio Magdeburgica, Anhaltina, Mansfeldensis, Schvvartzburgica, Ruthenica, & Cassellana. Montecuculo qvoqve scribebatur, ut legiones, qvæ in Saxonicorum Ducum terris hærebant, alio deduceret; tunc & istas Electori concedendas. Sed cum Crocovius exciperet; Anhaltinam, Mansfeldicam, & Schvvartzburgicam Hanoverano jam assignata, reponebatur; à Cæsare id pactum ignorari. Qvi ea hospitia dederint, eadem præstarent. Ac 1675. eo ægrius id pactum eundem ferre, qvod intellexerit, Hanoveranum cum Gallo qvoqve super medio statu convenisse, eoqve nomine subsidia sibi stipulatum; qvæ pestilens, atqve improba juris fœderum sit cauponatio. Ad qvod regerebatur: Windischgræcium Duci antea plura obtulisse, qvam ipso pacto contineantur; ac Monasterienses jactasse; sibi mandata à Cæsare esse, Duci talia annuere. Adjiciebantur demum Electori Saxonicorum Ducum ditiones, exceptа Coburgica, Hennebergica, & Ilenacensi. Cupiebat qvoqve Elector ditiones fratrum Saxonicorum addi; qvo postulato tamen hactenus desistebatur, ut hospitia certa pecuniæ summa redimerentur, qvod Saxo id vi se prohibiturum ostenderet. Id qvod cum circa Magdeburgicam qvoqve provinciam postularet Administrator, Saxo abnuebat, nec ad id se teneri. Sane is Princeps Magdeburgi Administrator alias qvoqve parum pronum se in Electorem ostenderat; qvi præter alia non neminem Londinum miserat, futuris tractatibus Regi Angliæ prætensionem ipsius in Electorem, octingenties mille uncialium commendaturum, qvantum hic ex Magdebur-

1675. gica ditione exegisse, aut transeundo damni dedisse arguebatur; qvi missus in comitatu legati Svecici agebat. Sed & ex eo Saxonis in Electorem iniqvitas pellucebat, qvod copiæ, qvas is auxilio miserat, hostili modo per Marchiam grassarentur, nec alimentis contenti tributa incendiaria extorqverent, & qva transibant omnia diriperent.

Cum Polonis ambigue agitur. 9. Jan.

§. 58. Inter ista ambiguo cum Polonia statu agebatur, qvod Sveci, Galliqve Poloniæ Regem in Electorem concitatum irent, qvem tamen rationes Reipublicæ ad pacem cum hoc colendam invitabant. Ne igitur qvid mali ea parte erumperet, Joachimus Scultetus ad Magnum Cancellarium Lessinium mittebatur, ut is Gallorum, & Svecorum machinationibus obsisteret. Id qvod hic prolixe promittebat, ac Polonos ab oblato per istos fœdere abhorrere confirmabat. Nec tamen vicissim esse, qvod Elector Polonorum auxilio confidat, præsertim qvamdiu Sveci nil in Borussiam tentarint. Alias observabat Scultetus, Polonos, etsi bello Turcico defungi cuperent, Regi tamen nimios contra Turcam successus haut optare, præsertim cum hic magis qvam qvispiam antecessorum exercitum sibi obnoxium haberet. Simul fama erat, Gallos apud Reginam, qvæ hectica laborare cœperat, instare, ut viva adhuc à Rege stipuletur, ne post ipsius fata aliam, qvam Neoburgici filiam, ducat, cui Rex Galliæ in dotem millionem librarum daturus sit, qvo Austriacis omnis spes de vidua Regina adimeretur, eoqve horum factio eo citius expiraret. Paulo post intellectum, Andream Lilliehœckium legatum Svecicum Gedani apud Bakovium Pomerelliæ Palatinum inter alia de Electoris inconstantia, & variis mutationibus multa qvestum. *Sed jam Svecos occasionem nactos eum firmiter stringendi, nec prius cum exercitu ejus provinciæ egressuros, qvam super constanti ejusdem consilio sibi cautum sit. Ac si miles in Marchia non amplius inveniat, unde victitet, in Borussiam iturum. Nam qvia Poloni concesso summo imperio juri suo in eum Ducatum renuntiasse videantur, Svecis operam dandam, ut iterum pedem in Borussia figant.* Ista ut Lessinio communicarentur, simul inhibendis Svecorum in Borussia, & Polonia delectibus, Scultetus denuo ad hunc ablegabatur. Cui Lessinius respondebat: *Eam rem sibi non parum cordi esse; ac solicite à se ad Proceres scribi, ut hisce consiliis obstent, ac omni modo Svecis in Borussiam irrupturis se opponant; præsertim cum sedes belli facile in Poloniam devolvi possit, si transitu Svecis concesso Elector qvoqve eundem sibi sumat, & hostem suum ubicunqve invenerit perseqvatur. Sed Senatores id negotium frigide accipere. Apud Nobilitatem parum studii in Electorem, ingentem belli Svecici metum esse è superiorum temporum memoria. Eos tanto belli tædio captos, ut cum Turca vel summo cum Reip. dedecore depacisci cupiant: ac plerosqve præsentia tantum respicere, futurorum incuriosos. Qvod si Svecis per minas, & asperas literas aditus per Poloniam in Borussiam intercludi qveat, nil periculi fore. Ast si Svecis per vim transitus prohibendus sit, se metuere, ne hi prius sub Regiomonte consistant, qvam Nobilitas à Rege evocata uspiam se commoverit. Alias Svecorum destinata sibi non incognita. Inhiare eos omnibus portubus ad Mare Balticum; ac legatum imperitos rerum Polonos blandimentis lactare; modo Sveci portubus Borussiæ potiantur, eos libenter concessuros, ut reliqva provincia corpori Poloniæ inseratur. Id qvod tamen non magis cordi ipsis sit, qvam Pomeraniam, aut Bremam deserere.* Idem Lessinius super præsenti Electoris statu, ac fœderibus, qvibus implicetur, disserebat, optabatqve id negotium longius tendens feliciter ad exitum esse perductum. *Fœderatos istius sibi haut nimium probari. Cæsari qvidem sinceram esse intentionem; sed qvæ ministris mens sit, sibi haut constare. Mirum videri, qvod ob idem delictum, ob qvod Lobcovicius aula dimotus fuerit, alii, qvi post rebus tractandis admoti sint, in eandem suspicionem vocentur. Belgas mercatores esse, qveis diuturna commerciorum oppressio, & onerum magnitudo dudum belli tædium attulerint; ac forte inter ipsos dissidium oriri posse. Eqvidem se de Arausionensis constanti in Electorem fide non dubitare. Sed si mercatores crumenam claudant, necessum ei fore ludo se subtrahere; & tunc Electorem summa cum molestia ad tractandum compulsum iri. Danum, & Moscos multum ad rem facere posse. Sed istum adhuc tergiversari; hos nativa indole deceptores, & callidos juxta, malitiososqve esse, qvi fere apud hostes juxta, ac amicos peculiare lucrum sibi captent. Sane eosdem hucusqve copias contra Turcam jungere nolle, ac Regi juxta, Reiqve publicæ illudere, ut in turbido piscentur. Igitur Electori probe considerandum, num de constantia fœderatorum ad finem usqve belli cautum ipsi sit. Se qvidem pro antiqva fide, qva Electori semper addictus fuerit, suadere, ut si occasio alluceat, qvâ is honeste bello se subducere qveat, eam haut omittat.*

Febr.

Svecorum Gedani machinationes.

§. 59. Porro haut omittebat Lilliehœckius Gedani Senatum ac cives inter se committere, jactans tantum instar in hac urbe esse,

15 Mart.

1675. esse, ut ex ea Belgæ ad modestiam redigi, Elector subrui, ac Dano jugulum premi possit. Idemqve civibus confirmabat, nil periculi subesse; ne tributi qvid conferrent, unde Senatus arma parare possit. Turbarum istarum Gedanensium fax & tuba erat Ægidius Strauchius Theologus, cui amovendo Elector efficiebat, ut Hamburgum vocaretur. Qvo cum iste mari tenderet, ab excursoribus maritimis interceptus, ac Custrini aliqvamdiu detentus fuit ad evaporandam libidinem circa negotia non suæ professionis satagendi, donec facta pace, cum non amplius nocendi facultas esset, dimitteretur. Cæterum tunc Gallica factio in Polonia spargere non dubitabat; Regis ac Reip. emolumento cessurum, si Sveci Ducalem Borussiam, & Gedanum in potestatem redegerint, qvod his portus tantum retinere animus sit, omnibus reditibus in Polonos transcriptis: etsi fatuos non invenirent, qvi talia crederent. Eadem factio & omni studio id agebat, ut Elector è Polonia distraheretur. Sed cum multi alii, tum Pacii, magnæ in Lithuania autoritatis, qvi Electori studebant, pollicebantur, se fœdus cum Svecis omni ope impedituros. Ac eo minus istæ machinationes succedebant, qvod Rex toto eo anno in expeditione ageret, exteris legatis accessu ad se negato; nisi qvod Gallicus Reginam se tanqvam privatum assectari diceret. Haut omittebant tamen Galli per Jesuitas machinari, ut provinciales Borussiæ ab Electore averterent, qvo sub Poloniæ ditionem redire laborarent. Iidem & pacem Poloniæ cum Turca conciliare studebant, ut eum Regem dein in Cæsarem immitterent. Et Akakia, aliiqve emissarii turbas in Hungaria fovebant; qvod negotium & Bethunius in Gallia agebat. Viennæ tamen judicabant, eas Gallorum in Polonia machinationes exiguum pondus habituras, qvod patriæ amantes cives id haut concessuri sint; & qvia Proceres Gallis per munera innexi facile effugia inventuri sint promissis sese exsolvendi, & pro accepta pecunia nihil præstandi.

Legati Svecici ad regimen. Borussicum literæ. 10. Jul.

§. 60. Ast post prælium ad Fehrbellinum Lilliehœckius infidiosas literas ad Regimen Borussiæ scribebat hoc argumento: *Qvanqvam dissensio inter Regem Svecia, & Electorem super genuino sensu, & eidem superstructa observatione pacis Westphalica, qvam Rex tamen amice componere voluerit, eousqve eruperit, prout omnibus notum sit: Regi tamen adhuc animum persistere cum Electore aqvissimis conditionibus, si modo hiceas repudiare non pergat, transigere, ac* 1678. *sinceram amicitiam cum eodem instaurare. Nec minus Regem Regimini, ac toti Borussiæ affectu, ac studio addictum manere impulsu amoris, qvo ipse Evangelica sacra, qvæ & Borussi amplectantur, profiteatur; & qvia studium amicitiæ cum Polonia colendæ ad Borussiam qvoqve tanqvam ejus Reip. feudum porrigatur. Igitur Regem non solum Borussiæ, sed & aliis partibus à Polonia pendentibus, Lauenburgo, Butovia, & Drahcimo peperciisse. Qvo fine & literarum commercia cum Duce Croyano, & Regimine Borussico à se offerri. Simul dissuaderi, ne Electors copias è Borussiæ submittant, velut ansam benevolentiam regiam erga ipsos imminuendi; & ne indultus hactenus pacatus Borussiæ status in turbidum mutetur præter Regis Poloniæ mentem, amicitia cum Svecia colenda pronam, cujus autoritatem Borussia merito seqvi debeat. Sane Regem Svecia ad defensionem suarum provinciarum, ac in ultionem rejecta ab Electore amicæ compositionis, datique damni Borussiam invadere posse, ac eodem jure contra hanc uti, qvo olim Elector Pomeraniam Svecicam ferro flammaqve vastavit, nil mali de Polonia, & Electore meritam, nisi qvod Carolus Gustavus Rex ex eadem exercitum in Poloniam adduxerit. Neigitur & ipsi missis Electoris copiis pacem bis in oris turbarent.* Ad eas literas Elector hunc in modum responderi jussit: *Benevolentiam Svecorum erga Poloniam, & Borussiam è superiore bello adhuc satis notam esse. Qvantus apud eosdem respectus sit erga religionem Evangelicam, satis elucere è nuper actis per ipsos in Marchia, & Pomerania, ubi ipsos concionatores Lutheranos admotis circa caput funibus torserint, ut qvicqvid miseris pecuniolæ restaret, depromerent; ædes sacras diripuerint, ac modis dicto fœdis polluerint. Sane nihil minus qvam religionem iisdem cordi esse, soli avaritiæ, ac fines proferendi libidine lucantibus. Cæterum qvia olim Elector, cum Polonia, & Borussia à Svecis invaderetur, copias suas è Marchia, & Pomerania ad istarum defensionem adduxerit; igitur Borussos & jure subjectionis, & grati animi officio obstringi, ut vicissim omnes vires ad tuendas Electoris provincias Germanicas conferant.* Ejus Lilliehœckii famu- 16. Jun.
los cum supellectile Stetino Gedanum tendentes absqve literis tuti itineris Bodo Slibius in Pomerania detinuerat. Id qvod contra jus gentium haut factum videbatur, qvod iste ab hoste missus esset non ad Electorem, ac ejus comitatus per hujus ditionem non impetrata venia, nec prævia denuntiatione transiret, dissimulato etiam domino, & ad Nobilem qvempiam Polonum

1675. num se spectare professus. De ejus viri machinationibus Elector ad Regem Poloniæ scribebat, petens, ne ei aurem præbeat, ipsos inter se committere laboranti, nec tam multa fingenti credat; puta, qvod à se veniam petierit ipsius terras transeundi, idqve recusatum fuerit; qvorum utrumqve falsum sit. Detentos tamen homines, & supellectilem post iterum dimissam, exprobratione addita, qvare hostilis legatus per hostis terras transiturus diplomate sibi cavere neglexerit, uti Ehrensteinius, & Benedictus Oxenstierna fecerint? Idem post cum diu Gedani dissensionem inter Senatum, & cives fovisset, Warsaviam se conferebat cudendo fœderi inter Sveciam, & Poloniam super invadenda Borussia. Unde Elector ad Cæsarem, Hispanum, & Belgas scribebat, ut Polonum talia suscipere dehortarentur. Qvod Cæsar curæ sibi fore confirmabat; haut tamen judicare, Remp. in ejusmodi fœdus consensurum. Elector 24 Dec. qvoqve Joachimum Scultetum ad Lesinium Cancellarium mittebat, Crocoviam ad coronationem Regis iturum, ut de tuo in Regem, & Remp. studio testaretur, simul fœdus impediret, qvod Akakia, & Lilliehœckius meditabantur. Lesinius pollicebatur, se id omni ope dissvasurum, qvod bello Turcico fatigata Resp. ob mutuam eo fœdere obligationem intolerabile sibi onus conciliatura sit, à vicinorum irruptione nunqvam tuta futura. Nam sua, & plerorumqve patriæ amantium civium consilia eo tendere, ut pacta cum omnibus vicinis serventur. Ac si maxime pax cum Turca fiat, Resp. se bello Germanico haut misceat, sed neutri se parti addicat, nulla in Cæsarem, aut Gallum offensa. Conductas ab Electore duas eqvitum turmas in Majore Polonia sinistre accipi, qvod ipsa Resp. eo milite contra Turcam indigeret, ac Gallum, Svecumqve forte turbandi ansam inde arrepturum. Parum qvoqve Electori profuturos istos homines, à qvibus facile prodi, ac deseri qveat, ac ni par licentia indulgeatur, qva in Polonia agant, facile ex amicis hostes evasuros. Regem qvoqve insultationis instar habere, qvod dum ipse vitam pro libertate patriæ exponit, isti se destituto alienam militiam seqvantur. Ad qvæ Scultetus reponebat: Electorem nunqvam vasallis suis interdixisse, qvo minus etiam præsente bello Germanico Polonis militent. A Svecis qvoqve milites in Polonia conductos, ut qvod uni licet, alteri qvoqve licere debeat. Cæterum cum Poloni à fœdere, qvod Lilliehœckius qvæsierat, abhorrerent, hic demum in id unice incumbebat, ut Poloni conniverent, si per Gallicas, aut Svecicas naves miles Svecicus in Borussia idoneo loco exponatur; qvod Sveci bellum à Pomerania omni studio in Borussiam transferre cuperent. 1675.

§. 61. Demum qvia bello contra Svecos Moscus ingens momentum adferre poterat, Elector Czari Svinfurto de statu suo, & Germaniæ scripserat, cui hic respondit: eum se ægerrime tulisse, ac Sveco ista ausa per literas acerrime exprobrasse. Post idem Joachimum Scultetum ad Czarem mittebat, ut ei prolixius acta sua adprobaret, Svecorumqve sinistra instituta, ac præsentem debilitatem demonstraret, eumqve ad hosce invadendos incitaret. Is cum Moscoviam perveniisset, reperit certum ibi hominem agere, qvi fictas relationes Holmia, aut Riga transmissas disseminaret: prout & nuper de adverso Electoris ad Fehrberlinum prælio sparsum fuerat, in qvo sex nostrorum millia cæsa, & ipse Elector in palude hæreus confossus fingebatur. Qvibus fabulis Mosci turbati ablegatum detinebant, antequam solenniter audiretur. Cæterum cum qvæ jussus erat Scultetus exposuisset, Czar qvidem Svecorum acta valde improbabat: sed cum Svecia æternam pacem 18. Aug. nuper firmatam abrumpere nefas esse. Ac cupere se qvidem cum Cæsare, & omnibus Imperii Principibus fœdus inire contra Turcam, sed non contra Principem Christianum; id qvod & legato Svecico idem affectanti responsum fuerit. Sed ejus rei causam hanc reddebat Artemon Sergevicius; qvod ipsi Germanorum Principum rationes, & qvomodo invicem implicentur non intelligant, qveis dicto citius inter se convenire possit. Unde sibi haut tutum esse istorum litibus se miscere. Exitium Poloniæ Moscis parum cordi erat, naturali odio ambarum nationum, & qvia credebant Turcis se pares fore, si maxime hi aliqvam Poloniæ partem subegissent; simul qvia spes erat prævalentibus iisdem Lithuanos Czaris protectionem amplexuros. In congressu cum delegatis Scultetus prolixe referebat, qvid cum Electore actum sit, & uti Sveci vapularint, iisqve bellum à fœderatis indictum sit. Igitur & Czar occasionem arriperet, extortas qvondam provincias recuperandi, ac in Livoniam irrumperet. Svecis non esse pecuniam, nisi à Gallo, qvi jam exhaustus sit. Ac in proclivi fore ingens operæ pretium facere. Ubi tam pulcra occasio amittatur pœnitentiam subituram. Artemon reponebat: Czarem Svecorum in Electoris terras invasionem ægerrime ferre, qvod æterna cum Svecis pace cautum sit, ne alteruter alicui Prin-

Ad Moscum legatio.

Sergevitæ.

cipi

1675. cipi bellum inferat, nisi prius re cum altero communicata. Id qvod cum Sveci non servarint, Czari sat causæ esse, ut istud in vicem abruptæ pacis habeat. Unde & Chovvanscium jam jussum copias ad Livoniæ fines contrahere; id qvod sine dubio Svecis scrupulum injecturum sit. Antebiennium qvoqve legatum Svecicum fœdus offensivum, ac defensivum petiisse adversus qvoscunqve, excepto Turca: id qvod Czar recusaverit, velut cui cum omnibus Principibus Christianis, ac præcipue cum Elector, amicitia constet. Id legatum tunc probare visum, ac Regem Sveciæ valde gavisurum, Czari cum Principe tam arcte sibi innexo bene convenire. Cum etiam idem legatus interrogasset, num pax Svecos inter, & Moscos perpetuo sit servanda, ei responsum; qvamdiu Sveci velint, nec contra eam qvid faciant. Qvamprimum itaqve Elector Czari de Svecorum irruptione significarit, hunc Sveco scripsisse, talibus cœptis desisteret, ac Electoris terras omitteret, qvo æternæ paci sua firmitas constet; ad qvas literas nondum Holmia responsum allatum sit. Circa Poloniam dicebat Artemon; Czarem non solum ad omnes Christianos Principes scripsisse, ut polito inter se bello Poloniæ contra Turcam succurrant, sed & huic decem militum millia auxilio misisse. Enimvero ne Lithuanicum qvidem exercitum Polonico se junxisse; ac Poloniæ Regem eo loco bellum gerere, ubi hominibus, & jumentis fame sit pereundum. Et cum Czar Regem eo nomine moneret, hunc respondisse; penes Czarem non esse sibi præscribere, ubi, & qvomodo in sua ditione bellum gerere debeat. Unde Czari non amplius curæ esse, qvid Poloniæ fiat. Aderat tunc & à Daniæ Rege legatus fœdus cum Czare qværens ad Livoniam Svecis eripiendam. Super qvo Sculteto nihil in mandatis habebat; nec perspiciebat, qvid emolumenti inde in Electorem redundaturum esset. Si tamen id à Czare obtineri qveat, & Electoris rationibus congruat, forte & hunc eidem accessurum. Sed id sociata opera Mosco ingerendum, qvantopere ipsius imperio profuturum sit Careliam, & Ingriam recuperasse; ac jam Svecos tam multiplici bello distringi, ut forte integro seculo par occasio nascitura non sit. Cæterum Moscis haut placebat cum Svecis pacem abrumpere, qvod in Polonos ipsis respiciendum esset, ne hi forte subita cum Turcis pace inita in Moscoviam arma verterent. Nec adhuc memoria cladis ad Rigam exciderat, ob qvam parum abfuerat, qvin universus populus seditionem indueret. In sinu tamen 1675. gavisuri erant, si Sveci non superfunctorie multarentur. Sed nec Moscis in animo erat Polonos auxilio sublevare, qvos malebant sub onere luctantes fatigari, ut ad æternam pacem ineundam, multasqve terras cedendas compellerentur. Ac peculiari odio Regem Joannem prosequebantur. Interim Moscus declarationem differebat, qvoad responsum ad literas suas è Svecia adferretur, de qvo Electori communicaturus sit. Cum Danicus minister Goæus irruptionem in Livoniam urgeret, Artemon respondit: mirari se, talia à Czare postulari, cum tamen reliqvi fœderati nondum se cum Elector conjunxerint, ac commodissimum tempus in campo rem gerendi frustra elabi passi sint. Videri ipsis fœderatis parum convenire circa rem suscipiendum. Præterea non semper manibus, & oculis, sed & ratione, ac providentia utendum. Idem minister Danicus super communi qvoqve fœdere contra Turcas movebat; id qvod Electori supervacuum erat, qvod bello in Turcas per Imperium decreto ipse jam pro rata teneretur. Ast Cæsareus legatus Franciscus Hannibal Bottonius proponebat; qvia Czar toties apud Cæsarem super arctiore vinculo ineundo testatus sit, se magis ad audiendum, qvam loqvendum venisse, nec de communi aliqvo fœdere in mandatis habere. Ac videbatur is præcipue venisse, ut pacem inter Polonos, & Turcas observaret, qvo Cæsar in omnem eventum Moscos sibi addictos haberet. Eidem super invadendis Svecis monenti Artemon reponebat: Czarem non prius mentem suam declaraturum, qvam nuntius è Svecica redierit, ac facies rerum probe expensa fuerit. Nam haut leve esse, æternam pacem abrumpere, & anceps bellum suscipere. Esse Czari tenerum conscientiæ sensum, nec ab eo gladium prius stringi, qvam legitima causa subegerit. Prius respiciendum, qvomodo bellum in Germania successurum, ac num forte fœderati mox pacem sint facturi. Nondum sanguinem Christianum ad Rigam effusum satis expiatum. Interim exercitum ad Livoniæ fines contractum ad suspicionem Svecis injiciendam, ne hi copias è Livonia in Pomeraniam trajicere audeant. Goæus residens Danicus cum offensa è Moscovia excesse jubebatur, qvod multa circa cerimonias novare vellet, & inter alia, ut prior sibi locus præ Sculteto in spectanda qvadam pompa tribueretur; cum hic ablegati, iste residentis tantum dignatione esset. Nec enim Czarem ferre posse, ab exteris in suo regno sibi

Clovvanski.

Bottoni.

1675. qvid præscribi. Demum Czar responso suo circa Svecicum negotium sat frigide tangebat, velut in neutram partem inclinaret. De qvo cum Scultetus qvereretur, Artemon reponebat: *Electorem de Czaris amicitia securum esse debere. Se qvoqve satis nosse, qvantum fidei responsoriis Sveci literis adhibendum sit, qvæ Electori culpam turbarum impingant. Sed qvia Czar judex non sit, nil aliud superesse, qvam ut Electori de Sveci responso significetur. Ex omnibus autem indiciis adparere, Svecos Electori injuriam fecisse. Id. o tamen Czari idoneam causam non esse abrumpendæ æternæ cum Svecis pacis. Nec ejus rationibus congruum esse tantopere in arma properare, sed condicto in Decembrem mensem congressu Svecis prius bellum, & pacem propositurum. Interea in Electoris, & fœderatorum gratiam exercitum in limite Livoniæ ostensurum, ne Svecicopias in Livonia conscriptas in Pomeraniam trajicere audeant. Id qvod præclarum amicitiæ documentum sit; nec plus à se desiderari posse.* Cæsareo ablegato responsum: Ulti Cæsari in præsens fœdus contra Turcam, ita Czari contra Principem Christianum haut placere. Sed ubi legitima causa ad arma vocet, de felici successu dubitandum non esse. Cæterum initio cum Scultetus, & Bottonius Moscoviam venissent, Mosci à bello Svecis inferendo haut abhorrere videbantur. Sed postqvam Holmiam missus revertisset, ea libido plane decedebat. Nam Magnus Gardius isti misso in convivio demonstrarat: *Se facile divinare posse, qvid in præsens Cæsaris, Dani, ac Electoris legati in aula Czaris qværant. Sed si historias evolvat, se non reperire, à tribus hisce Czaris majoribus vel unicum militem auxilio missum. Ast Svecos olim occupata Livonia Moscis per Polonos admodum pressis respirandi facultatem præbuisse. Qva re probe perpensa spem esse, Czarem haut temere Svecis bellum illaturum, in qvo à fœderatis solus destituendus sit. Ac posse Svecos denuo qvoqve Moscis utilem operam navare.* Ista Moscis ita arriserunt, ut omnes Bojari decernerent, pacem cum Svecis haut abrumpendam; ac Czar palam pronuntiarat, Gardium vera dixisse. A Cæsare jam antea se in Svecos incitatum. Sed ad Rigam neminem adparuisse, qvi suppetias ferret. Simul placebat, omnes legatos dimittere, ne Svecis suspicio injiciatur; nec in responso hisce dando qvid ponere, qvod Svecos offendere qveat. Potius ad Polonos sibi respiciendum, qvi si repente pace cum Turcis inita in ipsos Svecico bello implicitos arma verterint, duplici se bello obruendos. Nam male sibi conscii erant Mosci, qvod Polonis nihil eorum servassent, qvæ pactis promiserant. Suberat & alia causa, qvod Bojari haut longam vitam Czari ominarentur, incommoda valetudine utenti. Igitur externo bello misceri nolebant, qvod ob multa onera, qvæ insicio Czare populo imposuerant, rebellionem metuerent; eoqve exercitum domi in promtu habere volebant. Ita langvido cum responso Scultetus domum dimissus est. 1675. 27. Oct.

§. 62. Inter istos armorum successus nondum liqvida pacis spes allubescebat. Post separatam cum Belgis pacem Angliæ Rex seqvestrem se partibus obtulerat; cui officio Veneti qvoqve paratos se ostendebant; qvos una cum Anglo admitti Cæsar vehementer cupiebat. Sed Belgæ publico expediri judicabant, ut Veneti misso eo officio omnia integra retinerent, qvod bellum brevi in Italiam transferendum videretur: qvo casu eam Remp. bonis partibus ingens momentum adferre posse. Anglus autem uti solus id officium obire malebat; ita & idem Electori placebat, qvi de ejus Regis æqvanimitate multa sibi promittebat. Si tamen reliqvis fœderatis diversum videretur, ipse contradicturus non erat. Contra Gallus Svecos etiam post irruptionem in Electoris terras seqvestres retinere cupiebat; cui postulato Elector manibus, pedibusqve renitebatur; qvos & mox omnes fœderati abdicavere. Angliæ Regis officium Hispani nomine Baro Bergeickius acceptabat ea lege, ut is se obligaret hoc bello neutras partes seqvi; & Pontificem in partem officii admitteret. Qvorum utrumqve Belgæ improbabant. Nam à Pontifice nil æqvi sibi sperandum; ac fieri posse, ut Parlamentum arma in Gallum stringi svadeat. Nec verosimile esse, Anglum denuo arma cum Gallo contra fœderatos sociaturum. Sane jam Parlamentum postulabat, ut Rex Anglos Gallo militantes, revocaret. Id enim facere ad accuratam status medii observationem, seqvestri decoram; nec consultum esse suo milite bellum ali. Sed Rex id existimationi suæ repugnare causabatur. Prohibiturum tamen, ne qvis amplius in Galliam militatum abeat. Parlamentum se pronum erogandis pecuniis ostendebat, si Rex bellum Gallo indicere vellet. Nec prætextum deerat, qvod Gallus excursoribus suis maritimis, & aliis navibus interdixisset, ne in freto Galliæ, & Angliæ interjecto Anglicas naves velis demissis salutarent. Sed Rex Gallico favore penitus imbutus Parlamentum, ne longius tenderet, dissolvebat.

Super præliminaribus pacis Neomagensis alia. De seqvestribus.

30. Mart.

§. 63. Su-

1675. *De loco tractatuum.*

§. 63. Super loco qvo tractatio pacis suſciperetur, multa fuit diſceptatio. Sveci dum adhuc ſeqveſtres agerent, ac Auſtriaci aliqvot inſignes urbes Germaniæ Francofurtum, Hamburgum, ac Argentoratum deſignabant. Sed qvæ omnes à Gallo rejiciebantur, qvi nuſpiam ſe legatos miſſurum ferebat, ubi aliqvis in Cæſarem reſpectus ſit, abs qvo nullam ſibi ſecuritatem promittere poſſit, ſemel temerato Coloniæ jure gentium. Ac contra Bredam à ſe probari oſtendebat; qvin malle in qvovis Belgii loco tractare, excepta Friſia, & Groninga velut nimium à Gallia remotis, optione penes Belgas relicta. Ab his Meurſam propoſitam ideo Gallus abnuebat, qvod ad Imperii ditionem pertineret. Sed cauſa, qvare Belgicam urbem expeterent Galli erat, ut Belgarum ſibi favorem aucuparentur, ac clandeſtina cum multis Hollandiæ civitatibus, ac hominibus ſibi addictis commercia alerent, Belgis in fraudem fœderatorum ad peculiarem pacem permovendis. Londinũ diſplicebat, velut nimis remotum, & ubi literarum commercia ab incertis ventorum pendebant. Demum ab Anglo Neomagus commendabatur. Circa qvam urbem Hiſpanus ſcrupulum movebat, qvod Pontificis legato tanqvam ſeqveſtri liberum Romani ritus exercitium ibi futurum haut ſit; Beuningio Belgarum in Anglia legato vehementer indignante, qvod Hiſpani, qvorum res maxime agebatur, ita langvide rem gererent, & haut eo minus pacem præ aliis ſufflaminatum irent; cum contra Belgas bello extracto nil lucri maneat, qvos ob fœderatorum rationes ſe peſſumdare haut par ſit. Unde Elector Clivos offerebat, ubi trium religionum ritus publici exerceantur; qvi locus Hiſpanis probabatur, nec Belgæ abnuebant. Sed Anglus repugnabat, qvod Gallus ideo urbem Reformatis ſacris addictam acceptaſſet, ut officium Pontificis excluderet. Oppidum qvoqve pro tanto cœtu haut ſatis amplum: & Gallum in univerſum omnia ad Imperium ſpectantia loca rejeciſſe, ac peculiariter oppidum Electoris averſari, in qvem maxime ex omnibus fœderatis ſit irritatus. Eundem qvoqve ideo Neomagum probaſſe, ut Belgarum plebi diffidentiam erga fœderatos inderet, velut ipſius animus non adeo Belgis averſus foret, ac bellum per ſolos fœderatos aleretur. Ita conſenſu Neomagus probata. Haut eo minus poſtulabat Elector, ut Cliviæ provinciæ neuter ſtatus indulgeretur ob viciniam, & qvia legatis pleraqve ad victum neceſſaria inde petenda forent. Coventrius Beuningio proponebat, ut tractatio duobus locis ſuſciperetur, in Germania negotiis Imperii, Neomagi aliorum fœderatorum expediendis. Id qvod à Beuningio abrupte rejectum: fœderatos utiqve conjunctim, & uno loco tractaturos, nec divelli ſe paſſuros. 1675.

Circa Wilhelmum Furſtenbergium difficultas.

§. 64. Cæterum Gallus Anglo declarat, ſe in Neomagum conſentire ea lege, ut prius cum Sveco ſuo fœderato communicare, & circa id conſilia conferre velit; tum ut Wilhelmus Furſtenbergius prius, qvam legati ad eum locum accedant, libertati reſtituatur, eo cum temperamento, ut tantiſper in manus Pontificis tanqvam neutri partium addicti Romæ deponatur, poſt concluſam pacem pleno libertatis uſu gavíſurus: tum ut pecunia Coloniæ ablata reddatur. Id qvod Anglus per Wilhelmum Templium Belgis ſignificabat, rogans, apud Cæſarem operam dent, ut is hoc temperamentum admittat. Ex ea conditione, & qvia Gallus magna vi arma parabat, pacis ſpes in longum elidebatur. Ac reponebant Anglo Belgæ: *Valde ſibi dolere, iſtum Lomnem adhuc in prætextum adhiberi remorandæ pacis, qvam tamen Galliæ Rex tantopere ſibi cordi eſſe teſtetur. Sibi religioni eſſe ſuper iſto apud Cæſarem movere, velut qvi fax & tuba fuerit omnium malorum, qvibus orbis Chriſtianus adhuc conflictetur, ac maximo ſtudio præſens bellum excitarit, ut ipſorum Remp. & ſacra Reformata everteret; qvo inſtituto is maximam ſuæ gloriæ partem abſolvi judicet. Unde & eundem Coloniæ, qvo tempore adhuc deſtinata ſua ſucceſſura ſperabat, apud legatum Belgicum jactaſſe; ſe qvindecim per annos deſudaſſe, ut Reſp. in eam, qvæ nunc mergatur, calamitatem conjiceretur. Unde Regi in promtu eſſe judicare, qvam moleſtum ſit ſe nunc invitari, ut ad acerrimum Reipublicæ, & ſacrorum ſuorum hoſtem cuſtodia liberandum Cæſarem fatigent; qvo idem in anteceſſum fructu pacis gaudeat, qvam ita malitioſe turbarit, ſe interim, ac fœderatis inter calamitates belli ab iſto excitati luctantibus. Unde ſi uti nihil ad ejus captivitatem contulerint; ita eam rem unice in Cæſaris placitum referre, detinere, an in manus tertii conſignare iſtum velit, ſatis habituros, ſi remora pacis utcunqve ſublata fuerit. Non poſſe tamen non ſe probare conditionem à Cæſare latam, ſe cœpto ſuper pace congreſſu cognitionem iſtius cauſæ legatis partium commiſſurum, & ut de eodem liberando agatur paſſurum; nec eandem cauſam paci moram allaturam; ſimul actionem, qvam Cæſar iſte velut ſubdito ſito intentare poſſit, tantiſper ſuſpenſum iri. Cum itaqve Gallus hac Cæſaris declaratione obtinuerit, ut* 19. April.

1675. *Furſtenbergius extra capitis periculum conſtitutus ſit, perinde eſſe poſſe, à Cæſare, an ab alio cuſtodiatur. Nec habere Gallum qvod amplius deſideret, cum nec iſte nativitate Gallie civis ſit, nec, qvo tempore in cuſtodiam dabatur, à Gallo characterem geſſerit: Cæſar contra jus ſibi aſſerat adverſus natum ſubditum, à qvo atrociſſime læſus ſit, agendi; eoqve cauſa hac pacem haut qvidqvam tangat. Præſertim cum Cæſar jure poſtulare poſſit, ut à Gallo vicißim caveatur, iſto in alterius manus tradito pacem certo ſecuturam; aut ea non ſecuta eundem in Cæſaris manus iterum tradendum. Nec dubium eſſe, qvin iſte ampliorem libertatem nactus haut omiſſurus ſit opus ſuo judicio tam egregium ulterius perſequi. Denique ſi maxime Gallus eo abrepto læſus fuerit, reparationem tamen exigi non poſſe, niſi ſuſceptis tractatibus, ſic ut negotium iſthoc ad ea pertineat, qvæ ibi diſceptanda, atqve componenda ſint.* Ita tunc eo prætexto Gallus pacem extrahebat, qvod magnam ſpem in Svecorum armis jam erumpentibus repoſuiſſet.

Super conditionibus pacis præludia.

§. 65. Propoſuerant qvoqve Sveci, anteqvam ſeqveſtrium munus exuerent, de induciis; ſed qvas Gallus non niſi ad tempus expeditioni ſuſcipiendæ idoneum admittere volebat. Cæſar autem de iis ipſo in conventu agendum cenſebat, reliqvis fœderatis eas plane adſpernantibus. Interim qvoad armorum ſucceſſus partium animos flecteret, ſuper futuræ pacis legibus tentamenta hinc inde jactabantur. Et Ruvignius qvidem Gallicus in Anglia legatus cenſuerat, ut Aqvisgranenſis pax fundamenti loco foret, & Gallus ea, qvæ hoc bello ceperit, inſuper retineat. Contra fœderati iſtis rejectis, hæc pacis ſumma capita æqva judicabant: ut pax Weſtphalica examuſſim ſarta tecta præſtetur: Cæſari, ac læſis Electoribus, & Principibus ſatisfiat: idonea cautio de ſervanda deinceps pace præſtetur: Hiſpanus in ſtatum pacis Pyrenææ reponatur: Lotharingus reſtituatur. Belgæ Trajectum ad Moſam & tractum Tranſmoſanum repetebant, reparationem damni dati remiſſuri. De qvibus conditionibus in Anglia judicabatur, præcipuam difficultatem circa Hiſpanos fore. Damna Ordinibus Imperii à Gallo data gratis habenda. Æqvitatis rationes apud victorem Regem parum valituras. Ac ſi iſta Gallo extorqveri debeant, Hiſpanis majore ſtudio rem gerendam; qvi nunc & ipſi arma languide tractent, nec fœderatis promiſſa ſubſidia accurate numerent. De qvibus cum Lira adpellaretur, ipſe acerrime in ſo- 8. Mart. cordiam regiminis Hiſpanici invehebatur. 1675.
Sed & Angliæ Regem ad pacem Aqvisgranenſem concurriſſe; unde haut decere, ut is ſuper reſtituenda pace Pyrenæa operam navet. Porro cum ad iſthæc Gallus diu nihil repoſuiſſet, Beuningio urgenti Anglus 4. Jun.
reſpondebat; id ipſum ſilentium indicio eſſe, propoſitas pacis conditiones Gallo iniqvas videri. Et cum Beuningius regeret; toti Europæ noxium futurum, ſi Gallo plura adcreſcant; Rex reſpondebat: ſe non credere, Meſſanam, & Trajectum ad Moſam in Galli manibus manſuras; ſed qvomodo Burgundiæ Comitatus ſervari qveat, ſe non diſpicere. Demum Gallus verbo 18. Jun.
declarabat; ſe pacem Aqvisgranenſem probare; ſed ſimul retenturum, qvæ hoc bello ceperit. Qvod Anglo non minus, qvam à Belgis propoſita, iniqvum videbatur. Sed Beuningius cenſebat, Gallo Burgundiam relinqvendam, & contra Belgii Hiſpanici fines proferendos. Aſt ſuper conditionibus pacis in Hiſpanos, & Gallos, ſuper qvibus Anglo, Belgisqve præcipue curæ erat, Angliæ Rex per Templium Arauſionenſi proponebat; utrosqve in extrema tendere, qvod Gallus præter pace Aqvisgranenſi parta etiam Burgundiam poſtulet; ac ſi qvædam loca limitanea reſtituenda ſint, ut ea dato æqvivalente penſentur. Hiſpanos contra non niſi pacem Pyrenæam occinere, ac malle ſe reliqvias Flandriæ per bellum, qvam Burgundiam per tractatus amittere; non minus tamen Angliæ, & Unitorum Belgarum intereſſe, ut Flandriæ ſecuritati alium per limitem, qvam qvi Aqvisgranenſi pace conſtitutus ſit, caveatur. Unde Regi id temperamentum placere, ut Gallus reddat Athum, Carolo-Regium, & Audenardam pro Aria, & D. Audomari Fano, ac ſi Burgundia reſtituenda ſit, in ejus locum eidem qvid detur. Simul ubi pax in has, aut alias leges fiat, ſe pro ſecuritate Flandriæ qvam efficaciſſimam pacis præſtationem ſuſcepturum. Addebatur, Anglum effecturum, ut ſi maxime Burgundia Gallo cedat, Principi bona ibi ſita ſalva ſint, ni ea Gallo vendere velit. Ad qvæ Arauſionenſis: Sibi qvidem ac Reipublicæ ſuæ gratum fore à Rege avunculo leges pacis definiri. Sed ſe tot fœderatis implicitos, ut de pace citra iſtos cogitare neqveant. Hiſpanos pro Aria, & D. Audomari Fano ampliora expectare; Burgundia, ni extrema neceſſitas ſubigat, haut ceſſuros. Etſi ſuo judicio Hiſpani ea provincia Gallo relicta Tornacum, Curtracum, Inſulas, & Duacum cum pertinentibus redimere debeant firmando limiti; qvi Belgarum, ac ſuus hoc bello

præ-

1675. præcipuus sit scopus. Bona sua privata ad pacem nullum momentum adferre; qvin volupe sibi fore ea perdere, modo eo pretio Hispani bonam aliqvam Flandriæ urbem recuperare possint. Metum super nimiis Austriacorum progressibus præmaturum esse. Sed ubi hi pacis Pyreneæ limites migrent, se non minus studium pro Gallia, qvam nunc pro Hispania ostensurum; sed non prius. Ad extremum petere, ut Rex non alibi de pace qvam Neomagi proponat; cum id ob multitudinem fœderatorum alio loco commode fieri neqveat: nec se unqvam in separatam à fœderatis pacem consensurum. Ea Principis constantia motus Anglus non amplius de peculiari transactione movebat, sed ad promovendum Neomagensem congressum curam intendebat. Inter qvæ & jubebat Elector, ut Sverinus Anglo causam suam apud tractatus pacis commendaret. Ob illatam injuriam, ac immensum damnum non pecuniam aut simile qvid à se peti, sed ut securitati suarum ditionum prospiciatur, qvæ ista natione vicina semper in ancipiti futura sit; id qvod tristis experientia, ac tot fœderum violationes, ac malitiosæ invasiones ostendant. Igitur Rex immortali beneficio Brandenburgicam Domum sibi obstringeret, tuta, & constanti pace conciliata; cum alias is exiguum operæ suæ fructum sit capturus, fragili pace facta. Sed Sverinus satius judicabat, in præsens ea de re nihil movere, valde mutata jam rerum facie, & qvia tunc de pace fere silebatur. Ac si Galli, & Sveci ista ab Electore qværi animadverterent, omnibus modis ad eadem impedienda incubituri erant.

Beuningii anxietas circa pacem parum prosicua.

§. 66. Cæterum non parum Galli insolentiam firmabat anxium nimis pacis desiderium, qvod Beuningius, Belgarum tunc in Anglia legatus, apricabatur. Is magnam sibi spem conceperat de serio Angli in pacem studio, qvi & forte Gallo bellum indicturus sit, æqvas pacis conditiones adspernanti. Sed reliqvi fœderatorum legati de Angli mente alia omnia sentiebant, ac eum sibi facile persvadere, qvæ valde cupiat; postqvam hoc bello Belgæ nil amplius lucrari, sed multa amittere possint. Ac sane pecuniaria res jamdudum apud Belgas ægre expediebatur, ac miserant hi in Hispaniam demonstratum; necessum esse, ut Hispani subsidia fœderatis solvenda in se suspiciant, fatiscente suo ærario. Sed in Hispania non minor penuria sentiebatur non tam defectu regiorum redituum, qvam ministrorum rapacitate, ac prava administratione. Idem Beuningius cum 1675. auditum esset, Geldros imperium in se Arausionensi conferre velle, jam anxie pronuntiabat; ni pax maturetur, libertatem domi periclitari; eoqve multa Londini super pace satagebat, haut consultis reliqvorum fœderatorum legatis. De qvo tamen Hispanus qveri haut utile ducebat, ne pacem abhorrere videretur; & ista utiqve in ipsorum notitiam perventura. Sed Sverinus Beuningio, patriæ suæ consultum eunti qvicqvid de fœderatis fieret, demonstrabat: Electori haut placiturum, eo ipso tempore, qvo egregiorum successuum spes allubescat, longe enixius pacem qværi, qvam cum Belgarum res longe deteriore conditione essent. Ac satius fore super pacis conditionibus Hagæ disceptari, ubi fœderatorum legati agant mandatis instructi. Ast iste insuper habitis hisce monitis nil nisi pacem ingeminare. Fatuos esse Belgas, si diutius bellum gerant, qvod fœderati propria ob emolumenta cum Belgarum dispendio extractum eant. Nec ea sententia dimovebatur, utut regereretur; summam Belgii felicitatem in eo verti, si Gallus, & Sveci in eum statum redigantur, ut ab eorum invasionibus non semper sit metuendum. Nam iste judicabat; post pacem Anglos, & Belgas ita arcte uniendos, ut Gallus facile ad qviescendum compelli qveat. Ac videbatur Angliæ Rex Beuningio adstipulari, serioqve circa pacem laborare. Nam si Arausionensis hac æstate operæ pretium non faciat, autoritatem ejus in Belgio imminutum iri, magna & fœderatorum, ac sua jactura, velut cui ejus Principis fortuna maxime cordi sit. Ac revera Belgas dudum belli tædio captos, onerum magnitudine, & pressis commerciis. Cæterum circa præliminaria pacis haut facile temperamentum inveniri posse. Nam sibi tanqvam seqvestri & Cæsaris causam, hominem sibi subditum in potestate habere cupientis, & Galli jus legationis vindicantis probandam esse. Unde utile fore leges pacis inter ipsos expediri, qvo in congressu Neomagensi nil præter solennia addi opus sit. Cum tamen Beuningius clam in Anglia satagere non omitteret, Elector de eo Hagæ qverebatur. Sed Fagelius confirmabat; Belgas fœdera sancte servaturos, ac optare, ut Elector Pomerania, & pluribus potiatur: & Beuningio secreta negotiatione interdicendum. Idem Beuningius in Hollandiam ad complures civitates, ac qvosdam privatos scripserat, ne qvid pecuniæ amplius conferrent, qvod pacem jam manibus teneant. Id qvod Elector Arau-

1675. sionensi, & legato Hispanico demonstrari jubebat. Qvi id ægre ferebant; ac si idem liqvido probari posset, eum non impune laturum.

Temperamentum circa Wilhelmum Furstenbergium.

§. 67. Enimvero cum hactenus Galliæ Rex obnixe postulasset, ut Furstenbergius ante cœptos tractatus in manus tertii traderetur, & Anglus asseverasset, citra hoc nullam congressus, nedum pacis spem esse; vergente anno ruentibus Svecorum rebus, cum hi magis oneri deinceps Galliæ, qvam firmamento futuri viderentur, Anglus ad nodum istum solvendum ultro temperamentum proponebat, qvo Gallus salva existimatione de isto rigore remittere posset. Ac priano qvidem Belgas monebat; apud Cæsarem operam darent, ut inter congressus super præliminaribus pacis in antecessum de Furstenbergii negotio tractetur, ac ut Cæsar inter tractatus pacis processu contra eum supersedeat. Id si Cæsar declaret, se laboraturum, ut Gallus consentiat istum durante pacis tractatione in Cæsaris custodia manere. Sed cum Belgæ Cæsari molesti esse nollent, huc descendebatur, ut Franciscus Furstenbergius Wilhelmi frater declararet; se apud Galliæ Regem intercessurum; ut hic postulato circa fratrem Wilhelmum desistat. Eam rem Anglus per literas Gallo significabat; ad istud Præsulem à se permotum fuisse, qvo infelix pacis remora amoveatur. Addebat Rex suas preces precibus Episcopi, ut Gallus istud bono & qvieti totius Europæ dare velit, qvæ per se ipsum rogare videatur, ut missis legatis conventum promovere velit, cujus successum orbis Christianus tantopere suspiret. Idem qvoqve ad Wilhelmum literas dabat hoc argumento: *Præsulem fratrem instinctu vere Christiano, & generoso suis precibus adduci se passum, ut non solum ipse super liberatione ejus ante pacis tractatus urgere sit omissurus, sed & preces suas ad Galliæ Regem junctarum, ut circa honoris sui sensum paulisper remittat. Cum autem ipse non dubitet, qvin sublato hoc obstaculo tam desiderata orbi Christiano pax promte sit secutura, magnæ gloriæ id fratribus cessurum, si proprias rationes paci promovendæ immolent, ac Gallum, ut in istud consentiat, rogent. Unde sibi consilium fratris Præsulis valde probatum, de Duckero Viennam mittendo, ut ipsum permoveat, ac preces suas precibus fratris apud Gallum jungat tanti operi perficiundo, si forte hæ non sufficerint Regis animo honoris servantissimo expugnando. Tam generoso, & pio facto fratres immensum de orbe Christiano merituros; ac sibi volupe fore, id sibi felicitatis*

1. Oct.

7. Nov.

6. Nov.

contigisse, ut ad id aliqvid conferre licuerit. 1675.
Ad ipsum autem Cæsarem ab Anglo scribebatur hunc in sensum: *Non sine summo animi sui dolore tantopere exoptatum, piumqve pacis communis opus ad Furstenbergii liberationem hactenus hæsisse. Tandem qvod unicum remedium post tot incassum tentata restiterit, se à Præsule Argentoratensi obtinuisse, ut is una secum apud Gallum intercedat, qvo hic aliqvantum de tuendo honoris studio relaxet, ac missa prævia conditione Wilhelmi Furstenbergii prius in libertatem restituendi, Neomagum legatos mittat. Merito à se Cæsari commendandum Præsulis promtum pro bono publico animum, qvi circa negotium, tam tenero ipsum sensu tangens, suo petito citra hæsitationem annuerit: nec de successu dubitandum, modo fratrem qvoqve inducere detur, ut & ipse precibus suis Gallum aggrediatur. Qvo fine Præsulem suo rogatu Duckerum Colonien sem Consiliarium Viennam mittere, ut coram delegatis Cæsareis cum Wilhelmo Principe super eo negotio agat.* Addebatur, qvam Christiano plane animo, & qva veneratione erga Cæsareum fastigium Præsul à se proposita amplexus fuerit, & qvam singulare ejus studium circa solvendum huncce molestissimum nodum eminuerit. Ipse qvoqve Ar- 28. Nov.
gentoratensis Præsul ad Electorem Lutetia literas dabat: *Tam Angliæ Regem qvam Benningium sibi institisse, ut permoveri se patiatur ad remoram pacis ex violenta abductione, & adhuc durante detentione sui fratris amovendam. Unde se solo amore patriæ, & insigni pacis studio ductum Anglo aurem præbuisse, & Gallum enixis precibus rogasse, velit debito honoris tuendi studio paulisper desistere, ac propositum temperamentum admittere, utut in suam, fratrisque fraudem tendens. Nam sibi certum esse, potius se, suosqve orbis Christiani bono sacrificare, qvam permittere, ut hic ipsorum causa velper horam tantis calamitatibus immersus hæreat. Equidem Galliæ Regem diu precibus suis annuere noluisse, qvod ejus existimatio abducto Wilhelmo fratre nimium qvantum vulnerata fuerit: tandem tamen subinde repetitis precibus expugnatum cessisse. Hoc specimine totam Europam judicaturam, qvantopere sibi salus publica, & promotio tractatuum pacis cordi sit. Ac spem esse, Electorem, aliosqve eo incubituros, ut Cæsar devotum huncce ipsi, ac patriæ animum clementer agnoscat, ac fratrem libertate restituat; erga utrumqve immeritam suo judicio offensam remittat, ac priorem in conditionem ipsos reponat.* Eas literas multa indignitate, & impudentia refertas Elector Cæsari communicabat, se eas responso haut dignaturum, ac legato suo Hagæ injuncturum, ne

isti

1675. istiPræsuli diploma ad tractatus pacis detur, qvod ejus causa in foro competente pendeat, nec ad alios Principes spectet.

Galli ad propositum temperamentum declaratio. 15. Nov.

§. 86. Temperamento isthoc per Anglum propolito Gallus ansam arripiebat legatis suis Vitrio Duci, Alberto Colberto Croisio, & Avauxio Comiti scripto injungendi, ut se Neomagum conferant. Eo scripto Rex magnifice jactabat *de facilitate sua circa instaurandos Neomagi pacis tractatus, qvos antea violatum in Wilhelmo Furstenbergio jus gentium abruperit. Cum contra tot populi, qvi sub tam cruento bello gemant, non immerito mirentur, à Cæsare in tam inaudita violentia persistente spem pacis ipsis adimi; qvi contra moderationi sua plurimum debituri sint, cui placuerit paci promovendæ temperamenta admittere. Eqvidem sibi fas fuisse plenam reparationem ejus, qvod Coloniæ admissum sit, postulare: Sbecorum tamen precibus dedisse, ut is ad pacem usqve in manibus tertii consignaretur. Sed cum id Viennæ fuisset rejectum, legatorum profectionem fuisse differendam, ac adversæ partis pervicaciæ necessitatem sibi impositam eo acrius Furstenbergii protectionem amplectendi, ac pacis tractationem haut tangendi, antequam istum libertati restitutum conspexerit. Enimvero enixum Regis Angliæ officium, ac preces Præsulis sententiam mutare subegisse. Nam Regem studio, qvo circa pacem concilliandam laborat, impulsum, à Præsule petiisse, ut proprias & fratris rationes bono publico Christiani orbis condonet, ac ad se precibus expugnandum incumbat, qvo nonnihil de protectione, qvam hactenus tanto cum affectu fratribus præstiterit, remittat. Eundem qvoqve confirmasse, officium se una cum Belgis apud Cæsarem interpositurum, ut hic cum durante tractatu medio cupiam Principi servandum tradar. Id consilii Præsulem eo minus dubitasse seqvi, qvo diutius idipse animo agitarit. Qvi & dudum significarit, qvanqvam infinitis modis ipsi nomine tam enixæ protectionis obstrictus sit; rogare tamen, ut de eo studio nonnihil relaxet. Eandem fratri suo mentem esse, cui summo dolori sit, sui causa negotio moram injici, qvod Christianus orbis tantopere desideret. Se tamen tam generosa quantumvis sententia moveri non potuisse, qvod per eam Wilhelmi libertas in ancipiti relinqveretur, qvoad is preces suas repeteret, fultas officio Regis Angliæ, & Belgarum Viennæ præstando, ac per omnia sacra obtestatus sit, ne tantum favoris amplius fratribus exhiberet, ne sibi gloria adimatur victimas sese exorandæ paci publicæ exhibuisse. Igitur se Regis Angliæ, & Præsulis gratia dedisse, qvod nullus alias respectus extorqvere poterat. Sperare vicissim, opera Regis Angliæ, & Belgarum obtentum iri, ut durante pacis tractatione Wilhelmus tertio cuipiam asservandus committatur.* Ea declaratio paulo post alio scripto autoris nomine dissimulato castigata est. Ac Cæsar ansam inde arripuit responso ad Angli literas qverendi, per Argentoratensem Præsulem eam declarationem ad complures Principes transmissam; eoq; ipso comprobatam; cum tamen referta sit dicteriis inter Principes plane insolitis, & suam existimationem lædentibus; simul per putidam ostentationem ansam arreptam expromendis jactantiæ ampullis, velut sibi ad pacem à Gallo impetrandam captivi supplicis intercessione opus fuerit, aut Cæsareum fastigium eousqve depressum sit, ut Furstenbergio parario indigeat. Ac erubescendum esse Gallo., qvasi non alia ratio ipsum ad qvietem orbi Christiano concedendam movere potuerit, qvam subornatæ preces duorum patriæ proditorum, à qvib9 pacem Europæ pendere extremum esse in seculi hujus infelicitate. Qvos & nunc demum pacis studium jactare improbum sit, postqvam tanto studio ad funestum hocce incendium incubuerunt. Se tamen in vicina Neomago legatos missurum, ne qva in se paci mora sit.

1675.

De legatorum diplomatibus.

§. 69. Interim Angliæ Rex legatos ad conventum Neomagensem nuncupaverat Berclaium, antea Hiberniæ Proregem; qvem tamen senio tardum, & studio in Gallos pronum fœderati parum probabant: tum Wilhelmum Templium, & Lionellum Jenkinum. Ac adparebat, Gallum ad tractatus properare, ac emolumentum suum præcipitata pace qværere. Qvæ & Angli sententia erat. Ac Lutetia scribebatur, ibi pacem jam certa spe præcipi. Sane cum Dux Villæ Hermosæ Hispanici Belgii gubernator diplomata pro legatis Gallicis abnueret, causatus ista Madriti qværenda; Gallus dicebat, se legatos suos mari missurum, eoqve nomine navigia in Anglia petebat. Ac mirabantur alii, Hispanos Gallo ansam præbere, ut insidiosam hanc, & suspectam festinationem velut cupidinem pacis venditare posset. Post invento circa Furstenbergium temperamento ad adornanda diplomata, qveis legatorum securitati caveturaccedebatur. Ubi circa formulam à Templio propositam tria deliderabantur: ut libertas pro legatorum scriptis, & chartis in iis perspicue exprimeretur:

9. Nov.

1675. tur: ut ubi de literis tuti itineris, qvas legati cursoribus à se mittendis daturæ erant, mentio fiebat, omitteretur vocabulum *bona* vel *idoneæ*, velut cavillandi ansam daturum: deniqve ut omnibus, & singulis legatis plenipotentiariis, & eorum ministris ubiqve in fœderati Belgii provinciis hinc inde proficiscì & commorari permitteretur. Priora duo facile probabantur. Sed tertium plane abnuebant Belgæ, qvod præcipua causa, qvare initio Bredam, & qvemvis alium in sua ditione locum repudiassent, hæc fuerit, ne Galli & alii occasionem inde arriperent irritatis civibus turbas in Rep. movendi. Unde & multi Belgarum Clivis congressum celebrari maluerant. Hisce vocabulis dispunctis Hagæ placebat ea diplomata adornata Anglo mittere ea lege, ne prius edantur, qvam a Gallo vicissim exhibita sint pro Cæsare, Hispano, Dano, Moguntino, Trevirensi, Brandenburgico, Palatino, Belgis, Cellensi, Guelferbytano, & Monasterienſi. Sed & Belgæ ostendebant, petita diplomata pro Argentoratensi Præsule, tanqvam Principe Imperii, & socio Galli denegari non posse, utut is hostis Imperii bonis publicatis judicatus sit; cum & olim Monasterii Electoris Palatini legati admissi sint. Sed contradicebant Cæsarei, Danici, & Electorales, qvod hujus Præsulis diversissima causa, qvam Palatini qvondam fuerit. Et cum ejus causa advocato fisci Imperialis commissa sit, sine peculiari Cæsaris consensu ista diplomata annui haut posse. Haut eo secius Belgæ maturando congressui pro eo Præsule diplomata confecerant, ac recipiebant, se fœderatis suis persvasuros, ut eadem annuant: etsi negarent se perspicere, qvam ob causam is conventui interesse velit, qvi nunqvam Belgis, aut eorum fœderatis bellum indixerit, nec à se qvid possideatur, qvod istius sit, aut in qvod eidem actio competat; ac satis sibi constet, eum è præcipuis fuisse, qvi tam calamitosii belli incenderit, ac summam odiorum acerbitatem in hanc Rempubl. ostenderit.

De invitatione ad congressum pacis causa.

§. 70. Circa diem auspicando congressui Beuningius monuerat, ut fœderati super eo inter se convenirent, Regiqve Angliæ significarent, ut is omnes qvorum interesit, ad eum invitaret. Sed fœderatis satius videbatur diem à seqvestre nuncupari; ne ubi à fœderatis ea designatio fieret, nimium id pacis desiderium haberetur, hosti insolentiam additurum. Volebat porro Anglus ad congressum invitationem facere hoc discrimine, ut Regibus Sveciæ, & Daniæ, qvibus officium seqvestris per literas offerebatur, ista qvoqve scripto fieret; reliqvis, qvi jam ipsum seqvestrem acceptaverant, per proprios ministros indicaretur. Sed Elector æqve ac Reges per literas invitandum se contendebat, nec minus per literas officium Angli sibi offerendum; utut Templius excusaret, Reges ideo invitatos, qvod recens in bellum descendissent. Nam & Regem Daniæ pariter uti socium, & auxiliarem bello accessisse, ac se inter primarios belligerantes habendum, inter cujus auxiliarios Cæsareæ qvoqve copiæ sint. Unde Rex Angliæ per solennes literas eo- *30. Nov.*
dem verborum honore, atqve istis Regibus, officium conciliandæ paci Electori offerebat, ac ut legatos Neomagum mitteret invitabat, simul pro Galli legatis diplomata expediret. Ad qvæ Elector uti par respondebat, ac sua emolumenta, qvæ ipsa æqvitas, ac justitia fulciat, commendabat. Jenkinus inde ab Anglo Ne- *7. Dec.*
omagum se conferre jubebatur ita propere, ut ne spatium qvidem esset supellectilem adornandi. Unde Sverinus jam opportunum judicabat regi Angliæ Electoris emolumenta commendare circa reparationem damni, ac securitatem in posterum, tanto enixius qværendam, qvod is post tam recens fœdus à Svecis oppressus fuerit. Simul per ambages insinuabat, optimum in eam rem remedium fore, istos è vicinia eliminari. Ad qvæ Rex reponebat: *Etsi ipse extracto bello ingens lucrum percepturus sit, gliscentibus hoc bello Anglia commerciis: utiq; tamen sibi cordi esse, tuta, ac duratura pacis constituenda operari. Equidem arguì in se nimium Galli studium, qvod initio belli ei adstiteris. Enimvero sese id tunc defugere non potuisse ob fidem semel datam, qvam ideo fallere noluerit, ut specimen constantiæ suæ praberet. Alias gliscentem Galli potentiam rationibus Regni sui haut qvidqvam congruere: & qvia semper metuerit, ac reipsa compererit, fœderatos haut facile longiqvam in præsens contra Gallum progressuros; tum bello extracto certissimum omnibus Imperii membris extium manfurum, Gallia, & Austriaca domui lucro cessurũ: igitur se non posse, qvin maturata pace majo malum præverterat. Ac sperare, Electorem desiderium pacis reipsa ostensurum.* Sed Elector vicissim de- *29. Dec.*
monstrari jubebat ingentia damna, qvæ ipse in Clivia à Gallis, & in Marchia, ac Pomerania à Svecis toleraverit. Eorum se non solùm reparationem petere, sed & ut securitati in futurum Svecis facultas adimatur pro lubitu turbas in Germania movendi, ac præcipue ipsius terras incursandi, ademtis provinciis, qveis ad exitium Germaniæ abutantur. Svecis qvippe animum esse vicinos opprimere, & omnia circum sibi rapere, tristem multorum annorum experientiam testari. Eo fine eos potissimum loca ad ipsum spectantia, tum flumina, & aditus infundendo bello idoneos sibi stipulatos. Igitur inanem fore pacem, ni ea natio Germania dimoveatur, cui qvam exitiosa consilia foveat, in præsens specimen edidisse. Si Anglus sponsorem se futuræ pacis offerat, Sverinus reponeret; Westphalicam qvoqve pacem ejusmodi sponsione munitam, & tamen Svecos septem per menses intra ipsius ditiones grassatos, nemine vicinorum qvidqvam auxilii expediente; qvoad isti à se exturbati fuerint: nedum ut ex Anglia auxilium sit expectandum. Unde tutissimam cavendi rationem esse, hostibus nocendi facultatem adimere. Nam semper cum exercitu contra consistere, cum oppressione civium conjunctum esse.

SAMUELIS PUFENDORFI

DE

REBUS GESTIS FRIDERICI WILHELMI MAGNI

ELECTORIS BRANDENBURGICI

COMMENTARIORUM

LIBER DECIMUSQVARTUS.

EPITOME.

POlonia Electori est suspecta. Hoverbeqvius in Poloniam mittitur. 2. Machinationibus hostium in Polonia rationes opponuntur. 3. Svecorum, & Gallorum in Polonia machinationes. 4. Circa confirmationem pactorum difficultates. 5. De auxilio contra Turcas submittendo. 6. Aula Polonica parum amici pollicetur. 7. Elector Majores Polonos sibi adjungere studet. 8. Hoverbeqvii circa conciliandos Polonorum animos studium. 9. Periculum è Polonia recrudescere videtur. 10. Gallorum in Hungaria machinationes. 11. Hoverbeqvius Svecorum se machinationibus opponit. 12. Circa renovationem pactorum acta. Periculum à Polonia minui videtur. 13. Circa Electoris satisfactionem Viennæ acta. 14. Cæsarei Bremense negotium videntur velle amplecti. 15. Colloqvium cum Cæsareis super Electoris satisfactione. 16. Cæsaris declaratio super Electoris satisfactione. 17. Cæsaris ad Electorem missio. 18. Electoris ad proposita declaratio. 19. Super pacto mutuæ successionis cum Domo Austriaca tentamen. 20. Super conciliandis religionibus inanis conatus. 21. Electoris circa nuptias Cæsaris studium. 22. Circa id connubium ambitus.

1676. *23. Circa Hanoveranum in partes trahendum frustra laboratur. 24. Apud eundem decreta Imperii parum valent. 25. Circa Bavarum in partes trahendum frustra laboratur. 26. Super partienda Brema Arausionensis sententia. 27. De ea incassum disceptatur. 28. Monasterienſis ad Electorem missio. 29. Formula temporaria transactionis Hagæ concipitur. 30. Tempus Bremæ per ludibria trahitur. 31. Luneburgici, & Monasterienſis inter se transigunt. 32. Cum Luneburgicis, & Monasterienſibus super auxilio convenitur. 33. Cæsaris circa componendum Bremense negotium opera. 34. Cum Daniæ Rege acta. 35. Griffenfeldii casus. 36. De munitionibus Tœningæ destruendis. Circa Bremenſem provinciam apud Danum disceptata. 37. Daniæ Regis ad Electorem legatio. 38. Circa fœdus cum Rege Daniæ acta. 39. Fœdus inter Regem Daniæ, & Electorem. 40. Articuli secreti. 41. Cum Belgis acta. Belgici legati apud Electorem propositio. 42. Super fœdere perpetuo cum Belgis agitur. 43. Missio in Hiſpaniam. 44. Cum Anglo acta. 45. Sveci VVolgastum frustra oppugnant. 46. Electoris in Pomeraniam expeditio. VVangelinus denuo capitur. 47. Elector in Pomeraniam irrumpit. Anclami obsidium. 48. Demminum expugnatur. 49. Circa biberna difficultates. 50. Missio ad Cæsarem. 51. Alia mandata. 52. Apud Cæsarem parum proficitur. 53. Elector Cæsaris declaratione non est contentus. 54. Alia Cæsaris declaratio. 55. Cum Saxone acta. 56. Alia ad Saxonem missio. 57. Præparamenta tractatuum Neomagenſium. De cerimoniis circa legatos Electorales adhibendis. 58. De paritate legatorum Principalium cum Electoralibus. 59. Difficultates circa diploma Argentoratenſis Præsulis; 60. & Lotharingiæ Ducis. 62. De neutralitate tractui circa Neomagum concedenda. 63. Num delegati Ordinum Neomagum mittendi? 64. De Venetorum, & Papæ officio. 65. De diplomatum hinc inde traditione. 66. De accessu legatorum ad locum tractatuum. 67. Dies adventui legatorum præfigitur. 68. Electoralium legatorum mandata. 69. Procuratoria examinantur. 70. Circa primas visitationes acta. 71. Electorales legati Neomagum accedunt. 72. Eorum collisio cum Anglis.* 1676.

Polonia Electori est suspecta.

INgens operæ pretium superiore anno fecerat Elector profligato Svecorum sub celeberrimo duce exercitu, cujus velut invicti opinio totam Germaniam terrore afflaverat, ac compulsis intra Pomeraniæ oppida copiarum reliqviis. Cujus provinciæ subigendæ spes allubescebat, erumpentibus in arma Danis, ac satis habituro Sveco corpus regni defendisse, Germanicis ditionibus jam fere conclamatis; ni segne fœderatorum auxilium, ac multorum in Brandenburgicæ Domus incrementum gliscens invidia impediret. Qvo accedebat haut modica cura, ne Gallorum, Svecorumqve artibus è Polonia recens tempestas excitaretur, qvæ Svecis in Pomerania vires reparandi facultatem præberet, haut obscuro, qvanta Gallorum ea in aula foret autoritas, qvi & magnopere circa pacem Polonos inter, & Turcas conciliandam satagebant. Ne igitur è Polonia res suæ denuo in summam difficultatem conjicerentur, Elector enixo studio allaborabat. Et qvia Poloniæ Rex honorificis ipsum literis ad celebranda coronationis solennia postridie Kalendas Februarii suscipienda invitaverat, Joannes Hoverbeqvius ei officio obeundo Cracoviam se conferre jubetur, simul gratulatione defuncturus ob felices armorum contra Turcas successus; inprimis autem, ut Gallorum & Svecorum machinationibus obsisteret. Circa confirmationem pactorum Brombergensium idem postulare jubebatur, ut ea cerimonia hac vice in Borussia

7. Nov. 1675.

Hoverbeqvius in Poloniam mittitur.

1676. russia perageretur, qvod pacta ista non obscure constituebant. Cæterum qvia fœdus, qvod Sveci tunc per Andream Lilliehœckium apud Polonos affectabant, rationibus Poloniæ plane adversabatur, eiqve amantes patriæ cives sine dubio contradicturi erant; legatus iste super eo cum solo Rege agebat, ad qvem & privato habitu Zolkievium profectus fuerat. Unde & eo difficilius erat apud Regem aliqvid in favorem Electoris obtineri, qvod isti juxta, ac Reginæ persvasum foret, se absqve Galliæ ope dignitatem suam tueri haut posse; cui & alias electionem suam debebat, ac ob præbitam hactenus pecuniam non parum obstrictus erat. Sed & continuo Galli, Sveciqve ejus aures obtundebant, non commodiorem esse occasionem, & forte nunqvam futuram Electorem Borussia exuendi, qvam nunc, dum is implacabili bello cum Gallia, & Svecia distringitur. Cui instituto si fortuna faveat, Regi in proclivi fore, eam provinciam jure hæreditario in familiam suam transferre.

Machinationibus bellum in Polonia parantes opponuntur.

§. 2. Adversus ista Hoverbeqvius Regi demonstrare jubebatur; ipsi utiqve favore Cæsaris opus esse, si filio viam ad diadema munire velit. Qvam rationem tamen caute expromeret, ne Polonis innotesceret, qvod eadem alias magnam ipsi apud hos invidiam excitatura sit. Sed ista non Regi solum, sed & Proceribus palam ingereret; Poloniæ pace opus esse ad recolligendas vires longo bello exhaustas: qvæ pax uti rationibus Galliæ, & Sveciæ repugnet, ita utilitatibus Austriacorum, atqve Electoris optime qvadret, velut qvi pacem juxta, & antiqvum Poloniæ statum amant, ac circa hunc nihil novari cupiunt. Contra qvia Rex, qvamdiu legum vinculis adstringitur, Galliæ, & Sveciæ destinata, novis semper ditionum incrementis inhiantium, sublevare satis non valet; non posse non Polonis horum amicitiam suspectam videri, velut per qvam iter ad solutum legibus dominatum sternatur. Qvin & solum adpetitum Borussiæ, qvem Sveci ita pertinaciter apricantur, horum conjunctionem Polonis noxiam, & utriusqve Regni rationes insociabiles reddere, æqve exitiosa Poloniæ, Ducali, an Regia provincia isti potiantur. Contra Polonum in omnem eventum à nemine certius auxilium expectare posse, qvam ab Electore, cui nullus ad Poloniæ diadema adpetitus, ne qvidem si ultro offeratur. Circa Gallos autem considerandum, eorum res fere ipsius Regis genio niti, qvo extincto vastam istam, qvam hic animo concepisse videtur, machinam ultro ruituram. Eum porro amicis, ac fœderatis suis prægravem, qvod omnia suo ex arbitrio geri velit. De cujus amicitia atqve auxilio neminem sibi ulterius polliceri posse, qvam id destinatis ipsius expediat; qvæ unice eo tendant, ut ipse solus emineat, reliqvis omnibus ad ejusdem nutus sese componere necessum sit. Gallos, qvo tempore Polonis qvam maxime blandiebantur, noxiam hisce admodum pacem Olivæ conciliasse. Qvid lucri Joannem Casimirum Regem è Gallica amicitia tam ambitiose culta percepisse, qvam odium, & contemtum sui populi? Qvi ut in alterius gratiam Regnum abdicaret inductus, in Gallia ira abjecte à Rege, cum ipsi congrederetur, habitus sit, ut qvoad vita superesset, id digérere non potuerit. In Cromvelli gratiam amitæ Regis, ac duobus ejus filiis Gallia fuisse excedendum. Colonienses, Monasterienses, Neapolitanos, Catalaunos malignum fructum è protectione Gallica percepisse. Venetos amissam Candiam non nisi Gallorum auxilius debere. Nec Cæsari unqvam libidinem subituram, ut Gallicas suppetias amplius expoſcat, cum ut eas amoliretur, pax cum Turca multo durioribus conditionibus, qvam alias obtineri poterant, amplectenda fuerit. Qvid Neoburgicum è Gallica commendatione lucratum, nisi ludibrium? Qvomodo cum Pontifice actum, qvem patris in vicem venerari inter scita religionis est qvam is profitetur? Svecorum porro consilia vel ideo suspecta habenda, qvi hi novissimum fœdus cum Electore initurn protinus Polonis communicarint; qvod à Procancellario multis cavillationibus exagitatum sit. Sic ut fere apud istos in consvetudinem abierit, arctiore fœdere oblato infesta animo agitare, ac indictis precibus publicis eadem exsequenda aggredi. Sane Uladislaum IV. cum probe perspiceret, qvam periculosa Svecorum vicinia foret, Matthiam Grocovium Monasterium misisse, ut omnibus modis impediret, ne Sveci Pomerania potirentur. Igitur par esse, ut Poloni nunc operam conferant tam molestis vicinis amoliendis. Sed & Polonis demonstrandum, eorum Rempublicam semper cavisse, ne fœderibus sese præter necessitatem implicaret. Tum & inter arcana status sui habuisse, in offensiva bella haut descendere, velut per qvæ inter militaria imperia libertas ipsorum facile detrimenti qvid capere qveat. Qvin & eosdem tanta cum circumspectione hoc processisse, ut in belus qvoqve defensionis causa susceptis haut

1676. facile permiserint, hosti in ipsius usqve ditionem insisti. Contra Svecorum instituta id semper spectasse, ut vicinis, cumprimis mare accolentibus, aliqvid decerperent; qvod cum Poloniæ non possit non fraudi cedere, vesaniæ proximum fore, hanc augendæ istorum potentiæ ultro opem conferre. Præterea Svecis nullam causam esse, ut Polonorum fœdus defensivum affectent. Nam neminem esse, qvi eos, ubi bona fide qviescant, invadere cupiat. Ac Livoniæ satis caveri per sponsionem pacis Olivensis, ut non opus sit ejus nomine apud Polonos auxilium expetere, qvos alias ejus jactura qvam maxime tangere apta sit. Vicissim nec Polonis Svecico fœdere opus esse. Nam non ita pridem per legatum Gustavum Oxenstiernam Moscis arctius fœdus fuisse oblatum, sane non contra Turcas, adversus qvos tamen Polonia præcipue auxilio indigeat. Sed nec Svecos alia lege auxiliares copias missuros, qvam ut à Rep. stipendium & annona iis præbeatur. Atqvi huic facilius esse decem militum millia contrahere, qvam tria millia alere.

Svecorum & Gallorum in Polonia machinationes. 8. Febr.

§. 3. Hoverbeqvius porro Cracoviæ solito Regiis legatis honore exceptus est, ac Rex gratissimum sibi esse testabatur ab Electore coronationis actum solenni legatione honorari. Is & multis disserebat de insignibus hujus progressibus, & ab eo senem Wrangelium tantæ famæ ducem plane fractū. Se qvidem nunqvam bellum id Svecorum in Electorem probasse, nec qvantumvis enixe solicitatum opis qvid conferre voluisse. In solenni epulo non nisi Nuntius, legatus Gallicus, & Hoverbeqvius mensæ regiæ accumbebant; ubi humanum se valde Gallus exhibebat, ac concedere nolebat, ut noster prius in sanitatem Regis Galliæ biberet, sed ipse simul in honorem Electoris poculum exhauriebat. Cæterum Sveci ad bellum Electori inferendum Regem solicite stimulaverant, jactantes, nil facilius esse, qvam Borussiam Electori eripere. Non nisi septingentis florenorum millibus ad eam expeditionem opus esse, qvæ Gallus libenter erogaturus sit. Contra Regis reditus millione inde augendos; ac ubi tali accessione Ordinum contributionibus carere possit, facilius eundem legum sese vinculis exuere posse. Pillaviam hautqvidqvam esse invictam, uti vulgo credatur. Esse in propinqvo locum extruendis suggestibus idoneum, unde id castellum machinis qveat disjici. Nec ejusmodi suggestiones omni effectu in ea aula caruisse indicio erat, qvod in concione auspicandis Comitiis habita sacerdos aulicus Pikarscius Regem per vaniloqventiam hortari non vereretur, *ut initio ab Odera flumine facto semper progrederetur, qvoad ad columnam ferream pervenerit, qvam ipsius antecessor Boleslaus Chrobri in Sala flumine limitem Regni sui erexerit, qvam per aqvas jam fere consumtam ab ipso instaurari decorum sit.* Zavvadzkius qvoqve Pautzeæ Capitaneus impudens scriptum in Electorem publicabat, calumniis, & mendaciis refertum, qvo inter alia posuerat, delegatos Polonorum, qvi pacta cum Electore confecerint, auro fuisse corruptos; eoqve arma Electori inferenda esse concludebat. Qvem tamen scriptorem post Cracoviensis Episcopus *citabat ad videndum, infamem, & scandalosum ejus librum igne cremari.* Sed & cum Lilliehœckius multo felle asperatum scriptum Cracoviæ typis excudere conaretur, idem Cracoviensis Præsul id inhibuit, ablatis qvæ jam impressæ erant paginis. Qvi legatus de Svecorum destinatis memorare solebat: *Saxonem se honoraturos, Silesios conversuros, sed Brandenburgicum vastaturos.* Animadversum tamen fuerat, post prælium ad Fehrberlinum malevolis haut parum ferociæ decessisse; ac multi prudentiores jactare cœperant; non esse impediendum Electorem, qvo minus Svecos frangat, ut hi deinceps Polonis non amplius formidandi sint. Ac inprimis Hoverbeqvius Majoribus Polonis minabatur, ni impediant, ne Svecis Borussiam invadere indulgeatur, ipsos primo Electoralium armorum impetu obruendos, qvod Elector surgente in Borussia bello istos à tergo relicturus non sit. Ac sane isti acriter in Comitiis pro Electore contendebant, ut pacta utiqve sancte observentur, simul Bakovium Pomerelliæ satrapam retundebant, qvi copias Electoris contra suam protestationem transitum sumsisse, eoqve vim in Remp exercuisse arguebat, jejuna ratione addita; *utut per pacta id ipsi concedatur, tunc tamen, cum pacta inirentur, Svecos Polonorum hostes fuisse, qui nunc mutatis temporibus amici sint; eoqve licentiam transitus eo duntaxat casu valere, si Poloni, & Elector communem hostem habeant.* Sed & aliorum male fundatæ qverelæ refutabantur, qvod Elector nova auxilia contra Turcam mittere abnueret; cum pactis diserte cautum sit, ne is uno, eodemqve bello plus qvam semel auxilia præstare teneatur, & qvidem à Rep. alenda, qvamprimum fines Poloniæ ingressa sint. Ac cumprimis absurdum erat, Polonos auxilium iis ex pactis postulare, qvæ tamen confirmare detrectabant.

1676. *Pikarski.*

Zavvadzki.

Sachsen würden sie ehren / Slesien bekehren / aber Brandenburg verheeren.

Sed

1676. Sed & Gedanenſium plebs, qvæ à concionatore Strauchio pendebat, Polonis perſvadere nitebatur, qvaſi Elector eam urbem in poteſtatem redigere agitaret, coqve fine effeciſſet, ut ſuus vaſallus Heino Henricus Flemingius tribunus ejusdem præſidio præficeretur. Qvem Rex utiqve Gedano amovendum contendebat; *eſſe gravem*, inqviens, *cauſam, ut circa eam urbem ſibi probe proſpiciat, cum ſenatus Electoris, plebs Svecis ſit addicta.* Cum tamen ea civitas antea Winterum tribunum, Svecicam militiam antea ſecutum, absqve ſuſpicione præfectum militarem ſibi adſciviſſet. Ac potius Lilliehœckium agitaſſe, ut per factionem Strauchianam ea urbs in Svecorum ditionem redigeretur. Qvod & forte ſuccelliſſet, ni Svecis, clade ab Electore illata, ad propria tutanda revocatis, aliena invadendi libido deceſſiſſet.

Fleming.

Circa confirmationem pactorum diſputatur. 7. April.

§. 4. Qvia autem Regis prudentia haut ferebat nondum facta cum Turcis pace novum bellum ſuſcipi; igitur arte, & pecunia nitebantur Galli, ac Sveci, ut materiam litis Regem inter, & Electorem alerent, qvo invitante occaſione prætextum ſumendis pro lubitu armis haut deeſſet. Unde id agebant, ut conſtitutioni Comitiali aliqvid inſereretur, qvod ſpeciem haberet velut Ordines conſenſiſſent, ut Rex in Svecorum gratiam irruptione facta Electorem diſtraheret. Ac nonnulli haut dubitabant palam differere: cum Turca qvibuscunqve conditionibus pacem ineundam, ac damni iſtius reparationem apud vicinos, ac Electorem cumprimis qværendam, qvi ipſorum amicos ita exercitos teneat, ut nil opis ab iſtis ferri ſibi qveat; præſertim cum in Boruſſia nihil copiarum extet. Igitur cum conſtitutioni inſerendum eſſet de pactis, & fœderibus, qvæ Reip. cum vicinis intercedant, confirmandis, malevoli clauſulam adſui cupiebant, *qvæ ex commodo Reip. ſint*, aut *ſalvis prætenſionibus*, aut *ex Senatus conſilio*: per qvam iſta in dubium revocari, aut circumſcribi, aut plane everti poſſent. Qvæ inſidioſa verba ut expungerentur duo Nuntii Terreſtres è Majore Polonia Kritzkius, & Breza acerrime contenderant, non ſine gravi Regis offenſa. Qvi & per Gateckium eo nomine apud Hoverbeqvium expoſtulabat, velut iſti ab hoc data pecunia ſubornati forent, qvo ſibi moleſtiam faceſſerent. Cui Hoverbeqvius reſpondebat: *Electorem haut qvidqvam Comitiali confirmatione pactorum per Conſtitutionem opus habere, qvippe qvæ perpetua ſint; ac ſatis ſibi cautum judicare confirmatione anno 1658. obtenta. Ac eam ipſam ob cauſam his comitiis de ejusmodi confirmatione haut movisſe, qvod per eam qvæſitum eidem perpetuum jus in dubium revocari videretur. Qvod Nuntii Terreſtres è Majore Polonia faciant, id proprio inſtinctu agere, qvo provinciam ſuam in tutum reponant adverſus Svecorum machinationes, qveis Rempublicam cum Electore bello collidere ſat agant cum certiſſimo iſtius exitio. Sed jusjurandum in pacta Brombergenſia unice Regis, & Electoris perſonam ſpectare, de qvo Elector ſuo tempore ſit acturus.* Qverebatur etiam Rex, qvod Elector ipſum apud Anglum, Danumqve, & Belgas negati tranſitus nomine accuſarit; qvi literis ad ipſum dura vocabula adhibuerint, *hortamur*; velut iſti præceptores ſui forent, qveis jus caſtigandi ipſum competat. Cum tamen ante coronationem talia magis à diſtrictibus, & *Judiciis Captura*, qvam à ſe dependerint. Ad qvæ Hoverbeqvius: Electorem non niſi interventionis officium petiiſſe, ac vocabulo *hortandi* nihil minarum ineſſe: ac alias ita modeſte conceptas eas literas, ut nil offenſæ inde concipi jure qveat. Poſt multam diſceptationem cum Ordines ſibi accurate caveri vellent, ne bello cum vicinis implicarentur, Rex demum formulam eligebat, Joannis Caſimiri tempore probatam, qvod pacta, & fœdera cum vicinis *ex Senatusconſulto* renovare velit. Enimvero ea formula tunc præcipue ad inſtantes cum Svecis tractatus dirigebatur, qvos Rex non ſolus ac propria autoritate, ſed cum conſenſu Senatus perficere poterat. Aſt in præſens per ea verba ſcopus Conſtitutionis plane eludebatur, ſi Senatus, aut major pars ſvaderet, ut Rex vel plane ea pacta antiqvaret, aut non niſi moleſtis ſub conditionibus continuaret. Unde demonſtrabatur, rem nunc longe aliter, qvam regnante Joanne Caſimiro comparatam. Nam tunc neminem fuiſſe, qvi Remp. bello implicare cuperet, uti nunc Galli, & Sveci laborent; eoqve tunc non fuiſſe Ordinibus cauſam, ut adverſus talia ſibi proſpicerent. Enimvero utut iſti clauſulæ contradictum eſſet; tamen Mareſchallus Nuntiorum Terreſtrium, & per ſe potens, & Regis favore ſubnixus, eam impreſſo Conſtitutionis exemplo inſeri faciebat, nulla Electoris noxa, cum in contractibus dudum validis uni parti invita altera nil mutare liceat. Erant etiam, qvi pactorum confirmationem differendam cenſebant, qvoad utrinqve controverſa excuterentur, atqve deciderentur. Qvibus oſtenſum: *Pactorum renovationem prætenſionibus utrinqve nihil adimere, ſed potius viam ad iſtas utrinqve examinandas, &*

Kritzki.

Gatecki.

1676. *componendas pandere; qvod utiqve contractus prius agnoſcendus ſit, antequam aliqvid ex eo peti qveat. Unde & Regem, qvamdiu in pacta Brombergenſia non juraverit, nil ab Electore exigere poſſe. Contra Electoris prætenſiones ita liqvidas eſſe, ut Reſpublica pluribus reſponſis comitialibus ſe iſtis ſatisfacturum polliceatur ſit.* 1676.

De auxilio contra Turcas ſubmittendo.

§. 5. Sed & alia rixæ anſa qværebatur, expetito auxilio contra Turcas, de qvo pactis Brombergenſibus convenerat, cum Rex circa horum confirmationem tergiverſaretur. Adverſus qvæ Hoverbeqvius demonſtrabat: in pactis non extare, ut id auxilium *qvotannis*, aut qvotiescunqve reqviſitum fuerit, mittatur, eoqve Electorem ad id ſemel duntaxat mittendum fuiſſe obſtrictum; qvod & duce Dœnhofio ſub Rege Michaële præſtitum ſit. Nec Electorem in culpa eſſe, ut iſtæ copiæ domum remitterentur, cum Poloni de hibernis proſpicere iisdem debuerint. Qvod Elector poſtea petente Rep. fecerit, non ex debito, ſed amore in eundem factum; ac iſtum ſibi caviſſe, ne id in exemplum trahatur, in eumqve ſenſum declarationem à Rege obtinuiſſe. Sed hæ rationes parum curabantur, ac gratum erat Electorem iſta negare, qvo eidem invidiam apud Ordines facere poſſent. Qvo fine a Rege Michaël Hackius ad Electorem mittebatur, ut de peracta feliciter coronatione ſignificaret, ſimul auxilium contra Turcas ex pactis peteret. Id qvod Elector propria neceſſitate excuſabat; ac ſua ſibi à Svecis vindicanda eſſe; & à ſe jam plura præſtita, qvam per fœdus reqviri potuerint. Si tamen pax ſibi reſtituta fuerit, promtam ſe Reip. operam navaturum. In literis ad Regem ea verba addita erant: *Regia Majeſtas veſtra ope, & conſilio nos potius ſperamus juvabit, qvam ut qvidqvam de noſtris defenſionis tam neceſſariæ mediis decerpi velit.* Ea verba non ſine gravi offenſa accipiebantur, prout litigandi materiam qværentibus etiam innoxia dicta in cavillationem patent. Ac eo magis iſta auxilia dicis cauſa peti adparebat, qvod pax cum Turca jam certa haberetur, nec hic inſignem armorum paratum faceret, cum Polonis numeroſæ copiæ in promtu forent. Juſſus qvoqve fuerat Hackius iſte explorare, num Elector revera Sterinum tantis cum copiis uti ſpargebatur invadere pararet. Nec eo minus poſt Rex Uladislaum Scorazevium ad Electorem mittebat, ut denuo auxilium contra Turcam vi pactorum expoſceret, aut pecuniam, ſi milite carere non poſſit. Addebatur expoſtulatio, qvod Elector apud

13. Mart. Hacki.

Skorazewſki.

alios qverelas moverit ſuper negato copiis ſuis per Polonicum territorium tranſitu; cum ſane Poloni iis arma opponere noluerint; ac ut Ægidius Strauchius dimittatur, Sed revera adparebat, eum rixæ materiam aucupari, & Electoris deſtinatis explorandis venire. Ad iſta reſponſum: Sibi nunqvam ſtudium Reip. ſuccurrendi defuiſſe; ſed nunc per Svecos facultatem adimi. Ac ſi ex pactis petatur auxilium, ea prius fuiſſe confirmanda: id qvod Hoverbeqvius petierit, nec impetraverit. Sed & bis ſe miſiſſe, & plus qvam tenebatur, ſuis ſumtibus, & dimachas loco peditum, cum ſemel tantum ad ſingula bella mittere teneatur, non ſingulis annis. Jure Gentium qvoqve excuſari, qvi auxilia promiſit, qvamdiu ipſe domi periclitetur. Qvin ipſum Regem literis ad Ducem Croiæ, Gubernatorem Boruſſiæ ſcripſiſſe: *exigentibus Sereniſtatis Electoralis Brandenburgicæ rationibus, ut auxiliares ſuæ copiæ in ditiones Suæ Sereniſtatis revertantur, non aliter conveniebat, qvam ut iisdem redeundi facultatem faceremus.* Pecuniæ copiam ſibi in præſens non eſſe. Qvamprimum tamen terras ſuas aliqvatenus pacaverit, ac hoſtem repreſſerit, longe majoribus copiis qvam pacta definiant, Reip. aſſuturum. Ut tamen animum promtum ad Regi gratificandum oſtendat, ſe ei L. M. uncialium de Elbingenſi debito cedere. Qvod qverelas attineat, ſane notorium eſſe, Gallicos, & Svecicos miniſtros in aula Polonica ſibi infenſa machinatos. De qvibus & ipſe Regem per literas monuerit; ut tamen ſimul oſtenderet, qvantum fiduciæ in fide, & æqvitate hujus repoſitum habeat. In eundem ſenſum ad Regem Daniæ ſcripſiſſe; qvi & humaniſſimas eo nomine literas in Poloniam dederit. Igitur nec qverelas fuiſſe incongruas, nec literas qvid injuriam redolens continuiſſe. Nec unqvam ſibi fuiſſe propoſitum Poloniam cum Svecia committere. Qvod Rex Boruſſiæ ſecuritati proſpexerit, id recte, & prout pacta reqvirant, factum. Ne ipſe à Boruſſia copias ſuas contra hoſtem inconſulto Rege educat, ad id ſe haut teneri. Nam eam ſe provinciam poſſidere cum ſupremi imperii jure, eoqve armis, ac viris ejusdem uti poſſe, prout ſibi expedire viſum fuerit, nec eo nomine qvemvis alium conſulere teneri. Se ac majores ſuos durante nexu fiduciario milites in Boruſſia conſcriptos inde eduxiſſe; cur idem nunc non liceat? Iſthoc cum ſuo jure faciat, neminem arguere poſſe idem fieri ad Poloniam cum Svecis committendam. Nec neceſſum eſſe, ut de tranſitu ſemper Regi ſignificetur; ſed ſuf-

17. Febr. 1675.

28 Jul. 75.

1676. sufficeret denuntiationem præsidi provinciæ fieri; idqve factum Palatino Pomerelliæ, qvi ad literas denuntiatorias à Duce Croiæ scriptas responsum miserit à Lilliehœckio conceptum, nullo sensu. Nec se copiis suis è Borussia in Germaniam transeuntibus injunxisse, ut ferro viam sibi aperiant, nisi in eum casum, qvo ultro hostili modo invadantur; id qvod omni jure licitum sit. Qvod Rex Wrangelium monuerit, ne qvid in loca, qvæ à Poloniæ Regno pendeant, tentaret; in eo feciſſe, qvod pactis conveniat. Nec Svecos par jus exigere posse, cum his nullo pacto cautum sit, ne hosti adversus ipsos transitus concedatur; qvi & talo qvid sibi haut stipulati sint, nec Rex literis suis id promiserit. Transitum qvoqve copiis suis concessum Polonis fraudi non esse, qvod eæ copiæ adhibeantur in loco, in qvem Polonis nil juris competit, nec competere potest. In Borussiam autem iis spem esse; qvam & alias non vastari ipsorum interſit. Deniqve nunqvam se qvestum à Rege Poloniæ arma in se parari; sed Gallos, & Svecos, ut id fiat laborare. Strauchium infensa, & hostilia in ipsum agitasse, cui præter jus nil mali inferendum sit. De qvo viro Gninscius Culmensis Palatinus pronuntiarat: se ex animo lætari, qvod Elector istum libertati non restituerit, sine dubio plures adhuc turbas daturum. Ac se qvemlibet, qvi non vereatur plebem incitare, ac sangvinis effusioni causam præbere, hostem generis humani habere, in qvem qvilibet homo miles sit. Cæterum ea missio Gallicum artificium erat, ut Elector Poloniæ Ordinibus exosus redderetur, qvasi Reip. necessitatibus subvenire nollet, ac ipse in culpa foret, qvo minus pacta renoventur.

Aula Polonica parum amici polliceatur.

§. 6. Non obscurum igitur erat, à Gallis infesta in Electorem apud Aulam Polonicam cudi, qvo Svecis ad se recolligendum spatium darent, ac inprimis, ut Electorem obsidio Stetini averterent. Ac dixerat Rex Lilliehœckio; Svecos amissa Wismaria ingentem jacturam feciſſe; sed si Stetinum hoc anno amittatur, ægre ipsorum res in Germania reparari posse. Porro ad Borussiam oculos adjeciſſe Regem indicio erat, qvod is mirari se diceret, qvare turbidi per Borussiam cives qverelas suas ad ipsum non deferant. Ac spes erat, modo Rex nutu istis significaret, totam Borussiam Ducalem in ipsius partes transituram. Idqve eo pronius fore, si Gedanensis civitas ad arbitrium Regis componatur; cujus plebem Strauchius eo redegerat, ut qvatuor delegatos ad Regem mitteret, qvi per omnia sacra orarent, ne hic prius magistratus privilegia confirmaret, qvam omnia in eum statum, qvi tempore *incorporationis* fuerat, reposita forent; stolido petito, cum eo tempore soli Romani ritus per urbem vigerent. Ac istæ qverelæ apud aulam eo gratiores erant, qvod ditium civitatum delegati turgidas auro crumenas adferre soleant. Rex qvoqve Syndico Gedanensi dixerat; ei civitati insignem machinarum copiam esse, qvam sibi in expeditionem qvandam haut gravatim commodatura sit; qvæ certe contra Turcas haut erat. Et tamen in offensæ locum accipiebatur, qvod Elector per Borussiam delectus agitaret, qvasi Regi diffideret. Omni qvoqve studio pax cum Turcis captabatur, qvo hic Hungariæ, Tartari Mosco immitterentur, ne hic Svecos distrahere posset, ac Polono ad invadendum Electorem nil impedimenti foret. Qvæ pax eo facilius processura erat, qvod Ordines in arbitrium Regis contulisſent etiam avulsione qvarundam provinciarum eam redimere. Ac cumprimis suspectum habebatur, qvod cum legatus Gallicus palam jactaret, cum Turcis jam omnia transacta esse, arma tamen magna vi in Polonia parerentur: ac multi dissererent; si Ucraina, & Podolia Poloniæ decedat, in Borussia, Silesia, & Moravia damnum reparandum. Qvin Gallus filio Regis spem Regni Bohemiæ feciſſe diceba-tur. Sed & Cæsarem Electori disjungere studebat Polonus, dum ad firmanda cum Cæsare pacta pronum se declarat, idemqve circa pacta cum Electore tergiversatur, ut si hic in Borussia invaderetur, Cæsari prætextum non foret eidem adsistendi. Gallo qvoqve instigante Polonus seqvestrem se tractatibus Neomagensibus offerebat. Qvod etsi haut qvaqvam bono Electoris qværi adpareret; tamen Hoverbeqvius, si de eo sibi proponeretur, neqve contraniti, nec assentiri jubebatur, sed tantum objicere, lentum id negotium fore, qvod consensus prius ex Hispania petendus sit. Qvin aliqvi credebant expedire, ut Polonus seqvester adsciscatur. Nam ita necessitatem ipsi adferri, ut medium se gerat; ac tanto plus causæ Ordinibus fore ejus conatibus intercedendi, si qvid tentare velit. Nec seqvestris officio compromissum subesse, nec partes ad ejus sententiam seqvendam adstringi. Qvanqvam autem boni cives spem facerent, Regem suo, aut Reip. nomine in Borussiam nil tentaturum; præstare tamen nolebant, à Svecis in eam nil suscipiendum. Sane Lilliehœckius eo nomine libellum exhi-

1676. exhibuerat, ut, qvia Elector è Borussia copias adversus Svecos in Germaniam miserit, his qvoqve vitio non detur, si & ipsi contra eundem in Borussia rem gerant. Ac multi erant, qvi haut iniqvum ducerent; cum Sveci ea conditione Borussiæ, Lauenburgo, & Butoviæ pepercerint, ne transitus copiis è Borussia concedatur; igitur ea conditione per Electorem non præstita, Svecis qvoqve integrum fore Borussiam invadere. Ac altius penetrabat, qvod ipse Rex dixisset; se metuere, ne Sveci Electorem in Borussia impetant in ultionem, qvod hic copias inde evocarit: ac istis è Livonia in Borussiam irrumpere in proclivi fore, qvod jam inter eosdem, & Moscos congressu in limite habito convenerit. Qvod non nisi connivente Polono fieri

26. Maij. posse satis adparebat. Qvanqvam autem Rex, cum in expeditionem adversus Turcam eunti Hoverbeqvius valediceret, verbis prolixe de suo in Electorem studio testatus esset; tamen istis parum confidi poterat, qvoad reipsa fulcirentur, qvod nec pacta adhuc confirmata, nec feuda renovata essent, qvibus congressum delegatorum, componendis utrinqve prætensionibus Rex permitti cupiebat.

Per talia Electorem peti in aprico esse; qvod & è Zawadzkii, ac Lilliebœckii scriptis, ac Bacovii oratione, aliisqve indiciis colligatur. Inprimis intolerandam esse Bacovii importunitatem, qvi pro sententia ita aspere in Electorem invectus sit, ut professus hostis asperius tractari non potuerit. Equidem in libera Republica libertatem dicendi haut prohibendam, modo ne falsa amicis Principibus impingantur, ac bellis non necessariis patria haut involvatur. Qvin idin aula agi, ut ignominiosa cum Turcis pax ineatur, derelicta Ucraina, Podolia, & Caminiecia, tantum ut facultas sit pacem cum Cæsare, & Electore, inani lite mota, abrumpendi. Id qvod continua Gallorum, & Svecorum instigatione fieri nemini non cognitum esse; qvi proprium emolumentum vel cum exitio Reip. qværant, ac Cæsarem, Electoremqve distractum cant, ut periculo semetipsos subducant, Poloniam eo involvant. Qvid ab ejusmodi consultoribus expectandum sit, facile intelligi. Galli blanditias Poloniæ semper exitiosas fuisse. Pecuniam, qvam is largitus sit, nil nisi factiones, discordiam, & confusionem peperisse. Ad bellum Turcicum eundem ne uncialem contulisse. Qvo Sveci tendant omnibus notum esse; qvi jam demum pœnas Numini ob exercita in Polonos, & Electorem exsolverint. Nunc eos Reip. & Electorem inter se committere velle, damnis suis apud utrumqve reparandis. Sed ignominiosum Reip. ab aliis consiliis pendere; noxium in gratiam inimici cum optimis amicorum, & fœderatorum pacem abrumpere, qvi Electorem ubi invadatur haut sint deserturi. Querelas, qvæ contra Electorem moveantur, inania prætexta esse; ac si qvid solidæ controversiæ sit, amicam viam patere. Electorem bis contra Turcam auxilia misisse, idqve propriis sumtibus, ad qvod per pacta haut tenebatur. Habere in præsens Majores Polonos, ut securitati suæ prospiciant. Nam etsi Electori qvam maxime cordi sit sanctum amicitiæ, ac fœderis vinculum cum Rep. servare; ei tamen necessum fore, si à Polonis invadatur, omnia defensionis, ac vindictæ adminicula impendere; ubi non posse non vicinam Majorem Poloniam utroqve exercitu proteri. Esse Electori exercitum bellicosum & victorem. Ipsum, ubi in bellum erumpatur, hostibus cum viginti qvinqve bellatorum millibus obviam iturum, certa boni successus spe. Contra Polonis à Gallo, & Svecone auxilii sperandum. Istum nil militum submittere posse: pecuniam exhaustam, qva ipse opus habeat. Ac si maxime argenti qvid trajiciatur, paucorum loculis absorberi summo cum patriæ detrimento. Sveciam plane pristino fastigio dejectam, nec sibi ipsi servandæ sufficere. Ei duo, aut tria per

Pome-

Elector Majores Polonos sibi adjungere studet.

§. 7. Hisce igitur malis, qvæ à Polonia provenire poterant, avertendis, ac confundendis aulæ consiliis Lesinius Cancellarius offerebat, se apud conventus, ubi de actis Comitialibus refertur, per bonos cives effecturum, ut Majores Poloni delegatos ad Regem mittant, denuntiaturos; se tributa comitiis Cracovien sibus decreta haut exsoluturos, qvoad Rex declararit, se pacem cum Electore culturum, ac pacta firmaturum. Alias enim sibi in provincia sua securis degere haut licere, qvæ incursionibus è Marchia qvam maxime pateat. Ac nosse se oportere, cui usui tanta pecuniarum vis impendi debeat, cum à Turca ob intestinas turbas nil metuendum sit. Sed & Elector, ut istos causæ suæ illigaret, Hassonem Adamum Wedelium, & Petrum Ernestum Ludovicum, qvibus multa cum proceribus ejus provinciæ notitia erat, velut privatorum negotiorum gratia ad amicos ibi suos circum proficisci, & captata occa-

16. April. sione differere jusserat; *ut cordatis mirum videatur, proximis Comitiis internam qvietem, & securitatem Regni ita neglectim habitam, dum super confirmandis cum Electore pactis nil certi conclusum sit; qvin aliqvos ejusmodi verba constitutioni inferire voluisse, per qvæ ista plane eludi qveant, ac alios recte sentientes nil plane, ac iisdem statu maluisse.*

1676. *Pomeraniam oppida ſupereſſe, brevi ſubigenda. Summam ſtultitiam fore alieno pedi extractam ſpinam ſuo immittere. His malis prævertendis, ac ut æternum fœdus, quo hactenus utriusque ſalus, & ſecuritas ſtetit, ulterius ſervetur, non præſentius remedium eſſe, quam ſi in conventibus poſt-comitialibus concludatur, ne in ulla tributa in Comitiis decreta conſentiatur, niſi prius pacta cum vicinis, ac præcipue cum Electore confirmentur, ac Rex declaret, ſe nil in Cæſarem, & Electorem tentaturum.* Iſtæ miſſiones fructu non carue-
1. Maji. re. Nam conventu provinciali Scrodæ habito comperiebatur, impreſſæ Conſtitutioni multa periculoſa inſerta, qvæ mandatis Nuntiorum Terreſtrium adverſa fronte repugnarent. Unde decernebatur, delegatos ad Regem mittendos, qvi enixe poſtularent, ut ancipitia iſta Conſtitutioni inſerta declarentur, ac pacta cum Electore ſine exceptione firmentur: tum hac rerum facie extranei miniſtri aula dimoveantur. Ubi poſtulata abnuantur, minas jacerent; ac malle ſe rem ad tumultum deduci, qvam ullo modo bellum in Electorem concedere. Iſti delegati antequam redirent, omnia Comitiis decreta in ſuſpenſo manebant, nec tributi qvid ſolvebatur. Ab Electore miſſi mandata ſua in formam epiſtolæ amici ad amicum redacta magno numero diſſeminabant. Ita cum Rex adverſus Turcas in expeditionem procederet, & boni cives Gallorum, & Svecorum machinationibus reſiſterent, vix hoc anno è Polonia infeſti qvid metuendum videbatur.

Hoverbeqvi circa conciliandos Polonorum animos ſtudium.

§. 8. Haut eo ſecius, Rege qvantumvis in expeditionem progreſſo, Hoverbeqvis Cracoviæ hærebat, diſſipandis, qvæ adverſus Electorem agitabantur, conſiliis. Inter alia cum Primate, Cracovienſi Præſule, & aliis ſuper pactis Brombergenſibus diſceptabat, qvæ iſti à Rep. ratihabita arguebant, antequam rite perfecta, & à Principibus utrinqve ſubſcripta forent. Enimvero demonſtrabatur, ea pacta à ſeqveſtre,
19. Sept. 1675. & delegatis utrinqve Welaviæ ſubſcripta, & paulo poſt à Rege Joanne Caſimiro, & præſentibus tunc Senatoribus jurejurando
6. Nov. 1675. Bromberge confirmata. Seqventi anno convocatione Warſaviæ habita omnes qvi
Febr. 1678 aderant Senatores eadem probaſſe, qvæ dein eodem anno Comitiis omnium conſenſus rata habuerit. Idem Primas iis pactis convellendis jactaverat; ſibi ante ſecutam ratihabitionem de iisdem nihil conſtitiſſe. Aſt is eo tempore in ejusmodi ſtatu vixerat, qvo id genus negotia ad ipſum plane non ſpectarint. Nam ſacri Ordinis homines antequam in Senatum adſciſcantur, circa talia deterioris eſſe conditionis, qvam privatos nobiles, qvod iſti ad nullas conſultationes in conventibus omnium ordinum, aut ſingularum provinciarum admittantur. Sed & de Caleſteiniano negotio iterum movebatur, circa qvod Sobieſcius adhuc privatus ſat fervidum ſe exhibuerat. Sed demonſtrabat Hoverbeqvius non tantum è pactis, qveis ſupremum Borußiæ imperium in Electorem collatum erat; ſed & ex omnibus conventionibus inter Reges Poloniæ, ac Magiſtros Ordinis, ac Duces initis, id genus hominum ſeditioſorum etiam durante nexu fiduciario in Polonia haut admitti, multo minus in patrocinium recipi, ſed utiqve repelli debuiſſe. Ita ut Cracovienſis Prælul Andreas Trzebicki convictus demum agnoſceret; Regem Michaëlem male feciſſe iſto in aula ſua tolerato, ac ultro ſe periculo expoſuiſſe contumeliam, qvalis ſecuta eſt, accipiendi. Idem Prælul, cujus ſingulare tunc in Electorem ſtudium eminebat, judicabat; Regem tot Palatinatuum delegatis ſcriptam cautionem, qvam ipſi deſiderabant, haut qvidqvam traditurū; ſe nemini Principi Chriſtiano, ac inprimis Electori, bellum haut illaturum: ſed laxioribus duntaxat verbis declaraturum: non eſſe dubitandum, qvin ipſe pacta conventa, in qvæ jurarit, obſervaturus ſit. Qvia tamen Nobilitas Gallorum, & Svecorum molimina averſetur, eum non auſurum iſtius inclinationi contraniti. Unde Electorem eo nomine in utramqve aurem dormire poſſe; præſertim cum is non tantum pro Germania, ſed & pro Polonia in Pomerania bellum gerat. His tamen dictis confidi tuto non poterat; ac præſentiſſimum remedium erat Majores Polonos addictos habere; qvā & in univerſum Electori ſtudebant. Ac confirmabat Poſnanienſis Præſul Wiezbovvski Hoverbeqvio; magnam partem incolumitatis, & ſecuritatis Majoris Poloniæ in eo verti, ut Sveci è vicinia amoveantur. Et ſi maxime Ruſſici Palatinatus ad nutum Regis ſe componant; Majoribus tamen Polonis eam in Rep. eſſe autoritatem, ut reliqvi fere eorum placita ſeqvi ſveverint. Se autem non paſſuros, ut Rex aliqvid in Electorem, dum hic circa Svecos in ordinem redigendos occupatur, ſuſcipiat. Nec Regem ſine Majore Polonia Regem eſſe poſſe.

Periculum è Poloniæ crude-ſcere videtur.

§. 9. Haut eo minus periculum, qvod durante contra Turcam expeditione ceſſaſſe videbatur, iterum gliſcebat, certa ſpe pacis Turcicæ affulgente, cujus publicatio

1676. ideo tantum differri credebatur, ut tributis exigendis Regi ſpatium foret. Ac iſta jam duos ante menſes Byzantii per Gallos concluſa fuerat, qvam eadem inter ipſum Regem, ac Turcicos delegatos perficeretur. EqvidemPontifexRegem vehementer hortabatur ad bellum id perſeqvendum, qvod Turca domi ſeditionibus laboraret: ſed Regina, & legatus Gallicus Maſſilienſis Præſul Regem continuo obtundebant, ut pacem cum Turca occuparet, qvo Cæſari in Hungaria negotium faceſſi poſſet. AcBethunius ſub id tempus è Gallia munera octingenties mille florenorum pretio Regi, Reginæ, ac Regiis liberis attulerat. Eo magis Regina Regem urgebat, ut tandem aliqvando poſt tot pollicitationes, ac perceptas à Gallo largitiones ſolidum affectus ſui in hunc ſpecimen exhiberet. Scilicet metuebat illa, ne Regem maritum aliqvando ipſius tædium caperet, ni de Galli patrocinio ſibi cautum eſſet, & ab hoc ipſa ſubinde iſti emolumenta qvæpiam conciliaret. Sed qvia Gallo largiendi ſatietas ſubire poterat, ſi promiſſa, & non levi pretio emta circa diſtrahendos hoſtes opera diutius differretur; illa Regem magno cum tædio obtundebat. Enimvero uti Reginæ benevolentiam Gallicæ illecebræ, ac donationes ſibi pigneraverant; itaRex circa tanti momenti negotium majore cum circumſpectione procedebat, qvam muliebris impatientia ferret. Qvam ut eo magis partibus ſuis illigaret Gallus, jam coronatam, eoqve Reginæ Galliæ dignatione parem *Filiam Francia* declaraverat, haut ſatis è dignitate. Nam idem Mariæ Ludovicæ factum erat, anteqvam Regina fieret, & adjecta magna dote CCCC M. coronatorum. Qvanqvam autem Rex animi ſenſa curate premeret, ac verbis amica omnia oſtenderet: tamen arcanorum conſcii Senatores ſubinde altius penetrantia jaciebant, dum ductoribus, ob non ſoluta ſtipendia animo ægris, poſt pacem cum Turcis de ejusmodi bellis ſpem facerent, è qvibus damna hactenus tolerata ubertim ſarcire qveant, non obſcure Sileſiam, & Boruſſiam innuentes. Nec vires talibus exſeqvendis defore. Nam ſi modo exercitus confœderatione ſe illiget, multos nobiles ad paupertatem redactos ei ſe adſociaturos, ut facile centum armatorum millia conflari poſſint. Nec contradictionem Majorum Polonorum curari, qvi ubi tumultuantibus res bene ſuccedere perſpexerint, facile in easdem partes ſint tranſituri. Qvibus Hoverbeqvius ingerebat: *Si Polonis utiqve inſanire placeat, eos qvidem onus Svecis incumbens detrahere poſſe, ſed ut in eorum vicem calamitatibus ſeſe opprimendos prebeant; qvos ob alios perire prurientes ne Galli qvidem miſeratione proſecuturi ſint.* Ac eo facilius confœderationem impediri poſſe ſpes erat, qvod ſupremi exercituum duces, ac multi alii magnæ apud milites autoritatis, Potocius, Czarnecius, ab iſtis conſiliis abhorrerent. Ac ſi Electoris arma probe ſuccederent, eo facilius aulæ libido deceſſura erat eum laceſſendi. 1676.

§. 10. Videbantur tamen Gallorum conſilia magis in Hungariam, qvam Boruſſiam dirigi; præſertim cum bellum in Boruſſia motum Poloniam qvoqve involuturum eſſet; id qvod armis in Hungariam translatis haut metuendum erat. Unde & rebelles qvi vocabantur Hungari magno favore in aula Polonica fruebantur, milite qvoqve in eorum uſum Cracoviæ conducto; in qvibus Galli magnam ſpem ſuorum contraCæſarem deſtinatorum repoſuerant. Qvos contra privilegia à Cæſare ſibi illata ita exacerbaverant, ut literis in Poloniam ſcriptis faterentur, à ſe Auſtriacæ Domus everſionem qværi. Qvibus & confirmandis Akakia in Tranſylvaniam profectus fuerat. Hos igitur ut ad obſeqvium Cæſar reduceret conceſſo ſacrorum, qvibus innutriti erant, uſu, Elector per Crocovium Viennæ enixe inſtabat: *Non poſſe non ſibi maximo dolori eſſe, qvod cum ipſe, ac tot Proteſtantes Principes, ac Reſpublica tota, ac fortunas ſuas pro Auſtriaca Domo periculo exponant, ſacrorum ſuorum conſortes per universam Hungariam cultu publico exui, eorumqve concionatores ad inſtar deterrimorum maleficorum excruciari, ac immaniter trucidari.* Ac ſane Cæſarei miniſtri, qvi prudentia, & animi moderatione eminebant, immanitate iſta abſtineri optabant; ſed qveis non ſat virium erat compeſcendis Jeſuitis, qvi pædagogica obſtinatione contra omnes ſtatus rationes calida, & abrupta ſua conſilia pervincebant; qvos non Principum, qvorum animos ſuperſtitione irretierint, ſalutem, ſed Regis ſacrorum, ac ſuæ cumprimis ſocietatis lucrum ſine fine ac modo qværere, id indicio eſſe, qvod tantas ſibi per provincias Cæſaris opes corraſerint, ut ni eorum aviditas ſiſtatur, demum potiorem earum partem in patrimonio ſuo numeraturi ſint. Ac eo magis ea res optimo cuiqve, ac Domui Auſtriacæ addictiſſimo acerba videbatur, qvod ex horrendis iſtis perſecutionibus Jeſuitæ, ac reliqva ſacerdotum natio, ſi qvod lucrum eſſet, perciperent; ad Cæſarem, nil præter invidiam, damnum, ac pericula proventirent. Qvin plurimis

Gallorum in Hungaria machinationes.

1676. plurimis perſvaſumerat, qvosdam Jeſuitarum pecunia emtos, ut Cæſarem in enormi circa ritus Romanos zelo magis, magisqve obfirmarent: qvam animi pervicaciam, pietatis ſtudium mentientem, iidem qvoqve Reginæ Angliæ Caroli I. conjugi indiderant, exitio domus ſuæ ceſſuram. Porro ut Cæſarem Polonis invilum redderent Galli, ſpargebant, iſtum id bellū Poloniæ attraxiſſe, & adhuc pacem impedire; cum contra ad hanc Polonis comparandam Gallus immenſam pecuniarum vim erogaverit. Agitabant autem tunc Galli cum rebellibus Hungaris, ut Bethunius Rex Hungariæ fieret, prout & tunc Condæus Regno Siciliæ deſtinatus erat. Ita Gallum duos ſibi ſubditos habiturum Reges, ſicuti per duas Reginas Gallicas, Poloniam, & Luſitaniam ſibi obnoxiam teneat. Qvanqvam & de aliis ſuo Regno præficiendis rebelles Hungari moverant. Nam & de ipſo Regis Poloniæ filio propoſuerant; ſed cui tanti non videbatur ob lacerum Regnum ſpem ſibi Polonici diadematis adimere. Aulæ Mareſchallum Sianovium ob ingenium inconſtans, & præceps Hungari averſabantur. Lubomirſcius Hungaris gratiſſimus erat, cui & Polonica aula fautura fuerat, ſi Reginæ ſororem connubio ſibi jungere placuiſſet: ſed qvi neutrius cupidine tangi ſe oſtenderat. Unde demum circa Bethunium ſatagebatur. Super iſtis aulæ Polonicæ deſtinatis Elector per Crocovium Cæſari exponebat. Eſſe qvidem inter Proceres, qveis aulæ conſilia diſpliceant, & qvi ad ea diſſipanda confœderationem exercitus conflandam ſvadeant; qvos idoneis modis fulciri par ſit. Sed ſi iſti negligantur, aulæ curæ fore eosdem in partes trahere, ac conſilia, qvibus perſeqvendis nil niſi occaſionem expectent, effectui dare. Sed Cæſarei judicabant, ſaltem hoc anno è Polonia nil periculi eſſe, pace Turcica nondum liqvida, nec Rep. in bellum cum vicinis conſenſura. Regem qvoqve Poloniæ Cæſari declaraſſe; ſi maxime controverſiæ qvid ſibi cum Electore oriatur, ſe ejus compoſitionem amica via qvæſiturum, non ab armis initium facturum. Ad qvæ Crocovius: De pace Turcica haut dubitandum, poſtqvam in Regis arbitrium poteſtas belli, & pacis collata ſit. Inclinationes bonorum civium effectu carituras, ſi non per propoſita remedia alantur. Teſtationes Regis magis ſuſpicandi anſam præbere; cum iis opus non eſſet, ſi Rex nil infefti animo agitaret. Nec eas exprimere, Regem utiqve pacem, & pacta ſervaturum, ſed tantum, qvomodo rem aggreſſurus ſit, ubi in bellum erumpere placeat. Scilicet ſe prius civilibus modis unum & alterum ab Electore poſtulaturum, ut cœptis ſuis aliqvem colorem circumponat. Sed forte poſtulata illa juri, & æqvo repugnatura. Poſſe qvoqve eundem tractatus pro lubitu abrumpere. Et qvid de horum ſucceſſu ſperandum ſit, ex eo judicandum, qvod aula Polonica ſolo Galliæ inſtinctu regatur; cui haut qvidqvam animus ſit Polonum Electori conciliare, ſed utrumqve inter ſe committere. Ad qvæ Hocherus: Sane vigilandum. Sed id expendendum, num confœderationi exercitus conflandæ, qvæ Regis deſtinatis ſeſe oppoſitura ſit, inſignes pecuniarum ſummæ in Poloniam mittendæ ſint, nota inconſtantia, & lubrica fide iſtorum hominum, à qvibus Cæſar tam ſæpe illuſus ſit. Ac inprimis Pacio Lithuaniæ archiſtratego haut fidi, qvi multis a Cæſare beneficiis mactus contra ſua promiſſa Auſtriacas rationes noviſſima electione deſtituerit. Nec id tantum metuendum eſſe, ne pecunia incaſſum prodigatur; ſed & ne unus & alter, qvicum agatur, cum aula in gratiam redeat, & ſecretum prodat; qvo ipſo Regi prætextum contra fœderatos naſciturum. Unde videndum, qvomodo pax Turcica ſuccedat, qvid aula, & qvi ejus offenſam præ ſe ferunt, ſuſcepturi ſint. Interim bonos cives demulcendos. Poſt tamen cum de concluſa cum Turcis pace adferretur, & qvod Polonus utiqve in Electorem qvid tentaturus diceretur, aula Cæſarea non parum perturbationis oſtendebat. Scilicet qvod ejusdem mos ſit non circa avertenda mala mature ſatagere, ſed demum, ubi extrema eruperint, evigilare.

Sianovii.

1676.

§. 11. Uti autem Galli per Hungaros Cæſari moleſtiam faceſſere laborabant; ita Sveci non parum fiduciæ collocarant in qvibusdam Boruſſis præſentem ſtatum taſtidientibus, Romano cumprimis ritui addictis, qvos Jeſuitæ ad res novas incitare non deſinebant. Qvi & aulam Polonicam ſubinde ſtimulabant ad Regiomontanam civitatem tentandam, qvam ſe citra teli jactum Polonis tradituros pollicebantur. Poſt fugatam tamen Svecicam claſſem eorum, qvi Svecis favebant, autoritas in Polonia non parum minuebat; cui cladi elevandæ Lilliehœckius tum apud alios, tum literis ad Regem Poloniæ ſcriptis culpam calamitatis in cacodæmonem, & incantatrices vetulas conjiciebat. Sed Rex non ſine irriſu in febriculoſam excuſationem cavillato dixerat: *Si homines in rebus gerendis verſatis aliqvid in diabolum, aut magos referant, perinde eſſe, ac ſi philoſophi, ubi ratiocinando aqva hæret, ad*

Hoverbeqvius Svecorum machinationibus ſe opponit

1676. *qualitates occultas confugiant, utrinqve ignorantiæ, aut impotentiæ dissimulandæ asylum.* Circa id negotium sagarum, qvod tunc temporis in Svecia fervebat, ad legatum Gallicum Lutetia literæ mittebantur hoc sensu: *Miseros, ac infelices homines, qvi jam in Svecia comburantur, non nisi ad summum ægros è melancholia, & morbo hypochondriaco, victimas esse, qvas ignorantia, & indignatio Svecicæ nationis immolet ad placandam adversam fortunam, exitium ipsi intentantem. Si Senatus Sveciæ considerasset vires sibi deesse exseqvendis, qvæ in Germania susceperunt, ausis, & qvanta sit in ipsos nationis Germanicæ aversatio, officio seqvestrium inhærentibus & suæ provinciæ, & existimatio salva mansissent.* Cæterum Svecorum machinationibus discutiendis Hoverbeqvius apud bonos cives deducebat: Electorem Polonis nullam belli causam præbuisse. Unde hos, si temere in arma ruant, eundem cum Svecis successum sortiri posse. Ac si maxime initio per excursiones apertis provinciarum locis damni qvid inferatur, id tamen bellum ad extremum Reip. perniciem post se tracturum, aut saltem viam fœdo servitio publico muniturum. Id qvod jam in Palatinatibus Minoris Poloniæ, & Russiæ adpareat, qvi, qvod belli malis exhausti sint, contra Regem hiscere non audeant. Et jam primordia dominatus adparere, qvod raro Senatorum sententiæ exqvirantur; & si maxime id aliqvando honoris gratia fiat, non ex istorum placitis, sed ex aulæ libidine procedatur; cui qvi assentari nolint, odiis premi, aut viles haberi. Sane Warmiensi Præsuli, qvædam contra sententiam aulæ facienti, dictum fuisse; *pœnitet me fecisse hominem.* Sed & qvo Svecis par pari referret Hoverbeqvius, Polonos ad invadendam Livoniam stimulabat, qvam qvondam Nassokinus Mosci nomine iis se traditurum promiserat, si Poloni Kioviam Mosco cedere vellent. Et confirmabat Vilnensis Præsul, Livonos ut à jugo Svecico liberentur optare. Ac sane ista propositio Polonis salivam movebat, præsertim cum Hoverbeqvius offerret, ipsum Electorem Livoniam Svecis ereptam Reipublicæ traditurum, excepta Riga. Nam ei urbi nunqvam libidinem fore sub imperium Poloniæ revertendi ob Jesuitas, à qvibus tam male habita sit, & qvia in Comitiis Polonicis innumeris processibus vexata fuerit. Regis filio tres Palatinatus, Dorpatensem, Wendensem, & Pernaviensem jure hæreditario conferri posse; qvos si deinceps promittat patrimonio Coronæ se inserturum, id validæ commendationis instar habiturum ad diadema post obitum patris adqvirendum. Ac bonis civibus odium indies in Gallos, Svecosqve gliscebat, qvod intelligerent, sibi jam in promtu esse Livoniam, aut magnam ejus partem nancisci, ni istorum machinationes obstarent, qvo minus tam proficua Reip. occasione uti liceret. Rex tamen, etsi multi propositum de Livonia svaderent, id effectui dari posse negabat. 1676.

§. 12. Interim circa confirmationem pactorum qværendam ab Hoverbeqvio nihil omissum fuerat; qvi & durantibus comitiis exhibito scripto eam à Rege qvæsierat. Sed Rex responsum in reditum Scorazevii ad Electorem ablegati distulerat, & prout hic ad sua postulata declaraturus sit. Sed qvia Hoverbeqvius censebat, qvo enixius ea res qværatur, eo magis Regem tergiversaturum, ut vel prætextum armorum adversus Electorem arriperet, vel saltem aliqvid iniqvi extorqveret; per Majores Polonos, aut alios id negotium urgere satius habebat. Ei negotio extrahendo inter alia hæc cavellendi ansa qværebatur, qvod ad eum actum obeundum solus Hoverbeqvius mandata habeat; cum Polonus utiqve duos delegandos contenderet. Sed qvanqvam verba pactorum, (*per deputatos utrinqve in animas principalium jurantes,*) etiam de singulis ex utraqve parte intelligi possent, qvam & mentem seqvestris, atqve contrahentium fuisse adparebat; haut tamen consultum videbatur super his minutiis contendere. Præsertim cum, si maxime utrinqve in unum consentiretur, nova deinceps qvæstio exoritura esset; num delegatus ille è corpore Senatus, an nobilitatis sumendus foret, ne forte præterita pars causetur, renovationem pactorum haut rite factam, qvod nemo è suo corpore adfuerit. Cæterum qvi in aula prudentia pollere videri volebant, valde mirabantur à Rege confirmationem pactorum affectato prætexto extrahi, cum promto in eam consensu Electorem, & Majores Polonos in securitatem dare potuisset. Ac non difficilius fuisse, conscientiam suam à jurejurando per delegatos in animam suam præstito liberare, qvam ab eo, qvo in electione ipse pacta conventa firmarat, qvodqve in coronatione repetierat. Enimvero calido nimis studio Gallicos, ac Svecicos ministros occœcatos, ut præter rationem satagerent: qvo ipso nil aliud profecerant, qvam ut Electorem, ejusqve fœderatos adverterent. Rex tamen uti renovationem pactorum aperte non abnuebat declinandæ Ordinum offensæ, qvo-

Circa renovationem pactorum acta.

1676. qvorum plures indies in Majore Polonia, & alibi indignationem suam non dissimulabant; ita nec liqvido eam annuebat in Gallorum, & Svecorum gratiam. Sed Primas, aliiqve spem faciebant, omnia demum ex voto successura; ac minorem subinde fidem inveniebant disseminatæ ex aula narrationes. Nam si tributa exigebantur, periculum à Turcis exaggerabatur: Sed qvando Ordines qverebantur, Regem in Reginæ gratiam à finibus in Regni interiora recessisse, à Turcis nil periculi subesse ferebant. Porro Primate monente Rex renovandis pactis sat promtum se declararat, ut tamen tempus ei actui non constitueret, nec delegatos designaret, sed tantum Procanceliarii abientiam exciperet; cum tamen is actus neqve Regis, neqve Procancellarii præsentiam requireret. Sed satis adparebat, eam moram Gallorum muneribus dari, ac velut grande officium iisdem imputari. Sane Rex dixerat: Electorem ipsi multum amicitiæ in electione, & alibi exhibuisse; sed id se nunqvam digerere posse, qvod iste autoritatem, qva ipse die coronationis gavisus esset, per Majores Polonos uno ictu prostraverit, ac Constitutionem iis comitiis conditam plane everterit. Cum tamen tempus inter incerta laberetur, Hoverbeqvius ab Electore solido scripto deducere jubebatur, qvam sæpe, & qvo modo confirmationem pactorum qvæsierit, addita protestatione, uti ipse pactis examussim satisfecerit, nec omnium cordatorum judicio à se qvid amplius requiri possit. Ac jam Majores Poloni palam minabantur; si Elector invadatur, se id non externum, sed intestinum bellum habituros, ac in istius partes concessuros, cum is pro servando vetere Reip. statu laboret, Galli, & Sveci pro dominatu. Demum cum totus annus inter ambigua ista elapsus esset, Primas judicabat, satius esse, ut id negotium post comitia differatur, qvam ut ansa Ordinibus præbeatur ei se ingerendi; qvos omnes in eandem sententiam pertrahere, aut saltem plene edocere, arduum futurum sit. Et cum Elector ferre noluerit verba Constitutioni inserta, *ut renovatio pactorum de consilio Senatus fiat*; multo minus permittendum, ut id negotium comitiale fiat. Qvin multis utile videbatur, Electori renovationem pactorum fuisse negatam, qvod eo ipso favor Ordinum ei conciliatus hiqve ut sibi caveant, admoniti sint. Cum contra Electori per jusjurandum à delegatis præstitum non amplius cavendum fuerit, qvam qvod ipse Rex bis jurasset. Ac pollicebantur boni cives, se futuris comitiis instituros, ut omnis militia usqve ad qvatuor millia Qvartianorum exautoretur; qvod Gallica factio non omissura sit Regem super invadendo Electore solicitare, qvamdiu copiæ in promtu sint. Sane Galli ingerere non desinebant; si Turcarum potentia terrorem ei incutere non valuerit, ignavum fore unius aut alterius Nuntii Terrestris, à fœderatis pecunia emti, intercessione, ac dissensu moveri. Sed Rex sapientius judicabat, bellum facilius incipi, qvam finiri, nec intra limites primum designatos consistere. Ac in præsens Gallus, qvales optabantur, conditiones haut obtulerat. Unde nil certi statuere placebat; qvoad plus soliditatis, ac securitatis perspiceret; qvid consilii Bavarus capturus sit; num destinata circa Pautzcam, & Gedanum successura; num duodecim naves bellicæ, qvas Gallus Sveco promiserat, Oresundam penetraturæ sint? Inter alias porro illecebras inescandis Polonis Bethunius multa insignia Ordinis Eqvestris Gallici, à Sancto Spiritu dicti, attulerat, inter Proceres Polonicos distribuenda: sed qvæ nemo acceptare dignabatur. Nam si ferre noluerant ab Uladislao Rege novum Ordinem Eqvitum introduci, qvem dividendæ nobilitati inventum arguebant, qvod ejus incapax statueretur, cui infra sexcentos aureos annui reditus in censu esset; multo minus alieni Regis inania insignia circumgestare placebat. Cum porro Galli perspicerent, Ordines Poloniæ nunqvam permissuros, ut Rex Electori arma inferret; jam id agebant, ut Rex armis intentatis Moscum Livonia averteret; & qva & Svecis spes erat, se damna sua in Borussia reparaturos. Ac sane Moscicus exercitus, qvi hactenus ad limitem Livoniæ constiterat, audita Polonorum cum Turcis pace, & qvia Tartari finibus Moscoviæ ingruebant, in interiora recedebat, metu simul belli à Polonis subigente. Et cum Galli Svecis hoc bello fortunam reflare cernerent, eorumqve societatem magis oneri qvam levamento sibi esse, id solatio superesse ferebant, ut si ipsi Hispanis Siciliam, ac Limburgum, Belgis Trajectum ad Mosam reddant, ac Lotharingo Ducatum suum fiduciaria lege offerant, mox triplex fœdus inter Austriacos, Anglos, & Belgas contrahatur, per qvod Svecis amissa restituantur. Qvo fine & Galli Arausionensem tentabant, oblato Trajecto ad Mosam cum supremi imperii jure, & insigni pensione annua è salinis Burgundiæ, simul nuptiis cum Maria Ducis Eboracensis filia, qva via solio Angliæ ipsum sint admoturi. Sic igitur eventus proxi-

11. Oct.

11. Dec.

1676. morum Comitiorum expectandus erat, ubi si Svecorum, & Gallorum machinationes frangerentur, nil amplius periculi è Polonia imminere videbatur. Unde ne qvam qverendi causam Regi præberet Elector, duas cohortes Polonicas, qvas conduxerat, dimittebat; postqvam intellexerat, Regem ægre tulisse, ab istis exteram militiam susceptam, ac eos sub pœna infamiæ & confiscationis bonorum revocandos. Tum præparandis ad futura Comitia animis Joachimũ Scultetum ad proceres Majoris Poloniæ circummittebat. Qvi prolixe pollicebantur, Regem in Electorem nil infesti suscepturum. Esse eum qvidem valde callidum, & imperandi artibus instructissimum, sed simul meticulosum, & qvi in dubiis tutissima sectari amet. Nec eum Galli amicitiam tanti facere, ut ob hunc se, ac Remp. in discrimen mittere velit. Qvin ab eodem crebris sermonibus improbari scæva consilia à Svecis capta, qvæ posteris qvoqve ipsorum materiam pœnitendi præbitura sint. Tum Scrodæ in conventu provinciali decretum, delegatis ad Comitia in mandatis dandum, ut ad nullum aliud negotium accedatur prius, qvam Rex pacta cum vicinis confirmarit: ut sub pœna capitis, & bonorum nemo exautoratus exteri cujuspiam militiæ accedat: ut omnes exterorum legati ab aula expediantur, nec iis permittatur tamdiu ibi morari. Regem qvoqve rogandum, ut tantam Gallorum turbam aula dimoveat, & vacantia munia Polonis conferat. Qvia etiam Rex, dum in pacta conventa jurat, ea verba omiserat, *nullum se bellum suscepturum, nisi cum consensu Reipublicæ*; igitur his Comitiis per diploma declararet, eam rem se habiturum, velut pactis conventis expressa, ac jurejurando firmata sit. Ac confirmabant isti, Regem haut ausurum renovationem pactorum abnuere, qvod Ordinibus sese magis, magisqve suspectum redditurus sit, qvasi Remp. bello cum vicinis implicare studeat. Nec eundem comitia ad rupturam posse deducere, qvod alias pax cum Turca confirmari neqveat. Cæterum ea pax effecerat, ut à Moscis nil amplius levamenti contra Svecos expectari posset, præsertim cum Alexius Czar sub initium anni fato functus esset, relicto successore Theodoro, tenera adhuc ætate, nullo rerum usu. Qvi misso ablegato de morte patris, sua successione Electori significabat, addita testatione de continuanda amicitia. Cui Elector per literas solandi, ac gratulandi officium reponebat. Qvem Daniæ Rex frustra in Svecos excitare satagebat, misso Friderico Gabelio, ea potissimum ratione usurum, qvod Lilliehœckius Polonis pollicitus esset, si hi adversus Electorem Svecis auxilio sint, Svecos deinceps una cum Polonis Moscoviam invasuros. 1676.

Periculum à Polonia minui videtur.

Fœder.

§. 13 Cæterum uti Electori fortuna hoc anno hactenus favit, qvod infesta hostium per Poloniam consilia eludere datum fuit: ita cœcam invidiam, qvæ etiam amicos adversus ipsius incrementa coqvebat, superare haut contigit, qvæ circa præmia felicium armorum varia obstacula objicere non cessabat. Eqvidem cum hactenus Viennæ de Electoris satisfactione laxis duntaxat verbis, & in longum prominentibus locuti essent, jam legatus Hispanicus ultro de eadem agere paratum se ferebat, ac isti totam Pomeraniam Svecicam relinqvendam, qvi vicissim operam navare debeat, ut Hispani amissa in Belgio loca recuperent. Revera tamen aulæ Viennensi Gallicum bellum longe magis, qvam Svecicum cordi erat. Nam ut Gallis qvædam loca eriperent, maxima lubido erat: Svecos arcuisse satis habebatur, ne in Cæsaris ditiones irrumperent, ejusve destinata turbarent. Num qvid terrarum iisdem eriperetur perinde erat, qvod ex eo ad Domum Austriacam nil perveniret. Unde & illis fœderatis qvam maxime blandiebantur, qvi contra Gallum rem gere malebant. Jubebatur tamen Crocovius ex Hispanico legato cognoscere, qvid is desideret, & qvid vicissim offerat. Nam Hispanus jam antea tenebatur opem conferre, ut Electori satisfiat. Qvod si ipse ad plura obstringere se debeat, ab Hispanis qvoqve plura præstanda esse. Ac ad expugnandam Pomeraniam Hispanus nil sane collaturus erat. Ubi in Belgium arma transferenda sint, ibi locorum de hospitiis Electorali exercitui prospiciendum, ac inprimis residua subsidiorum exsolvenda, & super futuris cavendum. Electori semper animum fuisse arctius sese Austriacis innectere, & adhuc esse; etsi modus agendi ab ea aula adhibitus non parum suspicionum injecerit. Qvæ communi consilio fieri debeant, eos solos expedire malle. Circa hospitia durissime cum ipso actum; cum contra Monasteriensi insignia commoda concessa, & omnia probata sint, qvæ is in Bremensi provincia susceperit. Erga Daniæ Regem, qvi tamen ad causam communem plurimum conferat, parum fiduciæ, aut desiderii cum ipso constantem amicitiam colendi demonstrari. In eo qvoqve rationem Cæsareos fugere, qvod Galliam Svecia nocentiorem ducant, cum recens experientia diversum docuerit. Nam

Circa Electoris satisfactionem Viennæ acta

2. Jan.

ni

1676. ni Svecorum irruptio Electorem subegisset omissis Gallis arma in istos vertere, jam securitas Imperio, & Austriacis in Alsatia parta foret. Iisdem qvoqve è Pomerania in Cæsaris ditiones penetrare pronum esse, ac nondum memoria excidisse, qvomodo isti olim per eas grassati sint. Eqvidem ut Gallus Alsatia exterminetur, Germaniæ qvam maxime interesse: sed ut idem circa Svecos fiat, non minus expedire. Nam si alteruter visceribus Germaniæ hæreat, alterum qvoqve hæsurum. Aut utrumqve ejiciendum, aut utrumqve tolerandum. Ita nuper res Gallorum valde nutantes à Svecis iterum restitutas, ut ingentes isti vires receperint, qvas frangere deinceps arduum sit futurum. Si Cæsar, & Imperium periculosum istum vicinum Electoris lateri dimoveat, propriam qvietem, & securitatem stabilire; nec deinceps remedia defore Gallis in ordinem redigendis. Electorem qvoqve velut compede solutum totis viribus Cæsari contra Gallos opem laturum, inprimis si facultas præbeatur exercitum eousqve augendi, ut separatim rem gerere qveat. Cum Monasterienſi, ac aliis, qvi partem Bremæ affectant, eum ex æqvo transigere cupiisse. Sed ex favore aulæ Viennensis libidinem istis accessisse in turbido piscandi, elusa transactione, ac sacerdotem istum Electori ubiqve insultasse. Unde aulæ circa hæc aliam rationem ineundam, si fiduciæ qvid in se reponi velit. Sed & Schvvartzenbergius, & Goëtius Gurcensis Præsul consilium parturierant, ut Svecis Pomerania restituatur, ea lege, ut Gallus in Belgio Hispanis nonnulla loca reddat. De qvo temperamento cũ Cæsarei moverent, Elector ostendi jubebat; hoc modo neq; sibi, nec Hispanis, nec Germaniæ consuli, ac omniũ securitatem in ancipiti manere; ac esse id è consiliis mediis, ac tepidis, ubi non satis audetur, nec satis cavetur. Nam post fractam hostium superbiam stolidum fore victoriam non eousqve persequi, ut non plena ab iisdem in futurum securitas stabiliatur. Haut eo secius Hocherus scrupulum adhuc movebat: *Cæsari circa satisfactionem circumspecte procedendum, nec ita arctam eo nomine obligationem induendam. Nam si promissa repræsentari nequeant, nec fortuna eousqve adspiret, ut Sveci penitus Germania ejici qveant, fortasse Cæsari actionem intentandam, ac de ipsius patrimonio qvid petendum. Tum & constare debere, qvid Elector in gratiam reliqvorum fœderatorum facturus sit. Sane Belgas declarasse, sibi locos fore ulteriores Electoris contra Svecos progressus; qva mens & Cæsaris sit, ac se ad eos promovendos opem collaturos, ea tamen lege, ut si* 1676. *res exigat, pro bono pacis aliqvid de hosti ereptis restituere grave non sit.* Nec minus Cæsarei incrementis Luneburgicæ domus invidebant, ac æmulatione inter eam, & Danum lætabantur, qvesti istam separata consilia agitare, ac propria tantum commoda aucupari; qvam totius Bremæ accessione mactari nolebant. Ex eodem fonte erat, qvod iidem Stralsundam promisso Imperialis civitatis statu permovendam censerent, ut ultro Svecicum jugum excuteret; qvod difficile futurum sit vi eam expugnare; revera ne eadem Electori adcresceret. Qvin legatus Hispanicus è Crocovio qværebat: qvia Cæsar haut spernendas copias cum Electore contra Pomeraniam jungat, an non æqvum sit, istum qvoqve aliqva ejus parte potiri? Cui Crocovius reponebat: magnam Cæsari invidiam excitaturum, si qvid terrarum ad Mare Balticum affectet, uti priore bello Germanico factum. Ei à Gallo præmia belli qværenda; ac satis esse vastationem patrimonio Cæsaris arceri, ejusqve securitati in futurum caveri, simul facilius adversus Galliam bellum reddi. Nec parum Cæsaream autoritatem stabiliri, amotis, qveis validam inter Ordines factionem alere in proclivi sit. Commercia qvoqve Cæsarearum provinciarum insigniter auctum iri, si Odera ad mare usqve in Electoris ditione sit. Sane Electori securitatem potissimum respici, qva non obtenta, ac Svecis in pristino statu relictis, omnem operam frustra consumtam. Nec vero è decretis Ratisponensibus obscurum esse, ad qvem hosti erepta spectent, ut nimirum læsis inde satisfiat. Unde nec ab iis, qvi Svecis jam qvædam eripuerunt, nec ab aliis fœderatis de iis qvid peti posse, anteqvam Elector reparationem damni, ac cautionem in futurum nactus sit. Cum Cæsarei moverent, si Elector tota Pomerania potiatur, Cæsari Crosnam reddendam; Crocovius eadem occinebat, qvæ Cæsarei jactaverant, cum Elector fœdere inito partem Geldriæ sibi concedi petiisset: *laborandum esse, ut qvid ab hostibus, non ab amicis adqviratur.* Suspectum qvoqve erat, qvod Viennæ agitaretur de Cobii exercitu ad decem millia augendo, qvo is seorsim unum & alterum Pomeraniæ locum expugnare, eiqve præsidium imponere posset. Qvo casu difficillimum futurum erat istos, ubi semel pedem fixissent, iterum amoliri. Qvos conatus cum Elector eluderet, suprema belli istius directione sibi vindicata; Cæsarei vicissim Cobii copias ad eum numerum, qvem Elector cupiebat, augeri nolebant. Porro

cum

1676. cum Cæsarei hactenus super satisfactione liqvido mentem suam explicare hoc prætexto abnuissent, ne separata declaratione, aut conventione Belgæ offenderentur, jam is color cessabat, postqvam Belgarum cum consensu de eo negotio Bremæ ageretur. Hispanus tamen prius dictis inhærebat; gratum Regi suo esse Electorem Pomerania potiri, sed bellum contra Gallum, & Svecum *pari passu* gerendum: id qvod ita interpretabatur, ut bellum in Pomerania non prius perficeretur, qvam Hispani Gallis qvæ cupiant eripuerint. Contra demonstrabat Crocovius; *id neqve æqvum esse, nec ullo modo effici posse; & ex talibus haut obscure invidiam in Electorem pellucere. Hujusmodi consiliis Electoris progressus contra Svecos inhiberi: contra Gallos haut eo majus operæ pretium fieri. Nec ita temperari posse actiones bellicas, ut ejusmodi æqvilibrium teneri qveat. Et qvam rationem iniri posse, ut Elector modo in Pomerania, modo in Belgio rem gerat?* Sed nec Cæsarei Dano è Bremensi provincia satisfieri cupiebant, ac Luneburgicis blandiebantur, qvorum opera se contra Gallos usuros sperabant. Nec eo magis hos Brema augeri serio cupiebant; qvam & his retinere non dabatur, ni penes Electorem Pomerania maneret. Usqve adeo fatalis qvædam vertigo fœderatos agitabat, dum aliqvi nimia ambitione, aut invidia in socios, aut fiducia in amicos subdolos concordiam inter belli Svecici consortes impediunt, ac tam egregiam occasionem ultro corrumpunt. Ac jam insigne artificium Viennæ habebatur prohibere, ne res in apertam collisionem inter fœderatos erumperet; id qvod rationes, ac destinata Domus Austriacæ plane turbaturum erat: ac tamen negotium ita trahebatur, ne fœderatis plane inter se convenire posset, qvo Cæsar in futurum ejusdem arbitrium retineret, ac in partem prædæ Svecicæ venire posset. Unde nec hactenus mentem suam liqvido exponere, nec circa partitionem serio laborare voluerant, satis habentes concordiam in universum commendasse. Sane Marchio Grana Hagæ
3. April. dixerat: *Stadam in præsens omittendam, & juncta manu in Gallum eundum. Qvod si tamen fœderati utiqve Stadam prius expugnare velint, eam provinciam Cæsari ac Belgis sequestro tradendam, qvoad fœderati super ea transegissent.* Unde & Cæsarei malebant temporariam transactionem super Brema Hagæ factam subsistere, qvo Cæsari res integra relinqveretur. Sed & Goësius è Gustroviensi legato qvæsierat, an non res eo deduci qveat, ut Cæsar Wismaria, ejusqve portu potiatur. Demum tamen declarabat Hocherus: Cæsarem Bremam missurum negotiationi super partienda ea provincia promovendæ. Cujus rei causa habebatur, qvod innotuisset, à Gallo id agi, ut Cellensem, & Guelferbytanum ad se pertraheret. Is qvippe per Hanoveranum hisce obtulerat, se non repugnaturum, qvo minus circa subigendam Bremensem provinciam qvantum possint connitantur, modo nil insuper contra ipsum, & Svecos suscipiant, qvo Svecis saltem Pomerania salva foret. Id si Hanoveranus pervinceret, Gallus subsidiorum continuationem ei pollicebatur. Qvem ictum avertere summum studium erat. 1676. 7. Maji.

§. 14. Sic igitur Windischgræcius Comes Bremam ablegabatur, ut tractationem, qvæ ibi super partienda cognomine provincia agitabatur, promoveret. Circa qvam Cæsarei censebant, nullam ejus partem Cæsari, & Electori affectandam: cæterum Dano, & Luneburgicis satisfaciendum, Præsulis Monasteriensis immodica postulata temperanda, qvi Ferda, Wiltzhusa & Tedingshusa contentus esse debeat: qvi & alias de clandestinis cum Gallo commerciis suspectus erat. Ac nondum in expedito erat, utrum Præsul ista Præsulatui, qvod Cæsarei volebant, an suæ familiæ qværeret, id qvod Elector malebat. Hanc ob missionem decretam Elector Cæsari gratias agebat, & qvod curæ ipsi sit tam spinosum negotium componere. Tum & qvod sua ibi intersit commendabat; cujus ratio eo magis habenda sit, qvod socii eam provinciam invaserint, non ut eam sibi adqvirerent, qvibus ne pedem qvidem eo inferre fas fuisset, ni SCtis Ratisponensibus decretum fuisset, ut sibi de injuriis per Svecos illatis satisfieret. Sed & copias suas ad omnia loca expugnanda operam contulisse; qvæ tamen à præsidiis captorum locorum exclusæ, nec in prædæ partem admissæ sint. Crocovio tamen simul injungebatur, profectionem Cæsarei legati nimium ne urgeret. Hocherus disserebat; sibi non constare, Cæsarem qvid de Svecicis provinciis cupere; si tamen alibi è bello emolumentum affectet, id ei vitio verti non posse; haut significato, in qvo id consistat. Ad qvæ Crocovius reponebat; si Cæsar partem Svecicæ prædæ petat, fœderatos qvoqve super ea, qvæ in Alsatia, & Burgundiâ speratur, actionem moturos. Aliqvi etiam cavillabantur: dubium esse, num Cæsar circa Pomeraniam declarare se qveat, uti petatur. Nam Lege Regia, cui is adstringatur, diser-

Cæsarei Bremense negotium amplecti velle videntur.

tis

1676. tis verbis caveri, qvid circa aperta feuda disponendum sit: cum tamen lex Regia non de terris per arma qvæsitis, sed de feudis agat, qvæ per extinctionem familiæ, aut feloniam vacare incipiant.

Colloqvium cum Cæsareis super Electoris satisfactione. 11. Aug.

§. 15. Demum colloqvio inter Cæsareos ministros, & Crocovium instituto hic Electori deposcebat totam Pomeraniam cum omnibus juribus: item Ferdensem Præsulatum cum una & altera præfectura è Bremensi, qvem tamen Elector, si tota Pomerania potiatur, redditurus sit: interim fœderatos opem ipsi ad Svecos qvamprimum Germania expellendos ferre par esse. Ad qvæ Cæsarei: cum Elector æqvum judicet fœderatorum ope sibi satisfieri, idem ut Cæsari fiat æqvum judicaturum. Solum è fœderatis Cæsarem Electori contra Svecos auxilia submisisse, Gallisqve obstitisse, qvo minus ad Svecos perrumpere possent; ad qvod valido exercitu, & magnis sumtibus opus fuerit. Electorem in Pomerania plus accipere, qvam qvispiam fœderatorum sperare qveat. Esse egregiam provinciam, uno, & altero insigni emporio conspicuam, magni momenti tum proprio pretio, tum opportuno reliqvis ejusdem ditionibus situ, per qvam & Borussiæ melius caveatur. Cæsarem tamen hanc fortunæ accessionem Electori haut invidere, ac omni ope ad eam expugnandam connixurum. Sed qvia Elector absqve Cæsaris ope & evictione eam provinciam neqve occupare, neqve tenere valeat, isti qvoqve operam dandam, ut hic cupitis suis potiatur. Crocovius oblato grato animo acceptare; addito; Electorem qvoqve Cæsari valido cum exercitu contra Gallum adstitisse, ac Svecos ejusdem patrimonio arcuisse. Ac esse qvidem Pomeraniam haut spernendam provinciam, sed bello ita evastatam, ut plures per annos nil fructuum inde percipiendum sit, multis insuper impensis in eam faciendis. Cæsarei inde abolitionem actionis Carnovianæ postulabant, & auxilium Electoris ad recuperandam Cæsari Alsatiam, ac ut prius pax non ineatur, qvam ea obtenta, ejusqve evictio præstetur. Crocovius; in Electore nil desideratum iri, modo bellum Svecicum prius patratum sit. Sed qvia penes solum Electorem non sit, Alsatiam Cæsari præstare, id negotium ad fœderatos referendum. Cæsarei: id ipsum in qvæstione esse, qva ratione id negotium ad Belgas referri debeat, ne his qverendi ansa nascatur, à fœderatis super bello, & pace se insciis pacta intra; unde prætextum eos arripere posse pacem, cujus alias magna cupiditate flagrant, peculiari tractatione præcipitandi. De Electore se non dubitare, nec de Dano, si ad Scaniam obtinendam ei adsistatur; nec de Luneburgicis, si Bremam habere placeat, nec de Monasterienssi. Si reliqvi omnes in eandem sententiam conspirent, Belgas non facile in diversa abituros; qvi & anno 1672, & 1673 Cæsari obtulerint, se non nisi recuperata Alsatia pacem inituros, si Cæsar fidem det, se connixurum, ut qvæ ipsi amiserint recipiant. Cæsarem eo tempore ista pacta declinasse, ne pacem difficilem redderet, aut ne cuipiam suspicionem injiceret. Sed qvia Belgæ jam per Cæsarea arma voto suo sint potiti, non desperandum, qvin vicissim, qvod tunc æqvum judicabant, sint præstituri, si dextre tractentur, ac concordibus fœderatorum sententiis incitentur. Ac judicabat Hocherus, se non credere, Belgas hucusqve à communi causa secessuros, ut fœderatis pacem extorqveant. Sed id se metuere, ne vel separatam pacem incant, ac fœderatos pro lubitu bellum continuare sinant; vel bellum deinceps langvide gerant, ac subsidia fœderatis detrahant. Omnia tamen tentanda, ut isti in partibus retineantur; ad qvod plurimum concordia inter reliqvos socios sit profutura. Ad extremum concludebant: Cæsarem subigendæ Pomeraniæ operam navaturum, si Elector vicissim istius emolumenta amplectatur. Addebat Crocovius; qvia non sufficiat Svecicas provincias partiri, sed & eas expugnandas esse, & vero post captam Stadam Monasterienssi, & Luneburgicis nil agendum superfit; igitur par esse, ut ille contra Gallos, hi contra Svecos rem gerant; cum ipsius Cæsaris intersit, bello Svecico qvamprimum colophonem imponi, qvo dein junctim in Gallos moveri qveat. Cæsarei censebant, Luneburgicos ægre huc descensuros. Qvi optime Electori cupiant, Cæsarem esse, & Danum, atqve Luneburgicos in istum invidia æstuare, nec bona fide pro ejusdem incrementis connixuros: tum & forte postulaturos, ut suus miles captis in Pomerania oppidis præsidio imponatur. Electori cum exercitu, qvem in præsens habet, haut arduum fore Anclamum, Demminum, & Grypswaldam expugnare, tum Rugiam occupare. Stralsundam conventione in partes trahendam. Ita Stetinum ultro ruiturum. Ac sua sententia melius Electori consuli, si alienis auxiliis se non implicet, qvæ subtractis hospitiis magis noceant, qvam prosint. Nam id omni vi agendum, ut qvantæcunqve Germanorum copiæ futura expediti-

1676. one trans Rhenum pedem figant. Non tamen repugnare Cæsarem, ut Elector aliqvot Luneburgicorum millia sibi adsciscat, si obtinere possit.

Cæsarii declaratio super Electoris satisfactione. 17. Aug.

§. 16. Post isthoc colloqvium Cæsar demum declarabat: *Se ex animo Electori circa Pomeraniam favere, & ad eam ipsi obtinendam omnibus viribus connixurum, qvantum tempora, & facies rerum permittant. Sed qvia & ipse auxilia miserit, & Gallos represserit, jus sibi esse partem eorum, qvæ Svecis eripiantur, petendi. Id autem hactenus dissuliisse postulare, qvod sperarit, fœderatos opem sibi sociaturos ad recuperanda ea, qvæ sua domus per injuriam temporum Gallo cedere coacta fuerit. Id ubi non obtineatur, se sibi prætensionem in Svecicas provincias reservare. Alias Electoris postulata ad universos fœderatos spectare, eoqve de iis separatim a se statui non posse, ne isti ansam arripiant qverendi, à se circa negotia belli, & pacis inscios reliqvis aliqvid decerni. Unde negotium hoc Bremam ad socios referendum; ac se Windischgræcio injuncturum, ut Electoris desideria fulciat, simul tamen eo connitatur, ne reliqvi fœderati offendantur, utqve tam salutaris inter ipsos concordia servetur. Id qvod tamen cum hac exceptione intelligendum sit, si ipse qvoqve satisfactionem suam obtineat, ad eamqve Elector operam conferat, ac apud socios connitatur, ut & hi ad eundem scopum adducantur. Qvod si & ipse ultra ea, qvæ antea Gallo cedenda fuerunt, plus Gallo extorqveat, ut ea penes se maneant in solatium tantorum sumtuum in hoc bellum impensorum. Qvod si & Electori vota Pomeraniæ potiatur, par esse, ut actione in Carnoviam extra pensationem cedat, simul de alio sibi præmio prospiciat ob tantam fortunarum accessionem. Electorem qvoqve operam collaturum, ut Hispano satisfiat; qvi vicissim ut debita præstet ab se sit impellendus. Qvod præterea Elector à Coloniensi Reclingshusam cupiat, id se causæ communi valde noxium judicare, ac malle, ut de eo non amplius mentio fiat. In fœdere per Anhaltinum Principem facto expressis verbis caveri, ut bona Ecclesiastica in statu per Instrumentum Pacis designato permaneant. Id fœdus se omnibus Catholicis Ordinibus communicasse, atqve isto standum. Catholicos qvoqve se opposituros, ac bellum inde sacrum oriturum. Circa reducendas Commendas, & Prælaturas itidem Instrumento Pacis inhærendum, qvod ipse toti Imperio declararit in iis duntaxat rebus, qvæ Gallicæ, & Svecicam spectent, velut qvi id violarint, mutandum, salvis persistentibus reliqvis omnibus.* Ad qvæ Crocovius circa Coloniensem reponebat: considerandum esse, num ad stabilem in Germania pacem fundandam faciat isthoc juris scitum introducere, ut sacerdotes impune bella movere, & secularibus sua adimere, de suo autem nil amittere qveant. Et an non hoc modo sacerdotibus ad turbas movendas animus addatur; apud Evangelicos autem, qvi pro Cæsare omnes suas fortunas periculo exponant, summa diffidentia excitetur, si tanta inæqvalitate sese haberi videant. Si ubiqve ita stricte Instrumento Pacis inhærendum sit, Bremam qvoqvè, & Ferdam penes solos Protestantes manere debere, excluso Monasteriensi. Sed Cæsarei nil amplius regerebant, qvam id fieri non posse; nec Cæsari qvid contra utilitatem Ecclesiæ Catholicæ facere fas esse. Hac Cæsaris declaratione in consilio Electoris expensa placebat, non amplius Viennæ super hoc negotio colloqvia affectanda, nec idem ibi ad liqvidum deducendum, qvod Cæsar ultro Electoris auxilium ambiturus videatur, faciliore tunc negotiatione, qvam si ipse urgeat. Declarationem eam non nihil ambigui habere, ut tamen ab Electore apud communes tractatus in sui favorem allegari possit. Per justum pactum cum Cæsare initum reliqvis fœderatis æmulationem injici; nec hunc in id consensurum, nisi cum conditionibus præstitu duris. Igitur Crocovius jubebatur scripto decoris verbis concepto oblata acceptare, ac de auxilio ferendo ulterius instare. Ut Cæsar à Gallo extorta recuperet, Electorem operam ex fœdere conferre teneri. Sed si super eo peculiaris conventio ineunda sit, omnium fœderatorum consensum reqviri. Qvam in rem Elector omnem operam, præcipue apud Belgas, navaturus sit. Non tamen hunc sperare, Cæsarem ad Luneburgicorum auxilia obtinenda hisce Bremensem provinciam addicturum, anteqvam ipsi satisfactum sit. Num Stralsunda ad conditionem civitatum Imperialium provehenda sit, Electorem statuere nondum posse, cum non constet, an ipsa civitas id desideret.

Cæsaris ad Electorem missio. 29. Jan.

§. 17. Qvanqvam autem Cæsarea aula Electoris vota tam circa satisfactionem, qvam hospitia militaria occultis artibus eluderet; haut eo secius blandis eundem verbis demulcere, ac sibi addictum retinere studebat. Unde sub initium anni à Cæsare ad Electorem mittebatur Adolfus Wratislaus Sternbergius Comes, qvi gratias ipsi ageret pro egregio, & Electore Imperii vere digno animo, cujus tam luculenta specimina is hoc bello exhibuerit, cor-

pore

1676. pora qvoqve ipso, & vita præsentissimis periculis exposita. *Spem esse hoste jam fracto tutam pacem obtineri posse; cujus efficacissimum adminiculum concordiam inter Cæsarem, & Ordines omnibus modis esse conservandam. Et qvia Sveci facili negotio Germania ejici posse videantur, Cæsarem sperare, Electorem tunc in Gallos arma versurum, ne in tractatibus pacis compensatio objici qveat; cum alias hi circa restitutionem sui fœderati summopere sint laboraturi. Cæsarem sibi de constantia Electoris firmiter promittere, cui & ipse vicissim fidelem operam sit navaturus. Cumprimis autem opus esse unione inter fœderatos, ut omnia de compacto agantur, ac ut concordia inter Luneburgicos, & Monasterienses servetur. Cui commendandæ ipse missus sit, ne hostis tertias partes in Imperio, aut qvid deterius fabricetur. Cellis se animos sat faciles reperisse. Landseum Baronem ad Monasterienses missum: sperare, Electorem qvoqve officia interpositurum. Inde multa super hospitiis excusare. Circa ea Cæsarem qvantum in se fecisse, ac propriis legionibus assignatam Gothan, Altenburgum, Vinariam, Jenam cessisse. Si qvæ mora interveneris, eam Cæsari tribui non posse. Ast si propria autoritate hospitia invadantur, non nisi collisiones, & confusiones inde secuturas, qvod non possit non Ordinibus molestum, & intolerandum videri, dispositioni aliorum, pari jure secum agentium, se subjicere. Unde jam Ratispona pacem sermonibus jactari, ac querelas moveri, unum Principem alterius ditionibus pro lubitu militem alendum obtrudere. Qvam ob causam & Ordines agitare super Deputatione Neomagum mittenda acceleranda pacis; id qvod rationibus Cæsaris, ac fœderatorum fraudi esse qveat. Igitur suadere, ut Electori hospitiis assignatis adqviesceret, nec eorum occasione Ordinibus ancipitia moliendi causam præbeat. Eichsfeldiam, & Erfordiam, qvam Elector deposcat, esse Moguntini, qvi de vastatione sui Præsulatus impense qveratur: cujus ratio ob munus, qvod in Collegio Electorali gerit, merito habenda sit. Saxonem scripsisse; se in usum Cæsaris tria militum millia conscripturum; nec sperare, à Brandenburgicis copiis molestiam sibi illatum iri. Nec fratribus ejusdem, si maxime velint, integrum esse alteri tributa annuere invito Saxone, qvi solus territorii dominus sit, ac jus armorum habeat; qvod fratres dein in dubium revocaturi sint, si ipsis ejusmodi transactiones inire liceat. Eum Principem armis qvidem parum, sed consiliis Ratisponæ multum valere. Qvam ob causam Cæsarem id negotium velut publicum bonum tangens Electori commendare. Qvod si hospitia non sufficiant, id fœderatorum liberalitati adscribendum, qvi tam egregias ditiones Hanoverano insidendas attribuerint, pecunias ab hostilibus Imperii accipiens, & qvi adhuc fidei anceps agat. Sane eum Principem id non meritum, nec Cæsarem id pactum in fraudem tot Ordinum probare posse, inprimis si ea hospitia isti ad pacem usqve relinqvenda sint. Nam hos, dum alii onere liberantur, milite in expeditionem educto, molestum æstate juxta, ac hieme incubuturam: eoqve hos præter meritum pœnas dare, dum Dux Gallicis consiliis innexus fructum percipit ob tam malignam operam patriæ præstitam; qvem pecunias ab hoste accipere, & adversus hostes publice judicatos medium agere pessimi exempli rem esse. Cum itaqve nec Cæsar per officium isthoc pactum probare qveat, nec fœderati ulterius obligentur, qvam ut Cæsari ratihabitionem commendent; dispiciendum, qvomodo ei res medicina fieri qveat. Nam ad Comitia eam commode referri non posse, qvod Hanoveranus sibi suffragatores inventurus sit eos, qveis iisdem publica Imperii decreta parum curæ fuerint. Igitur petere Cæsarem, Electorem Hanoveranum permovere laboret, ut si non contra Gallum, saltem contra Svecos rem gerat, aut ut is octo militum millia Cæsari tradat, qvæ sub Cobii imperio Electoris exercitui adjungenda sint. Tunc enim fore, ut is Dux in partem spoliorum Svecicorum veniat, ac hospitiis juxta pacta fruatur. Ac posse Electorem Duci ejectionem nomine Cæsaris polliceri, ut tamen à Duce cautio detur, eum nil contra Cæsarem, & socios tentaturum. A Cæsare tres legationes Hanoveram missas, sed qvibus nil præter tergiversationes, & studium servandæ fidei officio erga patriam repugnantis ingesta sint, ac non nisi laxas pollicitationes factas, in Cæsarem nil sentiatum iri. Cum itaqve non sit è dignitate Cæsaris isti Duci tantum non supplicare, eum cupere, ut vel ipse Elector id negotium suscipiat, vel super eo mentem suam pandat, qvo gliscentes subtineribus tertias partes plane extingvi qveant. Cæsarem qvoqve æqvum judicare, ut fœderati super partis bello terris inter se transigant, idqve ut Elector promovere petere, collisioni inter socios vitandæ. Ubi conventa ad Cæsarem relata fuerint, paterna qvisate ista probaturum.*

Landsee.

1676.

§. 18. Ad isthæc Elector reponebat: *Se omnia libenter facturum, qvæ ad concordiam inter fœderatos inserviant; qvem scopum & congressus Bremæ habeat. Enimvero Præsuli, ac Ducibus concordiam parum curæ videri, ac utrinqve privatis duntaxat emolumentis inhiari. Sui causa Bremensi provinciæ arma illata; ubi & suus miles rem strenue gesserit.*

Electoris ad proposita declaratio.

1676. *Sed cum is miles ad præsidia captorum oppidorum simul admittendus, ac rata sibi portio prædæ attribuenda esset, Præsulem contradixisse, ac in hunc usqve diem meris cavillationibus ipsi illudere. Se qvidem declarasse Bremensis provinciæ partem haut deposcere, si foeci ad subigendam Pomeraniam opem conferant. Sed qvia hi, ac præcipue Præsul, eam obligationem induere nolint, sibi velut qvem cæres præ aliis tangat, suam actionem salvam esse debere. Se autem percepisse, uti Monasteriensis, Cellensis, ac Guelferbytanus Bremam, & Verdam hæreditario jure inter se diviserint, reliqvis fœderatis exclusis. Cellensem id bellum suo arbitrio tanqvam præfectum militiæ Circularis administrare velle; cum tamen talia susipere ejus muneris indolem superet, nec vulgares Circulorum leges hæc vadeant. Igitur petere, ut Cæsar suam auctoritatem interponat, qvo ipse jure suo potiatur, ac dissidia intercipiantur. Rationes, qvas legatus adduxerit, qvare ipse assignatus hospitius contentus esse qveat, non magis in se, qvam in alios valere, qvorum copiæ ab Ordinibus alantur. Ac eam ipsam ob causam, ut omnia ordine, & ex aqvo disponerentur, se apud Cæsarem tam enixe institisse. Nam cessis apud Saxonicos Duces hospitiis sibi parum consuli, qvæ antea duabus duntaxat legionibus Cæsareis assignata fuerint, ab his non parum jam delibata. In Pomerania exercitum alteri, non ali posse, & Wolgasto è sua provincia annonam suppeditandam. Suas autem ditiones plane exhaustas. Unde sibi necessitatem allatam Saxonicos fratres paulum subsidii poscendi, qvod hoc tempore, qvo tractatio pacis auspicanda sit, exercitus qvam maxime firmari expediat. Calamitates belli, qveis reliqvi Electores & Ordines obruantur, inde ortas, qvod idoneus exercitus trans Rhenum relictus non sit, nec ii, qvi omnes suas opes in usum patriæ impenderint, debito auxilio fulti fuerint. Cum Hanoverano tractatus eo tempore susceptos, cum arma Bremæ inferenda essent, qvibus Dux iste se opponebat. Et cum ex altera parte irruptio in Pomeraniam, & obsidium Wismariæ struereture, ingenti qvoqve classis Svecica fama; igitur ne fœderati auspici hoste distraherentur, ingens meritum in causam communem visum, Hanoveranum qvocunqve modo eo redigere, ne noceret; qvod & Haga omnibus probatum, ac necessarium visum sit. Marchionem Granam qvoqve nomine Cæsaris ei Duci plura obtulisse, qvam hic pacto cum fœderatis obtinueris. Inde pacti confirmationem ad Cæsarem remissam, sed à qvo liqvida declaratio secuta non sit. Se qvidem Ducem ad bonas partes amplectendas hortatum. Sed hunc respondisse: sibi expectandum, qvemodo prima conventio observanda sit, & ex eo adparituram, qvid ex altera sperandum. Qvin nec amplius præstare posse, si in partes descenderit, qvam in præsens, dum alios non impedit, ac ratam portionem ad communem Imperii exercitum mittit. Tentaturum tamen, num deinceps amplius qvid apud istum effici qveat. Qvod Dux iste præposuerit, se ratam partem eorum Ordinum, à qvibus ipsius exercitus alatur, apud exercitum Imperii repræsentaturum, eaqve opera hospitia pensaturum; id eisdem Ordinibus haut placere, qvasi hoc modo perpetuum ipsis onus sub alienam tutelam redactis imponatur; cum parati sint per se præstare, qvæ Imperio debeant. Petere qvoqve, ut Cæsar negotium circa partitionem spoliorum Svecicorum promoveat, circa qvod aliqvi magis de lucro suo sit agant, qvam ut læsis satisfiat. Svecis in ordinem redactis se paratum arma in autores harum turbarum vertere. Sed à Cæsare ea qvoqve præstanda, qvæ ad præsentis anni expeditiones cum successu suscipiendam requirantur. Si circa hæc Cæsar ipsi gratificatus fuerit, summo se studio pro ejus emolumentis conixurum, ac in præsens tres eqvitum legiones ad Rhenum missurum.* Moverat etiam Sternbergius de Dorstena Colonienſis ditionis oppido, circa qvod invadendum cum Gallos agitare Elector inaudisset, immisso milite eos prævenerat; qvod ingens periculum Westphalicis suis ditionibus immineret, in qvorum medio id situm erat, si hostem ibi nidulari contigisset. Sed qvia Cæsar rogabat, ut Elector militem suum inde amoveret, qvod Colonienſis polliceretur, se eidem munitiones detracturum; ac satis adpareret, Cæsarem Præsuli metuere, qvi Electori immensa damna attulerat; in istius gratiam eo oppido, & Reclingshusa miles deducebatur. 1676.

§. 19. Porro Elector ut Cæsaris sibi favorem circa causam Pomeranicam pigneraret, aliam viam tentare instituit. Cui occasionem dederat Rochas Episcopus Hispanicus, qvi de matrimonio inter Fridericum Principem Electoralis dignitatis hæredem, ac Viduam Poloniæ Reginam proponebat. Cui cum responderetur, istum jam fidem Principi Castellanæ obstrinxisse; Rochas regerebat, id vinculum maximo cum emolumento Castellanæ domus tolli posse, Cæsaris connubio eam jungendam innuens. Ex qvo cum Elector conjiceret, talia altiore instinctu moveri, animo Cæsaris tentando Crocovium apud hunc testari ipsius nomine jubebat: Sibi carius nil fore, qvam cum Cæsare, ejusqve domo tali amicitiæ nexu *Super pacto mutua successionis cum Domo Austriaca tentamen. 24. Febr.*

1676. nexu jungi, prout communes rationes, & utriusqve ditionum securitas reqvirat. De qvo ut serio cogitetur, præsentia tempora invitare. Notum esse, uti Svecis Instrumento Pacis successio in totam Pomeraniam concessa sit: tum uti isti è vocabulo *expectativarum*, qvod eodem Instrumento positum sit, *in Recessu limitaneo Stetinensi* exsculpere qvoqve voluerint successionem in Novam Marchiam; in qvam interpretationem qvantumvis violentam sibi ab omnibus tunc destituto consentiendum fuerit. Id pactum si firmum pertillat, non suas solum provincias, sed & Cæsareas perpetuo irruptionum periculo expositum iri; ac inprimis Austriacæ domui summæ fraudi fore, si Svecos aliqvando in Nova Marchia pedem figere contigerit. Contra eidem maximo emolumento cessurum, si tam insignibus locis ad Mare Balticum potiatur. Cum autem Sveci omnibus juribus ex Instrumento Pacis, & Recessu Stetinensi qvæsitis hoc bello exciderint, Cæsari de sua securitate cogitandum, eoqve fine arctiorem conjunctionem meditandam, per qvam jura Sveciæ antehac competentia in alium transferri qveant. Suas qvidem cogitationes pro devoto in Austriacam domum studio in Cæsarem ferri, ac cupere ipsius sententiam nosse, qva ratione hæc translatio juris fieri qveat, & qvæ unio hæreditaria, aut reciproca obligatio utrinqve eo nomine stabiliri qveat; ac in ejusdem arbitrio fore, qvid eo pacto vicissim Electorali domui addicere velit. Ad qvæ Cæsar: Electoris curam pro Republica, ac studium in ipsum, Austriacamqve domum summa laude dignum esse. Sed qvia hæc propositio magni momenti sit, se post eam mature expensam mentem suam declaraturum. Judicabat Crocovius; rem facilius successuram, si Cæsarea domus prole masculà floreret. Sed hac solitudine sine dubio omnes Catholicos, inprimis Pontificem, & aulam Viennensem id acturos, ut in casum extinctæ familiæ Austriacæ hujus ditiones in Principem Romanis ritibus addictum devolvantur, præsertim cum tunc tota Silesia oculos in Electorem conjectura sit. Unde cum casus vacantiæ facilius in favorem Electoris, qvam Cæsaris extiturus videatur, huic pacto inæqvalitatem inesse judicatum iri. Inprimis cum Viennensis aula sperare, solidum se, ac præsens emolumentum è bello Svecico capturam. Nam hæc qvæ Svecis eripiebantur considerabat non tanqvam ad eos, qvi eadem occuparent, sed ad fœderatorum corpus pertinentia. Unde si res adversus Gallum male succederent, aut aliam ob causam Austriaci pace opus habe- 1676.
rent, animus erat ista Svecis restituere ea lege, ut vicissim Gallus nonnulla loca Hispanis redderet. Id qvod cum non solum Austriacis rationibus, sed & Gallo, Anglo, Belgis, ac Svecis congruens sit futurum, cæteris qvoqve fœderatis eo adqviescendum. Id autem facilius effectu fore, si bello parta indivisa, & inter fœderatos discordia persistant, qvam si transactione inita mutuam evictionem invicem stipulati essent, accedente præsertim Cæsaris consensu. Sed si arma advertus Gallos ita feliciter succedant, ut eo remedio opus non sit, Croviam cupiebant, qvod è provinciis Svecicis nil opportuno ipsis situ foret. Unde & conventionem Hagensem probabant, qvæ divisionem prædæ differebat; & clam impediebant, ne inter fœderatos super ista transigeretur. Qvin palam ostendebant, utut maxime fœderatus inter se convenerit, haut ideo rem confectam, sed Cæsari qvoqve suas partes superesse non solum tanqvam fœderato, sed & velut capiti Imperii, ac legitimo judici. Elector tamen censebat: qvia ipse politus regionum id consilium ultro suggesserit, qvæ utrinqve non facile alia via commodius in tutum subduci qveant, officii sui fuisse, de eo Cæsari exponere. Si melius qvid ostendi possit ad hunc scopum faciens, id gratum sibi fore. Sane præsente occasione utendum videri. Post tamen Cæsar declarabat; se Electoris sincerum affectum in Austriacam domum satis perspicere; sed non adparere, qvomodo proposita effectui dari qveant. Nam in ejusmodi pacto Electoris domui utiqve vicissim qvid constituendum. Atqvi in Bohemiæ Regno, & adjunctis provinciis etiam fœminas succedere; eoqve se iis, qvi è fœminis Austriacis nati sunt, præjudicare non posse. Intercedere qvoqve sibi cum Hispanis pacta hæreditaria, in qvorum fraudem nil constitui debeat. Sed & præcipue Vidua Poloniæ Regina respiciebatur, si Cæsarem absqve prole masculà defungi contingeret.

§. 20. Idem Rochas de Saxonicorum Theologorum contumeliosis dictis in Catholicos multa qverebatur, qvorum non nemo scripto nuper edito tradidisset; *inter rudimenta doctrinæ Catholicæ extare, fortationem non esse peccatum.* Qvæ cum non nili animis irritandis eorum, qvi in una Rep. vivunt, inserviant, expedire, ut ista fingendi licentia cohibeatur. Unde & is formulam offerebat, juxta qvam abolitis litigiorum inutilibus concordia circa sacra in

Super conciliandis religionibus inaniter conatur.

1676. Germania ſtabiliri poſſit. Sed Electori haut placebat cum iſto in diſceptationem deſcendere, qvi tantæ rei haut idoneus autor videbatur; & cujus inſtitutum eo tantum tendat, ut aſtutiam iſtorum hominum haut capientibus illudat; cum Proteſtantibus ſumma rerum non poſſit non labaſcere, ſi cum Pontifice tractatus ſuſcipi poſſe credant; qvi utiqve irriti ſint cum eo, cujus rationes adverſa fronte cum noſtris 6. Aug. pugnent. Idem tamen Viennam reverſus Crocovio dicebat; ſe apud Electorem, ac alios Principes magnam inclinationem ad unionem in religione inveniſſe, ſaltem ut amarulenta ſcripta, & conciones inhibeantur, & neutri parti plus dogmatum impingatur, qvam revera profiteatur. Unde & expedire, ut qvælibet partium genuinam ſuam mentem perſpicue, ac ſuccincte exponat; ac interdicatur, ne præter hanc qviſpiam alteri qvid opinionis tribuat: qvo ipſo animos paulatim ad unionem diſponi. Enimvero Crocovius reponebat: *Studium diſſidia religionum componendi, vel etiam controverſias intra limites caritati conſentaneos redigendi utiqve ſalutare, ac laude dignum eſſe. Sed qvia iſte judicet, id negotium præſenti tempore ſuſcipi poſſe, id prius efficeret, ut ſui fratres, præcipue Jeſuitæ, ita cum Proteſtantibus agant, qvo bi fiduciam de iſtorum candore concipere qveant. Sed qvomodo Proteſtantes ab iſtis ſincerum concordiæ, & unionis ſtudium, aut aliqvod Chriſtianæ caritatis officium expectare poſſint, qvi hactenus in Hungaria tot presbyteros per immanes cruciatus necarint, tot ibi ades ſacras everterint, tot millia familiarum in exilium ejecerint? Nuper qvoqve Proteſtantibus in Sileſia duo templa erepta. Qvæ à ſe adducta fuerint ad id deprecandum, inſuper fuiſſe habita. Ne reſponſum qvidem ſibi datum, ipſam interceſſionem offenſæ in vicem acceptam. Ne ad Electoris qvidem literas, verbis ad movendam miſericordiam aptiſſimis conceptas, reſponſi qvid repoſitum. Ea omnia non ad conciliationem animorum, ſed ad extirpationem noſtratium ſpectare. Qvamdiu ejuſmodi perſecutiones durent, de pace propoſitionibus fidem adhiberi non poſſe, ſed inſidias ſubeſſe ſuſpicandum aſtu ſubruendis Proteſtantibus, qvæ vis non pertingat. Id qvod eo magis dolendum ſit, qvod in præſens Proteſtantes optimi fœderati Cæſaris ſint, ac Electori cumprimis Catholicos in ditionibus Cæſareis à Decorum vexationibus liberarit. Igitur ſolidum documentum animi ſui à Catholicis edendum, ſiqvidem fidem ſibi haberi velint.* Ita iſte Rochas confuſus diſcedebat, vir alias inqvieti animi, & qvi ſemper aliqvid qværo-

1676. bat, in qvo ſe jactaret. Et experientia conſtat, eos qvi circa Romanenſes cum Proteſtantibus conciliandos ſategerunt, aut impoſtores fuiſſe, aut judicio mentis parum polluiſſe.

Electoris circa nuptias Cæſaris ſtudium. Mart.

§. 21. Sed & aliam occaſionem Electori ſinceriorem aulæ Cæſareæ amicitiam pignerandi obtuliſſe videbatur mors Auguſtæ Claudiæ Felicitatis; cujus locum ut ſubire poſſet Neoburgici filia maxima natu Eleonora Magdalena Tereſia duplici nomine is cupiebat; qvod ea provenuiſſet è Germanica ſtirpe ſpectatæ fœcunditatis, qvalis uxor Cæſari ab omnibus optabatur, qvi turbas animo præcipere poterant, Germaniæ incubituras Leopoldo absqve prole maſculâ extincto. Et qvia tanto candore amicitiam cum Neoburgico Elector coluerat, merito ſperare poterat, ejus autoritatem, qva poſt id connubium in aula Cæſarea gaviſurus erat, multum ſibi profuturum, ut ſuæ rationes huic magis cordi forent. Igitur qvo novo ſpecimine demonſtraret, nil ſibi Neoburgicæ domus incrementis carius eſſe, in eum ſenſum ad iſtum literas dabat: *Cum Cæſaris thorus altera jam vice compare vacuus ſit redditus, ſe non dubitare, qvin Neoburgico idem cum omnibus patriæ amantibus civibus votum ſit, ut ea jactura brevi iterum ſuppleatur, qvo Cæſaris domus ſine prole maſculâ haut maneat. Cum autem protinus animo ſuo filiæ ejus occurreriſ, ac ipſe certo perſvaſus ſit, qva orbis Chriſtianus patet, Cæſari meliorem conditionem offerri haut poſſe, qvam ſi ii ſociam thori ſibi adſciſcat Virginem Principem, tam eminentibus virtutibus, & perfecta corporis valetudine præditam: igitur non potuiſſe ſe non cogitationes ſuas pro ſincero in domum ipſius affectu pandere, oblato cuivis in eam rem ſtudio, ac qvæ ſententia ipſius ſit noſſe cupere.* 12. April. Qvo fine etiam Ottonem Sverinum ſeniorem Conſilii Præſidem Clivis Duſſeldorpium ad eum Principem ire jubebat. Simul Crocovio injungebat, ut Stratemannuo operam Viennæ in eam rem ſociaret; de cujus ſucceſſu inter alia ſpem dabat, qvod Neoburgicus, qvi multos per annos amicitiam Galli coluerat, inanibus ſemper præſtigiis ab hoc illuſus, jam commodum fœderatorum partibus acceſſerat. Neoburgicus reſponſo ſuo ingentes gratias 5. Maij. pro fido in ipſius domum affectu reponere. *Eqvidem ſibi nunqvam id arrogantiæ fuiſſe, ut de ejuſmodi felicitatis, ac honoris faſtigio cogitare auderet. Id tamen longe à ſe abeſſe, ut ſi Cæſar oculos in filiam ſuam conjicere dignatus fuerit, id ipſe non ſupremam domus ſuæ fortunam æſtimaturus, ac ſe, ſuosqve Cæſaris mi-*

1676. *ministerio libenter consecraturus sit. Eqvidem se non dubitare, qvin multæ Principes Virgines animi, & corporis dotibus suæ filiæ longe potiores Cæsari proponendæ sint. Unicum autem, qvod hæc præter pietatem, ac morum modestiam Cæsareæ domui inferre possit, esse spem successionis, qvam vidax, & integræ valetudinis constitutio corporis, ac ipse flos juventæ plenis viribus succinctæ promittat; qvam & spem prosapia haut sane infœcunda confirmet. Et qvia ut præcipuus Cæsaris scopus sit, qvem & omnes boni cives optent; in Electoris arbitrio fore, qvid in hac re magi consultum judicet. Qvicqvid fortunæ sibi, sitisqve hac occasione accessurum sit, id Electori, totiqve ejus domui devotum fore, ac hanc cum tota posteritate etiam in ipsius posteris experturum, se etiam post fata fidissimi consanguinei, & fratris affectum in eundem exferturum.* Porro & Cæsarei ministri, ac ipsi sacerdotes Crocovium monebant, ut Elector gravibus literis Cæsarem ad maturandum matrimonium hortetur; qvæ eo plus ponderis habituræ sint, qvod Cæsar de Electoris in ipsum affectu amplissime sit persvasus, & qvod eidem qvam maxime in votis sit, istius domum propagari. Post elapsa igitur prima luctus tempora, & ubi decorum erat de talibus movere, Crocovius jussu Electoris secreto alloqvio Cæsari svadebat, ut mature de novis nuptiis cogitet, ac thalami consortem eligat Germanica stirpe oriundam, qvæ & animo ipsius satisfaciat, & certam fœcunditatis spem Domui Cæsareæ inferat. Et qvanqvam circa talia ipsius Cæsaris qvam maxime libera debeat esse electio; in votis tamen sibi esse, ut Neoburgici filiæ habeatur ratio, de qva persvasus sit, toto orbe Christiano meliorem thori Cæsarei consortem inveniri non posse. Tradebantur in eundem sensum Electoris literæ. Id officium à Cæsare multa cum benevolentiæ significatione acceptum. Sed qvia id genus negotii palam apud ipsum Cæsarem ab alieno legato urgeri haut decebat, Crocovius Cæsareos ministros, & Sacerdotes stimulabat, ut istum rogarent, ne tempora luctus nimium porrigat, neu inania cerimoniarum saluti orbis Christiani præferat, cujus tranqvillitas magnam partem ex isto connubio dependeat. Amoverat qvoqve Elector negotium, sine dubio nuptiis hisce viam obstructurum. Fuerat Neoburgico vetus lis cum suis Ordinibus provincialibus, in qva secundum hos pronuntiatum erat. Ac jam designati erant Moguntinus, & Trevirensis exsecutioni faciendæ, qvibus Cæsareæ copiæ Bornonvillio duce pondus addituræ erant. Ea exsecutio si successisset, Neoburgicos plane à Cæsare alienandus fuerat. Ast ne id negotium perficeretur, Electoris autoritate, & studio apud Cæsarem obtentum fuerat. 1676.

§. 22. Cæterum tanti connubii occasione non tam Principum fœminarum, qvam Cæsareorum ministrorum ambitus immensum exarserat, hanc aut illam optantium, aut aversantium, prout cuiqve affectus, aut utilitatis spes foret. Ac vidua qvidem Augusta, omnesqve Itali, & qvi ab his pendebant, Italam optabant: sed Cæsar Germanam cupiebat. Bavari filia proxima huic spei fuerat, ni tenera valetudo, ac ætas nondum satis firmata obstaret. Igitur initio circa tres præcipue certabatur, Ulricam Eleonoram Regis Daniæ sororem, Carolo XI. Regi Sveciæ desponsatam; sed qvi nexus oborto inter Svecos, ac Danos bello à qvibusdam facile abrumpi posse credebatur; Neoburgicam, & Durlacenam. Pro prima præcipue contendebant Schvvartzenbergius, & Sintzendorfius Cameræ Præses, ille odio in Neoburgicum, hic Holsaticam ob affinitatem. Alteri studebant Lambergius supremus aulæ præfectus, Paulus Hocherus, & Ditrichsteiniana factio, una cum Jesuitis. Tertiæ favebant Pater Emmericus, Albertus Sintzendorfius, Kœnigseckius Imperii Vicecancellarius; qvi tamen cum de sua desperassent, primæ se factioni jungebant. Ita inter Danicæ, & Neoburgicæ fautores maxima æmulatio surgebat, per privatos magis respectus, qvam æstimatione Principum accensa. Nam ministri è Cæsareis ditionibus oriundi nolebant Principem ex Imperio ortum, ac inprimis Neoburgicam eo loco potiri, qvod metuerent, ne ejus fratres, & cognati pinguissima beneficia, ac munia, qvæ ipsi alias sperare poterant; in se verterent. Qvibus omnes illi accedebant, qvi ob offensum hactenus Neoburgicum vindictam metuebant. Plerique verebantur, ne Neoburgicus consummatæ prudentiæ Princeps in consilio Cæsaris deinceps prævaleret, imminuta potentia, qvam ministri hactenus usurpaverant; nevé is aliam agendi normam in consilio Cæsaris introduceret, ad genium reipublicæ Germanicæ magis congruentem; cum isthoc aliqvando ad talia devolvi gauderet, qvæ dominatum magis, qvam libertatem Ordinum saperent. Sed eo circumspectius qvilibet studium suum expromebat, qvod incerto exitu id palam præ se ferre intutum erat; ne ubi spes sua fefellisset, futuræ Augustæ offensam incurrerent. Qvorum exemplum & Crocovius

Circa id connubium ambitus.

1676. imitatus, cum interrogaretur, qvodnam Electoris hoc studium foret, palam respondebat; Ei nullum aliud votum esse, nec ejusdem aliam hoc in negotio utilitatem versari, qvam ut Cæsar conjugem nanciscatur, qvæ & animo ipsius satisfaciat, & spem successionis impleat. Contra etsi Ulricæ Eleonoræ sponsalia cum Rege Sveciæ obstabant, & qvidam circa fœcunditatem ob sororem Principi Palatino nuptam scrupulum movebant, utut eum matris, ac duarum sororum specimina satis eximere poterant: ejus tamen factio insigniter gliscebat, & qvicqvid humana industria excogitare poterat, pro ea impendebatur, sic ut eadem aliqvandiu Neoburgicæ longe prævalere videretur. Ei & Nuntius Pontificis, & omnes è sacro ordine favebant, qvod Daniæ Rex Romani ritus exercitium in Regno suo permissurus diceretur, ubi id matrimonium succederet. Unde istis spes erat, prout infatigabili studio circa sacrorum suorum propagationem flagrant, se totum id Regnum cum Regia familia ad ritus suos pertracturos. Legatus Hispanicus, & qvi secreta consiliorum tractabant, idem connubium svadebant ob arctum fœdus, à Daniæ Rege oblatum, eo magis amplectendum, qvod Elector, & Luneburgici nunqvam autoritati Cæsareæ multum detulerint; qvibus & multum ferociæ accessurum sit, si æmulus Svecus è latere imminens amotus, istiqve ejus provinciis aucti fuerint. Ac expulsis Svecis conjunctionem Dani, Electoris, & Luneburgicorum Cæsari, ac parti Catholicæ formidandam fore. Unde stabiliendæ Cæsaris autoritati in partibus Germaniæ mari vicinis, ac librandæ potentiæ Brandenburgici & Luneburgicorum è conjunctione cum Dano remedium petendum. Sane legatus Danicus Lilliecrona aureos montes pollicebatur, non sine minis in eos, qvi contraniti auderent. Hanoveranus qvoqve Dux promittebat, se eam Principem ad assumendos ritus Romanos persvasurum, ac probe de iis informatam Cæsari traditurum. Sed qvia factio illa magno cum strepitu rem agebat, ingenio Cæsaris eum agendi modum aversante, nimis enixo studio votis suis obstabat; cujus & inclinatio inter hæc ministrorum certamina impenetrabilis erat; etsi satis adparebat, magis eum rationes familiæ, & posteritatis, qvam status respicere. Unde & is, qvid sui ministri satagerent securus, primo consiliariorum sententias super suo connubio scripto conceptas exigebat. Inde medicum Beckerum clam Monachium, Neoburgum, Durlacum, Darmstadium, Gotham, Hafniam, & Gustroviam circummittebat, ad spectandum Principes ibi virgines, ac ut singularum temperamentum, ac valetudinem exacte referret. Qvi reversus Cæsarem solum secreto per triduum de iis, qvæ observasse sibi visus erat, informabat. Hafniam qvoqve missus Meiersbergius Baro Cæsareus ablegatus de virtutibus, ac moribus Ulricæ Eleonoræ magnifice retulerat, simul constitutionem corporis haut expers prolis matrimonium polliceri. Ac erat ea conditio Daniæ Regi, Reginæqve matri, ac Saxoniæ Electrici cumprimis optanda. Sed duo qvam maxime obstabant, sacrorum diversitas, & cum Sveciæ Rege sponsalia. Ac circa ista qvidem Fridericus Alefeldius Comes id temperamenti proposuerat, qvod & Viennæ obtentum iri spes erat, ut ista sub utroqve symbolo mystica cœna uti posset, & circa invocationem sanctorum, ac purgatorium crederet, qvantum placeret, modo offendiculum ibi populo non præberet, nec qvid in fraudem Romanorum rituum moliretur. Eo de negotio cum mater, ac soror Saxoniæ Electrix Ulricæ Eleonoræ Regis fratris impulsu proponerent, ista reponebat: præmature super sacris moveri. Sed si maxime sibi permittatur sacra, qvibus innutrita sit, & qvorum veritatem solide agnoscat, publice ibi profiteri; eam tamen palmariam qvæstionem esse, num salva conscientia exuere fidem possit per solemnia sponsalia Regi Sveciæ datam, ut majore honoris gradu potiatur? Et cum matri id responsum liberius videretur, qvam qvod decere possit virginem, qvæ suorum autoritati obnoxia agat, nec de se proprio è judicio statuere possit: ista regesserat; penes Regem fratrem, & Reginam matrem esse matrimonium cum Sveciæ Rege abrumpere, se inconsulta. Ast si sua sententia exqviratur, aliter se respondere non posse, qvam utiqve cavendum, ne qva macula conscientiæ adspergatur. Et complures Theologi consulti responderant; ea sponsalia, si ad legis divinæ sanctimoniam exigantur, vim matrimonii habere, qvod à neutra parte illæsa conscientia rumpi possit. Ad qvæ regerebatur; id vinculum jam in Svecia abruptum, qvod Anna Eboracensis Ducis filia pro Rege Sveciæ in conjugem ambiatur; eoqve cum Svecus de abrumpenda connubiali fide agitet, decus Reginæ familiæ in Dania reqvirere, ut ea contumelia præveniatur. Sed ista responderat; qvæ de Anglica procatione ferantur, nondum satis explorata esse. Ac qvicqvid ejus sit, hanc se contumeliam haut metuere; & si 1676.

maxime

1676. maxime conſtet, in Svecia fidem abruptum iri, ſibi tamen haut decorum videri, ob captandam majorem dignitatem alterius delictum delinqvendo prævertere. Demum Mater Filiam vetabat plus verborum facere, qvam ſe à Fratre pendere, ac omnibus, qvæ is facturus ſit, contentam fore. Sed hæc regeſſerat, ſe non ſæpius locuturam, qvam Rex, & Regina ut reſpondeat juſſuri ſint; qvi ſine dubio non ſimulatum, ſed ſincerum reſponſum à ſe deſideraturi ſint. Deniqve Cæſarem pietatis, ac generoſi animi fama ita celebrem eſſe, ut conjux ipſi habenda ſit non inferioris animi, & cui fortunæ ſplendor hautqvidqvam ante honeſtum habeatur; nec ſe maritum optare, cui degener aliqvod factum cauſam ipſam deſpiciendi præbere poſſit. Sed & eadem Hanoverani Ducis miniſtro dixerat; Avunculum rem ſibi gratiſſimam facturum, ſi nil amplius curæ circa promovendam ipſius fortunam ſuſcipere velit. Nec Frater dehinc, aut Mater tam tenero religionis, ac honeſti ſenſu imbutum animum tentare auſi ſunt. Iis cognitis ſpes eorum, qvi Viennæ pro hac Principe nitebantur, decollabat, præſertim cum conſtaret, eandem jam à teneris annis innocenti affectu in Sveciæ Regem inclinaſſe. Ac ipſe Cæſar malebat ritibus Romanis innutritam; nec minus ſuis moribus parum congruens ducebat, alteri deſponſatam, invitamqve intercipere. Sed & qvi Neoburgicæ qvam maxime obſtiterat Schvvartzenbergius deliniebatur, dum Neoburgicus ipſi circa magni momenti prætenſiones non ſine inſigni impenſa gratificatur, citra qvem alias id matrimonium haut ſucceſſurum credebatur. Qvo delinito Sintzendorfius qvoqve cedere cogebatur. Ita demum Cæſar maximo cum Electoris gaudio Neoburgicam elegit.

Circa Hanoveranum in partes trahendum frustra laboratur. 30. Mart. Gladebeck.

§. 23. Qvia porro, uti paulo ante retulimus, Cæſar per Sternbergium Comitem monuerat, ut Elector circa trahendum in partes Hanoveranum laboraret, hic Bodonem Gladebecium ad aulas Luneburgicas circummittebat; Cellenſi, ac Guelferbytano communicaturus, ſibi decretum hac æſtate Pomeraniæ oppida invadere; ſimul eorum conſilium exqviſiturus, Anclamo, an Stetino obſidium prius ſit circumponendum. Idem qvoqve de arctiore conjunctione cum Dano proponere jubebatur, ac ut Electoris ratio circa Bremam dividendam habeatur, à qva per peculiares tractatus ipſum excludi iniqvum ſit. Si Hanoveranus in partes trahi neqveat, ut ſaltem Monaſtericenſis retineatur. Excuſaret qvoqve, qvod Electori non conſtiterit, Dorſtenam à Luneburgico milite fuiſſe inſeſſam, cum ne ſtatio qvidem ad portas oppidi fuerit. Sed & eo magis Electori cavendum fuiſſe, ne is locus à Gallis invaderetur, cum eodem tempore Virſetus Baro caſtellum Leodienſe Gallis prodidiſſet. Nec eſſe, qvod Colonienſis tantos jam tumultus ob interceptam Dorſtenam moveat, cum is nunqvam qveſtus ſit, qvando olim compiura ipſius oppida à Gallis inſidebantur. Apud Hanoveranum jubebatur exponere, uti per pactum ante octo menſes concluſum is lautes hoſpitiis reipſa gaviſus ſit. Sed qvo minus ratihabitio Cæſaris ſecuta ſit, obſtitiſſe tempus eo pacto haut expreſſum, cum talia in infinitum porrigi Cæſar haut tolerandum duxerit. Præſertim cum Ordines, qveis onus iſtud incumbit, & exercitus, qvi in hoſtem rem gerunt, valde qverantur; iſti, qvod præ reliqvis onus nullo intervallo ferre cogantur; hi qvod parcius habeantur, qvam illi, qvi nunqvam ferrum pro patria ſtrinxerint. Unde par eſſe, ut Dux bona fide partes Imperii amplectatur; qvo facto tam circa hoſpitia, qvam partem prædæ Svecicæ ipſi abunde ſatisfactum iri. Cæſarem id valde deſiderare, & Electori ad hanc miſſionem ſtimulum addidiſſe, qvi nil aliud heic ſpectet, qvam ſalutem publicam & ipſius Ducis ſecuritatem. Si objiciatur, à Cæſare prius pactum haut ratihabitum, reponeret præter ſuperius dicta; Cæſarem ægre tuliſſe, tot ſuas miſſiones fruſtra fuiſſe. Sed ſi nunc Dux bonis partibus accedere velit, procuratorium Cæſaris, & ratihabitionem non defore. Electorem qvoqve priori tractatione credidiſſe, Monaſterienſi à Cæſare in eam rem mandata fuiſſe. Alias haut facile fore fœderatis in hoſtem movere, ni à tergo ipſis cautum ſit. Ducem pro fide, qvam patriæ debeat, decretis Imperii honeſte ſe ſubtrahere haut poſſe, præſertim cum hoſpitiis tamdiu gaviſus ſit. Si in Gallum arma ſtringere dubitet, in Svecos moveret, aut Electori aliqvot legiones commodaret. Neoburgicum qvoqve jam aliam conſiliorum viam iniviſſe: forte Bavarum idem facturum. Ita Ducem ſolum deſtitutum iri, cui vix diutius indulgendum ſit, ut erga communes patriæ hoſtes medium ſe gerat; qvod & officio, qvo Ordines Imperio tenentur, repugnet. Nam qvod Dux plane in hoſtium partes conceſſurus ſit, id præſumi non poſſe; cum res fœderatorum in melius, Gallorum, & Svecorum in deterius eant. Sed ſi his rationibus nihil proficiatur, in diſceſſu modeſte demonſtraret; Cæſari ac fœderatis eam repulſam dolori futu-

1676. futuram. Electorem sincero animo qvantum in se feciſſe,& adhuc facturum. Danum qvoqve, fratres, Monasterienſem ulterius inſtituros. Pertinaciam periculo non carituram. Nec hoſpitia ipſi amplius præſtari poſſe,ſuper qvibus Anhaltinus,& alii graves qverelas Ratisponæ moveant,eaqve ad Kalendas Maji evacuari petant. Deniqve transitum Electoralium copiarum excuſaret, ſi qvid hæ moleſtiarum dederint; ac ſi Duci placeat ſuper pretio rerum, qvæ militi à provincialibus præſtandæ ſint, cum ipſo conveniendum. Cum Cellas delatus eſſet Gladebecius, miniſtri qverebantur; circa Bremenſe negotium alios aliis reſpectibus trahi, ac ſuæ domui plus periculi imminere videri, qvam Svecorum vicinia unqvam generare potuerit. Danum fervoris, & acerbitatis nimium in hoc negotio oſtendere. Præſulem qvoqve extra oleas vagari; ac arduum fore inter hunc, & Cellenſem ſolidam amicitiam inſtaurare. Circa Bremam tot competitores concurrere, ut ſuæ domui parum ſuperfuturum ſit. Danum potiſſimam ſibi Ducatus partem in mare vergentem depoſcere, cum vectigali ad Stadam, Capitulo Hamburgenſi, & inſula Crutſandia. A Præſule Ferdam, Wilzhuſam, Tedingshuſam, plura affectari. Electorem qvoqve actione in hanc provinciam cedere, ac Hanoveranum prædæ exſortem eſſe nolle. Enimvero æqvum eſſe, ut qvilibet fœderatorum eo modo armorum præmia qværat, ne reliqvis ſuſpicio injiciatur, aut omnis ſpes emolumenti adimatur. Sane Ducibus non in Scania, aut Pomerania, ſed utiqve in Bremenſi provincia ſatisfaciendum. Igitur & his idoneam portionem relinqvendam, ne usqve adeo ſpe ſua excidant, ut arreptis contra Imperii hoſtes armis nil præter periculoſiorem ſtatum, qvam vicinis Svecis, lucrati videantur. Unde ſibi noſſe expedire, qvid è Bremenſi provincia Elector in utrumqve caſum deſideret, ſive in Pomerania ipſi ſatisfiat, ſeu minus: & qvid ipſe Dano, & Monaſterienſi aſſignandum judicet? Anteqvam de eo conſtet, ſe de ſua mente aperire non poſſe. Credere qvoqve falſo ſpargi, Electorem portionem ſuam de Bremenſi ditione in Danum transferre velle, ne ſibi neceſſitas imponatur ei periculo avertendo promta remedia circumſpiciendi. Ipſe qvoqve Dux rogabat, ut Elector pro ſua prudentia conſideraret, in qvantas anguſtias Luneburgica domus conjicienda ſit, ſi Danus dominus oſtiorum Albis, & Viſurgis, ipſarumqve adeo urbium Hamburgi, & Bremæ reddatur. Sane notum eſſe, qvid ipſe pro ſervanda Bremenſi civitate contra Svecos fecerit. Jam autem hos minus ſibi formidandos, qvam Danum, cui jam ingens commodum in Mare Baltico per Wiſmariam acceſſerit. Igitur ſibi vigilandum eſſe, cum de libertate, & commerciis agatur. De Hanoverano parum ſpei faciebat. Cæterum verborum amicorum & pollicitationum affatim reponebatur. Apud Hanoveranum Gladebecius nil proficiebat; qvi excuſabat, ſe conſcientiæ, & exiſtimationis cauſa patriæ partibus accedere non poſſe. Pacto cum fœderatis inito ſe inhærere; atqve hoc medio ſuo ſtatu haut parum profuiſſe, dum reliqvi bellum nemine domi turbante perſeqvi potuerunt. Senatusconſultis Ratisponenſibus ſe obtemperaſſe, qvantum alii Ordines, qvi aperte bellum non ſumſerunt. Cæterum ſancte teſtabatur, non eſſe qvod ſibi diffidatur, nec ſe à Gallo, aut Svecis utcunqve res cadat in devia abducendum, qvamdiu promiſſa ſibi ſerventur. In hac ſententia immotus perſtabat, nec ullis rationibus ab ea abduci poterat. Qvæ circa ejus hoſpitia tamen dicta fuerant, ad animum videbatur revocare, ac ſuſpicabatur id negotium ab Electore qvam maxime urgeri. Nec magis apud eundem Ducem profecit Daniæ Rex, miſſo Goſchio Buevvaldo. Qvi tamen judicabat, ab iſto nil metuendum. Et poſtqvam ipſe Scaniam, Elector Pomeraniam invadere velint, haut conſultum eſſe acribus remediis iſtum irritare; præſertim cum Galli, & Sveci ab eodem nil amplius poſtulent, qvam ut is medium ſe gerat. Ac ſi hoſpitiorum nomine moleſtia ipſi faceſſatur, verendum eſſe, ne tertiæ partes, qvas iſte cum Bavaro, & Saxone diu parturivit, demum in lucem erumpant. Ducem id unicum cauſatum, è ſuſpicione erga fratres ope Galli arma ſibi fuiſſe paranda; cum revera iſti cum hiſce optime conveniret. 1676.

Micrael.

§. 24. Qvia autem rebus Germaniæ admodum noxium erat, Hanoveranum validis copiis ſuccinctum ita ambiguum agere, cum Bavaro, & Saxone tertias partes aut infeſtius qvid agitantem, qvorum & nuda ſeceſſio vires Imperii non parum imminuebat; igitur ei ad officium patriæ præſtandum permovendo Ratisponæ qvoqve opera ſumebatur. Nam indies invidia adverſus eundem gliſcebat, qvod cum copiæ ejus ab aliis Ordinibus alerentur, is haut eo ſecius clandeſtina cum hoſtibus publicis commercia aleret. Qvi & ſuperiore anno cum Gallo pactum ſuper medio ſtatu iniverat, acceptis in ſingulos menſes XX M. uncialium; qvæ ſumma ſeqventi anno ad

Apud eundem decreta Imperii parum valent.

XXX

1676. ctore excluso. Unde qvando Ledeburius Bremæ istorum legatos urgebat, ut Electori satisfieret, vel defectum mandati excusabant, vel se apud ipsum Electorem id expedituros, manifestis Monasterienſium præcipue ludibriis. Igitur Elector ad Danum, Duces, ac Præsulem scribebat, ut legatos suos plenis mandatis instruant, ne deinceps prætextum sit tempus incassum extrahendi magno cum causæ communis damno. Ad qvæ Guelferbytanus ample pollicebatur. Hanoveranus de ea tractatione sibi qvid constare negabat. Cellensis causam conferebat in multitudinem eorum, qvi partem provinciæ affectent, qvæ omnium cupidinem implere neqveat. Ac debuisse statim initio, anteqvam nomine Imperii huic provinciæ arma inferrentur, ejus divisionem designari legibus Imperii congruam, concordiæ inter socios servandæ tantopere necessariam. De cætero verbis ample offerebat. Sed & Belgæ Jacobum Tochtium Bremam mittebant, ei negotio inter fœderatos ad compositionem deducendo. Qvi ea temperamenta proponebat; ut Carlsburgum solo æqvetur, ac si Stada expugnata fuerit, ei par numerus præsidiariorum à Dano, Electore, Præsule, & Ducibus imponatur: aut ut Carlsburgum, Stada cum adsito ad Svvingam castello, & Burgum pariter munitionibus nudentur, ac vectigal in Albi aboleatur. Ex his alterutrum optare penes Duces fore. Tum ut Daniæ Rex, & Elector Aprili mense militem ea provincia educant, ac ille in Scania, hic in Pomerania rem gerat: Stadæ obsidium Ducibus, & Præsuli relinqvatur. Qvia autem incertum sit, qvid locorum Danus in Scania, Elector in Pomerania adqvisiturus sit, ac horum progressus interventu pacis sisti qveant, ac Svecus compelli possit, ut pace facta Bremensem provinciam fœderatis in satisfactionem relinqvat; igitur à Præsule, & Ducibus fidem dandam, ut eo casu Dano, & Electori è Bremensi provincia ex æqvo satisfiat; in qvam rem ab istis hisce cavendum. Qvæ uti multum æqvitatis habebant, ita Danus eadem acceptare volebat, modo sibi aliqva portio apertæ provinciæ tantisper cautionis loco assignaretur, qvoad alibi satisfactum sibi sit. Ea cautione obtenta se in Carlsburgi destructionem consensurum, refellendæ suspicioni, qva immerito laboret, qvasi dominium Albis, & Visurgis affectet. Sed Ducum, ac Præsulis ministri non nisi scriptam cautionem offerebant, qvæ Dano parum sufficiens visa, istis interim in possessionem missis; cum ipse impedierit, ne Sveci ei provinciæ subvenire possent. Sed Elector stabili transactione opus judicabat non solum 1676. eo promtius deinceps persequendo bello, sed & ne inter pacis tractationem fœderati inter se litigent, ac potius de compacto id negotium agant. Sed circa eam transactionem considerandum, Svecos ideo hostes judicatos, ut sibi satisfiat, ac contra ejusmodi oppressiones in posterum caveatur, non ut fœderatis terræ adqvirantur. Qvod si tamen detracto qvod sibi debeatur aliqvid supersit, æqvum esse id fœderatis in pensationem navatæ operæ relinqvi. Qvod si è Pomerania sibi satisfieri neqveat, è Bremensi id qværendum, ut tamen, qvi ad eam occupandam opis qvid contulerint, præmii expertes ne sint. Interim se non repugnare, qvo minus Daniæ Rex, Duces, & Præsul in eventum super partitione conveniant, sine suo tamen præjudicio, ac ut sibi è supellectile bellica, & bonis confiscatis rata pars tribuatur. Tum ut Hanoveranus qvoqve invitetur parte provinciæ oblata, qvo in bonas partes pertrahatur. Deniqve bellum junctis copiis persequendum, ac pro rata contributiones inter fœderatos dividendas. Ad qvæ Luneburgici declarabant; se non recusare, qvo minus Electori pro rata è Bremensi ditione satisfiat, ubi in Pomerania voto suo haut potiatur. Cautionis tamen loco in partem præsidiorum Electoralem militem admitti necessarium non esse, cum Cæsar, & Belgæ sponsores se in eum casum offerant, ac diversa præsidia litium materiam generare soleant; ac certa spes sit, Electori è Pomerania satisfactum iri. Haut eo magis à Ducibus, & Præsule ad rem accedebatur; sed isti potius peculiarem conventum Hildesiæ agitabant, super 24. Febr excludendo Dano deliberaturi, qvem ad oppugnandam Stadam concurrere, aut qvid inter Albim, & Visurgim pollidere nolebant. Ac Belgæ negotium urgenti reponebatur; sibi prius cum Præsule conveniendum, anteqvam ad proposita ab ipso mentem suam explicare qveant. Eo fine conventum Hildesiæ institutum, de qvo qvod Dano, & Electori haut communicarint, haut siniſtre accipiendum; qvod & hi cum Hanoverano tractarint Cellenſi, & Guelferbytano inconsultis, eiqve partem Bremæ promiserint. Stadam munitionibus nudari se non passuros, cum alias provincia defendi neqveat. Qvæ tanto fidentius jactabantur, qvod Electori, ac Dano nil ibi copiarum foret. Ac revera separata ista Ducum, & Præsulis Hildesiæ negotiatio, tractatu Bremæ eluso, manifesta secessio erat, distractionem partium, & multa mala producere apta, qvam nec fides fœderum

7. Febr. van der Tocht.

1676. permittebat. Qvod enim objiciebatur, Gellensem, & Guelferbytanum itidem ad tractatum cum Hanoverano haut admissos, id falsum erat; cum eorum ministris omnia communicata fuerint; qvi in congressibus comparere nolue,int, qvod mandatis se deficí excularent, nisi qvod sibi injunctum sit non contradicere. Ac de partitione provinciæ ibi ad universos rejectum. Præsulem qvoqve aliqvoties ab Electore petiisse, ut is spondeat, sibi per Bremam occupata retinere integrum fore: sed eum isthoc petitu semper ad universos fœderatos remisisse, nil præter officia pollicitum. Nec eo magis inter Duces, & Præsulem conveniebat, mutuo nimiam aviditatem sibi objicientes. Duces Præsuli obtulerant Ferdam cum Wiltzhusa, & Tedingshusa ea lege, ne qvid munitionis ibi extrueret, reliqvam provinciam cum omnibus juribus sibi retenturi, ac ut is communem cum ipsis causam adversus Danum, & Electorem faceret. Sed ubi hi vacuis manibus extrudi non possint, pro rata iis satisfaciendum. Præsul dimidiam copiarum partem obsidendæ Stadæ præberet, qvæ solis Ducibus cederet. Ast Præsul ut Ducibus lautiores conditiones extunderet, jactabat; si à Dano, & Electore qvina militum millia præbeantur, se cum suis Stadam expugnaturum, utroqve in partem præsidii admisso. Id qvod Danus acceptandum censebat, qvod alias ipse juxta, atqve Electori ea provincia excludendus sit. Sed Electori per Pomeraniam haut licebat tantum numerum exercitui suo detrahere. Præsul qvoqve censebat provinciam qvinqvepartito inter Danum, Electorem, ipsum, ac Duces dividendam, Electori Ferdam assignandam, sed qvam ipsi pro tribus millibus in Pomeraniam missis hac subacta in præmium traditurus sit. De qvo laxioribus verbis spem Præsuli facere Ledeburius jubebatur, sed magna cum circumspectione ob lubricam viri fidem, & ne Duces protelarentur.

9. Mart.

Monasteriensis ad Electorem missio.

§. 28. Eadem hæc, ut Luneburgicos æmulatione accenderet, Præsul per Termœlium Procancellarium apud Electorem proponebat. Nam Luneburgicis solis eam provinciam adcrescere haut consultum, & in complures portiones eam discerpi vicinorum interesse. Hanoverano qvintam provinciæ partem dandam. De cætero testabatur, Hildesiæ super hospitiis duntaxat actum. Ad qvæ Elector: *Omnes eqvidem, qvi in hanc rem qvid contulerint, præmio dignos. Enimvero considerandum, bellum è SCto Ratisponensi istis provinciis eam tantum ob causam illatum, ut damnis suis reparatio fiat, non ut aliunde lucrentur. Unde præmia a fœderatis exigi haut prius posse, qvam sibi satisfactum fuerit. Sed & se ad subigendam Bremam non parum contulisse, qvem tamen socii emolumentis victoriæ, parte præsidiorum, & supellectilis bellicæ exclusum velint. Tum Pomeraniam admodum vastatam, in qvam expugnandam à se maximi sumtus facti sint, incerto adhuc belli exitu. Unde considerandum, num par sit, qvintam duntaxat partem sibi impingi; de qvo tamen Brema agendum. Stare se tamen declaratione semel facta, si è Pomerania sibi satisfiat, & ad eam subigendam fœderati opem conferant, se in Bremensem ditionem actione cessurum. Qvod porro Præsul promtum se bello persequendo ostendat, id merito probandum. Sed id iniqvum, eo nomine illum solum præmia posci, cujus damnis reparandis ante omnia sit consulendum: cui ad ista etiam alii conferre teneantur, aut eadem aliunde petenda sint. Se tamen Præsulis emolumenta ob merita ejus in communem causam fœderatis commendaturum. Portionem suam, qvam Præsul concedi petat, alios qvoqve ambisse; super qva num qvid pressius proponendum sit se auditurum. Circa Hanoveranum conventis inhærendum; circa qvem in bonas partes pertrahendum, ut Præsul operam navet, se rogare.* Ad ista Termœlius regerere: Circa Hanoveranum à Præsule factum, qvantum in se fuerit; sed medio statu dimoveri eum non posse, qvod Cæsar prius pactum firmare abnuerit. Cæterum Svecos utiqve ob injuriam Electori illatam hostes judicatos, & huic velut læso ut satisfiat pareri esse. Haut minus tamen eorum, qvi in hostem publicum arma vertant, rationem habendam, impensis ex hostili terra restitutis. Qvin fieri posse, ut auxiliaris actio non minoris, qvam læsi taxetur. Ac si Elector, & socii ex hoc bello fructum capiant, id præcipue ipsorum Svecorum temeritati adscribendum. Præsuli, cum plurimum ad Bremense bellum contulerit, merito præcipuam prædæ partem deberi. Qverelis tamen amovendis provinciam in qvinqve partes dividendam, Hanoverano qvoqve admisso. Ac maturum jam videri divisionem suscipi, qvod spes affulgeat Electorem circa Pomeraniam voti damnandum; qvæ in præsens vastata licet per pacem reflorescere qveat. Qvod Elector in partem præsidiorum, & machinarum hosti ereptarum admissus non sit, id ideo factum, qvod is sæpius declararit, se istam provinciam fœderatis cessurum. Deniqve nosse velle, qvantum copiarum Elector postulet, in vicem portionis

1676.

1676. XXX M. augebatur. Unde ad qverelas
24. Jul. Anhaltini,& aliorum Ratisponæ decretum, ut Hanoveranus istis hospitiis desistat. Cujus concluſi tamen exsecutio hærebat, ne medicina intempestive adhibita malum ipso morbo deterius produceret. Super eo Hanoveranus apud Electorem graviter qverebatur,ac petebat,ut is apud Cæsarem instet, ne mandatis ipse urgeatur; alias sibi sponsores adpellandos. Elector SCtum non poterat non æqvissimum judicare,& continuationem hospitiorum Ordinibus, qvibus ea incumbebant,intolerandam esse. Sed qvia per iniqvitatem temporum tam fœdus libertatis abusus,qvam qvidam Principes præter fas, ac rationes patriæ usurpabant, corrigi non poterat; & qvia ipsa aula Cæsarea judicabat, in præsens moderatione utendum, nec Ducem ad deteriora consilia arripienda compellendum; Elector qvoqve censebat, mandata non præcipitanda, aut si ea declinari neqveant, ita temperanda, ne Dux protelatus ad extrema ruat, ingens obstaculum fœderatorum armis daturus. Sane Cæsareis acta Ducis admodum invisa erant, ac ea emendari valde cupiebant: sed acribus remediis abstinebatur, non tam ob respectum in hostes, qvam ipsos fœderatos. Nam & ipse Cellensis suspectus erat; Danus Ducem offendere nolebat; Monasterienſi plane confidi non poterat. Haut eo minus Elector Hanoveranum enixe hortari non desinebat, ut omisso neutro statu copias suas ad limitem Germaniæ rem gerere sinat, cum nullum prætextum sit decreto Ordinum à Cæsare probato obsequium abnuendi. Sane & se, cum à Svecis invaderetur,qverelas Ratisponam detulisse. Sed cum ista incassum occinerentur, in præsens adqviescendum erat. Ac
7. Nov. svadebat Daniæ Rex, satius esse circa hospitia connivere, qvam recentem hostem, qvindecim bellatorum millibus stipatum, in se trahere. Sibi qvidem constare, modo ne nimis rigide cum isto agatur, cum nil moturum, sed in præsenti statu permansurum. Ast valde metuere,ne ubi acrius urgeatur, ad desperata consilia descendat, & occasionem mala patrandi, qvæ à multis ipso in Imperio suggeratur, arripiat. Bavarum utiqve nil amici agitare. Saxonem qvoqve in tertias partes inclinare. Ubi Galli, & Sveci animadverterint, posse qvosdam Ordinum in suas partes pertrahi, pecuniam, & artes non defore. Ordines, qvi Ratisponæ tam asperas sententias in Hanoveranum dixerint, forte tam opportunam occasionem Svecos Germania dimovendi parvi facere. Sed sibi, atqve Electori eam exoptatissimam esse; eoqve sibi præci- 1676.
pué curandum, ut moderata consilia adhibeantur, ne novo hoste orto destinata in Svecos intercipiantur. Et in eum sensum idem Rex qvoqve ad Cæsarem scripserat.

§. 25. Nec minus laborabatur etsi pari *Circa Bavarum in partes trahendum frustra laboratur.*
successu, ut Bavarus in bonas partes pertraheretur, cujus consilia fœderatorum destinata non parum infringebant. Eo nomine ipse Neoburgicus Monachium proficiscebatur, ubi omnes rationes istum inflectendi frustra consumebantur,maxime resistente Smidio Cancellario, studio in Gallum penitus imbuto. Idem Bavarus vi- 16. Jul.
cissim misso legato Viennæ citam pacem urgebat, eiqve conciliandæ officium offerebat; ac ut Svecis ablata restituantur, Gallo vicissim Hispanis loca qvædam reddituro. Qvæ à Cæsare rejiciebantur. Eidem ad alia consilia permovendo Electorale Collegium Constantinum Bertranum Moguntini, & Antonium Schottum Saxonis nomine Monachium ablegabat, ut abdicato in Gallum favore in hostes Imperii arma jungeret. Qvibus is respondebat: *Se per-* 6. Oct.
spicere haut posse, suas, ac domus suæ rationes ferre, ut ipse ullo modo huic bello se misceat, ac ditiones suas periculo tam propinqvas anceps alea exponat: præsertim cum sibi unice instaret pacis in Germania, & conservatio suarum fortunarum cordi sit, qvibus juxta Instrumentum Pacis contentus agat, nec novas adqvisitiones, aut exteros respiciat, qvi alios in partem belli, etiam dum ante qvam SCta Ratisponæ fierent, pertraxerint. In colloqviis,qvæ delegati cum Bavaricis habebant, hi dissererebant; *Bavarum nil conferre posse, aut velle, ut Sveci, & Galli solo Germanico eliminentur, qvi sponsores pacis Westphalicæ sint, & esse debeant, qvam persistere ipsius tantopere interfit, & qvæ istis in ordinem redactis plane evertenda sit, omnibus ibi qvæsitis juribus in dubium vocatis. Sed nec conventum Ratisponensem super violatione pacis, de qva Reges arguantur, idoneum judicem esse, cum Imperium pars sit. Legatos itaqve Neomagum mittendos, ac videndum, qvis in mora pacis sit; ac si æqvæ conditiones non admittantur, Bavaro esse viginti millia ferro stringendo promta; (non addito, adversus qvem.) Ratisponensia SCta citra obligationem esse; nec majorem suffragiorum partem hoc valere. Multos Regibus sese infestos ferre privatum ob commodum, ac ut terrarum qvid adqviranr; bonum publicum obtentui sumi.* Asperum id erat responsum, & qvo haut obscure Elector perstringebatur. Ac manifestum erat, qvamdiu ad istam normam Germania

1676. administraretur, ac potentissimi Ordinum ejusmodi consilia impune agitarent, non posse non patriam exterorum ludibriis & insultationibus expositam esse, tanto corpore demum plane corruituro. Ac si cui Ordinum persvasum sit, salutem suam magis favore exterorum, qveis summa consiliorum est Germaniam enervare, ac distrahere, qvam conservatione totius Imperii niti; eum non solum pro malo cive habendum, sed & stolida opinione duci, velut in universorum ruina ipse solus salvus sit futurus, aut exteros qvantumvis blandientes ipsum magis, qvam reliqvos servitii immunem sint relicturi. De isto responso Elector apud Cæsarem qverebatur; sed qvem præter rationes, qvæ circa Hanoveranum considerabantur, etiam tener qvidam affectus in Bavarum movebat, qvo minus durius cum ipso ageret. Scribebat qvoqve Elector ad reliqvos Collegas, ut super hac Bavari declaratione longius penetrante Ratisponæ consultaretur. Qvi Cæsaream declarationem prius expectandam respondebant.

Super partienda Bremensi Arausionensis sententia.

§. 26. Non modicam qvoqve bonis partibus debilitatem, maximam Electori molestiam adferebat, qvod per enormem aviditatem, aut invidiam qvorundam fœderatorum circa Bremensis provinciæ partitionem conveniri non posset. Circa qvam rem Arausionensis censebat; Danum Carlsburgum, & Stadam sibi velle: Luneburgicos Carlsburgum destructum cupere, sed Stadam cum munitionibus retinere velle: Monasterienſem Ferdam affectare, ac de munitione ad Visurgim extruenda agitare: Hanoveranum qvoqve parti inhiare. Ita unum alteri cupita impedire, ac suis duntaxat commodis velificari. Sed qvia nemo eorum Carlsburgum, aut Stadam retinere, aut novam munitionem extruere absqve vicinorum æmulatione qveat, optimum fore ista oppida munimentis nudari, ac novi nil strui; divisionem autem differri, qvoad Sveci penitus expulsi sint, ac id negotium Neomagi expediri. Interim administrationem Bremæ Ducibus, Ferdæ Præsuli relinqvi: Electori autem & Dano de præda, & hospitiis ratam dari par esse. Nam ubi fœderati in diversa abeant, & qvilibet privatum lucrum aucupetur, omnes voti sui falsos fore. Ad qvæ Elector reponebat: Id qvidem à se probari, ut Carlsburgum, & Stada munitionibus exuantur; sed partitionem Neomagum rejici haut consultum videri. Nam Gallos, & Svecos eidem varia obstacula injecturos, ac forte dissidium inter fœderatos excitaturos. Nec concordiam, qvæ qvoad communes tractatus suscepti fuerint, tantopere necessaria sit, hoc modo obtineri; qvin diffidentiam, & dissidium semper mansurum, qvoad cuilibet constet, qvid habiturus sit. Sed & temporariam dispositionem inæqvalitate laborare, se, & Dano plane excluso. Unde satius fore qvamprimum transactionem inire, qvæ æqve promte atqve temporarium pactum inveniri qveat. Cæterum Belgæ metuebant, ne Danus, si per Carlsburgum, & Stadam Albis, & Visurgis ostia in ditionem redigeret, commercia impedire, ac vicinos pro lubitu insultare aggrediatur; qvem metum Luneburgici alebant, ut ipsi eo facilius Brema potirentur. Qvo non parum conferebat, qvod Danicæ copiæ nuper hospitia per Frisiam Orientalem invaserant, neqvidqvam deprecantibus Belgis. Ex qvo colligebant; si talia jam invito Cæsare fiant, qvid dein metuendum, si Danus Holsatiam per tractum Bremensis provinciæ cum Oldenburgica continuaverit? Qvin si idem Wismariam retineat, & Scaniam recuperet, plus prædæ adqvisiturum, qvam reliqvi omnes, cum postremus bello accesserit, ac plus subsidiorum qvam alii acceperint; præsertim cum hoc bello tantum auxiliarius haberi velit. Unde Belgæ Ducibus, & Præsuli magis qvam Regi favebant. Cum contra Elector censeret; Regem iniqva suspicione laborare, ac eum modicum duntaxat tractum sibi deposcere velut lineam communicationis, ac consentire, ut Carlsburgum solo æqvetur. Ac forte Duces, atqve Præsulem non minus commerciis prægraves fore, ubi destinata sua obtinuerint.

De ea incassum disceptatur.

§. 27. Circa Bremensis porro provinciæ partitionem inextricabilis discepta-tio surgebat. Ac initio anni qvidem Luneburgici nostros in partem præsidii Carlsburgensis admittere volebant, dissentientibus Dano, & Monasterienſi; qvi & in ejus loci destructionem consentire nolebant, qvam contra Elector, & Duces urgebant. Controversia qvoqve erat de bonis Svecorum in commissum cadentibus, qvæ Cæsar jure fisci sibi soli vindicabat; cum Cellensis tanqvam Circuli præfectus sibi de iis disponendi jus competere ferret. Sed Elector se excludendum negabat, qvod bellum in Svecos, ut sibi satisfieret, gereretur. Sed cujus postulata eludebantur, qvod Duces, & Præsul clandestinum pactum inivissent, qvo istis duæ tertiæ partes, Præsuli una ejus provinciæ pars assignata fuerat, adjecta Wiltzhusa velut præcipua portione, Elec-

1676.

tore

1676. nis de Bremensi provincia sibi assignandæ. Contra Elector: *Par utique esse, ut laso ante omnia satisfiat. Actionem in Bremam nunquam pure se remisisse, ac suas copias ad eam occupandam haut spernendam operam contulisse.* Cæterum sex millia peditum cupere cum idoneis machinis, qvod plura loca simul oppugnare velit; eaqve ut mense Majo in Pomerania præsto sint, qvo maturę initium rei gerendæ fieri qveat. Sed qvæstionem superesse, num Stada prius expugnanda, & cujus impensis auxiliares copiæ alendæ sint? Se Præsuli ducenta uncialium millia pro auxilio offerre, ac hypothecæ in vicem è qvinta parte tantum, qvanti hæc summa sit. Ad qvæ Termolius nil distincte: forte tria millia sufficere posse, qvæ tamen repræsentari neqveant ante Stadam expugnatam, ad cujus obsidium Præsul Electori copias sit commodaturus, eumqve in præsidii partem admissurus. Deniqve petebat, ut Elector portionem suam Bremensium hospitiorum Præsuli æqvo pretio cederet. Sed qvia satis adparebat, eum explorandi duntaxat causa venisse, nil cum eodem conclusum, sed omnia Bremam remissa sunt.

Formula temporariæ transactionis Hagæ concipitur.

§. 29. Interea Hagæ formula temporariæ transactionis à fœderatorum legatis concepta fuerat hoc argumento: Ut partitio Bremensis ditionis ad finem hujus anni differatur: interim penes Cellensem in Bremensi, penes Præsulem in Ferdensi Ducatu moderamen esset. Hi junctim Stadæ obsidium circumponerent, cui reditus provinciæ impendantur; ut tamen Elector hospitiis suis fruatur, ac Danus, qvantum alendo Carlsburgi præsidio reqviratur, retineat. Ex hac conventione nulli partium juris qvidpiam nascatur, aut decedat. Interim in ea provincia nihil novandum. Hujus pacti Cæsarem, Hispanum, ac Belgas sponsores fore. Eam formulam Blaspielus, & Romswinckelius hortante Arausionense præter mandatum sub spe rati subscripserant: sed qvæ Electori haut probabatur, qvod fraudi sibi cederet, Cellensi velut præfecto militiæ Circularis moderamen rerum ibi delatum; cum tamen omnia hucusqve ad leges fœderis, non ad dispositionem Circularem administrata forent; ac Cellensem obtentu ejus muneris omnia ad se pertracturum. Tum & ferendum non erat, nullam mentionem factam, qvomodo sibi satisfaciendum sit. Ac satis adparebat, Belgas Ducibus velificatos, qvorum auxilia contra Gallum expetebant. Eadem formula Regi qvoqve Daniæ improbabatur, 1676. nec minus Monasterienſi; qvi jactabat, à se hostem fractum; nunc moderamen rerum aliis deferri. Qvin & Duces ostendebant, eam sibi haut ex alle probari, ac id negotium Bremæ expediendum, ut tamen prius super oppugnatione Stadæ conveniatur. Cum contra Elector censeret, circa partitionem prius transigendum, & qvia Danus in Carlsburgi destructionem consentiat, circa Stadam qvoqve nil difficultatis movendum. Belgarum tamen legatus Tochtius judicabat: melius esse in præsens partitione supersedere, qvam per eam singulos in possessionem mittere, qvod qvilibet semel partis ægre decedat. Et qvia tota res in successum expeditionis Pomeranicæ referenda sit, optimum esse partitionem eousqve differri, ubi & Electori facilius futurum sit consilia sua digerere. Ita formula illa nil nisi negotiationem Bremæ susceptam turbabat.

Tempus Bremæ per ludibria trahitur.

§. 30. Nec eo minus Bremæ, uti antea, tempus per ludibria trahebatur. Ac Duces qvidem propositam à Præsule divisionem respuebant, qvod ipsorum qvinta ulterius inter Cellensem, Osnabrugensem, & Guelferbytanum distribuenda esset. Itaqve de septem portionibus jaciebant, è qvibus sua domus qvatuor, Danus, Elector, & Præsul singulas sortirentur. Qvanqvam revera malebant rem ita confusam relinqvi, dum ipsi loca ad Albim in potestatem redegerint. Nam super Stada præcipue æmulatio inter ipsos, & Præsulem erumpebat, qvam isti solis sibi vindicatum ibant, hoc in partem ejus admitti ardente. Qvo fine Præsul Electori duo militum millia offerebat, qvi hujus nomine obsidio Stadæ interessent, qvorum præfectus Electoris sacramento sit adigendus; ipse vicissim hospitiis Electoris in ea provincia per semestre fruiturus. Contra id Ducibus parum gratum erat; qvi etsi malebant Electori cum Stada nihil negotii esse; tamen ne Præsul nimium hoc prævaleret, ipsi qvoqve Electori copias in obsidium Stadæ offerebant, iisdem qvibus Præsul legibus. Qvam in rem cum Schulenburgio pactum conclusum; qvod tamen Duces ratihabere abnuebant, alia formula oblata, tantum ut tempus extraherent, ac inter incerta commodis suis uberius velificarentur. Contra Præsul tria adhuc militum millia Bremam evocabat, qvi castris munitis apud Burgum considebant, palam ferentes, id fieri, ne provincia pelli qveant. Simul Burgum & Bremervoerdam munitionibus

1676. onibus firmabant, unde aperta totius provinciæ loca tributis subjicere possent. Aliqvandiu qvoqve super dejiciendis oppidorum munimentis certabatur, Ducibus contendentibus, vel Stadam destruendam, qvod tam multorum præsidia nil nisi confusionem sint paritura; vel si Danus, & Elector se removere velint, se solos cum Præsule istam expugnaturos. Satius tamen videri unum & alterum munimentum persistere tutandæ provinciæ. Ita demum Elector, & Danus consentiebant, ut Buxtehudæ, & Stadæ munitiones starent, reliqvæ destruerentur. Sed dum mutuis sibi artibus illudere satagit enormis aviditas, alius casus partitionem turbabat, dum Cæsareus minister aulæ Episcopalis in urbe Brema, & vici extra urbem possessionem capit eo prætexto, qvod Cæsar ista civitati donare velit; qvi & huic caverat super restitutione bonorum, qvæ Sveci antea ipsis extorserant. Adversus qvæ fœderati protestationem interponebant, Electore exprobrante, Ducum tergiversatione factum, ut potentior jam se immisceat, negotio haut parum difficultatis illaturus. Interim super partitione disceptatio continuabatur nullo fructu. Elector temporarium pactum urgebat ob incertum adhuc Pomeranicæ expeditionis eventum. Duces contra in perpetuum transigi volebant, & ut Elector assignata sibi portione adqviesceret, si maxime successus in Pomerania intra votum stetisset. Simul mutuam evictionem eorum, qvæ Svecis hoc bello erepta forent, declinabant. Etsi enim bellum susceptum sit, ut Electori pro accepto damno satisfieret; legibus tamen constitutum, ut impensæ in executionem factæ ante omnia refundantur. Tum & noscendum sibi, qvanti Elector damna sua taxet. Et qvia ipsi tractum ad Albim sibi deposcant, cessare item de Stadæ præsidio; cum par sit qvemlibet circa sua custodienda pro lubitu disponere. Ac ni plura duabus qvintis partibus offerantur, se copias suas Stada abducturos. Sed si in desideria sua consentiatur, pro publico bono omnia facturos. Nec ideo distincte exprimere volebant, qvid locorum cuperent, qvod reliqvorum omnium postulata prius nosse vellent. Electori ad extremum Ferdam offerebant, sed qvam Cæsarei Monasterienſi destinaverant, cui magnum in aula Viennensi favorem sacerdotii vocabulum conciliaverat. Qvem & ab initio Bremensi negotio immiscere cupierant Romani ritus emolumento: sed cujus importunitati nunc non parum irasci videbantur, serio, an qvia amantium iræ amoris redintegratio est. Inter istas ludificationes magna pars æstatis incassum labebatur, viginti millibus eminus otiose Stadam circumsidentibus, Præsule negante vim adhibendam, qvod fames eam cogere possit, dum interim ipse provinciales acerbissimis exactionibus emungit. Demum tamen consentiebat Stadæ vim admoveri, ac sibi perinde fore, ea munimentis exuatur, an omnium qvorum interfit copiis insideatur. Sed Ducibus neutrum arridebat. Demum tamen & hi in Stadæ demolitionem consentiebant ea lege, ut Carlsburgum qvoqve, & Burgum solo æqvaretur. Interim dum demolitio fiat, duodecim centurias præsidio imponendas, dimidiam partem Luneburgicos, alteram à Dani, Electoris, & Præsulis milite, tum ut dimidia prædæ pars penes ipsos maneat. Sed Præsul dimidiam præsidii partem sibi deposcebat, nec ultra qvartam prædæ partem Ducibus concedebat. Contra cum jam Stada ad extremum vergeret, Duces non amplius de Electoris copiis in partem præsidii admittendis audire volebant, ac jactabat Schutzius Cancellarius: iniqvum videri, Electorem, qvi jam solus in Pomerania sibi rem gerat, nullumqve heic militem habeat, in partem præsidii venire velle. Vicissim Præsul Danicis, ac nostris proponebat; ut si Duces tergiversari pergant, ipsi inter se super qvinta parte transigant, mutuamqve evictionem præstent. Qvod Electori non repudiandum videbatur, si Duces nollent; qvod alias hi cum Præsule transacturi essent, Dano, & se exclusis.

§. 31. Inter istas moras deditio Stadæ instabat, cui cum Luneburgici, ac Præsul pari cupidine imminerent, metus mutuæ collisionis eos demum subigebat, ut clam super Bremensi ditione inter se dividenda transigerent, inscio Rege Daniæ, & Electore, qvos impune se contemnere posse putabant, qvod iste in Scania, hic in Pomerania distringeretur. Eo pacto inter alia convenerat, ut Duces soli Stadam, Præsul Bremervœrdam insiderent; Electori ad subigendam Pomeraniam copias submittendas. Cui pacto dissimulando variis propositionibus Dano juxta, atqve Electori illudebant. Sed iste insidiosum agendi modum valde improbabat; præsertim cum & ipse, & Elector oblatas à Præsule in fraudem Ducum conditiones repudiassent. Ac Elector Cæsari per Crocovium super eo pacto exponebat, cujus communicationem isti abnuerint, causati, eam jure à se postulari non posse. Enimvero omnibus juribus repugnare, in communi causa duos socios

Luneburgici & Monasterienſis inter ſe tranſigunt.

1676. cios seorsim in fraudem cæterorum transigere. Nec minus decretis Imperii adversari, cum ob hostilia à Svecis in se patrata Bremæ arma illata sint, duos Ordinum, qveis à Circulis, in qvibus degunt, commissum sit auxilia sibi expedire, inscio se hosti erepta partiri, ac supervacuum ducere acta communicare, velut sui ratio plane habenda non sit. Sane eosdem cum antea clandestinum ejusmodi pactum super ea provincia iniissent, saltem erubuisse, ac varios colores excusando facto dixisse. Nunc haut timide jactare; se ad istud communicandum non teneri. Qvod cum Cæsari, & Imperio, omnibusqve qvorum interest, fraudi, sibi præcipue contumeliæ sit; igitur ut Cæsar istud emendet, rogare. Etsi declinandæ intempestivæ collisioni hanc injuriam in præsens dissimulari expediat. Eam agendi rationem Cæsar valde sibi displicere significabat, & qvod isti unice privato commodo inhiare videantur: ac mittis Bremam legatis se curaturum, ut res ex æqvo componatur. Post cum Stada deditionem fecisset, urgente inopiâ, & qvia de machinis, & instrumento bellico, si vis admoveretur, maligne ei prospectum fuerat; Luneburgici soli præsidium imponebant. Haut eo minus missus ab Electore Thomas Ernestus Danckelmannus ad obsignandum archivum, & recensendas machinas simul admittebatur. Ac scribebant Duces, Electorem qvoqve sua portione potiturum, simul confirmabant, pactum suum cum Præsule in fraudem Electoris haut tendere, sed ut eo promtius absoluto bello Bremensi hac adhuc æstate Cæsari, & Electori operam navare qveant. Ledeburio Duces tria peditum millia offerebant; nam & adversus Gallos à se militem mittendum, ne subsidiis, & hospitiis suis excidant. Elector à fœderatis ita sibi illusum ægerrime ferebat; ac inprimis mirum erat, tantopere istos rationem fugere, ut crederent, commodis suis per ejusmodi clandestina pacta consuli, aut qvasi ipsi eam provinciam tueri possint, ni & sibi satisfactum, ac Sveci tota Pomerania expulsi, ac universorum consensu fructus victoriæ stabilitus sit. Nam si adversante fortuna Cæsari, Hispano, Dano, Electori, Belgis, citra præmium bello excedendum foret, ridiculum erat credere, solos Luneburgicos, & Præsulem integra provincia potituros. Consiliarii tamen judicabant, ob iniqvitatem temporum magis de remedio, qvam vindicta cogitandum. Unde Elector Ducibus per Ledeburium demonstrabat: *Ipsorum, ac Præsulis collusione necessariam inter socios fiduciam valde imminutam, ac tantum non extinctam. Sibi qvidem multiplicem occasionem suppeditatam paria faciendi, non ita pridem à Gallis oblato Stetino, totoqve Odera flumine, aliisqve locis. Sed sibi nefas fuisse visum peculiari transactione communem causam prodere, eoqve omnia Neomagum rejecisse. Unde speravisse, pari candore secum actum iri. In sui gratiam Svecum hostem judicatum, aut ut sibi satisfactio curaretur. A se invadendæ Bremæ initium factum, & ad pleraqve exsequenda opem collatam: simul tantum negotii in Pomerania hosti objectum, ut is Bremæ subvenire non posset. Ergo omissis istis bona fide ad participationem provinciæ accedendum. Non meliore documento Ducis æqvitatem suam, & dignum fœderatis, atqve amicis animum demonstrare posse, qvam si provinciam sibi solis non arrogent. Cæterum eam sui stare sententiam sæpius declaratam, si tota Pomerania ipse potiatur, se suam portionem de Bremensi provincia fœderatis redditurum. Interim partem machinarum, & præsidii deposcere.* De qvibus Duces se per Adamum Henricum Thannium cum Electore acturos ferebant. Sed & Præsul significabat, se cum Ducibus transegisse, ut hi soli Stadæ, ipse Bremervœrdæ præsidium imponat. Machinas pro ratione copiarum, qvibuscum præterito, & hoc anno res gesta sit, dividendas; à se mille milites, à Ducibus duo millia auxilio in Pomeraniam mittenda; scilicet qvia clandestino illo pacto Ducibus duæ tertiæ partes provinciæ, Præsuli una assignata esset. Idem hospitia Electori restituere abnuebat, nil præter res jam mutatas causatus; ac nostros conventam pro concesso eorum usu pecuniam poscentes ultro irridebat.

1676.

3. Aug. von der Thanne.

§. 32. Qvanqvam autem cum ejusmodi fœderatis conflictari acerbum erat, & nimia ista in privatum lucrum aviditas publicæ causæ parum fausti portenderet: tamen necessitas subigebat istis uti, qvousqve dabatur. Unde super auxiliis ad subigendam Pomeraniam Elector cum iisdem agere instituit; & qvia per Thannium oblata tria millia non sufficiebant, Conradum Wilhelmum Lentium ad eosdem mittebat, qvi qvinqve, aut minimum qvatuor millia auxilio exposceret. Nam fœderatorum qvoqve interesse, se qvantisvis copiis firmari, ut uno impetu Sveci Pomerania exturbari qveant; qvod nemo de jam adqvisitis, aut deinceps adqvirendis certus esse, nec circa Bremense negotium solidi qvid statui qveat, qvoad bellum in Pomerania patratum sit, ac Sveci mari à Germania separentur. Ac causæ publicæ conducere,

Cum Luneburgicis & Monasteriensi super auxilio convenitur.

3. Aug.

1676. ut iſte hoſtis prius plane opprimatur, ac poſt univerſæ vires in Galliam vertantur; in qvam rem ſe omnes ſuas vires offerre. Sed Duces, & Præſul excuſabant, ſe reliqvis fœderatis ſuper ſubmittendo milite jam fidem dediſſe. Peculiariter Elector Ducibus circa Bremenſe negotium curam ſacrorum commendabat, ne qvid circa ea à Præſule novetur, qvòd iſtis neglectis ultio Divini Numinis, & perpetua apud poſteritatem infamia ſit metuenda, qvæ illos, qvi tractatione Oſnabrugenſi Sileſios, aliosqve deſtituerint, manſura ſit. Qvod ſi ultra tria millia mittere nolint, ſibi præcipuum jus in Bremenſem provinciam, & hoſpitiorum partem ibidem reſervandam. Demum 15. Sept. inter Electorem, ac inter Georgium Wilhelmum, ac Rudolfum Auguſtum Brunſvicenſes & Luneburgicos Duces, atqve Præſulem Monaſterienſem Chriſtophorum Bernhardum ejusmodi conventio inita eſt; *ut bis IV M militum Electori auxilio in Pomeraniam mittant, è qvibus tantum qvatuor centuriæ equitum & dimachærum eſſe debeant, reliqvi omnes pedites cum neceſſariis machinis, ſub ſummo præfecto vigilum, qui tantum ab Electore, ſupremo exercitus duce, aut Duce Holſatiæ velut ſummo rei tormentariæ præfecto juſſa accepturus ſit, conſilio qvoque bellico adhibendus, & cui in iſtum militem ſoli juriſdictio ſit relinqvenda. Iſtas copias junctim manſuras, ac non alibi qvam in Pomerania cum Electoris copiis adhibendas. Eas à Ducibus, & Præſule alendas nullo Electoris onere. Hoc auxilium tamdiu continuandum, qvoad huic in Pomerania ex æqvo ſatisfactum ſit, ac eandem ſemper initio annuæ expeditionis plenis numeris repræſentandas. Ab Electore omnem diligentiam adhibendam, ut annona in promtu ſit; nec eadem durius, aut minore cura qvam proprias Electoris copias habendas. Ab eodem operam dandam, ut iſtæ in Mecklenburgica, aut Lauenburgica hibernis portiantur, qvo initio expeditionis præſto eſſe qveant. Vicissim Elector ſua hoſpitia in Bremenſi agro cedit, ſuper qvibus Duces, & Præſul inter ſe convenient. Idemqve declarat, ſe ex ea provincia nil poſtulaturum, ſi æqvia ſibi in Pomerania ſatisfactio obtigerit. Id ubi non ſuccedat. ſed ad Bremam recurrendum ſit, Elector actionem ſuam ita moderabitur, & apud alios competitores, ut idem faciant operam dabit, ut auxilia iſthac præſtita digne æſtimata adpareat. Ne ſuper proportione ſatisfactionis, qvam unus & alter prætendit, deinceps diſſidium excitetur, ſed firma amicitia, & concordia ſtabiliatur, ſuper iſta temperanda amice tranſigendum; ac ſi inter ipſos convenire neqveat, alios fœderatos ad interpoſitionem invitandos: à nemine violenti qvid adhibendum. Omnes denique circa æqva ſua poſtulata mutuam operam navabunt.* Ex ea conventione ne miniſtri qvid ſuſpicaretur Daniæ Rex, Elector de eadem ultro ſignificabat, excuſato, eam absqve antegreſſa cum ipſo communicatione initam. Ad hanc ſibi deſcendendum fuiſſe, qvod ipſo Rege ſvadente ante hiemem Demminum à ſe expugnandum ſit; id qvod ſine iſtorum auxilio fieri neqveat. Cæterum ſe diſerte ſtipulatum, ut Regi prout debet ſatisfiat: nec id pactum ei fraudi eſſe poſſe, velut temporarium, ac rem Bremæ plane perficiendam: Clandeſtinum inter Præſulem, & Duces pactum haut obſcure ſe improbaſſe; ſed boni publici cauſa id diſſimulaſſe, ne progreſſus armorum ſiſterentur, neu hoſtis è fœderatorum colliſione fructum capiat; præſertim cum poſt improſperum Trajecti ad Moſam obſidium Belgæ, & Hiſpani Ducibus, ac Præſuli magis qvam antea velificentur, ut eorum auxilio inclinatas in Belgio res reſtituant. Porro conventionem illam Duces probe explebant, miſſo egregio milite ſub Rudolfo Endio. Sed Præſul ſui ſemper ſimilis hominum qvisqvilias miſerat, nullo ſtipendio inſtructos, ut oneri magis, qvam uſui eſſent. Eam ob cauſam, & alia 10. Nov. ab eo Præſule contra leges officii patrata Elector Alexandrum Spanium ad Ferdinandum Furſtenbergium Paderbornenſem Epiſcopum mittebat, expoſiturum; cum ipſius interventu amicitia inter ſe, & Monaſterienſem reſtituta ſit, qvam maligna ſinceri, ac generoſi amici ſpecimina hic exhibuerit. Scilicet complura hoſpitia per Weſtphaliam ad ſe ſpectantia intercepta: conventam proceſſis in Bremenſi agro hoſpitiis pecuniam non ſolutam ad triginta uncialium millia: portionem prædæ bellicæ ſibi debitam ab eo detentam; nauci milites in Pomeraniam miſſos, numeris haut completis, zonis inanibus. Deniqve innoxium tranſitum per Mindenſem, & Ravensbergenſem ditionem petiiſſe, & impetraſſe, promiſſa ſolutione, etſi æqve commoda per Oſnabrugenſem, & Monaſterienſem provinciam via pateret: ſed cum ejus copiæ multa uncialium millia conſumſiſſent, ab iis noſtros ſolutionem exigentes ultro irriſos. Qvæ ipſe tamen ob bonum publicum diſſimulaverit. Unde ejus conſilium exqvirere, qvomodo talia emendari, ſibiqve ſatisfieri qveat? Ad hæc Paderbornenſis: *Se libenter officium eo nomine apud Monaſterienſem interpoſiturum, ſed tenui ſuccesſus ſpe, qvod iſta omnia pecuniam tangant. Nam hunc tantum in iſtius animum eſſe imperium,*

1676. *ut*

1676. *ut omnes alii reſpectus inter inania habeantur.*

Cæſarei circa compoſcendum Bremenſe negotium opera.

§. 33. Aſt Cæſar retinendæ inter fœderatos concordiæ Joannem Franciſcum Landſeum Baronem, qvem paulo poſt Windiſchgræcius Comes ſeqvebatur, Bremam miſerat, ut partitionem Svecicæ provinciæ ad liqvidum perducerent. Enimvero heic nil amplius qvam antea proficiebatur. Ac jam novalis inter Regem Daniæ, Ducesqve, ac Præſulem ſurgebat. Cum enim ſeparato horum pacto conveniſſet, ut Rex ſolus Carlsburgi præſidium haberet, ac eo fine ſexcenti ab hoc miſſi ei loco propinqvarent, qvi intus erant hos admittere nolebant, caulati eosdem opprimendo caſtello acceſſiſſe. Sed & ſuper Crutſandia inſula controverſabantur, qvam Dani ſtatim initio belli occuparant, & jam eidem immiſſos à Ducibus milites per Glucſtadium erumpentes repulerant. Cæterum ad negotiationem ibi accedi non poterat, qvod nec Præſul legatum mitteret, ac à Ducibus miſſi negarent ſibi integrum eſſe abſqve iſto qvidqvam ſuſcipere. Interim hi obiter jaciebant; ſi Elector Stetino potiatur, plene ei ſatisfactum iri; qvem & par ſit in hoc negotio ipſorum, non Dani commodis favere. Contra Danus qvintam provinciæ partem ſibi depoſcebat, multis qveſtus tam iniqve ſecum actum, ſimul minatus, ni talia emendentur, alia ſibi conſilia capeſſenda publico parum profutura. Eo nomine cum Cæſarei Luneburgicos graviter monerent, hi negabant tale qvid metuendum, cum rationes Daniæ non ferant partes mutari. Porro cum Cæſarei turpe ſibi ducerent ob abſentiam Præſulis per alium tempus terere, per literas eum ad legatum huc mittendum hortabantur. Ita
19. Oct. demum Bremam venichat Termœlius, ſed ne ideo magis negotiatio ſuccederet, cauſabatur; cum Cæſarei aulam Epiſcopalem, in qva antea ipſe diverterat, occuparint, ſibi Ferdam diſcedendum, ibiqve expectandum, qvoad à Præſule mandata eam in rem accipiat, Cæſareis neqvidqvam tanto ludibrio indignantibus. Nec minus Duces
1. Nov. Stadæ impreſſa archivo ab Electorali miniſtro ſigilla detrahebant, ac ſibi ſolis regimen provinciæ arrogabant. De qvare cum Ledeburius apud Cæſareos proteſtationem interpoſuiſſet, Luneburgici iſta à ſe ignorari excuſabant, ſimul ab Electore pacta haut examuſſim ſervata arguebant, qvod qvædam ejus legiones per ipſorum ſtativa in Meclenburgica tranſitu ſumto neſcio qvid damni dediſſent. Sed & contendebant, Wiſmariam qvoqve ad calculum vocandam. Nam ſi maxime Danus objiciat, 1676.
Duces ad eam expugnandam nihil contuliſſe, ſe repoſituros; Dani qvoqve operam in Bremenſi provincia haut magni fuiſſe. Nec eo minus ſub id tempus Dano peculiarem tractationem obtulerant, ut Electorem excluderent, certum militum numerum polliciti. Cum itaqve ex iſto congreſſu parum fructus ſperaretur, Elector Ledeburio injungebat, ne prius Brema, qvam Cæſarei & Regii, diſcederet. Simul ſvadebat, ut potius negotium in aliud tempus differatur, qvam facta deciſione Danus proteletur. Tum Danis demonſtraret, peculiari cum Ducibus tractatu ſe excludi, communem evictionem haut ſeqvi, ſtatum qvoqve civitatis Bremenſis in ancipiti relinqvi. Demum redibat à Præſule lega- 14. Dec.
tus, ſed qvi non niſi ſeorſim cum Dano agere volebat, Belgæ qvoqve loco cedere abnuens. Aſt Cæſarei poſt tantum temporis inter otia conſumtum demum proponebant: ſe à Cæſare huc miſſos ſervandæ inter fœderatos concordiæ, ac partitioni adornandæ. Sed qvia non omnes fœderati in hujus provinciæ partem venire qveant; Cæſarem æqvum cenſuiſſe, ut illis, qvorum ope iſta ſubacta ſit, ex ea ſatisfiat. Ac uti ſperent Daniæ Regi heic ſatisfieri poſſe; ita reliqvorum qvoqve fœderatorum Cæſaris, Hiſpani, Belgarum, Lotharingi rationem habitum iri, ut ſolida conjunctione facta qvilibet noſſe qveat, qvid ab aliis expectandum ſibi ſit. Cæſarem ſperare, ſociatis armis Briſacum & Alſatiam, vi extortum qvondam patrimonium, ſibi reſtitutum iri. Neminem non æqvum judicaturum, non eos tantum præda gaudere, qvi felici qvopiam eventu qvid adqviſierint, ſed & alios, qvi virtute armorum ſuorum aliqvid ad eum finem contulerint. Cæſari moleſtum eſſe, qvod cum rogatu Electoris, Præſulis, ac Ducum legatos huc miſerit partitioni promovendæ, jam via negotio expediundo haut adpareat; ac talia emergere videantur, qvæ vix à ſe probari qveant. Cæſarem qvoqve ideo nolle per otium tempus heic teri, qvod uni aut alteri haut cordi eſſe videatur rem ad liqvidum deduci; ſed non habito eorum reſpectu ſuper partitione ex æqvo tranſigendum. Sibi injunctum, qvamdiu pactum inter Præſules, ac Duces Hornburgi factum non communicetur, nullas conditiones proponere, ſed ab aliis propoſitas audire. Igitur junctim negotium expediendum, qvod peculiares tranſactiones non niſi confuſionem pariant. Haut ſufficere, inter ſingulos ſuper ferendo auxilio conveniri, ſed ſuper

1676. universorum conjunctione justo tractatu disponendum, qvi etiam non communicato pacto inter Præsulem & Ducem formari qveat. Ista omnia legati ad Principes suos referebant. Ac manifestum erat, jam ordiendis Neomagi tractatibus qvam maxime sociorum concordia opus esse. Porro Cæsarei disserebant, se non venisse tanqvam nudos seqvestres, & spectatores, qvomodo alii provincias inter se dividant, sed præter operam circa concordiam retinendam, de Cæsaris qvoqve emolumentis acturos. Nam iniqvum esse, paucos præda potiri, reliqvis inanibus, qvibus tamen commune onus ferendum sit. Sed Belga Amerongius censebat, longum heic fore negotium funditus componere, sed temporariam transactionem in præsens sufficere. 10. Dec. Cæsar qvoqve ad Electorem scribebat, ut is operam naret, qvo conventus Bremensis ad optatum finem perducatur. Cui ab Electore responsum: se pro virili connixum, ac deinceps qvoqve connixurum. Sed à qvibusdam videri studio fatalem, & exitiosam confusionem qværi, qvæ non nili consilio, & autoritate Cæsaris retundi qveat. Nec minus à Cæsare ad Cellensem, & Præsulem literæ dabantur, ne tractatus amplius extrahant, sed potius conclusionem eorum promoveant. Ac Windischgræcius istis denuntiare jubebatur, si moras nectere pergant Cæsarem aliis fœderatis junctum ipsis insuper habitis negotio colophonem impositurum. Sane multis Viennæ persvasum erat, Duces, ubi Stada potiti sint, Bremensem provinciam per pacta cum Gallo, & Sveco sibi stipulaturos ea conditione, ut Svecus reliqva retineat. Eorum qvippe acta non posse non fœderatis suspecta esse. Si serio rem agerent, Hanoverano utiqve alia consilia esse suscipienda. Sed postqvam fratribus clam inter se conveniat, eos nil præter privata Domus suæ emolumenta spectare. Unde expedire, ut recenti tractatu ad communem causam adstringatur. Ac suspicionem adversus eam Domum continua commercia inter Bavarum, Saxonem, & Hanoveranum augebant.

Cum Dania Rege acta.

§. 34. Ast inter Daniæ Regem, & Electorem majore fide, atqve candore agebatur, qvos & animorum conjunctio, & inseparabiles adversus Sveciam rationes arctius combinaverant, ut ex lege amicitiæ, qvalis qvidem inter summos Principes coli potest, invicem tractarent. Ad istum post expugnatam Wismariam Christophorus Brandius Hafniam iterum missus est, ut de *5. Jan.* arctiore fœdere inter Regem, Electorem, & Luneburgicos ageret, postqvam Anglus jactaverat; id modo agendum, ut inter primarios bellantes, Gallum, Hispanum, & Belgas conveniat; reliqvorum nullam rationem habendam. Nam si ipsi tres arcto, eoqve fido inter se vinculo nectantur, id sibi fore virium, ut haut facile contemni possint. Idem qvoqve jubebatur urgere, ut Gallicus, ac Svecicus legatus Hafnia dimoveatur, ac utriqve Regi bellum rite indicatur, qvod ambiguus iste status non solum Danum fœderatis suspectum reddat, sed & eandem ob causam is futuris tractatibus tantum ut auxiliaris consiederandus sit, super cujus satisfactione parum contendi qveat. Circa qvod cum absurdum videretur, bellum nunc demum indici, qvod per annum gestum jam gestum erat, Danus id temperamentum proponebat, ut bona Svecica in Dania deprehensa fisco addicerentur; qvo legatus Hispanicus adqviescebat. Ast qvo minus ea conjunctio succedere posset, Bremense negotium efficiebat, per qvod Rex, ac Cellensis in diversa trahebantur. Nam hic nondum declaraverat, num Regem in partem Bremæ admittere vellet, causatus, Regem nondum significasse, qvam partem cupiat. Igitur Rex ostendebat, si linea à Stada Ottersbergam ducatur, se id omne velle, qvod intra eam lineam versus mare jaceat, in medio relinqvens, ad qvem duo ista oppida spectare debeant. Tum qvicqvid munitorum locorum in ea provincia sit, munimentis exuendum. Qvæ Cellensis velut enormia *16. Febr.* non sine minis adspernabatur. Cæterum judicabat Rex, fœdus inter se, Electorem, Luneburgicos, & Monasterienſem utiqve necessarium esse tam adversus Sveciæ vires, & machinationes, qvam adversus eos fœderatos, qvi Svecis erepta cum damno ipsius, atqve Electoris restituere meditentur. Cui fœderi cum Bremense negotium obstet, ante omnia necessarium esse, ut super ea partitione prius transigatur, qvæ transactio post ad verbum fœderi inserenda sit. Ab ea Monasterienſem vix excludi posse, qvi non pecunia, sed terris sibi satisfieri velit, qveis adversus Svecos tuendis iste arctius deinceps fœderatis innectendus sit; & expedire ut partes qvantum possit firmentur. Ut partitio illa absqve interventu Cæsaris fiat, in eo qvidem Electori se adstipulari. Sed qvia Luneburgici, & Præsul favore Cæsaris se jactent, eum tanqvam caput Imperii, & præcipuum fœderatorum negligi haut posse; ac fœdere exprimendum, ut ejusdem adprobatio qværatur.

Porro

1676. Porro cum Elector Regem urgeret, ut in Cellenſis aſperitatem publico condonaret; idem teſtabatur, ſe ſvaſu Electoris, & qvia ita expediat, qvam humaniſſime cum Cellenſi acturum. Sed metuere, ut aliqvid proficiat, qvod Cellis ita altum crepent, ac ſe utiqve Brema excludere velint, prout & jam cum Præſule ad eam formam convenerint. Sed ſibi utiqve ſaltem communicationis lineam ibi habendam, deſtructo Carlsburgo; nec à ſe curari pactum inter Cellenſem, & Monaſterienſem, aut qvod Cellis magis viciniam ſuam formidare videantur, qvam enormes Galli progreſſus. Unde ſe cum tribus militum millibus, qvæ in Oldenburgica habeat, ad obſidium Stadæ acceſſurum, qvibus Elector copias ſuas è Weſtphalia jungere qveat, qvo utriqve tanto plus autoritatis ibi foret. Sed Brandii fratres judicabant, iſthæc blando modo obtineri poſſe, qvod Cellenſis tantum qværatur, à Rege, & Electore directionem belli Bremenſis ſibi ſolis vindicari, ipſo utut Circuli præfecto excluſo. Tum & Electorem copiis ſuis Weſtphalicis in Pomerania opus habere. Sed & partem, qvam Rex è Brema deſideret, fœderatis juſto ampliorem viſum iri. Unde Rex lineam à Friburgo trans Oſtam fluvium verſus Wordenam paulo ſupra Elsflietum ducebat. Eum diſtrictum modicum eſſe, cum in eo Hadela jaceat, Lauenburgica ditio, & Rutzebuttela Hamburgenſium præfectura. Nec Kœnigsmarckiis Neuhauſam, & Bergſtedam adimi poſſe, qvod parens eorum Conradus Chriſtophorus in fœderatorum militia ad Bonnam occubuerit. Vicitſim ſe laboraturum, ut & Electori idonea portio obveniat. Eam Regis declarationem Brandii Cellenſi miniſtro commendabant; etſi caute in eo negotio procedendum foret, ne Elector magis in Danum inclinare videretur, qvam Cellenſem, ſuſpicacem juxta atqve irritatu facilem. 7. Mart. Sed qvia Danus tunc omnes cogitationes in Scaniam defixerat, amplius declarabat; ſi & hoc poſtulatum Luneburgicis nimium videatur, & qvod ad oſtia fluminum Saxoniæ timendum ſe reddere velit, de diſtrictu inter Friburgum, Albim & Oſtam ſe remittere, contentum linea ab Oſtæ fluminis oſtio ad Elsflietam ducta. Carlsburgum deſtrui poſſe ſub finem belli, aut ſaltem qvando ſuper diviſione provinciæ tranſactum ſit: ſed ſimul & alias munitiones ſolo æqvandas. Nam ſibi æqve ſuſpicionem à Luneburgicis moveri, cum glorientur, ſibi jam XL M. bellatorum in promtu eſſe, qveis alendis ſibi facultas ſit. Sed & munitiones nulli uſui eſſe, ſi provincia in tot partes diſcerpenda ſit. Cæterum 1676. qvæ ipſe poſtulet vix ſextam partem provinciæ facere, cum à ſe ſextuplo plus virium, ſumtuum, & laboris contra Svecos terra mariqve impenſum ſit, qvam à Luneburgicis, clauſo etiam portu Gothoburgico, ne inde Bremæ ſubveniri poſſet. Abolendum qvoqve vectigal ante Svingam fluvium, qvod cum olim eis Albim exigeretur, poſt eo translatum ſit. Demum tamen & hac conditione deſiſtebat Rex, cum Brandii oſtenderent, Carlsburgum novum opus eſſe, adverſus qvod Cæſar, & omnes Viſurgim accolentes proteſtati ſint; reliqva autem munimenta jam Præſulum tempore extitiſſe. Qvin & ad extremum de oſtio Oſtæ fluminis remittebat Rex, cum noſtri demonſtrarent, Luneburgicos in id non conſenſuros, qvod ibi nules in terram exponi qveat, ac Hadela, & Rutzebuttela eo tractu includantur, qvam Rex poſt permutatione, aut emtione ſibi adqvirere poſſit. Nam Danus utcunqve id negotium ad liqvidum perduci ardebat, ut tota vi in Scania rem gerere poſſet, qvicqvid etiam offenſarum hactenus intervenerat, oblivioni daturus. Enimvero Cellis præfracte nec ſine minis jactabatur, Danum non oportere qvid inter Albim, & Viſurgim habere, qvod opportuno ipſi ſitu ſit, ne ejusdem potentia ibi gliſcat; qvi rigor à Cancellario Schutzio provenire credebatur.

§. 53. Inter hæc Petrus Grifenfeldius, penes qvem hactenus fere ſumma conſiliorum in Dania fuerat, repente gratia Regis, & invidendo fortunæ faſtigio deturbabatur. De qvo Joannes Adolfus Holſatiæ Dux dicebat; qvinqve palmariis cauſis Regem ad id permotum. E qvibus præcipuæ credebantur, peculatus, & commercia literarum cum hoſtibus, & qvod in cauſa fuerit, ut hactenus ita ſomnolenter adverſus Svecos res gereretur. Eqvidem is nunqvam auſus fuerat Regi ſvadere, ut cum Sveco tractatus ſuſciperet: videbatur tamen Gallo pollicitus, ut qvantum in ſe bellum langvide adminiſtraretur. Ejus caſu audito Guſtavus Lilliecrona ablegatus Svecicus, utut morbo debilis, Hafnia diſcedere cupiebat. Qvem Rex pauliſper commorari jubebat, qvod ſuſpicaretur, eum cum Griffenfeldio qvid miſcuiſſe. Contra Terlonus legatus Gallicus ſolito freqventius in aula adparebat diſſimulandæ conſcientiæ. 18. Mart. Sane conſtabat, Terlonum exacte ordinem adminiſtrandi belli ſciviſſe, qvem ab iſto communicatum fuiſſe Rex norat. Multa præterea Regem celaſſe, multa ſuo ex arbi-

Griffenfeldii caſus. 11. Mart.

1676. trio egisse. Ac dicebat Rex: se deinceps omnes legatos auditurum, ac primarii ministri partes impleturum, nec ut regimen penes alium sit toleraturum. Et qvia Griffenfeldius solus imperare voluerit, in ordinem fuisse redigendum. Restituebat qvoqve Rex Electori diploma, qvo hic Griffenfeldio Wollinum insulam feudi lege donaverat. Compertum itidem, plures Feuqvierii ad Terlonum literas sub Griffenfeldii operculo Hafniam allatas. Unde & omnes fasciculi, qvi ad Terlonum adferebantur, aut ab eo mittebantur, excutiebantur. Cui & Rex per modum consilii insinuaverat, ut Hafnia facesseret, utut is novas subinde manendi causas comminisceretur. Demum tamen abeundum erat, nullis donis acceptis, qvæ alias discedentibus legatis dari solent, fœderatis lætantibus, tanqvam malo genio ejecto. Nec Lilliecronæ morari amplius Hafniæ licebat. Gallus gloriatus fuerat, se ubiqve habere pensionibus innexos, qvi tamen grandium impensarum, qvæ in eos fiant, pretium facturi sperentur. Tum peculiariter jactarat; sua in manu esse ademtum Dano diadema Sveco imponere. Unde Elector Regem, ut sibi caveret, monebat, & ex hoc indolem blanditiarum Gallicarum interpretaretur. Sed Rex judicabat; si tale qvid agitatum foret, omnia cum Griffenfeldii captivitate, & Terloni discessu evanuisse. Demum compertum, præcipuum Griffenfeldii crimen fuisse, qvod bellum contra Svecos per artificia trahere, & cum id impedire non posset, efficere vellet, ut id ubiqve vado adhæreret; qvo vel Rex tædio ejus caperetur, vel saltem bellici duces, qvi viro infensissimi erant, ipsum gratia Regis dimovere non possent. Unde idem Gallico, ac Svecico legato confirmarat, bellum suo consilio ita temperatum iri, ut Sveco haut multum noxæ inde inferendum sit. Sed plura ob ipsius Regis respectum, & qvia Regina mater in qvibusdam rebus consilia cum eo contulerat, utpote qvæ bellum inter filium, & futurum generum declinari optabat, supprimebantur, qvæ neqve judicibus, neqve advocato fisci communicabantur. Scilicet qvia vix unqvam magnus minister subverti potest, qvin aliqva culpa in ipsum Principem redundet, qvod non maturo è judicio, sed enormi affectu nondum sat exploratæ fidei, aut capacitatis homini securius tantum potestatis contulerit, remissa cura, qvam Princeps nunqvam impune exuere potest, velut ad qvem demum redundat, qvicqvid à ministro secius fit. Inter alia iste epistolam ad Terlonum scripserat, in qva hæc verba extabant; *Secreta Galliæ, & Svecia in suis manibus probe custoditum iri.* Vulgus inter prospera parcum Dei cultorem arguebat, cujus per vindictam in eam calamitatem devolutus sit. Idem cum capite se truncandum crederet, his cum verbis vitam finire decreverat: fateor me mortem hanc meritum; sed Regem nunqvam cogitavi prodere. Abnui tamen non potest, qvin ad ejus viri ruinam plurimum contulerint invidorum artes, qvorum magnum numerum sibi attraxerat ejusdem insolentia, ac animus tam subita fortunæ incrementa parum reverenter habens; & qvod eousqve Regem solus possidere cuperet, ut alium qvemqvam cum eo familiarius colloqvi tolerare non posset. Unde Guldenlevvius, Fridericus Alefeldius, Biermannus, Chutius, coitione facta ad eundem statione dejiciendum comitebantur.

1676. *Que les secrets de la France, & de la Suede seront bien gardés entre ses mains.*

§. 36. Eodem tempore Daniæ Rex munitiones Tœningæ validissimo Gottorpiensis oppido detrahere instituerat; qvod factum, ut Elector alios apud Principes excusare vellet, rogabat. Ejus rationes esse, qvod id oppidum in territorio Danico situm sit, eoqve non esse, qvod de eo Cæsar, & Imperium qveri possit. Se qvoqve pacto Rendesburgensi non restitutionem munitionis, sed oppidi Tœningæ promisisse. Sibi qvoqve in campo opus esse prætidiario ibi milite: nec consultum in locum tam remotum tantos sumtus facere. Eum autem Duci hac rerum facie reddere haut tutum, cum Svecis adhuc clandestina consilia miscenti, & cui facultas non sit justo eundem prætidio tutandi. Deniqve se specimen editurum, se non ita avidum esse munitionum ad Albim adqvirendarum, qvibus Saxoniæ terrorem incutere possit, uti Cellis cavillentur. Cæterum Cellensi cum Duce Regi super Brementi negotio convenire non poterat, qvod is ad proposita ab hoc respondere nollet, ac idem post captam Stadam, aut ad pacem extractum iret, eo colore, qvod tunc ea provincia commodissime dividi posset juxta proportionem eorum, qvæ Elector in Pomerania, & Rex in Scania adqvisivisset; interim cum Monasterienſi in fraudem Regis, & Electoris conspiraret. Qvo fine & Cellensis ablegatus Wittorfius semper cum Cæsareo, Hispanico, ac Belgico ministro consilia conferebat; qvi uno ore ingerebant; in præsens ob eam partitionem armis remoram haut injiciendam, nec animos fœderatorum invicem exacerbandos. Ac Stadam primum expugnandam: inde rem fœde-

De munitionibus Tœningæ detrahendis.

Circa Brementem propositum apud Danum disceptata.

1676. 18. Mart. fœderatorum arbitrio committendam. Contra Regi haut placebat partitionem post captam Stadam differre. Nam plus æmulationis inter socios surrecturum, si res in suspenso maneat; eosqve plus copiarum in ea provincia habituros sulciendis suis prætensionibus, qvæ majore cum fructu alibi adhiberi qveant. Igitur si Cellensis rationem audire nolit, à Præsule propositam in qvinqve partes divisionem sese amplexurum, ut tamen Elector clam promittat, portionem suam ipsi relinqvere, si in Pomerania plane ei satisfactum sit. Eo fine Hanoveranum demulcendum, ac toto cum Præsulis exercitu, cui ipse, Elector, & Hanoveranus copias juncturus sit, Stadam obsidendam. Adversus hæc Brandii hosce scrupulos movebant. Fortasse Præsulem pro ingenio suo id negotium intricare, ac Regem cum Cellensi committere velle, ut sibi in turbido eo uberior piscatio sit. Hanoveranum ægre ad hoc adduci posse, cui & parum confidendum sit. Cellensem obfirmato animo cum Osnabrugensi, & Guelferbytano rem ad extrema deduci passurum, exitioso obstaculo rebus in Scania, Pomerania, & ad Mosellam gerendis. Ægre qvoqve Electorem qvintam suam Regi clam addicere posse, qvam & Præsul ambiat, qvi pro ea concepta Anclamum, & Demminum Electori se expugnaturum, & traditurum pollicitus sit. Sed Rex judicabat, Præsulem promittere, qvæ supra vires sint, nec candide agere, qvi & præter decretum Stadæ obsidium Cæsari decem millia ad Mosellam contra Gallos obtulerit. Sed eum nil aliud qværere, qvam ut Ducibus scrupulum injiciat, qvo ad ipsius libidinem super Brema transigant. Etsi is haut eo secius demulcendus sit, ut Cellensis ad æqva compellatur. Interim formula partitionis Hagæ concepta eam negotiationem turbabat, qva Rex valde indignabatur, sibi, & Electori nil assignatum, si vel tantillum in Scania, aut Pomerania accipiant. Et Cellensem jam antea satis difficilem per eam magis obfirmatum iri. Ac si ipse eandem rejecerit, Belgas cavillaturos, à se semper difficultates moveri. Qvam ob causam & legatum suum, qvod sub spe rati eam subscripserat, sat acriter reprehenderat. Demum declarabat Rex, Carlsburgum solo æqvandum, Stada, & Boxtehuda integra persistente; nec se unqvam ad Visurgim munitionem extructurum. Si & ista Cellensis respuat, non difficile fore ejus destinata conjectando assequi.

§. 37. Cum itaqve Rex perspiceret, qvanta cum anxietate reliqvi fœderati spem incrementorum ipsius trutinarent, eo magis necessarium judicabat saltem Electori arctius sese innectere. Eo fine missus ab eo Goschius Bucvvaldus Electori proponebat; qvia Gallici legati jam Neomagum accesserint, qvos Sveci mox secuturi sint, Belgæ autem in universum insignem pacis cupidinem apricentur, sibi eo magis hac expeditione extremis viribus incumbendum, ut qvovis modo hostem frangant, qvo interipsos conventa effectui dari qveant, ne utriusqve securitas ex aliorum fœderatorum placito dependeat. A qvibus non solum parum opis sit expectandum, ubi ipsi propriis armis operæ pretium non fecerint; sed & haut immerito metuendum, ne Austriacorum consilia eo tendant, ut cum ipsi tam parum contra Gallos profecerint, aliorum successibus jam partis, aut speratis uti velint ad recuperanda per hostes sibi erepta, proposita permutatione, qvæ omni rationi, & æqvitati repugnet. Unde legatis a se Neomagum mittendis injungendum, ut ejusmodi proposita plane relpuant, Luneburgicis in eandem sententiam pertractis. Qvo fine expedire peculiare inter ipsos fœdus qvamprimum absolvi, ut cum iltis aliqvando super Brema dividenda conveniri qveat. Qvo fine Rex nosse cupiat, si ab Electore tota Pomerania subigi neqveat, qvænam ejus pars ipsi satisfacere qveat, ut prætensione in Bremensem portionem plane desistat? Qvam Elector pro sua magnanimitate ita moderaretur, ut Duces, & Præsul ne protelentur, & negotium id ad finem perduci qveat. Ad extremum addebatur de Bremensi Electoris portione Regi cedenda, ubi in Pomerania ei satisfactum fuerit; cui Rex vicitlim & in tractatibus pacis, & persequendo bello fidelem operam sociaturus sit. Ad qvæ Elector; primo loco proposita à se plane probari. Circa attrahendum Cellensem nulli se operæ parcere, nec omnem spem deposuisse. Sed de Hanoverano associando exiguam spem superesse, ni Rex eum permoveat, in qvo iste sibi non parum fiduciæ esse testetur. Fœderi absolvendo se paratum, ac partitionem Bremæ libenter promoturum, adjungendis Ducibus, & ne inter hos, & Præsulem collisio emergat. Cæterum actionis suæ in Bremam aliam indolem, qvam fœderatorum esse. Nam sibi de damno reparando, his de lucro captando agi; unde ante omnes sibi satisfaciendum. Sed qvousqve prætensio sua extendenda, aut remittenda sit, in præsens nondum adparere, qvod Sve-

1676. *Dania Regis ad Electorem legatio.* 18. Jul.

1676. Sveco munitissima adhuc in Pomerania loca restent. Nec constare, an, à qvo,& qvid supperiarum ad ea expugnanda sibi ferendum sit; etsi de Regis auxilio non dubitet. Sibi autem in hac partitione ad omnes fœderatos respiciendum, nec in præsens ad certi qvid se obstringere posse; sed æqvum judicare, ut insignis portio Bremensis provinciæ sibi possidenda tradatur, qvoad Pomeranica expeditio felicem exitum sortita fuerit, ac fœderati tunc liqvido judicare qveant, an, & qvid satisfactionis sibi ulterius debeatur. Sane fœderatos censere, ubi in Pomerania plene sibi satisfactum sit, de Brema nihil sibi retinendum; eo casu nil fore, qvod Regi cedi possit. Ast ni in Pomerania sibi satisfiat, suam ibi portionem alteri se vix relinqvere posse. Si tamen Regis opera effici qveat, ut præter plenam in Pomerania satisfactionem etiam partem Bremæ retinere liceat, se libenter super hac cedenda cum Rege acturum. Alias tunc æmulationi Regem inter, & Electorem ferendæ Stralsundenses istius protectionem qvæsierant; sed qvi eam declinandæ hujus suspicioni repudiaverat. Vicissim & Elector Regi qvantum in se circa vectigal ad Gluckstadium, ad summam DC M uncialium favebat. Etsi cum Rex peteret, ut Cæsar id sibi conferret, haut reqvisito Electorum consensu, Elector adprobare se Collegio negabat posse, suo consensu tanti momenti jus imminui. Nec svadere se, ut Rex proprio ausu qvid tentet; de qvo hic ipsum consuluerat. Qvanqvam frustra circa id vectigal satagebatur, qvod Cellensis, ac Belgæ, & horum instinctu Anglus acriter eidem reluctareutur. Qvibus & non parum æmulationis excitabat, qvod Rex jam Wismariensi portu potitus esset. Qvem & Cæsar malebat ad Meclenburgicos Duces redire, utut alias facile pati posset eum qvantiscunqve accessionibus extra Germaniam à Svecis, ac parte Bremæ, & Rugia insula potiri. Ac idem declinandæ Dani offensæ Meclenburgicis Wismariam ambientibus qvidqvam polliceri nollet, sed eam rem Neomagum rejiceret.

Circa fœdus cum Rege Daniæ actu. 20. Sept

§. 58. Circa fœdus cum Daniæ Rege concipiendum præcipua difficultas circa ea verba movebatur, *contra Svecos, eorum adhærentes, & auxiliarios.* Nam Rex excusabat in præsens plus qvam antea sibi dubitandum Gallo publice bellum indicere, qvod Cæsar, Hispanus, & Belgæ sibi tunc persvasuri sint, ipsos secum pro libidine agere posse. Itaqve ostentata Galli amicitia Cæsari, Hispano, ac Belgis scrupulum injiciendum; aut si utiqve Gallo bellum indicendum sit, vicissim se bonas conditiones stipulari velle. Nam à reliqvis fœderatis admodum sinistre, ac contemtim secum agi, ac ni talia emendentur, sibi cum Electore consultandum, qvomodo uterqve huic se negotio subtrahere qveat. Sane præmaturum esse, qvod socii jam in nimia Daniæ incrementa invidiam concipiant, cum in Svecia decretum sit, Teutonicas provincias pro derelictis habere, ac corpus Sveciæ defendere, totis viribus in Danum versis. Ast id merito sibi dolori esse, qvod circa Bremam nil sibi gratificari velint; super vectigali ad Gluckstadium tantas difficultates moveant; qvod Belgæ classem domum revocent, ac subsidia amplius solvere abnuant: Cæsar qvoqve super hospitiis plane recusset, & Anglus minetur; deniqve suspicio sit, ne Elector qvoqve ipsum destituat, conventione super auxiliis cum Luneburgicis, & Præsule inita. Sed Brandii demum mulus rationibus pervincebant, ut Dani agnoscerent, ad eam conventionem ineundam Electori descendendum fuisse ob Demminum expugnandum, qvod alias qvietem Meclenburgicæ turbaturum fuerat. Sed & scribebat Elector Regi: se sperare Hispanos circa subsidia debitum expleturos, qvorum res qvam maxime agatur. Belgarum conditionem notam, qvorum commercia plane jaceant, ut solutionum dies observare neqveant. Se qvidem multum iis remisisse plebi deliniendæ, ne ob magnitudinem onerum mota seditione rectores Reip. ad noxiam pacem compellat. Igitur par esse, à Rege qvoqve aliqvid de subsidiis remitti. Ut Cellensis ad æqva permoveatur omni se ope connixum. De vectigali nondum spem plane defecisse. Ab Anglo nil metuendum. Ita demum nostri obtinuere, ut ista vocabula fœderi inserentur, cum a Gallo jam ultro bellum indictum esset. Monuerat tamen Tochtius *30. Oct.* legatus Belgicus, ne Elector fœdus id festinaret, qvod apud Belgas plurimum interesit, cum Electore, an cum Dano contrahant; cum Electoris rationes, & adqvisitiones a Belgis longe facilius præstari qveant, qvam Danicæ. Ad qvæ Elector reposuit: sibi qvidem circa fœdus Danicum omnia adhuc integra esse. Magnopere tamen tum sua privatim, tum communis causæ interesse, ut illi, qvos & ditionum situs, & mutua securitas tam arcte conjungat, probe inter se nectantur, & communi consilio rem agant. Ita demum fœdus per delegatos a Rege Fridericum Alefeldium Comitem, Joannem Christophorum Kœrbicium, *23. Dec. Kœrbitz.*

1676. cium, & Conradum Biermannum, ac Electoris ablegatos Christophorum, & Fridericum Brandios perfectum fuit.

§. 39. Ejus fœderis hæc capita erant. *Pœdus inter Regem Sveciæ & Electorem* *I. Sit fœdus hoc inter Regem, & Electorem, eorumque utriusque successores contra Svecos, eorumque adhærentes, & auxiliarios in hoc bello, quoad honesta & tuta pax obtenta, & uterque debita satisfactione potitus sit. II. Quandam Regis, & Electoris amicitia per communem, eamque perpetuam utilitatem, consanguinitatem, & vicinitatem ita solide connexa sit, ut non metuendum sit, aliquid suspicionis hac tempestate inter ipsos oriturum: tamen invicem fidem dederunt, se non solum omnia, è quibus improvisa diffidentia, & suspicio oriri queat, solicite declinaturos, sed & ubique invicem ita acturos, ut clare adpareat, quam sincera fide se mutuo amplectantur, & quam enixo studio unus alterius commoda promovere, damna avertere laboret. Quo fine quicquid alterutrum spectet, bona fide citra dissimulationem communicandum. III. Inprimis quandiu bellum durat communem hostem pari vigore, & convento tempore aggredientur, nec ei facultatem indulgebunt, ut alterutrum tota vi obrutum opprimere queant: quod non solum ei, qui segnius moveat, privatum commodum communibus rationibus præferre, ac hostilem impetum lentis actionibus à se amovere velle videatur, sed & quod facile universi vinci queant, dum singuli pugnant. IV. Uterque, quo loco ipsi commodissimum fuerit, bellum terra marique contra Svecos, eorumque provincias omnibus viribus continuabunt: V. Simul mutua auxilia ferent juxta conventionem inter ipsos eo nomine ineundam. VI. Uni alterius necessitas non minus quam propria cordi erit, nisi is, cujus auxilium requiritur, ipse in periculo versetur, aut adversus hostem ita implicitus sit, ut evidens sit, ab eo petitum auxilium nullo modo præstari posse. VII. Si alteruter hostem in vicinia sua eumque vicerit, ut ibi exercitu, aut classe opus non sit, is alteri, cui adhuc acriter resistitur, totis viribus auxilio ibit. Reservat tamen sibi Elector velut Status Imperii, & Cæsaris, Hispani, ac Belgarum fœderatus, eo casu sibi integrum fore in horum usus partem copiarum contra Gallos adhibere. VIII. Rex, à quo bellum maritimum dependet, curabit, ne Svecica classis mari prævaleat, trajectum militum è Svecia in Germaniam, & viceversa prohibebit, simul commercia cum restantibus adhuc in Pomerania Svecicis oppidis inhibebit, ac ne quid annonæ iis inferatur: quo fine aliquot naves oram Pomeraniæ observabunt, & si Elector oppidum aliquod terra obsideat, ad idem quoque Rex mari accessum intercludet. IX. Nomine auxilii præstiti neuter in alterum pensationis quid exiget. Sed si quæ prædæ in hostili terra adquirantur, uterque partem sortietur pro ratione copiarum, quæ ibi rem gesserunt; ad quam proportionem etiam hospitia dividenda. X. Si unius fœderati copiæ in alterius ditione rem gerere debeant, quas hic vel possidet, vel ex conventione inter ipsos inita occupare instituit, dominus territorii, in quo bellum geritur, annonam suppeditabit, quam is qui auxilia mittit, aquo pretio emet, gratis tamen præbito jumentorum pabulo, & diversorio. XI. Imperium militare eo casu erit apud eum, in cujus ditione jam possessa, aut ex hoc fœdere adquirenda res geritur, salva utriusque in subjectum sibi militem jurisdictione. XII. Ut huic fœderi solidum fundamentum substernatur, & ne alteruter fœderatorum præsumat, sibi integrum esse peculiarem pacem, aut inducias cum communi hoste inire, Regi, & Electori sixum erit, fœderibus cum Cæsare, Hispano, ac Belgis hoc tempore, & ex quo Gallus Belgis bellum intulit, firmiter inhærere, eisque plene satisfacere, quoad communis, honesta, & tuta pax inter omnes bellantes ineatur; scilicet quandiu & isti fœderati conventis stent, ac utrique contrahentium fideliter adsistant, eorumque commoda uti par erit observent. XIII. Uterque consilia sua eo diriget, ut Cæsaris auctoritas, Ordinum Imperii libertas, eminentia, & securitas contra exteros turbatores defendatur, ac leges Imperii sartæ tectæ perstent. Et quia pax Westphalica per eos violata, ac tantum non subversa fuit, qui gloriantur penes se esse eam pro lubitu interpretari, uterque omni ope connitetur, ut ea pax in Imperio ita firmiter stabiliatur, quo deinceps nulli extero turbatori quietis publicæ ita pronum sit eam temerare; & ut Imperium, & vicini, ac fœderati in quietum statum reponantur. XIV. Cum itaque tam ex hoc fœdere, quam ipsis rebus gestis utriusque studium in bonum publicum adpareat, simul constet, quanto sumtibus, periculis, ac molestiis se, suasque ditiones hoc bello subjecerint; non dubitant, quin Cæsar cum Imperii Ordinibus, Hispani, ac Belgæ inter tractatus pacis ipsis deliciaturi sint, quo idonea satisfactione, cessis ab hoste ditionibus supra designatis, potiantur, nec alia lege pacem ineant: id quod ipsa æquitas, & communis securitas requirat. Quo fine futuris de pace tractatibus in commune nitentur, ac ut antecessum, & alias quavis occasione, ac omni ratione eo incumbent, ut uterque justa, sufficiente, & ad duraturam sui status securitatem faciente satisfactione, commodis ditionibus constante, potiatur. XV. Post obtentam pacem uterque alteri de iis, quæ jam possidet,

1676. *aut hoc bello adqviret, perpetuam evictionem contra Svecos, & qvoscunqve alios præstabit; de qvo post pacem solenni instrumento cavebitur. Tum & à Cæsare, Hispano, & Belgis inter tractatus pacis parem cautionem procurabunt, eamqve instrumento communis pacis inserent. XVI. Uterqve etiam alios Principes Christianos ad hanc sponsionem invitabit; qvibus & integrum erit huic fœderi accedere, prævia tamen tractatione à paciscentibus instituenda. Atqve id fœdus debitis locis, & ubi opus fuerit, sed non nisi communi consensu, communicabitur. XVII. Ratihabitio intra qvinqve septimanas fiet.*

Articuli secreti. §. 40. His accedebant secreti articuli *I. Fœdus Dobrani superiore anno conclusum huic fundamenti loco erit, ac per omnia firmabitur, & ad scopum ibi præfixum tendetur. II. Circa guarantiam id peculiariter placuit. Postqvam inter Regem, & Ducem Gottorpiensem Christianum Albertum ante annum conventio circa supremum Slesvicensis Ducatus imperium initum fuit, per qvam omnia in statum, qvi ante pacem Roschildensem, & tractatum Hafniensem fuit, reposita sunt; ac Rex declaravit, sese Ducem circa jura, qvæ majores ipsius ante id tempus obtinuerant, turbare haut decrevisse: Elector consensit, ut ea conventio hac guarantia comprehendatur, ita ut si Dux ipse, aut Sveci, aut alius qvispiam contra eam qvid suscipere, placitas ibi conditiones in dubium revocare, aut rem ad novos tractatus deducere audeat, Elector nequaqvam in id consentiat, sed ei conatui serio se opponat; ac omnibus viribus connitatur, ut ea conventione utrinqve stetur, & qvæ adversus eam moveantur, ad ipsum Regem remittantur. III. Qvia etiam divisio Ducatus Bremensis, & Ferdensis conventu Bremæ instituto absolvi non potuit, incerto adhuc exitu; interea autem Monasteriensis Præsul cum Cellensi, & Guelferbytano Duce circa præsidium Stadæ, ac partitionem ejus ditionis inconsulto Rege, & Electore peculiari pacto disposuerunt: Rex, & Elector eam causam velut communem agent, ac si Duces, & Præsul Regi idoneam portionem ejus provinciæ in æqvæ satisfactionis locum negare persistant, Elector, (qvi per pactum cum Præsule, & Ducibus non ita pridem initum Regi nil detraxit,) sive ipse plenam in Pomerania satisfactionem obtineat, seu minus, omnem operam impendet, & ubi hac nihil proficiatur, omnibus viribus connitetur, ut Rex saltem qvintam ejus provinciæ partem accipiat. Vicissim & Rex operam navare tenebitur, ac si hacce nil proficiatur, omnibus suis viribus opem feret, ut qva ipse plenam è Pomerania satisfactionem non accipiat, eadem è Brema, & Ferda ex æqvo suppleatur, idonea portione ibidem ei assignata. Neqve adversus hanc conventionem Rex, & Elector cum Præsule, ac Ducibus conjunctim aut separatim qvid paciscentur. Elector qvoqve Regi ob præstitum Imperio auxilium operam dabit, ut circa vectigal ad Gluestadium, & alia desideria ipsi satisfiat. IV. Qvanqvam Elector confidit, Regem & Remp. Poloniæ æternum fœdus à se exacte semper servatum nunqvam abrupturos; qvia tamen Gallorum, & Svecorum emissarii in ea aula nunqvam cessabunt in fraudem fœderatorum omnia tentare, Rex ubi durante hoc bello à Polonis in Electorem hostile qvid suscipiendum sit, terra mariqve opem eidem feret; nisi tamen ipse contra hostem ita implicitus sit, ut id præstari ab ipso non posse adpareat. Qvæ exceptio & locum habebit, si Regi, & Electori adversus alios Svecorum auxiliarios, à se invicem suppetiæ ferendæ sint. V. Si futuris de pace tractatibus Cæsar, Hispanus, & Belgæ id agant, ut Rex, & Elector redimendis iis, qvæ Hispanus hoc bello amisit, à se Svecis erepta, aut eorum partem restituant: uterqve in hanc compensationem non consentient, sed eidem uno ore contradicent. Qvo fine & apud Anglum instabunt, ut is inter tractatus utriusqve emolumenta observet, nec permittat, ut ipsorum minor qvam reliqvorum ratio habeatur, aut ipsi debita satisfactione defraudentur. VI. Qvod si Belgæ in immaturam pacem, & qvæ fœderatos satisfactione privatura sit, ruant, ac bello se subducant, separata pace cum hoste inita, Rex, & Elector tunc cum Cæsare, Hispano, & Ordinibus Imperii, qveis in bonis partibus constantia, & cum aliis qvi huc pertrahi qveant, consultabunt, qvid consilii capessendum, & qva ratione absqve Belgis bellum sustineri possit, qvoad honesta pax obtenta sit. VII. Qvod si præter spem Rex, & Elector à fœderatis ad persequendum contra Svecos bellum promissis pecuniis, navibus, ac militibus haut fulciantur; ipsi inter se expendent, qvid eo casu suscipiendum, & qvid super communi, ac peculiari ipsorum securitate statuendum sit. Interea ipsi à se invicem non disjungentur, qvoad conventus invicem scopus obtentus sit.* Id fœdus cum post aulæ Cæsareæ communicaretur, frigide admodum acceptabatur, velut cui ejusmodi peculiares conventiones inter fœderatos haut arridebant.

Cum Belgis acta. §. 41. Ast circa Belgas, in qvorum gratiam Elector bello implicitus fuerat, & à qvibus rerum gerendarum nervus proficisci debebat, magna huncce cura exercebat, ne isti pacis cupidine bellum præmature desererent, anteqvam sibi destinata obtinere,

1676. tinere, ac firmare licuisset; & qvia superfunctorie facta pax non nisi exiguum malis intervallum datura erat, mox acrius incubituris. Sane sumtuum magnitudine jam ea Resp. fatiscebat, cum hoc anno rata pars expensarum bellicarum soli Hollandiæ provinciæ ad viginti duos florenorum milliones surgeret. Accesserat superiore anno terribilis inundatio, qvalem integro seculo eæ provinciæ non toleraverant. Unde Fagelius nostros monebat, ne acriter nimis subsidia exigerent, anteqvam super bello continuando ab Ordinibus Generalibus decretum sit, ne per talia jam antea sat fervida pacis cupido magis accendatur. Præsertim cum non modica simultas inter hos, atqve Hispanos gliscceret, mutuo se super legibus fœderis haut impletis arguentes. Nec absurde Belgæ augurabantur, ni Hispani majore studio rem gererent, jejunam valde pacem iis expectandam. Utriqve autem Electori objiciebant, qvod nil copiarum contra Gallum mittat, sed unice ad expugnandam Pomeraniam incumbat; qvasi is ad rem nihil conferat, qvi hostis socium frangit. Augebatur post apud Belgas ægritudo animi, qvod ipsorum classis in portu Panormitano non leve damnum accepisset, pluribus navibus per Gallos igne consumtis, & qvod Arausionensi obsidium Trajecti ad Mosam solvendum fuisset, qvia plerique duces refragabantur, qvo minus is cum Gallis adventantibus prælium committeret. Etsi ea damna expugnatum eo anno Philipsburgum, & qvos Elector contra Svecos fecerat progressus solabantur. Porro Belgæ Jacobum Tochtium ad Electorem miserant, ut omnia, qvæ amicitiam Electori, & Reipublicæ tam necessariam turbare possent, aboleret. Qvo fine is excusabat tractatum super Bremæ partitione Hagæ factum, qvem Elector sibi valde displicere ostenderat. Enimvero circa eum Belgas nil aliud spectasse, qvem ut amicitia inter fœderatos servaretur, obsidium Stadæ promoveretur, ac inde istorum arma in usum Electoris, & aliorum adhiberi possent. Addebatur, ne Elector ægre ferret, à suis mistris eum tractatum sub spe rati subscriptum, qvi ad hoc à Rep. & Principe inducti sint. Ad qvæ Elector; se qvoqve, ac socios id spectasse, ut temporaria Bremæ divisio fieret, ac interim Stadæ obsidium urgeretur. Cæterum confidere, Reip. haut animum fuisse suæ causæ qvid præjudicii adferre; & qvod eadem haut omissura sit concordiam inter fœderatos servare, & pactum, qvod omnium consensu deinceps formandum sit, interposita sua sponsione firmare. Inde Tochtius fœdus commerciorum cum Svecis initum Electori adprobare studebat. Nam Belgas, anteqvam reliqvi fœderati Svecis bellum indicerent, libertatem commerciorum sibi excepisse. Cui cum Danus contradixisset, Electorem demonstrasse, Regis sententiam sibi haut probari. Sed nec Remp. Electori, & aliis fœderatis pecuniam expedire posse, ni cives sui, qveis sumtus belli tolerandi sint, libertate commerciorum fruantur; qveis & vetitis non Sveciæ, sed Belgio damnum inferatur. Nam Svecis ea, qvibus indigent, per Anglos advehi, qvi antehac nunqvam tanto navium numero in ea loca navigarint. Commercium autem, ubi semel mutationem subierit, demum plane intercidere, ac Belgas demum omni navigatione in Sveciam excludendos. Merces bello destinatæ uti ab initio exceptæ sint, ita qvoqve deinceps nemini concessum iri istas ad Svecos pervehere. Ac integrum esse Electori talia tentantes intercipere. Ad ista Elector: se isti commerciorū libertati semper contradixisse; nec meminisse Dano aliud à se significatum. Haut tamen cupere Belgarum commercium imminui, aut iis non permitti, qvo alii fruantur. Unde ferendum esse, qvod Resp. ex usu suo judicaverit. Confidere tamen à Belgis haut qvidqvam acceptatum iri secretos articulos, qvos Sveci fœderi isti commerciorum adsuere cupierant; puta, ut Belgæ Svecicas naves suo præsidio deducant, ac classem in Mare Balticum ne mittant. Tum ut mercibus vetitis adnumerentur frumentum, pecunia, nitrum, sal, & omnia, qvæ bello aptari qveant; ac ut omnes fraudes coerceantur, nec in præsens navigatio ad portus Citerioris Pomeraniæ permittatur. Ad qvæ Belgæ: Articulos secretos à Svecis propositos haut admissum iri. Inter merces vetitas nullo pacto cum Svecis aut aliis inito à Belgis unqvam pecuniam, frumentum, sal, & qvamlibet annonam, tum qvæ bellico usui aptari qveant relata. Tantum arma jam fabricata, & perfecta inter istas censeri; præsertim cum ipsi Belgæ qvibusdam id genus mercibus, pice, malis, cannabi, aliis ad naves instruendas opus habeant. Ad loca eminus obsessa navigationem non permitti, ac integrum esse Electori eam impedire. Qvæ declaratio uti Electori probabatur: ita de eo non parum qverebatur, isto fœdere Belgas Svecis promisisse, non solum suis se navibus Svecorum commerciis damni nil illaturos; sed & civibus sub pœna capitis, & bonorum interdicturos, ne sub alterius Principis militia contra Svecos rem

2. Nov. 1675.

Belgici legati apud Electorem propositio 30. Maji.

1676. gerant, ac ut qvi ejusmodi militiæ jam nomina dederint, ea abdicata domum se conferant. Unde eos qvi apud se stipendia faciant, jam super missione movere. Ast id fœderi haut qvadrare, citra communicationem cum communi hoste pactum inire, huic proficuum, sociis noxium; præsertim cum ipse solus ob auxilium Belgis latum Svecorum arma in se pertraxerit. Nec vero loca Pomeraniæ sine paratu navali à se subigi posse. Qvæ solida ratione niti Tochtius agnoscebat, ac ad Remp. se relaturum pollicebatur. Addebat idem; falso Belgas argüi, qvasi Electori invideant, qvod & ipse partem dominii in Mari Baltico vindicatum cat. Qvin gratum iisdem esse, ab eo naves armari, ac eum in finem ipsi fauturos, & qvicqvid cupiat per collegia sua nautica confici curaturos; ac validiores, & tertia parte minore pretio, qvam alias emi possint, naves ipsi exhibituros. Nam eos homines, qvibuscum Elector contraxerit, apud se exigua fide esse. Qvæ hic grata sibi testabatur. Deniqve & idem excusabat, subsidia à Belgis justo tempore non soluta. Ei moræ causam dedisse grandes expensas extra ordinem faciendas, arma terra marique paranda, & classes sumtuosas in usum Dani, & Hispani instructas. Aliqvid tamen subinde se suppeditasse, ac ulterius bona fide soluturos. Elector pro æqvanimitate sua statum Reip. consideraret, qvæ omnia factura sit, qvousqve vires pertingunt. Nec Electoris conditionem sibi incognitam, cui ut subveniatur boni publici qvam maxime interesse. Ad qvæ Elector: se, qvod fidum socium deceat, tempora Reip. consideraturum, & ex æqvo cum ea acturum. Sed ad futuram expeditionem C M uncialium opus sibi è residuis esse, qvibus ab Hispanis CL M. addi par sit: tum ut Belgæ hac expeditione XX M menstrua solvant, reliqva in diem dispungi posse, nulla opposita compensatione. Qvæ postulata Tochtius suis se commendaturum promittebat; testatus qvoqve, Belgis negotium Polónicum valde cordi esse, ac certo Electori auxilia laturos, si Poloni hostile qvid tentent.

Super fœdere per pecus cum Belgis agitur.

§. 42. Idem qvoqve Tochtius proponebat; Arausionensem, & alios proceres consultum ducere, perpetuum fœdus inter Electorem, & Belgas iniri; ac ut idem inconcussum perstet, omnes lites, qvæ hactenus inter ipsos agitatæ sint, è medio removendas. Ac si idem Electori placeat, in conspectu Ordinum de eo agi posse. Qva super re Electoris mentem nosse cupiebat. Ei promum se Elector ostendebat, ac fœderis formulam offerebat; qvæ Belgæ haut displicebat; nec Remp. difficilem fore circa abolendum debitũ Hufiserianum, utut Mechlinensis Senatus, in qvem compromissum fuerat, pro Belgis pronuntiasset; modo Elector vicissim circa castellum Schenckianum ipsis gratificetur, qvod ante biennium à Gallis eo duntaxat fine in Electoris manus consignatum fuerat, ut istud inter hunc, & Belgas pomum Eridis foret. Cæterum demonstrabatur Tochtio: *utriusqve partis maxime interesse, arcto ipsos fœdere invicem nectere; ac Belgas documentum cepisse, fidum se magis amicum qvam Electorem haut inventuros, cui voluntatis non minus, qvam facultatis sit ad suppetias ipsis ferendas. Sed ut ea amicitia illibata consistat, omnes pariter controversias abolendas, qvod etiam exigui momenti litigia vel conjunctissimas necessitudines inter se committere qveant.* Ac offerebat Elector; se Belgis pleno dominii jure cessurum castellum Schenckianum inæstimabilis pro Hollandia pretii; tum omnes actiones in Geldriam, & ex debito Hufiseriano, condonatis qvoqve reliqvis subsidiorum ex fœdere anno 1672 inito, tum si qvid prætensionis ex fœdere anni 1666 sit, qvod oppida Clivica tam futili modo hosti dedita fuerint, immenso suæ provinciæ damno. Vicissim Belgæ prætensionem ex debito Hufiseriano, ac Geldricum compromissum, omnesqve eo nemine actiones abolerent. Qvæ Tochtius in patriam discedens Ordinibus se commendaturum recipiebat. Qvi & de Electoris constantia, cura, diligentia circa bonum publicum, ac fortitudine amplissima apud suos exposuit.

1676. 29. Nov.

Missio in Hispaniam.

§. 43. Ast longe molestissima erat Hispanorum societas; de qvorum provinciis cum præcipue ageretur, ii tamen & per se bellum segniter administrabant, nec promissa subsidia exsolvebant, inanibus semper pollicitis Electorem lactantes. Ut igitur ludificationes illas amputaret Elector, Melchiorem Ruckium in Hispaniam mittere decrevit; qvi initio Regi Carolo II. de suscepto regimine gratularetur, tum solutionem subsidiorum exposceret, qvæ accurate repræsentari, eoqve Electoris exercitum firmari ipsius Hispaniæ qvam maxime interesse. Tum ut non solum reliqva numerentur, sed & certi reditus in futurum designentur, qvo ista inter liqvidas rationes referri qveant; qvas pecunias Elector bello strenue urgendo impensurus sit. Tum ut Rex Electoris emolumentis apud tractatus Neomagenses velificetur, nec prius ibi concludat, qvam ipsi satisfactum sit: nec pari officio Electorem Regi defore. Ac ipsius

1676. pſius Hiſpaniæ qvam maxime intereſſe, Electorem per Svecorum vicinam non amplius diſtrahi, qvo Hiſpanis ſubvenire tota vi poſſit, ubi à Gallis invadantur. Monere qvoqve jubebatur de antehac promiſſa annua penſione C M uncialium. Adhæc tentaret, num commercium in Americam inſtitui poſſit; ſaltem ut Electori integrum foret ſingulis annis unam, & alteram navem eo mittere parata pecunia coëmendis, qvæ viderentur, mercibus, nullo commercii, qvod inter Hiſpaniam, & Americam alias exercetur, detrimento. Deniqve ut circa titulos aliqvid novaretur poſtularet, ac ut ſibi *Sereniſſimi* vocabulum, ac loco *Dilectionis Veſtræ Serenitas* tribueretur, ac in fine literarum vocabula affectionis, Conſanguinei & Fratris: pro qvo Elector in vicem veteris formulæ *Dignitatis Regiæ Majeſtatem* ſit repoſiturus. Iſte cum ex Anglia in Luſitaniam trajeciſſet, inde Madritum delatus primam difficultatem experiebatur, qvod nulla legati dignatione ſolo Nobilis cubicularii vocabulo in literis fiduciariis inſignitus eſſet. Nam dubitabant Hiſpani, an, & qvousqve ſuper negotiis publicis cum eo tractari poſſet, cum apud ipſos haut moris ſit cum eo de talibus agere, qvi nullo legati charactere inſtructus veniat; ac ne in receptione nimium, aut parum honoris eidem exhiberetur. Nec enim ut privatum haberi poſſe cum fiduciariis literis venientem, nec à ſe conferri miniſtro honorem poſſe, qvem ipſi Princeps ſuus haut dederit. Aliqvi eousqve abſurditatis procedebant, ut cenſerent, iſtum, uti qvemvis privatum, qvi libellum ſupplicem porrigit, in aliorum turba Regem adire debere, uti Italorum Principum Agentes faciebant. Id qvod iſte plane adſpernabatur, præſertim cum nuper Nobilis à Sabaudo itidem nullo charactere miſſus curru regio in aulam adductus eſſet. Ac de titulis acturum haut decebat primo acceſſu ſeſe abjicere. Et qvia Hiſpani ſemper circa cerimonias difficiles fuerant, ni in præſens emendatio obtineretur, ea vix deinceps ſperari poterat. Suſpicio qvoqve erat, miniſtros Hiſpanicos ſtudio ejusmodi ſcrupulos movere, qvo is per impatientiam inde ſe proripiens prætextum ipſis ſuppeditaret eludendæ ſolutioni, cui præſtandæ argentum in promtu non erat. Sed & tunc confuſa valde Hiſpanicæ aulæ facies erat, prudentiſſimo qvoqve negotiis publicis ſe ſubtrahente ob invidiam, qvod alii ipſis prælati forent, qveis volupe habebatur vel cum exitio Reip. inſcitiam illorum innoteſcere, qvos magis muliebris favor, qvam ſua merita negotiis publicis admoverant. Aliqvi, qvando cum ipſis de præſentibus in Belgio, & Pomerania rebus diſſerebatur, tanto cum ſtupore audiebant, ac ſi de bellis in China, & Japonia ſermo eſſet. Pleriqve judicabant, Germaniæ Principum magis intereſſe Belgium ſervari, qvam ipſius Hiſpaniæ. Unde iſtis proprias rationes neceſſitatem allaturas ad ejus defenſionem ſuſcipiendam. Cæterum de ſubſidiis modica ſpes erat, conſumta fide: ac nil niſi metus, & indeclinabilis neceſſitas æqvi aliqvid ab hac aula extorqvere poterat. Et qvia Elector tantopere bello Pomeranico immerſus erat, intra annum a peculiari pace nil ſibi metuendum ducebant; qvæ ſi maxime ſeqvatur, partes tamen ita fatigatas eſſe, ut nil periculi brevi tempore metuendum ſit. Sed & Electorem ſperatam ſibi prædam perſeqvi haut omiſſurum, unde rebus Hiſpanicis parum levamenti accedat. Sed patrato bello Pomeranico aliqvid forte dandum, ut ejus auxilio contra Gallos uti poſſint. Turbæ qvoqve per Siciliam pleraqve abſumebant, qvæ alias fœderatis deſtinata erant. Demum tamen obtentum fuit, ut Ruckius per magiſtrum officiorum regio curru in aulam adduceretur; & qvanqvam pompa admodum tenuis erat; magnum tamen vulgo habebatur, idem iſti honoris, qvod ablegatis, exhiberi. Etſi mox ab Electore literæ veniebant, qvæ ablegati dignationem eidem tribuebant. Ad propoſitionem latino ſermone factam, qvæ ſimul Hiſpanica lingva ſcripto exhibebatur, Rex nil amplius reſpondebat, qvam *videbo*. Circa idem tempus Joannes Auſtriacus Madrito propinqvabat confuſioni regiminis corrigendæ. Qvo fine Reginam aula amovendam pertendebat, cui plebs omnia mala, qvæ hactenus Hiſpaniam afflixerint, adſcribebat. Hanc mutationem Viennæ eo nomine parum æqvis animis accipiebant, qvod Cæſaris ſoror autoritate ſua evoluta eſſet. Cæterum publico utilem ducebant, qvod hactenus Hiſpaniæ res ſiniſtre admodum eſſent adminiſtratæ, nec iis reſtituendis ullus magis idoneus, qvam Joannes Auſtriacus, habebatur, niſi qvod aliqvi ejus ambitionem metuerent, ne forte ipſe regnum affectaret. Idem Electori ſtudium ſuum ample offerebat, ac ſolus hunc *Celſitudinis Electoralis* vocabulo nuncupabat, qvod reliqvi Grandes Hiſpaniæ ut exprimerent, à ſuo faſtu impetrare non poterant. Cæterum in univerſum reſpondebatur: à Rege grandem pecuniæ ſummam in Belgium trajectam, de qva Elector ſuam qvoqve portionem nacturus ſit: cum tamen ejus pecuniæ maxima pars Cæſari deſtinata eſſet. Nec

1676.

20. Dec.

Joh. Wer-

1676. eo minus agnoſcebant, qvam maxime opus eſſe, ut Daniæ Regi, & Electori ſubveniatur. Joannes Auſtriacus culpam in pravam ærarii adminiſtrationem conferebat, per qvam publicæ opes plane exhauſtæ ſint, haut ita raptim reficiendæ. Et eo anno claſſis Americana viginti octo milliones attulerat, de qva ſumma ad Regem deductis deducendis non niſi ſeptuaginta uncialium millia redierant. Spem tamen is faciebat, ſed incertam. Nec Electorem tanta neceſſitate urgeri perſvadere ſibi poterat, qvod is ſemper de hoſtibus victoriam reportaſſet. Demum à Rege id reſponſi datum; Villæ Hermoſæ Marchionem in mandatis habere, ut fœderatos pecunia ſubleveret, prout cujusqve conditio reqvirat. Sed cum Ruckius efficaciori auxilio opus eſſe demonſtraret; ac uti Belgæ bellum langvide propulſent, reliqvi fœderati, ni pecuniis fulciantur, pacem qvibuscunqve conditionibus amplexuri ſint, Joannes Auſtriacus diſſerebat: *Genuinas Hiſpaniæ rationes exigere, ut bellum ſtrenue continuetur, & fœdera obſerventur. Citra hoc nullam ſpem tutæ, & honeſtæ pacis eſſe. Gallum forte in præſens aliqvid de bello raptis redditurum, ut præſens tempeſtas declinetur. Sed nil certius eſſe, qvam eundem brevi, ubi vires recollegerit, denuo in arma erupturum, & qvæ nunc reſtituerit, cum reliqvis rapturum, ubi adverſa pars armis inſtructa non fuerit. Unde fœderatis utiqve ſatisfaciendum, inter qvos Hiſpaniæ Electorem qvam maxime reſpiciat. Ac ſi maxime Hiſpaniam propriæ rationes ad hoc non obſtringant, ingrati animi notam contracturum iri, ſuis præſentes inter anguſtias deſtituatur. Tantum ut modici temporis patientia adhibeatur.* Ultra iſthæc verba hoc anno haut procedebatur. Super commercio in America proponere inutile habebatur, qvod in Hiſpania lex eſſet, ut nemini niſi nato in Hiſpania eo proficiſci liceat: ut nemo, Hiſpanica licet ſtirpe, ſed in Belgio aut alibi extra Hiſpaniam natus, inter milites, aut alios Regis miniſtros eodem accedere poſſit. Si mercator aut alius, poſtqvam de natalibus ſuis fidem feciſſet, propria ob negotia extra Regis miniſterium eo ſe conferre cupiat, veniam ſex uncialium millibus redimendam. Poſt tamen de eo moventi Ruckio Joannes Auſtriacus dicebat: eam delicatiſſimam eſſe materiam, qvæ in hac aula proponi poſſit. Belgas noviſſimo bello, qvod Hiſpani cum Gallis geſſerint, tantum petiiſſe, ut ſibi duas naves claſſi Americanæ adſociare liceret, tam lautis viciſſim conditionibus oblatis, ut per eas pro captu iſtorum temporum Gallia in ejusmodi ſtatum conjici potuerit, ut forte præſenti bello ſuperſederi licuerit. Sed aulam in id conſentire non potuiſſe. Et cum Ruckius exciperet: diſparem eſſe Electoris & Belgarum rationem. Nam iſti neqve animum neqve vires eſſe Hiſpanis ſuſpicionem injiciendi: ac negotium id ita diſponi poſſe, ut idem Hiſpanicis ſubditis plus lucri, qvam damni adferat: Auſtriacus reſpondebat, id facile ſe credere. Sed rationem ſtatus Hiſpanici negotia Americana tam arctis legibus circumſcripſiſſe, ut tantum in utraqve Caſtilia natis, & qvorum majores triginta per annos ibi habitarint, eo proficiſci liceat, excluſis incolis omnium reliqvorum regnorum in peninſula Hiſpanica ſitorum. Ita iſthoc commercium plane abnegatum. 1676.

§. 44. Circa Anglum, ut is bona fide medium ſe gereret, præcipua cura erat, ne per eum Sveci ſublevarentur. Oneraverant annona aliqvot naves Rupellis Galli, qvas ad Anglicum litus adpulſas diplomatibus Anglicis velut ad hanc nationem pertinentes inſtructas Svecicis portubus immittere cupiebant. Qvod cum Elector contra ſeqveſtris officium eſſe moneret, ac ſe non libenter velle id neceſſitatis ſibi imponi, ut eas, prout jus gentium permittit, habeat; Rex promittebat, iſtis navibus diplomata datum haut iri. Svecus qvoqve aliqvot navarchos Anglicos ad faciendas excurſiones maritimas autoraverat: qvos ut Rex inhiberet Sverinus impetrabat. Sed ut navigationem ad portus Pomeraniæ ſuis interdiceret, Rex abnuebat. Jure gentium ei, qvi inter bellantes medium ſe gerit, permitti in loca ab obſidio vacua annonam convehere. Sed ſi qvæ Anglicæ naves merces bello veritas vehant, eas Electori licitum eſſe acceſſu prohibere, præſertim cum huic ſuper commerciis nil peculiaris pacti cum Anglia intercedat. Ad qvæ Sverinus reponebat: *ſi hoſti aliter qvam interclusa annonæ ſubvectione noceri neqveat, jus naturæ utiqve permittere, ut omnibus modis ea prohibeatur. Ac revera omnia Pomeraniæ loca eminus terra, marique obſeſſa eſſe. Alias Electorem non repugnare, qvo minus omnes Anglicæ naves, qvæ vetitas merces non vehant, per Oreſundam in Sveciam, & Livoniam navigent.* Sed declarabat Rex: *Se Electoris deſiderio gratificari non poſſe, partim qvod civium ſuorum commercia circumſcribere neqveat, præcipue autem, qvia mercatores tali occaſione ob lucri cupidinem omnia tentent, inſuper habitis interdictis. Sane ſeipſum proprio cum Belgis bello expertum, ſibi armandæ claſſi neceſſario ab hoſtibus ſuis pro pecuniæ com-* *Cum Anglo acta.* 16. Maji.

1676. *comparare in proclivi fuisse. Quod si tamen qvis suorum in leges medii status peccet, cum facta denuntiatione protinus pœnas daturum. Sed nec pro obsessis haberi posse loca, ad qvæ accessus ab hoste non nisi eminus infestentur.* Ac si maxime Regis indicto ea navigatio prohibeatur, id parum ponderis erat habiturum, qvod, ubi id absqve consensu Parlamenti factum sit, ejus transgressor non nisi viginti qvinqve uncialibus multetur. Cum haut eo minus Sverinus id negotium urgeret, causatus per laxiora obsidia viam ad oppugnationem cominus faciendam sterni; qvin sola annonæ exclusione vel munitissima loca expugnari, contra abundante annona etiam acerrimas oppugnationes eludi posse; reponebatur: *Ejusmodi edictum repugnare statui medio, & sequestris officio. Sveos qvoque eo fœdus violatum questuros. Sed & præter consuetudinem ad esse, & à nullo Principe expetitum; ac tali casu qvemlibet fecisse, qvod è sua re visum fuerit, ac subvectionem rerum, qvas hosti subtrahere voluerit, palam vetuisse, abreptis qvi contra fecerint. Si Elector hoc remedio uti velit, mercatoribus id sequi necessum fore. Sed nec Belgas, nec alios Angliæ fœderatos discrimen inter laxius, & arctius obsidium in dubium revocasse; qvod nec à se aboleri possit.* Alias cum Angli non obscure invidiam adversus Danos ostenderent, postqvam hi classem Svecicam fugassent, & Gotlandiam insulam occupassent; Electoris contra successus sat æqvo animo adspiciebant; qvin mirabantur, à Svecis Pomeraniam non pro derelicta haberi, ut Dano eo validius resistere possint. Idem Rex Sverino satisfactionem Electoris commendanti, & ut Sveci solo Germanico dimoveantur, responderat: de alterius terris disponere penes se non esse. Sed innuebat, eam rem ab Electoris progressibus pendere. Huic qvod talia affectet, vitio dari non posse. Sed ad id aliqvid conferre sibi sequestri fas haut esse, cujus sit partibus conciliandis operam dare, non alteri sua jura abjudicare. Cum qvoqve Sverinus jussu Electoris etiam de renovando fœdere moveret, Rex declarabat: Qvia compertum sit, id utriqve parti parum utilitatis attulisse, vix adparere, num in posterum inde qvid sperari possit. Si tamen Elector pressius mentem suam exposuerit, se pro re nata qvid sibi videatur expositurum. Eo minus autem mirum erat, ab Anglo circa inhibendam suorum navigationem nil impetrari potuisse, cum ne Cæsar qvidem serio prohiberet, qvo minus Hamburgenses, ac Lubecenses Svecis, Gallisqve, qva lucri spes affulgebat, subservirent; utut demonstraretur, iniqvum esse, horum lucrum cessans utilitati totius Imperii præponderare; cum omnes Ordines belli mala sentiant, & haut eo minus sua ad Remp. conferre necessum habeant. Sed ad hæc ea unica ratio occinebatur; Qvamdiu Angli, & Belgæ commercia exerceant, eadem Hanseaticis interdici non posse. Nam eo nil aliud effici, qvam ut facultas augendi rem hisce civitatibus adimatur, & in exteros avertatur; unde istas fortunis everti, & ad toleranda Reip. onera inhabiles reddi. Igitur nullum aliud remedium erat, qvam ut naves istorum interciperentur, insuper habitis qverelis, ob qvas Cæsar bellum indicturus non erat. Nec plus proficiebat Elector, cum pecuniias ab Hamburgensibus Stetinum trajici qvereretur, cum alias prælidio inopia pereundum esset. Nam has qverelas facile missi ab Hamburgensibus retundebant, turgidas auro crumenas Viennam adferentes. Eqvidem svadebat Daniæ Rex, ut coërcendæ Lubecensium ad hostes navigationi Travemunda intercideretur. Nam si ipse id faciat, Gellensem velut Circuli præfectum id ingentis offensæ loco accepturum, ac magnos tumultus moturum. Qvod ab Electore patratum mollius accipiendum sit. Sed nec Electori placuit, ejus facti invidiam in se suscipere.

1676.

§. 45. Inter istas difficultates Electoris arma haut eo minus hoc anno prospere succedebant. Eqvidem initio anni Sveci assumto qvidqvid fere copiarum per Pomeraniam restabat, & qvantum præsidiis oppidorum detrahere licebat, juncto qvoqve prælidiario milite Wismaria dimisso, Wolgastum hiberna tempestate recuperare instituerant; id qvod exsequendum Cunrado Mardefeldio commissum est. Is primo in Usedomum insulam trajecit, ibiqve castellum ad ostium Svinæ fluminis situm, Brandenburgico milite insessum, post novem dierum oppugnationem deditione cepit. Inde ad obsidendum Wolgastum versus, triginta sex machinis, qvatuor mortariis per sex septimanas magnam munitionum partem dejecit, ut obsessis non amplius suarum machinarum usus esset, omnisqve defensio ad lacertos rediret. Qvamdiu aqvæ apertæ erant, obsessores sæpe pontonibus, & cymbis ad munitiones accedere tentabant: aliqvando & duos pontes fossæ inmiserant, sed qvos obsessi non sine hostium damno dissecerunt. Demum cum acri frigore omnes circum aqvæ ita firma glacie constitissent, ut explicatis cohortibus ad arcem accedi posset, assultus

Sveci Wolgastum frustra oppugnant.

magno

1676. 5. Jan. magno impetu datus, hora post meridiem prima, centum amplius scalis vallo adplicitis, sed cujus adscensum difficillimum glacies reddebat, qvaid totum superfusis aHallard. qvis obductum erat: & Hallardus tribunus præsidii præfectus cum suis ita strenue resistebat, ut brevi tempore glacies, & fossæ crepido mortuis sterneretur; ac ni hostis receptui signum dedisset, pauci ex assultantibus superfuturi erant. Ita isti oppugnationem omisere, qvadringentis amplius desideratis; plures sauciati fuerant. In crepidine fossæ obsessi adhuc centuriem cum triginta gregariis intereeperunt. Hosti ut mortuos auferret ea lege permissum, ut obsessis integrum esset nullo impediente scalas vallo admotas, aut in glacie jacentes intra arcem pertrahere, ac mortuis vestes detrahere. Eo assultu apud Svecos cecidit tribunus Thuro Oxenstierna, Thuronis F. qvatuor centuriones, inter qvos Mardefeldii filius, ac plures præfecti, qvorum multi ipso in vallo sariissis confossi sunt. Qvi sub Svecis præsidio præfectus fuerat Blixius in vallo qvatuor vulnera accepit. Obsessi magna vi lapidum, qvos obsessores è machinis in arcem conjecerant, subeuntes obruebant. Extra eum assultum hostes hoc obsidio præfectum vigilum, optionem, & signiferum multis cum gregariis amiserant. Ea clade fracti obsessores machinas subducebant. Mox tamen Mardefeldius, cum paululum interqvievisset, denuo fortunam tentare constituit, ac jam jaciendis globis, & saxis arcem premere cœpit. Igitur huic liberandæ jussu Electoris Bogislaus Sverinus ex Ulteriore Pomerania Usedomum invadit, ubi Wangelinus cum octingentis di-
17. Jan. machis consistebat. Is cum recta via trans Svinam penetrare non posset, facto circuitu per lacum dulcem glacie constrictum incedens in Usedomo apud vicum, cui *Caminchen* vocabulum, pedem figit. Sed hostis, qvi mature è modica caterva à nostris pulsata de eorum adventu monitus fuerat, propere Wolgastum versus se recepit. Et qvia idem per tenebras trans glaciem Lassanum se receperat, præcursores non nisi catervam centum capitum assequi potuerunt, qvam per unum milliare in glacie persequentes viginti qvinqve ex iis occiderunt, viginti novem ceperunt. Unde Sverinus Wolgastum recenti milite, & omnibus necessariis instruxit. Ex altera parte adhuc manus Svecorum consistebat, qvadrantem milliaris ab arce accessum eo loco intercludens; in qvam noctu aliqvot centurias immittere Sverinus parabat; sed qvæ animadversa re mature Grypsvvaldam se subduxerat. Eodem tempore ex altera parte Dœrflingius contractis è Meclenburgica, & Prignicia eqvitibus, ac qvibusdam Cæsareis, & Danicis turmis sub Metternichio, & Arensdorfio per Tribsesam, & Damgardam ingruens, in Mardefeldium non procul Wolgasto metantem ita acriter impingitur, ut is magna cum confusione Stralsundam se recipere cogeretur, non paucis desideratis, dum nostri recedentem semper assultant. Circa idem tempus Joannes Adamus Schœningius tribunus assumtis copiis, qvæ Prenzloviæ, & Pasevvalci hibernabant, Uckermundam assultu expugnat, cæso præfecto, & magna præsidii parte, reliqvis captis. Inde disjectis portis, oppidoqve direpto non sine præda in hospitia sua revertit. 1676. 22. Jan.

Electoris in Pomeraniam expeditio

§. 46. Ast expeditioni, qvam æstate Elector ipse in Pomeraniam suscipiebat, haut parum facilitatis adferebat, qvod classis Svecica non sine clade per Danos ducibus Nicolao Julo, & Cornelio Trompio intra portus suos compulsa fuerat; qvo ipso impediebatur, ne qvid copiarum, aut paratus bellici Pomeraniæ immitti posset. Ex eo prælio maritimi excursores Electoris Svecicam navem bellicam viginti duabus machinis armatam, & alteram incendiariam cum multis minoris formæ navigiis interceptas in portum Colbergensem pertraxerunt. Observatum ea pugna, Belgas, ac Danos ter eodem temporis spatio, qvo Sveci semel, machinas disploſisse; ex qvo adparebat, qvanto major usus rei maritimæ istorum sociis navalibus esset, qvam Svecis, qvi magnam partem ab opere rustico recentes in classem compacti erant. Inter alias duæ prætoriæ Svecorum naves eo prælio perierunt, qvarum maximâ, cui parem antea Svecia non viderat, dum augusto nimis gyro, patentibus infimi ordinis machinarum portis, incumbente valido plenis velis vento in latus impulsa repente undis absorbetur cum mille vectoribus, ipsoqve classis præfecto Laurentio Creutzio, qvatuordecim tantum hominibus ex eo numero servatis. Altera, cui Ugla proxima dignatione præerat, postqvam adversus complures hostium naves acerrime pugnasset, dum deditionem facere numero obruta parat, ab admota incendiaria nave conflagravit. Sub idem tempus navigium 15. Jan. Svecicum sedecim machinis, octoginta viris armatum sub Jasmundo Rugiæ promontorio à nostris interceptum, & Colbergam abductum est. Inter captos etiam Wangelinus erat, qvi eodem die ante annum Ratenaviæ oppressus fuerat; qvi tamen, qvod

Wangelinus denuo capitur.

1676. qvod literarum secum habebat, in mare projecerat. Is Bogislao Sverino, qvi copias Pomeranicas curabat, exposuit; *Sibi à Rege injunctum Electoris animum explorare, an non in pacem inclinet, ac seorsim cum Rege transigere velit. Nam Sveciæ pace opus esse, qvam aliqva jactura redimendam satis perspiciat; & qvi primus cum ista transegerit, penes eum belli hujus fructum fore. Electorem amico modo obtinere posse, qvod per arma qværat. Tum multis asseverabat, Regem hoc bello plane præter mentem suam fuisse implicitum. Eum ab aliis inductum credidisse hostilia per Marchiam cum Electoris consensu sumta.* Addebat, si à se proposita ab Electore repudientur, apud Danum eadem tentanda. Sed optare, ut Elector tam præclaram occasionem occupare velit. Si Electori ipsum audire placeat, se ad eum venturum. Alias sibi propositum fuisse abdicata ad tempus militia circa pacem operam navare. Ast Electori ejusmodi tractandi modus juri gentium, & fidei fœderatis datæ adversus hautqvidqvam arridebat; ac satis adparebat id agi, ut ipse fœderatis disjungeretur, ac Sveci in Germania hærerent. Ac circa idem tempus Gallus Electori clam Stetinum, liberam Oderæ navigationem, & alia loca in Pomerania obtulerat, si desertis fœderatis seorsim transigere vellet. Qvæ itidem ab Electore velut intuta, atqve inhonesta rejecta sunt. Et qvia Wangelinus legationis suæ fidem facere non poterat, pro captivo habitus, ac Peizam in custodiam missus est, ne occasio ipsi foret noxia literarum commercia alendi. Simul Elector ab isto proposita omnibus fœderatis communicabat, de sua constantia in partes testatus, qvam nullum privatum emolumentum labefacturum sit, gemina ab istis sibi pollicitus. Iste Wangelinus ut libertati redderetur Angliæ Rex seqventi anno per literas intercedebat. Qvem & post Elector accepta fide certis sub conditionibus dimittebat; sed qvi nec his conditionibus satisfaciebat, nec in captivitatem redibat. Unde si tertia vice captus fuisset, laqveo pœnas dedisset; præsertim cum contra avocatoria Cæsaris edicta Svecicam militiam continuaret. Eam ob emansionem is biennio post ad judicium militare citatus est, velut qvi fidem militaribus viris sacrosanctam infregisset, & cum militia se abstenturum promisisset, haut eo secius expeditioni in Borussiam interfuisset. Ac ut judicium eo incorruptius haberetur, à Cæsare, Saxone, & Cellensi duces rogabantur, qvi istius assessores forent, præside Kniggio Cæsareo duce. Gemina cum Wangelino apud Cæsarem post insinuabat Adolfus Joannes Palatinus, Regis Sveciæ patruus, qvi sub finem anni improviso Lincium, ubi tunc Cæsar agebat, accessit. Ei Cæsar demonstrari jubebat; merito de adventu suo in antecessum significare debuisse, qvod à Sveco hoste declarato veniat, cui tam propinqvo sangvine junctus sit. Sed qvi excusabat; se super adventu suo scripsisse, sed qvia responsum non acceperit, ipsum accedere ausum. Alias nil sibi cum Svecico bello esse; ac venire, prout fidum Imperii Principem decet, ad devotum Cæsari animum demonstrandum. Is dein Comiti Pœttingio, qvem Cæsar ad eum miserat, significabat; Regem Sveciæ in hoc bellum incidisse, ut ipse ignoret, qva ratione id factum sit. Eum proclivem esse ad pacem cum Cæsare, & Imperio colendam, si pari animo ipsi respondeatur; & plura in eum sensum. Sed Cæsar eum audire nolebat declinandæ fœderatorum suspicioni. Et qvia ostendebat, sibi qvosdam processus esse apud Judicium Aulicum, Cæsar uti iis prospiceret Neustadium eundem abire permisit ad alloqvium haut admissum. Ostenderat is literas à Rege Sveciæ ad se scriptas, qvibus jubebatur Germaniæ Principibus, qvos accessurus sit, testari; qvantopere sibi displiceat, qvod cum Imperio præter opinionem in præsens dissidium inciderit, cujus culpa penes se non sit; ac paratum se amicitiæ cum isto instaurandæ. Sed Elector Cæsari de eo communicanti respondebat: cum isto nil solidi de pace agi posse, ac eas literas laxis nimium verbis conceptas. Unde omnia ad cœptos jam tractatus Neomagum remittenda. Idem Adolfus Joannes Palatinus seqventi anno, cum Ratisponam accessisset oblatam à Godofredo Jena visitationem summa cum humanitate admittebat; ac inter sermocinandum multis testabatur; se in nullam partem eorum, qvæ à Svecis hactenus acta sint, venisse; & qvanqvam in Svecia ab omnibus consiliis exclusus fuerit, qvavis occasione Regi, ac Senatoribus dissvasisse, ne cum Electore pacem abrumpant velut Principe consangvineo, fœderato, vicino, ac rerum gerendarum peritissimo. Præsertim cum consilia in Svecia admodum confusa, nec adparatus tanto negotio exseqvendo in promtu sit. Qvin & Regem melius facturum, si pace facta Germanicis provinciis decedat, qvæ nulli usui Sveciæ sint, qvam ut hæc bella moveat, aut alienis se turbis præter necessitatem immisceat, uti nunc factum sit; è qvibus plus damni qvam emolumenti regno proveniat. Regi bo- 1676.

1676. num esse animum, & ob juventam excusandum, ac à Senatoribus seductum; qvi enormem sibi potentiam arrogarint. A qvibus & ipse indignis modis habitus sit, eversō Regis Caroli Gustavi testamento, qvo ipse supremus militiæ dux constitutus fuerit. Sed eos causatos, Regi cum id conderetur, non amplius mentem constitisse; cum tamen Petrus Brahæus eo facto interfuerit, idqve probarit. Se ab omnibus muneribus publicis exclusum tanqvam extraneum, contra leges regni, & receptum morem, cum mater sua Regis filia, & ipse in Svecia natus fuerit. Qvin, ab cognatis suis, & præcipue Gardio Cancellario affine valde premi, qvi judicent, suam potentiam ipso oppresso non parum stabilitum, atqve auctum iri. Eosdem qvoqve, utut Svecia sine controversia hæreditarium Regnum sit, ipsum sangvine regio oriundum præter jus, & æqvum à successione exclusisse; ac qvosdam id agitare, ut post præsentem Regem defunctum abolito regio imperio contra fundamentales Sveciæ leges Respublica introducatur.

Elector en Pomeraniam irrumpit.

§. 47. Cæterum qvanqvam summa belli in eo verti videretur, ut Stetinum expugnaretur: tamen bellorum periti svadebant, eam urbem non primo loco invadendam, cui adhuc à Svecis suppetiæ immitti qveant. Sed prius Anclamum, & Demminum expugnandum, tum insulas Wollinum, & Usedomum obtinendas. Ita omni aditu intercluso urbem fame urgente ultro manus daturam. Nam si maxime per navigia accessus intercludi tentetur, id à vento, ac incerto exitu navalis prælii pendere. Ante omnia autem Wolgasto subveniendum erat, qvod Svedi insetis circum aditibus omni parte clauserant. Sed qvia Svedi in Usedomo insula validis munitionibus se firmaverant, ut Suina vi perrumpi non posset; necessum erat altero latere per Tribsesam in Pomeraniam penetrare. Eum aditum Otto Wilhelmus Kœnigsmarckius, cui ruentis Pomeraniæ cura commissa fuerat, valida cum manu custodiebat, excitato juxta castello Electorem accessu prohibiturus. Sed in eum magna vis machinarum detonabat, simul nostri tanto impetu ingruebant, ut is desertis angustiis, & castello raptim se Stralsundam recipere cogeretur. Ita Elector cum aditum milite suo infidebat, castellumqve à Svecis excitatum destruebat, tum pontes & aggeres ab his corruptos reparabat. Inde assumto eqvitatu, & bis mille peditibus, ac machinis qvibusdam præter Grypsvaldam Wolgastum versus tendebat; ubi Kœnigsmarckius cum bis mille eqvitibus, qvadringentis dimachis in stativa nostra irrumpere conabatur. Sed cum nulla parte accessus pateret, re infecta recessit. Interim dum Svecicæ copiæ omisso Wolgasto in Electorem vertuntur, Sverinus ex Ulteriore Pomerania in Usedomum insulam erumpens castellum ad Svinæ ostium iterum expugnabat, ac Wolgasto de necessariis affatim prospiciebat. Supererat adhuc Svecis in Usedomo castellum ostio Penæ fluminis exadversum positum. Id ex insula invadere Sverinum Elector jubet, ipse è continenti id impugnaturus. Per noctem absolutis suggestibus seqventi luce ex utraqve parte ita castellum verberatur, ut post dejecta pleraqve munimenta, & occisis qvinqvaginta amplius præsidiariis subtribunus Bremerus, qvi castello præerat, sub vesperam deditionem facere cogeretur. Centum qvadraginta Svedi milites Stralsundam dimissi: Germani & omne instrumentum bellicum apud victorem manebant. Inde contracto toto exercitu, qvem à Cæsare submissæ auxiliares copiæ augebant, Elector Anclamo obsidium circumponere instituit, oppido operibus munitissimo, sed qvod latæ circum paludes magis adhuc firmabant; per qvod alias Stetino subveniri poterat. Tegendis adversus Svecorum irruptiones obsessoribus ex utraqve parte circumvallationis linea ducitur; qvæ dum perficitur, Kœnigsmarckius continuis assultibus nostros fatigare, remotissimas stationes impetere, pabulatores intercipere, opera impedire, ut æstate extracta pluvium post cœlum obsidio desistere subigeret. Ei repellendo Elector Fridericum Landgravium Hasso-Homburgensem cum valida eqvitum, ac dimacharum manu, simul qvatuor machinis mittit; qvi per tenebras ducentos eqvites præcurrere jubet, ipse summo mane cum reliqvis secutus. Kœnigsmarckius in primum agmen statim impetum dabat, sed ingruente tota cum manu Landgravio repulsus omnes dimachas, qvi ad pedes descenderant desiderabat captos, aut cæsos: è reliqvis in receptu qvoqve centum qvinqvaginta occisi. Cum aliqvot per dies continuata verberatione apud portam Stolpensem non modica valli ruina facta esset, Elector tempori lucrando per selectos assultum dari jussit. Qvi magno impetu ruentes asperrima globorum grandine excipiebantur, qvo omnes, qvi malis punicis jaciendis præcedebant, anteqvam fossam attingerent, cadebant. Sed cum fossa ita profunda inveniretur, ut fasciculis ligno-

1676. 30. Jun. 1. Jul. 30. Jul. *Anclami obsidium.*

1676. gnorum repleri non posset, satis habebatur in crepidine stationem muni visse, haut paucis nostrorum interim cadentibus. Eodem tempore Cæsarei partem exteriorum munitionum occupabant, ac jam de alio assultu tentando deliberabatur; cum præ-
18. Aug. Sanitz. fectus oppidi Sanitzius summus vigiliarum præfectus præter opinionem inducias, & facultatem paciscendi petit, duos obsides se daturum offerens, si duo alii pari conditione in oppidum mittantur. Idem tamen non expectatis obsidibus, nec qvæsito, aut impetrato tuti accessus diplomate tribu-
Heidebeck. num Heidebeckium, & subtribunum Mullerum emittit, nullo mandato super deditionis legibus agendi, sed qvi tantum à se conceptas conditiones plane intolerabiles afferrent, qvasi is leges Electori præscribere vellet. Unde missi, qvi ultro nulla cautione venerant, tantisper in custodiam dabantur, qvoad deditio perfecta foret. Simul alia pacti formula præfecto traditur, optione data, eam acceptare, an extrema expectare mallet. Ita is oblatas conditio-
19. Aug. nes acceptans seqventi die oppido excessit, relictis præfectis, & militibus Germanicæ nationis, ac tradito castello, cui à trajecto Anclamensi vocabulum est, (etsi ejus traditioni à Kœnigsmarckio paulisper contradictum fuit.) Reliqvi Colbergam deducti inde in Sveciam transportabantur. Elector
20. Aug. oppidum ingressus post grates Deo actas oppidanos in sua verba adegit. Porro id præsidium in Sveciam dimitti Daniæ Regi parum placebat, qvod adversus id sibi denuo in Scania pugnandum foret. Itaqve Electori significabat, cum ipse istis militibus tutum transitum non promiserit, eos se in mari intercepturum. Sed Elector negabat se in id consentire posse, velut legibus deditionis, ac datæ fidei repugnans, ac atro calculo à moratioribus gentibus notandum. Igitur Rex classi suæ injungeret, ut istis præsidiariis liberum trajectum in Sveciam concedat, ac potius eorum itineri qvantum detur faveat. Atqve eodem se modo cum præsidio Landscronensi, qvod Rex in Livoniam trajecerit, fecisse, & deinceps qvoqve facturum esse, utut Borussiæ periculosum sit ei provinciæ multum militum immitti. In eundem sensum Elector ad Trompium scribebat, ut eos libere transire pateretur. Contra censebat Rex; *Ni Svecicus præfectus in pacto deditionis expresse stipulatus fuerit, ut sibi à fœderatis diploma tutis itineris curetur, eum tuto trajectu frustra non debere; sed integrum fore fœderatis, apud qvos ejusmodi diploma requisitum non fuerit, sistere ac in captivitatem redigere,* salva fide ejus, qvi cum eo super dedit tione pactus est. *Indicio esse, qvod legatis ad pacem ab omnibus, & singulis fœderatis diplomata dari necessum sit. Nec Electori abs qvopiam vitio verti potuisse, si is præsidium Landscronense in mari intercepisset, qvod is præfectus sibi fœderatorum diplomata stipulari oblitus esset; nec fœderatos hoc casu Svecici præfecti imprudentiam supplere teneri, qvos & res inter alios acta haut qvidqvam obliget. Ast si præfectus hostilis hæc circumspecte agat, ac fœderatus, qvi cum eo paciscitur, fidem det, se ab altero fœderato securitatem ipsi præstiturum, id huic ubi idem requirat, commode negari non posse.* De cætero judicabat, satius fore Svecica præsidia Stralsundæ immitti, ut civium animi onere ægrescant, ac ipsa multitudo eo citius famem sibi faciat. 1676.

§. 48. Anclamo expugnato Elector partem exercitus sui sub Augusto Holsatiæ Duce ad obsidendum Demminum misit, cui Cæsareæ, Luneburgicæ, & Monasterienses copiæ auxiliares sese adjungebant. Ipse cum reliqvis Oderam versus progrediebatur, ac ad Lœckenitzam arcem, qvam Sveci adhuc insidebant, accedebat. Cujus præfectus, cum machinas in suggestibus disponi videret, haut expectata verberatione deditionem fecit, cum indigenis Colberga in Sveciam trajectus: Germanicus miles, & machinæ penes Electorem manere. Ac-
Demminum expugnatur.
cessu Electoris, & qvia Bogislaus Sverinus cum Electoralibus navigiis haut procul Dammo oppido se ostendebat, Sveci, qvi id oppidum insidebant, terrore correpti, velut iste accessum ad Stetinum interclusum venisset, raptim abductis machinis, combustisqve palorum ordinibus, & qvantum tempus ferebat, prorutis munitionibus trepidi Stetinum se conferunt; nongenti pedites, sexaginta eqvites; qvorum tergo Sverinus Hillium tribunum immit-
Hille. tebat, ipse è lacu machinis incedentium latus infestabat. Inde immissus deserto oppido miles destructa opera reparabat. Ast Demmini oppugnatio majoris operæ erat; ubi initio castellum apud trajectum fluminis expugnabatur, centurione, & signifero cum viginti qvinqve gregariis captis. Inde munitiones oppidi verberatæ, ac injectis ignibus pars oppidi cum æde sacra, qvæ pulcerrima, & maxima totius Pomeraniæ habebatur, in cineres subsedit. Sed præfectus oppidi Nothius tribunus hauteo mi-
von der Noth. nus acriter reliistere, donec importunis precibus instantes oppidani, & ingruens fames ob annonam incendio corruptam deditionem facere subegisset. Præsidiariis eædem
30. Sept.

1676. leges qvæ Anclamensibus indultæ, nisi qvod indigena miles in Dani gratiam Stralsundam dimitteretur. Oppido septingenti milites excesserē in qvo qvadraginta machinæ repertæ. Post expugnatum Demminum Elector Stetinum invadere ardebat; sed qvia Luneburgicæ, & Monasterienses copiæ tardius accesserant, & frigus jam ingrueret; tam validi loci obsidium vergente in hiemem anno suscipi rationis haut erat. Unde satis habebatur, qvamdiu per inclementiam cœli licebat, oppidum arctius includere, & excitatis reductibus aliqvot globos ignivomos terrendis civibus immittere. Cum prædidiariis subinde erumpentibus velitatum exiguo utrinqve damno. Inde omnes aditus ad urbem intersepti; justa oppugnatio in futurum annum dilata; ac jam gelu sævire incipiente, exercitus in hiberna deductus est. 8. Nov.

Circa hiberna difficultates.

§. 49. Ast Electori, qvantumvis confecta feliciter expeditione ingentem solicitudinem hiberna exercitus injiciebant; qvem neqve propriæ ditiones alere poterant, & Cæsar circa ea difficilem se admodum exhibebat, utut Crocovio ingerente; ipsius Cæsaris, ac omnium fœderatorum qvam maxime interesse, Electoris exercitum ita firmari, ut promte patrato bello Svecico tota vis in Gallum verti qveat. Ac cum primis meritum de Cæsare Electorem, ut sui ante omnes ratio habeatur, Cæsaris ditionibus ab invasione Svecorum liberatis, qvorum terror jam Boheniam, & Silesiam non mediocriter afflaverat, antequam iste hos prælio profligasset. Ac qvi proxima hieme nonnihil contulerant Saxonici Duces jam omnia abnuebant, inita cum Cæsare conventione super millibus aliqvot militum conducendis, imperio Cæsaris plane subdendis ea duntaxat conditione, ut ab alienarum copiarum hospitiis immunes maneant. Qvi modus pactorum aulæ Viennensi admodum arridebat, jactantis ad hanc demum formam cum Ordinibus suis pacisci è Cæsaris dignitate esse. Nam per prioris generis fœdera eminentiam Cæsaream plane consumi; cum nemo non fœderatorum plus sibi autoritatis arrogare, qvam Cæsari concedere velit; sic ut hac conditione bellum ab hoc continuari neqveat. Ac deinceps satius fore res Imperii ruentes per otium spectare, qvam bellum suscipere, ad qvod ejusmodi fœderibus opus sit. In eo hactenus errorem admissum, ac operam datum iri, ne altera vice ad eundem lapidem impingatur. Sed & cum Cellensis, ac Monasteriensis multa sibi hospitia deposcerent, futuro anno cum viginti qvatuor millibus rem adversus Gallos se gesturos polliciti: Cæsar negabat ea à se dari posse; & aliorum qvoqve fœderatorum curam habendam. Tantummodo numerum per fœdus definitum repræsentarent, nec Ordinibus, aut fœderatis molesti essent. Cum horum legati regererent; se hoc modo bellum continuare non posse, ac de pace cogitandum sibi fore; respondebatur; Cæsari æqve facilem viam ad pacem, qvam ipsis; nec esse qvod sibi persvadeant, se hoc bello parta absqve reliqvis fœderatis tuturos. Sane Cæsari istorum acta valde displicebant, qvod semper peculiaria consilia agitarent, ac nulla fœderatorum ratione habita privatum emolumentum aucuparentur. Ac suspicio erat, eos utriqve parti sese venditare, & utcunqve res cadat, de Brema & Ferda retinenda agitare, si maxime reliqvis fœderatis inanibus bello excedendum sit. Qvæ diffidentia gliscebat, qvod ad conventum Bremensem, qvem Cæsar jam valde urgebat, Monasteriensis neminem mitteret, Cellensis autem negaret, absqve eo agere qvid sibi integrum esse, non sine gravi fœderatorum contumelia; cum contra Dani, & Electoris æqvanimitas eo in negotio valde probaretur.

1676.

Missio ad Cæsarem. 18. Nov.

§. 50. Ut igitur Elector hoc in negotio Cæsarem acrius urgeret, Franciscum Meinderlium ad ipsum misebat, post repetitam gratulationem de novo connubio expositurum; *Uti præter spem, nec sine dolore perceperit responsum a Cæsareis ministris Crocovio super hibernis datum: ac uti alii fœderati eam commodis hospitus fruantur, si cum illis comparentur, qvæ ipse iisdem non invideat, haut tamen unqvam credidisse, sibi tam jejune prospectum iri. Cæsari cognitum esse, qvo studio, qva fide, & cura ipse ab initio causam publicam amplexus sit, ac nullius rei, qvæ penes se fuerit, peperceris, non vitæ, & corpori, non labori, non periculo. Contra neminem hoc bello plus toleravisse: omnes suas ditiones in Germania sitas theatrum bello præbuisse. Qvæ mala neminem fœderatorum tetigerint, qvi non nisi proprium militem in terris suis habuerint. Unde onus belli gravius indies sibi incumbere, ac non solum hac æstate suo exercitui annonam etiam in hostico è sua ditione prorus sumtibus fuisse parandam, sed & à se solo alenda præsidia oppidorum hosti ereptorum una cum copiis, qvas ad circumfidendum Stetinum relinqvere necessum fuerit; qvæ expensa menstrua centena uncialium millia superent. Nec minoris constare sustentationem statorum præsidiorum & reliqvi exercitus. Ejusdem*

non

1676. *non esse sibi in animo suis provinciis parcere, qvæ plus oneris, qvam ullæ totæ Germaniæ tolerent. Et ferendo se non amplius parem esse. De prona Cæsaris voluntate se haut dubitare, ac petere, ut sibi non minus, qvam aliis super idoneis hospitiis prospiciatur. Hoc unico remedio firmari, se posse, ut in partibus persistere, ac utilem Cæsari, patriæqve operam navare, simul honestam, bonamqve pacem una cum aliis promovere qveat. Et si spes fallat, summo id sibi dolori fore; sed extrema se necessitate ad alia consilia capessenda compulsum iri. Nam Cæsari nil profuturum, si ditionibus in solitudinem redactis ipse patriæ inutilis reddatur. Contra subsidia, qvæ Cæsar sibi extra propriam impensam præstet, parem utrinqve securitatem præstare; cum notum sit, qvæ consilia Speci circa Silesiam agitarint, qvæ ut abortirent, se solum effecisse. Spem qvoqve esse, futuro se mense Aprili in expeditionem progressurum, si Cæsar circa hospitia gratificetur, ut Svecis Pomerania pulsis in Hungaria, aut adversus Gallum operam navare possit.* In congressu cum Cæsareis ministris Meinderlius latius deducere jubebatur, uti Elector è Cæsareo decreto intellexerit, huic aulæ non magis conditionem suarum ditionum, qvam Pomeraniæ Svecicæ cognitam esse, ad qvas maximam partem sui exercitus rejecerit. Clivicas, & Westphalicas provincias ab initio belli maximas calamitates pertulisse, nec in hunc diem liberatas, immensis summis à Gallo emunctas. Marchiam, & Pomeraniam freqventibus copiarum hinc inde itineribus, inde septimestri Svecorum inundatione, propriisqve exercitus onere penitus exhaustas. Ob tenuia præterito anno hiberna sibi magnum æs alienum contrahendum fuisse, oppigneratis optimis reditibus. In Pomerania Svecica ipsum per hostem omnia evastata. Exercitum suum, qvi qvadraginta legionibus constet, in menstruam sustentationem, eamqve sat sobriam reqvirere CC Muncialium, ad qvam summam ipse LXX M se collaturum obtulerit. Præter hæc à suis provinciis præsidia qvoqve alenda, & alia onera sustinenda. Unde falso jactari, suas ditiones immunes agere, ac onus in alios devolvi. Sane in sui gratiam Svecis bellum indictum, ac universis Ordinibus injunctum, ut, qvo sibi satisfiat, operam navent. Qvanqvam autem hactenus suæ res adversus hostes non paulo potiores fuerint; omnia tamen inania fore, ni negotio suprema manus imponatur, ac impatiens qvietis vicinus, tibi ac Cæsari qvam maxime metuendus, à latere dimoveatur. Unde spem esse Cæsari conservationem ipsius exercitus præ aliis cordi fore, nec ad alia consilia Reip. noxia se compulsum iri. Hospitia sibi assignata ne sextam qvidem partem onerum conficere, qvæ sibi toleranda sint. Inferiores Hallos militem ad obsidium Philipsburgi missum excusare, nec ultro qvid dare velle, ac sororem vi cogere sibi haut decorum. Qvæ ab Hamburgensibus expectanda sint, ad tractationem delegatorum Cæsareorum restringi. Ejus urbis territorium aliis assignatum. Lauenburgicam exiguam esse ditionem, & plane exesam, in qva & Cobii legiones adhuc hæreant. Hadelensi tractui Monasterienses incumbere. Magdeburgicam præsidii sui sustentatione, & aliis oneribus premi. Anhaltinæ ditionis Hanoveranum tres qvartas partes tenere. Gustroviensem provinciam vix pabuli qvid, & annonæ Pomeranicis præsidiis conferre posse. Elsenam, Werdam, Limburgum, Tremoniam, Elsenam, Hervordiam exigui momenti esse, ac partim suis jam tributis obnoxias, partim a Monasteriensibus exhaustas. Superiore anno se hospitiis per qvatuor duntaxat menses usum, cum alii per semestre, & amplius iis gavisi sint. Saxonum terras per Cæsareos jam delibatas. Sed nunqvam jejunius qvam nunc sibi prospectum. Qvod si Cæsarei objiciant, omnia alia in Imperio loca jam cæteris fœderatis, aut exercitui Cæsareo destinata, reponeret: Cæsareas provincias florenti statu agere; extra Brisgoviam nulli hostem conspectum. Insuper Cæsaris exercitui tributa præbere totum Circulum Svevicum cum multis partibus Bavarici, Superioris & Inferioris Rhenani, & Westphalici; qvæ abunde illi sufficere qveant. Unde commode sibi Franconicum Circulum concedi posse, uti ante biennium factum, aut saltem Marchiones, cum Coburgica, Hennebergica, & Fuldensi ditione, simul Ruthenum, & Schœnburgium, fratres Saxonis, & reliqvos Saxonicos Duces, uti superiore hieme. Eqvidem suo loco relinqvi, qvid Cæsari cum Saxonicis Ducibus circa exhibendas aliqvot legiones convenerit; ac lætum sibi bonas partes accessione tam insignis domus firmari. Sed Cæsari cogitandum, ob ejusmodi novos delectus instante jam hieme neminem hospitiis debere eximi, qvæ ipse tot laboribus meritus sit, ac sine qvibus exercitum sustentare neqveat. Cæsari magis consuli suppleto ipsius exercitu, qvam novis hisce delectibus. Saltem executionem ejus pacti hac hieme in suspenso relinqvendam, ac sua hospitia circumcidantur. Qvid officiorum Saxo hucusqve Cæsari præstiterit, se extenuare

1676. nolle, aut debitam ei gloriam imminuere. Id tamen eundem pro ratione opulentarum provinciarum sine molestia civium facere potuisse. Unde non esse, qvare modicum subsidium à fratribus conferendum gravetur; ac si Cæsar autoritatem suam interponat, eum necessitatibus patriæ haut defuturum. Ea omnia si nihil proficiant, diceret, qvod & Elector literis ad Cæsarem datis declararat; necessitatem sibi imperaturam alia consilia arripere, sicuti ante triennium morosa subsidiorum solutio se ad pacem cum Gallo compulerit. Interim Elector Gœrtzkium cum aliqvot legionibus Franconiam versus miserat, qvod facilius hospitia sibi relictum iri crederet, qvæ jam occupasset. Sed Cassellana transitum concedere abnuebat oppositis copiis. In Fuldensi agro provinciales arma ceperant. Gothani, & Ilsenacenses minabantur, si adversus Cæsaream sponsionem ab iis ditionibus qvid exigendum sit, pacem adversus Cæsarem abruptam visum iri. Moguntinus qvoqve in Eichsfeldia, ubi legiones consistebant, vim excitatis agrestibus intentabat. Qvæ omnia Meindersius Cæsari exponere, promtumqve responsum petere jubebatur. Si ambiguis sermonibus tempus extrahatur, discederet, protestatione interposita; Electorem extra culpam fore eorum, ad qvæ amplecteuda necessitas ipsum subactura sit.

Alia mandata. §. 51. Præter ista Meindersius in mandatis habebat Cæsarem rogare, ut legati ipsius Neomagi cum Electoralibus bona fide communicent, & hujus emolumentis velificentur. Super Rugia se cum Dano transegisse, uti Cæsari, atqve Imperio id gratum, atqve proficuum fore confidat. Si Stralsundam classi civitatum Imperialium inserere placeat, se haut repugnare, modo ipse jus protectionis, & alia qvæpiam jura in eadem retineat, & Sveci eadem penitus excludantur. Cum Belgæ pacem magis, qvam expediat, desiderent, Cæsaris se sententiam ea super re nosse cupere. Sibi qvidem videri, omni vi connitendum esse, ut futura expeditione insigne operæ pretium fiat, ac ad eam mature omnia paranda. Tum qva ratione Cæsar judicet Hanoveranum in bonas partes pertrahendum, aut tantis copiis exuendum. Se qvidem ei haut plane fidere, qvod Gallica consilia apud eundem adhuc prævaleant, ac ministris Gallico studio imbutis maxima autoritas persistat, legato qvoqve Gallico in ejusdem aula morante. Præterea sibi haut constare, qvid de Monasterienſi judicandum sit. Se qvidem generose cum eo egisse, ac ultionem injuriarum Reip. & patriæ condonasse, tum amicitiæ cum eodem colendæ pronum se exhibuisse. Sed eum tanto candori vicissim maligne respondisse; nil nisi proprium lucrum ubiqve aucupari; pro libidine omnia agere; non rationem, non Cæsarem, fœderatosqve respicere. Qvid demum cum ipso circa Bremense negotium agendum sit, ubi Cæsarei, Danici, ac sui ministri à Cellensibus, & Monasterienſibus ita contumelioſe habeantur. Sane Ducem istum, ac Præsulem ausum esse de duobus Ducatibus, sua ac Dani ope hosti ereptis, & in qvos sibi tanqvam à Svecis læso præcipue actio fundata sit, nulla cum Cæsare, aut sociis communicatione facta, pacisci, idqve pactum omnium qvorum interest notitiæ pertinaciter subtrahere. Qvale factum legibus Imperii, & conjunctioni fœderatos decenti repugnet. Porro Electori Polonicum negotium magnam curam injicere. Nam pacem cum Turca à Gallis eo duntaxat fine combinatam, ut vel irruptione in Borussiam facta Svecis respirandi facultas detur, vel suffultis rebellibus Hungaris, aut excitato novo bello Turcico Cæsaris arma distrahantur. Se qvidem, ubi in Borussia invadatur, de Cæsaris auxilio utiqve sibi polliceri: ac vice versa Cæsari in Hungaria suppetias laturum. Sed rogare, ut Cæsar turbas Hungaricas mitiore Protestantium tractatione si non sedare, saltem non amplius exasperare velit, nec enormi, & præter rationem flagranti sacerdotum zelo fræna laxet. Ut Hamburgum qvoqve ad æqvitatem adducatur, & qvi hostem ibi sublevarunt, pœnas luant. Ut Cæsar futura expeditione Cobio V M pedites, M dimachas attribuat. Nam equites contra Gallum, aut in Hungaria adhiberi posse. Deniqve qvid Cæsari de Bavari consiliis videatur, & annon aliqva ratio sit ipsum à Galli studio avellendi?

Apud Cæsarem parum proficitur. 14. Dec. §. 52. Ast Meindersio Lincium delato, ubi tunc Cæsar agebat, cum qvæ jussus fuerat exposuisset, magna vi blandorum verborum occurrebatur; sed circa hospitia in Franconia, aut Saxonicos apud Duces annuere Cæsar penes se esse negabat. Eqvidem merita se Electoris agnoscere, & qvantum præsidii causæ communi in ipso sit. Sed valde metuere, ne inter ipsum, & alios Ordines inprimis Saxones discordia oriatur, magno hostium lucro. Se qvidem apud Saxonem omnia officia interposuisse, sed nullo fructu; qvin hunc scripto testatum se malle extrema qvævis tentare, qvam Brandenburgum

1676. denburgicum militem denuo in fratrum suorum ditionibus, in qvibus sibi jus territoriale competat, tolerare. Nec eum in casum se auxilii exsortem mansurum. Saltem de Bavaro, & Hanoverano sibi cautum esse; nec Moguntinum, & Colonienſem defore; qvorum ille ob Eichsfeldiam, hic ob Reclingshusam milite Brandenburgico infestam qverelas moveat. Unde validas partes surrecturas, exitiosam Germaniæ convulsionem parituras. Qvin Saxonem de Polono minari; unde ingens Electori periculum immineat, cui adhuc multum negotii in Pomerania restet. Illum nullas rationes admittere, nec suam ditionem exhauriri velle, ut Brandenburgica Domus gliscat, ac novis ditionibus locupletetur. Nolle eum à Collega ita secum agi. Fuisse Electori causas, ut de Svecis qvereretur, qvod in ipsius provincia hospitia cepissent. Qvod igitur hic circa alios æqvum judicarit, id circa se velut iniqvum damnare non posse. Cum ergo Saxo nulla ratione cedere voluerit, se duobus à malis minus elegisse, ac Saxonicis Ducibus immunitatem ab hospitiis promisisse; qvi vicissim haut spernendas copias in ipsius, & Imperii usum obtulerint. Se qvidem ægre huc descendisse, qvod satis perspiceret, Electori molestiam inde nascituram. Sed nimirum aliqvando tempori, semper necessitati cedendum. Ac longe majus malum fuisse futurum, si per Saxonem tertiæ partes erupissent; cum satis constaret, qvam periculosa consilia inter hunc, & Hanoveranum agitarentur, qvæ hoc modo infringi necessum fuerit. Igitur rogare, & hortari, ne Elector collisioni causam det, nec ad manus rem deducat. Proponebatur qvoqve ut Elector Saxoni junctus Hanoveranos hospitiis suis expellat, qvæ tunc ipsi concedenda sint. Sed qvæ fieri posse Meindersius negabat; addito, qvicqvid rationum occinatur, Electori hospitia habenda esse, siqvidem exercitum reficere, & seqventi anno in expeditionem prodire debeat. Ad qvæ ministri nil aliud, qvod reponerent, habebant, qvam se Cæsari ea relaturos, & omnia facturos, qvæ intra vires suas sint. De cætero Cæsar pollicebatur, se operam daturum, ne Polonus infesti qvid tentet. Bavari, Hanoverani, Cellensis, & Monasteriensis consilia plane improbabat; ac inauditam rem esse, posteriores duos pacto inito erepta hostibus inter se dividere, ac mutuam evictionem polliceri, insuper habito Cæsare, Dano, & Electore. Neomagi suos Electori pro virili velificaturos, ac sperare, Electorem qvoqve connixurum, ut ipse Alsatiam recuperet; cui expugnatum jam Philipsburgum spem præbeat. 1676.

§. 53. Ast Elector isthoc responso, per peculiarem cursorem transmisso, haut parum perturbabatur. Cum sibi promtum subsidium in notoria necessitate ferri debeat, nunc Viennæ causam Saxonis agi, ejusqve consilia Imperio [illegible]um propitia defendi, tum petita sua odiose detorqveri, qvasi ipse qvid potestatis in Saxonicas ditiones sibi arroget. Id qvod hactenus nemo fœderatis objecerit, qvibus insignes provinciæ in hospitia assignatæ, qvædam etiam proprio ausu occupatæ sint. Qvin Lusatiam, & qvatuor præfecturas Magdeburgicas Cæsareo milite infideri. Si sufficiat dixisse, Saxones nolle hospitiis militaribus onerari, cuilibet Ordinum ea declinare in proclivi fore, cum nemo libenter ea in se suscipiat. Eqvidem laudandum esse Cæsaris studium circa collisiones, & intestina dissidia declinanda. Enimvero ita moderate à se agi, ut taleqvid metuendum non sit, modo Cæsar serio Saxonem hortari velit, ut præsenti tempestate non magis communi sese oneri subtrahat, qvam alii patriæ amantes Ordines. Nullius magis, qvam sua interesse, amicitiam cum Saxone servari, & à se omnia remedia adhiberi, ut ea inconcussa continuetur. Non sufficere, ut Saxo Svecos suffragio suo hostes Imperii judicarit, ac sibi literis auxilia contra eos promiserit, sed facto opus esse. Novos Saxonum delectus causæ communi parum momenti addituros; ac contra omnem belli rationem esse, tirones captare, ac veteres legiones spectatæ virtutis, ut inopia fatiscant, pati. Iniqvissimum esse, eos qvi fructu pacis æqve ac alii gavisuri sint, oneri bellorum se subtrahere velle. A se hospitia non qværi privatum ob lucrum, nec in fraudem aliorum Imperii Ordinum, sed unice ad alendas copias, qvæ hactenus pro Cæsare, & patria strenue pugnarunt; qvas eo magis firmari necessum sit, postqvam nuper Danus à Sveco non modicam clademin Scania accepit; nisi forte id Reip. expediat, ut ipse deses otiosum spectatorem agat. Unde à Cæsarea aula petiris suis sine mora satisfaciendum, aut declarandum, suam operam hoc bello non amplius desiderari. Ac cum ipse declararit, se post subactam Pomeraniam arma in Gallos versurum, ut Cæsar Alsatia potiatur; Cæsari utiqve ipsius exercitum non minus, qvam proprium curæ esse debere. Subsidia non amplius inter rationes venire posse, qvæ Belgæ omnibus fœderatis renuntiarint, excepto

Electus Cæsaris declaratione non est contentus. 29. Dec.

1676. excepto Monasterienſi. Hanoveranum hoſpitiis expellere ſuum non eſſe, ſed Cæſaris; qvi & iſta vindicare qveat, in qvorum vicem ſibi aliqvid in Franconia cedi poſſit. Et qvia Cæſarei tantopere periculum exaggerent, ſi ipſe per Saxonicas terras hoſpitia capiat, multo gravius periculum fore, ſi Hanoverano ad arma ſtringenda occaſio porrigatur, qvi[illegible]lem dudum immineat. Iſta denuo Mei[illegible]ſius ingerere jubebatur, promtumqve reſponſum expoſcere; ac ſi nil obtinere qveat, ſolenniter proteſtari, Electorem coram Deo, totoqve orbe, & ipſo Cæſare excuſatum fore de omnibus, ad qvæ ſuſcipienda ſibi neceſſitas adferatur. Tum ſine mora inde diſcederet. 1676.

Cæſaris alia declaratio.

§. 54. Contra Cæſarei affatim voluntatis ſibi ferebant Electorem ſublevandi, qvem & juſtam qverendi cauſam habere agnoſcebant; ſed facultatem ſibi eſſe negabant. Ac malueram Electorem properaſſe hoſpitia occupare, nec iis qvorum intererat ſpatium conceſſiſſe ad vim contra parandam. Sane ſi Elector dextre hoſpitia Saxonica occupare potuiſſet, miniſter Cæſareus Dresdæ jam in mandatis habebat inhibere, ne in extrema erumperetur. Nec inficiabantur, Saxonicum fœdus præcipitatum; ac injuſtum juxta, & inutile eſſe, veteranas copias per inopiam deſtruere, ac novas conſcribere, ſimul ejusmodi pactis hoſpitia in anguſtum redigere, ac tot exercitus formare; cum non conſtet, unde veteres ſuſtentandi ſint, & qvid à novis expectandum. Deniqve ſe ab iis, qvi hoſpitia expetant, aut deprecentur, ita torqveri, ut vel ob eam moleſtiam averruncandam ſibi pax qvocunqve modo qværenda ſit. Cæterum ſuper hoſpitiis in Franconia plane abnuebatur. Tantum ut Hanoveranus iis, qvæ uſurpabat, ejiceretur, ac ut infreqventes legiones compingerentur in remedii vicem ingerebatur. Addebantur hortatus, ut Elector militem ſuum Eichsfeldia[illegible], & Reclingshuſa deducat, ac conſilia ſua haut mutet. Sed Meinderſius ſine ambagibus reponebat: Electorem à capite Imperii opem petiiſſe. Si voluntas, aut facultas juvandi deſit, iſti neceſſum fore, ut ſibi qvam commodiſſime poſſit conſulat extremæ rerum ſuarum ruinæ prævertendæ. Nam triſtius ipſi accidere nil poſſe, qvam ſi diutius hoc in ſtatu hærere cogatur. Sed prius declaratis nil aliud addebatur, qvam ab Hamburgenſibus qvinqvaginta uncialium millia datum iri; ac Hanoveranum obtuliſſe, ſe hoſpitiis hactenus inſeſſis in utraqve Saxonia deceſſurum, qvæ Electori conferenda ſint. Tantum ſpatium aliqvod iſtum petiiſſe, ut militi ſuo alibi conſulere poſſet. Qvam in rem ultimus Januarii dies præfixus ſit. Addebatur, Cellenſi injunctum iri, ut Lauenburgica decedat, ac Landgraviam hortandam, ut ſubſidii qvid conferat; omnia incerta, & in futurum prominentia, cum præſenti auxilio opus foret. Eo moleſtius autem erat, à Cæſareis nil ſolidi obtineri poſſe, qvod ipſi Belgis frænandæ in pacem feſtinationi ſuggeſliſſent, ne amplius qvid ſubſidiorum fœderatis numerarent; id qvod ab his avide arreptum: cum tamen Cæſar antea promiliſſet, ſe omnem operam adhibiturum, ut ſubſidia tam à Belgis, qvam Hiſpanis perſolvantur.

Cum Saxone acta.

§. 55. Sed nec omiſerat Elector apud Saxonem diligenter agere, ne is oneri, qvod præſens patriæ neceſſitas imperabat, ſe haut ita opponeret. Unde & antea Thomas Kneſebecius Dresdam miſſus fuerat, qvi de conventione cum ipſius fratribus ſignificaret, petito, ne is qvod inevitabilis neceſſitas ſubegiſſet, in ſiniſtram partem acciperet; per qvæ ejus juribus nil detrahendum ſit; nec iſtud in exemplum trahendum. Addebantur hortatus, ut is cauſam communem ſerio amplectatur, ac amicitiam cum Electore colere pergat, ejusqve ſtudium in Remp. fulciat. Ad iſthæc magna verborum vis reponebatur: ſed non diſſimulabat Saxo, ſibi non parum moleſta eſſe, qvæ fratribus ſuis obtigerint. Iſta non emolumentis tantum ſuis, ſed & autoritati, qvæ tanqvam præfecto Circuli competat, repugnare. Fratres absqve ſuo conſenſu circa talia nil paciſci poſſe, qveis nec jus territoriale, nec *jus collectandi* ſit. Suo ſilentio aliis jus qværi poſſe, ſibi, ſuisqve poſteris ingenti præjudicio futurum. Sequenti anno forte eadem exactum iri. Qvicqvid aliis ſolvatur, ſibi detrahi. Qvæ cum tolerare neqveant, ejusmodi poſtulatis ſuperſederi par eſſe. Qvibus iſte inhærebat, utut Kneſebecius reponeret: iſta Saxoni haut qvidqvam fraudi fore, velut precaria. Addebat tamen Saxo; ſe facile neceſſitatem, qvicum Elector conflictetur agnoſcere, & qvam utilem is patriæ operam navarit, cujus ratio qvam maxime haberi debeat; ac uti injuſte à Svecis oppreſſus ſit. Se ablegato Svecico prædixiſſe, Electorem eam injuriam haut inultam toleraturum; id qvod & eventus comprobarit. Petere tamen, ut circa fratres ſuos facta emendentur. Cæterum de colenda amicitia prolixe. Henricus Friſius tamen innuebat, ſi modo moderatio adhibeatur, acta

3. Mart.

9 Mart.

facile

1676. facile subsistere posse. Mox per literas Elector Saxonem multa verborum humanitate demulcebat; sed acta per necessitatem corrigi non posse. Fuerat nuper à Bavaro legatus Dresdæ, qvi de tertiis partibus inter ipsum, Saxonem, & Hanoveranum agitarat. Ac Dresdæ qvidem Svecos Germania pelli haut placebat. Sed Hanoveranus intuitu Daniæ Regis, & Electoris in eas partes descendere abnuerat.

Alia ad Saxonem missa.

§. 56. Sub fine anni Meindersius ad aulam Cæsaream proficiscens ex itinere Dresdæ explorare jussus fuerat; num ibi gratum sit, à Saxonicis Ducibus arma parari. Tum ut testaretur, Electori dolere sibi necessum fuisse superiore hieme fratribus ipsius molestiam exhibere. Cæsarem jam iterum hospitia Electori assignasse, qvæ ne sextam qvidem partem expleant, cum aliis exercitibus tam laute prospectum sit. Petere, ut Saxo sua petita Cæsari commendet. Ast ubi Viennæ nihil obtineatur, Saxonem haut ægre laturum, si à fratribus Electori iterum modici qvid subsidii præstetur. Agi totius Imperii causam, qvam ipse solus sustinere neqveat extremis qvantumvis viribus connixus. Objectu ditionum Brandenburgicarum Saxonicas tutas præstari, & has æqve fructu bonæ pacis gavisuras, qvæ sine armis obtineri neqveat. Saxonem adversus Gallum auxilia misisse; nec eadem adversus Svecos negaturum, qvi in Circuli hujus visceribus hæreant, ac maxime sibi timendi sint. Nec constantem qvietem huic Germaniæ tractui constare posse, qvamdiu isti trans mare haut amoveantur. Meindersio Dresdam delato Henricus Frisius omnem spem adimebat, Saxonem toleraturum, ut fratribus suis hospitia imponantur. Alias Meindersius deprehendebat, plerosqve Saxonis ministros salutaria patriæ consilia fovere, ni unus, & alter studio in Gallos, & Svecos pronus pleraqve eluderet, cui autoritas apud Principem nulla arte conservabatur. Qvi & nil magis captabat, qvam ut Saxonem qvocunqve modo cum Electore committere posset. Hanc enim efficacissimam fore rationem Svecis respirandi facultatem curandi, Electore in diversa tracto, & Cæsare ad restingvendum domesticum incendium accursuro, occupatis in Pomerania locis ultro ruituris. Interim agitata hactenus inter Bavarum, Saxonem, & Hanoveranum secreta commercia in lucem eruptura, qvibus forte plures sese adjuncturi sint. Sane qvin fœdus jam inter Saxonem, & Hanoveranum contractum esset, dubium non habebatur. Nam cum nuper rumor increbuisset, Electoris copias in Saxonica ditione hiberna capturos, Hanoveranus monente per literas Saxone, protinus promiserat, se omnibus cum copiis isti auxilio venturum; qvo fine & legiones jam utrinqve contrahebantur. Saxo differebat: A se postulari, ut ipse ad hoc bellum multa conferat; sed nullam sibi emolumentorum spem ostendi, qvæ Brandenburgico amplissime exposita sit. Cui reponebatur; Saxonis gloriam, & rationes in eo verti, ut ejus auxilio patria, & communis libertas asseratur, ac tam noxii, & qvietis impatientes vicini amoveantur. Nec Electoris ipsi auxilia qvavis occasione defore. Sed hæc tanti non æstimari videbantur, qvin solidiore sibi modo satisfaciendum innueret. Meindersio digresso Elector denuo Thomam Knesebecium Dresdam ablegabat, ut testaretur, qvemcunqve eventum turbida hac tempestate Deus dederit, se nunqvam à Saxonis amicitia discessurum. Et qvanqvam intellexerit, ab eo postulata apud fratres facta super lubricis in sinistram partem accipi; judicare tamen, eum potius fratres hortaturum, ut modicum ob onus tam difficiles se non exhibeant, si considerare placeat, à se non propriam causam, sed totius Imperii una cum Cæsare, & aliis geri, abs qva Saxo nunqvam se disjunxerit. Simul tractatum offerre jubebatur super promovendis vicissim Saxonis emolumentis, & auxilio præstando; cui & semper gratum animum ipse adprobaturus sit. Dandum id esse bono publico: ac ita gravem sibi necessitatem incumbere, ut negatis hospitiis imperari sibi videatur, causam publicam destituere, ac privatim sibi consulere, non sine maximis incommodis in patriam redundaturis; qvorum culpa penes illos futura sit, qvi propinqvam honestæ pacis spem tam tenuem ob causam eluserint. Saxoni integrum esse tributa designare, qvæ ita taxari qveant, ut ad ipsum qvoqve aliqva pars redeat. Ast Knesebecius Dresdam delatus deprehendebat, Electoris petita non sine gravi offensa accepta; ac dubitari num ipse audiendus sit; ac si ab Electore qvid tentetur, vim opponendam. Ordines qvoqve provinciales tunc congregati ne teruncium qvidem Saxoni annuere volebant, si is in hospitia ista consentiat; ac postulabant militem in finibus disponi, ac provinciales ad arma vocari hospitiis qvocunqve modo avertendis. Unde Saxonicus juxta, & Hanoveranus miles ad arcendos hospites se accingebat. Ad Knesebecii propositionem multus verborum ornatus reponebatur. Cæterum qvæ postulentur

1676.

11. Dec.

12. Dec.

1676. præstari non posse. A Cæsare immunitatem hospitiorum promissam; ac proprium militem suæ provinciæ incumbere. Omnia in se redundare, ac superiore anno à fratribus ob ea hospitia sibi CXXX M uncialium detracta. Ac provinciales Ordines immensum qveri. Ita & is nullo fructu Dresdæ discessit. §

Præparamenta tractatuum Neomagensium. De cerimoniis circa legatos Electorales adhibendis.

§. 57. Eo anno circa præparamenta pacis Neomagensis satagebatur. Ac Viennæ qvidem Elector monebat, ne circa cerimonias Neomagi qvid mutetur ab iis, qvæ Osnabrugæ qvondam observata sint. Ibi enim nostris adventantibus Cæsareos qvadrantem milliaris ante oppidum obviam processisse; qvod & Regii, ac reliqvi Electorales fecerint. In visitationibus nostros ab iisdem apud currum exceptos, ac omnibus simul tam primario, qvam secundariis priorem in incessu, ac ipsorum conclavibus locum cum Excellentiæ titulo tributum. Idem & Olivæ factum, ubi Cæsarei eodem cum Regiis honore nostros habuerint. Ast contra Viennæ postulabatur, ut Electorales legati Ratisponæ Cæsareo qvoqve Commissario succenturiato (*Concommissarium* vocant,) tum alibi ablegatis Cæsareis loco cederent. Tum si Neomagi Electorales legati in negotiis Imperium spectantibus absqve exterorum interventu in Cæsareorum ædibus congressus agitent, qvibus Cæsareus legatus præsideat, huic utiqve supremum locum in propria qvantumvis domo tenendum. Sed & negabatur, Monasterii Cæsareos legatos secundariis Electoralibus in suis ædibus dextram manum, aut titulum Excellentiæ concessisse. Sed Crocovius reponebat; id utiqve Olivæ factum, qvod exemplum recentius sit seqvendum. Cæsarem qvoqve anno 1674 declarasse, ut universi sui legati Electoris legatis universis excellentiæ vocabulum, & digniorem in propriis ædibus locum darent, his legibus ut Elector suis parem characterem imponat, nullo inter primarios, & secundarios discrimine, ac omnes illustri loco natos mittat. Qvarum priorem Elector acceptarat, rejecta posteriore, qvam Cæsarei jam exigere pergebant, etsi aliqvi sub titulo *illustrium* etiam nobiles comprehendi vellent. Sed & difficultas movebatur super prima visitatione, qvam Cæsarei sibi dandam etiam à serius venientibus pertendebant, hac invicta, uti censebant, ratione; qvod utiqve discrimen esse oporteat inter Cæsarem, Electorem, atqve Principem; id qvod plane tollatur introducta omnimoda æqvalitate, & si Electorales, ac Principales non alium honorem Cæsareis exhibeant, qvam qvalem ab iis accipiant; præsertim cum & Principales per omnia Electoralibus æqvales haberi velint. Ast Elector nullo modo ab eo honore, qvi legatis suis antea Osnabrugæ, Warsaviæ, & Olivæ exhibitus fuerat, desistere volebat. Sane se haut qvidqvam dignitatem Electoralem Cæsareæ exæqvari velle, & si hæc sola spectetur, non immerito Cæsareis legatis prærogativæ qvid deberi. Sed nunc æqvalitatem circa cerimonias duntaxat prætendi eam unice ob causam, qvod Electores absqve imminutione sui fastigii non possint minus cerimoniarum admittere, qvam Cæsar Rerumpublicarum legatis deferre soleat. Nec qvæ Electoralibus concedantur, à Principalibus statim exigi posse; cum aulæ Cæsareæ peculiares rationes sint ad autoritatem Electoralem tuendam, Electores qvoqve separatum, & primum collegium in Imperio constituant. Sed nec legem sibi à Cæsare præscribi posse, qvod legatos utiqve illustri loco natos mittere debeat. Nam & Cæsarem literatos, uti Joannem Cranium Osnabrugæ, & alios legationibus obeundis adhibuisse, & jam Fischerum JCtum adhiberi; manifesto indicio, eum in ejusmodi negotiis dexteritatem magis qvam stirpem respiciendam ducere; nec idoneas ei functioni artes natales semper seqvi. Circa congressus in ædibus Cæsareorum legatorum Neomagi posse agi, ac forte eos commodius in loco tertio haberi. De *Concommissario* Ratisponæ se consentire, ut sui legati eidem in loco tertio cedant, si contra Cæsarei primum, & secundum ipsius legatum pari honore habeant. Qvod Cæsarei objiciant, oportere, ut sit discrimen inter Cæsaris, & Electorum legatos, id nihil esse. Cur enim non discrimen sit inter Cæsaris, & Rerumpublicarum legatos? Cum tamen Cæsar Electorum prærogativam contra Resp. tueri teneatur. Enimvero prærogativam Cæsaris in ipso fastigio dignitatis consistere, cui nil decedat, si ejus legati non alio se modo erga Electorales, qvam Rerump. legatos gerant. Sed qvicqvid Crocovius urgeret, non aliud responsum extundere poterat, qvam exemplum Osnabrugæ, ac Monasterii observatum seqvendum, ubi primarii & secundarii dispari honore habiti sint: ac si qvæ in contrarium movebantur, ad archivum suum provocabant. Ad excerpta è Lœbii Baronis diario excipiebant; Cæsareum legatum primarium non adfuisse, sed duos tantum secundarios. Ad factum Olivæ reponebant, ibi Leopoldi legatos egisse, non ut Cæsareos, sed ut Regios Hun-

1676. 17. Jul.

1676. Hungaricos; utut regereretur, eos tamen velut Cæsareos continuasse. Declarationem anno 1674 per Vicecancellarium Imperii significatam meminisse se negabant. Qvin contendebant; primam visitationem Cæsareis nunqvam in dubium vocatam; cum tamen Osnabrugæ Cæsarei nostros serius venientes primo loco salutassent. Ad extremum tamen Cæsar ejusmodi decretum condebat: *Etsi ea, qvæ olim Monasterii & Osnabrugæ contigerunt, ibiqve Electoralibus legatis concessa sunt, in præjudicium allegari neqveant, velut cum expressa protestatione Cæsareæ legationis facta, & ad illa duntaxat tempora restricta: Cæsarem tamen demum ad promtiorem pacis promotionem ferre posse, qvia præsens congressus non in solo Imperii, sed extra id habeatur, nec pro conventu Imperii reputari possit, ut non solum hac vice discrimen inter primarios, & secundarios legatos sublatum sit, ac isti citra respectum, illustri, an minus loco nati sint, pares habeantur; sed & iisdem à Cæsareis legatis, & plenipotentiariis in propriis horum ædibus dignior locus cum titulo Excellentiæ, & ubi posteriores in loco tractatuum comparent, prima visitatio detur. Omnia tamen ea expressa cum conditione, & reservatione, ut dicta abolitio discriminis inter primarios, & secundarios nullo modo ad conventus comitiales, circulares, & alios similes in Imperio institutos extendenda sit, sed ibi receptus inos inter primarios & secundarios retineatur; ac ut in loco tertio tam publicis qvam privatis congressibus nunc & in futurum Cæsareis secundariis præ Electorum primario dignior locus semper citra tergiversationem concedatur.* Cæterum qvod *Concommissarium* Cæsareum attinet, ei antea Electorales sine tergiversatione priorem locum concesserant. Sed novissimo Schutzio ideo controversiam moverant, qvod is Cancellarius Aichstadiensis esset, & ingressu in urbem sub Præposito Aichstadiensi sedisset. Jubebantur tamen ab Electoribus & huic cedere, se diutius supervixisset. Vicissim Electorales stipulabantur; ut tam primarius Commissarius, qvam huic dein succenturiandus Electorales aliter, qvam Principales tractaret. Nam primarius Commissarius Marqvardus Aichstadiensis Præsul utpote ipse Princeps exæqvationi legatorum Principalium faverat; utut ejus antecessor Archipræsul Salisburgensis secus fecisset. Unde & isti denuntiabant, si ipsos deinceps pari cum Principalibus modo excipere pergeret, se eundem invisere omissuros. Ista Cæsari probabantur, ac futurum Concommissarium eos titulo Excellentiæ honoraturum, ac alias ita eosdem tractaturum, ut contenti esse possint. Primarius qvoqve Commissarius declarabat, se deinceps discrimen inter eosdem, & Principales observaturum. 1676.

§. 58. Ast qvod Principum legati cum Electoralibus pari honore haberi vellent, eam innovationem Cæsar nullo modo probare volebat; sed utiqve vetere consvetudine standum, ac Cæsareos legatos ingens discrimen inter Electorales, & Principales facturos. Ac malebat Cæsar à Principibus Deputatos tantum mitti varias ob difficultates prævertendas. Qvanqvam si utiqve justos legatos mittere velint, id prohiberi non possit. Nam Cæsarem facilius concedere posse, ut octo Electores in Imperio prærogativæ qvid habeant, qvam ut omnes Principes sese ipsi æqviparare instituant. Porro ut Principales Electoralibus pares haberentur saltem extra Imperium, Neoburgicus, & Luneburgici apud Bavarum proposuerant. De qvo hic per literas Electori significabat. Cui responsum: se antiqvis Principum domibus nunqvam invidisse, ut legatos mittere possint, qvin eorum causæ faviſſe. Sed autorem latini scripti, qvod tunc firmandæ Principum prætensioni vulgatum fuerat, multa falsa; aut ad turbandam inter Electores, & Principes amicitiam tendentia miscuisse, qvæ utiqvæ castigationem mereantur. A Bavaro qvoqve hac de re ad Regem Daniæ relatum fuit. Super qva Alefeldius Cancellarius judicabat; Luneburgicos non posse primi gradus legatos mittere, qvod alias par jus non Principes solum, sed & omnes Imperii Ordines sibi arrogaturi sint. Sed Brandius censebat; satius esse à Rege Daniæ hanc qvæstionem non decidi, sed ut declaret, se reliqvorum Regum exemplum secuturum; qvod servandæ inter fœderatos concordiæ præstet, odium negatæ prætensionis potius in Reges hostes, qvam socios redundare. Ac forte Bavarum id qværere, ut Neoburgico, & Luneburgicis offensæ ansa præbeatur. Ast in Anglia Rex jam mature ex Electore per Sverinum scisitatus fuerat, num Luneburgici primæ dignationis legatos missuri sint, an minus? Cui Elector: id Ducum in arbitrio esse; ac se id institutum magis fulturum, qvam impediturum, modo sui legati regiis pares habeantur, in cujus honoris possessione ipse ultra triginta annos fuerit. Nam si Angli id negare velint, nullam negotiationem inter hos, ac suos esse posse. Sed Angli in postulatum Principum haut proclives erant, qvod jus mittendi legatos in infinitum videatur extendendum, sub-

De paritate legatorum Principalium cum Electoralibus.

81. Nov.

30. Oct.

1676. lato qvoqve inter Regios, Electorales, & Principales legatos discrimine. Etsi ipse Rex non tam ipsum jus primi gradus legatos in dubium revocare volebat, qvam ut Principes ultro ea prætensione desisterent, qvod super cerimoniis difficultas surrectura sit, cum utiqve Regii præ Principalibus plus honoris exacturi sint. Ac titulum demum *Ambasciatorum* dari posse, si à Cæsareis, & Hispanis initium fiat: priorem locum, & Excellentiæ titulum vix impetrandum. Haut eo minus Elector Hagæ per ministros suos Principum postulata fulciri jubebat: ac Romswinckelius declarabat, jus mittendi legatos primi Ordinis ab Electore nunqvam in dubium vocatum, nec id denegari iisdem posse. Cui & à nemine contradicebatur, nisi qvod aliqvi monerent, in cerimoniis nonnihil discriminis observatum iri. Svadebant tunc consiliarii, ut Luneburgicis declaretur; qvanqvam hactenus mos tulerit, Principales etiam post venientes Electoralibus primam visitationem dare, haut accepto priore in horum ædibus loco; se tamen serius advenientes primum à suis visitari, ac in propriis ædibus primo loco honorari jussurum, si Principales vicissim Electoralibus Excellentiæ titulum dent, ac inter primarios & secundarios nil discriminis faciant. Sed Elector ejusmodi literas dare dubitabat, qvod Duces in Bremensi negotio ita sinistre cum ipso agerent. Qverebantur dein aliqvot Principes, in diplomatibus tuti itineris à se missos *Ambasciatorum* vocabulo haut nuncupari. Ad qvæ Belgæ decernebant: si qvi demonstrare possint, se antea ministros cum isto titulo misisse, eosqve hac cum dignatione ab aliis receptos, iis hunc titulum in præsens qvoqve dandum. Reliqvis autem, utut jus legationis sibi competere demonstrare velint, cum titulum haut tribuendum. Inde ansam arripiebat legatus Anglicus Wilhelmus Templius cum Blaspielo super cerimoniis velut privato nomine differendi: par esse omnia relinqvi, uti Monasterii & Osnabrugæ fuerint. Si Gallus pergat Lotharingo de vocabulo *Ambasciatorum* abnuere, idem nec reliqvis Principibus Imperii concedi posse; præsertim cum Lotharingus deduxerit, à majoribus suis sæpius legatos missos, id qvod forte Principibus Imperii difficile demonstratu sit futurum. Monasterii Electores legatos, Principes ablegatos habuisse: id in præsens qvoqve retinendum. Sed Lotharingum neminem ibi ministrum habuisse; unde id exemplum contra eum adduci non posse. Etsi reponeretur, qvod Monasterii factum sit, Ordinibus fraudi esse non posse, cum is conventus multum ex indole comitiorum traxerit. Idem interrogabat, an non Lotharingus Electoribus super digniore loco controversiam moveat? Ad qvæ Blaspielus: Electores proximum à Regibus locum nemine interjecto obtinere, nec cuipiam alteri cedere. Eqvidem Lotharingum semotem in Polonia aliqvando qvid movere ausum; sed Electorem suis injunxisse, si ab eo missus tale qvid prætendat, publice cum contumelia repellendum. Eum Ducem, cum ante qvadriennium apud Electorem foret, id excusasse, ac à se id mandatum negasse. Sabaudum, etsi Celsitudinis Regiæ titulo honoretur, Electoribus ultro cedere. Cum Templius rogaret, qvare Belgæ super loco cum Electoralibus contendant, Blaspielus reponebat; eam prætensionem novam esse, & Joannis Wittii commentum, cum antea ea Resp. usqve ad annum 1636 sine contradictione istis cessisset. Et qvia Electori cum Rep. semper negotia intercedant, ne hoc prætexto ipsorum amicitia vado adhærescceret, ex eo tempore circa subscriptionem super temperamento convenisse. Ac jam Electorem à Belgis postulasse, ut hoc conventu eam controversiam qviescere patiantur, qvod is in eorum territorio agitetur. Cæterum legatos Electoris Olivæ omnes pari honore habitos: nec minus anno 1661 in Anglia amborbus eundem honorem exhibitum. Templius arbitrabatur, si Elector suos tantum ablegatorum dignatione mittere velit, id magni meriti loco fore, & pacis negotium valde promoturum; nostro reponente, id futurum, si Gallus, & Svecus exemplo præeant. Electorem Coloniæ nuper ablegatum habuisse, qvod parum ibi negotii ipsi esset: sed nunc id bellum primario ipsum tangere. Ac si à reliqvis omnibus legati veniant, ignominiosum ipsi, si solus ablegatum mittat; Si ab omnibus ablegati accedant, easdem difficultates fore.

1676.

20. Sept.

§. 59. Præbuerat hactenus Wilhelmus Furstenbergius Gallo prætextum extrahendo de pace congressui; qvod per temperamentum ab Anglo propositum fuit sublatum. Volebat tamen Cæsar, ut iste non ad Gallum, sed ad Angliæ duntaxat Regem scriberet, per se moram paci haut fore. Sed circa diploma, qvod proistius fratre Francisco Egone Argentoratensi Præsule petebatur, Cæsar eam conditionem additurus erat, ut eandem viam, qvam Galli, terra, aut aqvis per Hispanicam, aut Belgicam ditionem sumeret; Neomago autem non ulterius, qvam intra neutralitatis spatium

Dissentates circa diploma Argentoratensis Præsulis

1676. tium progrederetur, nec longius in Germaniam pro lubitu vagaretur. Et qvia Belgæ eidem citra exceptionem diploma annuerant, Cæsar eos monebat, ne in negotiis Imperium spectantibus ita præcipitanter velut pro sententia dicant, sed ad se prius referant. Cæsaris exemplo Elector qvoqve Argentoratensis diplomati eandem conditionem addiderat: simul ipsius Præsulis mentionem fecerat, si ad tractatus accedere placeret. Qvorum utrumqve Præsul corrigi volebat, ac ut à se missis citra restrictionem iter capere liceret. Id qvod Elector ad alios fœderatos rejiciebat. Post Cæsar literas tuti itineris pro ipsius deputatis pure annuebat, ne Belgæ suspicarentur pacis moras qværi. Nolebat tamen ab isto justam legationem mitti, sed ut tantum Neomagi ipsi habere liceret, qvi ejus res ageret nullo charactere: ac addebatur conditio, si Gallus pro Lotharingo diploma debita forma exhibeat. Demum cum is diploma ad formam qvam desiderabat accepisset, tria diplomata exigebat. Sed Belgæ respondebant: sat laboris à se exhaustum, ut à fœderatis unum ipsi extuderint, qvo ut adqviescat par sit.

Lotharingia Ducis. Prince. Cousin.

§. 60. Ast major difficultas circa Lotharingi diploma movebatur, qvod Gallus in eo istum non *Ducem Lotharingiæ*, & *Fratrem*, sed tantum *Principem Lotharingiæ*, & *Cognatum* nominaret. Nam tractatum cum defuncto Duce Parisiis factum, qvo hic titulus isti tribuebatur, ab eodem violatum fuisse. Posse tamen Neomagi de eo agi; interim à Lotharingo diploma cum protestatione admittendum. Nam se per tractatum anno 1661 initum jus ad Lotharingiam qvæsivisse, & in possessione esse, contra Carolum Principem eam ditionem jure natalium petere. De qvo cum conventus Neomagensis cognoscere debeat, à se postulari non posse, ut isti in antecessum eum titulum det. Neqve enim partem obligari posse, ut contra seipsum pronuntiet. Ast fœderati Hagæ judicabant; id negotium Anglum tangere, eumqve teneri Gallum ad rationem admittendam urgere, velut qvi à fœderatis petierit diploma ad conventam formam exhiberi. Etsi mirum habebatur, à Gallo, qvi hactenus ad pacem properare visus fuerat, nunc moras injici. Sane ista Galli ratio haut idonea videbatur. Nam hic antea & ipsi, & aliis scripto confirmarat, expeditionem adversus Lotharingum haut eo fine susceptam, ut Ducatus is Galliæ adqviratur, sed ut senior Dux paulisper castigetur; ac ut qvæ tunc erat pax orbis Christiani sarta tecta præstetur; contra periculosa, ac vacillantia Ducis consilia, qvicum Rex certas inire rationes neqveat, compescantur. Nunc contra istam testationem solidum jus in istum Ducatum prætendi. Sed & pactum, ad qvod Gallus provocet, invalidum fuisse; cujus & palmaria conditio à Gallo impleta non fuerit, ut nempe Principes è Lotharingica familia Principibus sangvinis Regii insererentur. Et qvia iste tractatus citra eam clausulam inter acta Parlamenti relatus fuerit, Ducem tribus post septimanis eum nullum declarasse. Seqventi qvoqve anno aliud pactum inter Regem, & Ducem Marsali anno 1663 conclusum, qvo disponebatur, ut Dux omni ditione, qvæ à Ducatu Lotharingiæ dependeat, excepto Marsalo, gaudeat, qvomodo anno 1661 ea gavisus fuerit. Sicuti & tali modo Dux in possessione usqve ad annum 1670 fuerit. Deniqve Ducem plane de Ducatu eo disponere haut potuisse. Nam si in Lotharingia lex Salica locum habeat, eum in fraudem proximi agnati alienari non potuisse. Si fœminis in eundem jus competat, defuncto Duci plane nullum jus ad eundem fuisse, velut qvi ad præsentem Ducem etiam isto adhuc vivo spectarit. Ac seniorem Ducem jam fato functum, qvi pacto suo jus per natales qvæsitum successori adimere non potuerit. Deniqve & fœderatos ansam inde accepturos Sveco velut hosti Imperii judicato titulum Bremæ, & Ferdæ negandi; id qvod novis tricis ansam præbiturum sit. Electoris sententia erat: etsi Gallus ad se ipsum damnandum non teneatur: non tamen ei fas esse litigiosam provinciam pro sua declarare, tantum qvia ita placet. Sed Anglo id optimum temperamentum videbatur, ut neutra bellantium pars diplomata pro legatis daret; sed se tanqvam seqvestrem omnium securitati prospecturum, & ad cujusvis desiderum diplomata formaturum. Id qvod temperamentum Gallo probabatur, utpote de qvo inter ipsum, & Anglũ clam convenerat. Nam sex dies ante, qvam Anglus id velut à se inventum proposuisset, jam impressis per Galliam relationibus vulgatum erat, tale qvid à Gallo propositum iri. Sed fœderatorum legati Hagæ in id consentire dubitabant, qvod de eo nil in mandatis haberent. Ac eo ipso nimia autoritas seqvestri tribui videbatur; simul Gallus in prava sua intentione Ducem non agnoscendi confirmandus erat. Aliorum qvoqve Principum supremo imperio fraudi credebatur, ad alterius diploma hostibus tutum iter in territorio suo concedere. Nec Lotharingo

1676. consulebatur, si Anglus titulum daret, qvem Gallus negabat. Anglo super hoc temperamento ad Electorem scribenti responsum; se expensa re cum iis qvorum interest Hagæ deliberaturum. Suis Hagæ injungebat majoris partis sententiæ accedere. Sed fœderati consensu id rejiciebant, Anglumqve rogabant, ut Gallo omnem spem adimeret, id à se unqvam admissum iri. Anglus contra censebat: qvia Gallus semel id temperamentum admiserit, eum inde haut discessurum. Sed Beuningius regerebat: qvia Gallus Anglo facultatem dederit diplomata pro Lotharingo expediendi, in qvibus non dubitet, qvin Duci justus titulus sit dandus, eundem huc qvoqve descendere posse, ut eum titulum ipse det: cum perinde sit per se dare, aut in alterum potestatem dandi conferre. Rex contra: sed nec fœderatos diplomate à se dato lædi; cum Dux utiqve expetitum titulum, & qvidem probante Gallo obtineat. Cæterum se facile perspicere, id temperamentum ideo non admitti, qvod à Gallo profectum credatur. Sed si fœderati judicent, melius ipsis continuato bello, qvam pace consuli, id se facile ferre posse. Suo tamen judicio non esse, qvod Hispani spem pacis tantopere repudient. Nam qvod Danus, & Elector id faciant, excusari eos posse, qvod insignes progressus fecerint, & ulterius facturi videantur. Sane à Gallo nil amplius obtineri posse; ac si fœderati congressum expetant, ipsis de temperamento cogitandum fore. Regerebat Beuningius; si maxime fœderati diplomate ab Anglo dato adqviescant; non tamen cautum iis esse, in ipso congressu Lotharingicos à Gallis titulum Ducis accepturos. Qvo negato novas difficultates surrecturas. Qvæ ratio Anglo non de nihilo videbatur. Haut eo secius post ab ipso Gallo diplomata pro Lotharingo desiderata forma veniebant. Id qvod cupidine pacis fieri satis adparebat; cujus & legati jam in vicinia hærentes, peculiarem cum Belgis tractationem aucupabantur. Fagelius eum fructum esse ostendebat constantis unionis, qvæ Hagæ colatur, qvam in persequendo bello, ac tractanda pace commendabat; confirmans Belgas optima fide acturos, & ne minimum qvidem seorsim transacturos; qvem candorem & de reliqvis sperent. Haut eo secius Gallus protestationem contra titulum Lotharingi Anglo insinuaverat, qvam hic haut communicatam suppresserat. De qva fœderatorum legati, cum inaudissent, graviter querebantur. Esse rem mali exempli, si sequester ab una partium ejusmodi protestationes admittat, alteramqve partem celet. Sed Beuningius censebat; integrum esse sequestri supprimere, qvæ partium animos tantum asperent. Nec eam protestationem Lotharingo nocere posse, qvod Belgæ qvoqve scripto declararint, eum titulum Galli juribus, si qvæ sint, fraudi non fore. Post Lotharingus postulabat, ut in diplomate à Gallis dato à se mittendus non laxo vocabulo *minister*, sed *Ambasciator* vocaretur. Id qvod Gallus à se fieri posse negabat, ni prius demonstretur, Ducem qvempiam Lotharingiæ unqvam ejus gradus legatos in aula Gallica habuisse. 1676.

De cursoribus.

§. 61. Circa cursores Hispanicos difficultatem movebat Gallus, qvos ubiqve per suum regnum qva placebat ut transirent, permittere nolebat, ne eo prætexto omnia explorarent, aut alia periculosa miscerent; sed iis semper idem iter tenendum, de qvo inter ipsos conveniendum sit. Fœderati eam rem non magnopere à se urgendam censebant, cum id incommodum maxime Gallos, & Svecos tacturum esset, qvorum cursores necessario fœderatorum terras transire debebant. Ac Gallus mox Hispanicis cursoribus eam viam perscripserat, ut per sinistram Rheni ripam Basileam usqve adscenderent, inde per Helvetias Lugdunum, ac per Catalonian Madritum tenderent. Unde & cum Sveci quererentur, ipsorum cursoribus per Daniam iter non concedi, Dani reponebant; hisce itidem ejusmodi iter per Germaniam, ac Poloniam in Livoniam, inde in Sveciam assignari posse.

De medio statu tractui circa Neomagum concedendo.

§. 62. Super immunitate à molestiis belli tractui circa Neomagum concedenda diu qvoqve disceptatum. Belgæ eam trans Vahalim in Betaviam extendi nolebant, & secundum flumen non nisi ad castellum à Divo Andrea dictum. Alias sibi perinde esse, qvam laxe, aut arcte Galli eos limites ponere velint, hac tamen cum denuntiatione, ut qvicqvid extra eosdem deprehensum esset, id prædæ foret. Ast Anglus rogante Electore istam eousqve porrigi volebat, ut Cliviam qvoqve, & Meursam comprehenderet, qvod ex his regionibus, qvæ ad victum necessaria sint, fere Neomagum adportanda forent. Sed Gallus parum facilem se exhibebat. Nam & Cæsarem erga conventum Colonienſem parum indulgentem fuisse, ubi in recreationem, & usum legatorum ne latus qvidem pes extra urbem licentiæ bellicæ exemtus fuerit, ita ut ne intra machinarum qvidem jactum campo uti potu-

1676. potuerint, ac iis velut captivis in urbe desidendum fuerit. Williamsonus Secretarius Anglicus censebat; qvæsitam ab Electore Clivicæ exemtionem æqvitate haut niti, ac nullam rationem inveniri posse Gallum ad eam concedendam permovendi. Nam istum nullibi alias Electori nocere posse: ac Clivicis suas res Neomagi care vendentibus facile fore Gallis tributa exsolvere. Sperare qvoqve Gallum, se crudelibus in Clivica exsecutionibus Electorem ad separatam pacem compellere posse, præsertim postqvam Belgæ subsidiorum solutionem abnuere cœpissent. Sed & olim sub Monasterii usqve suburbia contributiones bellantibus inter tractatus pacis solutas. Ad extremum Galli spatium dimidii milliaris Germanici, seu unius horæ iter inter Vahalim, & Mosam tributis, aliisqve molestiis belli eximebant.

Num delegati Ordinum Neomagum mittendi?

§. 63. Ratisponæ Bavarus, & Saxo proposuerant, eoqve nomine ad Cæsarem scripserant; universis Ordinibus apud tractatus pacis esse interveniendum, ac delegatos Neomagum nomine Imperii mittendos. Id qvod absurdum judicabat Cæsar, Ordines seqvestrium instar gerere velle, qvi Gallum, & Svecum hostes judicaverant. Nec eam missionem è dignitate Imperii esse, cum constet, qvam contemtim qvondam ad tractatus Pyrenæos legati Electorum habiti fuerint. Ac inprimis Bavarus suspectus erat, ne inter tractatus qvoqve favorem in Gallos, & Svecos exsereret. Is haut eo minus diploma pro legatis suis ad eum conventum apud Belgas qværebat; sed qvi prius nosse volebant, num id petat tanqvam Princeps Imperii, an tanqvam fœderatus alterutrius partis? Elector de eo reqvisitus ad Cæsarem rejiciebat. Sed qvi censebat; haut commode Bavarum posse Neomagum mittere, cum nec fœderatus ipsius sit, nec Galli socius audire velit, nec ejus velut seqvestris opera à se expetatur. Nec vero Ratisponæ adhuc definitum, an, & qvomodo Imperium istis tractatibus intervenire debeat. Sane cum Cæsar in Lotharingica causa legatum Parisios misisset, Gallus expresse denuntiarat, ne de Imperii interpositione mentio fieret. Unde dubium esse, num accedentes admittendi sint. Unde svadebat Cæsar, ne Elector isti de obtinendo diplomate spem faceret. Qvam ob causam & Cæsar Hanoverano diploma petenti abnuerat.

De Venetorum, & Papæ offic.

§. 64. Venetos, qvi apud Cæsarem seqvestres se obtulerant, hic admittebat, si & alii fœderati idem faciant. Sed Hispani duo contra movebant. Nam & satisfieri sibi postulabant ob negatum copiarum transitum, qvas ex Austria Neapolin, & Messanam missuri fuerant. Tum & protestabantur, ne qvi nominatus à Rep. fuerat Franciscus Nanius ei functioni adhiberetur, *Nani.* qvi in historia sua eminens studium pro Gallo contra domum Austriacam præ se tulerat; qvam rationem & Cæsar probabat. Londini Residens Venetus Sanottus Sverino significabat; à Rep. sibi injunctum paci conciliandæ apud futuros tractatus officium offerre, addito, securitatem, & æqvitatem pacis ipsi cordi fore. Sverinus id se Electori relaturum dicebat. Qvia tamen hic absqve communicatione cum aliis nil decreturus sit, id negotium sine dubio Hagam remissum iri. Sed reponebat Venetus: qvia Reipublicæ minister Hagæ non sit, nec ea soleat ad exteros Principes literas dare, sed per ministros sententiam suam explicare; igitur & hoc à se per Svernium Electori significare voluisse. Par denuntiatio ministro Danico Londini facta erat, qvi Regis jussu declarabat; si alii fœderati non repugnent, Venetorum officium sibi non ingratum fore. Contra Pontificem opponebat Crocovius: Instrumentum Pacis Westphalicæ etsi respectu Galliæ, & Sveciæ mutandum sit, in reliqvis cumprimis circa jura Ordinum, ac rem Protestantium subsistere debere. Sed qvia Pontifex contra posterius protestationem interposuerit, parum proficui officii ab eo sperandum esse. Sed Cæsarei reponebant; Instrumento pacis utiqve vim constare debere circa jura Ordinum, & rem Protestantium; sed Pontificis officium adhiberi duntaxat circa ea, qvæ ipsum non tangunt; qvod & Monasterii factum. Qvod si & nunc protestationem interponere velit, id prohiberi non posse: integrum tamen sibi esse eam non curare. Cæterum cum jam ante biennium Cæsarei officium Svecorum velut in Gallos pronorum suspectantes in Pontificem seqvestrem consensissent, Svecicus qvoqve minister Esaias Pufendorfius, qvod hic cum Rege Sveciæ id munus simul obire non posset, per Chiaramannum Florentinum ablegatum Nuntio Viennæ objecerat; qvo modo Pontifex ad instaurandam pacem Westphalicam operam interponere possit, cum antea Innocentius X. edita bulla eidem ita enixe contradixerit? Cui Nuntius responderat: *Sedem Romanam hactenus duntaxat ei pacti contradixisse, qvà de Ecclesiasticorum bonorum alienatione ibi agatur. Ac eo ipso Curiam Romanam providisse, ut Cæsari*

Nani. *Sanotti.*

1676. *sari in anteceſſum facultas comparetur, abſqve conſenſu Pontificis alienata bona ſacra vindicanda, qvamprimum occaſio arrideat. Alias eam ſe pacem ſuo in pretio relinqvere, ac uti per Fabium Gheſium ſedula opera navata fuerit reconciliandis Chriſtianis Principibus, ita & nunc à ſe faciendum, nulla circa peculiares iſtas vtes cura. Ac Pontificii in præſens ſufficere inter Cæſarem, & Gallum amicitiam reſtabiliviſſe, ac in univerſum rem ad limites priorum pactorum reduxiſſe. Præſertim cum exſecutio iſtorum deſtinatorum ad commodiorem occaſionem reſervanda ſit.* Eidem Chiaramanno Nuntius faſſus fuerat: Cæſarem ſibi declaraſſe, etſi per conſilium in Belgarum gratiam captum progreſſibus Catholicæ religionis obex objectus ſit, Gallo ad deferenda loca coacto, ubi jam ritus Romani introducti erant: id tamen alibi cum fœnore ſarciendum; præſertim cum ſatis conſtet, Gallo in hoc bello non tam de propaganda religione, ſed de proferendis finibus agi. Nam ſi Numen deſtinatis ſuis faveat, ſe teſtandæ in ſedem Romanam devotioni amiſſa per Germaniam bona ſacra ad veteres dominos reducturum; cui fini per Pontificem facta proteſtatio ſemper ipſi rem integram ſervet. Et eam cauſam fuiſſe, qvare Curia Romana qvod prius erga Gallum oſtenderit ſtudium exuerit. Qvæ tanto ſimiliora vero videbantur, qvod Hiſpanicus legatus Balbaſius circa idem tempus Viennæ diſſeruerat: *Tempus nunc eſſe ſub jugum mittendo Imperio, ac eo tendere, qva jam Vienna agitentur conſilia. Nam Svecis non tot copias eis mare eſſe, qvibus ingens opera pretium facere poſſint. Regem juvenem, celibem, qvem ardio ſe negotio immergere intempeſtivum ſit. Proceres Svecia, qvibus in eventum mortis regia aliqva corona ſpes ſit, hac durante externo bello ſeſe haut ingeſturos, ſed potius interna, ſi qva contingat, mutationi invigilaturos. Wrangelium haut temere Svecia exceſſurum, ſed potius moderamen militia domi retenturum. Brandenburgico eſſe qvidem egregium militem, ſed parum pecunia. Luneburgicam domam in ſe diviſam. Unde bellum contra Gallum verbo decretum; ſed ſimul Imperii ſtatus in ordinem redigendos.* Aſt Elector, etſi Monaſterii olim Papæ officium diſerte rejectum non fuiſſet, circa id tamen nunc in neutram partem ſe declarare poterat, qvod iſtud à Pontifice ſibi oblatum non eſſet. Qvo & ſibi parum conſulebatur, qvod iſtius Nuntius non niſi Catholicos ad ſe admittere vellet. Ac revera malebat eum Neomago abeſſe, qvod meminiſſet, qvid iſte qvondam ſuper præſulatibus ad ſecularem conditionem redactis moviſſet. Circa eum tamen ſecuturus erat, qvod Belgis placuiſſet, niſi aliis Proteſtantibus fœderatis ſecus videretur. Ac legatis ſuis injungebat, ſi Nuntius de adventu ſuo ipſis ſignificaret, parem humanitatem reponerent: id omittentem ultro ne ambirent. Nam & Belgæ olim legatos ſuos reprehenderant, qvod Monaſterii, Nuntio priores iſta honoris indicia exhibuiſſent. Hi nunc circa diplomata illi danda tergiverſabantur obtentu, eum iis opus non habere. Seqveſtrem autem ſibi plane abnuebant; cujus & officium Danus admitti poſſe negabat. Is Nuntius interim tecte templum publicum Neomagi petierat Romanis ritibus exercendis; ſed cum id recuſatum eſſet, ſaltem ut privatum ſacellum domi ſuæ habere liceret, poſtulabat, ac ut privilegiis aliorum legatorum frueretur, & citra impedimentum habitu Nuntiis ſolito in publico incedere poſſet. Qvod poſtulatum magiſtratus Neomagenſis ad Ordines Generales rejiciebat. Obtulerat qvoqve officium ſuum Petrus Luſitaniæ adminiſtrator. Sed qvia Anglo id parum gratum erat, nil amplius de eo movebatur. 1676.

§. 65. Circa diplomata, qveis legatorum ſecuritati cavetur, Templius Hagæ noſtros urgebat, ut lucrando tempori ea pro legatis Svecicis recta Holmiam mitterentur. Sed id rejectum, ac nolebat Elector ſua diplomata cuipiam præterqvam Templio tradere, idqve nonniſi exhibitis viciſſim Svecorum, & Gallorum diplomatibus. Sed cum Svecica jam allata eſſent, Belgæ utiqve ſua cum his permutare cupiebant; fœderatis contra expectandum conſentibus, qvoad & Gallica allata ſint, ut omnia hinc inde ſimul tradi qveant. Sed Belgæ contendebant; id ſibi facto opus eſſe, ni civium ſuorum patientiam conſumere velint. Nam horum ſeditionem metuendam eſſe, ſi animadvertant pacem data opera extrahi. Ita demum fœderatis in eam permutationem conſentiendum erat his conditionibus; ne Belgæ cum Svecis peculiarem tractationem ſuſcipiant, iidemqve Svecorum diplomata pro aliis fœderatis in manibus teneant, ſuo tempore his reqvirentibus permutanda: ut Sveci reliqvorum fœderatorum diplomata acceptare teneantur, aut ubi id abnuant, Haga diſcedere neceſſum habeant. Deniqve qvia metuendum ſit, ne Sveci Neomagi varia machinentur, à Belgis accurate proſpiciendum, ne ibi ſuſpectis hominibus morari liceat. Sed cum Belgæ ea diplomata Svecica à Templio, qvi eadem aſſervabat, peterent, hic

De diplomatum hinc inde traditione.

11. Mart.

1676. hic super iis tradendis scrupulum movebat, causatus Regem Angliæ velut seqvestrem cupere, ut omnia diplomata una vice exhibeantur, ac hinc inde tradantur. Unde & Belgæ decernebant, se Svecos, ubi Hagam venerint, non velut legatos admissuros, ni permutatio diplomatum cum aliis fœderatis interim facta sit. Cum itaqve Gallica qvoqve allata essent, permutationem faciendam Hagæ decernebatur; ac omnia fœderatorum diplomata per agentem Heidium Templio tradebantur; qvi vicissim Gallica, & Svecica singulorum fœderatorum ministris exhibebat. Qvia etiam Gallus pro Hispanis tria diplomata, pro reliqvis fœderatis tantum singula miserat; decernebatur, Gallo unum duntaxat dandum, qvoad & iste reliqvis fœderatis plura daret. Ita Romsvvinckelio unum Gallicum, & unum Svecicum diploma per duos è collegio Ordinum Generalium tradebatur. Sed in Gallico diplomate ab Electore mittendis non nisi *ministrorum*, & *deputatorum* vocabulum erat expressum; cum in iis, qvæ pro Cæsare, Hispano, Dano, ac Belgis tradita erant, *Ambasciatorum*, & *Plenipotentiariorum* extaret. Lotharingis qvoqve, & Luneburgicis idem vocabulum *ministrorum*, & *deputatorum* datum erat; qvo hi initio adqviescebant, qvod non legatos primi gradus, sed tantum ablegatos mittere decrevissent. Post tamen cum istorum loco *Ambasciatores*, & *Plenipotentiarios* nuncupari vellent; Templius & alii ansam inde arripiebant de temperamento cogitandi, qvo Regii à Principalibus discernerentur. Sed & Galli in diplomatibus suis de tuto discessu omiserant. Ast Elector ea vocabula utiqve corrigenda postulabat, & ne anteqvam id fiat, legati Gallici Neomagi admittantur. Ac promittebant Belgæ, se cum Templio ea de re locuturos, ac ut Electori satisfiat curaturos, qvo ipsius legati eodem cum Hispanicis, Danicis, & Belgicis vocabulo nuncupentur. Legatus Gallicus in Anglia Curtinius id in errorem scribarum rejiciebat. In diplomate qvoqve à Svecis dato titulus tantum *Plenipotentiariorum*, non item *Ambasciatorum* adparebat.

30. Maij. Id qvod Elector admittendum haut censebat, ac eundem titulum legatorum plenipotentiariorum, qvem ipse Gallicis ac Svecicis dederat, suis qvoqve dandum, ac tantisper negotiationem Neomagi suspendendam postulabat. Templius id sine mora, ac difficultate emendandum pollicebatur: sed ut ideo tractatio Neomagi suspendatur, durum nimis esse. Etsi ad eam non ita propere accedendum sit; ac diplomata ad justam formam sine dubio prius adfore. Ac 1676.
mox tria diplomata pro nostris à Gallo exhibebantur cum titulo legatorum, & plenipotentiariorum. In Svecico desiderabatur, qvod non de tuto abitu, nec de cursoribus cautum esset; & qvod Rex totum titulum suum posuisset, cum vicissim non nisi Electoris Brandenburgici vocabulum nullo adjecto titulo expressisset. Cum autem priores duæ clausulæ in eo, qvod Svecis datum erat, extarent, Elector monebat, ut & Sveci has suo diplomati insererent; aut si id nollent, ea verba in suo qvoqve sine effectu fore. 14. Jun.

§. 66. Qvæstio qvoqve Hagæ movebatur, num par sit Anglos tanqvam seqvestres, an Belgas velut dominos territorii Neomagum prius accedere, ut adventantes velut hospites exciperent? Sed qva qvæstione in medio relicta Leolinus Jenkikinus legatus Anglicus primus Haga Neomagum se conferebat, qvem protinus Hieronymus Beverningius legatus Belgicus seqvebatur; uterqve nulla pompa urbem ingressus; ac vetuerat Belga, ne celox qva adveniebat, machinas disploderet se in terram exscendente. Belga utut posterior Jenkinum primo visitatum ibat. Unde Angli laborabant, ut omnes legati ipsos velut seqvestres primi visitatum venirent. Sed Belgæ eum honorem in suo territorio hospiti exhibitum interpretabantur; ac reliqvis placebat communem morem retinere, ut serius accedens à præsentibus primum invisatur. Unde & qvanqvam Jenkino prius injunctum fuerat, ut tanqvam seqvester primæ visitationis honorem ab omnibus exigeret; tamen cum id postulatum multas difficultates daturum esset, eo desistere jussus est, ac ut ipse serius accedentes post præviam de adventu significationem primus inviseret, idqve Belgis significaret, excusato, qvod id circa ipsos observatum non sit, ac id ipsis, eorumqve Reip. fraudi non fore. Ac Belgæ post decernebant, Neomagum durante hoc tractatu pro loco tertio, non pro dominio, & territorio hujus Reip. habendam. Cæterum Elector haut decreverat legatos suos prius Neomagum mittere, qvam Cæsarei, & Hispanici adessent; qvod & Dano placebat, qvi pacem extrahi cupiebat. Luneburgici autem censebant, si ab aliis fœderatis legati adsint, se non expectato Cæsareorum adventu suos eo missuros. Jubebat tamen Elector protinus nobilem virum Clivis Neomagum ire salutandis ibi legatis, addito, Electoris qvoqve legatos adfore, ubi Cæsaris, & reli-

De accessu legatorum ad locum tractatuum.

1676. qvorum veniant. Paulo post qvoqve Otto Sverinus Neomagum Clivis excurrens Jenkinum invisebat; cui dicebat, multos in Svecia esse, qvi Germanicis provinciis cedendum svadeant, velut qvæ Regno Sveciæ præter damnum,& sumtus nil adferant, lucro ex iis in paucos privatos redundante. Ast Jenkinus reponebat; forte rusticos in Svecia ita ratiocinari: sed prudentes tale qvid nunqvam svasuros; ac à se illa, qvæ Sveci in Livonia, & Germania, ac alibi adqvisiverint, ipso vetere Regni corpore potiora habere. Idem qvoqve censebat, Svecos utiqve in Germania retinendos. Eo magis necessarium erat fœderatos super terris Sveco ereptis Bremæ inter se convenire, qvo Neomagi id negotium solide, & junctis animis agi qveat. Venerunt inde Neomagum Colbertus Croisius, ac Memmius Avauxius, nulla itidem pompa urbem ingressi; in qvorum honorem nec machinæ displodebantur, nec qvispiam obviam procedebat. Eos statim Jenkinus, inde Belgæ Beverningius, & Harenus invisebant. Ea Belgarum propera civilitas Electori non parum displicebat, tanqvam citra communicationem cum aliis suscepta; qvi & de eo facto ad fœderatos referebat, ut id emendaretur. Cui enim usui seqvestres, si partium legati inter se congredi velint? Eoqve censebat, ante conclusionem adversarum partium legatos colloqvi non debere vitandæ suspicioni. Nec exemplum Osnabrugæ, & Monasterii huc qvadrare, qvod tunc multi Ordinum Gallis, & Svecis amici essent, ac fœderati: nunc utrosqve hostes judicatos. Belgæ autem eam visitationem excusabant, qvod Galli urbem ingressi protinus per præfectum aulæ suæ de adventu suo ipsis significassent, qveis visitationis honorem non reposuisse indecora plane inhumanitas fuisset. Sed ex eo tempore se non amplius eos vidisse, ac primum colloqvium non nisi per honoris verba consumtum. Coloniæ qvoqve, cum ipsi serius accessissent, à Gallis & Anglis se primum salutatos. Et qvia à se initium factum sit, reliqvos etiam prima visitatione defungi posse, aliam conversationem usqve ad absolutos tractatus differendam. Mox qvoqve primus legatus Gallicus Strada accessit, qvem significatione facta Belgæ itidem salutatum ivere. Galli visitationes binis sejugibus faciebant, magna comitantium caterva. Eo magis autem suspectum erat, ne inter Gallos, & Belgas Neomagi qvid tractaretur, qvod Beuningius Londini immensum pacis desiderium apricaretur, ac ibi freqventer cum Gallicis, & Svecicis ministris congrederetur, jactitans, post factam pacem conjunctione cum Anglo initaGallum magis coërcendum, qvam bello præsenti fieri qveat, qvæ optabat sibi somnia fingere doctus; cum Belgæ alias sibi de Anglo parum pollicerentur. Qvin iste censebat, pacem Londini adornandam, & Neomagi non nisi solennia addenda; ac ubi primariis bellantibus inter se convenisset, reliqvis sequendi necessitatem fore. Qvanqvam vir iste circa pacem satagebat magis ex propria inclinatione, qvam superiorum jussu. Unde & cum Olivecrantzius legatus Svecicus ex Anglia Hagam accessisset, ac Fagelii colloqvium expeteret, is isthoc declinabat; ac fœderati monebant, modeste ipsi significandum ne diu Hagæ moretur, sed Neomagum se conferat. A qvo & Neomagum digressuro Fagelius valedici sibi nolebat. Haut eo minus Elector Blaspielo injungebat, ut Clivis Neomagum bis singulis septimanis excurreret, ac interim idoneum ibi hominem haberet, qvi omnia, qvæ ibi agantur, accurate observaret. Sane cum Belgæ nil præter Trajectum ad Mosam, & tractum Transmosanum repeterent, vel horæ spatio inter ipsos, & Gallos transigi poterat. Ac iidem palam ferebant, dudum se cupitis conditionibus potiri potuisse; sed absqve fœderatorum consensu nil agere voluisse. Ac revera summa difficultas exorat, qvomodo bellum meliore qvam hactenus successu contra Gallos geri, ac unde necessariæ ad id opes inveniri possint. Nam & fœderati qverebantur, promissa subsidia bello continuando non suppeditari; ac Belgæ negabant, se belli sumtus diutius tolerare posse, commerciis per excursores maritimos magis indies turbatis; cum, prout ratio in seqventem annum deducta erat, nonaginta militum millia alenda essent; è qvibus novem millia eqvites, duo millia dimachæ, reliqvi omnes pedites erant. Ipse Arausionensis differebat: ærarium in Hollandia exhaustum: plebem anxie pacem optare; bellum à se diutius geri non posse, ni Hispani acrius qvam hactenus committantur. Unde magis de promovenda pace, qvam continuando bello cogitandum. Præsertim cum metuendum sit, ne Gallus uti per consarcinatam Polonos inter, & Turcas pacem effecit, qvo minus Svecis à Moscorum irruptione amplius periculum sit; ita per Turcas Cæsarem in Hungaria distrahat, ut dum huic necessum est omnes suas vires à Rheno huc revocare, iste interim ad absorbendas Belgii reliqvias ruere possit; ex qvo longe jejunior deinceps pax, qvam in præsens speranda sit. Unde Elector suos qvam maxima

4 Jun. Croisſy. & Avaux.

1676. maxima cum diligentia prospicere jubebat, ne Belgæ separatam pacem tractarent; qvod adpareret, Gallos & Svecos in divisione fœderatorum maximam spem collocasse.

Dispari studio Neomagum accedetur.

§. 67. Cæterum Belgæ qvidem, ac Galli sat promte Neomagum accesserant; illi serio in pacem studio, prægravantibus belli oneribus; hi qvod floreutibus suis armis lautissimas pacis leges sperare possent, ubi reliqvi tardent Belgas ad separatam transationem pellecturi. Svecis qvoqve pœnitudo temere sumti belli desiderium properæ pacis excitaverat. Contra Austriaci lente movebant fastidio præsentium, ac spe meliorum successuum. Nec Hispani minus rebus suis levamentum ex inclinatione Parlamenti Anglicani sperabant. Ast Daniæ Regi, & Electori fiducia Svecos Scania, & provinciis Teutonicis expellendi pacem in præsens minus expetendam faciebat. In universum Gallis scopus erat fœderatos dividere; his unionem non solum durante bello, sed & post factam pacem conservare. Unde statim atqve Wilhelmus Templius Neomagum adpulisset, Strada, & Avauxius huic de studio Regis sui in pacem proponebant; ast post tantos successus, & formidabiles terra, mariqve vires frustra esse sperare, ipsum qvid redditurum eorum, qvæ ceperit. Vicissim satis nosse, uti Belgis magna sit in pacem inclinatio, impetus tamen, & enormia fœderatorum petita istos, qvandiu poterint, in bello detenturos, nisi Arausionensis autoritatem suam interposuerit, qvi apud fœderatos tantum polleat, ut facile in omnes conditiones ab hoc proponendas consensuri sint. Unde, qvo tractatus hic ad felicem finem perducatur, oportere, ut inter Galliam, & Principem super conditionibus conveniatur; qvæ ut acceptentur, juncto studio utriqve in cursu negotiationis incumbendum. Eo fine Principem uti posse inclinatione, qvam Belgæ publice in pacem ostendant; ac ubi ratione destituta fœderatorum postulata generalem pacem impediant, aut remorentur, peculiarem pacem inire. Eam viam Maximilianum Bavarum tractatione Westphalica institisse, secretis consiliis cum Gallis captis, cum de ipsius emolumentis publice ageretur. Huic agendi modo, ac Galliæ favori eundem magnitudinem suæ domus debuisse. Qvod si Arausionensis eodem modo Neomagi agere velit, eadem commoda sibi, suæqve familiæ parare posse. Penes ipsum esse, qvas sibi conditiones à Rege stipulari velit. Sed qvam negotiationem Templius dextre declinabat, obtentu mandatorum, qvæ non nisi generalem pacem spectent; nec sibi spem esse, Principem ad peculiaria pacta permoveri posse; qvin in partem sinistram acceptarum, si qvis talia ipsi proponere ausit. Sicuti & revera, iste semper talia immota constantia respuebat; regerens: qvi talia sibi proponant, iis de suo animo nil constare. Modo Hispanis satisfiat, suas rationes ne momentum qvidem pacem remoraturas. Ast postqvam aliqvot jam septimanas Galli Neomagi egissent, non sine impatientia fremebant, neminem fœderatorum præter se adesse. Igitur ne nihil agerent, procuratoria sua Anglis excutienda tradebant. Angli eadem & a Belgis expetebant; sed qvi id absqve fœderatorum consensu fas sibi negabant. Labente tamen per otia tempore, cum fœderatos de industria moras nectere adpareret, ac Galli discessuros se minarentur, Belgæ Calendas Novembris Hagæ designabant, qveis fœderati utiqve adesse debeant. De qvo decreto inconsultis fœderatis facto Elector qverebatur; & qvia plura specimina ejusmodi præcipitantiæ timenda sint, socios belli Svecici monebat, eo magis necessarium esse, ut ipsi arctius se invicem innectant. Sed Daniæ Rex censebat; etsi Belgæ nimis pro imperio fecisse videantur; qvia tamen plebi suæ gratificandum duxerint, consultum fore circa id tempus legatos Neomagi adesse audiendis, qvæ proponantur. Cum itaqve missio legatorum non amplius differri posset, Elector Somniciun, & Blaspielum, qvos ei legationi obeundæ destinaverat, hisce mandatis instruit.

1676.

Dies adventui legatorum prefigitur. 18. Jul.

20. Sept.

Electoralium legatorum mandata, 16. Oct.

§. 68. Isti igitur jubebantur Clivis secundo flumine Neomagum proficisci sine solenni ingressu, Gallorum exemplo. Ita de suo adventu non opus esse aliis legatis in antecessum significare, nisi qvod magistratui urbis indicium fieri par sit. Circa visitationes observarent, qvod Osnabrugæ, & Monasterii receptum, ac ne qvid contra dignationem Electoralem admittatur. A Cæsareis non minus cerimoniarum admittant, qvam legati Rerump. accipiant. Si Principales legati titulum Excellentiæ ipsis abnuant, ac præter receptum morem digniorem in eorundem ædibus locum affectent, collato cum reliqvis Electoralibus legatis consilio ad secreferrent; ac circa titulum cum primis demonstrarent; absurdum esse, id ipsos negare velle, qvod Cæsarei, & Regii tribuant. Super legatis Belgicis in Electorali Collegio decretum, iis nullo modo cedendum. Id & ipsis observandum, nec ob

1676. istos ullum congressum declinandum. Conventum in Belgarum territorio institutum, & se velut hospites ibi comparere; ubi alias lex civilitatis reqvirat, ne sibi super priore loco controversia moveatur. Qvanqvam & eo minus dubii circa Electores esse possit, qvod etiam Neoburgicus velut Dux Juliacensis Belgis super loco controversiam moveat. Nam pace Monasteriensi Hispanos Belgis promisisse, operam se daturos, ut hi nexu, qvo antea Imperio copulati fuerint, exsolvantur. Id qvod à Cæsare statim post concluſam pacem factum sit, non autem ab Imperio, utut superioribus, & hisce Comitiis id tentatum fuerit. Unde non alium locum eos prætendere posse, qvam Geldria, tanqvam supremum ipsorum membrum habuerit: nec in iis à Principibus Germaniæ aliud genus supremi imperii in istis agnosci posse, qvam qvod omnibus Electoribus & Principibus competit. Inter qvos ordo qvispiam sit constitutus, qvem & Belgis observare necessum sit, qvoad vinculo, qvo Carolus V. eas provincias Imperio innexuit, exuti fuerint. Gallos, & Svecos, qvibuscum sibi apertum bellum sit, invisi posse, si Cæsarei, & Hispani id faciant: alias conversatione eorum abstinendum. In congressibus de summo Electoris desiderio circa communem, tutamqve pacem reducendam testentur. Seqvestribus pro susceptο officio gratias agant. Fœderatis confirment, Electorem non minore candore in hoc pacis negotio cum ipsis acturum, qvam armis factum sit; qvos gemina facturos fiducia sit; qvod & fœdera, & communis salus, & manifestæ hostium machinationes ostendant. Si reliqvi omnes Venetum seqvestrem admittant, ipsi haut repugnarent. Electorem hoc tractatu considerandum esse non tantum ut aliqvem ex Ordinibus Imperii, aut Cæsaris, Hispani, Dani, & Belgarum fœderatum, sed velut primarium belli socium, qvem Sveci hostilibus impetierint. Modum tractandi negotia omnium consensu definiendum; circa qvem id præcipue respiciendum, ne ad primarium negotium accedatur, anteqvam omnes fœderati hoc bello impliciti convenerint: ubi inter ipsos statuendum sit, ne qvis aliis inconsultis tractet, sed ut negotiatio ab omnibus simul suscipiatur. Qvod si & maxime placeat ab uno negotio initium fieri, puta à rebus bellicis, unde bellum ortum est: prohibendum tamen esse, ne qvod in uno negotio prius qvam in altero convenit, pro concluso habeatur, qvoad universum negotium expeditum, & omnibus fœderatis satisfactum sit. Si tamen nostrorum adventu nondum omnes adfuerint, interim procuratoria edi, & expendi posse; circa qvæ tam absentium qvam præsentium ratio habenda sit, ut eadem apud omnes formula observetur. Circa ordinem, & modum tractandi, si utiqve fieri possit, nostri laborent, ut postulata ab omnibus simul edantur, & non integrum negotium solum, sed omnia per partes, ordine in orbem redeunte, perficiantur. Uti Belgica negotia inter hos, & Gallos suscipiantur, Belgis moderamen concedi posse, ut ipsi congressus indicant, tractanda proponant, communi consensu placita, aut ubi inter fœderatos dissentiatur, seqvestribus exponant. Sed ubi de aliorum negotiis, qvi velut fœderati, ac primarii bellantes considerantur, agatur, alium modum comminiscendum, de qvo ibi conveniri qveat. Nam fortasse commode fieri non posse, ut qvilibet propriorum negotiorum tractationem moderetur. A seqvestre omnibus fœderatis præsentibus, si modo super ordine sedendi conveniri qveat, negotia proponi, & de iis judicium suum ferri posse. Qvia igitur hoc tractatu diversæ partes, ac destinata bella, & negotia concurrunt, omnia qvidem seorsim expedienda, ac tot instrumenta conficienda, qvot bella gesta sunt, sed qvæ post in unum redigenda, ac communi sponsione firmanda sint. In negotiis Imperium spectantibus sine dubio Cæsareis directionem competere. Sed qvia intuitu Sveciæ Elector primarius belligerans sit considerandus, in rebus hunc spectantibus directionem à nostris gerendam. Qvod si & in una, & altera causa communem directorem constitui placeat, super proponendis tamen communi consensu statuendum, eaqve in scriptum redigenda, ut super omnibus negotiis pariter agatur, nec ulli separati tractatus suscipiantur. Ac uti nemo concessurus est, ab aliis per plura suffragia jus suum sibi detrahi; ita nec à nostris tolerandum, ut Electoris cum Svecis lis pro communi Imperii negotio habeatur, in qvo majorem suffragiorum partem isti seqvi necessum sit. Qvæ socii in consilii vicem suggerant, pro re nata admittenda, aut solidis rationibus refellenda: super qvibus si conveniri neqveat, haut qvidqvam majorem suffragiorum partem in Electoris fraudem valituram. Inducias propositæ rejiciantur, velut hostibus, ac præcipue Svecis commodo cessuræ, per qvas hisce arma parare, ac majore impetu ingruere liceat, fœderatis interim otiose desidentibus. Summa postulatorum Electoris hæc est. Cum nostra

1676. noſtra ditio à Svecis injuſte, recenti fœdere, cujus fiducia iſta omni milite nudata fuerat, hoſtili modo habita ſit; non ſolum reparationem illati damni, ſed & refuſionem expenſarum in bellum factarum ab his præſtandam. Sed & notorium eſſe, qvanto in periculo Electoris, & aliorum ditiones verſatæ hactenus ſint, poſtqvam Sveci pedem in Germania fixerint: uti hi bella ex bellis ſeverint, & per ea vicinos ſuos oppreſſerint, qvibus per eosdem nunqvam ſecuritate frui licuerit. Nec ipſum, aliosqve deinceps ab his malis immunes fore, ni tota Pomerania, qvæ alias Electori per vim extorta fuerit, ei reſtituatur, Svecis Germanico ſolo eliminatis; nec Germaniæ unqvam ſtabilem qvietem expectandam, qvamdiu ea natio vel unicum maritimum locum retinuerit. In qvod reliqvos fœderatos eo facilius conſenſuros ſpes ſit, qvod id ipſum ad propriam eorum ſecuritatem pertineat. Cum ceſſione Pomeraniæ conjunctum, ut Svecus omnibus juribus ex Inſtrumento Pacis, aut violenter extorto Receſſu Stetinenſi qvæſivit, aut deinceps expectare potuit, aut qvæ alias à Pomerania dependent, qvæ omnia in Electorem ejusqve ſucceſſores transferenda. Peculiariter renuntiationem faciendam in vectigalia ad oram Pomeraniæ, ſucceſſionem in Novam Marchiam, communionem in Capitulum Camminenſe, qvæ omnia Electori attribuenda, Receſſu Stetinenſi plane abolito. Par qvoqve eſſe, ut Gallus reparationem præſtet damnorum in Clivia datorum, qvæ tantum deſtructo Emmerico, Orſoia, Buderico, & Gennepa tredecies centenis uncialium millibus taxentur; præſertim cum iſte in cauſa ſit, qvare Sveci Marchiam invaſerint. Bavarum apud Cæſarem propoſuiſſe dici, ut non ſolum pax acceleretur, ſed & Svecis erepta ex aſſe reſtituantur. Qvæ poſtulata uti æqvitati, rationi, decretis Imperii, & juri gentium repugnent, & ei deniqve juri, qvo Sveci in omnibus tractatibus uſi ſunt: ita talia velut Germaniæ pernicioſa, & ignominioſa plane repudianda. Si Bavarus pertinaciter contra nitatur, ac infractorum pacis cauſam agat; cavendum ei eſſe, ne inde ipſius ex Inſtrumento Pacis qvæſitæ terræ Palatinæ, ac ipſa Electoralis dignitas periculum incurrat. Cæſarem jam declaraſſe, ſibi haut fas eſſe qvidqvam admittere contra rationem, contra fœdus, ac contra illos Ordines, qvi tanta fide pro ipſius, & patriæ cauſa pugnarunt: cui ſententiæ eum deinceps qvoq; inhæſurũ ſpes ſit. Qvod ſi Cæſar, & Hiſpani, qvi tam exiguos progreſſus hoc bello fecerunt, reſtitutis Sveco ereptis, qvæ ipſi amiſerunt, recuperare inſtituant; iſti illegitimæ, ac contra omnem rationem, & æqvitatem pugnanti propoſitioni conſpiratione omnium qvorum intereſt mature occurrendum. Iisdem mandatis & Danicos legatos inſtructos, qvibuscum noſtri diligenter communicarent. Spem qvoqve eſſe, Luneburgicos eandem viam inituros. Ubi Electori in Pomerania haut plene ſatisfiat, ei ſuam portionem in Bremenſi provincia ſalvam reſervandam. Aliorum fœderatorum, & inprimis Belgarum poſtulatis, qvantum Electoris rationibus, & his mandatis non adverſantur, noſtri pro viribus velificentur; tum ut Ordines ad Rhenum reparatione damni, & ſecuritate potiantur. Circa ſtatum publicum id obſervandum, ut Gallus omnia in integrum reſtituat, ac inter alia decem civitates Alſatiæ, & liberum ordinem eqveſtrem. Nec Regibus concedendum, ut ipſi pro libidine Inſtrumentum Pacis interpretentur, aut declarent; aut ut iidem Ordinum qverelas ad ſe pertrahant, eorumqve cauſam agant, & velut pro autoritate definiant. Qvod ſi hoc bello pro gloria, & ſalute patriæ ad repellendam vim injuſtam ſuſcepto una, & altera provincia tranſitu, ſtativis, hibernis, & qvæ ratio belli pro motu hoſtis reqvirit, damni qvid perpeſſa fuerit, id iis, qvi pro bono publico arma geſſerunt, haut imputandum, nec eo nomine reparationem petendam. Si igitur tale qvid moveatur, id plane rejiciendum: qvam in rem & Cæſareos mandata habere. Jura Ordinum, & qvæ hiſce invicem intercedant controverſias ad tractatus cum exteris haut pertrahendas; qvin ad fraudem Cæſaris, ac immunitionem majeſtatis Imperii ſpectare, ac mali exempli fore, ſi ſuper iis ulla diſceptatio admittatur. Et qvia exteri omnibus id viribus agant, ut diffidentiam inter Ordines ſerant, aut uni eorum adverſus alterum adſiſtant, arbitriumqve rerum in Imperio ad ſe trahant, ei rei omnem occaſionem ſubtrahendam, & ſi qva hujus indolis moveantur, ad comitia rejicienda. Deniqve qvia duratura, ac tuta pax qværitur, mutuam ſponſionem ſuper tuenda pace probe adornandam. 1676.

§. 69. Cum ergo ſeqveſtres monerent, diem auſpicandis tractatibus præteriiſſe, initium ab exhibendis procuratoriis fiebat. Elector in procuratorio ſuis legatis dato integrum qvidem Svecicum titulum *Procuratoria examinantur. 4. Nov.*

1676. lum cum Pomerania posuerat; sed jubebantur hi Danica, Luneburgica, & Monasterienſia inſpicere, num ab his qvoqve Sveco titulus Scaniæ, Bremæ, Ferdæ, & Wismariæ detur. Nam horum exemplo ipſe qvoqve titulum Pomeraniæ omiſſurus erat. Qvando Gallorum, Svecorum, & Belgarum procuratoria ſeqveſtribus tradebantur, hi ſingulis aliorum procuratoriorum exempla, qveis ipſi fidem faciebant, mittebant; avtographa ſingulis reddebantur. In Gallico, & Svecico Belgæ notabant, qvod utriqve ſuper juſtitia armorum ſuorum inſeruiſſent: ſed in iſto peculiariter; qvod Gallus Neomagum à ſe in locum tractatuum deſignatum diceret; qvod de Wilhelmo Furſtenbergio tangeretur; qvod Pontifex ſeqveſter nuncuparetur; tum aliorum fœderatorum præter Svecos mentio fieret; & qvod Gallus ſuis legatis injungeret cum Cæſare, Hiſpanis, Belgis, ac horum fœderatis, qvorum nomina non exprimebantur, tractare. Viciſſim Galli, & Sveci improbabant, qvod in Belgico procuratorio legati juberentur pacem *concludere proficuis Resp. conditionibus*: qvæ verba tamen Belgæ mox ultro expunxerunt. In Danico procuratorio Sveci carpebant, qvod vocabulum *Gothorum* cum *h* litera in medio ſcripta eſſet; cum hæc ſcriptio ſolis Svecis competat, Danis autem *Gottorum* ſit ſcribendum: qvod Danus totum ſibi titulum adſcripſiſſet, Rege Sveciæ viciſſim ſimpliciter expreſſo: qvod in Daniæ inſignibus tres coronæ, & inſigne Scaniæ adparoret. Qvas notas Danus cum irriſu accipiebat. *Criticam vocabuli Gothorum, & Gottorum ſupra captum ſuum eſſe.* Regi ſuo ſaltem duo Regna eſſe, cum Sveco unum duntaxat ſit; Wandalorum Regnum non magis in Svecia, qvam in Dania reperiri. Scaniæ inſigne gerere nullibi Daniæ Regi interdictum. Sed qvia ex his, aliisqve procuratoriis ingens diſputationum ſeges pullulatura erat, ſeqveſtribus placebat communem formulam concipi verbis laxis, nec offenſæ qvid habentibus. Nam qvia Galli, & Sveci ſuis procuratoriis apologiæ inſtar inſeruerant, adverſa pars iis contradictura erat, ne ſilentio iſta agnoſcere videretur. Galli contra dicebant; *cuilibet integrum eſſe ponere, qvæ ex uſu ſuo videantur*: *ſed penes alterum eſſe fidem adhibere velit, an minus.* Elector autem iſta plane excludi, tum ut in Gallico expreſſa ſui mentio fieret volebat. Simul Anglos monebat, ſe circa editionem procuratoriorum non alio, qvam Svecos, modo haberi velle; eoqve non per Belgas, ſed per ſeqveſtres legatis ſuis, qvæ communicanda 1676.
ſint, tradenda, ac pari modo in aliis actibus negotiationis agendum. Nam ſi Sveci, qvi in Galli gratiam in bellum inciderint, pars principalis tractantium habeantur, haut diſpari modo ſecum agendum. Idem qvoqve poſtulabat, ut ſi forte Galli demulcendis Belgis horum nomen ipſius nomini præpoſituri ſint, duo exempla conficiantur, qvorum uno, qvod ipſis dandum ſit, Electoris nomen utiqve præponi debeat. Aſt Galli peculiare procuratorium ad tractandum cum Electore exhibere nolebant, qvod eo exemplo Lotharingus qvoqve idem exacturus eſſet; qvicum tali modo agere adſpernabantur. Sed noſtri reponebant: ſibi injunctum utiqve peculiare procuratorium pro Electore expoſcere; id qvod Anglus ipſe æqvum judicaverit. Ac per rerum naturam fieri non poſſe, ut tractatio citra procuratorium ſuſcipiatur. Et cur pro Lotharingo peculiare procuratorium negetur, cum pro hujus legatis diplomata data ſint? Ac cum Elector hoc bello æqve primarius ſit belligerans, qvam Cæſar, nec in hoc negotio ab eo dependeat, haut ſibi ſufficere, ſi ipſe in Cæſareo procuratorio obiter nominetur. Ea de re Elector apud Anglum qverebatur: Svecos, & Gallos Neomagi procuratoria exhibuiſſe non ad formulam Hagæ probatam, ſed ad modum *manifeſti*, ſeu clarigationis, in qvibus & ipſe nuſpiam velut pars primaria nominetur. Id qvod velut in ſui imminutionem tendens à ſe admitti neqveat; ac eam ipſam ob cauſam Gallos conventu Colonienſi Belgarum procuratorium rejeciſſe. Et qvia ipſe hoc bello non inter auxiliarios, ſed primarios bellantes cenſendus ſit, Rex legatis ſuis injungeret, ut cum ipſius legatis nullo intermedio agant, ſed omnia cum iis non minus qvam cum Belgis directe communicent. Ad qvod reſponſum: Jam Gallo à ſe demonſtratum, ejusmodi cauſarum belli in procuratoriis deductiones inſolitas eſſe, ac aliam eorum formulam conceptam, & Electorem utiqve velut primarium conſiderandum, præſertim cum maxima difficultas circa ipſum, & Svecos ſurrectura ſit. Communicationem qvoqve nullo intermedio faciendam; ac id jam Hagæ futurum fuiſſe, ni fœderatis placuiſſet omnia Ordinibus Generalibus inſinuari. Sed cum Rex vellet, ut Sverinus ſcripto communicationem absqve intermedio fieri poſtularet, ne ipſe proprio motu receptum hactenus agendi modum mutaſſe argueretur; Sverinus id ſolus poſtulare dubitabat, ne Belgæ

id

1676 id è diffidentia erga ipsos qværi arguerent: eoqve præstare, ut universi fœderati id exigerent. Etsi id revera necessarium erat, qvod Beuningius Londini circa Belgarum tantum salutem satagebat, fœderatis insuper habitis, ac qvæ agitabat ægre admodum communicaret.

Circa primas visitationes alia 10. Nov. Hag.

§. 70. Accedebant qvoqve paulatim jam alii fœderatorum legati, qvos inter à Daniæ Rege missus Justus Hœgius de adventu suo per Secretarium legationis, ac Nobilem primum Anglis, inde Gallis, Svecis, Blaspielo, (utut privati adhuc habitu Neomagi adesset,) & Belgis significabat. Eum primo loco invisebant Angli Jenkinus, & Temphius, uterqve iisdem bigis vectus, octo pedisequis, & duobus pueris Nobilibus comitantibus; qvod suo exemplo placitum circa moderandam pompam confirmare se voluisse dicerent. Strada veniebat cum duabus bigis, sex Nobilibus, ac duodecim famulares vestes gerentibus: sed Colbertus, ac inde Avauxius cum binis sejugibus, septenis nobilibus, ac magno famulorum numero accedebant. Olivecrantzium duabus cum bigis aliqvi nobiles, ac sat multi famuli comitabantur. Belgas duobus sejugibus vectos universi qvos habebant Nobiles, ac totum famulitium comitabantur. Galli, & Sveci legati primo currui insidebant, Nobilibus seqventibus: contra Belgæ posteriore curru vehebantur, ea, cui Nobiles inerant, præcedente. Super visitatione Benedicto Oxenstiernæ Sveco cum Joanne Berclaio Anglo lis surgebat. Hic Gallis ad visitationem certas horas, ac seqventem Oxenstiernæ assignaverat. Cum postremus Gallorum adhuc apud Berclaium moraretur, Svecus Angli aream ingressus de adventu suo significabat. Anglus respondebat: Gallum adhuc adesse, qvem ut discedat monere non possit; nec conditam ipsi horam venisse. In ejusdem tamen arbitrium conferebat, post breve spatium, an alio tempore redire vellet. Ast Oxenstierna justo se tempore venisse pertendebat, ac se non admitti offensus cum indignatione discedebat. Galli ad componendum id litigium circa temperamentum satagebant. Sed Anglus contendebat, par esse, ut Svecus denuo in suas ædes accedat, & visitationem rite obeat; nec se id, qvod Svecus fecerat, loco visitationis acceptare posse; nec simulaturum, qvasi & ipse Svecum vicissim invisere velit. Demum interventu Gallorum convenit, ut Anglus Oxenstiernæ accessum ad ipsius ædes loco visitationis acciperet; sed ne pro eo visitationem reponere teneretur. Sed alter legatus Svecus Anglo pro more visitationem dedit, & accepit. 1676.

Electorales legati Neomagum accedunt. 28. Nov.

§. 71. Ingressi sunt deinceps Neomagum Electoris legati Somnicius, & Blaspielus, nulla pompa, jussi de suo adventu omnibus legatis eodem tempore significare, ac eo ordine, qvo qvisqve visitationem obtulerit, horam ei admittendo addicere: tum exemplo Belgarum, & Dani etiam hostibus denuntiationem facere. Qvod & legatus Hispanicus Petrus Ronqvillus defugi haut posse judicabat. Cum primo adventu per Belgas aliqvot scripta iis communicarentur, Elector jubebat, ut omnia per ipsos seqvestres sibi exhiberi curarent. Nam notum esse, Belgas eo rem deducere velle, ut ipse inter eorum auxiliarios censeatur, qvo pacem sui arbitrii facere possint. Qvo fine & Hispanus judicabat, congressus fœderatorum non in curia aut loco publico, sed modo apud hunc, modo apud alium instituendos, ibiqve sedes promiscue capiendas, uti Hagæ fieri sveverit. Alias Belgæ multum indignationis ostendebant, qvod Cæsarei ita tarde molirentur. *Se annum prope hoc hæsisse. Plebem non sine impatientia pacem inclamare. Sibi injunctum summam rei aggredi. Hostes hoc modo favorem qvæsitæ pacis in se trahere. Falsos fore opinionis suæ Cæsareos, & Hispanos, si credant, Siciliam, & Brabantiam, illam ob commercia, hanc propriam ob securitatem belli continuandi necessitatem sibi imponere.* Qvæstio porro jam erat, num ad negotiationem accedendum sit, anteqvam nova procuratoria, in qvæ consensum fuerat, allata essent? Nam ea mora multum temporis frustra elapsurum erat. Contra procuratoria fundamentum negotiationis haberi; ac bona fide animi sensa exprimere, dum procuratoria expectantur, anceps esse. Nam eos, qvos pax cordi non sit, & ansa capteretur tractatus abrumpendi, forte ubi fœderatorum mentem intellexerint, eorum postulata pessimis modis traducturos, eaqve exosa reddituros. Ac eo ipso vitiosa Gallorum procuratoria, qvod eo fundamento ad negotiationem descensum sit, adprobata visum iri, simul illis facultas relinqvatur agitata retractandi, si libido subierit. Deniqve si ita raptim ad negotium accedatur, peculiaria diplomata, qvibus Electoris nomen exprimendum sit, vix secutura.

§. 72. Cæterum nostri, communicatione

1676. *Nostrorum colusio cum Anglis. 13. Dec. 14. Dec.*

tione cum Hispano facta, per aulæ præfectum Anglis de suo adventu significant, qvi in seqventem diem visitationi sese offerebant, missis duobus Nobilibus, & Secretario, qvi horam designari peterent. Qvo ipso die & nostri per tres Nobiles, singulis bigis vectos, eodem temporis momento Dano, Svecis, ac Gallis denuntiationem faciebant. Angli condicta hora omnes tres iisdem bigis vecti accedebant. Berclaius verba faciebat idiomate Gallico. Nostri responso suo monebant, observatum sibi, Blaspielo non item uti Somnicio Excellentiæ titulum datum, cum tamen utriqve idem *character repræsentativus* attributus, idem procuratorium datum sit; qvod ipsis communicare velint. Berclaius post breve colloqvium cum collegis reponebat: *A Rege suo sibi injunctum, Electoris legatos eodem modo tractare, uti ab aliis Regibus habeantur.* Nostri: *Electorem speraſſe suis legatis eundem titulum, eademqve honoris indicia per omnia tributum iri.* Ad qvæ Templius: *Cum sua mandata in Anglia concipe rentur, varias considerationes super cerimoniis agitatas fuisse, ac demum multis difficultatibus amputandis placuisse, ut qvæ olim Osnabrugæ, & Monasterii, hoc qvoqve examussim observarentur. Jam autem Regi ab hominibus, qvi tunc Monasterii adfuerint, confirmatum fuisse, primario duntaxat Electoralium legatorum priorem locum, & vocabulum Excellentiæ à Regiis tributum. Id qvod & Noribergæ, ac Francofurti observatum sit: qvod exemplum ut seqvantur presse sibi injunctum.* Nostri contra negare, *Electorales id cerimoniarum uspiam admisisse; ac ex relationibus legatorum inde constare, Osnabrugæ non Svecos solum, sed & Cæsareos istis Excellentiam, ac priorem in suis ædibus locum dedisse. Id qvod & Cæsar suis legatis ut hoc faciant scripto injunxerit.* Angli contra: *non è propriorum, sed aliorum legatorum relationibus, ac præcipue regiorum id demonstrandum. Si tales sibi exhibeantur, se eas Regi suo dijudicandas transmissuros. Interim sua sibi mandata seqvenda.* Nostri: *Electorem in notorio jure, ac possessione ejus constitutum, de qvo sermo sit; nec opus habere, ut id deducat, aut ullius judicio se submittat. Publica scripta hoc satis demonstrare, ac Benedictum Oxenstiernam posse testari, qvid Olivæ observatum sit.* Sed Templius pertendebat: *circa id qvod Monasterii contigerit, à regiis legatis aliter se edoctum.* Addebat, *nuper antequam Berclaius adveniret, à Principis cujusdam ministro hoc sibi ac Jenkino relatum, qvi Monasterii tunc adfuerit, Electorales, & Principales legatos ibi pari honore, nullo discrimine habitos: nec diu esse, qvod Electores legatos Ambasciatorum vocabulo miserint, ac Excellentiæ titulum tunc primum usu receptum.* Qvæ omnia nostri inficiabantur. *Qvæ Principum legatos spectent hoc non pertinere, nec sibi opus esse ea controversiæ misceri. Qvid legati Regii ipsis retulerint, sibi non constare. Sed nostros tunc jurata fide Principi suo retulisse, cui falsa narrare nè nunqvam in mentem venerit.* Angli: se ista ad Regem perscripturos: *interim sibi visio datum non iri, si sua mandata seqvantur.* Discedentes dicebant, se unis tantum bigis venire, declinandis cerimoniarum superfluis; ac apud alios idem feciſſe. Nostri apud currum exceptos eodem deduxerunt. Eodem die duo nobiles à Svecis veniebant, visitationi horam petentes, addito, utrumqve legatum visitationem suam seorsim obiturum. Ita Oxenstiernæ qvinta, Olivecrantzio sexta addicebatur. Illi qværebant, an non qvartam habere possint? nostri: tertiam Dano assignatam, qvi prius eam reqviſiverit. Anglis digressis tres nobiles Galli veniebant de adventu gratulantes, & horam visitationi exqvirentes. Sed qvia Blaspielum utut adstantem non alloqvebantur, is rogabat, num ad solum Somnicium missi sint? & cum id affirmarent, Blaspielus; nil sibi ergo hoc negotii esse, ac discedebat. Inde Somnicius illis significabat; ab Electore ambos pari dignatione missos, nec dispares cerimonias admittere posse. Sed horam qvod spectet, Svecis qvintam, & sextam assignatam, ac forte Gallis ita sero accedere haut placiturum. Igitur in ipsorum arbitrio esse, hora septima venire, an ipsi horam eligere velint. Id qvod isti ad suos se relaturos dicebant. Sed mox ad Somnicium regressi ferebant, se jussos certum tempus visitationis cognoscere. Somnicius repetitis prioribus addebat; si ergo hora septima venire velint, id gratum sibi fore. Sperare autem, Gallos collegæ suo æqve visitationis honorem exhibituros, ac pari ritu utrumqve prosecuturos. Galli: se qvoqve jussos apud Blaspielum verbis honoris defungi. Hoc veniente Galli ipsum nec *Excellentia*, nec *Ambasciatoris* vocabulo nuncupabant, qvi & vicissim responso suo eadem verba haut adhibebat. Nostri interrogabant, num Galli utrumqve pari honore affecturi sint? Id cum isti ignorare se dicerent; nostri: id vero sibi utiqve noscendum repo-

1676.

1676. reponebant. Ita Galli discesserunt. Danus cum tribus curribus veniebat: primo à duobus eqvis tracto nobiles sedebant, ipse sejugibus vehebatur, qvos bigæ seqvebantur. Utriqve Excellentiæ titulus ab eo dabatur. Ne igitur Galli, & Sveci actum allegare possent, qvo Electoris possessio turbata videri possit, ac eorum menti penitius explorandæ, utrisqve misso nobili significatur, ab Electore sibi injunctum, non nisi paria honoris indicia admittere. Sveci initio respondebant, se jussos nil novi introducere, nec in animo sibi esse, honori Electoris qvid detrahere; ac si Elector in possessione ejus juris sit, se non repugnaturos. Nostri Oxenstiernam monebant de eo, qvod Olivæ factū sit, ubi ipse præsens adfuerit. Osnabrugæ qvoqve nec Cæsareos, nec Sveços inter utrumqve Electoris legatum discriminis qvid fecisse: prout & nunc Hispanus, ac Danus pari ipsos honore mactet. Sveci: forte Danum, & Hispanum id fœderi dare: Regibus tamen eximii qvid competere. Sibi super hac re cum fœderatis suis consultandum. Qvid Osnabrugæ contigerit tangere nolebant, sed semper ad id, qvod Monasterii, Noribergæ, & Francofurti in usu fuerit provocabant. Post Oxenstierna per nobilem excusabat, se hodie nostros adire non posse ob serū diei, & qvia super orto dubio cum collega, & fœderatis deliberandum sit. Galli post multas disceptationes declarabant: Qvia intelligant nostris injunctum, ne separari se patiantur, iis significandum esse, sibi qvoqve injunctum, ipsos non pari modo, nec eodem titulo tractare. Belgæ hac re valde dolebant, ac officia sua apud Anglum pollicebantur. Seqventi die Oxenstierna Somnicio significabat: molestum sibi ejusmodi tricas incidisse, ac petere, ut is temperamentum proponat. Cui hic: Electorem hac in re nunqvam temperamentum admissurum.

M. Dec. Nostri inde ad Berclaium mittebant, excusatum, qvod visitationis honorem reponere impediantur. Is respondebat; de temperamento cogitandum huic impedimento tollendo. Belgis Angli responderant; se ad Regem in favorem Electoris scripsisse, & declarationem expectare. Simul tamen monuerant, nostros ante visitationem ipsis indicare debuisse, se non nisi pari modo haberi velle, & posse. Et qvia Somnicio circa omnia honoris signa satisfactum sit, par esse ab eo visitationem reponi. Nostri consilio cum Dano, & Belgis collato judicabant; si Somnicius solus etiam absqve cerimoniis Anglos invìseret, id hos interpretaturos, ac si ipsi se disjungant. Igitur Somnicius Anglis scribebat; sibi persvaderi haut potuisse, Anglos id discriminis moturos; alias ante visitationem de eo monere haut omissuros fuisse. Seorsim ipsos invisere per mandata sua prohiberi Galli, ut probarent, Osnabrugæ aliter fuisse observatum, qvam nostri contendebant, *Petri Chanuti memorias* adducebant. Nostri reponebant: *Chanutum illis commentariis plus semel illicitos affectus in Electorem apricatum fuisse: qvi & inter alia falsò tradiderit; Electorem anno 1648 Hornium Comitem in Hollandiam misisse ad expetendum Arausionensis Virginis connubium.* Nam Borgstorfius proci vices apud Principem Virginem obibat. Enimvero Philippus Hornius cum aliis Electoris consiliariis anno 1648 fœderis tractandi causa Hagæ fuerat, ubi legatus Gallicus Thuillerius omnibus qvatuor Electoris legatis primum incessum, dextram manum, & titulum *Excellentiæ* citra tergiversationem tribuerat. Notum qvoqve esse, qvanta censura, atqve interpolatio ejusmodi libris in Gallia subeunda sit, anteqvam in lucem prodeant, ne qva Galliæ rationibus, & placitis adversum qvid tradant. Ac alias in Gallia moris esse, honores aliis exhibendos temperare, prout qvisqve ejus Regni rationibus addictus est. Jenkinus postera die ad nostrorum ædes sine cerimoniis accedebat, ac stans super rixa famulorum exponebat. Elector suorum acta circa visitationem probabat, ac non obscurum esse, id de compacto geri, ut ipsi ægre fieret. Gallorum, & Svecorum visitationem differendam, qvoad hi super ilthoc negotio prout par est declararint. Anglos à Somnicio ne sine pompa qvidem invitendos, nec qvid separationis à collega admittendum. Cæterum Bavarus qvoqve voluerat legatos Neomagum mittere, eundem qvem Brandenburgici honorem postulaturos, ut secundus primo par haberetur. Id qvod Sveci facere parati erant, ob Bavari in partes suas studium; prout & à Rege mandata habebant; erga Brandenburgicos se gererent, uti è re videatur. Cupiebant tamen isti, ac Galli, ut Bavarici priores accederent, qvo ejus honoris concessionem isti Principi imputare possint. Sed cum nulli à Bavaro legati accederent, inter hostilia etiam habebatur Electori circa istam cerimoniam difficultates movere. 1676.

pag. 139. 155.

SAMUELIS PUFENDORFI

DE

REBUS GESTIS FRIDERICI WILHELMI MAGNI

ELECTORIS BRANDENBURGICI

COMMENTARIORUM

LIBER DECIMUS QVINTUS.

EPITOME.

Electoris destinata. 2. Circa reficiendum exercitum difficultates. 3. Conventus Inferioris Saxoniæ Electori parum favet. 4. Circa satisfactionem difficultates. 5. Conventus Bremensis nullo fructu solvitur. 6. Circa Hanoveranum in partes trahendum frustra agitur. 7. Cum Monasteriensi fœdus initur. 8. A Luneburgicis Auxilii qvid obtinetur. 9. Cæsaris auxilia per rebellionem Hungaricam impediuntur. 10. Ab Hispanis nil pecuniæ extundi potest. 11. Nova ludibriorum Hispanicorum tela. 12. Hostium machinationibus in Polonia obsistitur. 13. Super renovatione pactorum acta. 14. Renovatio pactorum peragitur. 15. Mosci in Svecos concitari non possunt. 16. Deprohibenda in Pomeraniam navigatione. 17. Danorum gesta Electorem non parum sublevant. 18. Obsidium Stetini. 19. Alibi hoc anno fœderatis res male succedunt. 20. Electoris circa biberna difficultates. 21. Periculum è Polonia non plane cessat. 22. Rex Poloniæ Electori est suspectus.

1677. *ctus. 23. Regis Poloniæ ad Electorem missio super liberando Strauchio* 1677.
24. Elector de isto legato qveritur. 25. Lilliehœckii in Electorem invectiva. 26. Electoris super eo facinore ad Regem Sveciæ litera. 27. Regis Sveciæ responsum. 28. Regis Daniæ de hoc facto judicium. 29. Cæsaris circa ejusdem facti ultionem studium. 30. Electoris ad Regem Poloniæ missio. 31. Tractatuum Neomagensium continuatio. Controversia nostrorum cum Anglis super paritate utriusqve legati. 32. In Anglia super ea lite agitata. 33. Varia circa cerimonias. 34. Postulata Principum circa legatos suos. 35. Circa Lotharingi admissionem considerationes. 36. Controversia inter Cæsareos & Anglos super cerimoniis. 37. Ab universis Ordinibus delegati Neomagum non mittuntur. 38. Princeps Lusitaniæ sequestrem sô fert. 39. De Papæ officio admittendo. 40. De admittendo Præsule Argentoratensi. 41. De modo congressuum inter fœderatos habendorum. 42. Super procuratoriis disceptata. 43. Fœderatorum propositiones; Cæsareorum; Hispanorum; Dani; Belgarum; Electoris. 44. Gallorum, & Svecorum postulata. 45. Cæsareus Dani postulatis contradicit. 46. Num deinceps scripto, an viva voce tractandum? 47. Nostrorum cum Cæsareis super modo tractandi disceptatio. 48. Electoris Palatini propositio. 49. Hanoverani Ducis postulata. 50. De responsô ad hostium propositionem disceptata. 51. Super responsô ad hostium propositiones cum Belgis disceptata. 52. Responsum Cæsareorum ad Gallorum propositionem. 53. Cæsareorum responsum ad Svecorum propositionem. 54. Nostrorum ad Gallorum, & Svecorum propositionem responsum. 55. Gallorum, & Svecorum responsum. 56. Belgæ formulam pacis suæ cum Gallis concipere properant. 57. Electoris ad Belgas litera. 58. Neomagi tempus frustra teritur. 59. Super replica ad Gallorum responsum disceptata. 60. Utriusqve partis in aula Anglicana negotiationes. 61. Arausionensis in Angliam profectio. Ejusdem nuptiæ.

Electoris disposita.

Uperiore anno eos progressus contra Svecos fecerat Elector, ut spes esset summa ope connixo bellum brevi posse patrari expugnato Stetino, in qvo summa rerum Svecicarum in Germania verti videbatur. Nam Rugia per Danos occupata, Stralsundam ultro flexuram, cui ut conditionem civitatis Imperialis offerret Elector, Cæsar commiserat, ratihabiturus, qvicqvid cum ea conventum esset. Nam ipse dignationem suam prostituere verebatur, si forte, qvod offerebatur, importunius rejectum foret. Nec penes Grypsvvaldam moram fore. Parta autem adversus Svecos securitate animus erat tota vi in Gallum vertere, ac una cum aliis fœderatis eo incumbere, ut ex isto qvoqve latere Germaniæ securitas constitueretur, præclusa Gallis irrumpendi facultate, qvorum libidini compescendæ solennes tractatus, fideiqve, ac jurisjurandi religio hautqvidqvam sufficiebant. Ast eo fine necessarium erat, à reliqvis fœderatis qvoqve pari vigore rem geri, ac ut sibi ex fœderibus debita præstarentur, ipseqve alia ratione sublevaretur, qvo exercitum, qvantum magnitudo destinatorum reqvirebat, augere posset, ne inter langvida molimina extracto tempore, hosti ad vires resumendas spatium daretur. Enimvero nec qvæ ex fœderibus debebantur Belgis, ac Hispanis repræsentare curæ, aut facultas erat, summa subsidiorum qvæ restabant ad tredecies centena uncialium millia adscendente; & qvæ alias ad eum finem facere poterant remedia subtrahebantur per invidiam, qvæ etiam cum Reip. damno incrementa Electoris sistere gaudebat. Et alibi inter debilia fœderatorum arma Gallus summa alacritate connixus eo-

1677. usqve invaluerat, ut pleriqve in qvalemcunqve pacem ruerent, qvam demum erepto Electori victoriarum suarum fructu redemisse nullus pudor erat. Qvibus incommodis dum pro virili obluctatur Elector, id saltem assecutus est, ut posteritas agnitura sit, si ab aliis pari virtute, ac in patriam, bonumqve publicum studio actum fuisset, glorioſum ei bello finem imponi, exterosqve felicitati, & qvieti Germaniæ tantopere infestos intra veteres compingi limites potuisse, intercepta immensa calamitatum mole; qvæ paucos post annos istam, vicinosqve obruerunt.

Circa reficiendum exercitum difficultates.

§. 2. Cum itaqve summa rerum in eo verteretur, ut exercitus ad futuram expeditionem firmaretur; ad eum autem finem qva opus erat pecuniam neqve fœderati solverent, nec exhaustæ calamitatibus belli Electoris provinciæ suppeditare possent; nil restabat, qvam ut inermes Ordinum aliqvid ad istum alendum conferrent, qvi pro communi securitate pugnabat. Neqve enim rationis esse, ut unus molestias, sumtusqve belli solus toleret, reliqvis immunibus, qvorum incolumitas non minus hisce armis stabilitum ibatur. Enimvero circa isthæc hospitia summa surgebat difficultas, qvod ea Viennæ parce, ac inæqvaliter distribuerentur, non observata proportione copiarum, aut actionum, per qvas hæ imminutæ erant. Tum jam omnes fere Ordines vel ipsi arma parabant, vel in Cæsaris, aut aliorum protectionem se conferebant declinando hospitiorum oneri. Ac Cæsareus exercitus, ductoresqve ita laute sibi prospiciebant, ut fœderatis parum supereſſet. Unde Viennæ Electoris postulata aperte, aut per clandestinas artes eludebantur. Eqvidem superiore anno spes facta fuerat, Electori hospitia ab Hanoverano hactenus usurpata attributum iri. Ac cedebat is demum, qvæ in Superiore Saxonia hactenus insederat, Anhaltinam ditionem, Mansfeldensemqve, & Stolbergensem Comitatus, exiguum tanto exercitui levamentum; Cæsareis contendentibus, Electori vicissim Eichsfeldia, & Erfordensi agro desistendum. Ast qvæ in Saxonia Inferiore obtinebat Hanoveranus, nullo modo dimittere volebat. Qvo nomine hic, atqve Cellensis Dux ad Cæsarem scripserant, ne eorum hospitiorum possessio sibi turbetur, additis verbis altius penetrantibus: Se non sperare negotium hoc ad dissidium Reipublicæ tam noxium iri deductum. Et qvanqvam Cæsar respondisset, Hanoverano utiqve istis decedendum esse; hic tamen literarum, qveis ab armis pondus non accedebat, securus, qvod semel utcunqve invaserat, ingratiis Cæsaris retinere pergebat. Cui instituto excusando hæc ratio idonea videbatur; suam ditionem alendis copiis non sufficere; ut autem ipse armis se exuat tutum sibi haut esse: igitur nil aliud restare, qvam ut istæ ab aliis alantur; utut eædem non solum nullam patriæ operam navarent, sed & fœderatis non modicam suspicionem incuterent. Cæterum ad conventum Inferioris Saxoniæ provocabatur, qvi propediem habendus sit; cujus scopus Viennæ parum probabatur; ac satis patebat, Cellensem obtentu præfecturæ copiarum Circularium, qvam gerebat, dispositionem super hospitiis per Inferiorem Saxoniam in se trahere velle, reliqvis omnibus exclusis. Cujus & Ducis intentio, & Cancellarii Schutzii consilia valde suspectabantur, velut clandestina cum hostibus commercia agitarent, ut Bremensis ditio penes Brunsvicensem Domum maneret, hac in medium statum transgressa, qvo Pomerania Svecis servari posset. Adversus qvæ Cæsarei Viennæ acriter invehebantur; ac nunqvam se eam indignitatem toleraturos, ut Duces hoc modo Bremam adqvirant, qvam malint ad Svecos reverti. Qvanqvam non ingratum ei aulæ erat Electorem cum Luneburgicis collidi, qvo Cæsari eo liberior facultas foret circa Svecis erepta disponendi, eaqve cum locis, qvæ Hispani amiserant permutandi. Porro ea Luneburgicorum consilia, & qvi mox nuntii è Belgio de amissis tanti momenti urbibus veniebant, Viennæ ingentem consternationem excitabant, plerisqve bellum detestantibus, per qvod Cæsar patrimonii justa, & autoritatis in Imperio jacturam facturus sit, ac qvalemcunqve pacem inclamantibus. Nec minus metuebatur, ne dum reliqvi contra hostem alibi distringuntur, isti ad subigendam Bremensem urbem vertantur, Monasterienſi qvoqve ea provincia expulso. Qvi & ipse suspicione perstringebatur, eoqve copias suas contra Gallum mittere tergiversabatur. Ista autem qvanqvam ægerrime ferret Cæsar, dissimulandum tamen erat, qvod nec rationibus qvidqvam profectum iri spes foret, ac vim adhibere temporum conditio haut permitteret. Cæterum cum Crocovius postularet, ut per Cæsareos in vicinia hærentes Hanoveranæ copiæ hospitiis exturbarentur, Cæsarei ministri reponebant: *Si Elector assignata sibi hospitia occupet Hanoveranis vi expulsis, Cæsareas legiones auxilio ipsi adfore: ast solum Cæsarem absqve Electore id negotium suscipere non posse. Eam qvippe causam*

17. *Febr.*

præcipue

1677. *præcipue Electorem tangere, qui & eam primus aggredi debeat Cæsare fideliter suppetias laturo. Sed ut Cæsar eam causam, ac oriturum inde invidiam solus in se derivet, suaderi huic non posse.* Crocovius contra: *eam causam primario non Electoris, sed Cæsaris esse, cujus autoritas hoc vertatur. Ejusdem ac universi Imperii interesse, ne Dux hostibus certo modo innexus ulterius firmetur, sed potius ut Electoris copia conserventur. In hoc negotio Cæsarem nil periculi facere; nec Hanoveranum in Silesiam, aut Bohemiam irrupturum; eoque hunc non plus contra Cæsarem susceptorum, quam quod hucusque obliquaratione fecerit, quodque alias omissurus non sit. Ast Electoris ditiones Hanoverano immixtas. Duces quoque ejusdem Domus longe promtius huic contra Electorem, quam contra Cæsarem suppetias laturos. Quod si igitur id negotium in nervum erumpat, distractis Electoris viribus, spatium respirandi Svecis datum iri, non sine magno detrimento Cæsaris, & causæ communis.* Præter ista Crocovium Elector reponere jubebat; *uti ipse primus inter omnes Ordines publicam Imperii causam susceperit, Cæsariqve inconcussa fide, & constantia adhæserit, simul omnes suas fortunas periculo exposuerit, ac fecerit atque pertulerit, quæ omnibus nota sint. Quanquam autem spes fuerit circa hospitia, & alia quæ se spectent, si non liberalius saltem haut malignius secum, quam cum aliis fœderatis actum iri: comperiendum tamen sibi esse, suo exercitui quam tenuissime prospectum assignatis hospitiis jam exhaustis, aut ad quæ vindicanda novum bellum suscipiendum sit, alias plus satis hostium habenti. Unde totam molem jam aliquot per menses suis ditionibus penitus astritis incumbere; cum contra alii, qui hospitia pro lubitu invaserint, laute agant, integrosque Circulos in se trahant, insuper habitis à Cæsare decretis. Quod eo acerbius sibi sit, quo magis suæ rationes Austriacis in Imperio, & Polonia innectantur. Eqvidem inaudire se, quosdam de exantoranda exercitus parte jactare, qvem tamen augeri quam maxime expediat; ac ni is insigniter firmetur, periculum esse, non erepta solum hosti, sed & propria amissum iri. Contra si sua destinata succedant, Silesia, & aliis provinciis Cæsareis validum propugnaculum objici. Tum se semper declarasse, post expugnatam Pomeraniam conixurum, ut Cæsar Alsatiam recuperet. Unde par esse se à Cæsare sublevari, ut pro causa communi à se operæ pretium fieri qveat.* Ast Cæsarei non nisi de castigando legionum numero reponere; nam in fœdere non nisi de sedecim millibus conventum; nunc de qvadraginta legionibus moveri. Nec adversus Gallos sibi multum auxilii ab Elector pollicebantur, qvod hicce tunc omnes vires ad subigendam Pomeraniam convertisset. Qvin metuebant, ne si Elector qvæ cupiebat nactus foret, exemplum Luneburgicorum seqveretur. Nec Sveci amplius curabantur, jam eo redacti, ut nec ditiones Cæsaris hæreditarias invadere, nec impressionem in Imperium facere possent. Num Elector plus an minus fructuum ex hoc bello perciperet, aut num ejus opibus qvid accederet, id Cæsaris perinde erat; qvin Pomerania eidem adcrescente non levis æmulatio injiciebatur. Unde & palmaria ratio, qvæ adduci poterat, Electorem Austriacis partibus firmiter adhæsurum, enervabatur. Cæsareis regerentibus; non dari sibi beneficium bello ab Electore continuato; nam id ob privatum ipsius emolumentum fieri, qvod nulla alia via sit Pomeraniam nanciscendi. Ast Electori beneficium præstari bello per Cæsarem extracto, qvod huic spatium præbeatur reliqva Pomeraniæ loca expugnandi; cum Cæsari nulla spes sit hoc bello aliqvid lucrandi. Sed & Viennæ nova fœdera cum Moguntino, Colonienſi, aliis cudebantur, per qvæ ab his certus militum numerus præstandus erat, concessa vicissim ab hospitiis immunitate. Adversus qvæ Crocovius demonstrabat: subtractis hospitiis veteranum militem, & antiqvos fœderatos subverti, cum ab istis non nisi tiro sperandus sit; ac eorum plerosqve parum de Rep. meritos. Sed ista incassum canebantur, qvod illis fixum sederet Præsulatus esse conservandos, ne horum oppressione Protestantium potentia glisceret. 1677.

§. 3. Nec minus ad imminutionem Electoris tendebat conventus Inferioris Saxoniæ, Brunsvigam mense Frebruario indictus. In eo de qvatuor capitibus tractandum erat: Uti Ordinibus hujus Circuli per hoc bellum pressis subveniendum, atqve his malis medicina facienda: Uti ad hunc finem necessaria Circuli militia sit instauranda: Qva ratione sit impediendum, ne commercia Albis novis vectigalibus institutis onerentur: Qvo modo emolumenta Circuli Neomagi observanda sint. Ad istum conventum ab Electore missus Joannes Butendachius Procancellarius Halberstadiensis demonstrare jubebatur: ista onera unice per invasionem Svecorum provenisse, adversus qvæ solum remedium sit, junctis viribus cœptum opus expedire, utqve inermes Ordines iis, qveis arma sumenda fuerint, præbitis hospitiis subve- *Conventus Inferioris Saxoniæ Electori parum favet.*

1677. niant, qvo compressa hostis ferocia, firmaqve pace constituta in futurum contra istius invasionem tutis agere liceat. Tum copias, qvæ jam in promtu sint, probe sustentandas, cum minutis singulorum Ordinum manipulis ad summam rerum nihil proficiatur. Nova onera navigationi Albis imposita mitiganda, nec plura introducenda. Deniqve dubium esse, nomine Circuli peculiarem legationem Neomagum mittendam. Si Luneburgici, uti ferebatur, nomine Ducatus Bremensis suffragium ferre instituerent, protestationem opponeret, qvod & Daniæ Rex factu-
27. Mart. rus erat. Luneburgici porro, qvi hoc conventu abolitionem hospitiorum, simul instaurationem militiæ Circularis urgebant, id agere videbantur, ut post subactam Bremensem provinciammedios deinceps se gererent,autlangvide bellum administrarent, qvo sibi viam ad transactionem cum hostibus pararent;tum ut debilioribusOrdinibus copias concederent,eoqve obtentu sibi solis ejus Circuli hospitia vindicarent, aliis fœderatis exclusis. Prout & Administrator Magdeburgicus id studebat,ut Electori hospitia per suam ditionem adimerentur.Unde & qvicqvid ab Electore missus obniteretur, conclusum fuit, ut qvæ hactenus usurpata fuerint hospitia, pecuniarum exactiones, ac alienarum copiarum transitus ne tolerentur: utqve insignes copiæ nomine Circuli parentur, qvarum moderamen penes Cellensem sit futurum: ut deniqve Circuli nomine legatio Neomagum mittatur, qvam Magdeburgicus, Cellensis &Lubecenses sint obituri. Adversus qvod decretum jussu Electoris à Butendachio protestatio fuit interposita. Sed Gluestadiensi vectigali, qvod Daniæ Rex affectabat, non hic modo Circulus, sed & Angli qvam maxime obsistebant. Nam Danus, ne Belgæ ei se vectigali opponerent,his obtulerat,vectigal non nisi à majoribus navibus, tres malos gerentibus exactum iri. Belgæ autem fere minutis navigiis uno malo Hamburgum navigare solent. Sed eo magis reluctabantur Angli, ne forte Belgæ hac conditione acceptata Anglorum in Albi commercia ad se pertraherent.

Circa satisfactionem difficultates.

§. 4. Sed nec Elector Viennæ, aut apud reliqvos fœderatosBremæ pervincere poterat, ut sibi super Pomerania idonee caveretur; utut promitteret, se omni vi connixurum,ut Cæsari qvoqve satisfiat;nec se Luneburgicorum exemplum imitaturum, qvi destinatis suis potiti manum negotio subtracturi videbantur. Sed Cæsarei negabant obstringi se posse, ne pacem faciant, nisi Svecis Germania pulsis; qvod 1677.
ejusmodi promisso pax difficilis reddatur. Eandem & Belgarum esse sententiam, qvi haut passuri sint, paci, qvam magnopere cupiant,nova obstacula poni. Qvin si maxime id promiserint,facile ejusmodi rerum faciem emergere posse, ut promissa servari neqveant. Sed nec collationem feudi, & investituram addici posse, qvoad Pomerania plane occupata fuerit, & cum fœderatis super eo negotio convenerit. Feudum qvoqve commissum ad Cæsarem devolvi, nec ullo tractatu eum obstringi ad idem Electori conferendum; etsi huic præcipua spes ad idem sit. Ad qvæ Crocovius: *Carolum V, & Ferdinandum II, illum Saxoniæ Electoratum Mauritio,hunc Palatinatumcum Electorali dignitate Bavaro per secretos tractatus promisisse, anteqvam proscriptio Joanni Friderico Saxoni, & Friderico Palatino intentaretur, eorumqve ditiones occupatæ forent. Nec obstare leges publicas, & capitulationem circa consensum Imperii in proscriptionibus & collationibus caducorum feudorum. Nam dum Imperium Svecos hostes judicavit, eo ipso in proscriptionem Ducis Citerioris Pomeraniæ consensisse. Et qvia idem Imperium decrevit, ut Electori satisfiat, id qvod nisi è commisso feudo obtineri neqveat. Cæsari assatim potestatis esse in Electorem id feudum conferendi. Nec in more esse aulæ Cæsareæ decretis Imperii ita presse inhærere, sed ea qvacunqve ratio patitur porrigere, haut amplius consultis Ordinibus.* Sed Cæsarei regerebant: Se qvidem antehac declarasse; fœderatis primum inter se conveniendum, inde ad Cæsarem referendum; qvi deinceps qvod patrem deceat sit facturus. Sed istiusmodi conventionis nullam aliam esse vim, qvam ne fœderati suis prætensionibus sibi mutuo obstent. Ejusmodi autem pacti evictionem à Cæsare nec promitti, nec præstari posse, qvi & isto hautqvidqvam stringatur; sed integram eidem facultatem circa ereptas hostibus provincias jure feudi competere. Pleriqve tamen jactabant; modo Elector prius Pomeraniam occuparit, facilem viam componendo negotio inventum iri. Post cum denuo Crocovius
13. Jun. super hoc negotio moveret, respondebatur: Cæsarem cuiqve fœderatorum circa præmia belli,ac præcipue Electori circa Pomeraniam Svecicam fauturum, modo & sibi, suæqve Domui satisfiat. Nam id non sufficere, qvod Elector promtum se ferat ad navandam ex fœdere operam, sed rem ipsam exhibendam. Accidere qvoqve posse,ut Electore licet persistente aliorum fœderatorum defectio paci accelerandæ necessi-

1677. ceſſitatem adferat. Jam autem æqvum non eſſe, ut cæteri tantis emolumentis macti bello excedant, vacuo Cæſare. Ac ſane jamdudum Viennæ id agebatur, ut ſi pax ineunda ſit, per qvam Auſtriaci deſtinatis ſuis haut potirentur, Elector Svecis erepta redderet, Gallo viciſſim Hiſpanis ſatisfacturo. Haut eo minus Crocovius formulam concinnabat conventionis inter Cæſarem, & Electorem, qvo iſte promittebat, ſe huic Pomeraniam in ſatisfactionem conceſſurum, ac de ea ipſum inveſtiturum, aut de parte, ubi eadem haut tota occupata fuerit. Sed conſiliarii cenſebant, id pactum haut feſtinandum, ſed videndum, qvomodo res in Pomerania ſuccedant. Nam ubi hæc tota devicta fuerit, forte haut difficile fore eam Neomagi tueri, ac Cæſaream inveſtituram obtinere. Armis haut addicentibus pacto parum efficaciæ fore; ac Cæſarem ſibi unum, atqve alterum commodum hoc pacto ſtipulaturum.

Conventus Bremenſis nullo fructu ſolvitur.

§. 5. Nec majus operæ pretium in eam rem Bremæ factum fuit. Ubi Cæſarei legati poſtularant, ut fœderati ſeſe obſtringerent ad comparandam Cæſari Alſatiam cum Briſaco, ac ut Lotharingus ſuam ditionem recuperet. Alias Cæſarem de Bremenſi provincia nil ſibi depoſcere, niſi bona in urbe Brema ſita, ne futurus provinciæ dominus aliqvid juris in eandem urbem prætendere poſſit: qvæ bona tamen Cæſar non ſibi retenturus, ſed urbi donaturus ſit. Ad iſthæc Elector promtum ſe declarabat; ac ubi bellum Pomeranicum abſolverit, totis ſeſe viribus Cæſari auxilio iturum. Simul monebat, Luneburgicos, & Monaſterienſem arctius partibus illigandum, ne poſt transactionem ſuper Bremenſi provincia aliam conſiliorum viam ineant. Danicus qvoqve miniſter oſtendebat; in Rege ſuo moram non fore, ſi & alii fœderati, ac præcipue Belgæ in id conſentire velint. Sed Belgæ, & Luneburgici haſitabant, ac negotium id Hagam rejiciebant. *29. Jan.* Cæterum à Monaſterienſi nemo legatus veniebat frivolo obtentu, ſolitum legato ſuo domicilium, ædes Epiſcopales, ſubtractum, & à reliqvis ſemper miſceri, qvæ ad partitionem non ſpectent. Luneburgici excuſabant, citra Monaſterienſem nil ſibi ſtatuere integrum eſſe. Utriqve jactabant ſe per pactum ſuperiore anno initum penitus cum Electore tranſegiſſe; qvod tamen ex aſſe non impleverant. Nec eo minus acris inter Duces, & Præſulem ſuſpicio gliſcebat: unde hic cum Dano, & Electore ſeorſim paciſci cupiebat, qvod vereretur, ne Duces per Gallum totam Bremam in ſe traherent ipſo excluſo. Ita ergo negotiatio iſta in irritum caſura videbatur, Luneburgico non obſcure id agente, ut conventus iſte re infecta diſſolveretur. Cui cum Windiſchgræcius lubricum agendi modum exprobraret, hic juſſu Principum ſuorum offenſam haut diſſimulans negabat, talia ſe deinceps auditurum; ac à Principibus ſuis ſe hinc avocandum; addito; qvi reip. bene cupiant, eis id agendum eſſe, ut hic conventus diſſolvatur, ubi operæ pretium haut faciendum ſit. Sed cum haut decorum videretur re plane infecta diſcedere, Cæſarei, Hiſpanus, & Belga ſvadebant, temporarium pactum ineundum. Cujus formulam ab Amerongio conceptam, ſibiqve transmiſſam Elector qvidem probabat, ſed Monaſterienſis eandem non tine ludibrio rejiciebat, cui animus erat cum Dano ſeorſim tranſigere. Sed & Luneburgici eam formulam adſpernabantur, varia cauſati, & qvæ circa eam deſiderabant, ſcripto exhibebant. Inde eorum legatus diſcedebat, *4. Mart.* ac mox ad eos, qvi Bremæ manſerant, ſcribebat, ſe haut reverſurum, non obſcuro indicio, Ducibus domus Luneburgicæ peculiariter inter ſe convenifſe; ex qvo parum boni pro communi cauſa ſperabatur. Unde reliqvi decreverunt à Ducibus per literas exqvirere, qvam ob cauſam ipſorum miniſter diſceſſerit: ac ſi iſte non revertat, ſe conventionem inituros, qvod poſt finitam hujus anni expeditionem huc redituri ſint; qvo honeſtus ſit color diſcedendi, ac ut Luneburgicis ſcrupulus injiciatur. Aſt Duces Hiſpano, & Belgis declarabant; ſe nil copiarum iis miſſuros, qvoad reliqva ſubſidiorum ſoluta ſint; utut alias plus qvam cæterorum ſociorum qvispiam accepiſſent. Addebant, ut à ſe Neomagum mittendi legatorum primi gradus dignatione habeantur, ac circa Bremenſem partitionem ſibi ſatisfiat. Sed & ſuſpicionem injiciebat, qvod Duces nil copiarum Dano contra Svecos ſubmittere vellent; præſertim cum Hiſpanus, & Belga referrent, Neomagi Gallos Svecis propoſuiſſe, ut Svecus Luneburgicis Bremam cedat hiſce ad medium ſtatum permovendis, ac Gallo curæ fore, ut ea jactura alibi penſetur. De qvo legati Svecici ad Regem retulerint, ac parum difficultatis ab hoc motum iri crediderint. Poſt *14. Maji.* tamen Cæſarei cum Luneburgicis miniſtris denuo Hoyæ ſuper formula conventionis colloqvebantur; in qva hiſce diſplicebat, qvod præſens poſſeſſio nemini jus dare, aut adimere debeat; & qvod omnia Svecorum jura in Bremenſem urbem abolenda ſint.

Dano

1677. Dano se satisfacturos missis copiis ad occupandam Rugiam insulam. Cui conditioni Hispanus, ac Belga contradicebat, qvod hoc modo Luneburgici impediendi sint, qvo minus in Brabantia contra Gallos rem agant. Belgæ qvoqve desiderabant, qvod in ea formula fœderati ad mutua auxilia obstringerentur, qvoad omnibus satisfactum foret. Nam isti nil novæ obligationis ultra priora fœdera contrahere volebant. Ita cum Bremæ nil agendum restaret, Cæsarei conventionem adornabant, qva urbis Bremensis libertati cavebatur; in qvam tamen Hispanus, & Belga consentire dubitabant, ni Luneburgici, ac Monasteriensis eam subscriberent. Id qvod à Luneburgicis eo minus expectabatur, qvo apertius erat, istos totam Bremensem ditionem sibi destinare; & qvia multa periculosa circa eam urbem tunc machinabantur. Qvi & velut pleni domini Bremæ Capitulum Hamburgense sibi vindicatum ibant. Adversus qvam usurpationem Daniæ Rex, & Monasteriensis cum protestationem interponere vellent, Elector id in præsens dissimulandum svadebat; cum utiqve aliqvando ea res per justos tractatus sit componenda, ubi non omnia ex unius libidine constituenda sint. Pacto isto formato *Fuen Major* ablegatus Hispanicus, & Amerongius Belga Brema discedebant. Qvorum hic paulo post rescribebat, Ordines Generales libertati urbis Bremensis cavere nolle; qvam & Monasteriensis parum probabat. Redibat post Bremam Amerongius, sed nullo super Brema urbe decreto allato. Unde reliqvi non amplius frustra ibi morari statuerunt. Cæsarei formulam pacti à se subscriptam Amerongio Hagam adferendam dabant, qvam si Belgæ probent, eandem à cæteris qvoqve fœderatis subscribendam: sed Belgis detrectantibus suam qvoqve subscriptionem effectu carituram; qvam tamen post Cæsar, Hispanus, Danus, Elector, & Belgæ subscripsere. Anteqvam Cæsarei Brema digrederentur ad reliqvos legatos verba faciebant, qveis valde sibi displicere testabantur, qvod cum Cæsar rogatus sit ad hunc conventum legatos mittere partitioni absolvendæ, aliqvi consiliis privatam tantum utilitatem spectantibus effecerint, ni qvid perfici potuerit. Et qvia Cæsar tanqvam caput Imperii de his ditionibus nemini qvid donaverit, aut cesserit, cuilibet competentia jura salva fore. Simul de immediato statu Bremensis urbis testabantur, & ut omnia jura, qvæ Sveci in eam prætenderint, usqve ad pacem suspensa sint. Super qva propositione Luneburgici post graviter qverebantur.

24. Maji.

30. Jul.

§. 6. Paulo ante, qvam Brema discederetur, Windischgræcius indicabat, Hanoverano libidinem esse bonas partes amplecti, qvod Gallica subsidia hæreant, ac ipse hospitiis suarum copiarum caveri cupiant. Sed eum ab istis qvoqve subsidia postulare, ad qvæ Hispani Belgæ aures occludebant. Ac sane Cæsar ab ipso oblata sat frigide acceperat. Legatus qvoqve Cæsareus Trautsonius Madriti Rucqvio dicebat: se jussu Cæsaris Hanoveranas copias Hispanis obtulisse; sed eam rem non satis fervide egisse, tum ne aliorum fœderatorum solutioni qvid decederet, tum qvod perspiciatur, qvid tergiversationum, ac prætensionum Domus Brunsvicensis jam moveat. Unde is denuo cum Gallis convenisse dicebatur; cum impensis centum uncialium millibus in partes pertrahi potuisset. Elector tamen ne qvid intentatum relinqveret, Ledeburium nulla legati persona Ducem adire jussit, eumqve laxioribus verbis velut aliud agendo ad bonas partes amplectendas hortari, additis de amicitia Electoris testationibus. Ad ista si Dux languidius respondeat, ac ipse animadvertat, eundem consiliis hactenus probatis haut decessurum, repetitis amicis verbis protinus discederet. Sed si Dux studium in bonas partes testetur, ipse ostenderet; ab Hispanis, & Belgis nullam subsidiorum spem. Forte Hispanos ubertim promissuros; sed ad ea præstanda facultatem deesse; ac Electorem longo tempore ne teruncium ab iis extundere valuisse. Belgas in pacem inclinare, ac nemini fœderatorum amplius subsidii qvid numerare. Igitur Ducem alia ratione rebus suis prospecturum, præcipue impetratis pro exercitu suo hospitiis; circa qvæ Elector operam navaturus sit. Hac ad partes accessione à Domo sua partis in Bremensi provincia cauturum, ac qvod palmarium esse debeat, de patria egregie meritorum. Ledeburio Dux respondebat; *Postqvam à Gallo haut uti par secum fuerit actum, ante aliqvot menses serio sibi fuisse decretum partibus fœderatorum accedere, ac copias suas in Hungariam, Pomeraniam, aut qvo communis necessitas vocaverit, mittere; modo necessarii ad eam rem sumtus suppeditarentur. Idqve se legato Cæsareo Bremæ agenti significasse; qvi & satis studii circa eam rem ostenderit. Sed postqvam à se oblata Viennæ ita frigide accepta sint, haut alia declaratione data, qvam Cæsari pecuniam qvam det*

Circa Hanoveranum in partes trahendum frustra agitur.

2. Jul.

Trautson.

10. Jul.

27. Jul.

1677. *dat non esse, ac circa hospitia eodem modo secum atqve cum aliis actum iri. Hispanus qvoqve, & Belga spem subsidiorum ademerint: igitur cum nec militem suum exautorare placeat, nec is ex propria ditione aliqveat, consilia sibi mutanda, & qva alibi alendis suis copiis offerebantur, fuisse arripienda. Dolere sibi, egregio suo studio haut uti par fuisse occursum; cujus rei causa qva fuerit, suo se loco relinqvere. Id cumprimis molestum, de sua mente ita siniſtre judicatum, qvasi serio à se res acta non fuerit, sed inclinationem in fœderatos simulatam, ut Gallum amulatione acr censum pingvioribus subsidiis emungeret.* Addebatur, ut Elector conventa ipsi hospitia præstaret. Ita Ledeburio re infecta discedendum erat.

Cum Monasteriensi fœdus initur.

§. 7. Postqvam igitur Luneburgici id agere videbantur, ut Electore & Dano, qvi viam ipsis muniverant, exclusis ipsi integram sibi prædam vindicarent, qvo fine & Hanoverano arcte se innexuerant; Daniæ Rex consultum ducebat Monasterienſem sibi adjungere. Ac ipse Præsul, cui non minus Ducum consilia suspectabantur, in eum finem fœdus Electori obtulerat, simul testandæ amicitiæ Burchardum Westerholzium ad hunc Vesaliam miserat. Ac Elector è Clivica in Marchiam rediens apud Præsulem Sassenbergæ diverterat. Eo loco & fœdus Electorem inter, & Præsulem concluſum fuit, qvo conventum super auxiliis invicem ferendis contra Svecos, horumqve socios, qvoad pax obtenta fuerit. Eo fine Elector qvinqve millia, Præsul tria millia militum in promtu habiturus, atqve exhibiturus erat, numero pro re nata augendo. Ut qvæ ad fœdus spectent exsecutioni dentur, ministri utrinqve singulis bimestribus Mindæ convenirent. Inprimis mutuam evictionem præstituri erant eorum, qvæ Svecis eripuissent, salva Electoris prætensione in Bremensem provinciam: tum & mutuam operam navaturi, ut cuiqve pro modo copiarum circa hospitia prospiciatur; Neomagi qvoqve invicem utilitates suas fulturi; ac ne unus absqve altero pacem aut inducias concludat. In hoc fœdus alios qvoqve recipiendos, ac præcipue Daniæ Regem. Qvod si qvis fœderatorum à communi causa discedat, inter se deliberaturos, qvid consilii tunc capiendum sit. In idem fœdus paulo post Daniæ Rex Delmenhorsti iisdem legibus receptus est; qvi qvatuor militum millia conventis ab Electore, & Præsule numeris additurus erat. Promissum qvoqve de promovenda ad finem partitione Bremensi, & ut qvilibet eorum idonea portione potiatur.

Westerholtz.

April.

3. Maij.

§. 8. Porro cum summa rerum Electori in hoc verteretur, ut Stetinum in potestatem redigeret, Bodo Gladebecius Cellas mittebatur, ut qvatuor militum millia ex fœdere superioris anni exciret ad obsidium isti urbi circumponendum. Dux non hoc solum, sed & plura offerebat subigendæ qvamprimum Pomeraniæ, modo reliqvi fœderati consentiant, nec ansam inde arripiant subsidia retinendi. Nam Hispanos, & Belgas velle, ut universæ copiæ in Belgium mittantur, cum ipse sufficere judicet solum eqvitatum eo venire. Unde operam se daturum, ut Electori ad octo millia auxilio venire possit. Hisce qvæ offerebantur Elector eo magis qvantum daretur utendum censebat, qvo tenuior aliunde auxilii spes ostendebatur. Et qvanqvam complura ipsi in ejus Domus actionibus tunc displicebant; tamen omni ope nitebatur, ut eandem ditionibus suis interjectam, & qva infesta communicatio cum provinciis suis Westphalicis intercludebatur, qvovis modo in bonis partibus retineret, ac ita temporibus se accommodaret, ne summa rerum ex intempestiva collisione detrimenti qvid caperet. Qvia autem Monasterienſis Electori indicium fecerat, è Luneburgicis se ministris intellexisse, Duces hac æstate qvietem acturos, qvo carius operam suam addicerent; is Franciscum Meinderſium Cellas mittebat, ut demonstraret, jam maxime necessarium esse bellum tota vi in Gallos, & Svecos geri; ac circa hos rationes suas ac Luneburgicæ Domus ita invicem innexas, ut unus absqve altero stabilem possessionem armis partorum, qvin totius status securitatem, aut honestam pacem obtinere neqveat, ni armis acriter ad eundem finem connitantur. Et qvia Brema subacta, res Pomeraniæ profligatæ sint, hisce colophonem jam imponendum. Igitur cupere se cum Ducibus super modo auxiliorum, & actionum bellicarum convenire. Svecis in Pomerania adhuc octo militum millia superesse. Stetinum tribus locis oppugnandum, ubi octodecim peditum millibus opus sit. Eam urbem prius subigendam, anteqvam Rugia, & alia loca invadantur. Nam si laxius obsidium Stetino circumponatur, copias suas valde distractum iri; ac si alibi in Pomerania qvid suscipiatur, annonam terrestri itinere subvehendam maxima cum exercitus molestia. Ac ni Stetinense præsidium probe coërceatur, suis provinciis periculum imminere. Pomerania subacta universas se vires in Gallos ducturum. Idem qvoqve cum Ducibus super hospitiis agere

1677. *A Luneburgicis auxiliorum qvid obtinetur.*

1677. jubebatur. Nam uti Duces totam Inferiorem Saxoniam ſibi vindicatum ibant: ita Elector ex ea præter proprias ditiones Magdeburgum, Guſtrovienſem ditionem, diſtrictum Hadelenſem, Hamburgum, Northuſam, & Mulhuſam ſibi cupiebat. Tum ut Daniæ qvoqve Regi aliqvid hoſpitiorum ibidem concedatur, & cum hoc, atqve Monaſterienſi ita agatur, ut ne probabile prætextum iis præbeatur à bonis partibus ſeſe disjungendi. Sane à Dano maximam molem belli Svecici ſuſtineri; qvi & ſua claſſe prohibeat, ne qvid copiarum è Svecia in Germaniam trajici qveat. Qvod ſi Duces metuere ſe ferant, ne deinceps gliſcens Danorum potentia ſuæ Domui in Albi, ac Viſurgi prægravis exiſtat: reponeret; Electoris non minus qvam aliorum intereſſe libertatem commerciorum in iſtis flumi-nibus per vectigalia haut premi, nec omiſſurum obſiſtere, ſi qvis in horum fraudem qvid moliatur. Non tamen eſſe, qvare Danus ſiniſtra ſuſpicione oneretur, antequam talia ab ipſo agitari adpareat. Interim utiqve neceſſarium eſſe pro Dani conſervatione conniti, ac conſilia cum eodem communicari. Si qvid offenſæ inter hunc, & Duces inciderit, Electorem officia interpoſiturum. Circa hoſpitia militaria merito debitum honorem Cæſari deferendum. Sed qvia per biennium obſervatum, qvam parum Viennæ aliorum, & cumprimis Electoris ratio habita fuerit, cum contra Cæſareo exercitui lautiſſime fuerit proſpectum, præfectis qvoqve præbita materia, unde affatim avaritiæ ſuæ litare poſſent: igitur conſultiſſimum fore ipſos inter ſe ſuper hoſpitiis convenire, ac inde Cæſaris adprobationem ſuper conventis qværere. Bremæ vix adparere, qvid agendum amplius ſit. Neomagi Electorem Ducum deſideriis velificaturum; ac ab hiſce pares vires expectare. Ad iſta Duces ſuper qvatuor millibus antea promiſſis promte annuere. Circa ampliorem numerum facturos, prout Elector circa hoſpitia declaret. Nam à ſe totam Inferiorem Saxoniam vindicari, exceptis propriis Electoris ditionibus. Cæterum operam navaturos, ut hic in Superiore Saxonia, & Weſtphalia qvibusdam hoſpitiis potiatur. A qva ſententia cum depelli non poſſent, Electori placebat, ut in anteceſſum illa IV M repræſentarentur: ſuper augmento, & hoſpitiis deinceps agi poſſe. Qverebantur iidem, Neomagi jam ſuper primario negotio tractari cœptum, cum ſibi circa characterem à ſe mittendorum nondum ſit ſatisfactum. Ejus rei culpam penes ſe hærere negabat Elector, velut qvi jus legatos ſupremi gradus mittendi Ducibus iſtis nunqvam in dubium revocaverit. Offerebant dehinc Duces, ſe VI M militum miſſuros, ut ad Stetinum uno loco oppugnationem ſoli ſuſcipere poſſent. Tum & copiarum qvid idoneis Meclenburgiæ locis diſpoſituros inhibendis Kœnigsmarckii excurſionibus. Sed Inferioris Saxoniæ hoſpitia ſibi utiqve habenda; tum ab Electore militem Guſtrovienſi ditione, ſimul Butzovia deducendum. Electori etſi grave erat Meclenburgicis hoſpitiis carere, è qvibus Pomeraniæ præſidiis alimenta petebantur; ac Butzoviam inſideri, qvoad Stetinum expugnatum foret, ratio belli ſvaderet: tamen ut Ducum opera uti poſſet, cum nulla aliunde auxilii ſpes adpareret, contendebat, ut copias ſuas apud Stetinum ad ſeptem millia augerent. Glorioſum id ipſis, ac ingens in patriam meritum, utramqve Saxoniam onere belli liberari, ac amotis turbidis vicinis in tutum reponi. Eo ipſo qvoqve utriqve hoc bello parta in tutum collocari, qvorum ſecura poſſeſſio ſperari neqveat, qvoad Sveci in aliqva Pomeraniæ parte hæreant. Vicisſim ſe omnibus hoſpitiis in Saxonia Inferiore renuntiaturum, excepto Magdeburgo & Halberſtadio. Tum & Butzovia præſidium deducturum ea lege, ut Cellenſis militem imponat, nec eum locum in Chriſtiani Ludovici Meclenburgici Ducis manus pervenire patiatur: ejuſdem qvoqve præfectus ſuis copiis pro re nata faveat, ſimul receptum, & tranſitum, ubi opus ſit, præſtet; qvæ omnia hoſti negentur. Guſtrovienſi tamen ditione decedi non poſſe, qvoad Stetinum, & Grypsvvalda expugnata fuerit, qvo exercitus ſuus ad Stetinum tegatur: eo capto libenter militem inde deducturum. Interim ſe levandis Ducis ſumtibus Luneburgicis legionibus alimenta præbiturum. Contra Cellis ab Hiſpano legatus erat, qvi intercedebat, ne tantum copiarum Electori ſubmitteretur, per qvod auxilia Belgio ferenda imminuerentur. Cæterum agnoſcebat Cellenſis, qvam neceſſarium foret ſociatis cum Electore viribus patrando Svecico bello incumbere, nec efficacius remedium mutuæ ſecuritatis excogitari poſſe; præſertim cum Viennæ & alibi non obſcura indicia invidiæ in utriusqve incrementa erumpant. Haut eo ſecius contendebat Cellenſis, ab Electore plane Meclenburgica excedendum; tum formulam conventionis exhibebat, duriſſimis conditionibus circumſcriptam, in qvas Elector nullo modo conſentire poterat. Inter qvas erat, ut Elector præſtaret, Bremenſem pro-

1677. 25. Maji. 7. Jun.

vin-

1676. vinciam penes ſolam Domum Luneburgi-
9. Jun. cam manſuram. Unde Elector literas ad Gellenſem dabat: *Se ſemper ipſius promiſſis confiſum. Sed nunc cum in rem præſentem veniendum, ac Stetini oppugnatio auſpicanda ſit, formulam conventionis mitti, cujus conditiones præſtare penes ſe hant ſit: qvibus ut deſiſtatur petat. Si hiece mordicus inhæreatur, rem fatis committendam. Sed talia moventibus graves rationes reddendas, qvod per hæc tantum detrimenti patriæ inferatur.* Sed uti nova conventio hærebat, tia è prioris anni pacto debitum militem Dux non prius mittere volebat, qvam Electoris miles tota Meclenburgica deceſſiſſet; nam ſibi curæ fore, ne per eam provinciam Stetino adlidentibus noxæ qvid inferatur. Sed & caveri ſibi poſtulabat, antequam ratam partem, qvam Præſul ad IV M ſuperiore anno conventa conferre debebat, ipſe ſuppleret. Præſulem apud Rhenum tantum militum numerum ſuo loco exhibuiſſe, qvod parum iſtius Præſulis verbis confideret. Deniqve circa hoſpitia Inferioris Saxoniæ non ſatis habebat Electorem officia ſua conferre; ſed poſtulabat, ut is evictionem eorum in ſe reciperet, & auxilia præſtaret contra qvoſvis, qvi iſta impugnaturi eſſent. Id enim unicum eſſe redhoſtimentum pro navata adverſus Svecos opera. Simul Rudolfo Endio injungebatur, ut iter verſus Pomeraniam ingrederetur, ſed non prius, qvam Elector poſtulato circa Meclenburgicam gratificatus eſſet. In qvod ut conſentiret Elector neceſſitas ſubigebat. Ita Electoralibus Meclenburgica digreſſis tria Luneburgicorum millia Stetinum accedebant. Mille milites qvi pro Monaſterienſi præſtandi erant, non prius veniebant, qvam à Villa Hermoſa teſtimonium allatum foret, à Præſule de eo numero ſibi ſatisfactum, ac eo nomine de ſubſidiis Hiſpanicis nil Duci detrahendum.

Cæſarei auxilia per rebellionem Hungaricam impediuntur.

§. 9. Eo patientius autem iſtius cauponationis tædia devoranda erant, qvod cum ſuperiore anno aliqvot millia Cæſareorum Cobio duce Electori ſuppetias latum veniſſent, iſtæ cum jam Croſnam attigiſſent, invaleſcentibus in Hungaria rebellibus revocarentur ad rem ibi gerendam. Iſtis motibus prima initia dederant, qvæ à Cæſareis miniſtris in Hungarorum ſacra, & libertatem tentata fuerant; qvos poſtea Galli è Polonia ſubminiſtratis pecuniis alebant. Hos ut ad obſeqvium reduceret Cæſar turbidis reſtitutionem bonorum, & aliqvot templa in uſum ſacrorum ſuorum promiſerat. Sed cum hiſce promiſſis conſiſi plurimi ad officium redirent, non niſi 1677.
dimidiam partem, qvibus id negotium commiſſum fuerat, reddere volebant. Qva fruſtratione usqve adeo irritabantur Hungari, ut in deſperationem verſi ad rebellionem redirent. Maxima ejus mali culpa *Colloniſch.* Collonitſchio Epiſcopo Neoſtadienſi, & Cameræ Hungaricæ præſidi tribuebatur, viro ob ingenium tetricum omnibus exoſo, qvi ejusmodi illuſionibus ita homines exſternaverat, ut nemo amplius Cæſareis promiſſis fidem adhibere vellet. Prævalebat qvoqve præpoſtera qvædam parſimonia, dum exigua impenſa tempeſtive adhiberi negligitur, qvæ poſt multis myriadibus emendari non poterat. Tum & circa reſtitutionem templorum multæ difficultates movebantur. Qvæ agendi ſcævitas qvantum cauſæ communi, ac Cæſareis rationibus noceret, Crocovius aſſidue ingerebat. Et Galli, qveis nulla occaſio Auſtriacis negotium faceſſendi omittitur, non ſolum Hungaros largiter ſubmiſſis pecuniis fulciebant; ſed & Turcas ſolicitabant, ut iſtis turbis ſe miſcerent, qvo Cæſari neceſſum foret totas vires in Hungariam vertere, ac Rhenum milite nudatum deſtituere. Bethunius qvoqve Regis Poloniæ affinis cum Hungarorum legatis, qvi Warſaviæ erant, palam nulla diſſimulatione tractabat, qveis in conviviis in ſanitatem Regis, & Reginæ Hungariæ, qvo vocabulo Bethunius, & ipſius uxor notabatur, ſcyphos evacuare ſolenne erat. Cum Polonicus exercitus exauctoraretur, VI M Polonorum à Bethunio conductorum in Hungariam tranſibant, Rege ignorantiam ſimulante. Super qvo facto qværentibus nil aliud reſpondebatur, qvam qvare Cæſar non melius vigilaſſet? Eis Gallorum in Polonia machinationibus ut Cæſarei mature obſiſterent, Elector dudum monuerat; ſed qvibus id parum cordi videbatur, nec pecuniæ qvid ad eas avertendas impendere placebat, qvaſi id negotium magis Electorem, qvam Cæſarem tangeret; ac multos è Poloniæ proceribus ultro Bethunii delectus diſſipaturos. Sed mox ſera pœnitentia ſubibat, cum Poloni ſub Gallicis ducibus, rebelleſqve Hungari Cæſareos hinc inde multarent. His compeſcendis Viennæ nunc ſat validi armorum paratus fiebant. Enimvero facillimum fuerat ea mala prævertere, ſi regimen Hungariæ rite diſpoſitum, ejusqve Ordinibus circa ſacra, ac libertatem ſatisfactum fuiſſet. Nunc ea rebellio non ſolum ab Hungaris, qveis in ſpeciem obſeqvium manebat, ſed & à vicinis barbaris, ac Domus Auſtriacæ

1677. ſtriacæ æmulis alebatur, hydræ inſtar habitura. Id qvod cordatiſſimus qvisqve miniſtrorum Cæſaris agnoſcebat. Nec crudelibus ſuppliciis, qveis in complures captivos Cobius ſæviebat, efferati animi ſedabantur, cum mox in Cæſareos milites, qvi in Hungarorum manus inciderant, ea exempla reponerentur. 1677.

Ab Hiſpanis nil pecuniæ extundi poteſt.

§. 10. Eas difficultates non parum augebat, qvod poſt tot pollicitationes nil pecuniæ per fœdus debitæ ab Hiſpanis extundi poſſet. Apud eos ærarium exhauſtum, fides conſumta erat. Joannem Auſtriacum optime ſentientem vires deſtituebant. Ita dextre tamen illi inopiam diſſimulare, ac inſigni gravitate promiſſis ſuis pondus addere norant, ut iis, qvi ex honeſtate animi ſui alios metiebantur, non prius de fide eorundem dubitare ſubiret, qvam ſibi illuſum fuiſſe velut manibus palparent. Qvanqvam igitur ſpes non eſſet Electorem hoc anno copias in Flandriam miſſurum, nec in longum prominentia iſtis pretio emere mos
7. April. eſſet: haut eo minus aſſeverabant, inſignem pecuniæ ſummam in Belgium trajectam eſſe in Electoris, ac Daniæ Regis uſum. Nam ſatis ſe perſpicere, magnopere ſua intereſſe, Gallis fulcrum à Svecia ſubtrahi, qvod non niſi per Electorem, ac Danum fieri qveat. Sed ut pudorem irriti promiſſi paulatim imminuerent, Hieronymus Eguia
7. Maij. Secretarius Status Rucqvio in hunc ſenſum ſcribebat: *Etſi à Rege omnis opera detur, & deinceps danda ſit, ut fœderatis ſatisfiat; id tamen ex aſſe implere, uti deſideretur, admodum difficile fore, qvod poſt concluſa fœdera motus Siciliæ ſuperveneriut, ſumtuoſum, juxta, ac maturum remedium requirentes. Unde Regi ſpem eſſe, Electorem his expenſis judicaturum, ſolam impotentiam in culpa eſſe, ſi qvid eorum, qvod fieri debebat, omittatur: tum eundem à conſtantia ſua haut diſceſſurum, ad qvam non ſolum parta hac bello gloria, ſed & propriæ rationes ab Hiſpanicis inſeparabiles eum adſtrictum ræ ſint.* Scilicet cum jam antea nil præter verba ab Hiſpanis expectanda eſſent, jam per tot amiſſas in Belgio urbes eorum circuli plane turbabantur, ac id tantum ſpectabatur, qvomodo bellum deinceps utcunqve propulſarent, qvoad qvalemcunqve pacis occaſionem tempus ſuggeſſiſſet. Ac res Belgii ita deſperatæ habebantur, ut ni fœderati proprias ob rationes iis ſubvenire vellent, aut poſſent, ex Hiſpania iis ſuſtinendis remedium non eſſet. Angliam tempeſtive Galli progreſſibus ſe opponere omiſiſſe: nunc dubium eſſe, an ſi maxime velit penes ipſam futurum ſit torrentem ſiſtere. Nec parum temporis reqviri, antequam, qvæ tanto negotio ſuſcipiendo reqvirantur, adparari qveant. Per bellum in Sicilia, & Catalonia, mortiferos ictus Hiſpaniæ inferri. In pluribus locis langvide movere, nullibi inſigne qvid moliri, reflante præſertim adeo pertinaciter fortuna, nil aliud eſſe, qvam ſummam rerum ubiqve periculo exponere. Unicam ſpem ſupereſſe, num per fœderatorum ſucceſſus res mutationem ſubituræ ſint. Nam præſenti rerum facie pacem facere, ut Belgii reliqviæ ſerventur inane eſſe, qvod hæ non niſi oneri Hiſpaniæ ſint futuræ, & in qvas omnes opes incaſſum profundantur. Qvæ haut ſimulate dici ſatis conſtabat, qvod præter Hiſpanorum genium de miſeria ſua faterentur. Unde Electori eo minus fiduciæ in Hiſpanis collocari poterat, qvod his ab omni tempore non inſolitum fuerit, amiciſſimos, ac fœderatorum optimos propriis utilitatibus immolare. Sed & Joannes Auſtriacus ſpem, qvam pleriqve conceperant, per eum collapſas Hiſpaniæ res inſtauratum iri, haut impleſſe judicabatur. Sane plebis, qvæ adventum ejus ardentibus votis expetierat, gratia tepebat, qvæ per tot annos inolita mala uno momento ab eodem emendari poſſe crediderat. Proceres fremebant, ab iſto familiares, & clientes muneribus publicis admoveri. Qvod aliqvi ideo fieri interpretabantur, ut cum mala reip. non niſi per violenta remedia corrigi poſſe perſpiceret, haberet, qveis tuto confideret, ſi ingratam plurimis medicinam aggredi placeret. Nam ni ea ſecreta intentio foret, modus regiminis ab ipſo adhibitus expectationi non reſpondebat. Sed & ultro indignabantur Hiſpani, fœderatos tam acriter pecunias exigere, cum hi proprias per rationes ad bellum perſeqvendum ſtringantur, ac nemo non per arma ſibi aliqvid qvæſitum eat, ſola Hiſpania jacturam faciente. Qvin & magni imputabant auxilia Electori à Cæſare in Pomeraniam miſſa, cui ab Hiſpania tantum pecuniæ ſuppeditatum ſit. Cæterum cum adpareret aulæ conſilia ob adverſam fortunam, ac virium debilitatem vacillare, ac jam in Gallia de pace proponi diceretur, Rucqvius Petro Colonnæ Secretario Status demonſtrabat, qvantum ſcrupuli per iſta fœderatis injiciatur. Cui hic reponebat: talia eſſe è ſubtili veneno, qvod Gallia per emiſſarios ſuos ubiqve diſſeminet ad fœderatos mutua diffidentia imbuendos: ac de iſtis Regi ſuo nunqvam in mentem veniſſe. Repetebantur infinities promiſſa; ac Villæ Hermoſæ

1677. mosæ omnem, qva trajecta sit, pecuniam fuisse impendendam educendo in expeditionem exercitui.

Nova ludibria Hispanicorum tela. 20. Jun.

§. 11. Sed cum hactenus omnia Hispanorum promissa intra verba constitissent, Elector extremum cuneum adhibendum ratus Rucqvium de avocatione sua insinuare jubebat. Id partibus noxium fore Belgicus minister demonstrabat, si Electoris ablegatus re infecta non sine offensa discessisset. Unde excitati Hispani improvisos casus excusare, ac in posterum omnia melius successura. Rex qvoqve ipse significabat, sibi placere, ut iste maneat, qvod strictam amicitiam cum Electore excolere cupiat. Ac Joannes Austriacus impense qverenti dicebat; sibi non voluntatem, sed vires deesse. Satis se perspicere, Hispanorum res absqve fœderatis conclamatas esse. Vicissim tamen fœderatos, qvi rationes suas perspectas habent, agnituros, nec se citra Hispaniam subsistere posse. Igitur conjunctionem omnibus modis servandam, circa qvam constantiam, & fidem suam fœderatis summo studio sint adprobaturi. Ac jam qvingenta uncialium millia ad Villam Hermosam trajici, cujus insignis portio Electori numeranda sit. Cautionis in vicem scriptum tradebatur; stricta mandata isti data, ut qvantum possit insignem summam Electori solvat. Addebatur magnificum elogium de glorioso hujus gestis, ac generoso ejusdem animo, & qvantopere Hispaniæ interesset Svecos Germania eliminari, ne per eos vires nationis Germanicæ à tergo distrahi qveant. Electorem pro æqvanimitate sua judicaturum, solutionem per mutationem rerum, & casus improvisos fuisse impeditam. Deinceps ita se acturos, ut is contentus esse qveat. Sane de instaurando ærario agitari constabat, accisis prodigiosis pensionibus, qvæ in universam prope Nobilitatem profundebantur, per minorem Regis ætatem, & sub Philippo III, & IV. introductis. Nam cum ex omnibus Regnis Hispanicis octodecim milliones provenirent, non nisi tres cum dimidio ærario inferri dicebantur: reliqva omnia in pensiones istas, & salaria insumebantur, ac alendis multis millibus circa colligendos regios reditus occupatis, qveis & alias piceatæ manus erant. Cumprimis immensum grassabantur Gubernatorum expilationes, qvæ tamen à multis haut honestius dissipabantur, qvam partæ fuerant. Cujus rei specimen poterat esse Dux Medinæ *de las Torres*, qvi Neapoli, ubi Prorex fuerat, qvinqve milliones uncialium corrasserat, præter vasa argentea, gemmas, ac pretiosam supellectilem, cui & uxor in dotem duos milliones, CCCC M unciales attulerat. Qvæ omnia iste cum qvatuor meretricibus dissipaverat, ut rationes demum conturbare necessum haberet. Accedebat immensa labes à moneta cuprea, cujus publice impositus valor ne qvartam partem justi pretii æqvabat. Ejus monetæ qvinqve milliones tempore belli Lusitanici fuerant cusi ea lege, ut finito bello proba moneta reluerentur. Id qvod omissum, ac mox mercatores Angli, & Belgæ ingentem ejusmodi monetæ alibi cusæ vim invexerunt, ac pro aurea & argentea permutarunt, ut nunc in utraqve Castilia viginti milliones existere crederentur. Eo pecuniæ genere omnes Regis reditus exsolvebantur, ac si pecunia in Italiam, Cataloniam, aut Belgium ellet trajicienda, immensa in collybis jactura erat facienda. Nec minus super regendis Americanis commerciis movebatur, instituta societate, qvæ ab Anglis, Belgis, & Gallis merces præsenti pecunia Gadibus emeret, & suo dein nomine in Americam mitteret. Cum hactenus exteri isti suas merces sub Hispanicorum mercatorum nomine, qvibus modicum qvid solvebant, eo trajicerent, ac lucrum inde perciperent, sæpe decuplo sortem superans; sic ut è ditibus istis classibus minima pars ad Regem perveniret. Porro nec circa titulos, qvos Elector exigebat, faciliores erant Hispani, qvi ostendebant; nemini Electorum tantum se detulisse. Bavarum, & Saxonem *Serenissimi*, & *Consanguinei* vocabulo, non etiam *Fratris* honorari; nec in subscriptione vocabulum affectum exprimens poni. Ac judicare Consilium, Regem longius cum Electore procedere haut posse, nisi ad mutationem in universum suscipiendam se adstringere velit. Unde si omnes pari modo habeantur, si qvid prærogativæ iste obtinuerit, iterum obliterari. Etsi post haut eo minus Rex literis ad Electorem datis *Fratris* vocabulum exprimebat. Cæterum inter ista observabatur, apud Hispanos secreta consilia circa pacem moveri, postqvam bellum ita improspere succederet. Qvo fine & cum de conjugio Regis ageretur, in Ducis Aurelianensis filiam inclinabant, etsi non minus de aliis in speciem proponeretur; qvo Gallum permoverent, ut una cum ista virgine honestam ipsis pacem concederet. Nam præter Bavaricam etiam de Neoburgica proponebatur, cui & Cæsarea aula favere dicebatur, qvod in Cæsaris filiam, & sororem ob disparem utrinqve ætatem Rex parum incli-

1677. inclinationis ostenderet. Qvanqvam & aula Hispanica novissimis cum Domo Cæsarea nuptiis parum lætata fuerat, & Joannes Austriacus memoria præteritorum verebatur, nenuptiæ Regis cum Cæsarea Principe exitium suum parerent; neu si maxime qvod sua intererat negligere vellet, interrupta tam necessaria reformatio à se cœpta totam monarchiam Hispanicam in ruinam traheret. Jam qvoqve effigiem Neoburgicæ à ministro ejus Principis Madriti agente postulaverant. Sed Princeps Cæsaris sibi sententiam prius exqvirendam responderat. 30. Aug. Ast mox solutum ab Arausionensi Caroloregii obsidium novam apud Hispanos consternationem excitabat, multis è clandestina cum Anglo collusione id profectum suspicantibus. Sane fœderatorum ministris palam Madriti audiendum erat; subsidia male impendi, ac iis nil profici. Ac prima trepidatione in Consilio qvatuor sententiæ erant. Alii separatam pacem ineundam, eamqve recta in Gallia qværendam svadebant. Alii rebus Italiæ efficacius medendum, & Belgii curam soli Germaniæ, & Hollandiæ transscribendam, qvorum magis interesit idem servari, qvam ipsius Hispaniæ. Aliis placebat extremis viribus conniti, ut proprius, isqve validus exercitus in campum educatur, qvo à tot fœderatis incumbens onus excuti qveat. Sed prævaluere, qvi proximos tabellarios expectandos svadebant. Ac scribebat mox Arausionensis Joanni Austriaco, Gallis qvarta parte majores qvam sibi copias fuisse, qveis & commoditas loci insigniter faverit. Ac declarabat hic legato Belgico: *prout rationes ab Arausionensi adductæ ostendant, eum recte egisse, nec circa actiones bellicas liqvido judicari posse, ni qvis in re præsenti versetur.* Inter hæc paulatim erumpebat, Gallis & Anglis inter se convenisse, ut Svecia in integrum restitueretur ea lege, ut Hispanis erepta qvædam in Belgio loca redderentur. Nam Anglus expresse Gallo denuntiaverat, se concedere non posse, ut hic Belgium absorbeat. Igitur Hispanis una cum ipsis apud Electorem, & Luneburgicos operam dandam, qvo hi Svecis erepta restituant; si abnuant, vi compellendos. Svecos enim in Germania servari ad libranda Austriacorum vires expedire. Tanto indignius erat ab Electore fructum suarum victoriarum in gratiam Hispanorum immolandum, cum hi pro tot laboribus, ac periculis exhaustis Madriti juxta, ac Bruxellis nil præter ludibria penderent, ac ministris Hispanicis in Belgio nunqvam prætexta deessent, qvo minus jussa Regis exsecutioni darent; Unde cum demum mandata ad Villam Hermosam edita ambigui sensus qvid haberent, ac Rucqvius eorum declarationem à Petro Colonna postularet, ne forte non major horum effectus foret, qvam eorum, qvæ duodecies repetita hoc anno acceperit; hic non sine importunitate regerebat: Gubernatorem Belgii non posse arreptis crinibus cogi, ut faciat, qvæ facere debet. Rucqvio haut segnius exprobrante; malignam mercedem ab Hispanis exsolvi iis, qvorum virtute, ac periculo res suas instauratum eant. Sed Joannes Austriacus, cum idem hac de re apud ipsum qvereretur, magnam vim blanditiarum reponere, inopiam excusare, inter alia ostendens, *unum millionem ad Belgas trajiciendum tribus millionibus constare monetæ in Hispania receptæ. Omnia se facturos, qvæ intra vires suas sint. Sed destructam machinam reparare, ut protinus usui esse qveat, haut humanæ opis esse. Ministris suis Belgicis Madrito haut usquam strictæ mandata posse dari ob emergentes indies mutationes, qvæ tam remotis è locis prævideri neqveant, & qvibus medendis tempus elapsurum sit, si Madrito demum consilia sint petenda.* Unde & mera diverticula erant, qvod Hispanici in Belgio ministri dicerent; solutionem Madriti urgendam. Nam istis jam satis mandatorum erat; ac notum nimis artificium erat eludendæ solutioni exactores Madrito Bruxellas, Bruxellis Madritum remittere. Deniqve qvia Elector inter qverelas istas bellum haut minus strenue persequebatur, Hispani credebant, haut tanta cum necessitate premi, uti ministri ejus differant. Sed & tantum adhuc negotii eidem in Pomerania superesse, ut ei militum qvid in Belgium mittere haut vacet. Nam hactenus Hispani illis tantum solverant, qvi præsens auxilium ferebant. Spes in longum prominentes pretio emere haut placebat; & qvæ de bona fide, grati animi officio, ac fœderum religione occinebantur, surda aure transmittebant. Igitur post expugnatum Stetinum Elector Hispanis offerri jubebat veteranum, & egregium militem, futuro anno ad Rhenum, aut in Belgio rem contra Gallos gesturum, si in antecessum ducenta millia exiis, qvæ per triennium restent, ac plenam summam Majo mense solverent. Sed si ulterius inanibus promissis se lactare pergant, Rucqvio ut discederet injunctum. Ea propositione non parum aures arrigere videbantur Hispani; qvi & ostendebant, se malle cum Electore sibi rem esse, qvam cum Luneburgicis, qvi vel modica mora solutionis protinus secessionem minentur. Qvibus & amis-

1677. amissas Valentianas, Cameracum, & D. Audomari Fanum tribuebant, qvod anxia animis cauponatione effecissent, ne ipsorum copiæ mature in Belgium pervenire potuerint. Scilicet qvod Elector propriis fere sumtibus magnos exercitus ad usum causæ communis aluerat, ac blandis verbis in vicem pecuniæ hactenus adqvieverat. Haut eo minus observabatur, Hispanos malle qvidem Pomeraniam penes Electorem, qvam Svecos esse; ut tamen gratius foret tertium qvempiam eadem potiri; nec adhuc eos memoriam æqvivalentium Præsulatuum exuisse. Alii ad adulationem vertebantur: Electorem considerari ut potentem Principem, qvi exercitum propriis sumtibus sustentare possit: reliqvos vix ultra privatam sortem censeri, qvi nisi alienis pecuniis copias alere neqveant. Super annua pensione centies mille uncialium anno 1660 promissa pariter opera incassum sumebatur. De eadem Elector anno 1663 Cæsari C M uncialium ad bellum Turcicum transcripserat, qvæ & huic ab Hispanis numerata fuerant. Sed nunc aliqvi causabantur, eam pensionem tantum promissam, qvoad bellum tunc Svecicum duraret. Alii præsentium temporum inopiam excusabant; ac eo liberalius Electori circa subsidia subventum iri. Idem minus cum Blaspielo agebatur, cum is Bruxellas super urgenda subsidiorum solutione excurrisset. Affatim heic verborum, spei, ac pollicitationum, tantum brevem patientiam adhibere ne grave esset; rei non plus qvam Madriti. Ac revera miserandus ibi status, & sæpe vel mille unciales corradere arduum erat, nec suppetebat, unde proprius, ac fœderatorum miles aleretur. Unde & sexaginta turmæ eqvitum exautorandæ erant, qvæ omnes ad Gallorum militiam transibant. Causa tantæ egestatis erat, qvod Hispani post amissum Cameracum, & D. Audomari Fanum nil amplius tributorum è Picardia, & tractu Bolonienſi acciperent; cum contra Galli contributiones late per Belgium extenderent; Luxenburgio insuper aperta provinciæ longe, lateqve evastante. Nec parum ad vastitatem faciebant copiarum hinc inde itiones: reliqva fœderatorum hospitiis absumebantur. Animi qvoqve populi plane collabebantur, postqvam Arausionensis obsidium Caroloregii infecta re solvisset. Deniqve qvicqvid erat pecuniæ ad classem in Hollandia instruendam impendebatur, qva Siciliæ subventum ibant. Ita Electori Hispanorum societas nulli levamento, ast maximæ fraudi erat, in eorum gratiam fructu totborum gratis prodigendo. Neceo minus Ronqvillius Neomagi differebat: *Electoris provincias ad Mare Balticum, & versus Galliam ita positas, ut à Svecis juxta, Gallisque probe sibi cavere debeat; cujus vicissim ratio ab iis diligenter habenda sit, qvibus cum utriqve negotii qvid intercedat. Unde & Electorem ab Hispanis majoris qvam ullum alium in Germania Principem æstimari.* 1677.

Hostium machinationibus in Polonia obsistitur.

§. 12. Vicissim in Polonia, unde nil petebatur, nisi ut ne noceret, malevoli civium, ac hostium legati Regem in Electorem stimulare non desinebant. Inter alios Bakovius Pomerelliæ Palatinus Regem continuo obtundebat; ne is diutius cunctetur in Borussiam se conferre, ubi insignis emolumentorum seges ostendatur. Populi animos ibi plane ipsi addictos, ac redacto in potestatem Gedano partem imperii in Mare Balticum, ac arbitrium commerciorum parari, simul viam muniri adqvirendæ Ducali Borussiæ, antecessoribus suis semper captatæ, sed qvibus nunqvam tam prona occasio allubuerit. Causæ satis esse, qvod Elector contra pacta Brombergensia Lauenburgum & Bytoviam hibernis oneraverit. Qvanqvam autem Galli, & Sveci multa inania de Regis Poloniæ in Electorem destinatis disseminarent; altius tamen penetrabat, qvod, cum qvidam Electori studentes ipsi proponerent, salvo jurejurando suo eundem vicinis arma inferre absqve consensu Reip. non posse, haut sine indignatione responderit; cur ergo legi Regiæ inseruissent, *ablata recuperabo*? Ac dictum ejus circumferebatur; *constitutiones Regni esse telas aranearum, qvæ contra acinaces subsistere neqveant.* Nec minus Hoverbeqvio semper occinebatur, congressum delegatorum pactorum confirmationi utiqve præmittendum: sed qvem hic omni modo declinabat, qvod per istum pacta abrumpendi prætextum qværeretur. Galli qvoqve usqve adeo importune distractionem Electori faciendam ingerebant, ut is aliqvando sublatis in cœlum manibus exclamaret: utinam idonea mihi armorum causa adversus Electorem suppeteret, nec Ordines huic instituto refragarentur! Sed & cum Ordines Poloniæ exercitum exautorari cuperent, Rex, ac Svecis, Gallisqve addicti eum sub signis retinendum contendebant, causati, de pacis cum Turcis firmitate haut constare, nisi postqvam legatus à Porta redierit. Circa id tempus contumelioſus in Regem libellus divulgatus erat, Wratislavia Warsoviam transmissus, cujus autor vulgo Hoverbeqvius habebatur. Sed hic, 10. Mart.

1677. hic, ne ipſa excuſationis feſtinatio ſuſpicionem accenderet, non niſi poſt intervallum ejus libelli mentionem apud Regem injiciebat; talia ab animo ſuo aliena, nec Electorem per hæc ſibi inſerviri velle. Cui Rex valde humaniter reſpondebat: multos fuiſſe, qvi ipſum autorem arguerint, ac ſe qvoqve initio id credidiſſe. Sed perlecto ſcripto ipſius genium haut recognoviſſe. Sane longo ſe tempore ita ipſi perſpectum, qvod hautqvidqvam gratioſis hominibus, & velut pædagogis obnoxius agat, uti aliis qvibusdam Regibus ſolitum; id qvod ſibi eo ſcripto objectum ſit. Gallis, & Svecis ſuam amicitiam ambientibus qvomodo à ſe inhumaniter occurri poſſit? Aliis pari modo ſecum agentibus non minus humanitatis reponendum. Cum Electore ſinceram amicitiam colere cupere non tam ob egregias copias, qvibus is ſuccinctus agat, qvam fortitudinem, & experientiam rei militaris toto orbe celebratam, qva alios Principes emineat. Hoverbeqvii acta ſibi probari: ſed à Cæſareo Reſidente Ordines in ſe irritari. Reginæ viduæ poſtulato ſe ex animo favere. Sed haut ita imprudenter adverſus ſe facturum, ut eam pecuniam durantibus comitiis numerari patiatur, qvod ea non niſi ad corrumpendos Ordines impendenda ſit. Idem de Daniæ Rege mentione injecta mirabatur, qvod cum is proxima æſtate inſignes progreſſus feciſſet, pugnæ copiam Sveco facere ſuſtinuerit, cui ut ſummam rerum aleæ exponeret, præſens ſuus ſtatus imperarit. In iſto prælio ad Lundas Lilliehœckius XX M Danorum occubuiſſe jactaverat, cum uterqve exercitus eum numerum non attingeret: ac Regem Sveciæ futura æſtate cum XX M in Pomerania rem geſturum, ac inſuper X M Gallis auxilio miſſurum; Hoverbeqvio reponente: cujus folles tali modo mendacia ſpirent, vel ipſum non ſatis mente conſtare, vel alios homines fungorum, & ſtipitum loco habere. Cum ſuper dimittendo Theologo Strauchio Rex moveret, Hoverbeqvius reſpondebat; eum navem qva vehebatur ſuam profeſſum. Poſt literis tuti itineris apud nautam repertis titulum Conſiliarii Svecici eidem tributum. Cum jam in cuſtodiam datus eſſet, libellum ſupplicem Electori obtuliſſe, qvo eum tyrannidis inſimularit, ac Pharaone parem dixerit: qvin rythmos adſcripſiſſe, qveis divinam Nemeſin eidem imprecatus ſit. Qvæ ſi non emotionem mentis, ſaltem fœdam animi intemperiem arguant. Idem porro Lilliehœckius cum alia fanda infanda in Electorem jecerat, tum inter alia aſſeverarat; Carolum Guſtavum ab Electore ad arma Poloniæ inferenda ſtimulatum; nec ita alte in Poloniam penetrare auſurum fuiſſe, ſi non fœdus ipſi cum Electore interceſſerit. Tum gliſcentem Electoris potentiam exaggerare, cui compeſcendæ Polonia deinceps ſuffectura non ſit, ni nunc eadem diſtrahatur. Idem porro, aliiqve malevoli metuebant, ne Tartari, qvi à Czare nil aliud qvam reſidua annuæ penſionis deſiderabant, ab hoc data pecunia delinirentur; qvo facto Svecos armorum Moſcicorum ſuſpicio per Livoniam ſolicitos tenebat. Unde placebat Poloni officium conciliandis Svecis, atqve Moſcis offerre, qvo firma inter hos pace conſtituta omnes Svecorum copiæ ad limitem Moſcicum diſpoſitæ contra Electorem, aut Danum duci poſſent. Inprimis autem laborabatur, ut abruptis comitiis confœderatio exercitus fieret, qvæ Ducali Boruſſiæ immitteretur. Qvibus machinationibus eludendis Ordines inſtabant, ut exercitus ſolutis ſtipendiis dimitteretur, & ne Gallorum & Svecorum inſtinctu vicinis arma inferrentur. Qvibus contra largitiones Gallicas, & odium aulæ confirmandis argento opus erat; cujus parum Cæſareo miniſtro, Danico nihil erat. Nam & Lithuaniæ Archiſtrategus Michaël Pacius oſtenderat, ſe Svecis tranſitum è Livonia in Boruſſiam prohibiturum, ſi XX M uncialium dentur. Eqvidem Rex paucos ante dies in ſacello arcis votum nuncupaſſe dicebatur de armis in Chriſtianos Principes non arripiendis. Cæterum ſe Numinis gratiam continuis precibus exoraturum, ut ſibi poſt communem inter Chriſtianos pacem conſtitutam detur Turcarum potentiam frangere, ac ſuo Regno, vicinisqve ſecuritatem parare. Qvæ tamen omnia Electori curam haut eximebant, qvod ſine intermiſſione Regis aures ejusmodi dictis obtunderentur; *tanta cum commoda à Gallo percepiſſe, ut ſalva exiſtimatione defungere non poſſit, qvo minus grati qvid eidem reponat.* Sed & Lilliehœckius aliam viam ſtruebat Polonis cum Electore collidendis, dum illos in Curlandiæ Ducem irritare nititur, jactans, ſat cauſæ eſſe, ut Poloni naves iſti, ac machinas, qvibus abundet, eripiant, qvæ Svecis in Livonia magno eſſe uſui qveant. Ac ei Duci tantum moleſtiæ eſſe inferendum, ut Elector ad ejus cauſam ſuſcipiendam permoveatur, Polonisqve anſa in utrumqve armis erumpendi præbeatur. Idem qvoqve urbem Rigam Polonis obtulerat, ſi aperte bellum Electori indicere velint; etſi de territorio nihil addiderat, citra qvod portus iſte obtineri neqveat.

1677.

Sed

1677. Sed Lithuani contendebant, qviete sibi opus esse armis sub finem induciarum contra Moscum parandis.

Super renovatione pactorum acta. 31. Mart.

§. 13. Inter hæc Hoverbeqvius durantibus comitiis super renovandis pactis movere omiserat, ne Ordines ansam inde arriperent ei se negotio miscendi; id qvod & dudum à malevolis captatum fuerat. Unde demum Rex ultro per Procancellarium Ordinibus causas omissæ pactorum renovationis cum Cæsare, ac Electore exponebat. Cæsarei pacti exemplaria discrepare. Cum Electore pacta confirmari non posse, qvoad iste iisdem satisfecerit. Qvo fine qvicqvid erat qverimoniarum, & prætensionum recensebatur. Ea propositione facta multi Ordinum maliguis affectibus fræna laxabant: pleriqve tamen concludebant, haut eo minus post compositas controversias pacta renovanda, & amicitiam colendam. Multi procerum à Rege, ejusqve consiliariis magnopere erratum arguebant, qvod qvæ hactenus semper inficiati fuerant, & usqve ad extremum alta dissimulatione premenda ita in apricum protulissent. Sed qvi Regem in actionibus suis valde circumspectum, & cunctatorem potius qvam præproperum observarant, interpretabantur, Regem hoc ipso legatis Gallicis declarare voluisse; se extrema ope connixum, ut gratum animum ob exhibita tanta à Gallo amicitiæ specimina testaretur: sed ob reluctantes Ordines nil proficere potuisse. Interim & Hoverbeqvius obliqve stimulabatur, ut circa renovationem pactorum apud Ordines instaret, eoqve ansam præberet, ut iis inter comitia per hos contradiceretur; ad qvam contradictionem aula sempor provocare posset. Unde invidiose differebatur; ab ipso Rempublicam sperni, ac Electoris negotia negligi, eundemqve sibi ipsi obstare, qvod tempus negotium conficiendi incassum elabi patiatur. Enimvero rumores ante salutem ponendi non erant. Nam si in comitiis coronationis SCtum declinatum fuerat; qvare nunc ea res unanimi Ordinum consensui subjiceretur, qvi & in æqvissimis, ac ipsius Reip. salutem spectantibus negotiis ægre obtineri possit? Argui se, qvod renovationem pactorum apud Regem non *petierit*. Atqvi non opus esse, ut *petat* actum, qvi non in Regis arbitrio positus sit, sed ad qvem hic per pacta teneatur: ac sæpius se significasse, procuratorium sibi in eam rem esse. Ne tamen Remp. contemsisse argui posset, ea de renovatione per Cracovien sem Præsulem, Electori ex animo studentem, moveri curabat. Qvia *10. April.* etiam Majores Poloni nullo modo consentire volebant Electori arma inferri, ab aula cum iis agebatur, ut saltem ne contradicerent, si hac rerum facie huic terror incutiatur, qvo de prætensionibus, qvas in Remp. moveat, aliqvid decerpi qveat. Sed prudentiores istas simulationes adspernabantur causati; exercitum in finibus dispositum non intra eam modestiam coërceri posse, qvin ansam ferio abrumpendæ pacis præbiturus sit. Ac Svecos qvoqve dici terrore incusso Electorem ad medium statum amplectendum permovere voluisse, sed crassa ea simulatione in exitiabile sibi bellum præcipitasse. Borussi qvoqve Regii in Electorem haut proni formulam constitutionis conceperant, qva renovatio pactorum demum post absolutum delegatorum congressum super mutuis prætensionibus decernebatur. Cui eludendæ Hoverbeqvius aliqvot Proceres, ac Nuntios Terrestres permovebat, ut contradicerent; simul uni & alteri insinuabat; Electori deinceps haut curæ fore id genus constitutiones impedire, aut earum, ubi factæ fuerint, rationem habere; qvod non magis Electori in Consilio suo sanctiore pacta interpretari liceat, qvam Reip. in comitiis, præsertim cum is in se nil desiderari passus sit. Demum vergentibus ad finem comitiis, cum multi subinde monerent, ne pertinaci silentio Regem, aut Remp. spernere videretur, Hoverbeqvius per Aulæ Marescballum à Regina reqvirebat, apud Regem sciscitaretur, num Danielem Tettavium, ad obeundam renovandorum pactorum cerimoniam una cum ipso designatum huc evocare debeat? Cum itaqve comitia alterum post diem soluta *27. April.* essent, Rex Hoverbeqvio denuntiabat, ut propere collegam suum huc arcesseret, qvod sibi decretum sit anteqvam Gedanum discedat, qvod intra decem dies futurum sit, renovationis actum perficere. Qvin *1. Maji.* paulo post significabat, se se iter aliqvot per dies dilaturum, qvo Tettavio veniendi spatium sit. Et qvanqvam isto dies aliqvot sperato longius tardante Sveci, Galliqve instarent, ut iste actus differretur: Rex tamen declarationi semel factæ immotus inhærebat. Scilicet qvia is Ordinum sententiis, ac sermonibus animadverterat, ipsis maxime cordi esse amicitiam cum vicinis servari, ad qvod & ipse solenni se jurejurando obstrinxerat. Unde metuendum eidem erat, ne si in conventibus distractuum postcomitialibus innotesceret, renovationem pactorum non factam, contributiones, uti post coronationem, vado adhærerent.

§. 14. Ita demum cerimonia multas

1677. *Renovatio pactorum peragitur. 17. Maji. Kruski.*

per artes extracta auspicato peragebatur. Hora sexta matutina Electorales legati Hoverbeqvius, & Tettavius à summo rei tormentariæ præfecto Kruscio in aulam adducti, à Magno Coronæ Mareschallo Lubomirscio ad januam conclavis Regii excipiebantur. Cum etiam antea Rex Michaël Hoverbeqvio verba faciente, tecto capite maneret. Senatoribus circum assidentibus, nunc Joannes Rex toto tempore nudato capite sedebat, Senatoribus toto actu stantibus. Episcopus Warmiensis velut Procancellarius suo responso nihil proferebat, qvod Electori fraudi esse posset. Regii delegari, Castellanus Posnaniensis Grzymoltovvski è Senatu, & Thesaurarius Curiæ Regiæ Szumovvski ex Ordine Eqvestri priore loco jurabant, qvos Electorales insequebantur. Post cum hora decima eodem die renovatio feudi Lauenburgici & Bytoviensis suscipienda esset, Tettavius discedebat, ne forte Poloni post exigerent, ad eam utiqve duos delegatos esse adhibendos. Instrumentum super renovatione pactorum confectum mutatis mutandis verbotenus congruebat cum eo, qvod anno 1672 confectum erat, nisi qvod nunc declarationes adderentur, eam renovationem utriusqve prætensionibus præjudicio non fore. Qvæ declaratio Electori utilis erat, qvod qvi in pactis modus componendis controversiis exprimitur, per eam confirmaretur. Eo actu perfecto Elector per omnia Borussiæ templa grates Deo persolvi jubebat, velut fundamento amicitiæ inter ipsum, & Poloniam jam constituto. Galli falso crediderunt, ab Electore Regi VII M aureorum eo nomine donata fuisse, ægre ferentes, hisce plus efficaciæ fuisse, qvam CC M. uncialium à se oblatis, si eum actum differre vellet. Instrumento renovationis pactorum dies 17. Maji, sed Instrumento renovati feudi dies 18. ejusdem mensis adscriptus erat; ut ex eo perspiceretur, Electorem non prius ad recognoscenda feuda teneri, qvam Rex Brombergensia pacta, è qvibus illa promanarint, jurejurando firmarit. Cæterum Instrumento renovatorum pactorum titulo Episcopi Warmiensis etiam additum fuerat vocabulum *Sambiensis* seu *Samlandiæ*. Cui Hoverbeqvius contradicebat, multis documentis ostendens, Warmiensem nullo jure eum sibi titulum arrogare; ac cum anno 1660 Warmiensis Episcopus inter tractatus Olivenses idem vocabulum suo titulo adjecisset, se instante ipsum ist hoc scalpello eradere necessum habuisse. Unde & nunc id vocabuli ex hoc Instrumento delebatur.

§. 15. Ita ergo à Polonia nihil obstare videbatur, qvo minus Sterino obsidium circumponi posset. Sed num Svecos per Moscum distrahere daretur denuo tentandum judicans Elector Hermannum Dietericum Hessum Moscoviam mittebat, qvem Mosci superiore anno inde discedere jusserant eo prætexto, qvod non necessum sit ministrum ibi perpetuo agere, veredariis publicis probe ibi dispositis, per qvos literæ hinc inde perferri possint. Unde Elector ansam arripiebat fiduciariis literis hanc missionis causam adducendi, qvod negotia per literas hac præsertim rerum facie ita commode expediri neqveant. Is post solennia formularum jubebatur demonstrare, qvantopere expediat, amicitiam inter Electorem, & Czarem hac tempestate probe coli. Eqvidem Svecis esse hostem non unum; sed qvi tamen acriter terra, mariqve arma parent, magna vi pecuniæ à Gallo fulti. Igitur non posse Electorem, qvin Czarem moneat, ut à Svecis sibi caveat. Nam si is hanc occasionem erepta qvondam recuperandi amittat, nil certius esse, qvam Svecos præsenti bello explicitos arma Moscis illaturos. Qvin & nunc non voluntatem, sed vires deesse, qvod Electoris, & fœderatorum armis distineantur. Ab his atqve Gallis alios Principes in Moscos incitari, qvo hisce bello implicitis integrum Svecis sit copias in Livonia hærentes alibi adhibere; qvibus consiliis hucusqve Cæsar, & Elector acriter restiterint. Qvod si Mosci in bellum propelli neqveant, postularet, ut arma cominus ostentent; aut saltem, ne tractatum cum istis ineant. Idem qvoqve demonstrare jubebatur, Anglicum ministrum Hebdonum instinctu Svecorum falso spargere de classe Anglica Mari Baltico immittenda. Qvod eo impudentius fingatur, cum Angliæ Rex seqvestris munus gerat, magno studio affectatum; cui & alias integrum non sit citra consensum Parlamenti bellum suscipere. Moscoviæ morari jubebatur, qvamdiu liceret. Interrogatus qvare munera non adferret, diceret; hanc missionem ab Electore continuationem prioris haberi. Iste Moscoviam delatus sat frigide accipiebatur. Czari jam antea de Electoris amicitia sat cautum, nec opus esse eo nomine peculiarem legationem huc mitti. Bellum adversus Svecos suo tempore ubi opus sit perseqvendum. Interim hei ageret, qvoad responsum ad allatas literas acceperit, qvod brevi expediendum sit. Satis adparebat, nullum operæ pretium apud Moscos futurum, qvod Czarem animo, & ju-

1677. *Mosci in Svecos concitari non possunt. Hesse. 16. Maji.*

Hebdon.

8. Aug.

1677. & juventa debilem morbus insuper affligeret, cui curando medicos adhibere nolebat. Qvin post expulsas pharmacopæos, & chirurgos, qveis hactenus usus fuerat, vetula demum Polonica adsciscebatur, qvæ & parentem ipsius neci dederat, qvæ in specimen artis suæ pronuntiabat; per sagarum incantationes morbum provenisse. Sed & cum Turcis dissidia intercedebant, qvorum eventus expectabatur. Eqvidem aliqvando non modice Svecis minabantur: sed vicissim omnes exterorum ministros aula sua amoliri constituebant, ne istis suspicionem injicerent. Et ipsi Sveci, ut hunc, & missum à Daniæ Rege Fridericum Gabelium Moscis invisos redderent, sparserant; ab his emtos, qvi Rigam urbem incenderent. De qvo facinore iis nunqvam in mentem venerat, nec ad tale qvid machinandum facultas fuerat. Hebdonus cum à Gabelio interrogaretur, qvare catalogum classis Anglicæ Moscis exhibuisset, qvam in sui favorem armatam Sveci gloriabantur, excusabat, se non nisi numerum expressisse, haut addito, cui usui eædem adhibendæ sint. De eo Hebdoni facto cum Elector per Sverinum in aula Anglica qvereretur, Rex responderat; non modo isti haut injunctum talia spargere, sed & eo nomine acriter increpandum. Porro is Gabelius omnem lapidem moverat ad Moscos Svecis immittendos; sed cui pleriqve proceres sese opponebant; qveis ad extremum is color dicebatur: haut decorum sibi Svecos invadere à tot hostibus undiqve pressos, qvi sibi solis istorum devictorum gloriam vindicaturi sint. Ac juniores aliqvot Bojaros sat pronos in bellum seniores cohibebant, & fama Czecherini tunc à Turcis occupati. Gabelius qvoqve aliqvot Bojaris spem pecuniæ fecerat, sed qvæ pollicita in Dania haut agnoscebantur. Demum cum is Moscos multis libellis traditis fatigasset, ei denuntiabant: Regis Daniæ sententiam se probe percepisse, nec opus esse ut is plura scripta exhibeat, qvæ nec acceptare ab eo deinceps volebant. Nec multo post Hesso, qvicqvid contra niteretur, discedendum erat, qvæ necessitas & aliis ministris, ipsiqve Sveco imponebatur. Valedicenti à Cancellario dicebatur: Etsi Czari æterna cum Svecis pax sit, tamen cum hi eam multis modis violarint, istum eadem non ulterius posse stringi, ni à Svecis ipsi satisfiat. Eo fine validum exercitum ad fines Livoniæ haberi. Literarum, qvæ ad Electorem perferendæ dabantur, non aliud argumentum erat, qvam si qvid negotii eidem Moscoviæ sit, id per literas expediri posse.

§. 16. Cæterum munita Pomeraniæ loca obsessuro Electori ea præcipue cura erat, ne per Anglos Svecis ibi necessaria subveherentur, qvo ipso labor circa eadem expugnanda non parum extrahendus erat. Sed Anglici mercatores contra apud Regem exhibito libello qvesti erant; metum sibi esse, ne sua commercia in Mari Baltico per Electoris excursores maritimos impediantur. Unde Rex Sverino significabat; se non sperare nationis suæ commerciis noxam illatum iri. Ad qvæ Elector declarabat: *Sibi naves armatas instruenti haut qvidqvam in animo fuisse innoxia Anglorum commercia turbare, qvæ florere sua qvoqve intersit: ac Regis, Anglicæqve nationis amicitiam longe majoris à se fieri, qvam ut hoc modo ejus jacturam facere velit. Sed Pomeraniæ loca maritima inclusuro navibus opus fuisse, qvæ nemini pacato nocuerint. Eqvidem superiore anno navem unam Anglicam, & alteram Scoticam detentam, qvod hostiles, & partim bello vetitas merces ab uno hostium loco ad alterum transferre ausæ sint, qvarum detentio jure gentium licita sit. Se tamen intuitu Regis Angliæ priorem navem dimisisse, soluta vecturæ mercede, non nisi hostium mercibus in ea publicatis. De Scotica adhuc judicum sententiam expectari. Cæterum omnia ad formam juris agi, sic ut non sit, qvare isti homines tantos clamores tollant; præsertim cum constet, à se multas centurias Anglicarum navium liberas in Sveciam, & Livoniam dimitti. Ac confidere Regem pro æqvanimitate sua haut sinistre accepturum, si ipse communi gentium jure utatur, interceptis hominibus à belli licentia haut exemtis, ac mercibus bello vetitis, simul intercluso aditu ad portus hostiles à se eminus terra mariqve obsessos. Nec grave fore Anglis ad modicum duntaxat tempus navigatione Stralsundam, & Grypsvvaldam supersedere, qvas brevi in potestatem suam perventuras spes sit. Ad alia hostilia loca navigantibus nil impedimenti allatum iri. Nec alio jure adversus fœderatos suos Danos, ac Belgas uti.* Qva declaratione Rex adqviescebat.

De prohibenda in Pomeraniam navigatione

2. Jun.

§. 17. Solius Daniæ Regis eo anno contra Svecos gesta Electoris destinata adversus Stetinum non parum sublevabant, interclusa facultate, ne mari eidem urbi succurri posset. Etsi iste Rex uti hoc anno fortunam mari experiebatur faventissimam; ita qvæ terra tentabantur minus prospere succedebant. Ac primo qvidem Siæbladius cum novem navibus bellicis, ac duodecim aliis minoris formæ Gothoburgo in Mare Balticum penetrare instituerat, cum ma-

Danorum gesta Electorem non parum sublevant.

25. Maji.

1677. majore se classe juncturus. Is cum Majorem Baltem transire vellet, reflante vento aliqvot per dies ad anchoras stabat. Qvo intellecto Nicolaus Julus cum qvatuordecim navibus Hafnia ad eum intercipiendum excurrit. Svecus cum secundum nactus ventum levatis anchoris evasurum se speraret, inter Lalandiam, & Rostochium in Danicam classem incidit, qvicum in noctem usqve conserta pugna favore venti per tenebras evadere conabatur. Sed cum verso in contrarium vento progredi haut licuisset, mane instaurata pugna cum omnibus suis navibus in Danorum potestatem pervenit. Circa idem tempus splendidioris adhuc adoreæ occasio Danis terra allubescebat, si eandem citra hæsitationem occupassent. Rex Sveciæ instinctu Rutgeri Aschenbergii, ut Danis insultaret, prope Landscronam accesserat, ordinibus in editioribus camporum explicatis. Eum invadere Daniæ Rex, qvi cum exercitu ante istud oppidum metabatur, destinaverat, svadente cumprimis Goltzio. Sed cui acriter contadicebant Arensdorfius, Hahnius, Bibovius, & alii, uti creditur, qvod Goltzio, qvi recens militiæ Danicæ accesserat, eam gloriam inviderent. Unde Dani cum jam in Svecos movere cœpissent, medio campo constiterunt; cum strenue progressis certa victoria in manibus esse, duplo numero Svecos excedentibus. Sed nocte ingruente magna cum diligentia in tutum se Sveci subduxerunt, Danis incassum eos asseqvi conantibus. Ita digressis Svecis Malmogiæ obsidium circumposuere Dani; sed ubi assultus præpropere susceptus fuit, integris adhuc munitionibus, nec paratis pontibus ad transeundam fossam. Nec in promtu erant fabri, & qvi mala punica jaciunt, qvorum in ejusmodi oppugnationibus maximus est usus. Unde hostis integro adhuc machinarum usu ita acriter in subeuntes detonuit, ut mille qvingenti occumberent, cæsi, aut in fossa aqvis suffocati, qvæ opinione profundior reperta fuit: bis mille sauciati. Magnus numerus egregiorum ductorum ibi cecidit. Imminuto tantopere peditatu, ac propius moventibus Svecis obsidium solvendum erat magna cum gloria Fabiani Ferseni, qvi oppidum id tutatus erat. Ast mox ingens victoria mari Danis parta fuit. Nam magna Svecorum classis in apertum mare progressa anchoras sub Bornholmia insula jecerat, Danica classe in sinu Coagensi hærente. Deliberabatur Hafniæ, num Cornelius Trompius cum Belgicis navibus expectandus, an vero prælium sola cum Danica classe suscipiendum esset? Istæ naves Belgicæ diutius sperato emanserant, & aliqvi cœcas fraudes suspicabantur, qvasi eædem studio moras nexuissent, qvo Svecis ad Stetino succurrendum spatium foret. Et jam antea Daniæ Rex Electorem monuerat, Belgis eam sententiam sedere, Svecos utiqve in Germania retinendos, in qvam sententiam & Arausionensis ab aula Anglica sit adductus. Unde Electori operam dandam, ut colloqvio cum isto Principe in diversa eundem flecteret. Sed & interceptis legati Svecici Olivecrantzii in Dania literis eadem de Belgarum destinatis insinuabantur. Qvæ literæ cum Fagelio ostenderentur, hic magnopere excandescebat; ac cum Olivecrantzio acriter expostulatum iri talia comminisci auso; multa testatus, Remp. nunqvam honori, ac fidei adversum qvid in fœderatos admissurum. Ac si bonam fidem insuper habere placuisset, Hispanicas provincias cum Gallis partiendi occasionem esse, his in eas conditiones ipsos ultro invitantibus. Tum & alias rationes adducebat, qvare naves maturius vela facere haut potuerint. Cæterum re in consilio Danico hinc inde expensa placuit, Belgicas naves haut expectandas, cum longiore earum mora classi Danicæ ad oram Hafniensem foret recedendum, Svecis interim Pomeraniæ prospecturis: sed Nicolao Julo cum sola Danica classe prælium tentandum. Eam qvippe triginta & una egregiis navibus constare, qvam probe exercitati nautæ insideant, magnam partem Norvvegi, gente acri, & imperterrita; qvibus accedat optimæ notæ pedes jam superiore anno maritimam pugnam expertus. Esse deniqve classi qvatuor præclaros duces, ac singulis navibus selectos navarchos. Contra Svecicæ classi imperitare Henricum Hornium, militiæ navalis plane rudem, & non nisi vapulando celebrem; nec ullum ducem alicujus momenti, excepto Joanne Clerico. Porro qvi insideant socios navales juxta, & milites magnam partem inexercitatos agrestes esse, vi in classem conjectos. Sic igitur ante adventum Belgarum Danica classis Svecicam summo vigore invasit, ac in eam mediam penetravit, ut undecim Svecicæ naves à reliqva classe divellerentur; & postqvam acerrime à summo mane ad horam usqve decimam antemeridianam pugnatum esset, Hornius cum reliqvis puppim Danis obvertebat, & qvantum posset ad portus Sveciæ refugiebat. Eo prælio tredecim Svecicæ naves magnæ cum aliqvot minoris formæ captæ, aut depressæ, aut ad litus impactæ. Pari successu si in terra pugnatum foret, Sveciæ res conclamatæ vide-

1. Jun.

Ferseni.

23. Jun.

Clerc.

1. Jul.

1677. videbantur. Nam jacturam ad Malmogiam auxiliares Cæsareæ, & Hassicæ legiones supplevérant. Ac jam decretum erat, ut Julus exscensionem in Sveciam tentaret, Belgicis navibus, qvæ paucis post navalem pugnam diebus advenerant, Mare Balticum percurrentibus, qvibus Dani haut satis fidebant. Tum & Rugiam insulam invadere animus erat, cui ante prælium Sveci mille ducentos pedites immiserant: id qvod per tarditatem Belgarum effectum erat. Nam si hi sat mature venissent, animus erat ante fauces portus Daleroœnsis Svecos prodeuntes expectare; cum nunc Danis Hafniam versus recedendum esset, ne à Belgicis navibus discluderentur. Ac censebat Daniæ Rex, ab Electore Stetinum obsidio eminus includendum, & Grypsvvaldam expugnandam. Nam cum intra vertentem annum è Svecia nil auxilii venire possit, qvod Danica classis mari potiatur, Stetinum juxta, & Stralsundam ultro ruituras. Ac ingens damnum fore exercitum flore virorum constantem obsidio validæ urbis atterere, qvem magis firmari expediat, ambiguis Luneburgicorum consiliis, ne ab hisce leges admittere necessum sit. Enimvero uti circa obsidium Stetini Electori aliter videbatur; ita Dano prælium terrestre haut ex
17. Jul. voto succedebat. Svecus enim in Danos, utut commoditate loci prævalentes, ultro movebat; cui obviam progressi Dani sinistrum Svecorum cornu in fugam vertebant. Sed in sinistro Danorum cornu non solum eqvites segniter rem gerebant, sed & septem phalanges peditum ne tubis qvidem displosis pedem referebant abjectis armis. Unde Dano copiæ suæ sub machinas vicinæ Landscronæ subducendæ erant, Svecoqve campus cum viginti tribus machinis relinqvendus, qvod aurigæ solutis eqvis aufugissent. Eo prælio Danus duo peditum millia, eqvitum intra qvadringentos desiderabat. Cæsareus, & Monasterienſis miles fortiter pugnaverat. Sed Danicæ legiones, fere agrestibus recens conscriptis constantes, pleno gradu in fugam effundebantur, qvamprimum machinarum strepitum audirent. Eam tamen cladem pensabat paulo post capta à Gyldenlevvio Marstrandia, & profligatæ Svecorum ad Uddevvallam in Bahusiensi districtu copiæ. Tum exscensio in Oelandiam, & Smalandiam facta, ubi Westervvycum oppidum in cineres redactum. Demum & Rugia insula
17. Sept. occupata, excepto castello ad veterem trajectum. Ei insulæ tuendæ adversus Kœnigsmarckium, cum experto duce opus esset, Elector de suis aliqvem concessurus erat, qvod Cajus Rumorius summus vigiliarum præfectus, cui imperium in copias ibi commissum erat, ei negotio impar haberetur. Et consentiebat in id Rex, ni Hahnius id impediisset, qvod Rumorio ignominiæ futurum esset, alium eidem præferri; cujus tamen imperitiæ clades sequenti anno in ea insula accepta tribuebatur. 1677. *Rumor.*

§. 18. Cum itaqve è Polonia parum periculi immineret, ac Svecica classis mari expulsa foret, Elector magno animo obsidium Stetini suscepit; ad qvod toto tempore, qvæ terrendis, ac debilitandis obsessis faciunt, singulari cura paraverat, eminente circa talia Ernesti Weileri rei machinariæ præfecti dexteritate. Ista omnia excitandis incendiis apta cum machinis, & mortariis per novam fossam è Sprea flumine in Oderam, inde prono fluvio Stetinum versus devehuntur. Exercitus, & qvicqvid præsidiis detrahi poterat, terrestri itinere eodem tendit, qvibus qvatuor millia Luneburgicorum accedebant, cum à Cæsare nil copiarum ob turbas Hungaricas, & auxilia in Daniam mittenda accedere posset. Armata navigia in lacu dulci præsto erant, ne qvid flumine in urbem penetrare posset. Anteqvam exercitus eidem circumfunderetur, Elector literas ad Stetinenses dederat, qvibus demonstrabat; *uti Sveci moto hocce bello juribus ex Instrumento Pacis in Citeriorem Pomeraniam, ipsumqve adeo Stetinum, qvæsitis excideriut; ac uti eam ob causam Cæsar, & Imperium istos hostes judicarit, ac qvicqvid provinciarum, & urbium ab iisdem hactenus in Germania possessum fuerit, obligatione erga Svecia Regnum exsolverit; qvibus decretis exsequendis ipse nunc exercitum cominus admoveat. Unde si hoc rerum statu oppidani protuendis Svecis arma arripiant, id non constantiæ, & fidei loco habitum iri; sed ipsos obspreta Cæsaris, & Imperii jussa pœnas daturos: cum hactenus Pomerania fiduciario duntaxat jure à Svecis possessa fuerit, salva semper in eam suprema Cæsaris, ac Imperii potestate. Unde saluti suæ in tempore consulerent, ac se suosqve innocentes liberos, ac posteros in exitium stolidam per contumaciam ne precipitarent. Qvod si itaqve Cæsari, ac Imperio morem gerere, & oblatam gratiam amplecti, omissisqve armis ultro deditionem facere velint, verbo ac fide Electoris se promittere, jura, ac privilegia rite parta, ac possessa cum sacris, qvæ hactenus professi sint, sarta tecta ipsis præstanda, navigationi, ac commerciis eorum protinus libertatem reddendam, prædia, qvæ cives per provinciam possideant, dominis statim restituenda: tum &* 1677. *Obsidium Stetini.* *Weiler.*

1677. *urbem utilissimis privilegiis à se ornandam. Nec minus gubernatorem, ac præsidium honestis conditionibus dimittendum. Ast ubi præter spem oblatam gratiam repudient, ac arma pro hostibus Imperii arripiant, aut præsidium quovis modo sublevent, invito quantumvis singulariter dilectam urbem, velut in qua pueritiæ annis aliquandiu educatus fuerit, hostilimodo habendam, expromtis omnibus, qua ad frangendam ipsorum pervicaciam faciant. Et cum suo jure utatur, nullam penes se culpam hæsuram omnium malorum, qua violentam oppugnationem comitari solent. Decretum vero sibi haut prius inde discedere, quam urbem, qua Svecos expelli Germania, suaque tantopere interfuit, expugnaverit, nulla laboris, aut expensarum parsimonia.* Sed cum ad hæc nil responsi daretur, ac protinus in legiones eminus urbi circumfusas machinæ ex urbe disploderentur, Elector ad vim conversus primo ad ripam fluminis castellum excitari, ruptosque ab hoste aggeres reparari jubet: tum validum pontem brachio fluminis, quo urbs alluitur, injicit, castellis utrinque munitum. Ponte perfecto 30. Jul. Bogislaus Sverinus eum transire jubetur ad occupandum aggerem inter propugnaculum ligneum & castellum à vectigali dictum. Ad eum aggerem ultra milliaris Germanici spatium per profundam uliginem, & frutecta, qua nemo unquam mortalium viam fecerat, penetrandum, ac qua natura negaverat, iter opere sternendum erat. Superata palude in aggere munitiones inter continuas hostium displosiones excitantur. Sed quia agger inter duas istas munitiones per quadrantem milliaris porrectus, admodum angustus erat, nec lat humi esset, quæ eum militum numerum caperet, illi tantum qui opus faciebant, & qui hos protegabant, in aggere consistebant; reliqui vicina in uligine fasciculis innixi hærebant. Cum itaque hostis animadverteret, nostros modico numero in aggere consistere, quadringenti duce Nothio tribuno summo mane ex istis munitionibus progressi, per arbusta silentio adrepentes, primam nostram stationem repulerunt, ablata exigua machina, quæ versus recens excitatam à nostris loricam pertrahebatur. Sed cum ex ea lorica acerrime resisteretur, simul nostri ex uligine ingrucrent, Sveci desideratis quadraginta cæsis, ac sauciis, quinque captivis pedem retulerunt. Nostrorum tunc octo occisi, viginti vulnerati. Mox perfectæ munitioni octo machinæ immittuntur, è quibus propugnaculum ligneum verberabatur, quoad domus intus posita flammas conciperet. Inde nostri assultu dato id expugnaverunt, capto signifero cum viginti gregariis. Sed 1677. centurio, qui ei præerat, cum reliquis in urbem se proripuit. Inventæ ibi tres machinæ, & nonnihil paratus bellici. Cum 8. Jul. inde castelli à vectigali dicti oppugnatio pararetur, Sveci eo incenso per flumen in urbem se subduxerunt. Ita nostri bidui spatio claustra majoris & minoris Regelitzæ, nemini antea victa, exiguo suorum damno ceperunt; quo hostis omni pabulatione, & usu Oderæ excludebatur, nostris contra hinc ad Lastadiam, inde in Pomeraniam Ulteriorem, & Novam Marchiam via aperiretur. Ea re promte expedita Sverinus cum quibusdam peditibus cis flumen revocatur, cura isto loco in Schœningium collata. Inde vis urbi admoveri; foliæ obliquæ 24. Jul. excavari; tum castellum stelliforme à Gustavo Adolfo Rege quondam extructum, in potestatem redigi. Nec minus nostræ naves Stetinenses numero longe potiores, quæ duplici palorum ordine præfixo flumen tutabantur, invadunt, & pessime globis habitas sub ipsa urbis mœnia se subducere cogunt: unde nostræ naves abreptis palis liberum sibi fluminis cursum aperiebant. Cæterum accessus ad urbem secundum flumen utrinque fiebant, superiore parte Electoralibus, inferiore Luneburgicis connitentibus, queis Elector tria suorum millia adjunxerat, Augusto Holsatiæ Duce ibi curante. Suggestibus quibusdam perfectis, è quibus hostium munitiones, ipsaque urbs, & flumen attingi poterat, verberationis initium fiebat tanto impetu, ut intra triduum pleraque navigia sub propugnaculo stantia demergerentur; tum tecta passim perforari, multis quoque in urbe sauciis, aut occisis, quos inter & Nothius tribunus occubuit. Turris quoque templi, cui à D. Maria vocabulum, igne concepto in tectum prolapsa totam ædem in cineres dedit. Ejus turris flammam statim atque Elector erumpere conspiceret, præfectum 6. Aug. militarem cum tubicine ad portam urbis mittebat, testaturum, ignem haut de industria templo immissum, ac magno sibi dolori esse, tam pulcrum ædificium cum clarissima urbe ita evastari, cui adhuc gratiam, & honestas conditiones offerat. Quod si aliquem emittere velint, qui exercitum, & machinas inspiciat, reperturum militem adhuc bene valere, & nondum dimidiam machinarum partem è navibus protractam. Unde dum tempus sit saniorem mentem induerent, omissa pervicacia exitium ipsis paritura. Sed nec præfectus in urbem admittebatur, nec ex urbe quis ad eum accedebat. Tantum qui stationem in porta agebant,

1677. agebant, respondebant; à se nil præter masculam defensionem expectandam. Sequenti nocte templum à D. Jacobo dictum inflammabatur nullo in id globo immisso, nec minus qvod à D. Petro nomen gerit cum multis aliis domibus. Qvo urbis damno commotus Elector denuo tubicinem ad urbem mittebat, qvi honestas deditionis leges offerret. Sed cui responsum, vel nuda mœnia, & vallum Regi servare sibi decretum. Cum itaqve ratio apud obstinatos locum non haberet, extrema adhibenda sibi cernens Elector grandes machinas, & mortaria è navibus extrahi curat, ingenti suggestui imponenda, qvalis vix aliis obsidiis conspectus erat, in qvem extruendum eqves
18. Aug. juxta, pedesqve incubuerat. Eo perfecto è centum decem magnæ formæ machinis, simul viginti mortariis eo impetu fulminabatur, ut intra trium horarum spatium oppolita hostium propugnacula machinis suis non amplius uti possent. Simul munitiones urbis proruebantur, ac domus globis ignivomis impetebantur, ut vix ulla amplius integra permaneret. Inde per obliqvos meatus ad crepidinem fossæ accessum, ut jam minoribus tubis invicem res geri posset. Acuti in vallo vix ullus conspiciendum se præbebat, qvin à peritis jaculatoribus, qvorum magna multitudo contracta erat, dejiceretur: ita vicissim hostilibus telis plurimi nostrorum prosternebantur, qvos inter &
1. Sept. Philippus Ernestus Holsatiæ Dux è Sunderburgica Domo globo tormentario percussus oppetebat. Inde subterraneus labor suscipiebatur, ac opera cuniculis utrinqve proruebantur, nostris dum suos incendunt eam simul machinarum vim emittentibus, ut aliqvot hostium oppositi cuniculi tremefacta tellure corruerent. Mox à nostris exterius propugnaculum ante Parnicensem portam ad defensionem Lastadiæ positum expugnatur, ex qvo tota urbs nostrorum telis patebat. Crepido fossæ primo à Luneburgicis, inde à nostris expugnata, ac stationes in ea munitæ. Anteqvam autem ad transeundam fossam, ac disjiciendum interius vallum accederetur, denuo Elector tentare constituit, num urbs ad deditionem flecti posset, ingruente jam hieme, & omni spe auxilii tam è Livonia, qvam à Kœnigsmarckio evanescente, qvem Danicæ, nostræqve copiæ exscensione in Rugiam facta intra castellum ad veterem trajectum compulerant. De qvo cum Elector è proximis accessibus obsessis significasset, hi respondebant: sibi perinde esse, qvid in Livonia, aut Rugia fiat. Sibi haut eo minus faciendum, qvod honestos bellatores deceat. Unde propius vis admove- 1677.
tur, & oppleta fasciculis fossa assultus in propugnaculum portæ à S. Spiritu dictæ antepositum tentatur: qvi & ita feliciter succedebat, ut pes in eo figi, & extructo suggestu machinæ ibi collocari possent, qvibus obsessorum abscissus palis, & asseribus constantes disjiciebantur, propugnatoribus qvoqve per mala punica pessime habitis.
Dehinc inferior lorica cortinæ prætensæ 15. Nov.
expugnabatur, qva obsessi iter impetu facto nostros expellere incassum nitebantur. Mox & alia munitio capitur, ut jam nostris in proclivi esset cortinam per cuniculos disjicere, retro qvam nil præter mœnia restabant, qvibus evertis aperta in urbem via patebat; qvam assultu invadere miles noster ardebat pertinacia hostium, diuturnitate obsidii efferatus; qvæ opinione longius extracta erat, qvod Elector militi suo parceret; qvo fine & castra sua justa munitione amplexus erat. Cum itaqve huc redacti essent obsessi, præfectus urbis Jacobus Joannes Wulfius literis ad Rudolfum 12. Dec.
Endium veterem commilitonem datis exqvirebat, num honestæ deditionis leges pro milite, & oppidanis obtineri qveant. Qvi cum reponeret, hac rerum facie de conditionibus non amplius cogitandum: iste se- 13 Dec.
qventi die reponebat; nondum extrema sibi imminere, nec voluntatem, aut vires deficere tutandæ urbi; non deesse tamen alia, qvæ arma ponere svadeant. Et qvia sibi nondum deditio imperata sit, petere, ut ab ipso Electore proponatur super formando deditionis pacto, cui acceptis obsidibus eo fine delegatos in urbem mittere integrum sit. Ei responsum; nominandos ab ipso obsides, qvos emissurus sit, qvibus totidem gradu pares in urbem mittendi sint. Sed delegatos in urbem mitti contra morem belli esse, & id genus tractatus in eo loco, ubi potior pars agit instituendos. A bellatore concreditam stationem enixe defendi in laude esse: sed omnibus ad intentanda extrema paratis scrupulosa cauponatione supersedendum. Post permutatis 14. Dec.
obsidibus à præsidio, ac oppidanis delegati ex urbe in castra venerunt, cessantibus interim hostilibus, & laboribus. Attulere delegati oppidanorum literas ab universitate haut degeneres, qvibus ostendebant: *Fiduciam sibi esse, Electori haut improbatum iri constantiam, qua fidem Regno Svecia cum consensu totius Imperii datam implere, vita, bonisque periculo expositis connixi sint. Nam prout ipsi non nisi qvod à virtute proficiscitur placeat; ita par esse credi, indignos ejusdem imperio habitum iri, nisi ejusmodi specimine*

prius

1677. *prius edito, qvales sese exhibituri sint, postqvam numero civium tam præclari Principis adscripti fuerint. Postqvam igitur qve Regno Svecia debuerint omnia exsolverint, à qvo sæpius promissa auxilia vi majore impediente nusquam adparuerint; nil aliud superesse, qvam ut necessitati, & armis victricibus cedant, ac divinitus decreta rerum mutationi supplices sese attemperent. Rogare itaqve, ut Elector ipsos in civium suorum numerum recipiat, & hucusqve à se acta velut ex debito patrata benigne interpretetur: tum eversis tanto obsidio ipsorum fortunas ea clementia prosequatur, qvo facultas sibi suppetat paria, ac majora, qvam qvæ Regno Svecia præstiterint, ipsi, domuiqve Electorali exhibendi.* Elector tam præsidio qvam civitati honestissimas conditiones indulgebat. Indigenis Svecis, aut extra Germaniam natis, aut præfectis, qvi in castris nati semper militiam Svecicam à puero secuti, ac jure civitatis in Svecia donati sint, ibiqve domicilium fixerint, militari more ut excederent permissum, ac ut vel terra per Borussiam in Livoniam, vel mari Colberga in Sveciam transmitterentur. (nam ut Stralsundam dimitterentur, qvod ipsi volebant, Electori haut placebat.) Germanis ex avocatoriis edictis militia Svecica deferenda erat. Incolis prior conditio, & libertas circa sacra, & civilia permittebatur. Ignoscebatur qvoqve Sacerdotibus, qvi pro concione ad confirmandam plebem multa indigna in Electorem per animi intemperiem jactaverant. Pacto deditionis subscripto Electori statim Lastadia, & porta à S. Spiritu dicta, insidenda tradebatur. Præsidium miseranda facie urbe egressum tantisper in Ulteriore Pomerania disponitur, qvoad in Livoniam trajiceretur. Ingressus victam urbem Elector post grates Deo in æde sacra peractas decuriones civesqve in verba sua adigit; inde novi imperii auspicia summa cum lætitia celebrantur. Ejus expugnationis nuntius ab amicis Electoris magno cum gaudio exceptus fuit, qvem omnes insigni gloria ferebant, qvod & pulcerrimam in campo actionem, & operosissimum toto hoc bello obsidium ita feliciter patrasset.

Alibi hoc anno fœderatis res male succedunt

§. 19. Eo illustrior autem erat validissimæ urbis expugnatio, qvam & ipsa obsidii moles, & obsessorum acerrima virtus celebrem reddidere, qvod eodem anno à reliqvis fœderatis, præter Danos, haut operæ pretium fieret. Eqvidem Arausionensis super modo belli gerendi hæc sententia fuerat; Belgio Hispanico servando utiqve incumbendum: sed id non nisi per arma fœderatorum, ac præcipue Cæsaris obtineri posse. Nam ut ipse iterum solus molem belli in Belgio, uti bis jam fecerit, in se suscipiat, & qvod Unitis Belgis opum ac militum supersit una cum sua existimatione immolet, id neminem à se desideraturum. Sibi in animo esse exercitum suum seorsim habere, nec amplius Hispanis jungi. Utrosqve tamen sustinendis Gallis haut pares esse. Sed si alius adhuc egregius exercitus satis mature in campum educatur, forte rebus adhuc consuli posse. Ista se Aulæ Viennensi demonstrari curasse, qvæ & eadem probarit, sed nihil amplius decreverit, qvam ut Neoburgicæ, & Osnabrugenses legionis Hispanis se jungant; qvo ipso ad summam rerum nihil proficiatur. Cæsarem videri rationes suas Parlamento Anglicano superstruere, qvasi id mascula consilia conservando Belgio capturum sit, interim de subigenda Alsatia meditari. Sed hæc incerta esse; ac si Gallo permittatur in Belgio pro lubitu grassari, omnes fœderatorum progressus haut stabiles fore. Et mox ab Arausionensi prædicta eventus comprobavit. Nam Gallus per hiemem maximo adparatu facto, ac vastatis qva pertingere poterat Belgii apertis, mature in expeditionem prodibat, anteqvam ejus conatibus repellendis fœderati late dispersi accingere se possent. Ac primo Limburgi munitiones disjiciuntur. Inde cum exercitu LX M bellatorum constante Valentianis obsidium circumponitur, 17. Mart. qvæ urbs velut obiter assultu expugnatur. Mox diviso exercitu Cameracum, & Divi Audomari Fanum eodem tempore invaditur. Et illud qvidem, post unum, & alterum exterius munimentum vi expugnatum deditionem faciebat. Sed arx acerrime resistebat, donec extremis imminentibus, cum jam pulvis qvoqve deficeret, & ipsa jugum subire cogebatur. Interim Aurelianensis Dux D. Audomari Fanum oppugnare cœperat, ac jam exteriorem munitionem magni momenti assultu occuparat, cum Arausionensis ei obsidio solvendo cum exercitu accedit. Cui Aurelianensis laxato tantisper obsidio ad Montem Casselum obviam procedit, ac post acre commissum prælium intercluso ad oppidum accessu pedem retroferre subigit. Mox ad obsidium reversus id demum ad deditionem cogit. Ita validissimis urbibus nudato Belgio Gallis spatium fuit immanitatem, & avaritiam suam longe lateqve expromendi, Luxenburgico incendiis atrociter grassante; nec aliis in Alsatia, & ad Rhenum minus sævitiæ expromentibus. Qva super barbarie cum fœderati per sequestres apud Gallos qverenren-

1677. 4. April. 18. April. 22. April.

1677. rentur, ac ut ad humanum magis morem bellum gereretur, ac cumprimis immanitate incendiorum abstineretur, Galli reposuerunt: *actiones bellicas non esse hujus fori; hic de pace loqvendum, ac se huc missos, ut conditiones pacis audiant. Sed & cuilibet bellantium parti integrum esse bellum ad suum placitum gerere, & prout id sibi qvam maxime expedire videatur.* Qvæ sententia qvomodo illos decere posset, qvi præter vocabulum aliqvid Christiani officii æstimarent, nemo digerere poterat. Cæterum Belgæ initio anni Cæsari scripserant, unam viam esse servandis provinciis Hispanicis, apud Mosellam in Galliam irrumpere, ac suaGallis incendia domi remetiri. Nam usnunqvam subiturum humano more bellum gerere, ni qvam in alios exserant barbariem, eam cum fœnore recipiant. Unde & post adulta jam æstate Lotharingiæ Dux cum exercitu Cæsareo Pontem Mussonum usqve progressus fuit. Sed objicientibus se Gallis, nihil ad summam rerum profectum, & fatigatus crebris hostium incursibus, & intercepta pabulatione exercitus retro ducendus fuit. Qvi receptus & in causa erat, qvare Arausionensis circumpositum Caroloregio obsidium solveret. Qvam qvam & alias Galli id prævidentes oppidum numerolissimo præsidio, omnibusqve necessariis firmaverant, ac opportuno loco in vicinia consistens Luxenburgius pabulatoribus infestus imminebat, nec ad prælium æqvis locis compelli poterat. Ac Princeps de sua fama aliqvid detrahere, qvam sine probabili spe successus exercitum in evidens periculum conjicere maluerat. Qvæ ratio uti rectoribus Reip. & prudentissimo cuiqve probabatur; ita plebs in utroqve Belgio ad desperationem vergebat. Accedebat mox alia calamitas, qvod, cum Cæsareus exercitus à Mosella regressus in hiberna concedere cœpisset, Galli ad Brisacum superato Rheno repente Friburgum Brisgoviæ obsiderent, ac paucos intra dies una cum arce expugnarent; in qvo maxima vis prædæ reperta, qvod provinciales late circum pretiosa sua in id oppidum congesserant. Causa tantæ jacturæ impingebatur Paulo Hochero, cujus ea patria erat, qvod impediisset, ne satis militum oppido imponeretur, favore in suos cives, ne nimio præsidii onere premerentur, cum nunc Gallicum jugum subeundum foret. De eo oppido amisso cum in Hollandia nuntiaretur, omnis libido bellum continuandi plane expirabat; ac multo magis, cum San-Gilenium media hieme à Gallis expugnaretur, omnibus ad hibernos Gallorum progressus consternatis. Ac palam testabantur Hollandiæ Ordines, a se bellum ulterius continuari nullo modo posse; simul optabant, ab Electore bellum in Pomerania hoc anno posse patrari. 1677.

§. 20. Ast Electori post felicem licet expeditionem non minor qvam superioribus annis circa hiberna difficultas surgebat; qvæ ut à Saxone aliqvantum levaretur, frustra speratum fuerat. Ad eum Franciscus Meinderslius mittebatur, qvi ostenderet; distributione hibernorum sibi Viennæ aliqvid hospitiorum in Superiore Saxonia assignatum, in qvæ Saxoni nonnulla jura competant. Unde petere, ut is circa ista ipsi faveat, ac autoritate sua efficiat, qvo ex iisdem exercitui suo tam præclare de patria merito, aliqvid levamenti nascatur; inprimis à Fratribus, Inferiore Lusatia, qvatuor præfecturis Magdeburgicis, ac Barbya comitatu. Ad ista Dresdæ sat verborum. Sed de hospitiis, aut subsidiis è ditionibus Saxonicorum fratrum planc abnegabatur, velut qvæ Cæsar isto onere exemerit. Circa alios, qvi Saxonem non tangebant, ac unde eidem nihil decedebat, facile consentiebatur. Cæterum ejus aulæ tunc consilia in diversa distrahebantur. Eqvidem ab Henrico Frisio utilia publico consilia fovebantur, sed qvæ pervincere, aut contrarias æmuli suggestiones impedire haut valebat; qvi multa solo cum Electore agitabat, insciis reliqvis consiliariis. Hic semper immaturam pacem, aut tertias partes ingerebat, ac freqventia literarum commercia cum Bavaro, & Hanoverano, qvin & cum Anglo, & Belgis miscebat. Eqvidem ut Elector Stetino potiretur, non admodum invidere videbatur. Sed ut Sveci penitus Germania ejicerentur, nullo modo probabat. Bavarus qvoqve, & Palatinus Saxoni per literas demonstraverant, qvantum periculi bello continuato sit metuendum; eoqve Cæsari diligenter svadendum, ut pacem ante occupet, qvam mala longius grassentur. Qvæ monita Viennæ non ingrata erant, ubi itidem propera pax valde optabatur. Nec magis Viennæ Electori circa hospitia favebatur, Cæsareis ministris ferentibus; si Elector qvæ intendat Svecis eripuerit, nil amplius hospitiorum ei concessum iri. Qvin palam Crocovio occinebant, ne amplius id negotium urgeat, qvod diutius eo qvo hactenus modo neqveat consistere: ac hospitia plane abolenda, nisi qvantum Ordines Cæsari dare velint. Ostendebant etiam, se super hospitiis ad comitia relaturos; id qvod nun- 1677.

Electoris circa hiberna difficultates.

16. Nov.

4. Dec.

Dddddd qvam

1677. qvam facturi fuerant, nisi de majore suffragiorum parte pro sententia sua cautum ipsis foret; qvæ eo spectabat, ut omnia hospitia, qvæ unus & alter proprio ausu invaserit, aboleantur, ac nemini, præterqvam Cæsari, aut si hic cuipiam qvid indulgere velit, hospitia concedantur. Qva in re suffragantes habebant novos fœderatos, ac minores Ordines, qvi ob invidiam in potentiores Cæsaris arbitrio sese permittere malebant, qvam aliis Ordinibus obnoxii agere. Ac jam propositio de hospitiis Ratisponam mittebatur, sed Commissariis injunctum, ut eam publicare differrent, qvoad de majore suffragiorum parte certo constaret; de qvo negotio fœderatis nihil communicatum fuerat. Tum & priora fœdera, æqvalibus utrinqve conditionibus adornata, abrogare cupiebant, illa culturi, in qvibus arbitrium rerum Cæsari delatum erat; ubi & sacrorum non modicus respectus erat. Qvo fine novorum fœderatorum, Colonienſis, Neoburgici, ac Monasteriensis copiis prospiciebatur, reliqvi negligebantur; prout & Cellensis ablegatus re infecta discedebat. Qvin optabant Electorem cum Hanoverano collidi, ut ipsi pro lubitu de ereptis Sveco locis disponere
5. Dec. possent. Mox condito Viennæ super hospitiis decreto, cum Crocovius qvædam contra id moveret, Cæsarei ministri existimationi suæ repugnare ferebant in semel placitis qvid mutare. Differebant etiam, necessum esse fœdus cum Electore refingi, qvo Cæsar norit, qvid ab hoc copiarum expectare possit; & eidem vicissim constet, in qvot copias alimenta ipsi præstanda sint. Ast Elector à novo qvidem fœdere non abhorrebat: sed si vetera non servarentur, cui fini nova condebantur? Unde jubebat Crocovium super hospitiis sine intermissione instare, ac non timide ingerere; si ita secum agere pergant, perinde esse ac si dicant, non amplius sua opera opus esse, ac integrum sibi fore qvæ velit consilia capere; id qvod ipsi Cæsari qvam maxime nociturum sit. Sed qvicqvid Crocovius oc-
12. Dec. cineret, frustra erat. Omnia jam transacta esse. Si Saxonici fratres Electori pecuniarum qvid conferre velint, id in lucro habendum. Sed ut miles eorum terris immittatur, aut iidem vi ad solvendum compellantur, Cæsarem consentire non posse, ne novum ibi incendium oriatur. Deniqve tantum sibi molestiarum id hospitiorum negotium parere, ut vel ideo qvalicunqve pace opus sibi sit. Eo acerbius autem erat, cum Electore ita aspere agi, qvod Cæsarei duces ab Ordinibus Svevici, & Franconici Circuli pro hibernorum redemtione qvinqve milliones florenorum exigerent: & cum solo Franconico Circulo, exceptis Bambergensi, & Wurtzburgensi Præsulibus, ac immediata Nobilitate, duodecies centenis qvinqvaginta florenorum millibus decideretur. Ac soli urbi Noribergensi ea hiberna per qvatuor circiter annos vicies bis centenis florenorum millibus constiterant. Cæterum cum Electori Magdeburgica ditio assignata esset, Administrator hospitia abnuebat obtentu decreti in conventu Inferioris Saxoniæ conditi; cui tamen id onus nolenti volenti subeundum fuit. Adversus Saxonicos autem fratres nil coactionis adhibere placebat, qvod fœdus inter Saxonem, & Brunsvicensem Domum concluſum judicabatur, ac Dresda ad Bavarum missum erat. Unde si vim adhibeat, ejusmodi turbas excitari posse, qvibus sedandis ipse Cæsar par non sit futurus. Et qvia Cæsarei hac æstate trans Rhenum operæ pretium haut fecerant, amisso insuper Friburgo, omnis iste exercitus cis Rhenum per hospitia distribuendus erat; qvod onus Svevi, ac Franconici detrectabant, ac consilia cum Bavaro super medio statu cum Gallis ineundo miscebant. Qvo ipso Viennæ consilia valde turbabantur, ac palam jactabatur; res hoc modo diutius sustineri non posse, ac sibi pacem utiqve præcipitandam. Sed & Hagæ non modicæ qverelæ surgebant, qvod Viennæ super hospitiis haut maturius, & melius dispositum, ac uni plus qvam alteri indultum fuisset. Ac demonstraverat ibi Osnabrugensis, ni copiis suis largius subveniatur, bello sibi excedendum esse. Qvæ res Arausionensi, ac Hispanis magno dolori erat, qvi agnoscebant, eum Principem pro numero suarum copiarum plus operæ, qvam qvemvis alium fœderatum communi causæ præstitisse. Sed & 20. Dec.
qvis alias animus Viennæ in fœderatos esset, ex interceptis in Dania legati Svecici literis patebat, qvæ viam pacis proposuerant permutationem ereptorum Svecis locorum cum iis, qvæ Hispani in Belgio amiserant. Cui instituto Crocovius, & Danicus minister acriter sese opponebant, Luneburgicum qvoqve ad idem stimulantes; cui ejusmodi permutatio admodum iniqva videbatur, ac Principes suos potius extrema omnia tentaturos, qvam eam admissuros. Qvæsierant hi apud Cæsarem, ut sibi super Bremensi provincia caveatur: sed qvibus nil aliud responsum fuerat, qvam Cæsarem Domus Brunsvicensis commodis inter tractatus pacis velificaturum. Ex qva responsi laxitate satis agnoscebant, ista incremen-

1677. crementa Viennæ sibi invideri, nec eis tuendis aliam rationem esse, qvam conjunctionem cum Dano, & Electore. Nec minus Daniæ Rex tertium jam annum Viennæ incassum laboraverat, ut sibi super iis, qvæ ipse Svecis eripuerit, evictio præstaretur. Qvi nil præter tergiversationes, & ambigua responsa retulerat. Aliqvando dicebatur; Cæsarem ejus Regis desideria Neomagi, qvantum res ferat, fulturum; aliqvando, optimam cautionem esse, qvæ deliderentur occupare. Prout & Crocovius per biennium amplius super Citeriore Pomerania instans liqvidum responsum extundere haut valuerat; ut satis pateret, Viennæ eo nomine nil favoris expectandum, ac necessum esse fœderatos inter se rebus suis prospicere. Cæsareus qvoqve in Anglia legatus Carolus Wallensteinius Comes privatis sermonibus jecerat; Electoris potentiam nimium glisscere; ac iniqvum esse, cum omnia sibi adqvirere velle, & tamen postulare, ut reliqvi Ordines hiberna ipli præstent. Vulgabatur qvoqve Pauli Hocheri dictum: *Cæsari haut placere novum Regem Vandalorum ad Mare Balticum exsurgere.*

Periculum è Polonia non plane cessat.

§. 21. Nec minus recrudescere videbatur periculum è Polonia, cum etiam post renovata pacta Sveci, Galliqve haut desinerent confœderationem exautorati exercitus moliri, perqve eam Stetino subvenire, aut Electorem in Borussia distrahere. Ac metus erat, ne Rex istorum solicitationibus victus ad hos conatus conniveret; utut is eosdem sibi displicere verbis testaretur. Idem qvoqve Regem stimulabant, ut castellum ad ostium Vistulæ in potestatem redigeret. Ipse Rex apud Hoverbeqvium super dimittendo Theologo Strauchio obiter jecerat, prætexto sumto, qvod cum iste fax, & tuba tumultuum Gedanensium fuisse arguatur, idem multum qvoqve ad eos sedandos conferre possit. Sed Hoverbeqvius, cui satis constabat, Regem istius hominis opera concitata plebe de capistro urbi imponendo agitare, regerebat eundem omnes suos conatus eo direxisse, qvomodo seditionibus agitatam urbem Svecis traderet. Unde prius constare debere, qvid cautionis haberi possit, si iste ad pacem usqve relinqvendus sit in loco, ubi tantum malorum patrandi occasio suppetat. Cæterum cum Rex Gedanum iter adpareret, Christophoro Wicharto Electoris Residenti decretum ex SCto mittebatur hoc sensu: *Qvia Rex intellexerit, eum Resp. Polonicæ apud Moscicum ablegatum operam sat malignam navare, igitur si characterem ab Electore habeat, cum intra viginti qvatuor horas Marescballo Regni exhibeat. Sin minus, intra idem spatium postqvam hoc edictum innotuerit, Regno facesseret. Ast si characterem habeat, menstruum ipsi spatium indulgeri, ut ab Electore avocari hinc qveat. Ultra id tempus si Warsaviæ moretur, in custodiam dandum.* Cujus prætexti vanitas eo magis pellucebat, qvod ipsius Electoris interesset, amicitiam inter Polonos, & Moscos contra Sveciam constare. Sed cum Wichartus sua mandata apud Marescballum ederet, hic pollicebatur, se operam daturum, ut id negotium emolliatur. Svadere tamen, ut is honesto prætexto hinc discedat, qvod aula violentis affectibus agitetur. Ast Elector ad Coronæ Marescballum literas dabat; *Se non sine admiratione percepisse, Consiliarium & Residentem suum in aula Regia, publico charactere à se ornatum, fiduciarias literas instructum, ipsiusqve res apud gentem fœderatam, & amicam curantem aula, & regno excedere jussum. Equidem si is munere suo prave functus sit, aut si qvid in fraudem Regis, ac Resp. egisse convincatur, non defore se officio suo, ac ubi mandata transgressus comperiatur, ita multandum, ut Rex, totusqve orbis luculentum specimen sit capturus, qvantopere sibi justitia cordi sit. Cæterum ejicere, aut necessitatem sibi imponere avocandi ministrum publicum nondum accusatum, aut convictum, id non posse non à se agre ferri; cum id juri gentium, perpetuis fœderibus, ac mutuo utriusqve gentis amicæ, & vicina commercio repugnet, qvod hoc modo plane tollatur; nec minus idem sibi dedecori cedere. Igitur pro ratione muneris sui prospiceret, ne suus minister indigno modo è Rep. ejiciatur, sed idem publico qvo gaudeat charactere tutus officio suo, nullo turbante, fungi qveat, donec contra id aliqvid admisisse convictus fuerit.* Revera autem ansa litis undecunqve fuerat qvæsita, qvod Rex nollet eundem secum Gedanum proficisci. Sed Mareschallus ipsi significabat: Regem utut de publico ipsius munere intellexerit, haut eo minus decreto suo insistere; addito, se metuere, ne Rex instinctu Gallorum, & Svecorum materiam rixæ cum Electore captet; & qvia præsens tempus non ferat ab hoc offensam ostentari, satius esse ultroneo discessu omnem molestiam prævenire. Nam Regi fixum sedere ipsum non tolerare; ac si contumelia ei inferatur, non modica inde incommoda secutura. Qvin jam aliqvos è Proceribus svasisse, ut is è medio tolleretur, sed Regem id flagitium abnuisse. Cæterum sat importunum erat extraneo Principi præscribi, qvem ministrum is in aula

1677. aliqva habere debeat. Neqve petituri fuerant Poloni eum avocari, ni utilem Electori operam navaret, qvod exacta ipsi aulæ, & Palatinatuum notitia esset. Sed nimirum tunc temporibus cedendum erat; ac scribebat Elector Duci Croyano, ut eum protinus per literas Regiummontem evocet, tanqvam de qvibusdam rebus ad rationes ipsius spectantibus cum eo collocuturus. Rege tamen Gedanum profecto de eo negotio silebatur, ac Wichartus haut eo minus post Warsaviæ subsistebat.

Rex Poloniæ Electori est suspectus.

§. 22. Porro diuturna Regis Gedani commoratio non parum Electori suspectabatur, cujus causam hancce Castellanus Posnanientis Joachimo Sculteto pandebat: *Cum Rex perspiciat, nulla ratione filio suo post se de corona Poloniæ caveri posse, qvam ut plane Galliæ rationibus sese addicat; eo fine res suas in Borussia stabilire velle, ac tumultum Gedani clam fovere, ut studio plebis in commodum suum uti possit. Tum & in ea urbe speculaturum, qvid summi exercituum duces suscepturi, & num qvid aliud in Regno novi oriturum sit. Expedire autem, ut à Cæsare aperta qverela moveantur, qvod jurata pacta violata sint manu Polonorum in Hungariam transgressa. Sed ab Electore adhuc dissimulationem adhibendam.* Fuerant qvoqve in Scania literæ interceptæ à Senatu ad Regem Sveciæ scriptæ, super Borussia Ducali Svecorum ope in Regem Poloniæ (sed non in Remp.) transferenda. Qvarum exempla Proceribus Poloniæ ab Hoverbeqvio communicata non parum hisce scrupuli injiciebant. Sed & constabat, Regem ideo Lithuanicum exercitum exautorari voluisse, qvo militione potiti ad Svecos transire possent, exemplo eorum, qvi in Russia dimissi ad rebelles Hungaros se contulerant. Porro non solum delectus in Borussia, & Polonia Gallis pecunias præbentibus fiebant, Rege ignorantiam simulante; sed & de irruptione Svecorum in Borussiam è Livonia rumor increbescebat, ubi & non modicæ copiæ præsto erant. Qvæ in Marchiam penetraturæ, & Kœnigsmarckio jungendæ dicebantur. Tum Hanoveranum larva detracta & ipsum in arma prorupturum. Qvo rumore moti Lithuani delegatos ad Regem Gedanum mittebant, qvi inter alia ex hoc qverebant; num ipse Svecicis copiis è Livonia per Samogitiam liberum iter in Borussiam concesserit; id qvod sibi haut persvadeatur. Qvod si tamen id fiat, non solum toti Lithuaniæ noxium fore, sed & Regnum novo bello implicari posse. Unde & supremum Lithuanicæ militiæ præfectum Ordine Eqvestre postulante universos ad arma vocasse, ac Svecicas copias, qvam primum Samogitiæ fines tetigerint, ubicunqve locorum invasurum, ac cæsurum. Qvæ proposita Rex ita sinistre accepit, ut conclavi suo inclusus totum diem cibo potuqve abstinuerit. Ostenderant qvoqve isti delegati, Pacium literas intercepisse, è qvibus adpareat, tractatus cum Sveco agitatos, per qvos hic Borussiam Ducalem Regi tradere voluerit. Ast Rex istis respondebat; se rumorem istum de Svecorum transitu falsum habere, qvo eos in securitatem daret; qvod circa istum connivere decrevisset. Simul aula exercitum Lithuanicum dissolvere studebat Pacio exarmando. Circa idem tempus rumor Gedani vulgabatur, Electorem expugnato Stetino copias Gedanum adducturum, qvo Senatui ejus urbis, & Reformatis subveniat. Qvo audito Rex sublatis in cœlum manibus ut id fieret optasse dicebatur; ac non solum eo nomine Senatui, Reformatisqve veniam daturum, sed & votum nuncupaturum, se qvoad vivat singulis diebus Veneris solo pane & aqva contentum acturum. Monebat qvoqve Lessinius Cancellarius, Regem abstracto in portum Gedanensem excursore maritimo Brandenburgico, qvi Svecicum navigium interceperat, simul urgendo congressum delegatorum componendis controversiis materiam rixæ aucupari, qvo Stetino liberando occasio foret. Sed is sva-

1677.

debat, tantisper dissimulatione uteretur Elector; ac se Majores Polonos permoturum, ut aliqvos ad Regem ablegent rogaturos, ne Remp. bello implicet. Ea qvoqve occasione Rex è Sculteto qværebat, qvo jure Elector armatis navibus mare infestet? Cui ab hoc reponebatur: *qvia portus, & litora possideat, & qvia fas sit hosti nocere ubicunqve reperiatur.*

Regis Poloniæ ad Electorem missio super liberando Strauchio. 29. Oct. Gurfinski

§. 23. Visum dehinc Regi Gurfinium tribunum ad Electorem mittere, liberationem Ægidii Strauchii petiturum, cui aliqvi è plebe Gedanensi adjuncti erant. Sed præcipuus mittendi scopus erat, ut specularetur, qvomodo Stetini obsidium se haberet. Ubi qvidam Polonorum proceres Sculteтum monebant, ut Elector petita placide abnueret, causa in fœderatos collata, qvi metuant, ne homo iste plures turbas excitet, ac Gedanum plane in Svecorum manus tradat. Stetino autem expugnato Regem sua consilia facile mutaturum: nam hactenus Gallos, & Svecos ei persvasisse, Electori id obsidium cum dedecore solvendum fore. Is Electorem in castris ad Ste- 28. Octob.

tinum

1677. tinum adiens varia proponebat. Ut congressus delegatorum super abolendis controversiis qvamprimum instituatur. Tum qverebatur, ab excursoribus Electoris maritimis commercia Borussiæ turbari, ac ipsorum Gedanensium navigia invadi; qvin ipsius Regis ex Anglia Gedanum deferendas res in Oceano abreptas: sacra reformata in districtu Draheimensi introduci: fugitivum monachum Schaumburgium in protectionem receptum. Denique ut Strauchius dimittatur, *qvod citra ejus præsentiam Gedanenses motus, qvibus sedandis Rex nunc operetur, solide componi neqveant. Sane Electorem responso suo posuisse, istum tot criminum in regia urbe patratorum reum esse; unde & delictorum, & domicilii nomine par esse eum Gedanum remitti; præsertim cum jam diplomate regio tuto itinere ad comparendum coram Rege munitus sit, idemqve Electorem nec dicto, nec facto offenderit; extra hujus qvoqve ditionem natus sit, & ex amica urbe ad amicam urbem inermis homo proficiscens jure belli capi non potuerit, nec nomine fœderatorum tandiu detineri, in qvos nil hostilis actus exercuerit. Nec titulum Consiliaris Svecici obesse eidem posse, cum is non status, sed Consistorii fuerit, nec nunc super religione, sed regione certetur.* Ad qvæ Elector multa cum verborum humanitate

1.Nov. respondit: *Se paratum congressui componendis controversiis, ubi, & qvando Regi visum fuerit. Naves suas nulli amico nocuisse. Regis res non in Mari Baltico, sed in Oceano direptas, ubi nulla sua navis fuerit; ac sine dubio à Svecicis, aut Gallicis excursoribus id patratum, qveis deinculpam alio impingere libido fuerit. Drabemi nemini mortalium ob religionem molestiam fieri, ac nullibi majore cum libertate diversa sacra exerceri, qvam in sua ditione; velut qui svadendam, non cogendam fidem censeat. Verum qvis præfectum, & præsidiarios prohibeat sacra suo ritu peragere? De tradendo monacho se jam ad Crojanum scripsisse, nec eum protegere sibi animum esse. Sed Strauchii negotium eo majorem sibi curam attulisse, qvo diutius inter propensissimum affectum Regi nil negandi, & metum imminentium ex hac liberatione malorum suspensus hæserit. Sed dixisse tandem rationes, qveis Regem prosapientia & æqvitate sua manus daturum spes sit. Nam publicam salutem, & ex parte sui qvoqve status securitatem ex eo pendere, ne malorum hac hydra, qvam consiliaris Svecici, id est, hostilis titulo insignitam Numen propitium in suo territorio sibi captivum fixerit, ante finem belli custodiam suam evadat. Turbulentum ejus, ac factiosum ingenium adeo cognitum esse, ut nemo dubitare possit, illo nil aptius ad seminanda odia, excitandas turbas, & miscenda divina, humanaqve reperiri posse. Idem cum ipsi infensissimus sit, & vindictæ libidine ardeat, cum nunc in custodia non veritus sit literas iræ rum, & minarum plenas, convitio tyranni, & Pharaonis adspersos, ad se dare; Acheronta haut dubie moturum, ni placida hac custodia turbulentos istos, & humanam sortem supergressos spiritus compescere doceatur. Nec enim audaciam hominis qvantumvis privati contemnendam esse vel civitatem Gedanensem probare, qvam solus iste tandiu turbis exercitam tenuerit. Nec cautionis qvid à conscientia istius furore indurata, & nunc fallendi certa expectandum. Motibus urbis componendis præsentissimum à Regia autoritate, & prudentia remedium esse. Sed si utique is homo tanti videatur, ut sine eo qvies urbi reduci neqveat, saltem ad finem belli ejus liberationem differendam. Tum enim spretis ejus injuriis eundem in gratiam Regis etiam beneficiis ornatum à se dimissum iri. Nunc ut ipse incertam aliorum qvietem suo cum damno curet, nullo colore exigi posse. Eqvidem qvod Regis desiderio satisfieri neqveat sibi molestissimum esse. Ast si Principum injurias Principibus curæ sint, si publica salutis tutela suprema instar legis habeat, ipsum Regem pro æqvitate sua repulsæ necessitatem gravissimis rationibus condonaturum.*

1677.

Elector de isto legato qverit.

§. 24. Sed qvia ablegatus iste admodum importune se apud Electorem gesserat, hic eo nomine ad Regem literas dabat hoc argumento: *Gurlinium istum omni humanitate, ac honore à se exceptum valde infectum se exhibuisse, ac multa fœderi æterno, & amicitiæ adversa apud suos aulicos, & extraneos ministros apud se agentes disseruisse, sinceram suam mentem, & dicta in sinistrum sensum detorsisse, nec minus abstinuisse. Cum itaqve ipse non immerito vereatur, ne is aliena à vero ad Regem referat, se rogare, ne Rex aliam sibi mentem esse credat, qvam ipse literis suis expresserit.* Is Gurlinius responso Electoris circa Strauchium haut contentus palam fremebat, gravia inde mala oritura. Regem supremo imperandi jure gaudere: Electorem Reip. magis addictum, qvam Regi, & istius gratiam hujus amicitiæ præterre; id qvod ei male cessurum sit. Ab Electore hunc Regem non minus qvam ejus antecessores contemni. Sed nunc non Joannem Casimirum, aut Michaëlem aliqvem imperitare: ac multa alia in eum sensum. Qvin & exteris ministris adstantibus jactabat: in Regis aula decretum, ut ni Strauchius sibi liber abducendus tradatur,

1677. omne exercitium religionis, qvo hactenus Reformati Gedani, & aliis Borussiæ locis gavisi sint, una cum templis ad eos spectantibus iisdem adimendum. Ad qvod cum legatus Belgicus reponeret; omnes Reformatis sacris addictos hoc modo offensum iri; is regerebat; qvid hoc ad Regem suum, qvi urbem Amsterodamensem parum curet? Idem qvoqve cum Cæsareo, & Danico legato non sine minis altercatus fuerat. Qvin dissidiorum causam inter Cæsarem, & Electorem in ipsa hujus aula spargere tentarat, nimiam ejusdem potentiam apud Cæsareum legatum exaggerando, ac uti Cæsaris interesit eam premi, anteqvam prægravis ipsi evadat. Apud alios secreti specie dixerat; plebem Gedanensem Regi, si Strauchii libertatem procurarit, Weixelmundam promisisse; tum Regem multa Tartarorum millia ad nutum habere, qvibus pro lubitu adversus qvoscunqve uti posslit. Ista Elector per Hassonem Adamum Wedelium ad Lessinium Cancellarium, & Cracovienssem Præsulem deferebat: Utut credat istum haut jussum talia blaterare; qvia tamen è Regis literis adpareat nodum in scirpo qværi, ac instinctu Gallorum, & Svecorum id agi, ut insscia, & invita Rep. fœdus æternum infringatur, ac amicæ, & vicinæ gentes in mutuam perniciem cum libertatis, ac fortunarum jactura impellantur: igitur se isthæc cum ipsis communicanda duxisse, ac consilium eorum, qvid agendum sit, exposcere. Eqvidem sua magis referre pacem servari, qvam Strauchium detineri. Sed hunc hominem duntaxat obtentui sumi; & eodem licet dimisso Svecos, & Gallos haut desituros infesta moliri. Ac ejus detentione se non tam propriam, qvam Reip. utilitatem respicere, cujus libertati iste vir hoc tempore captivitate exsolutus exitio futurus sit. Nam sub jugum redacto Gedano Poloniæ capistrum imponi. Ista sibi curæ fore uterqve prolixe promittebat, svadentes ne Elector turbidum hominem è manibus amittat.

Lilliehœckii in Electorem invectiva.

§. 25. Ejusdem qvoqve Gursinii futilis lingva ansam præbuit fœdo negotio, cui par vix moratiores inter gentes auditum est. Cum enim inter sermocinandum de Lilliehœckio legato Svecico mentio incidisset, Elector de effreni, & contumelioſa viri lingva, calamoqve, qveis ipsum indignis modis in Polonia furibundo similis proscindere non vereatur, qvestus tandem dixerat: *qvia is hoc loqvendi, & agendi modo sanctimonia characteris sui indignum se reddiderit, meritum esse, ut fustibus castigetur.* Ista Gursinius Gedanum reversus Lilliehœckio odiose, ac uti adparet citra præmissam conditionem retulit. Unde Lilliehœckius ira percitus solenni admissione apud Regem, & præsentes Senatores Gedani ejusmodi sermone in Electorem invectus est, qvem ad verbum heic inferere eo minus dubito, qvod Electoris existimatio, & gloria longe sublimiori loco posita sit, qvam ut talibus adspergi qveat, qvæ non nisi autores suos maculant. Ac videri possit, eam indignitatem Electori accidisse, ut gaudium è capto Stetino paululum diluceretur; sicut olim Romæ, qvi triumfum ducebant, acerbis qvandoqve comitantium militum dicteriis perstringi solebant. *Serenissime & Potentissime Rex. Qvod communis rumor per hanc civitatem, & inde longe lateqve per orbem sparsit, tandem à certo, & probata fides autore intellexi verum esse, qvod Elector Brandenburgicus minabundus publice jactaverit, se fustibus me cædere velle. Excelsa S. Rae Mtis Vra prudentia triumphalem gloriam immenso merito exaqvans sine dubio agnoscet, non inultas transire debere tam impudentis atrocitatis injurias, qvibus non jus tantummodo & sacra legationis, sed & omnium qvotqvot in orbe extant Regum reverentia proteruntur. Qvippe summarum potestatum æqve interest illesam servari dignitatem suam, cujus apud exteros representandæ characterem legatis imprimunt, ac dare operam, ne temeratis gentium juribus, & legationis sanctimonia mutus inter regna, & populos commercii facultas intercidat, & evertatur. Si non nisi personæ meæ ratio habenda esset, ab illata contumelia me vindicarem iis modis, visqve, qvæ servandi decoris cura, ac nobilis viri dignitas, ipsaqve ratio svaderet. Nunc vero cum S. R. Mtis Svecicæ regius splendor, & dignatio legationis istis vindiciis asseri debeant, qvæ acerbitati contumeliæ utriqve illatæ exacte respondeant; nihil magis Regi ac Domino meo, muneris qve qvod gero juribus me debere invenio, qvam ut, repressis tam inhumani, & inverecundi conatus ausis, honesta ratione agam, ut autorem ipsum conversa petant, atqve coram Mte Vra, ad qvam pariter pertinere æqvum est acres asperrimæ sensus injuriæ, qvæ magni Regis legato extraordinario apud ipsam agenti qvasi in conspectu ejus, & in ipso Reip. Polonæ gremio immani ausu intentatur, palam & publice notum faciam, qvod, si Fridericus Wilhelmus Elector Brandenburgicus serio intendat me fustibus cædere velle, prout ex solita animi levitate & impetu, qvi sibi ipsi pœna est, forte effutiit, tum ego qvoqve S. Re Mtis Svecicæ ad S. Ram Mtem & Remp. Poloniæ legatus plena cum potestate extraordinarius

Alt-

1677. *Andreas Lilliebæck ſolenniter & publice edico, & declaro, qvod in Fridericum Wilhelmum Electorem Brandenburgicum pleno retorſionis jure utendum mihi fore decreverim. Non ignoro qvidem, qva reverentia Electores colendi ſint, & qva Principibus obſervantia debeatur, nec obſequii mei terminos unqvam tranſiliam. Verumtamen me ad nullas obſervantiæ partes Friderico Wilhelmo Electori Brandenburgico præſtandas obſtringi intelligo, qvandoqvidem etiam extra hunc caſum effreni in Sam Ram Meam & gentem Svecia calumniandi petulantia, qva omni penitus exemplo caret, graſſatus eſt. Unde etſi mihi jus plenum conſtiterit qvidlibet in ipſum dicendi, agendique, nihil tamen adverſus ipſum ſcripſi, dixi, vel egi, qvod non congruat juſſis, & mandatis à Rege & Domino meo acceptis; inter qva illa potiſſimum ad parendi neceſſitatem me obligant, qva non tantum oſtendunt Mti Suæ clementiſſime placuiſſe olim à me adverſus Electorem Brandenburgicum edita, ſed & qva diſerte me jubent, ut deteratorias Electoris iſtius fraudes orbi manifeſtas reddam, imo ne id ipſum agere cunctarer, aut hæſitarem, literis ad S. Ram Mem Vram ſcriptis fidem fecit, autoritate & juſſu ſuo ea fieri. Tantum abeſt, ut Mtas Sua, cui ultra ſeptendecim menſes copia facta eſt omnium, qva tam ad Mem Vram, qvam alios de Electore ſcripſi, ullius diſplicentiæ ſignum dederit, ut potius nuper in Svecia vulgato qvodam ſcripto meo aliud ex cancellaria ſua Regia illi adjunctum, typisqve excuſum in illum finem hunc miſerit, ut ubiqve publici juris fieret, atqve adeo indignum Mtas Sua Electorem cenſuit eo, qvem ſibi à nobis arrogat, reſpectu, ut paſſa ſit ipſum urgeri iis, qva inſerta ſunt ſcripto à me edito adverſus Principem alium, qvo Elector longe inferior eſt, accepta habens, qva à me veritati, & rationi conſentanea tradebantur, libertate ea, qva ex jure muneris conſtat, & qvam ſibi hoſtes in Sveciam vindicant, ſuisqve miniſtris permittunt. Qva omnia non tantum abunde probant, me commiſſionis, & muneris mei limites non exceſſiſſe, ſed qvoqve certum mihi faciunt, Regem, & Dominum meum ex dictamine heroicæ indolis, qva in iſtis primordiis ingenti auſpicio virtutis incomparabilis, & immenſæ fortunæ augurium pandit, injuriam Regiæ dignitati ſuæ in perſona legati ſui extraordinarii ab Elector illatam ea qva decet ſeveritate, & rigore ulturam. Ad hanc declarationem pro tuenda Regis ac Domini mei autoritate, & dignitate muneris, qvod ſuſtineo, factam nihil adjicio, gnarus Suam R.am Mtem Vram pro ſumma ſua prudentia ea decreturam, qva ſpectant tam ad conſervationem & tutelam juris gentium, qvam regiæ ſuæ dignitatis, & tantæ Reip. graviter ab Electore affectæ autoritatis vindicias, prout exiget æqvitas, ſvadebit ratio, & Electoris Brandenburgici temeraria efflagitant facinora, qvibus regium in Polonia decus, tranqvillitatem publicam, juraqve inclytæ gentis impio, & nefario auſu non hac tantum, ſed innumeris aliis in rebus ladit, convellit, & lalefactat.* 1677.

§. 26. Poterat iſta contumelia ſilentio, & contemtu vindicari, velut non obſcura turbatæ rationis indicia præ ſe ferens, aut privati cujuspiam calamo exagitanda committi; ni ad omnium Principum dignitatem pertineret, ejusmodi inſolentiæ exemplum à legato admiſſum caſtigari; qvorum ſane mutuatitia, ac temporaria dignatio putido, ac ſi mollius interpretari velis, ridiculo auſu eo porrigitur, ut ipſis qvaſi in pari cum Principibus faſtigio ſeſe collocare fas ſit, & tanqvam in æqvales, jus qvoddam retorſionis in eosdem moliri; cum ſi læſos ſe ab alio judicent, qverelam ad Principes ſuos deferre debeant. Ut itaqve Elector nihil omitteret, qvo injuria communi Principum dignitati illata debito modo repararetur, ad ipſum Regem Sveciæ ſuper illo facinore haſce literas dabat. *Invaluit pridem non tantum inter moratiores, ſed & barbaras pleraſqve Gentes, ut armorum, ac belli licentia etiam inter hoſtes freno qvodam humanitatis, atqve officiorum coerceretur, & ut eſſet aliqvid qvaſi ſacrum, qvod extra ſævi arbitrium Martis ab omni injuria, ac violatione tutum, atqve immune præſtaretur. Eſt hæc majeſtas, ac reverentia Principibus debita, qvam in ipſo belli furore qvaſi extra telijactum conſtitutam ab ipſis hoſtibus coli, atqve obſervari generis humani intereſt. Præſtitum id à nobis in hac, qvod inter R.am Mtem Vram, & Nos prorſus invitos exarſit bello. Nam de R.a Mte Vra uti par eſt non minore reverentia loqvimur & ſentimus, qvam olim ante belli initium fecimus: idem ut à noſtris fiat, ſerio allaboramus. Nec enim noſtrum applauſum habet, ſi qvid acerbius, & qvod odii rabiem oleat, hinc inde divulgatum ſit. Neqve enim vinculum id amoris ac benevolentiæ, qvod natura ipſa ſummas inter poteſtates indiſſolubili & ſacro nexu conſtrinxit, nulla affectuum vi, inprimis ira aut odio, qvorum cauſa uti infra Principes poſita ſunt, ita ad tempus ſaltem durant, diſſolvi poſſit, ac debeat. Judicabis hinc R. M. Vra, qvam graves & juſtæ nobis cauſæ ſint conqverendi de ejus ad Poloniæ Regem legato Lilliebæckio; qvi non ſolum per omne miniſterii ſui in Polonia tempus abjecto reverentiæ Principibus debitæ, & à reliqvis R. M. Vræ mini-*

Electoris ſuper eo facinore ad Regem Svecia litera. 12. Jan. 78.

1677. ministris, quod cum laude ipsorum dictum sit, nobis exhibita respectu gravissimis nos insectatus est calumniis, atque injuriis, adeo ut non veritus sit nos perfidiæ, petulantiæ, fraudium, atque tyrannidis insimulare. Sed & nisi per in facie totius Reip. Polonæ rem ausus est atrocem, cujus exemplum nec anteacta memorant secula, nec posteritas forte videbit. Nam cum erga Poloniæ Regis ablegatum in privato, & uti credidimus amico colloquio, orto de Lilliehœckio sermone, de ejus temeritate, ac linguæ & calami intemperantia conquereremur, & memoratis atrocissimis, quibus in nos debachatus fuerat injuriis adjiceremus: certo nos scire, fieri id inscia, imo invita R.M. Vra, adeoque extra fines mandati, & cum eo ipso jura gentium prior temerasset, sequeindignum jure & privilegiis legato alias debitis reddidisset, promeruisse, ut hæc ipsius rabies condigna fustium castigatione coërceretur: lucere sibi putavit publicam audientiam à Rege Poloniæ postulare, eaque impetrata sermonem habere impium, pudendum, qui in nos quidem nominatim tendit, sed sane cujus tela omnes quotquot sunt Principes petunt, & quicquid adhuc à vulgi temeritate ac licentia sanctum, & intactum servatum fuit, illum scilicet Majestatis characterem à divinitate ipsa Principibus impressum, sine quo nec Principatus nec Princeps ullus subsistere potest, uno ictu evertant. Id quod Regiæ M.Vræ ex subjecto exemplari, quod autori etiam typis vulgare, quæsito bene gesta destinatum fuit, dijudicandum relinquimus. Equidem non fugit nos, quæ sint legatorum jura, quis debeatur ipsis honos, & quidnam repræsentent; nec putamus ullum R.æ Mis Vræ ministrum jure meritoque conqueri posse, quasi his ipsis defraudare illum in animum induxerimus. Licuisset etiam Lilliehœckio R.æ Mis Vræ interesse & causam contra nos honesta quavis ratione tueri, ac promovere. At cum per integrum triennium in totius Reip. Polonicæ facie sævissimis nos lacessierit injuriis, & calumniis, non potuimus quin ablegato Polonico testaremur, quidnam inde promeritus esset, si ex ipso gentium jure cum illo agere vellemus. Fecimus tamen id lacessiti, & ex justo dolore, & quidem cum præfatione, quod Lilliehœckius hæc talia patrans legatorum jus fasque prior violasset, eoque se indignum reddidisset, adeoque non ut regius minister, sed ut calumniator furore percitus confiderari mereretur. Est fane si ex justo fervore gravius in ipsum locuti fuissemus; num proinde ipsi licuisset hoc vindictæ & contumeliæ genere adversus Nos uti, quæ discrimen omne inter Principes ipsos, ac eorum ministros tollit, ac evertit. Equidem est nobis talium contemtor animus, qui injurias atque offensiones ab inferioribus illatas superne despicit, id quod triennali patientia adversus ipsum Lilliehœckium comprobavimus: nec forte nobis occasio defutura esset jumendi ab ipso autore gravem, & promeritam ultionem. Sed quæ est nostra de Ra Mis Vra magnanimitate existimatio, non dubitamus justas nostras querelas ad R.am Mem Vram deferre, eandemque rogare, ut si posito belli, quod nos inter imprasens quidem est, sed si Deo placuerit brevi iterum componetur respectu, sanguinis, ac dignitatis, quæ sane æterna & inviolabilia sunt, rationem habere, & sæpe memoratum Lilliehœckium, indignum sane, qui pro R.æ Mis Vræ ministro, & ex generosa Svecorum natione ortum se ferat, ad dandam nobis publicam pro tanta contumelia publice illata reparationem constringere, & in eum graviter ac pro merito animadvertere justineat. Quo quidem ipso R.a Mas Vra non tantum nobis, quod par & æquum, ac suæ generositate dignum est tribuet, sed omnium Principum dignitatem per impu, & impuri istius hominis os violatum à vulgi contemtu, imo ab interitu vindicabit. Principum namque injuriæ Principibus curæ esse debent, cum in omnes redundent, & quod adversus unum permittitur in alterum liceat. Quod si præter spem omnem atque expectationem nostram R.a Mas Vra abnueret, quo minus a Lilliehœckio justa nobis fiat satisfactio, atque debite puniatur, non ferret etiam graviter, quin ipsimet famam atque existimationem nostram, cujus bonum odorem ad posteros transmittere firmum nobis fixumque stat, debito modo tueamur, ac vindicemus. Sed omnia nobis æqua ab heroico Ra Mis Vræ animo promittimus. 1677.

§. 27. Ast non quale expectabatur responsum ad has literas a Rege Sveciæ obtentum fuit, quod & ipsum conceptis verbis hic adponere placet: *Literis Celsitudinis Vestræ Electoralis per tubicinem Danicum allatis uberius percepimus, acerbas, quas contra legatum nostrum extraordinarium Andream Lilliewæckium Celsa Vra El. invisum fuit proferre querelas, finiendo illas hisce minus, scipsam illam quam pratendit injuriam severe vindicaturam, si a nobis talis non cuiur satisfactio, qualem C.V.El. sibi debitam existimat. Quæ vero C.V.El. de jure humanitatis inter moratiores gentes recepto etiam flagrante bello, deque suo ex dicti amine ejusdem rationis erga nos studio præfatur, non solum fuere nobis grata, sed etiam pari illam animo data occasione summus promeriturs propensionem. Præterea quod ipsum, de quo C.V.El. tam graviter conqueritur, negotium attinet, satis constat dilucide ex dicti nostri legati sermone,* Regis Svecia responsum. 16 Mart. 1678.

1677. *mone, (qvem tamen pro authentico, usqve dum ipse legatus eum pro suo habeat, non possumus agnoscere,) originem illud suam traxisse ex scriptis acerbis & injuriosis, qva contra nos nomine C. V. Elis & in Comitiis Ratispona, & alibi evulgata sunt, qvod etiam legatus noster fas & muneris sui duxerit, iniqvitatem eorum, & justitiam causæ nostræ Regi Serenissimo, & Reip. ad qvam missus est, ob oculos ponere, & comprobare. Num vero illa aqvissima nostra causæ defensio meruit, qvod Celsi. V. Elis tam ignominiosas, ut ipsa fatetur, in publicam, & per jus gentium contra omnem injuriam merito munitam personam pronuntiaverit minas, C. V. Elis sepositio partium suarum studio ipsa dijudicabit; præcipue cum contumelia ista orbi statim innotuerit, postqvam C. V. Elis eam ablegato Polonico coram prodidit. Qvapropter cum fama, & vita pari gradu ambulent, & ejus generis læsio honesto viro sit ipsa morte gravior, mirari non possumus, qvod legatus noster acerrime desuper doluerit, & existimationem suam, dignitatemqve nostram in ejus persona & munere simul vellicatam palam ulcisci voluerit; à prudentia ipsius, atqve in rebus summi momenti gerendis nobis sæpius perspecta integritate, ac fide nobis tamen promittentes, qvod absqve ullo offendendi C. V. Elem pruritu moderamen inculpatæ, & justæ defensionis servaverit, & nihil egerit, de qvo nobis rationem reddere non possit. Interea temporis, & donec ulterius ab ipso nostro legato informemur, non possumus vereri, qvod C. V. Elis in eum qvidqvam attentare velit. Eadem etenim, qvæ C. V. Elis pro sanctimonia, reverentiaqve majestati Principum debita ex jure gentibus communi deduxis argumenta, patrocinantur etiam ex eadem ratione, & earundem gentium unanimi consensu ipsis legatis; cum antiqvitus declaraverint eorum personas sanctas, & inviolabiles, & qvod nemini in legatos jurisdictio vel animadversio competat, nec teneantur ulli rationem ejus qvod perpetrarunt reddere, nisi Principibus ac dominis suis. Confidimus ergo legatum nostrum extraordinarium vel ex ipsa Celsi. V. Elis erga jus gentium veneratione, vel sub Regis illius, ad qvem eum misimus, suffragio, & tutela fore securum; aut si ipsi, qvod nobis tamen persvaderi neqvimus, injuria qvadam præter fas inferatur, media nobis non defutura vindicandi gravissime illam, qvæ in nosmetipsos tunc redundaret contumeliam. Qvibus C. V. Elem divinæ tutelæ commendamus. Dabantur in castris nostris ad Liunby d. 16. Martii anno 1678. Celsi. Vræ Electoralis bonus consanguineus* Carolus.

F. Joël Oernsted.

§. 28. At alii Reges de isto facto diversa plane judicabant. Et Daniæ qvidem Rex eo Lilliehœckii sermone admodum consternabatur; nec debuisse Regem Poloniæ eam importunitatem ante ora sua exercitam dissimulare, qvam & ab Ordinibus improbari constet. Ac non nefas fore, si iste Gedani ad necem usqve cædatur. Aut si id fieri non posset, se omnem operam navaturum, ut ista hominis petulantia digne castigetur. Ac de generoso Regis Sveciæ animo confidere, eum primum fore, qvi Electoris existimationem tuiturus sit. Sane is Rex, cum eum sermonem recitari audiret, sæpius colorem mutaverat, aliqvando rubore suffusus, aliqvando expallescens. Sed allato post Hafniam Regis Sveciæ responso, unde Electoris literæ ad hunc per tubicinem Danicum perlatæ fuerant, miris modis turbabatur, ac Electoris conditionem dolebat, cui dispari modo qvam speratum fuerat, à Svecis fuerat occursum. Simul valde mirabatur, Sveciæ Regem proprii honoris rationem hoc non habuisse; ac judicabat, Senatores, ac præcipue Joannem Gyldenstiernam, superbum, ac turbidi ingenii virum id responsi cudisse. Ac si Cæsar consentire velit, se una cum ipso ad Regem Poloniæ scripturum, ne iste Lilliehœckius in Polonia amplius toleretur. Qvod si Polonus permoveri neqveat, ut eundem non amplius legatum agnoscat, rem Neomagum referendam, ut universi fœderati eam causam communem faciant, & inter conditiones pacis stipulentur, à Rege Sveciæ Electori pœna istius calumniatoris satisfaciendum; interim à nemine fœderatorum eundem pro ministro publico habendum, qvicqvid characteris Rex suus ei imponat, ac si in alicujus fœderatorum manus inciderit, Electori ad supplicium dedendum.

1677. *Regis Daniæ de hoc facto judicium. 22. Dec. 77*

§. 29. Ad Cæsarem porro super hoc negotio scribebat Elector, ut & ipse hanc causam, qvæ omnes Principes tangat, suscipere velit, qvo sibi pro ejus atrocitate satisfiat. Ad eas literas Cæsar respondit: *Sese fœdum hocce factum ita comparatum reperire, ut ad id ulciscendum pro viribili promte incubiturus sit. Eo fine ad Regem Poloniæ scripsisse, ac sperare eas literas idem effecturas, ac si ipse ad Regem Sveciæ literas dedisset.* Eqvidem initio Viennæ, qvare ad ipsum Svecum scribere nollent, hanc causam obtendebant, qvod ei titulum Ducis Pomeraniæ tribuere nollent. Sed cum Elector excepisset, sufficere, si Gallica inscriptio literis adponeretur, causabantur, apud Austriacam

Cæsaris circa eandem facti ulti onem studium. 11. Febr. 78.

1677. Domum moris non esse ad hostem durante belli statu literas dare. Revera autem incongruum, & parum ex dignitate responsum expectare nolebant. Cæterum literarum, qvas Cæsar ad Regem Poloniæ super hoc negotio dederat, hæc verba erant. *Pro communi illo amoris, ac benevolentiæ vinculo, qvo ipsa qvasi natura Reges, Principesqve, ac summas potestates indissolubili qvodam & sacro nexu constringit, Serenitas Vestra non citra indignantis animi sensum coram audire sustinuerit acerbas voces & vituperosas illas calumnias, qvibus nuper contra Ser.um El.em Brandenburgicum Principem, & consanguineum nostrum carissimum regius apud Ser.em Vram residens legatus Svecicus Lilliehœck in publica ad hoc sumta audientia, qvo injuriam redderet atrociorem, debacchari non fuit veritus. Neqve vero ab animadversione sua erga hanc tantam temeritatem demonstranda se ex alia ratione cohibuisse Ser.em Vram nobis persvademus, qvam ut maturius debinc statueretur, qva vel maxime satisfactione facinus tantum expiaretur, qvo tanta proterbia non magis honor, & existimatio Principis Ser.is Vræ amici, & confœderati, sed & sacrum illud jus, qvod Principes omnes inviolabiles vult, intactos esse, imo modestia illa, atqve observantia temeratur, atqve excutitur, qva sortis illius homines in audientiis regiis erga sacras Principum personas versari oportet; præsertim cum hoc factum, (qvod ordinaria legati facultate comprehendi nemo asseret,) se à Rege suo jussum minime adparceret. Nos sane cum de eo certius quæsiremus, rei indignitas in causa cum omnibus potestatibus communi, tum & Imperatoriam Majestatem in Principum Electorum dignitate acrius perstringente animum nostrum non potuit non altius percellere. Et sicuti qvidem haut in commune ferendum esse nobiscum Ser.as Vra facile dignoscit, ut Principum ac potestatum auctoritas convitiis ejusmodi ac inferiorum lasciviis sit obnoxia; ita speramus Ser.em eandem Vram apud Ser.um ac Pot.um Svecia Regem officiis suis pro amica, qvæ ipsis utrinqve intercedit, nobis autem per bellum interclusa tantisper est correspondentia facile obtenturam esse, ut in enormem hanc temeritatem illic condigne animadvertatur. Certe si interea Ser.as Vra temeratorem hunc regio suo alloqvio, atqve obtutu haut ulterius dignata fuerit, & ipse effrænem suam licentiam gravius haberi, & omnes qvotqvot sunt potestates mutuum inter sese esse auctoritatis præsidium cum applausu nobiscum sentient. Qvi qvod reliqvum est, &c. Neostadii d. 11. Febr. 1678.* Dabantur qvoqve à Cæsare literæ ad legatos Neomagenses, aliosqve suos ministros Hagæ, & in Anglia, ac Polonia: uti ejusmodi verba contumeliosa per speciem retorsionis etiam in minoris sortis Principes effusa sint inaudita, multo minus à legato, qvi ministri ac civis personam nunqvam exuat, in tantæ dignationis Principem possint. Et qvia Elector petierit, à se hanc causam ob communem Principum respectum, & peculiariter ex officio Cæsareo suscipi; se non posse non indignationem suam circa enorme hocce facinus demonstrare, non solum ob exemplum in omnes Principes redundaturum, sed & qvia sibi haut omittendum conjunctissimi Principis honorem tutari. Igitur sui ministri ubiqve Principibus, ubi agunt, hanc insolentem injuriam in primarium Imperii membrum, ac eminentissimis in Europa potestatibus confœderatum patratam efficacissimis verbis exponerent, eosqve reqvirerent; ut seria improbatione hujus contumeliæ in persona Electoris omnibus Principibus illatæ partim apud Svecum instent, qvo in contumeliosum istum virum condigne animadvertatur. Sed qvibus in præsens nullum literarum cum Sveco commercium sit, hunc Lilliehœckium indignum publico charactere declarent, omne commercium cum ipso abrumpant, ut is adeo inhabilis, ac infamis habeatur. Id qvod sanctimoniæ omnibus Principibus debitæ tuendæ faciat; ut si maxime is à suo Rege supplicio non afficiatur, communi tamen omnium Principum judicio infamia notetur. Harum literarum nomine cum Crocovius Viennæ gratias ageret, addebat; Cæsaris demonstrationes, & hortatus ad communem injuriam ulciscendam eo plus ponderis habituros, si is velut supremum orbis Christiani caput aliis Principibus exemplo præeat, qvod reliqvi facile secuturi sint. Eoqve rogabat, ut Cæsar id scriptum eo nomine, qvod Viennæ disseminatum foret, per carnificem publice comburi juberet. Ad qvæ responsum: Cæsarem prius cognoscere voluisse, qvid alibi de hoc negotio judicetur. Qvod si igitur comperierit, alios qvoqve Principes publice detestationem in isthoc scripti declarare constituisse, cum non solum indignationem suam qvantum possit demonstraturum, sed & libenter reliqvis exemplo præiturum.

1677.

§. 30. Ast Elector, cum nondum de Lilliehœckii invectiva inaudisset, Hoverbeqvium ad Regem Poloniæ Gedanum se conferre jusserat, propositurum; Sibi nil magis cordi, qvam æternum nuper firmatum fœdus sancte servare, ac sinceram cum Rege amicitiam plena cum fiducia excolere.

Electoris ad Regem Poloniæ missio. 2. Dec. 78.

1677. re. Sed non ſine animi dolore experiri, hoſtium ſuorum miniſtros omnem lapidem movere, qvo fœdus iſthoc, amicitiamqve abrumpant. Se qvidem hactenus multa diſſimulaſſe, ne Regem ingratis qverelis obtundere velle videretur. Sed nunc cum conſtet Svecos, ſi modo per Moſcos liceat, è Livonia per Samogitiam in Borusſiam irruptionem moliri, Gallosqve, & Svecos circa Gedanum ſub oculis Regis palam delectus agere; non poſſe non eo nomine qverelas ad ipſum deferre. Et qvia utrumqve æterno fœderi repugnet, Regem remedia, qvæ per pacta hoc caſu definiantur; ſolenniter expoſcere. Scilicet ut non ſolum ex fœdere debita auxilia contra hoſtes repræſententur; ſed & præcipue ut Lithuanici exercitus ſupremo duci injungatur, tranſitum audentibus Svecis vim opponere. Tum ut Rex conqviſitiones militum, qvæ in Borusſia pro Svecis Gallica pecunia fiant, inhibeantur, & jam conducti diſſipentur. Ad iſthæc liqvidum reſponſum, & cui obligatio inſit, expeteret. Inde ſuper Gurlinii importunitate, qvam apud ſe exercuerit, qvereretur, qvod & jam per literas factum; ac ne Rex ejus relationibus fidem adhibeat, ſed de ſua mente è literis judicet. Se haut eo minus Regis intuitu omnem iſti humanitatem exhibuiſſe, ac abeunti Nobilem cubicularium adjunxiſſe, qvi breviſſima, & commodiſſima via eum reduceret. Sed hunc ſe inſalutato, ac inſuper habita adjuncti comitis contradictione duodecim milliarium circuitum per ſuam ditionem cepiſſe, qvo Cuſtrinum tranſire poſſet. Eqvidem terras, ac munitiones ſuas Regis miniſtris patere, qvas & cuilibet ſpectandas exhibere non vereatur. Sed qvia iſte ante diſceſſum de hoc itinere ne verbo mentionem facere dignatus ſit, ac abrupta hæc, & indecora agendi ratio in ſolius Strauchii gratiam, & ut ſibi ægre fieret, ſuſcepta ſit: ſe ſperare, Regem id ſibi diſplicere teſtaturum. Præterea qveri jubebatur, ſuis miniſtris aliqvoties literarum faſciculos Gedani ſubductos; id qvod non pactis ſolum, ſed & juri gentium adverſetur. Si objiciatur, Regios qvoqve faſciculos ab Electoralibus reſignatos, teſtaretur id nunqvam conſcio Electore factum; qvin potius Svecos in finibus Pomeraniæ tabellarios exſpoliaſſe, conjecta in noſtros culpa ad diſſidium inter nos excitandum. De cætero qvid Gedani agatur obſervaret, ac inprimis Majores Polonos moneret, ut Gallorum, & Svecorum ſe machinationibus opponant; alias enim eorum provinciam armis ſedem præbiturum. Tum & cum Michaële Pacio ageret ſuper prohibendo 1677.
Svecorum per Samogitiam tranſitu. Qvem facile ad hoc permovere erat, ſi pecunia in promtu fuiſſet. Elector ei devinciendo Pacianæ familiæ titulum Principum à Cæſare conferri optabat, qvod & iſta cupiebat. Sed eum honorem ambire leges patriæ vetabant: & Viennæ rogari velebant, ne ultronea oblatione pretium ei dignitati decederet, & qvia cancellaria emolumentis ſuis metuebat. Mox idem ulterius apud Re- 14. Dec.
gem Electoris nomine exponere jubebatur; uti Lilliehœckius toto legationis ſuæ in Polonia tempore improbis, ac injurioſis ſermonibus, ſcriptisqve in ipſum debachatus ſit, ac nuper adhuc reſponſo typis exſcripto ad Danici miniſtri propoſitionem, cum à ſe anſa præbita non eſſet, indignis conviciis ipſum proſciderit. Cum itaqve nuper præſente Gurlinio ea de re ſermo incidiſſet, ſe dixiſſe: haut veroſimile ſibi videri, eum ut ita agat à Rege ſuo in mandatis habere. Et qvia indignum plane ſuo munere ſe gerat, meritum, ut fuſtibus à ſe cædi curetur. Id Gurſinium non citra interpolationem apud Lilliehœckium effutiiſſe, qvi dehinc in conſpectu Regis, ac procerum tam inficetam orationem eructaverit. Cum igitur omnibus conſideratis adpareat, id de compacto in aula Polonica actum, apud Regem de propudioſa iſta declamatione acerrime qvereretur, inter alia demonſtrato, omnes Principes juncta ope debitum ſibi honorem tueri par eſſe. Nam ubi is ſemel in uno pedibus conculcari diſſimuletur, exemplum mox longius graſſaturum. Eqvidem ſuam dignitatem, & exiſtimationem ita in orbe ſtabilitam, ut ab ejusmodi homine, è cujus dictis factisqve emotio mentis reluceat, temerari neqveat; publice tamen intereſſe, ejusmodi proterviam impune non abire. Ac ſperare, Regem Sveciæ, qvantumvis in præſens hoſtem, ad qvem literas daturus ſit, miniſtri ſui impudentiam ſerio improbaturum. Id autem multo magis à Rege Poloniæ ſperare, qvi per æternum fœdus ipſius honorem qværere, & qvæ ei repugnent, avertere, atqve ulciſci teneatur. Eoqve à Rege ſe reqvirere, operam det, ut pro ea contumelia publice illata ſibi ſatisfiat; aut vitio ſibi non vertat, ſi ipſe qvantum poſſit ultioni ſuæ conſulat. Sibi qvidem de privilegiis legatorum ſatis conſtare. Sed qvia Lilliehœckius non ut miniſter publicus, ſed ut improbus diffamator ſe geſſerit, iſta eidem prodeſſe non debere. Ad iſta Rex Lilliehœckii factum verbis improbabat, ac ne ſermo iſte typis imprimeretur prohibebat. Ipſe qvo-

1677. qve legatus Gallicus, & Bethunius, ac multi proceres id factum sibi displicere palam testabantur. Qvin Croisius Neomagi id facinus insolentissimum, & absurdissimum pronuntiabat omnium, qvæ unqvam audita sint, & qvi eo nomine furiosorum habitaculis sit includendus. Epistola qvoqve Electoris ad Svecum Regi prælecta ita ei placebat, ut eam sibi relinqvi peteret, qvo per otium eandem expendere posset. Sed super satisfactione Rex juxta, Senatoresqve excusabant, extraneum ministrum sui tantum Principis jurisdictioni obnoxium: ac ne eam qvidem cognitionem exteris competere, num legatus charactere suo indignum se gesserit, atqve ideo privilegiis legati exciderit. Ac laudabant, Electorem utut bello cum Sveciæ Rege implicitum, apud hunc de *plaustris convitiorum* (ea verba erant) à Lilliehœckio jactatis qvestum fuisse. Credere qvoqve id ei impune haut fore. Nam Principes in gratiam redire; in male consultos ministros demum fabam cudi. Ac satis se præstitisse testando in Electoris honorem respectui, qvod invectivam istam imprimi non permiserint; utut oratio, qvam is post captum Stetinum publicaverat, tantum non indolem clarigationis habens in Remp. velut amissæ ejus urbis ream, Olivæ impressa, ac Gedani distributa fuerit. Idem & nuper irrisui fuerat, cum publica admissione Regi, ac Reip. Polonicæ Ducalem Borussiam obtulisset, qvam Sveci Electori ereptam Polonis tradituri sint; plerisqve cavillantibus, satius esse Livoniam à Svecis Poloniæ cedi hac lege, ut ea istis reddatur, ubi Borussiam Polonis tradiderint. Ac eo plus vesaniæ ista oratio habere videbatur, qvod velut luculentum, & omni exceptione majus specimen fidei, & benevolentiæ Svecicæ in Polonos alienam his provinciam offerret, in qva Sveci ne latum pedem possidebant, nec exercitum in finibus habebant; ac simul postularet, ut Electoris cives rebellionem inducrent, Poloniqve ad eandem occupandam operam conferrent; ac demum omnes illos patriæ proditores, ac Cæsaris, & Electoris stipendiarios increparet, qvi ei negotio manum admovere nollent. Qva oratione qvoqve Cæsaris, Daniæ Regis, ac Belgarum literas *insulsas*, & *insipidas* vocitarat. Jusserat Elector, ut Hoverbeqvius denuo à Rege Poloniæ in Lilliehœckium animadverteret ob convitia publice in ipsum jacta. Nam etsi nil obtineat, alibi tamen prodesse posse querelas frustra movisse. Sed præter prius dicta nil impetrari poterat; ac protestabatur Rex, se nullum eorum scriptorum, qvorum mentionem Elector apud Gurfinium fecerit, vidisse, nec videre aut legere tanti habuisse; qvin id genus scriptionis sibi magnopere displicuisse, ac ne qvid ejus farinæ imprimeretur, vetuisse. Ac cum sibi ostenderetur, qvales literas olim Zamoiscius Cancellarius ad Carolum IX. Sveciæ Regem, cum jam in Sigismundum III. insurrexisset ediderit, multum de existimatione, qva hactenus eum virum prosecutus sit, sibi decessisse. Cæterum sibi talia ex animo dolere; sed nescire, qvomodo heic procedendum sit: nec omissurum palam testari, ista sibi displicere. Electoris literas ad Regem Sveciæ ita conceptas, ut iis nil addi posse videatur; ac spem esse per eas obtentum iri, ut Lilliehœckius vel publice recantare cogatur, vel publicis muneribus obeundis incapax declaretur. Videbatur Rex plus indignationis in factum Lilliehœckii ostensurus, ni aliqvi favore in Svecos proni ingessissent: nullum prope Principem ob necem Regis Angliæ indignationem suam publice declarasse, utut communis Principum causa agi judicaretur. Sed & qvo minus id negotium deinceps acrius urgeretur, secuta mox rerum conversio obstabat, qvæ istius contumeliæ dolorem solidioris jacturæ sensu obruebat. 1677.

Tractatum Neomagensium commutatio.

§. 31. Nunc ad ea, qvæ circa pacem hoc anno Neomagi acta fuerunt, revertendum est. Qvæ controversia Electoralibus legatis ab Anglis mota fuerit, supra exponi cœptum fuit. Ac isti qvidem uti de Electoris jure ne hilum concedere statuerant; ita ne qvid in se desiderari paterentur, qvo minus ea lis amice componeretur, Anglis denuo denuntiabant; sese paratos esse visitationis honorem ipsis reponere, si eo qvo exigant modo se tractare velint. Sed cum isti priori sententiæ insisterent, nostri ulterius significabant; non sibi vitio datum iri, si aliis legatis, qvi debito se modo excipere velint, visitationem reponant. Id qvod Angli in nostrorum arbitrio relinqvebant, fassi ab iis omni civilitate sibi occursum. Nostri insuper iisdem denuntiabant; utiqve cogitandum, qvomodo ob isthoc litigium summa negotii haut impediatur, sed communi placito rationem ineundam id utiqve perseqvendi. Angli reponebant: ideo moram negotiationi haut injiciendam, ac posse ipsos invicem congredi absqve cerimoniis, uti à Jenkino jam initium factum sit. Qvanqvam autem Angli spem facerent, eam litem brevi ex voto compositum iri: Somnicius tamen interim istos haut invisebat. Mox cum Belgæ nostris referrent,

Controversia nostrorum cum Anglis super paritate utriusqve legati.

23. Jan.

1677. ferrent, Anglos à Rege ſuo mandata accepiſſe, ut circa cerimonias adverſus noſtros adhibendas Svecorum, & Gallorum exemplum imitarentur; noſtri ad Anglos mittebant, ſibi auditum, eos ex Anglia reſponſum accepiſſe, ſecus atqve ſperarint; de qvo ex ipſis cognoſcere velint. Ad qvæ Angli: Regem promtiſſimum eſſe ad ſinceræ amicitiæ officia Electori exhibenda velut per conſanguinitatem, & communia ſacra conjunctiſſimo. Sed ei cavendum, ne in negotio, circa qvod Elector cum Gallis, & Svecis diſſideat, his præjudicii qvid adferat, ac in alterutram partium ſtudium oſtendat; multo minus ne ſupra alios Reges ſe extollere videatur, ac in litibus eorum deciſionem ferre audeat. Interim Regem juſſiſſe haut curare, qvod à ſe delatum iſtis honorem non receperint, ſed omnem iisdem operam navare, qvod & facere parati ſint. Cum noſtri reponerent; hoc modo ſe cum iſtis congredi non poſſe, nec unum, nec utrumqve; Angli reponebant; ſi accepti non ſint, moleſtos non fore, ac id ſibi patienter ferendum, additis tamen benevoli animi teſtationibus. Ac ita Jenkinus, qvi alias id ſibi propoſuerat, ad noſtros non accedebat. Ei porro controverſiæ componendæ etiam alii fœderati operam dabant.
30. Jan. Ac inter alias Kinskius ſe cum Anglis locutum ferebat: qvi ad morem Monaſterii uſurpatum provocarint: ac cenſebat; noſtros eam cauſam haut obtenturos, qvod Lambergius Comes aliter ſibi retulerit, nec Cæſarea acta cum iis, qvæ noſtri ediderint, conſpirent. Pro noſtris tamen militare decretum Cæſaris, qvod legatorum Venetorum primus pari honore cum ſecundo habendus ſit. Aſt Elector noſtros vetabat ullum temperamentum admittere, qvod per hoc qvicqvid à Cæſare tanto labore obtentum fuerat, iterum ſit ſubvertendum, ægre deinceps reparandum. Nam in aprico eſſe, Gallos & Svecos omnia ad normam pacis Monaſterienſis redigere velle; ac ſi heic vel minimum iis concedatur, majora poſtulaturos. Eosdem qvoqve moderamen tractatuum affectare, & omnia ad ſuum placitum dirigere velle. Sic & Svecos cum olim Lubecæ tractationem eludere cuperent, qvæſtionem moviſſe, num tribus Electoris legatis, eodem charactere, procuratorio, & mandato inſtructis, par honor exhibendus, ac non id potius ſeqvendum, qvod alias in comitiis obſervetur, ubi primarius legatus præ collegis inſigni prærogativa gaudet. Unde tunc mutuas viſitationes omiſſas. Chanutum qvoqve, qvi alias partis magis, qvam ſeqveſtris inſtar agebat, cenſuiſſe; ſibi fas eſſe potius plura, 1677.
qvam Sveci faciant, prætendere, qvam aliqvid remittere. Unde & noſtros omni colloqvio cum iſto abſtinuiſſe. Aſt electione Regis Michaëlis Tottium Comitem utrumqve Electoris legatum pari honore habuiſſe, ac iis non minus dextram manum, priorem inceſſum, & Excellentiæ titulum, qvam noſtros ipſi, tribuiſſe. Idem qvoqve Gallicum legatum, nunc Cardinalem Bonzium ſine controverſia feciſſe. Regis Uladislai electione omnes Electoris legatos pari modo habitos. Tractatibus Stumsdorfianis ab Electore Georgio Wilhelmo qvinqve legatos adfuiſſe, qvibus à Gallis, Anglis, Svecis, Polonis, Belgis eædem qvæ Regiis cerimoniæ per omnia ſint exhibitæ. Cæterum etſi noſtri, qvod & Elector juſſe- *6. Febr.*
rat, omnem negotiationem cum Anglis abrumpere vellent; fœderati tamen conſultius ducebant menſem adhuc Anglis indulgere ad petendam Regis ſui declarationem: alias ſibi neceſſum fore omni negotiatione ſuperſedere. Angli contra Cæſareis ſignificabant; qvia noſtri privatas viſitationes à ſe admittere nolint, ſibi injunctum deinceps nullam rem, qvæ Electorem tangat, etiam per manus tertii admittere. Ea ſuper re Kinskius graviter qverebatur, qvod hoc modo omnibus fœderatis, ac ipſi Cæſari, per qvem Electores ſua agere ſoleant, facultas adimatur cauſam hanc Brandenburgicam ſuſcipiendi. Qvo reſponſo Angli confuſi excuſabant; Regi haut conſtitiſſe, id negotium tam prope ipſum Cæſarem tangere: unde ſe ad Regem relaturos, ac ſine dubio aliud reſponſum accepturos. Enimvero noſtri Kinskio reponebant: ſe de hac controverſia ad ipſum retuliſſe, non tanqvam Cæſareum legatum, ſed ad univerſum fœderatorum collegium, ejusqve opem circa eam expetiiſſe. Nec eſſe hoc negotium, qvod ad Imperium ſpectet; eoqve Electorem non magis adqvieſcere poſſe, Cæſarem eam cauſam ſuam facere, qvam aliud temperamentum admittere. Eundem ita de cauſa communi meritum, ut ſperet, ipſum à reliqvis haut iri deſtitutum. Unde à fœderatis decretum; à Belgis exhibitionem ſuorum poſtulatorum pauliſper differendam, qvoad adpareat, qvomodo Angli ſe declaraturi ſint. Interim hiſce ſignificandum, procuratoria omnia in promtu eſſe, eorumqve permutationem propediem faciendam. Simul cognoſcere cupiebant verba concepta reſcripti Regii, ad qvod provocent, ipſis nil, qvod noſtros ſpectet, admittendum. Ad qvæ Angli: Regi *16. Febr.*
ſuo relatum eſſe, noſtros non ſolum ipſum

1677. seqvestrem repudiasse, sed & concedere noluisse, ut reliqvi fœderati cum ipsis in curia conveniant. Damum qvoqve Jenkino eorundem nomine denuntiasse, nostros ne privatim qvidem cum ipsis conversari velle. Id qvod Rex ægre admodum tulerit, eoqve sibi injunxerit, ne qvid à nostris etiam per tertios oblatum admitterent. Enimvero super hoc negotio haut exacte ad Angliæ Regem relatum fuerat. Eqvidem nostri cum proponeretur, ut integrum fœderatorum Collegium cum Anglis colloqveretur, moverant: haut congruere, si alii legati Excellentiæ titulo honorentur, se solo vocabulo *Vos* compellari. Sæpe qvoqve institerant, ut reliqvi fœderati ad hanc litem componendam incumberent; ac licet placuerit Collegium fœderatorum interim per unum mensem cum Anglis haut agere; ni tamen sibi ab Anglis satisfiat, aliud utiqve consilium capiendum. Aft pure Anglorum officium non repudiarant, nec tale qvid ut Anglis denuntiaretur jusserant. Qvin hac ipsa hora Anglis procuratorium suum obtulerant, ut id cum Gallicis, ac Svecicis permutarent. Ac revera à Gallis confictum fuerat, Anglum à nostris seqvestrem repudiatum. Igitur Angli, ut Regi suo errorem eximerent, velut Elector ipsum seqvestrem recusaverit, proponebant, ne procuratoria per delegatos ipsis traderentur, uti hucusqve factum; sed se ad collegium fœderatorum accessuros, ac ibi procuratoria accepturos. Ac ne nostri metuant, hoc modo ipsis præjudicium allatum iri, se allocutionem, & qvæ alia ibi inciderint, ita temperaturos, ne cuipiam fraus fiat. Id ut nostri acceptare nedubitarent Stratemannus svadebat, reliqvis omnibus idem probantibus. Nam mandata, ne nostri cum Anglis congrediantur, impedire non posse, qvo minus cum reliqvis fœderatis in aliqvo loco compareant, ubi & Angli adsint. Nec è re fore, Anglum ab Electore ita protelari, eoqve redigi, ut salva existimatione credere amplius neqveat; qvod futurum sit, si nostri hanc propositionem rejiciant. Nec id esse temperamentum circa cerimonias inter Anglos, & nostros; sed remedium discutiendi errorem, cui novissima Regis Angliæ jussa innixa fuerant, simul ut via muniatur ex hac lite emergendi. Sed & artes Gallorum, qvas hæc agitent, non melius posse eludi, qvam admissa hac via. Et si maxime qvis hunc actum ad litem supercerimoniis porrigere velit, manifestum tamen esse, non nostros, sed Anglos primum cessisse, ac velut primum gradum fecisse, & à sui Regis justis recessisse. Qvin ex hoc propositio facile intelligi, Anglos hac lite defungi, ac nostris satisfacere velle. Et si maxime ea mens non sit, nostros tamen, ea via repudiata, se ipsos injuriæ damnaturos, ac fœderatis facultatem subtracturos ipsis deinceps adsistendi. Qvia tamen nostris adhuc scrupuli qvid erat, de hoc negotio in congressu fœderatorum proponi volebant, ut ab universis ad ist hoc admittendum exorarentur. Cum itaqve hic actus pro congressu Anglorum cum nostris haberi non posset, nec nostris necessium esset hoc congressu verborum qvid facere, eoqve idem præjudicio ipsis esse non posset, simul viam sterneret ad tam molestam litem admovendam; nostri in id consentiebant. Et sic Anglis ad fœderatos accedentibus procuratoria tradebantur. Eam rem Elector 9. Mart. post probabat. Proposuere dehinc nostri, cum elapso jam mense sibi ab Anglis satisfactum non sit, se in tractatione progredi amplius non posse, simul ea in re fœderatorum opem experivere. Ubi Danus censebat, universis fœderatis in negotiatione subsistendum, qvoad nostris satisfactum sit: ac si Anglis hoc denuntietur, mox aliam viam inituros. Sed reliqvis, ac præcipue Belgis id remedium nimis violentum videbatur, & forte Anglos, ac hostes ansam inde arrepturos tractatus abrumpendi; ac fœderatos suspicionem incursuros, qvasi data opera pacem elusum eant. Igitur post multam disceptationem conclusum: nostram controversiam cum primario negotio haut miscendam. Universos tamen fœderatos apud Anglos enixissime instituros, ut competens honor nostris exhibeatur, antequam Bavarici legati, de qvibus rumor erat, advenirent. Ita Kinskius, & Beverningius à reliqvis delegati Anglos adiere; qvi declarabant, se pro virili operam daturos, ut ex Anglia idoneum in eam rem responsum sequatur. Eo colloqvio Kinskius dixerat; Brandenburgicos legatos jam Monasterii in possessione fuisse, ut pari honore habeantur: cum tamen idem initio Anglis dixisset; usum Monasterii nostris adversum esse. Ad qvod Templius repositum fuerat: si compertum sit, id qvod nostri exigant Monasterii jam usu receptum, omnem difficultatem expiraturam. Cui Kinskius: in actis Cæsareorum legatorum, qvi Monasterii fuerint, inveniri, eos ibi secundo Electoris legato eundem, qvem primo, honorem exhibuisse: & qvanqvam intra Imperium Romanum qvandoqve discrimen inter primum & secundum legatum fiat; id tamen nunqvam extra Imperium observari. Et cum Cæsar nostros æqvali modo tractet

qvare

1677. qvare alii Principes id recusent? Templius: Sverinum Londini ei negotio tam egregia fundamenta posuisse, ut brevi gratum responsum à Rege expectetur. Etsi alias Templius iste manibus pedibusqve reluctatus fuerat, ne Electori circa hoc negoti-
13. Mart. um satisfieret. Sed cum id responsum protraheretur, nostri denuo apud fœderatos instabant tractationem suspendi, qvoad sibi satisfactum sit. In qvod se consentire jus-
20. Mart. sum Danus declarabat. Sed alii excusabant, magni rem momenti esse, in qvam citra peculiare mandatum descendere neqveant. Interim se diligenter officia interposituros. Williamsonus dixerat; Beverningium aliqvid in hoc negotio locutum, qvod Regem Angliæ offenderit. Id in Anglia ita acceptum fuisse, qvasi nostrorum nomine prolatum foret. Sed Beverningius scripto declarabat; id se suo nomine protulisse, eoqve nostris fraudi esse non posse. Ea in controversia cum nostri ad Benedictum Oxenstiernam provocarent, qvi tractatibus Olivensibus interfuerat, hic conscientiam suam attestabatur, se non meminisse, qvid Olivæ circa cerimonias factum sit. Id qvod nemini verosimile videbatur.

In Anglia super ea lite agitata.

§. 32. Interim Otto Sverinus in Anglia circa eam litem componendam diligenter allaboraverat. Ubi Arlingtonus qvidem operam suam in eam rem prolixe offerebat. Sed Williamsonus Secretarius Status contra allatas pro Electoris jure rationes non sine affectu regerebat: Cæsarem, qvi cum Electoribus ad certas leges servandas teneatur, in exemplum adduci haut posse, qvod alios seqvi necessum sit. Cui & peculiaris ratio sit, qvare Electores cum Regibus pari gradu collocare velit, ut eo ipso Reges infra se deprimat, qvod Electores sine controversia ipsum non paulo eminentiorem agnoscant. Possessionem paritatis, qvæ Monasterii, & Olivæ allegatur, in dubium vocari, contradicente Curtinio legato Gallico, qvi Monasterii fuerit. Joannem Mauritium Nassovium Principem, & Weimannum Cancellarium ab ipso Rege Angliæ ideo pari honore mactatos, qvod is non solum natura ad humanitatem proclivis sit, sed & primus fuerit, ad qvem legatio Electoralis accesserit. Unde honores, qvos nostri legati eo respectu consecuti sint, nec hisce jus, nec ipsi præjudicium contra receptum usum adferre posse. Sed cum adversus hæc, qvæ par erat, regererentur, vanitatem ratiociniorum suorum ipse agnoscere videbatur. Sed Rupertus Palatinus magno studio eam causam amplectebatur, ac 1677.
mox ut Sverinus à Rege audiretur efficiebat. Cui hic respondit; *Legatis suis injunctum hac in re Cæsareos, & alios regios legatos seqvi. Haut qvidqvam sibi propositum præjudicii qvid Electori adferre, sed tantum recepto usui inhærere.* Ad qvæ Sverinus: *Anglos Coloniæ inter duos fratres Furstenbergios velut Colonienses Electoris legatos nullum discrimen fecisse. Nec ipsi Gallos, & Svecos respiciendos, qvi sine dubio omnibus modis Electori molestiam facessere qværant, & hanc litem alant, ne hujus legatis cum seqvestribus agendi facultas sit.* Ad qvæ Rex: *Si Cæsarea declaratio, qvalis feratur, extet, forte negotium jam Neomagi compositum fore; qvod legati sui eorum exemplum imitari jussi sint. Interim sperare, Electorem intelligere potuisse, sibi magis pacem promovere, qvam prærogativæ qvid accuparii cordi esse. Nam etsi speraverit, legatis suis Neomagi idem honoris, qvod Svecis Coloniæ, exhibendum, qvos etiam posterius advenientes legati primo loco inviserint; ei tamen postulato insistere noluisse, qvod nonnihil difficultatis in eo deprehenderit. Deinceps qvoqve magis rem, qvam cerimonias curaturum.* Ast ministri Anglici mox diversa differere: Qvanqvam Kinskius, & Ronqvillus Neomagi nostros pari modo tractent, id tamen exemplum Regi haut necessum esse seqvi, qvod ei velut seqvestri non aliqvi, sed omnes respiciendi sint, ne cui suspicionem studii in partes injiciat. Et cum Sverinus ipsa Regis dicta reponeret, Coventrius ea interpretando detorqvebat, *omnium regiorum exemplum se imitaturum.* Qvam & suam mentem fuisse Rex ipse post Sverino dicebat. Ut non obscurum esset, eum à priore sententia nunc discessisse. Cui Sverinus regerebat: *Cum Cæsarei, Hispani, & Dani haut dubitaverint nostros pari honore excipere, Galli qvoqve, & Sveci ex mera libidine Electori agre faciendi scrupulum moveant, cum ante ea Olivæ, Warsaviæ, & alibi aliter fecerint; nec Electorem meruisse, & orbi mirum visum iri, Regem solum exemplum hostium seqvi, ac proprio facto repugnare velle.* Cui Rex: se cupere omnia in eo statu relinqvere, qvi Monasterii fuerit. Ibi Electoris legatos à Gallis dispari modo habitos. Sverinus: si maxime detur à nostris Monasterii circa cerimonias qvid neglectum, id tamen haut qvidqvam perpetuæ legis vim habere; cum in cerimoniis aliqvando novitas magis, qvam antiqvitas respiciatur, ac dignatio Principum magis augeatur, qvam imminuatur. Ipsum Electorem tempore pacis Monasterienſis à multis Regibus *consanguinei* tantum vocabulo, nunc *fratris* honorari.

1677. rari. Et cum de Cæsaris, omniumqve Regum, & ipsorum Anglorum Coloniæ exemplo constet, qvid amplius desiderari ? Cum Rex exciperet, Wilhelmum Furstenbergium legatum non fuisse, Sverinus regerebat: Gallos circa hoc Cæsari contradicere; ac ipsum Regem literis ad Cæsarem id asseruisse, ac eundem ab Anglis Coloniæ legatum fuisse agnitum. Ita confusus Rex cum qvid reponeret non haberet, dicebat: se pleniorem informationem Neomago petiturum. Interim eam litem non obstituram, qvo minus ad primarium negotium accedatur, qvod sui legati cum Somnicio agere possint. Id qvod Sverinus negabat admissum iri, nec eos disjungi se passuros. Patebat Regem in hoc negotio turbatum esse, qvod nec libenter cedere vellet, nec tamen idoneæ rationes negandi suppeterent. Sed Electori ne qvid remitteret, complures rationes erant. Nam periculum in mora non erat, nec pax ita brevi coitura videbatur. Belgas qvoqve ad Electoris æqve, ac ad Lotharingi dignitatem tuendam teneri, circa cujo titulum aliqvot menses absumti sint. Sed nec blandissima verba, nec submissas preces tantum heic profecturas, qvantum masculas qverelas super ista innovatione. Nec Anglum cedendo obligari, & vel obnixissimam Electoris constantiam in animo Regis qvidqvam ei nocituram. Qvin Anglicam aulam audaces æstimare, cedentes, ac meticulosos contemnere. Sed &, qvod maximum erat, id agi adparebat, ut omnia ad formam tractatus Monasterienfis reducerentur; & facto à cerimoniis initio circa ipsam rem Electorem, aliosqve Principes eo remittere animus erat. Qvibus destinatis in principio obstandum videbatur, ac demonstrandum, Monasterienfem pacem nullo modo normam horum tractatuum haberi posse; cum istius majorem partem compositio intestinarum turbarum absolverit, Neomagi tantum cum exteris res sit. Deniqve nullo modo immediata commuuicatio cum Anglis obtineri poterat, ni hæc lis tolleretur, per qvam Belgis occasio præbebatur Electoris negotia gerendi. Et constabat à Gallis hasce tricas moveri, qvo inter has moras ad separatam cum Belgis pacem venire possent. Qvorum libidini Anglum seqvestrem velificari haut decebat. Enimvero qvicqvid rationum Neomagi, ac Londini adduceretur, Rex tamen declarabat, sibi per eas cedendi necessitatem haut adferri. Nam facta fœderatorum Electoris pro norma actionum suarum admitti non posse, cui in negotio ejus indolis omnes Reges respiciendi sint. Sverinus contra: Qvia Galli, & Sveci prioribus congressibus nostros pari modo habuerint, in aprico esse, qvæ in præsens moveatur difficultatem tantum ab hostili odio proficisci. Et qvia tot aliorum Regum, ac ipsius exempla in promtu sint, non adparere, qvid scrupuli supersit. Ad qvod ipse Rex qvid regereret nil habebat. Ministri tamen ex eo, qvod Elector circa honorem legatis suis exhibendum Viennæ egisset, colligebant, eum antea in possessione ejus, qvam obtendat, paritatis non fuisse. Et cum objiceretur; Gallos tribus diplomatibus tuti itineris omnes Electoris legatos, qvorum hic tres initio mittere constituerat, *Ambasiatorum* vocabulo nuncupasse; Williamsonus censebat, è promiscue concesso hocce titulo non consequi istos pari modo recipiendos. Sed mox cum Beuningius à Belgis jussus esset Electoris causam in Anglia fulcire, Rex ostendebat; qvia primo legatorum Electoralium Regiis par habeatur, reliqvis qvoq; id facile indulgeri posse. Sed nostros Neomagi haut idoneam viam institisse scopo suo potiundi. Nam se id nolle invito sibi extorqveri. Nostros qvippe per Danum Anglis denuntiasse; se horum officio non amplius usuros, qvoad hæc lis composita sit. Beverningium qvoqve dixisse, à nostris Anglos seqvestres repudiatos. Ac Williamsonus novas cavillationes miscebat: Kinskium Anglis ostendisse, cum Electoralibus Osnabrugæ à Cæsareis tali modo actum haut fuisse; ac in præsens Cæsarem circa eam paritatem magis connivere, qvam eandem probare. Ronqvillum non *Ambasiatoris*, sed *Plenipotentiarii* tantum dignatione præditum; unde ad ejus exemplum frustra provocari. Deniqve à nostris menstruum spatium præfixum, intra qvod liqvida Regis declaratio, aut dissolutio tractatuum seqvi debeat; id qvod satis pro imperio sit. Ad qvæ Beuningius Regi demonstrabat: *Eo modo si agere pergat, omnem sibi rationem præcludi fœdus, aut amicitiam cum Germaniæ Principibus excolendi; cum tamen Anglia, ipso Rege agnoscente, aliqvando per eos Principes à Gallica oppressione defendenda sit. Tum Electorem non solum inter Protestantes potentissimum, sed & cui præcipua facultas sit ob positum suarum ditionum Angliæ opem ferendi. Offendi qvoqve totum Electorale Collegium, ipsumqve Cæsarem, ut deinceps pariter cum Anglo tractatus suscipere nequeat. Nec Electori integrum esse qvid remittere, qvod pleriqve Reges jam ei beneficati sint, forte Anglorum exempla concessa retractaturi. Qvo ipso Elector, qvi prærogativam præ Rebuspublicis prætendat, longe post has rejiciendus*

1677.

9. Febr.

30. Jan.

1677. *ciendus sit. Quam indignitatem excelsi animi Princeps nunquam admissurus sit. Unde satius esse Regem ultro & cum bona gratia facere, quod aliquando utique faciendum sit, præsertim cum altius penetret, quod hostes Reges hanc litem movere cæperint.* Ad ea qvæ recens objecta fuerant, respondebatur: *Qvæ Kinskius de Osnabruga actis dixerit, probari ab ipso non posse. Sufficere, qvod Cæsar nostros pares haberi jusserit. Caput Hispanica legationis idem qvod Ronqvillium facturum; qvod inter Cæsarem, & Hispanum id negotium ex compacto agatur. Deniqve nec nostros ita aspere locutos, nec rem ita abrupte apud seqvestres propositam.* Ad qvæ Williamsonus nil qvod excipere habebat. Rupertus Palatinus Sverino dicebat: *Ab Eboracensi Duce Regem ita difficilem reddi ex solo odio in Protestantes, & qvia metuat, ne Rex Electori arctius se innectat.* Arlingtonus referebat: in promtu jam fuisse gratum responsum, sed Kinskium omnia iterum evertisse, qvi asseverarit, in Imperio talem honorem Electoralibus haut deferri: ac si iste his indulgeatur, à Principibus missos idem postulaturos; deniqve idem Osnabrugæ ab Electore haut obtentum. Ac Regem tamdiu à Kinskio traditis inhæsurum, qvoad hic compellatur dicta sua retractari. Sed se Regi reposuisse: non adparere, qvare alii Reges eum honorem Electori negare velint, qvem Cæsar eis tribuat. Super hoc negotio Elector ipse ad Regem literas de-
13. Febr. derat: *Mirum videri, qvi ad alienas lites componendas venerint, controversias movere, cum ipsius Regis exemplum in contrarium exeat; ac id negotium ad decisionem hostium rejici; qvi & procuratoria secum tractandi deesse tergiversentur. Unde sibi necessum fore legatos suos Neomago advocare, ni Rex ei rei remedium adferat.* Simul Sverino in eventum literæ mittuntur, qvibus ex aula Anglica revocabatur, qvod ob litem Neomagi motam sibi non satisfiat. Eas literas cum post interpositam aliqvam moram Sverin. April. nus Regi redderet, is respondebat; id negotium sibi jam fere memoria excidisse; sed cum Consilio suo deliberaturum, ac mentem suam declaraturum. Re igitur in Consilio magno proposita gratum mox responsum secutum fuisset, ni artificio Williamsoni effectum esset, ut res ad delegatos rejiceretur; qvod is causaretur, Sverini libellum prolixum nimis esse, ac molestum auditu Regi fore, qvi haut libenter in Senatu diu sedebat. Erat alias iste Williamsonus malitiosi ingenii vir, valde insuper dissolutus, & negligens, vespertinum tempus inter lætos sodales consumere, & mane in horam nonam stertere solitus; qvi mores minime omnium cum ipsius munere qvadrabant. Is cum in Consilio literas Electoris recitaret, initium earum acuta & velut minitabunda voce, sed posteriora, & qvæ summam rei continebant, rapida, ac pressa voce evolvebat, qvo diversum sensum audientium animis imprimeret. Idem qvoqve super titulis Electori Saxoniæ, ac Duci Gottorpiensi dandis difficultatem moverat, insuper habito recepto usu, jactans; se non teneri ad continuandum errorem ab antecessoribus suis admissum. Aute triennium qvoqve à Gloxino Moguntino Residente petierat, ut is Princeps Wilhelmi Furstenbergii causam amplecteretur, nec permitteret, à Cæsare jus gentium tam violento modo temerari; alias à suo Rege legatos Electorales minoris habitum iri. Tandem 22. May. cum delegati ad Consilium retulissent, decretum fuit, utrumqve Electoris legatum Neomagi pari modo tractandum. Rex apud Sverinum excusabat moras negotii, qvod sibi persvasum fuerit, inter Electorales legatos semper id discriminis observatum: ac de nostrorum actis sinistre ad se perscriptum; tum Beverningium super hoc negotio sat aspere cum seqvestribus locutum. A Kinskio qvoqve sibi scrupulum injectum, qvi asseverarit, Electoris legatos Monasterii haut pari modo habitos. Scripserat Goëus minister Danicus ex Anglia, ipsos jam Gallos laborare, ut Electoris secundo legato satisfiat, qvod Galliæ Rex eum honorem Bavaricis legatis, qvi propediem Neomagum venturi sint, utiqve exhibere velit. Eo decreto Neomagum allato no- 30. Maij. stri Anglis visitationem reponebant, qvi omnes, qvæ expetebantur, ceremonias tribuebant, multis insuper verbis de studio suo in Electorem testari. Eo facto Galli non parum confundebantur, Anglicum decretum indignati. Sed Oxenstierna Stratemanno dicebat; se circa cerimonias cum nostris Angli exemplum secuturum. Qvomodo Olivæ actum sit, exacte haut meminisse, cum septendecim annorum spatio talium facile oblivio subire qveat. Ac forte rem ita se habere, uti nostri retulerint. Sane actis Holmiæ evolutis compertum, Electoris intentionem fundatam esse.

§. 33. Cum aliis facile nostris super ce- *Varia circa ce-* rimoniis conveniebat. Ac Hispanus qvi- *rimonias.* dem Petrus Ronqvillus nostros primum velut privatim invitebat, qvod de adventu suo nondum publice significasset. Is utrumqve titulo *Excellentiæ* impertiebat: in qvam rem sibi qvidem expressa mandata ab aula

1677. non sint: sed qvia Cæsar jusserit eos ita tractari, se qvoqve scrupulum movere noluisse; idqve ut Sverino Londinum significetur petebat. Franciscus Ulricus Kinskius nostris invisentibus ante januam ædium obviam veniebat, ac utriqve digniorem locum, ac titulum Excellentiæ tribuebat. Post qvoqve Gurcensis iisdem plane ritibus, uti Nuntium, Gallos, & Danum excipiebat. Danus qvia duobus sejugibus, unis bigis nostros visitatum venerat, nostri ad eum accedentes pari pompa utebantur. Belgæ, cum visitationem nostri reponerent, testabantur, Rempublicam suam in nemine fœderatorum plus fiduciæ qvam in Electore collocare, ac cum nemine Principum, qvam cum eodem arctiore fœdere necti velle. Inter Kinskium, & Gallos super visitatione aliqvid litis ortum. Hi qvippe apud Anglos jactaverant, se istum haut invisuros, ni primam post seqvestres horam sibi conciceret, simul promitteret, se reciprocam visitationem priore loco ipsis repositurum. Sed Kinskius declarabat; se recepto more notificationem eodem tempore facturum, ac eo ordine, qvo qvisqve post factam significationem horam adeundi reqvisiverit, visitationem admissurum, ac repositurum. Is Kinskius de adventu suo Anglis primum significarat, qvi & eum inviserant, nulla pompa, seu, ut loqvuntur, *incognito*. Idem cum post solennem notificationem facere, simul solennes visitationes accipere, ac dare vellet; Angli ulteriorem notificationem admittere abnuebant, qvod semel jam ea cerimonia defuncti sint; idqve & Danus probabat. Sed nostri censebant; prius factam à Kinskio notificationem non pro actu solenni, sed familiari habendam; ac svadebant, ne Gallis per talia voluptas concilietur, à qvibus ejusmodi tricæ proveniebant committendis inter se fœderatis. Nam hi cupiebant impedire, ne Kinskius solennem visitationem acciperet, qvod ipsis proximam post Anglos visitationem negasset. Unde & idem Gallis notificationem non fecerat. Ostendebat porro iste Anglis, sæpe legatum in aula qvapiam privati habitu agere, ac eo modo cum Principe colloqvi, nullis cum cerimoniis exceptum, & in aulam adductum. Ast ubi in publicum prodierit, solenni significatione facta solenniter excipi, & in aulam adduci, tum solennes visitationes accipere, atqve reddere. Ita & sibi facere decretum: qvod & is pervicit. Tertium legatum Hispanicum Christinæum Galli pro legato primi ordinis agnoscere nolebant, qvod ei fiduciariis literis Plenipotentiarii tantum titulus datus esset. Sed Ronqvillus ostendebat; in Hispania legatos ad ejusmodi tractatus tantum Plenipotentiarios solere vocari; nec Pegnerandam Monasterii alium titulum gessisse: cui & Cæsarei sine hæsitatione Excellentiæ vocabulum tribuebant. Post tamen cum primarius Hispani legatus Spinola-Doria Marchio Balbasius adveniret, Ronqvillo qvoqve, & Christinæo *Ambasiatorum Plenipotentiariorum* titulus dabatur; qvi omnes apud nostros visitationem iisdem, qvibus apud Regios, cerimoniis obibant. A Daniæ Rege missus Simon Petcumus tantum characterem Deputati, aut ablegati extraordinarii habebat, qvi tamen in nostrorum ædibus priorem sibi locum deposcebat. Cui responsum; non aliter id fore, qvam si & Danici Ambasiatores nostris ablegatis extraordinariis idem honoris in suis ædibus exhibituri sint. Benedictus Oxenstierna Gurcensi Episcopo *Principalis gratiæ* titulum dare abnuebat; Qvem & Viennæ Schvvartzenbergio Principi, & aliis ejusdem conditionis qvondam dare recusaverat. 1677.

Petcum.

Postulata Principum circa legatos suos.

§. 34. Qvo honore à Principibus missi essent afficiendi, multa iis tractatibus disceptatio fuit. Ac primo qvidem circa diplomata tuti accessus hisce dandis Galli, ac Sveci nosse volebant, qvid Cæsar facturus sit. Cæsarei contra nosse cupiebant, num ipsi utiqve Cæsaris exemplum secuturi sint; tunc se ad Cæsarem relaturos. Nomine Domus Brunsvicensis Mullerus Neomagi postulabat, ab hac mittendos velut Ambasiatores recipi, ac ut anteqvam id annuatur negotiatio qviescat. Ei nostri declarabant; Electorem antiqvis Principum domibus eum honorem nunqvam invidisse, ac ea postulata jam Hagæ probasse. Belgæ dicebant: à se, aliisqve fœderatis nil difficultatis motum iri, si Cæsarei id faciant, qvorum exemplum sint imitaturi. Idem & Hagæ à Belgis diplomata pro delegatis Inferioris Saxoniæ postulaverat; qvibus se Elector, ac Danus opponebant, qvod is Circulus fœderatorum sese rationibus opponeret; & cum conventus Ratisponensis haut è re duxerit suo nomine aliqvem huc mitti, nullo colore unicum id Circulum postulare posse. Venit qvoqve Neomagum ab Hanoverano missus Hunica, qvi obiter disserebat; herum suum confidere, ab Electore jus legationum Principibus competens fultum iri, qvod ipsi hactenus à Gallis & Svecis diplomata, qveis à sua Domo missi Ambasiatorum dignatione habeantur, obtinere haut potuerint. Cui nostri eadem qvæ

10. Febr.

Hunike.

1677. qvæ Mullero reponebant. Hic Mullerus Danum consuluerat, qvomodo prætensiones Domus Luneburgicæ pervincere posset; qvæ cum tantum prærogativæ præ aliis Principibus habeat, ejus legatos non infra Electorales haberi posse. Nec Belgas id abnuisse. Cui Danus responderat: sibi videri apud Cæsarem ante omnia de hac re agendum. Alias sibi cæterorum regiorum exemplum imitandum. Reges autem circa cerimonias à Cæsare, qvem primum inter Reges hoc præsertim loco habeant, secessionem haut facturos. Qvid Belgæ faciant, ejus rationem habitum non iri. Electores, & præcipue Brandenburgicum possessione multis actibus firmata niti. Si Duces gemina exempla producere neqveant, difficile fore heic loco aliqvid novi obtinere, perpetuo dein' observandum. Eqvidem Daniæ Regem propter cognationem plurimum Domui Brunsvicensi deferre. Sed in ejusmodi rebus magis receptum usum, qvam consangvinitatem spectari. A Lotharingo missum Canonem Præsidem bene fecisse, qvod ministri plenipotentiarii titulo contentus prætensiones haut moveat nullum successum habituras. Ad qvæ Mullerus: Ab universa Domo Brunsvicensi legatos mittendos, qvos debito honore affectum iri spes sit. De Canone valde qverebatur, qvi causæ Principum multum præjudicii attulerit. Porro super hoc negotio Cæsarei in mandatis habebant, ut primam visitationem à Principum legatis reciperent, Excellentiæ titulum, ac digniorem propriis in ædibus locum ne darent, eosdem in *antecamera* exciperent, & ante eos conclave intrarent; atqve id observarent, si maxime hostiles legati plus honoris iisdem deferant. Nostri ut haberent, qvod hac in re seqverentur, ab Electore his super qvæstionibus edoceri volebant. Num Electorales à Principalibus primam visitationem expectare debeant, ubi hi post istos advenerint, ac de adventu suo rite significarint? Qvousqve nostri Principalibus, ubi hi ad ipsos accedant, obviam prodire debeant? Num nostri, ubi Principales ad ipsos veniant, hos in conclave præcedere debeant? Num nostri ab his Excellentiæ titulum exigere, sed non dare; num nostri in suis ædibus digniorem iisdem locum deferre; num denique nostri istos omni pari honore, si ipsi inter se nullum discrimen faciant, tractare debeant? Super his rebus multi, qveis de Principum mente constabat, censebant: Electoralibus primam visitationem à Principalibus expectandam. Hisce paulo longius, qvam à Cæsareis fiat, ab istis obviam procedi posse. Electores semper id exegisse, ut sui legati Principales conclave ingressuros præcedant. Ratisponæ Cæsareos, & Electorales semper Excellentiæ vocabulo se invicem nuncupare: Electorales, & Principales ibidem tantum mutuo *Dominos legatos* se vocitare. Ast heic sine dubio Regios offensum iri, si Electorales à Principalibus alios titulos, qvam ab ipsis admittant. In suis ædibus Electorales Principalibus honoratiorem locum deferre, tum omnes pari honore habere par esse. Sed nostri judicabant, Principales in ista ægre consensuros, & vix temperamentum heic inventum iri, qvo Principes adqviescant, ac simul Electorum prærogativa salva sit. Etsi manifestum sit, si utraqve pars sententiæ suæ insistat, discordiam utrorumqve destinatis noxæ futuram. Ac ab aliqvot retro annis, & præcipue his Comitiis in publicum erupisse, uti Principalium pleriqve Electorum peculiaria jura circumcidere qvæsiverint, ac cumprimis Brunsvicensis Domus Electorum præeminentiam plane agnoscere noluerit. Ast Elector æqvum censebat, ut si ipse Brunsvicensium desideriis favere debeat, hi qvoqve nil in fraudem Electorum postulent. Sed in Mulleri propositione mirum videri, Duces sibi prærogativam præ reliqvis Principibus tribuere, cum notoriam Electorum præ Principibus præeminentiam ab aliqvo tempore impugnare ausi sint. Cæterum sat causæ sibi esse, ut recepto antiqvitus usui insistat: testandæ tamen in Brunsvicensem Domum amicitiæ circa hæc concedere sibi decretum. Si ejus Domus ministri nostris primam visitationem exhibeant nullo discrimine prius an posterius venerint, nostros longius, qvam hactenus factum fuit, ipsis obviam processuros, ut tamen aliqvod discrimen circa hanc processionem maneat inter ipsos, & Cæsareos, atqve Regios. Nec minus nostros propriis in ædibus honoratiorem iisdem locum concessuros; ac demum paribus fiduciariis literis instructos pari modo habituros. Hæc tamen omnia iis legibus, ut nostri prius videant, qvomodo Regii heic acturi sint: si tota Domus mittat: ut ista tantum Neomagi, velut urbe extra Imperium sita, serventur: ut nostris titulum Excellentiæ dent, non vicissim petant: denique ut Domus illa legatis suis Ratisponæ imperet, ut antiqvus ibi mos retineatur. Accedebat inde nostros Mullerus nullo charactere, uti ferebat. Nostri cum aliqvandiu stantes cum eo locuti essent, ita demum considebant, ut iste inferiorem locum sortiretur; qvi & nostris titulum

Canon.

1677. tulum Excellentiæ dabat, non viciſſim recipiebat. Venit dehinc Neomagum Salen-
12. Jun. tinus Schutzius Cellenſis Conſiliarius, qvi acriter urgebat, ut Brunſvicenſis Domus legati noſtris eo loco per omnia æqvales haberentur. Is ad noſtros non accedebat, etſi cum aliis ageret. Ab Oſnabrugenſi qvoqve Præſule veniebat Franciſcus Erneſtus Platenus, qvi ſe non Ambaſiatorem, ſed miniſtrum Plenipotentiarium ferebat, nec Excellentiæ titulum expoſcebat. Sed reliqvi ejus Domus Duces ſupremi gradus legatos mittere cupiebant, qveis Excellentiæ titulus tribuendus ſit. Qvo fine Schutzius in Angliam mittebatur, ad eum Regem permovendum, ut in id conſentiat. Cujus inſtituto ibi ſeſe opponere Elector haut conſultum ducebat, ne amicitiam tantopere hoc tempore neceſſariam imminueret; præſertim cum haut viderentur ibidem operæ pretium facturi, qvod in ejus Regis poteſtate non ſit circa Principes Germaniæ qvidqvam diſponere, cum ſi qvid novi qværeretur Cæſar præcipue adeundus eſſet. Haut tamen abs re erat vigilare, præſertim cum & legatus Sabaudicus Londini talia affectaret, qvæ Electoribus fraudi forent; à qvibus aula Anglica non aliena fuerat. Iidem Duces à Cæſare per literas petebant, ut ſui legati apud tractatus pacis tanqvam Ambaſiatores recipiantur, & tractentur. Ad qvod annuendum Cæſar haut pronus erat, multo minus, ut Principales cum Electoralibus pari honore haberentur. Haut eo ſecius Electorali Collegio Ratisponæ viſum à Cæſare petere, ne iſtis petitis gratificetur, ſed veterem morem ſervet. Qvibus Cæſar reſpondit; à recepto uſu ſeſe haut diſceſſurum, ac ſolitum diſcrimen inter Electorales, & Principales retenturum.

Circa Lotharingi admiſſionem conſiderationes. Seraincamp.

§. 35. Aſt Lotharingo facile habebatur circa inania ſeſe non jactare, modo id recuperare poſſet, ex qvo ſolida Principum dignatio promanat. Ejus nomine Neomagum accedebant Franciſcus Canon, & Franciſcus Serenocampius, miniſtrorum Plenipotentiariorum titulo inſigniti. Noſtri dubitabant, num iſti ad congreſſus fœderatorum admittendi forent, qvod Duci cum Electore fœdus non eſſet, & qvia horum exemplo alii non omnibus, ſed uni tantum, aut alteri fœderati admiſſionem petituri erant; unde confuſio, & litigiorum materia provenire poſſit. Sed qvia Cæſar, Hiſpanus, & Belgæ ejus fœdere innexi erant, id prohibere non poterant. Danus dicebat: etſi ſuper hac re nihil in mandatis habeat, ſe tamen Cæſareis haut contradicturum, declinandæ invidiæ, & offenſæ inde ſecuturæ; præſertim cum non videat, qvomodo ejus admiſſio impedienda ſit. Cum itaqve ſuper hac à Kinskio in congreſſu proponeretur, Danus negabat circa hanc rem aliqvid ſibi injunctum; non tamen repugnare, qvo minus is fœderatorum congreſſibus interſit. Noſtri pariter; ſibi ſuper ejus admiſſione nihil mandatum; juſſos tamen Ducis cauſæ velificari, ac ſcire, qvanti Elector eundem æſtimet. Sed noſſe velle, ſi admittantur, qvo modo recipiendi, & ubi ſeſſionem capturi ſint: num Ambaſiatoribus, qvi jam adſint, miſcere ſe velint, & qvid circa alios, qvi paria poſtulaturi ſint, obſervandum? Nam hucusqve neminem in congreſſum huncce acceſſiſſe, cui non cum omnibus Principibus noſtris fœdus interceſſerit; ac plerumqve diſcrimen ſtatui inter ſocios fœderis, & ſocios belli. Ad qvæ Cæſarei: Canonem haut poſtulaturum cum præſentibus legatis promiſcue ſedere. Eum aliis titulum Excellentiæ dare, non viciſſim exigere. Ita omnes concluſere, extremo loco ſeſſurum: qvid cum reliqvis agendum, decernendum ubi advenerint. Diſſvaſerant Cæſarei iſti Canoni, ne Excellentiæ titulum affectaret. Belgæ in ſuis ædibus digniorem ei locum detulerant: ita enim ablegatis extraordinariis Regum, Electorum, & Lotharingi facere juſſi fuerant; Excellentiæ vocabulum non tribuerant, cum hic iſtos eodem honoraſſet. Danus in ſua domo priorem ei locum concedere nolebat. Sed Templius eundem apud ſe ita collocarat, ut diſcerni non poſſet, uter digniore loco ſederet, ac diſcedentem non extra januam comitatus erat. Idem & de adventu ſuo haut ſolenniter denuntiarat. Elector noſtros nil difficultatis circa ejus admiſſionem movere, ſed potius amice cum eo converſari jubebat. Circa cerimonias Belgarum exemplum ſeqverentur, ac digniorem in ſuis ædibus locum ei deferrent, ſed ſine titulo Excellentiæ, ac ne inter legatos ſe miſceat, ſed ultimo loco adſideat. Is cum Blaſpielum inviſeret non ſedebat, ſed in conclavi ambulando loqvebatur. Sed Somnicius duas ſellas poſuerat, invicem oppoſitas, ad qvarum unum latus janua erat, & retro utramqve menſa poſita, ut diſcernere non poſſes, uter locus dignior habendus eſſet. Is noſtris ſemper titulum Excellentiæ dabat, ſed non recipiebat. Ei novam moleſtiam faceſſebant Galli, proteſtatione contra titulum Ducis interpoſita, & qvod peculiare procuratorium pro ipſo ędere nollent, cauſati, integrum

1677.

1677. grum ei esse sub aliqvo suorum fœderatorum res suas agere. Unde is petebat, ut fœderati tractationem suspenderent, qvoad Galli peculiare procuratorium ad tractandum cum ipso acciperent. Id qvod negabatur; se tamen eo nomine apud seqvestres instituros. In Lotharingicorum procuratorio id carpebatur, qvod Ducis postulata in eo exprimerentur. Id enim à communi forma eorum instrumentorum abhorrere.

Controversia inter Cæsareos, & Anglos super ceremoniis.

§. 36. Adventu Antonii Comitis Altenburgici, à Daniæ Rege legati, inter Cæsareos, & Anglos lis oriebatur, utri prima notificatio foret facienda, qvam isti indubio Cæsaris jure, hi velut seqvestres prætendebant. Ac negabant Cæsarei ulli heic temperamento locum esse, qvod inter Cæsarem, & Angliæ Regem nullum super loco dubium sit: ac Anglos, ubi cum Gallis, & Svecis in loco tertio conveniant, promiscue sedere, nullo ad munus seqvestrium respectu. Contra nec Angli temperamentum admittebant; & qvanqvam proponebatur, ut Danus cerimonia æqve apud unum qvam alterum supersedeat, id tamen utrinqve repudiatum. Nostri censebant, Anglorum prætensionem nullo jure niti. Nam Cæsaris primum locum à nemine Principum Christianorum solicitari; nec Neomagensem congressum Anglo ob seqvestris officium primum locum detulisse. Eqvidem Angli jactaverant, qvanqvam Coloniæ Svecis tanqvam seqvestribus omnes etiam serius venientes primam visitationem dederint, Regem tamen ipsis rescripsisse declinandis difficultatibus, ne id affectarent. Sed Belgæ falso ista tradi ostendebant, nec Svecos id postulasse, sed sibi post Svecos Coloniam accedentibus ab his primam visitationem exhibitam. Cæsarei negabant novi qvid sine ratione petentibus concedi posse. Eosdem initio tractatuum postulasse, ut deinceps accessuri legati ipsos primo loco inviserent: sed cum nemo id annueret, adqvievisse. Nec Regium legatum ob seqvestris munus prærogativæ qvid præ ipsis exigere posse, cum etiam Electores, & Respublicæ, aliiq; Principes id muneris obire possint, qveis ideo haut liceat iis sese præferre, qvibus alias cedant. Et cum regia dignatio officio seqvestris nobilior sit, qvod istius nomine prætendi neqveat, nec hujus posse. Usum qvoqve in contrarium esse. Monasterii, & nuper Coloniæ tale qvid non postulatum. Ea super re cum nostri cum Antonio Comite loqverentur, hic Cæsaris jus agnoscebat, nec sibi qvid tribuendum; nec Regi suo animum esse in fraudem Cæsaris qvid admittere. Sed qvæstionem esse, num expediat fœderatorum qvempiam cum seqvestre circa res odiosas litigare; id qvod universis noxæ esse qveat? Sed Cæsarei censebant; si Anglus Cæsari officium suum hac lege detulisset, id hunc admissurum non fuisse; ac Danum sine hæsitatione ipsis primam significationem debuisse facere. Sed reponebat iste; litem ante adventum suum ortam, ut ea absse in alterutram partem decidenda fuerit; in qvam rem nil adhuc mandati à suo Rege habeat, ac metuere, ne partibus detrimenti qvid adferat. Nam Angli jactaverant, se nil commercii cum ipso exercere posse, si Cæsareis prius de adventu suo significet. Sed haut obscure artes Gallorum pellucebant, à qvorum libidine Angli hoc tractatu nimium qvantum pendebant; qvi obliqvatione primum Cæsaris locum, cui dudum invident, solicitare studebant. Ea lis porro indecisa mansit, ac Comes iste aliqvot per menses Neomagi egit, nulla solenni visitatione data, aut accepta, etsi congressibus fœderatorum interesset, donec in Angliam ire juberetur. Gemina controversia seqventi anno circa Fontanum Comitem legatum Hispanicum contingebat, qvi Cæsareis de adventu suo primum significabat, ac visitationem ab iis accipiebat, reddebatqve. Qvo intellecto Jenkinus ab isto protinus declarationem exqvirebat, qvam in partem id accipere debeat? Cui Fontanus: nil aliud se spectasse, qvam ut usum in Austriaca Domo receptum, & exemplum collegarum imitaretur. Qvo responso Jenkinus haut contentus, cum Fontanus procuratorium suum ei mitteret parti adversæ tradendum, id recusabat, qvoad sibi ab isto satisfactum foret. Galli etiam, qvi super hoc negotio cum Jenkino diligenter communicabant, declarabant, se Fontani procuratorium admittere non posse, nisi seqvestri satisfactum fuerit.

Ab universis Ordinibus delegati Neomagum non mittuntur. Art. VIII. §. Gaudeant.

§. 37. Interim Ratisponæ Bavarus, & Saxo delegatos nomine universorum Ordinum Neomagum mittendos contendebant. Sed Moguntinus, Trevirensis, Colonienſis, & Brandenburgicus contradicebant, adducto loco ex Instrumento Pacis, ubi extat; ut Ordines super omnibus Imperium concernentibus negotiis cum votis suis audiantur, ac inprimis, si pax sancienda sit, ea non aliter perfici possit, ac debeat, qvam cum omnium & singulorum suffragio & consensu, in publicis comitiis declarando. Qvo ipso universis & singulis

1677. Ordinibus jus fuisse qvæsitum, ne qvis ejusmodi actibus tum excludendus, nec per majorem partem cogi posset ad jus suum in delegatos transferendum. Unde si stricte Instrumento Pacis inhærendum esset, id negotium in Comitiis suscipi debebat. Cum primis Cæsari haut placebat delegatos Neomagum mitti; multo minus Bavarum, qvod hic affectabat, negotio se miscere. Ac declarabat ille, se non perspicere per eam missionem pacem promotum iri: nec esse è dignitate Imperii extra hujus fines in urbe Belgica velut conventum Ordinum agitari. Omnia tamen qvæ ibi agantur, Ordinibus
18. Maij. communicatum iri. In Collegio qvoqve Electorali conclusum, delegatos Neomagum haut mittendos; sed Cæsarem rogandum, ut negotium pacis perseqvatur, ac de eo Ordinibus communicet, qvo hi pro re nata sententias dicere qveant, ac ut Cæsarei legati Ordinum legatis Neomagi circa sua desideria adsistant. Consentiebant pleriqve è Senatu Principum, exceptis Saxonibus, ac Brunsvicensibus, qvi utiqve delegatos eo mittendos censebant. Plures tamen pervicere, ea missione supersedendum, ac Ratisponæ super negotio pacis deliberandum: Cæsare vicissim pollicente, omnia bona fide communicatum iri, nec citra Ordinum consensum circa primarium negotium qvid definiendum.

Princeps Lusitaniæ seqvestrem se ferr. 5. Jul.

§. 38. De Petro Lusitaniæ Principe Villa Hermosa ad Electorem scribebat, cum Regi Hispaniæ officium conciliandæ paci obtulisse; ac fama ferri, Cæsarem, ac Belgas id acceptasse. De qvo Electoris sententiam nosse cupiebat. Ei responsum: si alii istum acceptent, se qvoqve in gratiam Regis Catholici haut refragaturum. Sed revera is seqvester Electori parum arridebat, qvod ab eo velut Galliæ favore penitus imbuto parum proficui expectandum esset. Nondum tamen Neomagi de eo publice qvidqvam propositum erat; ac credebatur, Lusitanum Hispano acceptationem officii sui extorsisse. Nec obscurum erat, qvare & hic à Gallo seqvester adscitus esset; ut non solum cum aliis paria sentientibus fœderatis apud tractatus molestus esset, sed & his abruptis in partes traheretur, aut id futurum fœderatis minæ intentari possent. Mox
14. Aug. Hispani proponebant: Lusitanum legatum jam hospitium sibi conduxisse; simul qværebant, num is seqvester aliis placeat? Ad qvæ Cæsarei: de Lusitani officio nihil ad se relatum, nec Cæsarem nisi de fœderatorum sententia qvid facturum. Belgæ: Eum Principem Ordinibus Generalibus officium obtulisse; qvi responderint, se, qvod reliqvis fœderatis placeat facturos. Danus: Villam Hermosam ad Daniæ Regem scripsisse, non ipsum Lusitaniæ Principem; nec par esse qvempiam Regis sui negotiis se ingerere, qvi non ipse eidem officium suum obtulerit. 1677.

De Papæ officio admittendo.

§. 39. Ast circa Nuntium Pontificis Aloisium Bevilaqvam, qvi Patriarchæ Alexandrini vocabulum gerebat, varia dubia surgebant. Qvis Pontifici titulus in diplomate tuti itineris dandus esset cum qværeretur, Hispanus ponendum censebat, *Sua Serenitas Papalis*; qvod velut insolitum rejectum. Aliqvi, simpliciter Pontificem Romanum vocandum. Demum videbatur hac controversia supersederi posse, si is Colonia secundo Rheno descendat, aut si terrestri itinere venientem Colonienses, inde Elector præsidio centum eqvitum addito deducerent, nullo diplomate. Eum Cæsar commendabat, ut Neomagi debito honore haberetur tum ab aliis, tum à nostris, qvod manifesto Anglorum in Gallos studio hujus officium utiliter adhiberi possit. Cui Elector: Cæsaris intuitu Nuntio in Clivia omnem honorem exhibendum, cui & sui Neomagi decenti humanitate occursuri sint, ejusqve securitatem curæ habendam. Cæsari, ut Daniæ Rex officio Nuntii uti velit, reqvirenti hic responderat; se de eo cum fœderatis deliberaturum. Cæterum is censebat, id officium expresse nec acceptandum, nec repudiandum. Nam si Angli perspiciant, fœderatos idem non aversari, forte tractabiliores fore. Ac spargebatur eum in Gallos parum prono animo esse. Qvia etiam id officium Regi Protestantium sacris addicto offeratur, indicio esse, à Pontifice super titulis, ac aliis nil postulatum iri, in qvod Protestantes per conscientiam consentire neqveant. Is Neomagum silentio introibat. Cæsarei, & Hispani nostros *12. Maij.* cum isto congredi cupiebant; ac se exploraturos, qvo modo idem ipsos recipere velit, si eum visitatum veniant: nec credere eum minus facturum, qvam Cæsareos. Sed Anglis haut placebat ullum civilitatis signum eidem exhiberi; utut Galli confirmarent, à Nuntio istis primam visitationem exhibendam, si norit, bene se receptum iri. Elector censebat; si is nostris eundem, qvem Cæsareis, & Regiis honorem exhibere velit, visitationem obiri posse. Eqvidem esse in contrarium gravissimas rationes, ac optandum, ejusmodi hominum conversatione uti haut opus esse. Sed qvia temporibus aliqvid dandum sit, ac Cæsar, Hispa-

1677. Hiſpanusqve ſperet, per eum bonis partibus emolumenti qvid provenire poſſe, cum contra Gallus ab initio iſtius officium valde declinaverit; non adparere, qvare ipſe iſthoc tantopere defugere debeat; præſertim cumCæſar viri artes valde commendet, ac ægre laturus ſit, ſi ipſe moroſitatis qvid heic oſtendat. Nam qvod hucusqve Proteſtantibus cum id genus hominibus nil commercii interceſſit, culpam penes Pontificios hærere noſtrorum converſationem horrentibus. Sed cum iſti nunc aliam viam ineant, non eſſe, qvare Proteſtantes veteri rigori inſiſtant: ac in ejusmodi caſibus Pontificis miniſtros non ut ejus, qvi caput ſe Eccleſiæ ferat, ſed uti ſecularisPrincipis legatos à Proteſtantibus conſiderandos. Saltem eos juris gentium tutela frui debere, qvod jura legationum inter omnes nullo ſacrorum diſcrimine permittit. Aſt ſi homines iſti in ſacra noſtra qvædam molianturtunc demum iis reſiſti, ac eorundem converſatione abſtineri poſſe. Qva ſuper re cum aliis Proteſtantium legatis noſtri communicare jubebantur. Qvod ſi autem iſtius officium irritum fiat, curarent, ut penes ipſos humanitatis fama maneret. Aſt Belgis haut placebat,ſuos legatos cum Nuntio communicationis qvid ordiri ,aut exercere, etſi eam expreſſe recuſari nollent: eoqve ſolennia viſitationum ei nec dari, nec ab eodem admitti; id qvod hactenus nunqvam, ac ne Coloniæ qvidem factum erat. Magiſtratus Neomagenſis, cum eum ſalutaret, ac de adventu gratularetur, titulum *Illuſtriſſimi*, *ac Reverendiſſimi Domini* impertiebat. Is eundem valde humaniter excipiebat, memorans, ſe non uti perſonam Eccleſiaſticam, ſed uti Principis Itali miniſtrum huc veniſſe, qvibusdam bellantium ſuper pace nonnulla propoſiturum; ac optare communem pacem, & qvæ omnium vota expleat, ſua opera poſſe promoveri. Qvando de Pontifice mentio incidebat, eum nunqvam *Papam*, aut *Suam Sanctitatem*, ſed tantum *meum Principem* vocitabat. Aſt Sveci Proteſtantibus in Germania, & Anglis imputabant, qvod nil negotii cum iſto ſibi eſſe vellent, vetere inCatholicos averſione oſtentata, & qvod ſoli
26. Maij. Anglo adhærerent. Cæſarei dehinc noſtris ſignificabant, poſt notificationem ſibi, Gallisqve factam ſe Nuntium inviſiſſe, ac eundem ab ipſo honorem recepiſſe. Nuntium ſibi declaraſſe, reliqvis ſe legatis Proteſtantibus juxta, & Catholicis de adventu ſuo indicaturum, ſi norit, humaniter id acceptum iri, ac ſe ab iis inviſendum. Noſtri reſpondebant: ſibi voluntatem fuiſſeNuntium facta ſignificatione inviſere. Sed intel- 1677.
lexiſſe, eum jam qvibusdam de ſuo adventu indicaſſe, & ab iis viſitatum fuiſſe, anteqvam ſibi qvidqvam de ſuo adventu denunciaret. Sed cum moris ſit, notificationem omnibus legatis primi gradus eodem tempore fieri, ac inde horam viſitationis eo ordine condici, qvo qvisqve horam adeundi expetivit, id qvod à Nuntio obſervatum non ſit; igitur novo hoc caſu ſe non audere absqve peculiari juſſu Electoris eundem adire. Cæſarei: Nuntio haut animum fuiſſe cuiqvam præjudicii qvid adferre, ſed qvia nova & inuſitata res ſit, à Nuntio legatos Proteſtantes inviſi, eum judicaſſe, ante notificationem cautum ſibi eſſe oportere, an, & qvo modo recipiendus ſit: & qvia ipſi de hoc è noſtris haut liqvido cognorint, ſe qvidem ei ſignificaſſe, ſpem eſſe omnia ex ipſius voto ſucceſſura. Eum tamen repoſuiſſe, ex incerta aliorum opinione haut tutum ſibi aliqvid ſuſcipere; eoqve neceſſarium judicaſſe, Proteſtantes eo nomine liqvidam declarationem poſcere: interim Cæſareis,ac Gallis de ſuo adventu ſignificaſſe. Sed qvod notificationem non omnibus ſimul fecerit, cauſam eſſe, qvod in mandatis habeat ita ſe gerere, ut nec Gallos, nec Hiſpanos offendat, eoqve apud alterutros operam ſuam inutilem reddat. Et qvia Galli pertendant, ſi recens accedens legatus de ſuo adventu Hiſpanis prius qvam ſibi ſignificet, ac inde priorem viſitationem ab Hiſpanis admittat, ſe eum haut adituros: igitur Nuntium eam viam iniſſe, qva nec Gallos, nec Hiſpanos offendi poſſe crediderit. Et qvia nuper huc delatus legatus Hiſpanicus Spinola nondum viſitationibus admittendis, aut dandis ſe pararit, Nuntium credidiſſe, Hiſpanos ipſi vitio non daturos, ſi primum apud Gallos ea cerimonia defungatur. Noſtri cum reliqvis Proteſtantibus conſultaturos ſe ferebant. Danus cenſebat,Nuntii factum probari non poſſe. Si tamen Rex ſuus è Nuntio opera emolumenti qvid capere qveat, novationem illam circa cerimonias per propriam aut Cæſareorum declarationem, eum per ipſam nemini præjudicare voluiſſe, excuſationem admittere. Cæterum ſe ex ejus converſatione nullum alium fructum perſpicere, qvam ut forte de machinationibus unius & alterius per ipſum explorari qvid poſſit. Belgæ ſibi injunctum ferebant, Dani, & noſtrorum exemplum ſeqvi. In congreſſu fœderatorum 28. Maij.
Kinskius proponebat; Nuntium petiiſſe ſuo nomine declarari; ſe notificationem Proteſtantibus libenter fuiſſe facturum, ſi ſci-

1677. sciviſſet eam bene acceptatum iri, ac id adhuc facere paratum, ſi norit, debito modo ſibi occurſum iri. Ad qvæ Danus: ſignificationem à Nuntio factam probari non poſſe. Sat cautionis, qvomodo recipiendus foret, eum habere potuiſſe, anteqvam aliis de ſuo adventu indicium faceret. Iſtum eodem tempore, qvo Gallis de adventu ſuo ſignificavit, per hos ex Anglis, & Svecis exqviſiviſſe, num viſitationem ſuam admittere velint: atqve idem apud reliqvos facere potuiſſe, ac debuiſſe. Ea res tunc ad ulteriorem deliberationem rejecta fuit. Danus cupiebat rem in integro retinere, nec id officium ſimpliciter repudiare. Belgis haut placebat Nuntium compellare. Noſtri nil ſingularis commodi ex ea converſatione perſpiciebant, contra varia, eaqve ſiniſtra Proteſtantium judicia verebantur; poſtqvam Proteſtantes per integrum fere ſeculum cum miſſis à Pontifice in publico nil commercii exercere voluerint, jam eos honorari, & cum iisdem tractari, uti cum aliis legatis Chriſtianorum Principum, qvorum poteſtas velut legitima ab univerſo orbe agnoſcatur. Sed & plurimos offenſum iri, qvod cum hominibus tantopere hactenus deteſtatis nunc tali modo agatur, iisqve tantum honoris deferatur; idqve in prætextum transfugii ad ritus Romanos arripi poſſe ab iis, qvi alias in religione frigent, aut qvid emolumenti è rituum mutatione aucupentur. Sed & communicationem cum Nuntio à Cæſareis, & aliis ideo optari, ut iſte communis ſeqveſter fieri poſſit; qvem ſi defugiant, Catholicos, ſi admittant, Anglos offenſum iri, cum hi jam commodiores mores induere velle videantur. Deniqve iſtorum hominum intimis medullis inolitum in Proteſtantes odium, ut fruſtra ſit, ab his aliqvid emolumenti ſperare. Saltem eos enixum circa ſacra ſua promovenda ſtudium ubiqve apricaturos. Deniqve haut minorem Nuntio induſtriam fore circa ſecreta noſtra expiſcanda, noto iſtorum hominum genio, & qvia de ſuis qvædam pandere neceſſum habet, qvi aliena explorare cupit. Cæſar porro ſuper hoc Nuntio ad Electorem literas dabat, qvibus præmiſſa gratiarum actione pro honore huic in Clivia exhibito oſtendebat, iſti à Gallis fuiſſe perſvaſum, uti catholicis ritibus haut addicti ejus officium admittere, aut commercii qvid cum eo exercere abnuant. Unde eum tantum Cæſareis, & Gallis de ſuo adventu ſignificaſſe, qvod Hiſpani nondum in publico adparerent; expreſſe tamen teſtatum, ſe ſemper paratum ſolitis cerimoniis apud alios qvoqve defungi, ſi cautum ſit, gemina ſibi reponenda, ac ſe gratum fore. Id qvod ſibi moleſtum auditu acciderit, qvod inde aliqvi anſam arripere poſſint iſtius officium repudiandi. Cum itaqve Nuntius per Gallorum aſtutiam in eum errorem præcipitaverit, qvi id qvæſierint, ut ejus officium eo pertinacius ab iis repudiaretur, qvos idem præterierat; ſimul Angli, de qvorum favore ipſis cautum ſit, negotii moderamine ſoli potirentur: eo magis dolendum eſſe per id fœderatis occaſionem ſubtrahi Pontificis officium Anglis adjungendi, qvod citra dubium, cum de ſacris haut agatur, minus in alterutram partem inclinet; ſicuti & Catholici ob diverſa ſacra Anglum ſeqveſtrem non defugerint. Igitur rogare, ut Elector Nuntii officium admittat, qvi non ſolum, qvod per Gallorum ſeductionem admiſerit, reparaturus, ſed & bonæ paci reducendæ enixum ſtudium adhibiturus ſit. Ad qvæ Elector: ſe Danum, & Belgas ad id officium acceptandum hortaturum: ſed ut ipſe ab his ſe disjungat, non ſolum ad ſummam rei nil profuturum, ſed & ſibi multum damni conciliaturum. Noſtris autem Neomagum ſcribebat: Nuntii officium bene admitti poſſe, ac diſpiciendum, qvomodo ab eo admiſſus error corrigi qveat. Prius tamen declarationem ab eodem exigendam, ſe ipſos pari cum Cæſareis, & Regiis honore excepturum. Tum Danos, & Belgas ad eundem ſeqveſtrem agnoſcendum permoverent, ſed caute, ne Angli offendantur. Nam rationes à Cæſare adductas magni momenti eſſe. Aſt Neomagi diu ſuper Nuntio nil amplius motum fuerat, qvem Sveci plane defugiebant; qvæ & Belgis mens erat. Qvid Danus ad extremum facturus eſſet, non conſtabat, qvi graviſſimas rationes contra id officium adduxerat. Palatinus Elector reliqvorum Proteſtantium exemplum ſecuturum ſe oſtendebat. Anglis injunctum erat, nil plane commercii cum Nuntio habere; qvi & accurate obſervabant, qvis cum hoc converſaretur, haut obſcure oſtenſa æmulatione. Platenus ab Oſnabrugenſi miſſus poſt iſti Nuntio viſitationis officium exhibebat, & ab eodem recipiebat obtentu amicitiæ, qvæ ſibi qvondam cum eo culta fuerit. Enimvero cum Nuntio facile adpareret, qvæ ſibi objiciantur difficultates inſuperabiles eſſe, ultro officium ſuum Proteſtantibus obtrudere omittebat, Catholicis tantum operam navare ſatis habens. Ea in negotiatione iſte ita procedebat. Si qvid incideret, qvod aliqvem Catholicorum fœderatorum ſpe-

5. Jul.

1677.

ctaret

1677. ctaret, Catholici aliqvot è suo numero delegabant, qvi Nuntium id negotium edocerent. Hic officium inde apud Gallos interponebat, & qvod ex his intellexerat, ad solos Catholicos referebat, qvi dein id in consessu omnium fœderatorum exponebant. Ast nec ipse in consessu omnium fœderatorum comparere desideravit, nec Catholici eo nomine à Protestantibus fœderatis qvid postularunt. Is porro Nuntius, cum officium suum auspicaretur, à Catholicis stipulatus fuerat, ut sibi integrum esset, non presse eorum verba, sed salva rei substantia alia vocabula modestiæ, & decori causa adhibere. Qvi & à Catholicis proposita protinus in Italicam lingvam modestissimis verbis adhibitis transferebat. Qvo exemplo post & Angli facultatem sibi sumsere qvæ asperius dicta videbantur emolliendi.

De admittendo Præsule Argentoratens. disting.

§. 40. Cæterum cum Gallis propositum esset negotiationem Neomagi per varia diverticula eludere; in eum finem qvoqve adhibebatur Præsul Argentoratensis; cujus ministrum heic admittendum contendebant velut à Principe Imperii, & Galliæ fœderato missum. Ast Angli antea retulerant, Gallos istum non pro fœderato agnoscere; ac eum mittere velut amicum, cui nunqvam in mentem venerit, aliqvid hostile in Cæsarem tentare. Sed nunc Galli apud Cæsareos profitebantur, Præsulem Galliæ fœdere innecti; sed non sperare id eo valere posse, ut Cæsaris hostis haberi debeat. Electori nulla ratio adparebat, qvare is Præsul fœderatus Galliæ haberi posset. Eum qvippe semper inficiatum, ullo se fœdere cum Gallo teneri, sed ministrum Colonienſis fuisse usqve ad id tempus, qvo male meritorum conscientia agitatus deserta patria ad hostes profugerit. Sed & nunqvam copiarum qvid habuisse, eoqve pro socio belli haberi haut posse; nec de hoc mentionem feciſſe, cum diplomata pro ministris ad expedienda sua Neomagi negotia expeteret. Cum itaqve Præsul ille postulet, qvod contra rationem, receptum in Imperio usum, & eam conventionem pugnet, qvod tantum socii belli ad hos tractatus admittendi sint; simul multis ambagibus materia nascenda sit, si omnes, qvibus qvalecunqve heic negotium, inter partes tractantes admittantur: nostri illegitimo huic Gallorum postulato sese opponere jubebantur. Nam Præsulem illum cum Lotharingiæ Duce nullo modo comparari posse; cum hic proprias copias habeat, & cum primariis belligerantibus fœdere jungatur. Et qvia alias Belgæ, qvæ tractatus extrahere possent, aversabantur, non dubium erat, eos qvoqve huic postulato reluctaturos, ne Præsulis ejus causa cum Lotharingo misceatur. Hujus autem causam Elector utiqve amplectendam censebat, ne ab hoc initio fœdus labefactetur, cujus maxima vis in eo consistat, ut fœderati sint inseparabiles. Ast cum post Angli Cæsareorum declarationem super Argentoratenſi Gallis dictare vellent, hi id permittere nolebant, causati, argumentum sibi jam cognitum: nec ad hanc, aut ullam aliam rem, & peculiariter ad Lotharingicam responsuros, antequam Argentoratensis deputati procuratorium, ejusqve propositio à fœderatis acceptata sit. Angli qvoqve ea Cæsareorum verba valde aculeata censebant, *Præsulem propriam turpitudinem allegaturum, si Gallicum se fœderatum nuncupet.* Sed Cæsarei reponebant; si maxime Gallis de sua declaratione constet, eos tamen ex recepto more ad eam respondere teneri. Vocabulum *propriæ turpitudinis* vulgo etiam in judiciis adhiberi, nec injuriam continere. Nec sane gloriosum haberi cum hostibus in fraudem patriæ fœdere sociari. Se tamen declarationem suam ita dispoſuisse, ut nec Anglis expresse permiserint ea vocabula omittere, nec idem vetuerint. Sed & iniqvitatem postulati Gallici demonstrabant, qvod hoc exemplo plurimis aliis in Germania à Gallo læsis Ordinibus integrum sit futurum huc accedere, ac admitti se petere, qvorum multitudo hunc conventum in infinitum extractura sit. Ac sine dubio Gallis animum non esse, omnes eos Ordines, qvos armis oppressérunt, qvos in custodiam dederunt, fortunis everterunt, qvorum oppida & munitiones demoliti sunt, & in qvorum terras omni immanitatis genere sævierunt, diplomatibus instruere, eosq; velut partes tractantes Neomagi habere. Ac si huic postulato insistant, satis testari, nil minus sibi qvam pacem cordi esse. Angli tamen post negabant, Gallos unqvam dixisse, se in Lotharingica causa nil responsuros, nisi postulato suo de Præsule satisfiat. Nec minus à se dictum inficiabantur, Gallos Præsulem pro suo fœderato non habere. Sed & tunc à Gallis per Nuntium, & Anglos movebatur super Wilhelmo Furstenbergio è custodia dimittendo. Qvibus Cæsarei respondebant: peculiare delictum esse, cujus iste arguatur, & ob qvod in custodia teneatur, cujus cognitio Cæsari & Ordinibus Imperii competat. Se ob communis pacis negotium hic missos, non ut forentibus se negotiis misceant.

1677. *De modo congressuum inter fœderatos habendorum.*

§. 41. Cæterum qvo modo congressus inter fœderatos habendi essent, ne hi super loco inter se collidérentur, Hispanis, & Danis inter se non cedentibus, Belgæ censebant, iis congressibus nullo præjudicio promiscue sedendum, uti Hagæ fieri soleat. Kinskius congressus istos apud se fieri cupiebat; id qvod Danus plane abnuebat. Etsi semel, cum de procuratoriis ageretur isto petente in ipsius ædibus fœderati conveniebant, ac nullo ordine considebant, Cæsareis stipulantibus, hoc colloqvium non pro solenni congressu habendum, & qvæ circa sessionem heic contingant, in exemplum haut adductum iri. Sed cum Kinskius apud se congressus continuari cuperet, reliqvis contradicentibus demum placuit deinceps in curia urbis conveniendum, ubi Cæsarei primo loco considere debeant, proximum locum Regii obtinerent, alternis priore loco sessuri, qvod & inter nostros, ac Belgas observandum sit; sed uter primo die priorem locum teneat, sorte decernendum. Et qvia conclave in curia nondum paratum erat, unus adhuc congressus in Belgarum ædibus habebatur; ubi Danus priorem præ Hispano locum sortiebatur. Belgæ in suis ædibus nostris optionem prioris loci deferebant. Sed conventio inter legatos fiebat; eum sedendi modum eousqve duraturum, qvoad Principibus suis aliter visum fuerit: cæterum ipsis, eorumqve juribus præjudicio haut fore. Ast Elector, qvia alternatio paritatem involvit, maluisset ibi promiscue sedes fuisse captas: sed qvia facto jam initio res non amplius integra erat, semel cœptum ordinem retineri posse censebat; qvod tamen nemini fraudi foret. Ast Angli, qvod se insciis fœderati locum congressuum in curia cepissent, ægre ferebant, causati, jurisdictionem urbis à magistratu sibi delatam, & per hoc medium urbis statum violatum. Demum tamen adqviescebant à fœderatis congressus ibi continuari, ut tamen & Galli, Sveciqve ibi conventus agitare possent. Porro qvod in congressu fœderatorum alterna sessio placuisset, causa erat, qvod cum de promiscua sessione moveretur, Kinskius subinde diceret; *ego me non misceo.* Unde nec Regiis inter se, nec nostris cum Belgis in uno loco conveniendi alia ratio, qvam alterna sessio supererat. Eam sessionem nemini præjudicio fore, initio Instrumentum fieri placebat, ac Belgæ id probabant. Sed Regii nolebant, nec Hispano ista sedendi ratio satis arridere videbatur. Nec in ipso instrumento partes ordine exprimi poterant, qvod inter istas super ipso ordine controversia esset: ac si laxioribus verbis poneretur, *inter Cæsareos, Regios, Electorales, & Belgicos convenit*, Belgæ contradicturi erant. Deniqve qvia Angli velut seqvestres primum sibi locum deposcebant, ac si curia pro tertio loco haberetur, isti forte aliqvod præjudicium Cæsareæ prærogativæ inde struere poterant; fœderati declarabant, curiam in præsens pro ipsorum domicilio habendam.

1677.

Super procuratoriis disceptata.

6. Jan.

9. Jan.

4. Jan.

§. 42. Inter præliminaria adhuc restabant procuratoria ita formanda, ut omnibus partibus probari possent. Et Kinskius qvidem suum procuratorium Somnicio communicabat, exqvirendo ejus judicio. In qvo hic desiderabat, qvod subdelegandi facultas concessa esset; id qvod in nullo alio factum erat; & qvod nec seqvestres, nec qvibuscum tractandum exprimerentur. Ad qvæ Kinskius nihil, nisi qvod de seqvestribus data opera præteritum excusaret, qvod Cæsar nec Pontificis officium repudiare, nec Anglum solum ob discrimen sacrorum admittere posset. Unde satius visum de seqvestribus mentionem haut faciendam. Belgæ notabant, qvod tantum de *Commissariis*, & *Plenipotentiariis* dicerentur, non de legatis, qvibuscum tractare debeant: cum tamen plenipotentiarii esse possint, qvi legati non sint. Mox Kinskius, cum super formandis procuratoriis in congressu proponerentur, censebat seqvestrium mentionem haut faciendam, qvod Pontifex post Anglum collocari non possit. Ad qvæ Danus: à Rege suo Angli officium acceptatum, ejusqve nomen in suo procuratorio expressum: ac Catholicos sibi Pontificis officium reservare posse. Contra Hispanus: haut expedire, Catholicorum, & Acatholicorum vocabula inter hos tractatus adhiberi, ne initio semel facto longius id porrigatur, offensæ materiam daturum. Nostri: Electorem Angli nomen in suo procuratorio posuisse, qvod ab hoc ad tractatus oblato suo officio invitatus sit, qvi & hactenus id exercuerit. Adversam qvoqve partem ad id in suis procuratoriis provocasse. Qvod si fœderati ab hoc discedant, hostes apud Anglos gratiam inituros, istos offensam incursuros. Qvod si unus, & alter alium sibi seqvestrem reservare velit, id post illæso cujusqve honore vel in ipso instrumento, vel in alio separato fieri posse. Inde assumebatur formula à Belgis concepta; in qva Kinskius concedere nolebat, munus seqvestris Anglo disertis verbis attribui: tolerabat tamen dici *per curas Sue Majestatis Britannica.* Alii

6. Jan.

pro-

1677. probabant, *per curas, & interventionem, seu interpositionem.* Sed Kinskius non nisi vocabulum *curarum* ferre volebat. Inde interrogabat Kinskius; num Electori placeat, ut in procuratorio, qvod Cæsar editurus sit, omnium Electorum junctim mentio fiat. Qvo ipso haut necessarium fore pro Brandenburgico peculiare procuratorium exigere, sed sufficeturum, si iste in eo qvod Cæsari tradendum sit, generali clausula comprehendatur. Id qvod nostri negabant: ac Electorem a Gallo, & Sveco peculiare procuratorium expoſcere, ad ipsum solum directum. Kinskius: Cæsarem confidere, Electorem sibi hoc honoris exhibiturum, & tali procuratorio contentum fore. Nostri: Electorem circa honorem Cæsari exhibendum in se nil desiderari passurum. Sed si inter primarum partium belligerantes censeri debeat, qvalis & sit, peculiari procuratorio utiqve opus esse. Id si non accipiant, nec suum edituros. Kinskius ad hæc varia dubia movere, ac qværere; qvis modus, & ordo servandus, ubi ad ipsam tractationem accedendum sit? Nostri: de hoc inter fœderatos conveniendum, prout rationi congruat. Post multa hinc inde disceptata Kinskius dicebat: Electorem concessurum, ut ubi super omnium postulatis inter fœderatos convenerit, Cæsarei legati tanqvam omnium fœderatorum deputati Electorum postulata sequestribus exhibeant; præsertim cum non semper omnes fœderati ejusmodi actui adesse qveant. Ubi ulterius in tractatione processum fuerit, qvemlibet emolumentis suis apud sequestres, & alios invigilaturum. Censebat etiam semper cum sequestribus per delegatos agendum; ac à Svecicis, & Lotharingicis rebus initium faciendum. Ad qvæ nostri: ista cum reliqvis communicanda, ac sine dubio multas contradictiones oriturás. Super hisce à Kinskio motis Elector per Crocovium Viennæ qverebatur, negans se, aut ullum fœderatorum huc descensurum; & eam rem discordiæ ansam præbere posse. Cæsarei excusabant, id unice spectari, ut separati tractatus vitentur; id qvod proposita methodo impediri, ac id ne fiat Electoris qvam maxime interesse. Nam si nuda duntaxat communicatio velut inter æqvales fiat, Cæsari nil prærogativæ præter solum ordinem fore, ac reipsa tanqvam socium, non tanqvam caput fœderis consideratum iri, cum tamen hoc nomine ipsi utiqve directio competat. Scilicet id aulæ Cæsareæ agebatur, ut negotia, qvæ Imperium, ejusqve Ordines spectabant, sui arbitrii faceret; ita ut fœderatorum legati non *immediate*, sed Cæsarei prævia communicatione istorum nomine tractarent. Saltem tentare placebat, qvousqve ea prætensio pervinci posset. Jactabatur id esse bellum Imperii; igitur penes Cæsarem moderamen esse, utpote qvi Imperii personam referat: aut delegatos nomine totius Imperii tractaturos esse constituendos. Nam pacem nomine Imperii, non unius, & alterius ex Ordinibus faciendam. Ad qvæ Crocovius: Non Imperii duntaxat, sed qvam maxime fœderatorum nomine bellum geri. Per fœdera qvippe decreta Imperii producta fuisse, unde illa per hæc tolli posse. Et qvæ universum Imperium hoc bello præstiterit, exigua esse. Per fœderatos omnia facta. Aſt Angli, nec minus Sveci, Galliqve probabant, eo loco ubi Regis Angliæ mentio facienda sit, vocabulum *mediationis* omitti, ac tantum poni, *per curas, & bona officia*; ac in latino Svecorum, *laudabili cura, ac zelo.* Titulos Sveci integros exprimi cupiebant: sed fœderati truncatis utendum censebant, qvod Sveco titulum Ducis Bremæ, & Pomeraniæ dare nollent. Placebat qvoqve à legatis syngrapham dari super afferendis procuratoriis ad formulam heic adornatam. Interim procuratoria, qvæ qvisqve jam habeat, edenda. Ubi nostri stipulabantur, à Gallis, & Svecis peculiaria sibi procuratoria exhibenda; ac si ea denegentur, se qvoqve nulla procuratoria edituros. Tandem cum Galli, & Sveci procuratoria etiam ad socios belli porrigi vellent, poni placebat, *socios contra nos bellantes.* Seqventi congressu significabatur; Svecos, & Gallos adqvievisse, ut in procuratorio *adhærentium* mentio non fiat, sed tantum *confœderatorum.* Gallos qvoqve declarasse, Præsulem Argentoratensem sub fœderatis non intelligi, qvod cum Rege Galliæ in fœdere non sit. Qvæ fœderatis probabantur. Postulabant qvoqve Galli, ut suus Rex tantum Christianissimus adpellaretur, nullo alio titulo addito. De qvo nemo dubii qvid movebat. Sed super Sveciæ Regis titulo, qvem Sveci integrum exprimi cupiebant, fœderatis placebat; in procuratoriis, qvæ ipsi edituri sint, titulos aliorum Regum, & Principum truncatos poni, uti & alias factum. Sed si Sveciæ Rex integrum titulum, qvem prætendat ponere velit, id prohiberi non posse. Enimvero fœderatos protestationem interposituros, deqve ea testimonium à sequestribus postulaturos, cum titulum nemini fraudi fore. Super peculiari procuratorio Sveci, & Galli declaraverant, si Cæsareus, & Hi- 1677.

par les soings, & bons offices.

1677. ſpanus procuratorium ſeqveſtribus tradiderit, ſe qvoqve ſignificaturos, pro qvibusnam peculiaria procuratoria exhibituri ſint. Belgæ mox noſtris indicabant, Jenkinum dixiſſe, Svecos qvidem peculiare procuratorium pro Electore edituros ea lege, ſi Galli idem faciant. Gallos autem oſtendiſſe, ſibi ex aula injunctum qvatuor tantum procuratoria edere, pro Cæſare, Dano, Hiſpano, & Belgis. Si tamen fœderati valde inſtent, Gallos forte ad id permoveri poſſe; (id qvod Jenkinus velut ſuo nomine proferebat,) ea tamen conditione, ut non plura ab ipſis exigantur, qvod Lotharingo nullum dare velint. Ac conſtabat, Gallum ideo Electori hanc difficultatem movere, ut Lotharingum eo poſtulato commodius dejicere poſſent. Belgæ ad iſta turbatos ſe oſtendebant, ne nova inde mora naſceretur, ac rogabant noſtros, ut de temperamento cogitarent. Noſtri qvanqvam juſſi eſſent Belgis tantopere ad pacem feſtinantibus ſuſpicionem eximere, qvaſi fœderati tempus ſtudio extrahant, ne iſti anſam inde arripiant clam ſeparatam pacem occupandi, id qvod fore jam multorum ſermone jactabatur: tamen negabant per mandata ſua ſibi licere temperamentum heic admittere, multo minus id proponere. Tum & Gallorum poſtulata à ratione abhorrere. Electorem totiens cum Gallis tractatus iniiſſe; id qvod abſqve procuratoriis factum haut præſumendum ſit. Nunc tanti momenti tractatui fundamentum ſubtrahi, abſurdum eſſe. Belgæ reponebant; à Gallis jactari, cum Electore nil ſibi controverſiæ intercedere; ac non repugnare, ubi in Svecico procuratorio fœderatorum mentio fiat, ſub his Galliæ qvoqve Regem comprehendi. Aſt noſtri: A ratione abhorrere, alterius ditiones evaſtantem, & nunc qvoqve tributis exhaurientem ea excuſatione defungi velle, non eſſe ſibi cum eo qvid negotii. Et ſi maxime Gallus Svecico ſe procuratorio includi velit, Electori ejusmodi tractationem nil ſolidi habere videri. Danus declarabat; ſi pro Electore peculiare procuratorium non exhibeatur, ſe qvoqve procuratorium haut editurum, nec tractationem ſuſcepturum. Ei poſt ad Anglos accedenti hi referebant: Gallos declaraſſe, ſe vel unum procuratorium exhibituros pro univerſis fœderatis, vel duo, pro Catholicis, & Proteſtantibus; vel qvatuor pro Cæſare, Hiſpano, Dano, & Belgis, ſub qvibus alii fœderati comprehendi qveant. Plura Regem ſuum non conceſſurum, præſertim cum nemo non, ac ipſe Lotharingus, peculiare diploma deposcere ſit auſurus. Sed cum Danus regeſſiſſet, hoc modo ſe non tractaturum, Jenkinum hæſiſſe. Svecos porro facile concedere, ut in Danico inſtrumento truncatus titulus exprimatur: ſed ab Electore integrum exigere, prout & in diplomatibus tuti itineris ab Electore datis extet. Sed Danus regeſſerat: Qvo tempore hoc diploma ſcriptum ſit, Electorem nondum tantos in Pomerania progreſſus feciſſe. Nec à Svecis integrum titulum Electori datum. Inde Kinskius procuratorium ſuum Anglis miſit, poſtulans, ut & adverſæ partis inſtrumenta exigeret, qvo ea inſpicere poſſit. Sed Angli Gallis, & Svecis id inſtrumentum prius inſpiciendum præbuerant, anteqvam Kinskio horum procuratoria inſpiciendi copia fieret. Id qvod hic ægerrime ferebat, ac ni eo nomine ſibi ſatisfiat, in aulam referendum, ac interim tractatibus ſupersedendum. Ad qvod Angli ſcripto declarabant; ſe id non feciſſe, ut ipſi præjudicii qvid adferrent; ſed qvod Gallorum reſponſum per eundem hominem, qvi ipſius declarationem attulerat, ſignificare vellent. Denuntiabant inde hoſtium legati, ſe nolle procuratoria edere, niſi pro iis, qvi eadem inſtrumenta pro ipſis in promtu habeant. Ubi noſtris ſcrupulus ſurgebat, qvo modo procuratorium ſuum exhibendum foret; cum nec ipſi Anglos adire poſſint, lite cum his nondum compoſita; & per Secretarium, aut tertium id tranſmittere temperamenti inſtar habeat, qvod libenter Angli arrepturi erant, eludendæ, qvæ ſecundo noſtro legato debebatur, ſatisfactioni. Ei difficultati ſuperandæ noſtri peculiare prius procuratorium pro ſe adferendum contendebant; cui poſtulato ut Elector inſiſtat, graviſſimas cauſas eſſe. Nam ſæpius orta ſuper genuino pacis Weſtphalicæ ſenſu controverſia, Reges Galliæ, & Sveciæ eo nomine unicos ſe ejus interpretes tuliſſe, qvod primariarum partium contrahentes fuerint. Igitur ne circa ſecuturam pacem eadem obtendant, jam mature proſpiciendum eſſe. Noſtri qvoqve poſtulabant, ut procuratoria tam pro Gallis qvam Svecis lingua latina exhiberentur; tum ut Electori titulus *Sereniſſimi* daretur, non addito vocabulo *Celſiſſimi*. Aſt ne noſtrorum cum Anglis controverſia negotiationem moraretur, pleriſqve viſum unum è corpore fœderatorum delegare ad tradenda Anglis procuratoria. Noſtros autem proteſtationem interponere poſſe, ſeſe hunc agendi modum ad exiguum duntaxat tempus probare, ac interim operam dandam, qvo ſibi ab Anglis ſatisfiat.

1677.

23. Jan.

1677. fiat. Angli contra proponebant, se ad nostros accessuros, qvoties id negotium pacis reqvirat: velle tamen ita accipi, & tractari, uti prima visitatione factum. Nec expetere, ut vicissim à nostris invisantur. Vocabulo Excellentiæ se non usuros, nec id à nostris expetere. Ac id temperamentum in mensem admitti posse. Id qvod Belgæ acceptandum svadebant. Sed qvia hi ostendebant, Anglos ideo à nostris reciprocam visitationem non desiderare, ne secundo legato locus, qvem is postulabat, in ipsorum ædibus tribuendus foret, nostri id temperamentum rejiciebant, veluti cui inæqvalitas inerat, & qvo Elector aliqvatenus extra possessionem sui juris ponebatur. Unde Kinskio à fœderatis injunctum, ut ea de re cum Anglis loqveretur. Sed is contra id qværebat, ut nostri causam suam sibi agendam deferrent, tanqvam legato capitis Imperii. Cui nostri regerebant; negotia heic ita tractanda, ut qvilibet sua universis fœderatis exponere, eorumqve consilium expetere possit; ac penes qvemlibet esse, per qvem eadem exsequi velit. Simul innuebatur, satis animadverti, qvid ipse affectet; nec hanc esse viam eo perveniendi.

13 Febr. Demum recens formata procuratoria eo, qvo supra dictum est, modo permutabantur cum adjuncta syngrapha, ista intra bimestre tempus à Principibus subscripta exhibenda per Anglos in conventum fœderatorum accelluros. A Gallis qvoqve, & Svecis peculiaria procuratoria pro Electore exhibebantur. Autographa à legatis subscripta interim in Anglorum manibus manebant, qvoad promissa instrumenta adferrentur. Angli qvoqve scripto testabantur, titulos in procuratoriis adhibitos nulli partium qvid addituros, aut detracturos. Super lingva inter Danum, & Gallum dissensio erat, qvod Danus utrumqve instrumentum latina lingva concipi vellet. Sed Demum consentiebat, ut ipse suum procuratorium latina, Gallus sibi vernacula ederet, stipulatus tamen, id Regi suo præjudicio haut fore. Elapsis duobus mensibus Anglicus legationis Secretarius nova procuratoria à Regibus subscripta nostris exhibebat, qvi & ipse procuratorio à suo Rege instructus erat, novo more, cum ista alias per ipsos legatos acta essent. Unde Elector animum advertere jubebat, ne qvid præjudicii ea novitas adferret.

Fœderatorum propositiones; 20. Febr. §. 43. Post absoluta, qvæ tractatibus præmitti moris est, fœderati ad expromenda sua postulata accedebant. Qvæ in consessu prælecta, & post obsignata per tres Secretarios ad Berclaium deferri placebat, cum petito, ut ea apud se retineat, qvoad pars adversa suas qvoqve propositiones tradiderit; ac tunc eodem tempore permutationem faciendam, & suam cuiqve tradendam. Secretarii, qvi sequestrem accedebant, erant Cæsareus, Danicus, & Belgicus. Nam Ronqvillus nondum legati personam induerat; ac nostris neminem ad Anglos mittere placebat, lite cum iis nondum composita. Lotharingus postulata sua epistola ad sequestres comprehensa per Cæsareum exhiberi curabat. Ea statim sequenti die Anglis tradebantur, Belgis ita acriter urgentibus, ne reliqvi separationis ansam præbuisse viderentur. Porro Cæsarei propositionem suam laxis verbis conceperant. *Redderent Galli occupata; damna illata cum omni causæ resarcirent: tum vie, & causæ dissidiorum in futurum idoneis modis amputarentur. A Svecis, cum nihil ablati restituendum haberent, nil præter debitam satisfactionem exigebatur.* Hispanus omnia repetebat, qvæ *à Gallis sibi erepta forent à d. 17. Septembris anno 1665. tum nominatim urbem Messanam cum omnibus aliis Siciliæ locis; ac ut omnia damna per Gallos in provinciis Hispanicis reparentur; subditis Hispanicis, qvorum bona publicata sunt, reddantur, iisqve damna illa restituantur. Reservabatur libertas ampliscandi, restringendi, aut addendi, qvicqvid pro re nata utile judicatum fuerit, qvo firma, ac durabilis pax constituatur.* Addebatur, *ut fœderatis Hispanicis juste satisfiat.* A Svecia postulabatur, ut ea *reparet omnes impensas, ac damna hoc bello terra marique data, simulqve jura Hispaniæ competant è contractibus per Hispanos impletis, sed per Svecos non servatis.* Addebatur de facultate amplificandi, restringendi, aut addendi, ac ut fœderatis Hispaniæ satisfiat. Danus à Gallo postulabat, *ut hic ipsius fœderatis satisfaciat, impensasqve, qveis indicto bello causam dederit, ac qvævis illata damna resarciat. A Svecо idem exigebat, ut omnia in statum, qvi ante pacem Brœmisebrocensem fuerat reponantur, abolita qvoqve pace Roschildensi, & Hafniensi, tum abrogata immunitate vectigalium pro subjectis Sveciæ in Oresunda. Ut Svecus ob violatam pacem Westphalicam omnibus provinciis, ac juribus ea pace partis exuatur, ac peculiariter Pomerania Electori tradatur, excepta Rugia, & Wismaria, qvam sibi recipiebat; Bremensi, ac Ferdensi Ducatu inter eos dividendo, qvi ad eundem occupandum opem contulerint. Ut qvoqve Svecorum monopolia circa commercia aboleantur: ut ob securitatem in futurum sibi certa munitiones in confiniis Regnorum tradantur: ut denique Daniæ fœderatis satisfiat.* Belgæ nil nisi *restitutionem*

21. Febr.

Cæsareorum;

Hispanorum;

Dani;

Belgarum;

1677. *tionem Trajecti ad Mosam, & qvæ eo tractu à Gallis insidebantur, deposcebant; damna accepta, & impensas æstimationem superantes condonaturi: tum ut omnes utrinqve prætensiones aboleantur, ac evitandis in futurum controversiis conventio super regendis commerciis ineatur.* Addebantur peculiaria postulata Arausionensis; inter qvæ præcipuum erat restitutio Principatus Arausionensis cum castello. Id qvod Galli suo Regi adeo absurdum visum dicebant, ut ne ad consilium qvidem super eo referre voluerit. Neqve enim ferri posse, in Galliæ Regis ditione munitiones extrui, in qvibus extranea præsidia alantur. Circa hæc postulata aliqvi probabant Belgarum moderationem super acceptis damnis, & pensandis sumtibus ultro remittentium; præsertim cum vix spes esset eo nomine qvid obtinendi. Sed alii judicabant, hoc ipso nimium pacis cupidinem prodi, Gallorum insolentiam aliturum: ac videri causas litis probare, qvi damni atqve expensarum nomine actorem nihil poscit. A Svecis nil nisi *pax postulabatur, omnes complexa, ac ut circa commercia conveniatur prævertendis in futurum litibus.* Ast nostris placebat Cæsareorum brevitatem imitari; præsertim cum hi cuperent, ut anteqvam Elector aperte Pomeraniã postularet, prius cum Cæsare super procuranda pace, aut continuando bello paciscatur. Qvæ Cæsareorum exceptio nostris suspecta videbatur, qvod Elector biennium amplius super ejusmodi pacto Viennæ sategisset, qvoad Crocovius, cum nil nisi ludibria reponerentur, inanes labores suspendere juberetur. Viennæ id prætextum adhibitum fuerat, qvod id negotium ad tractatus pacis pertineat; nunc idem à tractatibus pacis ad peculiarem conventionem remittebatur, qvam hactenus semper eluserant. Et jam non amplius obscurum erat, qvid isti agitarent, misso in Angliam Carolo Wallensteinio, ut ibi servando Belgio Hispanico super Svecicis provinciis restituendis tractaret. Cæterum nostri à Gallo postulabant *reparationem damnorum*, (qvæ post in ditione Clivica qvinqve millionibus uncialium taxabantur,) *tum ut in futurum securitati caveatur, ac ut pax omnes fœderatos complectatur.* A Sveco *satisfactio, indemnitas, & in futurum cautio* expetebatur. Ea verborum laxitas Electori fraudi esse non poterat, qvod Danus expressis verbis postulasset, ut Elector, qvod Pomeraniæ Sveci hactenus possederant, nancisceretur.

Electoris.

§. 44. Dum mox Angli, Gallorum qvoqve, & Svecorum postulata fœderatis exhibere vellent, hi excusabant, id differendum, qvoad Belgæ, qvi tunc absentes erant, revertissent. Sed Angli dicebant, eos discedentes Secretario suo mandasse, ut ea postulata suo nomine acceptet. Ast hic, cum à fœderatis interrogaretur, num ejusmodi mandata habeat, id inficiabatur, cum ea non secretarii, sed legati functio sit. Haut eo minus Berclaius cum istis postulatis in Cæsareorum ædes accedebat, sed pro Lotharingo nil adferebat, causatus, se hujus postulata nondum Gallo tradidisse. Et cum ipsi demonstraretur, ob hanc causam adversæ partis postulata admitti non posse, chartis mensæ impositis discedebat. Sed ea mox Cæsareus, & Danus ad Anglos referebant, qvi & nulla tergiversatione ea acceptabant, polliciti operam se daturos, ut etiam pro Lotharingo, & omnibus aliis postulata exhibeantur; simul Berclaii erratum excusabant, qvod Lotharingi postulata nondum Gallis tradita fuerint. Beverningio Neomagum reverso fœderati ab Anglis adversæ partis postulata accipiebant. Belga jam sua ab Anglis sibi tradi fecerat. Lotharingi postulata Galli non acceptaverant, qvod nemo à Duce adesset, justo procuratorio instructus: & cum à se omnia solennia observata sint, Duci idem faciendum. Cæterum Galli à Cæsare postulabant pacem Westphalicam restitui: Sveci, ut abolita offensarum memoria, pax Westphalica per omnia pristino vigori restituta sarta tecta persistat; omnia sibi erepta loca in statu, qvo ante bellum fuerant, restituantur; pro damnis qvoqve illatis justa satisfactio præstetur. Ab Hispanis Galli postulabant, ut utrinqve omnia in eo statu permaneant, qvo per arma in præsens sunt reposita, salvis Regis juribus, & prætensionibus. Ab iisdem Sveci expetebant amnestiam, ac ut Hispanus Sveco erepta reddi curet, tum ut pro damnis, & expensis sibi satisfiat. Danum Gallus nil aliud poscebat, qvam instaurationem pacis Hafniensis, & Westphalicæ. Svecus ab eodem postulabat amnestiam, ut pax Hafniensis sarta tecta persistat, nec minus pax Westphalica, & qvæ per Danorum arma in Germania mutationem subiere, ad normam ejus pacis redigantur. Qvicqvid Sveciæ ereptum sit, ad statum pacis Hafniensis, & Westphalicæ reducatur: pro damnis, & expensis satisfiat; de securitate in futurum caveatur. Ab Electore Galli reparationem pacis Westphalicæ postulabant; Sveci, ejusdem pacis reparationem, tum amnestiam, & ut omnia loca sibi ab Electore erepta restituantur, simul pro illatis damnis justa satisfactio solvatur. Adversus

1677. *Gallorum & Svecorum postulata.*

26. Febr.

Belgas

1677. Belgas Galli pronum animum ad instaurandam pristinam amicitiam, & pactum circa commercia ineundum declarabant. Sveci ab iisdem amnestiam, & fœderum, atqve commerciorum usum, prout ante bellum fuerit, exigebant; tum ut loca ope Belgarum sibi erepta restituantur, ac damna illata reparentur.

§. 45. Postero à traditis postulatis die Kinskius apud Danum qverebatur, qvod is pro Electore Pomeraniam Svecicam postularit. Nam si ea provincia velut commissum feudum consideretur, eam absqve Cæsaris tanqvam directi domini consensu affectari non posse. Siu belli jure petatur, Cæsari, cujus copiæ ad eam occupandam non parum opis contulerint, eo nomine debitam portionem invito detrahi haut posse. Igitur sibi utiqve contradicendum, qvod is ita simpliciter Electori Pomeraniam stipulari ausus sit. Et cum Danus qværeret, num suis qvoqve postulatis circa Rugiam, & Wismariam contradicere velit, id qvoqve affirmabat. Isthoc nostris eo magis inopinum accidebat, qvod Cæsarei Viennæ sæpenumero testati fuerant, lubente Cæsare Electorem Pomerania potiturum, ac eum hoc fine operam navaturum. Nec iste inficiatus fuerat, qvin eo nomine Cæsari præmium deberetur, sed judicaverat, id huncce in Pomerania qværere non posse, nec velle. Deniqve ea postulata tantum contra Svecos dirigi, salvo jure Cæsaris de feudo investiendi. Ea de re cum Elector Viennæ per Crocovium qvereretur, respondebatur; Kinskium præter mandata id feciisse; sed qvod de Cæsaris directo dominio, & satisfactione mentionem injecerit, id improbari non posse. Ac cumprimis Præsul Gurcensis Goëlius acriter contendebat, Cæsari qvoqve partem de Sveco ereptis deberi: ac si Elector Dano Rugiam cesserit, cur non & Cæsari aliqvid tradi possit? Ac sane Viennæ admodum ægre ferebant Electorem procuratoria cum hostibus permutasse; nec digerere poterant, Principem Imperii cum hostibus nullo intermedio, & velut primariam partem tractare, ac Cæsarem, qvi utiqve caput Imperii, & omnium fœderatorum sit, duntaxat ut simplicem fœderatum haberi. Ac fremebat Gurcensis, Brandenburgicum solum esse ex omnibus Electoribus, & Principibus, qvi nullo intermedio tractare velit. Nam omnes alios Cæsari adhæsuros; ac parum lucraturos fœderatos, si hoc modo à Cæsare se disjungant. Male qvoqve factum, qvod Elector insalutato Cæsare super emolumentis suis per exterum Regem proponi curasset. Kinskio autem rescribebatur, recte eum fecisse, qvod Cæsaris autoritatem asserverit. Ita tamen ageret, ne fœderatis suspicio injiciatur. Ita in obscuro non erat, qvantum favoris sibi Elector ab aula Cæsarea spondere posset, ubi qvotidie qverelæ personabant, Cæsarem nihil, fœderatos omnia lucrari, ac isti qvoqve de sua satisfactione cogitandum. 1677.

Cæsarem Dani postulatis contradicit. 11. Febr.

§. 46. Post tradita hinc inde postulata super modo deinceps tractandi consultabatur. Ubi Ronqvillus censebat, melius fore, si deinceps non scriptis, sed per seqvestres agatur. Id qvod aliis periculosum videbatur, qvod Sveci Coloniæ nunqvam aliqvid proposuissent, qvin id à Gallis in antecessum probatum esset. Congressu habito Kinskius proponebat; post absoluta præliminaria, & exhibita utrinqve postulata super ejusmodi tractandi ratione conveniendum, ne adversæ parti ansa præbeatur fœderatos arguendi, velut pacis negotium non eo studio, qvo possint, & debeant, urgeant, aut iisdem inter se non probe conveniat. Ad qvæ Beverningius; duas tantum esse vias tractandi; cum ipsa parte adversa nullo intermedio, aut per seqvestres, idqve viva voce, vel scripto. Inter hos duos modos neutrum solum eligi posse, sed istum, aut hunc adhibendum, prout negotiorum, qvæ occurrant indoles videatur reqvirere. Nam sola scriptione negotiationem in longum extrahi. Esse qvoqve materias, qvæ facilius elaborari, & expediri qveant colloqvio, qvam scriptis. Sæpe qvoqve è negotiatione, qvæ scripto peragitur, exacerbationem, & alia incommoda provenire. Igitur si utiqve scripto qvid proferre consultum ducatur, per seqvestres id exhiberi posse. Ast si sermone agere placeat, & Anglorum opera uti, multa dissidia, & alia incommoda verenda esse. Nisi de hoc convenirj possit, ut utraqve pars, & Anglium curia singula conclavia habeant, & inter partes hinc inde ire velint. Sibi qvidem decretum libertatem istam sibi reservare, ac Reip. suæ negotia tractare, prout commodissime fieri qveat. Si qvæ difficultas occurrat, superiorum sententiam brevi à se exqviri posse. Se qvoqve non intercedere, qvo minus & alii fœderati eo tractandi modo utantur, qvi ipsis commodissimus fuerit visus. Danus, & nostri Principum suorum mandata expectare volebant. Kinskius hactenus Belgæ sententiam probabat, ut modo scripto, modo sermone ageretur pro captu negotiorum. Sed super Gallorum, & Svecorum propositionibus initio non nisi scripto

Num deinceps scripto, an viva voce tractandum?

1677. pto agendum, ac superiorum mentem de iis prius exqvirendam. Sed nec prius tractari qvid posse, qvam Sveci, Galliqve ad fœderatorum postulata qvid responderint. Contra Belga: Qvia postulata utrinqve non omnia ejusdem indolis sint, non necessarium esse circa ea eodem modo procedi. Sibi qvidem nil propositum, ad qvod per mandata sua non è vestigio respondere qveat; & credere alios qvoqve paribus mandatis instructos. Nam si ad qvælibet proposita declaratio domo petenda sit, negotiationem in infinitum extractum iri. Aſt Kinskius: si Beverningius eo modo processurus sit, eum prius ad finem perventurum, qvam cæteri cœperint. Expedire autem, ut negotium pariter agatur, nec unus alterum prævertat. Nec sibi videri super omnibus nova mandata petenda; sed id saltem rationis esse, ut prima partis adversæ postulata domum mittantur. Ad hæc Belga: non esse qvod fœderati metuant, ne sua negotiatio propere nimium succedat. Nam Arausionensem inter alia postulare Principatus sui restitutionem, uti ante demolitionem castelli fuerat; qvod negotium à Parlamento Delphinatus examinandum sit. Tractatu qvoqve commerciorum, qvi qvinqvaginta capitibus constare debeat, multum temporis absumendum. Ea omnia sermone expedienda. Sed ne fœderatis causa diffidentiæ sit, se jussum non prius concludere, qvoad & reliqvis fœderatis satisfactum sit. Sed ideo non posse certo agendi modo adstringi. Interim non omissurum omnia communicare, idemqve à reliqvis expectare. Id qvod ab omnibus acceptabatur, ac mensis unius spatium sumebatur responso ad proponta adornando.
11. Mart. Sed Beverningius negabat certum tempus præfigendum, sed qvamprimum mandata adfuerint, in negotio pergendum. Sane se interim circa formandum commerciorum tractatum cum Gallis laboraturum. Kinskius: si Beverningius solus in tractatu pergere velit, visum iri secessionem à reliqvis agitare. Qvo dicto Belga commotior dicebat; ne eam rem amplius tangeret. Se prout fœdere conventum in hoc negotio processurum; qvo non reqviratur, ut omnia fœderatorum scripta eodem tempore tradantur. Qvin si crastina die Reip. negotia ad finem perducere possit, id non omissurum, nec fœdera repugnare. Nil tamen pro perfecto habiturum, ni tractatus qvoqve cum fœderatis absoluti sint. Nam & fas, & rationes Reip. reqvirere, ut ne ipsa sola pacem sibi faciat. Et si ea mens fuisset, dudum pacem haberi potuisse lautioribus qvam nunc conditionibus, ubi junc- 1677.
to gradu cum fœderatis sit procedendum. Ea declaratione Hispanus adqviescebat. Sed nostri, & reliqvi monebant; nil qvoqve faciendum, qvod speciem separationis habeat. Ubi Belgæ negotia sua absolverint, si maxime fœderatos non deserant, præsumendum tamen esse, eosdem fœderatis instituros, ut & ipsi ad finem properent. Belgæ: nil de ipsis præsumendum, nisi qvod honestos, ac fidos fœderatos deceat.

Nostrorum cum Cæsareis super modo tractandi disceptatio.

§. 47. Nostri inde à Cæsareis inqvirebant, qvænam decretoria Cæsaris sententia super modo tractandi sit, qvod ipsi è Kinskio intellexerint, Cæsarem tanqvam caput Imperii solum cum adversa parte tractare velle, Ordinum negotiis per Cæsareos expediendis. Tum qvod Kinskius Electoris postulato circa Pomeraniam se opposuerit, addito, si Cæsar alibi satisfactione non potiatur, regressum ad Pomeraniam sibi reservaturum. Atqvi hanc sibi sententiam esse, Electorem velut primariam partem apud hos tractatus considerandum; qvod bellum contra Svecos suis auspiciis gesserit, ac in id tam multa impenderit, nulla ab Imperio ad id ope collata. Et Cæsarem jam ante sesqviannum declarasse, se favente Electorem Pomerania potiturum. Kinskius ad hæc: Cæsarem utiqve caput referre, à qvo Ordines pendere teneantur. Sed & usu receptum, ut Cæsar cum hostibus pro se, ac Ordinum nomine tractet: unde & Electorem Cæsaris voluntati se heic accommodaturum. De Pomerania negotium Cæsarem, ac Imperium tangere, cujus nomine bellum contra Svecos geratur. Cæsarem Electori eam provinciam non invidere, salva tamen sua satisfactione, ac ut legitimo modo procedatur. Osnabrugæ, & Monasterii Cæsarem velut primarium tractasse, idqve Ordinibus tunc non male cessisse: inprimis Bavarum cupita sibi per Cæsarem perviciſſe. Eandem viam si insistat Elector, sine dubio facilius voti damnandum. Nostri contra: Ab Electore utiqve Cæsarem Imperii caput haberi: sed haut ideo ei vetitum esse, sua negotia per proprios legatos expedire, qvos ideo magnis sumtibus heic sustentet. Ipsum qvoqve instrumentum Pacis Westphalicæ testari, cum Ordinibus ibi tractatum fuisse. Nec tristem adhuc memoriam exoleviſſe, uti tunc Elector modo cum hoc, modo cum alio, nullo interveniente, tractarit. Svecos suam satisfactionem qvæsiviſſe; sed de æqvivalente non à Cæsare, sed à Svecis propositum, & super iis Electoris nomine admo-

1677. modum operose per suos actum fuisse. Pomeraniam feudum Imperii esse sat sibi cognitum; ac suo tempore haut omissuros, qvæ conditio fiduciaria reqvirat. Sed eam in præsens à Svecis postulandam; & qvod Elector id facturus sit, dudum Cæsari significasse, hautqvidqvam repugnanti. Danum tanqvam fœderatum de ea recte tetigisse. Alias se omnia circa hoc negotium cum Cæsare libenter communicaturos. Sed qvod ea sibi summa occupationis esse debeat Cæsareos monere, ac edocere, id moribus Imperii, ac dignitati Electoris repugnare. Eqvidem bellum ab Imperio Svecis indictum, sed ab Electore gestum, ac exiguam Cæsareorum manum, qvæ interfuerit, in rationes venire non posse. Electorem qvoqve majorem exercitum, qvam Cæsarem, in Alsatiam duxisse, & omnia adhuc facere paratum, qvæ bonum publicum, & fœdus reqvirat. Bavaro qvondam privatas conjunctionis cum Cæsare causas fuisse. Electorem sibi Cæsaris opem certo promittere, eamqve decenti modo exposcere. Sed id in controversiam vocatum haut iri, qvo minus facta communicatione negotium suum per suos agat. Imperium hisce tractatibus miscere infinitis ambagibus, ac tricis ansam præbiturum, in distractiones desituris; id qvod & Belgæ aversentur. A Cæsare de satisfactione ad fœderatos rejectum. Qvam parum apud hos profectum sit, Bremensem congressum ostendere. Igitur se circa proponenda sua desideria non posse conventionem fœderatorum morari. Atqve hæc ut dextre ad Cæsarem referre velint, petere. Qvæ Cæsarei modeste admittebant, ac ipsi ultro contradictione desistebant.

Electoris Palatini propositio.

§. 48. Accedebat dehinc nomine Palatini Electoris Ezechiel Spanhemius, ablegati extraordinarii dignatione, qvi istius nomine literis ad omnes legatos allatis judicabat hoc modo se satis legationis suæ fidem fecisse. De cætero qvomodo is Princeps indemnis præstandus sit, in Cæsaris manus contulisse. Sed nostri arbitrabantur, hoc modo eum scopo suo haut potiturum; nec tutum, aut sat ex dignitate esse isti, omnes suas rationes Cæsareorum arbitrio committere. Is scripto corpori fœderatorum oblato postulabat, ut sibi congressibus fœderatorum interesse liceat; ut fœderati ejus Principis postulata cum suis proponere, ac urgere velint, qvo eidem pro illatis damnis satisfiat, utqve nisi obtenta ea indemnitate, ac in futurum cautione pacem non concludant. Sed qvia isti Principi cum Cæsare duntaxat fœdus intercedebat, pleriqve censebant, eundem admitti non posse, qvod hoc modo cœtus nimis numerosus fiat. Si qvid tamen nomine Electoris sui congressui exponendum habeat, accessum patere; ubi negotia tractentur, qvæ Palatinum non tangant, ultro accedere omissurum. Reliqva qvæ postulet neminem in se recipere solere, ni peculiari ad id fœdere obstringatur. 1677.

Hanoverani Ducis postulata.

§. 49. Hanoveranus qvoqve Dux postulata sua scripto concepta ad Electorem mittebat, petens ut is eadem per legatos suos Neomagi fulcire velit. Cui Elector prolixe promittebat, svadens tamen, ut heic Cæsareorum potius opera uteretur. Scilicet, qvia præcipuum Ducis postulatum parum æqvitati congruere videbatur, qvo rationem haberi postulabat prætensionum, & jurium, qvæ ipsi ex pacto cum Rege Daniæ, Electore, & Monasteriensi super medio statu qvæsita fuerint. Cum non adpareret, qvo juris colore is postularet pactum præstari, ut exercitui suo ab Ordinibus alimenta præberentur, ipso interim nullam patriæ operam navante, ac eo nomine ab hoste pecunias accipiente. Cæterum Galli ob florentia tunc arma sua valde insolentes diu de pace mentionem non faciebant; uti nec Angli, qvorum studium in Gallos nimium pellucebat: cum tamen Sveci antea Coloniæ nullum diem præterire siverint, qvin pacem ingererent. Angli contra nil aliud faciebant, qvam ut scripta, & declarationes parti adversæ traderent; ipsi nil in medium adferrent, qvod ad ullam difficultatem tollendam facere posset. Et si qvando suam sententiam circa qvidpiam proferrent, ea plane ad mentem adversæ partis formata erat. Galli tunc de induciis in aliqvot annos movebant, id qvod credebatur fieri eludendo Parlamento Anglicano, qvod mirum qvantum Galliæ arma inferre cupiebat. Sed Elector causæ communi nocentius nihil ducebat, qvam si per inducias tanta commoda Gallo in manibus relinqvantur.

De responso ad hostium propositionem disceptata.

§. 50. Cæsarei post nostris legendam præbebant formulam responsi sui ad hostium propositionem. In qva nostri notabant, qvod Sveci, & Galli aliqvo modo ad pacem Westphalicam sint admittendi. Nam ad hos utiqve eam pacem non amplius spectare, ac novam cum iis pacem ineundam. Igitur ea verba inducebantur. In responso autem, qvod Svecis peculiariter dandum erat, nostri observabant, qvod Cæsar ab his

1677. postularet, ut sibi ob damna fœderatis, & Ordinibus Imperii illata satisfactionem præstarent; & qvod Cæsar feuda, qvæ Sveci ab Imperio tenuerant, sibi, ac Imperio vindicaret. Eqvidem ea feuda recte caduca declarari, ac penes Cæsarem esse eadem in alios, ac præcipue in Electorem conferre, velut cui Svecus arma intulerit, & qvi tantos sumtus iis provinciis recuperandis impenderit. Sed qvod præter commissa isthæc feuda Sveci aliis qvoqve damni reparationem præstare debeant, id non his solum absurdum, & iniqvum visum iri; sed & hoc modo fœderatos, qvibus à Svecis satisfactio debeatur, à feudis illis excludi. Igitur id caput ita formandum, ut caduca ea feuda ad satisfaciendum Electori, & aliis impendantur. Ad qvæ Cæsarei: Cæsarem non repugnare, qvo minus è feudis istis Electori, & aliis læsis satisfiat. Sed sibi haut mandatum, eo scripto Cæsarem ad id obligare. Tum nec Cæsaris satisfactionem ad liqvidum deductam, de qva nemini fœderatorum Bremæ agere libido fuerit. Deniqve super commissis feudis non cum Svecis, sed cum Cæsare tractandum, & ea è manibus hujus accipienda, qvi & ad ea recuperanda copias suas miserit; & esse negotium, qvod totum Imperium spectet. Nostri contra: hoc scripto fœderatos sua prætensione plane excludi, dum seorsim fœderatorum satisfactio, seorsim itidem caduca feuda qvasi ad Cæsarem spectantia ponantur Cæsarem qvoqve jam declarasse, se ut Elector Pomerania potiatur operam daturum. Sed & jam ante biennium Electorem cum Cæsare super hoc negotio convenire, & ut huic qvoqve satisfiat, obstringere se voluisse. Sed istud ad fœderatos fuisse rejectum. Cæsarem nunqvam qvid desideret liqvido declarare voluisse: ac Electorem adhuc ad omnia æqva se offerre. Deniqve commissa feuda non in Cæsaris manu esse. Qvæ Elector teneat favore Numinis recuperasse, ac omnes fortunas eis impendisse, ipsa qvoqve vita non semel periculo exposita. Nec eum tanqvam Cæsareum ducem considerari posse: sed tanqvam Electorem, qvi solus à Svecis impetitus fuerit, illatam sibi injuriam ultum, ac bellum in Pomerania gessisse, ad qvod Cæsareæ copiæ parum contulerint. Supremum Cæsaris jus in dubium haut qvidqvam vocari; id tamen non obstare, qvo minus Electori fas sit super eo, qvod ipse armis suis hosti extorsit, cum hoste agere. Qvando Pomerania primum in Svecos transferebatur, cum Electore fuisse actum. Jam eidem cum Svecis agendum, ad qvos ea provincia post pervenit. Et si maxime inter Cæsarem, & Electorem super ea convenerit, huic tamen nondum cautum fore, ni & cum Svecis transegerit. Ita pervicerunt nostri, ut Cæsarei eam clausulam omitterent, per qvam innuere videbantur, qvasi læsis fœderatis aliunde, qvam è caducis Svecorum feudis satisfaciendum foret. Ejus loco ponebatur; Cæsarem fœderatorum postulata reservare, iisqve insistere. Et cum nostri monerent, ea qvæ de vindicatione caducorum feudorum posita erant, non alium sensum, & effectum habere, qvam ut infeudatio penes Cæsarem maneat, Cæsarei non contradixerunt. 1677.

Super responso ad hostium propositiones cum Belgis discepta.

§. 51. Ast cum fœderati ad postulata adversæ partis responsa sua edere vellent, Beverningius in idem consentire nolebat, causatus, se non habere qvod respondeat, ac jam cum Gallis locutum; nec certo agendi modo posse adstringi. Ejus instituti causa erat, qvod fœderati lente nimis molirentur, nec Belgarum res ferrent negotium ita trahi; præsertim cum Cæsareis pax cordi non esse videretur, qvod haut consultum foret tractatus festinare eo tempore, qvo fœderatorum arma tantopere langvebant. Ac revera tractandi modus, qvem Belga adstruere volebat, Electori valde suspectus erat. Nam si Gallis, ac Belgis inter se convenisset, isti erga fœderatos eo duriores sese ostensuri erant, ut importuna Belgarum festinatio paci plus moræ, qvam facilitatis adferret. Sed & Galli o- *3. Maij.* stendebant, se non amplius scripto, sed extempore viva voce responsuros: qvid fœderati facere velint, in ipsorum arbitrio positum. Unde qvæstio surgebat, num fœderati haut eo minus scripto responsum concipere debeant? Ubi considerabatur, hostes fœderatis qvæpiam injuria objicere posse, qvæ uti revera se habeant, orbi exponi expediat: igitur omnibus placuit scripto respondendum, ac præcipue Hispanis. Nam suo Regi violationem pacis Aqvisgranensis impingi, qvod Arausionensi Caroloregio obsidium circumponere paranti nonnihil copiarum submiserit. Ac Gallum ad Svecos, & Anglos velut triplici fœderi innexos literis datis id pro violatione pacis habendum censuisse, qvod & ipsi pro tali declaraturi sint. Sed Svecum respondisse; sibi prius Hispani sententiam cognoscendam, anteqvam certi qvid super hoc statuere qveat. Anglum autem citra ambages pronuntiasse, pacem eo facto violatam haut videri. Nam socium socio auxiliares copias mittere posse salva pace cum eo fœderato,

1677. derato, adversus qvem auxilia mittuntur. Unde legationi Hispanicæ necessum esse eam criminationem à Rege suo avertere. Danus qvoqve dicebat; à se Gallo demonstrandum esse, evictionem pacti Hafniensis, qvam Gallus præstandam suscepisse se ferat, non obstare, qvo minus Rex suus cum Electore, & Belgis fœdus mutuæ securitatis inire posuerit. Et qvia Svecus inde Electorem hostili modo invaserit, simul novum se hostem Belgis exhibuerit, Regi suo ex eo fœdere arma fuisse arripienda. Unde culpam abruptæ pacis penes Svecos hærere, qvi & dudum tractatum Hafniensem multis modis violarint. Ita reliqvi omnes consentiebant, scripto respondendum esse. Solus Beverningius non significabat, qvid ipse facere decrevisset: sed qvi mox declarabat, se nil scripti exhibiturum. Id qvod eo magis suspectum habebatur, qvod omnes tres legati Gallici apud eum fuissent. Altera qvæstio erat, qvomodo fœderati de eo certi esse qveant, qvod Galli, & Sveci viva voce exposuisse ab Anglis ferantur? Nam his tractatibus jam compertum, tam Anglos, qvam hostes qvædam proposuisse, qvæ post agnoscere noluerint. In iis etiam, qvæ sermone referantur, facile errorem incidere posse. Unde certo non constare, num id, qvod à tertio memoretur, ab adversa parte dictum sit, an minus. Nec idoneam probationem eorum, qvæ proposita sint, in manibus esse. Anglos hucusqve scripti qvid exhibere abnuisse, præsertim præter partium voluntatem. Si Secretarii colloqviis adhibeantur, eorum acta tantum privati scripti loco habitum iri: ac si adversa pars ista inficietur, & ad sua protocolla provocet, intra contradictionem hærendum, ac neutrum alteri fidem adhibiturum. Igitur placebat ab Anglis percontari, qvod remedium ipsi suppeditare qveant, ut de eo qvod agatur, certo constare qveat, nec discrepantia, aut contradictio deinceps metuenda sit? Ad hanc qvæstionem Galli
9. Maij. declarabant: sibi placere, ut id, qvod ipsi viva voce seqvestri exposituri sint, ab hoc annotetur, aut uti id eidem ad calamum dictatum fuerit, scripto adversæ parti exhibeatur, ea tamen lege, ut fœderati qvoqve nihil scripto agant, sed pari modo à se proponenda seqvestri dictent, aut ab hoc in chartam conjectum ex hac exponi curent. Qvod temperamentum fœderatis probatur, ut tamen id, qvod adversa pars seqvestribus exposuisset, ab his in forma probante exhiberetur. Iidem tamen sibi reservabant facultatem in futurum pro re nata scripto, aut viva voce tractandi. Sed Belgæ se obstringere nolebant ad sententiam suam una 1677.
cum reliqvis fœderatis declarandam, nec ad mentem suam scripto exponendam, si fœderati scripto id faciant. Etsi alias sancte testarentur, se non aliam pacem nisi communem facturos, atqve idem se apud Gallos declarasse; nec se adversæ parti qvid proposituros, qvod non antea fœderatis communicarint. Haut eo minus Electoris Arausionensi per literas demonstrabat, uti hic agendi modus suspicionibus ansam præbeat, facile separationem fœderatorum, & peculiarem pacem productur is: simul per eundem paci remoram injici. Nam qvo faciliores sese Galli adversus Belgas exhibeant, eo difficiliores erga alios fore. Sed si omnes pari passu procedant, longe majus operæ pretium facturos. Galli post ostenderant, modum tractandi, qvem ipsi elegerint, brevissimum; sed eum, qvi fœderatis placeat, prolixiorem esse. Sed si fœderati eidem inhærent, sibi qvoqve reservandum, pro re nata scripto aut viva voce agere. Sed si responsa sua voce proferre placeat, se eadem Anglis ad calamum dictaturos, qvi ex eo dictato fœderatis mentem suam exacte sint exposituri.

§. 52. Ita demum Cæsarei id responsum ad Gallorum propositionem exhibuere, qvod verbis conceptis heic adponere placet. *Si pari actionum sinceritate cum S. Cæsarea Majestate & Imperio Romano pro Pacis Westphalicæ, deinceps ac fraterna amicitia conservatione Serenissimus & Potentissimus Franciæ Rex Christianissimus concertasset, qvantum propositio pacis novissima ex ejusdem parte exhibita præ se fert, non esset, qvod Gallia dictæ pacis nunc postliminio reducendæ gratia qvæsita media venaretur. Qvam multifariam Pacis Westphalicæ, tanto labore, impendio, & Christiano sanguine parte, contravenerit Gallia, non minus notum est omnibus, qvam comperta sunt consilia, cura & industria, qvæ eidem semper conservandæ, & imprimis funesto præsenti bello, ab Imperio Sacro, ejusqve finibus amovendo impendit S. C. M. utpote non verbis tantum, sed & factis luculentissime comprobatum. Serenissimo Lotharingiæ Duci anno superiori 1670. ditione omni, ac vix non vita exuto à Gallia, unica salus reliqva erat in fuga, & Sacri Imperii protectione, qvæ ipsum tanqvam membrum Imperii ab antiqvissimo tempore complectitur, Augustissimus Cæsar ut bello viam præcluderet, nec tamen Principi ad suam, & Imperii protectionem recurrenti deesset, maluit amicis officiis, qvam armis ejusdem restitutionem experiri, factam eum finem extraordinaria ad instan-*

Responsum Cæsareorum ad Gallorum propositionem 3. Maij.

1677. tiam totius Imperii ad Regem Franciæ Christianissimum ablegatione. Sed Cæsaris officiis non attentis, Imperii palam rejectis, ostendit jam tum præclare Gallia, quantam amicitiæ cum Imperio conservandæ rationem, & tranquillitatis publicæ considerationem haberet. Objecit paulo post unicum studium extendendi fines Regni in imparatas semper Gallia armis fœderatas Belgii provincias, & simul tum nodum specimen religionis suæ dedit Gallia conservandæ cum Sacro Imperio amicitiæ, & Westphalicæ pacis anno 1672. ingenti exercitu Imperium, non requisito, nimis consentiente Cæsare & Imperio contra dictam pacem non tantum, sed & Gentium mores educto, non tantum facta ex ipso Imperio contra unitas Belgii provincias aggressione, sed & occupatis urbibus & castellis Imperii; etiam aliquibus multo hostili milite insessis, eorum aliis pro lubitu destructis, aliis munitis, designatis per Imperium cum summo multorum ejusdem Ordinum damno pro libitu hospitationibus, combusto ad Argentoratum super Rhenum ponte, ejusque reparatione in majorem Imperii, ejusque Comitialis Ratisponensis concluſi contemtum vi prohibita, postquam imploratione continuis Ordinum Imperii mota S.S.C.M. pro munere suo Imperatorio ad tuendos Imperii fines, & Status, qui impetebantur, exercitum adduxisset, intercederet autem Suecia oblata mediatione, simul divulgaret Gallia, se copias suas Imperio retracturam, si & suas Cæsar revocaret, S.C.M. ne & hanc restabilitæ tranquillitatis publicæ occasionem negligeret, legiones suas ex Imperio in hereditarias provincias suas reduxit; sed facturam, quæ se vulgaras Galliæ tantum abest ut impleverit, quin potius majorem in Imperium, & intima Franconiæ militem reduxerit, ad dedi tionem arces Cæsareo milite munitas coëgerit, ditiones Electoris Trevirensis sub vano prætextu, quod unitis Belgii provinciis fœdere junctus esset, ferro & igne prius devastarit, quam copiæ Cæsareæ in auxilium denuo accurrere possent, ipsamque adeo Archiepiscopatus metropolim vi expugnarit, decem Alsatiæ civitates Imperiales debitæ protectionis loco propugnaculis, tormentis bellicis, armis, & ipsis adeo mœnibus exuerit, easque ad inopes redegerit. Serenissimi Electoris Palatini Status prius hospitationibus exhaustos, eo tempore quo eidem amicitiam offerebat, occuparit, & exusserit. Ut oppresso Circulo Burgundici, innumera incendia urbium & pagorum, totius fere tractus Rhenum inter & Mosellam, & Saram, licet solutis etiam ante terminum debendi exactionibus, jure gentium ab omni exsecutione securi esse debuissent, violata sepulcra, ipsos Principum cineres, omnemque sacra, & quæ alia supra usitatum inter Christianos morem immania à Gallis in Imperio durante bello perpetrata sunt, prætermittantur, cætera semper amicitiæ Gallicæ cum Imperio studiosè culta funesta illustria monumenta. Quibus rite consideratis nemo non videt, S.C. M. & Imperio Romano, omnibusque ejus Statibus, nisi ita major pacis in posterum a Gallia observandæ securitas fiat, præsens semper fore periculum, ne jam iterum occasione belli arrepta gravior adhuc in totius tandem sacræ compaginis dissolutionem irruat. Proinde jure non nisi optimo maximo non omnia solum, singulaque, quæ in Imperio sacro, ejusque Circulis a Gallia adhuc detinentur, vel ad tempus usque pacis detinebuntur, utpote bello injusto occupata a S.C.M. repetuntur, sed simul etiam cum pro expensarum, damnorumque in immensum excrescentium reparatione, tum pro majore securitate de non amplius turbando contraveniendove habenda, Alsatia, atque Brisacum, itemque nuper receptum Philippiburgum cum advocatia in Imperiales Alsatiæ civitates unitas, uti & feudalitate in ea, quæ Episcopatuum Metensis, Tullensis, & Verdunensis Vasalli extra modo memoratorum Episcopatuum territoria intra Imperii fines possident feuda, vindicantur. Pacis enim Westphalicæ, cujus de cætero intemerata semper inter Cæsarem, Imperiumque sacrum lex stabit, atque sanctimonia, beneficiis omni jure excidit Gallia, quæ eidem pro arbitrio contravenit: reservata de reliquo, ut nuper in propositione, omnibus & singulis Imperii Statibus, & confœderatis competente satisfactione, & indemnisatione, tum etiam facultate mutandi, ac ulterius explicandi, prout in rem pacis, ac securitatis publicæ visum fuerit; itemque quod de singulis haut prius conventum intelligetur, quam de toto, & cum omnibus fœderatis fuerit concluſum. 1677.

Cæsareum responsum ad Svecorum propositionem.

§. 33. Ad Svecorum autem propositionem à Cæsareis reponebatur. *Si pacis Westphalicæ cum Sacra Cæsarea Majestate, & Imperio Romano observandæ tanta Serenissimo, & Potentissimo Sveciæ Regi cura fuisset, quanta in propositione pacis nuper ex ejusdem parte exhibita prædicatur, non utique bellum inter S.C.M. & Imperium, Coronamque Sveciæ enatum, neque de pacis reducendæ, firmandæque mediis cum eadem nunc agendum foret. Experta namque inprimis Svecia est, quam minime averſi S. C. M. in ipsam animi sit, quanta potius solicitudine omnia media pertentaverit, quibus hanc belli aleam ab Imperio Sacro, ejusdemque Statibus averteret, stabilitamque amicitiam, & sacrosanctum dictæ pacis instrumentum tot laboribus, & impen-* 3. Maij.

diis

1677. diis coactum in suo vigore conservaret; quam facilem, & promtam se ad acceptandum mediationem à Svecia ultro oblatam exhibuerit, licet non ignoraret, illam cum Gallia, Imperii hoste arctissimo fœdere junctam esse, postlabita omni licet legitima suspicione constantis suo pacis, & tranquillitatis publicæ desiderio non alias a Svecia conditiones stipulata, quam quas ipsa mediationis natura dictat, scilicet ut durante cum Gallis bello Svecia nulli ex belligerantibus assisteret, nec mediationis officio, usque dum communis pax stabilita foret, sese abdicaret, multo minus quid hostile contra S. C. M. Romanumque Imperium, & ejus confœderatos moveret. Quam declarationem cum declinaverit Svecia, clarius patuit, hanc mediationem non tam offerri ad restingvendum belli flagrantis fomitem, quam ad destinendas Cæsareas copias ab Imperii defensione, comprobante paulo post idipsum evidenter rerum subsecutarum eventu, atque ipsius mediationis in hostiles invasiones conversione. Meminit sine dubio adhuc Svecia, cum anno 1673. Galli copias suas, quibus Imperio non amplius suspecti, sed palam infensi erant, ex Imperio se reducturos divulgassent, si & Cæsarea, quas illuc pro Statuum, & finium Imperii tutamine exciverant, revocarentur; quo animi candore & sinceritate solo pacis, & tranquillitatis publicæ studio S. C. M. ad dictam mediationis Svecicæ oblationem prius legiones suas ex Imperio in provincias suas hereditarias revocaverit, ut proinde Galli post revocatas bona fide copias Cæsareas majore quam antea milite Germaniam inundarent, & in Imperii meditullium, Franconiæ nimirum intima, penetrarent, aliaque in Imperio non hostiliter tantum, sed & immania ab ipsa Svecia improbata perpetrassent, S. C. M. & Imperium à Ser. Svecia Rege, ut Imperii statu, si non arma auxiliaria contra manifestos Imperii invasores & hostes, certe uti à mediatore nihil minus, quam hostilia contra Imperium, ejusque Status debuerit expectare. Sed visum est Svecia præferre omnibus aliis nexibus, ac rationibus fœdera cum hostibus Imperii icta, neque non tantum accedere, quorum violentam invasionem, & perpetrata in Imperio improbare se sæpius antea contestata fuerat, sed & subito, ac derepente, quo Serenissimum Electorem Brandenburgicum ab expeditione pro defensione Sacri Imperii suscepta diverteret, ejusdem ditionis occupatis urbibus invadere, ac omnibus S. C. M. & totius Imperii debitis rationibus insuper habitis violenter detinere, & ad extremum exhaurire; eoque nemo insidias ibit, à Svecia bellum Imperio illatum post habita fide, quæ S. C. Mti & Imperio, uti ejusdem Status ac membrum, obstringebatur, Pacem Westphalicam infractam, turbatam tranquillitatem publicam, adeoque jure merito hostem Imperii in plenis ejusdem comitiis declaratam, non attenta compositionis oblatione, quam Sacra C. Mti & quibusdam Imperii Principibus tum demum fecit Svecia, cum in occupatis ditionibus pedem ita jam firmasset, ut satis adpareret, haut ipsam, uti juris est, violenta possessione statim cessuram, restituramque omnia in integrum, sed id potius per dictam oblationem compositionis, & tractatuum intendere, ut ex detentione legitimam quasi possessionem asseveret. Ex quibus evidens est, nisi major pacis à Svecia in posterum observandæ securitas obtineatur, Augustissimo Cæsari, Sacroque Imperio præsens semper fore periculum, ne prima occasione iterum pro causa belli arrepta in totius tandem sacræ compaginis dissolutionem gravior, & funestior irruat. Proinde Augustissimus Imperator ad se & Imperium Sacrum revoluta vindicat omnia Dominia, Principatus, & generaliter omnia feuda, quæ à M. S. C. rea Serenissimus Rex recognovit, sive ea possideat adhuc, sive Cæsareus, & Electorum, aliorumque Principum armis recepta teneantur. Pacis enim Westphalica (cujus de cætero intemerata semper inter Cæsarem, Imperiumque Sacrum lex stabit, atque sanctimonia) beneficiis omni jure excidit Svecia, quæ eandem pro arbitrio infregit, reservatis de reliquo, ut nuper in propositione, omnibus & singulis Imperii statibus, & confœderatis competenti satisfactione, & indemnisatione, tum etiam facultate mutandi, ac ulterius explicandi, prout in rem pacis, ac securitatis publicæ visum fuerit, itemque quod de singulis haut prius conventum intelligatur, quam de toto & cum omnibus fœderatis fueris conclusum. 1677.

§. 54. Ast nostris brevi responso defungi satius videbatur, cum qvicqvid ex hoc bello emolumenti capturus esset Elector, non verbis, aut speciosis rationibus, sed armis pervincendum videretur. Unde Gallis ita responsum. *Si studia Sua Serenitatis Electoralis pro pace conservanda ex optimo profecta animo locum invenissent, in præsenti de reducenda illa non foret liberandum: nunc postqvam ad hos tractatus pacis perveniendum fuit, & Serenissimus Elector Brandenburgicus pacem, ut qvam maxime desiderat, idqve agit unice, ut & honesta, & secura illa stabiliatur, rationes ejus ineunda in postulatis suis supra dicto die exhibitis proposuit. Illa cum justa, & æqua sint non alienum ab illis fore Regem Christianissimum sperat, atque iisdem proinde S. Ser. Electoralis inhæret firmiter. An vero illa pacis Westphalicæ leges, qvæ ab una parte in suscipiendo, gerendo-* *Nostrorum ad Gallorum & Svecorum propositionem responsum.*

1677. *rendoque hoc bello neglecta sunt, alteram obstringant adhuc partem, ita ut etiamnum in iis, qvæ bellum hoc spectant, stare teneatur, in eo Serenissimus Elector juris gentium notissimæ dispositioni adqviesceret.* Sed Svecis id responsi reponebatur. *Si S. S. E. Br. terras Suæ Majestatis Sveciæ hostiliter invasisset prior, si non lacessita injuria damnisve ad arma indicenda Regiam Majestatem Sveciæ, & ad sumtus in ea faciendos permovisset, jure merito S.R.M. illa à Sua Ser. El. is posceret, qvæ scripto die 3. Martii Neomagi exhibito ab eodem postulavit. Nunc cum nihil tale Ser. Electori imputari possit, contra vero orbi constet, S.R.M.tem Sveciæ absqve ulla legitima causa exercitum suum ductu supremi militiæ suæ præfecti in terras S.S.E.Br. misisse, qvi hostiliter eas invasit, tractavit, atqve insedit, donec inde pelleretur; neqve enim vero domino suo repetenti aliter ea obtingere poterant, qvam armis vindicata: sic bellum Suæ Ser. Electorali illatum, sic nihil habere amicitia, aut qvod amicabilem saperet compositionem deprehensum fuit, postqvam semel à pacis universalis studiis recessum, armis, atqve vi omnia sunt acta. Qvæ cum ita se habeant, ipsi S. R. M. ti Sveciæ d. judicandum relinqvitur, an non optimo jure Sua Ser. El. Brandenburgica à S. R. M. expectare debeat ea, qvæ absqve ullo fundamento à S.S.E.is D.D. legati R.M.is Extraordinarii, & Plenipotentiarii postularunt. Cessit olim Ser. El. Brandenburgicus Pomeraniam suam pacis causa: nunc postqvam belli fomes, & armamentarium qvasi perpetuum contra Ser. Elect. facta, æqvum erit, ut iterum pacis causa ad eundem redeat, eique posterisqve ipsius, qvæ alias invenire non potest, perennaturam præstet securitatem. Sic vetus coalescet amicitia, sic firma illa, atqve perpetua erit. Pacis Westphalicæ leges cum hac in parte S.R.M. Sveciæ neglexerit, S. Ser. El. em obstringere non possunt. Inhæret itaqve S.S.E. postulatis suis die 3. Martij, nuper hoc in loco exhibitis.*

Gallorum & Svecorum responsum.

§. 55. Aſt Galli & Sveci, cum ſilentio agnoſcere injuſtitiam armorum, qvæ ſibi ab adverſariis objiciebatur, turpe haberent, aut ſi qvem illis colorem auderent circumponere, orbis ludibrium metuerent; conſultum ducebant omnem diſceptationem, qvæ juſtitiam ullo modo tangere poſſet, declinare. Eoqve per ſeqveſtres paucis verbis ad propoſita reponebant: *Sibi haut perſvaderi, Cæſarem, atqve Electorem Brandenburgicum jure aliud qvid prætendere poſſe, qvam inſtaurationem pacis Weſtphalicæ, ad cujus obſervantiam tam Cæſar per capitulationem, qvam Principes Imperii tanqvam legem Imperii fundamentalem obſtringantur.* Nec minus laxa ad reliqvos articulos reponebant. Sveci preſſiora ſe non poſſe reſpondere excuſabant, qvod commercia literarum cum Rege ſuo ſibi intercluſa ſint. Interim priori ſe propoſitioni inhærere. 1677.

Belgæ formulam pacis ſuæ cum Gallis concipere præparant.

§. 56. Aſt Belgæ, qvi jam ſeparatam pacem meditabantur, modum reſpondendi à fœderatis adhibitum adſpernati, certos articulos pacis concipiebant Gallis tradendos. Etſi interim teſtarentur, Remp. ſuam fœderatis fideliter adhæſuram; vicissim tamen par eſſe, ut & hi qvantum poſſint pacem ſummo ſtudio promoveant. Nam penes Remp. non amplius eſſe immenſos belli ſumtus tolerare. Artes manuarias apud ſe tantum non plane ceſſare, ac intra ſolam Leidenſem urbem vicies mille artifices ad paupertatem redactos inſtrumentum ſuum vendere coactos. Unde dilabi incolas, ac navigationem imminui. In ſingulos eqvites conducendos centenos qvinqvagenos, in ſingulos pedites qvinqvagenos florenos Hollandicos impendendos. Sine commerciis nec populum ali, nec bello gerendo ſumtus ſuppeditari poſſe. Iſti articuli fœderatis communicati gravi hos ſuſpicione perſtringebant. Inprimis Elector ea re valde turbabatur, qvod hac in formula fœderatorum ne verbo qvidem mentio facta eſſet. Nam dum ipſum aliosqve paci incluſerint, eos inſinuare videri, ſe, aliosqve fœderatorum claſſe non amplius cenſeri; qvod paci hoc modo includere moris ſit eos, qvi nunqvam ſocietate belli comprehenſi fuerint. Tum & ita multa ſiniſtra ea formula contineri, ut ab ipſis Gallis concepta credi poſſit. Unde cenſebat Elector, à Belgis per omnes junctim fœderatos declarationem exigendam, ne qvid amplius ſuper hac formula cum Gallis tractent; ac ut deinceps omnia prius cum fœderatis expendere velint. Alias fœdera violata videri, ac ſibi alia conſilia capeſſenda. Sed in Belgas eam rem maxime redundaturam, velut de qvorum ſecuritate potiſſimum agatur; ac ſe, aliosqve per ipſos in arma pertractos; & ubi deinceps pari calamitate obruantur, haut fore, qvi eorundem detenſionem ſuſcepturi ſint. Et qvia metuendum ſit, ne Belgæ poſt iſthoc inſtitutum fœderatis leges præſcribere audeant, in qvas hi pacem admittere debeant, noſtri cum fœderatis conſultare jubebantur, qva ratione iſtis incommodis medendum foret. Aſt Belgæ noſtris ſuper hac re qverentibus reſpondebant: Reip. ſuæ haut qvidqvam in animo 3. Jun. 7. Jun.

eſſe

1677. esse separatam pacem inire, multo minus Electorem destituere. Rogare tamen, ut Elector qvoqve cogitationes suas ad pacem referat, ac eidem accelerandæ studeat; qvod suæ Reip. vires non sint bello diutius sustinendo. Nostri contra: Svecos summa cum injuria ab Electore postulasse, qvæ isti jure huic debeant. Gallos Westphalicam pacem occinere. Qvem itaqve in pacis mora esse? Belli tædium non minus Electorem, qvam Belgas cepisse. Sed num ideo gratis eidem tanta mala fuisse exhaurienda? Belgæ fatebantur, Electorem tractatibus haut in mora fuisse; alios contra exiguam pacis cupidinem ostendisse. Optandum tamen, eum bello Pomeranico qvam primum defunctum. Addebat Harenus: Belgas nunqvam flagitii qvid admissuros. Omnia, qvæ cum adversa parte tractentur, eam conditionem habere, si & reliqvis fœderatis satisfactum fuerit.

Electoris ad Belgas litera. 16. Jun.

§. 57. Ast Elector sistendæ Belgarum festinationi tales literas ad eos scribebat. *Se ex formula pacis per eorum legatos Gallis tradita non sine animi perturbatione perspexisse, non solum pacem inter ipsos, & Gallos tantum non perfectam, si modo Galli Trajectum ad Mosam, & independentia restituant, cum tamen reliqvi fœderati vix tractandi initium fecerint; sed & ea formula de fœderatorum satisfactione ne verbo qvidem mentionem factam; qvin ibi expressum, Belgas cum aliis facta fœdera conservandæ Gallorum amicitiæ abrupturos. Eqvidem se dudum è singulari agendi modo à legatis Reip. Neomagi adhibito aliqva incommoda timuisse. Gallis ad divellendos fœderatos omni studio incumbentibus. Sed de tanta precipitantia nunqvam se suspicari potuisse. Eqvidem sibi haut in animo esse ipsis prescribere, in qvas leges pacem cum Gallia inire debeant; ac in medio relinqvere, num concepti articuli reparandæ securitati, ac saluti Reip. sufficiant, ut ut de eo dubitandi summa ratio sit. Id tamen in aprico esse, ipsos aqve secum, atqve alios cum fœderatis convenisse, ad mutuam satisfactionem, & securitatem promovendam incumbere, ac communem, tutamqve pacem inire. Nec minus omnes fœderatos hoc bello unice ob servandam eam Remp. bello implicitos, qvam ex inevitabili alias exitio maximis suis cum damnis, & periculis eripuerint. Sane se amore Reip. per Wilhelmum Furstenbergium à Gallo oblatas laudas conditiones repudiasse, & cum jam omnia conclamata viderentur, totis se viribus Gallo objecisse, propriæ vitæ haut peperciisse, filii primogeniti jacturam fecisse, omnes suas fortunas periculo exposuisse, Cæsarem, Ducie Regem, Brunsvicensem Dominum, alios in eadem pertraxisse. Qvod universi orbis, ac posteritatis judicium futurum, si ipsi nunc se, aliisqve fœderatis destituentibus separatim cum Gallia transigere velint? Eqvidem excusando huic facto adduci, fœderatos ei pacis includi; formulam eam duntaxat esse à Rep. non prius perficiendam, antequam & reliqvi fœderati cum Gallo transegerint: Remp. bello tamdiu gerendo qvod omnes fœderati votis suis potiti sint, haut sufficere. Ast per ista justas fœderatorum qverelas non tolli. Nam laxa formula illos pace comprehendi solere, qvi societate belli comprehensi non fuerint; uti exempla pacis Monasteriensis, Pyrenæa, & Aqvisgranensis ostendant. Socios autem belli tanqvam primarios pacificantes considerandos, qvibuscum aqve in justas pacis leges conveniendum sit. Ratihabitionis dilationem fœderatis non minus, qvam Reip. summo detrimento cedere. Nam ubi Gallum inter, & Remp. super legibus pacis convenerit, isti, ut reliqvis satisfiat, parum curæ fore; qvi extra hoc arma deposituri non sint. Qvam noxium porro causæ communi, ac Reip. Belgicæ, hac festinatione Anglum cohiberi, qvo minus bonis partibus accedat? Et qvod nunc pretextum Parlamento Regem ad indicendum Gallo bellum hortandi, ubi constet, jam Belgas inter, & Gallos super legibus pacis convenisse? Pacem ab ipsis expeti haut improbandum; nec sibi magis qvid in votis esse, qvam ut qvamprimum orbi Christiano stabilis pax reducatur. Enimvero cum non sufficiat in præsens, ac breve tempus Reip. consuluisse, sed & in futurum ejus securitati prospicere; ipsos judicaturos, qvamdiu ejusmodi precipitata pax duratura sit, si Gallo præsens potentia persistat; & an non is, ubi fœderati se dissociaverint, ac copias suas exautoraverint, singulos prout libido subegerit, sub jugum missurus sit, cum in præsens vix omnes juncti eidem resistere valeant. Nam & tunc ita repente ejusmodi fœdera, uti in præsens sunt, constari posse? Ac an non potius memoria præsentium qvemlibet cohibitura sit, qvominus tam lubrica societati se innectat? Qvare Belgis velut periculo proximis tunc pessime cessura sit. Ista omnia se Reip. fido, & candido animo, qvo semper eam complexus sit, exponere; ac optare eadem ita accipi, tanqvam ab eo profecta, qvi non solum bonam fidem, & existimationem, sed & genuinas Reip. rationes præoculis habuerit. Sane per ejusmodi festinationem communem, tutamqve pacem non obtineri, sed armis strenue illatis, & insolubili fœderatorum conjunctione, fideqve eorum in communia emolumenta studio, simul pertracta in partes Anglia. Igitur petere, ut Resp. legatis suis Neomagi injungat,

1677.

1677. *ne eam formulam Gallis exhibeant, aut ulterius super ea cum istis agant; sed ut omnia inter fœderatos conjunctim tractentur, & ad obtinendam communem pacem pari passu procedatur.* In eundem sensum Elector qvoqve ad Arausionensem scribebat. Cum Elector legatum Belgicum Tochtium super hoc negotio adpellari juberet, & qvam parum ista fœderi, ac bonæ fidei congruerent, præsertim cum Belgæ nemini fœderatorum præterqvam ipsi indemnitatem promiserint; is valde perturbatum se ostendebat, nec qvid diceret aliud habebat, qvam eam formulam in speciem factam, ut si qvi fœderatorum à pace abhorreant, per eam ad rationem admittendam compellantur. Nostri tamen Neomagi haut consultum ducebant eas literas paulo vehementiores Belgis reddere, qvod in eo omnes consentirent, qvam mollissima remedia adhibenda, iis qvæ secius agantur emendandis. Eoqve primum Fagelio scribebatur, qvomodo ea res corrigi possit? Tum legatis Hagæ agentibus injunctum, ut sociaus consiliis qvæ opus foret observarent. Et comperiebatur, literas Electoris ad Arausionensem insigne pondus habuisse. Sane apud Cæsareos legati Belgici de sincero suo animo tantum non lacrymabundi testabantur, rogantes, ut omnis suspicio, & diffidentia removeatur; ac si qvid in ipsorum actionibus desideretur, non in publico, sed privatim moneatur. Unde cum res interim mutata videretur, anceps erat literas tradere, contrarium forte effectum habituras; præsertim cum in rescripto ea verba extarent; *si res adhuc in eodem statu sit.* Sed nec ideo rem expeditam, qvod formula per modum articulorum concepta sit; cum & Osnabrugæ ita actum foret. Sed & Belgas prima propositione stipulatos, ne sui articuli qvid valeant, qvoad fœderatis satisfactum sit. Hæc verba autem in hac formula extare non potuisse, utpote ad modum justi tractatus adornata. Abolitionem tractatuum Galliæ adversorum de futuris fœderibus offensivis intelligendam, qvæ Gallus in sui fraudem inita demonstrare possit. Sane ultimo articulo Remp. sibi guarantiam recepisse, qvæ utiqve per fœdera sit firmanda. Inclusionem inniti prævio tractatu, qvem fœderati eodem qvo Belgæ tempore cum hostibus inituri sint. Qvæ & ipsa inclusio aliis verbis concepta sit, qvam qveis eorum Principum mentio fit, qvi in partem belli haut venerunt: heic qvippe fœderatorum jura, ac securitatem reservatam, eodem modo uti eam Resp. pro se stipulata sit; id qvod in vulgaribus inclusionibus fieri non soleat. 1677.
Qvanqvam igitur Belgarum agendi modus probari non posset, præcipue qvod articulos suos adversæ parti tradidissent, antequam fœderatis super iis consultandi facultas foret: qvia tamen declarabant, eam formulam esse imperfectam, & obligatione vacuam, nec animum sibi esse à fœderatis disjungi, ac emendaturos se, si qva ad mentem fœderatorum haut processerint: placebat epistolam non reddere. Ac metus erat, ne favor populi Belgici, qvi alias in Electorem flagrans erat, minueretur, si crederent, Electorem bellum extrahi cupere, cujus tædium Belgas qvam maxime ceperat. Cæterum cum à Tochtio relatum 3. Jul.
esset, qvid cum ipso Electoris nomine expostulatum fuerit, Beverningius non sine commotione qverebatur; bonam intentionem suorum superiorum ita sinistre accipi. Eis qvippe decretum, nunqvam à fœderatis suis se disjungere, nec seperatam pacem inire; ac perire malle, qvam ejusmodi flagitium admittere. Eo indignius esse, argui se qvasi peculiares tractatus agitent, qvi tantum non pro perfectis haberi qveant. Unde non parum altercationis in congressu ortum. Mox tamen idem de Reip. ac suo sincero animo multis testabatur. Qvæ toto tractatu à se acta sint, à superioribus mandata fuisse. In hisce si qvid desideretur, cum istis agendum: qvibus & solis ipse ad reddendas actorum à se rationes teneatur. Nec sibi mandatum super iis, qvæ hostibus exhibiturus sit, cum qvopiam consultare. Se jussum fœderatis scripta sua communicare, ut norint, qvid Resp. qværat; non istorum censuram super iisdem admittere. Addebat; plebi Belgicæ satis constare, se vel hodie pace potiri posse, si eam seperatam habere velint. Nam Gallos obtulisse, se Reip. Trajectum ad Mosam, ac Arausionensi cognominem Principatum reddituros eo in statu, qvi ante hoc bellum fuerit. Unde & sibi aliqvo specimine cupidinem pacis fuisse ostendendam, qvo plebi onerum belli indies gliscentium fessæ animus spe firmaretur. Qvæ & valde qveratur, à Cæsare sat langvide rem geri, ac in Remp. omne onus devolvi. Post eam disceptationem Kinskius nostros, Belgasqve hortabatur, ut posita offensa de sincera amicitia testarentur. Id tamen constabat, Ordines Generales legatis suis expresse injunxisse, ut cum fœderatis super articulis, de qvibus nunc disceptabatur, communicarent, & si qvæ monita habeant, cognoscerent. Tum hosce legatos ad Remp. retulisse, fœderatos consensisse, ut cuilibet

inte-

1677. integrum sit sua scripta pro arbitrio adversæ parti exhibere. Id qvod fœderati nunqvam probarant. Unde patebat, eos legatos contra mandata egisse, & aliqvando secus, qvam
20. Jul. actum fuerat, retulisse. Ast Elector ista oblivioni dari jubebat, qvod Tochtius de sincero Reip. animo confirmasset, qvæ nullo modo fœderatis sese dissociatura sit. Beverningius qvoqve datis ad Electorem literis asseverabat, qvæ de peculiari cum Gallis pace spargantur, ficta esse. Qvi vicissim id gratissimum sibi esse testabatur; & nunqvam aliter de bona fide, ac generoso Belgarum animo sibi promisisse. Qvicqvid tamen Belgæ testarentur, constabat Gallos omnem lapidem movere istis ad peculiarem pacem pertrahendis. Tum omnes provincias belli pertæsas palam fremere, sibi nec animum, nec vires esse bello ulterius gerendo, præsertim Hispanorum ubiqve ignavia eminente. Ac ni fœderatis insignis successus contra Gallos allubescceret, metus erat, ne qvalemcunqve isti pacem occuparent.

Neomagi tempus frustra terunt.

§. 18. Ast Gallis dudum in animo fuerat dissociatis per occultas artes fœderatis pacem, qvalem ipsi cupiebant, cudere. Unde Neomagi per inania tempus trahebant, successus armorum suorum speculati, qvæ magna cum præcautione gerebant, ancipitia præliorum declinantes, ac qva minime creditu fuerat toto impetu ruentes. Nec minus seqvestres langvide rem agebant. Qvanqvā enim Coloniæ, Bredæ, ac alibi seqvestres rationibus, & hortatibus partes ad pacem impellere fategissent, temperamentis subinde propositis: Angli tamen nil nisi partium dicta hinc inde ferre, qvod Angliæ Rex diserte vetuisset hortatibus partes urgere, aut temperamenta proponere. Porro Galli, ne prætextum foret ducendo tempori circa Lotharingum varia cavillabantur. Ac initio protestationem interponebant, titulum, qvem Dux in procuratorio ablegatorum suorum sibi attribuerat, ut & qvem Rex diplomate tuti itineris dederat, huic præjudicio non fore. Inde Lotharingi propositi-
17. Jul. onem vitio nullitatis laborare arguebant. Nam antea Ducem qvestum, sibi ob negata diplomata necessum esse postulata sua per Cæsareos exponere. Nunc autem ministros ab ipso utiqve Neomagi adesse. Igitur par esse ipsius postulata eodem modo, uti ab aliis factum, proponi; qvæ tunc accepturi, ac responsum daturi sint. Re in congressu fœderatorum proposita placuit è Gallis per seqvestres qværendum, num responsuri sint, si Canon super restituenda Lotharingia proponat? Ita enim eos ad respondendum compelli posse, ni seipsos manifesti ludibrii damnare velint. Canoni autem svadebatur, ut scriptam propositionem suo nomine Gallis, uti postularint, exhibeat. Id qvod & ab hoc factum. Ad eam demum Galli 23. Aug. frigide admodum, nec ad summam rei respondebant, sed duntaxat unum, & alterum cavillabatur. Cum autem nostri censerent, Gallis injuriam suam esse demonstrandam, Belgæ reponebant; multa utiqve absurda Gallorum responso contineri: sed Remp. suam non obstringi, ut in tractatu pacis ab omnibus partibus pari gradu procedatur. Nec probari à se posse, fœderatos Lotharingicam causam velut suam agere velle; cum præstet, eam à Ducis ministro urgeri, fœderatis eandem fulcientibus. Cæterum id sibi etiam atqve etiam monendum, Reip. pacem qvantum possit promovendam. Cives belli, & tributorum tædio captos. Forte deinceps vires, & voluntatem defore sumptibus belli suppeditandis. Qvamdiu porro partes non nisi invicem contradicant, nunqvam inter se conventuras. Unde necessum esse, ut Angli partes hortentur, aut ut ipsæ partes propius ad rem accedant, ac distinctius qvam hactenus mentem suam seqvestribus exponant. Se qvoqve nullo modo probare eum procedendi modum, velut uni fœderatorum haut integrum sit absqve altero causam suam cum hoste disceptare, atqve expedire. Qvo enim ejusmodi tractatus evasurus sit, si Neoburgicus, Brunsvicenses, Monasterienses, alii, qvi conventum nondum adierunt, expectandi sint, negotiatione interim suspendenda, qvoad isti adfuerint?

Super replica ad Gallorum responsum disceptata. 21. Sept.

§ 59. Cum inde apud fœderatos consultaretur, qvid ad Gallorum responsum reponendum foret, Beverningius censebat; fœderatos prestius mentem suam explicare oportere; alias omnem operam frustra insumi. Sed Electori haut expedire videbatur de postulatis suis qvid remittere, qvod speraret, se etiam ingratiis Svecorum Pomerania potiturum. Sane & Daniæ Rex misso Goschio Buevvaldo Electori expendendum proposuerat: cum Belgæ Neomagi magis distincte super pace proponi petant, ac forte bellum sibi, atqve Electori ad diuturnitatem intolerabile accidere possit, nullo à reliqvis fœderatis auxilio, nec numeratis subsidiis, ac urgente hospitiorum angustia; an non in gratiam Belgarum à prioribus postulatis recedendum sit? Sibi qvidem videri, hoc fundamentum tractatui cum Svecis substernendum, ut qvod qvisqve iiseripuerit, retineat; Brema, & Ferda inter eos, qvi ad eam occupandam opem contulerint, ex æqvo &

1677. bono dividendam: Svecorum immunitatem in Oresunda abolendam. Circa reliqva moderationem adhiberi posse. Sed Elector censebat, qvia Belgæ ita sancte de constantia sua promittant, haut videri consultum cedendo hostium iniqvitatem alere; ac ea temperamenta ad extremum reservanda esse. Sed Neomagi in hunc sensum responderi placebat: non adparere, qvod iniqvi habeat à fœderatis damni reparationem, & securitatem postulatam. Gallorum contra petita à ratione abhorrere, qvi omnia, qvæ ipsi aliis eripuerint, retinere velint, ac insuper postulent, ut fœderati, qvæ recuperarint, aut hostibus suis eripuerint, reddant. Huic declarationi clausulam adjiciendam, fœderatos libenter ostendi sibi velle rationem paci promte expediendæ, qvam ipsi magnopere expetant. In qvam clausulam Beverningius consentiebat, qvi tamen sua postulata cum reliqvis fœderatis exhibere nolebat. Cæsarei qvoqve suam declarationem pro se & Hispanis simul tradere instituebant, collisioni Hispanos inter, & Danos declinandæ, utra declaratio, si Hispani seorsim suam exhiberent, prior, aut posterior foret. Sed nunc Danos recusare non posse, qvo minus sua declaratio Cæsaream seqvatur, cujus partem Hispanica faciebat. Post exhibitam fœderatorum replicam Angli ostendebant, à Rege suo se jussos ita apud partes rem moderari, ut in earum utrinqve declarationibus nullum vocabulum, aut dictio adhibeatur, offensam aut animorum exacerbationem excitare apta: & qvia in fœderatorum scripto positum sit, Gallos *contra omne jus* cum Hispanis egisse, ea verba velut valde dura corrigi petebant. Gallos qvoqve, & Svecos sibi semper liberum duxisse, suas declarationes eo modo, uti paci promovende faciant, temperatas adversæ parti communicare. Sed fœderatis haut placebat in scripto suo qvid mutare, ne id exemplum ad plura porrigatur. Anglorum qvoqve monita partim iniqva, partim nullius momenti esse: & si qvid monendum sit, id non à seqvestribus, sed ipsis partibus proficisci debere. Nam si Angli pertendant, neqve ad justitiam causæ, neqve ad rationem provocandum esse, fœderatis omne fundamentum subtrahi, cui postulata sua superstruere qveant. Qvod ad judicium orbis provocetur, vulgatum loqvendi modum esse. Num Hispanus aggressor sit, id à Gallis movendum esse. His ubi istud objicere placuerit, non defore, qvod ipsis reponatur. Sed & Gallos in declaratione sua aculeatis dictis non abstinuisse; velut qvod *fœderati armis nullum opera pretium fecerint.* In 1677. postremo dictamine eos postulasse, *ut fœderati alias propositiones faciant, Gallia, ejusqve fœderatis convenientes;* qvæ verba multum insolentiæ præ se ferant. Qvo responso Angli adqviescebant, nisi qvod adhuc urgerent, verba *contra omne jus* omitti. Unde Hispanus declarabat, se iis apud Anglos abstinere non posse: penes hos tamen fore, ea apud Gallos retinere, aut omittere. Nostri Electoris postulata velut æqvitate nixa Anglis commendabant. Nam Electorem eo esse in Svecum animo, ut si alius adhuc mundus extet, non invisurus sit, hunc solum ejus dominum esse, modo is mundus ita longe à sua ditione remotus sit, ut nil inde turbarum sibi provenire qveat. Ad qvæ Jenkinus: Sibi certo constare, cum Elector nil nisi stabilem pacem spectet, utqve suæ ditiones ab inqvietæ vicinia incommodis subducantur, Regem Angliæ id prout par consideraturum, ac ejusdem votis velificaturum. Ast Galli aditerata fœderatorum postulata respondere abnuebant, sed novas propositiones deposcebant. Id qvod Electori à ratione abhorrere videbatur. Nam Gallos non demonstrare, fœderatorum postulata iniqva esse; ac si maxime æqva sint, haut eo magis locum iis dare velle. Alterutrum autem necessarium esse, ut vel probent injusti qvid ab ipsis postulari; vel ut qvæ tanqvam iniqva rejicere neqveant, admittant. Ast inter Principes ita non solere agi, ut nova postulata exigantur, haut demonstrato priora iniqva esse. Sic eosdem in causa Lotharingica semel utcunqve declaratis obnixe inhærere, ne verbo qvidem ad Cæsareorum rationes repositio. Unde par esse eos à seqvestribus moneri, ut rationi locum apud se dent. Nam si maxime novæ propositiones fiant, eas itidem rejici, & alias postulari posse, si sola libido istis pro norma agendi sit. Et cum fœderati discutiendis rebus cum Gallis se obtulerint, hi autem ne verbum ad ea responderint, qvæ mens iis sit haut in obscuro esse. Belgæ tamen censebant, à fœderatis de securitate in futurum omitti posse. Nam ipsi paci securitatem inesse, qvæ per fœdera evictionis præstationem habentia firmari qveat.

28. Sept.

§. 60. Enimvero qvæ Neomagi circa pacem agitabantur, speciem magis, qvam solidi qvid habebant. Nam uti à Gallis id præcipue per occultas negotiationes qværebatur, ut Belgas sociis avulsos ad separatam pacem pollicerent: ita Hispani omnem lapidem movebant, num Anglum ad arma in

Utriusqve partis in aula Anglicana negotiationes.

1677. in Gallum ſtringenda permovere poſſent. Sane in Angli manu poſitum erat pacem univerſos complexam tunc Europæ dare, ſi ſerio, ac debita cum conſtantia rem ſuſcepiſſet. Sed conſilium aulæ Anglicanæ ita nutabat inter deliderium amicitiam Galliæ ſervandi, & metum per tam crebras prorogationes Parlamentum irritandi; ut qvæcunqve ab eadem ſuper pace decernerentur, perpetua contradictione laborarent, & de qvorum ſenſu nemini conſtabat, & qvibus tam partes belligerantes, qvam Parlamentum æqve decipiebantur. Alias iſti Regi & notitia rerum ſat exqviſita, & ſolidum judicium erat. Sed ſumma eidem votorum habebatur vitam per tranqvillitatem exigere, moleſtia & labore procul. Qvæ intentio haut improbanda erat, ſi cæteris qvoqve par animus foret; ac ſi Reges eo fine nati eſſent, ut unice ſuæ voluptati litarent. Singularis inſuper morum facilitas in cauſa erat, ut promte ſententias eorum amplecteretur, de qvibus fiduciam conceperat, utut à prioribus ſuis placitis plane abeuntes. Sed qvos lubenter iterum amoliebatur, ubi ab iisdem moleſtiis ſe implicitum ſentiebat. Unde in univerſa ejus adminiſtratione nil ſtabile, nec certos ad fines digeſtum reperiebatur. Alias nil in eo faſtus, nil vanitatis, & qvi ne ſuſpicionem qvidem adulationis tolerare poterat; qviqve adeo plurima habebat, qvæ aliorum æſtimationem, & amorem conciliare poterant. Tempora porro, in qvæ ipſius regimen inciderat, tam pronam ipſi occaſionem offerebant, qva glorioſiſſimus Principum ſui temporis evadere poterat, ni enormis otii cupido, & nimia facilitas eam negligere ſubegiſſet. Qva Galli ambitio ita dextre uti norat, ut is maximam ſuorum progreſſuum partem iſti Regis Angliæ negligentiæ deberet: ac viciſſim reliqvus orbis Chriſtianus eundem inter præcipuos referret, penes qvos cauſa tot calamitatum, qvæ Gallorum ope eum inundaverunt, hæſerit. Cæterum jamdudum in Anglia metuebatur, ne Belgæ ſeorſim cum Gallis pacem inirent, fœderatis admodum noxiam. Sed Beuningius eum colorem dicebat; hoc ipſo Anglum ſtimulari, ut ad coërcendam enormem Galliæ potentiam cum aliis ſe accingat. Is itaqve cum in Anglia exhauſtas Belgarum vires, & periculoſum provinciarum Hiſpanicarum ſtatum ſubinde ingereret, qvibus ſervandis propera pace opus ſit, ſimul ſuper legibus pacis cum Rege agere diceretur; Elector per Romſvvinckelium apud Arauſionenſem, & Fagelium qvid veri ſubeſſet exqvirebat. Hi reſpon-

debant: cum civibus belli onus per diuturnitatem intolerabile fiat, ac Hiſpanorum res indies in deterius ruant, Beuningio ſans injunctum, ut Anglo promotionem pacis commender; & cum Angliæ qvam maxime intereſſit, ne Hiſpanicæ provinciæ à Gallis abſorbeantur, earum periculo expoſito Regem, ac Parlamentum in fœderatorum partes pertrahere laboraret. Sed ſuper conditionibus pacis inter Hiſpanos, & Gallos aliqvid in medium adferre Beuningio haut injunctum. Ac certo confidere Electorem poſſe, Belgas nunqvam aliter qvam ad normam fœderum acturos, nec ſeparatim tractaturos. Qvid alii ſuſpicentur, aut ſpargant, à ſe præſtari non poſſe. Haut eo minus Beuningius ſuper peculiari pace Londini non ſine ſucceſſu laborabat, faveute aula Anglicana; utut ipſe apud fœderatorum legatos inficiaretur, à ſe pacis mentionem fieri. Unde cum ablegatus Hiſpanicus Bernhardus Salinas percepiſſet, conditionibus pacis inter Galliam, & Hiſpaniam delineatis Gallo Burgundiam addici, Anglo demonſtrabat, hac lege pacem nullo modo inveniri poſſe. Nam in ea provincia maximum momentum poſitum eſſe, qvod, ubi Gallus ea potiatur, Hiſpania à Germania abſcindatur, & qvicqvid ulti in Italia poſſideatur, cumprimis Mediolanum periculo expoſitum ſit, Lotharingiæ qvoqve ſervitium firmari medio inter Burgundiam, & Alſatiam ſitu; Helvetiis compedes injici, Sabaudiam non minus, qvam qvatuor Electores ad Rhenum, aliosqve Ordines Gallorum inſultibus exponi, Briſgoviam conclamatam, Gallis apertam januam in Germaniam, & Italiam pandi. Aſtſi deſtituenda Burgundia conſtet, Hiſpanos non dubitaturos rationes ſuas circa Flandriam in ſeqveſtris arbitrium conferre; qvod ipſe Angliæ Rex agnoſcat, Flandriam bonis limitibus adverſus Gallos muniendam. Eqvidem Hiſpaniam de reliqviis Flandriæ amittendis periclitari, ni à fœderatis, & aliis qvorum interſit ſubveniatur. Sed qvia ſuper iſta jam armis decernendum ſit, hæc non prius ponenda, qvoad vel ei neceſſaria ſecuritas parta ſit, vel eadem plane amittatur. Nam etiam ſine Flandria Hiſpanum magnum, & potentem monarcham manſurum; cui deinceps volupe ſit futurum ſpectare, qvid vicinis eventurum ſit. Ad ea Rex: Belgas jamdudum ſeparatam pacem agitaſſe, id qvod hactenus ſolus Arauſionenſis impedierit. Sed qvia Gallus non gratis Burgundiam ſit amiſſurus, diſpiciendum, qvid pro hac ei dandum ſit. Contra Hiſpanus: Si injuſtitia belli à Gallo cœpti, & vi-

1677.

29. Jan.

1677. & vicinorum rationes non considerentur, non esse, qvod de pace cogitetur. Nam Hispanis sedere omnia potius amittere, qvam Burgundiam cedere. Sed ista Rex velut per magniloqventiam Hispanicam dicta flocci faciebat. Contra Beuningius aliis inconsultis libello exhibito Regem rogabat, ut qvia non alia via sit reliqviis Belgii servandis, is extremas huc vires impenderet. Haut eo minus observabatur, Anglicanam aulam non solum progressibus Gallorum in Flandria apertum præ se gaudium ferre, sed & qvo magis isti glisserent, eo majores eam spiritus sumere. Unde non aliud colligi poterat, qvia ista Regni rationibus haut congruebant, qvam occultum pactum Anglo cum Gallis intercedere, cujus fructus bellum civile in Anglia futurum sit. Contra Parlamentum, qvod arma in Gallos stringere ardebat, apud Regem instabat, ut securitati Angliæ, cujus magna pars in conservatione Belgii Hispanici consistat, prospicere velit. Sed cujus ardori eludendo artes aulæ non deerant. Ad qvod non parum conferebat Beuningius, cum Gallis clam colludens, & Bergeyckius ablegatus Hispanicus, qvi nationem Belga patriam suam utcunqve servari optabat, qvid reliqvis fieret incuriosus, ac ipse familiariter admodum Curtinio legato Gallico utens. Parlamentum in cautionis vicem locum aliqvem Flandriæ, ac nominetenus Ostendam cupiebat. Sed Hispani metuebant, ne Anglus id oppidum pari modo, uti Dunqvercam, Gallis venderet. Cæterum qvia ministri Hispanici Salinas, & Emanuel Fonseca Consul, qvorum hic ad noviſſimam inter Anglos & Belgas pacem non parum contulerat, aulæ suspecti erant, velut Parlamentum ad bellum contra Gallos stimularent, Rex interrumpendæ horum negotiationi prætexto arrepto è sermone, qvem Salinas habuisse arguebatur, utrumqve intra viginti dies Regno excedere jussit; intra qvod tempus Fonsecæ non permittebatur extra domum suam prodire: qvi & post elapsos dies rhedæ impositus Duveram, inde celoce in Flandriam trajiciebatur. Salinati permissum, ut interim domo sua prodire posset: sed qvi eam gratiam adspernatus negabat Regi fas esse, sibi publico interdicere. Nec minus & ipsi, elapso dicto tempore, Anglia excedendum erat. Vera causa, qvare is Anglia ejiceretur erat, qvod idem, dum Regem ad fœdus cum Hispania incitat, dixerat; Parlamentum qvoqve id valde cupere. Ad qvod Rex reposuerat; *Autores scripti à Parlamento exhibiti esse manipulum nauci hominem.* Id qvod Salinas qvibusdam Parlamenti assessoribus retulisse arguebatur. 1677.
uno hando des coqvins.

Caterum qvanqvam natio Anglicana in universum belli cum Gallia cupida erat, ac pleriqve ministri id non utile solum, sed & necessarium reputabant: Rex tamen à Gallica factione ita obsessus erat, ut aliis occasio non daretur veras Regni sui rationes ipsi ob oculos ponendi. Ac ipse Gallo fidem dederat, se nil contra eum susceptarum; simul frater Eboracensis, & Portsmuthia pellex intra Galliæ compedes eum retinebant, qvibus qvidem maxima ab auro firmitas accedebat. Qvin ipse Beuningius, ac Bergeyckius ardorem Parlamenti circa bellum Galliæ inferendum eludebant. Qvorum hic dicebat; nil se habere, qvod cum Parlamento agat: iste autem, cum clam ab Inferiore Domo interrogaretur, qvid de actionibus aulæ judicaret, respondebat; omnia se bene habere. Qvi & ipse Reip. suæ enixe confirmarat de optima intentione Angli, ac uti arbitrium pacis tuto ipsi committi posset. Sic ut satis pateret, istis cordi non esse Angliam cum Gallia committi. Ac communis in Anglia opinio erat, Regi clam cum Belgis convenisse super obtrudenda foederatis pace. Eo fine Rex à Parlamento pecuniam expetebat, qvo armis sese instruere posset ad autoritatem sibi circumponendam. Sed Parlamentum ista hoc declinabat, qvoad Rex in fœdus contra Galliam descendisset. Ac in ipso momento Burgomagnus Marchio veniebat fœdus Hispanicum offerens, sic ut Rex non amplius excusare posset, ab Hispanis nullas conditiones proponi. Cujus adventu Beuningius, ac Bergeyckius non parum perturbabantur, ejusqve negotiationi obsistebant; qvi citra conditionem Regi à Parlamento pecunias dari laborabant, ut hic ita se instruere posset, qvo partibus ad accipiendam pacem cogendis vires forent. Enimvero postqvam Parlamentum urgeret, ut Rex cum Belgis fœdus iniret ad sistendos Galli progressus, Rex id repente comperendinabat. Eqvidem Burgomagnus Regi necessitatem ejus consilii capessendi demonstrabat: sed cui Rex nil aliud respondebat, qvam promotionem pacis sibi cordi fore. Contra Beuningius antiqvam viam insistens probare nolebat, Anglum ita crude ad bellum urgeri. Rationes afferebat: Anglum abrupte partibus Galli relictis cum Belgis pacem fecisse; ubi Gallo fides ab isto data sit, qvam nunc infringere nolit. Eum seqvestrem esse, ac id munus prætexere declinandis de sumendo bello propositionibus. Ipsum qvoqve Parlamentum per se sat acriter bellum urgere, eoqve non esse, qvod

Burgomanero. 29. Maij.

mi-

1677. miniſtri fœderatorum proponenda re ingrata Regi ſe exoſos reddant. Regem qvoqve ſemper declaraſſe; tunc demum ſe oſtenſurum, qvid Gallo opponendum ſit, ubi hic æqvam pacem repudiaverit. Unde ſi Rex in bellum pertrahendus ſit, prius æqvas pacis conditiones proponendas eſſe. Regem qvoqve oſtendiſſe, conſervationem Flandriæ ſibi qvidem cordi fore, ſed eo, qvo Hiſpani velint, deſcendere nolle: qvod hæc aula judicet, ſibi cum Hiſpanis natura difficilibus melius conventurum, ſi neceſſitas ſemper ad Angliam reſpicere ſubigat, qvam ſi ita firmentur, ut propriis viribus ſubſiſtere qveant. Unde non amplius de Pyrenæa pace cogitandum, ſed modeſtius qvid proponendum. Deniqve ideo Regem per gliſcentem Galliæ potentiam, adeoqve per propriiRegni rationes permoveri non poſſe, ut fœderatorum partes amplectatur; qvod ipſi perſvaſum ſit; Angliam ſociis Belgis ſemper Gallis parem fore. Sed revera Beuningius metuebat, ne Belgæ diuturno bello implicarentur, ſi Anglia qvoqve arma arriperet. Hiſpanis porro duo miniſtri in Anglia erant, Bergeyckius, qvi ex ipſa Hiſpania veniebat, & Burgomagnus à Villa Hermoſa miſſus. Iſte Regi adhærebat, hic Parlamento; iſte blandis, hic aſperis verbis utebatur. Id qvod ita interpretabatur Beuningius, qvod Hiſpani utraqve ratione Anglum ſibi adjungere conentur. Si aſperis nil proficiatur, Hiſpanos à Burgomagno acta inficiari poſſe; velut qvem Gubernator Belgii miſerit citra aulæ mandatum; ac ſic per Bergeyckium rem reſtitui poſſe. Sed Parlamentum Burgomagno inſinuabat, ut aſpere loqvi pergeret, ac in Hiſpania efficeret, ut Regi munus ſeqveſtris adimatur, ac Anglorum ibi pecuniis manus injiciantur, eo prætexto, qvod Gallo ſubinde ex Anglia miles ſubmittatur. Tunc enim Regi neceſſitatem allatum iri Parlamentum convocandi; ſimul adparitum, qvid Anglica natio tamdiu pectore preſſerit. Avocabatur inde Bergeyckius, & Burgomagno ſua functio ab aula confirmabatur, qvi acriter bellum urgebat, ſed fruſtra, qvod nulla ſpes eſſet Parlamentum ita brevi ſeſſurum. Et cum aliqvi Regem urgerent, ut fœderatis ſe contra Gallum ſociaret, hic reſpondebat; Belgas jam longius circa pacem proceſſiſſe.

Aug.

Araufionenſis in Angliam profectio.

§. 61. Inter hæc omnium animos advertebat Araufionenſis in Angliam profectio, qvæ ingens momentum ad pacem allatura credebatur. Eum ut in Angliam trajiceret Rex invitaverat, prætexto adhibito, ſibi magnopere conſervationem Belgii Hiſpanici cordi eſſe, ac velle ſe tanti momenti negotium cum Principe coram expendere, qvod nec per tertium, nec ſcripto fieri qveat. Belgæ in hoc iter conſentiebant, ac fœderatorum legatis Hagæ de eo indicabant, confirmantes, nil ipſi mandatorum ſuper pace eſſe, ſed ut Anglum ad fortia conſilia impellat; ac Remp. fœdera ſancte ſervaturam, nec in ſeparatam de pace tractationem deſcenſuram. Monebant tamen ſimul, Rempublicam non amplius ferendis belli impenſis parem eſſe. Sane in futurum annum novendecim milliones ægre corraſi erant. Nec minus oculi in Monaſterienſem ob deſultoriam fidem, qvam in Gallum reflectendi erant. Ac conſiderata belli facie adparebat, ni Hiſpani majore vi rem gererent, ac ſubſidia exſolverent, nec Cæſarei fixo trans Rhenum pede Gallos cominus urgerent; ac ni Cæſar fœderatis in Imperio de bonis hoſpitiis proſpiceret, qvo exercitus ſuos ſupplere qveant; nulla ratione Gallis reſiſti poſſe, qvi inſeſſis validis oppidis longe lateqve graſſabantur, nec impediri, qvo minus reliqvias Belgii Hiſpanici deglutirent. Haut eo minus cum Araufionenſis in Angliam adpelleret, Williamſonus, cujus ea inſpectio erat, novellis relationibus inieri curaverat; Principem à Belgis huc miſſum, ut pacem heic eo modo, qvi maxime idoneus ei viſus fuerit, promoveat. Veniebat qvoqve cum iſto Wilhelmus Naſſovius Odyckius, legatus Belgicus. Ipſe Princeps Sverino dicebat; ſe laborare, ut Regem in partes pertrahat; ſed hunc valde in Galliam inclinare. Etſi idem alias Svecis parum faveat, ac ſe ab iis deceptum fuiſſe qveratur; qvorum & modus agendi in hoc bello ſibi valde diſpliceat; ac meritos eſſe, ut eo nomine caſtigentur. Eos qvoqve circa triplex fœdo non candide proceſſiſſe, ac ſuſceptum ſeqveſtrium officium non uti par geſſiſſe, poſtqvam jam fœdus offenſivum cum Gallo iniſſent. Porro qvanqvam fœderatorum exiſtimatio unam adhuc expeditionem tentari deſideret, reparandis damnis hoc anno acceptis; parum tamen ſpei circa eam ſe videre, notoria Belgarum juxta, atqve Hiſpanorum impotentia, eoqve de tolerabili pace cogitandum. Poſt longum Principis cum Rege, & Eboracenſi colloqvium interroganti Burgomagno iſte reſpondebat; ſe oleum & operam perdidiſſe, qvod hæc aula Galliæ nimium addicta ſit. Parlamento nec bellum, nec pacem cordi eſſe, ſed tantum ut Regi ægre faciat. Cum itaqve parum hinc opis expectandum ſit,

n. 61.

1677. optimum fore circa accelerandam pacem ſatagere, ſed qvæ ſine ceſſione Burgundiæ obtineri non poſſit. Et cum Hiſpanus multa regereret, Princeps abrupte: Belgas pacem habere velle. Nec meliorem pacem continuatis armis obtentum iri, qvam Anglus curaturus ſit, proceſſa Burgundia limitem Flandriæ latius extenſurus. Ac Gallum dudum animo agitaſſe, reliqvis reſtitutis Burgundiam, Cameracum, Ariam, & Divi Audomari Fanum retinere, cæteros fœderatos ad pacem Weſtphalicam remittere. Rupertus Palatinus hunc conventum cavillabatur Monacho cuidam ſimilem eſſe, qvi lupanar ingreſſus eſſet ad convertendas meretrices, ſed à qvibus ipſe ſeductus fuerit. Id certum eſt, Regem, & Eboracenſem inſolubili vinculo Galliæ innexos, Principem eodem pertrahere, ſed incaſſum, connixos fuiſſe. Cæterum tunc futura Flandriæ ſecuritas, ac ut Gallus intra limites coërceretur, in arcta Angliæ & Belgarum unione reponebatur. Qvod fundamentum prudentibus admodum ruinoſum habebatur. Nam jam ſemel Anglicam aulam libido ſubierat Belgarum Remp. ſubvertendi; unde non poterat non iſti tacita diffidentia ſubeſſe, ne hæc ſerius ocyus prioris perfidiæ ultionem exigeret. Alia qvoqve aulæ, alia nationis Anglicæ intentio erat; & Rex ad aliqvid adſpirabat legibus Regni fundamentalibus adverſum, qvod ſolius Galliæ auxilio pervinci poterat. Cæterum voluerat Rex de pace prius cum Arauſionenſi agere, qvam ſuper nuptiis perficeretur. Id qvod Princeps præfracte abnuebat, non ſolum qvia id amantem decebat, ſed & ne Fœderati ſuſpicarentur, nuptias ipſorum diſpendio conciliatas, qvod ſatis perſpiceret, parum proficua pace iſtos potituros. Sed cum Rex ſuæ ſententiæ inſiſteret, Princeps per Templium ei ſignificabat; ſi Regi ſententia ſedeat, ut pacem ante nuptias utiqve tractare velit, ſe pœnitere itineris huc ſuſcepti, ac ſupra biduum non amplius in Anglia moraturum. Prius tamen qvam abeat, Regi eſſe eligendum, qva ratione cum ipſo in poſterum vivere velit. Nam aut ſeparari ipſos debere aut tanqvam bonos amicos, aut irreconciliabiles inimicos. Qvæ Templius Regi referebat, addito, qvantum periculi ex abrupta hac negotiatione provenire poſſit. Ac reſpiciendum qvoqve ad offenſam, qvam magna populi pars conceperit ob vincula cum Gallo contracta, & ad ea, qvæ nupero bello Principi oblata fuerint. Ita Rex inſignicum elogio Principis in ejus perita conſentiebat, ac nuptiæ inter iſtum, & Jacobi Ducis Eboracenſis filiam natu majorem Mariam firmabantur; cui contractui Eboracenſis velut conditionem inferere voluerat promotionem pacis. Rex cum ſuper hoc connubio ad Magnum Conſilium referret, memorabat, ejus Virginis nuptias è Gallia, & Svecia fuiſſe expetitas. Sed ſe nunqvam in eas conſentire voluiſſe; ac malle neptim ſuam ſuſpenſam videre, (ea verba erant,) qvam in brachiis Regis, per qvem hoc Regnum in periculum conjiciatur, ut ad provinciæ modum dein gubernetur. Ea propoſitio magno cum adplauſu à Conſilio fuit excepta; qvæ & per Regnum vulgata incredibili gaudio omnes perfudit. Duo tantum homines eo facto triſtabantur, Arlingtonus, qvod res ſe inſcio tranſacta eſſet; cum ab aula credi vellet, in ſingulari apud Principem gratia ſe eſſe: & legatus Gallicus, qvi neſciebat, qvomodo Regi ſuo excuſare poſſet, tanti momenti negotium ſe inſcio peractum, in aula, cujus ſecreta tot per annos ipſi patuerant. Eboracenſis dixerat: tanto libentius ſe in nuptias filiæ ſuæ cum Principe Proteſtante conſenſiſſe, ut cuilibet conſtet, ſe publicam circa ſacra mutationem haut qværere, ſi maxime corona aliqvando in ſe devolvatur. Anglici legati Neomagi dicebant; circa hoc connubium etiam reſpectum ad ſucceſſionem in Regnum fuiſſe, ſi domus Regia filiis non augeatur. Nec minus in Belgio iſthoc connubium magno cum gaudio excipiebatur. Sed idem Gallis non parum ſcrupuli injecerat, velut Anglus in fœderatorum partes conceſſurus eſſet. Unde hic ei ſuſpicioni eximendæ Parlamentum in futurum menſem Aprilem comperendinabat. Cum matrimonium ritu Chriſtiano firmaretur, ac Præſul Londinenſis pro more Eccleſiæ Anglicanæ qværeret: *qvis dat hanc filiam huic viro?* Rex reſpondebat, *ego*. Qvæ ſpecies adoptionis habebatur; ac Rex eo reſpexiſſe dicebatur, ut hanc ob cauſam Principi titulus *Celſitudinis Regiæ* tribui, ac Parlamentum eo facilius permoveri poſſet ad totem novæ nuptæ conſtituendam. Paraverat civitas Londinenſis inſignia munera pro Arauſionenſi. Sed cum poſt intellexiſſet, eum ſibi ac ſuis miniſtris in Gallia veſtes fieri curaſſe, ea munera ſupprimebantur. Tantum odium in Gallos erat. Poſt conſummatas nuptias inter Regem, atqve Arauſionenſem ſuper legibus pacis agi cœptum eſt, qvod è propoſitionibus Neomagi hinc inde factis ſatis adpareret, eo tractandi modo nunqvam inter partes conventurum; & qvod inprimis Hiſpani eo redacti forent, ut nec bello, nec pace ſibi conſulere poſſent. Ea deliberatio

Arauſionenſis nuptiæ.

1677. tio secretissime peracta fuit, cujus præter Regem, & Principem solus Eboracensis cum
Dalby. Danbyæo Thesaurario, & Wilhelmo Templio participes fuere. Princeps ante omnia contendebat egregio limite Flandriam muniendam; alias enim à Gallo non alio fine pacem initum iri, qvam ut primo qvoqve tempore bellum instauret, ac Flandriam una expeditione subigat. Regi ea res minus cordi erat, qvod sibi persvasisset, Gallum belli festum; ac si hoc bello cum honore defungi posset, nunqvam aliud suo sub regimine susceperturum. Nam eum maturos jam annos ingressum deinceps qvietem magis amaturum, cum deliciis aulæ, ac ædificandi occupationibus conjunctam; ac vicinis pacem facile indulturum. Sed Princeps contra censebat, Gallum in præsens non alio fine pacem captare, qvam ut soluto inter fœderatos vinculo novum bellum majore cum emolumento suscipiat. Gallorum ambitionem nunqvam qvieturam, qvoad totam Flandriam subjugarint, ac fines Regni ad Rhenum protulerint; Belgis eo redactis, ut ab ipsorum nutu pendere necessum habeant, nec minus Anglia ita circumscripta, ut ipsis non amplius formidabilis foret. Unde per pacem hanc qvieti orbis Christiani non consuli, ni saltem Flandria limitem nanciscatur, qvem ipse proposuerit, ac Galli Lotharingiam, & qvæ Imperio in Alsatia eripuerint, restituant. Addebat Templius; solam ætatem nil mutationis circa nativam hominis indolem afferre; sed frugi puerum communiter in bonum virum; stupidum adolescentem in stolidum senem, juvenem neqvam in sceleratum veteratorem evadere. Ac Gallum semper violento aliqvo affectu, modo in amores, modo in ædificia, modo in arma raptum iri; in præsens autem non alio fine pacem velle, qvam ut novum bellum ordiatur, postqvam recens partis probe caverit. Ista cum Rex probaret, circa Lotharingiam, ac Alsatiæ loca facile consentiebat; sed in Burgundiæ restitutionem Gallum nunqvam consensurum. Et qvia Princeps huic articulo tam acriter insistebat, Rex credebat, ei egregia bona, qvæ is isto in Ducatu tenebat, cordi esse; eoqve dicebat, se effecturum, ut is eadem cum securitate ista sub Galli, qvam sub Hispani imperio possideat: aut si hoc nomine Gallo obnoxius agere nolit, eorundem pretium eidem solutum iri, qvanti ipse ista taxaverit. Sed Princeps generose, ac citra hæsitationem respondebat: ea bona paci nunqvam obstaculum datura, ac gratum sibi fore eadem perdidisse, si pro iis bona aliqva Flandriæ urbs redden-

da sit firmando limiti. Post multam disceptationem inter Regem, ac Principem convenit, ut pax in has leges fieret: Ut Gallus Cæsari, & Imperio omnia hoc bello erepta restituat, simul Lotharingiam suo Duci, & Hispanis Athum, Caroloregium, Audenardam, Curtracum, Tornacum, Condæam, Valentianas, D. Juliani Fanum, & Binchium reddat. Belgæ qvoqve, & Galli mutuo erepta restituerent. Ac Princeps in se recipiebat, se Hispanorum consensum curaturum; uti Rex de Galli consensu curando promittebat. Placuit inde protinus certum hominem mitti in Galliam, qvi has propositiones eo deferret; cui injungendum sit, ne super hoc negotio disceptationis qvid ingrediatur, sed non nisi liqvidum responsum intra biduum postulet, & eodem elapso citra moram revertat. Ei itineri post biduum obeundo Templius destinabatur. Ast interea Eboracensis eludendo tam egregio destinato, Regi persvaserat, ut in Templii locum, in cujus integritate Araulionensis maximam fiduciam collocaverat, suus familiaris Durasius mitteretur. Colorem Eboracensis dixerat; qvia persvasum sibi sit, Gallum latas conditiones acceptaturum, ac protinus inde pacem fore, se hunc sibi honorem deposcere, ut per domesticum suum propositio fiat. Ita Durasius in Galliam, Princeps cum nova nupta paucos intra dies in Belgium abiit; ubi res præsentiam ipsius utiqve reqvirebant. Rex confirmabat, se nunqvam circa ullum articulum formulæ in Galliam missæ qvidqvam remissurum: ac se bellum Galliæ indicturum, si ea pacem in istas leges recusaverit. Nec eo minus Rex, non sine dolore Araulionensis, Parlamentum usqve in proximum ver prorogabat, artificiis legati Gallici persvasus, ut Gallum demulceret ob nuptias Araulionensis, & anteqvam formulam pacis mitteret. Contra inter Gallos, & Svecos convenerat, ut Galli declararent, se qvædam Belgii loca reddituros ea lege, ut Svecis hoc bello erepta restituerentur. Et super hoc se primum cum Anglo, inde cum Cæsare, Hispano, ac Belgis clam transacturos, anteqvam reliqvis fœderatis de eo qvid proponant. Sane Araulionensis Sverino confirmabat, super conditionibus Borealium fœderatorum Londini nil fuisse actum. Ipse qvoqve Rex Sverino de ea re moventi dicebat: permutationem Belgicorum locorum cum Svecicis, ac ut Hispanicæ provinciæ Daniæ Regis, & Electoris impensis serventur, crudelem & injustam esse. Haut eo minus idem æmulationis qvid in progressus Dani ostenderat; simul optaverat,

1677.

St. Guillain.

1677. verat, Electorem Stetino haut potiri, qvod per id pax difficilior reddenda sit. Beuningius jactabat; qvamprimum super legibus pacis inter Gallos, & Hispanos conventum fuerit, Borealium negotia Neomagum remissum iri, brevi ibidem expedienda. Re-

8. Dec. versus Hagam Arausionensis confirmabat, nil super separata pace conventum: Belgas qvoqve absqve antegressa cum fœderatis conventione nihil facturos, ac cœptos Neomagi tractatus bona fide persecuturos. Sed se plurimas difficultates perspicere tam circa belli continuationem, qvam ut pax conficiatur omnibus fœderatis æqve proficua.

11. Dec. Sed Belgæ fœderatorum legatis Hagæ significabant; Arausionensem iter in Angliam susceptisse in usum communis causæ, eoqve fine omnem operam apud Regem navasse, huic in fœderatorum partes pertrahendo. Sed hunc ita arcte Galli rationibus innexum reperisse, ut nil profici potuerit. Eundem tamen declarasse, omnia se facturum paci promovendæ, ac ut Princeps eo fine conditiones proponeret petiisse. Qvid id initio recusarit; demum tamen dixisse: Si Gallus Burgundiam restituat, ulterius deliberandum, qvid locorum Hispani, ac Galli in Belgio retenturi sint. Sed Anglum de Burgundia nil audire, nec alias tamen conditiones proponere voluisse. Durasium tamen in Galliam mississe, qvi hoc responsi à Gallo retulerit; factam propositionem sibi non placere; haut addito qvalis illa fuerit. Unde Anglum permotum fuisse, ut Parlamentum, qvod alias in futurum Aprilem condictum erat, ad XV. Januarii convocaret. Interim Montacutium Lutetiam misisse, liqvido responso petendo, qvid Gallo facere, aut omittere placeat, qvo propositio Parlamento facienda ad id accommodari possit. Sed Gallo decretum, unam adhuc invasionem in Belgium tentare; unde necessum esse à fœderatis omnes copias huc mitti, ne qvod supereſt ab isto opprimatur. 1677.
Ita qvidem Hagæ tunc à Belgis inter fœderatorum legatos vulgabatur: sed revera circa missionem Durasii ita res habuerat. Ejus adventus etsi aulam Gallicam non parum turbasset; tamen eo dissimulato proposita dextre admodum accipiebant. Regi Angliæ satis constare, pacem in sua manu sitam esse. Sed conditiones circa urbes Flandriæ nimis duras videri, præcipue circa Tornacum, cujus munitiones immensis summis constiterint. Unde aliqvo tempore ad deliberandum sibi opus esse. Et qvanqvam Durasius diceret, non integrum sibi esse ultra biduum morari, effecerunt tamen Galli, ut aliqvot adhuc dies Lutetiæ maneret, non nisi hoc responso relato: Regem haut sperare, à fratre suo Rege Angliæ bellum sibi ob unam, & alteram urbem indictum iri. Interim se mandata legato suo Londinum missurum, ut super eo articulo cum ipso Rege tractet. Ita Galli negotium in longum extrahebant, & qvæ aperte non abnuebant, per artes elusum ibant. Et revera blanditiæ Gallorum Anglum deliniebant; ac legatus Gallicus declarabat, se jussum omnia cedere, excepto Tornaco, & qvidem ut super æqvivalente ejusdem agere velit, si Rex utiqve ei instat. Sed post discessum Arausionensis, qvi ejus consilii autor fuerat, id non eo qvo par erat vigore agebatur, sic ut ea tractatio ad inanes, hinc inde missitationes devolveretur. Interim offensa populi Anglicani ob rumorem super negotiatione pacis, & prorogationem Parlamenti immensum glisebat. Cui sedandæ Rex post Durasii reditum Parlamenti sessionem anticipabat, velut bellum Gallo inferre decrevisset. Qvod uti antea summopere à Parlamento expetitum fuerat, qvamdiu Rex eidem se opposuerat: ita nunc cum aula in bellum inclinare videretur, monstri qvid subesse suspicatum cessim ibat.

SAMU-

SAMUELIS PUFENDORFI

DE

REBUS GESTIS FRIDERICI WILHELMI MAGNI

ELECTORIS BRANDENBURGICI

COMMENTARIORUM

LIBER DECIMUSSEXTUS.

EPITOME.

Anglus curam cauſæ communis videtur velle ſuſcipere. 2. Fœdus inter Anglum, & Belgas ſuper legibus pacis inter Gallum, & Hiſpanum. 3. Anglus Gallum ad has conditiones permovere ſtudet. 4. Sveci ſocietatem Angli affectant. Cerimonialia. 5. Elector iſto fœdere turbatur. Apud Belgas de eodem quæritur. 6. Neomagi ſuper eo tractatu disputata. 7. Electoris circa hoc negotium conſiderationes. Somnicius moritur. 8. Cæſareæ aulæ mens exploratur. 9. Inter Anglum, & Hiſpanos difficultates. 10. Regis ad Parlamentum propoſitio. Parlamenti petitum. 11. Gallorum in Belgio progreſſus. Iis Anglus parum movetur. 12. Parlamentum ſuper bello in Gallum fruſtra ſatagit. 13. Arauſionenſis circa præſentem rerum conditionem ſententia. 14. Electoris ad iſtam declaratio. 15. Conditiones pacis à Gallo propoſitæ. 16. Hagæ circa eam propoſitionem agitata. 17. In Anglia fruſtra ſuper fœdere contra Gallum agitur. 18. Belgæ prolationem termini à Gallo præfixi petunt. 19. Super induciis Neomagi proponitur. 20. Belgæ ulterius inducias urgent. 21. In Anglia ad bellum contra Gallos

1678. nihil proficitur. 22. Anglus rem haut serio agit. 23. Gallus Belgas per literas ad pacem invitat. 24. Belgæ ad Gallum legationem decernunt. 25. Arausionensis super hoc negotio sententia. 26. Beverningius ad Galliæ Regem mittitur. 27. Elector apud Anglum paci se frustra opponit. 28. Apud Belgas circa sistendam pacem nihil proficitur. 29. Hispani itidem in pacem inclinant. 30. Fœderatorum circa pacem Neomagi monita. 31. Elector itidem pacem qværere instituit. 32. Fœderati separatæ Belgarum paci renituntur. 33. Arausionensis sententia super pace. 34. Belgæ pacem decernunt. 35. Belgæ de instituto suo Neomagi proponunt. 36. Hispani pacem certis conditionibus acceptant. Galli super restituendis urbibus difficultatem movent. 37. Belgarum ad Regem Galliæ literæ. Regis responsum. 38. Belgæ restitutionem urbium urgent. 39. Super Gallorum tergiversatione consultatur. 40. In Anglia denuo super bello Gallico movetur. 41. Novum fœdus inter Anglum, & Belgas concluditur. 42. Galli adhuc circa restitutionem urbium tergiversantur. 43. Belgarum ad ista declaratio. 44. Galli adhuc tricantur. Svecorum declaratio. 45. Galli postulato suo desistunt. 46. Belgæ in pacem ruunt. 47. Fœderati contra eam pacem protestantur. 48. Pax haut eo minus concluditur. 49. Super pace ista qverelæ. 50. Electoris ad Belgas super pace epistola. 51. Arausionensis de ea pace judicium. 52. Cum Luneburgicis acta. Luneburgici legatos suos Electoralibus exeqvari cupiunt. 53. Luneburgicorum ad Electorem missio. 54. Consultatio super Luneburgicorum postulatis. 55. Alia Luneburgicorum ad Electorem missio. 56. Cum Monasteriensi acta. 57. Cum Daniæ Rege acta. Fœdus inter Danum, Electorem, & Monasteriensem. 58. Arma Danorum eo anno parum succedunt. 59. Super expeditione Electoris hoc anno consultatur. 60. Elector Rugiam insulam occupat. 61. Stralsunda per literas tentatur. 62. Stralsunda oppugnatur. 63. Grypsvvalda expugnatur. 64. Svecicarum copiarum naufragium. 65. Elector Svecorum e Livonia irruptionem in Borussiam avertere laborat. 66. Circa Strauchium liberandum agitata. 67. Elector Polono suspicionem eximere laborat. 68. Sveci è Livonia in Borussiam irrumpunt. 69. Elector cum exercitu in Borussiam ire constituit. 70. Galli ad Montes Hannoniæ vapulant. Induciæ inter Gallicum, & Belgicum exercitum ineuntur. 71. Anglo pax displicere videtur. 72. Aliqva spes belli Anglici iterum adparet. 73. Circa pacem inter Gallum, & Hispanum satagitur. 74. Hispani pacem suam excusant. 75. Qvid post deficientes socios agendum consultatur. 76. Elector Galli mentem super Pomerania explorat. 77. Meinderstii negotiatio. 78. In Angliam nil amplius spei reponere licet. 79. Ad Cæsarem missio. 80. Cum Cæsareis Viennæ disceptatio. 81. Cæsaris declaratio. Neoburgici sententia. 82. Repetita Viennam missio. 83. Viennæ parum proficitur. 84. Cæsareorum consilia fluctuant. 85. Consultatio super præsenti rerum statu. 86. Electoris ad Cæsarem literæ. Cæsarei acta sua excusant. 87. Cum Luneburgicis acta. 88. Ratisponæ super pace acta. 89. Neomagi super induciis frustra agitur. 90. De pace inter Cæsareos, & Gallos agitur. 91. Continuatio tractatuum inter Cæsareos, & Gallos. 92. Formula pacis inter Cæsareos, & Gallos adaptatur. 93. Hispanica pax ratihabetur. 94. Contra formulam pacis à Cæsareis exhibitam protestatio. 95. Super Cæsarea formula disputata. 96. Confirmatio pacti hæreditarii circa Juliacenses ditiones à Cæsare obtinetur. 97. Fœdus arctius cum Belgis perficitur. 98. Fœderis cum Belgis argumentum. 99. Articuli separati. 100. Ratihabitio fœderis aliqvandiu differtur. 1678.

1678. *Anglus curam causæ communis videtur velle suscipere.*

SUperioribus annis ea felicitas Electoris arma prosecuta fuerat, ut propinqva spes foret Svecos penitus Germanico solo depulsum iri. Qvo obtento is judicabat immensum se de posteritate sua, Cæsareisqve editionibus, totaqve Germania merituros, amotis vicinis hactenus tam inqvietis, & qveis à tergo Germaniam distrahere in promtu sit, cum à fronte Gallus urgeret. Qvi nili nunc in ordinem redigerentur, Imperio semper formidandi videbantur, saltem qvoad auro Gallico mercenariam operam addicere nullus pudor futurus erat. Et assecutus qvidem est Elector hoc anno per victricia arma, qvod qvæsierat, expugnatis qvæ in Pomerania Svecis restabant urbibus. Sed qvo minus idem victoriarum suarum fructu gauderet in causa erat, qvod in diversa parte ita languide, aut infeliciter res gesta foret, ut parum abesset, qvin Gallus Belgii Hispanici reliqvias plane absorberet. Eas porro servari cum totius Europæ, tum præcipue Unitorum Belgarum, atqve Anglorum intererat, qvos eo repagulo remoto cominus incursandi Gallis facultas præbebatur. Cum autem effræni horum libidini compescendæ nulla præter vim vincula sufficerent, dudum periti rerum judicaverant; ni Anglia qvoqve suas vires reliqvis sociaret, Europæ libertatem nunqvam in tuto fore. Ast Carolus II. Magnæ Britanniæ Rex eousqve & communes Europæ, & peculiares Regni sui rationes, & vota populi sui insuper habuerat, ut ultro promovendis Galli destinatis velificaretur, qvoad eo usqve invaluissent, ut iisdem sistendis vix amplius facultas supereesset. Cum itaqve periculum Angliæ, Belgisqve Unitis propius jam advolveretur, iste velut alto sopore excussus, ne forte populus tam scævo administrandi modo efferatus frænum morderet, demum serio magis eam rem amplecti visus est, ac ostentatis armis Gallum permovere statuit, ut Hispanicis provinciis temporario, & parum ad diuturnitatem valituro remedio utcunqve consuleret, qvid cæteris ejus belli consortibus fieret parum solicitus. Nam qvia, si horum qvoqve ratio habenda erat, extracto bello opus videbatur, æqvo iste juxta, ac pleriqve Belgarum valde abhorrebant, utrisqve placuit clam inter se super pacis legibus convenire, per qvas suis utcunqve rationibus consuleretur; qvid reliqvorum commodis fieret nulla cura, qvæ & ita brevi expediri posse negabant. Nec considerabatur, vix aptius excogitari posse remedium stabiliendo Galli dominatui, qvem hic Europæ imponere meditabatur, qvam si per separatas transactiones inter fœderatos vinculum abrumperetur; cum istius vires jam usqve eo excrevissent, ut nisi fida omnium conjunctione librari amplius non possent. 1678.

§. 2. Eum in finem igitur fœdus inter Angliæ Regem, & Belgas Hagæ conclusum fuit; ad qvod ineundum Rex *permotum se profitebatur deploratissimo orbis Christiani statu, & ingenti necessitate, qvæ jam urgeat, protinus consilia vires qve uniendi, qvo armorum latius subinde omnia proruentium ulterior progressus sistatur. Et qvia hactenus officio ad communem pacem conciliandam adhibito nihil profectum sit, majoris efficaciæ remedium adhibere visum unito cum Belgis fœdere, cujus pondere vicini Reges Galliæ, & Hispaniæ permovendi sint ad consentiendum in pacem iis conditionibus, qvæ morbis Christiani commodum cedere qveant, & qvæ præcipue instaurando, ac firmando Belgio Hispanico faciant, qvod ut salvum persistat, Angliæ juxta, ac Unitarum Provinciarum tantopere interest. Eo fine utriqve viribus sociatis connitentur, ut Gallus Hispano restituat Carolo regium, Atbum, Audenardam, Cortracum, Tornacum, Condæum, Valentianas, Limburgum, Binchium, & Fanum Divi Juliani cum aliis locis, qvæ Galli qvocunqve deinceps tempore post Fanum D. Juliani occupabunt; tum territoria ad singula horum locorum spectantia. Nec minus restituendum, qvicqvid Gallus in Sicilia obtineat, aut deinceps capturus sit. Contra Gallus Burgundiæ Comitatum retinebit. Inter Gallos, & Belgas in Europa omnia in pristinum statum reponentur, utrinqve occupatis restitutis. Cæsaris & Imperii rationes ulteriori disqvisitioni seponebantur. Lotharingiæ qvoqve Ducis restitutio promittebatur. Inter Boreales fœderatos, & Svecos inducias curandas, qvoad super legibus pacis inter eosdem convenerit. In has leges ut pax ineatur, Anglus Gallum juxta, atqve Hispanum permoturum se recipiebat, ac ut eo fine trimestres inducia inter eos ineantur, nec Gallus ulterius in Hispanico Belgio progrediatur. Belgæ eo se staturos promittebant, qvoad inter Anglum, & Gallum circa hoc negotium convenerit. Si Gallus ad has leges amplectendas amica ratione moveri neqveat, Anglus sociatis cum Belgis armis vi Gallum compellere conabitur. Belgæ qvoqve operam dabunt, ut Hispanus in eas pacis leges consentiat.* *Fœdus inter Anglum, & Belgas super legibus pacis inter Gallum, & Hispanum.* 30. Dec. 77

1678. *Pacis inter duos Reges concludendæ Anglus, & Belgæ sponsores, ac vindices erunt. Si hujus pacis nomine Belgis, ab aliqvo fœderatorum bellum inferatur, Anglus his adsistet, qvoad periculum sit depulsum. Ea pacta intra mensem rata habebuntur.* Addebatur articulus separatus circa Lotharingi restitutionem, ut si à Gallo obtineri neqveat munita ejus Ducatus loca cum iis operibus restitui, qvæ fuerant, cum à Gallo occuparentur, saltem eo qvi nunc est statu reddantur. Tum ut penes Gallum maneant loca Siciliæ, aut alia qvæcunqve extra Belgium proponi qveant in cautionis vicem, qvoad super conditionibus pacis Svecicæ conveniri qveat.

Anglus Gallum ad has conditiones permovere studet.

§.3. Ad has conditiones admittendas ut Anglus Gallum permoveret, jam antea Durasium cum formula pacis in Galliam miserat; qvam Gallus qvidem non plane rejecerat, sed dixerat; se liqvido mentem suam declarare non posse, qvoad cum Svecis consultaverit, ac sibi cautum sit, his qvoqve satisfactum iri. Unde Anglus Montacutium eadem cum formula miserat, denuntiato, se pariter pro Svecis aliqvas conditiones concepisse, qvas jam propositurus fuerit, nisi eventum obsidii Stetinensis expectare placuisset. Ad ista Gallus Anglo Svecorum causam commendaverat, sed in allata formula qvædam mutaverat, ac Insulas, Tornacum, Duacum, & Valentianas cum vicinis oppidis minoribus sibi servare cupierat. Lotharingo cognominem, & Barrensem Ducatum restituere voluerat, ut tamen Nanceium cum Tullo permutaretur. Deniqve Friburgum sibi relinqveretur, aut ejus loco Philipsburgum redderetur. Enimvero qvia Anglo tanti momenti urbes Gallis relinqvi durum videbatur, is paulo commotior legato Gallico Barillono dicebat: se sat diu enormes Galliæ progressus dissimulando aluisse; eoqve non apud fœderatos solum, & proprium populum suspicionem haut injustam incurrisse; sed & à Gallo non eo, qvo par sit, studio sibi responderi, qvi non nisi subterfugia qværere videatur armis suis interim latius diffundendis. Id qvod nullo modo sibi tolerandum sit, eoqve sociatis cum Parlamento animis consilia capturum præsentibus temporibus idonea. Nec minus Eboracensis & alii Gallo antehac addictissimi non sine ferocia jactabant; ni Gallus propositas conditiones admittat, bellum sine dubio secuturum. Etsi qvi intima Regis sensa norant, satis intelligebant, ferociam in speciem ostendi, cum is revera à bello magnopere abhorreret. Nam qvia Parlamentum tot modis offenderat, metuebat, ne id arrepta qvæ daretur ultionis occasione vel ipsum medio bello pecunia cassum destitueret, vel ministros suos, qvorum acta improbabantur, in jus vocatos publicæ indignationi immolaret. Contra Galli non minus ferociæ ostentabant, ac Luvoisius Parisiis legato Anglico in os ingesserat; si Anglus in arma erumpat, septem milliones, qvi alias qvotannis in eam aulam erogandi sint, in bellum Anglis faciendum impendendos. Sed prudentiores non immerito dubitabant, an non ex compacto res inter Anglum, & Gallum agi, & hunc revera pacis cupidum è decoro ducere non protinus cedere. Nam qvantumvis arma eidem prospere successerant, opus tamen spatio temporis videbatur colligendis viribus ad novum velut impetum dandum; postqvam præcipua qvæ in præsens affectabat obtinuisset, Burgundiam, Ariam, Cameracum, D. Audomari Fanum, Insulas, Duacum. Tum Anglum extra arma retentum acerrimis suorum civium odiis objecerat. Ipse contra per recens parta, & gliscens commercium proventus regni immensum auxerat, ut facile esset media pace ingentem exercitum alere, reliqvis exiguo momento absorbendis in proclivi erat, anteqvam cæteri qvorum intersit arma contra instruere valerent. Unde non amplius obscurum erat, duos istos Reges noxiam fœderatis pacem parturire. Præsertim cum Cæsarei & Hispanici ministri jam aperte dissererent, temporibus cedendum, & reliqviis Flandriæ servandis Burgundiam immolandam. Nec in Belgarum constantia multum fiduciæ collocare licebat. Et qvanqvam natio Anglicana Gallis infestissima bellum summopere cuperet, ejus tamen impetum eludere non in arduo Regi erat. Cæterum omnia qvæ cum Gallo super pace agitabantur, in aula Anglica fœderatorum ministros summo studio celabantur, ne ista per hos Parlamento prius innotescerent, qvam aulæ id expedire videretur. Mox ipse Rex Burgomagno denuntiabat, Madritum, & Bruxellas scriberet, Gallum in Consilio deliberasse, num propositæ pacis conditiones acceptandæ sint, an minus. Ubi plerosqve pacem, sed solum Luvoisium belli continuationem svasisse, qvi & contra reliqvos omnes sententiam suam pervicerit. Ita se nunc unice bellum meditari; & qvia res non superfunctorie sit agenda, Hispanos moneret, ut in Flandria sibi à Gallis probe caveant: ac spem esse, ab Hispanis sese haut destituendum. Ad qvæ Burgomagnus: Luvoisio ingens præmium pro isto

Barillon.

Louvois.

8. Jun.

1678. isto consilio deberi, utpote qvo Regi Angliæ materia præbeatur orbis Christiani amorem,& æternam apud posteros gloriam adipiscendi. Et legatus Gallicus cum de induciis proponeret, rejiciebatur, velut qvæ præsentibus temporibus nullo modo congruerent. Contra Galli uti consilia in Anglia per solitas sibi artes turbabant; ita & in Hollandia, ac præcipue Amsterodami suspiciones excitabant, velut inter Anglum, & Araulionensem consilia capta fuissent, Reip. libertati valde periculosa. Qvo sine Hooftium, & Valckenierium Consules, qvi Amstelodami maxima autoritate erant, in partes suas pertraxerant. Qvi inani suspicione Araulionensis studium pro bono publico irritum reddebant, qvasi nunc novo connubio aulæ Anglicanæ penitus innexi, cujus consilia Belgæ immensum suspectabant.

Sveci societatem Angli affectant.

§. 4. Porro opinio Anglicorum armorum Svecos qvoqve permoverat, ut & ipsi nova consilia agitarent. Nam pleriqve Senatores censuerant, ut Rex Cæsari, Hispano, Anglo, ac Belgis declaret, se paratum æterno fœderi cum ipsis contra Galliam ineundo, stipulatus tamen sibi hoc bello amissorum restitutionem. Cui fœderi cudendo, si inter Anglum, & Gallum bellum eruperit, Olivecrantzius in Angliam venerat: simul ut Regi Sveciæ secundam Eboracensis filiam Annam in connubium expeteret. Qvi & eousqve jam processerat, ut diceret, non aliam dotem à Rege exigi, qvam ut amissorum restitutio ei curetur. Qvomodo tamen legatus iste id negotium de connubio, qvod tantopere Regis existimationem tangebat, hoc inscio, (id qvod certissime constat,) proponere, aut alius eidem tale mandatum dare ausus fuerit, ipsi viderint. Qvæ res non parum Danos turbabat ob immeritam contumeliam eo modo Ulricæ Eleonoræ inferendam, & qvia eo vinculo Sveci Anglum, & Araulionensem sibi innectere instituebant. Unde ejus negotii disturbandi causa Antonius Altenburgicus Comes propere in Angliam missus est. Is in mandatis habebat nulli ablegato in propria domo dextram manum concedere; cum contra ablegatus Danicus Christophorus Lindenovius jussus esset, dum Ambasiatores invisit, priorem præ his locum affectare; qvæ mandata sibi plane repugnabant. Sed Anglus, & Gallus in universum decreverant, ut sui legati propria in domo aliorum ablegatis digniorem locum ne concederent. Ast Sverinus ut eam difficultatem declinaret, visitationem suam primo mane denuntiabat, ut admissus istum in lecto alloqveretur; aut si accessus excusaretur, id visitationis loco haberetur. Ac iste somnum causatus oblatam visitationem in vicem datæ acceptabat, ac ad eam reponendam se paratum ferebat. Ex qvo tempore isti familiariter in se egerunt. 1678.

Ceremonialia.

Elector isto fœdere turbatur.

§. 5. Ast Elector, ubi de ista conventione inter Anglum & Belgas inaudisset, sibi, aliisqve fœderatis tanto præjudicio futura, Sverinum jubebat apud Anglum conqveri; *Se confisum fuisse, si maxime Belgæ hoc modo secum agere nonvereantur, Regem tamē pro affectu, qvem in se testatus sit, tale qvid haut concessurum, nec tanta ipsi calamitatis causam futurum, sed potius tractatus ita moderaturum, ut & ipse iis adhibeatur, suaqve emolumenta observentur.* Cæterum eo suspectius erat id negotium, qvod cum Hagæ super isto fœdere ministris fœderatorum indicium fieret, adderetur; Anglum stipulatum fuisse, ne ante ratihabitionem ejusdem cuipiam copia fieret. Ac fœderatos qvoqve inter se pacta iisse insciis Belgis; prout Daniæ Rex, & Elector non ita pridem fecerint. Etsi Romswinckelius contra ostenderet, horum pactum nil nisi prioris confirmationem, atqve explicationem continuisse; cum in isto de induciis mentio fiat, idemqve fœderi, qvod Electori cum Rep. intercedat, repugnet. Addebant Belgæ, ni fœderati majore mole, & enixius in Gallum rem gerant, bellum à se sustineri amplius non posse. Sed mox Elector gravissimas super hoc instituto qverelas moyere jubebat, qvod adversus pacta, & totiens repetitas testationes citra communicationem susceptum sit. *Nec vero ipsos scopo qvem affectent potituros. Nam Gallum paucos post annos exsecusurum, qvod in præsens tot Principum juncta vires impedivevint. Ac tunc haut temere qvempiam communem causam hoc exemplo terrente amplexurum.* Ad qvæ Fagelius: *ista non alio spectare, qvam ut Anglus in partes trahatur, citra cujus auxilium bellum non possit sustineri, nisi cum jactura Hispanicarum, & plurium provinciarum. Saltem spem esse meliores conditiones, qvam alias, à Gallo pro Hispanis, & Lotharingo, ac pro Electore à Svecis obtinendas.* Tum asseverabat, super conditionibus pacis cum Sveco nec ab Anglo, nec à qvovis alio qvid in medium allatum, nec citra communicationem cum Electore qvid adferendum. Sed nec id pactum adhuc ratihabitione firmatum; nec constare pax, an bellum futurum, & qvo demum res evasura sit. Belgas tam fructuosum sibi, ac fœderatis fœdus è manibus amittere haut potuisse, qvod ipsi Hispani qvorum

11. Jan.

De eodem apud Belgas qveritur.

14. Jan.

ed. Jan.

1678. maxime intersit suggesserint. Ac sane Villa Hermosa propositas in pacto conditiones acceptabat, si & Gallus easdem admittat. Arausionensis dicebat: ni ipse apud Anglum qvod factum erat fecisset, hoc vere qvicqvid provinciarum Hispanis supersit subigendum fuisse; id qvod per fœdus cum Anglo impeditum sit. Communicationem ob multitudinem fœderatorum intermissam; & Anglum judicasse, si negotium ex tot capitum sensu gerendum foret, id nunqvam perficiendum. Enimvero qvicqvid Belgæ de conditionibus pacis Borealis inficiarentur, è literis interceptis constabat, de permutatione Svecis ereptorum pro qvibusdam Flandriæ locis actum fuisse. Unde & Borealium fœderatorum ministri Hagæ scripto exhibito instabant, ne in tam iniqvam permutationem consentiretur. Et qvanqvam Fagelii declaratio grata sit; tamen per fœdus utiqve super omnibus, qvæ pacem spectabant, candide communicandum fuisse. Simul metus erat, ne conditionibus inter Hispanos, & Gallos adornatis horum cum Belgis pax ultro seqveretur, Electoris, & aliorum fœderatorum rationibus insuper habendis, ob qvas pax semel conventa hautqvidqvam suspendenda, aut abrumpenda sit. Arausionensi qvoqve id negotium commendabatur; ne Electoris rationes, cui ob fidem in Remp. omnia isthæc adversa obtingant, negligantur, aut obliqva via lædantur. Ejusmodi separatas negotiationes fœderi repugnare; qvas ipsum secretum suspectas reddat. Pacto Electoris cum Dano nil in cujuspiam fraudem conventum, sed super exsecutione duntaxat belli qvædam definita. Nec verosimile videri, id negotium ita recens susceptum, sed à longo tempore idem agitatum. Ac sine dubio fraudi cedere Electori, si pax inter Gallos, & Hispanos prius expediatur. Nam id ipsum huc spectare, ut ab isto pacta ad Stetinum usqve restituantur; id qvod communi tractatu facile evitari potuerit. Ut Belgis animus adderetur, ab Electore insignes copias contra Gallum offerri hac lege, si tractatus iste plane aboleatur, ac bello inter Anglos & Gallos orto id genus noxia pacta haut ineantur; tum ut ipse Svecica vicinia liberatus in tutum collocetur. Ad qvæ Arausionensis testabatur: Belgis nunqvam propositum fuisse separatam à fœderatis suis pacem inire; ac se pro viribus provisurum, ne qvid super Electoris rationibus ipso inscio agatur. Qvæ cum Anglo conventa sint, bonum publicum spectare, & ut iste Rex in partes trahatur. Cæterum supra Belgarum vires esse bellum diutius gerere, qvod pecunia una cum fide defecerit. Expostulanti Romsvvinckelio Lira respondebat; qvod res huc processerit, sibi haut imputandum, cum id impediri neqvierit. Hac rerum facie Anglum, & Belgas haut offendendos, qvod hi qvovis modo bellum ponere ardeant, & si qvi bellum adhuc continuari cupiant, pecunia deficiente irriti sint. Neomagi suspectum erat, qvod Balbasius dixisset; post expugnatum Stetinum pacem difficiliorem redditam; & qvod ibi Electoris legatis nil communicaretur, prorsus qvasi nil tractatuum ibi agitaretur; deniqve qvod Svecici legati tam duris ipsorum rebus tanta cum ferocia creparent, ne latum qvidem pedem terræ se amissuros. Ubi & Jenkinus Blaspielo super tam præpostero agendi modo qverenti reponebat: Regem Angliæ judicasse, hautqvaqvam ulla spe successus cum omnibus ad hoc bellum concurrentibus simul agi posse: & qvia bellum initio inter Gallum, Belgas, atqve Hispanos ortum sit, cum his qvoqve primo loco pacem adornandam. Nec minore tamen studio circa reliqvorum pacem laboratum iri.

Neomagi super eo tractatu disceptata. 22. Jan.

§. 6. Ast Neomagi cum nostri apud Cæsareos super formula pacis per Anglum proprio ausu concepta qvererentur, hi negabant, de ea sibi qvid constitisse, aut eam adhuc à se conspectam. Nec Cæsari minorem qvam Electori qverendi causam esse. Præcipue autem à Belgis peccatum, qvod fœderatis insciis ejusmodi pactum cum Anglo iniverint. Nec enim fœderibus per id satisfactum, qvod ante aliqvot dies Hagæ fœderatorum ministris nonnihil de eo indicatum fuerit. Tutissimum tamen fore hoc rerum articulo expectare, qvid consilii Anglus capturus sit; & eousqve expostulationem cum legatis Belgicis differendam. Haut eo minus cum Electore jubente Blaspielus apud Belgas ea de re qverimoniam moveret, hi negabant aliqvid actum, qvod Electorem, & Svecos spectet. Cæterum Angliæ Regem, & Belgas proprias ob rationes, & citra fœderatorum fraudem fœdus inter se inisse, qvod statim atqve ratihabitione firmatum fuerit, communicandum sit. Idqve non peculiarem, sed communem pacem spectare; ac jam Hagæ demonstratum, idem prioribus fœderibus non repugnare. Ad qvæ noster: esse id utiqve pactum cum tertio, & qvod pacem spectet, qvale aliis insciis fieri fœdera vetent. Belgæ contra; qvicqvid fiat, ad pacem demum referendum. Communicationem

1678. tionem agitati fœderis nil prodesse, sed non parum nocere potuisse prænature factam. Qvousqve ratihabitio secuta fuerit, omnia incerta esse. Alias Anglum, & Belgas isto negotio id præcipue spectasse, ut aliqvod intersepimentum, & munitus limes in Belgio Hispanico constituatur, qvi securitati Angliæ, atqve Unitarum Provinciarum maxime necessarius sit. Qvo ipso tamen Hispanos non prohiberi, qvominus plura si possint per arma, aut tractatus obtineant. Esse insuper peculiares rationes, qvæ in alios fœderatos non qvadrent, qvare ob Belgium Hispanicum eximie sit laborandum. Et ut maxime in has conditiones Gallus, atqve Hispanus consentiant; nondum tamen pacem ideo conclusam. Ac perinde esse hoc modo transigere, qvam Nedmagi in unam sententiam convenire. Nam sibi fixum sedere, antequam eodem modo cum aliis convenerit, pacem non admittere. Inducias, qvarum hoc pacto mentio fiat, non ulterius porrigi, qvam si Gallus propositas super Hispanicis provinciis leges amplectatur, & sequester inde operam reliqvis partibus conciliandis navare instituat: ad qvod eo facilius expediendum si induciis opus judicet, Belgas id permissuros, ut tamen ideo fœderatis in eas consentire necessum non sit, ubi easdem rationibus suis haut expedire judicaverint. Cæterum Anglum pari modo circa alios fœderatos haut laboraturum; qvod heic peculiares ipsius rationes vertantur. Saltem Belgas nil aliud acturos, qvam qvod fidos, atqve candidos socios deceat; qvibus & nunqvam in mentem venerit reliqvos ad eas conditiones amplectendas compellere. Inter Anglum qvoqve, & Belgas super Electoris negotio ne verbo qvidem actum, pro qvo facturi sint omnia, qvæ intra vires suas sint; ad qvod & per gravissimas rationes obstringantur: ac injuriam fieri, si alia de ipsis opinio foveatur.

Electori circa hoc negotium considerationes.

§. 7. Ast Electori id cumprimis suspicionem augebat, qvod Neomagenses legati rem aliter exposuissent, qvam eadem Hagæ fœderatorum ministris significata fuerat. Ac adparebat id fœdus inter Anglum, & Belgas unice pacem spectare, qvæ & eousqve jam processerit, ut propositæ conditiones à Villa Hermosa acceptatæ sint, si & eædem Gallo placeant, ac tantum circa Tornacum, & Valentianas adhuc dissideri. Igitur jam maxime tempus erat consilia digerere, postqvam non amplius ignorantiæ obtendi poterat, denuntiatione publice facta. Eqvidem nondum fœdus id publicatum fuerat, nec constabat, qvousqve res inter Gallum, & Hispanum processissent. Ac Beverningius, cum ejus fœderis exemplaria Hamburgi, & Francofurti impressa ipsi ostenderentur, interrogatus num ea genuina forent, respondebat; sex articulos infarctos esse. Qvanqvam autem ejusmodi modus agendi fœderi haut qvidqvam congrueret; is tamen utcunqve condonari poterat, modo circa rem ipsam læsio non accidisset. Nec dubium esse, qvin Belgæ optent Electorem bona pace cum Svecis potiri. Sed num post pacem inter Gallos, & Hispanos factam, Svecorum rebus non parum levamenti allaturam, in eorum potestate futurum sit Svecos ad æqvam pacem constringere, valde dubium esse. Qvanqvam autem initio separationis à Belgis facto Electori fas erat una cum Dano peculiarem cum Svecis transactionem qværere; tamen neqve ab his ejusmodi tractatus adhuc offerri, nec spem esse, eos ex Electoris re fore, aut huic, posterisqve sinceri qvid ab istis unqvam expectandum. Hoc modo qvoqve Anglum sequestrem abdicari; qvod sine ejus offensa fieri neqveat. Qvod si autem Belgarum opera circa eam pacem conciliandam adhibeatur, eo ipso fœdere eosdem exsolvi videri: cum tamen consultissimum sit fœderi firmiter inhærere; & si maxime à fœderatis nonnihil exorbitatum fuerit, potius ejus reparationem qværere, qvam abrumpendo plane vinculo ansam præbere, qvo nil nostris rebus nocentius, hosti nil lætius accidere qveat. Ista dubia cum tempus optime expeditura esset, id saltem constabat, Belgas longius jam à fœdere discessisse, qvam ut dissimulari posset, facie rerum plane immutata, ac Electore in maximum periculum pertracto. Unde is legatis suis injungebat Belgas hortari, ut si utiqve suscepta pacis negotiatio persistat, una cum Anglo rem ita moderentur, qvo cum omnibus fœderatis pariter tractetur, nec ipse ad extremum rejiciatur. Sed ista omnia soli Blaspielo deinceps curanda incumbebant, qvod paulo post Somnicius Neomagi fato fungeretur. Cujus vidua consolationes legatorum non admittebat, velut qvæ ibi extra publicam pompam egerat. Sed Blaspielus uti de morte collegæ significarat, ita & aliorum officia recipiebat. Galli etsi de obitu iis significatum non esset, nec Somnicius ob litem super cerimoniis cum iisdem qvid commercii habuisset; tamen misso Nobili de dolore suo testabantur; qvibus vidua scripto respondit. Funus sine pompa Vesaliam deductum.

Somnicius moritur. 16. Febr.

§. 8. Cæ-

1678. *Cæsarea aula mens explorat.*

§. 8. Cæterum Elector statim atqve ex interceptis literis innotuisset, super qvorundam in Belgio locorum cum Svecicis provinciis permutatione agitari, ea de re per Crocovium Viennæ qverelas moveri jubebat. Is inter alias hanc rationem ingerebat; num Cæsaris rebus consulatur, si Hispani tres, aut qvatuor urbes in Belgio recuperent eo pretio, ut Sveci in Germania maneant? Sane Gallo in proclivi esse eas urbes eripere, qvandocunqve libido subierit. Contra Cæsareas ditiones semper periculo invasionis à Svecis expositas manere. Ast his Germania pulsis, ac salva inter fœderatos unione facile fore istas urbes ab Hispanis recuperari, ac ab invasione Galli tutas præstari. Enimvero Viennæ negabant isti permutationi veri qvid subesse. Ac solus Gurcensis ejus secreti particeps habebatur, Kinskio, & Stratemanno ignaris. Kœnigseckius tamen Vicecancellarius Imperii judicabat; Borealium fœderatorum, (eo vocabulo tunc Daniæ Rex, Elector, Luneburgici, ac Monasterienſis notabantur,) securitatem duabus potissimum rebus inniti. Primo ut qvantum possint bellum in Svecos absolvant, antequam præcipitata pax, ac fœderatorum separatio, aliavé obstacula interveniant. Tum ut Daniæ Rex & Elector Luneburgicis Ducibus arctissime se innectant, ac hisce etiam circa iniqva indulgeant, qvo iidem in partibus retineantur. Sed & Electori operam dandam, ut Stralsundam vel lautissimis conditionibus ad se pertrahat. Cæterum satis adparebat, Cæsareos ministros ancipiti cura distrahi. Nam inde Danum, Electorem, & Luneburgicos offendere verebantur, qvibus invictis pax sine periculo obtrudi non possit. Hinc autem cum hisce arctius jungi non audebant, si maxima invidia non obstaret, ne Hispanis unicum remedium sua recuperandi adimeretur. Qvo ipso & separatio Domus Austriacæ secutura erat, irrito qvoqve connubio, qvod inter Cæsaris filiam, & Hispaniæ Regem agitabatur; qvo velut cuneo Joannes Austriacus semper utebatur aulæ Cæsareæ ad sua placita compellandæ. Accedebat qvod Bavarus, Saxo, & Palatinus Electores super promovenda pace sedulo consilia conferrent, eamqve impense urgerent. Bavarus qvoqve tunc qvatuor legiones recens conscribebat, ac rem tormentariam expediebat non sine Cæsaris solicitudine. Igitur si tam valida in Germania factio pacem utiqve pertenderet, qvo tunc loco Cæsaris res fore, si partibus in Svecos bellantibus ea lege se innexuisset, pacem se non inirum, nisi ut salva iis sint, qvæ Svecis eripuerant? Unde metuendum erat, ne Cæsari necessum foret Belgarum, & Angli voluntatem sequi, præsertim cum eam aulam ob intelices armorum successus, & metum tertiæ factionis in Imperio dudum belli tædium subiisset. Sed & frigere videbatur amicitia inter Cæsarem, & Belgas, ac jurabat Vicecancellarius, tibi de consiliis Angli, & Belgarum circa pacem haut constare; ac metuere, ne Cæsar ea excludatur. Cui rei ipsa aula Cæsarea causam præbuisse arguebatur, cui moris fuerit, præsertim rebus paulo prosperius fluentibus, fœderatos de suis consiliis celare, ac nil nisi æmulationem, ac diffidentiam adversus eos ostendere, suoqve exemplo ad paria iisdem præire. 1678.

Inter Anglum & Hispanos difficultates. 15. Jan.

§. 9. Interim qvæ de bello inter Anglos, & Gallos exarsuro spes concepta fuerat, mox iterum minuebat, Parlamento in duas septimanas comperendinato, nec prius explorato, in bellum, an pacem inclinaret. Aula hanc causam obtendebat, qvod cum Burgomagnus prius de Anglico præsidio Ostendæ imponendo proposuisset, idem mox de isto retractarit. Unde sibi prius è Villa Hermosa liqvido noscendum, qvæ Hispano mens sedeat; de qva antequam cautum sit, haut sibi expedire in bellum descendere: nec prius propositionem ad Parlamentum rite formari posse. Enimvero Parlamentum, ubi de fœdere cum Belgis percepisset, haut dubitabat, qvin conditiones pacis communicato cum Belgis consilio conceptæ forent, ac jam Regi constare easdem a Gallo probari. Tum & fœdus id Beuningii fœtum agnoscebant; qvi utut totiens à superioribus suis ob negotia magis ex suo sensu, qvam eorum mandato t actata increpitus diceretur, demum tamen destinata sua pervicerat, ut Anglus cum Belgis necessitatem iis adferret, qvi placitas iptis pacis leges abnuerent. Porro uti qvæ hucusqve super conditionibus pacis innotuerant, nullam spem securitatis ad diuturnitatem valituræ dabant; ita multi è Parlamento jactabant, in ejusmodi pacis grâtiam se non teruncium collaturos; cum nil tuti sperandum sit, ni Gallus vi armorum eo redigatur, ut non amplius vicinis formidandus sit. Eqvidem aula Parlamento persvadere satagebat, bellum serio agi: qvo fine naves instruebantur, magnus numerus boum mactabatur, ac conducendo militi tympana passim perstrepebant. Sed hoc inania ista ridebat, ac censebat, Regem infesta Ostenda Hispanos

1678. ad pacem cogere velle. Et nunc belli non secuti culpam in Hispanos derivari, qvod Ostendam tradere abnuerint. Contra aula Parlamento persvadere conabatur, per pacem Galliam insigniter debilitari posse, si inter fœderatos convenerit de prohibendis Gallicis mercibus, per qvas tanta pecuniæ vis in id regnum pertrahatur; qvod prætextum à Beuningio suggestum fuerat. Cæterum inter Hispanicos ministros dispar plane agendi modus observabatur. Nam Burgomagnus Londini non nisi extrema, ac desperata consilia crepabat. Contra Balbasius Neomagi ingens pacis desiderium ostendebat, regimen Belgii uti credebatur affectans: qvod is non nisi pacis tempore gerere poterat, nullo rei militaris usu. Unde penitius cognoscendæ Hispanorum sententiæ Rex Godolfinum Bruxellas mittebat: de cujus propositione, atqve accepto responso aliud Rex, aliud Burgomagnus vulgabat. Nam Rex dicebat, se Hispano auxiliares copias obtulisse, ac Ostendæ usum postulasse receptui, ac congerendæ annonæ; id qvod Villa Hermosa recusaverit. Idqve aula ubiqve spargebat, ut Parlamentum crederet, cum Hispani nihil ad rem conferre velint, pace utiqve opus esse. Contra referebat Villa Hermosa, Godolfinum pure traditionem Ostendæ postulasse, nulla significatione facta, qvousqve Anglus Hispani causam suscipere constituerit. Et cum ipse respondisset, Neoportum, & Dixmudam protinus Anglo tradendam; super Ostenda Madritum scribendum, interim Anglo integrum fore tractatus cum Hispano suscipere; Godolfinum iterum discessisse. Circa Ostendam autem ita se res habebat, qvod ea non ab arbitrio gubernatoris, uti alia loca, penderet, cui & præfectus non ab hoc, sed ab ipso Rege imponebatur. Unde penes Villam Hermosam non erat Anglicum præsidium ei oppido imponere. Qvi tamen concesserat, ut Anglus eo portu uti, penumqve, & arma ibi congerere posset, imperio loci penes præfectum Hispanicum manente; interim cautionis in vicem Dixmudam & Neoportum traditurus. Qvibus oblatis facile Anglus adqviescere poterat, si bellum in Gallum cordi foret. Ubi id suspectum erat, qvod legato Hispanico Londini de hac missione nil significatum fuisset, & qvod Godolfinus in legati Gallici domo familiariter ageret, Portsmuthiæ cliens, cujus fœminæ illecebris Gallus inter alia vincula Anglum sibi addictum tenebat. Inprimis altius penetrare videbatur, qvod Beuningius, à continuatione belli magnopere abhorrens, traditionem Ostendæ jam urgeret, qvæ tanten promovendo inter Anglum, & Gallos bello qværi ferebatur. Unde colligebatur, Ostendam duntaxat peti Hispanis ad pacem cogendis. Burgomagnus autem initio judicaverat, aliqvid Anglicarum copiarum Ostendæ præsidio addendum, ac penum ibi struendum. Ita Anglo de eo loco satis caveri, nec opus esse ejus traditionem directe peti. Sed cum Anglum ita avide isti oppido inhiare pateret, Hispanis suspicio nascebatur, ab illo sinistri qvid circa idem agitari. Ut autem Burgomagnus Parlamento exosus redderetur, aula spargebat, eum initio Regi Ostendam obtulisse, & nunc sua dicta retractare; nec ei mandatorum qvid ad tractandum esse; ac à Villa Hermosa formulam pacis probari. Igitur ut iste culpam à se amoveret, libello Regi oblato deducebat, ad totiens iterata sua scripta nihil responsum. Simul periculum Flandriæ exaggerabat, cujus reliqvias servari magis Angliæ qvam Hispaniæ interesse, qvæ præter statos redit9; & tributa qvotannis qvatuor amplius milliones, ac plurimum virorum absumat, alibi utilius impendendos. Deniqve si Rex communis securitatis curam suscipere velit, cautionis in vicem Neoportum, & Dixmudam tradendam. Ad qvod scriptum Rex respondebat, Flandriam qvantovis pretio servandam. Cæterum super isto pacto cum Belgis inito magis hi, qvam Rex reprehendi poterant. Nam hic qvietis, & voluptatum avidus labores horrebat, ac ita se egisse norat, ut Parlamento haut tuto fidere posset. Unde nulla alia via patebat declinando bello, qvam conventio cum Belgis, per qvam Flandria ad tempus utcunqve servaretur, bello post atrocius erupturo; cui conventioni Beuningius ansam præbuerat. Sane cum Arausionensis, dum in Anglia erat, Regi ostendisset; si provinciæ Hispanicæ sibi tradantur, non defore facultatem easdem servandi; Rex clam circa id negotium agere cœperat. Eo magis Beuningius pacem urgebat, ut Princeps exarmaretur. Nec minus Amstelodamensis civitas declarabat, sibi pacem habendam, si maxime Anglus in bellum descendat. Cæterum is color à Beuningio dicebatur; cum Resp. unice id qvæsierit, ut Anglus bello miscereatur, nil pensi fuisse, qva via id obtineretur, ac nullo scrupulo probatum, qvicqvid Anglus proponeret. Cum itaqve res huc jam deducta sit, ut Anglus in arma erupturus sit, non esse, qvod curiose trutinetur, qvæ remedia isti scopo adhibita sint.

1678. *Regis ad Parlamentum propositio. 28. Jan.*

§. 10. Ut ergo Rex serio bellum in Gallos agitare videretur, apud Parlamenti consessum exponebat de fœdere cum Belgis ad servandam Flandriam inito, postqvam incassum per officium suum circa pacem laboraverit. Id fœdus ut effectum sortiatur, decretum sibi XC naves bellicas armare, & XL M militum conducere; ad qvod Parlamentum idoneos sumtus suppeditaturum sit. Addebantur plura de re pecuniaria supplendis impensis à se factis: tum de nuptiis suæ ex fratre neptis cum Arausionensi. In ea propositione notabatur, qvod Rex ad tolerandos aulæ sumtus tributa vino imposita continuari postularet. Nam id indicio habebatur, Regi bellum cum Gallo cordi non esse, cum orto bello vini Gallici importatio interdicenda sit. Ad eandem propositionem Domus Parlamenti Inferior oblato libello, post actas gratias super conservatione sacrorum, ac connubio neptis cum Arausionensi petebat, ne Rex ullam conventionem admittat, per qvam Gallo plura, qvam pace Pyrenæa concessa sunt, relinqvantur; alias enim securitatem Britanniæ ac reliqvæ Europæ haut constare adversus gliscentem potentiam Galli, qvem penes futurum sit pacem publicam turbare, qvotiens libido subierit; nec alia ratione Belgio Hispanico consuli. Inde petebatur, ne durante hoc bello permissum sit navibus cujuscunq; nationis portus Galliæ accedere, sed ut naves id ausæ abripiantur, ac merces destruantur. Eo fine necessaria fœdera à Rege ineunda, qvibus communicatis omnia se promte collaturos, qvo bellum secundante Numine ad honestum finem deduci qveat. Circa id scriptum prudentes observabant, recens cum Belgis fœdus Parlamento haut probari, qvod pro hoc inito Regi gratias haut ageret: nec ex eo fausti qvid sperari, qvod alias fœderis conditiones Regi commendaret. Tum ab eodem dubitari, num Regi cordi sit Gallicam potentiam compescere, dum qvousqve ipsi procedendum sit definit. Nec minus metui, ut Belgis constantia duret, dum arma non prius deponenda stipulari vult, qvam præfixus scopus sit obtentus. Deniqve ita circumspecte Parlamentum procedere, nec manum prius crumenæ admovere velle, qvam penitus convictum sit, rem serio à Rege agi. Aliqvi durum nimis arguebant, qvarumvis nationum extra bellum positarum navibus Galliæ portus occludere velle; qvod & Rex adspernabatur, velut cui propositum erat arma Galliæ ostentare, non inferre. Sed regerebatur; non heic considerandum, qvid juris gentium esse feratur. Nam si origo & progressus hujus belli inspiciatur, adparere omnia per adparentis utilitatis rationes, nil jure à Gallo susceptum; eoqve alteri parti vitio dari non posse, si nulla nocendi ratio omittatur. Nec justitiæ repugnare, si qvovis modo prohibeatur, ne qvid roboris accedat nationi, cui tam exigua juris ac fidei ratio habetur; præsertim cum omnium populorum interest surgentem dominatum mature destrui. Cæterum videbatur Regi necessitas adferri potuisse, ut in Gallos arma stringeret, ni Beuningius viam suggessisset, qva Parlamento in speciem satisfieret, reipsa pax designata perficeretur. Is qvippe svadebat, ut Rex a Parlamento pecuniam qvibuscunqve conditionibus acciperet, ac post facta pace excusaret, præsentem rerum habitum non aliud permisisse: ac tempus ultro consilia expediturum. Qvi & subinde dicere solebat: non expedire suæ Reipublicæ, ut Hispania nimium sit potens. Ut igitur Rex Parlamento illuderet, vulgabatur non solum Villam Hermosam per omnia sacra orasse, ut pax acceleretur; sed & Burgomagnum idem suo libello expetiisse. Qvia autem hic Regi promiserat, se neminî ejus copiam facturum, aula judicabat, si is libellum non communicaret, Parlamento persuasum iri, culpam penes Hispanos hærere. Ast si idem scriptum Parlamento communicaret, Rex velut seditionem excitare molientem amoturus erat. Cum itaqve hoc rumore moti complures à Parlamento cum impetu Burgomagnum accederent, scripti exemplar exposcentes, iste qvidem id abnuebat, ne fidem Regi datam falleret. Sed ne de candore suo dubitarent, proponebat, ut autographum à Rege postularent. Ita gliscens indies inter Regem, & Parlamentum diffidentia magnam difficultatem rei adferebat; qvorum is dubitare se ferebat, num bello Gallis indicto Parlamentum omnia necessaria suppeditaturum sit: hoc contra verente, ne Rex classe, & exercitu ad libertatis, & privilegiorum subversionem abuteretur; præsertim cum multi Romanis ritibus addicti in classe præfecturis admoverentur. Porro ad Domus Inferioris scriptum Rex sat aspere respondebat, exprobrans eam talibus se immiscere, qvæ sibi soli reservata sint, silentio præteritis, qvorum causa convocata sit. Ut Gallus ad leges pacis Pyrenææ redigatur, à se præstari non posse. Navigatione in Galliam omnes gentes excludere, esse omnibus hisce bellum indicere. Ac potius ut de pecunia ad fœdus Belgicum exsequendum cura foret injungebatur. Igitur Parlamen-

1678.

Parlamenti petitum. 1. Febr.

4. Febr.

1678. lamentum decernebat, pecuniam utiqve Regi suppeditandam. Ac jam ratio inibatur, ad classem nonaginta navium 25562. epibatis instructam menstruas 108840. libras Sterlinenses; ad exercitum viginti sex legionibus peditum, qvatuor equitum, duabus dimacharum constantem 49130. libras in singulos menses reqviri. Ac jam aula non amplius de bello dubitari volebat, ne Parlamenti studium circa erogandam pecuniam refrigeraretur.

Gallorum in Belgio progressus.

§. 11. Interim Gallus, ne ad Valentianas & Tornacum restituendum compelleretur, qvas urbes limiti Belgico firmando Anglus addi cupiebat, simul ut Hispanos ad placitas sibi pacis leges acceptandas conserenaret, ex improviso obsidium Gandavo circumponit, eamqve urbem, cui C. M. armagerere aptorum iuesse dicebantur, una cum castello paucos intra dies expugnat. 27. Febr. Cui & mox Ipræ accedunt. Qvo peracto velut jam pacem pro libidine sua daturus Lutetiam revertit; cum in proclivi esset plura circum loca subigere, nulla resistendi apud Hispanos facultate. Nec Arausionensi vires ad sistendos Gallos erant, cui satis habebatur Bruxellas, & alia Brabantiæ, ac Flandriæ loca tutari. Nec uspiam Cæsarei ad Rhenum, aliiqve fœderati Gallo distrahendo se movebant. Inter qvæ pericula etsi Villa Hermosa Regi scriberet, ni decem intra dies auxilia mittantur, ferum id fore, & alia deinceps consilia sibi capessenda: is tamen parum proficiebat, & Rex nil nisi traditionem Ostendæ ingerebat; cum tamen tractatus, qvi cum Hispano suscipiendi essent, nuspiam procederent. Unde & ostensa hactenus ferocia Burgomagno decedebat, qvi jam Burgundiam conclamatam habebat; ac ut Hispanus eam honeste amitteret, de eadem Helvetiorum corpori inferenda proponebat, supremi imperii juribus penes Hispanum, ac liberi transitus facultate manentibus; qvo ipso Helvetios in bellum pertrahi posse sperabat. Enimvero frustra ab his mascula consilia expectabantur: & Anglo hautqvidqvam animus erat Gallum offendere. Haut parum tamen perturbabatur aula, qvod Inferior Domus in aspera dicta erupisset, cum è Coventrio Secretario status nosse cuperet, cur Gallo ita grassari permitteretur, & cur fœdus cum Hispano non perficeretur? Et cum hic respondisset, Burgomagnum tam iniqvis conditionibus insistere, ut cum eo conveniri neqveat; ei repositum; si hoc proprio nomine dicat, id ipsi demonstrandum: si Rex ita dicere jus-

Et Anglus parum movetur.

serit, ex hoc per delegatos qvæsitum iri, 1678.
qvare fœdus Hispanicum non procedat. Et ne Rex amplius causari possit, pecunias inchoando bello deesse, à Parlamento millio librarum Sterlinensium annuebatur parandis in Gallum armis; qvæ summa vel hoc die à mercatoribus in antecessum mutuo accipi qveat. Ita ergo cum Hispano superfœdere congressus instituebatur nullo exitu, qvod Angli dicerent; satius esse auxilium accelerari, tractatum sat mature perfici. Contra Burgomagnus nolebat Anglos Ostendæ pedem ponere nisi fœdere perfecto, qvod suspectum foret, Anglum absqve prævio pacto id oppidum tenere cupere. Sed Neoporto, Dixmudæ, Brugis, & alibi Anglicum militem protinus etiam cura tractatum recipi posse. Etsi hic vel ante vesperam absolvi posset, cum nil amplius desideretur, qvam ut leges fœderis, qvas ipse mente teneat, in chartam conjiciantur. Sed aulæ nil aliud intendebatur, qvam ut Parlamento persvaderetur circa fœdus cum Hispano adornandum satagi, qvo pecuniæ copia fieret. Ita artibus inter aulam, & Parlamentum certabatur, illa nitente, ut ne in bellum erumperetur, & Parlamentum haut eo secius pecunia emungeretur. Cum hoc contra circumspecte admodum ageret, addita decreto suo circa conferendas pecunias clausula, ut ea utiqve bello Gallico impenderetur; qvam aula valde aversabatur. Eadem & sparsis mendaciis apud Parlamentum diffidentiam erga Hispanos excitare studebat, velut Villa Hermosa Gallico auro corruptus reliqvias Belgii Gallo prodere meditaretur; ac eam causam esse, qvare Rex tantopere instaret Ostendam sibi tradi. Nec minus eadem aula disseminaverat, ab Electore pacem Neomagi expeti: scilicet qvod ista in Galli gratiam fœderatorum divisionem magnopere optaret. Aft Parlamentum ut eo magis Regem ad sumendum bellum stringeret, decreto de suppeditando millione addebat, ut omnes Gallicæ merces in triennium per Angliam vetitæ essent. Eo qvippe interdicto Regi è vectigalibus CCLX M librarum Sterlinensium decedebant, qvæ à Parlamento aliunde supplendæ erant. Eoqve si Rex sumtus aulæ suæ sustentandæ cuperet, prius qvoqve annuendum erat. Ita demum Rex serio bellum minari videbatur, & qvia cum Hispanis super Ostenda convenerat, copiæ jam Monomuthense duce in id oppidum trajici cœperunt. Eboracensi qvoqve supremum imperium in exercitum, qvi in Flandria rem acturus erat, Ruperto Palatino in classem

1678. conferebatur. Simul diplomata triginta militum millibus conducendis distribuebantur, assignatis recenti militi hospitiis. Mora circa fœdus Hispanicum excusabatur, qvod inter ambigua commodior occasio fuerit arma parandi, ac interim divites qvædam naves in tutum deducendi, qvæ præmatura belli denuntiatione Gallis in prædam cessuræ erant. Rex qvoqve Burgemagno confirmabat, pacem non nisi per arma promoveri posse. Nec eo magis iste fidem apud cordatos asseqvebatur, bellum serio qværi. Nam nec fœdus cum Hispano absolvebatur, & Beuningius subinde remoram injiciebat, qvam maxime qviritantibus Belgis, sibi vires bello continuando deesse. Unde aulæ prætextum arripiebatur metum simulandi, ne forte Belgæ ob illatum antea bellum vindictam meditentur. Sed cum superior qvoqve Domus decretum super millione, ac vetandis mercibus Gallicis citra contradictionem probasset, nil superesse videbatur, qvod bello amplius obstaret.

Parlamentum super bello in Gallum frustra satagit. 15. Mart.

§. 12. Ast Inferior Domus cum perspiceret, absoluto licet negotio pecuniario Regi haut curæ esse id decretum sua adprobatione firmare, altius penetrantes sermones super aulæ destinatis jacere cœperat, velut intestini qvid periculi immineret; cum exercitus qvidem in promtu sit, bello nondum indicto, nec ullo in id ardore adparente; præsertim cum præfecturæ militares fere in sacra Romana professos conferrentur. Unde Inferiori Domui visum oblato libello Regem rogare; bellum Gallo indicat, ac gerere ordiatur, qvo civium desiderio satisfiat, ac fœderatis animi adversus Galliam firmentur; addito promisso, se bona fide bello necessaria expedituros. Tum ut Rex legatos suos Neomago, & è Gallia avocet, ac in Anglia degentem legatum Gallicum amoveat. Sed eo ipso tempore de magna Batavorum consternatione nuntiabatur; qvæ Parlamenti suspicionem augebat, ab aula nil susceptum iri. Et qvia Arausionensis dixerat, se non sufficere ad ulli loco subveniendum à Gallis oppugnando, Parlamentum id haut ex impotentia oriri arbitrabatur, sed qvod Galli progressus ultro permitterentur, vel Hispanis ad conceptam pacis formulam compellendis, vel ut in Arausionensem supremum Belgii imperium conferretur, ac in Anglia mutatio circa sacra susciperetur. Ac gliscebat offensa, postqvam Parlamentum intellexisset, aulam, qvia bellum non amplius declinari possit, jactasse; se id tam onerosum populo redditurum, ut Parlamentum mox pacem inclamaturum sit. Ad qvod Inferior Domus regesserat: modo Rex bellum gerere velit, non magis pecuniam ipsi, qvam Thamesi aqvam defuturam. Sed si ministri pecuniam in alios usus vertant, capite luituros. Veniens demum Rex in Parlamentum hujus decretum de pecunia adprobabat, sed frigide satis, & ambigue: id qvod eidem parum satisfaciebat. Cum itaqve Parlamentum belli indictionem acriter urgeret, vix dubium de bello supererat, ni Rex à Belgis destitutus ad pacem compelleretur; qvæ maxima tunc bonorum civium in Anglia solicitudo erat. Nam non solum summa per Hollandiam populi consternatio eminebat, cum præsens spes allubesceret Anglos in bellum erupturos, sed & Gallus post captas Ipras Lutetiam reverterat, cum plura Flandriæ loca occupare in proclivi foret, missa qvoqve adversus Lotharingum magna exercitus portione; id qvod de compacto cum Belgis fieri suspicio erat. Eo magis intenta Domus Inferior agebat; qvæ & decreto suo super conferendis pecuniis hanc sanctionem addiderat, ut si qva ejus pars ad alios usus qvam ad bellum impensa fuisset, dispensatores à summo ad imum de ea Parlamento rationem redderent: nec ulterius qvid negotii suscipere volebat, qvoad bellum publice declaratum foret. His peractis à Rege Parlamentum ad aliqvot dies comperendinatum est.

Arausionensis circa præsentem rerum conditionem sententia. 13. Mart.

§. 13. Ast Arausionensis, qvi & ipse istam pacem, velut Europæ servitium, aut atrocius paulo post bellum parituram, aversabatur, ad eam impediendam qvantum licebat connitebatur. Qvo fine is Blaspielum ad Electorem mittebat, de præsenti rerum statu suam sententiam ipsi expositurum. Ac de pacto qvidem inter Anglum & Belgas, qvod Elector improbabat, iste asseverabat; se præsente in Anglia de eodem mentionem haut factam, nisi qvod Rex aliqvoties promiserit, se dispecturum, qvomodo ulteriores Galli progressus sisti qveant, ac super ea re cum ipso consilia collaturum. Alias Belgas, ac se ab initio hujus belli omnem lapidem movisse, ut Anglus in bonas partes pertraheretur, ac inprimis se in Anglia enixe circa id operam dedisse; sed à Rege non plus obtinere potuisse, qvam ut promitteret, se non amplius Galli destinatis velificaturum: de cætero immotum perstitisse, se non posse in partes Galliæ adversas descendere. Ast postqvam Galli ex improviso Divi Juliani Fanum expugnassent, Regi in mentem venisse majore studio Belgii res amplecti, eoqve fine sibi necessarium

1678. rium esse Fœderatis Belgis arctius jungi. Ubi ipse judicaverit, missa lenta cauponatione protinus ad rem accedendum; ac si à Belgis non is, qvi par erat, modus examussim observatus fuerit, excusationem in promtu esse; Regi nil potuisse præscribi, ac sibi necessum fuisse ejus sese voluntati attemperare, ac propositas conditiones amplecti, eidem stringendo. Ac initio Hydium nonnulla duriora proposuisse, qvibus Rex ægre depelli potuerit. De cætero istum in formula, qvæ in Anglia concepta fuerit, ne circa vocabula qvidem mutationis qvid admittere voluisse, qvæ alias hinc inde clarius poni potuerint. Tum & Regem pactum utiqve secretum haberi voluisse. Ac tot fœderatis adhibitis multum temporis consumendum fuisse, discrepantibus sententiis, & forte re ad extremum irrita. Belgis porro præcipuam causam ineundæ ejus conventionis fuisse, qvod aliud remedium excogitari haut potuerit vel tolerabili paci obtinendæ, vel majori vi qvam hactenus bellum gerendi; qvorum neutrum obtineri potuerit, ni Anglus negotio innecteretur. Galli vires brevi tempore ita crevisse: eum ubiqve tantos armorum paratus fecisse, ut reliqvias Hispanici Belgii subigere in proclivi foret, inde sua destinata in Germaniam, & alibi persecuturo, ni fœderati juncta manu privatis respectibus sepositis enixe eidem resistant, Anglo in partes pertracto. Belgas libenter qvantum in se deinceps in communem causam collaturos. Sed penes ipsos solos non esse ingentibus Galli viribus, qvas aliqvot per annos præmature in Flandriam adduxerit, sustinendis. Sibi nunc octo eqvitum millia, undecim peditum phalanges esse, sub qvibus & Osnabrugenses copiæ computentur. Reliqvum Belgarum militem per urbes Hispanicas, aut tegendo limiti distribui. Hispanis nec militem, nec annonam esse. Eos animis plane collapsos, ac ita langvide rem tractare, velut alienam, & qvasi perinde ipsis sit reliqvias Belgii servare, aut amittere. In Gandavensi castello pauculis militibus tantum pulveris & panis non fuisse, ut vel per triduum sustinere obsidium possent. Belgas operam dedisse permovendo Anglo, ut mature copias in Flandriam mitteret. Burgomagno qvoqve injunctum, ut de eo acriter in Anglia instaret. Sed cum Rex jam decrevisset militem Ostendæ & aliis Flandriæ locis immittere, istum Ostendam excipere voluisse, ac ut prius fœdus inter Hispaniam, & Angliam perficeretur; cum tamen eidem injunctum fuerit ab Anglo oblata acceptare, ac ejus militem intra Ostendam admittere, fœdere licet non absoluto. Ita Angli auxilia cessasse, per qvæ alias Gandavum servari potuerit. Unitos Belgas exhaustos, nec suppetere opes continuando bello; ac si Gallus Hispanicas provincias subigat, qvalemcunqve pacem à Gallo istis occupandam. Singulis mensibus ad exsolvenda militum stipendia opus DCC M. florenis, præter alias ingentes summas bello necessarias. Præterea Gallum maxime rem hieme gerere, ac progressus facere, anteqvam reliqvi in expeditionem prodire possint; Cæsareis, aliisqve Belgium perire tantum non otiose spectantibus. Eqvidem Cæsareum Hagæ ministrum confirmasse, Cæsareum exercitum ad Kalendas Martii in expeditionem proditurū; qvo facto Gallos haut ausuros fuisse Gandavum invadere. Sed istum se haut movisse. Fœderatos nullibi penum struere, ac in diem vivere, ac Hispani damna velut aliena adspicere; cum post consumtum Belgium flamma ad ipsos trajectura sit. Ac ni majore vi in Gallum iidem deinceps rem gerant, ne hilum qvidem Svecicæ prædæ eos retenturos. Eam ob causam Borealibus fœderatis, ac inprimis Daniæ Regi, ac Electori expendendum esse; an non expediat, pace aut induciis cum Svecia initis totam vim in Gallum vertere, & hoc repulso progressus in Svecum longius urgere; qvæ unica sibi via videatur servandis hoc bello qvæsitis. Nam oppresso Belgio, & effuso in Germaniam Gallo secum fore de viribus conjungendis agere. Qvod si autem Dano, atqve Electori placeat nulla interruptione progressus suos contra Svecos persequi, id penes ipsos qvidem esse. Sed tunc necessum fore Anglo, ac Belgis hanc curam eximi, velut hoc casu Gallo resisti neqveat, ac perspicue demonstrandum, causæ communi nil noxæ inde oriturum. Tum si Anglus cum Gallo in bellum erumpat, Mare Balticum huic liberum præstandum: simul vires suas, & Svecicas probe inter se trutinandas. Præcipue id accurate expendendum, num destinatis contra Svecos necessaria in promtu sint, qvod à Belgis & Hispanis hoc rerum statu nil pecuniæ, militum, aut navium subsidio expectari qveat, cum contra Gallus haut omissurus sit Svecum pecunia, aut alia ratione, ac forte è Polonia milite sublevare. Ast induciis cum Sveco initis communi causæ, ac peculiaribus ipsorum rationibus optime consuli, ad qvas ut iste permoveatur, remedia in promtu esse. Sine per inducias bello qvæsita penes ipsos munitura, provisu firmanda; cum Sveco iisdem tantisper carendum sit. Et anteqvam indu-

1678. induciæ perficiantur, omni ipsos vi posse conniti, ut qvæ adhuc desiderent, in ditionem redigere qveant. Iisdem per inducias integrum fore vires in Galliam vertere; cui contra Svecus copiarum nil submittere possit, intercluso itinere. Ac forte Gallum, ubi nil auxilii à Sveco accipere qveat, subsidiariam pecuniam solvere omissurum. Anglos, & Belgas per inducias commercia in Mari Baltico libere exercere posse, tum hos paululum respiraturos, ac promtiores reddendos bello continuando; simul futuro anno validam classem Mari Baltico immissuros, cujus ope Svecis extorqveri posse, qvæ Dani, atqve Electoris securitas adhuc desideret. Hispanos ingentis meriti loco habituros, si Danum, & Electorem contra Gallos rem gerere videant, ac summo conatu subsidia expedituros. Nec minus reliqvos fœderatos, Anglumqve eo ipso permotum iri, ut non solum iis bello parta non invideant, sed & ad ea tuenda opem ferant. Hæ igitur induciæ si Dano & Electori placeant, Svecos qvoqve Angli ac Belgarum favori captando in easdem consensuros; ac de iis per Olivecrantzium ab Anglo Svecis, à Belgis Dano, & Electori proponi posse. Qvam in rem tamen mature capto consilio opus esse.

Electoris ad istam declaratio.

§. 14. Ad ista Elector; *Afflictas Uniti Belgii res magno sibi dolori esse. Num alii fœderati qvod debuerint fecerint, se judicare nolle. Saltem se argui non posse unqvam qvid sua culpa neglexisse: sed utut neqve subsidia, nec hospitia prabita fuerint, hieme tamen, & æstate rem gessisse. Et qvanqvam Svecorum vires sibi incubuerint, ac munitissima oppida magna mole à se expugnanda fuerint; haut eo minus fœderibus conventa præstitisse, nec omisisse aliis qvoqve locis copias, qvantum vis ipse eis agre carere posset, fœderatis submittere. Qvod si post Svecorum irruptionem sibi tam exixe instanti opis qvid latum fuisset, dudum hisce tota Pomerania pulsis sibi universas vires in Gallum vertere licuisse. Atqve idem se adhuc facere paratum, qvamprimum ea destinata absolverit, ipsi Belgarum Reip. tantopere usitata. Sed qvid circa communem causam ulterius suscipiendum, & bellum persequi, an pacem qværere præstet, eo minus à se expediri posse, qvod post Blaspieli discessum res valde mutatæ sint, propositis à Gallo pacis legibus, qvas à Belgis admissum iri credatur. Ac sibi magis Principis consilio opus esse, qvid eo casu agendum, ut ipse Pomerania potiatur, qvæ à se affectetur non tam cupidine fines proferendi, qvam ob securitatem; Svecis hoc bello maxime exacerbatis ipsi, posterisqve suis semper turbas daturis, qvamdiu vel latum pedem in Pomerania retineant.* Qvantopere autem inducia cum Svecis, si maxime haberi qveant, rebus suis pernicioſæ sint, Blaspielus pluribus exponere jubebatur. 1678.

Conditiones pacis à Gallo propositæ.

§. 15. Interim qvippe Gallus, satis gnarus immensi pacis apud Belgas cupidinis, & qvæ alias fœderatos premerent difficultatum, ac uti ab Anglo nil infensi foret metuendum, inaudito insolentiæ exemplo majori Europæ parti leges dictare instituerat, promulgatis conditionibus, in qvas pacem fœderatis dare velit; super qvibus is per emissarios suos cum proceribus præcipuarum Belgii civitatum convenerat. Iis præmittebantur tria postulata, sine qvibus nullas de pace propositiones audire velit: Ut Regi Sveciæ examussim satisfiat, qvod & se præstiturum Angliæ Rex receperit: ut Dux Gottorpiensis, ac Argentoratensis Præsul cum fratre Wilhelmo Furstenbergio in integrum restituantur. Circa Cæsarem, & Imperium ex asse instaurari jubebat Westphalicam pacem, optione penes Cæsarem relicta, retinere Philipsburgum, ac cedere Galliæ Friburgum, an recepto Friburgo Philipsburgum reddere malit. Firmando limiti Belgii, qvod tantopere ab Anglo desideratum sit, ipse Hispanis redditurus erat Caroloregium, Limburgum, Binchium, Audenardam, Curtracum, Gandavum, & Divi Juliani Fanum cum subjectis territoriis; retenturus contra Burgundiæ Comitatum, Valentianas, Buchainum, Condæum, Cameracum, Ariam, Divi Audomari Fanum, Ipras, & qvicqvid locorum in præsens possideat, exceptis locis supra memoratis. Hispanis qvoqve optio relinqvebatur, Carolomontium Gallo, an Dinantium cedere velint. Ita deinceps limitem Belgii Hispanici à Mari ad Mosam fore Neoportum, Dixmudam, Curtracum, Audenardam, Athum, Montes Hannoniæ, Caroloregium, & Namurcum. Belgis Fœderatis restitutio Trajecti ad Mosam, & fœdus commerciorum promittebatur. Lotharingo optio dabatur, num adqviescere velit legibus Pacis Pyrenææ, ac Lotharingia recepta Galliæ Barrensem Ducatum relinqvere; an vero omnes ditiones recipere, excepto Nanceio & Marsalo, ac concessa via in dimidium milliare patente è Gallia Nanceium, hinc Metim, & Brisacum, atqve in Burgundiam, in cujus vicem Tullum sit accepturus. Addebatur velut pro imperio, his conditionibus se non ultra Kalendas Maji st. v. teneri velle, ac ni hæ à fœderatis intra id spatium acceptentur, bellum se per- 5. April.

secu-

1678. ſecuturum, avocatis qvoqve Neomago legatis. Circa hanc propoſitionem univerſi judicabant, eam magis declarationem continuandi belli, qvam ineundæ pacis habere; tum ea forma conceptam, ut nil inſolentius fingi poſſit, cum ne tractandi qvidem ſuper ea facultas relinqveretur. Ita anguſtum qvoqve ſpatium ei acceptandæ poſitum, ut interim complures legati Principum ſuorum declarationem cognoſcere neqveant. Inprimis Danus valde offendebatur, qvod Angliæ Rex pure promiſiſſe dicebatur, ſe una cum Belgis, ut Sveco ſatisfiat, curaturum; Jenkino contra aſſeverante, Regem Angliæ præter officium, atqve operam nil promiſiſſe. Ducis qvoqve Gottorpienſis ablegati Andreas Ulckenus, & Magnus Wedderkopfius qverebantur, eum Ducem inter Sveciæ fœderatos numerari, ac pari gradu cum Furſtenbergiis poni. Ac negaverat Benedictus Oxenſtierna, ei Duci cum Sveciæ Rege fœdus eſſe, niſi id de antiqvo aliqvo pacto, aut cognatione intelligatur. Aſt Elector conditiones Cæſari, Hiſpano, ac Lotharingo latas duras qvidem judicabat, metuebat tamen, ne vel ſuper iis Auſtriacos inter, & Gallos clam convenerit, vel ſaltem ejusmodi propoſitio hoc tempore, qvo Anglus in arma erupturus credebatur, novis difficultatibus in Anglia, & Belgio anſam præbeat; & cumprimis, ne Cæſar, Hiſpani, Belgæ, Lotharingus ſeorſim, & clam tranſigant, ſilentio præteritis, qvi in Svecos rem geſſerant. Ac ſatis pellucere artes Gallicas, qvod ea propoſitione de Belgicis duntaxat, & Hiſpanicis rebus expreſſum ſit, Svecorum mentione omiſſa. Nam iſtis amotis facile Gallis fore Svecicas res pro lubitu moderari. Igitur maxime neceſſarium erat, Boreales fœderatos arctiſſime inter ſe ſociatos communem cauſam junctis conſiliis, viribusqve agere. Porro iſta propoſitio à Gallis cum paſſim, tum per Unitum Belgium vulgabatur, ut is populus tam æqvis ſibi conditionibus oblatis pacem cum impetu poſceret. Improbaverant qvoqve Galli, à Nuntio eam propoſitionem fœderatis ſolenni modo, & velut ex ſeqveſtris officio communicatam. Nam à ſe eam non ideo dictatam, ut Neomagi ſuper eadem tractetur, ſed tantum ut innoteſceret, qvid Londini ſuper pace agitetur.

Ulcken. Wedderkopf.

Hagæ circa eam propoſitionem agitata.

§. 16. Hagæ dehinc ea propoſitio fœderatorum miniſtris communicabatur, eorumqve ſententia exqvirebatur, addito, Belgas tædium belli cepiſſe. Hi in antecelium reſpondebant: ſuos Principes qvicqvid ſuperſit virium potius impenſuros, qvam ut circa tam inſolentes, abominabiles, ac ruinoſas conditiones tractationem ſuſcepturi ſint. Nec credere Belgas id facturos, aut Anglum eas probaturum, ſed potius ægre laturum, tales conditiones ſeqveſtre ſe in medium afferri, intra tam anguſtum tempus acceptandas, qvo fœderatis Principibus communicari neqveant. Sane ſi iſta agendi ratio probetur, Galli dictaturam, & Monarchiam in orbem Chriſtianum agnoſci. Inprimis Danus, noſter, & Luneburgicus in conditionem de reſtituenda Svecia invehebantur, è qva totus tractatus ſuſpenſus ſit. Belgæ reponebant: de ea clauſula nil ſibi propoſitum, nec credere poſſe, Anglum tale qvid Gallo ſuper Svecis feciſſe: ſaltem in omnibus negotiationibus cum Rep. agitatis nullam de eo mentionem injectam, nec ſuper pace inter Boreales qvid propoſitum. Hydius qvoqve teſtabatur; ſibi de ejusmodi Regis ſui promiſſo nihil conſtare. Ac fatebantur Belgarum delegati, *eas conditiones omnibus fœderatis contumelioſas, perniciosasqve, nec minus intutas eſſe; ac ſi res ſint ſit arbitrii, malle ſe qvidqvid reſtet opum periculo exponere, qvam in ejusmodi turpem, ac noxiam pacem conſentire. Teſtabantur tamen, Belgas hujus belli oneribus diutius ferendis haut pares eſſe, ac provinciam Hollandiam octoginta per annos bello cum Hiſpanis geſto tantum pecuniæ non contuliſſe, qvantum hoc ſexennio. Ac ni fœderati promtum auxilium ferant, & levandis oneribus remedia ſuggerant, ſimul evidenter demonſtrent, ſe ad bellum meliore ſucceſſu qvam hactenus perſeqvendum concurſuros ſine dubio pacem, qvalis haberi poſſit, ſibi amplectendam. Nam ſatius eſſe per tractatus aliqvid retinere, qvam per bellum omnia amittere. Nam à ſe XC M. militum ſtipendia numeranda; Hiſpanicas, & proprias urbes ſuo milite tutandas; exercitum in campo habendum; mare navibus ſuis tutum præſtandum.* Ad iſta Romſvinckelius oſtendebat; Electori nunqvam perſvaderi poſſe, Anglum, ac multo minus Belgas ſuper reſtituendis Svecis promiſiſſe, nec id deinceps ſe inſcio facturos; ſed à Gallis id jactari diffidentiæ inter fœderatos ſerendæ. Tum idem ſex militum millia, reliqvi pro virili pollicebantur. Sed Fagelius regerebat; iſta in futurum prominere, & incerta ſpe conſtare; qveis Gallo hautqvidqvam reſiſti, nec Reſpublica ſublevari, populivé inſtinctus in pacem retundi qveat: nec qvæ ab Electore in præſens offerantur ad ſummam rerum proficere. Tum miniſtros monebat, ut Principibus ſuis extremam neceſſitatem,

qva

1678. qvam Resp. urgeatur, exponant. Nam si fœderati à Rep. uti hactenus pecuniam, & annonam pro suo milite postulent, nec eum propriis sumtibus contra Gallum, idqve sine mora educant; à Gallo reliqvias Belgii Hispanici absorbendas, vel Remp. ad ingratas pacis leges acceptandas compellendam. De Anglo delegati Ordinum confirmabant, voluntatem ei non deesse Galio bellum indicendi. Sed negotium in hoc adhærere, qvod Rex tot naves bellicas à Rep. exigat, qvibus armandis, & sustentandis ea par non sit. Nec adparere, qvomodo Anglus ita brevi tempore tantum numerum militum exercitatorum, ac idoneam classem mari immittere qveat, ut non interim Gallus Hispanicas provincias, ac plura forte ad Rhenum loca opprimere valeat. Addebat Fagelius; optari à se leges à Gallo propositas adhuc asperiores esse, ut fœderati ad extrema tentanda stimulentur. Sane ejus viri studium in eam rem non deerat; ac si Luneburgici & Monasterienſis copias suas ita promte, uti Elector, versus Mosam misissent, forte Belgæ ad alia consilia permoveri poterant. Sed hi nunc Luneburgicorum tergiversationes ægre ferebant, ac metuebant, ne dum Anglus, & fœderati moliuntur, irreparabile damnum accipiatur; eoqve satius esse pacem in tempore amplecti, qvam inter continuas jacturas bellum protrahere, utut Arausionensis acerrime contenderet, ne nimia in pacem festinatione fœderatorum res prorue rentur. Inde Simon Levvius in Angliam, Borellus Bruxellas mittebatur, ut exponerent, Reip. vires non superesse ad bellum ulterius continuandum, ac super propositis conditionibus tractatus sibi suscipiendos, ni reliqvi fœderati belli onus in se suscipiant, idqve Reip. adimant, simul caveant, se bellum deinceps majore vi, atqve successu exsecuturos. Inter qvæ tamen omnes Reip. rectores testabantur, se nemini magis qvam Electori obstrictos, & ad extremum comixuros, ut is æqvis pacis conditionibus potiatur.

van Leewen. 27. April.

In Anglia frustra super fœdere contra Gallum agitur. 2. April.

§. 17. Interim in Anglia vix de bello amplius dubitabatur, præsertim postqvam Galli Messanam, ac reliqva Siciliæ loca ultro deseruissent; id qvod Angli ideo factum interpretabantur, velut isti vires contraherent contra ipsos adhibendas. Causam autem dilatæ hactenus clarigationis aula in Belgas conferebat, utpote qvi nil aliud qværant, qvam ut Anglia bello implicita ipsi arma ponerent: & qvia Beuningii, & Fagelii responsa semper differebant, haut constabat, utrius sententia adqviescendum esset. Et cum Beuningius aliqvot ab annis super interdicendis Gallicis mercibus magno cum fervore declamasset, eamqve demum in Anglia obtinuisset, nunc Hollandi exemplum imitari, ac bellum continuare, defugiebant. Et cum jam manus admoveretur formando fœderi, qvod inter Domum Austriacam, Angliam, & Belgas necessarium erat; hi procuratorium Beuningio eo fine mittere tergiversabantur. Unde Rex è Beuningio in consilium evocato scisscitabatur, num tractandi facultate instructus sit; & cum id negaret, postulabat, peculiarem nuntium mitti ei adferendæ, ut norit, qvid sibi à Belgis expectandum sit. Ac Rupertus Palatinus censebat, solos Belgas bello obstare, ac solicitudinem Amstelodamensium, ne Arausionensis potentia nimium glisсat, etiam in Angliam diffundi, Rege non minus qvam Belgis cupidine pacis flagrante. Allato demum Beuningii procuratorio Cæsareus, Hispanusqve, ac Belgici ministri cum Anglis formulam fœderis conceptum ibant; de cujus successu parum sperabatur, qvod Angli contenderent, Gallicas merces à cæteris qvoqve prohibendas. Sed Beuningio, ne in hoc consentiret, diserte vetitum erat; ac jam id inter Anglos, & Belgas certari videbatur, utri alteris culpam tam fœdæ pacis impingere possent. Sane Fagelius Hydio fallus erat, apud plerosqve procerum tantum esse pacis desiderium, ut neqve facies temporum, nec rationes Reipublicæ, nec fœdera, nec existimatio, nec Arausionensis autoritas ei reprimendo sufficiant. Cum etiam Cæsareus, & Hispanus cum formula fœderis ad Beuningium accederent, hic super ea nil tractationis suscipere volebat; sed deliberaturum se ferebat, haut expresso tempore, qvando id futurum esset. Cui Wallensteinius commotior dicebat; satis adparere, procuratorium non nisi in speciem missum, ac mandato ad tractandum ipsum destitui; id qvod alta mente reponendum sit. Rex qvoqve ista Beuningii tergiversatione gravem offensam præ se ferebat, & qvod toto Belgio pax jam sermone differretur. Ac evocatis Cæsareo, & Hispano dicebat: satis se perspicere, qvo Belgæ tendant; & id eo magis sibi metuendum, qvod factio Arausionensi adversa in Hollandia prævaleat: simul qvid consilii capiendum foret, exqvirebat. Ac ut testaretur, serio se rem agere, literas à Montacutio Parisiis scriptas eis ostendebat, qveis Gallus formulam pacis ab ipso transmissam rejicere narrabatur, qvod à Belgis lautiores sibi conditiones speraret. Ac jam Rex, ejusqve ministri

1678.

12. April.

Montagu.

1678. nistri jactabant, se non solum absqve Belgis fœdus inituros, sed & his ad exemplum imitandum necessitatem allaturos. Sed cum effectus horum verborum expectaretur, scrupulum iterum injiciebat, qvod Parlamenti consessus in duas septimanas differretur prætexto sumto, qvod Beuningio nondum plena mandata fœderi ineundo sint. Si enim Anglus serio rem egisset, in proclivi eidem erat Belgas vi novissimi fœderis obstringere, ut unioni firmiter inhærerent. Etsi Beuningius exciperet, id ad pacem promovendam directum esse, prout ejus leges tunc conceptæ erant; ac si protinus cum Austriacis in fœdere super conditionibus qvoqve pacis conveniendum sit, se ad id perficiendum sine mora accessurum. Sed qvia neqve Austriacorum, neqve Parlamenti ea intentio erat, ac Beuningius metuebat, ne per accessionem Angliæ non solum bellum extraheretur, sed Belgis vinculum injiceretur, qvo minus pro lubitu arma ponere possent, nil minus qvam Anglum in arma pertrahere studebat. Qvin & eundem non parum refrigerabat, demonstrato, Belgas non amplius tam numerosum militem alere posse, sed ejus partem utiqve exautorandam. Eos Gallo potius se sociaturos, qvam bellum continuare velint. Illum jam obtulisse, Antvverpiam corpori Uniti Belgii se inserturum. Nemi-

16. April.

nem fœderatorum leges fœderis exacte implevisse; unde nec Belgas iisdem amplius stringi. Factionem Lœvesteinianam gliscere Arausionensi prægravem; unde & hunc in pacem inclinare, ne Reip. offensam incurrat. Deniqve Hispanos uti hactenus, ita & deinceps omnia negligenter acturos. Ac eo majus dictis hisce pondus erat, qvo optatius Regi accidebat, prætextum bello declinando invenire. Ac alias gloriari solebat Beuningius; sese Anglis persvadere posse qvicqvid velit; qvod ministri Anglici magna fere inscitia rerum externarum laborarent. Interim Rex in adparando bello longius progressus erat, in classem, & exercitum jam erogatis DCC M librarum, cum Parlamentum non nisi CCC M exsolvisset. Ac miserat Domus Inferior delegatos ad Thesaurarium, ut Regi diceret; se haut toleraturos sibi illudi; & qvia difficultates à Belgis de compacto motæ videri qveant, eidem confirmaret; uti, si bona fide adversus Gallos procedat, nil rerum bello necessariarum ipsi defuturum sit; ita si secus agatur, in nihil eorum, qvæ postulentur, se consensuros. Et qvia Scotia motum minabatur, prudentes credebant, Regi externum bellum arripiendum velut remedium intestinis turbis prævertendis. Ac Eboracensis, qvi hactenus bello in Gallum qvam maxime obstiterat, jam fatebatur, Regem nisi hoc suscepto pessum iturum. Et cum antea ministri fœderatorum torvo vultu excepti fuissent, qvod bellum urgerent, jam blanditiis demulcebantur, Beuningio vix se ostendere auso. Sed & animos Anglorum non parum asperaverat, qvod in propositione à Gallis Neomagi facta tempus eidem acceptandæ ita pro imperio præfixum esset, nulla qvoqve seqvestris Angli mentione facta, ac qvod hic argueretur Svecicæ satisfactionis curam in se recepisse; qvod in vicem injuriæ accipiebatur.

1678.

§. 18. Ast interim Belgæ Neomagi à Jenkino petebant, apud Gallos instaret, ut dies acceptandis pacis conditionibus proferretur. Is qværebat, utrum id suo duntaxat nomine, an omnium fœderatorum petant? Hi respondebant; se super ea re cum Cæsareis locuturos. Unde Belgæ Cæsareis declarabant: postqvam Gallorum super pace propositio per Belgium ita vulgata sit, ut nemo non etiam è plebe eam circumgestet, atqve exclamet, eandem non protinus rejiciendam, sed super ea tractationem suscipiendam; Ordines Generales non potuisse non istam in consultationem deducere. Ubi statim observatum fuerit, propositas ibi conditiones duriores esse, qvam ut tam angusto tempore ad moderationem tractando temperari qveant. Simul tamen id qvoqve consideratum, unitis provinciis belli onus in futurum intolerabile; bellum Angli in Gallum adhuc incertum, cujus indictio tamdiu extrahatur; duras nimium conditiones fœderis exigi; ac interdictum mercium Gallicarum durante bello efficacissimum qvidem remedium attenuandis Galliæ opibus, sed qvod in Hollandia vix in usum deduci qveat. Deniqve si maxime bellum ab Anglo sumatur; tamen id repugnante animi inclinatione ab eo gerendum, & à fœderatis vix meliores armorum successus sperandos. Igitur consultum visum super iis conditionibus Neomagi tractationem suscipere, ac designatæ diei prolationem qværere. Tum rogabant, num qvid ipsi super hac re in mandatis habeant, ac num eam prolationem promovere velint? Ad hæc Cæsarei negabant sibi qvid mandatorum esse. Nec videri circa has conditiones tractationem suscipiendam; cum Gallus istas seqvestribus non eo fine communicarit, sed ut earundem tantum notitia extaret. Sed & ita eas com-

Belgæ prolationem termini à Gallo præfixi petunt.

1678. paratas esse, ut salva dignitate, & existimatione sua Cæsar de iis tractare neqveat. Ab universo orbe eum modum pacem præscribendi improbari, ac Gallum ejusmodi legibus promulgatis jam non timide dictatorem se Europæ gerere. De prolatione diei à se nil moveri posse, ne videantur propositas conditiones ad tractandum acceptare. Cum itaqve fœderati isthoc negotium tangere nollent, Belgæ à Gallis petebant, ut eam pro sua Rep. apud Regem obtinerent; qvi tamen id in se recipere abnuebant. A Belgis qvoqve in Angliam missus, qvi à Rege peteret, ut apud Gallum officium interponeret termino dicto in duos menses prorogando. Id qvod à se postulari Rex ægre ferebat, atqve id non solum abnuebat, sed & Beuningio exprobrabat, omnia isthæc, & qvod Belgæ in fœdus descendere nolint, ab ipso provenire. Sed & in hoc absurde actum judicabatur, qvod eo ipso momento, qvo is nuntius Haga dimittebatur, Fagelius scripta scheda Hydio significasset; in consessu Ordinum nihil conclusum fuisse, ac Beverningium propere Neomagum ire jussum, ut prolationem diei per sequestres qværat, ac ubi hi superiorum injussu id suscipere nolint, recta Gallos adeat. Qvæ Belgarum vacillatio au-

3. Maij. lam Anglicanam non parum turbabat; præsertim cum Galli Neomagi spargerent, pacem inter se, & Belgas per delegatos ab his ad Regem missos jam perfectam. Sane prudentes non amplius de pace dubitabant; qvod in Anglia Rex, & Superior Domus ab Inferiore, apud Belgas maxima pars procerum ab Arausionensi dissidebant, qvorum illis pax, his bellum cordi erat, prioribus utiqve prævalituris.

Super inducias Neomagi proponitur.

3. Maij. §. 19. Proponebat inde fœderatis Beverningius; postqvam apud legatos Gallicos prorogationem dictæ diei obtinere non potuerit, eos jussu Regis inducias in aliqvot menses, qvin totum in annum obtulisse. Eas inducias Ordines unicum remedium judicasse servandis Hispanicarum provinciarum reliqviis, per qvas & pax perfici qveat. In qvas, ut fœderati consentiant petebat. Rationes adducebantur; sumtus belli à populo suo non amplius tolerari posse; apud eundem immensum pacis cupidinem gliscere, qvæ nisi maturetur, universos frænum morsuros. Ingentem Galli potentiam, cui qvæ hac expeditione opponi qveant idoneæ vires nuspiam adpareant. Ad qvæ re perpensa fœderati de-

4. Maij. clarabant: inducias seu breves, seu longas haut utiles esse. Illas frustra iniri, qvod Cæsarei ad Rhenum, Hispani in Catalonia jam in campum prodierint; Hassi, & Monasterienses iter Daniam versus ingressi sint; qvibus omnibus anteqvam de induciis innotuerit, earum tempus expiraturum. Nec verosimile videri, Sveco breves inducias tanti fore, ut Christianstadii obsidium solvat. Longas inducias ipso bello nocentiores fore. Nam fœderatorum exercitus jam hospitiis excellisse, in qvæ reduci iterum neqveant. In campo eosdem alere sumtuosum fore, ubi & numeri desertionibus minuendi sint. Interim tempus rebus gerendis frustra elapsurum. Gallum autem, cui copias suas sustentare in proclivi sit, interea divisionem fœderatorum machinaturum, uno aut altero in suas partes pertracto; ac ad extremum repudiata pace arma resumturum qvando fœderatis ob importunitatem temporis, aut copiarum tenuitatem resistendi facultas decesserit. Sed & nil decerni posse inconsulto Anglo, sive is ut sequester consideretur, sive ut fœderatus, cujus & egregia destinata in societatem belli veniendi per inducias sistenda sint. Jenkinum jam in antecessum declarasse, à suo Rege de induciis propositum haut iri. Hispani id negotium Hagam rejicere cupiebant, Cæsareis id abnuentibus.

5. Maij. Mox tamen sequestres fœderatis indicabant, Gallum ultro terminum in decem dies protulisse. Sed qvia id spatium breve nimis erat, Beverningius prorogationem in unum mensem petendam censebat. Ad ista Cæsarei, & Hispani declarabant: notorium esse, uti ipsis hactenus communis pax cordi fuerit. Se qvoqve super editis à Gallo conditionibus tractationem suscepturos, modo hic eas non ad legum instar obtrudere instituat, sed, uti inter supremos Principes moris est, alteri qvoqve parti facultatem concedat declarandi, qvid à se admitti, qvid minus qveat. Danus autem monebat, ne Boreales fœderati oblivioni dentur. Gallum plenam pro Svecis satisfactionem stipulatum. Id laxum nimis, & obscurum esse, ac à Svecis prestius explicandum, qvid desiderent. Igitur à se probari non posse, hanc declarationem omnium fœderatorum nomine edi, nec in ejus se partem venire velle. Ita ea declaratio tunc omissa.

7. Maij. Post Catholici fœderati respondebant: se Nuntii prudentiæ judicandum relinqvere, num intra triduum, qvod è Gallico dictamine adhuc supersit, tanti momenti negotium confici qveat. Qvæ verba tamen ita intelligi volebant, non qvod longius spatium desiderent super latis à Gallo conditionibus tractandi; sed ut ostendant, ejusmodi

1678. modi minutam prorogationem neqve à se desiderari, neqve ulli usui esse. De cætero haut omissuros fuisse super propositis conditionibus mentem suam exponere, ni Gallici legati negassent, heic locum esse super Regis sui declaratione disceptandi. Jenkinus autem ferebat, à Rege suo sibi interdictum, super induciis, aut prorogatione diei officium interponere. 1678.

Belga ulterius inducias urgent. 13. Maj.

§. 20. Beverningius inde ulterius in congressu fœderatorum inducias urgebat, horum rebus tam necessarias, in qvas & Villa Hermosa, & Cæsareus Bruxellis minister Caprara proclivis sit. Qvæ istas svadeant hæc esse. Hispaniam viribus defectam, & qvæ ad rem nihil conferre qveat. Qvæ & eousqve fidem decoxerat, ut Neomagensis magistratus creditorum petito Romqvillii discessuri supellectili navigio impositæ manum injiceret, nec prius eam dimitteret, qvam is partem æris alieni exsolvisset, pro reliqva prædibus cavisset. Fœderatos porro vel circa propria negotia distineri, vel parum promtos se ostendere ferendo auxilio. Luneburgicos, qvi in superiore Geldria hospitentur, cum proximis diebus in expeditionem educendi forent, iter ingredi noluisse. Osnabrugenses qvoqve XL Muncialium in supplementum exigere, antequam ex hibernis moveant. In Anglia inter Regem, & Parlamentum, ac inter ipsa Parlamenti membra concordiam non esse, nec dum decretum, unde alimenta exercitui, qvem Rex conscripturus sit, comparanda. Antea confirmatum fuisse, ab Anglo XXX M in Flandriam mittenda; nunc de XX M duntaxat jactari, nec ultra VI M adhuc trajecta. Belgarum copias per Hispanicas urbes præsidio dispersas, ut Arausionensis adjunctis Hispanis vix XXIV M in campum educere qveat. Gallum, si præfixa ab ipso dies elapsa fuerit, reliqvias Flandriæ abrepturum, nulla penes Anglos, aut Belgas subveniendi facultate. Eo periculo Belgas commotos, ut de induciis cogitarent, interim cum fœderatis consulturos, qva ratione ex his difficultatibus eluctandum sit. Num Gallo inducia cordi sint, sibi non constare. Si Gallus in eas consentiat, tempus monere, ut ipsi rebus suis prospiciant. Sin minus, Belgicæ plebi satisfieri posse, Gallum repudiatis induciis ostendisse, pacem sibi cordi haut esse. Alias Gallum non vulgus solum Hollandiæ, sed & multos procerum ea opinione imbuisse, à se pacem qværi, fœderatos bellum extrahi malle. Ad qvæ Hispani sesqvimestres inducias probabant ea duntaxat intentione, ut spatium foret provinciis suis servandis, Anglo ad fortia consilia impellendo, ac Belgicæ plebi ad saniorem mentem revocandæ. Sed si iste scopus alia via commodius, qvam per inducias, obtineri qveat, hanc potius amplectendam esse. Cæsarei inducierarum incommoda multis demonstrabant. Si tamen fœderatis videatur, sesqvimestres se non abnuere ea lege, ut reliqvi omnes in eas consentiant, ac interea temporis nil concludatur, qvod aliis fœderatis fraudi esse qveat. Blaspielus, se ad Electorem relaturum. Danus: inducias Regi suo noxias; sed qvi omnia facturus sit servandæ Flandriæ, cujus salutem gravissimæ rationes ipsi commendent. Cum itaqve pleriqve in eo consentirent, vel repentinam pacem metuendam esse, vel inducias amplectendas, qvæ in exiguum tempus utiliores habebantur; dubium jam restabat, num Gallus in has consensurus, ac Nuntius, an Anglus iis conciliandis adhibendus sit? Sed qvia adhibito sequestris officio aliqvid obligationis contrahi videbatur, latius visum per fidum hominem, cujus opera Beverningius utebatur, è Gallicis legatis sciscitari, num inducæ in sex hebdomades placeant? Idqve Beverningius suo periculo facturus erat, qvi & confirmabat, fœderatos à Belgis nunqvam deserendos, ni extrema necessitas subigat. Addebat, per Belgas non stare, qvo minus Anglus in bellum contra Gallum erumpat. Sed huic id nunqvam cordi fuisse. Nunc negotium in eo verti, ut à Belgis Gallicæ merces vetentur. Tale interdictum si maxime condatur, id tamen non magis à Belgis qvam Anglis servatum iri. Id autem utrinqve discrimen esse, qvod Angli credant, sibi libertatem competere contra interdictum agendi, Belgas autem eidem utiqve adstringi. Unde facile iis fore ansam inde arripere à fœdere discedendi, ac Belgis eo nomine, si rebus suis id expedire judicarint, bellum faciendi. Anglum qvoqve urgere, ut Belgæ fœderi, qvod iste cum Cæsare & Hispano agitat, nomen dent; id qvod supervacuum sit, qvod isti jam cum Anglo juxta, ac Cæsare & Hispano adversus Gallos fœdere nectentur. Tum & eam Belgis conditionem altioris indaginis videri; qvod si maxime omnes fœderati pacem velint, unius tamen refragantis sententiam sequi necessum sit. Cui conditioni ne Anglus qvidem se obstringere velit, qvam tamen à Belgis exigat. Cæterum ad qvæstionem propositam Galli Beverningio respondere-runt: eam à se artificium fœderatorum haberi sistendis Gallorum progressibus, & interim

1678. terim accelerandis ex Anglia auxiliis; de qva ad Regem referre non audeant. Sed si Belgæ semestres inducias velint, se in mandatis habere protinus superiis tractationem suscipere.

In Anglia ad bellum contra Gallos nihil proficitur. 29. April.

§. 21. Eo majore autem impetu à Belgis in pacem ruebatur, qvo tenuior spes belli in Gallos sumendi ex Anglia allubescebat. Nam facto Parlamenti consessu Rex proponebat; magnum sibi exercitum, sed parum argenti esse, nec Belgas ad continuandum bellum permoveri posse. Unde consilium Parlamenti exposcere, cum citra Belgarum societatem adversus Gallum nil profici possit. Inde à se acta defendere, omnemqve culpam in Belgas conjicere; qvi male tunc in Anglia audiebant. Nec eo minus Parlamento manebat suspicio rem inter Regem, & Belgas de compacto geri. Et qvia Angli semper sacris suis metuebant à Rege præsertim armato, qvem scitis Romanis intus addictum norant, leges contra Pontificios latas observari postulabant; idemqve ut pervincerent, id postulatum eodem cum pecunia decreto combinare cupiebant, qvod hanc solam aulæ cordi esse nossent. Rex inde petenti Parlamento fœdus cum Belgis, & conceptam pacis formulam communicabat. *30. Maij.* De qva Georgius Dovvningius palam pronuntiabat; ejusmodi agendi modum infamem esse, adstipulante tota Inferiore Domo; qvæ & eam velut petito suo ad Regem rationibus Hispaniæ, atqve existimationi Anglicanæ nationis adversam improbabat. Postulabat qvoqve Parlamentum, ut Durasii in Galliam missi mandata & responsum ei datum communicaretur. Id qvod Rex declinabat causatus, nil scripto, sed omnia sermone fuisse peracta. Agnoscebat Levvius à Belgis recens huc missus, si Beuningius Remp. de Anglica aula prout nunc sit informasset, longe alia consilia ab ipsa fuisse capienda, ac Anglum ante biennium ad inferendum Gallo bellum fuisse permovendum. Enimvero Remp. nunqvam edoctam fuisse, Regi ejusmodi necessitatem à Parlamento imponi posse. Sed & Beuningium mandata sua pro lubitu interpretatum, ac forte speraſſe, pacem se iterum ex suo ingenio confecturum, uti Parisiis olim circa Aqvisgranensem pacem factum erat. Ita vir iste, dum omnia pro suo lubitu agit, revera non postrema causa erat, ut res in hanc confusionem prolaberentur; idqve ipsi in congressu fœderatorum in faciem exprobrabatur, cum ne verbum qvidem ei qvod reponeret esset. Iste Belgis semper inculcave-

rat; Angliæ Regem nunqvam in arma adversus Gallos erupturum, nec Parlamento facultatem esse eum ad id compellendi, ac demum si Anglus futuræ pacis sponsor existat, omnibus eundem incommodis deinceps prospecturum. Nec Belgis tutum e in bellum descendere, cui finem ir nere in eorum arbitrio non sit futu id qvod ex conjunctione eum Ang endum videatur. Eo ipso tempo à Jenkino aderat, à Belgis for cam qvantum ad se acceptat fœdera sua eo ipso hautqvi velint. Ejus rei causam mentum fœdus ipsorum basset, ac libello ad Regem ne absqve omnium partium conte aut induciæ concludantur; qvod Bel haut placeat sine modo & fine bellum gerere. Id qvod protinus ab aula vulgabatur; spe Parlamentum qvoqve mox suam sententiam mutaturum, cui antea persvadere laborarant, Angliam absqve Belgio contra Gallum nil efficere posse. Aſt Inferior *4. Maj.* Domus exhibito libello Regi svadebat, ut is protinus fœdus cum Cæsare, Hispano, Belgis, aliisqve Principibus ineat, utqve Belgas in ea societate retinere curæ sit. Tum ut omnes fœderati civibus suis commercia cum Gallia interdicant, ac ne in ullius fœderati ditiones Gallicas merces invehere fas sit. Ut alii qvoqve non bello impliciti in hoc fœdus pertrahantur, & absqve omnium consensu pax, aut induciæ cum Gallo non ineantur. Ad ista Rex respondebat; *6. Maij.* istius libelli argumentum ac modum valde sibi inopinum visum; & si maxime circa hæc nil à se desiderari posset, haut tamen è re ducere ad eum qvid respondere, qvoad utriusqve Domus sententiam simul cognoverit. Contra Inferior *7. Maij.* Domus decernebat à Rege petere, ut promtum responsum ad priorem libellum dare velit: ut consiliarii, qvi responsum ad suos libellos die 28. Maij anno superiore, & d. 21. Januarii hoc anno svaserint, abdicentur: ut Laderdaliæ Dux à consilio Regis amoveatur, eiqve ad Regem accedere interdicatur. Qvo ipso ea Domus censebat, se Regem ad bellum Gallicum constringere posse; nec obscure innuebat, statim atqve bellum in Gallos sumtum foret, offensam in ministros expiraturam. Alias se haut omissuros testari, qvam parum talia nationi probentur; tum Regem ad conductas jam copias exautorandas compulsuros, vel ut qvæ pro captu præsentium rerum ingentem suspicionem populo injiciant. Eum libellum qvomodo declinaret, aula valde so- *10. Maij.*

licita

1678. licita erat. Nam nationem bello C
dicto delinire Regi haut placebat;
mentum comperendinare viol
mis, ac periculosum remedium
Igitur alia via inibatur ei libell
dum res ita disponitur, ut dem
tia pomeridiana consessus fie
lus prælegendus erat, pleri
male cupiebant, absentibu
vibus. Unde cum senten
tur, qvi libellum omitte
cæteros uno duntaxat si
Etsi seqventi die id ipsi
seriore Domo iterum
terea Rex summa ope
fragia sibi adqvirere: iden
suorum ministrorum, qvi com
lium sententias dixerant, muneribus
verat, jurans se omnes suos ministros, qvi
in Parlamento contra ipsius rationes, & vo-
luntatem sententias dicturi sint, abdicatu-
rum. Inter hæc Regis, ac Parlamenti dis-
sidia bellum, ac fœdus cessim ibat; ac testa-
batur Levvius, si Rex ante semestre serio
bellum à se expeti demonstrasset, Belgas
non solum plus virium exserturos, sed &
negotium pacis haut ita longe processurum
fuisse. Sed cum adpareret rem heic ita
somnolenter agi, populum Belgarum uno
velut ictu animis collapsum, qvem nunc
iterum excitare difficile futurum sit. Con-
tra Beuningius nil nisi Reip. impotentiam,
Hispanorum socordiam, ac formidandam
Galli potentiam occinere; eoqve exitium
Flandriæ propera pace prævertendum. Ad
qvæ Burgomagnus: per istas rationes non
promoveri id, cujus causa ipsi venerint.
Nam super fœdere offensivo sibi manda-
tum esse; de pace Neomagi agendum. Rex
autem declarabat, anteqvam fœderi se huic
innectere qveat, sibi constare debere, qvan-
tum Belgæ ad bellum terra mariqve geren-
dum deinceps præstare possint, ac velint;
ac num commercium cum Gallia suis in-
terdicturi sint.

Anglus rem haut serio agit.

§. 22. Ita ambigue autem in Anglia res tractabatur, ut qvo ea demum evasura es-
set, vix liqvido prospici posset. Nam bel-
lum qvidem promittere videbatur neces-
sitas coërcendæ potentiæ Gallicæ, ac ser-
vandi Belgii Hispanici; qvarum utraqve ratio-
nes Angliæ qvam maxime tangebat; tum
incredibilis ardor nationis Anglicanæ ad
bellum Gallo faciendum. Vicissim eam
spem labefactabant clandestina vincula in-
ter Anglum, & Gallum; & qvia minis-
tri ansam Parlamento præbere formidabant
rationem ab ipsis exigendi, uti orto bello

ositas ab ipso conditiones pacem qvan- 1678.
ad se concludere. Sed qvia fœderatis
certa pacta obstringantur, Regem
stulaturum, ut iis destitutis separa-
ineant: eoqve spem esse, Re-
fœderatos suos libenter pa-
conditionibus inituros, ac ut
ur in sesqvimestres inducias
leo autem Remp. præsta-
Galli epistolam viva
espondere; qvod li-
tari, & objecta di-
omnem impen-
tur, cives suos
mnia præstita,
otime meri-
m autem
separa-
onem
Qvo
eundem re
diem 23. Maij comp
aula excusabat, hac
animorum exacerbationem
piendam, neqve id necessario
adparatui moram allaturum. Ast vera cau
erat, qvod legatus Gallicus Ruvignius, qvi
nuper in Galliam excurrerat, Anglo L. M
aureorum pistoletorum attulisset, magnum
pervincendis Gallo placitis momentum.
Nam qvæ obtendebantur incommoda alio
modo avertere haut in arduo erat. Ast ea
dilatio Belgas, & Hispanos in desperatio-
nem conjiciebat; & jam Villa Hermosa in
sesqvimestres inducias consenserat, ac mi-
nistri Belgici non amplius bellum, sed induc-
cias, & accelerationem pacis urgebant, ac
citra ambages fremebant, sine pace omnia
conclamata esse, ac cuilibet suam salutem
qva detur expediendam. Ita Anglo in præ-
textum arripiebatur bellum declinandi
præcipitatæ à Belgis, & Villa Hermosa in-
duciæ. Et qvia per arma nil amplius effici
possit, super solida futuræ pacis evictione
cogitandum esse. Demum Rex Parlamento 23. Maij.
iterum congregato demonstrabat; à qvo
tempore super bello ejus consilium exqvi-
siverit, exteros velut instinctu in pacem
ruisse. Sibi tamen Flandriam pro virili ser-
vare curæ fore armis, aut pace, prout hæc,
aut illa ei scopo maxime idonea fuerint
visa: id qvod ex actionibus exterorum ju-
dicandum sit. Promovendo tamen bello
juxta, ac paci necessarium fore exercitum,
& classem aliqvantisper adhuc alere. Con-
sultatione itaqve opus esse, qva ratione mi-
les sustentandus, atqve commode exauto-
randus sit. Cæterum se salutaria patriæ
consilia semper agitasse, qvatenus ea in ef-

1678. fectum deduci ipſum Parlamentum conceſſerit: qvod ne rem ad extrema deducat ſe rogare, addito monito, ne diverſas materias in unam legem compingere inſtituant. Ad iſta Parlamentum decernebat: ſi Regi placeat cum Cæſare, & aliis fœdere necti, ac bellum contra Gallum ſuſcipere, nil ipſi defuturum, ac ſe omni ope ei adſtiturum. Sed ſi idem ejusmodi fœderationem haut ère judicet, de exautorando exercitu cogitandum eſſe. Sed qvæ declaratio aulæ parum arridebat, velut cui neqve bellum, nec militis exautoratio cordi erat. Interim nuntiabatur Gallum petente Beverningio in prorogationem induciarum ad diem 27. Julii ſt.v. conſenſiſſe non ſine exqviſitis verborum blandimentis; deſiderium ſingularis, ac ſinceri in Remp. affectus exprimendi à ſe ante ſubjugationem totius Flandriæ haberi. Qvo nuntio Domus Inferior magis exacerbata acriter bellum, aut exautorationem militum urgere pergebat; ſimul CC M librarum decernebat non ad alios uſus qvam miſſioni militum adhibenda, ac ut exercitus ante finem menſis Junii ſolutus ſit. Ac palam Londini Beuningio exprobrabatur, eum fœderatis, atqve Anglicanæ nationi plus damni, qvam ipſum Gallum dediſſe. Aſt Rex cum haut tutum eſſe judicaret exercitum ante factam pacem exautorari, ne forte Gallus conventa retractaret, Burgomagno proponebat, an non Hiſpani pecuniam conferre velint alendo exercitui Anglico ad pacem usqve; ad qvam Belgæ qvoqve partem collaturi ſint? Item, an non Hiſpani operam navaturi ſint Borealibus fœderatis ad pacem permovendis; qvi aſperius erga Belgas qvam ipſi Sveci ſe gerant? Hos enim illis valde adulari, illos nil niſi qverelas ingeminare. Sed & legatus Gallicus jam Londini jactabat: Regi ſuo decretum Svecis ad omnia qvæ amiſerint recuperanda opem ferre, ac toti orbi ſpecimen exhibere, noxium eſſe contra Galliam fœdera inire, ac nulla fructuoſa magis qvam Gallica fœdera dari. Idem legatus referebat; cum Arauſionenſi in Anglia agente de Boreali pace mentio injiceretur, Belgas Anglo confirmaſſe, nemini ſe Borealium fœderatorum ad ſatisfactionem, aut indemnitatem præſtandam præterqvam Electori teneri; cui tamen ſe non obſtrinxerint ad evincenda bello parta, ſed ad reparanda damna in ipſius provinciis tolerata; eoqve pacem inter Boreales admodum facilem eſſe. Unde tunc reſtitutionem Sveciæ in integrum fundamenti loco poſitam fuiſſe, uti è primo articulo formulæ pacis adpareat. Ita falſo Anglus apud Parlamentum pronuntiarat, eam formulam à ſe haut probatam fuiſſe. 1678.

§. 23. Iſthæc Angli prævaricatio apud Belgas immenſum pacis deſiderium accendebat, qvod nec Arauſionenſis, nec alii, qvi honeſta, & fortia ingerebant, ſiſtere amplius valebant. Præſertim cum Gallus homines ſibi mancipatos in Hollandia haberet, qvi plebi juxta ac qvibusdam proceribus diffidentiam erga Arauſionenſem inſpirarent, qvaſi is de ſupremo in Remp. imperio invadendo agitaret. Idem magis ſtimulandis Belgis anſam arripiebat, qvod legati Belgici Neomagi ſciſcitati eſſent, ſi Reſp. conditiones ab ipſo latas, qvantum ad ſe ſpectent, amplectatur, num ipſe diem iſtis acceptandis prorogare, tum ſuper commerciis, & ſecuritate Belgii Hiſpanici cavere ipſis velit? Ad qvæ Gallus blandiſſima epiſtola ad hos data declarabat: *Pro ſincero ſtudio, qvo ipſe circa promovendam Europæ pacem laboret, gratum ſibi fuiſſe Neomago intelligere ipſorum ſententiam circa finem tanto operi imponendum. Latum qvoqve ſibi conditiones à ſe propoſitas ipſis probari, velut qvi penitus edocti ſint, qvo candore ipſe tanti momenti negotium tractet. Eo majori ſibi voluptati eſſe per has literas ipſis demonſtrare, interfluentes qvantumvis ex voto armorum ſucceſſus, & proniſſimas in futurum ſpes, ſummam gloriæ ſuæ in eo verti, ne omnia pacis accelerandæ conferat. Et cum ipſi de duabus potiſſimum rebus ſolicite eſſe videantur, ut commercia æqvis legibus regantur, & ne reliqvia Belgii, ſi forte Hiſpani oblatas conditiones aſperneutur, à ſe in ditionem redigantur; ea cura ſe nunc ipſos exſoluere. Nam circa commercia qvæ deſiderent ſe annuere; & ſi maxime Hiſpanus pacem in præſens reſpuat, in ipſorum tamen gratiam ſemper ſeparatum fore iſti qvæ nunc offerantur conditiones indulgere, nec interim aliqvem earum provinciarum locum impugnaturum. Qvod ſi ſuper hoc negotio legatos mittere velint, iis ad ſe intra 27. diem hujus menſis acceſſum non procul Gandavo patere.* Earum literarum tria exemplaria triplici via in Hollandiam curata erant, ne forte intercipi poſſent. Qvorum unum à tubicine Gallico Hagam allatum fuerat, admodum indignante Arauſionenſi, iſti permiſſum fuiſſe huc penetrare. Poterant eæ literæ Belgis valde honorificæ videri, ſi memoria ſubiret, qvanto cum ſupercilio idem Rex ante ſexennium cum iſtis egiſſet. Sed prudentes facile perſpiciebant, per fallaces blanditias id tantum qværi, ut Belgæ ad deſtituendos fœderatos alliceren-

Gallus Belgas per literas ad pacem invitat.

18 Maj.

tur, ac ut plebs honeſti, ac ſolidæ utilitatis rati-

1678. rationes trutinare nescia egregie sentientes impetu obrueret. Nec minus id adparebat, Gallis nullam rationem degenerem, ac deformem haberi, qvæ ad ipsorum destinata aliqvid facere videatur; ac sæpe serviliter prostruendo in alios imperio agi, post non minus vilibus, qvi eorum libidini sese instrumenta præbuerant. Sane hoc ipso anno, qvo Rex iste tanta cum insolentia orbi Christiano leges dictaret, Magnus Vezierus legato Gallico apud aulam Turcicam nescio qvam ob offensam fustuarium minatus fuerat, post tamen satis habuerat scandalio ejusdem os aliqvoties verberasse. Qvam contumeliam legato suo illatam tantum abest, ut Rex ægre tulerit, ut potius ipse eidem pœnam interminatus sit, qvod Vezziero debitum honorem exhibere haut calluerit. Porro Hagæ fœderatorum legatis
14. Maij. istarum literarum ab Ordinibus Generalibus copia fiebat, addito, se propositas à Gallo conditiones non ulterius, qvam se ipsos spectent, admittere decrevisse. Num æqvæ ipsis viderentur, nullum verbum fiebat. Ad qvæ Legati: esse eum agendi modum inauditum, & valde periculosum; ac ista omnia Neomagum fuisse remittenda. Tum rogabant, ut Belgæ fœderibus firmiter insistant, ac bellum sociatis viribus gerant, qvoad communibus votis pax omnes complexa obtineatur. Ad qvæ Belgarum delegati: Reip. mentem circa ea, qvæ hucusqve facta sint, non fuisse nec esse à fœderatis se disjungere, ac separatam pacem amplecti. Sed qvia idoneæ vires non suppetant sistendis Galli armis, ac prohibendo, ne hic brevi tempore provinciarum Hispanicarum reliqvias deglutiat, ad plura subigenda inde progressurus, primariam qvæstionem huc redire; an non satius sit super propositis conditionibus tractare, & per ea qvantum detur stipulari, ac retinere, qvam producto bello plura amittere. Qvin si maxime aliqvi procerum deinceps qvoqve omnia Martis aleæ velint exponere; hos tamen non prævalere iis, qvi cum plebe qvamlibet pacem amplectendam svadeant, & tributa bello gerendo conferre amplius nolint; nec hac rerum facie penes se esse cives suos cogere. Cum iidem de induciis qværendis urgerent, id Neomagum rejiciebatur.

Belga ad Gallum legationem decernunt. 15. Maij.

§. 24. Mox Belgarum delegati fœderatorum ministris Hagæ indicabant; postqvam Galli sesqvimestres inducias Neomagi plane abnuerint, in præsens communi se causæ utilissimum judicasse, misso legato Regi Galliæ significare; sibi placere in propositas ab ipso conditiones pacem qvantum ad se concludere. Sed qvia fœderatis suis per certa pacta obstringantur, Regem haut postulaturum, ut iis destitutis separatam pacem ineant: eoqve spem esse, Regem juxta ac fœderatos suos libenter pacem honestis conditionibus inituros, ac ut eadem adornetur in sesqvimestres inducias consensuros. Ideo autem Remp. præstabilius judicasse ad Galli epistolam viva voce, qvam scripto respondere; qvod literæ semetipsas interpretari, & objecta diluere neqveant. Si post omnem impensam operam induciæ negentur, cives suos perspecturos, à rectoribus omnia præstita, qvæ paci pro se, ac fœderatis optime meritis obtinendæ reqvirantur: Gallum autem nil aliud qværere, qvam ut Rep. per separatam pacem à fœderatis divulsa occasionem nanciscatur utrosqve opprimendi. Qvo agnito cives suos permotum iri, ut malint persequendo bello sanguinem, ac fortunarum reliqvias impendere, qvam male fidam sibi solis pacem amplecti. Asseverabant qvoqve, Remp. in hanc missionem consenturam haut fuisse, ni Angliæ res subegissent; ubi cum bellum alacriter in Gallum sumendum speraretur, Regem inter, & Parlamentum discordiam gliscere, ut ab iis nil auxilii expectandum sit. Accedere, qvod Hispanis nec miles, nec pecunia sit urbibus suis tutandis, multo minus exercitus in campum educendus. A reliqvis fœderatis auxilia tenuia, ac tarde molientia. Nec eas Reip. vires, ut Gallum sustinere valeat, qvo minus qvod supersit Hispanici Belgii absorbeat. Ad ea ministri: si scripto sibi caveatur, Remp. non aliud præter sesqvimestres inducias qværere, nec qvid contra fœdera suscipere, aut deserere socios velle, huic missioni se haut interfuturos. Ita Cæsareus & Hispanicus declarabant, reliqvis adstipulantibus; nisi qvod Danus, & noster adderent, ut induciæ tantum cum Gallo, non item cum Sveco sint. Neomagi autem
21. Maij. Harenus fœderatis declarabat: Remp. ad tutelam Hispanici Belgii ex qvo tempore id à Gallis bello petitum sit, qvantum penes se impendisse. Sed qvia fortuna Gallo hactenus supra modum faverit, ac Resp. non solum defectu virium bellum diutius persequi neqveat, sed & fœderati communem causam partim debito studio amplecti nolint, partim non possint, ut Gallo in promptu sit paucos intra dies nemine repugnante Belgium in ditionem suam redigere, nulla insuper ex Anglia spe, cujus & auxilia anteqvam advenerint, irreparabile damnum accipiendum sit: igitur fœderatos haut

1678. haut ſiniſtre æcepturos, ſi hæc rerum facie, qvod unicum ſupereſt remedium Belgio Hiſpanico, ac ſibimetipſis ſervandis, arripiatur. Eqvidem in votis fuiſſe, Gallum ad æqviores conditiones per arma, aut alio modo adduci potuiſſe. Poſtqvam autem fortuna converterit, ut continuato bello plus jacturæ metuendum ſit, gratum Reip. fore, ſi fœderati oblatas conditiones, qvantumvis duras & iniqvas, non adſpernentur, ſed ſuper iis tractationem ſuſcipiant. Se qvoqve ſignificaturum, qvid ſuo judicio in iisdem mitigari, atqve adſtringi qveat. Remp. qvoqve tentaturam, num qvid amplius à Gallo obtineri poſſit. Ad hæc Cæſarei laxis verbis: uti Cæſar non ad proferendos ſuos limites, ſed ut Hiſpanicum Belgium contra vim Gallicam tueretur, cum Rep. & aliis fœdus iniverit: ita eundem bellum perſecuturum, aut pacem pariter amplexurum, prout fœderati hanc, aut iſtud commodiſſimum remedium propoſito ſcopo obtinendo judicaverint. Super conditionibus mentem ſuam exponere non poſſe, qvod Galli negarint, locum heic de iis agendi eſſe: & qvia præcepti indolem præ ſe ferant, Cæſarem ſalva dignitate ad iſtas nil reponere poſſe. Qvamprimum autem Galli declararint, heic ſuper iis tractationem ſuſcipiendam, ſe qvoqve, duræ qvantumlibet, iniqvæ, & imperioſæ eædem ſint, animum pacis cupidum facile omnibus adprobaturos. Hiſpanus ad Villam Hermoſam, Petcumus ad Heugium, qvi Hagæ erat, provocabat, qvo & Blaſpielus ſe contulerat. Canon: Ducem in ditionem ſuam reſtitui cupere: ſed oblatas conditiones ei admodum noxias eſſe.

Arauſionenſis ſuper hoc negotio ſententia. 11. Maij.

§. 25. Aſt Arauſionenſis Blaſpielo confirmabat, à ſe & Rep. omnem operam datum iri, ut Electori hoc bello parta ſalva ſint. Cæterum ex Anglia nil boni amplius ſperandum, poſtqvam Parlamentum antea ſemper belli in Gallos cupidum, intempeſtiva cum Rege colliſione miniſtros qvosdam aula moveri poſtulaverit; unde Regi bellum ſemper averſato opportuna occaſio ſcopo ſuo potiundi nata ſit. Eum legatis Belgicis non obſcure ſignificaſſe, ne de ſuis in Gallum armis ſibi qvid polliceantur, ſed ſuper rebus ſuis cum Gallo qvantum detur decidant. Addebat de cauſis miſſionis ad Gallum; ſed qvæ perſeqvendo bello haut obſtitura ſit, ſi modo alias idoneæ vires ſuppeterent. Ac ei legationi obeundæ Beverningium deſtinatum, fidum ſemper Reipublicæ, ac ſingulari in Electorem ſtudio; qvi negotium ita geſturus ſit, ut fœderatis qverendi cauſa haut ſit futura. Qvi 1678. & ideo recta Neomago in Flandriam tendat, ne Hagam tranſiens ab iis in tranſverſum rapiatur, qvi cœco impetu pacem nulla ratione in contrarium admiſſa urgent. Ejusdem alias de ſumma rerum hæc ſententia erat. Hautqvidqvam bonam pacem præſenti tempore à Gallo ſperari poſſe, & qvæ nunc incunda ſit, non poſſe non Reip. ac omnibus fœderatis noxiam eſſe. Unde ſibi decretum, rem qvamdiu detur ſuſtinere, & ulterius ad extremum niti. Eqvidem Hollandiam, & præcipue Amſtelodamum pacem enixe cupere. Hanc tamen difficultatem ſuperari poſſe, ſi ad eam ſolam res hæreat. Nam demonſtrationibus ſe ſuis jam non parum obtinuiſſe, pertractis in ſuam ſententiam plerisqve Hollandiæ urbibus, ut fere in manu ſua fuerit miſſionem ad Gallum promovere, aut impedire: qvorum poſterius etiam futurum fuerit, ſi emolumenti qvid inde ſperari potuiſſet. Inter eos, qvi tanto fervore pacem inclamant, multos ex ignorantia, & ſimplicitate, plerosqve per malitiam peccare. Literas qvoqve à Gallo ad Remp. ſcriptas, heic in Belgio fabricatas: id qvod ipſe palam in conſeſſu Ordinum Hollandiæ demonſtrarit, & qvantum incommodi inde proventurum ſit. Sed duo eſſe, qvæ rem longe adhuc difficiliorem reddant; unum, qvod ab Anglo, qvo ipſe plurimum confiſus fuerit, nil opis amplius ſperandum ſit; alterum qvod Hiſpani manum negotio plane ſubducant. Si duo iſti, qvæ poſſint, ac debeant, facere velint, remedio adhuc locum eſſe. Qvin ſi alteruter vires ſuas ſerio expromat, ſe ſvaſurum, ne pax ineatur, ſed fortuna armorum adhuc tenterur. Joannem Auſtriacum non ita pridem ſpem inſignis ſubſidii feciſſe; ſed noviſſimis literis oſtendiſſe, ex Hiſpania nil militum, aut pecuniæ ſervando Belgio poſſe mitti. Villam Hermoſam plane animis collapſum, ac rem pro deplorata habere. Ei nec militem, nec pecuniam eſſe, nec bono conſilio locum relinqvere. Cives deſperatione langvere. Omnia eo redacta, ut ſi Gallus progrediatur, qvod reſtet brevi ſubacturus ſit. Unde Hiſpanos pacem qvantumvis duram amplexuros; præſertim poſtqvam qvi ſperatus fuerat armorum paratus in Saxonia Inferiore & Weſtphalia non ſucceſſerit; ac fœderati, excepto Electore, nil fere ad rem faciant, ac novas ſubinde difficultates moveant, uti nuper Luneburgici fecerint. Sane fiduciam ſibi fuiſſe rem reſtituendi, ſi Luneburgicis, & aliis copias ſuas mature mittere placuiſſet, aut ſi vel nunc validus exercitus

1678. citus ad Mosellam consisteret. Igitur haut adparere, qvomodo imminens à Gallo periculum declinari qveat; eoqve pacem qvantumvis ruinosam, ac turpem præsentissimum, ac maxime tolerabile remedium esse summam rerum utcunqve servandi. Qvam utut ipse svadere nec posset, nec velit; satis tamen perspicere, res eodem ultro ruere; ac valde metuere, ne si ei nimium obsistatur, Gallus arma sua longius promoveat, simul consternati civium animi magis exacerbentur, istiqve ansam ultro porrigant longius grassandi. Sed qvid consilii capiendum sit, prius liqvido statui haut posse, qvam innotuerit, qvid Beverningius apud Gallum effecerit.

Beverningius ad Gallia Regem mittitur. 19. Maji.

§. 26. Beverningius porro apud Regem exponere jubebatur; Belgis oblatam veteris amicitiæ instaurationem & pacis conditiones admodum lætas accidere, easqve grato animo ab istis acceptari. Sed qvia nefas sibi sit absqve fœderatis, qveis arcte illigentur, pacem inire; sesqvimestres à Rege inducias se expetere; qvo spatio fœderatorum qvoqve negotia expediri, & communis pax confici qveat. Sed suspicio erat, ubi inducie obtineri non possint, pacem ab ipso concludendam. Saltem Galli Neomagenses pacem jam pro perfecta habebant, qvi & tertia jam vice terminum à 27. Maij ad diem 10. Junii protulerant. Beverningium porro, cum Weteræ in regione Wasana ad Scaldim audiretur, ac multa de vinculo memoraret, qvo Belgæ fœderatis innectantur, per qvod pacem absqve his amplecti non possint, Rex interrogaverat; num Belgæ fœderatos metuant? Eo casu his se omni sua vi adfuturum. Eo minus autem Belgis istorum fœderum rationem habendam, qvod nemo fœderatorum iisdem satisfecerit, eoqve nec istos amplius teneri. Ad proposita autem Rex declarabat; se Belgis à Kalendis Junii ad Kalendas Julias st. n. spatium deliberandi indulgere, intra qvod statuere possint, num pacem secum inire, ac deinceps medii agere velint, an minus. Si Resp. intra id spatium pacem amplectatur, se reliqvis fœderatis sesqvimestre spatium, qvod à Kalendis Julii cedere incipiat, ad deliberandum, & statuendum indulgere, qvo elapso Belgas medium statum servaturos. Interim se substituturum, nec munitum qvempiam locum invasurum. Ea declaratio satis ostendebat, Gallis jam ab Anglo cautum esse. Nam alias ipsis metuendum erat, ne hic intra eum mensem suffultis Hispanis, atqve excitatis Belgis, aliisqve fœderatis pronam in præsens occasionem longius progrediendi per vim sisteret. Ita porro insolentes, ac feroces tunc Galli erant, ut Beverningius diceret, se malle extra fines Belgii migrare, qvam altera vice legationem ad aulam Gallicam obire. 1678.

Elector pacis apud Anglum frustra se opponit 17. Maji.

§. 27. Cum itaqve hoc modo à Belgis in pacem rui Elector perspiceret, num iste impetus per Anglum sisti posset tentabat. Unde Sverinum apud Regem de ista Belgarum festinatione qveri jubebat, & qvod conditiones à Gallo latas qvantum in se acceptarint: ac verendum esse, ne Hispanis qvoqve exemplum imitandi necessitas imponatur: adversus qvæ sibi protestatio sit interponenda. Tum ut Rex qvantum in se prohibeat, ne Svecus in integrum restituatur. Sive enim animus sit belli continuatione Gallicam potentiam castigare, sive imminentem pacem mutua evictione stabilire placeat, neutrum sperari posse, qvamdiu Sveci vel latum pedem in Germania obtineant; qvod sibi semper ejusmodi invasio, qvam perpessus fuerit, deinceps qvoqve metuenda sit. Rex displicere sibi testabatur tam ipsas conditiones, qvam qvod tantopere circa eas acceptandas festinetur. Sed hac rerum facie nec ad bellum, nec pacis promotionem à se conferri qvid posse. Nam non solum Parlamentum præter spem tam scæva consilia cepisse; sed & Belgicos ministros, cum eodem die nuntios accepissent, in Belgio decretum, si Anglia bellum sumat, se XXV M militum in Flandriam missuros, navium qvoqve idoneo numero armato, jam tergiversari eam declarationem scripto edere, causatos; qvia è dilatione Parlamenti in Hollandia credendum sit, ab Anglia bellum declinari, sine dubio propediem alia mandata sibi mittenda, ac pacem sine mora concluſum iri. Ista sibi patienter adspicienda esse, nulla penes se emendandi facultate. Ita jam in Anglia culpa omissi belli in Belgas conferebatur. Mox Danici legati Comes Altenburgicus, & Lindenovius una cum Sverino scriptum Anglo exhibebant hoc sensu: Principes suos tolerare haut posse, leges sibi à Gallo impingi; eoqve Regem rogabant, ut societatem cum istis bello continuando inire velit. Ad qvæ Rex: postqvam Belgæ, & Hispani bellum deserant, ac Parlamentum non nisi molestiam ipsi facessere instituat, nil aliud sibi relictum, qvam pacem svadere. Daniæ & Electoris rationibus per sequestris officium qvantum possit velificaturum. Si pax ibi non sequatur, extra partes mansurum.

1678. *Apud Belgas circa sistendam pacem nihil proficitur.* 1. Jun.

§. 28. Nec plus circa remorandam noxiam pacem apud Belgas proficiebatur, qvos dudum Elector metuerat, ne ad ista extrema prolaberentur. Fretus tamen totiens repetitis testationibus meliora speraverat. Sed cum intellexisset, qvousqve pax jam progressa fuisset, per Romisvvinckelium Arausionensi, ac Fagelio demonstrabat: qvanto sibi dolori sit, istam à Belgis viam iniri. Se unice ob servandam eam Remp. in bellum descendisse, suaqve omnia periculo exposuisse. Fœderibus expresse cautum, ne una pars absqve altera de induciis, ac pace agat. Idem Reip. ministros sæpius sanctissime confirmasse. Nunc inter incertas, atqve confusas res, summumqve periculum se destitui, nec in actis, qvæ hucusqve sibi conspecta sint, vel verbo sui mentionem factam. Ac maxime metuendum, ne Galli bello Flandrico expediti Cliviam invadant. Igitur operam darent, ut Resp. periculum ditionibus ipsius Westphalicis imminens avertat. Alias sibi reparationem damni à Rep. qværendam, cujus & cum summo periculo conjunctum sit, si Galli iterum in Clivia nidulentur; nec ejusdem minoris interesse Cliviam qvam Hispanicas provincias servari, de qva tamen Beverningius apud Gallum mentionem haut fecerit. Inprimis durissimum esse, qvod Belgæ Gallo promissuri ferantur, se nil auxilii deinceps fœderatis laturos, sic ut parum opis circa promovenda sua commoda ab istis exspectandum videatur. Ad qvæ Arausionensis: penes se non amplius esse ad rem aliqvid conferre. Hispanos viribus plane exhaustos, & ex Anglia communi causæ plus noxæ, qvam levamenti sperandum. Interim Electorem summo jure de Belgis qveri, & fœdere promissa exigere posse. Circa eos tractatus id qvoqve valde incommodum accidebat, qvod Fagelius tunc ex ardenti febre decumberet, cujus vires delegatus à civitate Dordracena, uti tali casu moris est, obibat, haut qvidqvam tanto negotio par. Id qvod præsentia aversantibus, & Gallo studentibus eo plus animi ad præcipitandam pacem addebat, qvod non esset, qvi solida ratione istis reluctari nosset. Sed & qvia præ cæteris Amstelodamensis civitas in pacem ruebat, cujus culpa potissimum penes Consulem Hoofdium esse censebatur, Elector apud eam civitatem instabat, ut saltem Cliviam paci includeret. Qvæ qvantum posset, sed frigide satis, pollicebatur.

4. Jun.

§. 29. Nec majus operæ pretium Neomagi fiebat, ubi postqvam Belgæ super declaratione à Galliæ Rege allata consulturi essent, fœderati monita sua circa istam concipiebant, præter Hispanos, qvod Villa Hermosa conditiones à Gallis latas qvantum ad Hispaniam certo modo accepisset. Nam Belgæ jam antea misso Bruxellas Jacobo Borelo, & Wedio apud Villam Hermosam proposuerant: uti auxilium ab Hispano suæ Reip. iarum utilissimum fuerit; ita se non omisisse istius provinciis à Gallo impetitis omni vi subvenire. Qvanqvam autem bellum plures per annos immensis sumtibus gestum sit; successus tamen ita infelices fuisse, ut Gallus victoriis suis inflatus non aliis legibus pacem velit, qvam qvas nuper Neomagi promulgarit. Qvæ etsi iniqvæ sint, & plane rejici mereantur; tamen considerata Galli potentia, qvi non solum fœderatorum exercitibus restiterit, sed & pluribus locis insignes progressus fecerit, Remp. judicasse, leges qvantumvis duras pro captu rerum continuationi belli præferendas, nil nisi funesta minanti; eoqve istas haut rejiciendas statuisse, modo alii fœderati, ac inprimis Catholicus Rex idem sentiat. Si qvid securitati pacis deesse videatur, id per fœdera cum Anglo, aliisqve suppleri posse. Ast ista hæc Villa Hermosa reposuerat: Turpius fore per iniqvas conditiones à Gallo propositas, qvam per infaustos armorum successus Belgium amittere; cui jacturæ causam Belgæ eo minus daturi sint, qvod Rex solam ob horum conservationem evidentibus sese belli periculis exposuerit. De qvo & tam sancte data fides dubitare non permittat. Et propinqvo Regis Angliæ fœdere prosperiores successus reparandis rebus sperandos, qvos hoc rerum statu destituere, ac tam fœdas leges subire cum perfidia erga Cæsarem, & reliqvos fœderatos conjunctum sit. Præsertim cum Cæsar decreverit qvamprimum ad defensionem Belgii, ac reparanda propria damna adcurrere, ac reliqvi fœderati de universis viribus in Gallum vertendis agitent. Regem qvoqve post recuperatam Siciliam omnes vires ad restituendas hasce provincias impensurum, ad qvod & Belgas operam collaturos spes sit, velut negotium qvam maxime necessarium, & communi causæ tam salutare, & qvo solo ad justam, & stabilem pacem pervenire liceat. Ad ista Belgæ reposuerunt: non solas conditiones à Gallis latas esse respiciendas, sed & faciem rerum, qvæ in præsens sit, occupatis à Gallo omnibus locis limitaneis, & gradu in ipsa viscera provinciarum promoto, subacto Gandavo, prævalente per campum formidabili exercitu, ad qvidvis suscipiendum promto

1678. *Hispani itidem in pacem inclinant.* 4. Jun. 8. Maji.

9. Maji.

14. Maji.

1678. promto, & cui res pro voto succeſſura videatur. Contra fœderatos nondum copias contraxiſſe, nedum ut pares ſint ejus deſtinatis ſiſtendis. Unde Ordines Generales metuere, ne harum provinciarum reliqviæ, pro qvibus tantum ſangvinis, & ſumtuum profuderunt, pereant, ni oblata pax occupetur. Eqvidem Anglum ingens momentum rebus adferre poſſe; ſed ejus militem eſſe recens conſcriptum, bello haut exercitatum, cujus exigua manus in has provincias adpulerit, incerto qvando reliqvi venturi ſint. Contra pretioſa eſſe temporis momenta, ac brevi ingentes calamitates accipi poſſe. Sed nec Belgas ea mole, qva hactenus, bellum perſeqvi valere, exhauſto ærario, ac populo ad conferenda tributa impotente. Agnoſcere ſe inſignia auxilia ab Hiſpanis Reſp. præſtita: ſed hanc vicissim maximas impenſas feciſſe fulciendis hiſce provinciis. Saltem penes ſe culpam non eſſe, qvod Gallus tantos progreſſu fecerit, & pacem non niſi aſperis conditionibus dare velit, per qvas utiqve provinciæ admodum debilitandæ ſint, alendis copiis ſuæ defenſioni haut ſufficturæ. Munita tamen oppida haut ita diſjuncta, nec regionem ita interſciſſam fore, uti ante bellum; id qvod cuſtodiam eorum non paulo faciliorem redditurum ſit. Et qvod domeſticis viribus deſit, per fœdera poſſe ſuppleri. Cives qvoqve utriuqve per pacem vires recollecturos, cum nunc ſui ſubditi eo ſint redacti, ut nil extraordinarii oneris ab iis exigi qveat, ni rectores Reip. eam aleam ſubire velint, ut vel inviti ad tranſigendum cum hoſte ſint compellendi, vel oneri ſuccumbant. Ad qvæ iſti per fœdera adſtringi neqveant, qvæ non ad perniciem, ſed ad bonum fœderatorum, & ſalutem civium ſuſcipiantur. Addebatur; qvia legati Gallici Neomagi oſtenderint, ſibi mandata eſſe induciis vel ad finem usqve anni concludendis, operam ſe daturos, ut ex in ſex menſes obtineri qveant, ſi Villæ Hermoſæ ita
16. Maji. videatur. Ad qvæ Villa Hermoſa de amplectendis ſeſqvimeſtribus induciis annuere, modo ex iis non plus noxæ, qvam ex armorum continuatione naſcatur. Sed cum Belgæ inſtarent, ut idem & ſuper pace ſententiam ſuam exponat, qvod periculum in mora ſit, ac brevi tempore irreparabilis
3. Jun. rerum converſio emergere poſſit; demum idem declarabat; ſe circa pacem in Belgarum ſententiam concedere, modo qvicqvid locorum ubiqve terrarum ad Hiſpaniam ſpectantium, de qvibus in Gallica propoſitione mentio facta non ſit, Regi ſuo reſtituatur; tum ut Galli deſiſtant conditionibus, qvas præſtare penes ſe non ſit: deniqve limes ita diſponatur, ut in futurum belli ſemina declinentur. Unde Balbaſius Neomagi oſtendebat; etſi ipſe, ac collegæ hac Villæ Hermoſæ declaratione non ſtringantur, haut tamen decere, ut palam ſeſe iſti opponant, præſertim tam periculoſo tempore, cum Gallus exercitum ita diſpoſuerit, ut Hiſpanicis provinciis pereundum ſit, ſiqvidem is tota vi rem gerere inſtituat. Nam Montibus Hannoniæ parum annonæ ineſſe, ac Luxenburgium circa Bruxellas viam ita intercluſiſſe, ut nihil eodem inferri poſſit; ſic ut tanti momenti urbs etiam inter inducias, prout à Gallo proponantur, amittenda ſit. Qvin, niſi protinus pax occuperetur, reliqvas urbes, Bruxellas, Lovanium, Mechliniam, Antvverpiam, alias exemplo Montium ultro deditionem facturas, qvod nulla earum obſidium ſuſtinere valeat; ac cives eo deſperationis ſint redacti, ut non amplius ſua intereſſe credant, ſub Galli, an Hiſpani ditione ſint. 1678.

§. 30. Aſt reliqvi fœderati, Cæſarei, Danus, noſter, exhibitis ſcriptis Belgarum feſtinationem ſiſtere laborabant, ne hi fœderum obliti ſuam ſibi pacem excluſis reliqvis arriperent. *Prudentiam, candorem, bonam fidem, & juſtitiam, qvibus fundamentis hactenus eorum Reſp. ſteterit, floruerit qve, haut permiſſuram, ab ipſis qvid admitti contra ſanctimoniam fœderum in fraudem eorum, qvi, ut iſtam una cum ſalute publica periclitantem ab interitu vindicarent, hujus belli onera, & pericula ſubierint. Eſſe negotium cum hoſte univerſis grave, ſingulis funeſto. Qvosdam forte beneficio ordinis gaviſuros, ſuo loco & ipſos jugum ſubituros. Francorum vicinam defugiendam vetere qvoqve proverbio moneri. Perruptis Hiſpanicarum provinciarum repagulis Rempublicam deinceps fide, & moderatione Gallorum, debiliſſimis rebus, ſtaturam. Eqvidem uti in hujus Reip. gratiam bellum ſuſceptum, ita & circa hoc ponendum ejusdem rationem cumprimis habendam. Enimvero propoſitas à Gallo conditiones legum inſtar præ ſe ferre, de qvibus more inter Principes recepto tractandum non ſit; qvas acceptari & dignitas fœderatorum, & ſecuritas, & ratio, & res ipſa vetet. Nec expreſſum, qvid pro Svecis Gallus ſtipulari velit. Ac manifeſtum eſſe, non pacem à Gallo qvari, ſed fœderatorum diviſionem, ut eo facilius ſingulos opprimat. Si ratio, aut neceſſitas pacem ſvadeat, promtos ſe fore ei qvamprimum ineunde iis conditionibus, qvæ nec ingloriæ Gallo, nec graves futuræ ſint, & qvarum moderatio facile univerſo orbi adprobari qveat.* Federatorum Neomagi circa pacem monita. 10. Jun.

1678. *Aſt nunc viginti dies reſtare, intra qvos de ſumma rerum, de fortunis, ac libertate Reipublicæ, de ſecuritate, ac ſalute communi ſtatuendum ſit. Tanti momenti negotia ut præcipitentur hoſtem velle, ut mature tractentur ſvadere fœderatos, ne inconſulta pax communem ſalutem magis qvam improſpera arma affligant. Ubi ſemel intellexerit hoſtis, Belgas ſeparatam pacem velle, obtenturum qvod optat, ac de communi, eaqve honeſta pace conclamatum eſſe; qvæ alias ſperari poterat, ſi ad immotam conſtantiam, & conjunctionem fœderati ſeſe obfirmaverint.* Peculariter monebat Blaſpielus, ne Belgæ cum Gallo pacem ineant, niſi debita Electori ex fœdere ſatisfactione obtenta, ac ut eam ſibi facultatem circa fœderatos ſuos reſervent, qvam ſine dubio Gallus pro ſuis ſociis eſt ſtipulaturus. Præſertim cum Electorem in hoc bellum pertraxerit non belli libido, ſed cura Belgii, propriæqve ditionis ſervandæ, & ut ſe ab aliorum inſultibus in tutum collocet. Qvi & hucusqve nil niſi honeſtam, & tutam pacem optaverit, circa qvam officia à Belgis adhibenda ipſi gratiſſima ſint futura. Eundem & circa conditiones æqvum ſe exhibiturum, ac neceſſitate Reip. atqve adductis rationibus locum daturum, modo publica & propriarum ditionum ſecuritas obtineatur. Aſt Canon Lotharingicus ipſe Hagam proficiſcebatur cauſam ſui Principis commendaturus, qvod admiſſis à Gallo oblatis conditionibus nullius conditio durior futura eſſet; ut longe ſatius ei futurum ſit in exilio agere, ac meliora tempora expectare ſalvo ſuo jure, qvam regimen ditionum ſuarum tali modo ſuſcipere, ut ſemper à Gallorum libidine dependeat, ne tuto qvidem domicilio uſpiam relicto.

Elector itidem pacem qværere inſtituit.

§. 31. Enimvero Elector, cum Belgarum impetum rationibus ſiſti haut poſſe animadverteret, ne ſolus in bello deſtitueretur, id agere inſtituit, ut & ipſe honeſtis conditionibus paci includeretur; de cætero omnem lapidem moturus, ut tanto labore, ſumtuqve hoſti erepta tutaretur, ac utcunqve res caderet, ſua exiſtimatione nil indignum admitteret. Ne igitur Belgis ad ſe deſtituendum prætextum præberet, qvaſi ipſe à pace abhorreret, apud hos, ac ſeqveſtrem, ipſosqve Gallos teſtabatur, honeſtam ſibi, tutamqve pacem utiqve cordi eſſe. Et qvia Belgas, Hiſpanosqve qvalemcunqve pacem amplexuros adparebat, nec in Angli armis qvid ſpei ſupererat, cum Gallo tolerabilibus conditionibus paciſci decrevit, circa qvod ut Anglus officium interponere velit, per Sverinum rogabat. Qvi & jubebatur, tecte tamen, legato Gallico Londini eam cauſam commendare, pollicitus, Electorem Galli commodis velificaturum, ſi hic efficere velit, ut is tota Pomerania, aut ſaltem ad Penam usqve potiatur. Sane Electorem deinceps Gallo plus ſtudii qvam Svecos exhibere poſſe; in qvam rem ſat cautionis daturus ſit. Poſſe in Germania, & alibi emergere occaſiones rationibus Galliæ favendi, ut hanc nunqvam pœnitentia exhibiti beneficii ſubitura ſit. Et qvia Electori perſvaderi haut poſſit, Regem calamitate involvi velle Domum à longo tempore Galliæ addictam, qvam in præſens inevitabiles officii rationes cum hac commiſerint; ſpem eſſe, Regem anteacta oblivioni daturum, ac futura emolumenta reſpecturum. Eidem vitio dari non poſſe, qvod Hagæ, Viennæ, & alibi continuationem belli urgeat, qvamdiu de Galli animo in ſe non conſtiterit. Sed ubi ex voto reſponſum ſibi ſit, non modo iſta omiſſurum, ſed & Regis commoda omni ſtudio promoturum. Ad iſta à Sverino propoſita Anglus reſpondebat; ſibi voluptati fore, ſi ad explenda Electoris deſideria aliqvid conferre qveat. Sed qva ratione iſta Gallo proponi, aut ab hoc acceptari poſſint, ſeſe haut perſpicere. Nam etſi is ſuper Boreali pace nunqvam mentem ſuam liqvido expreſſerit; ſatis tamen ſe noſſe, eidem nunqvam in mentem venturum ſui fœderati ditiones citra neceſſitatem condonare. Sed nec fœdus qvod ſibi cum Sveco intercedat, ferre, à ſe tam noxia huic proponi. Nec adductis rationibus ulterius movebatur, qvam ut innueret, forte Svecos haut ex aſſe in integrum reſtituendos. Regi autem iſthæc ſcripto ſibi exhiberi poſtulanti Sverinus abnuebat, ne forte Galli eodem abuterentur ad alios fœderatos Electori avertendos. Nec anxie rem agere placebat, ne Anglus hunc eo redactum crederet, ut ad qvælibet admittenda cogi poſſet. Narrabat poſtea Rex, ſe apud legatum Gallicum de tota Pomerania tetigiſſe, ſed qvi ſurda aure iſta transmiſerit, ac ni moderatiora proponantur, de ea re cogitari non poſſe. Unde Sverinus de Pomeraniæ parte ad Penam usqve movebat, qvam Elector ob ſecuritatem ſuam adverſus Svecorum invaſiones expetat. Sed Anglus ne de Stetino qvidem audire volebat, qvod ea urbe demta reliqva Pomerania exigui pretii ſit; Sverino reponente, Electorem omnia ſua potius periculo expoſiturum, qvam eam urbem è manibus amittat. Williamſonus qvoqve eadem frigide admodum accipiebat, nec operæ qvid offere-

1678.

1678. ferebat. Tantum dicebat; Galli destinata de non restituendis Flandriæ urbibus ante Borealem pacem omnia heic consilia turbasse, qvod de isto casu à se cogitatum non sit. Unde si Gallus ei postulato insistat, Angliam certo in bellum erupturam; eoqve circa hoc negotium properato haut opus esse. Eo minus autem in Anglo fiduciæ qvid collocari poterat, qvod hic cœcæ qvid simultatis adversus Electorem aleret, velut qvi destinata ejus contra Belgas infregerat; ut satius foret, eam rem in Gallia, aut alibi agere. Ac dixerat Rex; qvia Sverinus nil scripti exhibuerit, se qvoqve ad Gallum nil referre potuisse. Sed si adhuc scriptum tradere placeat, id se Gallo missurum, haut tamen commendatione, aut adprobatione sua addita. Haut eo secius legatus Gallicus vulgaverat, ab Electore latas conditiones acceptatas, qvo eum reliqvis fœderatis suspectum redderet. Et qvia satis adparebat, Electori nil amici ab Anglo expectandum, Sverinus de ea re non amplius movere jubebatur; ac si forte Rex ultro mentionem injiciat, reponeret; qvia is ab initio tot difficultates moverit, nolle se ipsi molestiam facessere. De cætero testaretur, Electorem malle omnes fortunas impendere, qvam Stetinum reddere, tanto labore, sumtuqve expugnatum, è qvo securitas status sui dependeat, & qvod semper collisioni Svecos inter, & se ansam præbiturum sit.

Fœderati separata Belgarum paci renituntur. 5. Jun.

§. 32. Ast Hagæ Borealium fœderatorum ministri junctim scriptum Ordinibus Generalibus exhibebant super Galli declaratione à Beverningio relata consultaturis. *Plenam sibi fiduciam esse, Ordines nil fœderibus adversum admissuros, de qvo & totiens verbis confirmarint. Eqvidem hostem pro astutia sua facile perspicere, negotium nunc urgendum, qvod non nisi per artes obtinere qveat: cujus & consilia non alio tendant, qvam ad abrumpendum inter fœderatos vinculum, qvo singulos, ac divisos eo facilius opprimere possit. Eo magis de prudentia Ordinum sperare, eos præfixam diem non anticipaturos, qvoad ipsi super tanti momenti negotio mandata acceperint: multoqve magis, eos nunqvam, qvod hosti captatur, pacem inituros non habita ratione fœderatorum, & ut horum satisfactioni, atqve emolumentis prospiciatur. Id qvod & scopus fœderum, & mutua necessitudo, & ratio, & æqvitas, & communis securitas exigat. Eqvidem maxime sibi optandum, operam cum Ordinibus sociare posse ad finem bello imponendum, ob servandam hanc Remp. & communem salutem suscepto. Sed qvia ista pax pro imperio obtrudatur, servitium demum orbi Christiano paritura, & qvæ salvo partium honore subsistere neqveat; satius esse extrema qvæqve tolerare, qvam ita exitiosas leges subire. Ordines semper immotam constantiam pollicitos, qvandocunqve de scopo hostis circa dividendos fœderatos mentio inciderit. Eandem firmamentum esse omnium fœderum, ac securitatis communis, cujus nunc illustre specimen repræsentare necessitas rerum exigat. Ejus constantiæ fiducia suos Principes per fœdera Reip. se illigasse, vitam, omnesqve fortunas periculo exposuisse ad Remp. extremo periculo eripiendam, per hostem intentato, qvod declinasse nisi per ea fœdera non dabatur. In cujus auxilii redhostimentum Ordines haut prius pacem amplecti deceat, qvam & sibi satisfactum sit; qvi parati sint qvasvis æqvas conditiones, & honestas ad pacem perveniendi rationes admittere. Exigere id obligationem propriæ, & communi saluti tam necessariam; nec apud prudentes opus esse funestos separationis effectus multis demonstrare. Nec sperare rem huc redituram, ut sibi necessum sit Principum suorum nomine testari, penes hos culpam non fore omnium malorum, qvæ non possint non ex incuria fœderum provenire.* Cæterum Elector apud se statuerat, postqvam omnes rationes, qvæ adferri possent, exposuisset, qverelis deinceps super iniqvissimo isto agendi modo supersedere. Eoqve declarabat, se qvoqve tractationem æqvis conditionibus suscepturum, de qvo & ad fœderatos suos perscripserit; ac sperare, Belgis ipsius securitatem, ac satisfactionem curæ fore, qva Reip. qvoqve securitas contineatur. Ac certo sibi persvasum, modo Belgæ serio rem agant, Gallum haut ideo pacem repudiaturum. Inprimis Cliviam istis commendabat, in qva ne Gallus iterum pedem figat, tantopere Reip. intersit; circa qvam ipsos obtenturos eo major spes sit, qvod Gallus professus sit, se intersepimentum Flandriæ in Belgarum gratiam concessisse. Qvia porro Belgæ, qvorum causa Elector huic bello immersus fuerat, tam familiariter cum Gallis agere cœperant, Blaspielus qvoqve non amplius horum conversationem defugere jubebatur, num forte ea ratione odium Galli, qvo in se ferebatur, minui posset. Referebant legati Belgici, se Neomagi Gallis demonstrasse, à Rep. fœderatos destitui non posse, tum qvæ peculiariter Electori debeant. Ad qvæ Galli de Electoris satisfactione in neutram partem: cæterum Regem Boreale negotium huic paci haut misturum. De qvo cum Oxenstierna intellexisset, ita acriter apud Gallum contendisse, ut restitutio Sveciæ prima conditio

1678. 7. Jun.

1678. ſtatueretur, citra qvam pax iniri non poſſet. Qvod uti ſuo loco relinqvitur, ita certum erat, Gallos ideo tam intractabiles erga reliqvos eſſe, qvod iis conſtaret, Belgas à cæteris fœderatis ſeceſſionem facturos.

Arauſionenſis ſententia ſuper pace. 14. Jun.

§. 33. Ad Arauſionenſem Elector literas dederat; ſiſa autoritate impediret, ne tam præcipiti impetu in pacem ruatur, ac ut ſui qvoq; ratio habeatur; ac ſi nullo modo obtineri qveat, ut ipſe pace comprehendatur, ſaltem Belgæ Clivicis ditionibus ſecuritatem ſtipularentur. Eas literas Blaſpielus reddebat, cum conſultatio de ſumma rerum ab Ordinibus Hollandiæ ſuſcipienda eſſet. Ad eas Princeps iſti reſpondebat: Pacem impedire ſerum eſſe. Non amplius locum rationibus relinqvi. Amſtelodamenſes, ac Leidenſes ea cupidine in pacem rapi, ut potius ſeceſſionem facturi ſint, qvam à pace dimoveantur. Eqvidem duas iſtas civitates cum aſſeclis numero ſuffragiorum vinci poſſe. Sed hoc ipſo rei non conſuli. Nam circa conferendam pecuniam earum urbium præcipuas partes eſſe; ac conſenſum omnium Reip. membrorum reqviri, nemine contradicente. Si manente bello pecunia deficiat, plura inde incommoda, qvam ex pace qvantumvis maligna, proventura. Ita alterutrum inevitabile eſſe, ut vel pax cunda, vel motus inteſtini expectandi ſint. Si vel Anglus in bellum deſcendere, aut fœderati validum exercitum ad Moſellam adducere voluiſſent, machinationes Gallorum in Hollandia eludi, ac importunitatem iſtarum civitatum pacem poſcentium retundi potuiſſe. Sed nunc ſi Gallus ſentiat circa pacem dubitari, reliqvias Belgii ante oppreſſurum, qvam qvispiam ſubvenire poſſit. Mouribus Hannoniæ jam panam deficere, nec qvid importati poſſe; ac ſi Gallus deditionem imperet, eos moram haut facturos. Ejus urbis exemplum alias qvoqve ſecuturas, qvæ iſta teguntur. Se qvidem Electoris caulam diligentiſſime commendaſſe: qvid profecerit eventum oſtenſurum. Poſt habitam conſultationem Princeps referebat: cum pax nullo modo impediri potuerit, ſe noluiſſe incaſſum eidem reluctari, eoqve & ſe pacem ſvaſiſſe, ut tamen noxiæ conditiones de ſeſqvimeſtribus induciis, & auxilio deinceps fœderatis non ferendo ne obtrudantur; neu Svecorum mentio fiat. Num Gallus iſta probaturus ſit, brevi adparituram; ac legatos Neomagi mandata accepiſſe, ut hoc menſe pacem ad hanc formam concludant, ac ut Clivia medio ſtatu deinceps fruatur. Circa qvod negotium acriter inter conſultationem certatum fuerit. Nec tamen Ordines ex ea conditione pacem ſuſpendere voluiſſe, ne Gallo anſa eandem recuſandi præberetur. Addebat, multa ſibi perferenda, atqve obduranda fuiſſe, nec ſuper Principatu Arauſionenſi ſibi ſatisfieri. Credere tamen, modo reliqvi fœderati divelli ſe non patiantur, res brevi in melius ituras. Eadem mens plerarumqve provinciarum, & procerum erat, qvi ad pacem, qvalem Gallus dictabat, ingratiis deſcendebant evitando majori malo. Qvi & ipſi fœderatis ſvadebant, ne dividi ſe patiantur; ſed vel junctim pacem concluderent, vel bellum ſociatis viribus perſeqverentur, & concordiam futuræ pacis tutiſſimum firmamentum haberent. Qvi & fidam Electoris operam Reip. exhibitam ſatis agnoſcebant, utqve ejus ſecuritati, & ſatisfactioni proſpiceretur optabant. Sed nunc vel invitis factionis prædominantis Gallo addictæ libidinem ſeqvendam. 1678.

Belgæ pacem decernunt. 8. Jun.

§. 34. Belgæ dehinc fœderatorum miniſtris Hagæ exponunt; neceſſitate ſe ad pacem compelli, ac optare, ut & fœderati eam amplectantur, qvod fruſtra melior ſperari videatur. Ac ſe qvidem in anteceſſum pacem ſuam perfecturos; ſed deinceps enixam operam navaturos, ut & reliqvis ſatisfiat. Cæterum ideo ſe pace haut carituros, qvod non omnia ad decori normam ita exacte qvadrare arguantur. Ad qvæ miniſtri: ſe de hoc qvidem ad Principes ſuos relaturos. Sed ſi ſeparata pax è Galli præſcripto ineatur, ſe eidem contradicturos, ac iis firmiter inhæſuros, qvæ Reſp. tam ſancte promiſerit. Peculiariter autem *11. Jun.* Elector Belgis ſignificabat: qvia inſuper habitis omnibus, qvæ in contrarium allatæ ſint, rationibus pacem neceſſariam judicent, ſe qvoqve repugnare nolle, eamqve & ipſum amplecti decreviſſe, qvo ſeparatio fœderatorum qvantum poſſit evitetur, & fœderibus aliqvo modo ſatisfiat; ac ſperare cæteros fœderatos paria conſilia capturos. Id tantum petere, ne tantopere negotium præcipitent, ac id Neomagum remittant, qvo & ipſe junctim ibi pacem ſuam adornare qveat. Id qvod non fœdera ſolum, ſed & ſumma Reip. utilitas reqvirat, maximis incommodis involvendæ, ſi à Gallo Clivicæ ditiones invadantur. Aſt hiſce apud *12. Jun.* Belgas id pondus non erat qvo minus pacem in oblatas leges acceptare, & ante finem hujus menſis perficere ſtatuerent; idqve Gallis denuntiarent. Nam poſtqvam haut alia via ſit ſuis, & Hiſpanicis provinciis evidenti periculo eripiendis, fas ſibi eſſe

qvod

1672. qvod neceſſitas ſuggeraret ſalutis remedium amplecti. Nec eo facto fœderatos ſuos lædi, qveis haut eo ſecius, qvæ ex fœderibus debeant, præſtituri ſint. Non tamen diſſimulabant pleriqve proceres, ingenti alias & ipſi pacis deſiderio flagrantes, ejusmodi pace Remp. ſuam haut qvidqvam in tutum, & qvietum ſtatum reponi. Qvin & Ultrajectini, aliiqve Hoofdio Amſtelodamenſi Conſuli, cujus fervor circa accelerandam pacem eminebat, per delegatos demonſtraverant; res nondum adeo deſperatas eſſe, ut pacem tanto cum periculo, ac dedecore arripere neceſſum ſit, infractis fœderibus, & ingrati animi infamia contracta erga eos, qvi Reip. inter extrema tam fidelem operam navarint, qvorum nunc tam exigua ratio habeatur. Ad qvæ Conſul nil aliud qvod reponeret habebat, qvam iſta verba: *ſi pecunia vobis eſt, bellum gerere pergite: Amſtelodamum eam non habet, nec amplius ad idem qvid dabit.* Cum objiceretur; pacem hanc ſtabilem eſſe non poſſe, ac brevi Remp. in bellum relapſuram. Unde tunc pecuniam perandam? is reſpondit; cautum ſibi eſſe, Gallum non amplius bellum, ſed pacem cupere. In eandem ſententiam & Leidenſes, eorumqve aſſeclæ loqvebantur, qvos reliqvæ urbes Hollandiæ, ac provinciæ ingratiis ſeqvebantur, qvod vulgus tædio tributorum, ac mercatores cupidine commercia inſtaurandi iſtis adſtipularentur. Qvæ omnia Gallus per addictos ſibi homines fovebat, oſtentato florente in poſterum Reip. ſtatu, inter alia jactans; qvia Anglus Gallicas merces vetuerit, commercium Gallicum penes Belgas fore, qvorum commodis ipſe variis modis ſit velificaturus. Accedebat ſuſpicio in Arauſionenſem, cujus potentiam ſubtracta militia imminuere cupiebant. Ac eo uſqve res proceſſerat, ut metus eſſet, ne plebs excuſſo fræno Galli arbitrio ſe permitteret, ubi de pace impedienda agi animadverteret. Sunt, qvi hanc præcipuam feſtinatæ pacis cauſam ferant, qvod Gallus enixo ſtudio id ageret, ut cum reliqvis fœderatis tranſigeret excluſis Belgis; qvos à ſociis deſtitutos ſibi in prædam deſtinaverit. Ac ut hos ad bellum continuandum obfirmatos in hoſce caſſes pertraheret, Anglum fœdus ſuum iſtis oſtentaſſe. Viciſſim Gallum ideo tantis blandimentis Belgas ad ſeparatam pacem invitaſſe, ut Arauſionenſi occaſionem, per arma autoritatem, opesqve augendi ſubtraheret. Super Clivicis provinciis paci comprehendendis per biduum diſceptatum fuit, qvod omnes judicarent, eas Reip. munimenti vicem præbere, ac ſaltem medii ſtatus beneficium pro iis ſtipulandum. Sed 1672. qvomodo Gallus, ut in hoc conſentiret, adduci poſſet, non conſtabat. Eqvidem qvædam provinciæ pacem ex hac conditione ſuſpendere cupiebant, ac per literas Gallo denuntiandum, eas provincias limitem ipſorum tegere. Sed provincia Hollandia nullo modo concedere volebat, ut vel minima conditio literis ad Gallum annecteretur; ſed pure declarandum, à ſe oblatam pacem acceptari. Inde diu dubitatum, num peculiares literæ ad Gallum ſuper Clivia dandæ eſſent? Ubi demum decretum, ex Electoris miniſtris qværendum, qvid ipſis circa eas literas videatur. Sed hi neutram in partem declarare mentem ſuam conſultum ducebant, ne de fœdere qvid remittere, aut pacem hanc probare viderentur; ac culpam ſuam fore, ſi Gallus id petitum abnuat; cum nunc Belgæ ex fœdere ejus ditionis ſecuritati proſpicere teneantur. Demum decernebatur, legatis Neomagum mandandum, Gallicos legatos permoveant, ut eo nomine ad Regem qvam diligentiſſime ſcribant. Hucusqve cum Belgæ progreſſi eſſent, Arauſionenſis ex improviſo proponebat, ut qvamprimum ſuper exautorando milite ſtatueretur; non parum confuſis, qvi affectati dominatus eum inſimulaverant. Aſt Gallici legati de medio Cliviæ ſtatu abrupte rejiciebant; qvin fremebant, niſi reſtituto Sveco ſe nec Flandriæ urbes, nec Trajectum ad Moſam reddituros. Unde qvanqvam Elector declararet, ſe qvoqve pacem cum Gallo amplexurum, qvo Reip. ſe neceſſitatibus attemperet; tamen cum nulla adpareret ratio ſuperandi difficultatem, qvam Gallus circa reſtitutionem Sveciæ injiciebat, præſertim intra tam pauculos dies, qvi reſtabant; Belgis ſententia ſtabat utiqve in conditiones Gallo placitas pacem inire.

Belgæ de inſtituto ſuo Neomagi proponunt. 11. Jun.

§. 35. Aſt Neomagi Belgæ fœderatis proponebant: *Cauſas, qvæ Remp. ad pacem compellant, omnibus notas eſſe; defectum virium, agros civium animos, extremum Hiſpanici Belgii periculum, enormem hoſtium potentiam. Spem de Anglo conceptam decoll aſſe. Hiſpanos qveri, à reliqvis fœderatis, qvorum copias ipſi hactenus in Belgio aluerint, nil opis expectari. Unde Reip. rationem fuiſſe diſpiciendam, qvæ ſe juxta & Hiſpanicas provincias ſervaret. A fœderatis nil remedii propoſitum averruncandis hiſce periculis; ac ſtatum rerum indies ingraveſcere. Unde Remp. ad propoſitas à Gallo conditiones, & literas primum de induciis propoſuiſſe, miſſo Beverningio; cui Gallus hunc menſem dilaturus*

pacis

1678. paci acceptandæ. Qvi ut frustra elabatur, Reip. haut consultum visum. Eandem qvoqve inducias sesqvimestres post elapsum hunc mensem à Gallo oblatas fœderatis noxias censere; qvod his eo spatio ad certi qvid decernendum haut opus sit, ac ea mora interposita Hispanicas provincias plane pessum itura sint. Eis qvia Gallus hasce inducias Resp. tantum, non fœderatis, qvicquam non qvæsierint, annuerit; ubi his easdem sibi necessarias judicarint, prius super iis tractandum fore. Denique si Resp. sesqvimestres hasce inducias amplecti velit, prius in medium statum cum pacto de auxilio fœderatis haut ferendo consentiendum; qvo casu difficilius fore fœderatis aliqvid satisfactionis à Svecis obtinere. Qvia autem Resp. pacem hanc, ad qvam indeclinabilis necessitas compellat, non nisi junctim cum fœderatis perficere cupiat, si modo ulla ratione id fieri qveat; inde sibi injunctum fœderatos qvoqve ad pacem amplectendam hortari, & ut circa conditiones moderationem adhibeant, ac decretoriam suam sententiam paucos intra dies Ordinibus Hagæ congregatis significent, qvi consultationes suas eousqve suspenderint, ita ut in præsens res adhuc integra sit. Præterea & sibi injunctum apud Gallicos legatos operam impendere mitigandis conditionibus, qvo fœderatis eo magis satisfiat: tum ex iisdem scisciscari, qvid per plenam Svecia satisfactionem sibi velint; & num pacem cum iis, qvi cum Gallia transigere velint, concludere placeat, non expectato commerciorum cum Svecis tractatu, qvi nondum susceptus sit. Ad ista Gallos reposuisse; circa pacis conditiones sibi haut integrum qvid mutare. Svecis se moderationem persvasuros. Pacem qvi secum inire velint, eam à se subscribendam. Resp. apud fœderatos suos operam daret, qvo pax communis fiat. Se qvoqve nil officii intermissuros, qvo Gallia fœderati ad idem permoveantur; ac Oxenstiernam declarasse, pactum circa commercia vel intra unum diem perfici posse. Igitur Remp. nosse velle, num fœderati ad acceptandam pacem parati sint. Eam eqvidem fœderum haut immemorem esse. Sed nullum fœdus ad extremum exitium expectandum adstringere, ni idonea ratio id evitandi demonstretur. Remp. si maxime pacem ineat, haut eo secius fœderibus staturam, ac fœderatis utilem operam navaturam; modo super his mentem suam exponant. Addebat tamen Beverningius; ni fœderati pacem simul occupent, forte tunc sperata satisfactione haut potituros; præsertim cum vis fœderum post pacem ultro expiratura sint. Ad hæc Cæsarei scisciabantur: num Resp. haut expectatis sociis separatam pacem inire velit? ac num Gallo absqve Svecis pax placeat? Ad ea Beverningius: Remp. nondum certi qvid statuisse; nec sibi constare, an, & qvid eadem 1678.
ante finem hujus mensis decretura, ac num dilationem termini petitura sit. Suo tamen nomine confirmare posse, à Rep. pacem necessariam habori, à qva & eadem divelli haut possit. Sed num Gallus absqve Svecis pacem facere velit, id ejus legatos haut diserte exposuisse. Ad hæc Balbasius: statum Belgii Hispanici esse, prout eum Beverningius descripserit. Ei ni fœderati omnibus viribus subveniant, idem plane Gallorum libidini expositum. Hispaniam ab initio non sine ingenti suo damno communi causæ succurrisse. Sed post distractas ejusdem in Sicilia, Catalonia, & alibi vires Belgii necessitatibus non prout par subveniri potuisse. Spem de Anglia conceptam nunc evanuisse. Reliqvos fœderatos sua recuperasse; solam Hispaniam sua amisisse. Qvod Villa Hermosa certis conditionibus super pace declaravit, id à se nunc repeti. Sumto ad deliberandum spatio fœderati postridie convenerunt. Ubi Gurcensis disserebat: *Cæsarem semper tam circa pacem, qvam bellum fidi fœderati officium expleviſſe. Ejus exercitus semper ad rem gerendam in præsto fuisse, ubi, & qvomodo fœderatis placuerit. Eundem superiore anno, dum fœderatis desiderantibus exercitum versus Belgium mittit, Friburgum amisisse. Idem cum semper judicarit, haut efficacius remedium honeste pacis curandæ esse qvam strenue bellum persequi, eo agrius nunc laturum, Belgas pacem sibi necessariam ducere, si exitium declinare velint. Rem exoptatam Gallo fore, si fœderati hoc modo separentur; in qvam ipse consentire non possit. Esse inter Christianos rem hactenus inauditam, ut victor licet adverse parti, prout nunc Gallus præsumat, leges dictitet, super qvibus tractationem suscipere non liceat, sed qvæ velut ex imperio profecta sint acceptanda. Qvis & agendi modus arguat, Gallo pacem haut qvidqvam cordi esse. Alias Cæsari pacem in votis esse, sed qvæ omnes fœderatos complectatur. Ipsos Belgas agnovisse, à Gallo latas conditiones iniqvas esse; nec ipsis placere, ut fœderati eas ita pure acceptent; operam qvoqve circa easdem moderandas obtulisse. Same se alternativam circa Philipsburgum, & Friburgum acceptare non posse; super ea tamen tractare paratos, ac qvamprimum mandata à Cæsare expectare. Interim nil eorum omissuros, qvæ paci promovendæ faciant; ac postulare ut Belgæ officium interponant Gallis ad æqva admittenda permovendis, ac ut hi cum ipsis tractationem suscipiant, omnem moderationem adhibere paratius utqve Resp. non minus fœderatorum, qvam propria emolumenta curet; ut denique Ordo-*

nibus

1678. *nibus Imperii à Gallo læsis ex æqvo satisfiat.* Balbasius inde: extremum Belgii periculum manifestum esse, nec fœderatis expedire Hispanos eo expelli. Non amplius sui arbitrii esse pronuntiare, qvid facere, aut omittere velint. Amplectenda sibi proposita, velint, nolint. Ideo autem Hispaniæ Regem à reliqvis fœderatis haut separandum, sed qvæ ex fœderibus debeat pace, ac bello præstiturum. Post Blaspielus: *Electorem ante bellum sedulo laborasse, ut Gallorum arma Belgis averteret. Id cum non succederet, enixam operam navasse restingvendo bello, & reducendæ communi qvieti. Eum unicum scopum fœderum, ac inde susceptorum periculorum fuisse. Sibi qvoqve injunctum pacem omnibus viribus ad normam fœderum promovere. Jam Belgas ostendisse, ni pax occupetur, suæ Reip. pereundum, addito tamen, ut pax junctim cum fœderatis fiat, qva unica ratione eidem firmitas concilietur. Spem qvoqve sibi esse, Remp. haut ideo conventis cum Electore se subtracturam, nec concessuram, ut eidem sua pace fraudis qvid accersatur. Gallum qvoqve proposita pacis formula Electoris mentionem haut fecisse, cum hic tamen, qvid à Gallo juxta, Svecoqve postulet, ediderit. Conditiones qvoqve pro Svecia ita enormes, & ei qvod Resp. ex fœdere debeat ita adversas, ut super iis agi neqveat. Unde Reip. ante omnia id curandum, ut Electori tractandi copia fiat, qvo is una cum Rep. & aliis pace potiri qveat.* Heugius sententiam suam de scripto recitabat, cujus summa erat: si utiqve Belgas necessitas ad pacem compellat, ea tamen observarent, qvæ Regi Daniæ ex fœdere debeant. Canon: ob angustiam temporis nondum se Principis sui declarationem super alternativa accipere potuisse. Eum maxime omnium pacis cupidum, per qvam reditum in ditionem suam speret: sed conditiones esse intolerabiles. Prima parte Gallum sibi deposcere Ducatum Barrensem, qvi triginta qvinqve milliaria in longitudinem, sedecim in latitudinem pateat, & viginti sex oppida, sexcentosqve amplius vicos complectatur. Altera parte postulare Nanceium cum via per totam Lotharingiam Metim, & in Alsatiam, atqve Burgundiam, addito Marsalo, & Jametio. Atqvi præter tres istas munitiones Duci ne arcem qvidem superesse, in qva plus ipsi securitatis, qvam provinciali cuipiam nobili sit. Nec integrum ei fore vel leporem venari, qvo minus aliqvem locorum tangat, qvæ Gallus in transitum sibi deposcit, ut nunqvam litium materia sit defutura. Igitur nemini mirum videri posse, si Dux in exilio manere, suumqve jus sibi integrum servare malit, manente penes fœderatos suos obligatione ipsius restitutionem promovendi, qvam in noxiam transactionem consentire. Ducem confidere promissis suorum fœderatorum, & amicitia Daniæ Regis, atqve Electoris, hucusqve ita generose exhibita; qvos nunc roget, ut operam dent, qvo Dux honesto modo bellum ponere qveat, ac ejusmodi conditiones ipsi ferantur, per qvas libertati, & honori suo cautum sit, nec iisdem periculis, qvibus defunctus Dux, à Gallo obnoxius agat. Ista Belgæ ad Ordines se relaturos pollicebantur. 1678.

§. 36. Cognito Belgarum decreto Hispani hisce declarabant, se conditiones à Gallo propositas acceptaturos, ut tamen sibi prius caveatur, Gallicas copias, qvamprimum pax conclusa, & subscripta fuerit, territorio Hispanico educendas; ubi pax ratihabita fuerit loca pace conventa statim avocato Gallico præsidio Hispanis tradenda: deniqve Puicerdam, & alia loca interim à Gallis capta, utut de iis in proposita formula mentio facta non sit, itidem restituenda. Qvæ postulata Belgæ probabant, eaqve Gallis exponebant. Sed hi de reddendis statim cum ratihabitione urbibus abnuere, ac contendere, eas se tamdiu detenturos, qvoad cum Svecis qvoqve transactum sit. Tum nec libera commercia Belgis prius permittere, & qvæ super piscatione convenerant retractare, non obscure innuentes, utriqve parti integrum esse ad arma redire. Qvod postulatum omnibus inexpectatum juxta, atqve iniqvissimum videbatur; ac satis adparebat, Gallos hucusqve Belgis blanditos, qvoad hos in casses suos pellexissent; nunc obtento qvod optaverant, alios vultus induere. Ac multi svadebant, extrema qvævis potius tentanda, qvam ferendum, ut hoc modo sibi illudatur. Sane manifestum erat, omnes Gallorum artes eo tendere, ut fœderatos dividerent. Et qvia Arausionensis, & cordatissimus qvisqve procerum concordiam & conjunctionem inter fœderatos commendabant, isti contra factiones in Hollandia excitabant, pertractis in partes suas Amstelodamensibus, atqve Leidensibus, per qvos cupita pervicturos se confidebant. Galli qvoqve variis mendaciis sparsis diffidentiam inter fœderatos serere satagebant; modo Cæsarem, modo alios tractatione cum Gallo occupari. Tum modo huic modo alteri fœderatorum innuebant, Regem ipsi favere, & amicitiam cum eodem instaurare cupere. Qvin & Danos, atqve nostros invicem suspectos reddere

Hispani pacem certis conditionibus acceptant.

Gallis super restituendis urbibus difficultatem movent.

1678. dere conabantur, his teſtantibus, ſuorum Principum animos, ac rationes inſeparabiles eſſe. Cum etiam Belgæ Gallis ſuper includenda paci Clivia proponerent, qvod Reip. ſecuritati non minus ex eo latere, qvam è Brabantia cautum eſſe oporteat; hi iſta adſpernati jactabant, ex his ſe colligere, Reip. pacem cordi non eſſe. Ac Regem utiqve Cliviani, & vicina ſubacturum, ac Veſaliæ pede fixo Electorem, aliosqve coacturum, ut Svecis erepta reſtituant: qvin de hoc negotio ne ad Regem qvidem relaturos, eminente præcipue Colberti iracundia. Et referebant Belgæ, Gallos indies plus offenſæ in Electorem oſtendere, qvalem antea non obſervarint, cujus cauſam conjectando aſſeqvi neqveant. Ac eos obnixe contendere, circa conditiones pacis à Rege nil mutationis admiſſum iri, ſed oportere, ut Svecus amiſſa omnia recuperet. Et qvanqvam Belgæ demonſtrarent, hanc non eſſe viam ad communem pacem; Gallos qvoqve antea aliter locutos, nec ipſos Svecos ita duros eſſe, ac Electori utiqve ut ſatisfiat par eſſe; his tamen inſuper habitis iſti dixerant; ſi maxime Svecus nonnihil remittere velit, id tamen Regem ſuum non paſſurum, cujus gloria non patiatur fœderatum, qvi ipſius in gratiam arma ceperit, vel latum digitum terræ amittere. Belgæ
20. Jun. igitur ut extremam Gallorum ſententiam cognoſcerent, tractatum de pace, & commerciis juſta forma adornatum Gallis mittebant, additis literis; ſe paratos eſſe paci ante exitum hujus menſis perficiundæ, ac extra dubium ponere, dum ratihabitiones hinc inde traduntur ſibi Trajectum ad Moſam, & alia loca limiti firmando Hiſpanis reſtitutum iri. Sed Galli remiſſo ſcripto ex legatorum ore declarationem percipere cupiebant. Accedentibus Galli dicebant; ſe promittere non poſſe, Regem loca iſta, dum ratihabitiones permutantur, redditurum. Sibi qvidem in neutram partem circa id negotium qvid mandatum; ſed eo nomine in aulam ſcripturos. Ita pax adhuc in ancipiti erat, qvam Cæſarei, & Dani irritam fore credebant, qvod non exigui momenti eſſent, qvæ movebantur difficultates. Sed Blaſpielus cenſebat, Belgas haut eo ſecius pacem amplexuros, qvod Amſtelodamenſes eam utiqve vellent, & Beverningius vitæ ſuæ metueret, ſi ea non ſuccederet. Unde hic temperamentum meditabatur ſuperandæ huic difficultati; ac jam propoſuerat, ea circa qvæ convenerit perfici poſſe; reliqva intra tempus ratihabitioni præſtitutum expedienda. Sed & legati Gallici innuebant, qvæ circa detentionem urbium Hiſpanicarum propoſuerint, è privato ſuo judicio profecta: ſed ſe Regis liqvidam ſententiam exploraturos; qvod indicio erat, eos poſtulato iſti haut mordicus inhæſuros. Cæterum confirmabat Beverningius, ſe formulam pacis ita concinnaſſe, ut Reip. integrum futurum ſit fœderatos ſuos auxilio ſublevare. 1678.

§. 37. Aſt Belgæ ut Regis mentem explorarent, literis ad eum datis declarabant, *Belgarum ad Regem Gallia litera. 21. Jun.*
latum ſibi fuiſſe reſponſum Beverningio datum. Ut autem Regis ſtudio pari ardore reſpondeant, eiqve qvantum poſſint ſatisfaciant, nil qvidem ſe omiſiſſe, ut fœderatos ſuos ad acceptandas propoſita pacis conditiones permoveant. Et qvanqvam promittere non poſſint, ab omnibus dictas conditiones admiſſum iri; ſe tamen legatis ſuis Neomagi injunxiſſe, ut ante finem hujus menſis pacem abſolvant, & ſubſcribant una cum iis fœderatis, qvi ad idem parati ſint. Qvia autem conſtet, Regem qvoqve Hiſpaniæ una cum ipſis pacem amplexurum, ſe rogare, ut Rex ſuis injungere velit hoſtilia omittere, & ſub finem hujus menſis copias Hiſpanico territorio deducere; tum ne maritimi excurſores navibus ipſorum piſcationi vacantibus amplius inſultent, ac ut navibus mercatoriis tuti itineris diplomata concedantur. Se gemina facturos, & hoc ipſum inſtauranda amicitiæ ſpecimen fore. Ad *Regis reſponſum. 10 Jun.*
eas literas Rex multa cum verborum humanitate reſpondebat: *E facilitate, qvam ipſe circa pacem attulerit, Belgis in proclivi eſſe judicare, qvam grata ſibi ipſorum litera fuerint, qvibus ſignificent, legatis ipſorum mandata ad abſolvendam pacem miſſa. Spem qvoqve tranqvillitatis univerſæ Europæ reſtituendæ ex eo gliſcere, qvod ipſi confirment, Regem Hiſpaniæ eodem tempore pacem acceptaturum. Judicare qvoqve, reliqvos fœderatos moram paci non facturos, qvi hucusqve qvicqvid operæ ipſi adhibuerint, ad tantum opus omnibus magnopere exoptatum concurrere noluerunt. Interim uti pax, qvam non dubitet qvin juxta promiſſa ab iis facta Neomagi jam perfecta ſit, ſibi facultatem præbitura ſit affectum in ipſos ſuum plene expromendi, cujus effectum ab iisdem ſentiri voluptati ſibi futurum: ita ſe precibus eorum dare, ut ab hac hora in Belgio hoſtilia ceſſent, nec navibus Belgicis moleſtia qvid inferatur; utut alias uſus ferat, res usqve ad traditas hinc inde ratihabitiones in præſenti ſtatu permanere. Qvanqvam autem nondum inſtrumentum ſubſcripta pacis acceperit, in ipſorum tamen gratiam Luxenburgico injuncturum, ut exercitum è vicinia Bruxellarum dimotum intra terras Gallicæ in præſens ditionis retrahat; ac*

ut

1678. *ut cum Villa Hermosa conveniat, qvid præfectis copiarum, quæ circa Montes relinqvere necesse sit habeat, observandum, qvoad ratihabitio cum Hispanis permutata fuerit. Nec minus securitatem mari restituere velle. Et qvanqvam formula pacis loca, & tempora designata sint, intra qvæ prædas agere licitum sit; se tamen in usum Belgicarum navium sufficientem numerum diplomatum legatis suis Neomagum missurum, inter eos qvi opus habeant distribuendorum. Idem & Hispanicis subjectis in Belgarum gratiam facturum, qvo & hi absqve solitis ambagibus pacis dulcedinem degustare possint. Ut tamen parta Gallicis navibus præstentur. Ita ipsos novo isthoc amicitiæ specimine cognituros, se eundum animum cum antecessoribus suis, qvi tam multa ad ejus Reip. incrementa contulerunt, servaturum, nec qvid omissurum, qvo hæc deinceps felicior, ac florentior reddatur.* Etli suspensio illa armorum in Belgio irrita fuit, qvod Luxemburgius tractu circa Montes Hannoniæ decedere nollet, ut annona eam urbem excluderet, cum Villa Hermosa contenderet, inducias ad omnia loca porrigendas.

Belgæ restitutionem urbium urgent. 23. Jun.

§. 38. Ast Belgæ interim decreverant, si Gallus urbes sibi, atqve Hispanis restituendas retinere pertendat, qvoad Svecis satisfactum sit, nec easdem cum ratihabitione reddere velit, sese bellum persecuturos: simul in Angliam mittebant, ut vel Rex iste Gallum permoveat eo postulato cedere, vel bello contra Gallum sese accingat. Ad hoc decretum cordata Arausionensis declaratio plurimum contulerat. Se qvippe nimio Reip. circa pacem desiderio perspecto demum contra animi sui sententiam eodem descendisse, ac qvantum in se negotio promovendo incubuisse. Sed cum nunc perspiciat, uti Gallus Reip. facilitate ad eundem illudendam, ac in casses pertrahendam abuti velit, jam citra ambages pronunciare, id se nunqvam concessurum, si vel omnia sua sint impendenda: nec ab hac sententia ullo Ordinum decreto dimotum iri. Ita cum Ordines in ejus sententiam concessissent, is protinus in Brabantiam ad exercitum profectus est. Prudentes tamen metuebant, ne Gallus hac constantia perspecta postulato suo desisteret; præsertim cum sat virium adhuc præsto esset, modo fœderati recte iis uti, ac conjunctioni firmiter insistere vellent. Sane Elector animo comprehendere non poterat, qvæ nunc necessitas Remp. ad tam turpes conditiones admittendas cogeret, cum tamen ab initio, insessis à Gallo munitissimis urbibus eadem tantum constantiæ exhibuisset; qvam nunc plane defeciisse mirum erat. Novissimo qvippe Ordinum Hollandiæ consessu, cum super motis à Gallo difficultatibus consultaretur, simul demonstraretur, qvam parum securitatis Resp. repertura sit in pace, qvalem Gallus velit, qvæ brevi longe atrocius bellum paritura sit à fœderatis destitutæ, qvos ipsa nunc deserat: Leidenses responderant; eas esse curas in longum prominentes, qvæ in præsens morandæ non sint. Nunc pace opus esse, qvæ insuper habitis omnibus scrupulis occupanda sit. Post pacem de securitate consultandum. Et suggestum fuerat ei factioni à Gallis, Arausionensem cum Anglo colludere, ac infesta libertati Belgicæ struere. Qvi Reip. morbus cum Gallis perspectus esset, eo fidentius isti destinata sua persequebantur. Unde & de hac conditione hactenus siluerant, Belgis, & Hispanis illudendis, qvo hosce à sociis disjungerent. Qvod cum obtinuisse viderentur, jam Colbertus magna cum ferocia pronunciabat; Regem non magis Trajectum ad Mosam, qvam alia loca ante Svecos restitutos redditurum. Nam hanc esse conditionem primo articulo propositam, à qva ut discedatur Regis gloriam haut concedere. Remp. dum pro se, & Hispanis oblatas pacis conditiones acceptat, haut stipulatam, ut traditio urbium eodem tempore cum permutatione ratihabitionum fieri debeat; ac Regi expedire, ut easdem retineat, qvo Resp. operam simul navet fœderatis suis ad Svecorum in integrum restitutionem permovendis. Ad qvæ Beverningius: restitutionem Sveciæ non à Republica, qvæ nihil ad eos spectans teneat, sed ab aliis pendere, qvibuscum super eo negotio agendum sit. Expressa stipulatione circa restituendas conventas urbes opus non fuisse, cum ex ipsa negotii indole fluat, restitutionem conventorum perfecto tractatu fieri debere, ni is, à qvo aliqvid restituendum est, prolationem termini sibi stipulatus fuerit. Regem qvoqve restitutionem istarum urbium, qveis limes firmandus, in securitatem Reip. promisisse, qvæ absolutis pactis fieri debeat, cum alias Resp. nil cautionis habeat. Denique fœdera, qvæ Reip. cum sociis intercedunt id non pati, cui non minor cura pro his, qvam Gallo pro Svecis gerenda sit.

Super Gallorum tergiversatione consultatur. 2. Jul.

§. 39. Super hac Gallorum tergiversatione Ordines Hagæ per delegatos fœderatorum sententiam exqvirebant, qvomodo id obstaculum è medio tolli, aut remedium inveniri qveat, qvo meliores conditiones obtineri qveant? Testabantur tamen,

1678. men, si bellum continuandum sit, id propriis fœderatorum viribus atqve sumtibus faciendum, qvod penes Remp. non sit pecunias, & alia necessaria suppeditare. Ad hæc ministri fœderatorum: suos Principes non minus qvam Belgas pacem cupere, modo ea stabilis, ac honesta sit: in turpes Galli conditiones consentire non posse. Eadem mens si Reip. sedeat, spem esse meliores conditiones obtentum iri. Tum exprimebant, qvantum copiarum qvilibet fœderatorum exhibiturus sit, valido contra Gallum exercitui formando. Ac eo
6. Jul. ipso tempore Levvius, & Templius ex Anglia reversi de indignatione Anglicæ nationis in Gallum memorabant, & qvod huic pax cordi non sit; præsertim cum idem Anglo significarit, ne Sunderlandiæ Comitem ad se mitteret, qvod ipse de capta sententia decedere nolit. Unde spes de Angli in Gallum armis reviviscebat; ac Templius de conditionibus fœderis proponebat, super qvibus Hollandicarum urbium sententia exqvirebatur. Sed Fagelius censebat, incertum esse, num Belgæ has conditiones admittere possint. Eqvidem si Anglus ad terrestrem qvoqve militiam, uti ad classem tertia plus parte qvam Belgæ contulisset, delegatos Belgarum in eventum concluso-ros fuisse. Sed hucusqve progredi sibi haut licuisse. Id qvod illis, qvi tam multa sibi de Anglo promiserant, inopinum valde accidebat, qvod Anglus, qvi tam ampla super Rep. sublevanda jactaverat, si bellum persequi placeret, nunc super re tam modica difficultatem moveret. Magis adhuc inopinum videbatur, qvod Templius testaretur, Regi pacem magis qvam bellum cordi esse, si circa restituendas urbes omnibus, qvorum interest, satisfieri qveat. Aut Elector his intellectis Belgas ad fortia consilia stimulare non omittebat. Eqvidem sibi haut ignotam dulcedinem pacis. Sed si cogitetur, qvam turpis, ac noxia hæc pax futura sit, Reip. ac toti Europæ jugum allatura; satius utiqve esse, onera belli paulisper tolerare, qvam subdolam pacem amplecti, qvam Gallus pro lubitu una cum limite subvertere qveat. Nec conditionem ab Anglo propositam adeo iniqvam esse, cum navalis militia longe majores impensas, qvam terrestris reqvirat. Qvi & sex eqvitum, qvatuor peditum, duas dimacharum legiones, qvæ novem bellatorum millia implebant, versus Belgium mittebat; qvibus si ratam partem reliqvi fœderati adjunxissent, exercitus XXX M amplius constans ad Mosam confici potuerat. Ac pronuntiabat Fagelius, si ab Electore promissis Monasterieusis IX M, Cellensis, ac Guelferbytanus totidem, Neoburgicus, ac Paderbornensis V M sistere, ac sustentare velint, Hispanicis provinciis consuli posse. Alias verendum, ne pecuniæ defectus, & qvia nusqviam idonea auxilia adparent, Hollandos ad pacem compellat. Nam præter alia immensa onera Remp. grande æs alienum CXL milliones contraxisse. 1678.

In Anglia denuo super bello Gallico movetur.

§. 40. Effecerat porro ista Galli circa reddendas Belgii urbes tergiversatio, ut cum antea in Anglia super exautorando exercitu ageretur, jam necessarium judicaretur eundem adhuc sub signis retineri; qvod Galliam tempus extrahere adpareret, ut soluto Anglicano exercitu facere posset, qvicqvid libido dictaret. Etsi Parlamentum inolita erga aulam diffidentia de compacto rem inter duos Reges agi suspicaretur, qvo prætextum foret cum exercitu diutius populum terrendi. Qvam suspicionem legatus Gallicus confirmabat, palam spargens, omnia jam transacta esse. Etsi idem privato sermone omnem istarum tricarum culpam in ferociam, & insolentiam Luvoisii conferebat. Decretum tamen, ut exautoratio exercitus in unum mensem differretur: ac omnes fremebant, si Gallus conventa loca reddere abnuerit, bellum eidem indicendum. Unde & cum legatus Svecicus Regi significaret, Gallum nisi plene restituta Svecia pacem haut facturum, hic reposuit: qvid Gallus Sveco promiserit, sibi non constare. Sed si Gallo ea mens sedeat, sibi utiqve in bellum contra eundem descendendum. Id qvod num Sveciæ rebus salutare futurum sit, se dubitare. Simul qvinqve adhuc legiones in Flandriam trajiciebantur. Idem Rex Sverino dicebat; ne Elector hac rerum facie consilia sua præcipitaret. Vicissim Elector Sverino injungebat, ut Regi confirmaret, se omnes suas fortunas, qvin ipsam vitam amittere malle, qvam omnia, tanto sumtu, ac sangvine adqvisita reddere. Tum ut omnibus modis Regem ad arma stimularet, ea tamen circumspectione, ut si forte ab hoc res haut serio agatur, Gallo haut nova offensæ materia nasceretur. Eidem qvoqve suspicionem adimeret, qvasi ipse de bello deserendo agitaret. Eqvidem postqvam Belgæ, ac Hispani cum Gallo super pace convenerint, & Anglus magis qvietem qvam bellum affectare visus sit, à se qvoqve desiderium cum Gallo transigendi ostensum. Sed si partes firmæ perstent, ac Rex arma simul moveat, omni se vi bellum persecuturum. Porro instabant tunc apud Regem legati Belgici, ut is apud Gallum of- a. Lux.
ficium

1678. ficium interponat, qvo Clivicis provinciis parcatur. Ad qvod Rex reponebat: haut decorum sibi eam intercessionem apud Gallum suscipere. Nam postqvam hic semel circa reddendas urbes Flandriæ sibi abnuerit, haut libenter iteratæ repulsæ ansam præbere velle. Sed & nulli usui fore hanc intercessionem. Nam si Gallus circa urbes remittat, restituto Trajecto ad Mosam facultatem ei defore invadendæ Cliviæ. Ast ubi urbium restitutio non fiat, alia qvoqve sibi consilia capessenda, per qvæ Galli plane à vicinia Reip. amoveantur. Nec enim à se ferri posse, ut Gallus in Flandria potentior fiat, aut alia parte finibus Uniti Belgii immineat. Sed Angli judicabant, per ejusmodi mollia nihil profici, ac Belgas potius declarare debuisse, pacem à se admitti non posse, ni Clivicæ ditiones extra belli contagium ponantur. Unde credebant, Belgas haut concessuros, ut pax ad hoc postulatum adhæresçat; sed eam intercessionem tantum ideo qværi, ut Electori excusare possint, se omnia, qvæ penes se sint, feciſſe servandæ Cliviæ. Cæterum qvia Rex concedere neqveat à Gallo Belgium subigi, id qvod in proclivi erat, si pedem in Clivia figere daretur: eundem qvoqve hujus provinciæ curam susceperturum, qvousqve ipsi Belgæ id desiderent; ac unice penes Belgas esse, ut alia consilia capiantur. Nam Regem paratum esse communi causæ se haut subtrahere, inprimis si Gallus plenam Sveciæ restitutionem urgeat. Igitur expedire, ut fœderatorum ministri Hagæ Belgis animos addant; qvo nunc se obstirment, nec qvid remittant. Nam è consiliis, qvæ jam Hagæ capienda sint, ejus Reip. & omnium reliqvorum salutem unice pendere, nec tam egregiam occasionem, qvalis nunc se offerat, nunqvam deinceps redituram. Ac nemo non agnoscebat, inanem fore limitem in Flandria, si Gallis per Cliviam porta in viscera Reip. aperta relinqvatur. Et sane jam bona fide Anglica aula incalescere videbatur; qvæ utut tenui hactenus in arma cupidine nunc deprehendebat, nil securitatis tam pro Anglia, qvam reliqva Europa extra belli persecutionem reperiri. Accedebat, qvod Galli variis insultationibus Anglum subinde irritaverant. Sane legiones, qvas Anglus Gallo per hoc bellum commodaverat, hoc postulante remittebantur qvidem, sed admodum contumelioſe habitæ; qvo nomine Eboracensis, & Monomuthensis cum legato Gallico asperrime expostulabant. Duæ qvoqve naves Gallorum bellicæ uni Anglicanæ suppara submittere abnuerant, causatæ, à Rege sibi injunctum in freto Britannico non solum aliis summa vela non submittere, sed & alios ad id honoris signum sibi exhibendum compellere. Sed & tunc è Flandria militaris præfectus veniebat, qvi cum Gandavum transiens diploma tuti itineris à Rege Angliæ ostendisset, Gubernator Gallicus nomen suum supra Regis nomen adscripserat, ac præfecto monente, id honori Regis repugnare, iste plane Regis nomen induxerat, addito, *hoc Rex Angliæ nihil significat*. Enimvero tota res ad consilium à Belgis capiendum referebatur, circa qvod maturato opus erat, anteqvam dies exautorando exercitui dicta veniret, ac diffidentia Parlamenti erga Regem ingravesceret. Nam Anglus negabat tutum sibi esse in arma prius erumpere, qvam de Belgarum constantia sibi cautum foret, qvorum enorme pacis desiderium, & suspicionem in Araulionensem satis norat. Interim Anglus legionibus suis in Flandria agentibus mandaverat, ut Arausionensi reqvirenti se jungerent, qvi tunc expeditioni se accingebat. Suberat tamen adhuc dubium, qvod Belgarum decreto de bello persequendo, ni Flandriæ urbes reddantur, hæc conditio annexa foret, si Gallus restitutionem negare pergat. Unde agnoscentibus ipsis legatis Belgicis bellum cessaturum erat, statim atqve Gallus restitutionem annueret; qvi sine dubio cedendo bellum ab Anglo declinaturus erat; præsertim cum is nuper classem in America sub insula Tobaga amisisset, qvæ in syrtes antea incognitas ibi impegerat. Sed & Sveci ferebantur Gallum rogare, ne isti conditioni mordicus inhæreat, sed Belgis, atqve Hispanis conventa loca reddat ea lege, ut Belgæ se obstringant ad medium statum exacte observandum, nullo fœderatis auxilio præstito. Dicebatur etiam Gallus per literas declarasse, non præfracte se urbium detentioni institurum, modo Belgæ aliud temperamentum proponere norint. Deniqve & suspectum erat, qvod cum Anglus decretoriam Galli sententiam exqvisiturum se ferret, ei missioni Sunderlandiæ Comes adhiberetur, Gallo plane addictus. Qvin & legatus Gallicus in Anglia palam dicebat; à Rege suo pacem serio expeti, nec eam è manibus amissuram, modo Svecus ullo modo in eam consentiat, ac circa hunc temperamentum inveniri qveat. Addebat Beuningius, Gallo pace opus esse, ne sua commercia penitus destruantur. 1678.

§. 41. Interim super novo fœdere inter Angliæ Regem, & Belgas à Templio Hagæ proponebatur, cujus conditiones hæ forent, *Novum fœdus inter An-*

1678. forent, ut fundamenti loco conventio
9. Jul. menſe Januario inita ſubſternatur. Ut pax non niſi utrorumqve conſenſu ineatur ad conditiones ibi expreſſas: ut Belgæ merces Gallicas interdicant: ut in terreſtri militia Angli tertiam partem minus qvam Belgæ præbeant, Anglis viciſſim tertiam partem navium plus qvam Belgæ exhibituris. Circa iſthoc fœdus multi è Belgarum proceribus dubium movebant, qvod eo admiſſo negotium pacis plane collapſurum ſit, Gallo qvoqve jactaturo, ſe non amplius conditionibus, qvas Reip. obtulerit teneri. His ut ſatisfieret proponebatur, ni pax intra qvatuordecim dies perficeretur, fœdus ratum eſſe debere. De qvo Amſtelodamenſes,& Leidenſes, qvi fœderi qvam maxime renitebantur, deliberaturi erant. Qvibus & non parum ſcrupuli injiciebat, qvod cum Arauſionenſis fœderatorum copias ad Moſam conſiſtentes in Brabantiam invitaret, Montium liberationem ſimul ſuſcepturas, iſtæ iter prius inire abnuerent, qvam de annona ſibi à Belgis, & Hiſpanis proſpectum eſſet; Principe admodum dolente, hac tergiverſatione ſummam negotii corruptum iri. Decretum tamen; Gallo ſpatium deliberandi ad d. 5. Auguſti ſt. n. concedendum, ut circa illa, ad qvæ pax hærebat, liqvidam declarationem edat. Qvia autem Gallus de exiſtimatione ſua heic agi ferebat Sveci credebantur eam rogaturi, ut iſto poſtulato deſiſtat. Sane Angliæ Rex, & Eboracenſis Olivecranzio dixerant; Svecum, ni Gallum ad tradenda oppida permoveat, ſibi male conſulturum. Demum & fœdus cum Anglo in has leges concluſum: ut fundamenti
14. Jul. loco ſit conventio menſe Januario inita: ut Belgæ tertiam partem militiæ terreſtris plus qvam Angli, hi tertiam partem navium bellicarum plus qvam Belgæ præbeant: commercia in Galliam interim unum in annum vetita ſint: fœdus hoc Kalendis Auguſti ſt. v. initium, & effectum ſuum ſortiatur, ut ſi intra id tempus pax non fiat, utrinqve conventa præſtentur: ſi Galli ante id tempus elapſum iterum in arma erumpant, ac hoſtilia in provinciis Hiſpanicis exerceant, Anglus protinus bellum iis indicat, ac terra mariqve rem gerat. Ac judicabat Arauſionenſis, Anglum utiqve in arma eruptorum; qvi & protinus id fœdus ſe ratihabiturum declarabat, ac II M eqvites in Flandriam trajici jubebat. Ita jam totum negotium in eo vertebatur, num Gallus conventis oppidis ante Svecorum reſtitutionem præſidia deducturus ſit. Interim fœderatorum miniſtri Hagæ laborabant, ut ſi Gallus oppida citra exceptionem reſtituat, ſaltem Belgæ ſibi facultatem reſervarent fœderatis ſuis non minus auxilium præſtandi, qvam Gallus Sveco facturus ſit. Id qvod tamen ægre ſperari poterat, qvod Belgæ jam nimium Gallis conceſſiſſe crederentur. 1678.

§. 42. Aſt Galli ut impedirent, ne ab Anglo, & Belgis maſcula conſilia caperentur, per Montacutium novas pacis conditiones proponebant. Gallici qvoqve legati Neomagi, ut Belgarum animos confunderent, ſcripto exponebant rationes, ob qvas Regi ſuo fas ſit Trajecto ad Moſam, & aliis locis præſidia non deducere, qvoad Svecus ex aſſe ſit in integrum reſtitutus. *Totam qvippe negotiationem huic conditioni fuiſſe ſuperſtructam, qvamꝰ primum Belgæ, inde Hiſpani admiſerint, ac pacem ſe in eas leges inituros declaraverint; unde eos teneri ad exſeqvendam conditionem, qva Sveciam ſpectat, velut primo loco poſitam. Et cum iſtæ conditiones cum ipſa pacis ſubſtantia junctæ fuerint, non potuiſſe has in mente Belgarum ſeparatas eſſe, ut hanc admittere, illas rejicere velint. Et qvia Rex unum, idemqve negotium ex ſuis, ac fœderati ſui poſtulatis fecerit, non potuiſſe non Belgarum intentionem fuiſſe, ut iſte utraqve ſimul obtineat. Regem ſperare potuiſſe, cum tanti momenti urbes obreſpectum Svecia Reip. atqve Hiſpanis reſtituat, hos ſe viciſſim Regi ad reponendam in integrum Sveciam ſociaturos fuiſſe. Si tamen Regi hoc ab iisdem poſtulare haut placuit, ſaltem par eſſe ipſos non repugnare, qvo minus Rex conditionem exſeqvatur, in qvam iſti tam ſolenniter conſenſerint. Cum autem efficacius remedium Svecis reſtituendis non ſit, qvam bellum Brandenburgico Electori, & aliis provincias Svecicas poſſidentibus inferre, Regem huic fini utiqve opus habere oppidis per pacem reſtituendis ad tranſitus, & ſtruendum penum. Cum itaqve hic tractatus à Rege pro ſe, ac ſuis fœderatis tanqvam unicus ſit concluſus, par eſſe, ſi Belgæ conditionibus, qvas pro ſe ſtipulati ſunt, gaudere velint, ut viciſſim qvantum in ſe operam navent, circa exſeqvendi qvæ Rex ſibi, Svecoqve ſtipulatus eſt. Et cum Belgæ tempus non expreſſerint, qvando loca iſta ſint reſtituenda, inde colligi, eos nil aliud prætendere, qvam ut id tunc fiat, qvando omnes conditiones, qvas ipſi acceptarint, exſecutioni ſint datæ. Præſertim cum Belgarum intereſſit, Trajectum tamdiu à Rege inſideri, cum ipſi eam urbem ex pacto Hiſpanis tenerentur tradere.* Addebatur, *Regem multis jam ſpeciminibus oſtendiſſe, qva ſinceritate deterem cum ea Reip. amicitiam excolere cupiat; ac uti Hiſpanicis provinciis nil amplius*

Galli adhuc circa reſtitutionem urbium tergiverſantur.

1678. *plius noxæ inferre decreverit, sed id tantum agat, ut Electorem ad pacem cum Sveco ineundam compellat.* Ut tamen suspicionem abolerent, velut Rex post pacem ista loca in Belgarum, aut Hispanorum fraudem retinere velit, ulterius declarabant; si utiqve Belgæ ea loca statim post absolutam pacem sibi tradi cupiant, alia remedia ab ipsis proponenda esse, per qvæ Sveci sua recuperare qveant, super qvibus Rex cum Belgis convenire qveat; ac posse ipsos eo nomine aliqvem ad Regem mittere, ut id negotium heic, aut in loco tertio suscipiatur. Ejus declarationis aliqvo tmillia exemplarium impressorum per Belgium disseminabant; simul Schombergius copias à finibus Cliviæ retrahebat, ut nullum ei provinciæ à Gallis periculum amplius esse videretur.

Belgarum ad ista declaratio. 16/28 Jul.

§. 43. Ad ista legati Belgici prolixo scripto reponebant: *Ordines Generales considerato agendi modo à Rege circa finiendum hoc bellum adhibito, & qvo verborum candore adversus ipsos usus sit, persvadere sibi non posse, isthæc obstacula à generoso Regis animo procedere, sed potius ex artificiis eorum, qvorum privatis rationibus cum pax non congruat, ideo circa eam disturbandam laborent.* Inde enumeratis omnibus circa pacem actis, addebant; *ex iis clare perspici, Regis mentem non fuisse pacem differre, ejusqve effectus suspendere circa eos, qvi ad eam acceptandam parati sint, si maxime reliqvi adhuc eam aversentur; ac id tantum stipulari voluisse, ut ne qvi pacem acceptent, eam recusantibus ullo modo assistant; non autem, ut illi fructu pacis careant, anteqvam inter universos pax constituta fuerit. Porro Belgas nunqvam declarasse, se omnes à Rege propositas conditiones æqvas agnoscere; cum nunqvam probarint nisi qvæ ad se spectant; circa reliqva tempus petiisse fœderatis suis ad ista admittenda persvadendis. Ipsum Regem, cum satis prospiceret, fœderatos circa pacis leges acceptandas difficultates moturos, ultro declarasse, non obstante horum dissensu cum Belgis, ac Hispanis in dictas leges se conventurum, nec plus circa eos, qveis bellum perseqvi placeat, stipulatum, qvam ut isti erga hos medii status leges observent. Nunqvam autem postulasse, ut ipsi operam navent, qvo Regis fœderatis satisfiat. Qvin legatos Gallicos tota negotiatione de rebus Svecicis mentionem non fecisse. Nunqvam restitutionem urbium Hispanicarum, qvas Rex in vicem limitis in Belgarum, & Anglorum gratiam annuerit, à restitutione Sveciæ suspensam. Absurdum esse, omni Svecos in integrum restituendi illis velle impingere, qvi nil ad hos spectans eripuerunt, aut possident. Nec minus iniqvum esse, & legibus medii status repugnare, qvod Rex sibi usum eorum locorum deposcat, qvæ per tractatus pleno jure ad Belgas, & Hispanos pertinent, ad bellum horum fœderatis commodius inferendum. Nec ad rem facere, qvod tempus tradendarum urbium expressum non sit. Nam notorii juris esse, qvod effectus tractatuum nulla interposita mora permutationem ratihabitionis sequi debeat. Multo minus par esse, complementum suæ pacis suspendi à conditione, qvæ ab eventu ancipitis belli dependeat. Ut cum reliqvis fœderatis pax itidem amica ratione inveniatur, fidam se operam navaturos, ac petere, ut Rex viam sibi monstret, qvæ officium suum non sine fructu expromere qveant. Sed ut ipsi manum iis cogendis admovere debeant, iniqvissimum esse, ac ei contrarium, qvod ipse Rex rationi congruum putat: ac inauditum plane, amicos & socios ad id reddendum adstringere, qvod illi hostibus suis eripuerunt, ac per pacem necessitatem alicui imponi bellum fœderatis inferendi, qvibus à se nihil præscribi possit. Denique paci perficiundæ se paratos: sed si eadem ab iniqva conditione suspendatur, protestari, per se non stare, qvo minus negotio suprema manus imponatur.* 1678.

Galli adhuc tricantur.

§. 44. Mox Belgæ Neomagi denuo Gallis denuntiabant, Ordinibus Generalibus fixum sedere, urbes eodem cum permutatis ratihabitionibus tempore reddendas esse. De cætero gratum sibi fore cum Borealibus qvoqve fœderatis transigi posse. Cum Colbertus interrogaret, annon aliqva temperamenta in medium adferre nossent; Belgæ respondebant; sibi injunctum non modo nil tale proponere, sed & ab aliis oblatum haut admittere. Id qvod Galli ad Regem se relaturos ostendebant. Seqventi die Galli Belgis proponebant; qvia pacem nil amplius remoretur, qvam restitutio Sveciæ, cupere se ab ipsis temperamenta adferri huic difficultati tollendæ. Eo fine Regem Fanum Qvintini, aut plane Gandavum accessurum, si Resp. legatos eo mittere velit. Sed Belgæ reponebant; hanc missionem nulli usui esse, ac commodissime negotium heic tractari, ubi omnes, qvorum intersit, præsto sint. Nec Remp. unqvam induci se passuram, ut operam conferat cogendis illis, qvi Svecos suis provinciis expulerunt. De hoc Gallorum postulato cum Belgæ ad fœderatos referrent, hi magnopere eam missionem dissvadebant, nec sperare, in Boreali negotio qvid susceptum iri absentibus iis, qvorum interest. Heic legitimum agendi locum esse. Si qvid circa negotia sua fieri debeat, id per se expediendum, qvod

20. Jul.

1678. qvod tutoribus opus non habeant. Aſt Hagæ denuo decernebatur, legatos ad Gallum
26. Jul. non mittendos; ac Regi ante Kalendas Auguſti declarandum, qvæ circa reddendas urbes ſententia ſedeat, qvod neceſſum ſibi fuerit, poſtqvam Rex circa eas tergiverſetur, alia fœdera ſuæ ſecuritatis cauſa inire. Id qvod Galli non ſine offenſa accipiebant, ac præcipue Colbertus ira ardeſcens frenebat; iſthæc minarum inſtar ſibi videri, qvaſi Regem cogere inſtituant; ac ſe haut omiſſuros iſta protinus ad Regem referre, adhibito pari officio, qvale intelligat ipſos apud ſuam Remp. feciſſe, cum Regis deſideria huic expoſuerint. Enimvero ſimulata erat iſta ferocia. Nam Sunderlandiæ Comes Lutetia ſcripſerat, Gallum in traditionem urbium conſenſurum, ſi Sveci id deſiderent; ne videatur qvid poſtulaſſe, qvod pervincere non poſſit. Inde poſt acrem inter Gallos, ac Svecos diſceptationem convenit, ut Gallus hac lege in traditionem urbium conſentiat, ſi Belgæ fœderatis ſuis non adſiſtant, ac neutrum ſtatum obſervent. Ita Sveci è compacto Gallis ſcriptum tradebant hoc ſenſu. *Declaratio-*
Svecorum declaratio. *nem in Regis Galliæ de non reddendis urbibus, antequam Sveciæ ſatisfactum ſit, ita juſtam, ac generoſam fuiſſe, ut iſte plurimum gloriæ, ſuus Rex non minus voluptatis inde percepturus fuerit, ſi per eandem hoſtes ſui ad æqva adduci potuiſſent. Sed qvia vadem multum contradictionis invenerit, Regem Galliæ proſua ſapientia expenſurum, num ſatius ſit conventarum urbium reſtitutionem ad communem usqve pacem obtentam differre, an vero, qvod Belgæ petunt, in eam conſentire, qvo peculiarius cum Hiſpanis, atqve Belgis pax perficiatur. Eqvidem ſibi de Regis ſui mente circa hoc negotium non conſtare. Sed qvia in univerſum mandatis ſuis jubeantur in ejusmodi caſibus voluntati Regis Galliæ ſeſe attemperare, cujus ſtudium, & cura pro ſalute Sveciæ ſibi ſatis perſpecta ſit; Regi ſuo ſine dubio probatum iri, qvod iſti circa eam reſtitutionem ſtatuere placuerit. Ac ſe plane adqvieſcere prudentiæ Regis, cui haut defutura ſit facultas expediendi remedia gloriæ ſuæ convenientia, per qvæ plena reſtitutio fœderatis ſui pervincatur. Hæc publico ſe nomine, & ex mandato dicere. Privatam autem ſententiam ſuam hanc eſſe, qvod pro rerum præſentis ſtatu communibus rationibus proficuum, ac Galliæ gloriosum judicent, ſeparatam cum Hiſpanis, ac Belgis pacem abſolvi. Hoc enim modo amoveri duos hoſtes, eo magis reſpiciendos, qvod reliqvos pecuniis ſubleverent. Bellum qvod Anglia minatur declinari; qvo erumpente nullam reſiſtendi facultatem Sveciæ ſuperfore, ſi vel nil prater commercia ſpectentur. Intercipi vinculum, qvo Anglia, & Belgæ arctius combinantur. Sufflaminari gliſcentem Arauſionenſis autoritatem, ac firmari conſilia factionu, qvæ pro pace nititur. Effici, ut eorum deſtinata exprirent, qvi omnes Imperii Ordines arcte inter ſe colligare meditantur. Reliqvos fœderatos, qvi in bello perſiſtunt, ad rationem audiendam permoveri, & ſic viam communi pacis muniri; cujus ſpes inde alluceat, qvod bi ad rumorem pacis inter Gallum, & Belgas coalituræ turbari, ac flexibiles fieri viſi ſunt. Si manus dare nolint, fortius armis premi poſſe avulſis iis, qvi partibus iſtis hanc modicum robur addebant. Cumprimis autem ad gloriam Regis Galliæ facturum, (qvæ ab aliqvot retro annis ſupremæ rationis, ac legis in vicem allegari ſveverat,) qvod is pro arbitrio pacem orbi Chriſtiano dare, omnesqve hoſtium ſuorum machinationes perrumpere qveat, demonſtrato, aliam qvoqve viam reſtituendæ Sveciæ ſibi ſuppetere. Naſci qvoqve hoc modo Regi occaſionem expromendæ indignationis contra eos, qvi obliqvas per artes egregius ejusdem deſtinatus, ac gloriæ reluctari auſi ſunt. Simul errore liberari eos, qvi per malevolos ſeducti de candore Regis in hoc negotio dubitare cæperunt. Deniqve orbi demonſtrari, adverſam partem circa impediendam pacem agitaſſe; qvippe qvæ haberi poterat, ni iſti obluctarentur.* Cæterum conſtabat, Svecos ab Anglo, ut huc deſcenderent, permotos, qvi confirmarat, hac via ab ipſis amiſſa recuperari poſſe, ac Hiſpanos, Belgas, aliosqve, qvi pacem cum Gallo inituri eſſent, medios ſe geſturos, nec ipſorum hoſtibus auxilii qvid laturos; cujus rei ſe ſponſorem fore. 1678.

§. 45. Galli dehinc ſcripto declarabant; Regem loca Hiſpanis, & Belgis reſtituenda pace ratihabita, & publicata protinus traditurum; ſimul tantum lætitiæ præ ſe ferebant, velut omnia jam perfecta forent. Id ſcriptum autem ita obſcure, atqve intricate conceptum erat, ut Belgæ vix idoneum ſenſum aſſeqvi poſſent. Nam in eo poſitum erat, Regem conſtituiſſe omnia loca reſtituenda tamdiu detinere, qvoad Svecus ſua recuperarit; qvo deſtinato nunc deſiſtere velit. Qvo innui videbatur, Regem interim ſaltem aliqva loca detenturum. Dicebatur qvoqve Regem prætenſione ſua omnia loca retinendi deſiſtere velle confiſum Belgarum promiſſis: qvibus verbis qvid Rex, ejusvé legati ſibi vellent, Belgici legati neſciebant. Tum Belgas Gallo cauturos, Hiſpanos Galliæ, aut hujus fœderatorum hoſtibus nil auxilii laturos. Atqvi non memi- *Galli poſtulato ſuo deſiſtunt.* 28. Jul.

1678. memmerant Belgæ, Gallum ejusmodi cautionem a Rep. exegisse; nec minus sibi ignotum, qvid Hispani circa hæc promissuri sint. Injiciebatur qvoqve de satisfactione Svecica, de induciis, de annona Montibus Hannoniæ inferenda, de pace alio loco qvam Neomagi incunda, & plura alia, de qvibus isti nil in mandatis habebant. Ad ista Belgici legati reponebant: se pacem subscripturos, si Rex conventas urbes eodem cum ratificatione tempore tradat. De qvo Galli mandata sibi esse negabant. Tum contendebant, Belgis deinceps medium statum servandum, & hostibus Galliæ, ac Sveciæ nil auxilii ferendum. Belgæ id eo absurdius peti censebant, qvod Reip. nondum cum Svecis convenerit, à qvibus sui cives adhuc hostiliter habeantur. Eo qvoqve scripto extabat, Svecos concessisse, ac petiisse, ut Gallus antea promissa urbium detemtione desisteret; id qvod Oxenstierna initio factum inficiebatur, ac ægre id à se ferri simulabat; post tamen idem agnoscebat. Ex his porro Gallorum cavillationibus adparebat, ipsos certos esse, Anglum in arma non erupturum, & Gallicam in Hollandia factionem pacem urgere haut desituram. Qvam ob causam etiam credebatur Petrus Borellius ex ordine Amstelodamensi una cum Secretario Scapio huc missus, qvod Beverningio haut satis fiderent, saniora consilia sectanti, ita ut saltem ea conditio, ne Resp. fœderatis auxilium ferat, pacem remoratura non esset. Eqvidem Lira legatus Hispanicus jactabat, Hispanos nunqvam eo se adstringi passuros, qvo minus sociis ex fœdere debita præstare liceat. Sed qvibus verbis nil ponderis inerat, qvod Anglus Gallo promisisset, se Hispanos qvoqve ad neutrum statum inducturum. Alias è literis Pomponii ad Stradam datis adparebat, à Gallo pacem anxie desiderari, sic ut sine dubio aliqvid in gratiam fœderatorum obtineri potuerit, si res masculè, & constanter à Belgis acta fuisset. Sed jam antea sat timidos magis adhuc consternaverat, qvod cum certa spes foret Anglum in arma erupturum, Templius repente Haga Neomagum se conferre, & operam navare juberetur, ut traditio urbium à Gallo non amplius abnueretur, & pax cum Gallis, atqve Hispanis perficeretur. Ex qvo manifestum erat, Anglo nunqvam bellum in Gallum cordi fuisse: & ipse Templius iis mandatis indignabatur. Ita nulla amplius ratio pacem inhibendi supererat, exolescente in Anglum fiducia, in qvem omnis culpa separatæ pacis conjiciebatur.

§. 46. Advenerunt inde sub vesperam Haga ad legatos Belgicos mandata, ut legatis Gallicis demuntiarent; si Rex loca per pacem restituenda protinus cum ratihabitione tradere velit, ac Neomagi pax subscripta fuerit, Remp. aliqvot delegatos ad Regem missuram. Seqventi die summo mane Borellus legatos Gallicos accedebat. Inde post colloqvium cum iis habitum, iidem circa horam decimam ad Belgas accedentes dicebant; sibi decretum pacem absolvere, ac conventa loca cum ratihabitione tradere, tantum Trajecto ad Mosam, & Caroloregio retento, qvoad Svecis satisfactum sit: Belgis tamen in Trajecti vicem Gandavum tantisper consignandum. Super qvo postulato per integram horam disceptabatur. Sed qvia Galli norant, (velut qvibus per factionem suam de omnibus, qvæ Hagæ decernebantur, accurate constabat,) qvod legatis injunctum esset traditioni omnium locorum insistere, post brevem secessum declarabant: Regem ostentando immoto in pacem studio omnia loca, nullo excepto, qvo tempore pax ratihabenda, & publicanda sit, redditurum, prout Belgæ desiderent. Sibi qvidem in contrarium mandata esse, ac peculiariter, ut Caroloregii possessionem Regi, qvoad Svecis satisfactum sit, stipularentur; id qvod Colbertus multis cum exsecrationibus asseverabat. Sed qvia norint Regem hujus oppidi causa pacem haut remoraturum, se non dubitare, qvin Rex ipsorum declarationem probaturus sit. Ex adverso sibi spem esse, Belgas nil amplius difficultatis moturos. Qvo postulato haut opus erat, qvod Galli satis nossent Belgis injunctum, modo Galli circa retinenda loca remitterent, ipsi reliqva omnia annuerent, nec pacem ad aliud qvidqvam adhærescere paterentur, sed sine mora subscriberent, ut omnia ante Kalendas Augusti, qvæ dies in fœdere cum Anglo expressa erat, absolverentur. Ita circa adornandum tractatum satagebatur usqve ad horam tertiam pomeridianam, Belgis in omnia fere Gallorum postulata facilibus. Tum placuit omnia justo instrumento concipere, & ante mediam noctem subscribere. Accesserunt mox Galli ad seqvestres Templium & Jenkinum, declarantes, sibi cum legatis Belgicis super omnibus articulis, qveis aliqva difficultas fuerit, convenisse; ac res ita bene dispositas, ut hac vespera subscriptio fit facienda. Qvem actum apud ipsos obire velint, ut in partem honoris regio officio debiti veniant. Qvibus Angli reponebant: Cum à Rege suo ad generalem pacem procurandam missi sint, per sua man-

1678. Belgæ in pacem ruunt. 30. Jul. S. v.

31. Jul.

1678. data se conclusioni peculiaris pacis interesse non posse. Unde excusari velle, qvod hunc tractatum ullo modo tangere, aut apud se subscribi nolint, aut ipsorum nomen velut seqvestrium eidem inseri. Venere mox & Belgarum legati, eadem proponentes; qveis idem responsum datum. Observabatur, hos tanta mutatione non parum turbatos, ac nonnihil vacillare, nec inter se satis convenire. Beverningius de inconstantia consiliorum in Anglia qverebatur, ac vinci nesciis suspicionibus, qvas adventus Crossii in Belgio peperesit. Is enim eo ipso tempore, qvo Templio qvam maxime circa tractatum inter Anglum & Belgas Hagæ satagebat, huic literas attulerat, qveis protinus sese Neomagum conferre jubebatur, Svecosqve hortari, ut Gallo declarent, se non solum in traditionem urbium Flandricarum consentire, sed & ob commune bonum orbis Christiani propter peculiaria Sveciæ commoda pacem ne differat. Simul confirmaret, hac pace facta Angliæ Regem omnibus viribus connixurum, ut Sveci hoc bello amissa recuperent. Qvarum literarum argumento evulgato Anglus omnem plane fidem apud Belgas decoxerat: & qvia hic pacem optet, Beverningius nil Belgis superesse dicebat, qvam ut eam concludant. Sibi injunctum eam subscribere, postqvam Gallus redditionem urbium annuerit. Harenus de mandatis suis ita clare non exprimebat. Ac incertum est, utrum adventu Crossii ab Ordinibus Generalibus mandata ad legatos Neomagenses missa sint ad subscribendam pacem, etiam non consentientibus Hispanis, siqvidem Galli urbes Hispanicas evacuare velint: an vero id solius Amstelodamensis civitatis negotium fuerit, qvæ Beverningium misso Borello induxerit, promissa indemnitate, si maxime ipsius mandata aliam interpretationem admittere qveant. Sane hic magno impetu ad finiendum bellum rapiebatur, ac summam diligentiam circa perficiendum tractatum adhibebat. Ast Heugius, & Blaspielus, statim atqve congressum finitum resciscebant, Harenum adibant, ut ex ipsomet intelligerent, qvousqve negotium processerit. Eum ita perturbato animo reperiebant, ut vix nosset, qvid responderet. Demum fatebatur, rem confectam esse: bona an mala sit, superiores suos nosse debere, qvorum jussis sibi parendum fuerit. Cum Blaspielus qværeret; num securitati Cliviæ cautum sit? Harenus respondebat, super ea diu se cum Gallis disceptasse; sed extremum qvod obtinere potuerit fuisse, qvod Galli asseverarent, Regem finibus Belgarum haut nimis propinqvaturum: Remp. mandata legatis ad Regem mittendis super hoc negotio dare posse; qvibus qvin Rex gratificaturus sit, se non dubitare. Cum uterqve interrogaret, qvid super neutro Belgarum statu conventum; nec enim sperare, Belgas eousqve stringi se passos, qvo minus fœderatis auxilia ferre integrum sit; præsertim si Gallus facultatem sibi reservet Svecum sublevandi: Harenus respondebat; in id qvoqve consentiendum fuisse. Cum Heugius, & Blaspielus super hoc acriter expostularent, Harenus nil nisi humeros trahere, & excusare; se ministros esse, qvibus dominorum imperia sint exseqvenda, & qvæ hi faciant probanda: plus à se exigi non posse. Eo facto reliqvi omnes fœderati apud Kinskium conveniebant. Ubi Hispani magnopere qverebantur, Belgas cum ipsis, qvorum res præcipue agatur, ne minimum qvidem communicasse. Eqvidem provincias Hispanicas eo redactas, ut ab arbitrio hostium, aut amicorum pendendum ipsis sit: speraſſe tamen ab amicis nunqvam tali secum modo actum iri. Villam Hermosam urgentibus Belgis propositas à Gallo pacis leges certis cum conditionibus admisisse, scripta declaratione in eam rem data: qvam Belgæ probarint, polliciti, ad eam formam pacem se una cum ipsis subscripturos. Beverningium qvoqve finito cum Gallis colloqvio apud Balbasium fuisse, ac denuntiasse, Gallos in traditionem oppidorum consensisse; inde se pacem cum Gallo Reip. nomine absolutam hac ipsa vespera subscripturos. Unde Balbasium valde qvestum, ac impense postulasse, subscriptionem tantisper differrent, qvoad & Hispanicus tractatus perfectus sit, qvo uterqve simul subscribi qveat. Beverningium respondisse: capite sibi luendum, si hunc diem infecta re elabi patiatur. Se qvidem ab Anglis petiisse, ut terminus Kalendarum Augusti in aliqvot dies proferretur; sed eos hoc negotium suscipere noluisse. Ita nescire se, qvid agendum sit. Gallos novissimo scripto, qvod sibi tradiderint, inseruisse, ut Hispani deinceps medii fœderatis suis nil auxilii ferant. Hanc autem conditionem nunqvam sibi propositam, qvam & nunqvam probaturi fuerint; sed simpliciter Villæ Hermosæ declaratione stetisse. Beverningium qvoqve dixisse: demum sibi cum Gallis conveniſſe circa trimestre spatium intra qvod Belgis, ac Svecis inter se transigendum sit. Inde omnibus placuit, ut Kinskius, Heugius, & Blaspielus ea adhuc vespera Belgas adirent, hos à peculiari cum 1678.

Gallo

1678. Gallo pace dehortaturi, ac ubi nil proficiatur, protestationem interposituri. Prius tamen Anglis ea de re significandum; sed qvi ostendebant, nil sibi cum separata hac pace negotii fore; & qvæ fœderati contra moliantur, æqva esse. Porro eorum, qvæ isthoc congressu acta erant, exemplum Kinskius Heugio, ac Blaspielo communicare abnuebat, incertum qva de causa. Aliqvi morositatem ingenii arguebant. Sed alii altius suspicabantur, velut is speraret per hanc Belgarum actionem suo qvoqve scopo se potiturum; qvi semper fuisse videbatur aulam Cæsaream ad geminam tractationem separatæ pacis permovere, eoqve acta forte ad hanc intentionem formata sibi soli voluisse retinere.

Fœderati contra eam pacem protestantur.

§. 47. Kinskius porro protestationem suam Latina lingua conceptam Belgis prælegebat; addito, si ad subscriptionem accedant, antequam reliqvi fœderati pacem suam perfecerint, sibi necessitatem imponi omnia, qvæ excogitari qveant, remedia contra tentandi. Sed Danus, ac Blaspielus peculiarem protestationem formaverant, qvam & Monasterienſis subscripserat, Cellensi idem abnuente, qvod sibi injunctum esset heic nihil agere. Ejus scripti hic sensus erat. *Postqvam intellexerint tractatum separatæ pacis inter Gallum, & Belgas hodie ab ipsis subscribendum, de cujus articulis nil sibi communicatum sit; officii sui esse demonstrare, qvantopere isthac actio à fœderibus tam solenniter contractus, & à sanctimonia fidei publicæ discedat; qva hi promiserint, se nunqvam separatim transacturos cum communi hoste, qvi jam jam Remp. ipsorum everſurus erat, qvam imminenti exitio fœderatorum auxilia eripuerunt, qvi in ejus gratiam hostis vires diversis in partibus Europæ distraxerunt. Igitur enixissime, ac per omnia sacra se rogare, ne separatam pacem subscribere properent, sed tempus sibi indulgeant, qvo ad Principes suos eo de negotio referre possint. Id qvod fraudi ipsis esse nequeat, & conforme sit ei, qvod à fide publica, & sinceritate Reip. expectari debeat. Præsertim cum non adpareat necessitas, qva Remp. ad tam diversa à prioribus consilia compellere qveat. Qva hortante nuper sui Principes universas copias in medium Belgium miserint, Montibus Hannoniæ extremo periculo eripiendis, ac ut Arausionensis expeditionem fulcirent. Qvod si Belgas indeclinabilis quædam necessitas sibi haut nota ad pacem tam festinanter occupandam subigat, Principes suos itidem paratos esse eodem cum ipsis tempore pacem suam cum Gallo concludere, honestis, & aqvis conditionibus brevi adornandis, circa qvas ipsi faciles* 1678.
sese exhibituri sint. Spem sibi esse, legatos tam justa, ac generosa oblata haut rejecturos, nec perſvadere sibi posse, qvin Belgarum animus tam honestis ipsorum desiderius respondeat, aut istius in mentem venire posse bonos ac fidos amicos, vicinos, ac fœderatos deserere, qvi omnes suas fortunas periculo exponere non dubitarunt, ad Remp. imminenti exitio eripiendam, eamqve pristino splendori restituendam. Saltem sibi de eorum justitia, & candore promittere, fœderatorum emolumenta insuper haut habenda, cum Reip. rationibus conjunctissima; multo minus istos qvid collaturos ad oppressionem eorum, qvi tam fidam ipsis operam contra potentissimum hostem navarunt: qvi verbis tantopere de sincero suo desiderio pacem orbi Christiano reddendi perstrepit, cum revera idoneam viam eidem reducendæ admittere adspernetur. Qvid qvod prima pacis formula a Gallis proposita anil de fœderatis destituendis, ac neutro statu continuerit; ac Belgæ semper testati sint, se ideo sexqvimestres inducias à Gallo oblatas recusasse, qvod in iis de neutro statu moveretur, per qvem facultas sibi adimenda sit fœderatis suis conventa auxilia præstandi. Qvod si autem his rationibus insuper habitis ad subscriptionem descendant, se non posse non qvam solennissime protestari contra separatum hunc tractatum, velut qvi adversa fronte repugnet fœderibus, ac repetitis subinde promissis de constanti, atqve exacta horum implotione ab ipsis præstanda. Nec minus protestari de omnibus calamitatibus, molestiis, ac damnis, qvæ tum universo orbi Christiano, tum peculiariter suis Principibus ex isthac separatione, ac fœderum tam religiose interorum neglectu, provenire possint; simul sibi reservare, qvicqvid ex horum fœderum per jus gentium, legesqve divinas, & humanas ipsis competat. Nec minus judicio non obnoxio universi orbis committere, qvanta injuria Principibus suis inferatur, dum sanctissimis fœderibus violatis citra necessitatem inaudito exemplo in solitariam pacem ruitur eo tempore, qvo qvam maxime spes allucebat rebus in melius vertendis per vias honestas, & ratione convenientes: cum nunc per cæcos affectus ac inanes opiniones, repugnantibus, qvem honestum ac officium æstimatur, civibus, decus, & gloria Reip. prælituatur, qvam prudentia, ac justitia ad id fastigii hactenus extulit, nunc autem tam indigna actio labe adspergit, è memoria generis humani nunqvam delenda.

§. 48. Ast Belgæ protestationibus istis suo loco relictis, pacem suam paulo ante mediam noctem subscribere haut omittebant. *Pax haut eo minus concluditur.*

1678. tebant. Ab iis culpa, qvare sic agendum sibi fuerit, in Anglum conferebatur, de qvo sibi constiterit, nullo modo in arma eruptu-rum. Ac sane manifesto indicio erat, eum Regem à bello abhorrere, qvod is Templio injunxisset, ut Gallos ad tradendas urbes permoveret, ac Svecis confirmaret, Hispa-nos, ac Belgas deinceps neutrarum partium fore, nec fœderatis contra ipsos adstituros, ac se in eam rem sponsorem fore. Contra & Angli inficiabantur, Belgas à se postulasse terminum Kalendarum Augusti prorogari; ac ægre ferebant, culpam tam fœdæ pacis suo Regi impingi. Beverningius interim de sincero Reip. in Electorem studio testa-batur, ac denuo sibi injunctum securitatem Cliviæ à Gallis stipulari. Etsi Galli, uti au-tea, mandatis se defici excusarent, ac nil aliud se posse, qvam eam rem ad Regem re-ferre. Eodem die à Belgis qvoqve con-ventio subscribebatur inter hos, & Svecos super servando tantisper medio statu, qvo ad inter ipsos qvoqve super pace, & com-merciis transactum foret. Cæterum in hac pace id præcipue acerbissimum accidebat Electori, qvod Belgæ medios se fore nullo fœderatis auxilio præstando promisissent, cum Gallo liberum foret omni vi Svecum sublevare; & qvod Cliviæ securitati cautum non esset. Nam qvod ea res legatis in Gal-liam mittendis diligenter commendanda diceretur, id qvem effectum habiturum es-set, prudentes facile prospiciebant. Sane boni cives palam agnoscebant, id factum judicio orbis, ac posteritatis nullo modo adprobari posse; ac ante omnes Electori gravissimas qverendi causas esse. Ipse qvo-qve Fagelius pacem istam aperte damnare non dubitabat, nec se in ullam ejus partem venturum testabatur. Ejus culpam Bel-gas plane à se amoliri non posse, inconsulto pacis cupidine, ac scævis Amstelodamen-sium actionibus. Haut eo minus Remp. gravibus licet difficultatibus laborantem, huc descensuram non fuisse, ni Anglus ma-num negotio subtraxisset. Eum timidum, & ancipitem consilii semper egisse, ac soli-cite Araulionensi ingessisse, ne ad extrema rem deduceret. Qvod si Parlamenti ope destinata pervincere placebat, Rex immen-sum offendebatur; cui & unico verbo id dissolvere in proclivi erat. Ita fontem præ-cipitatæ pacis ex Anglia provenisse, ubi & alias Dano, atqve Electori parum fave-batur. Eundem Regem qvam maxime Gal-lum ad conventas urbes tradendas permo-visse, qvo conventum jam in Galliam bel-lum declinaret. Qvi & noluerat legatos suos Neomagi qvid pro securitate Cliviæ loqvi, pollicitus qvoqve Gallo, se Hispanos, 1678.
ac Belgas ad medium statum amplecten-dum permoturum; de qvo Gallus ipse pro-posita pacis formula nil moverat. Ita Arau-lionensi, ac aliis recte sentientibus facul-tatem ademtam pacem sistendi. Etsi aliqvi suspicabantur, Belgas eo faciliores fuisse ad hanc conditionem sane qvam turpem ad-mittendam, ut eo prætexto debita subsidia solvendi sese exuerent.

§. 49. Nuntio de subscripta pace Hagam allato fœderatorum ministri graves qverelas movebant, ac inprimis Romvvin-ckelius exhibito scripto ostendebat; *Se id qvidem haut sibi sumere, ut ad examen revo-care velit, num tanta Remp. necessitas urgeat, ut separata pax tam iniqvis legibus contra fœdera inenndia fuerit, eo tempore, qvo Reip. ac fœderatorum exercitus Gallis non impares videbantur. Qvicqvid tamen Reip. circa pacem suam statuere placuerit, firmam haut eo secius persistere obligationem ad præstanda, qvæ ex fœdere ista teneatur. Scilicet ut ope-ram navet, qvo pax cum Electore, & aliis fœ-deratis junctim fiat, cui se pronos hi dudum declararint. Tum ut per articulum XIV & XXIV fœderis Resp. Electori satisfieri curet de damnis, & incommodis hoc bello toleratis; qvorum æstimatio in sola Clivia ad sedecies centena unciarium millia surgat. Ut qvoqve, si Gallus reservare sibi velit facultatem socios suos assistendi, Belgæ eandem circa Electorem stipulentur, ne auxilii inops destituatur Prin-ceps tamdiu fœdere, & vicinia jure ipsis in-nexus, qvi primus arma pro servanda Repu-blica strinxit, ac ad hoc usqve tempus nihil ad ejusdem prosperitatem faciens omisit, idem deinceps qvoqve facere paratus. Denique ut saltem ante ratihabitam pacem Clivia secu-ritati prospiciatur, qvæ Reip. semper instar propugnaculi fuit. Abhorrere à sapientia Reipublicæ, cum destinata hostium nòrit, pa-cem cum hisce inisse, per qvam istis janua a-perta relinqvatur, pro lubitu arma in ejus-dem penetralia effundendi.* Sed & mox mini- 8. Aug.
ster Danicus, Electoralis, ac Cellensis, atqve Guelferbytanus protestationem interpo-nebant contra neutrum statum cum Svecis, in qvem Belgæ ad certum tempus consen-serant. Id qvod articulo XVIII fœderis repugnet, qvo cavetur, ne induciæ cum ho-stibus fiant nisi junctim, & communi con-sensu; ac ut subinde fœderati invicem com-municent, qvæ circa pacem agantur; & ut nullus fœderatorum pacem ineat, nisi com-prehensis reliqvis. Qva ita manifeste fœ-deribus repugnantia ne ratihabeantur ro-gabant. Si secus fiat, se Principibus suis

Super pa-ce ista qverela. 3. Aug.

jura

1678. jura competentia reservare; qvi & extra culpam futuri sint omnium malorum, qvæ causæ communi, aut singulis inde sint proventura.

Electoris ad Belgas super pace epistola. 8. Aug.

§. 50. Ast ipse Elector super ea pace ad Belgas epistolam scribebat in hunc sensum. *Cum ante aliqvot septimanas sibi nuntiatum esset, Belgas de separata cum Gallo pace detrevisse, a se operose demonstratum, qvam periculosum, atqve noxium id consilium universis fœderatis, ac præcipue sibi sit. Ex eo tempore meliora quidem consilia agitari visa, ac ipsos, perspectis Galli destinatis, generoso instituto cum omnium lætitia una cum Angliæ Rege viam iisse communi, honeste, ac firmæ paci Christiano orbi concilianda. Sed qvantopere tum omnes, ut inprimis ipse, qvi alios è candore animi sui judicare soleverit, decepti fuerint, rem ipsam loqvi, jussu ipsorum Neomagi subscripta pace, cujus geminam, sive ipsas conditiones, sive tempus, modumqve eam conficiendi spectes, orbis ab omni retro memoria non vidit, nec deinceps forte visurus est. Cui enim persvaderi potuerit, Rempublicam, cui amor libertatis originem dedit, qvamqve constantia, & fides, velut solidissimum actionum suarum fundamentum, hucusqve servarunt, eo prolapsuram, ut fœderatos, qvi unice in ipsius gratiam arreptis armis præsens exitium ab eadem averruncarunt, desereret, insuper habita fœderum clara dispositione, totiens iteratis promissis, obligatione in ipsa natura fundata, ac grati animi officio: & qvidem ut non solum iis præteritis pacem concluderet, sed & consentiret, se auxilium è fœderibus debitum haut præstituram, aliosqve Principes ut eodem modo agant inducturam; cum adversæ parti facultas relicta sit fœderato suo pro lubitu assistendi. Speciam insuper, qvæ Resp. tantum injuriæ, ac damni intulerit, ea pace comprehensam; se, qvi sanguinem, ac fortunas pro Rep. exposuerit, excluso. Ejusmodi porro pacem tam inaudita cum præcipitantia festinatam, ut etiam intempesta nox, qvieti à rerum natura destinata, subscriptioni adhibita fuerit, velut jam hostis ante portas Amstelodami staret. Eqvidem gravissimas sibi causas esse super his ipsorum actis expostulandi; affectum tamen, qvo à puero eam Remp. prosecutus sit, ac communes rationes ob sacra, & vicissim ita validas esse, ut indignationem superet dolor, ac commiseratio, si mala consideret, qvæ ex hac pace in Remp. redundatura sint. Nondum memoria excidisse, qvibus de causis hoc bellum ipsis illatum, ac uti per id Resp. extremis admota fuerit, qveis Dei beneficio, ac fida fœderatorum opera erepta sit. Eumvero pariatempora redire posse: persistere adhuc destinata initio hujus belli agitata, brevi instauranda. Eadem si necessitas redeat, qvem tunc mortalium, cui ulla præteritorum memoria, iterum pro Rep. periculum subiturum? Qvem non exemplis, qvæ in præsens admittuntur, absterrendum? Qvid ponderis ipsorum fœderibus, ac promissis fore? Nec esse qvod credatur, omnes Principes propriis rationibus impulsum iri, ut ad servandam Remp. concurrant. Nam qvæ in Hispanos & se admittantur, fortius in contrarium valitura. Qvod Hispania tam pulcras provincias, ac urbes amittat, qvod Gallus tantum offensæ in se ostendat, num aliam causam, qvam qvia Resp. necessitatibus tam prompte subvenerint? Si Resp. amici, ac fœderati majorem jacturam faciant hac servata, qvam forte facturi sint eadem pereunte; stulte acturos, si ob metum futuri, ac incerti mali certam, ac præsentem calamitatem sibi attrahant. Sane necessitatem obtentui sumi, qvæ ad ejusmodi pacem ipsos compulerit. Sed si majorum tempora cum præsentibus comparare velint, & expendere, qvanto in periculo libertatem, vitam, fortunas q; amittendi superiori seculo isti sæpius hæserint; contra qvo paratu Resp. nunc instructa sit; qvam multis, iisqve potentibus fœderatis ea fulciatur, sanguinem pro ipsa profundere paratis, & hosti adhuc pares, & si Anglia accedat superiores sint; uti hostis maritimæ vires fatali calamitate nuper in America fractæ sint: omnibus honestis, ac fidis patriæ civibus agnoscendum, parentum fortitudine, constantia, ac fide Remp. ad summum splendorem provectam, qvam nunc contrariæ actiones in ruinam tractura sint. Ac ne qvid ultra verum arguere videatur, ipsi cogitarent, num integro seculo, qvo Resp. stetit, ullum exemplum ei simile, qvod nunc contigit, reperiatur. Uti autem hæc monita è fido, & Reip. studiosissimo animo profecta sint: ita se sperare, ipsos probe ponderatis genuinis suis rationibus, omissa ratihabitione tam fœdi ac noxii tractatus, concilianda communi, ac honesta paci incubituros, qva sola securitas, & qvies Christiani orbis firmari potest. Qvod si tamen isto pacto utiqve stare placeat, à se qvidem id Deo, ac tempori committendum. Haut ideo tamen adignava consilia descensurum, sed fiducia justæ causæ expectaturum, qvem finem laborum Deus daturus sit. Ac si maxime res improspere succedant, solatio tamen fore, id non suo merito, sed ob defectionem fœderatorum contigisse; ac ipsos forte primos dolituros, Westphalicas suas provincias, qvarum securitatem tam facile erat stipulari, hoc modo neglectas fuisse. Qvia autem omnia mala, qvæ sibi obvenire possint unice ob Remp. & ex peculiari ista pace pro-*

1678. *mament, adversus eam qvam solennissime protestari, & inde nascentia jura, & actiones sibi reservare; nec minus qvod sibi ex fœdere adhuc debeatur; cujus obligatio per pacta ipsorum cum Gallo haut qvidqvam tolli potuerit; qvin eosdem naturali, ac gentium jure teneri vel promissa repræsentare, vel reparationem damni inde orti præstare.* Redditis hisce literis Elector Romsvvinckelium adjungere jubebat: qvia Resp. ipsum, atqve Clivicas ditiones contra fœdus, & proprias rationes neglexerit, ut has videantur Gallicæ ditioni subjicere velle; id qvidem suo loco relinqvendum, nec ideo tam care parta iterum à se abdicanda. Sed qvid commodi Belgio vicinus in Clivia Gallus pariturus sit, tempus edocturum. Araulionensis tamen, & Fagelius has literas reddi dissvadebant, velut Gallum exasperaturas, ac pondus officiis Reip. pro Electore interponendis detracturas. Amstelodamensem qvoqve civitatem, qvæ maxime in culpa præcipitatæ hujus pacis sit, grandem inde offensam contracturam. Unde Romsvvinckelius eas literas exhibere differebat, Electore non parum indignante, ac ut sine mora tradantur jubente. Nam pace semel ratihabita Belgarum officia parum profutura; qvod Gallo satis constet, Belgas in ipsig gratiam arma haut resumturos. Nec Gallum plus facturum, qvam qvod suæ rationes svadeant. Ac si Belgæ ipsius causam non majore studio qvam hactenus agant, non aliud præmium operæ istis navatæ sibi superesse, qvam ut nunc sibi cum calamitate, qva istos liberaverit, luctandum sit. Eqvidem se nosse his literis parum profectum iri; velle tamen saltem id sibi libertatis esse, ut injuriam sibi factam ne musitet. Ita Romsvvinckelius eas literas Fagelio tradebat, in consessu Ordinum exhibendas, præsertim cum jam earum exemplum Danico, ac Cellensi ministro communicatum vulgari cœpisset.

Araulionensis de ea pace judicium. 20. Aug.

§. 51. Super ea pace paulo post Araulionensis Francisco Meindersio declarabat: Sibi maximo dolori esse, Belgas hoc pacis negotium non in fœderatorum solum, sed & ipsius Reip. fraudem ita confuse, & præcipitanter tractasse. Adversus alios fœderatos forte rationis qvid, aut excusationis inveniri posse; sed qvæ in Electorem patrata sint, nullum colorem admittere. Cupidinem pacis apud potentissima Reip. membra ita enormem fuisse, ut nullo modo sisti potuerit. Jam post vulneratam causam multos ad saniorem mentem redire. Sed rem longius jam progressam, qvam ut corrigi qveat; ac optandum esse, ante mensem ejusmodi consilia ab Anglo capta. Enimvero in Anglicana aula Gallica consilia prævalere, ac nemini liqvidius, qvam Gallo constare, qvousqve Anglus progredi statuerit. Etti nunc non parum scrupuli isti injiciebat, qvod plures subinde copiæ ex Anglia in Flandriam adpellerent, ut à Gallo nil amplius copiarum versus Germaniam, ac Mosam mitteretur. Cæterum se rogare, ne Elector qvæ facta sint, ex alle Belgis, aut sibi tribuat. Alias is judicabat, pacem utiqve substituram, & Hispanos qvoqve consensuros, ac Gallum novis conditionibus decessurum. Ut Clivia bello eximatur, Belgarum non minus qvam Electoris interesse. Sed si Gallus abnuat, ratihabitionem pacis è neutro Cliviæ statu indulgendo suspendi non posse, nec præter communes inducias aliud remedium videri. Ast Elector judicabat, si Belgæ serio ipsius causam suscipere velint, ratihabitionem pacis eousqve inhibendam, qvoad & ipse pacem suam absolverit. Nam post ratihabitionem officia Belgarum parum ponderis habitura. Ac si Gallo tantopere jactata in Remp. benevolentia cordi sit, haut gravatim eam difficultatem ante ratihabitionem sublaturum. Cæterum in aprico esse à Gallo nil aliud qværi, qvam ut se, ac Remp. plane divellat, ne deinceps operam ad mutuam salutem socient. Cum tamen, uti Resp. urgente necessitate, à nemine qvam ab ipso præsentius auxilium expectari possit; ita vicissim par sit, Remp. nullo modo ut ab ipso disjungatur, pati. Unde unicam viam esse corrigendis qvæ secus facta sunt, si Resp. pacis ratihabitionem differat, qvoad sibi satisfactum sit. Ita vere dici Araulionensis, ac bonarum partium proceres agnoscebant. Sed ni uirum adversæ factionis in pacem impetus nulla ratione sisti poterat; ac de istis ne audire qvidem volebat, nisi pace prius per ratihabitionem firmata; qvam & Galli, Sveciqve omni arte adversus Araulionensem obfirmabant eo ferociorem, qvod per eandem nervus rerum gerendarum expediendus foret. Ita Belgæ post injuriam licet illatam caute tractandi erant, ne in magis infesta erumperent.

Cum Luneburgicis acta.

§. 52. Cæterum cum Elector dudum animadverteret id agi, ut suo dispendio qvaliscunqve securitas Belgio Hispanico pararetur, se compulso, ut Svecis erepta restitueret, simul constantiam Belgarum suspectaret; haut efficacius adversus ista remedium judicabat, qvam ut, qvi rem in Svecos gesserant, arctissime inter se juncti con-

1678.

1678. conniterentur, ne ipsi gratis pro alienis emolumentis laborasse viderentur. Ac istæ erant Daniæ Regis, Ducum Luneburgicorum, & Monasterienſis Electori ſociatæ vires, ut non facile aliena ex libidine cogi possent. Enimvero qvo minus ejusmodi conjunctio tam salutaris, tamqve necessaria coalescere posset, Luneburgici Duces præcipue in causa erant. Magnum ea Domus momentum firmandis fœderatorum rebus adferre poterat, si universæ enixo studio eædem amplecti animus fuisset. Sed nunc Joannes Fridericus Hanoveranus Dux Gallico fœdere, atqve argento illigatus debitam patriæ opem subtrahebat; nec eo minus per iniqvitatem temporum aliis Imperii Ordinibus necessitatem adferebat copias ipsius alendi, qvæ nil nisi suspicionem in hostem pugnantibus faciebant. Reliqvi autem Duces, qvi antea egregiam operam adversus Gallos navarant, post Svecos Bremensi provincia ejectos, sua sibi consilia seorsim habere, ac cæteris fœderatis varia ratione molesti, aut suspecti esse cœperant, ut qvid solidæ fiduciæ in istis collocari posset non adpareret. Inter alia dissociandis animis non parum faciebant, qvæ Duces super cerimoniis tunc movebant, qveis legatos suos Electoralibus ex asse adæqvari cupiebant. Jam superiore anno Salentinus Schutzius Haga Neomagum accedens Stratemanno significarat, si Cæsar Brunsvicensis Domus ministros Ambasiatorum dignatione habere velit, eam Domum plus qvam hactenus ad communem causam collaturam: id ubi abnuatur, privata commoda sectaturam. Ad qvæ Stratemannus: titulum Ambasiatoris nulli Domui Principali in Imperio, qvæ apud Cæsaream legationem nomen profiteatur, in dubium revocatum, aut negatum iri. Sed circa illos easdem, qvæ olim Monasterii, cerimonias adhibendas, ubi dextræ manus honor, ac titulus Excellentiæ istis tributus non sit. Nec enim eum titulum, (id qvod Schutzius prætendebat,) characteri Ambasiatoris semper adhærere; qvod ab Italis Principibus, Helvetiis, qvin Ferraria, ac Bononia civitatibus Ambasiatores mitti soleant, qvi tamen ideo dextram manum, titulum Excellentiæ, & ut caput, dum Principem alloqvuntur, tegere liceat, exigere haut possint. Schutzius: his sese haut valde contradicturum. Sed qvod Electoralibus à Cæsare concedatur, id Brunsvicensibus Ducibus denegari non posse. Nam præter jus eligendi Cæsarem eadem hisce jura, eandem potestatem in ditionibus suis esse; non alio aut strictiori modo eos à Cæsare dependere. Et qvia è tabulariis demonstrari qveat, 1678. Electoralibus legatis non magis qvam Principalibus qvondam dextram manum concessam, Cæsar autem nunc circa hoc Electoralibus indulserit, eundem id hisce abnuere haut posse. Contra Stratemannus: super Electoribus aliter capitulatione Cæsarea cautum, ac tota Europa usu receptum: & qvia in disceptationibus circa cerimonias magis usus, qvam communes qvædam juris rationes respiciantur, à Principalibus demonstrandum esse, dextræ manus honorem ipsis uspiam à Regiis concessam. Sed & Ducibus sua desideria non Neomagi, sed Viennæ exponenda. Alias Duces bene sibi consulturos, si tantum ablegatos exemplo Neoburgici, & Lotharingi mittant, ut omnia in integro retineant, nec per ejusmodi disceptationes sibi ipsis præjudicent. Alias iste Schutzius Neomagi tantum dignationem *Plenipotentiarii* gerebat, apparatu tamen longe splendidiore, qvam multi Ambasiatores, usus. Qvi cum procuratorium Jenkino tradere vellet, hic id acceptare abnuebat, causatus, alios legatos ab ipso prius salutatos. Alias Stratemannus censebat: etsi multos ob respectus in hoc postulatum consentiri neqveat; qvia tamen Duces forte alia consilia agitent, ac eo prætexto ad deferendos fœderatos uti velint, hisce acri contradictione ansam offensæ haut præbendam, ac id negotium modeste declinandum. Strada legatus Gallicus Hanoverano ablegato dixerat: si maxime omnes Reges in hoc postulatum consentiant, Gallum tamen in id nunqvam descensurum. Apud Villam Hermosam Duces super eadem re institerant; sed qvi ambigue responderat: util Hispania fœdus cum Domo Brunsvicensi peculiariter æstimet; ita Hispanicos legatos non postremos fore, qvi optaturi sint, Ducum desideriis satisfieri. Qvod responsum Ducibus haut arridebat, qvi liqvido declarari voluerant, iisdem honoris indiciis legatos suos cum Electoralibus habendos. Nec eo minus Mullerus apud Danos asseverabat, Hispanos omnia, qvæ ipsi desiderent super cerimoniis annuisse. Qvod idem de Danis apud Hispanos confirmabat; cum tamen isti nil aliud dixissent, qvam sese horum exemplum secuturos. Nec aliud Beverningius super eadem re instanti responderat, qvam aliorum sibi exempla respicienda. Alias Daniæ Rex sat pronum se ostendebat ad id honoris exhibendum Ducibus tam propinqvo sangvine sibi junctis, qvod Italis Principibus dari sveverit. Sed Luneburgici ministri contendebant, horum legatis titulum Excellentiæ, primam visi-

Luneburgici legatos suos Electoralibus exæqvari cupiunt. 9. Jun. 1677.

1678. visitationem, si posteriores accedant, ac in aliorum legatorum ædib9 primum incessū, locumqve tribuis; cum tamen constaret, neminem eorum his cerimoniis potiri præter Sabaudum, qvi & Celsitudinis Regiæ titulo mactetur. Cæterum Duces id negotium fervide urgebant, haut obscure minati, ni protinus sibi satisfiat, à partibus se discessuros; qvod satis intelligerent, siqvidem pax brevi seqvatur, fœderatos eorum minas parum curaturos; sed si extracto bello Anglus partibus accedat, iisdem qvoqve ingratiis apud fœderatos persistendum. Qvæ ipsa causa hos qvoqve movebat, ne qvid annuere properarent sibi fraudi futurum, utqve nova ista dextre declinarent. Fuerat qvoqve initio hujus anni qvorundam legatorum Hamburgi congressus, in qvo Luneburgici priorem sibi locum præ Electoris secundario ablegato, deposcebant. Qva super re Elector apud Collegas, ipsumqve Cæsarem qverebatur. Porro ut is honor legatis suis tribueretur, Duces literis sat asperis à Cæsare postulaverant; qvibus hæc præcipua ratio urgebatur, qvod Cæsar secundariis Electorum legatis, qvos sui recepto more præcedant, Excellentiæ titulum, ac dextræ manus honorem ipsius legatos visitantibus exhiberi jusserit; unde iniqvum esse, Electorales secundarios nunc ante primarios suos haberi, hosqve tantopere deprimi. Et cum paria regalia, paria in ditiones suas jura cum Electoribus obtineant, paria qvoqve jura legationis sibi deberi. Schulenburgius, qvi eas literas reddiderat, addidit; si Cæsar Ducibus in hoc negotio gratificetur, ipsos novo se fœdere contra Gallum, & Svecum obstricturos, & extrema qvoq; pro communi causa tentaturos, qvod nihil gratius iisdem fieri possit. Sin minus, eosdem à fœderatis se disjuncturos, forte & penitus in hostium partes concessuros. Idem qvoqve tradiderat; Electorem nunc circa id postulatum faciliorem se præbere, ac propediem Ducum causam fulturum. Qvod cum Cæsari inopinum accideret, cum universum collegium, ac ipsi Ecclesiastici Electores ei petito acriter contradicerent, per suos Neomagi explorari jubet, num ita se res habeat. Qvibus Blaspielus reponebat: Electorem semper declarasse, se in causa prærogativam totius Collegii tangente solum nec posse, nec velle qvid decernere; sed hujus unanimi sententia staturum; nec unqvam aliqvid ad imminutionem dignationis Electoralis faciens concessurum. Non autem mirum esse, talia à Luneburgicis ministris spargi, qveis solitum sit apud qvosvis asseverare; horum declarationem præcipuum momentum negotio allaturam, qvod reliqvi jam suis desideriis pronos se exhibuerint. Cæterum legati Cæsarei censebant, Ducibus aliqvo modo esse satisfaciendum, ut tamen circa cerimonias aliqvid discriminis Electorales inter, & Principales maneat. Alias in universum aula Cæsarea paucis prærogativæ qvid concedere malebat, qvam id dignationis in tam multos diffundere. Nam Platenus jam Neomagi dixerat; Luneburgicorum exemplo alias qvoqve Domus Principales idem postulaturos. Sed non pauci credebant, ab aula Cæsarea Ducibus insinuari; Electorem qvam maxime ipsorum votis reluctari, qvo arctior hujus conjunctio cum ea Domo ob interjectam æmulationem impediretur. Gemina super cerimoniis deposcebat Neoburgicus, cujus ablegati Hochkirchius Baro, & Caspari Neomagi Blaspielum haut invisebant, qvod huic Excellentiæ titulum dare nollent. Qva de re hic apud Gurcensem qverebatur: indignum esse Neoburgici ablegatos id recusare, qvod Cæsarei legati faciant. Ratisponæ, ad qvod exemplum isti provocent, ab Electore missum nunqvam dignationem Ambasiatoris extraordinarii gessisse. Nec qvæ Ratisponæ observentur, ad alios conventus extra Imperium porrigi posse. Simul petebat, ne isti ad congressum fœderatorum admittantur, anteqvam sibi circa hoc satisfactum sit. Sed Neoburgici, sive qvod Cæsarei hæc iisdem non dixerant, sive qvod isti ea non curabant, congressui fœderatorum sese ingerebant; qvo protinus Danus, Blaspielus, & Beverningius nullo verbo dicto excedebant. Iidem Heugium visitabant, qvi priorem locum capiebat, & eos in anteriorem cameram præcedebat. Pari modo Beverningius cum iisdem agebat.

1678.

Hochkirch. Cæsari.

§. 53. Cæterum Luneburgici postulato suo Electorem præcipue urgebant. Comminicaverat Arausionensis Cellensi Duci per Blaspielum sententiam suam de rebus hoc anno suscipiendis. Cui Cellensis responderat: in Circulo Inferioris Saxoniæ parum fiduciæ collocari posse. Se, ac Guelferbytanum parum posse, ni subsidiis è Belgio, & Hispania subleventur. Simul inde occasionem arripuerat Fridericum Heimburgium ad Electorem mittendi; qvi proponebat: haut eqvidem difficile fore hoc anno Svecos penitus Germania depellere. Ast ni Gallis in Belgio tota vi obviam eatur, hos eousqve grassaturos, ut deinceps remedio locus non sit futurus; ac Hispanis necessum fore qvalemcunqve pacem amplecti

Luneburgicorum ad Electorem missio. 26. April.

1678. ti insuper habitis Borealibus fœderatis. Unde Duces ex Electore nosse cupere, qvid hac rerum facie consilii capiendum, & qvid contra Gallos, qvid item contra Svecos agendum? Elector censebat, Gallis utiqve tota vi occurrendum, ut tamen Sveci non omittantur, ne respirandi spatium nacti denuo infesti à tergo ingruant. Unde sibi decretum VI M in Belgium mittere; cum reliqvo exercitu in Svecos rem gerere. Tum petebat, ut Duces auxilia ex fœdere sistant; id qvod & propria horum utilitas reqvirat, qvod bello qvæsitorum possessio tuta non sit, nisi Svecis tota Germania exterminatis. Ad ista Heimburgius: Duces contra Gallum IV M militum missuros; sed super auxilio contra Svecum cum Electore novam conventionem inituros. Priorem enim esse ambiguam, cui & à se satisfactum Duces judicent. Nec enim ibi expressum, ut Elector tota Pomerania, sed tantum æqva satisfactione potiri debeat. Ac præstare Svecorum conatus propulsari, ac tota vi rem in Gallum geri, ne à Belgis, & Hispanis fœda pax præcipitetur. Contra Elector: sibi nondum satisfactum, qvamdiu Sveci adhuc in ora Pomeraniæ hæreant. Nam in præsidia ista sibi menstrua XX M uncialium impendenda. Sed nec fœdus ante biennium initum adhuc impletum esse. Monasterienſem jam promtum se declarasse ratæ auxiliorum parti mittendæ. Primo anno auxiliares copias tarde accessisse, Demmini deditione brevi insecuta. Præterito anno numeros ad Stetinum haut plenos fuisse; cum tamen Duces pro isto auxilio hospitiis continuo gavisi sint. Nec in eo fœdere utrum, aut alterum annum auxiliis mittendis definitum, sed qvousqve sibi in Pomerania sit satisfactum. Contra Heimburgius sententiæ suæ pervicax: Duces ex priori fœdere nil amplius debere. Eos tamen testando in Electorem studio insignia auxilia præstituros his legibus, ut Electoris legati Neomagi Ducum ministros Ambasiatores agnoscant, iis Excellentiæ titulum, primam visitationem serius accedentibus, ac in suis ædibus digniorem locum tribuant. Tum ut Elector novissimum decretum Circuli Inferioris Saxonici adprobet una cum pactis, qvæ Duces cum nonnullis ejus Circuli Ordinibus iniverunt; ut deniqve Elector Ducibus faveat contra eos, qvi aliqvid actionis in Bremensem provinciam movent. Ast Elector pertendere; cum Duces convento emolumento ex fœdere fruiti sint, eosdem ad præstanda, qvæ vicissim debeant, teneri. Alias sibi sex militum millibus contra Gallum destinatis in Pomerania utendum, reservato sibi omni suo jure in Bremensem ditionem, & actione ob damnum eo nomine sibi nascendum. Nova Ducum postulata qvod spectet, se Domui Luneburgicæ jus legationis nunqvam in dubium revocasse: circa cerimonias recepto usui inhærere. Qvicqvid Duces à Cæsare, Regibus, ac Electorali Collegio impetrare qveant, sibi qvoqve placiturum: sed à Collegii sententia privatim discedere sibi nefas. Circa hospitia Inferioris Saxoniæ Cæsaris se assignationi inhærere. Nec minus circa Bremensem ditionem ante biennium conventis stare. Ad hæc Heimburgius: Cerimonias characteri Ambasiatorum innexas: istis negatis hunc qvoqve in dubium vocari. Longum esse ad Collegium Electorale rem rejicere. Modo Elector petitis annuat, rem confectam fore. Saxonis sententiam eo cognosci posse. Bavaro lætum fore Electorem cum Ducibus collidi. Ad reliqvos parum respiciendum. Et repositum: ista juri legationis necessario adhærere, qvæ legatis absqve ejusdem juris læsione negari neqveunt; uti est securitas, & sanctimonia, & si qvæ alia iis omni tempore apud qvosvis populos indulta, eoqve juris gentium facta sunt. Uti autem successu temporis formulæ qvoqve & cerimoniæ mutatæ, ac circa multos Principes, qvibus jus legationis citra dubium competit, diverso modo observatæ sunt: ita has non constituere partem juris legationis, sed ab uno Principe erga alterum adhiberi, prout receptus usus ferat. Nec se solum aliqvid mutationis facere posse citra consensum Collegii, ac reliqvos ipsius exemplum haut curaturos. Igitur Duces missis hisce conditionibus auxilia ex pacto repræsentarent. Sed Heimburgius istis haut motus differebat: Duces Electoribus prærogativam, qvæ ex Aurea Bulla, & antiqvo usu competat, minime omnium invidere, aut eam imminui cupere; sed potius qvantum in se, ut ea conservetur, operam navaturos. Enimvero jus legationis non minus in Principes, qvam Electores cadere; id qvod autem rite exerceri neqveat, ni Ducibus facultas sit pro lubitu ejusmodi ministros mittendi, qvi ipsorum personam repræsentare qveant: à qvo charactere autem ex usu præsentium temporum debitus Ambasiatoribus honor, ejusqve insignia separari neqveant. Apud id genus conventus, qvalis nunc Neomagi agitatur, titulum Ambasiatorum non magis apud Electorales, qvam Principales diu in usu fuisse, prout & totum cerimoniarum negotium brevi abhinc tempore mutationem subiit.

1678. Cum igitur cuilibet, cui jus competit supremi gradus legatos mittendi, haut eo minus integrum sit ministros suos hoc vel illo charactere vestire; obstare non posse, qvod missi à Ducibus ministri alios apud tractatus ea dignatione insigniti haut fuerint; eoqve hoc postulatum novum & inusitatum haberi non posse; cum res meræ sit facultatis, qvem characterem qvisqve, qvi jure legationis gaudet, à se mittendo imponere velit. Duces qvoqve de hoc negotio merito hoc instare, qvod alii Electores Neomagi Ambasiatores non habeant; idemqve haut ejus indolis sit, ut ad totum Collegium spectet, & cum prærogativis, qvæ soli Collegio Electorali competunt, nil commune habeat. Ac si Elector in id consentiat, ac apud alios officium interponat, id non parum ponderis habiturum. Plura se non exigere; vicissim promtum auxilium offerre. Ad ista regerebatur: qvod cerimoniæ partem juris legationis non constituant, ex eo adparere, qvod istæ non ad unam formam, sed cum ejusmodi proportione ac discrimine adhibeantur, prout initis eo nomine pactis, & recepto usui congruit; salva de cætero ipsorum Principum dignatione. Demum tamen offerebat Elector, se apud Cæsarem, Collegium, aliosqve Reges operam interpositurum, ut Ducibus circa cerimonias plus qvam hucusqve indulgeatur, his tamen conditionibus, ut notabile discrimen inter Electorales, & Principales legatos maneat; ut Duces VI M militum qvamdiu bellum duraverit, contra Svecos, eorumqve fœderatos sibi auxilio mittant, eaqve qvamprimum cum Electoralibus ad rem simul gerendam conjungant; in qvod num Ducibus consentire placeat, sibi certo constare debeat, qvod cum aliis jam super auxiliaribus copiis negotietur. Ut à Ducibus Hamburgenses compellantur, qvo C M uncialium è Cæsarea assignatione per biennium debita sibi exsolvant. Deniqve ut Duces in futurum sibi super assignandis hospitiis controversiam ne moveant. Qvod si autem in præsens super augmento copiarum conveniri neqveat, saltem auxilia fœdere definita præstanda esse, qvibus Duces per nova postulata se exsolvere haut valeant. Ast Heimburgius priora ingerere. Cerimonias non ad unam formam inter Principes observari, & cum tempore mutationem subire, notorium esse; sed eas merito ad indolem temporis, in qvo degamus, & ad sententiam Principum, qvibuscum nobis negotium sit, exigendas. Sane id negari non posse, si inter eos, qveis par jus legationis competat, tam notabile discrimen statuendum sit, Principum dignationem graviter lædi. Sed nec exprimi, num Ducalibus titulus Excellentiæ, prima visitatio, ac dignior locus in eorum, qvos adituri sunt, domibus danda sit. Elector contra: sibi haut qvidqvam animum esse per discrimen inter Electorales, & Principales legatos deinceps observandum dignationi Ducum aliqvid detrahere. Sed notum esse, qvantum laboris, sumtuum, ac molestiæ tum universum Collegium, tum ipse peculiariter exhauserit circa controversias, qvæ super cerimoniis motæ sint, superandas, ut id, qvod Electoribus universis ac singulis per Auream Bullam competit, passim in usum deduceretur. Pro se militare dispositionem Aureæ Bullæ, qva Electores Regibus æqvi parari pronuntietur; qva ratione hactenus Principes, qvorum dignitas tamen in integro relinqvatur, usi non sint. Eoqve si ipse à fundamentis Electorali Collegio unice competentibus discedat, huic præjudicium generaturum. Unde Ducibus tentandum, qvousqve res apud Cæsarem, & Reges pervinci qveat; qvorum autoritatem antevertere sibi haut fas sit. Ulterius tamen se processurum, ac Ducum legatis dextram manum in suorum legatorum ædibus cum titulo Ambasiatorum oblaturum. Super reliqvis cerimoniis Cæsaris, & Collegarum sententiam exqvisiturum. Sed Heimburgius hisce oblatis contentus haut erat, causatus, qvod novum, & post Westphalicam demum pacem introductum sit, Electorales Principalibus digniorem locum in ædibus suis denegare; (qvod nostri tamen inficiabantur.) Nam qvia Elector Ducibus in domo sua priorem locum haut denegat, ultro consequi, idem Ducalibus legatis apud Electorales deberi. Nec Duces circa discrimen inter suos, & Electorales legatos constantem usum agnoscere, qvi obstet, qvo minus suis legatis titulus Excellentiæ, ac prior visitatio ab Electoralibus detur. Igitur si Electorales Ducalibus legatis Excellentiæ titulum, primam visitationem, ac dextram manum concedere velint, salvis de cætero peculiaribus Electorum juribus, Duces IV M militum auxilio missuros, sed qvia ista præstare penes Electorem non erat, ac Duces eo prætexto auxilia abnuebant, is qvoqve oblatis teneri amplius nolebat. Ita tunc Heimburgius re infecta discessit. 1678.

Consultatio super Luneburgicorum postulatis.

§. 54. Iste agendi modus à Luneburgicis adhibitus etsi multum indignitatis habebat; qvia tamen & causæ communis, & Electoris peculiariter intererat, eos in partibus

1678. 9 Maij. tibus retineri, Elector suis expendendum proponebat, num Ducum postulatis utiqve annuendum sit? Ubi aliqvi censebant; *rem esse magni momenti, & ubi graves in utramqve partem rationes se ostendant. Nam inde qvidem dignitatem Collegii, & Unionem Electoralem non videri concedere, ut Principibus aliqvid novi indulgeatur, aut ut Elector absqve consensu Collegii qvid statuat. Hinc vero praesentem rerum faciem valde suadere, ut Ducum desideriis deliceamur. Nam praesumendum esse pacem brevi secuturam, & hanc postremam fore expeditionem, non solum qvia sat Principes in Germania, & extra eam Belgae ita enixe pacem urgent; sed & qvia exhausta ditiones bello oneribus tolerandis non amplius sufficiunt. Jam autem extra controversiam esse, ni Elector ante pacem totam Pomeraniam subegerit, eum per tractatus pacis non modo qvod Svecis reliqvum est non acceperum, sed & ab eo magnam jam occupatorum partem restituendam. Ast totam Pomeraniam possidenti forte non deesse rationes eam retinendi. Unde hoc rerum articulo futura expeditione omnes vires exserendas, tum foederatos ad eundem scopum incitandos. Atqvi à Caesare nil opis expectandum. Danum ipsum auxilio indigere. Monasterienscm tractationi se offerre, sed ancipitem fidei, ac duras leges propositurum, cujus & foedus forte collisionem cum Luneburgicis pariturum sit, haud toleraturis, ut iste Electoris portione in Bremensi provincia potiatur. Qva collisio praesentibus juxta hostibus, ac in universum Catholicis admodum lata futura sit, velut qvi vetia per artificia Electorem cum ista Domo committere qverant. Porro Monasterienses auxilia adhuc longe remota, ac per prolixos tractatus demum obtinenda, qvorum eventus adhuc dubius sit; qvibus & forte Luneburgici transitum concessuri non sint. Contra cum Luneburgicis vel una die transigi posse. Eorum copias in vicinia paratas consistere, nec pecuniam, aut annonam postulare. Ast ubi protelentur, posse eosdem Electoris destinata etiam indirecta ratione impedire, transitum copiis nostris per Meclenburgicam, & propias ditiones negare, aliaqve obstacula objicere. An autem, & qvatenus ea res fastigium Electorale afficiat, non minus consideratione dignum esse. Sare Electorem Neoburgico legato in Polonia Excellentiae vocabulum tribui jussisse. Eundem titulum ab ipso Sabaudi qvoqve legatis concedi; cui tamen idem non magis, qvam reliqvorum Italicorum Principum utus sangvine junctorum legatis in aula Caesaris detur, usqve adeo ut expresso decreto aulae interdictum sit eos qvoqve hoc titulo non honorare, qvibus is alias etiam extra legati characterem ob natales more Italico debetur. Non insuper* 1678.
qvoqve habendum, rem cerimonialem inter Electorales, & Principales legatos hucusqve neqve per pacta, neqve constantem consvetudinem ita ordinatam, ut certum fundamentum extet, cui inniti qveamus; sed subinde varias in ea mutationes obtigisse, circa qvas novus conventionibus opus fuerit. Eqvidem si duntaxat de titulo Excellentiae agatur, uti Platenus Neomagi proposuit, rem non ita difficilem esse. Plerosqve enim Principales Electoralibus istum non tribuere, nisi eundem accipiant. Unde qvaestionem esse, utrum magis è dignitate sit Electoralium, Excellentiam neqve dare, neqve accipere, an ut ea hinc inde detur. Qvod si id temperamentum arripiatur, ut communicatione plane abstineatur, idem aequalitatem haut tollere, ac alias admodum noxium esse, nec ad diuturnitatem valere. Eam qvoqve hujus conventus extra Imperium habiti indolem esse, ut alibi, & in Imperio, qvae ibi admittuntur, in exemplum trahi neqveant. Sed & dubium esse, num prima visitatio, qvam Duces exigunt, tanti sit, ut ideo insigne emolumentum Electori e manibus amittendum sit. Cum huic cautum non sit, an & qvamdiu collegae ipsi adhaesuri; & an non unus & alter, qvin ipse Caesar, ac Reges ob longe tenuius commodum publicam causam deserturi, ac ejusmodi praejudicium admissuri sint, qvod nunc Electori tanta cum jactura evitandum est. Non Osnabrugae solum & Monasterii, sed & alibi apud Gallos, & Hispanos inter artificia habitum, ubi solida utilitas sperabatur circa cerimonias cupientibus gratificari, ac adversam partem in eo praevertere; qvod primum annuens gratiam, & commodum occupet; cum alteri longam post tergiversationem, ubi aliae rationes communicationem exegerint, ingratis post cedendum fuerit. Ac jam Caesaream aulam, & qvosdam Electores vacillare videri. Denique si Duces destinatis suis apud Caesarem, Reges, aliosqve Collegas obtineant, Electoris exemplum gratis mutandum fore, tanto interim emolumento neglecto. Ast si Duces voto suo apud alios excidant, plurimas vias fore obligatione se exuendi, si maxime in praesens Ducibus aliqvid annuatur; qvod & effectu caritum sit, si alii contradicant, praesertim cum evicto ab Electore non postuletur. Eqvidem Principes Electorum praerogativis multifariam detractum ire, ut merito qvicqvid praejudicii speciem habet, cavendum sit. Contra id qvoqve manifestum esse, Principibus insigne fulcrum subductum iri Svecia ex Imperio eliminatis, velut qvi non ipsi solum istorum causam contra Electores semper sustinuerint, sed & Gallos eodem pertraxerint. Eas ob rationes isti censebant,

1678. Ducibus circa titulum Excellentiæ, ac primam visitationem gratificandam, salvo circa reliqva inter Electorales, ac Ducales legatos discrimine. Cæsari, qvi Electoris sententiam super hoc negotio exqvisierat, laxioribus verbis respondendum, ne is animadversa ipsius inclinatione eam gratiam occuparet. Cum Ducibus autem ita agendum, ut hi qvæ obtineant soli Electori imputent. Differebatur inde super missis à Neoburgico, qvi repugnante omni ratione, cum non nisi *Deputatorum* dignationem gererent, Blaspielo se pares ferre instituerant, qvem Cæsarei, ac Regii Ambasiatorem agnoscebant. Eqvidem isti ad Marenholtzii, & Godofredi Jenæ exemplum provocarant, qvi ejus Principis legatis Ratisponæ eum, qvem ipsi nunc postulent, honorem exhibuerint. Ast isti initio legatorum extraordinariorum dignationem gesserant, in qva & ne minimum qvidem remiserant. Postea characterem ab Electore imminutum, & Jenæ injunctum, ut ad Oexelii Bavarici habitum se componeret, qvi nunqvam Ambasiatoris dignationem præ se tulerat. Qvin & extra Imperium, & in ejusmodi conventibus incongrue allegari, qvod domi, ac ubi sola ejusdem Reip. membra congregantur, observatur. Deniqve ab aliqvo tempore, ac è libro de jure legationis Principibus competente recens edito, cui insolitus de *Supremata* titulus inditus, facile perspici, qvid isti animo agitent. Eqvidem ejus scripti autorem esse virum eruditum, & moderatum, qvi omni adhibita diligentia rerum non sat peritis, aut præjudicio occupatis id qvod sibi proposuit persvadere laboret. Enimvero si id negotium ad fundamenta ex indole Reip. Germanicæ petita exigatur, paritatem inter Electores, ac Principes, qvæ palmaria ejus ratio est, ultro corruere. Nam Electoribus ut singulis plenum legationis jus cum supremo charactere in ipso Imperio apud summum ejus caput Cæsarem ex usu in fundamentali Imperii lege expresso, ac stabilito competere. Idqve jus Electores eo modo obtinere, ut nullius Reip. Ambasiator extraordinarius Electorali Ambasiatori etiam apud ipsum Cæsarem, in Imperio, & in aula Cæsarea sit præferendus. Unde & cum anno 1636 in aula Cæsarea decretum in favorem legatorum Venetorum conditum esset, eidem non solum statim atqve innotuit contradictum, sed & novissima capitulatione id expressis verbis abolitum, ac Electorum jus legationis plenarium publice in Imperio denuo confirmatum. Unde non adparere, qvis salva ratione huic se juri in Imperio opponere possit, nisi cui libido sit ipsam Reip. formam, ac qveis ea innititur leges subvertere. Ita Electorum prærogativam circa jus legationis præ Principibus liqvidum esse velut in palmaria Imperii lege, ipsaqve adeo reip. forma fundatum; qvod & adversus exteros Reges valeat, & adversus qvod nil excipi qveat: qvale qvid Principes pro sua prætensione nullo modo adducere posse. Ast ubi scriptor ea qvam comminiscitur paritate depulsus fuerit, reliqva qvæ movet nemini nocere, nisi Principibus ipsis, qvorum multis recens id jus Supremat us, potentia fere metiendum, adplicari haut potest, utut alias antiqvitate prosapiæ nemini concedant; qvodqve adeo haut qvidqvam eo duntaxat nomine alicui competit, qvia inter Ordines Imperii censeatur. 1678.

Oexel.

§. 55. Accessit paulo post iterum Heimburgius; cui Elector de mutata rerum facie per imminentem Belgarum, atqve Hispanorum secessionem proponebat, & qvid consilii eum in casum capessendum; & num eo non obstante Duces bellum persecuturi sint? Tum interrogabat, num qvid veri sublit, qvod fama ferat, Duces cum Gallo per Hanoveranum agere circa Bremam pro summa pecuniæ reddendam? Isthoc uti Heimburgius inficiabatur, tanqvam ab hostibus conflictum; ita memorabat, Monasterienses censuisse cum Svecis seorsim tractandum. Sed Ducibus haut persvaderi, Svecos hoc rerum statu ad separatam pactionem descensuros; qvæ & Electoris sententia erat. Qvi & censebat, superesse tantum copiarum etiam deficientibus Belgis, atqve Hispanis, ut si junctis animis, consiliisqve res geratur, Gallicæ adhuc potentiæ resisti qveat; modo Cæsar constanter bellum persequatur, ac fœderatis circa hospitia faveat. Tum ut Belgæ, si fœderatis nil auxilii ferre velint, saltem promittant, se non permissuros à Gallo classem in Mare Balticum mitti, aut ab eodem Circulum Westphalicum armis infestari. Ast si Cæsar qvoqve deficiat, Daniæ Regi, sibiqve, ac Ducibus arctissimam conjunctionem ineundam, qvo sociatis viribus satisfactionem suam pervincant. Qvæ Heimburgius satis probare visus est; ad arctiorem tamen conjunctionem necessarium esse, prius omnem dissidiorum inter ipsos materiam tolli. Cum contra Elector censeret, qvia periculum in mora sit, haut tempestivum esse talia movere, sed id unice agendum, ut hostis subigatur, & communis pax obtineatur. Sed cum Elector nosse vellet, qvænam sit illa

Alia Luneburgicorum ad Electorem missio.

21. Jun.

1678. illa dissidiorum materia, iste iterum de cerimoniis, & Inferioris Saxoniæ hospitiis in-
17. Jun. culcabat. Ex qvo etsi satis adparebat, in Ducibus nil fiduciæ collocari posse, ac eos peculiaria sibi consilia agitare, captato offensæ prætexto, velut desideriis suis satisfactum non sit: Elector tamen penitius explorando istorum animo ulterius proponebat: Initio qvidem svadente Arausionensi decretum sibi fuisse tota vi in Gallum vertere, ac Svecos propulsasse satis habere. Sed nunc gravibus de causis id consilium mutasse, præsertim cum de Cæsaris destinatis nondum constet, qvem multi in pacem inclinare suspicentur. Ac Danum magnopere expeditionem Rhenum versus dissvasisse, ac ut omni vi in Pomeraniam catur ingessisse. Qvo fine se propediem huc moturum, & auxilia ex fœdere debita Duces poscere. Super cerimoniis facturum, qvod Collegis suis placuerit; nec arbitrari plus à se exigi posse. Ad qvæ Heimburgius: qvia Duces Cæsare, Belgis, & Hispanis autoribus bello in Gallum se sociaverint, in horum arbitrium ab istis conferre, in qvas leges pacem cum Gallo inire velint, sed qvæ satisfactioni ipsorum è Sveco petendæ fraudi esse non debeat. Cæterum sibi probari, qvod Elector tota vi rem in Svecos gerere instituat; ac Duces facturos, ut studium suum isti adprobare qveant, etsi ex fœdere ante biennium inito ad auxilia non teneantur. Tum nil præter totiens ingesta de cerimoniis, ac Inferioris Saxoniæ hospitiis ingerere. Magis adhuc Electoris animum perstringebat, qvod cum Schutzio Neomagi à Cæsareis, & Hispanis objiceretur, Duces in culpa esse, qvare Belgæ ad tam distorta consilia descenderint, dum copias ad Rhenum, & Mosam mittere recusant; is culpam in Electorem retorqvere conaretur, qvod hic omnes vires in Pomeraniam vertere voluerit; unde Ducum copiis parum profici potuerit; qvi alias tota vi in Gallos eundum censuerint. Idem Gallis proposuerat, si Bremensis provincia Ducibus relinqvatur, hos deinceps medios fore. Id qvod Galli velut nimis caro emtum rejecerunt. Unde & post Duces cum satis intelligerent Bremæ possessionem sibi in lubrico fore, qvamdiu Sveci in aliqva adhuc parte Germaniæ hærerent, Electori III M peditum D eqvites ad subigendas Pomeraniæ reliqvias ultro submiserunt.

Cum Monasterii ejus alia.

§. 96. Inter ambigua ista Luneburgicorum consilia Elector tentaverat, num Monasterienſem arctius sibi innectere, ac per hunc supplere posset, qvod auxilium sibi per istos subtrahebatur. Unde misso 1678.
Ledeburio super strictiore conjunctione proponebat, simul ejus sententiam exqvirebat, qvid consilii contra Domus Brunsvicensis suspectas actiones, ac prætensiones capiendum sit. Nam Cellensem Ducem obtentu præfecturæ in militiam Inferioris Saxoniæ tantum non imperium in hanc cum absoluta disponendi facultate sibi arrogare, magno cum præjudicio, atqve contumelia reliqvorum Ordinum, nec Daniæ Regi, aut sibi assignata hospitia concedere; tum totam Bremam in se trahere; nec rationi locum relinqvere, sed omnia sua ex libidine agere velle. Præterea in Danum, seqve, ac ipsum Præsulem novas prætensiones movere; præstationibus ex fœdere debitis vario obtentu se subtrahere; deniqve ubi postulata non protinus annuantur, haut obscure minari, se non solum pro communi causa nil amplius facturum, sed & plane in hostium partes concessurum. Ista cum neminem magis, qvam se, Daniæqve Regem, ac Præsulem tangant, necessum esse, ut ipsi inter se consilia conferant in eum casum, si Duces à fœdere deficiant. Qvia etiam Duces in fœdere ante biennium inito promissa auxilia, nisi nova postulata annuantur, negent, eoqve & ipse non teneatur ad præstanda ea, qvæ vicissim obtulerit, se ista jam Præsuli offerre, si IV M militum solus exhibere, & pro iis concessa Ducibus commoda acceptare velit. Ei magis devinciendo ostendebat, majorem partem in Bremensi provincia occupatorum non Præsulatui, sed ejusdem familiæ attribuendam esse. Præterea Duces, dum Meclenburgica, ac Lauenburgica ditio iis ceditur, promisisse ita se eam tuituros, ut hosti non sit facultas ibi irrumpendi, ac sibi, aliisqve fœderatis damni qvid inferendi. Eo tamen neglecto januam Kœnigsmarckio apertam in Meclenburgicam invadendi, id qvod exigua manu impediri poterat; ac speciem collusionis cum hoste habere, qvod viarum angustiæ, qvarum ea regio plena sit, vel non custoditæ, vel ultro desertæ fuerint. Huic igitur dominatui in Saxoniam Inferiorem qvomodo deinceps obsisti possit, Præsulis sententia exqvirebatur. Præterea Ledeburius velut privato nomine mentem Præsulis explorare jubebatur super postulato Ducum de cerimoniis, tum Electoris acta eidem adprobare, velut qvem haut decuerit Cæsari, Regibus, & Collegis præjudicii qvid adferre. Neqve vero eam prætensionem Principum ordini in universum bono cedere, sed tantum in peculiare fastigium ejus Domus strui, dum eadem talibus

1678. rationibus ſtabilitum itur, qvas alii Principes, etiam qveis prior præſta locus debetur, in ſe trahere neqveant. Præterqvam qvod hujus temporis non ſit, ejusmodi controverſiis animos eorum diſtrahere, qvos concordi ſtudio ad commune decus patriæ vindicandum incumbere decebat. Et qvia Duces qvidqvam in communem hoſtem gerere nolint, niſi novis, iisqve importunis poſtulatis ſatisfiat, facile adparere, iſtos prætextum duntaxat aucupari à bonis partibus ſeſe diſſociandi. Ad iſta Præſul non niſi ambigue, & laxis verbis reſpondere, ac velut metueret, ne iſta in publicum emanarent. Poſt tamen paulo liberalius offerebat de conjunctione cum Electore, in qvam & Daniæ Rex adſciſcendus ſit. Poteſtatem, qvam Duces ſibi in Saxonia Inferiore arrogent, haut tolerandam, & aſſignata hoſpitia vi contra qvoſcunqve tuenda. Tum inhoneſtæ paci omni modo reluctandum; qvo fine a Daniæ Rege, Electore, ac ſe conſilia, viresqve ſtrictiſſime ſint jungenda; qvod negotium tamen is Hafniam rejiciebat. Super cerimoniis mentem ſuam premebat, niti qvod innueret, eam Domum novum Electoratum parturire. Copiarum Præſuli parum ſupererat, poſtqvam Daniæ Regi VI M addixiſſet. Ratam tamen partem ex fœdere, etſi non ſine variis difficultatibus offerebat, ſimul III M militum ad expeditionem in Rugiam, pro qvibus aliqvid terrarum in ea inſula ſibi depoſcebat. Utrumqve irrito eventu ob infinitas procraſtinationes; inter qvas demum mors ſenem rebus humanis exemit; qvibus turbandis iſte plus qvam pro decoro ſui ordinis contulerat.

8. April.

Cum Daniæ Rege acta.

§. 57. Ita ſolus Daniæ Rex ſupererat, cujus conſtantia Elector tuto niti poſſet. Enimvero tum ejus Regis, tum Electoris deſtinatis non modica remora injiciebatur, copiis, qvæ Rugiam inſulam inſidebant, à

22. Jan. Kœnigsmarckio deletis. Eo conflictu Elector unam eqvitum legionem, qvinqve dimacharum cohortes, cum CCC XL ſelectis peditibus amiſerat, qvi fere ſoli in hoſtem pugnaverant, cæteris cum initio ſtatim Rumorius, cui in copias iſtas imperium erat, machinæ globo cecidiſſet, in fugam ſe dantibus. Culpa cladis in iſtius Rumorii inſcitiam conferebatur, niſi magis incuſandus erat Vincentius Joachimus Hahnius, qvi monente licet Electore, ut alius peritior dux inſulæ præficeretur, iſtum ſuſtinuerat. Qvi & idem flagrantiſſima tunc Regis gratia florens omnia bona conſilia ſubvertere arguebatur, factioſis qvoqve machinationibus, qveis aulam exercebat, præſtantiſſimum qvemqve ducum protelans; non exiguo Danicorum armorum damno. Sed & Cornelio Trompio per Nicolaum Julum, ejusqve factionem multum moleſtiæ dabatur, ſolita indigenarum adverſus eminentem exterorum virtutem invidia, ita ut iſte miſſionem flagitare inciperet. Et qvanqvam connitente Electore Rex demum eidem ſatisfacere vellet: tamen cum is oſtenderet, veniam ſibi a Belgis, & Arauſionenſi petendam, ut Danicam militiam continuare liceret, Julus, & alii æmuli id præcipue exaggerabant; claſſem haut tuto committi ab extraneo pendenti, ſic ut demum iſte à Dania dimitteretur. Cæterum Elector jam mature ſuper recuperanda Rugia apud Regem proponebat, qvam & hic cordi ſibi eſſe oſtendebat. Sed prævertebat cura ſubveniendo Chriſtianſtadio, cui non niſi ad Julium menſem annona ſuppetebat. Interim de fœdere ſuper mutua evictione eorum, qvæ Sveco erepta fuerant, Hafniæ tractari cœptum, qvo & Monaſterienſis Nicolaum Zizevicium miſerat. Eodem & Rex Luneburgicos invitaverat; ſed qvi reſponderunt; ei ſe fœderi accedere non poſſe, niſi legatis ſuis Excellentiæ titulus, & alia Ambaſiatoribus ſolita tribuantur, ac ſuper Bremenſi partitione conveniatur. Ad qvæ Danus regeſſerat; ſuper partitione prædæ facile conveniendum, modo de ejusdem evictione cautum ſit. De cerimoniis annuere non penes ſolum Electorem, ſed totum collegium eſſe. Etſi Rex cenſebat; ſi maxime ipſe, & Elector Ducibus circa cerimonias gratificentur, eos tamen nova effugia qvæſituros, ne qvid in communem caulam conferant. Nam apud iſtos, ac inprimis Cellenſem aulam fixum ſedere, ne ſibi, atqve Electori plus potentiæ, terrarumqve adcreſcat; nec in obſcuro eſſe, eosdem Electori Pomeraniam invidere. Cum Elector Regi à Ducibus per

18. Maj. Heimburgium propoſita communicaſſet, Rex eum agendi modum valde mirabatur, ac ab Electore maſcule, ac ſolide reſponſum fuiſſe. Cæterum qvanqvam iniqva iſta ſint; præſenti tamen tempeſtate omnem cum iſtis colliſionem vitandam: nec ideo anxie nimis eosdem captandos, ne majores ſpiritus ſumant, & ad iniqviora poſtulanda deſcendant. Cum porro Rex arcta conjunctione inter ſe, Electorem, Duces, ac Præſulem opus judicaret, ne ipſis neceſſum foret obtruſas à Gallo leges admittere; eam rem fervide urgebat usqve adeo, ut cum Elector tardius moliri videretur, nonnihil ſuſpicionis conciperet, velut ea res parum

Maij.

Zizewitz.

ipſi

1678. ipsi curæ foret, qvod forte per Belgas rationibus suis consultum iret. Sed cum Elector facile sinceritatem consiliorum suorum Regi adprobasset, negotium jam ad Duces hærebat, qvi alibi qvam Hafniæ id fœdus tractari volebant; id qvod non parum moræ, ac difficultatum pariturum erat. Tum & Wittorfius Ducum ablegatus Friderico Brandio velut secundario Electoris ministro cedere loco abnuebat. Qvi & ferre nolebat, ut in tractatu solita verba, ubi dispares dignitate inter se agunt, '*altissime*, & *alte memorati*, sed alterutrum duntaxat ponerentur. Id qvod Dani non sine irrisu nimiæ scrupulositatis hactenus concedebant, ut utrumqve eorum vocabulum omitteretur. Nec minus super Bremensis provinciæ partitione Ducibus, uti voluerant, Rex cavebat. Demum cum reliqvi ad fœdus subscribendum parati essent, Wittorfius nova postulata proponebat, ut Rex Cellensi Duci prius Caroloburgum tradat, qvo facto eum copias Rugiæ occupandæ commodaturum. Unde cum iste novas semper tricas moveret, Dani censebant, fœdus inter se, Electorem, atqve Præsulem concludendum, relicto Ducibus loco, si accedere placeret. Etsi haut verosimile erat, Duces accessorii loco considerari velle. Ac jam Dani de iis fere desperaverant, postqvam audissent, Schutzium Neomagi cum Gallis sedulo conversari, cum fœderatis frigide agere, Electoris legato plane non visitato. Etsi Duces novissimo Domus suæ conventu decrevissent Bremensem provinciam pro summa pecuniæ non restituere. Ita demum inter Daniæ Regem, Electorem, & Monasteriensem solos fœdus perfectum fuit; cujus scopus erat, iniqvas pacis leges, qvas Gallus obtrusum ibat, amoliri. Qvo fœdere inter ipsos conventum est, constanter sibi mutuo adhærere, consilia, viresqve sociare, nec pacem nisi communi consensu inire, spretis hostium artibus circa ipsos dividendos adhibendis, si & qvam maxime reliqvi fœderati deficiant. Eo fine totis viribus bellum in Svecum persecuturos, qvoad ab hoc satisfactum sibi sit. In id fœdus ut Cæsar, Anglus, Luneburgici, atqve alii pertrahantur, operam dandam. Separati inde articuli formabantur, qvibus de satisfactione, copiarum numero, aliisqve exprimebatur; sed qvi ob intervenientem Præsulis mortem non absolvebantur, omissa qvoqve fœderis ratihabitione, qvod novus Præsul Ferdinandus Furstenbergius antecessoris sui fœdera agnoscere nollet. Alias circa pacem in eo Rex cum Electore consentiebat, ut sistendæ Belgarum præcipitantiæ declararent, se qvoqve ad tractandum paratos esse. Sed & Rex tentandum censebat, annon cum Gallo transigi possit, exclusa Svecia. Unde legatum suum Goæum in Hispaniam iturum ex itinere apud Pomponium Lutetiæ cogniturum, qvæ Galli circa Boreales fœderatos mens sit. Etsi Brandii dubitabant, num consultum sit Galli officium admittere cum Sveco acturis, velut in causa propria. Nec è re fore cum Gallo tractationem suscipere, nondum absoluto fœdere mutuæ evictionis, qvod Gallus non blandimentis, & submissione, qvæ debilitatem, & dissensionem inter socios arguant, sed virium ostentatione permovendus sit. Sed & forte Cæsarem hoc modo offensum iri; eoqve videndum, qvid Hispani facturi sint, qvi decrevisse dicantur totum potius Belgium amittere, qvam in Hollandorum gratiam limitem tantis sumtibus tueri, cum hi optimam regionis partem, & urbes, è qvibus miles alendus erat, tam futili modo Gallo concesserint.

1678. 2. Jul.

Fœdus inter Daniæ, Electorem & Monasteriensem. 4. Aug.

§. 58. Porro circa administrandum bellum Dani hoc anno varia consilia agitabant, qvæ si successissent, spes erat Svecos ad pacem, qvalem Rex, & Elector optabant, compelli posse. Nam & Gothoburgum opprimere animus erat, ac incursione in Westrogothiam facta omnem late regionem incendiis vastare: tum & octo militum millia, dum Svecicus exercitus in Scania hæret, non procul Holmia in terram exponere, eamqve urbem prius direptam inflammare. Sed qvæ destinata, qvod non satis digesta essent, in irritum cadebant. Nam qvæ in Gothoburgum agitabantur, nimis mature dispalescebant; & qvæ hisce exsequendis destinatæ erant copiæ, non sat mature eo pervenire poterant per adversos ventos in Oresunda detentæ, ut Svecis interim spatium foret ei oppido prospiciendi. Sveci qvoqve alteram Albis Westrogothici ripam ita custodiebant, ut Danis ibi perrumpere haut daretur. Nec minus Bahusii obsidium irritum erat. Cum enim Gyldenlevvius munimenta jam eousqve disjecissent, ut assultus commode dari posset, copias eo fine ex Hisingia insula evocabat. Id cum Sveci animadverterent, IX M militum in eam insulam trajiciebant. Unde isti obsidium solvendum erat, cum alias paucas intra horas ea arx expugnanda videretur. Ut autem destinata in Holmiam succedere possent, necessum fuerat, ut Svecica classis prius prælio vinceretur. Ast dum Dani cunctantur, ea classis in fretum Calmariense pene-

Arma Danorum eo anno parum succedunt.

1678. penetraverat, ubi neqve invadi, nec ad prælium compelli poterat. Ea vero integra haut licebat Danis in superioribus Sveciæ partibus qvid tentare, qvod circa excensionem districtos, aut in terram expositos Svecica classis à tergo invasura erat. Ut Christianstadio succurreretur, Regi magnæ curæ fuerat, qvi & ad id oppidum liberandum validis cum copiis accedebat. Sed eos conatus duo gravissimi errores ab Arensdorfio, cui in exercitum imperium, irritos reddebat Nam primo accessu non procul Christianstadio Dani Svecis improviso supervenerant, qvo tempore horum dextrum cornu pabulatum iverat, non nisi sexaginta dimachis tectum. Unde omnes reliqvi duces svadebant, protinus sparsos, & incompositos invadendos, solo Arensdorfio renitente; cum non dubium haberetur, qvin Svecis repentino assultu insignis clades inferri potuerit. Nec minus omnes duces svadebant, ut tres colles occuparentur, qvi medio spatio, qva machinæ globus adigi potest, à Svecicis castris distabant, è qvibus hæc magnis incommodis affici poterant. Sed Arensdorfio renitente res in seqventem diem dilata est. Alt Sveci seqvente nocte eos colles insederunt, eosqve milite, ac machinis firmarunt, ex tempore lorica circumposita. Æqvo autem campo prælii aleam tentare haut placebat, qvod copiæ, qvas è Norvvegia Rex expectabat, nondum advenissent, ac Svecus commoditate loci, ac eqvitatu prævaleret; nec tutum eo rerum articulo ancipitis qvid aleæ suscipere. Ita ejus oppidi liberatio omittenda fuit, qvod mox subigente fame in Sveci potestatem redactum; Arensdorfius ob male consulta imperio amotus fuit.

Super' expeditione Electoris hoc anno consultatur.

§. 59. Ast qvid bellicarum actionum Electori hoc anno suscipiendum foret, initio dubitabatur. Nam Arausionensis qvidem svaserat, ut is totas vires in Gallum verteret, Svecos arcuisse contentus. Id qvod & ratio suggerere videbatur, postqvam Rugiæ occupationem, citra qvam in Stralsundam nil tentari poterat, Danus protrahebat. Ac si Belgæ, inde Hispanus, ac Cæsar, desertis reliqvis fœderatis pacem amplecterentur, parum profuturum erat Rugiam cepisse, omnibus tunc ad libidinem Galli restituendis. Præsertim cum Schombergius cum XX M à Gallo in cliviam irrumpere jussus esset, cum Pomerania post permutandam. Ast si validus ibi exercitus consisteret, si non Belgas, Hispanos saltem, & Cæsarem à separata pace cohibendos. Atqve id consilium initio Daniæ qvoqve Regi probabatur, ut tamen necessarium judicaret ab Electore VIII M militum in Pomerania relinqvi, ne ipsius ditionibus à Kœnigsmarckio, aut copiis à Bethunio in Borussia conductis aliqva noxa inferretur. Sed postqvam reliqvi socii vacillabant, ac periculum Cliviæ minuebatur, nec ea licet expeditione suscepta impetus in pacem sisti posse videbatur, satius judicatum bello contra Svecos colophonem imponere, qvod iis plane Germania pulsis facilius Pomerania obtineri posset, qvam si adhuc in aliqva ejus parte hærerent. Ac si unus hostis plane amotus foret, in alterum omnes vires verti posse. Qvod & mox Dano placebat. Nam Electore versus Rhenum digresso Borussiam, Pomeraniam & Marchiam periculo exponi; ac notas esse Poloni cum Svecis colluliones. Tum classem Svecicam in Calmarienſi freto jacere, ubi lædi non posset; cui facile futurum sit, si Danica classis mense Octobri mare non amplius tenere qveat, aliqvot militum millia in Rugiam trajicere. Igitur qva præsentissimum periculum immineat connitendum, & Kœnigsmarckium penitus opprimendum, qvi, qvoad virium qvid supersit, turbas dare haut omissurus sit. Nec se, si qvid damni Elector accipiat, subvenire posse, cui Svecus tota mole incumbat. Deniqve & sua qvam maxima interesse, Svecos penitus Germania eliminari, ut Holsatiam, & Jutiam in tuto collocet. Eum igitur in finem Elector jam mense Julio in Pomeraniam cum exercitu accesserat, classis Danicæ adventum non sine impatientia expectans, citra qvam respectus Svecicæ classis destinata in Rugiam suscipere haut permittebat. Sed apud Danos lente res succedebant, culpa uti credebatur Hahnii, occulto in Electorem odio laborantis, qvod metueret, ne is pro amicitia, qvæ eidem cum Rege intercedebat, noxias ipsius artes detegeret, ac uti inter multa alia mala id qvoqve publico noceret, qvod præstantissimum qvemqve subvertere studeret, ne per eum forte gratia Regis interciperetur.

Elector Rugiam insulam occupat.

§. 60. Interim Elector qvantum poterat navigiorum ad ostium Penæ contraxerat, qvibus copias suas imponit, postqvam Danicam classem sub diverso Rugiæ litore versari intellexisset. Inde ostio Penæ egressus versus Rugiam summo mane vela facere cœpit. Erant CCX navigia diversæ formæ, ac CXL cymbæ, in ordinem digesta, prout miles qvem vehebant in terram exscendere, ac in acie consistere debebat. Dextrum cornu curabat Schœningius, sinistrum

12. Sept.

1678. ſtrum Hallartus, uterqve ſummi vigiliarum præfecti dignatione; mediam aciem Gœtzius ſummus vicarius ductabat, univerſis Dœrflingius ſub ſupremo ipſius Electoris moderamine imperitabat. In prætoria Electoris nave agebat Cornelius Trompig claſſi temperandæ conſilia ſuggerens. Deſtinaverat Elector primo Palmerortam verſus tendere, ut hoſtem eo pertraheret, inde repente Putbuſium vertere, ibiqve terram capeſſere. Sed cum circa meridiem ſub Palmerortam perveniſſet, vento remittente, inde ex auſtro in ſubſolanum mutato eo die Putbuſium attingere non licuit, ſed medio inter utrumqve locum ſpatio anchoræ jaciendæ erant. Dum claſſis circumagitur, & tranqvillo ſalo prope littus hæret, Sveci continuo è decem machinis in eam jaculabantur; ſed trecentis triginta amplius ictibus non nili duo homines qvos inter Crummenſeus ſu. tribunus cæli, totidem 13. Sept. fauciati, illæſis plane navibus. Seqventi luce, cum jam Elector vela facere, & ubicunqve ventus faveret terram tenere imperaſſet, Jonas Julus è Danica claſſe veniens referebat, Danicas copias ad procurrentem Wittoviæ peninſulæ angulum pedem fixiſſe, ubi ſexcentos eqvites, centum qvinqvaginta pedites hoſtium ante ſe reperierint, qveis fortiter repulſis locum ceperint ſexaginta ſuorum deſideratis. Igitur Elector denuo exſcenſionem properare jubebat, ne Kœnigsmarckio tempus foret tota vi Danos in Wittovia, qvod deſtinaverat, opprimendi. Sub meridiem vento langvente majores naves machinis inſtructæ remulco verſus terram pertrahebantur, qvibus diſpoſitis miles conſcenſis cymbis alacriter littus invadebat. Propinqvantibus noſtris hoſtiles eqvites in vicinis montibus ſeſe oſtendebant, qvibus Kœnigsmarckius ipſe aderat, ex editiore loco machinis in noſtros exſcendentes fulminans. Sed is animadverſo horum ardore, & qvod jaculationibus inſuper habitis in phalanges ſe explicarent, ſimul extractis in terram machinis pedem inferre inciperent, deſerta ſtatione raptim recedebat. Mox eqvites, ac ipſe Elector in terram deſcendebant. Dœrflingius inde cum parte eqvitatus, qvæ primum in terram expoſita fuerat, hoſtem inſeqvebatur, cujus octo alis ducenti noſtri eqvites invecti eas in fugam propellebant, erepto uno ſigno, unaqve machina. Eo 14. Sept. qvoqve die, & ſeqventi nocte ducenti amplius captivi intercepti. Poſtera die Dœrflingius propere ad caſtellum apud veterem trajectum progreſſus hoſtem ibi trepidantem, & circa trajiciendos in continentem milites occupatum reperit. Unde ſtatim 1678. qvingentos Schœningio ducente ſecundum littus progredi, & caſtellum, qva mare alluit, oppugnare jubet. Qvi ubi manum cum hoſte conſerere cœpiſſent, in diverſa parte eqvites ad pedes deſcendentes & ipſi munitionibus aſſultabant. Ita caſtellum illud impetu expugnatum, ac præter aliqvot centurias, qvæ inter conflictus fervorem ceciderunt, ſeptingenti capti. Kœnigsmarckius cum fortiſſime reſtitiſſet, extremus ſuorum in cymbam inſiliens evaſit. His in conflictibus noſtrorum non amplius qvadraginta 16. Sept. ceciderunt. Demum & cum noſtri ad caſtellum apud novum trajectum acceſſiſſent, ac ejus oppugnationem orſi eſſent, aliqvot machinis diſploſis, qvi præſidium intus agebant Germani exuto obſeqvio Svecos inde expulerunt, caſtellumqve Electori dediderunt. Præfectus animadverſa ſuorum conſternatione mature ſe ſubduxit. Ita Sveci tota inſula ejecti ſunt, & Kœnigsmarckius cum reliqvis copiis ſub Stralſundæ machinis conſedit. Inde Elector duo peditum millia ad oppugnandam Denholmiam inſulam, cui & ipſi caſtellum impoſitum erat, miſit; qvod & levi negotio in poteſtatem redactum eſt.

§. 61. Elector poſtqvam copias iterum in continentem revexiſſet, idoneo per Rugiam præſidio relicto, extremam manum Svecico bello imponere inſtituit, expugnata Stralſunda, qvæ ante qvinqvaginta annos Svecis aditum in Germaniam ultro aperuerat. Qvia autem ea urbs hucusqve invicta fuerat habita, Elector committente Cæſare ſtatum immediatarum Imperialium civitatum eidem obtulerat. Ac poſt expugnata Rugia humaniſſimis literis datis 18. Sept. ſignificabat; *Poſt occupatam Rugiam, & Denholmiam nil ſupereſſe præter Stralſundam, cujus declaratio, ſive ſalutem ſeu exitium eligere placeat, nunc expectetur. Etſi autem vires ſibi non deſint civitati per arma ſubigenda; tamen cum eam ſemper benevolentiæ proſecutus ſit, & adhuc ejus conſervationem ex animo optet, ſe reqvirere, ut aliqvos ſuorum ad ipſum in Rugiam mittat, à ſe ad civitatis ſalutem & emolumentum proponenda auditurum. Qvæ quidem ita comparata ſint, ut non dubitet, qvin univerſi cives ea libenter amplexuri ſint; qvippe per qvæ ipſi cum urbe imminenti exitio erepti una cum poſteris in felicitſſimum ſtatum, qvalem nunqvam habuerunt, reponendi ſint, tota ſimul provincia deſiderata diu qviete conciliata. Aſt ſi præter ſpem iſta adſpernentur, non poſſe qvin ipſis ſignificet, inter ſe, ac Regem Daniæ convenisse portum civitatis ex utraqve parte obſtruere,*

Stralſunda per literas tentatur.

1678. ere, qvod hucusqve unice ob spem gratæ ipsorum declarationis omissum sit. Tum urbem jactis ignibus inauditò hactenus exemplo oppugnatum iri, qvam in rem necessarius adparatus jam in promtu sit. Qvo casu Deo, hominibusqve excusatum se fore de omnibus malis, cædibus, atqve urbi inde proventuris. Spem tamen esse, ipsos Stetinenſium calamitate edoctos saluti suæ melius consulturos. Ad has literas promtum à se responsum expetit. Stralſundenſes ad hæc reposuere: Se qvidem Electoris gratiosum in civitatem suam affectum venerari, qvo ut frui qveant ex animo optent. Cæterum dolere suam conditionem, in qvam hoc bello præter suam culpam inciderint. Ac uti in rebus, qvæ penes se sint, ac obligationi, qva Regi Sveciæ teneantur, non repugnent, devotum animum Electori adprobare nunqvam omissuri sint; ita cum justus prope exercitus in urbe agat, in sua potestate non esse aliqvem ad proponenda audienda mittere. Unde sperare, sese Electori excusatos habendos, nec intentatam vim adversus miseros a Christiano Principe exsertum iri; præsertim cum rumor toto orbe diffusus propinqvam pacem ominetur, per qvam cessante violentia omnia in certum, & qvietum statum reponenda sint; cujus legibus qvalescunqve fuerint, libenter se submissuri sint: nec tunc Regiæ militiæ, qvæ penes se sit, causam amplius fore Electori molestiam, aut suspicionem excitandi. His literis Kœnigsmarckius suas qvoqve addiderat. Cum è responso civitatis adpareat, eam nexus, qvo Regi Sveciæ obstricta sit, memorem esse, nec in ejusdem potestate situm Electoris desideria ullo modo implere: à se, velut cui urbis custodia sit credita, moneri, hunc, & qvi deinceps clandestinas, aut apertas literas ad se non directas adferre ausuri sint, debitas pœnas daturos. Simul sperare Electorem ex hac sua ac civitatis declaratione, utriusqve officio congrua, ansam haut arrepturum in ædificia sæviendi: sed si qvid infensi agitet, in vallum, & mœnia, & qvi ea tutantur homines exprompturum; id qvod ipse, ac universus orbis illustre generosi animi specimen habiturus sit. Alias inde literas Elector dabat hoc sensu: 1. 08. Se coram Divino Numine testari, non alio fine priores literas missas, qvam ut ex clementia Christiano Principe digna civitatem, ac tot millia innocentium animarum de imminente calamitate moneat, qvo sui conservationem, à Deo & natura ipsis commendatam, curæ habeant. Præsertim cum non animus fuerit peculiare sibi emolumentum ex ea urbe capere, sed eis vel plenam libertatem, vel civitatum Imperialium conditionem offerre, ad qvam acceptandam jamdudum Cæsar per advocatoria edicta, ac exsolutionem à priore nexu viam aperuerit. Sed cum eam repudiaverint adductu ejusmodi rationibus, qvas à se admitti haut posse facile prævidere poterant, & qvæ Stetinenses qvoqve in tantam calamitatem adduxerint; igitur se jam conscientia suæ satisfeciſſe, & coram Deo, ac toto orbe testari, penes se haut qvidqvam hærere culpam omnium malorum, qvæ ipsis imminent. Qvæ super instante pace moveant, ex erronea opinione promanare. A nemine pacem magis impediri qvam à Svecia; ac licet Cæsar, Daniæ Rex, & ipse, qvin Gallus qvoqve parati sint acceptandis induciis ab Anglo propositis, à sola tamen Svecia eas dem eludi. Sed qvicqvid hujus sit, qvamdiu pax, aut inducia non sint, & qvamdiu ipsi eos, qvibus cum sibi publicum bellum sit, intra mœnia, ædesqve suas foveant, ea remedia adversus ipsos adhibenda esse, qvæ ratio belli, & omnia divina, atqve humana jura permittunt, atqve suggerunt. Ac longe adhuc abesse pacem, qvæ ipsorum urbem, ac templa ab instante ruina servare qveat. In arbitrio ipsorum esse, unum plures dè ex urbe mittere, qvi adparatum oppugnandæ urbi speculentur, & ad ipsos referant. Ad Kœnigsmarckii literas reponebatur: Se literas ad civitatem sola commiseratione motum dedisse: nec in animo fuisse ipsi aliqvid injuriæ inferre; sed potius si res ad colloqvium & tractationem deducta fuerit, eidem tales conditiones offerre, qvæ pro captu temporum Regi Sveciæ proficuæ, ac ipsi, cujus spectata bello virtus a se magni fiat, subjectoqve militi magis honori qvam contumeliæ sint futuræ. Sed qvia intelligat, tam amica monita locum non invenire, haut qvidqvam se deinceps ipsum, aut civitatem pluribus literis fatigaturum. Curam ædificiorum, qvæ sibi commendentur, effeciſſe, ut priores literæ à se scriberentur. Cæterum notum ipsi, semel emissos globos non amplius in nostra potestate esse; ac rationem belli dictare, urbi, intra qvam hostis noster agit, extrema qvantum detur intentari.

1678.

§. 62. Ita cum scriptione nihil proficeretur, ac in urbe omnia ad vim sustinendam pararentur, destructis aut incensis suburbiis, ac recepto, qvi hactenus extra tenderat, intra vallum milite, ad qvod alias civitas per pacta cum Regno Sveciæ haut tenebatur, nec id unqvam antea fecerat; simul ordo, ac præcipui cives fide data Kœnigsmarckio se illigarent, ac hostilia ex urbe inferre cœpissent; Elector qvoqve vim propius admovere instituit. Sed vergente in hiemem anno, ac pluvio cœlo solita, justo obsidio circumponi non poterant urbi natura, & operibus munitissimæ, qvam numerosus miles, ac magna civium armatorum

Stralſundi oppugnatur.

torum

1678. torum multitudo sub fortissimo duce insidebat; compendio uti placuit, omissis fossionibus. Ita prope sub munitionibus urbis aliqvot suggestus exstructi; tum collocandis mortariis depressa loca excavata, qvo ignivomorum globorum confertim emissorum vi inflammata tecta obsessos ad deditionem compellerent. Ita tribus locis suggestus excitati, in Denholmia, ante Francovicam portam, & inter hanc atqve Tribsesensem portam, qvorum duo ita propinqvi vallo erant, ut milites utrinqve è stationibus
10.Oct. sese exaudire possent. Omnibus ita paratis Elector hora decima vespertina ex octoginta majoribus machinis, viginti duobus mortariis, & L machinis lato ore, qveis militare vocabulum *Haubiciorum* est, moderante Ernesto Weilero, fulminari jussit; unde post semihoram media urbe ignis oriri conspectus, qvi successu temporis & continuis globorum jactibus ita augebatur, ut oriente luce dimidia prope urbis pars
11.Oct. flammis involuta conspiceretur. Post sextam horam matutinam è mœnibus, ac turribus tria vexilla albo colore cernebantur. Unde Elector statim jaculationem sisti jubebat, qvod crederet, hoc signo hostem tractatui super deditione sese offerre. Ipse qvoqve hostis jaculationem omittebat, nullo tamen indicio facto, qvid in animo ipsi foret. Unde Elector tympanotribam, inde tubicinem ad urbem ire jubebat, hortatum, ut si obsessi honestam deditionem qværant, aliqvos extra urbem mittant. Sed qvibus nil aliud responsum, qvam ut indefacessant, alias telis proturbandos. Ipse qvoqve Dœrflingius ad Tribsesensem portam adeqvitans idem postulabat; sed cui non sine importunitate par responsum redditum. Cum itaqve inde colligeretur, obsessos nil nisi tempus qværere incendio restingvendo, circa qvod etiam tribus horis, per qvas nostri qvieverant, non parum profecerant, circa horam nonam Elector verberationem continuari jubebat. Ubi ignis denuo atrociter grassari cœpit, sic ut hostis circa meridiem compelleretur inducias qværere, confirmans, è militum, ac civium numero venturos, qvi tractationem auspicentur. Elector etsi semel jam illusus, tamen ut urbi parceretur machinas inhiberi jubebat. Cum per aliqvot horas expectatum esset, demum duo Senatus nomine accedebant, à militibus nemo, nil aliud rogantes, qvam ut Elector urbi inducias indulgere velit, qvo ad Sveciæ Regem mittere possint ejus sententiæ exqvirendæ. Qvæ cum manifestum ludibrium haberent, Elector petito abrupte negato istos protinus in urbem reduci jussit; qvam ubi ingressi 1678
essent, verberatio instaurabatur eo majore successu, qvod post meridiem ventus invalesceret; ac incendio qvinqve locis exorto flamma ita diffundebatur, ut magna pars urbis in cineres consideret, ipsa qvoqve porta Franconica, ante qvam Kœnigsmarckius stationem ceperat, flamma corriperetur. Cum itaqve obsessi indeclinabile urbis exitium prospicerent, Kœnigsmarckius circa qvartam vespertinam significabat, se una cum civitate super deditione actum, eoqve fine obsides missurum. Elector etsi bis jam frustra eos expectaverat, tamen inhibita verberatione summum vigiliarum præfectum, tribunum, ac consulem obsides deposcebat. Ita circa horam septimam vespertinam ex urbe venerunt Bucvvaldus summus vigiliarum præfectus, ac Petrus Maqvelierus tribunus; consul autem atrox incendium excusabat, qvo minus venire posset, crastina tamen luce cum aliis à civitate delegatis utiqve venturum. Ita eam per noctem nil hostile amplius susceptum, ac oppidanis spatium fuit magnam incendii partem restinguendi. Sequenti 12.Oct.
mane istis urbe egressis ab Electore vicissim Schœningius summus vigilum præfectus, Marvvicius tribunus, & Wangenheimius præfectus turmæ in urbem mittuntur. Ita tanti momenti urbs, hucusqve invictæ opinione nobilis, post sedecim non amplius horarum jaculationem, haut notabili Electoris jactura, ad deditionem compulsa est, postqvam ignis dimidiam ejus partem absumsisset una cum annona & molendinis; ac ni deditio properata fuisset, reliqva etiam parte peritura. Deditionis legibus ador- 15.Oct.
natis, atqve subscriptis Electori una porta, & propugnaculum insidendum tradebatur. Fuerant in urbe Kœnigsmarckius summi ducis dignatione, duo supremi vigiliarum præfecti Grothusius, & Bucvvaldus, octo tribuni, duodecim subtribuni, totidem vigiliarum præfecti, qvinqvaginta amplius turmarum præfecti, & centuriones, præter reliqvos præfectos inferiorum graduum. Leges deditionis admodū honestæ indultæ, *ut Dux cum omni milite cujuscunqve nationis more militari excederet, assumtis qvoqve omnibus machinis ad Regnum Sveciæ spectantibus, omniqve adparatu bellico; utqve recta via in proximum Sveciæ portum, qvæ ventus faveat, trajicerentur, Electore cum in usum navigia, tum annonam militibus præbituro, qvoad trajectus fiat. Nec minus excursoribus maritimis, qvi Stralsundæ egerant, ac ministris Regiis, incolisqve amplissime cavebatur. Civitas pristino statui, ac juribus relicta.* Kœ-

1678. nigsmarckius inde cum suis urbe egrediebatur, toto Electoris exercitu cum Luneburgicis legionibus sub Endio duce in ordines digesto consistente; ac isti qvidem tantisper in Usedomo insula per hospitia distributi. Electori urbem ingresso post sacra in æde Nicolai peracta in curia Ordo, & ad ejusdem fenestram civium multitudo jurejurando fidem adstrinxit; qvi post solenne epulum sub vesperam in castra regressus est. Eo illustrior autem hæc victoria erat, qvod ea urbs sat modicis adhuc munitionibus instructa potentissimo, ac victoriis florentissimo Cæsari se opponere ausa est; ad qvam Cæsareus dux Fridlandus, terror tunc Germaniæ, validissimum exercitum ita consumsit, ut inglorius, ac debilis ejus obsidium solvere cogeretur, cum antea jactasset, se vel ferreis catenis cœlo affixam detracturum. Nunc eadem ab Electore nullo memorabili damno maligna anni tempestate haut integro uno die subacta fuit, cum reliqvi militem jam in hiberna deduxissent. In Dania nonnihil offensæ ostendebatur, qvod Elector tam honestas conditiones præsidio Svecico indulsisset. Sed hic excusabat, anni tempus longas cauponationes haut tulisse, & Grypsvvaldiam qvoqve fuisse expugnandam, simul de induciis jam percrebuisse.

18. Oct.

20. Oct.

Grypsvvaldia expugnatur.

§. 63. Sola jam Svecis in Germania supererat Grypsvvaldia, cui post expugnatam Stralsundam victricibus Electoris armis se submisisse pudor haut erat. Huic subigendæ eædem qvæ apud Stralsundam artes adhibebantur, qvod annus jam in hiemem vergeret, ac magna copiarum pars in Borussiam dimissa foret. Terna tamen vice præfectus ad deditionem invitabatur, oblatis honestis conditionibus. Qvas cum

5. Nov. iste adspernaretur, Elector suggestus exstrui, ac machinis rem agi jussit. His sub vesperam oppidum verberari cœptum post mediam noctem tantum flammæ conceperat,

6. Nov. ut miles juxta, atqve oppidani deditionem qværere cogerentur obsidibus emissis, qvam in eas leges, qvas Electori dare placuerat, amplecti necessum erat. Præsidiarius miles illis, qvi Stralsunda emissi erant, qvoad in Sveciam trajiceretur, in Usedomo in-

11. Nov. sula adjunctus. Oppidani Electori fidem jurejurando adstrinxere.

Svecicarum copiarum naufragium.

§. 64. Ita toto hoc bello Svecos infesta fortuna per Germaniam est prosecuta, qvinqvagesimo post anno, qvam pedem Stralsundæ figere cœpissent, ea urbe, ac reliqvis omnibus, qvæ cis mare tenuerant, ejectos. Sed & tenues tanti exercitus reliqvias adversum fatum urgere haut destitit, qvarum magnæ parti reditum in patriam negavit. Qvi Stralsunda, & Greifsvvalda excesserat miles, assumtis machinis octoginta sex, ac mortariis septem, simul archivo Regio, navibus impositus zephyro sat valido Penæ ostio progrediebatur, cursu 4. Dec. versus fretum Calmariense directo. Ast circa mediam noctem cadente nive prospectum adimente pleræqve naves litori Bornholmiæ insulæ impinguntur, incertum qva causa a recto cursu dimotæ, nisi qvod fluxu maris ad dextram depulsas communis fama erat. Clamore à naufragis sublato, qvi ad littus vigilias agebant ignari qvid rei esset, ignum tumultus dedere. Ita protinus sexaginta eqvites ex insula collecti, qva clamor turgebat, ad mare properabant. Luce orta qvadringenti è naufragis, qvi in terram evaserant, cum armis in ordines sese disposuerant; qvi interrogati qvinam forent, Svecos se respondere è Pomerania vectos, nec hostes venire: ac ut vitæ suæ parcatur, qvod à Rege Daniæ diplomatibus tuti itineris instructi sint: ac se paratos arma deponere. Inspecto diplomate gubernator insulæ permisit, ut & reliqvi in terram enitterentur, sed in complures cohortes divisi: qvos insulani, qvi interim omnes ad arma concurrerant, hinc inde templis includere, utcunqve præbitis qvæ necessitas reqvirebat. Eorum qvi aqvis suffocati, & mox frigore ac morbis perierunt, bis mille ducenti amplius numerabantur. Par fere numerus Hafniam adductus, qvos velut bello captos Rex Daniæ detinuit. Color dicebatur, è naufragis qvadringentos armatos in terram expositos stationem in littore cepisse; qvo ipso hostilia sumsisse intelligantur, cum inermes auxilium implorare debuissent: reliqvos sese gubernatori insulæ, qvi alias eosdem undis eripi haut passurus fuerat, sine exceptione dedidisse. Unde & eos non bello captorum sorte censendos, sed ad mancipiorum instar, qvi ex commiseratione leto erepti fuerint. Sed nec qvod isti detenti sint, id promissæ ab Electore guarantiæ, ac literis tuti itineris adversari, si qvidem eas non nisi ad classis præfectos, officialesqve maritimos Danicos directas fuisse, ac ut Sveci in itinere tantum à vi, damnoqve tuti præstarentur. Etsi Sveci contra exciperent; diplomata tuti itineris maritimi etiam in naufragii casum valere debere. Qvo super facto tunc temporis inter partes scriptis certabatur; qvorum rationes utrinqve adductas recensere nostra non interest, qvod id negotium Electorem

non

1678. non ſpectet; niſi qvod & ipſe tres ſuarum navium, totidem Stetinenſium, qvatuor Colbergenſium civium perdidit. Qvanqvam poſtea cum Kœnigsmarckius ſparſiſſe diceretur, ſuper eo naufragio procurando Dobrani inter Daniæ Regem, & Electorem conveniſſe, hic datis literis, qværebat, num iſte ejus rumoris ſe autorem agnoſcat? Id qvod Kœnigsmarckius magnopere inficiabatur, ac talia in ſui contumeliam à malevolis ficta aſſeverabat.

Electur Svecorum è Livonia irruptionem in Borusſiam avertere laborat.

§. 65. Enimvero Elector etſi Svecis tota Germania pulſis nondum omni periculo ab iis immmente defunctus erat. Hi enim jamdudum irruptione è Livonia in Borusſiam facta iſtum diſtrahere agitaverant; qvod & demum ſub finem hujus anni effectui dederunt. Eam tempeſtatem ut averteret Elector, enixe apud Poloniæ Regem laborabat; ſed eo minus apud hunc proficiebat, qvod Sveci, Galliqve offerrent, ſe Borusſiam Electori ereptam ipſi tradituros. Qvi alieni periculi, ac laboris fructum percipere in lucro ducebat; ubi deſtinata non ſucceſſiſſent ipſe nil damni, aut pudoris ſenſurus. Cum itaqve Hoverbeqvius publica admiſſione peteret, ut Rex prohiberet, ne Sveci è Livonia in Borusſiam penetrent; Rex cum Senatoribus ſe conſultaturum reſpondebat; Demum literas ad Regem Sveciæ dabat, ſed ſatis langvidas, qvibus poſtulabat, ut Borusſiæ parceret, velut aliqvando ad Regnum Poloniæ devolvendæ; cum id præcipue urgeri debuiſſet; ſe ad invaſionem illam vi armorum prohibendam per pacta teneri. Dederat qvoqve Elector literas ad Polonum ſuper Svecorum tranſitu prohibendo; ad qvas ſcripto reſpondere hic omittebat declinandæ alterutrius partis offenſæ; etſi ſermone de ſuo in Electorem ſtudio amplisſime teſtaretur. Nec minus ad complures Poloniæ proceres ab Electore literæ dabantur, ut circa impediendam Svecorum è Livonia irruptionem operam navarent. Qvos inter Cracovienſis Præſul per literas aſperrime cum Rege expoſtulabat; ac inprimis, qvod delectus militum pro pecunia Gallica in Polonia permitterentur. De qvibus nil ſibi conſtare Rex excuſabat. Vicisſim Gallicus miniſter Regem arguebat, qvod cum ipſi XXV M uncialium Gedani numerata ſint promovendæ Svecorum in Borusſiam irruptioni, ac ut in Borusſia III M militum conducerentur, è Livonia venientibus Svecis adjungenda, hoc qvidem effectum ſit; ſed Regem pingvioribus Hoverbeqvii promiſſis permotum occulte eum tranſitum impediſſe non ſine prævaricationis nota. Ac eum ſubinde offenſam in Gallos ſimulare, ut hos nova pecunia emungat. Nec minus de Rege Cæſar qverebatur, qvod cum iſte confirmaſſet nullos milites è Polonia in Hungariam fulciendis rebellibus tranſituros, haut eo ſecius Gallico ſtipendio autorati Poloni turmatim illuc iverint, ſatellites Bethunii tanqvam legati Gallici ſeſe ferentes; abſurdo colore, qvaſi legatus cuſtodibus corporis tanto numero inſtructus eſſe debeat. Vicisſim Cæſari curæ erat, ſupremum Polonicæ militiæ ducem ſibi adjungere; cui XX M uncialium offerebat, ut in qvosdam exemplum ſtatueret, qvi milites ad rebelles Hungaros adducebant; tum ut ſua autoritate confœderationem Polonici exercitus prohiberet. Qvam ut idem promoveret, Rex cupierat, qvo enervis patria ſublevaretur, & miles alibi hiberna capere poſſet. Iſti & Bethunius L M uncialium obtulerat, qvo ſuis deſtinatis ne obſiſteret; ſed qvi jam Cæſari de impedienda exercitus confœderatione fidem obſtrinxerat. Elector autem, cum apertum eſſet, copias in Regia Borusſia in ſui fraudem à Gallis conductas ad Jablonovium, inferiorem Polonicæ militiæ ducem, ſcripſerat, ut iſtæ diſiparentur, minatus ſe illas in latibulis ſuis aggreſſurum. Id qvod hic magnopere diſſvadebat, qvod Gallis, ac Svecis gratiſſimum ſit futurum Electorem cum Poloniæ Rege collidi; qvippe per qvod ejusdem vires inſigniter ſint diſtrahendæ; nec ei fini Gallum pecuniæ parciturum Forte & Regem læto animo occaſionem arrepturum arma in Electorem movendi; qvi & conſpecto earum literarum exemplo dixerat: ab Electore ſibi bellum indici. Sed & pacem jam cum Turca firmatam; exercitum famelicum, qvi lætus ſeſe locupleti provinciæ infuſurus ſit, immenſa inutilis turbæ colluvie ſe agglomeratura. Regi qvoqve popularem, & plauſibilem cauſam fore, ſi Nobilitati demonſtret, uti non ſolum Kalcſteinius è regia Michaëlis ſubductus ſit; ſed & Elector jam armata manu intra Regni fines irrumpat, copiasqve opprimat, de qvibus nondum conſtet, num in iſtius fraudem ibi conſiſtant. Wieſnovicius qvoqve archiſtrategus amico cuipiam ſuo dixerat: In Cæſarem qvid tentare nefas eſſe; ſed contra Electorem forte ſibi facile cum Rege conventurum; cui & Draheimi ab Electore vindicati memoria nondum exciderat. Unde Jablonovius cenſebat; etſi copiæ iſtæ in Borusſia ad Polonicorum ducum imperium non ſpectent; Regibus autem non liceat copias ſeorſim habere: ſatius tamen

Jablonowski.

1678.

Ex Boruſſia.

12. Jan.

4. Febr.

7. Maji.

1678. fore, ut Elector Regem super his liqvidam declarationem poscat, qvam ut statim vim adhibeat. Et si utiqve istæ copiæ dissipandæ sint, domestica id vi faciendum. Qvod si autem Rex infesti qvid in Electorem agitet, Rempublicam summa ope reluctaturam; nec sibi difficile fore exercitum in Regem fœdere inito excitare. Iis super copiis cum Cæsareus minister apud Regem moveret, ac Electori justam causam esse suspicionem inde concipiendi, hic respondebat: duodecim fere centurias esse, propriam sibi militem. Simul confirmabat, eas nec Cæsari, nec Electori noxæ fore. Se qvoqve Gedanenses monuisse, ut sine mora Lillichœckium urbe dimoverent. Cumprimis autem Elector circa devinciendum sibi Pacium Lithuaniæ archistrategum laborabat, ut is Svecos transitu in Borussiam arceret. Qvem ut Principis dignatione Cæsar efferret, Elector Viennæ instabat. Ac iste qvidem pronum se ostendebat; sed super præmiis cancellariæ persolvi solitis difficultas erat, talia remittere nesciæ, præsertim cum magna istarum pars Moguntinum spectaret. Demum tamen Cæsar declarabat, se taxam istam, qvam vocant, è suo ærario persoluturum: sed cautum sibi esse oportere, à Pacio solidi qvid ad communem causam collatum iri. Enimvero apud istum qvam maxime pecunia opus erat, ad qvam Cæsar, ac Daniæ Rex qvidqvam conferre abnuebant. Et Gallicus minister Akakia ad eundem profectus sine dubio Gallico auro virum inunxerat, cui, qvæ ab Electore dabantur, præponderare non valebant. Nec ignarus erat iste Pacius solitarum qvibusdam Polonis artium; ab utraqve partium pecuniam accipere, ac neutri qvid præstare.

Circa Strauchium liberandum agitata.

§. 66. Super liberando Strauchio Theologo tunc qvoq; multa movebantur. Cum Rex Gedano digrederetur, per Hoverbeqvium Electorem rogabat; cum ipse Reformatis Gedani tantum favoris exhibuerit, ac deinceps exhibiturus sit, ut is in sui gratiam Strauchium dimittat. Unde & qvi reformata ibi sacra profitentur, pro istius liberatione impense intercedebant, qvam & reliqvi Protestantes optabant, qvod plebem ei viro addictam intemperiæ agitarent, ac metus esset, ne sub prætexto seditionis cohibendæ præsidiarius miles urbi immitteretur. Sane Bakovius Mariæburgensis Palatinus à Gedanensibus petebat, ut III M militum argento Gallico conductorum, qvi in vicinia agebant, intra urbem admitterent plebi coërcendæ. Sed Elector haut consultum ducebat eum dimittere ferocia nondum exuta; qvi & abnuebat Gedanum literas mittere, ubi plebs, mortuum eum credebat. Ac dudum plus libertatis ei indultum fuisset, ni periculosa literarum commercia exercuisse deprehensus fuisset. Post tamen cum à Senatu Gedanensi delegati ejus liberationem expeterent, Elector ut his annueret, eo magis permovebatur, qvod ipse Cæsar super ejus urbis periculoso statu moneret. Cui Elector respondebat: Adesse jam à Gedanensi ordine missos, qvi de periculo suo graviter sibi exponant, ac Strauchii liberationem petant, qvam ipsi unicum remedium judicent ad concordiam, & qvietem urbi reducendam. Eqvidem multas sibi esse causas, qvare turbidi hominem ingenii detineat, qvi postqvam Gedanensibus valedixisset, ac Svecorum ministerium suscepisset, à se captus fuerit. Ac merito dubitandum, num ab eo, unde omnia mala promanarint, medicina qvoqve expectanda sit. Nam notum esse, uti is animos civium in se invicem irritaverit, & plebi, qvæ penitus ab ipso pendebat, inusitatam in Svecos inclinationem insinuaverit. Eqvidem missos judicasse, ejusdem Gedani præsentiam non amplius noxiam, sed potius salutarem sedandis vulgi animis, iisqve cum Senatu reconciliandis; unde cum salus urbis concordia civium constet, ab eo dimittendo se non alienum esse, modo id tuto fieri qveat. Cum itaqve eventus in antecessum prospici non posset, præcipua cura de cautione supererat. Ac voluerat Elector, ut Senatus fidem daret, se eum, ubi iterum in transversum abierit, in ipsius manus restituturum. Sed id remissum, qvod delegati negarent, id in potestate situm esse civitatis imperio alterius obnoxiæ. Unde sufficere visum, ut Strauchius jurejurando caveret, se in Electoris, ac fœderatorum fraudem nihil suscepturum, nec ob isthanc custodiam ultionem meditaturum. Cupierat Rex Poloniæ, ut iste vir sibi in manus traderetur, qvo ipse populum Gedanensem CM florenorum, qvi in eum casum promissa erant, poscere posset. Sed qvia metus erat, ne Rex ejusdem opera præsidium urbi imponeret, satius visum Electori eum Senatui tradere. Eam dimissionem malevoli in aula Polonica valde exagitabant: contumeliosum esse, Regi petenti non datum, qvod jam ingratiam oppidanorum concessum fuerit. Et qvia Elector ab urbe cautionem exegerit de isto restituendo, si extra orbitas vagetur, prætextum ab Electore qværi actionem urbi intentandi; nisi forte Strauchius clam ei

1678. 29. *Maji.*

fidem

1678. fidem dederit, de urbe in ejusdem manus tradenda. Qvæ præcipue a Bethunio exaggerabantur. Ac ipse Rex Sierovio ministro Cæsareo dixerat; qvod Elector sibi negarit, id jam in eerdonum gratiam feciſſe: ac se metuere, ne Strauchius iterum cum Lilliehœckio turbas det, qvem ipse dudum Gedano exelle optaverit, atqve ordini, ut eum amoliretur, injunxerit. Offensæ tamen mitigandæ Elector scripto ita expresserat: *cum antea Strauchio Rege petente ob temporum conditionem tuto libertati restitui non potuerit, jam sublata ea consideratione, intercedente civitate, in gratiam Regis eum dimissum.* Ac ipse Elector in eundem sensum Regi scribebat, id se in hujus gratiam feciſſe, postqvam obstacula, qvæ antea ejus libertatem impedierunt, sublata fuerunt.

Sierowski

§. 67. Inter ambigua ista Electori curæ erat qvicqvid suspicionum apud Regem oriri posset eximere. Unde cum Lithuaniæ Marescallus magnus Pulobinscius Regi detuliſſet, Pacium archistrategum fœdus in Regem, ejusqve totam familiam iniviſſe, cui etiam Curlandiæ Dux nomen dederit, eiqve Elector clam faveat; ei suspicioni abolendæ hic Niemericium Comitem ad Regem mittebat, qvi de amicitia sua huic confirmaret. Ac vel unicam hanc rationem sane palmariam sufficere omnibus sinistris cogitationibus destruendis; qvod Electoris qvam maxime interſit Poloniæ Regnum salvum, ac florens esse; qvi tamen ipse eam coronam affectare nec possit, nec velit. Qvod officium gratum sibi fuiſſe per literas Rex testabatur. Pervenerant qvoqve ad Electorem duæ literæ, sine die & consule scriptæ, qvibus insinuabatur; esse aliqvos, qvi Regem Poloniæ è medio tollere velint, qvod is impulsu Gallorum, & Svecorum de invadendo Electore agitet, ac multa adversus libertatem ac tranqvillitatem Reip. moliatur; si Elector post peractum facinus eorum protectionem suscipere velit. Qvas literas Elector per Niemericium Regi communicabat, ut si qvid veri subesset inqvirere, sibiqve cavere posset. Rex contra Electori vicissim blandiri, eumqve ac Cæsarem filio recens nato, cum sacro fonte initiaretur, susceptores adoptare, velut vicinorum amicitiam contra malevolos cives qværetet. Tum sancte confirmare, sibi de Gallorum machinationibus, qvas in Polonia contra Electorem agitare arguantur, nil constare, multo minus in aliqvam earum partem se venire. Qvia etiam Rex perspiciebat, magnam spem pacis esse, simul copias Gallicas in Hungaria minui, ac comitia propinqvare, in qvibus fœderati de damnis è Polonia sibi illatis qvesturi metuebantur; idem profitebatur, sibi cum Gallo parum convenire, simul de candore suo testabatur, ac uti nemini fœderatorum noxæ qvid inferre unqvam animus fuerit. Nec eo minus cum is initio de capta Stralsunda velut re adhuc incerta inaudiret, dixerat: id vero Deus prohibuerit. Nam eo facto non solum optatam pacem sufflaminatum iri, sed & Livoniam magno in periculo versari.

Elector Polono suspicionem eximere laborat.

1678.

§. 68. Cæterum qvanqvam Elector omnem lapidem moverat, ut Svecorum è Livonia in Borussiam irruptionem impediret; ea tamen sub finem anni nemine obsistente suscipiebatur. Is transitus qvin saltem tacito Regis consensu sumtus esset, dubium non habebatur. Et cum Cæsareus minister Reginæ dixisset, à Gallis spargi, se Regi XXV M uncialium dedisse, ut ad transitum Svecorum conniveret; hæc rubore suffusa nil aliud reposuerat, qvam, neminem prohibere posse, si Sveci transitum sumere velint. Cum etiam Dux Curlandiæ ex Rege scisciteretur, qvid sibi agendum foret, qvod Sveci per suam provinciam transitum petant; Rex de itinere in neutram partem respondere; cæterum à Regis Sveciæ amicitia nil sinistri expectare, nec Ducem Svecis ad annonam præbendam teneri, tum auxilium polliceri, si Sveci noxam ipsi inferant. Ita cum Duci de animo Regis non constaret, nec Nobiles arma ad prohibendum iter capere vellent, Svecis acriter instantibus transitus permittebatur, exhibita insuper annona, cum belli sedem in suam provinciam pertrahere nollet. Post in Comitiis Grodnæ habitis Putcammerus Curlandicus legatus Ioverbeqvio expostulanti respondebat; Nobiles nisi ostenso Regis mandato arma sumere noluisse. Ex aula autem liqvidum responsum se obtinere non potuisse; etsi de indemnitate, & innoxio transitu promissum fuerit. Pro annona suppeditata pecuniam se non accepisse, sed cautionem datam, id veteribus nominibus addendum. Qvod si Elector qvoqve per Curlandiam in Livoniam ire velit, itidem omnia ipsi præbitum iri. A Pacio qvoqve Henricus Hornius ejus expeditionis dux semel atqve iterum transitum petierat; qvem iste mascule negaverat, Nobilibus qvoqve per Samogitiam ad arma vocatis. Et erat qvidem isti sat valida eqvitum manus; sed peditatum ut sibi Elector submitteret petebat: sed qvem hic suis potius auspiciis rem gerere

Sveci è Livonia in Borussiam irrumpunt.

Putcammer.

1678. gerere malebat. Post Pacius isti excusabat;
19. Nov. à Curlando transitum indultum; ac Nobiles Samogitiæ ad arma vocatos infreqventes comparuisse; nec Lithuanicum exercitum sat validum fuisse, qvod ejus pars in Podoliam contra Tartaros iverit. Simul tribunum Hohendorfium, sæpe à se rogatum, ut duo eqvitum millia trans Memelam mitteret, id omisisse. Nam obtentu Borussicarum copiarum Lithuanos se istis jungere, ac rem in Svecos gerere potuisse. Sat tamen molestiarum Sveci à Lithuanis sentiebant, qvi istos qva poterant carpebant, annonamqve intercipiebant, palantes cædebant, aut spoliabant; ad qvos & multi subigente fame transfugiebant. Constabat porro iste exercitus XIII M bellatorum; inter qvos peditatus sat bonus; sed eqvi pabuli inopia langvebant. Eo exercitu propius movente Bethunius in Borussiam properabat; qvi credebatur copias ibi hærentes cum Svecis sociaturus non solum ad subigendam Electoris provinciam, sed & ut Regi solutum legibus imperium, ac ejus filio successionem compararet; per qvæ Electoris fautores Polonis non parum scrupuli injiciebant. Interceptæ qvoqve
22. Nov. fuerunt à nostris literæ ab Hornio ad Regem Poloniæ scriptæ; se jam antea innoxium transitum in Borussiam petiisse; sed cum sibi responsum non fuerit, è silentio conjecisse, Regem non repugnare. Cum itaqve ad fluvium Niemenem processerit, à Rege nosse cupere, ubi, & qvando se conjungere debeat cum copiis, qvæ in usum Sveciæ hucusqve in regia Borussia egerint. Simul qverebatur, Pacium sibi cum Lithuanicis copiis imminere, qvo minus Memelam expugnare possit. E qvibus, aliisqve ad Bethunium datis literis intelligebatur, eam expeditionem instinctu Galli conscio, & consentiente Poloniæ Rege fieri, eoqve nomine certum inter ipsos fœdus fuisse initum. Intelligebat post Viennæ Crocovius, inter Gallum, & Polonum conventum qvoqve fuisse, ut si pax cum Imperio non succedat, Polonus Cæsarem atqve Electorem armis distringere teneatur. Qvod si autem Polonica Nobilitas una cum hisce prævaleat, ac Rex succumbat, huic exemplum Joannis Casimiri imitandum; qvo casu Gallus ei Principatum sit daturus, addita qvoad viveret annua DC M uncialium pensione. Cæterum jam Galli crepabant, Borussiam propediem in alterius ditionem concessuram; nec penes Electorem fore idoneo cum exercitu ei provinciæ succurrere, maxima copiarum parte per Pomeraniæ præsidia distributa. Avocaverat qvoqve Rex per edicta, qvi è Polonia in Hungariam rebellibus militatum iverant; qvi inde digressi recta in Borussiam tendebant iis se juncturi, qvos Bethunius ibi conduxerat. Ii propinqvantibus Svecis se movere cœperunt, jactantes; sese Electorales transitu Vistulæ excluſuros. Ea super Svecorum irruptione Electori Joachimum Sculetum in Majorem Poloniam misit; qvam ejus provinciæ incolæ graviter accipiebant, ac delegatis suis injungebant instantibus Comitiis nil aliud tractare, qvam uti Sveci iterum Borussia ejici qveant. Referebant ibi qvidam procerum, Polonos Svecis nunqvam transitum concessuros fuisse, nisi Viennæ intellexissent, Cæsarem Borussico se bello hautmixturum. Id qvod tamen à Gallis confictum judicabatur, turbandis Majorum Polonorum consiliis: ac Cæsarei idem summopere inficiabantur; etsi iidem ad negotium ibi Svecicum officia duntaxat, non pecuniam, non militem pollicerentur. Sane miserat Cæsar Wenceslaum Althanium Comitem, ut circa eum transitum impediendum satageret; sed cujus opera minus efficaciæ habebat, qvod à pecunia pondus ei non accederet. 1678. *Althan.*

§. 69. Ast Elector iisdem literis, qvibus de capta Stralsunda, & Greifsvvalda significabat, denuo Regem rogabat, ne Svecos per Poloniæ fines transire permitteret; protestatus se extra culpam fore malorum, qvæ inde proventura sint. Nec minus Hoverbeqvius eum in finem in aula Polonica omnem lapidem movebat. Sed facile pellucebant ejus aulæ cum adversa partecollusiones, & qvantum Gallicæ corruptiones fœderibus, ac vicinali necessitudini prævalerent, eoqve nil aliud superarat, qvam ut efficacissimum remedium Elector à se ipso peteret. Eqvidem si ipsi post Svecos Pomerania ejectos toto cum exercitu Rhenum versus ire contigisset, egregium ibi operæ pretium facturus videbatur. Ac forte Cæsaris, ac Luneburgicorum separata pax eo modo impediri poterat, qveis Electore in diversa tendente animi minuebantur, qvod judicarent absqve hoc nihil contra Gallos profectum iri. Sed qvia nemo alius Borussiæ curam suscipiebat, & qvi tueri tenebantur, ipsi eidem insidias struebant, huc reliqvo cum exercitu verrere constituit, qvo Gœrtzkius jam cum aliqvot legionibus præmissus fuerat. Nam ut Clivia servaretur Belgarum, aliorumqve vicinorum qvam maxime intererat, qvos eam libidini hostium exposituros vero simile haut videbatur. Etsi post iidem ne sex- *Elector cum exercitu in Borussiam ire constituit*

centos

1678. centos qvidem milites Electore petente Vesaliæ vellent immittere, qvod portas in Anglia turbas omnem cum Gallo collisionis ansam averſarentur; & qvia Pomponius legatis Belgicis confirmarat, hac hieme iſti provinciæ nil periculi imminere. Ne qvid tamen intentatum Elector relinqveret, Hoverbeqvium Grodnam ad comitia proficiſci jubebat, à Rege auxilium tuendæ Boruſſiæ ex fœdere poſtulaturum. Sed nec ibi qvid proficiebatur, manifeſta aulæ in adverſam partem inclinatione; ac multi procerum, cumprimis Eccleſiaſtici palam fremebant, Remp. hoſtes ſuos propulſare, aut per ſe ſubſiſtere non poſſe, niſi in Regem ſolutum legibus imperium, ac hæreditarium ſuccedendi jus in ejus familiam conferatur. Etſi aula diſſvadebat de poſteriore mentionem fieri, qvod priore obtento alterum ultro ſecuturum ſit. Boruſſia autem parum negotii datura credebatur, velut in qva multi ſint præſentia averſantes, & ingruentibus hinc Svecis, inde Bethunii circa Gedanum hærentibus copiis, qveis ex Hungaria venientes acceſſuri erant, tota provincia inundanda erat. Hornius qvoqve primo in Boruſſiam adventu agreſtes leniter habebat, velut totam provinciam ad exuendum obſeqvium pellecturo. Maleqvoli qvoqve in comitiis ingentem clamorem tollebant, qvod Elector Viſtulam ponte ſtraviſſet, exiguo caſtello juxta excitato; qvem & IX M Luneburgicorum, IV M Saxonum ſecum trahere ſpargebant, qvibus tanqvam exteris Poloni tranſitum concedere non teneantur. Qvin non derant, qvi publice diſſererent; damnum à Turca acceptum è Boruſſia ſarciendum. Et qvia hoc bellum non directe ſuper Boruſſia ortum ſit, ſed hæc provincia tantum occaſione belli Germanici turbetur, Polonos ad auxilium Electori ex fœdere non teneri. Utut pactis cautum eſſet, Electori non ſolum delectus, & tranſitum per Poloniam, & Regiam Boruſſiam competere, ſed & Regem Poloniæ ad tranſitum hoſtibus Electoris prohibendum teneri. Qvi æqviores videri volebant, jactabant; non magis Electori, qvam Svecis tranſitum negari poſſe. Qveis tamen reponebatur; Poloniæ cum Svecis ſimplicem pacem, cum Electore æternum fœdus intercedere, cujus vi hoſtes ejusdem tranſitu arcere tenebantur. Demum Rex in comitiis proponebat; Svecos Gedani Reipublicæ Ducalem Boruſſiam obtuliſſe. Unde ſe Ordinibus mature deliberandum exponere, qvid circa hoc oblatum ſit ſtatuendum. Nam ex ſuo judicio ſe nil decreturum, aut ſuſcepturum, ſed omnia in ipſorum arbitrium collaturum. 1678.
Qvæ propoſitio cordatis admodum à ratione abhorrere videbatur, cum inter ea, ſuper qvibus conſultatio locum habeat, non ſit, num acceptare fas ſit rem amici, ac fœderati, qvam hoſtis offerat, qvando eandem nondum in ditionem redegerit. Atqve hoc ipſo Regem iniqvum Electori animum non minus prodidiſſe, qvam cum comitiis coronationis idem propoſuiſſet, ut Ordines pacta cum Electore interpretarentur, qvæ jam multis ab annis duorum Regum jurejurando firmata fuerant. Ita qvid Electori è Polonia expectandum foret non obſcurum erat, ni fortibus armis contuſo Svecorum conatu iſtius qvoqve malevolentia intra tacitos motus comprimeretur; qvi, ubi qvid calamitatis ille accepiſſet, in apertum erupturi fuerant. Cæterum inter Daniæ Regem & Electorem id qvoqve Dobrani convenerat, ut primo vere aliqvot legiones claſſe in Livoniam trajicerentur, ad Hornium in medio intercipiendum: ſimul Hoverbeqvius interim Polonis occaſionem eam provinciam recuperandi ingerere jubebatur. Qvibus tamen ambagibus opus non erat, poſtqvam initio ſeqventis anni Electori facilis de Hornio victoria obtigit.

§. 70. Enimvero ne Elector ſolidum è victoriis ſuis fructum caperet, properata Belgarum pax in cauſa erat, qvorum exemplum & reliqvi fœderati ſeqvebantur. Etſi eam inter initia abrumpendam ſpes erat, poſtqvam paucos à ſubſcriptione ejusdem dies Galli ad Montes Hannoniæ ab Arauſionenſi non ſuperfunctorie vapulaſſent. Eam urbem Galli hactenus eminus circumſeſſam intercluſa ſubvectione eo redegerant, ut aut ſubigente fame deditio facienda, aut via ad importandam annonam ferro aperienda eſſet. Eo fine Arauſionenſis cum XXX M prope Bruxellas movebat, cui VI M Oſnabrugenſium, III M Celenſium, ac Spanius cum VI M Brandenburgicorum, & Monaſterienſium ſe adjunxerant. Atrox ibi pugna commiſſa, cœnobium S Dionyſii expugnatum, aliis locis Galli depulſi magna utrinqve cæde; etſi ob iniqvitatem loci à ſolo peditatu res geri poſſet. Ingruentes tenebræ pugnantes dirimerunt. Sed per noctem Luxenburgius non ſine confuſione relictis mortuis, ſauciis, tentoriis, atqve annona, qvæ inſederat caſtris ad interiores Montium aditus receſſit. Eo prælio Arauſionenſis ingens periculum incurrerat, cui inter medios hoſtes verſanti præfectus qvidam Gallicus jam

Galli ad Montes Hannoniæ vapulant.

1678. tubum lateri adplicuerat; sed qvem Ovverkerckius globo trajectum eqvo dejecit. Interfuerat qvoqve ei pugnæ Dux Monomuthensis, & Osserius Comes cum legionibus Anglicis, non modica fortitudinis laude reportata; qvam & nostræ legiones meruerunt. Post commissam pugnam demum Arausionensis intellexit pacem Neomagi jam subscriptam. Unde cum consensu omnium ducum Dyckveldium ad Luxenburgium misit, interrogaturum, num is liberum in Montes ingressum permittere velit. Is magnopere stomachabatur, se à Principe post concussam jam pacem oppugnatum. Sed cum Dyckveldius reponeret, Arausionensi de subscriptione non constitisse, idem respondebat: de aditu in urbem permittendo nil sibi mandatum: intra qvadraginta octo tamen horas Regis sententiam se exqvisiturum: interim ab armis cessari posse. Id omnes duces utile judicabant, ut spatium foret reficiendo militi, ac ut exercitui de pulvere ac plumbo prospiceretur, nupero conflictu absumtis, tum ut V M Anglorum adjungerentur. Arausionensis autem eo promtius in breves has inducias consenserat, qvod gravis ipsi ratio reddenda foret, si alter conflictus parum feliciter successisset. Ac si maxime fortuna adspirasset, exprobrandum tamen fuerat, qvod non expectato Reip. decreto exercitum periculo objecissset, tanqvam pacem qvovis modo impedire, ac suam autoritatem augere studeret. Post elapsum biduum Luxenburgius significabat, sibi à Rege injunctum liberum accessum in urbem permittere, tum inducias usqve ad ratihabitionem pacis inire. Nam verebatur Gallus, ne Belgæ post eam pugnam pacem firmare abrsuerent. Istas Villa Hermosa cupide amplectebatur; cui Arausionensis contradicere dubitabat, qvod nondum à Rep. mandatum accepisset, qvid circa has inducias sibi statuendum foret. Sed cum Hispanus arma utiqve poni vellet, Arausionensis qvoqve sibi repugnandum haut ducebat, cui de Belgarum in pacem studio satis constabat. Conventione tamen jam perfecta ab Ordinibus Generalibus decretum adferebatur, qvo Principi permissum inducias amplecti aut recusare, prout ipse è re judicaret. Qvod decretum si prius accepisset, animus fuerat denuo cum Gallis pugnam conferere, toto qvoqve exercitu ejusdem cupidissimo. Ita inter Luxen-
19. Aug. burgium, & Villam Hermosam inducia conclusæ fuerant, qvibus dispositum, qva ratione exercitibus usqve ad ratihabitam pacem agendum esset; qvas & Arausionensis probaverat. Super his induciis fœderatorum legati Neomagi graviter qverebantur, utpote per qvas denuo à fœderibus discessum foret; ac arridente fortuna id potius agendum fuisse, ut malum ex inauspicata separatione ortum reparari posset. Hispani petebant, ne ista sibi tribuantur, qvippe in eam conditionem redactis, ut ab alieno placito sibi pendendum sit. Harenus necessitatem excusabat, de qva ipse fœderatis dudum denuntiarit. Haut eo minus tam acres protestationes interpositas, ut merito qverimoniis deinceps superfederi debeat; præsertim cum alii qvoqve fœderati dudum circa separatos tractatus sategerint. Id qvod omnes & singuli inficiabantur; idqve à Gallis sparsum divisioni inter socios excitandæ; ac Heugius à se honestum virum non haberi testabatur, qvi de ejusmodi facto ipsum insimularet. 1678.

Overkerck. Ossory. *Dyckveld.* *Inducia inter Gallicum & Belgicum exercitum ineuntur.*

§. 71. Postridie subscriptæ pacis Templius ratificationem tractatus Hagæ inter Anglum & Belgas concluси accipiebat cum mandato, ut ejus permutatio sine mora fieret. Id qvod cum literis à Crossio allatis plane non conspirare videbatur. Qvanqvam autem ea ratificationum permutatio jam inutilis haberetur, Templius tamen sine mora Hagam profectus eam ibi peragebat. Is Fagelium, & multos procerum ea pace, & inprimis Beverningii præcipitantia valde offensos reperiebat, & qvod eo ipso die, qvo Galli reddi-tionem urbium promiserant, pacem subscripsisset, non expectatis à Rep. novis mandatis; qva in re mandata sua transgressus, eoqve nomine rationem sit redditurus. Jactabatur de non agnoscendis ipsius actis, & arripiendo tractatu cum Anglia nunc ratihabito; tum bello junctim cum Anglia persequendo. Satis adparere Gallum à bello abhorruisse, & maluisse aliqvid de ferocia, & fastu suo remittere, qvem alias semper in tractatibus cum vicinis suis ostenderit. Sed reliqvi, præcipue Amstelodamenses, declarabant, se tractatu Neomagensi contentos esse. Nam debilitatem suorum fœderatorum, ac ambigua Angli consilia pacis necessitatem sibi imposuisse; qvæ & legatorum suorum festinationem excuset, qvod interposito spatio ad nuntios Hagam mittendos Respublica obligata fuisset ex pacto cum Anglo bellum continuare. Templius qvoqve mandata accipiebat, ut de medio statu Cliviæ concedendo una cum Belgis instaret; qvæ forte magno usui esse poterant, si ante subscriptionem allata fuissent. Sed nunc Anglus eadem studio retardasse vide- *Anglo pax displicere videtur.* *6. Aug.*

1678. videbatur, ut eo officio sine effectu defungeretur. Allato de pace in Angliam nuntio adhuc II M CCCC milites in Flandriam mittebantur, promovendæ pacis exsecutioni, qvod ante eam Anglicus exercitus haut tuto exautorari posset. Rex ipse dicebat; se optasse, ut per novissimam cum Belgis conventionem melior pax obtineri potuerit. Sed qvia pax ante præfixam diem concluſa, coqve effectus istius conventionis elusus sit, sua jam interesse pacem qvantumvis malignam exsecutioni dari. Et cum interrogaretur, qvid nunc Borealibus fœderatis facto opus sit, humeros trahebat: optimum fore id facere, qvod facere decreverant, anteqvam spes armorum ab Anglia movendorum adpareret. Nam post convulsum fœderis fundamentum singulis suam salutem curæ esse debere. Qvæ verba Cæsareo legato, ac Sverino eo suspectiora videbantur, qvod jam maxime reliqvis fœderatis constanti conjunctione opus esset, ni turpem sibi pacem obtrudi vellent. Porro cum Sverinus audisset, Belgas Gallo
9. Aug. promisisse, non modo medium deinceps statum exacte se observaturos, sed & non impedituros, qvo minus exercitus Gallicus Vesaliam, & alia Electoris loca accedat, modo Mosa unius horæ itinere à Trajecto transiretur; Regem denuo rogabat, ut Electoris causam susciperet. Hunc enim Belgis declarasse, si utiqve separata pace opus sibi ducerent, ut saltem facultatem sibi reservarent fœderatis suis auxilium præstandi; aut si necessum sit ad medium statum se obstringere, Gallo eandem legem dicerent, ne & is Sveco adsistere posset; tum ut neutrum statum Clivicis ditionibus expressis verbis in pace stipularentur. Qvæ uti æqvissima, ac fœderi maxime congrua Rex semper probaverit. Ad qvæ hicce: se haut credidisse, Gallum ita simpliciter postulatis suis destiturum; multo minus Belgas tam langvide securitatem Cliviæ acturos; præsertim cum ipse declararit, pro hac tantum se obligationis susceptorum, qvantum Belgæ desideraturi sint. Ac si Belgæ circa neutrum statum ejus provinciæ serii qvid studii ostendissent, Gallum ideo haut qvidqvam bellum continuaturum fuisse. Sed hac rerum facie se nil utilius, qvin nil magis necessarium reperire, qvam ut ocyus qvalibuscunqve conditionibus transigatur, qvo pax communis seqvatur. Etsi eam Belgarum præcipitantiam non posset non improbare. Cæterum de Boreali pace in Anglia nil agebatur, nec aliud opis Electori hinc sperandum erat, qvam ut Anglus forte ejus rationes Gallo commendaret. Qvod nec enixo studio ab isto agendum erat, nec 1678. Anglicæ commendationes in Gallia magni fiebant. Sane in pace Belgica de Angli officio non ulterius mentio facta erat, qvam ipsius opera bellantes consensisse, ut Neomagi tractatus pacis susciperetur. Et cum super eo in aula Gallica qverelæ ab Anglico legato moverentur, ei responsum fuerat: *Si nos vobis numeravimus, qvæ promissa sunt, qvid est qvod nostris negotiis vos miscere velitis?* licuti & Angli officium pro Lotharingo abrupte rejiciebatur.

§. 72. Mox allato nuntio de conflictu ad Montes ingens Londini gaudium etiam in aula sentiebatur, ac nova spes belli in Gallum allubescebat. Cujus mutationis hæc causa fuerat, qvod circa id tempus conspiratio in Anglia erupisset; unde aula, evitandis inde proventuris periculis ob offensam Parlamenti è pace conceptam, Regem ad arripienda arma permoverat, qvo populo suo satisfaceret, tamdiu ista deliderant. Ac protinus Rex Hydium Hagam mittebat, ut Belgas ad servandum fœdus jam validum excitaret, tum ratihabitionem concluſæ pacis junctis cum Hispano consiliis impediret. Simul ut Belgis confirmaret, sibi decretum esse in arma erumpere, si Gallus Cliviam bello eximere nolit, modo Belgæ ei postulato insistant; cui præstando hos tantopere se subduxisse mirum sibi videatur. Ac Sverinus Beuningio scrupulum injecerat; si Belgæ usqve adeo obligationem suam negligant, Electorem omnibus suis copiis in Pomeraniam revocatis Cliviam Gallorum arbitrio expositurum. Qvo perturbatus Beuningius cum Gallico legato concurlare, Regem qvoqve hortatus, ut ejus provinciæ curam susciptat. Rex qvoqve adhuc tres eqvitum, duas peditum legiones in Flandriam mittebat; ac jubente Electore Sverinus eum stimulabat, ut tandem ferrum stringat, qvod pax effectu caritura sit, Gallo subinde nova, & intoleranda postulata in medium afferente. Qvi & per eam conditionem, ut Hispanus fœderatis suis nil opis ferat, haut aliud qværet, qvam ut vicissim ille omni auxilio nudetur, qvo illæ provinciæ arridente occasione à se absorberi possint. Ac vel tot contumeliæ à Gallo illatæ Anglum ad arma permovere debuisse videbantur. Nam eo ipso tempore, qvo Beverningius apud Galliæ Regem in Flandria fuerat, Gallus, & Anglus inter se convenerant, ut illi integrum foret pacem in Belgio, ac Germania pro lubitu urgere; qvo nomine Anglus sex milliones librarum Gallicarum accepturus sit, qva-

Aliqva spes belli Anglici iterum adpareat. 13. Aug.

1678. rum & dimidia pars protinus numerabatur. Sed qvia Anglus vel metu Parlamenti, vel agnitione admissi in bonum publicum delicti conventis non steterat, sed Gallicam pacis formulam moderari studuerat, Galli magnopere offensi Sunderlandiæ Comitem, qvi ei actioni colorandæ, & reliqvis tribus millionibus exigendis missus erat, plane rejecerant. Ex qvo colligebatur, postqvam Anglus semel cœperat Gallo fidem non servare, serio cum fœderatis se innectere velle, modo Belgæ in eandem sententiam pertrahi possent. Ac Beuningius, qvi hactenus in speciem institerat, ut Anglus Gallum armis ad locum rationi dandum compelleret, jam ubi res serio agi videbatur, confusus bellum omni modo impedire nitebatur; præsertim cum plures subinde copias in Flandriam trajici, ac nova diplomata conscribendis pluribus legionibus distribui cerneret. Ac sane Hydius non sine gravitate Hagæ proponebat: *Regi suo inopinum accidisse, cum intelligeret, Belgas Neomagi separatam pacem absqve Hispano subscripsisse, haut facta mentione de evacuandis a Gallo urbibus isti restituendis, nec aliqva cautione eo nomine obtenta. Tum Gallum plura jam ab Hispano postulare, qvam exhibita qvondam pacis formula præse ferat, ac super qvibus Regi suo cum Belgis convenerit. Cum igitur casus fœderis jam extet, eoqve Belgæ ad bellum contra Gallos persequendum teneantur, Regem ab ipsis executionem fœderis requirere. Unde se declarare, si Belgæ subscriptam Neomagi pacem ratihabere nolint, Regem Angliæ intra triduum, ex qvo id sibi ab ipsis significatum fuerit, in bellum contra Gallos erupturum, & qvæ fœdere convenerint, bona fide impleturum. Addebat; qvia Reip. non minus interesse limitem versus Rhenum, qvam in Belgio Hispanico firmari, Regem pro medio statu Civicarum ditionum ad omnia, qvæ Belgæ facturi sint, concursurum, sic ut eam securitatem obtinere unice ab ipsis dependeat.* Enimvero serum jam erat talia canere; & istum Angli impetum, serium an simulatum, eludere in proclivi erat, si Gallus recens motis difficultatibus desisteret, circa qvas componendas Belgæ sequestrium officium interposuerant. Qvo obtento Amstelodamenses ratihabitionem pacis pervincere haut omissuri erant; qvorum consul Valqvenierius dixerat; securitatem Cliviæ curæ sibi fore, sed non prius nisi post ratihabitam pacem. Ac uti Anglus sine Belgis nil suscipere volebat; ita Belgæ contra societatem Angli declinabant, ac jam iterum Gallo blandiri incipiebant. Ita brevi spes ista decollabat, ac Rex Sverino declarabat: qvo studio ipse Cliviæ securitatem amplexus sit, ex Hydii propositione satis adparere. Ad eam Belgas qvidem ratihabitionem pacis distulisse, sed nondum certam diem præfixisse, qvousqve Gallo integrum sit futurum novas suas conditiones movere. Etsi enim novissimo cum Belgis tractatu expressis verbis cautum sit, ut aut Gallus intra Kalendas Augusti in omnia consensisse debeat, aut bellum continuandum sit; satis tamen perspici, qvocunqve tempore Gallus proposita à se formula stare velit, Belgas qvoqve conclusæ paci inhæsuros. Nam eos qvovis modo pacem sola in Arausionensem suspicione agitatos velle. Beuningio autem Rex denuntiabat; se diutius in ancipiti hærere non posse: à Belgis aliqvando decernendum, qvid facere velint. Ubi adparebat, si maxime Belgæ de sincera Angli intentione dubitarent, tamen arrepta Hydii propositione intra triduum Anglum ad bellum Gallo indicendum obstringi vel ingratiis potuisse; utut ministri Anglici Hispanos clam ad pacem subscribendam stimularent; id qvod isti tamen inficiabantur. Ita demum Galli scopum suum obtinuerunt, ut Anglo extra arma remoto, ac rupto inter fœderatos vinculo singulis pro suo lubitu pacis leges impingerent. Qva qvidem in re abnui non potest, qvin maxima industria, ac dexteritate usi sint, præsertim post Arausionensis connubium, qvod cum ipsis fatale fore crederetur, in grande suum commodum vertere calluerunt. Id sane constat, iisdem haut animum fuisse bellum continuare, si Anglia fœderatorum partes amplexa foret; qvod potentia ejus Regni, & radicatum nationis in Gallos odium maximum istis momentum additurum fuerat. Unde sine dubio Gallus omnes pacis leges subiturus erat, qvas Anglus, dum sequestris officio fungitur, præscribere voluisset. Præsertim cum virtutem militis Anglici hoc bello satis perspexisset; & classis Anglica Belgicæ juncta facile in Galliam exscensionem facere potuisset, magnos domi motus datura ob ægros populi Gallicani animos. Sed & intercepta per Anglos commercia plus damni Galliæ intra biennium dare poterant, qvam reliqva omnia, obturato præcipuo velut canali, qvem fœcunditas terræ & industria nationis pandit, per qvem reliqvorum opes ubertim in Galliam confluunt. Nam aperta licet Italiæ commercia modici momenti esse, nil vini, salis, aut rei vestiariæ consumentia; qvæ contra à Borealibus nationibus immenso numero petuntur, necessitate, aut stultitia, aut luxu

1678. 17. Aug.

16. Aug.

Galli separatam pacem pervincunt.

Valckenier.

1678. luxu subigente. Id lucrum per duos aut tres annos interceptum tantum debilitatis nervo rerum gerendarum illaturum, ut, si à fœderatis nil præterea susceptum foret, id unicum vires, & vigorem Galliæ consumere qveat. Qvod periculum cum probe perspicerent Galli, nunqvam sese ei exponere voluerunt: & cum eam rerum conversionem è nuptiis Arausionensis metuerent, eo nomine nil offensæ contra Anglum ostendebant: qvin potius nativa hujus facilitate utebantur ad idem in emolumentum suum convertendum, dum eum statim post id consummatum ad prorogandum Parlamentum permovent, in specimen Anglis juxta, atqve exteris, qvantum Gallia in ista aula polleat. Inde non defuit solertia eludendæ Durassii missioni, & formulæ pacis inter Anglum & Arausionensem designatæ, per molles qverelas negotio ad tractatus pertracto. Dum aulam Anglicanam Galli per inania ludificant, majore adhuc artificio Belgici populi animos fascinabant, injecta suspicione è nuptiis Principis tanqvam ad imminuendam ipsius libertatem spectantibus, ac belli continuationem decretam ad ejusdem opes exhauriendas. Inprimis Amstelodami adversæ hactenus factiones conciliatæ, eædemqve permotæ ad probandas à Gallo latas pacis conditiones, ut ab Anglo propositas eluderent. Istas cum majori Belgarum parti persvasissent, Anglo significabant, ab hac parte sibi de pace cautum esse; tum ipsi juxta ac primariis ejusdem ministris grandes pecuniæ summas offerunt, ut in pacem ipsis Hollandis probatam consentire velit. Postqvam à Belgis pax plane decreta, subigente Amstelodamensi factione, & periculo, qvod post captum Gandavum Antverpiæ minabatur; Galli credebant tanto impetu istos in pacem rapi, ut tutum jam sibi esset circa Hispanorum rationes ferociam exserere; qvo fine declarabant, se istorum urbibus militem haut prius deducturum, qvam Sveciæ super exhaustis damnis satisfactum sit. In qvo cum ratio eos hactenus fefellisset, qvod Anglus, ac Belgæ acriore studio eam rem amplecterentur, qvam isti credidderant; vela vento obvertebant, ac rem summa cum industria iterum ad tractationem deducebant, tanto erga Belgas placendi studio ostenso, qvantum nunqvam erga ullum Regem ostenderant. Simul veneno suo imbuebant literas per Crosium allatas, qvorum argumentum astute vulgabant, utut eæ alias secretissimæ esse deberent. Iidem eodem tempore declarabant, se nunqvam difficultatibus qvas moverant destituros, nisi interveniente tractatu, ut 1678.
fœderatos in securitatem darent, eosqve impedirent, ne æstum præverterent, de qvo istos cogitare gloria Galliæ, qvæ alias ubiqve crepabatur, haut permittebat. Ac eo modo agere pergebant ad extremum usqve diem, qvi ipsis ad se declarandum concessus erat; ita religiose servato secreto, ut ne mane qvidem ejus diei, qvo sententiam suam exponebant, cuipiam vel minima suspicio oriretur. Sed præcise extremum momentum expectabant, ne Belgicis legatis spatium esset ad rectores reipublicæ monendos; qvod metuerent, ut hi moniti citra consensum Hispanorum tractatum subscribere vellent; ipsiqve adeo periculo exponerentur, qvod è tractatu inter Anglum, & Belgas inito Galliæ provenire poterat. Ita elusa spes Anglicani populi, qvod super bello Gallis inferendo conceperat, inanibus qvoqve sumtibus in parandum exercitum impensis. Simul Hispanis necessitas allata conditiones amplectendi, qvas Belgæ pro iis stipulati fuerant. Inde pax Imperii & restitutio Lotharingiæ, demum Borealium fœderatorum emolumenta eorundem libidini exposita.

Circa pacem inter Gallum & Hispanum sagitur. 12. Aug.

§. 73. Ast Belgæ postqvam pacem suam utcunqve deproperassent, Hispanos ad exemplum seqvendum urgebant. Qvos contra ad constantiam Danicus, & noster legatus Neomagi tradito scripto impense hortabantur. *Improviso subscriptam à Belgis pacem Hispanis ansam prebere, ut dudum nationi sue adqvisitam fidei, atqve constantiæ gloriam luculento specimine insigniant. Esse bonam fidem pretiosissimum decus Reip. bene constitute, qvod nulla vis, nulla calamitas eripere possit. Eam & nunc ab ea Corona expectari, ut defectus, qvi magis ex infelicitate temporum, qvam prava voluntate hactenus circa diversa fœderum capita contigerunt, saltem per immotam constantiam reparentur; dum nullo modo ab iis divelli vult, qvi, ut ipsius ditiones imminenti exitio eriperent, seipsos gravissimis periculis exposuerunt. Qvi & omnia adhuc tentare parati sint, qvo communis, eaqve honesta & æqva pax obtineatur, aut hostium iniqvitas armorum continuatione ad meliorem mentem adducatur. A Principibus suis nunqvam repudiatam rationem inter populos usitatam ad pacem perveniendi, qvam & summo cum gaudio amplecti, ac circa eam faciles se prebere parati sint, velut qvibus tranqvillitas urbis Christiani summa votorum habentur. Sed qvia Gallus hucusqve nullas conditiones pacis idoneas, & super qvibus tractari posset, admittere voluerit, sed sua ex libidine*

1678. *duriſſimas ipſis leges impingere conatus fuerit; facile adparere iſtos haut qvidqvam in culpa eſſe, qvominus tam funeſto bello finis adhuc impoſitus ſit. Perſolam conſtantiam hæc mala reparari, ſimul adjuſtiora, & magis decora conſilia poſſe adduci illos, qvi clandeſtinis paucorum artibus, ac impetu vulgi, fidem ac decus Reip. digne æſtimare neſcientis, ab officio diſceſſerunt. Atqve longe ſatius eſſe cum fidelibus ſociis parem fortunam ſubire, qvam horum cum exitio, ſimul violatis ſanctiſſimis fœderibus qvalemcunqve à malis reſpirationem ſibi ad breve tempus qvæſitum ire. Sane qvi limes progreſſibus Galliæ ſiſtendis ſtatui jactatur, ad plura adqvirenda viam huic munire compertum iri. Qvod Belgii Hiſpanici relinqvitur non niſi exhauriendis Hiſpaniæ theſauris interviturum, cujus poſſeſſione eadem exuenda ſit, qvamprimum occaſio inſatiabilem Galli libidinem aliena rapiendi excitaverit; cui qvi obſiſtat neminem deinceps repertum iri, poſtqvam ſemel ſanctiſſima fœderum vincula ita temere abrupta ſunt. Sane qvi pro ſtudio ſuo, pro labore ac periculo cui ſeſe expoſuerunt, ab amicis id gratiæ repoſitum fuit, alia vice longe habituros ad alienum incendium reſtingvendum adcurrere, ac privatim potius ſuis rationibus conſulturos. Igitur ſe rogare per ſanctimoniam fœderum, per Regis bonam fidem, per nationis Hiſpanicæ gloriam, ne qvid admittant, qvod ipſorum Principibus fraudi eſſe qveat; nec eam victoriam communi hoſti concedant, ut poſtqvam ſorte armorum prævaluerit, etiam fide, & conſtantia erga fœderatos ſuperior extiterit.* Enimvero Hiſpani etſi magnifice de fide, & conſtantia ſua loqverentur, ac ſaltem ad ſubtrahenda ſociis auxilia ſe unqvam adducendos negarent, ſi maxime ſeparatam pacem inire neceſſitas ſubigat; tamen metuendum erat, ne & huc demum iis deſcendendum foret, poſtqvam Anglus præſtiturum ſe receperat, ut Hiſpani juxta, ac Belgæ medios ſe gererent, denegato fœderatis auxilio; præſertim cum Gallus motis hucusqve difficultatibus deſiſteret, ac Anglus tergiverſantes copiis, qvas in Flandria habebat, facile ad eam conditionem admittendam cogere poſſet. Accedebat & privata ratio, qvod bello extracto Gubernatori materia qvid lucrandi adimeretur, cum pacis tempore L M uncialium ex ea ſtatione ſibi redirent. Gallus qvoqve ſtimulandis Belgis, cum ſex ſeptimanæ permutandis ratihabitionibus ſtatutæ eſſent, id tempus anticipare properaverat, ac Avauxio injunxerat, ut protinus Hagam tanqvam ordinarius legatus ſe conferret. Unde & Belgæ haut expectata pace Hiſpanica ratificationem ſuam exhibere

13. Aug.

conſtituerunt, Galli literis confiſi, qveis promiſerat; ſi etiam poſt ratihabitam cum Belgis pacem aliqvid locorum in provinciis Hiſpanicis occupaturus ſit, id ſe non retenturum, ſed Belgis tantiſper ſuo milite inſidendum trâditurum. Eqvidem Ordines Generales antea decreverant pacem cum Gallo concluſam non ratihabere, qvoad pax inter Gallos, & Hiſpanos ſubſcripta ſit, & ut Gallus novis poſtulatis deliſtat. Mox qvoqve nova temperamenta legatus Gallicus proponebat; Regem nulla amplius loca in provinciis Hiſpanicis usqve ad pacem occupaturum; ac loca Hiſpanis reſtituenda Belgis tantiſper ſeqveſtro depoſiturum, qvoad ſuper controverſiis convenerit, qvæ Belgarum, & Angli velut arbitrorum deciſioni committendæ ſint. Sed iſta plane à Belgis rejiciebantur, ac pure inſiſtebatur exſecutioni pacis, prout ea ab initio ab ipſo Gallo propoſita fuerat. Ac Amſtelodamenſes fremebant, ſe pacem cum Gallo initam ratihabituros, ſi maxime Hiſpani, qvin & qvædam Reip. membra diſſentiant; eoqve omnibus ſeſe belli oneribus ſubtracturos. Unde Hiſpani, qvæ adhuc ſuper Dinanto, & Atho reſtabant controverſiæ ad compromiſſum Belgarum rejiciebant, non parum indignante Anglo, hos potius qvam ſe arbitros captos, ſuumqve adeo officium plane præteriri. Qvanqvam demum & Gallus eas difficultates remittebat, ut arbitrium Belgarum ultro expiraret. Qvi & his magis qvam unqvam antea blandiebatur; & Avauxius Hagam ordinarii legati functionem ibi obiturus properabat, etiam antequam ratihabitio permutata eſſet, & Reſp. declaraſſet, num ipſius adventus ante ratificationem gratus foret. Demum Belgæ decreverunt ratificationem ſuam conventa die permutare ea conditione, ut ea irrita ſit, ni Gallus qvoqve Hiſpanicam pacem firmet. Ita Hiſpani non amplius moram fecerunt, qvo minus & ipſi pacem ſuam ſubſcriberent. Balbatius in conſeſſu fœderatorum de ea referebat: *Sibi faciendum fuiſſe non qvod ipſi, ſed qvod alii voluerint. Subſcriptionem diutius ſe differre cupiſſe. Sed cum Hagæ nuntiatum eſſet, ratihabitionem pacis Belgicæ die dicta ſecuturam, eoqve ſine jam à Rep. ſubſcriptam, ſibi qvoqve ad abſolvendam ſuam pacem accedendum fuiſſe.* Ad qvæ nemo fœderatorum verbum reſpondebat, niſi qvod Cæſarei proteſtationem interponerent, qva jus Imperii in Burgundiam, Dinantium, & alia loca reſervabant. Ac mox ratihabitiones qvoqve pacis inter Gallos, & Belgas permutatæ ſunt. Sed qvo die ea pax publicata, ac eo nomine publica læti-

20. Aug.

21. Aug.

Hiſpanica pax concluditur.

7/17 Sept.

10/20 Sept.

1678. lætitiæ signa edita sunt, Arausionensis, & Fagelius Hagæ adesse nolebant.

Hispani pacem suam exusant.

§. 74. Ita & Hispani Belgarum exemplo separatam pacem iniverunt, qvam tamen dubia adhuc re Joannes Austriacus velut inhonestam, & noxiam detestatus fuerat, & in qvam ipse nunqvam sit consensurus. Qvin pace Belgica jam subscripta confirmabat: Hispanicos ministros in mandatis habere, ut Belgicæ paci utiqve obnitantur, ac apud Ordines Generales ejus ratihabitionem impediant. Qvin si Hispanici legati Neomagi pacem subscripserint, qva ad neutrum statum se adstringant, eam à Rege haut ratihabendam. Regem firmiter fœderibus staturum, & potius omnia qvæ restent periculo expositurum, qvam in Gubernatorum ignaviam consensurum. Qvin & cum à legatis Hispanicis subscripta pax Madritum adferretur, omnes ea indignari, ac testari, *se nunqvam id flagitii admissuros, ut fœderatos suos desererent. Bellum à se hactenus justa mole geri non potuisse pecuniæ, ac militum defectu. Sed ubi classis Americana advenerit, argentum haut defore. Faciem rerum brevi mutatum iri, qvod Anglus jam ferio rem acturus sit. In Belgicam classem multos sibi milliones fuisse insumendos, nullo operæ pretio facto. Eos intra triennium terra, mariqve nihil egisse, ante qvorum ora hostis tot urbes expugnarit. Lacerus Flandriæ reliqvias tueri plus impensæ reqvisiturum, qvam bellum auxilio fœderatorum contra Gallum persequi. Per ejusmodi pacem universos offendi, qvibus tamen sui conservationem unice debeant, & per qvos Austriaca Domus pro captu præsentium temporum deinceps qvoqve se conservare debeat. Denique postqvam Regi facultas non fuerit fœderibus satisfaciendi, saltem ingrati animi crimen erga bene meritos fœderatos haut contrahendum. Galli artes omnes eo tendere, ut fœderatos Domo Austriaca avellat, qvorum fide hujus res hucusqve stetit. Stolidum esse credere, à Gallo Hispanis unqvam fidem servatum iri. Enormem esse ejus ambitionem, per qvam non reliqvia solum Belgii, sed & omnia Hispaniæ regna periclitentur. Belgarum exemplo facti sui dedecus non imminui. Istis qvippe solitum qvodvis emolumentum ante existimationem, ac fidem habere. Aliter Reges agere, qvein omnia ad decus referantur. Maxime indignum esse, qvod Galli Messanenses paci includere velint. Qvid iidem dicerent, si postuletur, ut Burdegalia, & Rupella in priorem statum reponantur?* Enimvero Hispanus arbitrium belli ac pacis suæ Anglo commiserat. Unde omnia in eo vertebantur, qvid consilii ab hoc capessendum foret. Nam proprio qvidem Marte ab Hispanis nil geri poterat. Regis qvippe patrimonium, & reditus magnam partem prioribus temporibus inter gravia bella venditi; reliqva oppignerata erant. Qvi restabant proventus in qvinqvennium & amplius anticipati. Res pecuniaria per monetam cupream, & fallacias, qvas camera regia obtentu ærarium sublevandi ipsa introduxerat, plane proruta. Ea, qvibus Rex ad sui sustentationem indigebat, per industriam corradenda. Ex tot Hispaniæ Regnis tantum militum contrahere non dabatur, ut XII Gallorum Puicerdæ obsidio depelli possent. Proventus Regni Neapolitani seditio Messanensis absumserat. E Mediolanensi Ducatu qvondam duo millliones redierant. Nunc prava gubernatorum administratione fere tantundem ex Hispania supplendum erat ad alenda pauca præsidia, multos præfectos, ac infinitos ministros regios. Intra triennium nulla classis ex America venerat. Apud mercatores nulla Regi fides, qvorum & multi fortunis eversi, qvod Regi crediderant. Huc accedebat mutatio regiminis; desperatio, & indignatio ob continuos sinistros eventus, nulla restituendarum rerum spe. Et qvia paucæ in Belgio legiones incupiabant, nec novus ibi exercitus parari poterat, id vel unicum indicium sufficiebat, Hispanis non voluntatem sed vires deesse. Singulis cum curioribus literæ cambii ad Villam Hermosam mittebantur: sed vix unqvam aliqvis inde redibat, qvi non aliqvot earundem cum protestatione reportaret. Ac si demum post operosam negotiationem pecunia solveretur, ea vel dudum in antecessum consumta fuerat, vel post damnum jam acceptum solvebatur, decupla impensa non resarciendum. Nec modicus tunc Hispaniæ morbus erat, qvod ingens procerum favor, qvo Joannes Austriacus initio ferebatur, in commune odium verterat, inde ortum, qvia qvorumlibet aviditati, cui fere apud istos homines modus non erat, satisfacere haut posset. Nec minus plebis in eundem offensa gliscebat ob annonæ caritatem, & alia onera. Unde & multi libelli famoli, qvi alias in Hispania non freqventantur, in eum disseminabantur. Has ob causas is longe aliter qvam antea Rucqvio super pace qverenti occinebat: *Se qvidem hactenus fœderatorum ministris super repudiandis peculiaribus tractatibus confirmasse. Mandata qvoqve legatis missa id semper inculcasse, ne circa pacem, & bellum absqve fœderatorum consensu qvid*

susce-

1678. *ſuſcipiatur. Sed res hactenus præter omnem ſpem funditus mutatas. Per ambigua Angli in hoc negotio conſilia omnia turbata fuiſſe. Belgas vel ſuſpicione in Arauſionenſem, vel, quod ipſi ferant, opum defectu in pacem inſtinctu ruiſſe, ac Villa Hermoſa ad eandem amplectendam neceſſitatem attuliſſe. Is cum initio excuſaſſet, pacem Neomagi tractandam, ac ſibi mandata non eſſe, Belgas denuntiaſſe, ſe utique pacem cum Gallo perfecturos. Si Hiſpani abnuant, ſe militem ſuum urbibus Hiſpanicis educturos. Tunc adpariturum, qvam bene is rebus ſuis conſuluerit. Ita & huic in pacem fuiſſe conſentiendum, utut Madrito in eam rem mandata non habuerit. Circa hæc omnia non prudentis, ſed ſoli neceſſitatis locum fuiſſe. Eo tergiverſante Gallum totam Flandriam impetu oppreſſurum fuiſſe, ademta Belgis facultate rem, uti nunc factum ſit, temperandi. Qvin ulterius metuendum fuiſſe, ne Gallus vires in Mediolanum, & Cataloniam verteret, non ſine periculo totam monarchiam ſubvertendi.* Gemina reliqvi diſſerebant: *Anglos, & Belgas pro Hiſpania pacem feciſſe. Ejus leges abſqve ſuo conſenſu adornatas, ac Belgas in ſe recepiſſe ipſos vel ingratis ad eas acceptandas compellere. Sibi nec militem, nec pecuniam eſſe. Langvida à fœderatis auxilia, qvorum aliqvi parum ad communem cauſam conferre poſſint, alii nolint. Pauca qvæ in Belgio ſibi reſtent, non firmamento, ſed oneri eſſe, poſt tot impenſas haut ſecius peritura. Si maxime in præſens pax ineatur, eam ſtabilem non fore. Olim totam Europam gliſcenti Hiſpanorum potentiæ ſe oppoſuiſſe: nunc Galli progreſſus à plerisqve otioſe ſpectari; multos ad communes qvaſi compedes fabricandas ultro operam conferre. Hiſpaniam proprias obrationes ſatis obligari, ut Gallo ſe opponat. Sed ultra vires neminem conniti poſſe. Pomeraniam pro qvibusdam Belgii locis permutari iniqvum eſſe; ac facile ſibi perſvaderi Electorem in id haut conſenſurum. Aſt ſi totum Belgium à Gallo ſubigatur, omnium Europæ Principum rationes alterationem paſſuras; qvod qvomodo impediendum ſit, ſe non perſpicere. Ac ſi maxime eas provincias alteri cedere velint, non reperiri, qvi eisdem tuendis par ſit.* Sane in conſilio Hiſpanico prima conſternatione ob Belgarum ſeparationem ſex cenſuerant; præſtare, ut Belgii ſui reliqviæ pro Ruſcinonenſi Comitatu, & aliis locis opportuno ſitu Gallo cedantur, qvam ut tot ſumtus in eas fiant in utilitatem Germaniæ, ac Uniti Belgii; qvæ tamen ad extremum Gallo prædæ futuræ ſint. Sed reliqvi oſtenderant, per id conſilium rationes Domus Auſtriacæ plane confuſum iri, mutata inſuper totius Europæ facie. Rucqvio ſanctimoniam fœderum ingerenti reſpondebatur; ea ſervare ſibi ſummopere cordi eſſe. Sed ſperare, fœderatos conſiderata ipſorum impotentia ita ſtricte conventas pecunias haut exacturos, ac propriam ob utilitatem ad ſervandum Belgium velut commune propugnaculum connixuros. De cætero generoſus Electoris animus, ac fides, ſtudiumqve pro publico loco magnis laudibus ferebatur. Sed circa exſolvenda conventa id ſocordiæ fuerat, ut cum decies octies centena uncialium millia deberent, ex ea ſumma hactenus non niſi XXIV M numerarint. Etſi hoc anno ægre L M uncialium extunderentur, CL M qvoqve in claſſem ex America venturam aſſignatis, incerta ſolutione. Ac Elector, cum qverimoniæ ſuper ſeparata pace nil profuturæ eſſent, Rucqvium his omiſſis non niſi ſubſidiorum ſolutionem urgere jubebat. Madriti ratihabitionem pacis Neomagi factam diu inficiabantur, inani diſſimulatione; cum & fœderatorum miniſtros frigidius jam tractarent, ac omnem rei bellicæ curam abjicerent, qvaſi per ſeculum pax duratura foret. 1678.

§. 75. Cum itaqve hoc modo Belgæ, Hiſpaniqve, qvorum in gratiam reliqvi in arma deſcenderant, ſuam ſibi pacem ſeorſim feciſſent, auxilio fœderatis deinceps negato, Elector conſiliariis ſuis expendendum proponebat, qvid deinceps facto opus foret, bellum continuandum, an pax qværenda, & qvæ via huic obtinendæ inſiſtenda? Ubi id qvidem manifeſtum erat, ad perſeqvendum bellum reqviri idoneas vires, potentes, fidosqve amicos, ac pecuniam. Qvid hactenus fœderatorum armis præſtitum ſit, in aprico eſſe. Cum Belgæ, & Hiſpani adhuc in partibus agerent, à Gallo tamen munitiſſimas urbes ſub horum oculis expugnatas. Aſt poſtqvam iſti arma poſuere, Gallo nunc facile fore copias adverſus iſtos adhibitas, ac præſidia reſtituendis urbibus educta una cum claſſe in Germaniam vertere, ac Sveco ſubvenire. Ad Inferiorem Rhenum nulla arma, qvæ Gallo paria ſint. Ad Superiorem Rhenum Cæſaris, & Imperii exercitum hactenus modicum operæ pretium feciſſe. Superiore anno Friburgum amiſſum; hoc anno nil lætabile geſtum. Fieri poſſe, ut Elector eodem tempore in Boruſſia, Pomerania, & Weſtphalia invadatur: adverſus qvos inſultus noſtras vires haut ſuffecturas. Urbium qvoqve præſidia augenda, ac in hiemem adparatum faciendum. In fœderatis fiduciæ nil

Qvid poſt deſicientes ſocios agendum conſulatur.

17. *Aug.*

1678. nil collocari posse. Cæsarem vix opis qvid collaturum, ut Electoris potentia gliscat; cui qvantopere faveat, inter alia conditiones testari, qvas stipulari velit, ac qva ratione præsentibus temporibus contra Ordines uti cupiat. Præter Friburgum nil eum amisisse, qvod & recuperare possit Philipsburgi munitionibus solo æqvatis. Ob fœderatos plures cum molestias suscepturum haut verosimile esse. Ac forte gratum eidem accidere, Ratisponæ pacem urgeri, & qvosdam ibi Electores, ac Principes difficiles sese exhibere. Ex qvo forte consecuturum, ut bellum hoc non amplius pro publico Imperii bello habeatur; qvo prætexto Cæsarem, ubi expedire videatur, hoc negotium depositurum. Bavarum, Saxonem, Hanoveranum armatos esse, qvi una cum Palatino pacem ingerant; qvibus plures sine dubio se adjuncturi sint. Reliqvos Ordines fœderatis non amplio hiberna concessuros; ubi vis adhibeatur vim reposituros, summo cum hostiu gaudio, & emolumento. Danum bona fide Electori addictum, sed qvi ipse auxilia à nobis expetat, cum sine extero milite domesticis copiis nil proficere qveat. Monasterienſem senio debilem, cujus consilia successorem non sint secutura: ac ejus auxilio Electorem parum gavisum. Qvomodo Brunsvicensis domus erga eundem se gesserit, & qvam duræ conditiones subeundæ fuerint ob auxiliares copias ad Stetinum mittendas, & qvid ulterius extorqvere instituerit, notum esse. Deniqve cum nemo præter Danum optet Electorem Pomerania potiri, facile perspici posse, qvid spei in aliis collocari debeat. Cum itaqve Electori domesticis viribus maxime nitendum sit, exercitum non solum supplendum, sed & augendum esse; cujus sumtus menstrui ad CC M uncialium surrecturi sint, qvos proprii reditus haut tolerent; nec aliunde subsidiorum spem. Deniqve nec Polono satis fidi posse. Qvæ cum ita sint, continuationem belli svaderi non posse, postqvam Belgarum defectio omnia nostra consilia turbavit; eoqve operam dandam, ut cum Gallo conveniri possit, ne alii fœderati prævertant, ac soli Electori moles belli incumbat. Qvin ipsum Cæsarem, atqve Arausionensem aliqvoties monuisse, ut cum Sveco transigatur. Eo fine Meindersium in Galliam mittendum, ubi Belgarum legati ejus negotiationem fulturi sint. Addebatur; præstare ut Elector postulata sua moderetur, qvam ut omnia bello parta una cum universis fortunis periculo exponat. Ac ea ex moderatione Gallo ansam nasciturum Svecos monendi, ut & ipsi æqvos se exhibeant. Aliis fœderatis significari posse, Meindersium Parisios iviſſe, ut exploraret, qvas conditiones Gallus concessurus sit: sed cui cumprimis vigilandum, ne ab aliis prævertatur. 1678.

§. 76. Ast Elector uti magnitudine animi sui, ac rerum gestarum splendore haut dignum ducebat surgentibus difficultatibus statim manus dare; ita isthoc consilium qvidem haut rejicere placuit, ut tamen interim ipse ad extremum conniteretur, simul alios ad constantiam, & fortia consilia excitaret; ut si maxime eventus egregiis destinatis non respondisset, in se tamen nihil desiderari posset. Itaqve primo Espencæus, qvi velut privato nomine Lutetiam proficiscebatur, etiam tentare jubebatur, num Gallus permoveri posset, ut Electori Pomeraniam concederet. Is cum aliqvam initio spem concepisset, mox præcipitata Belgarum pace, ac Beverningii negotiatione omnia subversa sensit. Inde Elector Franciscum Meindersium prætexto sumto Aqvisgranensibus thermis utendi Neomagum se conferre jubebat explorando tractatuum statui, ac ut conniteretur, qvo ipse Belgicæ & Hispanicæ paci comprehendatur; aut si hoc fieri neqveat, ut saltem Westphalicæ suæ ditiones medio statu fruantur, qvippe à qvibus utriusqve Belgii securitas dependeat. Tum ut sibi satisfactionis in vicem, qvæ etiam ex confessione Gallorum, & Svecorum debeatur, armis qvæsita per Pomeraniam relinqvantur, etsi fas sit totam Pomeraniam sibi deposcere. Ut tamen Recessus Stetinensis, vectigalia Ulterioris Pomeraniæ, communio Capituli Caminensis, & id genus alia cessent. Qvod si ab hac die amplius qvid occupet, perfecto tractatu redditurum. In has conditiones se pacem amplexurum, si maxime qvidam fœderatorum bellum continuare velint: etsi gratissimum sibi futurum sit, si omnes pariter æqvis conditionibus transigere velint. Circa hanc tamen declarationem magna circumspectione uteretur, ne cui justa qverendi ansa præbeatur; ac ut omnes agnoscant, se necessitate compulsum huc descendisse. Nam à Cæsare hactenus frigide sibi subventum, qvi & in pacem, aut inducias proclivis sit. A Belgis, & Hispanis se desertum. Ab Arausionensi pacem, & separatos cum Gallo tractatus svaderi, in qvam & Daniæ Rex, & reliqvi proni sint. Si Gallus postulatis annueret, Elector fœdera cum isto renovaturus erat, ita adstringenda, ut Regi deinceps plus fiduciæ in ipso, qvam in Svecis collocare liceat. Saltem

Elector Galli mentem super Pomerania explorat.

d. Espence 2. jun.

1678. ne Gallus Svecorum cauſam ſuſcipiat, ſi ipſe pacem, qvalis à ſe optetur, procurare nolit. Se qvoqve pactum ſucceſſorium in Citeriorem Pomeraniam Regno Sveciæ relicturum, ut ſtirpe ſua deficiente ad agnatos ex ea provincia præter Stetinum nihil devolvatur. Nec minus ſe actionem in Hiſpanica ſubſidia Gallo transſcripturum, ultra ſeſqvimillionem uncialium ſurgentia, ea lege, ut Gallus dimidiam partem retineat, alteram ipſi protinus ſolvat, qvo æs alienum hoc bello contractum diluere qveat. Ad extremum ſe contentum fore, ut Pena fluvius limes ſit, ac penes ſe Uſedomum & Wollinum inſulæ, cum Wolgaſto maneant. Sed qvia mox Belgica pax ad reſtitutionem Hiſpanicarum urbium hæſura videbatur, ac ſpes erat Anglum in arma erupturum; Meinderſius mandata ſua premere, ac in Galliam iter omittere jubebatur. Nam id eam duntaxat ob cauſam decretum fuerat, qvod Belgæ, Hiſpani, ac Cæſar ſeparatam pacem amplexuri crederentur, qvo caſu velut acie victis ſuam cuiqve ſalutem qvà datur qværere integrum eſt. Aſt ſi fœderati junctim bellum perſeqvi pergant, nullo modo ſibi expedire, nec decorum, aut tutum per peculiares tractatus partes deſerere; præſertim cum ad ſuam præcipue cauſam pax hæreat ob iniqvam conditionem à Gallo ſuper Svecorum reſtitutione latam. Et exigua ſpes erat apud hunc qvid obtentum iri, qvod non ſolum Eſpencæi negotiatio, qvam ſecretam haberi ipſe rogaverat, divulgata eſſet; ſed & per mendacium jactaretur, ſe jam ad Regem literas dediſſe; qvo ipſe fœderatis ſuſpectus redderetur. Ac Anglus Sverino dixerat; Svecos ſæpius pronos fuiſſe ad qvasdam Pomeraniæ partes ipſi cedendas, ſed à Gallis inhibitos plena reſtitutione promiſſa. Unde is negotiationem ſuam temporibus accommodaret; cum Danicis tamen miniſtris omnia expenderet, qvod Daniæ Rex cum ipſo per communes rationes arctiſſime jungatur.

Meinderſii negotiatio. 26 Jul.

§. 77. Meinderſius Neomagum delatus juncto Blaſpielo cum Colberto & Avauxio velut fortuito occurſu colloqvebatur; ubi multa utrinqve verborum humanitas, tum acta utrinqve defendebantur; ſed ad deſerendum Svecum, & cedendam Pomeraniam Galli aures plane occluſerant. Utut ipſe Benedictus Oxenſtierna agnoſceret, Electori ut ſatisfiat par eſſe, ac apud Belgas primo de ſumma pecuniæ, mox de certis partibus Ulterioris Pomeraniæ ad patrimonium Principatus ſpectantibus, demum de Stetino jeciſſet; de qvo & apud Balbaſium mentionem fecerat. Adverſus qvæ Galli 1678. incredibili cum inſolentia ſe oppoſuerant. Ea igitur Gallorum duritie haut conſultum erat Meinderſium Pariſios proficiſci, Electore proſtituto, ac ſuſpicione fœderatis injecta, nullo fructu. Qvi interim Neomagi, & Hagæ data occaſione explorabat, num Gallus ad æqviora deſcendere velit; ſimul inſinuabat, Electorem extrema omnia potius tentaturum, qvam Stetinum reſtituturum. Etſi Beverningius differeret; omnes fœderatos belli pertæſos in pacem ruere. De induciis à Cæſareis profectum, qvi eas per Nuntium urgeant: ac Danum juxta, & Brunſvicenſes circa peculiarem pacem ſatagere. Unde & Electorem ſibi bene conſulturum, ſi eandem occupet, etſi hæc non ſine difficultate ſit proceſſura. Nam optimis conditionibus potiturum, qvi primus tranſegerit. In Anglia nil confidi poſſe. Regem omnia pro pace facere; ac de neutro ſtatu ab eo promanaſſe, in qvem Belgis conſentiendum fuerit, & qvem Araulionenſis impedire haut valuerit. Alias Fagelius cenſebat; Electori ſua deſideria apud Gallos Neomagi per Beverningium, & apud ipſum Regem per legatos à Belgis in Galliam mittendos qværenda; qvi de iſtis ſine ſuſpicione tractare poſſint. Qvanqvam autem officio Belgarum longe plus ponderis futurum erat, ſi de Electoris deſideriis peculiari articulo in pace cautum fuiſſet; tentandum tamen erat, num qvid profici poſſet; & eam ob cauſam ab iſto ad Amſtelodamenſem civitatem literæ dabantur, cujus Conſul Borelius inter legatos ad Gallum futurus erat. Rogabat qvoqve Belgas Elector, ne pacem ſuam cum Svecis prius abſolvant, qvam ſibi qvoqve cum hiſce convenerit. Sed id negabatur, qvod Amſtelodamenſes ſtatim ſuſpicari inciperent, qvaſi hac via pax Gallica tantopere ab ipſis deſiderata turbatum iretur. Et qvanqvam Oxenſtierna dixerat, ſe ſatis perſpicere, à Belgis tractatum ſuum in Electoris gratiam difficilia reddi; unde ſe huic circa nonnulla gratificaturum, ſi Belgæ viciſſim ſecum liberaliter agere velint; tamen cum Beverningius iſtius mentem penitius tentaret, plurimum ſuperbiæ, ac ferociæ idem oſtendebat, omnia ſibi utiqve recuperanda fremens. Meinderſius inde Avauxio con- 14. Sept. greſſus demonſtrabat: Gallo cauſam non eſſe, ut adeo obnixe ſuper plena Svecorum reſtitutione contendat; qvorum res plane collapſuræ fuerint, ni Gallus eas fulſiſſet. Electorem Galliæ inſignem operam tam intra Germaniam, qvam extra navare poſſe. Cum hic de Pena flumine jaceret, Gallus e-

11. Aug.

normi

1678. normitatem postulati horrere, ac de Stetino insinuare. Meinderſius contra ejus poſtulati æqvitatem oſtendere: Penam commodiſſimum, & maxime naturalem limitem eſſe. Svecos adhuc Ducatum retinere; qvi & parum fructus è tractu cis Penam capiant; ac multos ſumtus in præſidia Anclami, ac Demmini impendendos, qvi ejus regionis proventus longe ſuperent. Eos ſemper jactaſſe, Pomeraniam ſibi non propter reditus, ſed ſitus opportunitatem æſtimari. Ac Electori pariter non de proventibus, ſed de ſecuritate agi. Nec eſſe, qvod Sveci ab Electore ſibi metuant, qvi claſſe inſtructus non ſit: cum huic velut debiliori neceſſum ſit, ut qvantum detur adverſus Svecos ſibi caveat. Ac poſſe Gallum conventorum ſponſorem eſſe. Avauxius ſe ad Regem ſe relaturum recipiebat, ſilentium qvoqve promittens. Qvi & ſanctiſſime dejerabat, neminem fœderatorum, utut omnes ſuper reconciliatione ſua cum Rege egerint, vel verbo de Electore mentionem feciſſe, & qvemlibet cupere hoc bello qvamprimum defungi. Fagelius qvoqve ſuper eodem negotio cum Avauxio locutus eſt; qvi etſi æqvum judicabat Electori ſatisfieri; tamen poſtulatum de Pena enorme dicebat. Forte Stetinum cum Wollino, & Uſedomo inſulis obtineri poſſe. De Wolgaſto ægre concedi poſſe. Sed Fagelius repoſuerat: citra Wolgaſtum Stetini exiguum uſum eſſe. Contra Anclamum, & Demminum Svecis parum prodeſſe. Ac Svecis in lucro habendum, ea jactura defungi poſſe: de qvibus citra Galliæ opem plane actum fuiſſet. Idem Avauxius Arauſionenſi dixerat; Electorem nimium poſtulare, nam tranſigendum eſſe aliqvo dato, aliqvo retento. Suſpicioni declinandæ Meinderſius poſt colloqvium cum Avauxio Neomagum remeabat, eo tempore Hagam reverſurus, qvo hic reſponſum è Gallia accipere poſſet. In Gallica qvoqve aula ſerenus erga Eſpencæum vultus ſumebatur; ac non ingratum ſibi fore teſtabantur Galli, ſi Elector operabelgarum à Sveco ſatisfactionem obtinere poſſit. Sed ut ipſi hunc ad ſua cedenda permoveant, ſibi haut decorum. Neomagi qvoqve Gallici legati teſtabantur; dolere ſibi, ob cerimonias converſatione noſtrorum abſtinendum fuiſſe; ac ſperaſſe poſt Somnicii obitum viſitationes ſolenni forma potuiſſe obiri; qva de re & in aulam ſcripſerint; ſed reſponſum accepiſſe, poſtqvam noſtri Hiſpanos primo loco inviſerint, ſolennes congreſſus admitti in præſens non poſſe. Interim fortuito occurſu colloqvendi occaſionem non defore. Mox Avauxius reſponſo è Gallia accepto affatim blanditiarum Meinderſio refundebat: Regem pronum eſſe priſtinæ amicitiæ cum Electore inſtauraudæ. Sed ab iſto ſalva ratione poſtulari non poſſe, ut is fœderatum tam arcte ſibi illigatum, qvi ſui cauſa in eam calamitatem inciderit, cui & omnem ſatisfactionem promiſerit, jam intra res anguſtas deſerat, eiqve neceſſitatem adferat aliqvid ſuarum ditionum amittendi. Qvin Regem talia iſti proponere non audere. Sed ipſos Svecos judicaturos, qvid in præſens utiliſſimum ſibi futurum ſit. Igitur optimum fore, ut Belgæ Electoris negotium cum Svecis tractent. Alias iſte qverebatur, Svecos ſiniſtre admodum res ſuas gerere. A Gallo ingentes pecuniarum ſummas ſuppeditari, qvas ipſi prave diſpenſent. Eorum legatos valde inſolentes eſſe, Oxenſtiernam præcipue, ac proprias rationes parum intelligere. Idem tamen conſentire nolebat, ut Elector cum Gallo citra Svecum pacem iniret. Nam qvod cum Belgis hoc modo actum ſit, cauſam fuiſſe, qvod Sveco cum Belgis nil controverſiæ intercedat. Inter hæc Belgæ Avauxio proponebant; ut ſine mora Trajectum ad Moſam reſtituatur, utqve omnes æqvæ rationes admittantur communi paci promovendæ. Qvod ſi pax ita brevi perfici neqveat, ne in vicinia bellici actus ſuſcipiantur, ac ut præcipue Clivicarum ditionum ratio habeatur. De qvibus Avauxius negabat ſibi qvid mandatum, ac iſta legatis Belgicis apud Regem qværenda. Belgæ qvoqve Svecis denuntiabant, ſe nolle in ipſorum gratiam vicina turbari; ac ſi res huc redierit, de iisdem ultionem ſumendam. Sed Oxenſtierna jactabat: Regum malle coronam ſuam, qvam Stetinum amittere. Ferociam addiderat diſtractio à Gallis ad Rhenum facienda, & exercitus Livonicus, qvi non Sveciæ, ſed Poloniæ nomine rem ſit geſturus, de qvo certa pacta inter utriusqve Reges ſint. Viciſſim Meinderſius poſt captam Stralſundam, & Greifsvvaldam oſtendebat; Electorem non amplius Pena limite contentum fore, ſed totam utiqve Pomeraniam ipſi habendam. Id qvod Fagelius obtineri poſſe negabat. Ac Galli haut eo ſecius occinebant: à Rege ſuo Svecum deſeri non poſſe, velut qvi ipſius in gratiam in hæc mala inciderit, ac XL M bellatorum in ſe averterit, qvi alias Galliæ incubituri fuerant. Optabant tamen, ut Sveci conſiderato rerum ſuarum ſtatu Electori ex æqvo ſatisfacere velint. Addebat Colbertus; ſi maxime Sveci ditiones recipiant, amiſſam exiſtimationem ideo haut recuperaturos. Con-

1678. ad Sept.

1678. tra Electorem ad id fastigii gloriam suam extulisse, ut ea vel triplo Pomeraniæ æstimationem excedat. Espencæus qvoqve è Gallia redux referebat: Gallos insigne desiderium ostendere amicitiam cum Electore instaurandi. Sed sibi haut decorum Svecos, ut Electori satisfaciant, hortari; qvod per Belgas commodissimo fieri qveat. Post
7. Nov. tamen Galli Neomagi mollius loqvi cœperunt, ac Electori utiqve satisfactionem deberi, ac se cum Svecis super ea locuturos. Sed ut Elector totam Pomeraniam retineat, fieri non posse. Alias testabantur, suo Regi gratum fore, si molesta Svecorum societate penitus se exuere qveat. Tunc Electorem solida benevolentiæ regiæ specimina capturum. Sed Sveci ferociter jactare pergebant; non magis Stetino, qvam Holmia se cessuros. Simul Gallos XL naves bellicas cum aliqvot incendiariis auxilio poscebant. Demum tamen insinuabant, de Bremensi provincia aliqvam se particulam concessuros. Sed Colbertus ostendebat; Regi suo ut Luneburgicis satisfiat parum curæ esse: sed longe majoris Electorem isti haberi. Postqvam itaqve parum profecerat Meindersius, nisi qvod Gallorum mentem expiscatus esset, ac nimia submissio hisce superbiam additura videbatur, Elector eum domum revocabat.

In Anglia nil amplius spei reponere licet 17. Sept.

§. 78. Nec plus in Anglia circa æqvam Electori satisfactionem curandam obtinebatur. Eqvidem postqvam Belgæ, ac Hispani arma posuerant, Anglum metus subibat, ne forte in ipsum faba cuderetur, ac ultio exigeretur belli injuste moti, ac inter seqvestris functionem observatæ erga neutram partem bonæ fidei. Unde in consilio deliberabatur, an non haut obstante Belgarum, atqve Hispanorum defectione, conditiones à Belgis rejectæ reliqvis fœderatis offerendæ sint? Enimvero insuperabilis heic difficultas occurrebat, qvod cum Anglia inter aliena bella universum fere commercium in se traxisset, hoc modo Belgis occasio præbenda sit isthoc iterum in se avertendi. Imminuto autem commercio non opes solum bello gerendo, sed & nationi voluntas decessura erat tributa annuendi. Igitur decretum, ut Rex abdicatis plane de bello consiliis salutem suam iterum in Gallica amicitia qværeret. Unde & cum Elector Anglum per literas hortaretur, ut bello socius accedere, hic respondebat: post Hispanorum, & Belgarum secessionem Angliam nullo modo de bello cogitare posse: alias se generose ab Electore oblata libenter arrepturum fuisse. Nunc autem postqvam eo res deducta sit, ut cuilibet salus sua in pace qvantum detur qværenda sit, bene sibi consulturum Electorem, si ei se non subtrahat, ac isto fine propositas inducias admittat. Futuræ pacis se sponsorem fore. Porro ut Anglus Gallum sibi reconciliaret, de abolendo decreto super vetita mercium Gallicarum importatione agebat; ad qvod Parlamentum eo facilius induci poterat, qvod Belgæ omnia vina Gallica coëmturi, eaqve sub Rhenani vocabulo in Angliam importaturi essent. Qvorum & emolumentis alias Angli invidebant, accedente nunc offensa ob distorta istorum uti arguebantur consilia. Borealium fœderatorum rationes in Anglia non curabantur, ac satis habebatur Hispanicum Belgium utcunqve servatum. Et usqve eo Galli amicitia affectabatur, ut cum Lindenovius minister Danicus peteret, Anglum verbo duntaxat in Gallia testari, se concedere non posse à Gallo classem in Mare Balticum, uti tunc fama ferebat, mitti; id recusatum fuerit, ne Anglus obliqva ratione in bellum pertraheretur. Ex altercatione qvoqve 15. Oct.
inter Beuningium, & Williamsonium Sverinus intelligebat, inter Anglum, & Belgas convenisse, Cliviæ securitatem qvantum daretur suscipere, ut tamen ex eo articulus pacis ne fieret, neu pax ex ea velut conditione suspenderetur. Unde adparebat, qvicqvid Rex de cura circa Cliviam suscipienda testatus fuerat, simulatum fuisse. Nunc cum res secius caderet, Beuningius libello à Rege petebat, ut is Cliviæ securitatem cordi habeat. Sed hic respondebat: se eousqve in hanc causam descensurum, qvousqve Belgæ concurrant. Ita ad solam intercessionem apud Gallum ea res redibat, cujus modicus fructus sperabatur. Et qvia Elector post expugnatam Stralsundam, cujus nuntium Rex sat frigide acceperat, pertinacius postulatis suis inhæsurus credebatur; haut ægre is concessurus erat, ut isti necessitas Pomeraniam restituendi per irruptionem in Cliviam adferretur. Rex qvoqve in consilio ita differebat, ut inde facile colligi posset, nunqvam bellum Gallicum sibi cordi fuisse. Ast mox Anglos rerum exterarum oblivio fere subibat, ingenti tumultu apud Parlamentum surgente ob detectam horribilem conjurationem, à Jesuitis & Pontificiæ sectæ hominibus agitatam super tollendo Rege, immutanda regiminis forma, ac introducendis Romanis ritibus. Nam apud Colmannum, qvi priori Ducis Eboracensis conjugi ab epistolis fuerat, multæ literæ ad Regem Galliæ, ejusqve Confessionarium Jesuitam Chaisium inven-

1678. inventæ fuerant, qvas Colmannus jussu Eboracensis scriptas arguebat, id qvod hic inficiabatur. Inter eas literas octodecim repertæ fuerant ad Chaisium scriptæ, omnes huc spectantes; si modo Galli ope præsens Parlamentum dissolvi possit, se non dubitare, qvin destinata super introducendis per Angliam Romanis sacris successura sint. Qvo fine ut operam navare velit Galliæ Rex solicitabatur. Eam ob causam Eboracensi res in arcto esse incipiebat; ac jam tum prudentes ominabantur, si hic opinioni suæ circa sacra, Parlamentum acerrimo odio in ritus Romanos insistat, posteritatem exemplum amissi, ac parti ob Missam diadematis
Chesbury conspecturam. Ac Chesburius præsente Rege in Parlamento proponebat, ut Eboracensis velut Pontificiæ sectæ addictus ex aula, & consilio Regis amoveatur; cui complures Episcopi adstipulabantur. Ad qvæ Eboracensis postera die declarabat; qvia nationi se suspectum videat, ultro omnibus publicis negotiis abstenturum. Qvæ declaratio Parlamento haut sufficiebat. Idem post ut abnegatione *transsubstantiationis* (Angli sua lingva *Test* vocant,) eximeretur, obtinuerat, duobus duntaxat suffragiis qvi affirmabant negantes superantibus, in qvos thesaurarius pridie C M uncialium erogaverat. Colmannus qvoqve fatebatur, se aliqvando bis mille qvadringentas libras Sterlinenses accepisse, ut Parlamentum comperendinaretur. Tunc qvoqve apud Parlamentum Bedlovius qvidam testabatur, vix ullum toto Regno Pontificium esse alicujus dignitatis, qvi non, dum mysticam cœnam accepit, promiserit, se protinus atqve Rex fato functus fuerit, vel cum sangvinis, ac bonorum dispendio connixurum, ut ritus Romani introducantur. Sed & Inferior Domus Williamsonum in Turrim Londinensem conjiciebat, qvod nonnulla diplomata pro præfectis bellicis Pontificiæ religionis, à Rege & ipso subscripta, inventa essent; cum isti per leges Regni publicis functionibus excludantur. Et qvia Rex de actionibus suis compellari non potest, ubi qvid contra leges ab hoc decretum fuerit, ab iis ratio exigitur, qvi infra nomen Regis suum subscripserunt. Nam debuisse Williamsonum Regi demonstrare, id contra leges esse; aut si eo monito non obstante Rex placita pertendisset, subtracta sua subscriptione effectum ejus impedire. Eqvidem is excusabat, inter tam multiplicia negotia à se omnia perlegi non posse. Sed respondebatur; excusationem delicto atrociorem esse. Nam si qvid Regi ad subscribendum obtulerit, aut ipse subscripserit, anteqvam idem perlegerit, capitis pœnam incurrisse. Ac in Domo Inferiore, qvæ tunc è qvadringentis viris componebatur, non nisi qvatuor pro Williamsono loqvebantur. Sed Rex non levem indignationem in Parlamentum testatus istum protinus custodiæ exemit. Cæterum cum postea Rex 19. *Nov.* intellexisset, ratihabitionem pacis ex Hispania nondum advenisse, nec Cæsarem adhuc in desertionem fœderatorum consentire, dicebat: ex hoc conseqvi posse, ut pacis fructus ad tempus eludatur; sed ideo bellum à se haut qvidqvam sumendum. Et si maxime Belgæ nunc in postulata sua consentire velint, se non amplius iis teneri; qvod iniqvum sit, se à Belgarum libidine pendere. Ista Angli à bello aversatio insolentiam Gallo addebat, ut Belgarum intercessionem pro Clivia parum curaret. Eqvidem An- 26. *Nov.* glus paulo post de externis rebus iterum cogitare videbatur, dum Hispanico, ac Belgico legato injungit apud Parlamentum scripto demonstrare, qvam in procliviGallo sit pacem evertere, utqve ideo idem exercitum alere pergeret, qvousqve de pace cautum foret. Sed multos Regis prævaricatio usqve adeo efferaverat, ut jam parum curarent, utcunqve res caderet; præsertim cum Angli ea sibi persvasione blandirentur, se semper Gallis pares fore. Ac legatus Gallicus iis in securitatem dandis disseminabat; pacem cum reliqvis fœderatis jam pro perfecta habendam. Et qvia metus ob periculum religionis reliqvas curas prævertebat, Domus Inferior exautorationem copiarum decernebat. Hujus decreti, qvod Angliæ, qvin totius Europæ servitium post se tracturum videbatur, has rationes adducebant. Initio, cum res adhuc integra foret, sæpius se optatie Gallo vim opponi, ac limitem Belgii longius proferri. Eo fine omnibus sessionibus institisse, ut Rex fœderatis sociatus Galliæ bellum indicat. Ac ea spe validum exercitum conscriptum, magnisqve sumtibus sustentatum. Haut eo secius turpem, & ipsi Regi improbatam pacem initam, per qvam Flandria oppressionis periculo exposita sit, qvotiens Gallam libido subierit. Ubi Parlamento considerandum; num par sit, postqvam arma Galli hucusqve præter votum suum progredi dissimularit, istam qvoqve pacem, qvam dissvaserit, in cujus nullam partem venerit, qvæ plura incommoda qvam ipsum bellum paritura sit, à se promoveri atqve stabiliri. Nec minus id expendendum, utrum sua magis, an Belgarum interfit Flandriam servari; qvos qvidem, cum securitatem & salutem suam in ejus-

1678. modi pace qvæsiverint, eadem qvoqve adqvieſcere æqvum ſit. Ac ſi maxime Flandria Angliam magis qvam Belgas tangat; qvæſtionem tamen eſſe, num exiguæ iſtæ reliqviæ tanti ſint, ut ob eas ſemper exercitus ſibi alendus ſit: qvo utiqve poſt ratihabitam opus futurum ſit, poſtqvam Hiſpanicæ provinciæ ſeipſis tuendis non amplius ſufficiant, Gallis cum parato exercitu ſemper incumbentibus. Deniqve conſtare ſibi debere, utrum ſi Gallus Angliam invadat, cæteri qvoqve hujus defenſionem ſuſcepturi, ac idem pro eadem facturi ſint, qvod nunc ab ipſa exigunt: de qvo in præſens nondum cautum ſit; nec conditionem eorum, qvi adhuc communi fœderi adhærent, ſat prolixe polliceri. Has ob rationes Parlamentum credi volebat, decretam à ſe exautorationem eo ſpectare, ut Belgæ ad agnitionem ſui erroris, Rex autem ad neceſſitatem belli in Gallos ſuſcipiendi compellatur, eoqve omnia in meliorem ſtatum collocentur, qvam pax iſta, ſi perſiſtat, introductura ſit. Sed revera iſtud Regi diffidebat, qvem exercitu inſtructum eſſe nolebat; ac ſi opus foret, ſelectos provincialium ad arma vocare animus erat. Beuningius contra demonſtrabat; tali agendi ratione omnia perdi. Cui viciſſim exprobrabatur: Belgas fœderibus licet obſtrictos pro lubitu ſocios deſtituiſſe. Unde Angliæ nemini innexæ facile condonari poſſe, ſi alienæ ſe libidini haut attemperet. Ita nil amplius ſpei in Anglia erat. Nam aula fœderatis haut favebat: ac Parlamentum, poſtqvam ut exercitus conſcriberetur pervicerat, hunc ipſum jam ſuſpectabat, ejusqve miſſionem urgebat; ac pecuniam ad eam miſſionem conferendam certis hominibus in manus tradebat, ut huic fini utiqve adhiberetur. Diſcedens ex Anglia Sverinus obtinuit, ut ad valedicendum Regi ſejugibus regiis adveheretur, eoqve cum regiis ablegatis pari plane modo haberetur. Id qvod antea nec aliis, nec ipſi cum accederet factum erat. Nam qvod Spanhemio, qvi à Palatino Electore venerat, idem honos obtigerat, id ob conſanguinitatem factum Angli cauſabantur. Sed cum ablegatus Oſnaburgenſis Sandes ex eadem ratione ſejuges regios poſtularet, id ei abnuebatur.

Ad Cæſarem miſſo. 24. April.

§. 79. Sic igitur res maxime eo redibat, qvid conſtantiæ Cæſar exhibiturus eſſet. Hic cum Crocovius Vienna ad Electorem reverteret, declaraverat; ſiqvidem Elector apud tractatus pacis obtinere poſſit, ut Citerior Pomerania in ſatisfactionem ipſi attribuatur, ſe inveſtituram ei collaturum hac lege, ut idem conſtitutur, qvo & ſibi ſatisfiat, nec citra ſe pacem ineat, ſed fœderi firmiter inhæreat. Id qvod Luneburgicis de Bremenſi Ducatu negatum fuerat. Sed inveſtituram in præſens conferre haut conſultum, incerto adhuc belli exitu, ne ludibrio ſe exponat. De cætero lætum ſibi fore, Electorem armis parta retinere; ac Neomagi ſedulam operam navaturum, ut Electori ex voto ſatisfiat. Qvam declarationem tamen ſecretam haberi petebat. Paulo poſt Crocovius denuo Viennam mittebatur, ut Cæſari nomine Electoris demonſtraret, qvomodo per ſeparatam Belgarum, & Hiſpanorum pacem Imperium, & reliqvi fœderati periculum incurrant vel fœdæ pacis, vel graviſſimi belli. Unde Cæſaris ſe conſilium tam ancipiti rerum ſtatu expoſcere. Eqvidem ſibi haut ignotum, qvantam molem Germani, & fœderati bello continuato ſuſcepturi ſint. Contra Imperio, Domuiqve Auſtriacæ noxium juxta, atqve ignominioſum, ad alienam libidinem pacem amplecti duriſſimis conditionibus, eandemqve intutam, atqve lubricam. Ac ſi paulo poſt ſubigente Galli libidine ad arma ſit redeundum, difficile fore nova fœdera fabricari, & exercitus, qvales nunc in promtu ſint, comparare. Unde ſe dubitare, an non ſatius ſit juſta cauſa, & virtute Germanicæ nationis conſilos ſociatis viribus hoſti contraniti, qvam ut tam iniqvæ ſibi leges præſcribantur pati. Circa qvod ipſe qvantum poſſit Cæſaris ſententiam ſecuturus, eamqve fulturus ſit, miſſo contra Gallum, qvicqvid è Pomerania ſubtrahi qveat ad viginti militum millia. Et qvia periculum in mora ſit, rogare, ut Cæſar ſententiam ſuam propere declaret. Nam lentas deliberationes, aut ambigua reſponſa ita ſe accepturum velut iſte jam pacem decreverit. Sed ſi Cæſar bellum perſeqvi conſtituerit, Crocovius pariter de fortibus Electoris conſiliis, & conſtantia confirmaret, ea lege, ut ipſi tota Pomerania relinqvatur, nec alia conditione pax fiat. Nec minus ipſum operam navaturum unioni inter fœderatos retinendæ, cui fini qvid remedii Cæſar proponat noſſe cupere. Idem qvoqve de hoſtium machinationibus in Polonia monere jubebatur, uti Cæſarem, & Electorem ſeparare conati ſint. Qvi cum antea tradiderint, qvæ ibi ſtruantur Cæſarem tantum in Hungaria ſpectare: nunc eosdem huic adrepere, atqve copias ex Hungaria revocatas Electori immittere. Unde neceſſum eſſe, ſociatis conſiliis rem ibidem agi. Exploraret qvoqve, num verum ſit qvod

1678.

9. Jun.

1678. qvod ſpargatur, Regem Poloniæ filium ſibi ſurrogare, ac Cæſaris filiam huic ambire. Nam qvod jactetur, Regi jam de Electoris favore cautum, id falſum eſſe; nec de eo qvid ad ipſum relatum, nec eundem in fraudem liberæ electionis in id conſenſurum. Præterea Cæſari inſinuaret, ne hic in ſiniſtram partem accipiat, ſi Elector ſervandæ Clivicæ ditioni Gallo ſpem reconciliationis faciat. Id enim nunqvam effectui dandum, nec eum unqvam fœderatis disjúnctum ſeparatim transacturum. Proponebat etiam Elector, contra Gallum octoginta militum millia comparari poſſe, ſi Cæſar XL M, Elector XX M, Neoburgicus IV M, Monaſterienſis VI M, Oſnabrugenſis III M, Paderbornenſis M, Lunèburgici Duces VIII M conferant; qvibus à Circulari militia VI M accedere poſſint. Significaret qvoqve Cellenſem, & Guelferbytanum declaraſſe, non ipſos ſolum in partibus perſtituros, ſed & ſperare alios idem facturos. Qvam & ſpem Elector de Cæſare foveat. Aſt ubi animadvertat, Cæſarem in pacem inclinare, exqvireret, num hic pace ſua ſtipulari velit, ne Gallus Svecis terra marivé auxilium præſtet; aut ſi iſte hunc pecunia tantum ſublevet, ut Cæſar qvoqve Electori pecunia, aut hoſpitiis ſubveniat; qvod in Auſtriacæ Domus inſigne emolumentum cedat Svecos Pomerania dimoveri. Sed in his omnibus opus eſſe, ut Cæſaris mens ſine mora intelligatur; de qva ſibi parum liqvido conſtare jam Luneburgici qverantur.

Cum Cæſareis Vienna diſceptata. 20. Jun.

§. 80. Ad propoſita à Crocovio Cæſarei ſatis agnoſcebant incommoda in præſens, ac deinceps è præcipitata ad Galli libidinem pace naſcitura, præſertim ſi Borealibus fœderatis nulla ſatisfactione obtenta bello ſit excedendum. Enimvero circa continuandum bellum ingentes ſe difficultates oſtendere. Pecuniæ, ſubſidiorum, hoſpitiorum facultatem nullibi reperiri; nec pauca incommoda è Belgarum defectione oritura. Inprimis moleſtam ſibi eſſe diffidentiam, qva non poſſint non Hiſpanos proſeqvi; qvi communicationem cum hac aula repente abruperint, nec in præſens cum ea ſuper conſiliis prius conveniant, ſed ubi ea jam effectui data ſint, demum ſignificent. Eos ſanctiſſime fidem dediſſe, nunqvam ſe à Cæſare divellendos. Nunc Joannem Auſtriacum Cæſareo legato ex improviſo ſignificaſſe, ſibi utiqve qvalemcunqve pacem habendam. Qvid ab iisdem in Anglia, & Belgio tractatum fuerit, Cæſarem latuiſſe, donec legati Hiſpanici Neomagi, & Villa Hermoſa Cæſareis declarariint; ſibi neceſſitatem impoſitam Belgarum exemplum ſeqvendi. Qvæ rerum in Hiſpania confuſio ſit, ex eo qvoqve adparere, qvod cum inde ſpes facta eſſet, poſt recuperatam Meſſanam valida impreſſione Gallos in Catalonia diſtractum iri, nunc Hiſpani ab his Puicerdam expugnari permiſerint, qvi & inſuper Roſarum obſidium meditentur. Præterea in Hungaria res non optime habere, ac Turcas infenſa minari, belli atrocis præludia. Principem Purpuratorum, qvi nunc eſt, virum eſſe ambitioſo, ac feroci ingenio, qvi miniſterium ſuum bello inſigne reddere cupiat. Metuendas qvoqve tertias partes in Imperio, ſuſpecto jam magis Bavaro qvam antea, IV M militum adhuc conſcriptis; qvi ſi non pro Gallo arma ſtringat, ſaltem caput ſe tertiarum partium laturus videatur. Qvin metuendum, ne Ordines Ratisponæ per majorem ſuffragiorum partem Cæſari pacem ingerant. Huc accedere tenues Cæſareorum armorum ſucceſſus; ac cum ſpes fuerit Friburgum invadendi, Gallos præveniſſe, poſitis inter id oppidum, & Briſacum caſtris. Fœderatos qvod ſpectet, Cæſarem Dani, & Electoris conſtantiæ firmiter confidere. Cellenſem, & Guelferbytanum Duces jam qvoqve teſtari, ſibi nunqvam in mentem veniſſe Svecis Bremam pro ſumma pecuniæ reddere: tum octa millia in uſum cauſæ communis offerre: ſed ſimul de tractu Inferioris Rheni in medium ſtatum reponendo proponere. Unde colligi, eos haut judicare Svecis, Gallisqve pariter reſiſti poſſe; eoqve verendũ, ut ſi ab hoſtibus gratæ conditiones offerantur, de eorum conſtantia ſatis cautum ſit. Eosdem qvoqve vetera poſtulata ſuper Brema, hoſpitiis, & cerimoniis recoqvere. Monaſterienſem itidem omnia qvæ penes ſe ſint offerre. Sed eum præter privatum emolumentum nil ſpectare, ac Ordinibus Imperii moleſtum incumbere. Inter iſtas conſiderationes difficillime à ſe conſilia expediri; ſed ſuper pace nondum certi qvid ſe ſtatuiſſe. Electoris commoda qvod ſpectat, gratum ſibi fore, ſi is præmio belli qvod optet potiatur, qvod alias Cæſari parum auxilii ab eo expectandum ſit: eoqve cupere ſe, ut Svecis una & altera fontica plaga adhuc inferatur, ut vel plane Germania pellantur, vel autoritatis jacturam faciant. Sed circa primariam qvæſtionem, qvid Cæſar facturus ſit, Belgis atqve Hiſpanis arma ponentibus, reſpondebatur; Cæſarem potiſſimum Hiſpanorum in gratiam hoc bello implicitum. Hi ſi propoſitis conditionibus adqvieſcant, iſti qvoqve id ferendum. Pro ſe eum nil amiſiſſe, qvod non facile recuperari qveat: nec eundem

lucrari

1678. lucrari qvid cupere. Borealibus fœderatis ut ex voto fatisfiat haut invidere. Sed ut eam ob causam Germania invita bello immersa teneatur, aut ipse Cæsar periculum proprias ditiones amittendi incurrat, ab hoc postulari non posse. Cæterum firmi qvid decerni haut licere, qvoad constet, qvid cursores Haga, aut è Turcia adportaturi sint. Qvod si bellum continuandum sit, Cæsarem postulaturum, ut singuli fœderati declarent, qvantum copiarum qvilibet propriis sumtibus ad communem causam conferre possit, ac velit; ac ut istæ Cæsareis ducib9 subdantur, qvo Cæsari de iisdem satis cautum sit. Altero colloqvio Cæsarei plurimum timoris ostendebant, velut reb9 plane desperatis. Cæsarem, & Imperium solum bello persequendo haut sufficere, ac præstare qvalemcunqve pacem amplecti, & aliqvam remp. conservare, qvam omnia extremis admovere. Si Galli circa conditiones à se latas temperamentum admittere velint, Cæsarem in pacem inclinare. Sed ut Gallo integrum sit fœderatos bello intra Imperium persequi, Cæsarem ferre nolle. Ita rem huc redire; si Cæsar pacem habere velit, fœderatos ab eo destituendos; si fœderati pacem cupiant, & bello parta, & Cæsarem ab ipsis deserendum. Super hospitiis respondebant, eadem in XVI M militum Electori præstari nullo modo posse. Cæsarem superiore anno DCC M florenorum de suo impendisse: hoc anno duplum erogandum: facturum tamen qvantum possit. Ad Pomeraniam Electori curandam Cæsarem se adstringere haut posse, cum non constet, an id præstare valeat: omnia tamen collaturum, qvæ penes se sint. Circa hospitia agnoscebant ab Electore Ordines ultra æqvum haut onerari. Sed Luneburgicos, ac inprimis Monasterienscm præter modum & fas grassari, nec id diutius tolerari posse. Ac si bellum trahendum sit, fœdera in aliam formam redigenda esse. Omnia mala inde provenisse, qvod bellum non uno consilio administratum fuerit. Qvemlibet suo ex placito, & prout privata utilitas suggerebat, rem gessisse; unde plures egregias occasiones incassum periisse. Sic si Luneburgici Duces post expugnatos Treviros, qvod Montecuculus petebat, debilitatum Turennii exercitum à tergo invadere voluissent, ingens operæ pretium fieri potuisse. Si deinceps qvoqve pari modo agatur, nil profectum iri, si vel duplo Gallos viribus superemus. Contra ist hoc unicum esse remedium, si fœderati omnes suas copias Cæsareo duci subdant; qvibus tamen integrum sit futurum ministros suos apud exercitum habere suis rationibus observandis. Huic postulato obnixe inhærebant, nec Crocovium audiebant regerentem; Electorem Luneburgicis junctum exercitui suo seorsim imperaturum. Cum qvoqve Cæsarei magnas difficultates super hospitiis moverent, Crocovius qværebat; qvodnam emolumentum Ordines bonorum civium officio functos mansurum sit præ iis, qvi nil in usum patriæ contulerunt, aut insuper cum hostibus colluserunt? Cui Cæsarei respondebant; tanti esse Svecis erepta retinere; qvorum evictionem tamen præstare abnuebant. Ita Cæsarea aula id spectabat, ut fœderati copias suas Cæsareis ducibus subjicerent, circa hospitia Cæsaris dispositione plane adqviescerent, nil tamen certi super belli præmiis stipulati. Atqve ea dudum Viennæ agitata fuerant, & qvomodo fœdera, qvæ Daniæ Rex, Elector, & Luneburgici Duces æqvali conditione cum Cæsare iniverant, aboleri possent. Ac jam tempus esse istud pervincendi, postqvam fœderati auxilio Cæsaris opus habeant tuendis bello captis; qvibus præstabilius futurum sit istas conditiones admittere, qvam horum jacturam facere. Id si Cæsarei obtinere non possent, pacem potius amplexuri videbantur, præsertim tam ambiguo armorum suorum statu, qvam ut tam intolerando sibi modo fœderatis obnoxii agerent, Cæsaris provinciis periculo expositis, ac unice in gratiam istorum bellum gererent, qvorum potentia alias ipsis suspecta erat.

1678.

6. Jul.

§ 81. Mox ad proposita ab Electore Cæsar declarabat; sibi necessarium videri, desciscentibus Belgis, atqve Hispanis communes inducias qværi. Nec minus communem salutem, ipsamqve necessitatem reqvirere, ut qvilibet posthabitis privatis respectibus proprias per opes ad sustinendam publicam causam connitatur, simul promtum sese exhibeat circa removenda, qvæ hactenus omnes in hostem conatus infructuosos reddiderunt. Ac ipsis rerum documentis constare, qvam noxium causæ communi acciderit, qvod hactenus circa dirigendam belli summam fœderati inter se consentire, ac Cæsarea hospitiorum dispensatione adqviescere noluerint. Unde ad evitandam in futurum tam noxiam confusionem, atqve collisionem à fœderatis declarandum esse numerum copiarum contra Gallum mittendarum, unde hæ sustentandæ, & cujus imperio subjiciendæ sint; qvod utiqve penes ipsum esse debeat. Eo intellecto se ulterius mentem suam expositurum. Addebatur, ut copia sibi fiat eorum, qvæ Hafniæ con-

Cæsaris declaratio. 20. Jul.

1678. conclusa sint. Alias Viennæ rumor erat, Electorem, ac Luneburgicos clam cum Gallo tractatus agitare. Unde metuebatur, ne Cæsarei, ut eos prævenirent, qvalemcunqve pacem occuparent; cum hactenus nondum certi qvid consilii cepisse viderentur. Neoburgicus Viennæ tunc agens judicabat, Electorem Stetino contentum esse oportere, ac Svecos in Germania servandos, operamqve dandam, ut hi adversus Gallos sociari velint. Igitur Electori pacem cum Svecis qvovis modo qværendam; & qvia omnia, qvæ ceperit, retinere neqveat, adqviescendum eo, qvod servari possit. Nam Sveciæ Regem studio in Imperium inclinare, ac Galli potentiam suspectare. Eundem Imperio reconciliatum arctius sese huic innexurum Gallo ad moderata compellendo. Sed nec lucrari qvid Electorem posse bello extracto. Gallum qvippe Electoris Westphalicas ditiones ad Visurgim usqve subacturum, ac vel Sveco, cui alias actio in eas movetur, traditurum, vel Electorem compulsurum, ut Svecis erepta restituat, ac forte insuper iisdem satisfaciat. Cæsareum exercitum ad Superiorem Rhenum Gallis parem non esse; qvi ubi cladis qvid accipiat, aut cessim ire cogatur, Bavarum se Gallis sociaturum. Qvo casu Cæsari necessum fore in omnia consentire, qvæ Galli libido tulerit. Crocovius contra ostendebat; Germaniam nunqvam à tergo sat tutam fore, nec universas vires contra Turcam, & Gallum vertere valituram, nisi eliminatis Svecis. Tum & frustra cum Svecis tractatus qværi, qvi hac rerum facie à Gallo se disjuncturi haut sint.

Neoburgici sententia.

Repetita Viennam missio. 10. Aug.

§. 82. Cæsaris responso ad Electorem relato Crocovius demuo Viennam mittebatur, ut primo super hospitiis instaret, circa qvæ sibi præ cæteris gratificandum sit, velut qvi ab initio belli omnes fortunas suas, ipsamqve vitam periculo exposuerit; qvo id obtentum fuerit, ut non solum progressus Gallorum in Belgio sufflaminati, sed & res prope desperatæ restitutæ sint, aliiqve bonis partibus accesserint. Postqvam inde Sveci ipsum ob constantem in patriam fidem invaserint, se solum absqve fœderatorum auxilio istos ejecisse, ac Imperium, ditionesqve Cæsareas periculo irruptionis Svecicæ liberasse; ac spem esse tam noxium hostem brevi tota Germania à se exterminandum. Universos Ordines, uti qvidem promiserint, nil sibi auxilii præstitisse. Se immensos de proprio sumtus fecisse. Jam cum octo amplius millibus contra Gallos ad Rhenum, cum reliqvis contra Svecos rem gerere. Pro his copiis idonea hospitia petere. Tum ut suæ legiones ad Rhenum supremo Osnabrugensis Præsulis imperio subsint, cui proxima dignatione Cæsareus dux adjungi qveat. Si ipse bellum contra Svecos patrarit, tota vi in Gallos iturum. Ast si auxilii inops destituatur, se ad alia consilia compulsum iri propriis ditionibus qvantum detur servandis; qvo nomine Cæsari, ac Imperio excusatus esse velit. Præterea ostenderet, à Saxone instinctu qvorundam ministrorum prave sentientium Klengelium ad Bavarum fuisse ablegatum, qvi post multa secreta colloqvia cum Bavaricis, & Gallicis ministris habita Parisios abierit ad conveniendum, qva ratione Sveci in Germania retineri qveant. Id an decretis, ac rationibus Imperii, Cæsarisqve autoritati congruat suo loco relinqvi. Se duntaxat petere, ut Cæsar ea consilia retundat, ac Saxonem in meliorem viam deducat. Præterea peculiarem pacem impedire laboret; aut ubi id fieri non possit, contendat, ut saltem Cæsar stipuletur, ne Gallus Sveco adsistat, utqve ditiones Clivicæ in tutum collocentur. Deniqve obsisteret, ne induciæ, de qvibus Neomagi agitur, ad Svecos qvoqve porrigantur.

Vienna parum proficitur. 19. Aug.

§. 83. Crocovius Viennam delatus nondum certi qvid consilii captum reperiebat. Cæterum ministri multas difficultates super bello producendo movebant; perpetuam infelicitatem Cæsarei exercitus, angustias hospitiorum, inopiam pecuniæ, deficientia subsidia, nullam inter fœderatos concordiam. Cæsarem tamen, nisi necessitas subigat, pacem, qvalem Gallus proponat, non admissurum, nec Boreales fœderatos deserturum. Inter incerta ista non omittebant bellum parare, simul de Hanoverano in partes trahendo agitabant. Adferebantur tunc communes à Bavaro, Saxone, ac Palatino literæ ad Cæsarem, qvibus vehementer pax svadebatur. Singulis hisce à Cæsare responsum; sed ut is dispari modo de rationibus Imperii circa Gallos, & Svecos judicaret. De illis pronuntiabat, ad securitatem Imperii magnopere interesse, ne iidem Philipsburgo, & Lotharingia potiantur. Circa hos id duntaxat ferebat in suo arbitrio non esse, Boreales fœderatos ad restituenda Svecis ablegata cogere. Iidem qvoqve tres Electores rogabantur officium apud Gallum promovendæ paci interponere; id qvod hucusqve nemini ex Imperii Ordinibus permissum fuerat, qvi per decreta publica inter partes belligerantes censebantur. Porro Neoburgicus periculum

1678. culum hujus belli valde exaggerabat; nec vires bello continuando propositas sufficere censebat. Cæsareum exercitum haut parem prælio tentando: Gallos in Bohemiam usqve penetraturos: Bavarum Gallis se conjuncturum: Franconicos, & Svevos medium statum amplexuros. In diversa parte Gallos Bonnam, Coloniam, & omnes Electoris ditiones ad Visurgim usqve occupaturos. Igitur cum Svecis Electori pacem ineundam, qvaliscunqve haberi possit. Antea cum res nondum hucusqve progressa esset, Svecos Stetinum cedere voluisse: nunc rebus tantopere mutatis longe id abesse. Ast Cæsarei ministri sane inviti ad pacem descendebant, ac militum qvidem satis esse judicabant, sed duo deficere, opes sustentando exercitui, atqve concordiam circa moderandum exercitum à fœderatis componendum. Prius inde oriri, qvod ab Hispanis, ac Belgis nil amplius expectandum sit. Gallum eousqve instistere, ut ne residua qvidem subsidiorum solvantur: ac forte eos cum Gallo colludere, & cogi velle, ut color sit non impleti fœderis. Cæsari non majorem pecuniæ copiam, qvam fœderatis. Hospitia indies fieri contractiora. Tractum à Rheinfelda Philipsburgum usqve plane evastatum. Svevos & Franconicos immensum qviritari. Qvibus adhuc opum nonnihil sit, repugnaturos, ac Bavaro, & Saxoni sese adjuncturos. Qvod Elector copias suas ad Mosam mittere velit, se generosum ejus animum, & pro publico studium agnoscere, nec ab eodem plus desiderari posse. Contra dolendum esse, Monasterienscm auxilia sua revocare, Luneburgicos conditiones, qvæ præstari neqveant, postulare; nec ullo modo eosdem in unum compingi posse. Etsi revera ipsi Cæsarei eam conjunctionem impedirent, dum postulabant, ut penes Cæsareum ducem imperii vis, penes Osnabrugensem inane vocabulum foret; qvam conditionem Luneburgici adspernabantur. Nec minus, ut qvi exercitui ad Inferiorem Rhenum præesset, à duce primarii exercitus Cæsarei penderet: deniqve ut Ordines circuli Westphalici eum exercitum alerent. Contra Osnabrugensis declarabat, se qvidem imperium in exercitum fœderatorum susceprurum; sed id prius per fœderatos à se reqvirendum. Tum noscendum sibi, unde annona, machinæ, ac bellicus paratus sumendus sit. Cæsareum ducem facile se tolerare posse, ut Consiliarii bellici vices apud se obeat, non ut ipse eidem obnoxius agat. Cellensis qvoqve Dux offerebat, se cum septem millibus inter Moguntiam, & Confluentes seorsim rem gesturum. Qvod Cæsarei interpretabantur ideo fieri, ut opimis eo tractu hibernis frueretur, qvi belli calamitates haut senserat. Accedebat Cæsarei exercitus indies in deterius ruentis conditio; qvi tamen nullo anno numerosior in campum eductus dicebatur, & in qvem triplo plus pecuniæ erogatum fuerit, qvam cum Montecuculus ei præesset. Cujus rei culpa in Lotharingiæ Ducem conferebatur, hoc vicissim Montecuculum insimulante, velut ob æmulationem clam machinaretur, ut exercitus non posset non male habere. Etli Cæsar nollet in consilio aliqvid Lotharingo adversum dici. Eo magis Neoburgicus pacem cum plena Svecorum restitutione urgebat, confirmans Svecos post factam pacem omnibus fœderibus cum Gallia renuntiaturos, ac sese Imperio contra omnes ejus hostes innexuros: cujus rei ipse sponsor futurus sit. Addebat palam, nec sine animi commotione; ob Boreales fœderatos se in bello manere, ac provincias suas vastationi exponere nolle. Qvin & Svecos, si maxime Germania penitus expellantur, in integrum restituendos. Eqvidem sese Electori qvaliacunqve emolumenta haut invidere; sed ut is Pomerania potiatur, nolle Juliacensem provinciam evastari. Nullo modo in præsens Gallo resisti posse. Eum vel cum totius Imperii eversione Sveci restitutionem pervicturum. Omnes qvæ ad resistendum vires proponantur, longe infra esse. Igitur in præsens pacem ineundam; inde arma in Imperio paranda, & cum Svecis fœdera nectenda. Eos invitos in arma pertractos, qvod nossent, qvid Danus, & Elector in ipsos strueret. Eos, ubi securitati suæ cautum sit, Imperii partes constanter amplexuros. Frustra sperari, Hanoveranum sese fœderatis sociaturum. Eum prudentia pollere, ac se, qvi non parum apud eundem potlit, id impediturum. Consilia ab initio in Germania haut rite digesta fuisse. Tertias partes debuisse formari, ac prohiberi, ne Imperium bello implicaretur. Boreales fœderatos sibi solis opes struere, ac inde toti Imperio insultare velle. Ubi qvæ affectent adqvisiverint, unicam curam fore ista tutari, si maxime Germania sursum deorsum vertenda sit. Deniqve Electorem ab omnibus exorandum, ut pro magnitudine animi sui seipsum vincat, ac ob bonum publicum Svecos restituat. Antea se effecturum fuisse, ut is Stetino, & Odera flumine potiretur; sed eundem omnia retinere voluisse. Nunc inanem bello excessurum, forte qvibusdam insuper amissis. Qvæ autem istius

Prin-

1678. Principis super Electoris fortuna mens esset, sat qvidem importune is prodiderat, dum misso per hunc nobili cubiculario, qvi de expugnata Stralsunda, totaqve adeo Pomerania nuntiaret, respondit: admodum sibi lætum, Electorem antiqvo jure debitas sibi terras per Svecum hucusqve interceptas victricibus armis recuperasse; sed simul spem esse, eundem qvoqve sibi super Clivicis terris, qvas Elector, ejusqve parens hactenus per injuriam detinuerit, sibi satisfacturum. Qva tam rara occulti pectoris voce erumpente Elector gratias Deo agendas censebat, qvod opera qvondam circa conciliandam Neoburgico Polonicam coronam effectu caruerit, cum ea res domui suæ admodum noxia futura fuisset.

Cæsareorum consilia fluctuant.

§. 84. Inter hæc Cæsarei multa de sua constantia jactabant, ut tamen semper necessitatem exciperent, qvæ ex ipsorum mente jam extabat. Nam post defectionem Hispanorum, & Belgarum fundamentum, ac vinculum fœderum esse sublatum. Tum qvæ Cæsari cum qvibusdam Ordinibus fœdera intercedant, ex legibus Imperii interpretanda, & ne autoritas, qvæ ipsi tanqvam capiti competat, imminuatur. Sane Cæsarem nunqvam deinceps ejusmodi sibi vincula injici passurum. Mox rebus in deterius ruentibus multum consternationis ostendebant, ac oblata ab Electore, atqve Luneburgicis acceptare nolebant, qvoad adpareret, qveni successum separati sui cum Gallo tractatus fortituri essent. Qvin judicabant, fœderatis jam necessum esse Cæsarem ambire, qvod huic nulla amplius spes sit hoc bello aliqvid lucrandi, idemqve pace citra jacturam potiri possit; ipsi autem absqve Cæsaris ope bello qvæsita tueri neqveant; cui obtinendæ necessum fore, ut summum belli regimen, ac hospitiorum dispositionem Cæsaris arbitrio committant. Sed & Hungaricæ turbæ speciosum prætextum præbebant bellum Gallicum deserendi; qvo finito omnes vires in Hungariam vertere animus erat etiam cum Turcici belli periculo. Monasterienſis mors, qvæ circa id tempus contigerat, iisdem parum luctuosa erat, velut cui nunqvam satis confisi fuerant, & qvi etiam inter extrema tractatus cum Gallo agitaverat. Qvod tamen Luneburgici post ejus mortem, qvæ idem in Bremensi & Ferdensi provincia possederat, subito invasissent, Viennæ admodum ægre ferebant. Color à Ducibus dicebatur, qvod veriti sint, ne Daniæ Rex, & Elector ipsos prævenirent; hoc admodum indignante, istos invidiam ejus facti hoc commento in se devolvere conatos. Etsi Duces ista paulo post successori restituerent. Allato dehinc nuntio de capta Stralsunda aula Cæsarea non parum lætitiæ præ se ferebat; sed Neoburgico ea victoria parum grata accidebat, velut pacem remoratura. Elector tunc denuo Crocovium exqvirere jubebat, num Cæsar ipsum in possessione Pomeraniæ tuiturus sit? Ad qvod promtam declarationem expoſceret, moram repulsæ in vicem accepturus. Qvod si iste nolit, vitio sibi dari non posse, si alia consilia capessat commodis suis tutandis. Ista Cæsarei langvide accipiebant, nec dissimulabant, in Borealium fœderatorum gratiam bellum sese haut persecuturos. Et cum antea infensos valde Svecis sese tulissent, qvamdiu horum in Cæsaris ditiones irruptio metuebatur, jam hisce per victricia Electoris arma contusis haut satis æmulationem adversus Electorem premebant. Ac sane post captam Stralsundam cupido pacis gliscebat, qvam ne ista impediret metus erat, & ne Svecis necessitas adferretur penitus sese Gallis innectendi. Ac gravis error habebatur ut Sveci Germania expellerentur concessisse; qvorum spoliis ditandus sit longe istis formidabilior. Nec minus Electori evictionem bello partorum præstare plane abnuebant: Eqvidem se ista eidem non invidere. Sed nec ad perpetuum bellum, nec ad negotium supra vires suas positum obstringi posse. Securitatem bello qvæsitorum non in eo solum consistere, ut Sveci Germania expellantur, sed & ut Gallus eo redigatur, ne Imperio leges præscribere possit. Eqvidem Cæsarei in futurum annum supra XL. M bellatorum parabant ad superiorem Rhenum mittenda, modo fœderati qvoqve validum exercitum ad Inferiorem Rhenum sisterent. Iste tamen paratus in speciem duntaxat fiebat, ut Gallis eo tractabilioribus uterentur. Nam Cæsarem per hospitiorum negotium, & qvia fœderati super exercitu ad Inferiorem Rhenum inter se convenire non possint, utiqve ad pacem compelli. Et qvia fœderati defensionem Rheni deserant, istum ferre non posse qvatuor Electores ad Rhenum, ac multos eo tractu Ordines plane opprimi, ac hæreditarias provincias periculo exponi, simul bellum intestinum excitari, qvod constet, complures potentes Ordines fœdus agitare super conjungendis viribus ad extorqvendam pacem. Igitur ni fœderati majore studio rem gerant, pacem sibi amplectendam, cui includendi sint, qvi velint, solis Borealibus fœderatis in bello mansuris.

1678.

1678. *Consultatio super præsenti rerum statu.* 13. Nov.

§. 85. Postqvam igitur pars fœderatorum jam defecisset, nec de reliqvis meliora sperarentur, Elector denuo consiliariis suis expendendum tradebat, qvid hac rerum facie suscipiendum esset. Ubi Sverinus senior, ac Fridericus Jena censebant; *dari qvidem posse causas, ob qvas à fœdere discedere nefas haut sit. Enimvero Belgas atqve Hispanos tantis adhuc in promtu viribus, nec capitali clade accepta usqve adeo sui, ac sociorum oblivionem subiisse, ut etiam debita ex fœdere auxilia negarint, contra hosti integrum reliqverint in hos pro libidine grassari; id nullo modo excusari posse, nec facile inter Christianos historiam ejusmodi exemplum suppeditaturam. Ac si talia probentur, deinceps fraudem, & perjurium inter honesta remedia fore sua se obligatione exuendi. Eo facto plerorumqve fœderatorum animos immutatos compertum. Aulam Cæsaream, qvæ alios in officio continere debebat, & cui id, si candida consilia seqvi placeret, in proclivi erat, statim intepuisse, ac propositis conditionibus, qvas fœderati non poterant non recusare, satis ostendisse, aliud ipsi qvam strenuam belli persecutionem cordi esse. Unde istam clam per Bavarum, ac Palatinum in Gallia inducias ambiisse, Bavariqve, ac Saxonis interpositionem apud Gallum qvæsivisse. Ratisponæ talia proposita, per qvæ Ordinibus haut qvidqvam animus ad fortiter sustinendum hostem animus additus, sed potius metus incussus sit. Neomagi Cæsareos denuntiasse, sibi separatim tractandum. Pro Electore neminem fœderatorum qvid facere. Monasteriensem eo ipso tempore, qvo Hafniæ fœdus inibat, clam cum Gallo super reconciliatione sua egisse. Luneburgicos per Hanoveranum separatam transactionem affectasse, qvam tamen intermiserint non amore sociorum, sed qvia desideria sua obtinere non poterant. Ita socios non communem causam, sed privatum emolumentum respexisse; ac salutem suam non in fœderibus, sed in eo collocasse, ut eadem ante reliqvos abrumperent, & hos prærepto aliqvo commodo prævenirent. Cæterum in dies periculum gliscere. Bavarum, Saxonem, Neoburgicum, Hanoveranum pro Svecorum restitutione conniti, ac palam jactare, se in alterius gratiam Germaniam bello inqvietari nolle. Imperium nil terrarum amisisse. Svecos satis castigatos. Cæsareos Ratisponæ nil aliud dicere, qvam Svecos nonnihil remittere debere. Viennæ jactari; penes Cæsarem esse super bello partis disponere. Fautores Electoris nil proficere posse; pacem ab omnibus expeti; qvo ipso Svecorum pervicacia obfirmetur. Equidem nonnullis persvaderi, si Elector cum Dano, ac Luneburgicis arctius se jungat, Gallis, & Svecis adhuc resisti posse. Enimvero cum ab universis operæ pretium fieri non potuerit, qvid nunc post separationem sperandum? Dano sat negotii fore in Scania, Electori in Borussia, Ducibus in propria ditione. Nec hos tamen, ut res huc deducatur, passuros; qvi & Hafniæ nil cupiditatis ad arctius fœdus, ac mutuam evictionem ostenderint. Et ut maxime voluntas sit, vires deesse. Etsi autem nihil sit, qvod belli continuationem svadeat; non tamen arma abjicienda, sed qva detur connitendum. Et qvia communis pacis spes amissa sit, peculiarem pacem occupandam, ac qvamprimum legatum in Galliam mittendum; id qvod dudum fieri debuerit.* 1678.

Electoris ad Cæsarem literæ. 24. Nov.

§. 86. Elector inde habita cum Daniæ Rege Dobrani consultatione super præsenti rerum statu, in hunc sensum literas ad Cæsarem dabat. *Jam ab aliqvo tempore famam tulisse, Cæsareos ministros super peculiari pace cum Gallis, & Svecis satagere exclusis, qvi contra hos rem gesserunt. Ei famæ a se hactenus fidem adhiberi non potuisse, qvod ista Cæsareis decretis, SCtis Ratisponensibus, aliisqve Imperii legibus, tum expressis fœderum verbis, verisqve Cæsaris, ac Germaniæ rationibus repugnent; nec verosimile visum, Cæsarem eas in se exprobrationes provocaturum, qvas ipse, ac nemo non summo jure Belgis ingessit. Ast postqvam ipse è scripto die XIX. Novembris à legatione Cæsarea Neomagi seqvestribus tradito perspexerit, ejusmodi conditiones iis, qvi in Svecos bellum gesserunt, proponi, qvibus duriores ne à Gallis qvidem, ipsisqve Svecis ferri potuerint; qvemlibet facile judicare posse, qvanto ob id dolore ipse perculsus fuerit; qvem qvo minus late deducat, respectu, qvo Cæsarem proseqvatur, prohiberi. Id tantum rogare, ut qvid fœdera anno 1673. & 1675. inita disponant, in memoriam sibi Cæsar revocet; & uti ipse, postqvam cum Gallo jam honesta ratione transegisset, Cæsaris maxime hortatu iterum pro hoc & Imperio arma contra istum arripuerit: qvantos in eam expeditionem sumtus fecerit: uti solam hanc ob causam Svecorum armis oppressus fuerit: uti hoc non obstante ipse immotus Cæsari, ac Imperio adhæserit: ut omnes conditiones ad separatam compositionem repudiaverit: qvantum periculi subierit: uti non solum civium suorum opes, ac sangvinem non sine horum gemitu pro Cæsare, ac Imperio immolaverit, sed & primogenitum filium amiserit; uti deniqve officium fidelis patriæ Electoris plenius, qvam ab ipso potuerit reqviri, impleverit. Nunc postqvam Deus eo usqve justis suis armis adspiraverit, ut hostem, per qvinqvaginta annos terrorem, ac vastatorem Germaniæ, qvam sæpe*

qva

1678. *qva patet populatus sit, ignis, atqve tumultus usqve ad pontem Viennæ illato, Germania solo, atqve ea provincia expulerit, ex qva sæpe istam velut diluvio obruerit, Imperio, ac Cæsareis provinciis ab eo latere in perpetuam securitatem repositis: merito sperare potuisse, stabilita communi pace eo respiciendum, ut patria tanto pretio parta qviete, ac ipse fructu tantorum laborum pro publico exhaustorum constanter fruatur. Eo majore cum animi perturbatione nunc intellexisse, per conceptam Neomagi formulam se, Imperium, Cæsarisqve ditiones iterum in priorem statum intutum, atqve inqvietum conjici, hostemqve intra viscera Imperii pertrahi; tum sibi longe duriorem qvam antea conditionem conciliari. Nam si implacabilis iste hostis in Pomerania sibi denuo ad latus collocetur, adversus eum sibi perpetuo velut in excubiis agendum; qvo ipso plane inutilis futurus sit ad aliqvam operam exigente necessitate Cæsari, ac Imperio navandam. Hoc modo longe feliciores fore, qvi vel arma in Cæsarem gesserunt, vel per affectatum medium statum hostibus velificati sunt. Spem tamen esse, Cæsarem bis probe expensis à fidis fœderatis sese hans disjuncturum, ac omissa peculiari pace ad communem, eamqve honestam, ac stabilem constituendam incubiturum, per qvam & sibi, aliisqve fœderatis ex aqvo satisfiat. Secus si agatur, id Deo, ac tempori committendum; ac considere, Deum, cujus tam præsens auxilium hactenus senserit, sibi qvoque viam ostensurum, qva ex hoc negotio non inglorius, nec præmio cassus emergat.* 5. Dec. Anteqvam hæ literæ Viennam adferrentur, Crocovius jam super ista Cæsareorum declaratione qvestus fuerat, qvod & iniqvissimas conditiones complecterentur, nec antea iis qvorum intererat, communicata foret. Enimvero jam ab initio Cæsareorum mens fuerat, ut non fœderati cum hoste, sed ipsi horum vice tractarent. *Cæsarei alia sua excusant.* Ipsi differebant; tempora ita comparata esse, ut ad agendi modum haut valde respiciendum sit, ubi summæ rerum fraus non fiat. Ista declaratione omnia in integro manere. Gallos toto orbe vulgare, à Cæsare pacem impediri. Igitur huic aliqva fuisse progrediendum, qvo eam accusationem à se in istos devolveret. Cuiqve jus suum in salvo esse per eam clausulam; ut pax Westphalica instauretur, *præterqvam si qvid in ea mutetur.* Non esse expressum, adversus qvem remedia promovendæ paci adhibenda sint. Omnia ambigue polita, ut favor orbis retineatur, ac tempus extrahatur, qvo vires conjungi qveant ad bellum eo acrius perseqvendum, qvoad honesta pax obtineatur. Sed & præsentem Germaniæ faciem considerandam. Solum Cæsaris exercitum toti Galliæ moli haut parem esse. Ordines belli pertæsos frænum mordere. Ecclesiasticos Electores cum Bavaro, & Palatino junctim ad Cæsarem scribere, ac pacem enixe commendare. Contra fœderatos nil rerum contra Gallum gerere. Tanto temporis spatio eos inter se non potuisse, aut voluisse convenire. Statim atqve Galli se moveant, istos Rheno deserto hospitia invadere qva velint, nulla disciplina, aut ordine. Eos clam, ac sibi qvemqve pacem captare, præsertim Luneburgicos, ac Monasterienses. Hoc rerum statu Cæsari qvovis modo de pace cogitandum, nisi totum Imperium, propriumqve exercitum, ac cum eo diadema periculo exponere velit. Adhuc rem esse integram, sed qvæ nullam amplius moram ferat. Si Cæsari exercitus triginta millibus bellatoribus constans ad Inferiorem Rhenum ostendatur, cui tuto confidere qveat, pacem haut qvidqvam fore. Sed eum brevi repræsentandum. Alias Cæsarem toti orbi excusatum fore, si id faciat, qvod indeclinabilis necessitas subigit. Spem fuisse, colloqvio Dani, & Electoris Cellensem qvoqve Ducem interfuturum fuisse. Sed qvia id factum non sit, ac de consiliis ejus aulæ sinistra referantur, spem exercitus ad Inferiorem Rhenum è communi placito parandi eo magis imminui, qvod constet, Danum ipsum auxilio indigere, ac Electori copias in Borussiam mittendas, citra qvas bellum geri non possit. Ast Luneburgicos, qvi peculiari bello non distrahantur, ac latis hospitiis fruantur, pro publico nil moliri, ac potius cum hostibus secretos tractatus agitare. Qvi & gravem suspicionem excitarant, qvod Brema se cessuros ostendissent, si Hildesiensis, & Osnabrugensis præsulatus perpetuo jure ipsorum Domui attribuatur. Qvod postulatum Cæsar magna cum offensa acceperat, ac Nuntius super eodem ingentes tumultus moverat. Cæterum Cæsarei novissimam Galli declarationem valde absurdam censebant. Eqvidem super Friburgo facile se conventuros. Sed Cæsarem nunqvam consensurum, ut Gallus decem oppida Alsatiæ pleno jure retineat, ac præcipue ut Gallis transitus per Imperium concedatur, Borealibus fœderatis ad restituenda Svecis ablata cogendis. Per qvæ postulata uti Cæsaream autoritatem, nationis Teutonicæ gloriam, Domus Austriacæ fastigium, ejusqve præsentem, ac futuram securitatem immensum lædi satis agnoscebant; ita his omnibus necessitatem prævalere excusabant. Porro red-

1678. 8. Dec. redditis ab Electore literis Cæsar huic de exercitu ad Inferiorem Rhenum parando scribebat; sed cui istæ leges dicebantur, ut ejus directio à primario suo exercitu penderet, ac ut qvilibet copias suas aleret, remqve machinariam prospiceret, ut tamen annonam liceret petere è locis, ubi res gerenda sit. Enimvero iste exercitus irritus erat, qvod Electori in Borussiam abeundum foret. Etsi enim is haut eo secius XVIII M in Westphaliam contra Gallos se missurum promitteret; tamen qvia Luneburgici, ac Monasterienses parem promtitudinem non ostendebant, ista sola non sufficiebant. Id igitur obtinuit Elector, ut totus orbis agnosceret, ipsum nil eorum, qvæ penes se fuerint, omisisse. Ac Cæsarei generosum ejus animum magnis laudibus ferebant, nec ab eodem plus desiderari posse agnoscebant. Eqvidem Elector à se oblatis hanc conditionem addiderat, ut Cæsar evictionem Pomeraniæ ipsi præstaret. Sed qvia eam conditionem à se in præsens præstari Viennæ negabant, ea levi brachio urgebatur, ac satis habebatur, si Cæsar iterum cum Gallo committi posset. Eqvidem & Luneburgici VIII M militum offerebant, sed ea lege, ut omnia qvæ cupiant hospitia nanciscerentur; utqve adeo præter ea, qvæ jure ipsis competebant, illa qvoqve haberent, qvæ Moguntino, Trevirensi, Neoburgico, & ex parte Electori assignata fuerant. Qvæ cum iniqva forent, nec præstari possent, ista conditio in vim negationis accipiebatur. Ac suspecta valde erat Castillonia Christiani Ludovici Ducis Meclenburgici uxor, tunc Luneburgicorum aulas pervagata; id qvod conciliandæ pacis gratia fieri credebatur; etsi isti vulgarent, compositionem dissidii inter ipsam, & maritum qværi. Deniqve Monasterienses qva libido impellebat, hospitia capiebant, Ordinibus Imperii asperrime habitis, inter alia Comitatum Waldeccæ septingentis mensibus Romanis emungentes, cum Cæsarei tantum CXX exigerent. Cæterum ad extremum Cæsareis omnem dubitationem eximebat Electoris in Borussiam iter, cujus necessitatem ipsi agnoscebant. Et qvanqvam Elector confirmaret, non solum octo legiones, qvæ in Westphalia jam agebant, ibi mansuras, sed & plures è Pomerania eodem ituras, modo Cæsar firmus perstet: tamen istis Cæsarei parum movebantur, qvi tam promtum, ac felicem Borussicæ expeditionis successum animo præcipere haut poterant. Ac jam recte admodum fœderatorum ministris, qvæ Neomagi agerentur, habebant, pacis brevi secuturæ haut fallacem præ- 1678. nuntium.

§. 87. Cæterum colloqvio inter Regem Daniæ, & Electorem Dobrani de præsenti pacis, ac belli facie deliberatum fuerat, ac præcipue qva ratione impediri qveat, ne Cæsar, ac Luneburgici separatam pacem amplectantur; qvi gravissimus casus communi causæ accidere posse judicabatur. Ubi tamen placuerat, si maxime Cæsar in pacem ipsis exclusis inclinare videatur, haut ideo animum despondendum, aut in turpem pacem consentiendum, restituris tam caro partis. Unde negotiationem qvidem cum Gallo continuandam; ita tamen res disponendas, ne ad erubescendas leges compelli possint. Eum 26. Nov. in finem Regis nomine Goschius Bucvvaldus, Electoris Ledeburius Cellas mittebantur, è Duce exqvisituri; cum Cæsar ad peculiarem pacem properet Borealibus fœderatis destitutis, qvæ Duci sententia, & qvid consilii eidem videatur capessendum? Inde enim hostem plenæ Svecorum restitutioni insistere, per qvam non solum tantum sangvinis & opum frustra perire, sed & implacabilem hostem lateri admoveri, qvi ultionem opportuno sibi tempore sumturus sit, nullis sponsionibus præcavendam. Hinc vero se à potentissimis fœderatorum, Cæsare, Imperio, Hispanis, Belgis destitutos; ab Anglo intestinis turbis agitato nil opis expectandum. Unde non solum difficile, ac periculosum sibi fore bellum ulterius persequi; sed & metuendum, ne Cæsar, ac potentissimi Ordinum Gallo amoliendo leges ipsis præscribant, in qvas pax ineunda sit. Contra indecorum sibi fore animum despondere, armisqve abjectis erubescendam pacem amplecti, restitutis omnibus tam care partis. Unde sibi videri negotiationem cum Gallo continuandam, nec eo minus omnibus viribus conniti, ne turpes leges ex aliena libidine sibi obtrudi qveant. Qvibus positis dispiciendum, qvæ ratio ei scopo obtinendo ineunda sit. Qvod si Dux laxiore, & ambigua declaratione utatur, & qvæ arguat, rumorem super peculiaribus tractatibus ab ipso agitatis haut vanum esse, itidem laxioribus verbis uterentur. Ast si eundem in constantiam obfirmatum videant, exqvirerent, qvid copiarum ad Rhenum mittere velit. Electori jam octo legiones ibi esse; partem copiarum in Borussiam abiisse; reliqvis paululum qvietis indulgeri. Ubi periculum in Borussia depulsum sit, eum universis cum copiis ad Rhenum iturum. Ad

Cum Luneburgicis alia.

ista

1678. 16. Dec. ista Cellensis laxioribus verbis: Sibi utiqve decretum bonis partibus firmiter adhærere. In præsens autem ita liqvido declarare non posse, an bellum utiqve persequendum, ni prius expeditum sit, qvo modo id effectui dandum; qvantum copiarum singuli repræsentare velint; unde annona, unde pecunia, & machinæ; penes qvem imperium futurum, qvæ omnia prius sigillatim discuti oporteat. Instituto cum delegatis colloqvio ad qvæstionem, num Cæsare cum Gallis transigente firmi persistere velint; nec pure negabant, nec liqvidi qvid declarabant, aut novam obligationem induere volebant; sed prius de modo proponebant, circa qvem multas difficultates movebant; tum de hospitiis, partitione Bremensis provinciæ, & aliis ingerebant, negotio intricando, & eludendæ conclusioni. Ac aperte dicebant, ni omnia ista prius ad liqvidum deducta sint, vix certi qvid statui posse. Unde manifestum erat, eos omnia sibi integra retinere velle, pro successu rerum consilia capturos privatis rationibus attemperata. Mox ad nuntium de Borussiæ periculo non parum consternationis ostendebant. Hac irruptione negotium valde anceps reddi. Nunc caput exercitui ad Rhenum firmando deesse: nullam alicubi penum: fœderatis modicas vires: Electoris octo legiones vix IV M capitum conficere: Danum omnibus suis viribus contra Svecum opus habere. Movebant qvoqve, ab Electore secretos tractatus agitari, qveis Pomeraniam ad Penam usqve stipulari sibi velit. Ad qvæ Ledeburius: Electorem octo illis legionibus, qvæ V M bellatorum constent, adhuc M eqvites II M octingentos pedites additurum. Post profligatos in Borussia Svecos plures missurum. Imperium in copias à Cellensi, aut Osnabrugensi suscipiendum. Machinarum sat in Electoris urbibus Westphalicis esse. Qvod de secretis tractatibus tetigerint; Electorem super medio statu Cliviæ egisse; de Pena flumine forte obiter jactum; de qvo tamen post captam Rugiam non amplius cogitatum sit. Enimvero nulla spes erat, heic aliqvid profectum iri, pellucente ubiqve male consulta ejus Domus in Electorem æmulatione, per qvam eum subinde vellicabant, iniqvitate temporum dissimulandi necessitatem eidem imponente. Interea tempus extrahebant, qvid Cæsar, & Monasterienſis facturi essent respectantes; etsi de hoc parum spei esset, qvi jam machinas suas Ferda abduci curabat. Sed & aliud tunc interveniebat, non parum fraudis Electori adferens. Huic à Cæsare Hamburgensis civitas assignata fuerat, ut hibernorum loco eidem L Muncialium numeraret. Eorum solutionem ista omiserat, Luneburgicorum patrocinio freta. Qva super re Elector Viennæ graves qverimonias movebat. Suam actionem Cæsaris, ac Imperii decreto niti. Brunsvicensium autem ausa eo tendere, ut Cæsaris communi Ordinum concluso superstructa placita irrita reddantur, ac civitati confidentia addatur ad ista impune spernenda, & autoritatem Cæsaream, legesqve publicas, ac bonum patriæ impune insultandum. Ac pessimi rem exempli esse, Ducem sibi tantum non cognitionem in Cæsaris actiones, atqve Electoris jura arrogare. Unde Elector insuper habitis, qvæ Cellis movebantur, per excursores suos maritimos aliqvot Hamburgensium naves intercipi jubebat. Et cum Dux ostenderet; sese urbi adversus ista hospitia evictionem præstitisse; Elector reponebat: Hospitia sibi legitime assignata; ac uti Dux sibi ipse exsecutionem adversus contumaces fecerit; ita nec deteriore se jure uti. 1678.

§. 88. Multo minus Electori ab universis Ordinibus ad scopum suum obtinendum solidi qvid expectare licebat; qvin contra major horum pars ejusdem desideriis obnitebatur. Cupiebant Austriaci Ordinum Ratisponæ sententiam super conditionibus à Gallo propositis exqvirere, ac præcipue qva istæ Boreales fœderatos spectabant; qvam tamen, qvo minus solenni modo exponeretur, ministri Electorales, Luneburgici, ac Danici impediebant. Bavarus, Saxo, & Palatinus censebant, inter Electorem, & Svecos ita transigendum, ut penes illum aliqva pars Pomeraniæ armis nunc subactæ maneat, reliqva his restituantur. Ac tutius Electori fore, aliqvid amica ratione, ac certo nanciſci, qvam grave bellum incerto exitu persequi, qvæ & Neoburgici sententia erat. Ast Elector contra demonstrari jubebat; universorum Ordinum qvam maxime interesse, parta commoda retineri, ac tandem aliqvando Germaniam servitute perpetuorum delectuum, transituum, hospitiorum, ac motorum subinde bellorum liberari, qvibus Ordines, qvamdiu Sveci Pomeraniam, & Bremam insederunt, semper obnoxii egerint. Qvia autem non eo minus verendum erat, ne ob varios, ac discrepantes respectus, aut multorum inconsultos in qvalemcunqve pacem impetus pleriqve Ordines in transversum abirent; Jena sententiis suis dignitatem Imperii, & communis salutis ac securitatis rationes diligenter ingero- *Ratispone super pace acta.* 19. Nov.

1678. gerebat, & uti Svecorum restitutio hisce omnibus repugnet, qvos & ob arma tam injusta Ordinum numero expungi ad exemplum interfit. Peculiariter autem Austriacis demonstrabat; hanc domum, & Hispanicam Monarchiam tamdiu florenti statu gavisam, Galliæqve formidatam, donec Svecі Germaniam ingressi Austriacorum vires distraxerint, in ipsas eorundem provincias infusi; qvo facto summa rerum per Europam insignem mutationem subierit. Istis per Electorem Germania pulsis cum Gallo egregium fulcrum sit subtractum, Cæsarem pessime sibi consulturum, si eosdem iterum in Germania pedem figere patiatur. Enimvero ista nemo non vera agnoscebat, tum partem saltem Pomeraniæ in præmium belli Electori deberi fatebatur; sed qvi opis qvid ad eam obtinendam conferre vellet nemo reperiebatur.

Neomagi super inducis frustra agitur. 7. Aug.

§. 89. Inter ista Neomagi post absolutam pacem Belgæ Blaspielo proponebant, uti Nuntius suggerentibus Hispanis inducias Cæsarem inter, Imperium, Principesqve fœderatos excepto Dano, tum Gallos, Svecosqve svaserit, qvo interea communis pax adornari posset. Ab iis Gallos haut alienos esse: sed nosse prius velle, num Electori qvoqve eas acceptare placeat. Nam de Cæsare, & aliis Imperii Principibus eos non dubitare; ac postulare, ut Belgæ sponsores sint; Gallum pro Sveco fidem daturum. Tum pro Electore officium sese interposituros. Ad qvæ Blaspielus: mirum sibi videri Hispanos talia Nuntio injunxisse, re secum haut communicata, qvæ tantopere Electorem tangat, & Angli officio neglecto: ac sibi prius cum Cæsareis, ac Dano consultandum. Cæsarei censebant, hanc propositionem neqve rejiciendam, nec pure acceptandam videri; sed tempus extrahendum, num forte felix armorum ad Montes Hannoniæ successus aliqvam mutationem in Anglia, & Belgio producturus sit: qvo casu fœderati, Gallis jam pares, inducias recusare possint. Sed Hispanis, ac Belgis deficientibus Gallo vix obsisti posse, qvo minus in Germaniam penetret; ubi utilissimum fuerit inducias qvamprimum amplecti. In qvas noster negabat se consentire posse citra peculiare mandatum Electoris, qvi hactenus inducias semper declinarit. Sed Cæsarei rogabant, ne is apud Belgas inducias abrupte rejiceret, ac tempori extrahendo earum conditiones sibi communicari peteret, velut eas secum expensurus. Ita Blaspielus re qvoqve cum Dano communicata Belgis respondebat; sibi qvidem in eam rem nulla mandata esse; sed ubi leges induciarum sibi exhibeantur, in fœderatorum gratiam omnia, qvæ ratio svadeat, accepturum. Ast si qva sint altioris indaginis, tantum temporis sibi petere, qvod sufficiat exqvirendæ Principis sententiæ. Revera autem ea propositio non ab Hispanis, qvibus eadem non ex asse probabatur, sed à Kinskio promanaverat. Cæterum Hispanis, ac Belgis spes erat, se per has inducias ad communem pacem perventuros, simul turpem conditionem, qvæ alias subeunda erat, declinaturos, de neutro statu adversus fœderatos deinceps observando. Belgæ porro, qveis 1678. inducіæ cordi erant, ne seqvestrium mu- *11. Aug.* nus invadere viderentur, Jenkinum, ut de iis proponeret, rogabant. Sed is causabatur, se eo nomine ad Regem scripsisse, sed nil responsi obtinuisse. Cæsarei differebant: se absqve fœderatis nihil statuere posse. Alias constare sibi, frustra sperari, arma ab Anglo Gallis illatum iri; eoqve aliam viam ineundam periculo sese eripiendi. Sibi videri vel bellum alacrius qvam hucusqve perseqvendum, vel inducias arripiendas, ad tolerabilem magis pacem obtinendam. Nam inter has fœderatos arctius se innectere, ac inter se convenire posse, qvid copiarum contrahi qveat, unde hæ alendæ, ubi maximo cum fructu res ab iisdem gerenda. Nam hactenus, dum singuli peculiaribus respectibus trahuntur, Gallum eousqve invaluisse, ut jam omnibus leges præscribere ausus fuerit. Contra si Gallo unitis probe viribus obviam eatur, hunc ad æqviora descensurum. Alias metum esse, ni inducіæ occupentur, ne Gallus validis præsidiis, qvæ mox urbibus Hispanicis & Belgicis deducenda sint, firmatus in Germaniam irrumpat, eamqve hibernis premat; non adparente, qvi obsistere possit, ac sine dubio omnibus certatim se deditoris, ipsaqve Colonia claves portarum obviam latura. Eadem & Arausionensis sententia erat. Fœderatis placebat è Jenkino prius scisciatari; num certo confidi qveat, Anglos in bellum contra Gallum erupturos. Qvi respondebat: Angliæ Regem per Hydium jam Hagæ ita liberaliter declarasse, ut plus desiderari non possit: sed penes Belgas esse super propositis statuere. Ubi tamen hi tractatum cum Gallo initum ratum habuerint, indicio esse, eos bellum inter Angliam, & Galliam non optare. Ast ubi ratihabitionem omiserint, de Angliæ armis dubitandum non esse. Addebat; etsi Rex nil aliud qvam communem pacem optet, qvam & seqvestris munus, &

omnia

1678. omnia ejus consilia hactenus spectaverint: tamen nunc post Hagæ ab Hydio proposita haut decorum fore ipsius nomine inducias, bello utiqve repugnantes, proponi, utut alias Rex eas haut aversetur. Qvibus & acceptandis Luneburgi, ac Monasterienses pronos sese declaraverant. Paulo post Jen- 27. Aug. kinus fœderatis significabat; sibi à Rege suo injunctum, si de induciis jam agi cœptum sit, eas omni studio promovere; alias easdem suo nomine fœderatis offerre, ac diligentissime commendare, qvo in sex menses ab omnibus admittantur, communi paci interim perficiundæ, circa qvam ipse omnem operam navaturus sit. Super ea re Danus, ac Blaspielus cum Cæsareis consultabant. Hi eas utiqve proficuas judicabant, sed absqve fœderatorum consensu mentem suam haut declaraturos. Noster, & Danus dicebant; sibi qvidem mandata in contrarium esse. Se tamen rationes, qvæ inducias svadere possint, ad Principes suos perscripsisse, ac responsum expectare. Cæsarei reponebant; se libenter circa moram hancce ipsis gratificaturos. Sed metuere, ne, ubi Hispani pacem absolverint, id qvod intra triduum futurum sit, Galli deinceps spretis induciis, in qvas nunc se proclives ostendant, arma in Germaniam proferant. Cujus mali culpa penes eos hæsura sit, qvi inducias rejecerint. Ac Araulionensem eas valde svadere; qvæ & summopere necessariæ videantur, pax, seu belli continuatio placeat. Igitur Danus qvoqve, & noster statuebant inducias cum Gallo non abnuere: sed de induciis cum Sveco decernere nil posse, qvoad mandata acceperint. Ita Jenkino omnium fœderatorum nomine responsum: se cum Gallo inducias inituros, si super conditionibus convenire qveant. Cum Svecis autem non magis super induciis qvam pace agi posse, anteqvam hi procuratorium suum exhibuerint, atqve permutaverint. Sed anteqvam hæc declaratio Jenkino traderetur, Belgæ Haga repetita mandata accipiebant, ut fœderatos ad acceptandas inducias hortentur, velut unicum remedium sistendis Galli progressibus, atqve communi paci assequendæ. Ac se omnem operam tam circa inducias, qvam pacem ex voto obtinendam impensuros. Pacem se subigente necessitate amplexos. Ideo tamen haut omissuros omnia facere, qvæ socios, & amicos deceat. Igitur fœderati à Belgis reqvirebant; è Jenkino cognoscerent, qvæ adversæ partis super induciis mens sit. Qvibus Jenkinus respondebat: Gallos declarasse, inducias sibi placere, si fœderatis suis idem videatur; sed Svecos ad colloqvium 1678. cum Gallis rem rejecisse; velut qvi res suas horum arbitrio plane commiserint. Qvia enim Gallus gloriæ studium ubiqve jactet, ac videri velit iis, qvi destinatis suis instrumenta se præbeant, sancte fidem servare, Svecos hac submissione eum obstringere velle, ut ad omnia ipsis restituenda summa ope connitatur. Revera tamen Sveci eventum expeditionis in Rugiam speculabantur, qva capta inducias sibi haut proficuas judicabant, copiis suis intra Stralsundæ, ac Grypsvvaldæ mœnia includendis. Mox ta- 30. Aug. men hi in sesqvimestres inducias consentiebant: de semestribus ad Regem se relaturos. Qvod cum serio ab iis agi haut crederetur, placebat, penitius explorandæ eorum menti à Jenkino conditiones inducirarum concipi. Is partium sententiam prius exploraturus è Gallis intellexit, Svecos non nisi sesqvimestres velle. Unde ante omnia de termino conveniendum esse. Cæsarei in id tempus consentiebant, qvod alias impediri neqveat, qvo minus Galli Argentoratum, & Coloniam intercipiant, ac Electoris ditiones ad Visurgim usqve inundent. Sed Danus, & noster censebant: qvia Jenkinus de semestribus proposuerit, Galli qvoqve in qvadrimestres consenserint, merito fœderatos semestribus inhærere. Ac Cæsarei judicabant, inducias qvantum possint porrigendas. Demum ta- 3. Sept. men omnibus placebat Jenkino denuntiandum; fœderatos qvadrimestre spatium à Gallis propositum admissuros ea lege, ut tempus id à promulgatione induciarum cedere incipiat. Interim ab Electore mandatum veniebat, ut Blaspielus in Gallicas inducias, non in Svecicas consentiret; qvod Svecis jam ad incitas redactis respirandi spatium non sit indulgendum: nec sibi per inducias facultas suppetat deficientibus subsidiis, ac hospitiis exercitum sustentandi. Enimvero ipsi Sveci ansam præbebant inducias eludendi, dum Jenkino denuntiant; se in duos duntaxat menses consentire, sed his legibus, ut hoc tempus cedere incipiat à die qvarta Septembris, qva hæc declaratio facta sit; utqve induciæ non ad loca trans mare sita, sed ad Germaniam duntaxat porrigantur: ut eædem intra octiduum perficiantur, qvod sibi non expediat in incerto agere: ut deniqve omnia in eum statum reponantur, qvi ante mensem abhinc fuerat, cum apud Gallos super sesqvimestribus induciis mentem suam exponerent, si qvid forte interim mutatum sit. Ea postulata Belgæ improbabant velut iniqva, & ad separandum Daniæ Regem, &

1678. Electorem ſpectantia; & ad alia ſe conſilia Svecos permoturos pollicebantur. Electori qvoqve eadem admodum abſurda videbantur, qvod præter flagitium deſtituendi Dani ea ſit inducíarum indoles, ut omnia in eo ſtatu maneant, qvi tempore ſubſcriptionis fuerit: ac vix tales leges victorem victo ferre. Belgis itaqve hortantibus Sveci curſorem ad Regem ſuper induciis mittebant; 7. Sept. interea temporis conditiones adornari poſſe. Ea mora Cæſareos non parum anxios habebat, ne Galli poſt concluſam Hiſpanicam pacem Coloniam, & Treviros interciperent; ac cenſebant inducias nomine Imperii eſſe anticipandas. Etſi cum iidem apud Gallos tentarent, annon interim inducias ſecum ante Svecici curſoris reditum abſolvere vellent, hi abnuebant. Ac Blaſpielus, qvo invidiam in Svecos derivaret, declarabat; etſi in contrarium mandata ſuper induciis cum Sveco habeat; Electorem tamen à reliqvis ſe fœderatis haut diſjuncturum, nec ei, qvod promovendæ communi paci inſerviat, reluctaturum. Cum itaqve Belgæ, ac Jenkinus culpam irritarum inducíarum ac retardatæ pacis ſolis Svecis impingerent, hi curſore inhibito 13. Sept. declarabant; inducias ad omnes poſſe porrigi ea lege, ut eædem à Kalendis Septembris initium capiant, & qvæ interim facta ſint, ac fieri qveant, in eum ſtatum, qvi dicto die fuerint, reponantur. Qvam declarationem Jenkinus admitti poſſe negabat. Cæſarei inde Danum, & Blaſpielum hortabantur, ut communes inducias admittant, à ſubſcriptionis tempore initium capturas, qvod interim Rugia utiqve occupanda ſit. Ac ſi Sveci tergiverſari pergant, ſpem eſſe Gallos id non curaturos. Hi declarabant, non niſi ſub ſpe rati id facere fas ſibi eſſe, à mandato deſtituris, & ea lege, ut inducíæ demum à die ratihabitionis cedere incipiant. Aſt Jenkinus denuo fœderatis inducias commendare, qvas à die ſubſcriptionis initium capere par ſit. Nam Svecorum poſtulatum iniqvum eſſe; earum autem effectum ad ratihabitionem differre, ſerum: ſimul formulam inducíarum exhibebat. Sed Sveci haut eo ſecius ſententiæ ſuæ inſiſtere, ac initium à die ſubſcriptionis rejicere; non obſcuro indicio, Gallos à qvorum nutu Sveci pendebant, inducias averſari, ac alia animo agitare. Eas moras Cæſarei ægre admodum ferebant, veriti ne Galli irruptione in Electoris ditiones facta omnes à ſe propoſitas conditiones pervincerent. Ac difficultates à Svecis motas per Gallos ſuggeſtas, qvi iſtis perſvaſerint, hoc modo Rugiam ſervari poſſe. Unde optabant Electorem poſt occupatam Rugiam 1678. verſus Rhenum movere ad periculum Germania avertendum, ac conditionem ſuam meliorem reddendam. Iidem dehinc Da- 14. Sept. no, & noſtro denuntiabant; neceſſitate ſe ad inducias admittendas compelli. Unde noſſe ex ipſis cupere, qvomodo procedendum ſit, ut conjunctio, & amicitia illæſa perſiſtat. Ad qvæ iſti: ſi periculum aliter declinari neqveat, id ſibi tolerandum eſſe; nec ſervandæ conjunctioni aliud proponere noſſe, qvam ut Principibus ſuis integrum ſit inducias ubi velint acceptare, ac ne reliqvi facultatem ſibi adimi patiantur iſtis adſiſtendi; uti Hiſpani, ac Belgæ fecerint. Iſti omnia ſe facturos pollicebantur, qvæ fides ſocios deceat, & qvæ intra vires ſuas ſint. Elector demum declarabat: ſi Cæſar, & reliqvi fœderati utiqve inducias velint, ac Sveci iniqvas conditiones remittant, eas qvoqve ſe acceptaturum, qvod ſibi haut conſultum ſit Galli vires in ſe ſolum avertere. Sed qvamdiu Sveci iniqva poſtulare haut deſiſtant, penes ſe irritarum inducíarum culpam non eſſe. Cæterum uti Elector inducias cupiebat extrahi, qvoad Sveci plane Pomerania exturbati forent: ita hi viciſſim tergiverſabantur, qvo Gallicus exercitus Electoris Weſtphalicis provinciis immitteretur. Galli autem eo duntaxat fine illas urgebant, ut qvod Svecis in Pomerania reſtabat, ſervaretur. Colbertus Heugio dixerat: Svecos utiqve poſtulatis ſuis, cumprimis reſtitutioni Rugiæ haut inſtituros. Satis eos jam intelligere, poſt rem tam male in Rugia geſtam inducias non minus ſibi, qvam Cæſari neceſſarias, ni penitus Germania expelli velint. Ac ubi iſti rationem adſpernentur, Gallorum eſſe eos ad id compellere; velut qvi nunqvam permittere poſſint fœderatos ſuos, qvi in ipſorum gratiam bellum orti ſint, tam egregiarum provinciarum jacturam facere, qvibus ut ſatisfiat ſe promiſiſſe. Unde Svecos utiqve in Germania retinendos, ac ſi maxime inde expellantur, Gallos tamdiu bellum perſecuturos, qvoad eo reſtituti ſint; nec alia lege inducias, aut pacem ſperandam. Jenkinus inde, ac Cæſarei ulterius inducias urgere pergebant, qvas & Galli haut defugere videri volebant, ut tamen nimium eas affectare haut decorum ducerent, tanta potentia ſuccinctis. Ac Sveci earum formulam proponebant, ſed multa iniqva, & abſurda continentem. Aſt eo ipſo tempore Cæſarei Dano, ac Blaſpielo denuntiabant: ſe ita formare inducias tentaſſe, ut Daniæ Regi, atqve Electori eas acceptare integrum foret, ubi placuerit. Fuiſſe

1678. isse qvoqve spem id evinci posse. Sed nunc Gallos id adspernari, ac contendere, inducias utiqve à Dano, & Electore simul admittendas. Nam si hisce spes sit aliqvid Svecis eripiendi, eandem sibi spem circa Germaniam esse. Si igitur Gallo qviescendum sit, fœderatis idem faciendum: & qvod is de induciis cogitet, id unice fieri reliqviis Pomeraniæ per eas servandis. Igitur respicerent Gallicas copias in Germaniam moventes, ac tanta mala patriæ inde oritura averterent; qveis & omnia hoc bello adqvisita in ancipiti collocanda sint; coqve inducias ne impedirent. Anceps erat heic Dano, atqve nostro consultatio. Nam hinc obstabat mandati defectus: inde movebat periculum Germaniæ, cujus culpa, & invidia in ipsos redundatura erat. Ac forte Cæsarei ansam captabant separatim cum Gallo transigendi, qvod & hic aucupabatur, præsertim cum inter ipsos de solo Friburgo controversia restaret; cui expediendæ aliqvi proponebant, id oppidum tamdiu Gallis relinqvendum, qvoad his cum consensu Imperii æqvivalens è civitatibus Alsatiæ detur. Demum tamen censebat Heugius; cum periculum in mora sit, ac ipsi sua tergiversatione non publico solum, sed & Principibus suis nocere qveant, qvi facile summis inde difficultatibus intricari qveant; necessitati cedendum, ac declarandum, se ad communes inducias æqvis legibus amplectendas paratos, & ad exhibitam à Svecis formulam monita tradituros. Qvæ & Blaspielus probabat, sempertamen testatus, sibi in eam rem mandata non esse, ut Elector, si videretur, eo commodius conventa abnuere posset. Et
1678. mox ab Electore jussa adferebantur, de communibus induciis admittendis. Sed si Sveci iniqvis postulatis insistant, protestationem interponendam; per se non stetisse, qvo minus induciæ fierent; ac sperare Gallos istorum pervicaciæ haut velificaturos. Simul Cæsareis denuntiabat; qvia ipse ob bonum publicum certam spem Stralsundæ, & Grypsvvaldæ expugnandæ dimittat, par esse circa hiberna liberalius sibi prospici. Contra Sveci per inducias Stralsundam, Grypsvvaldam, Damgartum, & Tribsesam retinere postulabant; & si maxime ea loca interim occupata sint, ut eadem sibi restituantur. Etsi de Stralsunda plane securi erant, qvam natura, & operibus munitissimam, ac duobus militum, octo armatorum civium millibus insessam. Electori cum VII M expugnare longe abfuturum sit. Galli qvoqve inter alia postulabant, ut qvi nunc inducias non amplectantur, deinceps qvoqve ad eas non admittantur. Nec cum articulum ferre volebant; ne unus alterius rebellibus per inducias aliqvid opis ferat. Tum ne id qvidem permittebant, ut Cæsaris nomen primo loco poneretur; sed Imperii vocabulum post Gallum collocandum. Dum ejusmodi cavillationibus Galli tempus terunt, interim eorum exercitus totam fere Juliacensem provinciam cum Aqvisgrano in potestatem redegerat. 1678.

De pace inter Cæsareos & Gallos agitur.

§. 90. Postqvam multum temporis inani circa inducias tractatione consumtum foret, ac Cæsarei jam ita se declarassent, ut res confecta crederetur; Galli causabantur; hosce inducias desiderare non ob promovendam pacem, sed lucrando tempori, ut imminens periculum declinare, ac interim cum fœderatis arma instruere possint. Ast si pax cordi sit, super alternativa circa Philipsburgum, & Friburgum, ad qvam solam pax hæreat, sententiam exponendam; ac tunc brevi inducias ad liqvidum deducendas. Ad qvæ Cæsarei: se utiqve alterutrum membrum alternativæ acceptaturos, ac inde pacis tractatum, qvantum hæc Cæsarem spectet, persecuturos, statim atqve super induciis convenerit. Atqve hoc ipso testari, penes se moram non esse. Blaspielus rogabat, ne isthæc declaratio ulterius qvam ad perficiendas inducias extendatur; neu inde ansa separatis tractatibus arripiatur. Cæsarei sancte testabantur, eam à se mentem abesse, ac si ad tractandam pacem accedendum sit, omnia communi consensu à se actum iri. Porro ad Cæsareorum declarationem Galli 19. 08. reponebant; Regem eqvidem proposita alternativa non amplius teneri, qvod ea præfixo tempore acceptata non fuerit. Testando tamen in pacem studio faciliorem adhuc viam proponere, ut Philipsburgo munitiones detrahantur, id qvod à multis Principibus optari intellexerit, & Galliæ regio circa Friburgum in unum milliare addicatur, una cum via à Brisaco ad id oppidum. Hoc modo pacem citius qvam inducias confici posse. De cætero omnes se conditiones pro fœderatis suis impleri velle, ac ut Cæsarei operam sibi socient ad communem in Germania, & inter Borea-
les pacem promovendam. Ast Cæsarei 19. 08. censebant; alternativa semel probata standum, postqvam in pace Belgica convenerit, ut fœderatis integrum sit intra sesqvimestre tempus ab ejus pacis ratihabitione propositas conditiones acceptare. Ac iniqvum esse, Cæsarem simul Philipsburgum,

1678. & patrimonialem urbem Friburgum amittere. Sed Gallo alia ratione pro Friburgo satisfactum iri, de qvo tractationem susceпturi sint. Interim inducias necessarias videri. Galli contra: ex hoc responso adparere, Cæsarem, atqve Imperium in eo cum Gallo consentire, ut pax Westphalica ex asse instauretur. Opus tamen esse magis perspicua declaratione, ut etiam Gotorpiensis Dux tanqvam Sveciæ fœderatus, tum Furstenbergii fratres plene restituendi intelligantur. Qvod si Cæsar Philipsburgum retinere velit, Gallo totam Brisgoviam cum Friburgo cedendam, qvod ejus provinciæ regimen in eo sedem habuerit, eoqve inde velut metropoli naturali ratione pendeat: cum in cessionibus locorum semper, qvæ ab his dependeant, comprehendantur. Cæterum qvod inducіæ perfectæ non fuerint, non se, sed Danum, & Electorem in culpa fuisse, variis objectis obstaculis. Qvo nomine Electorem falso argui Blaspielus prolixo scripto deducebat. Cæsarei inde Gallis per Nuntium significabant: sibi hautqvidqvam in animo esse in aliqvid consentire, qvod fœderatis fraudi sit: coqve articulum de instauranda pace Westphalica in eorum præjudicium extendi non posse; qvæ utiqve valitura sit, sed exceptis iis, qvæ futuro tractatu mutabuntur. A Friburgo non nisi tres vicos pendere. Peculiari tractu in usum viæ inter Brisacum, & Friburgum opus non esse, cum innoxius transitus pateat, ac iter duarum aut trium horarum spatio confici possit. Se qvoqve una cum Gallis operam daturos, ut inter Boreales fœderatos, ac Sveciam pax æqvis conditionibus perficiatur. Articulum de hostibus utrinqve auxilio non sublevandis, se non abnuere, si ita concipiatur, ut dignitati, officio, & securitati pacisсentium non repugnet. Restitutionem Argentoratensis Præsulis, ejusqve familiæ Cæsarem decrevisse, si debito modo ipsi se submiserit. De induciis absolvendis repetebatur. Ea in declaratione qvia Pacis Westphalicæ mentio fiebat, Nuntius protestationem interponebat, qvod mandata sua non permittant Protestantium negotiis sese miscere, multo minus pacem Monasterienſem adprobare. Si itaqve forte mentio de rebus Protestantium, aut pace Monasterienſi injecta sit in scriptis, sibi velut sequestri traditis, ad qvæ ipse responsum reportarit; ea se nunqvam aliter considerasse, qvam qva Catholicos Principes spectant, ac per eadem istam pacem probare hautqvidqvam animum fuisse. Nec minus idem legatos Cæsareos, Hispanos, ac Gallos scripto monebat, ne præsulatus Hildesiensis, & Osnabrugensis jure perpetuo certis Principibus in perpetuum attribuatur. Nam Osnabrugensis hunc præsulatum in sua familia continuari optabat, sublata alternatione; cui Anglus, ac Belgæ favebant. Inter hæc allatus de Electoris victoria nuntius Gallos circa negotium Svecicum paulo tractabiliores reddere videbatur. Et Avauxius Hagæ non obscure innuebat, Svecos vix omnia amissa recepturos. Sed qvia haut deceat à Gallis talia istis proponi, Belgarum esse circa eam rem operam navare. Qvi & Neomagi una cum Cæsareis, & Anglo Svecos ad nonnihil remittendum permovere nitebantur; cum inficiari neqveant, qvin ut Electori satisfiat æqvum sit. Sed Svecis pertinaciam addebat, qvod confiderent, salva existimatione à Gallo se destitui non posse, in cujus gratiam id calamitatis sibi conciliaverint, magna virium Germaniæ parte in se aversa. Inter hæc Hispanica ratihabitio nondum adparebat, qvod Hispani, uti ipsi ferebant, conditionem de fœderatis auxilio destituendis admittere nollent. Sed vero similius erat, eos hac tergiversatione pacem inter Cæsarem, & Gallum faciliorem reddere voluisse; nec dubitabatur, qvin ratihabitio ventura sit; cum interim à provinciis Hispanicis in diurnam Gallicarum copiarum sustentationem C M florenorum expendenda essent. Inter ista Neoburgicus Belgica pace comprehendi cupiebat. Moguntinus qvoqve, & Trevirensis pacem Germaniæ in propositas à Gallo conditiones acceptari à se profitebantur. Simul Bavarus qvam maxime Westphalicam pacem instaurari urgebat. Nec minus Lotharingus Belgica pace comprehendi optabat, ac alterutram partem alternativæ acceptabat, petito, ut Rex eidem additas exceptiones remittere, eumqve in ditiones suas integras restituere velit. Sed Galli serum id esse respondebant. 1678.

Continuatio tractatuum inter Cæsareos & Gallos. 85. Off.

§. 91. Cæsarei inde ex aula mandatum accipiebant, ut Philipsburgum Cæsari optarent, Friburgum cum suo districtu tribus vicis constante Gallis relinqverent. Galli contra pertendebant, Friburgum cum suo territorio Comitatum in Brisgovia constituere, qvi sibi una cum via à Brisaco ad eam urbem concedendus sit. Cæsarei reponebant; de Comitatu isto nunqvam sibi auditum. Transitum innoxium inter duo oppida semper ipsis patere, ut non opus sit plus terrarum Brisgoviæ decerpere; ac iter facile duabus horis confici posse. Præter ista Galli postulabant, ne Cæ-

1678. Cæsar Borealibus fœderatis, si bellum ab iis contra Svecos continuari contingat, qvid auxilii vel obliqva ratione ferat: si qvæ apud istos copiæ suæ sint, eas revocet, nec iisdem hospitia in Imperio indulgeat. Contra Cæsarei eandem circa fœderatos suos libertatem sibi deposcebant, qvam Galli stipulari velint, qvi liberum sibi transitum petebant ad invadendos Svecorum hostes. Simul inducias urgebant, qvas Gallis parum cordi esse adparebat, velut qvi circa copias augendas satagebant, ac totum Ducatum Juliacensem, excepto oppido Juliaco, subegerant. Nec minus Oxenstierna apud Stratemannum jactaverat; Gallum non alia lege pacem cum Cæsare initurum, qvam ut ipsi auxilia Svecis ferre integrum sit, Cæsare medium statum servante. Alias se omnibus viribus paci obstiturum. Idem qvoqve contendebat, per leges Imperii Gallis innoxium transitum ubiqve concedendum ad hostes Sveciæ invadendos. Qvæ Stratemannus & legibus Imperii, & sanæ rationi adversari ostendebat. Ac si Galli hac via aliqvid sibi conveniens adqvisituri sint, id Svecorum in gratiam haut reddituros; qvod negotiatione cum Hispanis satis ostenderint. Sed si qvid perdiderint, id per tractatus magis sibi, qvam Svecis recuperaturos. Igitur Svecos sibi consulturos, si cum hostibus suis qvamprimum transigant. Oxenstierna contra: Sat cautum sibi esse, Sveciam à Gallo hautqvaqvan deserendam. Ac Livonicum exercitum propediem in Borussia fore; tum & Polonum in arma erupturum, ac Electori sat negotii facessiturum. Gratum tamen Regi suo fore, si honesta ratione bello excedere possit. De Pomerania nullum verbum. Mox & legati Svecici leges pacis exhibuerunt hoc sensu: ut Svecia in conditionem Pacis Westphalicæ restituta Cæsari, Imperioqve plene reconcilietur. Ei conditioni si qvis Ordinum reluctari audeat, Cæsar, & Imperium eum ad istam admittendam compellat; aut si hoc durius videatur, saltem eidem nil auxilii præstet, ac innoxium transitum iis concedat, qvi ad auxilium Sveciæ ferendum sese moverint. Qvibus postulatis Blaspielus prolixum scriptum opponebat, qvo demonstrabat, Svecos ausis suis beneficio pacis Westphalicæ indignos sese reddidisse. Contra Electori fas esse Pomeraniam retinere in vicem satisfactionis ab Imperio ipsi promissæ, ac resarciendis sumtibus in hoc bellum impensis. Cæsareos qvoqve in Westphalicæ Pacis instaurationem non aliter consensisse, qvam sub exceptione, ut Electori satisfiat. Nec ejusdem pacis firmitati magis derogari Pomerania citeriore Electori attributa, qvam qvod Gallis Friburgum ceditur: cum ea pax magis publicum Imperii statum, qvam singulorum possessiones sanciat. Simul notabatur, cum olim Sveci magna asseveratione jactassent, peculiarem ob controversiam arma abs se in Electorem sumta, nunc citra dissimulationem agnoscant, id in Galli gratiam factum. Nec minus Luneburgicus minister ei propositioni contradicebat: qvam vicissim Palatinus ex asse probabat. Ast Galli adhuc districtum circa Friburgum in unum milliare patentem exposcere, ac ut Cæsar & Imperium medium se gerat, Gallicisqve copiis liberum transitum concedat suis, fœderatorumqve suorum hostibus ubicunqve commodum fuerit, invadendis. Iidem & petentibus Belgis permutationem Hispanicæ ratihabitionis ad diem X. Novembris proferebant. Tum & unum atqve alterum locum ad Rhenum capessebant nemine obsistente: simul Juliaco obsidium cominus circumponebant, ac Sonsbecam in Clivia invadebant. Contra Cæsarei legati circa pacem obtinendam extremis viribus niti jubebantur, ut tamen fœderatis nil fraudis inferatur. Ac iidem adhuc confirmabant, se à fœderibus haut discessuros, nec unqvam fœderatos separata pace facta deserturos. Qvo fine & iidem paci Belgicæ includi cupiebant, ut si Galli Imperium ulterius invaderent, eo ipso qvoqve Belgicam pacem violarent. Et cum Galli huic sese inclusioni opponerent, qvod sibi tunc facultas adimenda foret fœderatis suis adsistendi; Harenus jussu Reip. ipsis significabat: animum sibi haut fuisse pace cum Gallis inita à fœderatis suis se disjungere, eoqve horum inclusionem articulo XIX. suæ pacis expresse sibi stipulatam. Gallos qvoqve tunc declarasse, se pacem cum omnibꝰ illis conclusuros, qvi eam deinceps acceptaturi sint. Unde Remp. fas sibi judicare, Cæsarem, Lotharingum, Moguntinum, Trevirensem, Palatinum, Neoburgicum, qvi pacem cum Gallo in conditiones ab hoc propositas acceptare se profiteantur, & includi desiderent, sua pace comprehendere. Harenus qvoqve Svecis denuntiabat; ut postqvam penes eos solos pax hæreat, aliqvando propius ad rem accedere velint; ac Remp. suam multum jam incommodi ex ipsorum tergiversatione percepisse, & plura adhuc percepturam. Qvo facto Sveci apud Cæsareos, Gallos, & Anglum qverebantur, justo asperius secum agi. Contra Harenus eorum pervicaciam

1678. 5. Nov. 10. 20. Nov. 1. Octob.

1678. arguebat, plenæ suæ restitutioni ita obnixe insistentium; qvi cum agnoscant Electori satisfactionem deberi, negent tamen sibi de parte provinciæ cedenda qvid mandatum, sed de summa tantum pecuniæ jacere. Cæsarei inde per Nuntium Gallis
9. Nov. declarabant: post pacem inter Cæsarem, Imperiumqve cum Gallo, & Sveco perfectam istum, atqve Imperii Ordines ea pace comprehensos per qvadrimestre enixam operam daturos, ut Boreale bellum ad normam pacis Westphalicæ, nisi qvatenus ea mutuo consensu mutanda videbitur, componatur; cui rei melius perficiundæ per qvadrimestre illud inducias fore. Ast si hoc spatio sua officia locum non inveniant, Cæsarem, Imperiiqve Ordines hac pace comprehensos cum Gallo conventuros, qva ratione ea qvoqve pax conciliari possit. Ea propositio Gallis probabatur: sed Sveci nolebant concedere, ut cum Cæsare & Imperio pax prius iniretur, qvam super sua restitutione sibi satis cautum foret. Ita Cæsarei id agebant, ut arbitrium pacis Borealis penes se foret, qvo eam ad rationes suas formare possent. Qvem agendi modum Arausionensis, Belgæqve, ac legatus Anglicus Templius Electori haut proficuum judicabant. Sed & Cæsarei non sine anxietate pacem qværebant, Gallis frigide rem agentibus.

Formula pacis inter Cæsareos & Gallos adaptatur. 14. Nov.

§. 92. Accedebatur jam ad concipiendam pacis inter Cæsarem, & Gallum formulam; cujus articulo XXIII Galli posuerunt; qvia bellum adhuc inter Borealeis geratur, Cæsar & Imperium promitterent, fœderatis suis nulla ratione auxilium ferre; Gallo autem integrum sit fœderatis suis pro lubitu adsistere. Et Gallica qvidem formula in aula confecta fuerat, in qva legatis nil mutare licebat. Ad qvos & ejusmodi protestatio missa erat, ut, si Cæsar, & Imperium intra ultimum Decembrisdiem pacem in eas leges non admiserit, Rex qvoqve his amplius teneri nolit, nomine expensarum plura postulaturus. A Svecis tradita formula cum Gallica conspirabat. In Cæsarea formula articulus tertius Electori noxius erat, qvod decreta Imperii per eum tollerentur; id qvod ipso inscio fieri non debuerat. Contra Svecis articulus IV. displicebat, qvod Cæsar, Hispani, Belgæqve una cum Gallo conniti debeant ad componendam inter Borealeis pacem; qvod eo admisso Gallus obligatione Sveci restitutionem præstandi exuere se posset; & à reliqvis velut Electori fœderatis nil æqvi sibi sperandum. Promittebant qvoqve Cæsarei, se circa instaurandam Westphalicam pacem hanc exceptionem addituros; *nisi qvantum hac pace mutatum sit.* Interim 1678. 23. Nov. cum Galli atrociter in Clivia grassari inciperent, Blaspielus legatis Gallicis per Espencæum significabat; spem fuisse, postqvam Rex declararit, sibi haut ingratum fore Svecos per Belgas, aut alios ad idoneam Electori transactionem adduci, Regem qvoqve id negotium promoturum. Ast nunc Gallos contra promissa, & cum horum qvæstoribus factam conventionem infensos in Clivia agere; ac Avauxium Hagæ instare, ut Svecis plene satisfiat, ac Pax Westphalica ex asse instauretur. Ex qvo adpareat, Gallo cordi non esse amicitiam cum Electore renovare, dum Svecicum ei negotium fundamenti loco substernere cupit. Igitur nosse velle, num Regi serio placeat, ut Belgæ Svecos ad transigendum cum Electore permoveant, adhibitis ejusmodi remediis, qvæ apud istos pondus habitura sint; eoqve fine socia Angli opera utantur. Addebat rationes, qvare non par sit, Gallum hoc modo Svecorum causam agere. Duritiem Svecorum non pacem Europæ, sed novum, ac periculosum bellum producturam. Belgas pace sua eo duntaxat fine in medium statum consensisse, qvod confiderent, hoc modo pacem reliqvorum fœderatorum facilius successuram. Nunqvam autem iisdem animum fuisse suæ obligationi renuntiare, ac ita à fœderatis suis se disjungere, ut vinculum amicitiæ, qvo isti Electori addicti sunt; inde abruptum intelligatur; cum iidem non laxiore vinculo fœderatis suis, qvam Gallus Sveco obstringatur. Multo minus eosdem communes cum Electore rationes voluisse prodere, è qvibus securitas sui status pendeat: eoqve ipsos invasionem Cliviæ terre non posse, nisi provincias suas manifesto periculo exponere velint. Et qvia Rex iis munitum in Flandria limitem indulserit, æqvum esse parem securitatem ex altero qvoqve latere præstari. Eqvidem in proclivi esse Gallis, Electoris exercitu in Borussia absente, Cliviam opprimere. Sed qvia id non minus Belgas, qvam Electorem tangat, eam haut qvidqvam viam esse huic ad parta bello restituenda cogendo, sed ad novum bellum excitandum, tum propinqvam cum Cæsare, & Imperio pacem impediendam. Et si maxime Gallus Cliviam occuparit, in lubrico tamen semper ejus possessionem, custodiamqve longe sumtuosiorem fore, qvam pro captu redituum. Nec minus auxilia à Gallo Svecis præstanda magnis incommodis subjecta fore,

1673. fore, qvod hiſce nil amplius in Germania reſtet, etiam conceſſo per Imperium tranſitu, qvod tamen per leges publicas, & fœdera haut licitum ſit. Claſſem qvoqve in Mare Balticum mittere anceps fore. Nec ſubmiſſa pecunia collapſas Svecorum res reſtitui poſſe; à qvibus deinceps qvoqve meliores ſucceſſus expectari non debeant, qvin extracto bello omnia in deterius itura. Porro id ſemper inter gentes uſu receptum, ut victor à victo præmium belli reportarit pro ratione ſucceſſuum per arma obtentorum. Unde & Belgas à Gallo reparationem tantorum damnorum, ac tot millionum bello impenſorum haut accepiſſe; ac Hiſpanum tam egregias ditiones Galliæ ceſſiſſe, longe pluris æſtimandas, qvam qvæ Sveci hoc bello amiſerint. Antea qvoqve Svecos favente fortuna tot provincias ab Imperio, Dano, & Polonis adqviſiviſſe. Neminem fœderato ſuo ad præſtandam belli calamitatem teneri. Ac notorium eſſe, Svecos propria culpa hæc ſibi mala conciliaſſe, non defectu promiſſi à Gallo auxilii. Igitur melius ſibi conſulturos Svecos, ſi Galli ſubſidia magis ad futuras neceſſitates, qvam continuando bello impendant. Ad iſta Avauxius reſpondit; Qvid in Clivia acciderit ſibi non conſtare, ac de eo ad Regem ſcripſiſſe, ac ſperare remedium allatum iri. Alias cupere Regem, ut Electori cum Sveco qvamprimum conveniat. Et qvia Rex ipſe ob fœdus cum Sveco tranſactionem adornare non poſſit, optare eum, ut id à Belgis fiat; qvi ſine dubio rem eo deducere poſſint, ut hiſce non opus ſit Anglo ſe innectere. Ac ſi Blaſpielus per Fagelium rem urgeat, ſe ita acturum, ut Elector bonam Regis voluntatem ubertim ſit ſenſurus. Ad iſta Fagelius cenſebat; ſi res ſerio à Gallo agatur, eam probe ſucceſſuram. Belgas hacteno tractatum cum Sveco Electoris in gratiam extraxiſſe, ea tamen cum circumſpectione, ne Gallo anſa porrigatur de ipſis qverendi. Ac ſe Svecis demonſtraturum, ipſorum actiones Reip. diſplicere, ac ni meliorem viam ineant, ab hac alia conſilia capeſſenda. Cæterum de tota Pomerania obtinenda ſpem nullam eſſe, ac Electori adqvieſcendum, ſi Stetino, ac Wolgaſto cum inſulis Wollino, ac Uſedomo potiatur. Ac legatis Belgicis in Galliam miſſis injunctum, ut pro iis qvæ cis Penam ſita ſunt, contendant. Rationem & uſum ferre, ut pacem cupientes non omnia retineant, ſed partem reſtituere ſoleant. Qvod ſi Elector Livoniam qvoqve occuparit, hac reddita totam Poneraniam exigi poſſe; qvod & ipſum difficile futurum ſit, niſi id agatur, 1673. ut Sveci tota Germania exterminentur; qvod Sveci amiſſa Pomerania à Brema qvoqve dividantur. Blaſpielus reponebat: Electori totam Pomeraniam deberi ob ſatisfactionem, & ut ditiones ipſius in tutum reponantur. Sed ſi utiqve aliqvid reddendum ſit, poſſe non minus Sveco æqvivalentem ditionem, aut pecuniam dari, qvam Elector pace Weſtphalica coactus fuit Stetinum, & Citeriorem Pomeraniam accepto æqvivalente Svecis cedere. Tum & hos Gothoburgo in Albim & Viſurgim pervenire poſſe, ac per Wiſmariam communicationem cum Brema patere. Sed Fagelius in ea ſententia perſiſtebat, Svecos ad totam Pomeraniam cedendam compelli non poſſe: tum noſſe volebat, qvid Elector æqvivalentis loco offerre velit. Nam qvoad is mentem ſuam preſſius declararit, Gallo parum curæ fore, qvicqvid rationum ingeratur. Svecis autem Belgæ demonſtrabant; ipſis à pertinacia hactenus adhibita circa exigendam plenam reſtitutionem eſſe diſcedendum, nec tranqvillitatem orbis Chriſtiani amplius turbandam, cum clades ſuas propriæ imprudentiæ debeant; ac æqvum eſſe, ut & ipſi non minus, qvam Hiſpani nonnulla communi ſaluti immolent. Sed Sveci negabant ſibi vel hilum cedere in animo eſſe. Et jactabat Oxenſtierna, Svecos nunqvam Stetinum amiſſuros, ob tam illuſtre fidei ſpecimen exhibitum non minus qvam Holmiam æſtimatum. Cæterum cum Belgici legati Lutetiæ de medio ſtatu Cliviæ indulgendo moverent, Pomponius oſtendebat, Regem ægre in eundem conſenſurum; qvod hoc modo via præcludatur Electori conſtringendo ad erepta Svecis reddenda; qvod tamen conſtituendæ commmuni paci neceſſarium ſit. Nec ingreſſum Gallicarum copiarum in Cliviam Belgis ſuſpicionem excitare debere; ſed potius id hiſce pignoris loco eſſe debere à Rege inſtauratam cum ipſis amicitiam ſancte cultum iri, cum videant eum tam ſolicitum eſſe circa promiſſa Svecis præſtanda. Belgæ etſi ſuis legatis, ut ulterius inſtarent, injungebant; tamen petente Blaſpielo in loca Cliviæ trans Rhenum, inhibendis Gallorum incendiis, ac barbaris graſſationibus aliqvas copias immittere abnuebant.

§. 93. Demum Hiſpanica ratihabitio adferebatur, qvam Galli ulterius extrahi cupiebant, ut ipſi interim exercitum ex Hiſpanicis provinciis alere poſſent. Hiſpani tamen adhuc unum & alterum ſcrupu- *Hiſpanica pax ratihabetur.*

lum

1678. lum movebant. Nam neqve Meſſanenſes, ac Neapolitanos rebelles amneſtia comprehendi volebant, etſi peculiari pacto iis caveri qveat: ac medios ſe deinceps adverſus fœderatos gerere adſpernabantur; tum ſi qvæ ſuper limitibus controverſia oriatur, Anglum arbitrum depoſcebant. Sed Galli, etſi haut ægre ferebant Hiſpanos tricari, negabant ab his novas propoſitiones poſſe moveri, qvod poſt perfectam pacem eorum mandata expirarint. Qvanqvam iidem mox poſita tergiverſatione Cæſareis
3. Dec. legatis ſcribebant: ſat perſpectas ipſis cauſas, qveis ad ſeparatam pacem compulſi ſint, cum nil magis in votis fuerit, qvam junctim cum aliis fœderatis, ac præcipue Cæſare arma ponere. Sed cum id obtineri non poſſet, Hiſpaniæ Regem tamen ratihabitionem hucusqve extraxiſſe, qvod ſperaret, Cæſareos qvoqve interim pacem ſuam perfecturos. Sed cum jam vel ratihabitio permutanda, vel Belgii reliqviæ amittendæ ſint, prout & Villa Hermoſa eo nomine proteſtationem interpoſuerit; ſe noſſe cupere, qvam cito Cæſarei pacem ſuam abſolvere poſſint. Nam paucos dies ratihabitionem inhibere ſibi integrum eſſe. Sed ſi id negotium adhuc in longum promineat, ſe haut qvidqvam poſſe culpam amiſſi Belgii in ſe attrahere; eoqve ratificationem permutaturos. Ad qvæ Cæſarei laxioribus verbis: penes ſe pacis moram non fuiſſe. Inde Hiſpani Borealibus
4. Dec. fœderatis ſignificabant; uti ſuo Regi maximopere cordi fuerit ipſis firmiter adhæreſcere, ac uti ſummo dolori ſit ob improviſos caſus, ac præcipue Meſſanenſium rebellionem ſubſidia repræſentari non potuiſſe; qvæ tamen utiqve exſolvenda ſint. Regi neceſſitatem allatam cum Gallo pacem ineundi, ac tam inſignes ditiones cedendi. Concluſionem qvantum fieri potuerit maximo cum ſuo damno dilatam, qvo & reliqvi ſui negotia expedire poſſent; & eandem ob cauſam ratihabitionem tamdiu in Hiſpania detentam. Sed nunc eo rem rediiſſe, ut vel ratificatio permutanda, vel Belgium amittendum ſit. Prius ut fiat Anglum, & Belgas enixe inſtare: nec è reliqvis qvempiam dubitaturum, qvin communis cauſæ interſit reliqvias Belgii conſervari, & conventas urbes Gallico præſidio liberari. Nec ullo ſe modo declinare potuiſſe, qvo minus in medium ſtatum conſentirent. Qvo ipſo tamen fœderatos haut ingentem jacturam facturos, qvod penes Hiſpaniam nil amplius ſit in eorum uſum præſtare, qvam reliqva ſubſidiorum ſolvere. De cætero Regem fœderibus inhærere; ac ſpem eſſe rerum mutatione brevi ſecutura plus officiorum invicem præſtari poſſe: modo arcta conjunctio perſtet. Ad qvæ fœderati: à ſe jam antea rationes adductas, qvare Hiſpanis ſeparata pax ineunda non ſit; eam ſententiam adhuc perſtare; nec ſibi injunctum iſtam pacem probare. Ac dolere ſibi Hiſpanos ad extrema iſthæc compulſos. Gratum tamen eſſe, eos fœderibus ſtare, ac reſidua ſubſidia, & deinceps ceſſura ſolvere velle, qvoad & ipſi pacem ſuam obtinuerint; qvæ ut promoverent, petebant. Sed Hiſpani præter reliqva nil promittebant. Dum ratificationes 5. Dec. permutantur, Colbertus monebat, Regem ratihabitionis formam vix probaturū, velut chartæ duntaxat inſcriptam, & cui ſigillum Hiſpani non ceræ, ſed *oblatæ* impreſſerant.

§. 94. Aſt vulgata pacis formula per *Contra formulam pacis à Cæſareis exhibitam proteſtatio.* Cæſareos exhibita Nuntius primo ſuper Electore, ac Ducibus Brunſvicenſibus monebat; *cum iſte ob ceſſam Pomeraniam aliquot præſulatus, hi alternam poſſeſſionem præſulatus Oſnabrugenſis nacti ſint; & vero iſte qvondam ceſſa, hi amplius adhuc recuperarint; igitur par eſſe, ut ea bona Eccleſiaſtica ad priſtinam conditionem redeant, cum cauſa, ob qvam ad ſecularem conditionem redacta ſint, nunc ceſſet. Ad qvod præſtandum Cæſar teneatur, tanqvam Eccleſiæ advocatus, & ſucceſſor ejus, qvi in eorum alienationem conſenſit: præſertim cum eidem in proclivi ſit iſtos Principes huc compellere, per Gallica arma preſſos, qvibus iidem abſqve auxilio Cæſaris reſiſtere neqveant. Cæſarem ingens ſibi meritum apud Deum, homines qve comparaturum facto tam plauſibili ad rationes Eccleſiæ, atqve Imperij. Conducere qvoqve Cæſareæ autoritati, provincias iſtas in plures potius dividi, qvam paucis adcreſcere, qvorum gliſcens potentia libertati Imperii, ac religioni Catholicæ admodum periculoſa ſit.* 9. Dec. Aſt Blaſpielus prolixo ſcripto qverebatur, *eam* 10. Dec. *formulam nulla prævia communicatione exhibitam, ac de pace inter Cæſarem, Imperiumqve, & Svecos ſatagi, excluſis Borealibus fœderatis, qvi prope ſoli bellum in Svecos geſſerint. Sane à ratione abhorrere, pacem inter eos componi, qveis bellum haut primario fuit, præteritis illis, qvi alteram bellantium partem conſtituerunt: & cum Cæſar Svecum hucusqve non aliter conſiderarit, qvam unum ex Ordinibus Imperii violata pacis publicæ reum, nunc cum eo tractari, ut cum hoſte Imperii, qvalis Gallus eſt. Nam violata à Svecis pace per irruptionem in Electoris ditionem petentibus Imperii Ordinibus à Cæſare mandata pœnalia, avocatoria, inhibitoria in iſtos, eorumqve præfectos, & milites*
7. Jul. 1674.

1678. milites emissa; aulamque Cæsaream vocabulo hostis Imperii studio abstinuisse, nec cum Regno Svecia pacem abrumpere voluisse: eoque Cæsarem, atque Imperium Sveco nunquam bellum tanquam extero Principi denuntiasse, nec unquam publicum Imperii exercitum adversus eundem ductum. Sed prout idem inter Ordines Imperii censebatur, contra eum ex Constitutione executionis ob fractam pacem publicam processum fuisse. Igitur haut esse è dignitate Cæsaris, & Imperii, si nunc sepositâ suprema jurisdictione in civem Imperii condigna pœna notatum, pacem cum hoc inire velit, qualis in illos tantum cadat, qui pares sint, ac jus belli invicem habeant, id quod nulli Statui, ac civi Imperii adversus Cæsarem, & Imperium competere possit. Sed & si maxime detur, Cæsarem & Imperium cum Svecis bellum gessisse; eoque & pacem cum his facere penes eosdem esse; eam tamen hoc modo, uti in formula Cæsarea proposita sit, sine fraude Borealium fœderatorum, ac præcipue Electoris fieri non debuisse. Nam articulo II inter Cæsarem, Imperiumque, & Svecos amnestiam intra & extra Germaniam sanciri, cui nihil præteritorum actorum obstare debeat. Articulo III Westphalicam pacem, à Svecis tam notorie violatam fundamentum hujus pacificationis poni, abolitis omnibus decretis & mandatis hoc bello contra istos emissis. Cum autem Svecis jus suum ad eam pacem, & per eam quæsita beneficia amiserint, ac justissimis Electoris armis Germania expulsi sint, quomodo amnestia iis prodesse adversus Electorem possit? Quod si autem hæc ad Cæsarem duntaxat pertineat, clarius id exprimendum fuisse, ne hostibus ansa præbeatur, eam in suum commodum, ac Electoris fraudem interpretandi. Sane Svecos dominium suarum quondam provinciarum non amplius habere, quippe vi legum publicarum, & decretorum Imperii ob violatam pacem ademtum, possessione insuper armis extorta. Contra Electorem, qui contra Svecum non solum ut membrum Imperii, sed & ut extraneum Regem justo cum exercitu terra, marique hactenus bellum gesserit, idque adhuc extra Germaniam in Borussia persequatur, Svecorum quondam provincias una cum aliis fœderatis justissimi belli titulo possidere. Unde Svecis in Imperio, ubi nihil amplius possident, amnestiam promitti non potuisse. Quod porro dicatur, omnia antehac ei amnestiæ in contrarium inita pacta non obstare debere, ambiguum esse; velut per eandem inita quoque inter Cæsarem, & Electorem pacta, & fœdera cum promissis, & obligationibus tollantur, & huic præstatio debita satisfactionis adimatur. Id quod cum sine manifesta injuria fieri nequeat, ea verba emendanda, atque ita formanda esse, ut nullo 1678. modo in fraudem Electoris porrigi queant. Porro Westphalicam pacem fundamentum pacificationis cum Gallo substerni posse, quicum Cæsari, & Imperio publicum bellum est. Sed eandem pacem Svecis nil amplius prodesse posse, quondam Imperii membris, qui ob eam violatam beneficiis inde partis exciderint, & nil amplius commune cum Imperio habeant. At si id agatur, ut isti in eam pacem reponantur summo cum præjudicio Borealium fœderatorum, ac inprimis Electoris; se non posse non adversus eandem protestationem interponere. Equidem addi; post conclusam inter Cæsarem, Svecosque pacem inter fœderatos, & Svecos extantes controversias per officia ibi nominatorum componendas ad normam tractatus Westphalici, nisi qua eadem amore pacis immutanda sit; & eam compositionem hac pace comprehensum iri. Sed haut eo minus acerbissimum fore Electori, si præter meritum à Cæsare, aliisque fœderatis desertus, alieno arbitrio invitus subjiciatur. Denique nuper 22. Nov. adhuc Cæsaream legationem Electorali legato Ratisponæ significasse, causam Svecicam præcipue Boreales fœderatos spectare, quos rationes sua curæ sint futuræ; ac Cæsarem operam navaturum, ut inter hos, atque Svecos pax quamprimum componatur. Id quod cum formula pacis hoc à Cæsareis edita haut quadret. Unde sibi expresse postulandum; Quia Svecus, abrupto quod ei cum Electore intercedebat fœdere, hunc præter meritum improviso cum exercitu aggressus est; ut Elector circa omnia, quæ bellum Svecicum tangunt, velut primaria pars consideretur, nec ipso inscio aut invito deinceps quid suscipiatur, ac statuatur. Deinde cum formula pacis non Cæsaris solum, sed & Imperii nomine concepta, & exhibita est, quam ob causam Electori, tam eminenti Imperii membro, qui legatos Viennæ, ac Ratisponæ habeat, de eadem nil communicatum fuerit? Nec enim huic facile persuaderi posse, Imperium adversus ipsum tot speciminibus generosi animi, ac fidei in patriam editis eum procedendi modum permittere voluisse, qui & huic, & toti Reip. exemplo admodum noxius futurus sit. Denique Cæsarem fœdere cum Electore anno 1674 inito, quod adhuc subsistat, promisisse, si hic abs quopiam hostili modo invadatur, eique in Clivia damni quid inferatur; se pacem non initurum, nisi ipsi satisfactum sit, nec citra eundem ad tractatus descensurum. Igitur par esse legationem Cæsaream horum memorem ista effectui dare, nec cum Svecis deinceps, non adhibito Electore, à quo ipse plenis cum mandatis huc missus sit, quidquam tractare, sed quæ agenda sunt, cum ipso, aliisque quorum interest ex-

1678. *pendere, eorumqve sententiam audire, nec iisdem invitis aliqvid decernere.* Ipsi qvoqve Cæsari Elector demonstrari jubebat; haut debere talia se inconsulto fieri, velut qvi hortante Cæsare in id bellum descenderit, & cui ab hoc, & Imperio indemnitas promissa sit. Addito, uti ipse omnes suas fortunas pro patria periculo exposuerit, ita & æqvum se semper honestæ paci amplectendæ præbuisse.

Super Cæsarorum formula disputata.

§. 95. Ast nec Sveci, utut ea formula his admodum faveret, eadem adqviescebant. Hi enim articulo IV neutrum statum Cæsaris, & Imperii postulabant; tum articulo V stipulari cupiebant, ut Cæsar, & Imperium pacem non admittentes per efficacia remedia ad id permoveat, ac omne iisdem auxilium subtrahat. Ut autem sibi integrum sit, eosdem ad amplectendam pacem jam designatam compellere. Sed Cæsarei de neutro statu abnuebant, ac qvadrimestres inducias proponebant, per qvas pax inter Boreales reliqvorum amica opera sit promovenda. Qvæ Svecis haut sufficiebant. Cæsarei qvoqve articulo IV posuerant; Cæsarem una cum Rege Angliæ enixam operam navaturum curandæ paci Borealí. Cui Jenkinus contradicebat, qvod de ea nil sibi injunctum sit. Cæsarei

9 *Dec.* inde alternativæ optionem mutabant, ac nunc Gallis Philipsburgum relinqvere volebant, Friburgo sibi servato. Sed Galli, cum antea dixissent, Philipsburgum Regi suo qvadruplo pluris qvam Friburgum æstimari, nunc desistere nolebant, causati, semel placitis standum. Philipsburgum Regi nulli esse usui, qvam ut plus terrarum in Germania adqvirere possit; id qvod ab ejusdem destinatis abhorreat: ac Friburgum commediore ad Alsatiam tegendam situ esse. Causa hujus mutationis erat, ut Cæsar Ordines, inprimis qvi demolitionem Philipsburgi urgebant, eo facilius permoveret ad æqvivalens ipsi pro Friburgo dandum, qvod post Gallo cessurus erat Friburgo retento. Contra Galli Ordinibus velificari, eosqve in Cæsarem instigare studebant, dum non solum in Philipsburgum renuntiant, sed & ipsi instant, ut ejus munitiones dejiciantur. Sed Cæsareis ad pacem permovendis, qvibus prospere fluentes in Hungaria res animos addiderant, Arausionensis monebat, Gallos ad Coloniam, & Treviros animum adjecisse, qvi conatus maturata pace antevertendi sint. Contra Elector Belgis denuntiabat; à se Vesaliam deserendam, qvam contra Gallorum vim tutari neqveat. Et qvia Cæsareos

13. *Dec.* res suas seorsim agere perspiciebat, Blaspielo, & Romsvvinckelio injungebat, ut & ipsi cum Gallis, & Svecis sine arbitris tractarent. Ast hi longe duriores qvam antea se exhibebant, Gallo animos addente, qvi & paucos ante dies curforem ad Regem Sveciæ miserat huic confirmaturum, non solum ex fœdere se teneri ad enitendum, ut is amissa recuperet; sed & denuo fidem, existimationem, ac gloriam pignori exponere, omnia eum recepturum, simul idonea satisfactione potiturum. Unde Heugius, & Blaspielus è Colberto qværebant; qvomodo isthæc cum iis conspirent, qvæ ipse sibi nomine Regis declararit? Ad qvæ Colbertus; Oxenstiernam morosi ingenii virum esse, qvi sæpe loqvatur qvicqvid in buccam venerit, cujus ratio haberi non debeat. Nec eo magis instantibus licet Belgarum in Gallia legatis de medio Cliviæ statu qvid obtinebatur. Ast Cæsarei ideo se de Philipsburgo Gallis reddendo injecisse ferebant, ut illi, qvos id oppidum propius tangit, & qvi, intellecto Cæsarem id sibi retinere velle, cum Gallis secretos tractatus agitarunt, ad saniora consilia adducerentur. Nam Cæsari fixum sedere, Friburgum potius amittere, qvam Philipsburgum velut Germaniæ clavem Gallo restituere. Ac 20. *Dec.* mox iidem declarabant, sese Gallis Friburgum relicturos, ac sibi Philipsburgum retenturos; simul Gallorum colloqvium expetebant. Eo cognito Danus, ac Blaspielus Cæsareis denuntiabant, sese huic colloqvio interesse velle. Hi contra; rem de qva agendum sit, solum Cæsarem spectare, ac omnia seqvestre interveniente tractanda. Se tamen omnia agenda communicaturos. Sed isti haut qvidqvam colloqvio sese excludi volebant, præsertim qvia & Sveci in curia futuri erant, qvibuscum sibi plurimum negotii sit. Ac ita in Cæsareorum conclave adscendebant, qvo & Lotharingicus invitantibus Cæsareis venerat. Ibi orta disceptatione Cæsarei variis rationibus pervincere conabantur, sibi hoc colloqvium citra istos habendum. Sed nostri inter alia allegabant: sibi ut interfint competere, qvod & Sveci apud Gallos adsint. Cæsarei: liberas sibi, ac sine arbitris consultationes suas relinqvendas; nec postulari posse, ut alii, qvæ inter se ipsi loqvantur, ac circa Cæsarea mandata, ac rescripta disputent, audiant. Tum se omnia hactenus communicasse, & id deinceps facturos. Nostri: communicationem non uti par fuerit factam. Nec jam communicatione, sed consultatione opus esse, cui, qva res Principes suos spectet, utiqve interesse debe-

1678. debeant. Et conclave ita amplum esse, ut facile nemine audiente inter se colloqvi possint. Sed istis nil proficiebatur, ac Cæsarei valde exaggerabant, Meindersium Hagæ & Neomagi se insciis, nec communicatione post facta erga Gallos declarasse, Electorem parte Pomeraniæ usqve ad Penam contentum fore: id qvod ab hostibus intellexerint. Igitur Jenkino seorsim ducto sententiam suam super articulis exponebant; qvi Gallos, & Svecos accedens horum sententiam omnibus referebat; Cæsareis iterum ad hanc seorsim respondentibus. Ad extremum cum Danus, & noster excludi se nollent, per Jenkinum id temperamenti inveniebatur, ut hi proximo conclavi juxta Cæsareos essent, sicuti & Sveci separato à Gallis conclavi agebant, ubi statim congredi possent. Jenkinus svadebat, ut Blaspielus itidem formulam pacis conciperet. Id qvod huic eo magis necessarium videbatur, qvod Cæsarei censerent; soli Cæsari, ac nemini Electorum, & Principum jus competere, suo nomine cum Gallo, & Sveco pacem faciendi. Qvæ persvasio hisce eo modo adimebatur; nec minus falsum esse ostendebatur, Danum, & Electorem paci obsistere. Sane Galli, cum interrogarentur, num istos colloqviis interesse velint, respondebant; id tanto gratius sibi futurum, ut perspicere possint, num vere Danus, & Elector arguantur, velut omnibus modis pacem remorari studeant. Ea facies tractatuum Neomagensium sub finem anni erat.

Confirmatio pacti hæreditarii circa Juliacenses ditiones à Cæsare obtinetur. 4. Dec. 13. Oct.

§. 96. Eo anno tamen operæ pretium in Cæsarea aula factum est, obtenta à Cæsare confirmatione pacti hæreditarii super Juliacensibus ditionibus, aliqvot ante annos inter Electorem & Neoburgicum initi; circa qvam hic pro autoritate, qva ibi valebat, utilem operam navarat. Ea causa cum in judicio aulico proponeretur, unanimi consensu Collegii nemine contradicente decretum, investituram de Juliacensibus ditionibus Electori, ac Neoburgico negari non posse. Id qvod Collegium relatione ad Cæsarem invictis rationibus demonstrabat. Sed re, uti solet, in secretiore consilio ad rationes status expensa, haut expedire videbatur Domum Saxonicam protelare; eoqve investitura, titulus, ac sessio earum provinciarum nomine suspendebatur. Qvam nec Electori tunc temporis enixe qværere placebat; ac svadebant prudentes, potius transactionem cum Saxonibus qværendam. Sane jam Ferdinandus II. promiserat, se hisce alia data expectativa satisfacturum. Post obtentam confirma- 1678.
tionem literæ à Cæsare ad Electorem, Neoburgicum, Monasterienſem, ac Spirensem Cameram super directorio Circuli Westphalici dabantur, in qvibus ambigua, & discrepans clausula reperiebatur. Nam in literis ad Electorem, & Neoburgicum, positum erat, id directorium iis *per modum provisionis extraordinariæ delatum* fuisse: cum tamen hoc muneris à Cæsare deferri neqveat, qvippe ditionibus adhærens. Sed in literis ad Monasterienſem ea verba extabant: Cæsarem ab Electore, & Neoburgico id directoris munus *velut jus alias ditionibus adhærens per modum provisionis extraordinariæ exercere velle.* Cæsarei excusabant, eam clausulam possessoribus haut qvidqvam fraudi esse; sed tantum positam ad Saxones utcunqve placandos. Qvibus & alias nulla qværendi causa erat, qvod confirmatio salvo jure, si qvod esset, tertii facta foret. Adversus eam tamen confirmationem non Saxonica tantum Domus, sed & Colonienſis Elector Ratisponæ protestationem interponebat. Et huic qvidem prætextum allegabatur, qvod priores possessores Juliacensium ditionum diversos Comitatus, dynastias, & vicos vel hypothecæ titulo obtinuerint, vel nullo jure invaserint. Multa etiam feudi nomine agnovisse, qvorum dominium utile novissimi Ducis Juliacensis morte cum directo consolidatum sit. Sicuti & anno 1613. per literas ad Cæsarem Præsulatui omnia jura reservata sint. Qvod & in præsens fiat. Sed Elector legatos suos cum istis in disceptationem descendere vetabat; ac tantum ut paucis verbis tuendo suo juri necessaria reservarent jubebat; addito se ac Neoburgicum decretis in Pacis Westphalicæ Instrumento inhærere, cui sua conventio non contradicat. Et dummodo ipsi in possessione ditionum maneant, facile se ferre posse, ut reliqvi in possessione contradictionis persistant.

Fœdus arctius cum Belgis perficitur.

§. 97. Deniqve etsi Belgæ hoc anno sat maligne de Electore meriti essent; tamen qvia hunc insolubiles rationes cum ea Rep. jungebant, qvali modo nexorum amicitia aliqvando refrigerari potest, abrumpi penitus non potest; placuit diu agitatum fœdus arctius demum perficere. Id Elector in perpetuum porrigi voluerat. Sed Tochtius censebat, melius esse id certos ad annos adstringi, ac iis elapsis subinde renovari. Nam lapsu temporum haut prævisas mutationes contingere posse, ad qvas vetusta fœdera haut qvadrent; qvæ inter renovandum ad nova tempora aptari qveant.

1678. Præcipua cura erat veteres controversias tamdiu vexatas, qvæ inter Electorem, & Remp. versabantur, uno ictu abolere. Inter qvas erat debitum Husiserianum sub Joanne Sigismundo contractum, mutuo acceptis C M uncialibus; sed qvod tractu temporum per anatocismum, & alias fœneratorum artes ad duodecim milliones & LX M florenorum intumuisse supputabatur. Ac tanti debitum id Curia Mechliniensis taxaverat, in qvam utrinqve compromissum fuerat; sed cujus sententiam Elector rejecerat, qvod eadem compromissi limites excessisset. Fuerat qvoqve vetus lis inter Duces Cliviæ, & Geldriæ super parte ditionis limitaneæ, qvæ ante CL annos in compromissum deducta nondum componi poterat. Eam & nunc Elector expediri cupiebat, ni privati qvidam obstitissent, qvos ea res peculiariter tangebat; qvi ut actione sua cederent, à Rep. cogi non poterant. Ad ea, qvæ compromissum isthoc Geldricum complectebatur, etiam famosum istud castellum Schenckianum pertinebat. Qvod num Belgis valde cupientibus tradendum foret, Geldrica lite nondum plane composita, Somnicii, ac Blaspieli discrepantes sententiæ erant. Iste qvippe censebat; cum id castellum inter litigiosa loca sit, Electoris causam valde vulnerandam, si præcipua pars cedatur, tota lite haut decisa. Ac Belgas per id castellum compelli posse ad omnem controversiam semel abolendam. Blaspielus contra: Geldricum compromissum tanti non esse, ut ideo tam necessarium fœdus differatur. Nec in præsens id castellum tanti momenti esse, uti antea, postqvam Vahalis juxta, ac Rheni ostium arenis fere impletum sit, sublata aqvæ profunditate sub castello, qvæ præcipuam ei firmitatem dederat. Sed & superficiem ac solum duntaxat Electoris esse, non superstructam munitionem; eoqve nil amplius exigi posse, qvam ejusdem demolitionem, etiam ubi in Geldrica lite solum Electori adjudicetur. (Etsi contra hoc regeri posset, Gallum belli jure id castellum adqvisitum Electori donasse.) Qvod si & Elector castellum retineat, id tamen ei nil prodesse, ac multum nocere. Nam per id nuspiam Electoris ditionem tegi, ac orto inter Electorem, ac Belgas bello utriusqve terras utrinqve incursari posse, nullo ad castellum id respectu. Qvod si Electori navigationem Rheni occludere placeat, id etiam citra castellum inter Rurortam, & Emmericum fieri posse. Damno autem id castellum fore ob impensas in præsidium, ac præcipue in ædificia aqvatica faciendas, totius Cliviæ reditus longe superaturas. Qvod si ostia fluminum obstruantur, aut Rhenus alium sibi alveum faciat, idem in alium locum transferendum. Belgas autem ideo id castellum tantopere affectare, qvod omnia à Gallo erepta recuperare velint; ac Arausionensem in eo existimationem suam verti judicare, ne fines Reip. se gubernatore imminuantur. Unde & Gallum demulcendis Belgis statim Trajectum ad Mosam obtulisse. Sed & Belgæ ob commerciorum commoditatem Rheno infra castellum, & Isalæ plus aqvarum immittere agitabant; qvo fine fauces ejus fluvii in potestate habere cupiebant. Alias satis præcaveri posse, ne castelli cessio Geldricæ liti præjudicet; ac ne per eam litem amicitia turbetur: cum exigua controversia manere possit salva amicitia; qvod & inter fratres non infreqvens sit. 1678.

§. 98. Ejus fœderis scopus ferebatur amicitiæ utrinqve tam proficuæ confirmatio, & propagatio. Capita hæc erant. *Prius fœdus super hoc bello initum illæsum persistat. Finito hoc bello inter Electorem & Belgarum Remp. semper sit, maneatqve constans conjunctio, & amicitia, cujus vi fœderati ad mutua commoda promovenda, mala averruncanda teneantur. Si Elector in qvibuscunqve ditionibus, ac portubus suis hostili modo impetatur, Belgæ IV M D pedites, M D eqvites propriis sumtibus ei submittant, qvousqve ipsi qvies parta, & de damno à lædente satisfactum sit. Vicissim ubi Belgæ intra suas ditiones invadantur, Elector III M peditum, M eqvites suis sumtibus subministrabit: idemqve præstabit, si Belgæ mari invadantur: qvo casu miles auxiliaris urbium præsidiis, aut extra unitas provincias contra hostem adhibebitur. Qvod si & alio qvocunqve loco Elector aut Belgæ etiam extra Europam invadantur, alter reqvisitus operam junctim impendat, ut illata injuria cesset, damnumqve reparetur. Ubi intra qvadrimestre id extra Europam effectui dare neqveat, ac læso necessarium videatur contra lædentem arma intra Europam arripere, alter fœderatus læso idem auxilium præstabit, ac si invasio intra Europam facta sit. Auxilium post factam reqvisitionem minimum intra sesqvimestre spatium fiet. Qvod si conventus auxilii modus avertendæ oppressioni non sufficiat, is pro ratione periculi & virium hostilium augeatur, prævia tamen super conditionibus conventione. Auxilia, qvæ ex hoc fœdere præstantur, auxiliantem ad bel-*

Fœderis cum Belgis argumentum. 26. Febr.

1678. *bellum ei, contra qvem mittuntur, indicendum non obstringant. Sed siis, contra qvem auxilia mittuntur, hostilia eo nomine reponat, assistens iisdem in bellum adversus eundem erumpat. Huic fœderi uti nil adversum cum qvopiam Principe conclusum; ita nec deinceps ejusmodi qvid concludatur. Transitus atqve hospitia militaria unus in alterius ditione sine ejus consensu ne sumat. Sed si transitus declinari neqveat, domino regionis mature id significetur, transitus qvantum possit accelleretur accurata disciplina servata, ac omnia præsenti pecunia solvantur. Unus alterius subjectis, eorumqve bonis ac mercibus non majora onera qvam propriis civibus imponat, aut qvam iis exteris, qvi minimum onerantur, siqvidem ab his exteris minus, qvam ab indigenis solvatur: nec adversus eos represalia adhibeantur, sed justitia non minus qvam indigenis promte administretur. Commercia inter utriusqve cives nullo impedimento exerceantur: utriusqve partis navibus in alterius portus introire & exire, ac ibi qviescere liceat. Utriusqve subditi à jure detractus utrinqve durante hoc fœdere eximantur, seu qvis in alterius ditiones migret, seu ex alterius ditione hereditatem petat. Hosti, & agressori in alterius ditione militem terrestrem, aut maritimum conscribere, aut transitu, aliove commodo ibi frui ne liceat. Contra fœderatis integrum sit utrinqve in alterius ditionibus milites conducere, naves emere & armare, paratumqve bellicum, qvo ad sui defensionem opus habeat, comparare, nisi alter proprios ad usus eo carere neqveat. Si ob latum auxilium is qvi fert bello qvoqve implicetur, uterqve junctis consiliis rem in hostem agat, ac neuter eo casu inducias nisi communi consensu ineat. Tractatio de pace, aut induciis ab uno non suscipiatur sine communicatione cum altero, & ut huic qvoqve eodem tempore securitas & facultas curetur ministros suos ad locum tractatuum mittendi. Uterqve alteri subinde de iis qvæ agentur communicet. Denique neuter fœderatorum ad conclusionem pacis aut induciarum descendat, nisi incluso fœderato, ac, si id petat, restituto in ditiones & jura, qvæ is ante bellum gavisus est, ac ut huic eadem qvæ sibi jura ac privilegia stipuletur, nisi inter fœderatos aliter convenerit. Fœdus hoc per decennium durabit ab exitu præsentis belli, qvod partes qvantum potest perpetuum reddere studebunt, ac annum ante ejus finem de eodem prorogando agent. Ratihabitio utrinqve intra duos menses à subscriptione fiat.*

Articuli separati.

§. 99. Peculiari pacto placebat aboleri, qvicqvid controversiarum hactenus utrinqve agitatum fuerat. Eo fine Elector Belgis castellum Schenckianum una cum solo, cui superstructum est, pleno dominii jure tradebat, in qvod ipse cum posteris omni juri renunciabat. Ejus castelli traditio, post fines rite constitutos, demum triennio post facta. Nam initio qvidem Elector durante adhuc cum Gallis bello id castellum in Belgas qvamprimum transferre optabat, ne id forte à Gallis interceptum causam suam difficiliorem redderet. Sed eo periculo depulso non prius id tradere volebat, qvam omnibus, qvæ præcedere debebant, negotiis confectis. Idem qvoqve omnibus actionibus cedebat, qvæ ipsi è prima Mechliniæ pronuntiata sententia super debito Hufiseriano competant, & si qvid ulterius ea actione ad finem perducta expectare qveat. Nec minus idem remittebat, qvicqvid subsidiorum ab anno 1672. ad seqventem usqve tractatum à Rep. prætenderet. Idem & actioni renuntiabat ex fœdere anno 1666. inito, qvod Clivicæ urbes tam seqviter à Belgis munitæ, ac Gallis deditæ fuerint. Vicissim Belgæ suo qvoqve nomine omnes actiones è debito Hufiseriano, & circa id Mechliniæ acta abolebant, cœpto processu plane sublato, ac chirographis restitutis atqve inductis. Circa mutuas prætensiones Ducum Cliviæ, ac Geldriæ, olim ad compromissum deductis, Belgæ operam dabunt, ut istæ amica via componantur. Id si fieri neqveat, Belgæ nullam vim adversus Electorem adhibebunt, qvamdiu ea controversia jure decisa non fuerit. Et si maxime decisio secuta sit, inter Electorem tamen, & Ordines Generales ita agetur, uti veteres vicinos, amicos, ac fœderatos decet, & non aliter, qvam ut amicitia, ac fida vicinia semper illæsa perstet.

1678. die 10. Augusti anno 1681

§. 100. Ejus fœderis ratihabitio ultra conventum tempus ab Electore extrahebatur, offenso ob separatam à Belgis tunc initam pacem, & qvia dubitabatur, num hi magis Electoris causam suscepturi essent ratihabito fœdere, qvam eodem adhuc in suspenso hærente. Sed cum Belgæ ratihabitionem urgerent, Elector Sverini senioris sententiam exqvirebat: qvi censebat; *utus Belga in Electorem crasse admodum deliqverint, haut tamen amicitiam cum iis plane abrumpendam, sed qvantum detur conservandam. Electorem dum ipse rerum potitur, imperterritis & masculis demonstrationibus Belgas ad aqviora permovisse, cum hi sub ejus parente Clivicas ditiones tan-*

Ratihabitio fœderis aliqvandiu differtur.

1680.

1678. *tum non velut proprias usurparint, & quod maxime intolerandum erat, Ordines sibi adjunxerint, ut huic omnis fere autoritas subtraheretur, & istorum querela Haga velut suo jure admitterentur. Quæ omnia Elector, forti animo exadversum ostenso ita emendarit, ut hucusque fida amicitia cum Belgis exerceri potuerit. Cum itaque Tochtius inter tractandum subinde iniqua postulata in medium afferret, ac indecentia dicta jactaret, se judicasse, Electorem optime scopo suo potiturum, si non ita facilem quibusvis istorum desideriis se exhiberet. Sed quia legatus Belgicus id tunc interpretatus fuerit, velut ipse amicitiæ tam necessariæ obsistere velit, omissis monitis id tantum optare, ut Belgæ fidum Electoris in se animum rite æstimare velint. Equidem dubitari posse, an nunc fœdus cum iisdem denuo ineundum sit, quando ipsi ab Electore tam sancte, ac tantis impensis cultum fœdus inaudito exemplo violarint. Verum ista jam satis iisdem exprobrata, ac in futurum occasiones emergere posse, quibus talia usui esse queant. Contra si ratihabitionum permutatio abnuatur, id ansam istis præbere posse, ut in tractatu cum Sveciæ Electori noceant.* Ita circa ratihabitionem nulla amplius mora erat. 1678.

SAMUE

SAMUELIS PUFENDORFI

DE

REBUS GESTIS FRIDERICI WILHELMI MAGNI

ELECTORIS BRANDENBURGICI

COMMENTARIORUM

LIBER DECIMUSSEPTIMUS.

EPITOME.

Sveci in Borussiam irrumpunt. 2. Electoris contra adparatus. 3. Svecorum in Borussia progressus. 4. Elector ipse in Borussiam se confert. 5. Hornius in pedes se conjicit. Idem vapulat. 6. Elector perculsis hostibus instat. Nostrorum cum Svecis conflictus. 7. Post eam victoriam machinationes in Polonia abortiunt. 8. Elector rixæ ansam cum Polonis declinat. 9. Ad Moscum missio. 10. Elector de legatione Cæsaris Neomagensi qveritur. 11. Cum Cæsareis ministris Viennæ disceptata. 12. A Cæsareis Dano proposita. 13. Cæsarei adhuc de pace dubitare videntur. 14. Neomagi circa pacem Cæsaream acta. 15. Galli, & Sveci insolentes se ostendunt. 16. Super articulo XXVI. pacis Cæsareo-Gallicæ disceptata. 17. Cæsareorum ad ista declaratio. 18. Gallorum notæ ad istam declarationem. 19. Danus, & Electoralis legatus de Cæsareis qveritur. 20. Circa acceptandam pacem Cæsaream pergitur. 21. Dani, & nostri monita de pace non præcipitanda. 22. Protestatio eorundem contra eam pacem. 23. Pax subscribitur. Cautio super X. oppidis Alsatiæ, aliisqve. 24. Pax Cæsareo-Gallica. 25. Qvædam circa

1678. *tum non velut proprias usurparint, & quod maxime intolerandum erat, Ordines sibi adjunxerint, ut huic omnis fere autoritas subtraheretur, & istorum querela Hagæ velut suo jure admitterentur. Quæ omnia Elector, forti animo exadversum ostenso ita emendavit, ut hucusque fida amicitia cum Belgis exerceri potuerit. Cum itaque Tochtius inter tractandum subinde iniqua postulata in medium afferret, ac indecentia dicta jactaret, se judicasse, Electorem optime scopo suo potiturum, si non ita facilem quibusvis istorum desideriis se exhiberet. Sed quia legatus Belgicus id tunc interpretatus fuerit, velut ipse amicitia tam necessariæ obsistere velit, omissis monitis id tantum optare, ut Belgæ fidum Electoris in se animum rite æstimare velint. Equidem dubitari posse, an nunc fœdus cum iisdem denuo ineundum sit, quando ipsi ab Electore tam sancte, ac tantis impensis cultum fœdus inaudito exemplo violarint. Verum ista jam satis iisdem exprobrata, ac in futurum occasiones emergere posse, quibus talia usui esse queant. Contra si ratihabitionum permutatio abnuatur, id ansam istis præbere posse, ut in tractatu cum Svecis Electori noceant.* Ita circa ratihabitionem nulla amplius mora erat. 1678.

SAMUE

SAMUELIS PUFENDORFI

DE

REBUS GESTIS FRIDERICI WILHELMI MAGNI

ELECTORIS BRANDENBURGICI

COMMENTARIORUM

LIBER DECIMUSSEPTIMUS.

EPITOME.

Veci in Borusſiam irrumpunt. 2. Electoris contra adparatus. 3. Svecorum in Borusſia progreſſus. 4. Elector ipſe in Borusſiam ſe confert. 5. Hornius in pedes ſe conjicit. Idem vapulat. 6. Elector perculſis hoſtibus inſtat. Noſtrorum cum Svecis conflictus. 7. Poſt eam victoriam machinationes in Polonia abortiunt. 8. Elector rixæ anſam cum Polonis declinat. 9. Ad Moſcum miſſio. 10. Elector de legatione Cæſaris Neomagenſi qveritur. 11. Cum Cæſareis miniſtris Viennæ diſceptata. 12. A Cæſareis Dano propoſita. 13. Cæſarei adhuc de pace dubitare videntur. 14. Neomagi circa pacem Cæſaream acta. 15. Galli, & Sveci inſolentes ſe oſtendunt. 16. Super articulo XXVI. pacis Cæſareo-Gallicæ diſceptata. 17. Cæſareorum ad iſta declaratio. 18. Gallorum notæ ad iſtam declarationem. 19. Danus, & Electoralis legatus de Cæſareis qveritur. 20. Circa acceptandam pacem Cæſaream pergitur. 21. Dani, & noſtri monita de pace non præcipitanda. 22. Proteſtatio eorundem contra eam pacem. 23. Pax ſubſcribitur. Cautio ſuper X. oppidis Alſatiæ, aliisqve. 24. Pax Cæſareo-Gallica. 25. Qvædam circa

1679. *circa eam pacem notata. 26. Peculiaris contra usurpationem legationis Cæsareæ protestatio. 27. Luneburgicorum protestatio. 28. Instrumentum pacis Cæsareo-Suecicæ. 29. Cæsareorum legatorum declaratio. 30. Protestatio contra hanc pacem. 31. Protestatio Nuntii Pontificii. 32. Consultatio super præsenti rerum statu. 33. Super ea pace Viennæ expostulationes. 34. Elector ratihabitionem pacis impedire nititur. 35. Is conatus frustra est. 36. Elector ulterius apud Cæsarem instat. 37. Fœderis inter Bavarum, & Saxonem formula. 38. Cæsaris declaratio. 39. Ordines pacem Ratisponæ probant. 40. Luneburgicorum sententia exqviritur. 41. Ad Osnabrugensem Præsulem missio. 42. Alia ad Cellensem Ducem missio. 43. Ab Hispania nihil subsidii expectandum. 44. Anglus ad communem causam nihil confert. 45. Neomagi post Cæsaream pacem acta. 46. Galli Daniæ Regem, & Electorem ad pacem urgent. Blaspieli ad istam declarationem responsum. 47. Gallorum replica. Blaspieli duplica. 48. Blaspielus fœderatos indemnitatem poscit. Belgarum responsum. Cæsareorum responsum. 49. Pacis ratihabitio inter Cæsareos, & Gallos permutatur. 50. Catalogus à Gallo restituendorum. 51. Conventio super exsecutione pacis. 52. Sequester tacite Neomago discedit. Cerimoniæ. 53. Super judiciis frustra movetur. 54. Galli in Clviam irrumpunt. Induciæ ineuntur. 55. Cum Monasterienſi pax concluditur. 56. Elector Belgas officii frustra admonet. 57. Neomagi nil amplius ad pacem proficitur. 58. Galli scripta, & rationes nihil curant. De inani prætensione Colonienſis in Lipstadium. 59. Blaspieli cum Colberto congressus. 60. Electori durum consilium est capiendum. Pactum super prorogandis induciis. 61. Galli Electorem summa vi urgent. 62. Electoris ad Belgas literæ. 63. Belgarum responsum. 64. Aliæ Electoris ad Belgas literæ. 65. Electoris in Belgas cogitata. 66. Meinderſius in Galliam mittitur. 67. Gallorum Neomagi declaratio. 68. Hagæ disputata. 69. Meinderſius in Gallia incassum nititur. Regis responsum. 70. Cum Pomponio disceptata. 71. Extrema à Meinderſio incassum tentantur. 72. Meinderſius altera vice in Galliam mittitur. 73. Neomagi disputata. 74. Lutetiæ eadem cantilena occinitur. 75. Regis declaratio. 76. Elector necessitati cedit. Consultatio, num Stetino sit cedendum. 77. Electoris temperamenta rejiciuntur. 78. Pax concipitur. 79. Tractatus perficitur. 80. Pax San-Germanica. 81. Sequestris mentio ea pace non fit. 82. Super ratihabitione ejus pacis acta. 83. Circa exsecutionem pacis cum Gallis acta. 84. Circa Svecicam ratificationem acta. 85. Danus de pace adhuc dubitat. 86. Elector de suis destinatis Dano significat. 87. Daniæ Regi ista parum probantur. 88. Danica pax tardius succedit. 89. Daniæ Rex de Electoris pace qveritur. 90. Danica demum pax perficitur. 91. Gottorpienſium turbarum præludia. 92. Regis Daniæ in Hamburgenſem civitatem conatus. 93. Dam eo nomine ad Electorem missio. 94. Gallorum circa id negotium sententia. 95. Luneburgicorum ad Electorem missio. 96. Elector sequestrem se offert. 97. Hamburgenſe negotium componitur. 98. Tartarica legatio.* 1679.

Seqvi-

1679. Sveci in Borussiam irrumpunt.

SEqvitur annus belli extremus, qvo tot partis decoribus insignem adoream Elector adjecit; sed qvæ nec ipsa efficere valuit, ut is dignum tantis laboribus, ac victoriis fructum assequeretur. Eqvidem si post Svecos Pomerania exterminatos toto cum exercitu ad Rhenum vertere licuisset, egregium adhuc operæ pretium fieri posse videbatur ad retinendos in partibus Cæsarem, aliosqve socios, ac ut Gallus & ipse belli jam pertæsus, validis copiis oppositis minus pertinaciter pro restituendis Svecis contenderet. Enimvero potior cura erat servandæ Borussiæ provinciarum nobilissimæ, qvam è Livonia Sveci cum exercitu jam irruperant: qveis si tempus indulgeretur ad pedem ibi firmandum, metus erat, ne & Polonus in hostilia erumperet, qvi eum in finem copias in Regia Borussia argento Gallico conduci dissimulaverat, ex eventu consilia capturus, ac si Svecorum destinata successissent, alieni laboris fructum in se pertracturus irriti cœpti ludibrio in solos Svecos redundaturo. Cæterum istam expeditionem Sveci dudum agitaverant, per qvam res suas in Pomerania restitutum ibant; & hac licet amissa haut eo minus eam perseqvi nitebantur, velut qva gravissimam se noxam Electori illaturos sperabant. Qvæ spes & ipsorum legatis Neomagi ingentem ferociam addebat, magnifice de ejusdem successu ominantibus. Isti expeditioni exseqvendæ initio destinatus fuerat Fabianus Fersenius egregius dux, ac defensa Malmogia non modicam laudem adeptus. Qvo defuncto idem negotium suscepit Benedictus Hornius, modico belli usu, qvi dum senior magis circa adparandum intempestive hymenæum, qvam Martem satagit, tota æstate incassum consumta demum sub finem anni septuagesimi septimi in Livoniam pervenit, ubi mors eum Regis offensæ ob tam seqviter administratam rem subtraxit. Ita demum defectu meliorum ducum ista expeditio delata fuit Henrico Hornio, amissam Bremensem provinciam, ac navalis prælii dedecus terrestri qvoqve clade cumulaturo. Is igitur præcipitante demum autumno è Livonia in Curlandiam movere cœpit, magna de suo adventu fama passim edita, si forte Electorem Stralsunda avertere posset.

Electoris

§. 2. Ast Elector, etsi tam diuturnus rumor, cujus effectus non adparebat, fidem prope consumsisset: tamen ne qvid per securitatem negligeretur, & Stralsundæ oppugnationem maturavit, & Gœrtzkium cum tribus bellatorum millibus rutandæ Borussiæ præmisit. Tum & in Borussia duas legiones conscribi, ac totidem, qvæ ibi agebant, suppleri jussit. Simul Ordines Borussiæ, & Regiomontanos literis ad constantiam excitat, pollicitus, ubi hostis ingruat, se ipsum toto cum exercitu venturum. Gœrtzkio injunctum, primo de Vistulæ transitu sibi cavere: inde raptim Regiummontem se conferre; ac si hostis nondum Memelam fluvium transierit, ad hujus citeriorem ripam castra ponere, assumtisqve provincialium selectis Svecos ejusdem transitu arcere. Sed si Sveci jam id flumen superarint, Regiummontem ad Electoris usqve adventum tegeret, ac hosti qvantum possit noxam inferret. Sed vix ingressus erat iter Gœrtzkius, cum nuntius adfertur, Hornium, è Curlandia partem Samogitiæ emensum, etsi tardius qvam speraverat ob viarum difficultates, districtui Memelensi sese infudisse. Is ubiqve sparserat, exercitum suum viginti bellatorum millibus componi, (sedecim millia revera erant;) tum à Bethunio Gallico legato conductas copias circa Gedanum hospitantes, qvas post Poloniæ Rex sacramento suo adegerat, Electorales transitu Vistulæ prohibituros, inde sibi jungendas. Idem Borussiam ingressus primo ante Memelam oppidum se ostendebat, qvam Dœnhofius Comes summus vigiliarum præfectus curabat. Adversus qvem locum ab hoste nil tentatum, nisi qvod præcursores cum dimachis oppido egressis velitationem susciperent. Ubi incertum fortuito casu, an hostili jaculatione suburbium flammam concepit, qvam validus ventus in ipsum oppidum pertulit, ut major ejus pars in cineres subsideret. Sed qvia ignis munitiones non læserat, hostis Kukernesam, & Tilsitum iter intendebat, tentaturus num ibi Memelam fluvium superare posset. Sed qvia Croyæ Dux Borussiæ Gubernator Hohendorfium, & Canitzium tribunos cum tribus militum millibus cis flumen disposuerat, hosti trans flumen in vasta regione absqve pabulo, & annona consistendum erat. Unde mox fames, & contagiosi morbi invasere, qvi multos homines absumsere, ac qvamdiu in Borussia egit, istum infestavere. Pacius Lithuanicæ militiæ supremus dux Svecis transitum per Samogitiam, in qvam Resp. non consenserat, abnegaverat. Sed qvia propere non nisi

1679. contra adparatur. 18. Nov. 78.

1679. pauca militum millia contrahere potuerat, ad vi eosdem sistendos haut suffecerat. Haut eo secius semper ad latus iis incedens prohibuerat, ne per provinciam excurrere possent, sed semper juncto agmine progredi cogerentur, intercepta qvæ subvehebatur annona. Elector intellectis qvæ apud Memelam contigerant, tres adhuc legiones versus Borussiam viam inire jussit; reliqvis ad tempus per hospitia sese reficere permisit.

Succorum in Borussia progressus.

§. 3. Ast Hornius, ubi de Gœrtzkii adventu inaudisset, ac ob inopiam annonæ trans flumen diutius subsistere non posset, ejus transitum occupare instituit. Infra Tilsitum oppidum Memela fluvius in duo brachia dividitur, qvorum dextro Russæ, sinistro Gilgæ vocabulum est. Utrumqve, anteqvam Lacui Curonico illabatur, modicam insulam facit, qvæ præfecturam Kukernesam constituit. Hohendorfius tribunus Tilsiti qva hostis semper se perrupturum minatus fuerat, stationem ceperat. Kukernesæ, qvi locus tribus milliaribus inde abest, aliqvot centuriæ armatorum provincialium consistebant, qvi secundum Russam exiguam fossam excavaverant. Huc à Tilsito hostis repente conversus aliqvot machinas trans flumen collocabat, qvod ob inusitatam præteritæ æstatis siccitatem tenui alveo labebatur. Istarum fragore territi provinciales talium insveti relicta statione aufugiebant, anteqvam Hohendorfius auxilio iis venire posset. Unde & huic à Memela fluvio in provinciæ interiora recedendum erat, ne receptus sibi præcluderetur. Ita hostis modico negotio transitum fluminis obtinuit; qvi protinus dimacharum legionem ad Tilsiti arcem expugnandam misit. Eam insidebat centurio cum provincialium manu, qvi imperata deditione per stoliditatem ipse arce prodibat ad deditionis leges concipiendas. Unde is statim captivi loco habitus: præsidiarii hostis sese arbitrio permisere. Eadem legio dein ad Ragnitam arcem accessit paulo munitiorem, duobus centurionibus cum provincialium manu insessam: qvæ machinis admotis mox & ipsa in hostium potestatem concessit. Ita hostis paucos intra dies duobus præfecturis Borussiæ pulcerrimis, & maximis potitus est, qvæ magnam annonæ copiam famelico militi præbuere. Ista omnia fiebant, anteqvam Goertzkius ob longinqvitatem, ac difficultatem viarum Regiummontem attingere posset.

Elector ipse in

§. 4. Elector istis hostium progressibus auditis, protinus ad tutandam suam provinciam eo se conferre constituit. Qvanqvam enim anceps videbatur tam longe à Clivia sese removere, cui & ipsi præsentissimum à Gallis periculum imminebat: tamen Borussiæ succurrere potius videbatur, qvod ut Clivia salva persisteret, omnium vicinorum interesset; cum contra Borussiæ cura neminem tangeret, cui & Polonus ultro inhiabat. Prævalebat qvoqve studium sua servandi incommodam valetudinem, qvæ tunc Electorem exercebant, ingruente simul sævissimo gelu, qvale multis ab annis non fuerat. Tum exercitus totam æstatem, autumnumqve, ac partem hiemis in campo exegerat, cui qvietis jam qvam maxime indigenti iter ea anni tempestate centum amplius milliarium Germanicorum ingrediendum erat. Sed nimirum ni mature subveniretur, tota Borussia periclitabatur; ubi si hostis occupato Regiomonte pedem fixisset, non solum magno labore opus futurum erat ad eum inde iterum expellendum; sed & eidem facile fuerat cum exercitu in Germaniam penetrare, invidis animos inde sumturis ad infesta sua destinata, qvæ dudum agitaverant, exseqvenda. Ea cum sententia staret, decernebatur, ut qvæ in Westphalia erant legiones ibi manerent; tum munita Pomeraniæ, aliarumqve provinciarum loca validis præsidiis firmarentur. Sed è copiis, qvæ in Pomerania rem gesserant, qvicqvid erat eqvitum & dimacharum, tum è singulis pedestribus legionibus sexageni selecti duplo præfectorum numero sub Dœrflingio, Gœtzio, Promnicio Comite, & Schœningio ducibus iter versus Borussiam ingredi jubentur, adjunctis XXXIV machinis, apud fines Pomerelliæ se conjuncturi. Qvi omnes asperrima licet hieme læto animo eam expeditionem suscipiebant; Electore tantisper Berolini morante, qvoad omnes copiæ ad condictum locum pervenissent. Interim Gœrtzkius paucos post dies, qvam Sveci Memelam transierant, Regiummontem pervenerat, ubi plerumqve provincialem militem fugæ intentum reperit. Qvem qvantum dabatur compositum cum iis, qvæ submissæ fuerant, legionibus in hostem ducebat. Cui invadendo cum par non esset, apud Welaviam idoneo loco considebat, tegendo Regiomonti, ac sistendis hostium progressibus, qvoad Elector advenisset. Interim idem continuo emissis catervis hostem exercebat, ut nullam noctem qvietam transigere posset. Ast hic commoditate frigoris viam ubiqve sternentis usus Ragnito Insterburgum verterat, pin-

1679. *Borussiam se confert.*

1679. pingvisſimam provinciæ partem; ſed cujus ubertas ejusdem exitio non parum contulit, dum miles poſt longam inediam cibos, ac præcipue ſuillam, ac mel avidius ingurgitat; unde nimia repletio multos ad mortem deduxerat. Inde Tapiaviam, & Welaviam accesſit, ubi Gœrtzkius conſtiterat; qvi ne ante Electoris adventum ad prælium compelleretur, inde digreſſus prope Regiummontem conſederat. Aſt Elector
30. Dec. Berolino movens comitante conjuge, ac
78. Friderico filio per Cuſtrinum, & Mariævvaldam ſexto die Novum Stetinum attigit, ad Poloniæ fines ſitum oppidum. In-
5. Jan. de Polonicam ditionem ingreſſus Tauchelam, mox ſuperato Viſtula Mariævverderam primum ſuæ ditionis in Boruſſia locum
10. Jan. pervenit, cum eo die duodecim milliaria Germanica, prioribus diebus ſena, ſeptenaqve emenſus eſſet. Mariævverderæ biduum is ſubſtitit, qvo peditatus cum machinis præmitti, tum de ſtatu hoſtis certo cognoſci poſſet. Ubi initio narrabatur, eum Fridlandiam, & Allenburgum usqve proceſsiſſe; ex qvo ſpes concipiebatur, eum, uti jactaverat, firmato pede prælii copiam facturum, id qvod Electorales miro ardore cupiebant. Habebat ſecum Elector qvatuor eqvitum, tria peditum millia additis qvingentis, mille qvingentos dimachas, ſelectum, ac vincere ſvetum militem. Gœrtzkio aderant ultra VII M militum, qvi juſſus erat pedite intra Regiummontem relicto cum eqvitibus, & dimachis per Lacum Dulcem Hollandiam ſe conferre, ubi intra biduum Elector adfuturus erat.

Hornius in pedes ſe conjicit.

§. 5. Enimvero ea ipſa nocte, qva Elector Mariævverdera moturus erat, à Gœrtzkio miſſi nuntiabant, hoſtem intellecto Electoris in Boruſſiam adventu protinus magna cum trepidatione retrocedere cœpiſſe. Unde & Gœrtzkius ſine mora cum IV M eqvitibus & dimachis, ac M peditibus, qvos eqvis impoſuerat, hoſtem inſeqvi, & extremum agmen carpere, iterqve ejus morari inſtituit; cui mille ſexcenti eqvites, M CC dimachæ ſubmittuntur. Elector autem, qvi octodecim adhuc milliaribus ab hoſte aberat, qvo promtius recedentem aſſeqvi poſſet, tota circum regione trahas conqviri jubebat, qveis pedi-
13. Jan. tes veherentur. Tum Mariævverdera
14. Jan. Preuſchmarcam, mox Hollandiam properato agmine pervenit, militibus valde indignantibus, poſt tantum viæ emenſum virtutis exſerendæ occaſionem fuga hoſtium ſibi ſubtrahi. Interim Gœrtzkius hoſtem, qvi Inſterburgum verſus ſe recipiebat, immiſſis ſubinde catervis ita fatigaverat, ut ejus eqvitibus vix unqvam eqvis deſcendere liceret, ac ſingulis noctibus ſignum tumultus dandum foret. Captivi, & transfugæ magno numero adducebantur, qvi uno ore aſſeverabant; hoſtilis exercitus miſeram eſſe conditionem, cui vix VIII M bellatorum ſuperſint; duo amplius milia morbis debilitari. Ab agreſtibus, qvicqvid in eorum manus inciderit, trucidari. Turmam qvoqve Polonorum eo deſerto in Lithuaniam ſeceſſiſſe, animis ægram ob tantas miſerias exhauſtas; cujus ductor Ribbinſcius Regiummontem ſe contulerat, Electoris militiam affectans. 1679.
Ribbinſki.
15. Jan. Elector porro, dum Hollandia Carbam tendit, in itinere intelligit, Guſtavum Carlſonium Comitem ab exercitu Svecico Gedanum ad Lilliehœckium abiturum à noſtris interceptum; apud qvem literæ repertæ, è qvibus de hoſtium deſtinatis intellectum, ac uti hæc irruptio in Boruſſiam cum aliis de compacto inſtituta fuerit. Poſtero die
Carlſon.
Elector Carba Regiummontem ſeptem milliaria per Lacum Dulcem pervenit, omni 16. Jan.
peditatu trahis pervecto. Heic intellectum hoſtem Inſterburgo Tilſitum verſus iter intendere. Igitur Elector denuo qvantum poterat eqvorum, & traharum conqviri juſſit: tum exercitu Labiaviam 17. Jan.
verſus præmiſſo, ipſe ſeqventi die eodem 18. Jan.
pervenit. Heic exploratores nuntiabant, Svecos non procul Tilſito abeſſe, ac jactare, ſe intra id oppidum, ac Ragnitum Electorem firmato pede expectaturos; qvi locus novem milliaribus Labiavia diſtabat. Igitur Elector conſilio habito Gœrtzkium, & Treffenfeldiū, cum valida utrumqve manu emiſit, hoſtis agmen moraturos: illi qvatermille trecenti eqvites, dimachæq;, huic mille attributi. Ipſe cum peditatu, machinisqve, ac reliqvo eqvitatu tria milliaria per Lacum Curonicum incedit. Iſte lacus in latitudinem alicubi ſex milliaria, in longitudinem qvindecim patet, à mari jugo tantum montium diſcretus, qvi nunc exercitum cum machinis glacie transmittebat. Sub veſperam Elector Gilgam pervenit, vicum ad cognominem fluvium, qva is lacui Curonico infunditur. Eadem die Sveci qvo- 19. Jan.
qve Tilſium pervenerant, qvo oppido ſatis diffuſo peditatus hoſpitia ceperat, eqvitatu per vicinos vicos diſtributo. Qvo intellecto Elector ſummo mane per intenſiſſimum frigus Kukerneſam, qvæ tribus mil- 20. Jan.
liaribus Tilſito diſtat, accesſit. Ubi dum-feſſi eqvi pabulo, rigentes gelu homines igne refocillantur, à Treffenfeldio veni-

1679. unt, qvi nuntiarent, eum sex dimacharum cohortes in vico Splittera dimidio à Tilsito milliari, tum legionem, qvæ his auxilio accurrebat, profligasse, plerisqve cæsis, reliqvis captis; qvo conflictu & idem octo signis dimacharum, duobus eqvitum cum duobus tympanis æneis, ac omnibus impedimentis potitus sit, ac nulla jactura in tutum se receperit. Ei facto remunerando Elector Treffenfeldium summum vigiliarum præfectum declarabat, ac protinus cum M eqvitibus iterum hostibus immittebat. Ea clades magnam apud Svecos consternationem effecit, ut multi pretiosas suas res sacerdotibus, & aliis Tilsiti incolis asservandas commendarent. Qvi & statim obortis tenebris Tilsito movebant, omni annona ibi relicta, ac totam per noctem superato Memela Coadjutam versus tendebant. Electori mature de hostium motu nuntiabatur. Sed qvia nesciebat, utram in partem isti se vertissent, & ipse aliqvandiu hærebat, qvam viam ingredi deberet, ut eosdem, qvi jam qvinqve milliarium iter præceperant, fatigato cum eqvitatu assequeretur. Nam duæ in Livoniam viæ iis patebant; una brevissima, & commodissima juxta Memelam oppidum in Curlandiam, qva Samogitia exiguo duntaxat tractu tangitur: altera per mediam Samogitiam, & Lithuaniam longo circuitu, ac ob multas angustias, montes, ac sylvas valde difficilis. Qvia igitur verosimile erat, hosti rectissimam, & commodissimam viam arripiendam, ubi & annonæ facultas, nec tantum a Samogitis periculum, qvi transitum ipsorum ingratiis sumtum vix toleraturi erant; Elector isthac parte eos prævertere instituit. Unde postqvam denuo Gœrtzkio injunxisset, ut cum sua manu hostium agmen carperet, ipse Kukernesa ante lucem digressus Heidecrugam tendit, qva hosti, si recta via placeret, prætereundum erat. Ac constat Hornio decretum fuisse istam viam ingredi, qvi & eo die Tilsito recta versus Electorem tendebat, ac non nisi unum milliare ab hujus agmine abfuerat. Sed qvia Goertzkius extremum agmen irruperat, de Electoris instituto innotuerat, iste id consilium mutaverat. Dum enim hostis Tilsito Coadjutam tendit, Goertzkius extremum ejus agmen irrumpebat, qva ipse Hornius curabat, idqve post acrem conflictum profligabat, cæsis mille ducentis, captis ducentis, inter qvos aliqvot præfecti erant; tum plerisqve impedimentis, ac instrumento bellico potiebatur. Hornium eqvus globo trajectus in terram effudit, cui à nostris haut aguito proxima arbusta latibulum præbuere. Reliqvus exercitus apud vicum qvendam consistebat, ac concæde facta machinis nostros arcebat; qveis cum vicissim nil machimarum esset, nec hostem opportuno loco invadendi facultas daretur, illæsis magna cum præda ad Electorem reverti placuit. Omnes captivi fatebantur, Svecicum exercitum in miserrimo esse statu, ac vix tria millia bellatorum restare, qvi pugnam capessere qveant; reliqvos omnes morbis debilitari eousqve acribus, ut multi ex eqvis moribundi in terram defluant. Eodem die Treffenfeldius Tilsitum versus excurrens præfectum turmæ cum centum gregariis intercepit. Sed & alii subinde captivi attrahebantur, inter qvos Hornii scriba secretorum conscius. Hornius igitur iterata clade perculsus, & intellecto Electorem apud Heidecrugam ipsum præstolari, nulla qviete interposita iter mutabat, ac versus dextram ab Electore in Samogitiæ interiora digrediebatur, qvinqve milliarium itinere per eam noctem præcepto. Accelerando receptui qvod reliqvum erat impedimentorum, ac minores machinæ tralis imponebantur, combustis vehiculis.

21. Jan.

Hornius capitat.

1679.

§. 6. Spes fuerat Hornio, se aversso itinere periculum ab armis Electoris imminens effugisse, sed qvo in non levius incommodum præcipitabat. Nam nunc qvadraginta amplius milliaria per Samogitiam, Lithuaniam, & Curlandiam erant facienda, anteqvam in Livoniam perveniret. In itinere nil annonæ, nec amici qvid ab iis expectandum, qvorum terras venia haut impetrata transibat. Elector, ubi de mutato hostium itinere cognovisset, multa adhuc nocte Heidecruga movens tota ea die ad mediam usqve noctem in Samogitiam progrediebatur, sed ob viarum angustias vix tria milliaria absolvere poterat. Apud vicum qvendam Samogitiæ consistenti intellectum fuit, hostem fugæ simile iter festinare, nullibi fere qviete capta. Heic ipse considerabat, eqvites suos, eqvosqve centum fere milliarium itinere continuato penitus defatigatos, nec trahas cum peditatu amplius procedere posse. Tum exercitum intensissimo frigore, qvale vix aliqvi meminerant, sub dio pernoctasse, qvo aliqvi extincti, plures pedibus adusti fuerant. Nec in Samogitia annonæ, aut pabuli copiam, nec ob intercapedinem locorum è Borussia qvid subveli posse. Ac jam voto suo potitus erat hostibus ditione sua exturbatis. Igitur constituit cum exercitu non ulterius seqvi, ne in eandem cum

Elector perculsis hostibus instat.

21. Jan.

hoste

1679. hoſte calamitatem rueret, ac iſto intra Borusſiæ fines retracto, emiſſis catervis eidem in Livoniam uſqve inſtare. Ita Elector 13. Jan. Kukernesam revertit, exercitu interim per Memelenſem, ac Tilſenſem diſtrictum diſpoſito. Aſt Treffenfeldius cum mille eqvitibus ad perſeqvendum hoſtem emiſſus prope Woinutum iterum extremo ejus agmini ingruebat, non modica cæde facta, uno ſigno erepto. Qvi, cum eqvi præ laſſitudine progredi amplius non poſſent regreſſus narrabat, hoſtem tam incommodo loco ſtare, ut vix qvo ſe vertere debeat norit. Unde ab Electore Schœningius 14. Jan. cum M eqvitibus, D imachis ad eundem perſeqvendum miſſus. Qvi tamen, qvod miles diſperſus per vicos tenderet, non 15. Jan. niſi ſeqventi die iter ingredi potuit, ſic ut Sveci non parum viæ præriperent. Congregatis tamen Coadjutæ copiis ea adhuc Zwingi. die Zvvingam pervenit, ubi tres machinas majoris formæ, & mortarium ab hoſtibus relictas invenit; qvibus ſtationem dimacharum adpoſuit; qvas & mox Elector mo- 16. Jan. nitus ad ſe advehi curavit. Inde tria milliaria Balſcham progreſſus eſt Schœningius, Balſch. ubi duæ Huſarorum turmæ conſiſtentes initio paulo ferocius ſe jactabant, ſed mox ſumto amico vultu confirmabant, Lithuanicas copias ad arma vocatas obſervando Svecorum itineri. Ibi cum intellexiſſet, Twargen. Svecos jam Tvvargam tranſiſſe, ipſe multa adhuc nocte eo tendit ita intenſo frigore, ut homines vix in eqvis hærere poſſent. Cæterum ea via miſerandum ſpectaculum occurrebat; qva Sveci inceſſerant plurima cadavera, aut ægroti ab agreſtibus Samogitis veſtibus ſpoliati, ſic ut indice opus non eſſet ad iter inveſtigandum, ac ſingulis diebus ad trecentos numerarentur. Nam & morbi, qvos iſti Borusſiæ intulerant, graſſari non ceſſabant; & qvi per aliqvot dies panem non habuerant, nec tectum ſubierant, fami demum, ac frigori ſuccumbebant. Tvvargæ cognitum, hoſtem adventu noſtrorum audito raptim noctu diuqve iter feſtinare; eoqve fine qvicqvid poſſit eqvis imponere vehiculis combuſtis. Qva trepidatione duas machinas minoris formæ, ac triginta currus paratu bellico onuſtos Tvvargæ apud Podcomorzium reli- Podcomorzi, qverat. Huic ut ab hoſte relicta ſibi concederet Schœningius perſvadere conabatur; ſed qvi varia cauſatus, etſi ſat modeſte, id declinabat; dimachis tamen qvantum vellent globorum, pulveris, ac funium concedebat. Pacius poſt ſuis imperabat, ut iſta à noſtris avehi diſſimularent. Sed tunc Schœningius, ne diſputando tempus tereret, & qvia eqvi in promtu non erant curribus abſtrahendis, iſtos haut moratus eo adhuc die duo milliaria Surenam uſqve procedebat, qvam propter multas viæ anguſtias media demum nocte attingebat. Heic præmiſſi exploratores retulere, hoſtem jam ultra Telſam proceſſiſſe, ac nulla qviete interpoſita noctes diesqve iter perſeqvi. Cum itaqve & noſtrorum eqvi plane eſſent fatigati, & vero Schœningius non immerito vereretur, ne hoſtis, qvi paſſim ægrotos, & impedimenta relinqvebat, elaberetur, Devvicium ſubtribunum Devitz. cum trecentis, qveis validiſſimi eqvi, præmittebat, juſſum tamdiu progredi, qvoad hoſtem aſſecutus eſſet, ac tunc de eo ſibi protinus ſignificare, nil tamen, niſi neceſſitas adferatur, ſine novis mandatis tentare. Ita Devvicius noctu cum caterva ſua præce- 18. Jan. debat, Schœningio cum reliqvis qvantum poterat inſeqvente. Qvi cum dimidium milliare ultra Telſam progreſſus eſſet, obvium à Devvicio nuntium habuit, ſe prope hoſtem conſiſtere, ac qvid ulterius agendum ſit mandatum expectare. Eum Schœningius monebat, cum hoſte manum conſerere caveret, qvoad ipſe ad eum perveniſſet. Is ſuos inde gradum accelerare juſſit, ac dum hi anguſtias viæ filatim transeunt, ad præmiſſam catervam ſe confert, qvam pugnæ cupidine ad trecentos paſſus ab hoſte progreſſam invenit periculoſo auſo, cum, ſi hoſtis in eam vertiſſet, à reliqvis ſubveniri eidem non potuiſſet. Conſultum tamen videbatur loco non moveri, nec ullum indicium receptus edere, ne hoſtis ad impreſſionem faciendam anſam arriperet, aut noſtri animis minuerentur. Ita dum ea caterva immota conſiſtit, reliqvi gradum accelerare jubentur, ac ſecundum ſylvam à ſiniſtris loco depreſſo incedere, ne hoſti de eorum numero judicare liceret. Non procul à noſtris octodecim Lithuanorum turmæ conſiſtebant, qvi Svecos à ſe è latere invadendos pollicebantur; ſed qvi commiſſo conflictu è colle otioſi alienam pugnam ſpectabant. Hoſtis interim ad noſtrorum uſqve adventum in monte, loco ſibi commodo conſiſtebat, ſed qvi, ubi iſtos propinqvare animadverteret, paulum retrocedebat. Schœningius inde cum paucis in montem provectus ſtatui Svecorum recognoſcendo, obſervabat, iſtos coarctatis ordinibus verſus vicinum vicum retrocedere, præter turmas nonnullas trecentorum capitum. Ex qvo judicabat, iſtis hautqvidqvam in animo eſſe ipſum laceſſere, ni ultro invadantur. Heic anceps admodum videbatur hoſtiles copias tria bellatorum

1679. milkia amplius explentes, qvibus plurimi præfecti, tum pedites, & machinæ erant, cum duodecim centuriis eqvitum & dimacharum invadere, qvod multi ob fatigatos eqvos subsistiterant, aut alibi perstationes dispositi erant. Contra ni hostis nunc impeteretur, labor tam aspero itinere exhaustus frustra erat, contracta simul apud hostes, atqve amicos timoris opinione. Ac ob inopiam pabuli, annonæqve eandem viam relegere difficillimum futurum erat. Igitur ne decus Brandenburgicæ militiæ imminueret, hoste citra pugnam deserto, manus utiqve conserere statuit. Ita pro captu angustioris loci turmæ duplicato ordine disponuntur; dimachæ in arbustis, ad utrumqve montis latus procurrentibus, dimissis eqvis eqvis disponuntur: medio spatio primæ turmæ extremum hostium agmen invasuræ erant, ut qvid hi tuscepturi essent, perspiceretur. Inde circa horam qvartam pomeridianam Devvicius cum primis turmis in extremas hostium eo successu impetum dedit, ut earum nonnullas prorueret. Unde Schœningius reliqvas qvoqve turmas procurrere, ac dimachas è sylva hostium latera longioribus tubis impetere jussit. Ab utrisqve res strenue gesta, ut hosti semper cessim eundum foret, clade præcipue in præfectos incumbente, qvorum deni fere ante singulas alas constiterant. Primus hic conflictus per horam amplius commissus fuit, meliore nostrorum successu, qvi & longius inter pugnandum pedem intulerant. Inde per dimidiam horam velut mutuo consensu consistitur viribus recolligendis. Eo spatio nostris per minores hostium machinas nonnihil damni illatum; cum contra nostri dimachæ hostiles eqvites ita infestarent, ut phalangem peditum in auxilium sibi evocarent, qvam propius subeuntem tanto globorum grandine nostri exceperunt, ut pedem ulterius inferre non auderet. Hostis inde in turmas eqvitum, qvæ apud dimachas in arbustis consistebant, sese incitabat, ut illis pulsis hos interciperet. Unde denuo pugna incalescebat per dimidiam horam continuata, qva & eqvites nostri, ac dimachæ locum suum egregie tutabantur. Cum itaqve post duarum horarum pugnam tenebræ ingruerent, ac hostis densatis ordinibus consisteret, Schœningius dimachas iterum eqvos conscendere jussit, ac cum his eqvitibus denuo in hostes summa vi impetum dedit. Sed tenebris prospectum adimentibus pugnæ finis imponendus erat; ac nostri juxta hostesqve servatis ordinibus loco pugnæ decedebant.

Nostrorum cum Svecis conflictus.

Ac nostri qvidem ea nocte apud propinqvum vicum subsistebant. Sed Sveci sylvam ingressi totam noctem iter persequebantur, multis mortuis ac sauciis relictis. Conflictus iste asperior qvam pro modico copiarum numero fuit. Nam hostis velut desperatione incitatus pugnabat, qvi & numero, loco, machinis, ac peditatu nostris prævalebat; qvæ nostrorum virtute, ac ducis dexteritate pensabantur. Toto conflictu utrinqve de captivis faciendis cogitatum non fuit, nisi qvod nostri Anrepium tribunum capite saucium, & ab eqvo suo tractum, cum vicario turmæ, & signifero ceperunt. E nostris subtribunus Dalchovius cecidit, prætectus vigilum Reckius seqventi die è vulneribus decessit. Præterea viginti sex gregarii cæsi, triginta amplius sauciati. Apud hostes flos ipse præfectorum cæsus, aut sauciatus fuit. Seqventi die consilio habito omnibus placuit, ob defatigatos eqvos, & pabuli inopiam hosti non ulterius instandum; qva die & militi qvies indulta. Sed qvia exploratores referebant, hostem qvoqve eandem diem ad qvietem sibi sumsisse, Schœningius mutato consilio denuo hostem persequi instituit, in Curlandiæ vicum Lipcalim progressus, ubi complures hostium vulneribus debiles comprehensi. Postero die Essernam pervenit, unde emissæ cateruæ Svecis Bucsenam usqve octo à Riga milliaribus insistebant. Sed cum istos amplius assequi non daretur, nostri verso ad mare itinere Memelam reverterunt. E Svecico exercitu qvi in Livoniam redibant, vix duo millia qvingentos faciebant, qvos inter vix mille integra valetudine; ac reversorum magnam partem morbi post absumebant, omnibus præfectis pravam Henrici Hornii administrationem increpantibus. Iste tam miserabilis exercitus Svecici reditus tota Livonia, ac inprimis Rigæ magnam consternationem dedit, velut Electoris exercitu subsecuturo, ac Riga idem cum Stralsunda fatum subitura, præsertim cum ibi angustæ plateæ, ac domus cannabi, & lino repletæ sint. Unde & per aliqvot dies portæ clausæ tenebantur, ac suburbia jam dirui cœperant, provincialibus magno numero ad urbem ruentibus; ubi ad vallum aqva perfundendum, ac perrumpendam Dunæ fluminis glaciem ne fœminarum qvidem operæ parcebatur.

1679. *Anrep.* *D. Ichen. Reck.* *19. Jan.* *31. Jan.* *1. Febr.*

§. 7. Ejus victoriæ præcipuus fructus fuit Borussiam servasse, & agitatas ab hostibus in Polonia machinationes elisisse, qvæ, si res secius cecidisset, ingenti istius provinciæ malo eruptura fuerant. Qvas tamen ipse

Post eam victoriam machinationes in Polonia abortivæ.

1679 ipſe Rex magno ſtudio diſſimulabat, ex eventu conſilia capturus. Unde cum Elector per Hoverbeqvium auxilia contra Svecos è pactis expoſceret, is affatim blandorum verborum reponebat; ſed de auxiliis ad Ordines rejiciebat. Addebantur qverimoniæ, uti ipſe hacteng injuſta ſuſpicione fœderis cum Sveco initi laborarit, qvod nunc ipſa res refutet. Cui Hoverbeqvius reponebat; id non ab Electore vulgatum, ſed Gallos, & Svecos palam de eodem Neomagi jactaſſe. Ac ſane iſtum interceptæ literæ ſatis arguebant. Et captus à noſtris ſcriba fœdus inter Svecum, & Polonum à ſe lectum fatebatur eo argumento; à Polono ſex militum millia Sveco in auxilium mittenda ea lege, ut Sveci omnia loca per Boruſſiam occupanda Polono tradant, excepta Memela, qvam iſti ad finem uſqve belli retenturi ſint. Ac iis copiis auxiliaribus Svecos qvoqve uti poſſe, ſi ulterius in Germaniam progrediantur. Et qvam abſurdum erat de oblata ſibi à Svecis Boruſſia apud Ordines propoſuiſſe; cum talia ne audiri qvidem debuerint, nedum ut conſultatio ſit inſtituenda, utrum acceptanda ſint, an minus? Et qvid Polonus dicturus fuerat, ſi Elector partem Poloniæ alteri cuipiam obtuliſſet? Meliore prætexto Hoverbeqvius Polonis pro expetito auxilio Livoniam oſtentabat, exemplo liberalitatis circa aliena à Svecis cœpto. Cæterum eludendo Electoris petito movebatur de conventu ſuper qverimoniis, & actionibus hinc inde prius habendo, per qvem Polono ſpes erat, ſe Electori cum neceſſitate conflictanti, qvæ hic in Poloniam prætendebat, extorſurum. Nec dubitabat palam jactare: nemini vitio dari opportunitatem temporum in uſus ſuos convertiſſe. Idem qvoqve de Svecorum in Boruſſiam irruptione apud Ordines propoſuerat, ſed admodum ambigue, ac ut facile pateret, id in ſpeciem fieri. Nam qvæſierat, in qvam partem id accipiendum ſit; cum iſtud anqviri debuerit, qvibg remediis huic auſo occurrendum ſit. Nec vero deerant, ex Ordinibus Gallico auro mancipati, qvi oblata à Svecis acceptanda differebant. Sed boni cives non minus fervide in Svecos invehebantur, qvam ipſe Hoverbeqvius, eminente præcipue Majorum Polonorum ſtudio, velut in qvos belli calamitas qvam maxime incubitura erat, ſi in hoſtilia erumperetur. Qvi & poſt expulſum Hornium rogabant, ne Elector exercitum è Boruſſia abducere feſtinaret, antèqvam de Comitiorum eventu conſtaret. Rex autem, poſtqvam Hornium profligatum conſtabat, copias à Bethunio conductas, cum nullus jam earum uſus eſſet, diſſimulandis iſtis deſtinatis ſuo ſacramento adigebat. 1679

§. 8. Cæterum ne qvam qverendi anſam interancipitia iſta Polonis præberet Elector, à Pacio tranſitum per Samogitiam in Svecos, ſimul annonam petebat. Ad ea qvid reſponderet Pacius dubitabat, qvo ſuſpicionem ſtudii in partes declinaret. Unde ita ſcribere placebat: uti Svecis tranſitum negaverit, ita nec Electori eundem annuere poſſe. Hoverbeqvius tamen Electori confirmaret, ea in ſpeciem ſcribi, nec eſſe, qvod eorum ratio habeatur. Aſt Hoverbeqvio hautqvidqvam arridebat, ab eo, qvem boni cives maxime reſpiciant, Electoris jus etiam in ſpeciem in dubium vocari. Eqvidem excipiebat Pacius; jus tranſitus Electori competens ad Regiam duntaxat Boruſſiam, ac Majorem Poloniam reſtringi, qvod articulo XV Brombergenſium pactorum Poloniæ tantum, & Boruſſiæ mentio fiat. Sed reponebatur; vocabulum Poloniæ ad totam Rempublicam, omnesqve ad Poloniam, & Lithuaniam pertinentes provincias porrigi. Nec rationem adduci poſſe, qvare tranſitus magis per unam qvam alteram provinciam prohiberi debeat; præſertim cum eodem articulo de omnibus, & ſingulis utriusqve partis portubus nullo diſcrimine aut exceptione diſponatur. Qvod & ipſum circa annonam, paratumqve bellicum, ac liberam militum conductionem convenerit, qvæ liberum tranſitum conjunctum habent. Præterea omnium gentium jure licitum eſſe aggreſſorem in ſuas ditiones perſeqvi. Nec id inſuper habendum, qvod Elector non inſtituat hoſti qvid eripere aut vaſtare, in qvod Reip. ullum jus, aut ſpes ſucceſſionis competat, uti Sveci fecerint; ſed ex qvo ipſe eximium emolumentum Reip. conciliaturus ſit, ſiqvidem debita ex pacto auxilia eidem præſtentur. Ita demum cum Pacio convenit; qvia Elector jus tranſitus è pactis ſibi vindicare poſſit, Pacius tantum de annona reſponderet, addito, ſpem eſſe Electorem uti pacta jubeant acturum. Alias Pacius verbo promittebat, ſe non ſolum Electoris copiis tranſitum non negaturum; ſed & Tartaris Lithuanicis injuncturum, ut Svecorum agmen carpant, & qvantum poſſint noxæ iisdem inferant. Sed & ſummus Polonicæ militiæ Dux Wieſnovicius Hoverbeqvio declarabat; à fauſtis Electoris ſucceſſibus non ſolum felicem horum Comitiorum concluſionem, ſed & Reip. ſalutem pendere. Elector tamen, etſi ſuo jure hoſtem toto cum exercitu per Polonicas terras perſeqvi poſſet; tamen non amplius qvam unius diei iter in Samogitiam progreſſus eſt; & qvæ fugientium ter-

Elector rixa anſam cum Polonis declinat. 30. Jan.

1679. go immittebatur manus, omnia qvæ præbebantur parata pecunia, etiam fœnum & ligna redimebat, sparso qvoqve, se ideo hostem seqvi, ne is in receptu Polonicæ ditioni noxæ qvid inferret. Sed & qvia Poloni relictas à Svecis in Samogitia machinas Electori concedere initio dubitaverant, Hoverbeqvius Pacio demonstrare jubebatur: eas machinas ideo tantum relictas, qvod ob inseqventes nostros Sveci easdem avehere non potuerint. Nec ad rem facere, qvod eædem in solo Polonico substiterint; cum Electori non tantum ex jure gentium, sed & per pacta cum Rep. hostem ubiqve perseqvi, eiqve noxam inferre licitum sit. Ut tamen testetur, qvanti ipsius amicitiam æstimet, vel summam pecuniæ vel alias machinas Electoralia insignia præferentes in memoriam datum iri, optione penes ipsum relicta. Ac ni Elector eas machinas abducere properet, sine dubio Regem sibi easdem vindicaturum, aut Svecis concessurum, Pacio prædæ experte. Qvi & circa istas libenter se dissimulaturum ostendebat. Porro vulgata Electoris victoria jam ultro in Hornium invehebantur, qvasi nemini commercii qvidqvam cum eo fuisset. Ipse Rex ferebat; eam expeditionem id tantum spectasse, ut Elector ab obsidio Stralsundæ diverteretur, qva amissa ista qvoqve supersederi debuisse. Sed revera aula istis progressibus Electoris admodum turbata, nec minus exacerbata erat. Sed qvia ultionem in Electorem expromere haut dabatur, in Pacium conversa acriter contendebat, ut is copias suas protinus exautoraret, qvo malevoli cum exarmato pro libidine agere possent. Sed eum vicissim Cæsar, & Elector clam pecunia sublevabant. Is judicabat, si Elector recta Livoniam invadat, circa Rigam parum difficultatis fore; ac se isti omnem operam navaturum. Qvod ut fieret omnes boni optabant; cui & vitio verti non possit, si transitum per ditiones Polonicas sumat, qvi hosti contra pacta indultus sit. Ac deleto Svecico exercitu libertatem suam adversus aulæ machinationes in tuto collocari. Nam multi tunc in Polonia eo rem rediisse fremebant, ut in ipsos caderet, qvod Poloni de Moscorum regimine cavillari solebant: *Consultate, & sententiam dicite, Bajari; Czar jam decrevit, qvod vult.* Inter ista Hoverbeqvius semel atqve iterum à Rege privatim audiri petierat; sed Rex obtentu negotiorum comitialium id declinabat. Unde is postea universos apud Ordines qvæ jussus erat proponebat, de auxiliis ex fœdere præstandis, de negando hostibus transitu, simul Livoniam Reip. offerebat. Sed statim atqve is perorasset, de compacto tres à Lilliehœckio missæ epistolæ prælegebantur, qvarum una denuo Polonis Borussiam Electoralem promittebat non sine omnium irrisu; cum eam paucos ante dies Sveci tam turpi fuga deseruissent, & qvod tam enervi ratione Remp. cum Electore committere vellet. Altera epistola idem Regis Sveciæ nomine machinas, & paratum bellicum in Samogitia relictum Polonis donabat; cum omnibus constaret, eum interea temporis à Rege nil mandatorum accipere potuisse. Adducebat rationem; uti merces naufragorum, & fractæ naves in litus expulsæ domino litoris cedant; ita & machinas, & paratum bellicum merito ad istum spectare, in cujus solo eadem relicta sint. Sed Hoverbeqvius regerebat: ingens discrimen esse inter ea, qvæ tempestate in litus expellantur, & qvæ fugiens hostis ex necessitate relinqvat. Omnium gentium jure licere perseqvi hostem; uti & feras in meo vulneratas ex alieno solo auferre mihi integrum sit. Ac frustra discrimen fingi inter id, qvod hosti in ipso conflictu ereptum sit, & id, qvod qvis ultro etiam inscio hoste velut in deposito reliqverit. Nam & isthoc ridicule ad præsentem casum adplicari. Qvanqvam & tertia epistola Lilliehœckius negaret Hornii recessum fugæ vocabulo notandum; cum is Regis jussu sit susceptus. Contra Hoverbeqvius demonstrabat, fugam illam summo cum terrore ac dedecore decretam fuisse, non solum, qvod Hornius non auderet Electori frontem obvertere, sed & qvia Regis mandata diversum injungebant. Sed & irridebat Lilliehœckium Hoverbeqvius, qvod iste scripsisset; Electorem jura viciniæ violasse, qvod hostem absqve permissu Regis, & Reip. Polonicæ per Samogitiam persecutus esset; cum tamen Sveci non dubitassent citra veniam per Samogitiam in ejus terras irrumpere, qvi Reip. æterno amicitiæ, ac fœderis vinculo innexus sit. Cæterum Resp. neqve Svecorum oblatum de Borussia, nec Electoris de Livonia acceptabat. Ut prætextum foret auxilia declinandi, veteres qverimoniæ totiens refutatæ recoqvebantur. Rex magnam vim verborum, reponebat, re inanium; à qvo uti palam nil infesti metuendum videbatur delecto Svecico exercitu: ita si extracto bello Svecorum vires resurgerent, cautum non erat, qvo minus saltem connivendo iste Electoris hostibus velificaturus foret.

§. 9. Sub finem superioris anni Elector Hermannum Dietericum Hessum in Mo- *Ad Moscum missio.*

1679. Moscoviam miserat, nuntiaturum, Svecos tota Pomerania ejectos; num forte eam nationem ad invadendam Livoniam impellere posset. Quo fine & paulo post de Svecico exercitu è Borussia exturbato significabat. Is reperit Svecos terribilia se successibus suis in Borussia, ac inter alia de expugnata Pillavia sparsisse. Sed à Moscis qvidem nil infesti contra Svecos expectandum erat, qveis bellum adversus Turcas sat negotii dabat. Venit post mense Augusto à Mosco legatus, qvi in Dania qvoqve fuerat, à Czare Theodoro Alexii filio missus; sed qvi præter amica verba nihil adferebat.

Elector de legatione Cæsari Neomagensi queritur.

§. 10. Enimvero majorem Borussica victoria fructum Electori, ac communi causæ parere apta erat, ni Cæsar interim, ac Luneburgici separatam pacem nulla necessitate præcipitassent. Eam ut Elector impediret, per Crocovium Viennæ omnem lapidem movebat; cui & intolerandum videbatur, per formulam pacis à Cæsareis legatis Neomagi exhibitam grave præjudicium Imperio, ac fœderatis Borealibus illatum. Istos qvippe nullis ab Imperio mandatis, eoqve inconsulto super ejusdem negotiis transigere ausos; ac articulo III, ac VII Gallici projecti jura fœderum obliqva ratione Ordinibus detractum iviſſe. Articulum qvoqve VII, qvi in Svecica formula sextus est, ad verbum expressum è secreto fœdere, qvod Gremonvillius anno 1671. Viennæ fabricatus fuerat. Id caput tunc tanti momenti fuisse visum, ut Cæsar vice versa velut reciprocum promiserit, se sociis triplicis fœderis contra Gallum auxilia non laturum. Super qvo autem tunc per secreta pacta conventum, id nunc publice per pacem stabilitum iri, cui & consensus, atqve evictio universorum Ordinum accessura sit. Altius qvoqve penetrare videbatur, qvod de abducendis Gallicis, sed non de Cæsareis copiis mentio fieret, sine dubio qvod hæ Ordinibus qvantum placeret incumbere vellent. Nec sine mysterio erat, qvod Cæsar Philipsburgum optasset, qvod utiqve haut inserviebat tegendis ejusdem hæreditariis provinciis, ac obalendum præsidium oneri erat. Per articulum VI formulæ pacis Cæsareis licebat qvævis destinata in Imperio pervincere. Nam eo modo Cæsar omnes sententias à Judicio Aulico pronuntiatas citra impedimentum exsecutioni dare poterat. Adversus istas igitur formulas Crocovius non sine asperis exprobrationibus demonstrabat; Electoris rationes per eas gravissime læsas: acuti leges Imperii, decreta Ordinum, fœdera, istius merita, utilitas, dignitas, & securitas Germaniæ diversa omnia reqvirant, & qvantum noxæ inde oriturum sit, si in has leges pax ineatur. Sed isti reponebant: Necessitate se ad tractatus compelli. Borealeſ fœderatos à se haut destituendos. Si pax utiqve perficiatur, eam conditionem addendam, ut & Boreales fœderati cum Svecis transigant. Id ut fiat, an minus penes istos esse; ac si inter eosdem pax non coëat, pacem qvoqve cum Cæsare subsistere non posse. Interim Boreales fœderatos in possessione bello partorum manere, ac eorum securitati per inducias caveri. Ac Cæsari ostendendum fuisse, à se pacem non repudiari. Ast si fœderatis adhuc placeat rem serio agere, id qvod conventu Francofurtensi adpariturum sit, Cæsarem firmiter in partibus mansurum. Is conventus in mensem Februarium indictus erat, instituendæ inter omnes fœderatos consultationi super belli, ac pacis negotiis. Etsi de ejus successu Hocherus jejune ominabatur, ac omnia ibi proponenda bello continuando haut suffectura. Sicuti & semper exceptio summæ necessitatis addebatur. Omen qvoqve secuturæ cum Gallis pacis habebatur, qvod transactio cum seditiosis Hungaris hæreret. Qvanqvam enim Cæsarei causarentur, ab Hungaris serio rem non agi, qvi plane à Galli nutu pendeant, cui arcte nimium innexi sint; præsumendum tamen non erat, Cæsarem adversus utrosqve bellum simul gesturum. Unde sicuti antea indicium fuerat belli à Cæsare in Gallum continuandi, qvod cum Hungaris tractatio susciperetur; ita hac abrupta ob emolumenta sacerdotum, & qvia Hungarorum libertatem premere placebat, signum erat, Cæsarem de pace cum Gallis ineunda, ac Hungaris in ordinem redigendis meditari, præsertim si articulus de non sublevandis utriusqve rebellibus subsistat. Nec bellum Turcicum, qvod inde secuturum prævidebatur, metuebatur, qvod spes esset, omnes Principes, qveis copiæ in promtu forent, eas ad id bellum libenter præbituros.

Cum Cæsareis ministris Viennæ disceptata. 1. Jan.

§. 11. Contra Cæsarei monebant, è re fore, ut Elector mentem suam super conditionibus pacis pressius exponat. Nunqvam usu veniſſe, ut victor omnia retineat, sed pacem fieri aliqvo dato, aliqvo retento. Qvamdiu Elector omnia retinere, Sveci omnia recuperare velint, nullam pacis spem esse. Sed jam propius ad rem accedendum. Semper tamen testabantur, in votis sibi esse, ut Elector parta servet, & Sveci Germania exsint, si fieri qveat. Aliqvando

1679. tamen invidiam erga gliscentem Electoris potentiam dissimulare non poterant, ut Hocherus incalescente cum Dano disceptatione in hæc verba erumperet: *Cæsarem non teneri ad bellum continuandum augendis aliorum opibus.* Idem Hocherus habito con- 5. Jan. gressu proponebat: Si fœdera intra, & extra Germaniam rite expleta fuissent, res in isthanc confusionem haut fuisse prolapsuras. Enimvero Belgas, qvorum gratia in bellum descensum sit, inauspicatum separationis initium fecisse, subsidia abnuisse; qvin pactos, se fœderatis suis nil auxilii laturos, ut tamen Gallo facultas foret socio suo pro lubitu adsistendi. Hispanis qvantumvis invitis Belgarum impulsu hoc exemplum fuisse imitandum. Qvid Monasterienſis animo agitet non constare, nisi qvod hospitia desideret; sed famam esse, eum positis armis Wilzhusa contentum fore. Nec de Luneburgicorum constantia Cæsari cautum esse. Osnabrugensem parum posse, à qvo si qvid opis expetatur, eum pecunia sublevandum. Cellensem, & Gvelferbytanum nil nisi de hospitiis ingerere; & auxilium qvidem polliceri, sed legibus, qvæ præstari neqveant. Nec tamen eorum vires ad summam rerum valere. Electorem plurimum ad rem conferre potuisse, præsertim post Svecos Germania pulsos, ni eum irruptio in Borussiam distraxisset. Ejus vicem Cæsarem qvam maxime dolere, qvi & improbare neqveat, qvod idem ad sua tutanda eo verterit. Interim Inferiorem Rhenum defensione nudatum. Copias, qvas Elector ibi habeat, Clivicorum locorum præsidiis haut sufficere. Ita Gallum fœderatis longe prævalere, qvi cum L M ad Inferiorem Rhenum rem possit gerere, accedente milite urbibus Hispanicis deducto; simul sat copiarum habeat, qvas Cæsareis ad Superiorem Rhenum opponat. Consultationes fœderatorum lente procedere, nulla ad extremum exsecutione, qveis Cæsar per triennium frustra hortatibus stimulos addiderit. Si tandem in hostes moveant, annonam deesse. Cæsarem satis habere proprias copias aluisse. Ordines nec posse nec velle aliqvid conferre. Cæsarem cupere Francofurti conventum fœderatorum haberi; sed qvi tarde successurus sit, & anteqvam ibi super necessariis transactum fuerit, magnam Germaniæ partem periisse. Qvin cum fœderati non nisi de privato commodo cogitent neglecto publico, incertum esse, num qvid ibi concordibus sententiis concludendum sit. Qvis igitur Cæsarem arguat, si hac rerum facie averendo exitio pacem cogitet; cum nil ostendatur, unde ipsius aut fœderatorum exercitus alatur; cum omnes Electores, excepto Brandenburgico, ita enixe pacem urgeant, fœderatis insuper discordibus, Monasterienſi vacillante, Brunsvicensibus animi sensa prementibus, gliscente periculo, remediis decrescentibus. Eam ob causam Cæsarem tractatus pacis persecutum, facultate tamen fœderatis reservata eosdem simul subeundi. Et qvia Cæsar facile judicare possit, fœderatos armis parta gratis restituere nolle, de induciis proposuisse, ut perspiciat, num interim per tractatus satisfactionis qvid pro Borealibus fœderatis obtineri qveat. Optandum esse Svecos Germania eliminari, si fieri qveat. Sed nondum Cæsari viam demonstratam, qva Gallo resisti possit. Ordines belli onera ferre amplius non posse. Colonienſem qveri, ab Electoris milite Ducatum Westphaliæ, & Reclingshusam, alendo præsidio Bonnæ destinatum, insideri. Eousqve rem rediisse, ut multi primariæ classis Ordines deliberent, an non præstet ultro se Galli patrocinio submittere, qvam remedia adversus hujus vim adhibere, malo qvod declinatum itur nocentiora. Istis Cæsarem permotum fuisse ad audiendas pacis conditiones, ne omnia pessum eant. Qvid profuturum Borealibus fœderatis, si Gallus Argentoratum, Moguntiam, aut Coloniam intercipiat, ac in meditullium Germaniæ penetret? Longe duriores conditiones tunc subeundas. Qvod si tamen Cæsari solida eorum malorum remedia ostendantur, pro re nata consilia capturum. Unde à fœderatorum ablegatis nosse cupere, qvid virium bello contra Gallum perseqvendo offerant. Ista eo altius penetrabant, qvod innui videretur, omnia jam conclamata, & à conventu Francofurtensi nil sperandum; ac Cæsareos culpam præcipitatæ pacis à se in fœderatos devolutum ire. Igitur Crocovius contra: Periculum Germaniæ, & belli difficultates in aprico esse. Sed num ideo id periculum tali pace superandum, qva hostibus integræ provinciæ tanto labore extortæ iterum restituantur, ac iisdem janua in Germaniæ viscera pandatur? Qvæ ejusmodi exemplum statuat, ut deinceps haut temere qvis ad bonum publicum connixurus sit. Qvod Belgæ, ac Hispani à fœderibus defecerint, modicæ ipsis laudi, in futurum exiguo lucro cessurum. Reliqvis fœderatis adhuc superesse vires bello sustinendo. Electorem fœderibus niti, ac confidere, Cæsarem qvoqve, & reliqvos iis constanter adhæsuros. Cæsarei heic Crocovium interrumpentes reponebant: non

Cæsa-

1679. Cæsarem solum, sed & Belgas, atqve Hispanos fidem suam obstrinxisse. Post horum defectionem reliqvos fœdere non amplius teneri, nec bello persequendo sufficere. Crocovius: haut eo minus expendendum, annon reliqvis fœderatis vires suppetant cœpto negotio persequendo. Id qvod autem non ex Electore, sed è Cæsare sit qværendum, qvi summam rerum per Germaniam, ac præcipue hospitia moderetur. Dolendum qvoqve, conventum Francofurtensem non prius indictum, nec de proponendis negotiis constare. De his Cæsarei Daniæ Regi, atqve Electori significatum iri pollicebantur. Addebantur qverelæ; pacis incertos sese agere, ac dubitare, num ea Gallo cordi sit. Tum exercitum Cæsareum ita male habitum, ut ante mensem Majum in campum prodire neqveat. Ad incommoda circa formulam pacis nil præter necessitatem regerebatur. Cæsarem tamen laboraturum, ut sibi qvoqve integrum sit fœderatis auxilium ferre; & valde dubium esse, num Gallus id concedere velit. Cæterum adparebat Viennæ metum eo magis gliscere, qvod præmatura Gallorum expeditio metueretur, ac ne fœderati, dum auxilia offerunt, evictionem locorum Svecis ereptorum sibi stipulari vellent; qvam à se nullo modo præstari posse censebant. Qvos & Meindersii in Galliam iter magna suspicione perstringebat.

A Cæsare in Dano proposita.

§. 12. Gemina Hocherus ablegato Danico Lilliecronæ occinebat. Omnia fœdera id spectasse, ut hostium insolentia junctis viribus coërceatur, ac is per arma ad æqvam pacem compellatur. Ad eum scopum si omnes pari studio cum Cæsare, ac Daniæ Rege connixi forent, res sine dubio melius se fuisse habituras. Enimvero fœderatos, paucis exceptis, privatas magis qvam publicas rationes præ oculis habuisse. Cæsari magno cum dolore spectandum fuisse, uti fœderati hospitiis, qveis in horum gratiam fidos sibi Ordines onerare coactus sit, non solum non contenti fuerint, sed & eos ipsos Ordines gravissime oppresserint. Eosdem, ubi super ipsorum injuriis qverelæ motæ fuerint, Cæsaris cognitionem defugisse, ac pares sibi libertate Ordines ad subjectorum instar habuisse. Belgarum pace perrupta fœdera, & Hispanis ad imitandum exemplum necessitatem allatam. Hoc rerum statu qvid faciendum optime judicari posse, si hostium, ac fœderatorum vires invicem comparentur. Gallo in promtu esse ad LXX M bellatorum in campum educere, præsertim post deducta Hispanicis urbibus præsidia. Ast Dano sat negotii cum Svecis esse, cui & de suo bellum sit gerendum, cum Gallus istos pecunia fulciat. Unde nec Cæsarem ab eodem copiarum qvid contra Gallum expetere posse; præsertim cum Monasterienſis in pacem pronus legiones suas è Dania evocaturus sit. Electorem Brandenburgicum post tot parta decora, & Svecos Germania pulsos in Boruſſia distrahi. Pacium cessim ire, ac Regium montem periclitari. Ad propria tutanda qvemlibet ante omnia teneri. De Luneburgicorum constantia non cautum; nec octo millia, qvæ hi præbituri sint, ad summam rerum proficere. Cæsarem summo studio connixum pervincere non potuisse, ut exercitus ad Inferiorem Rhenum formaretur, ac ei negotio præteritum annum consumtum. Nam qvemlibet sua ex libidine agere, ac supremam Cæsaris directionem defugere. Cum Osnabrugensi supremum imperium in eum exercitum offerretur, huic Vicareum Cæsareum admittere grave visum. Nec qvem copiarum modum qvilibet sistere debuerit, conveniri potuisse. Sed & alia deesse tanto exercitui sustentando. Neminem qvoqve de suo sumtus facere, sed omnia in Cæsarem, aliosqve Ordines devolvere velle. Deniqve circa hospitia postulari, qvæ præstari neqveant. Contra Rheno adsitos Electores clamare, se belli malis opprimi, ut fœderati novas ditiones adqvirant. Magis suam sibi conservationem, qvam aliorum privata emolumenta respicienda. Eqvidem eam rem communes qvoqve Imperii rationes tangere. Sed remedia morbis graviora esse, ac humanius se ab hoste, qvam ejusdem Reip. sociis haberi. Perinde sibi esse, ab hostibus, an ab amicis devorentur. Ab his Cæsarem qvotidianis precibus obtundi non sine exprobratione, ab eo plus fœderatos, qvam reliqvos Ordines respici. Porro ad instruendum, & alendum Cæsaris exercitum compluribus millionibus opus esse, qvod in Svevia, & Franconia vix duorum mensium alimenta petantur. Tantis expensis Cæsarem nil sibi lucrari. Ac si maxime is ditiones suas plane exhauriat; tamen si hostis in Imperium irruperit, his tuendis eum exercitum haut suffecturum, qvi & pessime habitus sit, nec è præsidiis oppidorum suppleri qveat. Cæsarem solum tanto oneri ferendo non esse, qvem & nemo sublevare velit. Qvin Luneburgicos ne Cæsareorum qvidem hospitiis parcere, qvæ proprio ausu in Franconia invaserint. Tum fœderatos nunqvam Cæsaris placitis obtemperare. Ubi res gerenda fuerit, varia

1679. postulata moviſſe, qvæ ni mox annuerentur, communi cauſæ ſe ſubtraxiſſe: interim otioſos deſediſſe, ac hoſtem pro lubitu ad Rhenum usqvo penetrare ſiviſſe. Hoc rerum ſtatu qvis Cæſarem reprehenderit, ſi urgente maxima Ordinum parte tolerabili pace defungi laboret? Cæſarem pro fœderatis qvantum licuerit connixum, nec eos pace excludere voluiſſe, modo ipſi temperatis conditionibus eidem ſe pronos oſtendant. Id cum haut fecerint, Cæſarem qvadrimeſtres inducias propoſuiſſe, eorum qvoqve paci interim adornandæ. Nam Cæſari neceſſum eſſe, ut per pacem ingruentem ab Oriente & Occidente hoſtem averteat. Qvod ſi tamen fœderati facultatem oſtendant bello perſeqvendo, gratum id fore. Sin minus, arma ponenda eſſe. Nec ideo Cæſarem ob fœdera non ſervata argui poſſe, ſi per neceſſitatem, & ob virium defectum pax amplectenda ſit. Nam per alios fœdera jam abrupta, nec Cæſarem ad illa ſuppienda teneri, qvæ alii qvi defecerunt præſtare debuerant. Nec à Cæſare exigi poſſe, ut magis alios qvam ſeipſum amet, ac ut ob augendam fœderatorum potentiam ſeipſum periculo exponat. Deniqve aut pacem Cæſari amplectendam, aut hoſtem in viſcera Imperii pertrahendum, non ſine præſentis exitii periculo. Ad iſta Daniæ Rex reſpondendum cenſebat: Si Cæſar eo ſtudio vires ſuas exſerere velit, uti ipſe & Elector fecerit, facile exercitum L M bellatoribus conſtantem in campum educi poſſe. Tum ſi idem inſuper habitis Jeſuitarum ſuggeſtionibus cum Hungaris cœptam tractationem perſeqvatur, ejus Regni turbas mox ſedandas, & qvæ ibi deſtinentur copias contra Gallum adhiberi poſſe. Deniqve ſi Cæſar fortia conſilia capiat, ac ſepoſita peculiaris pacis mentione omnes vires ad defenſionem Imperii impendat, Ordines ad Rhenum qverelarum deſituros, ac Hanoveranum partibus acceſſurum. Alias idem Rex judicabat, Cæſarem id agere, ut diſſimulatis omnibus incommodis pacem qvocunqve modo cum Gallo abſolvat; præſertim cum Neoburgicus ubiqve jactaret; ſatius eſſe Gallis octo oppida ad Rhenum, & Moſam ad tempus inſidenda concedere, qvam periculo omnia amittendi ſeſe exponere.

Cæſarei adhuc de pace dubitare videntur. 23 Jan.

§. 13. Haut ideo tamen Cæſarei Viennæ ſuper pace certi qvid decreviſſe videri volebant; ſed potius extrema omnia tentaturi, qvam pacem in propoſitas à Gallo leges acceptare. Ut tamen omnia ad eventum Congreſſus Francofurtani referrentur; qvo ſi validus ad Inferiorem Rhenum exercitus non ſiſteretur, Cæſarem bello haut ſufficere. Ei conventui obeundo Grana Marchio mittebatur. Luneburgici qvoqve Viennæ magnopere de ſua conſtantia teſtabantur. Simul Hanoveranus de copiis ſuis in uſum patriæ commodandis tractabat, qvod per aliqvot menſes nihil pecuniarum à Gallo accepiſſet. Cæterum qvia Cæſarei palam ferebant, per defectionem Belgarum, atqve Hiſpanorum vinculum fœderum abruptum eſſe; Crocovius qværebat, an non expediat novum fœdus pro captu præſentium temporum inire, qvo mutua obligatio perſiſtat, & ut conſtet, qvid uni ab altero expectandum ſit. Id etſi Cæſarei non plane rejicerent, negabant tamen, de eo Francofurti agi poſſe, ubi nunc unice tractandum ſit ſuper præſenti rerum ſtatu, ac futura expeditione ſuſcipiendis, & ne qvis abſqve altero pacem amplectatur, aut copias ſuas revocet. Sed nec cavere volebant loca bello capta penes fœderatos manſura; qvod ſolida iſtorum evictio in eo ſit qværenda, ut Gallus in ordinem redigatur. Cæſarem nil tale promittere poſſe, ob incertos bellorum eventus, ac ne reliqvis Imperii Ordinibus ſuſpicionem injiciat. Alias eum nemini ſua incrementa invidere. Si qvid tamen ſuper his concludendum ſit, id Viennæ fieri debere. Cæterum anceps admodum deliberatio fuerat, acceptanda pax foret, an minus. Qvi pacem talibus conditionibus diſſvaſerant, ſcrupulum ſibi præcipue injici ferebant è Meinderſii itinere, omnibus fœderatis ſuſpecto. Etſi Crocovius oſtenderet; non eſſe qvod iſtud metuatur, cum Gallus nihil plane de poſtulatis ſuis remittere velit; ac ſi Elector perſpiciat, Cæſari bellum placere, eam negotiationem protinus abruptum iri. Unde & iidem Crocovium rogabant, ne Elector qvid præcipitet; nec eum in Gallia reperturum, qvod qværat. Ac brevi perſpecturum, qvo ſtudio Cæſar rem aggreſſurus ſit. Etſi contra omnes, qvi à Neoburgico pendebant, qvalemcunqve pacem ingererent. Ita in genuina aulæ ejus ſenſa penetrare nondum licebat. Eqvidem palam improbabatur Neomagenſium legatorum feſtinatio, qvi in unum, & alterum præter mandatum conſenſiſſe arguebantur. Ac maſculum conſilium captum ferebatur, legatisqve mandatum miſſum, ut articulum de negotio Boreali non aliter admitteret, qvam prout iſte Viennæ formatus ſit; cujus tamen copiam fœderatorum legatis utut valde rogantibus facere abnuebant. Kœnigseckius tamen confirmabat eum ita con-

30. Jan.

1679. conceptum, ut Galli eundem nunqvam admissuri sint: Cæsareis autem injunctum haut cedere. Ast eo ipso tempore cursor Neomago veniebat, qvi legatorum ibi declarationem Gallis factam adferebat, qva in omnia Gallorum postulata consensum fuerat, de transitu, de neutro statu, ac oppidis vicem cautionis subituris; ita ut penes Gallos esset, num ista admittere vellent, Cæsareis nulla retractandi facultate relicta. Cum itaqve Crocovius qværeret, si ad eum modum pax absolvatur, num Cæsar ea staturus, an vero acta legatorum improbaturus sit; respondebatur, multas vias patere declarata eludendi. Qvid tamen utiqve facturi sint, dissimulabant. Interim multum pecuniæ, & supplementorum ad exercitum mittebatur; simul tractatio cum Hungaris resumebatur, qva Cæsar circa civilia multum remissurus erat. Sed ista ad negotium sacrorum hærebat, & qvia Hungaris diffidentia eximi non poterat, conventa servatum haut iri. Montecuculus qvoqve cum Lotharingo in gratiam redibat, ac declarabat Dux, se istius imperium libenter aguiturum, velut qvem bellandi magistrum agnoscat. Contra Montecuculus pari modestia ostendebat, se majorem exercitum Duci concessurum, secundario contentum, & de compacto cum eo rem gesturum. Tum & Crocovium stimulabant, ut is nomine Electoris proponeret, de imperio exercitus ad Inferiorem Rhenum in Montecuculum conferendo, si Elector id suscipere impediatur. Nam id se ipsos proponere non audere, ne fœderatis suspicionem incutiant. Ista igitur belli continuationem polliceri videbantur, qvam & Augusta Vidua, legatus Hispanicus, Montecuculus, Kœnigseckius, Pater Emmericus, ac multi alii svadebant. Cum contra Neoburgicus & omnes ab eo dependentes, ac præcipue Jesuitæ enixissime pro pace contenderent, in qvam & legati Neomagenses ruebant.
1. Febr. Ita utra sententia prævalitura esset, nondum adparebat. Qvanqvam enim agnosceret, legatos Neomagi circa negotium Borealium fœderatorum justo longius progressos, qvibus & injunctum sit, ut ni Galli protinus in omnia consentiant, qvæ Cæsar desideret, ad nil reliqvorum se teneri velle profiterentur: tamen si Crocovius interrogabat, num legatorum acta inficiari velint, ubi secus conclusum sit, præsertim Lotharingica causa idoneam ansam præbente; liqvido mentem suam declarare abnuebant. Tum vicissim postulabant, præstaret Crocovius, fœderatos Francofurti qvæ res exigat decreturos, & exercitum ad Inferiorem Rhenum formaturos, circa ejus imperium, & sustentationem probatis, qvæ Cæsar desideret; deniqve Meindersium nil peculiaris tractatus initurum. Eidem de legatis qverenti, qvod omnia nomine Imperii tractent, nec qvæ agantur communicent, reponebatur; circa prius recte eos egisse, ac fœderum heic rationem non haberi, sed fœderatos tanqvam Imperii Ordines considerari; ac arbitrium rerum Imperii utiqve penes Cæsarem esse. Communicationem non abnui, sed post factum demum, non autem ut super negotiis in antecessum cum fœderatis convenire velint. Deniqve idem de articulo vicesimo sexto graviter qverebatur; haut sibi persvaderi, Cæsari animum esse Ordines Imperii tam arcto fœdere ipsi innexos oblivioni dare, & qvantum in se libidini hostium exponere. Non adparere delictum, qvo Elector tale qvid meritus sit, qvi tantis speciminibus patriæ fidem suam probarit, ac pro bono publico tam multa tulerit, feceritqve. Posse qvoqve alia tempora emergere, qvæ aliter cum ipso agi svadeant: ac ipsius Cæsaris interesse ejus affectum mutuis officiis stringi, qvo voluntas juxta, ac facultas persistat paria deinceps præstandi. Adversus qvæ nil præter iniqvitatem temporum occinebatur. Cæterum qvicqvid Viennæ dissimularent, revera legati Cæsarei ante pacem subscriptam mandatum à Cæsare in hunc sensum acceperant: Etsi Cæsar eas conditiones, qvas legati proprio ausu annuerint, (puta ut Gallis octo oppida in cautionem tantisper tradenda sint, ut transitus innoxius per Imperii terras ad auxilium Svecis ferendum concedatur, & alia plura,) ratihabere non teneatur; istum tamen easdem probare, sed sub expressis conditionibus tam in Cæsarea declaratione ad articulum XXVI contentis, qvam hisce seqventibus. Nempe ne Cæsar teneatur Fœderatos Boreales ad acceptandam Svecicæ pacis formulam compellere. Ut pax extendatur ad totum Imperium, ac universos Ordines, præter eos qvi expresse excipiuntur. Ne Galli ulli ex Ordinibus Imperii, ne octo qvidem concessis oppidis, durante hoc bello qvidqvam oneris imponant; uti & Cæsar fœderatos ad idem permoturus sit, ut tamen heic nil sibi præscribi velit. Ut nulli ex Ordinibus permissum sit hoc bello Svecis adsistere. Ut Cæsar non teneatur exercitum suum in provincias suas hæreditarias retrahere. Ut transitus Gallorum plane sit innoxius, ac nullis ambagibus, aut alibi qvam per Westphaliam permissus. Ut deniqve Gallus, & Svecus se obstringant, ut-

1679. cunqve arma succedant, se ultra pacis Westphalicæ restitutionem postulata, & arma sua haut porrecturos. Cæterum qvod Cæsarei istis tractatibus tantum præjudicium Ordinibus inferrent, in causa erat horum discordia, & inter se æmulatio. Ac Galli, Sveciqve ut fœderatos separarent, ac Cæsarem eo citius ad peculiarem pacem permoverent, huic velificabantur, ac super fœderatorum negotiis cum eodem decidebant, facilius circa ista velût aliena remissuro.

Neomagi circa pacem Cæsaream ægre.

§. 14. Ast Neomagi trepida Cæsareorum legatorum in pacem festinatio in dies magis pellucebat. Eqvidem Stratemannus differebat; utut pax Germaniæ necessaria sit, Vienuensem tamen aulam belli continuationem malle, qvam tolerare, ut tam turpis, periculósa, & instabilis pax sibi obtrudatur. Sed maximam difficultatem in eo verti, qvomodo bellum meliore successu qvam hactenus geri possit. Totum qvippe onus in Cæsarem devolvi, qvi solus repellendis Galliæ viribus non sufficiat. Qvatuor Electores ad Rhenum, ac Bavarum pacem qvovis pretio velle, qvi & in causam communem nihil conferant. Danum, & Brandenburgicum Svecico bello implicitos. Brunsvicenses dudum eodem bello expeditos magnum operæ pretium facere potuisse; sed qvi miro agendi modo omnia turbarint, ac communi causæ gravem noxam intulerint. Ab iisdem confusionem circa hospitia ortam, gravium offensarum, & qverelarum materiam. Ei negotio in meliorem formam redigendo à Cæsare omnem operam frustra consumtam, qvi ultro ignominiose habitus sit. Ac videri Gallum per Gallicas fœminas, &, qvi eas stipent exteros homines ejus Domus consilia moderari, ac impedire, ne egregia consilia capi potuerint. Hanoverano subinde lautas conditiones clam oblatas, ad eundem in bonas partes pertrahendum, nullo fructu. Cellensem initio concedere noluisse, ut suæ copiæ fratris Osnabrugensis imperio subessent. Sed cum hic magno labore permotus esset, ut in id consentiret, Osnabrugensem varias conditiones duras admodum, aut qvæ plane concedi non potuerint, postulasse. Unde Viennæ de ista domo nihil spei esse. Qvod si Daniæ Rex, & Elector eos Principes permovere possint, ut qvantum valeant ad rem conferre velint, fortasse adhuc operæ pretium posse fieri. Sed heic maturato opus esse. Nam metum esse, ne statim atqve Galli Rhenum transierint, Monasterienſis, atqve Luneburgici cum istis transigant, viamqve ad latius grassandum aperiant. Igitur si bellum persequi placeat, valido exercitu Inferiorem Rhenum tuendum; id qvod fieri non possit, ni Monasterienſis, atqve Luneburgici omnes suas vires bona fide exserant. Id nisi fiat, nullam rationem esse Germaniæ servandæ, qvam qvalemcunqve pacem amplecti, sed qvæ nemini durior, qvam Dano, & Electori futura sit. Cæterum Cæsarei cum ante Danum, & nostrum ad congressum admittere noluissent, mox accepto Vienna cursore communicationi promtos se ostendebant, ac plurimum humanitatis præ se ferebant. 1679.

Galli & Sveci insolentes se ostendunt.

§. 15. Qvo plus autem timoris Cæsarei ostendebant, eo magis adversæ partis ferocia gliscebat; qvi nec facultatem Dano, atqve nostro præbere volebant, ut suos qvoqve tractatus junctim cum Cæsareis persequi possent. Eqvidem Blaspielus cum Strada in loco tertio congrediebatur, super conditionibus Electoris collaturus. Cui Gallus reponebat; juxta formulam die XV. Aprilis à Rege suo promulgatam primam pacis conditionem esse Sveciæ restitutionem, à qva Rex salva existimatione discedere non possit. Eundem Electori summa pecuniæ satisfacturum. Plura ab eo exigi non posse. Si Sveci remittere qvid velint, cum non repugnaturum. Sed Svecis id persvadere, multo minus necessitatem adferre eundem non posse. Sic & eundem Hispanicas urbes non prius restituisse, qvam à Svecis rogatum. Sed & Blaspielus formulam pacis cum Svecia Jenkino tradiderat, qva eam Pomeraniæ partem, qvam Elector qvondam bono publico sacrificarit, sed nunc armorum sorte recuperarit, huic deposcebat in pensationem damnorum, ac sumtuum, ac ob securitatem in posterum; ac si hæc tanti non æstimetur, Electorem operam daturum, ut Svecis super eo qvod excedit ex æqvo satisfiat; salva de cætero pace Westphalica. Ast qvia Sveci cum Dano, & Blaspielo in tractationem descendere nolebant, anteqvam cursoribus suis liber transitus per Daniam concedatur, ea formula à Svecis haut acceptabatur. Qvi & in antecessum annui contendebant, omnia sibi restituenda esse. Tum & nisi junctim cum Gallis tractare nolebant. Qvanqvam revera id postulatum de cursoribus eludendæ negotiationi inventum erat; cum jam ante biennium istis concessum foret, ut literas suas tuto sub Anglici ablegati involucro mittere possent. Qvi & antea ab Electore libera literarum commercia Gedanum, & in Livoniam postularant,

1679. larant, de qvo præliminari pacto nihil conventum fuerat. Etsi non obscurum erat, à Cæsareis profectum, qvod Electori nulla cum Svecis tractandi facultas concederetur; qvi ab initio istius negotium agere voluerant. Qvi etiam, ut omnes Ordines à subscriptione pacis suæ excluderent, extremo articulo addebant; ut nullæ contradictiones, aut protestationes à directoriis Imperii contra solitariam Cæsareorum, & Gallicorum legatorum subscriptionem validæ sint. Enimvero Elector uti inter primarias partes belligerantes fuerat; ita & peculiari tractatu pacem suam adornari cupiebat. Porro Galli & id jactabant, Borealibus fœderatis non amplius hospitia in Imperio concedenda esse, in Gallico militi eadem indulgeantur: nec Cæsari permittendum, ut istis auxilii qvid ferat. A se autem fœderatos istos considerari non ut hostes socii tibi Regis Sveciæ, sed ut hostis Galliæ; eoqve Regem cum istis bellum gesturum, non velut auxiliarem Sveci, sed proprio nomine. Nec prius copias suas è Germania deducturum, qvam pax cum Svecis qvoqve facta sit. Tum sibi integrum fore omnia loca occupare, qvæ ad suos, & Svecorum hostes spectent. Qvod si tamen pax inter Cæsarem, Gallum, & Svecum perfecta fuerit, se ad Borealem qvoqve pacem promovendam incubituros, ac Svecos serio ad æqvas conditiones admittendas hortaturos. Interim certa sibi Germaniæ loca tradenda viæ ad ferenda Svecis auxilia muniendæ. Et cum Cæsarei id postulatum novum esse qvererentur, Galli reponebant; id tacite postulato de restituenda Svecia comprehendi, qvippe cum citra hoc scopo suo potiri neqveant. Ac illi Principes, ad qvos ea loca spectabant, minus malum habebant eadem à Gallis tantisper insideri, qvam bellum extrahi. Ut autem Cæsareos magis urgerent Galli, differebant: se optare, ut ante diem V. XV. Januarii pax perfecta sit, ne conditiones deinceps
11. Jan. intendantur. Jenkinus qvoqve nomine Gallorum Dano denunciabat; ni pax inter Daniam, & Sveciam ante finem mensis Januarii concluſa sit, Gallum non amplius iis conditionibus staturum, in qvas alias cum Daniæ Rege conventurus fuerat. Sed & Cæsareis Galli significabant; Belgarum intercessione terminum acceptandæ pacis se à die V. XV. Januarii ad extremum ejus mensis diem prorogasse, intra qvem ni Cæsarei pacem occupent, se præter Friburgum etiam demolitionem Philipsburgi exacturos. Sed si totum mensem Februarium elabi patiantur, totam insuper Brisgoviam reparandis expensis postulaturos. Blaspielus contra, & Heugius postulabant à Gallo conditiones ita temperari, qvo super iis tractatio suscipi qveat; ad qvam ipsi parati sint. Svecis autem denunciabant, incongruum esse, tractationem è commerciis literarum suspendi, qvæ sat commode ab istis exerceri qveant. Nec opus esse ab ipsis moneri, ut simul cum Gallis agatur. Ad hoc enim dudum se paratos fuisse, ni à Svecis id impeditum fuisset. Sed & iidem Gallis insinuabant, Svecos clam sese Cæsari venditare, & post hoc bellum hujus partibus accessuros. Igitur non expedire Galliæ, eorum res in Germania restitui. Ad qvæ respondebant Galli; id satis se nosse; sed haut eo minus Regi promissa sua esse præstanda, ac semel factam propositionem tuendam. Sed ut Sveci aliqvid remittant, id non apud Gallum, sed ipsum Sveciæ Regem qværendum; id qvod à Dano commode fieri qveat. Ac sane Galli nunqvam ita fervide, qvam nunc, pro Svecis locuti fuerant; ac discessuros se minabantur, ni Cæsarei negotiationi colophonem imponere properent. Ac jam Gallicæ legiones in Alsatia, & ad Inferiorem Rhenum invadendæ Germaniæ contrahebantur. Cum Lotharingo autem durissime omnium agebatur. Is initio alterum alternativæ membrum optaverat; Qvod *Dux in omnes suas ditiones restituendus sit*, addita qvadam exceptione. Post Galli eam restrictionem addebant; *qvibus patruus ipsius Dux Carolus anno 1670. gabisus fuerit:* qvo tempore Gallus tertiam fere Lotharingiæ partem possidebat. Ac insuper nomine viarum, qvas Gallus prætendebat, L milliaria Lotharingica, (qvorum tria unum Germanicum faciunt,) decessura erant. Et cum Canon jam priorem partem optare vellet, Galli abnuebant, minati, ni Dux his legibus adqviescat, eum à Rege uti Boreales fœderatos considerandum; ac se à Cæsareis easdem, qvas contra istos, conditiones stipulaturos. Ast Luneburgicus, ac Monasterienſis in isto negotiationis fervore raro in publico comparebant. Porro cum Blaspielus Cæsareos moneret, ut si Gallus facultatem Svecis adsistendi sibi stipuletur, isti pro Cæsare eandem reservarent; tum ne Gallis liber transitus per Germaniam concedatur; Cæsarei contra demonstrabant; *qvanto in periculo Germania versetur, & ut ipsi undique urgeantur ad pacem perficiendam, anteqvam omnia pessum eant. Sibi ubiqve pacis moram impingi. Bavarum, Saxonem, Palatinum Ratisponæ non nisi pacem ingeminare. Istam anxietatem Gallos dextre in usus suos vertere, ac ubiqve par-*

1679.

1679. *ſpargere; ſe ad ſubſcribendam pacem paratos; ſed Cæſareos ad idem adduci non poſſe. Ni pax occupetur, tractum ad Inferiorem Rhenum periturum, ac ei adſitos Ordines Gallis ſeſe deditoros declinandæ vaſtationi. Unde ſibi omnia facienda promovendæ paci, non quod credant eam Gallis cordi eſſe, ſed ut acta ſua Cæſari adprobare queant, nec mala inde proventura ſibi tribuantur. Blaſpieli poſtulata æquiſſima eſſe, ac ſe ad eadem obtinenda omnem operam navaturos. Sed ne Gallis cavillandi anſa prabeatur, ſe decreviſſe de induciis proponere, ſimul officium ſuum iis labentibus bello inter Boreales componendo offerre; modo temperamenta ei paci pervincendæ in medium afferantur.*

Super articulo XXVI. pacis Cæſareo-Gallica diſceptata.

§. 16. Cæterum præcipua difficultas erat ſuper articulo viceſimo ſexto pacis Cæſareæ, quo de fœderatis Borealibus diſponitur, quem Galli ita concipi volebant. *Et uti ad tranquillitatem publicam intereſt, ut controverſia inter Regem & Regnum Sveciæ ex una parte, & Regem Daniæ, Electorem Brandenburgicum, Epiſcopum Monaſterienſem, & Principes Domus Luneburgicæ ex altera parte quam primum componantur, atque finiantur; conventum eſt inter Cæſarem, & Regem Chriſtianiſſimum pro ſtudio, quo uterque in quietem publicam fertur, conjunctim, & quantum fieri poteſt efficaciſſime laborare circa promte conciliandam pacem inter dictas partes ad normam Tractatus Weſtphalici. Sua Majeſtas Cæſarea etiam promiſit tam pro ſe, quam ſuis fœderatis, atque adhærentibus, in Imperio hac pace comprehenſis, nec ſe, nec hoſce dictis hoſtibus Galliæ, ac Sveciæ nempe Regi Daniæ, Electori Brandenburgico, Præſuli Monaſterienſi, ac Principibus Domus Luneburgicæ ullum auxilium præſtituros, durante præſenti bello, militem, arma, inſtrumentum bellicum, naves, ſocios navales, aut quidquam aliud bello inſerviens, directe aut indirecte, publice aut privatim; nec ipſis aut eorum copiis præbituros hiberna, aut ſtativa, nec ulla hoſpitia, nec tranſitum per terras Imperii; nec ullo modo impedituros, ne Galliæ Rex libere, & prout optimum ei videbitur, bellum gerere contra dictos ſuos hoſtes usque ad integram inſtaurationem pacis Weſtphalicæ poſſit, & quo minus idem retineat loca Imperii, quæ ad hunc finem neceſſaria judicata ſunt, & de quibus ſeparato articulo conventum eſt, donec communi conſenſu idonea remedia inventa fuerint quam primum ac ſine mora in omnibus ſuis partibus dictam pacem Weſtphalicam reſtabiliendi.* Loca autem quæ Galli retinere cupiebant, quoad pax quoque inter Sveccos & Boreales fœderatos confecta foret, hæc erant. Huyum ad Moſam, Chaſtelletum non procul Leodio, Vervierum prope Limburgum, Aquisgranum, Linnichium ad Ruram, & Durena in Juliacenſi provincia, Noveſium, & Ordinga in Colonienſi præſulatu. 1679.

Cæſareorum ad iſta declaratio.

§. 17. Contra Cæſarei eum articulum ita formandum cenſebant. *Cum publicæ tranquillitatis intereſſit, controverſias, quæ Regi Regnoque Sveciæ cum Rege Daniæ, Electore Brandenburgico, Epiſcopo Monaſterienſi, & Principibus Domus Luneburgicæ, Epiſcopo Oſnabrugenſi, & Ducibus Cellenſi, & Gvelferbytano adhuc intercedunt, quantocyus etiam componi, inter S. Cæſaream Majeſtatem, & Regiam Majeſtatem pro utriusque in quietem, tranquillitatemque publicam ſtudio convenisse officia ſua efficaciſſime conjungere, ut inter prædictas partes pax etiam quantocyus coaleſcat, eique fini eadem in armiſtitium quadrimeſtre ſtatim conſentiant. Quod ſi vero præter expectationem officia hæc locum non inveniant, uti Sua Regia Majeſtas ſe obligat inimicis præſentibus S. Cæſ. Majeſtatis, aut Imperii nullo modo milite, armis, munitionibus, navibus, nautis, ullisve rebus bellicis, pecuniave ad belli ſubſidia, aut etiam ſtativis, hibernis, hoſpitationibus, directe vel indirecte, publice ſive privato nomine aſſiſtere, aut ullum in bello impedimentum adferre; ita viciſſim S. Cæſ. Majeſtatem & Imperium (utpote cujus Electores, Principes, & Status, prænominatis ſolum exceptis, omnes hac pace comprehenſi ſint,) ſe obligare ſupradictis Galliæ, Sveciæque hoſtibus, quamdiu præſens bellum durabit, nullo prænemorato modo ullum auxilium præſtare, vel Galliæ, Sveciæque in hoc bello gerendo impedimentum afferre, neque permittere, ut prædictorum hoſtium copiæ hiberna extra ipſorum territoria in Imperio capiant, liberumque maneat Suæ Regiæ Majeſtati Chriſtianiſſimæ ad prædictum ſolummodo finem in ſequentibus in Imperio locis retinere præſidium, ſcilicet N.N. eatenus tantum, donec inter prædictas partes etiam pace ſancita, aut ad eam reſtabiliendam aptiora inventa fuerint media hiſce conditionibus. Nova munimenta non extruantur. Jura jurisdictionalia, dominica, reditus, & quicunque proventus dominis dictorum locorum ſtatim a ſubſcripto hoc tractatu plene reſtituantur, nec in eorum exercitio, & reſpective perceptione turbentur. Præſidia, & copiæ tranſitura ſubditis oneri non ſint in aut extra hæc loca, ſed omnia in pretio currente pecunia parata ſolvant, ſublatis penitus cujuscunque generis contributionibus, aut exactionibus. Evacuentur loca dictis præſidiis ſtatim, ut pax inter Septen-*

1679. *Septentrionales in Imperio sancita fuerit, aut de aliis aptioribus ad eam restabiliendam mediis convenerit. Commercia nullis impositionibus in dictis locis per præsidia graventur. Integrum tamen Cæsari & Imperio manere debere conjungere cum Rege Christianissimo, aliisque consilia, officia, & operam, ut bellum illud etiam qvantocyus sopiatur. Opus qvoque fore declaratione Gallica, & Svecica, qvod sub nullo prætextu, ut arma cedant, ultra restitutionem pacis Osnabrugensis prætensiones, aut bellum extendant. Qvod contributiones, exactiones, stativa, hiberna, hospitationes, aut aliud qvodcunqve ab Electoribus, Principibus, & Statibus hac pace comprehensis non poscent: neqve transitum nisi in summa, & indispensabili necessitate prætendent, & tunc qvidem non nisi plane innoxium juxta constitutiones Imperii erga paratam solutionem in pretio currenti, monitis tempestive & reqvisitis dominis territoriorum, per qvæ transeundum est, ut Commissarios mittere, & transeuntes copias per territorium deducere possint.*

Gallorum mens ad ipsam declarationem.

§. 18. Ad hancce declarationem Galli notas qvasdam formaverant, hoc sensu. Clare exprimendum, qvinam sint inimici Galliæ, & Sveciæ. Sed eo posito id exordium haut qvadrare, qvod rationi haut congruum sit dicere; Regem Galliæ sua officia apud hostes suos interpositurum iis ad pacem permovendis. Unde articulum istum ita ordiendum: *Qvoniam post conclusionem hujus pacis nullus hostis Galliæ & Sveciæ restabit præter Regem Daniæ, Electorem Brandenburgicum, Principes Luneburgicos, & Præsulem Monasterienſem; Cæsar officia sua apud dictos Principes interponet iis ad accipiendam pacem permovendis, ac vicissim Galliæ Rex promittit se officia sua apud Regem Svecia adhibiturum ei disponendo, ut ad parem facilitatem adferat; qvo fine placere armistitium pacis conseqvendæ accommodatum.* Cum vocabulum *præsentibus* à Svecis ambiguum habeatur, substituendum, *iis qui pace facta Cæsareæ Majestatis, aut suorum in Imperio confœderatorum hac pace comprehensorum inimici remanebunt.* His non adsistere, ac Cæsari libertatem relinqvere bellum iisden faciendi, non alia conditione conceditur, qvam ut Cæsarei in omnia alia capita consentiant, qvæ in favorem Sveciæ postulantur. Producendam qvoqve à Cæsareis facultatem stipulandi pro toto Imperio. Id si fieri neqveat, eam clausulam esse restringendam ad fœderatos Cæsaris in Imperio. Pro vocabulo *præstare* ponendum *præstituros*, ac eundem modum auxilii ferendi heic repetendum, qvi respectu hostium Cæsaris expressus est. Pro *afferre* ponendum *allaturos*. Loco vocabuli *permittere*, qvod non sufficiat, substituendum *passuros*. Pro *liberumqve maneat*, ponendum, *qvin etiam liberum erit*. Verba, *ad prædictum solummodo finem* delenda tanqvam superflua, cum in seqventibus Cæsareis satis caveatur. Pro *retinere* substituendum *habere*. Post *aptiora* inserendum *communi consensu*. Post *qvantocyus* addendum *juxta pacificationem Westphalicam*, aut saltem juxta *primum hujus, & tertium Svecici tractatus articulos*. Circa conditiones, qvibus octo loca Gallis tantisper insidenda concedebantur, Galli monebant, ea inutilia fore, ni Regis copiæ ibi tuto agere possint. Reditus dominis locorum à die permutatarum ratihabitionum restituendos. Copias, & præsidia Regis qvantum possit minimo oneri oppidanis fore, ac modeste, & exacta disciplina victuras. Id omne esse, qvod possit promitti, nec ad peculiarium enumerationem procedendum, qvæ ansam pacihuic turbandæ præbere possit. Qvod idem & porrigebatur ad postulatum de commerciis eorum locorum non onerandis. Statim atqve ratihabitiones pacis Borealis hinc inde sint traditæ, ea loca præsidiis evacuanda. Ad conditiones à Cæsareis expetitas Galli reponebant: Regem satis declarasse, se à Cæsare, & Imperio nil amplius desiderare, qvam instaurationem tractatuum Westphalicorum. Sed haut contentum fore, si Principibus in bello persistentibus integrum sit id producere, qvousqve lubitum sit, nec ab iisdem reparationem damni, expensarum, & qvæ alia salva æqvitate prætendi possent, exigere liceat. Si tamen intra tempus concessarum induciarum pacem amplectantur, Regem legibus pacis Westphalicæ adqvieturum. Onerum nihil Statibus Imperii hac pace comprehensis imponendum, *nisi hostes id prius fecerint*. Qvæ de transitu adjecta fuerant, Galli plane deleri cupiebant. Ad extremum admittebant, ut pro verbis *in summa & indispensabili necessitate* substitueretur, *nisi opus fuerit*. Ast Principes, ad qvos octo loca Gallis interim relinqvenda spectabant, circa conditiones id monuerant. Utut haut credatur opus fore ea loca munitionibus firmari; tamen qvo Gallicis præsidiis securitas constet, ferri posse, Gallos suis sumtibus absqve eorum locorum, & vicinarum ditionum molestia securitati suæ prospicere, & eadem nulla expensarum repetitione facta in termino evacuationis dominis loci restituant, aut

 suis

1679. suis sumtibus à se structa demoliantur. Cum legati Gallici qvindecim tantum dies ad cessationem hostilium desideraverint, qvibus nec opus sit ad significationem de pace Ducibus faciendam; non esse causam, qvare proventuum restitutio in istis oppidis ad ratificationem usqve pacis rejiciatur. De modestia militis Gallici ita verba concipi posse: *Miles Gallicus subditis oneri non sit in aut extra hac loca usqve ad finem.* Qvo ipso & commerciis caveri. Deniqve optandum, ut ea loca statim atqve Borealis pax subscripta fuerit, reddantur; sed si forte ad hoc pax adhæsura sit, satius fore ratificationem ejus pacis expectare.

Danus & Electoralis legatus de Cæsareis qveritur.

§. 19. Cum itaqve Cæsarea pax citato gradu procederet, ac Dano, & Blaspielo super articulo XXVI nil communicaretur; eo magis hisce visum fuit super eo negotio qveri, qvod Galli in aulam suam scripsissent, sibi cum Cæsareis brevi super Boreali negotio conventurum. Igitur scriptum istus exhibebant, hoc sensu. *Pridie sibi à Cæsarea legatione significatum, cum discutienda pacis formula ad qvintum articulum de Gallicis copiis Germania deducendis pervenissent, nec super eo convenire potuissent, Gallos petuisse, ut si modo articulum vicesimum sextum Boreales fœderatos spectantem adornassent, qvintum inde facile se daturum. Ubi Cæsarei legati sancte sibi confirmarint, plura circa articulum istum haut acta fuisse. Eo magis inopinum sibi accidisse, cum aliunde intelligerent, eodem tempore loco qvinti istius articuli alium maximo sibi præjudicio cedentem in medium allatum, qvem Galli post vicesimum sextum formulæ pacis inseri voluerint. De qvo nil sibi, qvorum tantopere interfit, communicatum fuerit; cum tamen ipse Cæsar Danicis & Brandenburgicis Viennæ ministris caverit, his tractatibus omnia communicatis consiliis, & ad normam fœderum actum iri. Haut eo secius Cæsareos heri post meridiem, postqvam aliqvot horas cum Gallis collocuti essent, sibi denuo significasse, nil amplius actum esse. Mox cum à sexta hora ad undecimam nocturnam interveniente Jenkino cum Gallis egissent, nullas sibi, qvi qvatuor horas eos expectaverant, communicatione facta, qvo loco negotium foret; demum per Secretarium legationis sibi significatum, totum tempus circa articulum XXVI consumtum, & rem adhuc ad notam sibi difficultatem harere. Ita ne nunc qvidem sibi de novo isto articulo, aut aliis eo congressu actis copiam factam, cum tamen ea res Principes suos, ac plures alios præcipue tangeret. Is agendi modus qvam inopinus Regi Daniæ, atqve Electori futurus sit, & qvam parum pollicitis Viennæ factis condeniat, Cæsaream legationem pro sua prudentia satis perspecturam. Unde se enixissime rogare, ut ista in hoc instituto circa sinceram actorum communicationem ita se gerat, uti fœdera peculiaria, & vinculi inter caput, & membra Imperii sanctimonia, & communes rationes reqviruns. Nec minus ut super omnibus negotiis, qvæ Regem Daniæ, & Electorem, tanqvam fœderatos, aut Imperii membra spectant, cum ipsis prius consultetur, suaqve monita audiantur, antequam cum hostibus super iisdem disceptetur, aut formulæ circa eadem admittantur, aut dentur. Et qvia Cæsar ad diem X Februarii conventum fœderatorum Francofurtum indixerit, ubi de pace, aut hac irrita de bello consultandum sit; se petere, ut eo usqve res integra relinqvatur, nec qvid suscipiatur, fœderatis præjudicio cessurum. Sed nec sibi constare, nec persvaderi, Ratisponæ decretum conditum, qvo Cæsarea legationi autoritas circumponatur, priora SCta ab universis Ordinibus facta, ac legibus Imperii superstructa tali modo irrita declarandi, aut alias talia suscipiendi, è qvibus Ordinum Imperii jura magnam partem dependeant; unde & Imperii convulsio, ac ruina consequi possit, & de qvibus absqve peculiari mandato Imperii, & inconsultis Ordinibus hic cum hostibus agi, aut concludi neqveat; qvæ etiam nomine suorum Principum dissimulare sibi nefas sit. Igitur petere se, ut de istis plene edoceantur, qvo ipsi Principibus diligentiam suam adprobare possint; nec qvid amplius suscipiatur, multo minus concludatur, qvod Principum suorum, aut aliorum Imperii Ordinum juribus præjudicio cedere, aut fœderibus adversari qveat. Sibi qvidem nil magis in votis esse, qvam ut pax qvam primum perficiatur. Eadem si Cæsareæ legationis mens sit, postulare se, ut pax ad normam fœderum, ac rationis, hostiumqve exemplum conjunctim fiat, ne bisce separata negotiatione plus emolumentorum concilietur. Non posse qvoqve dissimulare, à fide dignis sibi relatum, legatis à Cæsare injunctum, pacem in propositas à Gallo conditiones utcunqve concludere, ac Gallis de hoc Viennæ, & aliunde constare. Qvod cum non possit non Gallorum ferociam obfirmare non sine communis causæ maximo damno; se rogare, ut id qvamprimum Cæsari demonstretur, ac interim negotiatio hic usi par constituatur; sed in arduis negotiis, qvæ vel Imperium in universum, vel qvasdam ejus membra spectent, nil statuatur, sed ea vel Ratisponam, vel saltem ad conventum Francofurtanum remittantur. Id scriptum Cæsarei ægre ferebant, velut existimationi suæ grave, & præcipue qvod exprobratum sibi foret, qvasi facultate destituerentur de Imperii

nego-

1679. negotiis tractandi. Qvibus isti reponebant : eam ipsam præcipuam scripti causam fuisse ; ac denuo rogabant, si utiqve super qvibusdam Imperii negotiis agendum sit, ut id saltem citra suorum Principum præjudicium fieret. Memorabant inde Cæsarei, Gallos postulasse, ut Cæsar Borealibus fœderatis necessitatem adferret ad Svecos in integrum restituendos. Qvod à se rejectum sit, ac se ne officia qvidem eo nomine adhibenda polliceri voluisse. Eosdem qvoqve decem Alsatiæ oppida sibi exegisse, ac ut Cæsar juxta, ac Gallus copias suas solo Imperii deducat : sed utrumqve à se repudiatum. Ista erant, qvæ tunc Dano, & nostro à Cæsareis super negotio pacis communicabantur ; qvos tamen revera multo longius progressos in aprico erat.

Circa adaptandam pacem Cæsaream pergitur

§. 10. Eo proclivius autem Gallis erat omnia qvæ cupiebant pervincere, qvod Cæsarei Vienna mandatum accepisse dicerentur, ut Gallorum placito qvantum daretur sese attemperarent, ac negotio qvamprimum colophonem imponerent. Id qvod hi dextre in usus suos vertere norant. Qvi & cum antea ultro Svecorum duritiem improbassent, ac hi novissimis literis jussi essent aliqvid remittere ; nunc eosdem, ut postulatis suis immoti insisterent, obfirmabant. Cum igitur Sveci nullo modo flecti possent, Cæsarei Blaspielum qvid consilii exposcebant. Hic respondebat ; haut gravius Germaniæ præjudicium inferri posse, qvam si beneficium pacis Westphalicæ iis indulgeatur, qvi hanc tam enormiter violarint ; si contra eosdem facta SCta aboleantur. Ac esse rem pessimi exempli, si pacis publicæ infractores debitam ultionem effugiant. Mirum qvoqve esse, hostes semper de restabilienda pace Westphalica crepare, qvam utiqve non Elector, sed Sveci temeraverint. De cætero Electorem fœderibus niti, qvæ servari ipsius Cæsaris interest. Qvi & paratus sit junctim cum Cæsare pacem æqvis conditionibus amplecti, aut bellum perseqvi. Ast haut propiorem viam fore Austriacæ Domui evertendæ, qvam si pax in eas conditiones ineatur, ut Gallis pro lubitu per Germaniam grassari liceat. Ac vix durioribus conditionibus pacem fieri posse, si vel dimidiam Germaniæ partem hostis occuparit. De cætero Electorem à Cæsare non officia, sed auxilia expectare. Interim dum pacis formula adornatur, Galli ejus exordio Bavari mentionem fieri volebant, velut qvi multum ad pacem contulerit. Et cum Cæsarei id abnuerent, volebant inter pace comprehendendos ita ejus mentionem faciendam : *qvi cum aliis Electoribus, & Principibus Imperii officia sua ad restabiliendam in Imperio pacem laudabiliter impendit.* Qvod & ipsum haut admissum. Qvo loco *Imperii* vocabulum ponendum esset, etiam dubitabatur. Nam Galli id ante Galliam collocari nolebant ; sed ita ponendum contendebant ; *inter Suam Cæsaream Majestatem, & Regiam Majestatem Christianissimam, uti & totum Imperium* : idqve ea duntaxat lege, si Cæsarei ejusmodi decretum Imperii producturi sint, cujus vi facultas iplis collata sit hujus nomine tractandi. Ac provocabant Galli ad Instrumentum pacis Monasterienſis, ubi Imperium post Galliam collocetur. Sed Cæsarei regerebant ; tunc Imperium divisum fuisse ejusqve partem Gallis, Svecisqve adhæsisse. Unde censebant, vocabulum Imperii plane omittendum, ac pro eo substituendum, *utrumqve Regna, & ditiones.* Id qvod Gallis displicebat, qvod Cæsarei Hungariam innuerent. Nam ei Regno caveri supervacuum esse, cum pace inter Cæsarem, & Gallum perfecta Hungaricæ qvoqve turbæ expiraturæ sint. Cum inde Cæsarei per aliqvot dies frustra cum Svecis egissent, ne ita rigide postulato suo circa instaurandam ex asse pacem Westphalicam insisterent, cum Gallis tractationem iterum perseqvebantur. Sed qvi ita duros sese exhibebant, ut ipsi juxta, & Jenkinus de pace desperarent ; eoqve ad Cæsarem scriberent, arma utiqve paranda esse. Et circa Lotharingum qvidem Galli declaraverant ; ni hic ante finem Januarii pacem in conditiones alternativæ à se acceptatæ subscriberet, Regem non amplius teneri velle cessione Tulli oppidi in pensationem Nanceij, nec æqvivalente ditione pro cessa Longuica. Circa Boreale autem negotium Galli denuo hunc in modum declarabant ; Regem nil magis optasse ab initio tractatuum, & postqvam pax inter Galliam, Hispaniam, & Belgas feliciter confecta sit, qvam ut pax Westphalica per omnia restabiliatur, ac præcipue qvantum ea Sveciam spectet. Hujus satisfactionem primam fuisse inter conditiones mense Aprili superiori anno propositas, & super hoc fundamento circa pacem Imperii hactenus Neomagi fuisse tractatum. Qvanqvam autem Principes, qvi Sveciam provinciis per pacem Westphalicam partis exuerunt, adhuc parum se pronos transactioni ostenderint ; spem tamen esse promtæ pacis inter Galliam, Sveciamqve cum Cæsare, ejusqve in Imperio fœderatis. Sed eo tempore, qvo Rex per reliqvam Germaniam non sine gaudio pacem

1679. constitutam viderit, eum sibi reservare facultatem bellum in gratiam Sveciæ faciendi ea lege, ne Cæsar, ejusqve fœderati, qvi cum Gallia transegere, directe aut obliqva ratione hostibus Sveciæ adsistere possint. Eo fine se concepisse articulum, qvem sequestribus tradiderint, ut tractatui insereretur. Hunc duas continere clausulas, utramqve justitia subnixam. Unam ut Cæsar promittat, se non toleraturum, ut hostes Sveciæ hospitia in Imperio habeant extra proprias ditiones, sive eadem ultro ipsis concessa, sive vi occupata sint. Nam istud auxilii genus pacis legibus directe contrarium; hoc autem violentiam fore, cui mederi Cæsar teneatur, velut caput Imperii, & qvi præstare debeat tractatu promissa, qvod ipse, ac ejus fœderati impedire debeant, ne hostes Sveciæ ullum auxilium qvocunqve modo ab Imperio recipiant. Et per utramqve harum rationum recusare Cæsarem non posse, qvo minus promittat, se non toleraturum, ut hostes Galliæ, ac Sveciæ per vicinorum ditiones copias suas diffundant. Istam autem facultatem Sveciæ satisfactionem per arma procurandi in se continere transitum usqve ad Rhenum; qvod illa inutilis foret, isi hoc concesso. Nam terras Imperii inter Galliam, & hostes Sveciæ interjectas, olas sufficere ad hosce tutos ab armis Gallicis præstandos, ni permissum foret eas transire. Unde Regem conveniens judicasse bonæ fidei, qva omnia agere svevit, de hoc ante conclusionem tractatuum liqvido declarare antevertendis qverimoniis, qvæ sine dubio movendæ forent, si post pacem cum Imperio concluſam suæ copiæ versus Rhenum progrederentur; qvo tamen superſederi non potuerit, si Sveciæ restitutio præstanda sit. Qvo fiue mature declarari de locis, qvæ utiqve ad iter suarum copiarum necessaria sint. Ac ea non alium in usum peti indicio esse, qvod parum munita sint; cum si aliud spectasset, majoris momenti urbes, Juliacum, Leodium, & Coloniam postulare potuisset, isti itineri qvoqve cumprimis idoneas. Nam nil magis eum optare, qvam ut hac necessitate qvam primum defungi qveat: ac ut post obtentam Sveciæ satisfactionem pace per totam Europam stabilita ipse omnes suas copias intra Regnum suum revocare possit.

Dani, & nostri monita de pace non præcipitanda. 24. Jan.

§. 21. Qvanqvam autem inter Cæsareos, Gallosqve Jenkino sequestre sedulo circa pacem satagebatur; confirmabant tamen Cæsarei, se in articulo Danum, & Electorem spectante nil concluſuros, antequam cum ipsis communicarint, prout fidos fœderatos agere par sit. Sed nec super primariis articulis adhuc convenisse. Ast Dani, & Blaspielus istis testationibus parum confisi aliud scriptum Cæsareis exhibebant, hoc sensu. *Omnia qvæ videant, atqve audiant plus scrupulorum indies, ac solicitudinis injicere circa secretam istorum cum communi hoste negotiationem: nec injuria metum subire, ne prius se ab istis libidini Gallorum expositos conspiciant, qvam moneantur de iis, qvæ contra rationes Principum suorum irreparabili cum horum damno agitantur. Et malo qvantum datur sibi occurrendum, dum adhuc tempus est: ac isthoc scriptum interpretis vicem subiturum suæ sententiæ; postqvam in præsens sibi adire non liceat legatos in loco ubi agunt; nec tamen fas sit officio suo deesse, & qviete, ac tacite adspicere, citra sui participationem de negotiis tractari, qvæ Principes suos tantopere spectent. Qvæ acta sint sigillatim se enumerare nolle, nec repetere sæpius ingesta nullo fructu, nullo responso. Silentio a se involvi altius penetrantia, qvæ isti celarint, sed adversa pars vulgarit, in qvorum notitiam ipsi forte fortuna paucos ante dies inciderint: sed qvæ ipsi dissimularint, spe deinceps majore candore secum actum iri. In præsens id præcipue sibi monendum, solennia fœdera occasione harum turbarum cum Daniæ Rege, atqve Electore inita utriqve parti interdicere, ne una absqve altera cum hostibus communibus tractet, aut pacem separatam ineat, simul aqvaliter utrosqve obligare, ut pro fœderatis suis eadem emolumenta, qvæ pro se stipulentur. Nec ignotum, qvæ vis decretorum Imperii sit legitime conditorum, qvibus citra paria solennia nihil derogari possit in fraudem eorum, qvorum interest. Perspicua, ac toties iterata suis Principibus Viennæ facta istis qvoqve notissima, velut qvi sæpius sibi confirmarint, eadem exacte a se observatum iri, qvod & ipsis mandato injunctum sit. Istos qvoqve sæpius asseverasse, in sui præjudicium nil susceptum iri. Primum legatum hoc mane adhuc è loco congressus descendentem confirmasse, ipsos nobiscum uti fidos fœderatos decet acturos. Ista omnia ut repræsententur, se jam suo jure exigere. His positis sibi declarandum; si isti Cæsaris nomine Principibus ipsorum exclusis pacem cum Gallo, aut Sveco, aut utroqve ineant, ut nec sibi eodem tempore pacem suam absolvere liceat, nec istis pro ipsorum Principibus eandem securitatem contra arma, & invasiones hostium, qvæ pro Cæsare, aliisqve Principibus hac pace comprehendendis, stipulentur; sibi gravissimam fore causam velut fœderibus manifeste, atqve enormiter viola

11. Jan.

1679. violatis qverendi. *Nec minus si isti decreta Imperii, qveis Sveci provinciis pace Westphalica partis excidisse, hostesque publici declarati sint, concessa eorundem restitutione abolederint, antequam Principibus suis rite sit satisfactum; insigniter eorum jus, ac prærogativam læsumari, velut qvorum consensus, & suffragium, ut & cæterorum qvorum intererat, utique precedere debebat. Qvod si & per istorum præcipitantiam circa arripiendam peculiarem pacem tam noxiam sui Principes fructu totiens iteratorum à Cæsare promissorum excidant; magnam eosdem gloriam communibus hostibus concedere, qveis fidei data sanctimonia tam ambitiose venditatur. Si denique isti proprias testationes destituant, id eo magis inopinum sibi fore, qvo plus fiducia in eorundem candore, & bona fide collocarint, qve talia de iis expectari vetuerit. Cumque pax ejusmodi separata adversa fronte mutuæ obligationi fœderum, promissis Cæsaris, legatorumque repugnet; se denuo qvantum possint enixissime rogare per sanctimoniam fidei publicæ, per gloriam Cæsaris, per majestatem Imperii, per propriam eorum existimationem, ne qvid in præsens suscipiant, aut concludant, qvod ipsorum juribus, expectationi, aut spei qvocunque modo derogare qveat: tum præcipue, ne legati qvid ad ipsorum Principes spectans condonent, nec eosdem arbitrio hostium exponant; neu permittant, ut sedes belli sub vocabulo manis pacis in ea Imperii loca transferatur, qvo hostium vis hucusque penetrare haut valuit; ne denique hostibus via muniatur ad impune insultandum eos, qvi ne tota Germania opprimeretur, seipsos, suasque fortunas, & cives manifesto periculo exponere non dubitarunt. Isthæc legatos, prout rei magnitudo requirit, pro sapientia, ac æqvitate sua consideraturos spem sibi esse. Ast si præter expectationem contrarium acciderit, non se posse qvin istis denuntient; si iisdem visum fuerit Principes in necessitatem conjicere omnia amittendi, eosque libidini hostium immolent, vitio iisdem datum non iri, si calamitate sua ita utantur, ut inde satisfactionem sibi qvantum possint contra hujus autores qverant, nec commodis divinitus concessis se alia lege expolient, qvam ut sibi alia commoda stipulentur adversus eos, qvi tam liberaliter ipsos sacrificare voluerunt; penes qvos & culpa residebit omnium malorum, qvæ inde secutura sunt. Cæterum ne in ipsorum Principibus qvid desideretur, qvod jure ab his exigi possit, se eorundem nomine tanqvam plena facultate instructos offerre, vel pacem cum hostibus in justas & æqvas leges junctim cum Cæsareis concluturos; vel si ejusmodi pax ab adversæ partis duritia extundi neqveat, eosdem consilia, opesque cum Cæsare ad strenue propulsandos hostes, mutuamque defensionem conjuncturos.* Ad isthoc scriptum Cæsarei denuo Danis, ac nostro confirmabant, sese in negotiis Daniæ Regem, atqve Electorem spectantibus citra prævianı cum ipsis communicationem nihil concluturos. Qvin adhuc omnia incerta esse. Enimvero mox compertum, paucas intra horas omnia fuisse transacta. Qva super re cum iidem graviter cum Cæsareis expostularent, hi excusabant: Hoc tractatu ipsorum Principibus parum præjudicii adferri. Cæsarem hac via tempus tantum lucrari, ac intentatum à Gallo ictum exire voluisse. Nec eidem vitio dari posse, si, cum nullum remedium adpareat Gallorum irruptioni, & progressibus sistendis, seipsum, ac Imperium per peculiarem pacem manifesto periculo eripiat; cum Borealis pax ita brevi sperari neqveat. Præsertim cum utiqve Elector dudum in peculiares cum Gallo tractatus inclinarit, qvo fine & Meindersius in Galliam profectus sit. 1679.

§. 22. Ita ergo nihil supererat, qvam ut Danici legati, ac Blaspielus adversus eam pacem protestationem scripto interponerent, his conceptis verbis. *Legationes Danica, & Brandenburgica certiores factæ, Cæsaream legationem pacem cum Dominis legatis Gallicis pepigisse, & concluisse particularem, exclusis non modo Regia sua Majestate Danica, & Serenitate sua Electorali Brandenburgica, sed & datis, acceptisque ejusmodi pacis conditionibus, & legibus, qvæ in ipsarum præjudicium manifeste tendunt; suarum esse partium duxerunt Cæsareæ legationi hisce ob oculos ponere qvantopere illa pax particularis & fœderum religioni, & toties datæ, toties repetitæ fidei, imo æqvitati, ipsique justitiæ adversetur, ac repugnet. Exigunt enim fœdera, primo, ut nemo fœderatorum absque alterius participatione negotiationem pacis, vel armistitii aggrediatur, & qvæ circa dictam negotiationem occurrunt, unus alteri invicem communicet. Secundo, ut nemo horum pacem cum hostibus communibus ineat particularem, sed tertio, ut alter alteri eadem jura, immunitates, executiones, prærogativas, & securitatem ab hostibus, eorumque adhærentibus, & fœderatis paciscatur, qvæ pro semetipso stipulatus, & adeptus est. Nullam autem harum fœderis legum à Cæsarea legatione observatam, sed contra multa in præjudicium suæ Regiæ Majestatis Danicæ, & suæ Serenitatis Electoralis Brandenburgicæ ab ipsa acta, & peracta esse, in comperto est. Itaqve prædictæ legationes conqverentur, primo pacem* Protestatio Dani & nostri contra eam pacem. 24 Jan.

1679. *initam esse particularem, cum tamen ipsa simul illam etiam æqvis, minimeqve duris conditionibus facere, uti semper hactenus, ita hoc maxime tempore promtas, paratasque se esse ostenderint. Deinde plurimas & qvidem maximi momenti res, qvæ ad suos Serenissimos Dominos potissimum spectabant, ipsis insciis peractas. Fœderatorum porro interesse, ac securitatem plane neglectam, & postbabitam; qvin potius apertam hosti viam, & occasionem relictam, datamqve esse iis bellum inferendi, qvos defendere oportebat. Deniqve qvod omnium minime ferendum, legationem Cæsaream præsentium legationum Danicæ, & Brandenburgicæ sese immiscuisse negotiis, inauditoqve plane exemplo in præjudicium Regum, & Principum, ut & jurium, & libertatis omnium Imperii Statuum de iis tractasse, imo Imperii decreta, sententiasqve pro defensione, & satisfactione qvorundam ejus Statuum latas rescindere voluisse, qvod ne ipse judex qvidem partibus insciis, nec citatis, nec auditis facere potest, & eo minus à legatione Cæsarea fieri debuisset, cum nulla ab Imperio potestate ad hoc instructa sit, neqve instrui potuerit, cumqve ei Principes, ad qvos hæc res maxime spectat, nunqvam in eam consenserint. Cum igitur hac procedendi ratione Sua Regia Majestas Daniæ, & Sua Serenitas Electoralis Brandenburgica graviter ledantur, non possunt non ipsarum legationes qvam solennissime contra pacem istam particularem protestari, ac ea omnia repetere, qvæ antehac Cæsareæ legationis in hac causa partim oretenus, partim scriptis proposuerunt. Contradicunt itaqve paci huic particulari, & dissentiunt in omnibus & singulis, qvæ qvidem contra religiose sancita fœdera, promissa, obligationes, jura, & securitatem Suæ Regiæ Maj. Daniæ, & Suæ Serenitatis Elect. Brandenb. in ipsarum præjudicium cum inimicis jam conclusa sunt, & declarant, qvod pacta illa sint, debeantqve esse invalida, irrita, & nulla: postremo reservant Suæ Regiæ Maj. Danicæ, & Suæ Serenitati Elect. Brandenb. qvæcunqve vigore fœderum, promissorum, constitutionum, decretorumqve Imperii, vel ullo alio jure tituloqve ipsis competunt & debentur.* Qvæsierat Danus, & noster è Luneburgico, & Monasterienſi, num & ipsi huic protestationi subscribere vellent. Qvi responderant, id seorsim se facturos. Cæterum mirum erat, cum Viennæ separata hæc pax tam anxie haut dissimularetur; legatos tamen Neomagi secreto eam tractare, ac Danum, nostrumqve ad extremam usqve horam illudere, subinde asseverantes, nil adhuc cum Gallis conclusum; qvin & nullam aut saltem exiguam spem esse paci perficiendæ.

§. 23. Enimvero Cæsarei protestationum securi ad absolvendam pacem descendere haut omittebant. Qvi tamen biduo ante scripto sibi caverant, qvod articulus octavus in suo projecto positus in ipso Instrumento pacis Gallicæ omissus foret. *Postqvam & res æqvitas, & variæ Christianissimi Regis antehac factæ contestationes non ita pridem à Serenissimo Electore Bavariæ in publicis Imperii Comitiis repetitæ promittebant, controversias, qvæ Sacro Rom. Imperio cum Sua Regia Maj. Christianissima ratione decem civitatum unitarum & immediatæ Nobilitatis Alsatiæ, Vasallorum trium Episcopatuum Metensis, Tullensis, & Virodunensis, Episcopi & Diœcesis Basilienſis, Abbatiarum Murbacensis, & Luderensis, civitatis Argentinensis, aliorumqve intercedunt, si de iis in hoc pacis congressu convenire non posset, ad placitum antehac arbitrium remissum iri; non dubitaverat legatio Cæsarea, qvin Excell. Dni. Galliæ legati id admissuri fuissent. Cum vero eo induci non potuerint, præferentes se de iis controversiis nihil scire, haut informatos esse, maluit qvidem legatio Cæsarea articulum, qvem projecto suo pacis Cæsareo-Gallicæ inseruerat, omittere, qvam paci ardentissimis omnium votis exoptatæ ulteriores moras poni: prius tamen ad protocollum Excell. Dnn. legatorum mediatorum coram ipsis Ser: Regis Galliæ legatis solennissime protestata, per hanc omissionem nihil Imperii juribus præjudicari, sed ea potius uti in pace Monasterienſi, qvæ hoc tractatu, qvem cum prænemoratis Excell. Dnn. Galliæ legatis conclusum it, per omnia confirmata, fundata tunc sunt, sarta tecta servari. Qvam interpositam protestationem legatio Cæsarea ante subscriptionem pacis hisce repetere, & Dnn. legatos mediatores simul enixe rogare voluit, ut eandem in futuram rei memoriam ad mediationis, & relationum suarum commentarios referre non graventur.* Subscriptio porro pacis hoc ritu peracta est. Sub horam nonam vespertinam legati Cæsarei in curiam urbis se contulerunt, utriqve in solitum sibi conclave. Ubi statim atqve Galli intellexerunt Cæsareos adesse, Nobilem ad eos salutandos miserunt; qvibus Cæsarei pari honore responderunt: simul indicantes per eundem qvem miserunt Nobilem, se in conclave seqvestris accessuros, statim atqve norint legatos Gallos præsto esse. Gallis eo ingressis Cæsarei mox aderant, qvos Galli aliqvot à mensa passibus exceperunt. Ubi consedissent, Stratemannus exemplum Gallicum, Colbertus Cæsareum prælectum inter se contulerunt, illo incipiente, hoc seqvente, alternatione laborem sublevante.

1679. *Pax subscribitur. 10. Jan. 5. Febr.*

Cautio super decem oppidis Alsatiæ, aliaqve.

1679. vante. Absoluta lectione ambo exemplaria Episcopo Gurcensi porrecta sunt, qvi in prima columna nomen suum primo loco, inde sub eo Kinskius, demum Stratemannus adposuit. In secunda columna ex opposito Strada, sub hoc Colbertus subscriplit. Idem ordo servatus in subscribendo exemplari per Gallos confecto. Inde per Secretarios insignia legatorum sub cujusqve nominibus ceræ impressa sunt. Eo peracto Cæsarei primi discessere, Gallis in eo conclavi relictis, qvi & paulo post abiere. Eodem modo, & eadem hora pax postera die inter Cæsareos, & Svecos fuit subscripta, hoc tamen discrimine, qvod post subscriptionem legati invicem verbis honoris defuncti sunt, datis dextris. Haut eo minus etiam Svecico Instrumento dies V. Februarii st. n. fuit adpositus, qvod in tractatu Gallico mentio fieret tractatus eodem die signati inter Cæsarem & Svecum. Cæterum etsi subscriptio in conclavi Anglorum seqvestrium fieret, ipsi tamen non aderant, nec subscribebant, utut à Rege suo id jussi essent, ac id facere decrevissent. Cujus rei causa erat, qvod Angli prima columna subscribere vellent; id qvod Cæsarei abnuebant. In id qvoqve conclave tunc nemini prohibitum introire, si qvem curiositas ista videndi cepisset. Galli post dicebant; cum Belgis se artificiosam pacem fecisse; cum Hispanis artificiosam, & utilem; cum Cæsare artificiosam, utilem, & valde gloriosam; ultro insultantes, qvos illuserant. Et constat, cum de absoluta hac pace in aulam Gallicam nuntiaretur, admirationem subiisse, qvod creditum non fuerat, Cæsarem in omnia Galliæ postulata consensurum.

Pax Cæsareo-Gallica.

§. 24. Pax autem inter Cæsarem, & Gallum tunc concluſa hoc modo concepta erat.

In Nomine Sanctissimæ & Individuæ Trinitatis. Notum sit omnibus & singulis, qvorum interest, aut qvomodolibet interesse potest; postqvam ab initio hujus belli aliqvot abhinc annis moti inter Serenissimum & Potentissimum Principem ac Dominum, Dominum Leopoldum, Electum Romanorum Imperatorem, semper Augustum, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Slavoniæ Regem, Archiducem Austriæ, Ducem Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Marchionem Moraviæ, Ducem Luxemburgiæ, superioris & inferioris Silesiæ, Wurtembergæ & Teckæ, Principem Svevia, Comitem Habsburgi, Tyrolis, Kyburgi, & Goritiæ, Marchionem S. Rom. Imperii, Burgoviæ, ac superioris & inferioris Lusatiæ, Dominum Marchiæ Slavonicæ, Portus Naonis, & Salinarum, &c. ex una, & Serenissimum ac Potentissimum Principem ac Dominum, Dominum Ludovicum XIV. Franciæ & Navarræ Regem Christianissimum ex altera parte, Sacra Cæsarea Majestas, & Sacra Regia Majestas Christianissima nihil prius magisqve in votis habuissent, qvam per restitutionem pacis nunqvam interrumpendæ tot provinciarum desolationem, & effusionem sangvinis Christiani sistere, tandem Divina bonitate factum esse, ut annitente Serenissimo & Potentissimo Principe ac Domino, Domino Carolo II, Magnæ Britanniæ Rege, qvi difficillimis hisce Christiani Orbis temporibus Mediator universim receptus, cum immortali sua gloria, indefesso studio, pro tranqvillitate publica & pace generali, consilia, & officia sua impendit, Sacra Cæsarea Majestas, & Sacra Regia Majestas Christianissima consenserint, ut congressus ad tractandam pacem hic Neomagi Geldrorum institueretur; comparentes igitur dicto loco utrinqve legitime constituti legati extraordinarii, & Plenipotentiarii, à parte qvidem Imperatoris Reverendissimus, Illustrissimi, & Excellentissimi Domini, Dominus Joannes, Episcopus Gurcensis, S. Rom. Imperii Princeps, atqve Sacræ Cæs. Maj. Consiliarius; nec non Dominus Franciscus Udalricus S. Rom. Imperii Comes Chinsky à Chinitz & Tettau, Dominus in Klumetz, Sacræ Cæs. Maj. Consiliarius intimus, Camerarius Regius locum tenens, Provintialis Curiæ Regiæ Assessor, Appellationum Præses, aulæqve Regiæ in Regno Bohemiæ Præfectus; & Dominus Theodorus Althetus Henricus à Stratman Sacræ Cæs. Maj. Consiliarius Imperii Aulicus; à parte vero Regis Christianissimi, Illustrissimi & Excellentissimi Domini, Dominus Godofridus Comes à Destrades, Franciæ Marescballus, Regiorum Ordinum Eqves Torqvatus, Sacræ Reg. Maj. christianissimæ in America Prorex, urbis & fortalitii Dunkerkii, omniumqve locorum ab ea præfectura dependentium Gubernator; Dominus Carolus Colbert, Eqves, Marchio in Croissy, Regi Christianissimo ab utriusqve consiliis Ordinarius; & Dominus Joannes Antonius de Messmes, Eqves, comes in Avaux, Sacræ etiam Reg. Maj. christianissimæ à sanctioribus consiliis; post invocatum Divini Numinis auxilium, mutuasqve plenipotentiarum tabulas rite communicatas, interventu & opera Illustrissimorum & Excellentissimorum Dominorum, Domini Laurentii Hyde, Armigeri; Domini Guilielmi Temple, Baronetti; & Domini Leolini Jenkins, Eqvitis Aurati, legatorum Extraordinariorum & plenipotentiariorum Sacræ

1679. Sacra Reg. Maj. Magnæ Britanniæ, qvi munere Mediatoris pro concilianda tranqvillitate publica ab anno 1675. huc usqve, procul à partium studio, sedulo prudenterqve perfuncti sunt, ad Divini Numinis gloriam, & Christianæ Reipublicæ salutem, in mutuas pacis & amicitiæ leges convenerint tenore sequenti. 1679.

I. Pax sit christiana, universalis, & perpetua, veraqve, & sincera amicitia inter Sacram Cæs. Maj. & Sacram Reg. Maj. christianissimam, earumqve hæredes & successores, Regna & provincias, nec non inter omnes & singulos dictæ Majestatis cæsareæ fœderatos, præcipue Electores, Principes, & Status Imperii hac pace comprehensos, eorumqve hæredes & successores ex una; & omnes & singulos fœderatos dictæ Majestatis christianissimæ hac pace comprehensos, eorumqve hæredes, & successores ex altera partibus; eaqve ita sincere servetur, & colatur, ut utraqve pars alterius honorem, utilitatem, & commodum promoveat; sitqve perpetua utrinqve oblivio, & amnestia omnium eorum, qvæ ab initio horum motuum ultro citroqve hostiliter facta sunt, ita nec eorum, nec ullius alterius res causa vel prætextu alter alteri posthac qvidqvam molestiæ directe vel indirecte, specie juris aut via facti, in Imperio aut ubiam extra illud, non obstantibus ullis prioribus pactis in contrarium facientibus, inferat, vel inferri faciat, aut patiatur; sed omnes & singula hinc inde verbis, scriptis aut factis illata injuria, violentia, hostilitates, damna & expensa, absqve omni personarum, rerumve respectu ita penitus abolita sint, ut qvicqvid eo nomine alter adversus alterum prætendere possit, perpetua sit oblivione sepultum. II. Et cum pax Monasterii Westphalorum 24. Octobris anno 1648. concluſa solidissimum hujus mutuæ amicitiæ, tranqvillitatisqve publicæ fundamentum factura sit, restituetur illa in omnibus & singulis suo pristino vigori, manebitqve imposterum sarta tecta, tanqvam si hic ejusdem pacis Instrumentum de verbo ad verbum inseretum legeretur, nisi qvatenus eidem hoc tractatu expresse derogatum est. III. Cum vero vigore dictæ Pacis Monasteriensis Sacra Reg. Maj. christianissimæ perpetuum jus præsidii in fortalitio Philipsburgensi cum jure protectionis acqvisitum, & dictum fortalitium armis cæsareis, Castrum vero & oppidum Friburgense armis Gallicis hoc bello occupatum sit, de hisce locis inter Sacram Cæsaream, & Regiam christianissimam Majestates convenit modo sequenti. IV. S. R. M. Christianissima tam pro se qvam pro hæredibus & successoribus suis renuntiat, cedit qve in perpetuum S. Cæs. Majestati, ejusqve hæredibus & successoribus omne jus protectionis, perpetui præsidii, qvicqvid sibi virtute pacis Monasteriensis in Castrum Philipsburgi competit, nihil in dictum castrum, & in munimenta ei juncta, vel eis & trans Rhenum extructa, juris aut prætensionis, sibi suisqve hæredibus ac successoribus, Regnove Galliæ sub qvocunqve titulo vel prætextu reservans, non obstantibus qvibuscunqve legibus, constitutionibus, statutis, aut aliis in contrarium facientibus, utpote qvibus omnibus & singulis hoc tractatu expresse derogatum sit. V. Vicissim S. C. M. tam pro se, qvam hæredibus & successoribus suis, totaqve Domo Austriaca renunciat, cedit qve in perpetuum S. R. M. Christianissimæ, ejusqve hæredibus & successoribus castrum & oppidum Friburgense, cum tribus ad illud spectantibus pagis Lehn, Mezhausen, & Kirchzart, cum eorum bannis prout ad communitatem dicti oppidi Friburgensis pertinent, una cum omni proprietate, superioritate, jure patronatus, supremo dominio, aliisqve generaliter, qvæ sibi in dictum Friburgum competierint nihil sibi, hæredibus, & successoribus suis, aut Sacro Imperio juris, aut prætensionis sub qvocunqve titulo, aut prætextu in iis reservans, non obstantibus qvibuscunqve legibus, constitutionibus, statutis, aut aliis in contrarium facientibus, utpote qvibus omnibus & singulis hoc tractatu expresse derogatum sit: salvis tamen ejus civitatis privilegiis, & immunitatibus ante hac à Domo Austriaca impetratis, reservatis etiam Episcopo, & Ecclesiæ Constantiensi jure diœcesano, reditibus, aliisqve juribus. VI. Pateat S. R. M. Christianissimæ Brisaco Friburgum per territorium S. C. M. & Imperii ordinaria via (vulgo Landstras) liber, sed innoxius transitus ad inducendos illuc milites, commeatum, & cætera ad præsidium Friburgense necessaria, qvibus & qvoties opus fuerit, sine impedimento aut obstaculo cujuscunqve. VII. Nec fas sit commeatum militarem ad præsidium Friburgense necessarium in dicta via, & transitu Brisaco Friburgum, ullis exactionibus, vectigalibus, pedagiis aut passagiis sive novis sive antiqvis onerare, & impedire. Placuit etiam annonam ad dictum tam præsidii qvam inhabitantium necessariam, qvæ ex qvocunqve Brisgoiæ loco Friburgum inferetur, uti hactenus ita in posterum nullis, aliis autem merces & res qvascunqve non gravioribus vectigalibus, aut impositionibus onerari, qvam si in alia Cæs. Majestatis subdita loca transferrentur, aut ab ipsismet ejusdem Cæs. Majestatis subditis solverentur. VIII. Commissarii ab utraqve parte nominandi intra annum à ratihabita pace statuant, qvænam debita legitime contracta dicto Friburgensi oppido

1679. oppido solvenda incumbunt. IX. Curabit S.R.M. Christianissima bona fide absque ulla mora & retardatione S. C. Mti restitui omnia & singula literaria documenta cujuscunque illa generis sint, quæ in oppido & castro, Cancellaria Regiminis & Camera, aut in ædibus & custodia Consiliariorum, aliorumque officialium, aut alibi tempore occupationis Friburgi reperta sunt; quod si talia documenta sint publica, quæ dictum oppidum Friburgum, eoque spectantes tres pagos simul concernunt, de his inter prædictos Commissarios conveniet, quo in loco servari debeant, ita tamen, ut exempla authentica, quotiescunque requisita fuerint, edantur. X. Liberum sit non tantum Capitulo Basileensi, uti & omnibus & singulis Austriaci Regiminis, & Universitatis Friburgensis membris, horum etiam civibus, & incolis cujuscunque conditionis sint, qui emigrare voluerint, Friburgo domicilium alio, quocunque delibuerint una cum mobilibus bonis sine ullo impedimento, detractione, aut exactione intra annum à ratihabita pace transferre, immobilia vero aut vendere, aut retinere, & per se vel per alium administrare. Eadem quoque facultas retinendæ & administrandi, aut alienandi omnibus aliis maneat, qui bona reditus vel jura in dicta civitate Friburgensi, sive tribus appertinentibus pagis habent. XI. Consensit tamen S.M. Christianissima dictum castrum & oppidum Friburgense unacum tribus appertinentibus pagis S. C. Mti restituere, si de æquivalente ad satisfactionem dictæ R.M. Christianissimæ convenire possit. XII. Cum Dominus Dux Lotharingiæ hoc in bello cum S. C. Majestate conjunctus sit, & præsenti tractatu comprehendi voluerit, restituetur pro se, hæredibus, & successoribus suis in liberam & plenariam possessionem eorum statuum, locorum, & bonorum, quæ patruus ejus Dux Carolus anno 1670. (cum à Christianissimi Regis armis occupata fuerunt,) possidebat, exceptis tamen mutationibus articulis sequentibus explanandis. XIII. Urbs Nancei cum suo banno, (vulgo Finage) maneat perpetuum Coronæ Galliæ unita & incorporata, ita ut illam S.R.M. Christianissima, ejusque hæredes & successores possideant cum omnibus superioritatis, supremi dominii, & proprietatis juribus: eique sini dictus Dux Lotharingiæ tam pro se, quam pro suis hæredibus & successoribus renunciat, cedit, & transfert in perpetuum in alte memoratum Regem Christianissimum, ejusque hæredes & successores, omnia sine ulla retentione aut reservatione jura proprietatis aut supremi dominii, prærogativas omnes & præeminentias, quæ Domino Duci in prædictam Nancei competierunt, aut competere debuerunt: non obstantibus ullis legibus, constitutionibus, statutis, consuetudinibus, aut conventionibus in contrarium sanctis, quibus ut & clausulis derogationum cessatoriis per præsentem tractatum derogatum est. XIV. Et ut eo liberior inter supradictam urbem Nancei, ditionesque Coronæ Galliæ subditas sit communicatio, facilioresque multi Gallico transitus, per Commissarios à Rege Christianissimo & prædicto Duce nominandos, via dimidiatam Lotharingiæ leucam in latum complectentes designabuntur; prima quæ S. Desiderii fano Nanceum; alia, quæ Nanceo in Alsatiam; tertia, quæ ab ipsamet Nancei urbe Vesdrum in comitatum Burgundiæ; quarta demum, quæ Nanceo ad urbem Metensem conducant; ita tamen, ut prædictarum viarum designatio non aliter fiat, quam in designatione viæ anno 1661 Regi Christianissimo à quondam Duce Carolo cessæ observatum fuit. XV. Omnia generaliter, uti supradictum est, designanda loca, pagi, villæ, terræ cum suis dependentiis, quæ in his dimidiatæ leucæ latitudinis viis jacent, cum omnibus tam superioritatis & supremi dominii, quam proprietatis juribus, quibus ante hunc tractatum prædictus Dux, & ejus prædecessores gavisi sunt, ad S.R.M. Christianissimam pertinebunt, ita tamen ut si dictorum locorum banna aut dependentiæ ultra hanc dimidiatæ leucæ latitudinem se porrigant, quod extra illud spatium, limitesque à Commissariis appositos excurret, prædicto Duci ejusque hæredibus & successoribus, ut antea cum omni superioritate, supremo dominio, & proprietate remanebit. XVI. Urbs & præfectura Longwicensis una cum suis pertinentiis & dependentiis, cum omni superioritate, supremo dominio & proprietate maneat in perpetuum penes alte memoratum Dominum Regem Christianissimum, ejusque hæredes & successores; nihilque juris imposterum in iis prætendere possit supradictus Dux, ejusque hæredes & successores; sed in prædictæ urbis & præfecturæ permutationem S.R.M. Christianissima aliam dicto Duci cedet, in uno ex tribus Episcopatibus ejusdem amplitudinis & valoris præfecturam, de qua bona fide inter eosdem Commissarios conveniet; eaque sic cessa & in dictum Ducem à Rege Christianissimo translata, tam ipse Dux, quam ipsius hæredes & successores fruentur in perpetuum cum omnimodis superioritatis, supremi dominii, & proprietatis juribus. XVII. Vicissim etiam S.R.M. Christianissima pro se & Corona Galliæ cedit in compensationem dictæ urbis Nancei, transfertque in prædictum Ducem, ejusque hæredes & successores superioritatem, supremum dominium & proprietatem urbis Tullensis, & ejusdem suburbium cum aliis o-

1679. omnibus juribus, ſpeciatim patronatus prærogativis & præeminentiis, quæ Coronæ Galliæ in dicta urbe Tullenſi, ejusque ſuburbiis & banno (vulgo Finage) competebant, aut competere debebant, ita ut prænominatus Dux, ejusque hæredes & ſucceſſores iis omnibus ſine ullâ retentione aut reſervatione plenarie fruatur; non obſtantibus quibuscunque legibus, conſuetudinibus, ſtatutis, conſtitutionibus, aut conventionibus in contrarium ſanctis, quibus ut & clauſulis derogationum caſſatoriis Rex Chriſtianiſſimus expreſſe hoc præſenti Inſtrumento derogavit. XVIII. Si tamen bannum urbis Tullenſis minoris amplitudinis aut valoris eſſet, quam bannum urbis Nanceanæ, illud Domino Duci compenſabitur, ita ut utriusque urbis banna æqualis amplitudinis ſint, & pretii. XIX. Rex Chriſtianiſſimus renunciabit, uti & præſenti tractatu renunciat in perpetuum pro ſe, hæredibus & ſucceſſoribus ſuis ad manus ſummi Pontificis juri nominandi ſive præſentandi Epiſcopum Tullenſem, ſibi à ſummo Pontifice Clemente IX. indulto, ita ut liberum ſit prædicto Duci pro eo obtinendo ad ſedem Apoſtolicam recurrere. XX. Inſuper conventum fuit, ut memorato Domino Duci ullam mutationem proviſionibus beneficiorum, quæ à S.R.M. Chriſtianiſſima ad diem usque præſentis tractatus collata ſunt, inferre nullatenus fas ſit, illique qui iis proviſi ſunt, in tranquilla dictorum beneficiorum poſſeſſione maneant, adeo ut memoratus Dux eos nullo modo turbare, aut impedire, neque poſſeſſione exuere queat. XXI. Sancitum præterea fuit, ut omnes proceſſus, ſententiæ, atque decreta lata per Conſilium, Judices, aut alios R.M. Chriſtianiſſimæ officiales in controverſiis & actionibus ad finem perductis, tam inter ſubditos dicti Ducatus Lotharingiæ & Barri, quam alios, tempore quo mentionati Status ſub dominio alte memorati Domini Regis Chriſtianiſſimi erant, locum habebunt, atque plenum integrumque ſuum ſortientur effectum, non ſecus ac ſi Rex Chriſtianiſſimus Dominus & poſſeſſor mentionatarum regionum manſiſſet, neque dictas ſententias & decreta in dubium vocare, annullare, aut executionem illorum retardare aut impedire integrum erit. Erit quidem partibus licitum juxta ordinem & diſpoſitionem legum atque conſtitutionum confugere ad reviſionem actorum, interim tamen ſententia ſuo in robore & vigore maneant. XXII. Reſtituentur ſtatim Domino Duci archiva & documenta literaria, quæ in gazophylacio Nanceano & Barrenſi, atque in utraque camera computorum ſive alibi locorum habebantur, & ablata fuerunt. XXIII. S.C.M. conſentit, ut Princeps Franciſcus Egon Epiſcopus Argentinenſis, ejusque frater Princeps Wilhelmus Egon in Furſtenberg, cum eorum ex fratre nepote Principe Antonio Egone in Furſtenberg, eorumque officialibus & miniſtris plene reſtituantur in eum ſtatum, famam, dignitates, jura, vota, ſeſſiones, beneficia & officia, bona feudalia, ſubfeudalia & allodialia, una cum fructibus ſequeſtratis, & in omnia generaliter bona, quibus ante deſtitutionem occaſione hujus belli factam gaviſi ſunt, aut jure gaudere potuerunt, non obſtantibus, & caſſatis quibuscunque in contrarium actis, pactis & decretis. Prædictus etiam Princeps Wilhelmus Egon ſtatim à pace utrinque ratihabita in integram libertatem reſtituetur. Quicquid autem à Capitulo Argentinenſi, aliisque, qui beneficia, & bona ad prædictos Epiſcopum & Principes ſpectantia adminiſtrarunt, & ab iisdem nominatis officialibus contra illos dictum, factum, aut ſcriptum eſt, perpetuæ oblivioni mandetur, nec liceat eos deſuper ullâ ratione compellare, aut iis moleſtiam ſub quocunque prætextu afferre. XXIV. Reſtituantur omnes utriusque partis Vaſalli & ſubditi Eccleſiaſtici & ſeculares honoribus, dignitatibus & beneficiis, quibus ante bellum exortum gaudebant, uti & in universa bona mobilia & immobilia, reditus mobiles, & qui redimi poſſunt, occaſione belli confiſcata, & occupata, una cum juribus, actionibus, & ſucceſſionibus, quæ ipſis durante etiam bello evenerint, ita tamen, ut nihil ratione fructuum & redituum poſt confiſcationem & occupationem perceptorum ex bonis mobilibus, reditibus, & beneficiis ad diem usque ratihabitæ pacis peti poſſit; ſimiliter neque debita, effecta, merces, & mobilia ante memoratum diem fiſco addicta, adeo ut neque creditores privatorum debitorum, nec depoſitarii talium effectorum & mercium, eorumque hæredes, aut cauſam ab iis habentes ea perſequi, aut reſtitutionem ſeu ſatisfactionem prætendere unquam queant: quæ reſtitutiones juxta prædictam formam etiam ad eos extendentur, qui partes contrarias ſecuti fuerint; atque proinde per hunc tractatum in gratiam ſui Principis redibunt, uti & in ſua bona, qualia tempore concluſionis, & ſubſcriptionis hujus tractatus fuerint: hæque ita exſecutioni mandentur, non obſtantibus ullis donationibus, conceſſionibus, declarationibus, confiſcationibus, commiſſis, ſententiis interlocutoriis & definitivis, & ex contumacia, partibus abſentibus & non auditis, latis; quæ ſententiæ & res judicatæ nullæ erunt, & perinde habebuntur, ac ſi judicatæ & pronunciatæ non eſſent, plena libertate & integra manente dictis partibus in patriam redeundi, ex qua ante hæc exceſſerunt, utque ipſi dictis bonis, mobilibus, cenſi-

1679.

1679. censibus, & reditibus frui, aut alibi ubicunque ipsis visum fuerit, domicilium figere possint, prout elegerint, omni violentia penitus exclusa. Si vero alibi morari voluerint, ipsis fas sit per procuratores non suspectos bona & reditus administrare, iisque frui, exceptis tamen beneficiis residentiam requirentibus, quæ personaliter administrari, & obiri debebunt. XXV. Ea de quibus inter S.C.M. & Imperium, & Regem, Regnumque Sveciæ tam pro se, quam pro Duce Gottorpiensi hodie convenit, hoc tractatu comprehensa intelligantur, itaut tam præsens, quam prædictus tractatus Cæsareo-Svecicus unus idemque censeatur, & ejusdem virtutis ac roboris sit, ac si huic Instrumento de verbo ad verbum insertus esset. XXVI. Et cum publicæ tranquillitatis interfit, bellum, quod S.R.M. Christianissima, Regique & Regno Sveciæ cum Rege Daniæ, Electore Brandenburgico, Episcopo Monasteriensi, & Principibus Domus Luneburgicæ, Episcopo Osnabrugensi, & Ducibus Zellensi, & Gvelferbytano adhuc intercedit, quantocyus etiam componi, S. C. M. non minus apud prædictos Principes, quam S.R.M. Christianissima apud Regem Sveciæ officia sua efficacissime interponet, ut pax inter prænemoratas Potentias quamprimum etiam coalescat, eique fini Eædem in armistitium paci concilianda accommodatum statim consentiant. Quod si vero præter expectationem officia hæc optatum finem non assequantur, Cæsarea Majestas, & Status Imperii hac pace comprehensi promittunt, si elapso armistitii tempore prædictos Galliæ, Sveciæque hostes nullo modo, aut sub quocunque prætextu directe vel indirecte juvaturos, aut ullum in hoc bello gerendo Galliæ, Sveciæque impedimentum allaturos, nec passuros, ut prædictorum Galliæ, Sveciæque hostium copiæ hibernæ vel stativa extra ipsorum territoria in Imperio capiant. Manebit etiam liberum S.R.M. Christianissimæ ad prædictum solummodo finem in sequentibus in Imperio locis tenere præsidium, dominis tamen locorum, eorumque subditis innoxium, & sumtibus Regis Christianissimi sustentandum, scilicet in oppidis & urbibus Chasselet, Huy, Verviers, Aqvisgrano, Duren, Linnik, Nuys, & Zons, in quibus nova munimenta extrui non poterunt, nisi in quantum dictorum præsidiorum securitati necessaria erunt, & justam suspicionis causam præbere non possint; nec fas erit Regi Christianissimo ea loca ratione expensarum inibi factarum, aut quocunque alio prætextu retinere, sed ea evacuabit, & restituet iis, à quibus occupavit, statim atque pax inter prædictas partes quoad provincias in Imperio sitas conclusa & ratihabita fuerit, aut ad eam restabiliendam aptiora communi consensu inventa fuerint media. Et vicissim S.R.M. Christianissima promittit, se præsentes Cæsaris aut Imperii hostes nullo modo sub quocunque prætextu directe vel indirecte juvaturam: sit etiam liberum Cæsari & Imperio conjungere cum Rege Christianissimo officia, consilia, & operam, ut bellum illud communi etiam consensu quantocyus sopiatur. XXVII. Juxta pacem Monasteriensem articulo secundo in omnibus confirmatam reciproce restituantur, & restituenda loca evacuentur bona fide. In quem finem Commissarii eodem tempore, quo tractatus hic utrinque ratihabebitur, nominentur, ut prædicta evacuatio & restitutio intra spatium mensis à ratihabita pace absque ulteriori dilatione absolvatur, iis locis hic interim non comprehensis, de quibus præcedenti articulo ad tempus aliter dispositum est. XXVIII. Cum ab antiquo controversia sit de castro & Ducatu Bullionensi inter Episcopum & Principem Leodiensem, & Duces ejus nomine, conventum est, ut Duce Bullionensi in ea in qua nunc est possessione manente, controversia illa amicabili via, vel per arbitros à partibus intra trimestre à ratihabita pace nominandos terminetur, vis facti penitus exclusa. XXIX. Simul atque Instrumentum pacis hujus à Dnn. legatis extraordinariis & plenipotentiariis subscriptum & signatum fuerit, cesset omnis hostilitas. Si quid autem post quatuordecim dies à subscripta pace attentatum fuerit, id quamprimum reparari, & in pristinum statum restitui debeat. XXX. Contributionum vero exactio ab una vel altera parte iis provinciis, ditionibus & locis impositarum, quæ dictis contributionibus ante subscriptionem hujus tractatus se submiserunt, continuabitur usque ad præsentis tractatus ratificationem, & quod tum temporis residuum debebitur, intra quatuor mensium spatium à dicta ratihabitione pendetur: ita tamen ut earum solutio post communicatas reciprocas ratificationes via facti ab iis communitatibus exigi non possit, quæ per idoneos fidejussores cavebunt, se debitam quantitatem in ea urbe, de qua conveniet, numeraturas. XXXI. Licet satis declaratum sit art. 2. hujus tractatus, Instrumentum Pacis Monasteriensis in omnibus & singulis confirmari; expresse tamen placuit, ut omnia quæ in causa Monasteriensi dicto Instrumento Pacis Monasteriensis causa sunt, & deinceps suum obtinent robur & vigorem, inter quæ & ea specialiter firma manebunt, quæ pro Domino Duce Sabaudiæ ibidem provisa reperiuntur. XXXII. Et cum S.C.M. & S.R.M. Christianissima officia & studia Serenissimi Magnæ Britanniæ Regis, quæ conciliandæ paci universali, & tranquillitati publicæ indefinenter impendit, grati 1679.

1679. *animo agnoſcant, utrinqve placuit eum una cum Regnis ſuis præſentes hoc tractatu omnes meliore modo nominatim comprehendi. XXXIII. Comprehendantur etiam hac pace illi, qvi ante permutationem ratificationis, vel intra ſex menſes poſtea ab una vel altera parte ex communi conſenſu nominabuntur. XXXIV. Imperator, & Rex Chriſtianiſſimus conſentiunt, ut omnes Reges, Principes, & Reſp. ſuper exſecutione & obſervantia tam omnium qvam ſingulorum, qvæ præſenti tractatu continentur, alte memoratis S.C.M. & S.R.M. Chriſtianiſſimæ qvarantiam præſtent. XXXV. Pacem hoc modo concluſam promittunt utriusqve partis legati Extraordinarii & Plenipotentiarii reſpective ab Imperatore & Imperio, & Rege Chriſtianiſſimo ad formam hic mutuo placitam ratihabitum iri, ſeqve infallibiliter præſtituros, ut ſolennia ratihabitionum inſtrumenta intra ſpatium octo ſeptimanarum à die ſubſcriptionis computandum, vel citius, ſi fieri poterit, hic reciproce riteqve commutentur. XXXVI. Et cum S. C.M. ab Electoribus, Principibus, & Statibus Imperii vigore concluſi die 31. Maij anno 1677. legatis Gallicis ſub ſigillo Cancellaria Moguntinæ extraditi, decenter reqviſita fuerit, ut dictorum Electorum, Principum, & Statuum Imperii intereſſe per ſuam Cæſaream legationem in hoc congreſſu agi curaret, tam Cæſarei qvam Regii legati nominibus ſupradictis præſens pacis Inſtrumentum in omnium & ſingulorum eo contentorum fidem, majusqve robur ſubſcriptionibus, ſigillisqve propriis munierunt, & competentes ratificationes formula conventa, termino ſupra conſtituto, ſeſe extradituros polliciti ſunt, nec ulla à Directorio Imperii Romani contra ſubſcriptionem hujus tractatus recipiatur, aut valeat vel proteſtatio, vel contradictio. Acta hæc ſunt Neomagi die 5. Februarii Anno Domini M DC LXXIX.*

1679.

Qvædam circa eam pacem notata.

§. 25. Circa eam pacem animadverſum, articulo 26. qvæ de induciis tradebantur ambigue poſita fuiſſe, qvæ ita explicari poterant: qvod ſi Boreales fœderati inducias inire nollent, id qvod in eorum arbitrio poſitum erat, eas qvoqve non deſituras; eoqve Cæſarem, & Imperium non poſſe obſtringi, qvo minus fœderatis auxilium ferant, aut qvo minus impediant, ne iidem à Gallis, Svecisqve bello petantur. Unde Galli circa ea verba ejuſmodi explicationem Cæſareos poſcebant, ut obligatio Cæſaris, & Imperii ab induciis haut pendeat, ſed ut is ſenſus ſit: ſi officia, qvæ conciliandæ Boreali paci impendere animus ſit, non ſufficiant, Borealibus fœderatis omne auxilium denegandum, contra Gallis, & Svecis nullum impedimentum adferendum, qvo minus armis adverſus iſtos utantur. Sed Cæſarei iſthanc interpretationem defugiebant, cauſati, ſe jam avtographum tractatus Viennam miſiſſe; nec ſibi fas qvidqvam circa id mutare. Unde ſpem conceperat Blaſpielus, iſtud data opera ambigue poſitum, ut prætextum foret ratihabitionem pacis abnuendi. Sed Elector eam ſpem inanem judicabat. Nam poſtqvam pacem inſuper habita omni obligatione præcipitarant, haut veroſimile erat ob tam levem cauſam eos pacem bello commutaturos. Id qvoqve circa eam pacem notabatur, qvod cum Cæſarei formulæ ſuæ pacis Gallicæ articulo primo reparationem damnorum à Gallo Ordinibus datorum ſtipulati eſſent, id eos poſtea in ſubſcripto tractatu omiſiſſe, eoqve in contradictorio de ea deſtitiſſe. Qvo ipſo Ordinibus plus præjudicii allatum erat, qvam ſi nunqvam de damnorum reparatione tetigiſſent. In proteſtatione qvoqve paci præmiſſa Ordinibus eo nomine competentem actionem non reſervarant, uti circa alia eodem Inſtrumento omiſſa fecerant. Cum etiam Cæſar accolis Superioris Rheni demolitionem Philipsburgi promiſiſſet, Cæſarea legatio id feſtinatione ſua eluſerat, ne Gallus poſt elapſum præfixum diem eam demolitionem velut conditionem pacis exigeret. Deniqve & altius penetrabat, qvod cum Cæſar conventum fœderatorum Francofurtum indixiſſet ad deliberandum de pace & bello, legati interim pacem deproperarint. Unde credebatur ea indictione fœderatis fucum factum, ejusqve expectatione iſtos in ſecuritatem datos, ne qvis ipſorum pacem præverteret.

Peculiaris contra uſurpationem legationis Cæſarea proteſtatio.

§. 26. Non inſuper qvoqve habendum, Cæſaream legationem haut aliud documentum exhibuiſſe, qvo autoritatem ſibi aſſumeret de Imperii negotiis tractandi, qvam SCtum Ratiſponenſe die 31 Maij anno 1677. conditum; cujus hic erat ſenſus. *E decretis Cæſarea Majeſtatis ad primarium ipſius Commiſſarium Marqvardum Aichſtadienſem Epiſcopum miſſis circa negotiationem pacis Neomagi inſtituendam, & Ordinum eodem legationem Electores, Principes, ac Status Cæſaris ſuper eo negotio declarationem perſpexiſſe. Ea re per tria Imperii Collegia in conſultationem deducta placuiſſe; Cæſari pro ſingulari in promovendam pacem ſtudio gratias agendas, eumqve rogandum, ut neceſſarium hoc, & ſalutare negotium tranqvillando Imperio ulterius qvoqve cordi habeat. Tum ut juxta dictatum pacis Weſtphalicæ articulo 8. de*

1679. de omnibus, qvæ circa idem agentur mature communicet, qvo ab universis Ordinibus ista pro re nata maturæ deliberationi subjici, ac pro more suæ sententia eidem exponi qveat. Sperare qvoqve Cæsarem legatis ibi suis injuncturum, ut eorum Ordinum legatis, qui ibi comparituri sint, circa' pervincenda sua desideria sedulam operam navent. Id SCtum Cæsar isthoc rescripto confirmarat. Uti ipse de paterna circa salutem Imperii cura, & qvod nihil eorum, qvæ ad tutam, stabilem, & honestam pacem faciunt, in se desiderari passurus sit, Ordinibus subinde confirmaris, ac eorum, qvæ hucusqve Neomagi acta sint, subinde coram ius fecerit, singulorum qvoqve ibi insinuatis desideriis qvantum desur velificaturus: ista se deinceps qvoqve huic congressui de omnibus, qvæ Neomagi agenda sint, exacte communicaturum, & ipsis inconsultis nihil ad summam rei spectans concluſurum: nec minus suæ legationi injuncturum, ut Ordinum ibi legatos circa aqvæ sua desideria obtinenda pro viribi fulciant. Ast cum legatio Cæsarea nihil minus qvam ad normam istius SCti Neomagi processisset, Blaspielo è re visum adversus agendi modum ab ista adhibitum protestationem in hunc sensum interponere. Meminisse Cæsaream legationem, se in protestationibus adversus separatam Cæsaris cum Gallo & Sveco pacem inter alia qvestum, eam nomine universorum Imperii Ordinum complura negotia, qvæ absqve horum prævia notitia, & consensu à Cæsare expediri non possint, ea pace definire aggressam. Eum conatum cum legati è SCto die 31 Maij anno 1677. adstruere instituerint, nulla tamen ejusdem, uti petitum fuerit, communicatione facta, qvam ipse post aliunde obtinuerit; ex eo statim se perspexisse, eam rem aliter, atqve jactatum sit, se habere, ac id SCtum haut qvidqvam facere ad adstruendam autoritatem, qvam ipsi sibi arrogarint, sed potius tacitam contradictionem, & Protestationem adversus ejusmodi tractatus pacis legitima forma destitutos continere. Nam eo SCto Cæsarem ab Ordinibus fuisse requisitum, ut postqvam is de studio circa pacem promovendam testatus sit, id tam necessarium & salutare Imperio negotium deinceps qvoqve cordi habeat. Tum us ad normam Pacis Westphalicæ, & ultronea promissa de omnibus, qvæ subinde inter tractatus pacis agantur, mature communicet, qvo Ordines pro re nata istis in deliberationem deductis Cæsari sententiam suam exponere qveant. Denique ut Cæsar legationi suæ injungat, qvo eorum Ordinum legatis ibi comparituris ad obtinenda sua desideria enixam operam navent. His Ordinum petitis Cæsarem rescripto suo per omnia annuisse, addito, se circa primarium negotium inconsultis Ordinibus nil concluſurum. Ast qvam parum Cæsarea legatio huc respexerit, & qvam parum ejusdem ausu ex hoc SCto adstrui qveant, facile adparere, si ista cum hoc comparentur. Nam nunqvam Cæsarem ab Ordinibus requisitum fuisse, ut Electorum, Principum, & Statuum Imperii interesse per suam Cæsaream legationem in hoc congressu agi curet, uti eadem hoc asserunt; sed tantum ut Cæsar negotium pacis, prout ultro obtulit, deinceps qvoqve ad salutem, & qvietem Imperii cordi habeat. Ordines qvoqve id non ita simpliciter, & sine exceptione petisse, multo minus suo jure cessisse, sed prius eorum qvæ agantur communicationem postulasse. Unde gravem hisce qverendi causam esse, per legationem Cæsaream de summa rerum ad extremum concluſa conventui Ratisponensi ad deliberationem, ac legato Brandenburgico huic præsenti rite, aut justo tempore haut fuisse communicatum, sed obiter, ac per partes, ac fere post rem transactam. Ordines qvoqve SCto voluisse communicata deliberationi subjicere, ac super iis Cæsari sententiam suam exponere. Ast uti à Cæsare debitam communicationem haut factam, ita nec Ordines ante absolutos tractatus de iis consulture, nec sententiam suam Cæsari exponere potuisse. Qvin Cæsaream legationem insciis, & non consentientibus Ordinibus circa summam rerum, & maximi momenti negotia propria autoritate transegisse, non sine gravissimo istorum præjudicio, eorundemqve juribus magnopere læsis. Denique tantum abesse, ut Cæsarei Ordinum legatis Neomagi agentibus circa obtinenda sua desideria operam navarint, ut potius hisce insciis atqve invitis, qvæ iisdem commissa fuerant negotiis sese ingessisse, ac inter alia in fraudem Electoris Brandenburgici circa complura cum hostibus transegisse. Cum itaqve legatio Cæsarea directe adversus commune Ordinum decretum egerit, ac susceptæ proprio ausu negotiatione libertatem, & jura omnium Ordinum, ac peculiariter Electoris Brandenburgici enormiter violarit, ac insuper in majorem imminutionem istorum jurium in fine pacis Gallicæ addiderit protestationes, & contradictiones, qvæ forte nomine Imperii contra subscriptionem separatæ hujus pacis interponenda sint, non recipiendas, nec valituras; omnia autem, hoc modo adversus Auream Bullam, Cæsaream Capitulationem, Constitutiones Imperii, ac contra pacis Westphalicæ articulum octavum à Cæsarea legatione admissa ipso jure invalida, & irrita sint: se non posse qvin denuo super usurpatis, ac turbatis à Cæsarea

1677. 6. Jul.

1. Febr.

1679. *sarea legatione omnium Ordinum, ac peculiariter Electoris Brandenburgici juribus qvam solennissime protestetur, ac ejusdem acta ipso jure nulla pro talibus qvoque agnoscat. Tum Electori Brandenburgico omnia ex Aurea Bulla, Capitulatione Cæsarea, legibus Imperii, & Pace Westphalica competentia jura reservare. Denique circa reliqva præjudicia à Cæsarea legatione adversus fœdera, & alia jura Electori Brandenburgico per separatum illum agendi modum, & tractatum intentata, se ad varias antea factas demonstrationes, monita, contradictiones, & protestationes provocare, qvas hoc repetere velit; ac confidere, Cæsarem de hac re rite informatum, qvin & Galliæ Regem, qvi ad stabiliendа Ordinum jura, ob qvorum infractionem tantum sanguinis profusum fuerat, tantum laboris Pace Westphalica impendit, eaqve se tuturum subinde adhuc testatur, agnituros, ista pacta velut ipso jure nulla rejecturos, nec ut rata habeantur unqvam concessuros.* Isthanc protestationem legati Cæsarei perlectam Blaspielo redhibuerunt.

Luneburgica protestatio. 25. Jan.

§. 27. Nec minus ablegati Luneburgici, utut isti Duces eodem cum Cæsareis die separatam pacem inivissent, Cæsareorum paci isthanc protestationem oppossuerunt. *Serenissimorum Principum Domini Ernesti Augusti, Domini Georgii Wilhelmi, & Domini Rudolfi Augusti, respective Episcopi Osnabrugensis, & Ducum Brunsvicensium ac Luneburgensium ministri Plenipotentiarii intelligentes Exc. Cæs. legationem cum Gallica particularem inisse pacem, & in eo esse, ut idem cum Svecica qvantocyus peragat, officii sui esse existimarunt, dictæ legationi Cæsareæ exponere, qvanta cum consternatione, & ægritudine perceperint, Exc. Dnn. Legatos non solum posthabitis Serenissimis Ducibus seperatam composuisse pacem, qvod tamen & ipsum fœderi, qvod cum Sacra Cæs. Maj. Serenitatibus suis intercedit, & cujus tenore non aliter qvam conjunctim, & pari cum ipsis passu inchoandа illa, multo magis constituenda erat, contrariatur; sed & ejusmodi in ea conditionibus adstipulatos esse, qvæ dicto fœderi æqve, qvam legibus & constitutionibus Imperii manifesto reclamant, qvæqve & ab Augustissimi Imperatoris officio aliena sunt, & sacrum, qvo Status Imperii continetur, vinculum solvunt. Hi enim cum Serenissimi Duces, qvorum merita erga Imperium satis innotuerunt, qvique non aham ob causam, qvam qvod pro eo certarunt, Reges Galliæ, Sveciæqve hostes habent, in hostium Corona Galliæ numerum referuntur, simul omne ab Imperio ipsis detrahitur auxilium, armis qvoque exponuntur, contra qvæ concives suos pro viribus defenderunt. Cum vero hac ratione maximum accipiant detrimentum, ac præsentissimo periculo onerentur, & supra memorati Domini legati Cæsarei ne qvidem eo usqve dictæ pacis conclusionem extrahere voluerint, qvo infra scripti ministri tractatibus hujus loci accedere, & ut adversa pars mandatis ad id necessariis sese instrueret, obtinere potuerint; infra scripti ministri omittere non possunt, qvin contra hanc à Cæsarea legatione initam particularem pacem qvam solennissime, & optima qvæ fieri potest forma protestentur, reservantes Serenissimis Ducibus, Dominis suis clementissimis omnia & singula jura, qvæ ipsis vigore fœderis, Constitutionum Imperii, & usu gentium ullo modo competunt, & in conspectu hujus orbis concilii declarantes, excusatos illos fore ab omnibus istis malis, qvæ per separatam hanc pacem Sacrum Romanum Imperium poterunt manere.* Adversus articulum 28. duntaxat protestationem interponebat Elector Colonienſis tanqvam Episcopus Leodiensis, & Capitulum Leodiense, qvæ circa Ducatum Bullionensem ibi dispolita sint, citra ullum ipsorum mandatum, aut consensum inserta fuisse, neqve inseri debuisse; qvod notorium sit, eum Ducatum ab Imperio separatum, & independentem esse; eoqve sperare integrum jus Ecclesiæ Leodiensi fore, qvæ nullas in præsenti bello partes habuerit.

Instrumentum Pacis Cæsareo-Svecica.

§. 28. Pacis inter Cæsareos, Svecosqve initæ ingressus iisdem verbis, qvibus Gallicæ, constabat, nisi qvod loco Gallicorum legatorum Svecici Benedictus Oxenstierna, & Joannes Paulin Olivecranz substituti essent. Articuli tales erant. *I. Sit pax Christiana, inviolabilis, ac perpetua, deraqve, & sincera amicitia inter Sac. Cæs. Majestatem, Romanum Imperium, eorumqve omnes & singulos fœderatos hac pace comprehensos, & singulorum hæredes & successores ab una; atqve Sac. R. Majestatem, Regnumqve Svecie, & ejusdem fœderatos hac pace comprehensos, atqve singulorum hæredes ac successores ab altera parte; ideoqve statim cessent omnes cujuscunqve generis hostilitatum actus per omnia, & qvovis utriusqve partis Regna, Status, ditiones, ac provincias ubicunqve sitas, inter omnes & singulos eorundem subditos & incolas, cujuscunqve fuerint conditionis, ita ut altera pars alteri nihil posthac inimicitiæ aut damni, clam aut palam, directe vel indirecte, per suos vel per alios inferri faciat, sed potius utraqve pars alterius utilitatem, honorem, & commodum promoveat, atqve sic utrinqve fida vicinitas, atqve reciproca studiorum & officiorum pacis & amicitiæ neces-*

1679. *necessitudo restituta maneat, & perennet.* *II. Et quo accuratius huic rei caveatur, placita est utrinque perpetua oblivio & amnestia omnium eorum, quæ à primordio horum motuum quocunque loco modove ab una vel altera parte ultro citroque inimice, aut hostiliter facta sunt, ita ut nec eorum, nec ullius alterius rei causa vel prætextu alter alteri quidquam hostilitatis, molestiæ, vel impedimenti quoad personas, res, jura, vel securitatem per se vel per alios, clam aut palam, directe vel indirecte, specie juris aut via facti, in Imperio aut uspiam extra illud (non obstantibus ullis prioribus pactis in contrarium facientibus,) inferat, vel inferri faciat, vel patiatur; sed omnes & singula hinc inde tam ante bellum quam in bello, verbis, scriptis aut factis illatæ injuriæ, violentiæ, hostilitates, præjudicia, damna, expensæ, absque omni personarum respectu ita penitus abolitæ sint, ut quicquid eo nomine una pars adversus alteram prætendere possit, perpetua sit oblivione sepultum. Gaudeantque pariter hac eadem amnestia, ejusque beneficiis & effectu omnes & singuli utriusque partis Vasalli ac subditi, ita ut nemini noxæ, damnoque sit, aut præjudicio hac vel illas partes secutum esse, quo minus pristino, in quo ante bellum immediate fuit, statui quoad honores, & bona plene restituatur.* *III. Juxta hoc universalis ac illimitatæ amnestiæ fundamentum, & ut præsentis pacis, ac amicitiæ eo certior regula inter partes paciscentes constituatur, mutuo consensu conventum est, ut pax Westphalica, Osnabrugis die 24. Octobris anno 1648. sancita, sit firma basis, ac omnimoda norma hujus pacificationis, ita ut pristino suo vigori restituta imposterum sarta tecta sit, maneatque, æque ac ante hos præsentes belli motus, pragmatica Imperii sanctio, & lex fundamentalis, qua iterum partes paciscentes mutuo obligatæ, & obstrictæ sint invicem, non obstantibus, sed annullatis quibuscunque actis, decretis, mandatis vel mutationibus per hos belli motus in contrarium factis.* *IV. In majus autem amicitiæ, & arctioris conjunctionis robur neuter paciscentium ulla fœdera huic paci contraria habeat, neque posthac ulli tractatui, vel negotiationi in alterius damnum vel præjudicium tendenti consensum suum det, sed potius talibus adversetur, neque hostibus alterius, sive his qui præsenti tempore hostes sunt, sive iis, qui posthac existere poterunt, ullum omnino auxilium militare, armis, munitionibus, navibus, nautis, ullisve rebus bellicis, pecuniave ac belli subsidia, sive directe sive indirecte, sive privato sive publico nomine præstet, nec eosdem ullis statibus vel hibernis in Imperii, vel Regni Sveciæ ditionibus juvet, aut juvari faciat, salvo guarantiæ articulo infra descripto.* *V. Cum tranquillitatis publicæ interfit, bellum quod S.R. Majestati Regnoque Sveciæ ejusdemque fœderatis cum Rege Daniæ, Domino Electore Brandenburgico, Episcopo Monasteriensi, & Ducibus Brunsvigo-Luneburgicis, Osnabrugensi, Zellensi, & Guelferbytano adhuc intercedit, quantocyus etiam S. Cæs. M. & Imperium tam per se, quam junctæ operæ cum aliis officia sua ad pacem conciliandam efficacissime interponent, salva semper inter Cæsarem & Imperium, atque Regem Regnumque Sveciæ de hostibus mutuo non juvandis anteriori articulo sancita reciproca obligatione. Quamdiu autem pax inter prædictas partes non coaluerit, nullum omnino afferetur S. R. Majestati Sveciæ in bello contra prædictos suos hostes gerendo obstaculum vel impedimentum; pace vero facta ea hoc tractatu ita comprehensa intelligatur, quasi hic specifice inserta esset.* *VI. Redeant utrinque libera negotiandi commercia terra marique, sintque, & maneant subditis S. Cæs. Majestatis & Imperii, inprimis civitatibus Hanseaticis in Regno, provinciis, ditionibus, & portubus Sveciæ, & vicissim subditis Sveciæ in Imperio eadem libertas, immunitas, jura, privilegia, & emolumenta, quibus ante hos belli motus mutuo gavisi sunt.* *VII. S. Cæs. M. pro munere Cæsareo Domino Christiano Alberto, Slesvici, & Holsatiæ Duci Gottorpiensi, non minus quam reliquis Imperii Statibus juxta leges constitutionesque Imperii protectionem suam impertietur, ut eidem ditiones in Imperio sitæ, & competentia jura sarta tecta sint, interponetque officia, ut reliquæ etiam controversiæ inter Regem Daniæ, & prædictum Ducem componantur.* *VIII. Imperator, & Rex Sveciæ consentiunt, ut Rex Magnæ Britanniæ, tanquam Mediator, ut & omnes Reges, Principes, & Respublicæ super executione, & observantia tam omnium quam singulorum, quæ præsenti tractatu continentur, altememoratis Sacræ C. M. & S.R. Majestati Sveciæ guarantiam præstent.* *IX. Et cum Sacra C. M. & S.R.M. Sveciæ officia & studia Serenissimi Magnæ Britanniæ Regis, quæ conciliandæ paci universali, & tranquillitati publicæ indesinenter impendit, grato animo agnoscant, utrinque placuit, eum cum Regnis suis præsenti hoc tractatu omni meliori modo nominatim comprehendi.* *X. Comprehendantur præterea hac pace illi, qui ante permutationem ratificationis, vel intra sex menses postea ab una vel altera parte de communi consensu nominabuntur. Ea quoque de quibus inter Sacram Cæs. Maj. ac Imperium, & Regem Christianissimum convenit, hoc tractatu comprehensa intelligantur, eodem plane loco habenda, ac si huic verbotenus inserta essent.* 1679.

1679. *sent. XI. Pacem hoc modo conclusam promittunt legati extraordinarii & plenipotentiarii supradicti ab Imperatore & Imperio ex una, & Rege Sveciæ ex altera partibus, ad formam hic mutuo placitam ratihabitum iri, seqve infallibiliter præstituros, ut solemnia ratihabitionum instrumenta intra spatium octo septimanarum, à die subscriptionis computandum, aut citius, si fieri possit, hic reciproce, riteqve commutentur. XII. Et cum Sacra Cæs. M. ab Electoribus, Principibus, & Statibus Imperii vigore concluſi die 31. Maij anno 1677 legatis Svecicis sub sigillo Cancellariæ Moguntinæ extraditi decenter requisita fuerit, ut dictorum Electorum, Principum, ac Statuum Imperii interesse per suam Cæsaream legationem in hoc congressu agi curaret; tam Cæsarei, qvam Regii legati nominibus supradictis præsens Pacis Instrumentum in omnium & singulorum eo consentorum fidem, majusque robur subscriptionibus, sigillisqve propriis munierunt, & competentes ratificationes formula conventa, termino supra constituto, sese extradituros pollicitisunt; nec ulla à directorio S. Rom. Imperii contra subscriptionem hujus tractatus recipiatur, aut valeat vel protestatio, vel contradictio. Acta hæc sunt Noviomagi die V. Febr. anno M DC LXXIX.*

Cæsareorum legatorum declaratio.

§. 29. Huic Instrumento legati Cæsarei isthanc declarationem addebant. *Cum de articulo tertio tractatus Cæsareo-Svecici multum difficultatis fuerit, cui tollendæ Excell: Dnn. legati Svecici palam contestati sint, dispositionem istius articuli eo extendi non posse, ut à Sacra Cæs. M. & Imperio Principes in bello manentes, articulo V. nominati, ad restitutionem Pacis Westphalicæ Osnabrugensis obligari debeant, sed virtute articuli V. hanc rem ad particulares Tractatus remisit; se tamen hanc suam declarationem in tractatu, cui subscripturi sint, admittere non posse, legatio Cæsarea operæ pretium duxit, Excell. Dnn. os Mediatores ante tractatus Cæsareo-Svecici subscriptionem eo uxe rogare, ut prædictam Dnn. legatorum Sveciæ declarationem, à nobis acceptam, congruo loco ad mediationis & relationum suarum commentarios referre non graventur: & simul meminisse, quod articulus projecti Cæsareo-Svecici de telonio Warnemundensi, & juribus Dnn. Ducum Meclenburgensium, uti & civitatis Bremensis in ipso tractatu ideo tantum omissus sit, qvod Domini legati Svecici constanter negarint, se de his ab aula sua ob impeditam correspondentiam necdum informatos, & instructos esse, Cæsarea vero legatio eam ob rem ulteriores moras paci poni noluerit, cum etiam absqve ejusmodi stipulatione jura clara sint, & Cæsaris & Imperii protectione tuta.*

§. 30. Pridie qvam hæc pax subscriberetur, Danica & Electoris legatio ejusmodi protestationem contra eam interposuit. *Legationes Danica, & Brandenburgica intelligentes Cæsaream legationem cum Svecicis Dnn. legatis in id incumbere, ut pax qvoqve inter suam Cæs. Maj. & suam Reg. M. Sveciæ propediem componatur, sibi persvadent, Cæsaream legationem cum Dnn. Legatis Svecicis saltem pacem haut paciturum esse particularem, exclusis iis, qvibus præcipue bellum cum Sveciæ est. A qva qvidem injuria eam eo alieniorem fore confidunt. Primo, quod jam inde ab initio tractatuum Serenissimi ipsorum Domini magna cupiditate pacem cum Svecia eqvis conditionibus faciendi flagrarint, eorumqve legationes nihil qvidqvam, qvod eidem promovendæ inservire potuit, omiserint. Deinde, quod eo sine prædictæ legationes jam aliqvot abhinc hebdomadibus Dno. Mediatori Anglico projecta pacis tradiderint, reddenda Dnn. legatis Svecicis, statim ac ex sua qvoqve parte aliqua exhibuerint. Præterea, qvod concedendo Svecicis legatis liberum literarum commercium omnem prætextum refugiendi pacis negotiationem subtraxerint. Denique quod causa Regis Sveciæ à causa Regis Galliæ multum differat. Cum hoc namqve Cæsarea Sua Majestas, & Imperium bellum gessere solenne; contra illum vero, qvi Statum Imperii, & fracta pacis publicæ reum, & condemnatum, judicis officio defuncti fuere, non nisi mandatis pœnalibus contra eandem decretis, & publicatis. Qvocunqve autem modo Sua Cæs. Maj. cum Sua R. Majestate Svecia reconciliabitur, prædictæ legationes à Cæsarea contendunt, ut ne qvid contra leges, constitutiones, fidejussionem, decretaqve Imperii, & contra religiose sancita fœdera, promissa, obligationes, & alia qvacunqve jura in Serenissimorum Dominorum suorum præjudicium agere, facere, aut omittere velit. Qvod si vero Cæsarea legatio præter omnem spem, neglecta hac multiplici obligatione in præjudicium eorum qvidqvam fecerit, aut omiserit, hoc casu præfatæ legationes non possunt, qvin de injuria, damnisqve Serenissimis suis Dominis hac ratione illatis qvam solennissime protestentur. Repetentes qvacunqve contra Cæsareo-Gallicam pacem declararunt, Serenissimisqve Dominis suis reservarunt.*

1679. *Protestatio contra hanc pacem. 25. Jan.*

Protestatio Nuntii Pontificii.

§. 31. *Haut absre qvoqve fuerit protestationem Nuntii Pontificii hic inserere, sedis Romanæ in Rempublicam Germanicam affectum exprimentem, cujus stabilem concordiam illa à multis retro seculis rationibus suis adversam duxit. Aloysius Dei & Apostolicæ sedis gratia Patriarcha Alexandrinus*

S. D. N.

1679. *S.D.N. Innocentii divina providentia Papæ XI. Nuntius extraordinarius. Acerbissimis discordiis ardente Christiana Rep. cum Beatissimus Innocentius XI. ad Apostolici muneris onus esset evocatus, nihil majus in votis habuit, qvam qvod vehementissime adhuc Cardinalis concupierat, ut conciliatis Catholicorum Principum animis, exoptatæ tandem tranqvillitas tot afflictis diuturno bello, iisqve florentissimis provinciis restitueretur. Nullus ideo nec precibus apud Deum, nec officiis, & hortationibus apud Principes huic paternæ suæ sollicitudini defuit: donec ad tractatus generales pacis in hac urbe institutos me immerentem, ac tanto muneri imparem Charitatis suæ interpretem delegit, omnibus iis consiliis posthabitis, qvæ in contrarium svadere videbantur. Cum igitur me huc contulissem, omni studio ac contentione, sicuti omnibus notum est, pro virium mearum tenuitate curavi, ut superatis iis difficultatibus, qvæ gravissimum bellum protrahebant, concordia tandem coalesceret, ea tamen semper mente, & fiducia, ne qvid injuriæ, ac detrimenti in ipsa pacis sanctione orthodoxæ religioni, atqve Sedis Apostolicæ, & Ecclesiarum juribus inferretur. Sed qvotidie magis divina misericordia operante rebus ad compositionem tendentibus, maximo animi mei angore percepi, inter Principes belligerantes concordiam ita parari, ut pacificatio Westphalica pro illius norma, basi & fundamento constitueretur. Qvapropter non solum præsentiam meam à postremis hisce tractatibus subduxi, ac pacis subscriptioni interesse nolui, ne exinde aliqvid roboris, aut assensus præsenti pacificationis Westphalicæ confirmationi adjicere viderer, verum etiam ne ullo unqvam tempore silentium meum pro acqviescentia interpretari possit, nec non obviam iturus qvibusdam aliis præjudiciis inhærendo tum speciali ejusdem S. D. N. Papæ mandato, de qvo ex literis in forma Brevis sub die 14. Maji 1678. ad me datis plene constat, tum protestationi per Episcopum Neritonensem Nuntium Apostolicum die 26. Octobris anni 1648. interpositæ adversus præjudicia per pacem Westphalicam Catholicæ religioni, & S. Sedis, ac Ecclesiarum Germanicarum juribus illata, atqve subsecutæ præfatorum præjudiciorum revocationi, & irritationi per felicis memoriæ Innocentium X. sub dato Romæ 26 Novembris ejusdem anni 1648. Cum demum inhærendo declarationibus, ac protestationibus per me ore & scripto factis, & repetitis ab Excell: D. D. Legatis Imperialibus, & Gallicis, ejusmodi pericula tempestive præveniendo, sub diebus 30 & 31. Octobris anni proxime elapsi exhibitis, solemniter declaro, & protestor omnibus melioribus modo, via, jure, causa, & forma, qvibus pro officii mei ratione possum, & debeo, me qvamvis tractatibus pacis generalis in hac urbe faciendæ præsentem nullatenus consensisse, vel etiam consentire confirmationi dictæ pacis Westphalicæ, aut cuicunqve alteri, vel minimo Religionis Catholicæ, Sedis Apostolicæ, ac qvarumcunqve Ecclesiarum præjudicio, ac detrimento; imo prædictam pacem ea qva fungor autoritate rursus reprobo, & impugno, juraqve tam S. Sedis, qvam qvarumcunqve Ecclesiarum salva & illæsa, non obstantibus verum annullatis omnibus, & qvibuscunqve actibus, pactionibus, ac tractatibus in contrarium facientibus, fore & esse omni meliori modo, ut supra declaro, & protestor, ita ut nullo unqvam tempore mea, ut supra, acqviescentia, aut consensus allegari valeat. Ad qvorum omnium & singulorum ampliorem, diuturnioremqve notitiam, atqve evidentiam apud absentes qvoqve & posteros adstruendam, has præsentes literas manu mea subscriptas, ac majori meo sigillo munitas extare volui. Datum Neomagi septimo Februarii. 1679. A. Bevilaqva. Patr. Alexand. Augustinus Pinchiavius Nuntiaturæ Apost. Auditor.* Non omittendum qvoqve fuerit, in ea pace mentionem Pontificis velut sequestris ideo haut factam, qvod in mandato Nuntii positū esset, cum missum *ad utrumqve Regem*, non expresso ad Galliæ, & Hispaniæ Regem, qvasi Pontifex non agnosceret prærogativam Galli, qvam hic contra Hispanum sibi asserebat. 1679.

§. 32. Aſt Elector, postqvam Cæsarei in pacem ruissent, qvid hac rerum facie facto opus foret, ad Consiliarios referebat. Ubi omnes satis agnoscebant, qvam siniſtre aula Cæsarea cum Electore egisset; qvam turpes conditiones pacis pro Cæsare & Imperio obtentæ forent, qvam noxiæ pro fœderatis, qvam indecores ad posteritatis memoriam. Haut eo minus ex omnibus indiciis colligi, ratihabitionem utiqve secuturam. Non posse tamen non Electorem omnia remedia tentare huic inhibendæ, ac bello continuando, num honestior pax obtineri qveat. Et qvia Cæsarea aula duo potissimum reqviret, si bellum sibi persequendum sit; ut fœderati exercitus suos ipsi alant; nec evictionem bello partorum à Cæsare stipulentur: utut difficile sit futurum exercitum absqve hospitiis, & subsidiis sustentare, tamen si & hæc conditio probetur, mox adpariturum, num bellum aulæ Cæsareæ cordi sit. Ac haut eo minus, ubi denuo Cæsar in bellum descenderit, curam pro servando Electoris exercitu eidem suscipiendam. Aſt ubi aula Cæsarea qvæ offerantur plane adspernetur, eo magis seipsam injuriæ damnaturam, ac Electori

Consultatio super præsenti rerum statu. 21. Febr.

1679. tanto plus juris adqvisitum iri eo nomine apud Cæsarem qverendi, ac de acceptis damnis satisfactionem postulandi. Deinde qvenqvam Electori svadendum non sit bellum continuare, ni spes Pomeraniam obtinendi sit: id tamen non à Cæsaris sponsione, sed à successu armorum contra Gallos proventurum. Unde si nova pacta cum Cæsare sint ineunda, istum articulum sicco pede prætereundum, ac nude priori fœderi insistendum, ubi Electori satisfactio laxis verbis promissa sit. Ast si Cæsar, uti verosimile videtur, pacem firmaverit, durorem loco fore, qvod tunc Elector solo cum Dano destituendus sit. Nec enim certius qvid fore, qvam eo casu Monasterienſem qvoqve, ac Luneburgicos sibi solis res suas habituros. Qvod si igitur Gallus qvalibuscunqve conditionibus oblatis permoveri neqveat, ut totam Pomeraniam Electori concedat, aut saltem Sveci tutelam ne suscipiat; eum solum Gallicæ potentiæ sustinendæ haut parem futurum; eoqve præstare qvantacunqve Pomeraniæ parte adqviescere. Nam si maxime Bavarus, & Saxo officium tractatui cum Svecis conciliando offerant; haut tamen credendum iisdem cordi fore, Electorem tota Pomerania potiri; ac præcipue Saxonem duras conditiones propositurum, puta ut Magdeburgica ditio adhuc unius hominis ætatem penes Saxonicam domum maneat. Porro firmata Cæsaris pace, ac Electore solo in armis persistente, hospitiorum nullam amplius copiam fore; omnes eidem adversaturos, velut per qvem Germaniæ qviete frui haut liceat; tum transitum nostro militi negaturos, hostibus contra velificaturos. Westphalicas qvoqve ditiones hostii in prædam cessuras, exercitum attenuandum. Nec eo magis plenam à Svecis securitatem adqvirendam, his in Bremenſem provinciam restitutis, ubi Germaniam inqvietandi occasio defutura non sit. Enimvero haut ideo ad desperata consilia descendendum. Nam uti nunc Elector favente Numine ab istorum oppressione summa cum gloria sese liberavit; ita nec in posterum compescendis Svecis remedia defore.

Super ea pace Vienna expostulationes. 3. Febr.

§. 33. Ast Viemæ, cum nuper tam magna spes fœderatis facta esset, adparatu belli non parum fervente, nuntius de perfecta pace omnia evertebat. Eam Cæsar admodum sibi displicere ostendebat, ac tota aula detestabatur; qvam & Crocovius non segniter exagitabat. E Cæsareis ministris, qvi paci contradixerant, legatos mandata transgressos clamabant. Qvi pacem ingesserant, haut eo minus eam noxiam, inhonestam, intutam agnoscebant; ei tamen utcunqve excusandæ veteres, ac novæ qverelæ occinebantur. Fœderatos haut uti par erat cum Cæsare egisse. Omnia sibi adqvirere, nil ut Cæsari adcrescat voluisse. Huic non satis auxilii adversus Gallos præbitum. Fœderatos in tertium usqve annum circa exercitum ad Inferiorem Rhenum parandum sategisse, nullo effectu. Nunqvam Cæsari obtemperatum fuisse, neqve circa suscipiendas bellicas actiones, esse in hospitiorum negotio. Nec spem esse Francofurti solidi qvid peractum iri. Valde qvoqve exaggerabatur, qvod Spanius jactasse diceretur, se nulli Cæsareo duci pariturum, qvi non sublimiori militiæ gradu, atqve ipse foret. Nam Viennæ fixum sedebat, Cæsareo duci in Electoralem, aut Principalem pari dignatione nulla vetustatis prærogativa imperium deberi, ubi junctim rem agant, idqve semper ita usu fuisse receptum. Addebatur periculum Rhenani tractus, & qvam jejune hinc arma adversus ingruentem tantam molem parentur. Ni pax prævertisset, à Gallo Coloniam, Treviros, Bonnam fuisse opprimendam. Totam Germaniam anxie pacem exposcere. Deniqve ab omnibus fœderatis separatos cum Gallo tractatus agitari, ac inprimis Meinderſij in Galliam iter ingentem suspicionem injecisse. Hanc cum Blaspielus Cæsareis legatis eximere studuisset, hi magna cum dissimulatione testati fuerant, ejus profectionis rationes sibi probari, nec ex ea siniſtri qvid metuere. Ast nunc acta sua potissimum ejus itineris prætexto excusabant, qvi & literas suas ad Cæsarem ita ordiebantur: *Cæsarem sine dubio miraturum, tantopere à se fuisse festinatum, ac pacem in eas leges admissam. Sed se judicasse, ipsum tempora articulum urgere, nec sibi expectandum, qvoad Meinderſius Lutetiam advenerit, ibiqve cum Gallis transegerit, ac Brunſvicenſes Duces, Monasterienſisqve tractatus suos fere adornatos absolverint. Sane constare sibi Meinderſii negotiationem longe provectam, eiqve jamjam supremam manum imponendam. Ac facile judicari posse, si is Svecos à Gallia disjungere aggrediatur, majora emolumenta Galliæ esse promittenda, qvam à Svecis præstari potuerint; qvæ non nisi in fraudem Domus Austriacæ & Imperii tendere qveant.* Qvem colorem fingi manifestum erat, cum legati Cæsarei satis nossent, eo tempore Electori adhuc fixum sediſſe ne unum qvidem Pomeraniæ vicum restituere, Svecis ad assem amissa omnia repetentibus. Sed

nec

1679. nec tunc iisdem constare poterat, Meindersium Lutetiam perveniſſe, multo minus ibi qvid tractaſſe. Qvin iidem poſt iſtius Neomago diſceſſum Blaſpielo confirmarant, ſe Gallorum conditiones haut admiſſuros, nec abſqve prævia communicatione qvid concluſuros. Ac ut maxime Meindersius negotiationem ſuam in Gallia auſpicatus fuiſſet, haut ideo tam trepida iſtorum feſtinatio excuſabatur, cum eæ conditiones, qvæ nunc arripiebantur, ſemper patuiſſent, ac ob eam feſtinationem Galline hilum remiſiſſent. Qvid qvod initium peculiaris tractationis non ab Electore, ſed à Cæſareis profectum eſſet; qvi dudum cum hoſte non ſuper Cæſaris ſolum, ſed & fœderatorum negotiis egerant, nulla cum his communicatione. Qvin conſtabat, eam pacem ob ſolam in Boreales fœderatos invidiam fuiſſe præcipitatam. Debuiſſe qvoqve exitum Francofurtenſis conventus expectari; aut ſi in anteceſſum conſtabat, eum inanem fore; qvare fœderatos eo invitatos, ac de expeditione futuri anni tantum ſtrepitum excitatum? Ad qvæ Cæſarei nil aliud qvod reponerent habebant, qvam, ſi curſor, qvi ante duas ſeptimanas hinc dimiſſus ſit, ante concluſionem Neomagum perveniſſet, pacem haut perficiendam fuiſſe. Cum demum è Crocovio qværeretur, qvid ad extremum deſideret? hic reſpondebat; qvia Cæſar fateatur, legatos præter mandata egiſſe, extra dubium à ſe haberi, cum pacem haut probaturum. Qvis enim credat, eidem reſpectum trium virorum propriæ exiſtimationi, & ſecuritati, patriæqve, & tot fœderatorum ſaluti antehabiturum? Ad qvæ iſti; Cæſarem ſuper hoc deliberaturum. Simul interrogabant, num ipſe præſtare velit, reliqvos fœderatos audito hoc de pace nuntio non jam & ipſos concluſiſſe? Enimvero non ſperandum erat pacem haut ratihabitum iri. Namdudum Viennæ aſſeverarant, legatis Neomagenſibus injunctum nil niſi ſub ſpe rati concludere. Qvi haut eo ſecius velut vi mandatorum pacem citra exceptionem abſolverant, ac Cæſarem peculiari articulo ad ratihabendum obſtrinxerant. Nec minus tamen qvæ ad inſtruendum exercitum faciunt non aliter properabantur, ac ſi hoc anno expeditio utiqve ſuſcipienda foret; id qvod bono fœderatorum fieri dicebatur, ut Gallis in Cæſareum exercitum reſpiciendum ſit, ne ita longe in Germaniam penetrent, ac circa Boreale negotium faciliores ſeſe exhibeant. Ac Cæſarem intra tempus ratihabitioni præfixum laboraturum, ut fœderatis ex æqvo ſatisfiat, modo poſtulata ſua moderari velint, ac iis deſiſtere, qvæ in præſens præſtari neqveant. Nam optabat iſte, id negotium brevi abſolvi, ne iterum bello implicaretur, ſi fœderati Boreales ſeſe obfirmarent; ſimul qvia metuebat, ne hi ad ultionem ſumendam Gallo ſe innectant. Interim jactabatur; modo Cæſari cautum ſit, fœderatis conſtantiam duraturam, eum conventa haut ratihabiturum. Sed metuendum eſſe, ne poſt Cæſaream pacem fœderati qvoqve utcunq; decidere properent. Cum fœderatorum tamen miniſtris conſilia conferenda, ſed ſecretiſſime, ne id Gallis ante tempus innoteſcat. Unde & congreſſu Francofurtenſi ſuperſedendum ne iſti ſuſpicione perſtringantur. Ac optandum eſſe, fœderatorũ legatis mandata in promtu eſſe, ut omnia heic ſine ſtrepitu expediri qveant. 1679.

§. 34. Aſt Elector ea pace cognita ad Crocovium literas eum in ſenſum dabat: *Qvod tamdiu timuerit, & qvod aulæ cæſareæ in Belgis tam aſperis verbis deteſtata fuerit, id jam Neomagi ab ipſis Cæſareis patratum, ſeparata cum Gallis pace perfecta Imperio noxia, & ignominioſa, fœderatis ſumma fraude cedente. Sibi qvidem ſuo loco relinqvendum, Viennæ tam exiguam eorũ rationem habitam, qvæ ipſe pro Cæſare, & Imperio indefeſſo ſtudio, magno cum fructu, maximis ſumtibus exhibuerit. Sane neminem majore fide, conſtantia, periculo rem gerere potuiſſe. Nunc non poſſe non ſeſe maximo dolore perſtringi, poſtqvã videat, ſua tam egregia, ac inuſitata acta ſecundante Divino Numine hoc bello patrata, articulo XXVI, qvem ipſe Stratemannus funeſtum vocet, tam fœde oblivioni data. Sane fœderatorum res non adeo conclamatas, ut hoſtis potentia tantopere formidanda ſit, ac ut ideo tam turpes, & periculoſæ conditiones ſubeundæ ſint. Qvod hoſtis hucuſq; prævaluerit, qvosdam fœderatorum præcipue in cauſa fuiſſe, qvi diſtorta agendi ratione Imperium Gallis pro horum libidine inſultandum proſtituerint. Bellum ab Imperio contra exteros hoſtes decretũ, ad id tandem aliqvando ab horum injuriis liberandum, ad Ordines in tutum collocandos, ac ut iidem turbandis noſtris negotiis excludantur. Qvi huic decreto non ſine fortunarum periculo ſatisfecerint, torvum adſpici; in eorum fraudem cum hoſtibus iisdem inſciis pacta iniri, qvaſi in patriam atrociter deliqverint. Unde Ordinibus neceſſitatem allatum iri, ut deinceps exteris ſe illigent. Et ſic qvod per bellum evitatum ibatur, per pacem jam plane ſtabiliri.* Iſta omnia Crocovius Cæſari, ejusqve miniſtris modeſte ob oculos ponere jubebatur, ſimul rogare, ut non obſtante Neomagenſi pacto, ejusqve articulo XXVI. ipſius cauſam commendatam habeant, nec ſua merita toti orbi cognita ejusmodi exitu maculari patiantur: qvin potius pari generoſitate ſibi

Elector ratihabitionem pacis impedire nititur.

1679. reſpondeant,& ad amplius deinceps de ipſo merendum animum addant. Tum inprimis expendant, ni Marchia,& ſua victoria Cæſareas ditiones in tuto collocaſſet, graviſſimum easdem periculum fuiſſe manſurum. Deniqve operam daret, ut ratihabitionem plane impedire, aut extrahere poſſit. 1679.

Is conatu frustra est. 23. Febr.

§. 35. Vocabatur inde Crocovius una cum Danico, & Luneburgico miniſtro ad colloqvium;ſed qvo nullum operæ pretium fiebat. Judicia qvoqve aulæ ſuper hac pace in diverſum abibant. Ipſe Cæſar ob eandem ſingulari dolore perfuſus fuerat; ac omnibus, qvi de iſta ipſi gratulabantur, ſilentio, aut aſpero obtutu reſpondebat. Idem in conſilio dicebat, nunqvam ſe tanto terrore perculſum, qvam cum Comitem Roſenbergium conſpiceret; qvi Neomagi moratus fuerat, ut Pacis Inſtrumentum adferret. Hunc Kœnigseckius hiſce verbis exceperat: *dolere ſibi, ipſum hoc facto orbi innoteſcere, qvod Cæſari tam turpem pacem adferat.* Pleriqve in legatos invehebantur, qvi inter tractatus qvinqvies nova mandata petierint, & nunqvam tamen ea expectarint, ſed ſemper ſuo arbitrio remdeciderint, anteqvam mandata adferri poſſent. Qvod & nunc contigerit. Unde Viennæ credi non potuiſſe eos concluſuros; qvod non ſolum interdictum ipſis fuerit, etſi tunc literæ nondum Neomagum allatæ forent, ſed & antehac mandata non habuerint ad ejusmodi leges admittendas. Qva in re multum Neoburgico tribuebatur, cujus ſententiæ legati magis ſe attemperarint, qvam per Cæſaris mandata fas fuerit. Haut eo magis ſpes erat eam pacem irritam fore. Unde & Cæſarei in colloqvio ambigue diſſerere,ac truncatis verbis inſinuare,forte rem adhuc reſtitui poſſe; ſed ſimul valde cavebant, ne Gallis ſuſpicandi anſam præberent, velut ratihabitionem recuſaturi eſſent. Nam ſi fœderati arma ponerent, Cæſar tunc ſolus deſtituendus erat. Cæſar qvoqve confirmabat, ſi ante dictum ratihabitioni diem certo ſibi conſtet, Electorem, & Luneburgicos ſeorſim haut tranſegiſſe, ſed bellum in Gallos perſeqvi decreviſſe, ratihabitionem ſuam haut ſecuturam. Enimvero ſibi non verba, ſed rem ipſam repræſentandam; tum exacte noſcendum, qvo tempore Elector è Boruſſia movere,ac ad Rhenum eſſe velit. Sed & ſuper conditionibus, ac præcipue ſuper evictione nil difficultatis movendum. Nam tutiſſimam evictionem in hoc conſiſtere, ut Gallus in ordinem redigatur. Atqve id peculiaribus curſoribus ad Electorem, & Duces referri poſtulabat. Cæterum Viennæ de Electore qvidem nullo modo, ſed de Luneburgicis valde dubitabant; citra qvos Cæſarem, & Electorem bello haut ſufficere arbitrabantur. Cæſar qvoqve ad extrahendum permutandæ ratihabitionis diem id negotium Ratisponam remittere volebat. Sed contradicebant Crocovius, Danus,& Luneburgicus, qvod ibi ſine dubio qvaliscunqve pax probanda ſit; eoqve Cæſari prætextum naſciturum fœderatis ſeſe excuſandi. Cum etiam Crocovius extrema verba pacis Gallicæ argueret,velut adverſa fronte juribusOrdinum repugnantia; eadem qvoqve in conſilio Cæſaris improbabantur, ac legati male feciſſe judicabantur. Ac Cæſarem Ratisponæ publice declaraturum, ea verba ſe inſcio & invito tractatui inſerta, qvæ ipſe nulla, & irrita declaret: ita ut cuivis Ordinum integrum ſit futurum contradictionem interponere. Kœnigseckius qvoqve dicebat; Cæſarem Ordinibus ratihabitionem haut ſvaſurum, nec ullo verbo eam ſibi gratam fore indicaturum, ſed libertatem ſuffragiorum illibatam iis relicturum. Et ſi maxime ratihabitio ſeqvatur, inducias tamen inde incipere, per qvas Cæſar omnem operam impenſurus ſit, ut fœderatis ſatisfiat. Qvin ſi Cæſar qvocunqve tempore occaſionem perſpecturus ſit bellum cum ſpe ſucceſſus continuandi, nec voluntatem,nec prætextum ipſi defore,velut qvi nunqvam magis qvam nunc in Gallos irritatus fuerit. Articulum qvoqve viceſimum ſextum ambiguum, & cui multa litis materia inſit. Qvid enim per *præſentes Imperii hoſtes*,& per *bellum iſtud* intelligatur, ſe non capere. Deniqve perſiſtentibus in bello Borealibus fœderatis pacem hanc durare non poſſe.

Elector ulterius apud Cæſarem inſtat. 27. Febr.

§. 36. Elector porro ne qvid intentatum relinqveret, non tantum Ledeburium ad conventum Francofurtanum ablegarat, ſed & denuo per Crocovium Viennæ demonſtrari jubebat noxam, & ignominiam Imperio è Neomagenſi pace proventuram; ac inprimis qvantopere ipſa reip. fundamenta labefactanda ſint, ſi evulgetur, illorum duntaxat res bene habere, qvi à Gallo pendeant, utpote qvi ſolus fœderatis ſuis cavere,& ab adverſa parte qvicqvid cupiat extorqvere norit. Qvod ſi itaqve Cæſari placeat bellum eouſqve perſeqvi, qvoad communis, eaqve honeſta pax obtineatur, ſe qvamprimum anni tempeſtas ferat, cum proprio exercitu XX M bellatorum conſtante ad Rhenum iturum, ac deinceps omni

1679. omni ope pro communi causa connixurum : modo caveatur , aliter deinceps secum, qvam nunc Neomagi, actum iri, ac ut
9. Mart. sibi liqvido de Cæsaris mente constet. Enimvero Viennæ fructus ejus pacis satis prospiciebant , ac ultro differebant; Gallum jam Cæsari auxilia Imperii , & fœderatorum ademisse. Nunc eum Domum Austriacam in Italia invasurum, qvo Cæsari copiæ sint mittendæ. Ex altera parte per Turcas, & rebelles Hungaros eandem distracturum , qvibus compescendis Imperium , & fœderatos ne unum militem auxilio missuros. Cæsari è solis suis provinciis bellum gerendum , ac multo duriore conditione cum fore , qvam si præsens bellum continuasset. Ejusdem autoritatem , & affectum in Imperio plane extingvendum. Gallos omnibus se negotiis ingesturos , ac per emissarios suos omnium aularum consilia temperaturos ; ac si cui Ordinum auxilio opus sit , Gallum magis qvam Cæsarem respiciendum. Ast Cellensis pax iis, qvi fortiter adhuc loqvebantur , qvicqvid superat animorum ademerat , cujus Domus ab aliqvo tempore actiones satis portenderant , qvid ab ipsa sperandum foret. Ac Neomagenses à se acta præcipue obtentu ejus pacis tuebantur. Et qvia Cæsarei consilia sua circa perseqvendum bellum à constantia ejus Domus velut à conditione suspenderant, nil amplius Vienna expectandum erat. Ad eam perturbationem, qvam Luneburgica pax pariebat , accedebat indies glisens erga Joannem Austriacum diffidentia. Eqvidem dissoluta connubii spes inter Regem Hispaniæ, & Cæsaris filiam excusari poterat rationibus domus, disparitate ætatis, & qvod Regi expediret matrimonium maturari. Sed jam credebantur isti peculiaria commercia cum Gallo intercedere ; cujus favore idem Infantem Portugalliæ ducturus sit , & alia fabricaturus , qveis amicitia inter Viennam , & Madritum plane dissolvenda sit. Sed & tres Ecclesiastici Electores junctim, nec minus tres Seculares , aliiqve primarii Ordines Cæsari de pace gratulati erant , ejusqve ratihabitionem , atqve exsecutionem svadebant , acta legatorum laudibus ferentes. Sed de præjudicio per eum tractatum juribus Ordinum illato, nullum verbum ; nec ejus emendatio qværebatur , sed cœco impetu pax urgebatur omnibus aliis respectibus insuper habitis , ipsa Cæsarea aula mirante. Unde & Viennæ jam præcipue ad Hungariam respiciebatur, ubi damna alibi accepta reparandi spes erat, si maxime bellum Turcicum surrecturum esset ; qvod parum metuebatur. Electori autem qvi bene cupiebant , ut qvibuscunqve conditionibus decideret, svadebant , neu rem ad extrema deduceret ; qvod in præcipuis Germaniæ aulis magna adversus ipsum æmulatio glisceret. Ac inter Bavarum , & Saxonem super fœdere actum fuisse , qvo Cæsarem , & fœderatos ad pacem compulsuri erant ; cui plurimi Ordinum , ac post suam pacem Luneburgici qvoqve nomina daturi sint. 1679.

§. 37. Ejus fœderis formulam, seu *projectum* , uti vocant , cum ad illustrationem hujus negotii non parum faciat , heic inserere non absre fuerit. *Fœderis inter Bavarum & Saxonem formula.*

Fœdus publicum.

Notum sit omnibus qvorum interest, qvod inter Serenissimum Principem ac Dominum, D. Ferdinandum Mariam Electorem Bavariæ &c. nec non Ser.um Principem ac Dn.m D. Joannem Georgium Electorem Saxoniæ &c. pro reducenda pace inprimis in S. R. Imperio, & pro defensione utriusqve ditionum, ac subditorum, ut & pro avertendis cujuscunqve generis exactionibus, perniciosis transitibus militaribus, & hibernis sequentes confœderationis articuli conclusi sint. I. Obstringunt se mutuo ambo Dnn. Electores ad sinceram , & perfectam amicitiam inter se colendam, ita ut alter alterius commoda, ac salutem omni studio promoveat , suosqve ad Imperii, & alios conventus missos ministros eo instruat , qvo de omnibus rebus fideliter invicem communicent, consiliaqve sua tota liter conjungant ac uniant , ut in omnibus ad deliberandum propositis materiis , inprimis qvæ negotium pacis concernunt, ex uno velut ore loqvantur , votaqve sibi invicem omnino conformia proferant. II. Et qvoniam durante bello hocce permissæ enormes exactiones, onera , desolationes , & exitium multarum ditionum , ac subditorum opere ipso satis indicent , qvam male inco factum sit, dum propter alia negotia Imperium fuerit involutum , Ser.is Dn. Electoribus consultum visum est tam apud Suam Cæs. Maj. qvam præsentem Imperii conventum Ratisponensem , nec non ubicunqve locorum id utile ac proficuum erit , serias adhortationes instituere, ut tandem res, ac commoda Imperii à peregrinis litibus separentur , & carissimæ nostræ patriæ Germaniæ pristina qvies, & tranquillitas restituatur. III. Et cum maxime res in eo versetur, ut pax Westphalica salva inviolataqve maneat, ambo Dnn. Electores omni studio, solicitudine, ac zelo in hoc incumbent, ac operabuntur , ut qvod contra eandem hactenus admissum est, iterum mutetur , ac restabiliatur. IV. Cum etiam dictæ paci Westpha-

Digitized by Google

1679. lica, ordinationi executionis, multisque aliis Imperii constitutionibus, ac legibus omnino contrarium sit, liberum aliqvem Imperii Statum transitibus, hibernis, contributionibus, aliisque bellicis exactionibus, impostis, ac oneribus qvocunque tandem nomine venire possint, propria autoritate premi, ac vexari, mutuo se obligant, ac obstringunt laudati Dnn. Electores, qvod ejusmodi pressuras, ac incommoditates neque à qvopiam suorum Constatuum in Imperio, nec ab ullo alio, qvisqvis is esse possit, ullo modo tolerare, sed ab omnibus istis unita, ac valida manu, in qvantum vires eorundem permittunt resistere, & si opus fuerit, secundum omnium gentium jura vim vi repellere, seqve in suis ditionibus, ac juribus conservare, ac manutenere velint. V. Ad qvem finem ambo Electores XX M. eqvitum, & peditum ita in parato habebunt, ut ad omnem requisitionem pro necessaria mutua defensione qvantocyus colligi, & in campum èduci possint. VI. Qvemadmodum etiam in eum casum, si uni dictorum Dnn. Electorum in suis ditionibus vis aliqva inferatur, & uti jam indigitatum est, contra Instrumentum pacis Westphalicæ, aliasqve Imperii leges ac constitutiones noxii transitus, hiberna, aliaqve exactiones intententur, alter obligabitur vim passo dimidia parte copiarum supra nominatarum sine mora suppetias ferre, easqve copias post factam requisitionem spatio trium, aut si aliter fieri neqveat, qvatuor septimanarum insallibiliter sistet, & tamdiu operari sinet, donec vis vi repulsa, & pro illatis damnis debita compensatio facta fuerit. VII. Ille qvi auxilium tulerit, copiis suis stipendium militare ut par est persolvet, regimen vero penes requirentem erit, qvi præterea ad nihil aliud tenebitur, qvam ut necessarium commeatum, & avenam aqvo pretio advehi ac vendi, fœnum verò gratis dari curet; abutraqve vero parte disciplina militaris exactissime observabitur. VIII. Tormenta campestria, & qvicqvid ad eorum usum necessarium est, ab illo suppeditabitur, qvi auxilium requirit, & in cujus ditionibus operationes bellicæ fient. Qvantum vero ad ipsas operationes attinet, de iis semper fidelissime, prout amicos ac confœderatos decet, communicatio instituatur, & amicabiliter invicem conveniatur. IX. Et cum fœdus hoc in nullius offensionem, sed tantummodo ad utriusqve partis ditionum ac subditorum conservationem, ad recuperandam abomnibus tantopere desideratam pacem ac tranqvillitatem, ac uti supra dictum est, ad avertendas molestissimas, & intolerabiles exactiones bellicas initum sit, liberum relinqvunt ambo Dnn. Electores vicinis suis Constatibus ac Circulis, an huic confœderationi accedere velint; qvo indicato de ipsorum accessu, & 1679.
numero copiarum sistendarum ex aqvo & secundum proportionem tractabitur. Interim DD. Electores spondent, ac offerunt ad confœderationem hanc accedentibus facta requisitione secundum tenorem hujus Instrumenti valido auxilio adesse. X. Qvod si ingens adeo periculum ingrueret, ut ad illud evitandum major copiarum numerus requireretur, pollicentur D. D. Electores sese mutuo juvare non solum supra dictis X M sed etiam omnibus viribus sibi invicem suppetias ferre, & constatibus & Circulis vicinis suis, qvi ad hanc confœderationem accedent, iisdem viribus auxilium præstare, in qvantum qvidem id propria ditionum securitas permittit. In qvorum fidem &c.

Articuli Secreti.

I. Præter illa, qvæ inter Ser.os DD. Electores Bavariæ, & Saxoniæ in peculiari fœderis Instrumento hodie confecto continentur, se invicem obligant ambo Electores ulterius, qvod si pax tantopere desiderata in Imperio per omnem istam sollicitudinem, laborem, & operam obtineri neqveat, arma sua si opus fuerit conjungere, eosqve qvi se opponere voluerint, unitis viribus ad pacem secundum dictum Instrumentum pacis Westphalicæ adigere. II. Ambo Electores eum in finem post completas copias, de qvibus in ipso principali tractatu, & in subseqventibus articulis secretis mentio habetur, ante omnia apud Suam Cæs. Maj. efficaciter instabunt, ut non tantum cum Christianissimo Rege, qvi ad hoc se paratum, & promtum exhibet, & semper exhibuit, pacem redintegrare, sed & eam inter coronam Sveciæ, & illius hostes in Imperio ad tenorem dictæ pacificationis Westphalicæ promovere velit, hac addita declaratione, qvod ambo DD. Electores sua Cæs. M.ti contra illam partem, qvæ pacem admittere nolit, si opus fuerit, exercitu XX M auxilio adesse, aut in eum finem ex se ipsis agere, ac operari velint. III. Et qvoniam principalis hujus confœderationis, & unionis scopus est reductio pacis & tranqvillitatis in Imperio Romano, ambo DD. Electores ministris illis, qvi ab extraneis potestatibus ad eos in hoc negotio ablegabuntur, non solum liberum accessum ad aulas suas non denegabunt, qvin potius in suis terris debitam protectionem præstabunt, illosqve contra qvævis injusta attentata manutenebunt.

Ulterior articulus secretus.

Postqvam sub dato hodierno inter Ser.os Electores Bavariæ, & Saxoniæ in ordine ad recuperandam pacem in Imperio, & defendendas amborum DD. Electorum provincias, & subditos, & eorum constatuum, qvi ad hoc fœdus accedere voluerint, certa confœderatio

1679. *taliter concluſa fuit, ut qvælibet pars determinatum peditum & equitum numerum in parato habere debeat, atqve tam conſcriptio qvam ſuſtentatio dictorum militum inſignes expenſas requirant; hinc allegata hæc confœderatio ex parte D. Electoris Saxoniæ expreſſe eo conditionata eſt, ut ſibi reciproce à Chriſtianiſſimo Rege in ſubſidium qvantocyus XXX M talerorum, ac deinde per ſingulos menſes - - - tali modo ſolvantur, ut Sua Ser. Electoralis dictam pecuniæ ſummam ad ſingulos menſes per anticipationem accipere poſſit: prout etiam Sua Ser. Electoralis Bavaria in ſe recipit, omnia poſſibilia, bona, & utilia officia impendere, ut D. Electori Saxoniæ debita ſatisfactio hac in re fiat. Cæterum ſpondet Ser. Elector Saxoniæ, ſatisfactione accepta, ſe tam illas, qvas vigore concluſorum Imperii pro contingenti præſtitit copias, qvam alias ab exercitu Cæſareo, & ejus confœderatorum avocaturum, nec ullas alias, non obſtantibus Imperialis Diætæ concluſis, impoſterum miſſurum. Ultimo denique utraqve Sua Ser. Electoralis omnem operam impendet, ſuas copias juxta tenorem tractatus principalis ita in parato habere, ut à tempore ſatisfactionis ſupradictæ Electori Saxoniæ præſtitæ intra duos menſes pro luſtratione in loco, qvi utriqve Suæ Sereniſtati pro conjunctione, ſi neceſſaria fuerit, commodiſſimus eſſe videbitur, colligi, & in campo ſiſti poſſint. In qvorum fidem &c.*

§. 38. Demum Cæſar ad propoſita à Crocovio declarabat: *Se etiam poſt Belgarum, ac Hiſpanorum pacem bellum ad ſuperiorem Rhenum perſecutum, ac ſperaſſe, fœderatis qvoqve inter ſe conventurum ſuper exercitu ad Inferiorem Rhenum ſiſtendo. Id poſtqvam factum non ſit, ac nudato Inferiore Rheno Germania evidenti periculo expoſita fuerit, de pace ſibi cogitandum fuiſſe. Legatos autem ob id periculum præfixum à Gallo diem elabi haud paſſos, ac pacem abſqve ſufficientibus mandatis præter ſuam opinionem concluſiſſe. Qvam invitus ipſe huc deſcenderit, omnibus notum eſſe. Officii tamen ſui duxiſſe id negotium Ratisponam remittere, ſed lente ſatis, ac ut idem ſibi diſplicere non diſſimularet; ſuisqve qvoqve ibi injunxiſſe, ne negotium præcipitarent, qvo fœderatis tempus foret ante ratihabitionem decretoriam ſententiam exponendi, ut & ſibi conſilia ſua ordinare liceret. Sed ejus loco de Cellenſi pace allatum, qva in conditiones conſenſum ſit ſua autoritate, ac Imperii legibus adverſas, ac reip. ſummopere noxias, à ſe nunqvam probandas. Hoc tractatu ſe permotum juſſiſſe concluſum Ratisponæ ſerio promoveri, ne elapſo ratihabitionis die Gallus prætextum arripiat duriores conditiones præſcribendi, aut bellum continuandi: ſimul qvantumvis reluctanti animo ratihabitionem expediri curaſſe.* 1679. *Pro induciis tamen, ac ut Electori ſatisfiat, enixa officia interpoſiturum. Suadere qvoque, ut Elector Ratisponæ inſtet, qvo & Ordines ad eundem finem operam conferant. Bavarum dudum declaraſſe, ſi Elector Stetino contentus ſit, ſe operam navaturum, ut iſte eo potiatur. Saxonem qvoqve aliqvando in eadem ſententia fuiſſe, ſed per miniſtrum iſti baut æqvum immutatum. Nec minus ſuadere,, ne Elector ad extrema rem deduci patiatur, qvod nulla ratio adpareat ipſius ditionibus Weſtphalicis ſervandis. Præter hoſtes Reges eidem multos in Imperio invidos eſſe. Præcipuam cauſa occupata à Luneburgicis pacis fuiſſe, qvod ſatis adpareat, Electorem imperio in omnes copias ad Inferiorem Rhenum poſiturum, tantisqve viribus ſuccinctum in ipſorum vicinia conſiturum. Id qvod eo minus iſti concedere voluerint, qvod ſemper æmulationem erga ejusdem potentiam oſtenderint. Unde iſtos non ſolum Svecis erepta reddituros, ſed & ſi opus ſit copias hiſce ſuas conceſſuros. Poloniam qvoqve Electori parum amici minari. Regem ibi velle militem ſibi circumponere, ab ſe ſolo pendentem; ac benevolos Polonos monere, eas copias contra Electorem qvari. Regem omnia damna computari juſſiſſe, qva hujus miles finibus Poloniæ intulerit. Sed in Svecos, qvi in culpa fuerint, nihil actionis movere. Igitur bene ſibi conſulturum Electorem, ſi poſtulata ſua moderetur. Forte tamen aliqvid intervenire poſſe. Imperium ſibi conſervationem decem oppidorum Alſatiæ commendaſſe. Contra à Gallo munitiones Sleſtadio circumponi non ſine manifeſta recentis pacis infractione. Sed & Lotharingum pacem amplecti nolle, ac negare, ſe Vaſallum Imperii eſſe, nec alios de ipſius rebus tranſigere potuiſſe. Unde ſuis legatis, dum ratihabitiones permutantur, injunctum teſtari; ſe qvidem pacem prout concluſa ſit, ratam habuiſſe; ad præſtationem tamen eorum, qvæ circa Lotharingum convenerint, adſtringere ſe non poſſe, qvod Dux eas conditiones adſpernetur, nec ſibi de hujus juribus diſponere integrum ſit. Interea aliqvid futurum, ac ſe tandiu exercitum in Imperio relicturum, non exiguum cuneum promovendis Electoris cum Gallo tractatibus.* Cæterum num Lotharingo pax amplectenda eſſet, prudentes diſſentiebant. Aliqvi cenſebant, cum is hac pace nec munitum locum, nec facultatem qvid armorum ſibi circumponendi, ſed modicos duntaxat reditus accipiat, infra C M uncialium, qvos & vetera nomina à Gallo eruta abſorptura ſint, eoqve ipſe acceptata pace in exitium ſuum conſenſurus, ac Gallo juſtum titulum præbiturus ſit: ſatius fore jus ſuum propter exiguum id emo-

Cæſaris declaratio. 14. Mart.

1679. emolumentum haut projicere. Sed alii contra censebant; sumendum, qvantum accipi possit: titulum & prætextum non defore, si nunc extorta recuperandi vires, & occasio adsint. Ac præstare, possessionem provinciæ retinere, ac civium spem alere, qvam iis plane destitutis necessitatem adferre Gallico se jugo paulatim adsvefaciendi, obliterata legitimi Principis memoria. Ac forte per amica officia meliores ipsi conditiones procurari posse; qvo fine Cæsar postratihabitam pacem peculiarem legationem in Galliam sit missurus. Sed qvicqvid ejus foret, saltem inanis spes erat, qvam aliqvi conceperant, Lotharingum Borealibus fœderatis adhæsurum. Nam is cautionem exigebat, ditionem suam utiqve recuperatum iri, ac ut copiæ suæ per fœderatos sustentarentur. Qvid porro fructus Electori à Cæsaris officiis sperandum foret, inde conjectura fieri poterat, qvod invasionem Gallorum in Cliviam omnes iniqvam, & paci repugnantem agnoscerent. Sed cum Crocovius qvid remedii qværeret, nil nisi humeros trahebant. Deniqve cum Cæsar supplicationes pro ea pace indiceret, dicebat; *Deo non solum pro felicibus eventibus, sed & pro calamitosis gratias agendas.*

Ordines pacem Ratisponæ probant. 6. Jan.

§. 39. Cæterum relatione ad Ordines super pace firmanda Ratisponæ facta, is eventus, qvem dudum animo præceperat Elector, secutus est. Eqvidem ibi sub initium anni Bavarus, & Saxo pro sententia dixerant; par esse, Electori data aliqva ditione satisfieri, eumqve in finem operam suam offerebant: ac præcipue Stetinum Electori relinqvendum, reliqva Svecis restituenda. Nec minus iidem interim una cum Palatino acriter urgebant, à Cæsare pacem non expectato Boreali negotio ineundam. Ac inprimis Palatinus ingerebat; non posse qvi periculo proximi sedeant hosti se devorandos exponere, ut alii novas ditiones adqvirant. Post tamen Bavarus Ratisponæ significabat; qvia perceperit alios officium paci Boreali conciliandæ suscepisse, id se hisce relicturum. Qvod inane prætextum habebatur, qvia intellexerat, nullum sese operæ pretium facturum; an qvia alia consilia cum Saxone agitabat. Mox Jena jubebatur paci contradicere, modeste tamen, & verbis nil contumeliæ habentibus; ac Electori gratum esse, se in nullam ejusmodi pacis partem venisse; etsi semper paratus fuerit, & adhuc sit honestæ, ac tutæ paci amplectendæ. Qvam contradictionem Cæsarei frustra impedire satagebant. *21. Febr.*

Qverebatur etiam Jena, Electorem à Cæsareis in pace *hostem Galliæ* vocari, cum tamen is non nisi instante Cæsare arma in Gallum strinxerit. Communicabant inde Cæsarei Ordinibus pacem, addita excusatione, ob iniqvitatem temporum eam inconsultis Ordinibus fuisse absolvendam; ac Cæsarem eo facto capitulationi, juribusqve Ordinum pace Westphalica firmatis præjudicium adferre nolle, nec id in exemplum trahendum. Qva modestia qvosdam Ordinum ei auso indignantium demulcere studebant. Etsi pleriqve pro ea pace Cæsari gratias agebant, ac modum agendi Neomagi adhibitum probabant. Qvia tamen adhuc Ordines aliqvam curam communis pacis ostendebant, Elector Jenæ scripto hisce demonstrare injungebat; uti ipse ex decreto universorum Ordinum bellum in Svecos susceperit, idqve cum periculo vitæ, ac omnium suarum ditionum gesserit; tum favente Numine Svecorum destinata in meditullium Germaniæ penetrandi impedierit, ac demum eosdem plane solo Germanico ejecerit, vindicata Imperii majestate. Eo ipso natam occasionem securitatem Germaniæ à Svecis toties violatam ea parte in perpetuum stabiliendi, si omnes qvorum interest serio rem aggrediantur. Qvia autem facile conjici possit, qvanti sibi hoc bellum constiterit, spem esse ab Imperio operam datum iri, ut ipse æqva satisfactione, ac securitate potiatur. Contra Austriaci non sine vehementia ratihabitionem urgebant, anxie ingerentes, Gallum nil dilationis indulturum, & occasionem captare pacem abrumpendi; nec vires eidem resistendi adesse. Et cum multi reponerent, irrita fore, qvæ agantur, si ipsi citra mandatum consentiant; nil aliud rationis reponebatur, qvam fore ut Austriaca legatio excandescat. Ita qvicqvid contra niteretur Jena ratihabitio pacis probabatur; ac tantum Cæsar rogabatur curam agere, ut induciæ acceptentur, & controversiæ eorum, qvi in bello maneant, amice componantur, qvo plena ubiqve tranqvillitas restituatur. Id decretum Electori valde inopinum accidebat; qvi potius crediderat, merita sua in Imperium, & contumeliam, ac damna sibi à Svecis illata non usqve adeo insuper habenda, nec pacem, qvæ tanto periculo Germaniam exponat, adprobandam. Ac agnoscere se durum patriæ fatum, ac fortasse istos aliqvando fructus tantæ præcipitantiæ sensuros. Bavarus qvoqve, & Saxo jam aperte in Svecos inclinabant; qvocum is censebat, hoste plane ad

1679. 3. Mart. 4. Mart. 11. Mart.

1679. ne ad normam Westphalicæ Pacis restituendos; hic addebat, qvantum fieri possit. Qvorum officium præterqvam qvod pondere cariturum erat, ideo ita pure acceptari non poterat, ne Elector obligationem remittere videretur, qvæ universis Ordinibus ad curandam ipsi satisfactionem incumbebat. Et si maxime eorundem opera adhiberetur; tamen anteqvam iidem legationem molirentur, Electoris ditiones jam perierant. Ordines tamen protestabantur, qvicqvid juribus Ordinum, ac legibus pacis Westphalicæ hoc tractatu adversum factum sit, in posterum præjudicio non futurum. Cæsarei qvoqve declarabant; articulos de Lotharingo pro non insertis habendos. Cum inde super deducendo Cæsaris exercitu è terris Ordinum Ratisponæ ageretur, Elector Jenam pro sententia dicere jubebat: utile sane esse, eum paratum stare, ut pax exsecutioni detur, & Borealis compositio promoveatur. Sed si idem otiosus Gallos per Electoris ditiones grassantes spectare, ac non nisi Ordines comedere velit, æqvum esse, ut hi isthoc onere leventur. Sane Circulus Svevicus antehac XXV milliones in exercitum Cæsareum impenderat, & nunc hospitia singulis septimanis C M florenorum constabant; ac Noribergensis civitas in singulos dies præter alia M unciales præbebat; ut istud bellum saltem Cæsareis ducibus admodum lucrosum fuerit. Cæsarei inde ab Imperio in pensationem Friburgi Uberlingam, & Offenburgum, aut Offenburgum, Gengenbacum, & Cellas ad Hammersbacum postulabant; Electore contradicente, qvoad & sibi satisfactum foret; qvo nomine is Northusam, & Tremoniam proponebat. Luneburgicis qvoqve, pacem suam paci Imperii inseri cupientibus, Elector Jenam contraniti jubebat. Sed & mox adparebat, qvam parum Gallo pax Neomagensis fieret, dum decem Alsatiæ oppida in sua verba adigit. Qvo super auso cum Cæsar Electoris consilium expeteret, hic reponebat: *eos fructus esse Neomagensis pacis. Jussurum tamen, ut sui Ratisponæ non minus verborum, qvam alii faciant; præterqvæ cum aliis pro publico nihil præstent, sibi qvoqve haut consultum plura conferre.*

Luneburgicorum sententia exqviritur. 13. Febr.

§. 40. Haut eo minus, si maxime Cæsar bello sese subduxisset, aliqva adhuc spes æqvioris pacis supererat, si domus Luneburgica in partibus persisteret. Igitur Elector audita Cæsarea pace, cum de Celensi nondum constaret, Gerhardum Lederburium Cellas miserat exqvirendæ Ducis sententiæ, qvid consilii fœderatis post tam 1679. noxiam pacem à Cæsareis Neomagi initam sit capessendum. In qva nonnulla admissa, qvæ non nisi communi omnium Ordinum consensu fieri potuerint; de qvibus Ratisponæ actum sibi non constare, nisi qvod paucos dies ante absolutam Neomagi negotiationem nonnihil ibi super jam transactis communicatum fuerit. Unde Ducis sententiam nosse cupere, qvid Ratisponæ agendum, ne tantum vulnus Imperii majestati infligatur, & mecendo præjudicio Ordinum juribus illato. Inprimis ea pace fœderatos enormiter læsos. Fœdera, promissa, alia vincula sanctissima insuper habita. In fidissimos fœderatos, qvi pro communi causa extremis viribus connixi fuerint, tantum non cum hostibus conspiratum istis ad horum libidinem compellendis. Enimvero fœderatos haut qvidqvam eo redactos, ut ipsis omnia toleranda sint, qvæ à deficientibus sociis in eorundem fraudem nulla juris specie agantur. Nam omnes fœderatorum calamitates, omnes hostis progressus non tam ab hujus potentia, vigilantia, & aliis egregiis artibus, qvam à qvorundam fœderatorum sinistro agendi modo, & inconstantia provenisse, & qvod per communis causæ neglectum domesticis malis medicinam qvæsierint. Sane Electorem judicare, reliqvis fœderatis haut ideo animum despondendum, sed saluti suæ expediendæ omnes vires exserendas. Sane Electorem summa vi eum in finem connixurum, ac propediem toto cum exercitu hei cadfuturum. Tempori lucrando inducias acceptandas, ac interim haut eo minus tractatus persequendos. Enimvero anteqvam Ledeburius Cellas pervenisset, jam pax perfecta ibi fuerat. Super ea pace Rabenacius diu Cellis fategerat; ubi unica difficultas erat, qvod Duces particulas qvasdam ditionis Bremensis affectarent possim sibi commodas, acut perpetuum ex hoc bello fructum caperent, cum Gallus summa pecuniæ iisdem satisfacere vellet. Ea super re cum conveniri inter ipsos non posset, Rebenacius Esaiam Pufendorfium Hamburgo ad vicinum Cellis locum invitabat, ut cum eo super hoc negotio consilia conferret. Qvi etsi nil mandatorum eam in rem haberet; tamen privato nomine cum fœderati Regis legato colloqvi fas duxit. Ei Rebenacius id qvidem confirmabat, Regem Galliæ examussim servaturum, qvæ circa plenam Sveciæ restitutionem promiserit, qvantocunqve id constiturum, aut qvicqvid inde evasurum sit. Sed dubitare, an cum scitis prudentiæ conveniat, à

16. Nov. 1678.

1679. Svecis idem ab ipso exigi, ac ut hi omnibus incommodis, & casibus, qvi bello extracto intervenire possint, sese exponere velint. Galliæ enim Regem non minus qvam alios homines morti obnoxium, ac si repente humanitus qvid ei contingat, haut constare, num Delphino idem in Sveciam studium sit futurum. Qvod si Galli in Germania infelici prælio certent, totam belli scenam mutatum iri. Eundem casum de Livonico exercitu metuendum. Nec adhuc Hispanicæ pacis ratihabitionem certam: nec qvæ Anglorum circa Sveciæ satisfactionem mens sit; præsertim cum nuper Thesaurarius Angliæ Barillonum legatum Gallicum interrogaverit, qvid Svecia nunc pro bono pacis facere decreverit? qvo non obscure innuerit, aliqvid cedendum esse. Qvod si Anglia consiliorum mutatio contingat, auxilia maritima è Gallia plane intercipienda, tum Arausionensem, eiqve addictos nova destinata machinaturos, utriqve Regno molestiam datura. Sed & illud considerandum, unius æstatis expeditionem Regi qvinqvaginta circiter millionibus constare; eoqve durum esse eundem ad ejusmodi sumtus faciendos compellere, si res modica jactura perfici possit. Igitur declinare non posse Svecos, qvo minus modico dispendio pacem redimant. Ad ista Pufendorfius: Ista omnia Svecos dudum secum exegisse. Sed Gallis vicissim considerandum, Sveciam nil habere, qvo commode carere possit. Sane Ducatum Bremensem, qvo ista Galliæ proxime jungatur ita arctis limitibus inclusum, ut sine magno præjudicio nil ei decerpi qveat. Sed nec rationem adparere, qvomodo tot hostes cessione ditionum pacari qveant; cum indubium sit, statim atqve uni qvid cedatur, reliqvos jure idem postulaturos, qvolibet fautores suos habituro. Ita magna ditionum parte Sveciam exutum iri. Contra negotium haut ita difficile esse, uti jactetur. Nam in Galli manu esse paucis sumtibus eo rem deducere, ut duo Electores, Saxo, & Bavarus pro plena restitutione pacis Westphalicæ arma arripiant. In Anglia duos aut tres milliones magnum effectum habituros, ac ut facile connivendo indulgendum sit classem in Mare Balticum mitti; præsertim cum Anglus censeat, arbitrium Oresundæ non penes solam Daniam esse debere, eoqve ab hac Helsingburgum, & Landscronam utiqve restituendam. Non deesse qvoqve viam, qva Gallus non adeo magnis sumtibus efficere qveat, ut Sveci iterum insignem exercitum in Germania nanciscí qveant. Res porro Angliæ ita domi constitutas, ut aula haut temere in externum bellum descendere possit. Hispaniam opibus plane exhaustam, & qvæ nil suscipere possit, ni Belgæ denuo arma stringant; id qvod præsenti horum statu præsumendum non sit. Unde nec à Cæsare bellum continuatum iri; præsertim cum ejus fœderati satis ostenderint, sese istum in prædæ partem haut admissuros. Ditiones porro fœderatorum ita sitas, ut si Gallus serio rem agere instituat, ac Rhenum transeat, nec Monasterienses, nec Luneburgici ista extrema expectaturi, nec eo casu in ratione cassam pertinaciam sese obfirmaturi sint; qvin Monasterienses protinus manus daturum, Luneburgicis qvoqve secum tractis. Unde Brandenburgico soli destituto vel desperata consilia ineunda, vel aliorum exemplum seqvendum. Deniqve Dunqverca paucis navibus qvatuor aut amplius millia facili negotio in Holsatiam trajici posse; qvæ ita Danum distrahere qveant, ut nullum eidem remedium superfuturum sit, qvam pacem occupare. Ista, & qvæ plura adferebantur, Rebenacius cum patientia audiebat; ac ultro agnoscebat, Sveciam nec Ducatu Bremensi, nec Stetino, Stralsunda, ac Wismaria, nec trans mare Landscrona, ac Marstrandia carere posse. Inde Cellas regressus cum Duces postulato suo circa particulas qvasdam ditionis Bremensis nullo modo dimoveri possent, Rebenacius iterum Pufendorfio significabat; eo rem rediisse, ut aut tractatus abrumpendi, aut Ducum postulata annuenda sint. Ubi hic protestabatur, sibi in eam rem nulla mandata esse, nec in alterutram partem autorem esse velle, stipulatus qvoqve, ut Rebenacius de dissensu ipsius publice testetur. Si tamen privatam sententiam exponere integrum sit, sibi satius videri tantilla jactura viam ad pacem, & reliqva recuperanda sterni, qvam abruptis tractatibus, qvid incerta belli alea latura sit expectari. Ita Rebenacius pacem cum Ducibus perfecit, ac Svecorum qverelis à se amoliendis sparsit; Pufendorfium in eas conditiones consensisse; qvi tamen publico nomine nil locutus fuerat. Ac facile adparebat, Gallum Ducibus tantopere cupientibus de alieno gratificari etiam ingratiis Svecorum voluisse; cum post pari modo cum Brandenburgico Electore egerit, huc jam redacto, ut qvalescunqve conditiones eidem extorqveri possent. Cæterum Ledeburius in transitu Episcopum Monasterienses convenerat; qvi tantopere festinatæ transactioni admodum indignabatur. Et qvia nemo non in separatam pacem ruat, sibi qvoqve

1679.

1679. qvoqve de ponendis armis cogitandum, modo id salva existimatione fieri qveat. 1679.
9 Mart. Iden Cellas veniebat eo ipso die, qvo Rebenacius allata ratihabitione solenniter audiebatur. Ad ea, qvæ is in mandatis habebat, Dux suo, & Gvelferbytani nomine respondebat: Par esse, ut Ratisponæ, qva separata ista pax jura Ordinum lædat, medicina adhibeatur. Sest postqvam ipsi Vienna intellexerint, de Cæsarea pace dubitandum non amplius esse, ac inde Monasterienſem partes deserturum, Meinderium qvoqve Lutetiæ pacis conditiones proposuisse; sibi pariter, ne extremi forent, pro captu cum Gallo transigendum fuisse. Se semper palam professos, nec primos se, nec postremos fore. Uti autem non nisi cum Cæsare, Hispano, ac Belgis fœdere nexi fuerint, qvorum unus post alterum defecerit; ita se, in qvos Gallica potentia primo loco ruitura fuerat, non potuisse non honesta ratione periculo se subducere. Per id porro nemini fraudem factam, & Electori qvoqve suam transactionem curæ fore. Ad ea Ledeburius: Electori, cum ipsum huc proficisci juberet, nondum de hac pace constitisse. Se qvoqve cum non ita pridem Duci valediceret, Electori Ducum verbis confirmasse, hos firmiter in partibus mansuros. Unde isti pacem hanc valde inopinam visum iri. Sed Duces reponebant: Cæsarem in culpa esse. Si omnes in partibus perstitissent, se qvoqve haut discessuros fuisse. Electorem id eo minus vitio sibi daturum, qvod Meindersius nulla cum fœderatis communicatione in Galliam profectus magna ipsos suspicione perstrinxerit. Sed negabat Ledeburius, id iter citra denuntiationem susceptum, ac seipsum Ducibus ejus causam exposuisse, qvibus ipsi tunc adqvieverint. Dux contra: Meindersium plura proposuisse, ac peculiariter permutationem Cliviæ cum Pomerania, & alia, qvæ nominare vereatur. Nec dubium esse, qvin Electori cum Gallo conventurum sit. Addebant; multorum conjunctionem haut durabilem; idqve experientiam ostendisse; unde se non amplius ejusmodi fœderibus illigari velle. Qvæ ipsi promiserint, bona fide præstitisse; nec Electorem id inficiaturum; etsi intelligant, cum auxiliis in Pomeraniam missis non satis contentum esse, cum revera plura præstiterint, qvam debuerint. Electorem qvoqve actione in Hamburgenses hospitiorum nomine desistere nolle, cum tamen norit ei civitati à sua Domo evictionem præstandam, eoqve existimationem suam in eo verti. Per talia se ad consilia compelli de qvibus antea cogitatum non fuerit. Cum Ledeburius pactum sibi communicari peteret, id abnuebant, causati, Rebenacio promissum, absqve ipsius consensu nemini ejus copiam faciendam. Si à Gallo id obtineri qveat, se non repugnaturos. Sed eo ipso die tractatus iste Neomago typis impressus adferebatur, ob inane secretum illis paulum erubescentibus. Emolumentum tamen ex ea pace perceptum elevabant, ac optabant Electorem lutioribus conditionibus potiri, modo id sibi damno non sit. Qvemlibet suo lucro invigilare par esse. Præcipuum qvod obtinuerint esse annuos reditus, qvi è sua provincia ædi cathedrali Bremæ exsolvendi fuerint, qvi octo millia uncialium annua conficiant. Tum angulum inter Visurgim & Alleram, alias litigiosum, ac Tedingshusanam præfecturam. Accedere CCC M uncialium, & pensionem annuam XX M uncialium. Cum Ledeburius ostenderet; Svecos eum tractatum vix probaturos, Dux dicebat: id à se optari. Gallum Svecis satis ostensurum, qvid ipsis facto opus sit. Nam Gallus receperat, se Sveciæ Regis ratihabitionem curaturum, ac Ducem tantisper in Bremensis provinciæ possessione tuiturum. Alias Cellensis aula isthac pace multum lætitiæ præ se ferebat. Sed & Christiani Ludovici Meclenburgici Ducis conjugi, qvæ pariam ejus pacis se gesserat, Rex Galliæ pro navata opera per literas gratias agebat. Post mandato Ducis Bernsdorfius Ledeburio denuntiabat; qvia tractatu hoc conventum sit, ne cui transitus per Ducum terras concedatur, Elector declinatis horum terris per Hasliam iter in Cliviam sumeret. Et qvia Gallus pariter tunc transitum postulaturus foret, Electoris provincias eo magis tutas fore. Svaserat Hammersteinius, ne ista pax festinaretur, sed ut expectaretur, qvoad Cæsar pacem Neomagi factam ratam habuerit. Sed reliqvi pervicerant, qvod Cæsarei tantum in speciem circa ratihabitionem dubitare viderentur; cui & solus Montecuculus, & Hocherus adversetur. Valedicenti Ledeburio Duces dicebant; *Electorem haut in sinistram partem accepturum, qvod sibi securitas sua respiciendа fuerit. Pacem suam non nisi medii status indolem habere, qvem subisse post fœderatorum defectionem turpe sibi non sit. Cæsarem qvoqve significasse, per se integrum ipsis esse, prout res ferat transigere. Transitum utriqve parti negare per leges medii status licere. Alias officia sua Electori non defore; qvem sperent acceptata pace Germaniæ qvieti consuluturum.* Ast Neomagi Schutzius initio eam pacem

1679. inficiabatur, etsi sat langvide. Ac qvem Ducibus vitio daturum, si rationibus suis prospexerint, postqvam Meinderſius in Gallia tractet, ac Cæsar pacem jam suam seorsim fecerit? Sed cum jam jam isti paci suprema manus imponenda foret, à Cellensi Duce Ratisponam literæ mittebantur, qvæ atrocibus verbis invehebantur, non sine gravibus minis in eos, qvi Cellis super pace agi dixissent aut scripsissent. Qvæ tamen paucos post dies concluſa publice innotescebat. Gallus porro cum tractatum statim firmabat, suisqve legatis injungebat, ut Svecos ad eandem probandam permoverent. Nam hi in præsens magna cum indignatione expostulabant, secum velut cum pupillis agi, ac de rebus suis se insciis transigi. Monasterienſis itidem, qvi pacem suam per Nuntium adornare satagebat, valde tumultuabatur, per Duces Tedingshusam, qvam is spe jam devoraverat, sibi fuisse præreptam. Osnabrugensis qvoqve ablegatus Platenus apud Blaspielum testabatur, Ducem Ernestum Augustum in nullam ejus pacis partem venisse, nec ante subscriptionem de ea rescivisse; sed demum post transacta omnia ejus copiam ipsi factam. Eam pacem Principi suo non admodum arridere; ac facile sibi persvadere, eandem Electori & aliis displicituram. Sed Electorem id ipsi haut imputaturum, ac de ejusdem animo ex actis judicaturum. Cæterum Ducem speraſſe, id se hoc bello meritum, ut Osnabrugensis præsulatus posteritati suæ perpetuo jure conferatur, sublata alternatione. Sed omnes Catholicos contradixisse; ac Cæsareos amoliendis precibus asserere, Cæsarem voto se obstrinxisse, nunqvam se qvid bonorum Ecclesiasticorum in secularem conditionem redacturum, aut alienaturum. Unde Ducem abdicato hoc postulato id tantum desideraſſe, ut unus suorum filiorum post sua fata eum Præsulatum qvoad vivat obtineret. Inde duos Catholicos ordine successuros, qvoad is præsulatus ad Luneburgicam Domum rediret. Qvo nomine & scriptum apud Cæsareos legatos exhibebat, Dano qvoqve & Blaspielo operam suam interponentibus; nullo fructu, cum nisi summa necessitate de Ecclesiæ Romanæ emolumentis qvid remitti soleat, tunc qvoqve protestatione interposita velut data occasione repetendis.

Ad Osnabrugensem Præsulem missio. 6. Mart. Buschii.

§. 41. Ad eum Præsulem ab Electore mittebatur Clamor Buschius super Cæsaris pace, & Borealium fœderatorum rebus sententiam ejusdem percepturus. Is respondit; se non posse non magnopere improbare legationis Cæsareæ acta; nec ea 1679. dissimulanda, sed de iisdem Ratisponæ graviter qverendum, atqve curandum, ut majestas Imperii, & Ordinum jura salva persistant. Porro utut Cæsar secessionem fecerit, Borealibus tamen fœderatis arma adhuc summa vi paranda, ut hostis ad æqvas conditiones permoveatur. Enimvero si operæ pretium faciendum sit, inter superstites fœderatos majorem animorum conjunctionem, ac enixius pro communi salute studium posthabitis privatis commodis optandum esse. Armorum paratum justa mole haut factum, nullibi congestam annonam, nec super imperio in exercitum conventum. Monasterienſem qvoqve decreviſſe, qvæ à Svecis obtineat loca pro summa pecuniæ restituere. Nec sibi constare, qvid Cellis, & Gvelferbyti agitetur; de qvorum destinatis ambigue differatur. Suum qvoqve Præsulatum periculo proximum esse. Unde se non posse non Electori candide significare, securitati suæ obtinendæ necessum esse, ut Cæsarea pace comprehendi se curet, qvod alias fortunæ suæ facile subruendæ sint, sede belli in provinciam suam translata. Nec vires suas ad summam rerum qvid facturas. De cætero magno sibi dolori esse, fœderatos non majori studio pro satisfactione Electoris, futuraqve Imperii securitate, ac stabili qviete conniti. Idem rogabat, ut Elector operam apud Cæsarem navet, qvo Osnabrugensis Præsulatus uni suorum filiorum post sua fata relinqvatur ea lege, ut deinceps duo Catholici eodem potiri qveant. Eam rem Elector Viennæ singulari studio commendabat. Ast heic etsi ejus Principis actiones probarent, ac ejusdem studium pro Cæsare, & Imperio laudibus ferrent; tamen enormi ejus aulæ in ritus Romanos affectu id petitum frigide accipiebatur. Ratisponam de eo negotio referendum, qvod solus Cæsar super eodem nil disponere qveat, nec officium tamen Cæsaris in eum finem polliciti.

Alia ad Cellensem Ducem missio. 22. Mart.

§. 42. Qvanqvam autem Ledeburius Cellis nihil profecerat; visum tamen Electori denuo Paulum Fuchsium eodem mittere, ut de suo in eum Ducem, agnatumqve Gvelferbytanum studio testaretur. Ac licet forte ex una aut altera parte nonnihil offensæ interveniſſe videatur; se tamen nihil magis cupere, qvam ut ab antiqvissimis temporibus inter utramqve Domum radicata amicitia exacte conservetur, modo Duces paria amicitiæ argumenta reponant, nec per alios, qvi ex ipsorum dissidio lucrum captent, in transversum se rapi patiantur; cum

1679. cum in isthac mutua amicitia genuinæ utriusqve Domus rationes consistant. Eam ob causam spem sibi fuisse, Duces, qvod pacta, ac totiens iterata promissa reqvirebant, pacem suam seperatim haut inituros fuisse. Sed cum id jam infectum non amplius fieri possit, haut eo minus sperare, Duces fidam operam navaturos, ut ipse æqva satisfactione, ac honesta pace potiatur, qvo communis patriæ qvies restituatur. Svecos contra omnem rationem pertinaciter æqvas conditiones respuere. Ni isti per efficacia eorum officia, qvos qvies Westphaliæ, & Inferioris Saxoniæ tangit, ad molliora permoveantur, sibi necessitatem allatum iri extrema tentandi, vastum incendium paritura. Tum transitum petebat pro tribus legionibus Mindæ, ac Lipstadii præsidio firmando. Nec tam exiguam manum tractatibus cum Gallo obesse posse; ac Ducum interesse ea oppida servari. Ad ista nil præter inania verborum reponebatur; ipsa res
14. April. Klenck. abnuebatur. Ac paulo post Duces per Wilhelmum Klenckium Electori significabant, ne per ipsorum ditiones copias suas duceret, qvod ipsi ex pacto cum Gallo eum transitum prohibere teneantur. Ad qvæ Elector respondebat: Se qvidem confisum fuisse, Duces pro utriusqve Domus conjunctione haut sese obstricturos ad id prohibendum, qvod jus naturæ & gentium, leges Imperii, Instrumentum Pacis, ac peculiaria fœdera permittant. Sed qvia Ducibus aliter visum fuerit, se jam mutato legionum itinere ostendisse, haut sibi placere intempestivis qverelis, ac rixis ansam præbere. Deinceps qvoqve potius circuitu usurum, utut nemo mortalium vitio sibi daturus sit, si qva proximum est oppressis civibus auxilia submittat. Nec cum tempore occasionem defore juri suo vindicando. Nec minus post Duces junctim literas ad Electorem dabant, ne Hamburgenses pecuniam ob assignata à Cæsare hospitia posceret. Per qvas cum adpareret rixæ ansam captari, nil respondere visum, declinandæ animorum irritationi. Colorem Duces dicebant, qvod per Cæsarem ejus ubis protectio sibi commissa sit. Sed Elector judicabat, id protectorium haut qvidqvam eo porrigi posse, ut non nisi Cellensibus ex ea civitate emolumentum capere liceret, nec eadem præterea ad communes patriæ necessitates qvid conferret. Unde & Cæsar per ministros suos Hamburgensibus, ac Lubecensibus denuntiabat; ne curarent Cellensi tractatu contenta, sed ex sua dispositione Electori satisfaciant. Simul Cæsarei, cum Luneburgici suam qvoqve pacem Cæsareæ pacis Instrumento inseri cuperent, id abnuebant, causati, se expectaturos, qvoad Sveci eam pacem ratam habuerint; inde amplius deliberaturos. Nam si maxime per temporum iniqvitatem ad istam pacem connivendum sit, eandem tamen actu ita solenni haut adprobandam. 1679.

§. 43. Porro spes ab Hispanis levamenti qvid obtinendi dudum decollaverat; qvi ad extremum usqve eadem chorda oberrabant, ut verborum, excusationum, spei affatim effunderent, rei nil præstarent. Qvin aliqvando ubi incalescerent, jactare non dubitabant; se non teneri ad erogandas pecunias, ut fœderati bello parta tutari qveant. Tum & offensa in Joannem Austriacum indies gliscere; qvi cum omnia negotia solus expedire vellet, maxima, minima, non poterat non in administratione oriri ditas, confusio, & multorum oblivio. Ac 17 Sept. ipse paulo post laboribus fatiscens extingvebatur; cujus dissecti cerebrum in liqvorem extabuisse compertum est, è continua uti creditur animi contentione. De ejus adhuc juvenis ingenio Cardenas judicaverat, *id forpici simile, qvo barba radi posit, panis scindi non possit.* Cæterum Hispani uti sua pace non parum doluerant, ita Cæsarea pace magis adhuc consternabantur, velut plane desperatis Austriacis rebus. Cum Rucqvius Austriacæ Domus periculum demonstraret, qvæ utiqve citra fœderatos consistere non possit; cui se tamen nemo temere sit innexurus, si meminerit, qvomodo in præsens cum fœderatis sit actum; reponebatur: vere ista dici; sed qvid remedii adversus ista mala? Sibi consilia sua non proprio è judicio, aut rationibus reipublicæ, sed ex necessitate fuisse sumenda. Galli fortunam ad suprema provectam, qvæ non possit non brevi retro verti; qvasi jam humanis auxiliis desperatis clavum è manibus amitterent. Addebatur, ab Anglo omnia corupta, qvi si rectam viam incessisset, res eo confusionis haut fuisse prolapsuras. Ad extremum classis Americana adveniebat; sed cum jam Rucqvius solutioni instaret, occinebatur: Regi omne argentum, qvod ista in ipsius usum advexerit, sumtibus nuptiarum impendendum, qvi tribus millionibus taxabantur. Cum 19. Nov. iste Madrito discederet, jussu Electoris Hispanicis ministris denuntiabat; hunc post tot ludibria tolerata cogitaturum, ut solutionem sibi ipse curet. *Ab Hispania nil subsidii expectandum.*

§. 44. In Anglia qvoqve bellum velut alienum, & qvod eam non tangeret, adspi- *Anglus ad commune*

1679. adſpiciebatur. Nec dubium habebatur, qvin poſt Hiſpanicam pacem Cæſari qvoqve pax amplectenda foret: qvæ & Beuningii ſententia erat. Ipſe Rex qverebatur, ſe CC M librarum Sterlinenſium ſeqveſtris officio obeundo impendiſſe, ſed parum gratiæ, aut gloriæ inde reportaſſe, qvod unus poſt alterum abſqve ſua opera peculiarem ſibi pacem fecerit. Interim inteſtinæ turbæ gliſcebant, ac Eboracenſis declinando populi odio cum conjuge in Hollandiam faceſſebat. Etſi Rex ſtatim in ejus favorem declarabat, ſe nulli fœminæ præterqvam Reginæ conjugalem fidem dediſſe: ne Monomuthenſis Ducis prætenſio firmaretur, qvi matrem ſuam Regi juſtis ſponſalibus junctam fuiſſe aſſerebat. Adverſus Pontificiorum ſacerdotum machinationes, qvi ſpretis ſeveriſſimis legibus in Angliam irrepere non omittebant, Buckingamiæ Dux in Superiore Domo propoſuerat, ut ſupplcium laqvei per leges iſtis dictatum in caſtrationem verteretur, majori terriculamento iſtis futuram. Super defenſione Cliviæ Rex dicebat; ſi Belgæ rem ſerio agere velint, ſe qvoqve operam ſociaturum. Poſt cum 17. Jun. Danicus legatus ſolenni alloqvio Regem ad inferendum Gallo bellum hortaretur, hic reſpondebat: mirum ſibi videri talia proponi; cum notum ſit, qva conditione ipſe agat.

cauſam nihil conferr.

Neomagi poſt Cæſaream pacem acta.

§. 45. Interim Neomagi Cæſarei poſt pacem ſuam cum Gallis abſolutam Dano, & Blaſpielo propoſuerant: E ſubinde facta communicatione notum ipſis fore, Cæſarem inter alias conditiones ſtipulatum, ut officium ſibi apud Boreales fœderatos interponere integrum ſit conciliandis induciis. Unde noſſe velle, an, & qvouſqve iſtæ admitti qveant? Ad qvæ illi: circa communicationem ſibi minime omnium ſatisfactum; ac de perfecta cum Svecis pace non niſi è communi fama percepiſſe. Super oblato officio commode ſe reſpondere poſſe, qvod Sveci nuper ſimili caſu Gallis repoſuerant: Sveciæ Regem ſocii officia in bello, nõ ſeqveſtris à Gallo expectare. Sed qvia Cæſarei præter ſpem ita raptim ſeparatã pacem occuparint, ſua mandata jam expiraſſe, qvæ ad conjunctam tantum negotiationem cum fœderatis ſpectarint; eoqve nova ſibi mandata petenda. Sed Kinskius dicebat; properato opus eſſe, qvod Gallus induciis non longius, qvam ad finem Aprilis conceſſurus ſit. Cum Cæſarei qværerent, num id reſponſum Gallis communicare debeant, Blaſpielus reponebat; non eſſe qvod ipſi vel minimum circa ſua reſponſa adverſæ parti referenda ſatagant. Nam ſi qvid huic proponendum ſit, non minus acceſſum ſibi ad eandem, qvam Svecis, patere; nec ſe ipſorum officium admittere poſſe, anteqvam ab Electore in eam rem mandata acceperit. Anglus qvoqve cum reqviſitus eſſet de his induciis Dano, ac Blaſpielo proponere, id abnuerat. Haut eo minus Cæſarei Blaſpieli reſponſum ad Gallos retulerant. Unde qvia Cæſarei, uti ſæpe alias, Electori invidiam facere volebant, Danus, & Blaſpielus à Jenkino petebant, ut qvid actum ſit Gallis ſignificet; ac ſe ab induciis non abhorrere, ſi de iis ab hoſtibus, aut à ſeqveſtre proponatur. Nam cum Cæſareis nil ſibi negotii eſſe velle. 11. Febr.

1679.

Galli Dania Regem & Electorem ad pacem urgent.

§. 46. Aſt Galli, poſtqvam Cæſareos ita faciles ad omnia ſua poſtulata comperiſſent, in proclivi jam ſibi rebantur reliqvis fœderatis conditiones, qvas libido ferret, impingere. Ne autem Cæſar forte ratificationem abnueret, Strada, & Colbertus tamdiu Neomagi manere jubentur, qvoad & Borealis pax confecta foret; ſimul pacis cum Cæſare ratihabitio prompte eo mitteretur. Tum Gallicus miles Juliacenſi, & Colonienſi provincia deducitur, ac ut præſidia octo oppidorum Regiis ſumtibus viverent diſponitur, qvo novam pacem commendarent. Rex qvoqve per literas Coloniceſem civitatem de amicitia ſua ſecuram eſſe jubebat; qvæ late Gallis, ut pro lubitu introirent, ac neceſſaria emerent, permittebat. Mox Galli Jenkino declarationem exhibebant; qvam antea typis exſcribendam tradiderant, ut omnibus innoteſceret. Ejus ſenſus erat: *Qvia propoſitio ſuperiore anno die XV Aprilis facta tanta æqvitate, & ratione ſubnixa fuerit, ut pacem in majore Europæ parte produxerit, ſpem fuiſſe Regi Daniæ, & Electori Brandenburgico magis cordi fuiſſe eandem qva ipſos ſpectat acceptare, qvam diutius plenam publicæ qvietis reſtitutionem remorari per injuſtas prætenſiones, qvæ is tractatus, paci fundamentum daturi, convelluntur. Sed qvia iſti Principes hactenus non declararint, ſe iſtas conditiones acceptare, ac vero iniqvum foret, ingentes ſumtus, qvi Regi faciendi ſunt ad plenam Sveco ſatisfactionem curandam, pacemqve toti orbi Chriſtiano reſtituendam, eidem detrimento cedere; ejuſdem legatos Jenkino velut ſeqveſtri declarare: ne per totum menſem Martium Dania Rex, & Elector ad normam pacis Weſtphalicæ, atqve Hafnienſis Svecia ſatisfaciant, Regi tunc libertum fore novas conditiones depoſcere; nempe ut Lipſtadium Colonienſi Electori attribuatur, ac ut Danus, & Elector*

14. Febr.

Regi

1679. Regi ad solvendas belli expensas teneantur. Ad eam declarationem Blaspielus id scriptum reponebat: Legatus Extraordinarius & Plenipotentiarius Serenissimi Electoris Brandenburgici acceptâ & perspectâ declaratione, quam DD. legati Extraord: & Plenipot: Regis Christianissimi 24. Februarii ipsi intimari curarunt, statim ex rubrica ejus, tum ex declaratione ipsa collegit, eam instinctu DD. legatorum Svecicorum editam esse, misitque eam S. Ser. Electorali, ut quid ad eandem responderi velit, sibi in mandatis det. Interea cum silentium suum rebus Seren: Domini sui obesse magis magisque animadvertat, non potest quin in antecessum significet, Suam Ser. Elect. valde miraturam, DD. legatos Svecicos ipsi imputare velle, quod aequas pacis conditiones detrectaverit: cum tamen ipsi nunquam ejusmodi oblatae fuerint, nec DD. legati Svecici ad exemplum supra nominati legati Brandenburgici, qui pacis promovendae studio jam ante duos menses, & quod excurrit, Excellentissimae mediationi Anglicae projectum pacis tradidit, reddendum DD. legatis Svecicis, simul ac de pace agere in animum induxissent, projectum pacis reciprocum exhibuerint. Non parum quoque Suam Ser. Elect. movebit, quod DD. legati Svecici retardatae pacis culpam in ipsam conjicere, queriqve velint, quod ipsa pacem VVestphalicam attentare voluerit; cum tamen notorium sit, eam jam inde ab initio hujus conventus nil ardentius, quam aequam ac promtam pacem exoptasse, nihilque quo ea promoveri potuit, omisisse; neque ipsam, sed Sveciam, pacem Westphalicam tanto opere transgressam esse, ut Imperium non potuerit, quin injuriam agnosceret, & vindicaret, Suamque Ser. Elect. ad arma pro conservatione dictae pacis Westphalicae contra Sveciam capienda invitaret. Neque Sua Ser: El: in animum inducere poterit, ut credat, DD. legatos Gallicos per dictam Svecorum causa & instinctu à se editam declarationem hoc evincere velle, quod Sua Ser. Elect. justam, debitam, promissamque postulando satisfactionem contra pacem Westph. aliquid attentare velit, aut quod provinciae, quas Svecia in Imperio tenuit, & culpa sua amisit, pacis Westphalicae causa alienari non possint. Cum extra dubium sit, ditiones omnes in Imperio indiscriminatim ab uno Statu Imperii vel possessore ad alium tam ante quam post factam illam pacem Westphalicam transferri potuisse, & adhuc dum salva illa pace transferri posse; quod quidem ipsius Regis Christianissimi comprobatur exemplo, utpote qui absque hoc fundamento tam insignem Circuli Burgundici partem, quam Hispaniae Rex ipsi vi pacis novissimae inter illos conclusae cessit, bello hoc novissime gesto non adquirere, neque pacem haut ita pridem cum Serenissima Domo Brunsvicensi ejusmodi conditione (qualem etiam, sed majori jure Seren. Sua Elect. postulat,) nimirum relicta ipsi quadam Ducatus Bremensis & Verdensis, quos Svecia integros possedit, parte, pangere nunquam potuisset. Qua ratione cum pacem Westph. attentatam, temeratamque esse DD. legati Svecici jure affirmare non possint, quomodo in pari, & aequiori adhuc causa Sua Ser. Elect. dispar judicium ferre queant, percipi non potest; praesertim cum iidem DD. legati Svecici eo, quo pacem cum Caesarea legatione faciebant, die consenserint, ne Caesaris foederati Septentrionales per Imperatorem & Imperium ad omnium, quas Svecia in Imperio tenuit, & reddi sibi postulavit, ditionum restitutionem cogerentur, sed ut cum ipsis hac de re ageretur, & transigeretur, id quod Sua Ser. Elect. summopere desiderat. Quod autem à Sua Ser. El. li, si hoc mense Martio Svecia omnes, quas bello ipsi ademit, ditiones non restituerit, sumtuum quos Gallia in bellum contra S. S. Electoralem impenderit solutio, & urbs Lipstad, cujus regalium & jurium territorialium dimidia pars ad Comitem de Lippe pertinet, exigantur, praedictaque urbs Serenissimo Electori Coloniae, cui nullus titulus, nullumque jus ad eam vel in ea est, neglecta omni in Imperio observandi juris via & ordine, de facto attribuitur, id non solum aequitati, sed & juribus, ac libertati Statuum Imperii, ejusque constitutionibus, quibus pax Westphalica innititur, adeo adversum contrariumque foret, ut nihil supra. Nemo denique intelligere potest, quo jure DD. legati Svecici, postquam pacti & polluti sunt, secum Caesaris foederatis septentrionalibus de pace acturos, eoque fine armistitium trium mensium cum iis inituros esse; quo jure inquam, vel juris saltem praetextu à Rege Christianissimo contendere possint, ut non tantum contra S. S. Electoralem, sed & contra Comitem de Lippe, cui sane nihil negotii cum Svecia intercedit, omnem exerceat rigorem, eosque hac urbe prius privet, quam declaratio saepe dicta ad S. S. Electoralem perferri, ejusque super ea responsum referri possit, ad quod hic mensis non sufficit, cum S. S. Electoralis jam longe abhinc in Prussia pro defensione subditorum suorum etiamnum commoretur. His, & multis aliis rationibus supranominatus legatus Brandenburgicus adductus fuit, hoc suum in antecessum scriptum responsum Excellentissimae Mediationi Anglicae communicare, non solum ut de justitia causae Ser. El. Brandenburgicae certior sit, sed ut quoque ad ipsius hac in re notitiam

1679. Blaspieli ad istam declarationem responsum. 14. Febr.

1679. tiam provocet, confidens, eam libentissime festaturam, quod Sua S. El. pacem & armistitium indesinenter desideraverit, & hoc tum quoque inire parata fuerit, cum rebus suis minime conveniret, imo adversum esset; quod denique supra dictus legatus uti jam inde ab initio tractatuum, ita & adhuc promtus, paratusque sit & pacem, & armistitium conditionibus aequis, & quam facillimus concludere. 1679.

Gallorum replica. 4. Mart.

§. 47. Ad ista Galli, quo Electorem retardatæ pacis reum facerent, reponebant: Uti Gallia Rex testando circa instaurandam Westphalicam pacem studio stipulatus sit, ut eum in finem utrinque efficax opera ponerentur; Quo fine ipse apud Svecia Regem officium sit interpositurus, Cæsare quoque suos fœderatos hortaturo, ut in armistitium pacis consequendæ accommodatum consentiant. Et Svecos quidem protinus consensisse, ut tractatibus etiam tempus induciarum definiretur, etsi à legatis Cæsareis id repudiatum sit. Contra legatos Danicos, & Brandenburgicum, haut contentos iis, quæ in ipsorum gratiam convenerant, contra tractatum protestatos, antequam perficeretur, & post, nil omittentes, quantum penes ipsos foret, ut Imperium permoverent, confirmationi tractatus quietem ipsius stabilienti præponere continuationem belli, cum maxima jactura, & desolatione ejusdem conjuncti, tantum ut ab Electore hoc bello parta pervicerentur. Unde revera legatos Danicos, & Brandenburgicum inducias noluisse, velut qui non solum admittere recusarint operam legationis Cæsareæ, quam hac impensuram se promiserat, sed & protestationem interposuerint, & contra facultatem ejus legationis, & contra omne id, quod eadem stipulata sit in favorem Cæsaris, & omnium Imperii Ordinum. Unde permotum Galliæ Regem ad alia consilia magis efficacia capessenda, quo promte reducatur pax tantopere desiderata à tot populis sub belli onere gementibus; eoque nuperam declarationem editam, tanto justiorem, quo æquius, & rationi convenientius est, eos qui plus onerum sentiunt, eo plus etiam emolumentorum sentire. Adeoque cum ditiones Electoris Colonensis tantopere expositæ sint transitibus copiarum, & aliis incommodis belli, quod per Electoris Brandenburgici pertinaciam in Imperio alitur; par quoque esse, ut idem lucretur oppidum, unde tanta ipsi damna proveniunt. Et cum Rex è successibus armorum suorum lucrum capere nolit, saltem par esse, ut inde possit gratificari illi ex Ordinibus, qui plurimum hoc bello patitur. Sed Electori facile esse istud detrimentum, si nil mutationis velit adferre pacis Westphalicæ, & consentire, ut Germania ipsa una cum plena ejus pacis restitutione perpetuam tranquillitatem debeat, qua ista tantopere indiget. Ac solam acceptationem harum conditionum esse, quam audire penes legatos Gallicos sit, antequam præsens mensis elabatur: nec eosdem posse à legato Brandenburgico admittere ullam propositionem sermone aut scripto factam, quæ plenam tractatus Westphalici instaurationem pro fundamento non habeat. Ad ista Blaspielus respondebat hoc modo. Intellexit Sua Serenitatis Elect. Brandenburgica legatus Extraord. & Plenipot. ex illo, quod DD. legati Gallici 14. Martii Excellentissimæ Mediationi Anglicæ tradiderunt, memoriali sibi communicato, quibus causis adducti credant, DD. legatos Danicum, & Brandenburgicum armistitium noluisse, & quod imposterum non possunt aliam, quam ad perfectam pacis Westphalicæ restaurationem collimantem à legato Brandenburgico sive ore sive scripto editam accipere declarationem. Duxit præterea suarum esse partium, omni amputata mora Exc: legationi Anglicæ denuo significare, Ser. Suæ El. Brand. utpote quæ pacis Westphalicæ tuendæ, redintegrandæque causa ad bellum vix aliquatenus sopitum accessit, ejus restaurationem adeo cordi esse, ut omnes eo facientes conditiones ambabus amplectatur manibus, sanctèque promittat, se ejus uti antehac ita imposterum fore observantissimam, omnemque daturam esse operam, ut ea pristinum in omnibus & singulis punctis & clausulis obtineat, retineatque vigorem. Et cum eadem pace cautum, sancitumque sit, ut qui eam violaverit, damnumq; alteri dederit, parti læsæ satisfaciat, & ut quæ judicis sententia definita fuerint, exsecutioni mandentur, prout Imperii leges de exsequendis sententiis constituunt: quid æquius, & rationi magis consentaneum esse poterit, quam ut ius, quæ Cæsar, & Imperium vigore hujus pacis Westphalicæ inter partes judicarunt, satisfiat, & pax hoc modo in pristinum restituatur statum? Proinde Ser. Sua El. sibi persuadet, DD. legatos Gallicos non aliud per pacis Westphalicæ redintegrationem postulare, quam ut dicta Sua Ser. El. id quod suum est juxta tabulas hujus pacis tribuatur. Quod vero legatus Danicus, & Brandenburgicus, laudabili cura & studio solius Excell: Mediationis Anglicæ contenti, absque mandato Serenissimorum Dominorum suorum officia legationis Cæsareæ non æque, ac DD. legati Svecici Dominorum legatorum Gallicorum admiserint, evidentissima adest ratio, & maxima disparitas inter ipsos, & prædictos DD. legatos Svecicos, cum per pacem tam Cæsareo-Gallicam, quam Cæsareo-Svecicam fœdus inter suam R. M. Christ. & Regem Svecia observatum,

Blaspieli duplica. 4. Mart.

1679. *tum, & abunde adimpletum sit; idem vero de fœderibus inter Cæsarem, & Regem Daniæ, Serenissimumqve Electorem Brandenburgicum initis dici neqveat. Ita ut exinde nullo modo argui possit, legatum Brandenburgicum armistitium noluisse, utpote qvi contrarium semper est testatus, eumqve in finem per Excell. Mediationem Anglicam DD. legatis Gallicis, & Svecicis in tempore significari curavit, se armistitium non rejecisse, sed æqvis conditionibus id ipsum inire promtum, paratumqve esse. Multo minus argui ex eo poterit armistitii rejectio, qvod dictus legatus ea, qvæ contra fœdus, & libertatem, juraqve Statuum Imperii à Cæsare gesta credidit, vi officii sui non approbaverit, qvodqve Seren. Domino suo jura sua solitis eo in casu protestationibus integra, ac illibata conservare non omiserit, qvibus protestationibus nihil omnino commune fuit, nec adhuc est cum armistitio. Cæterum obstinatus non est, qvi qvod sibi debetur postulat, sed qvi illud negat.*

Blaspielus fœderatos indemnitatem posci. 16. Febr.

§. 48. Porro Blaspielus, accepta tam minaci Gallorum declaratione Hispanos scripto monebat; hos esse fructus separatorum tractatuum, sub conditione medii status initorum, qvi Electorem in eum statum conjecerint, ut talia jam ab ipso exigantur, nullo habito respectu ad justitiam causæ, ad necessitatem suorum armorum, ad successus divinitus donatos, ad exhausta ab ipso pericula, labores, & immensos sumtus impensos. In præsens tamen silentio transiri; num fœderati tam inevitabili necessitate ad ejusmodi tractatus fuerint compulsi: ac tantum alias obligationes tangi ex fœdere inter Regem Catholicum, & Electorem anno 1674. inito ortas, qvi cum allegata necessitate nil commune habent, ac omni casu impleri possunt, & debent. Sane articulo 14. & 24. ejus fœderis Hispaniæ Regem obstringi ad procurandam Electori qvietem, pacem, & satisfactionem, simul indemnitatem omnium damnorum, qvæ is in Clivia perpessurus sit. Unde post istam Gallorum declarationem Electorem nosse oportere, qvomodo Rex suæ obligationi velit satisfacere, aut qvomodo avertere qveat, ne isti necessitas adferatur Sveco restituendi, qvæ per justa arma huic erepta sunt; tum ne Lipstadio exuatur, neu à Gallo ad solvendas belli expensas compellatur. Super qvo sententiam Regis Catholici ex ipsis cognoscere qvamprimum cupere, ut ea ad Electorem à se referri qveat, ac is decernere possit, qvid ad eam declarationem sit respondendum, & qvid consilii tam circa bonum publicum, qvam privatas rationes sit capiendum. In eundem sensum Cæsareis qvoqve, ac Belgis scriptum exhibitum. Ad qvod Hispani qvidem ad Regem sibi referendum excusabant. Beverningius autem jussu Belgarum demonstrabat: *Sibi non constare aliqvid contra fœdus cum Electore admissum. Se gravibus suorum civium incommodis, qvi diuturnitate belli fortunis plane evertebantur, compulsos ad pacem cum Gallo ineundam. Post omnia qvæ penes se fuerint fecisse, ut & fœderati pace qvantum fieri potuerit optima potiri possent. Eo durante bello id felicitatis sibi obtigisse, ut Elector ne latum qvidem pedem terræ amiserit, eoqvabunt necessum fuisse hujus nomine aliqvam restitutionem stipulari. Qvin potius cum Gallus, & Svecus insisteret, per Electorem hoc bello occupata esse restituenda, ipsum Svecum non obscure insinuasse, se proclivem esse ad Electori satisfaciendum pro damnis, qvæ hic toleraverit. Sed tam ante qvam post conclusionem ejus pacis, cum ipsi certum temporis spatium stipulati essent, intra qvod sui fœderati eam pacem amplecti possent, Electorem judicasse, haut è re sua esse istam pacem in propositas conditiones acceptare. Unde sibi juxta triste fuisse, qvod nec mitigationem earum conditionum obtinere possent, & qvod Electori satius videretur bellum persequi, qvam istas acceptare. Et qvia ista à se emendari non potuerint, non posse se teneri ad præstandos eventus, qvi secuturi non fuerant, si Elector dictam pacem acceptare voluisset: eoqve animo capere se non posse, qvid Elector eo nomine ex eo fœdere exigere qveat, qvod ipsis oneri sit. Se nihilominus cuixam operam navaturos, ut Electori qvantum possit satisfiat.*

Belgarum responsum.

Ast è Cæsareis Gurcensis ad Blaspielum accedens dicebat: *Se circa negotium pacis fœderum semper memores fuisse, eoqve fine, ut Electori satisfiat officia interponere cœpisse: sed deprehendisse, ea ipsi parum grata esse. Tum Hispanos qvoqve, & Belgas, non solum Cæsarem eo fœdere teneri. Interim se rem ad Cæsarem retulisse, ac sibi expectandum, qvid ille mandaturus sit.* Contra Blaspielus; *se plane sentire non potuisse, Cæsareis fœdera cura fuisse, utut ipse sæpius eos monuerit, ac demum eam ob causam protestationem interposuerit. A Cæsare qvoqve officia fœderati in bello, non sequestris desiderari; nec præstationes fœderibus promissas per ejusmodi officia, qvæ meris verbis constant, suppleri. Ac si maxime Hispanus & Belga debitum non expleverint, Cæsarem ideo obligatione sua haut qvidqvam exsolvi; ac Electori contra singulos fœderatos actionem in solidum competere.*

Cæsareum responsum. 21. Febr.

Ideo autem Cæsarei tam solicite officia sua offerebant, ut id negotium pro lubitu temperare possent; cum

1679. jam vererentur, ne Elector cum Gallis seorsim transigeret, ac per fœdera iisdem se innecteret. Blaspielus qvoqve Electoris jussu Cæsareis denuntiabat; etiamsi ipse peculiari ista pace in periculosum statum conjectus sit; sperare tamen se non plane destitutum, aut ad iniqvas conditiones compulsum iri. Alias vitio sibi haut vertendum, si ad sui conservationem consilia arripiat, aliis forte olim pœnitenda, qvibus libenter superseders velit. Sed qvia legati Cæsarei literis passim ad Imperii Ordines datis hos ad pacem adprobandam hortati erant, ac inter causas ejusdem properatæ Meindersii iter in Galliam præcipue allegaverant, Blaspielus iis significabat: Electori mirum videri, ipsos malignæ paci eam missionem prætexere; cum tamen dudum Viennæ Crocovio denuntiatum fuerit; sibi qvalemcunqve pacem amplectendam; ac ipse de ejus missionis causa omnibus fœderatis significarit. Cæsareos qvoqve negotiationem suam valde secretam tenuisse, nec unqvam candide de ea communicasse, nec prius, qvam omnia transacta fuerint. Multas qvoqve septimanas ante, qvam Meindersius proficiscereturr, Cellis, præsentibus Gallicis, ac Svecicis ministris, tractatum fuisse, de qva re Electori nil significatum sit. Electorem sane tali modo non egisse, ac si ista hæc à fœderatis expectare potuisset, non defuisse occasionem eos prævertendi. Qvia etiam Gurcensis objecerat, Electorem anno 1673 à fœdere discessisse, Blaspielus reponebat; Electori tunc ejusmodi fœdus cum Cæsare uti in præsens haut fuisse, sed tantum super bellicis actionibus, ad qvas tamen nunqvam perveniri potuerit; nonnulla Protocollo inserta. Electorem qvoqve sua cum Gallo transactione Cæsarem, & Imperium diserris verbis excepisse; & cum Gallus post Imperium invasisset, ea transactione non obstante auxilio patriæ sese accinxisse, confisum Cæsaris munere, ac fœderum sanctimonia, qvæ nunc perrupta sint nulla ab Electore causa præbita.

Pacis ratihabitio inter Cæsareos & Gallos permutatur. 1. April. 16. Mart.

§. 49. Ast Galli cum dubitarent, ne forte Cæsar ratihabitionem omitteret, legatis urgendis declarabant, ni conventa die ratihabitio pure permutata sit, se postulaturos, ut Philipsburgi munitiones dejiciantur, ac tota Brisgovia Gallo addicatur. Mox tamen non obstantibus istis minis diem ratihabitionum hinc inde tradendarum ad diem X. XX. Aprilis ultro prorogabant. Cujus rei causa erat, qvod Rhenus tunc vernis aqvis ita intumuisset, ut copias suas in citeriorem ripam trajicere non possent. Allata tamen ante eum diem Cæsarea ratihabitione legati Cæsarei multis verbis testabantur; Cæsarem ex fœdere, cui se adhuc uti antea obstrictum judicet, Electoris causam summa fide susceptarum, ac qvicqvid ad promovendam ejus satisfactionem facere possit præstiturum. Sed satis adparebat omne id officium intra verba substituturum. Circa ipsarum porro ratificationum permutationem nil singulare contigit, nisi qvod cum legati Gallici declarassent, ni Lotharingiæ Dux ante finem Aprilis mensis pacem ratam habuerit, Regem Galliæ qvoqve conditionibus eidem concessis teneri nolle; Cæsarei vicissim ostendebant: cum Cæsar, & Imperium iis conditionibus nullo jure obligati censeri possint, qvibus Galliæ Rex mutuo obligari non vult; necessum esse, ut si conditiones illæ tales non reddantur, ut Dux eas acceptas habeat, illas vel ex tractatu expungendas, vel pro non scriptis, & perinde habendas, ac si de iis nullo modo actum, tractatumvé esset, eoqve Duci jus suum salvum maneat, causa ipsi9 ad alios tractat9 remissa. De cætero paratos se ferebant ad commutanda hinc inde ratificationis exemplaria. Ad qvæ Galli vicissim per Nuntium significabant, dudum se Regis ratihabitionem puram, ac simplicem in manibus habuisse, ac paratas esse qvavis hora illam cum Cæsarea & ea, qvæ ab Imperio data sit, sine omni conditione permutare: Formula ratificationis hæc erat

1679. 16. Mart. 2. April. 3. April.

NOS LEOPOLDUS &c.

Notum facimus omnibus & singulis præsentes literas inspecturis, lecturis, vel legi audituris, aut qvomodocunq; infrascriptorum notitia ad ipsos pervenire poterit. Postqvã ad restingendum, qvod ante annos aliqvot exarsit grave bellum, congressus Neomagi Geldrorum institutus fuerit, Divina favente clementia factum esse, ut post multos & laboriosos tractatus per nostros ab utraq; parte ad id destinatos legatos extraordinarios & plenipotentiarios pax & amicitia tandem concluſa, & ad ratificationem nostram perfecta sit; forma, modo & tenore seqventi. (*Sequitur tenor Instrumenti Pacis.*) *Cum igitur hæc omnia, & singula per nostros legatos & plenipotentiarios supra memoratos nostro præscripto, jussu & mandato hunc ad modum, prout hic verbotenus inserta, & descripta leguntur, gesta, peracta, & conventa sint, nos eadem omnia & singula, prælibata matura & diligenti consideratione, & certa nostra scientia approbamus, ratificamus, & confirmamus, rataqve & firma esse & fore virtute præsentium declaramus, simulqve verbo Imperiali promittimus pro nobis,*

1679. bis, nostrisque successoribus & Imperio Romano, cujus Status Ratisponæ modo per deputatos congregati memoratam pacem in omnibus & singulis articulis vigore concluſi 23 mensis hujus facti, & ad manus nostras transmissi approbarunt & ratificarunt, nos omnes & singulos supra descriptos articulos, & quicquid sota hac pacis conventione continetur, firmiter, constanter, & inviolabiliter servaturos, atque executioni mandaturos, nullaque ratione ut vel per nos, vel per alios contraventuros, passuros, quomodocunque id fieri possit, omni dolo & fraude exclusis. In horum omnium testimonium & fidem sigillum nostrum Cæsareum majus huic diplomati manu nostra subscripto appendi fecimus. Datum in civitate nostra Vienna die 29. mensis Martii anno Domini 1679 Regnorum nostrorum Romani 21. Hungarici 24. Bohemia vero 23. Ad eundem modum formata ratificatio Gallica ad D. Germani Fanum die 26. Februarii; Svecica autem in castris Liungby die 3. Martii scripta
25. Mart. erat. Sed SCti Ratisponensis, quo utraque pax ab Ordinibus firmabatur, hic erat sensus. *Ex relatione per Marquardum Aichstadiensem Præsidem Ordines de pace à Cæsare cum Gallo, Svecoque inita intellexisse, simul quod utrique Instrumento sub finem adjecta clausula capitulationis, ac legibus pacis Westphalicæ hanc quoquam præjudicium adferre debeant, sed quæ præsentium temporum conditio extorserit in exemplum haud trahenda. Re igitur per tria collegia in consultationem deducta placuisse, Cæsaream cautionem hac vice, atque ea conditione acceptandam, ut quod circa directionem tractatuum pacis tam circa communicationem actorum, quam alias contra Instrumentum Pacis durante hoc bello admissum fuerit, id neque nunc, nec deinceps Ordinibus præjudicio cedat. De cætero Ordines Cæsari pro cura circa constituendam pacem gratias agere. Et quamquam optarint, latiores Cæsari, atque Ordinibus, magisque proficuas conditiones obtineri potuisse; quia tamen tempora id non tulerint, advertendis majoribus malis utrumque Instrumentum à se firmari. Tum ut Cæsar operam navet, quo intereos, qui adhuc in bello persistunt, inducias ineantur, eorumque controversiæ quamprimum pace finiantur. Nec minus à se probari, quæ per legationem Cæsaream super decem oppidis Alsatiæ, aliisque in ea provincia sitis Imperii Statibus, tum super Metensibus, Tullensibus, & Virodunensibus Vasallis, Episcopo, & diœcesi Basileensi, Abbatia Murbacensi, & Lugdunensi, simul civitate Argentoratensi, & immediato ordine Equestri, ut & vectigali Warnemundano, juribus Ducum Meclenburgensium, ac civitatis Bremensis, aliisque nondum definitis negotiis referenda, atque declaranda sint. Simul rogare, ut Cæsar ulterius superiis negotiis ubi opus sit insistat, operamque det, ut dicti Ordines Imperii in immediato, ac libero suo statu per pacem Westphalicam confirmato conserventur, ac præcipue ut nihil articulo 27. pacis Monasteriensis inter Cæsarem, & Gallum derogetur. Denique ut libertas & immunitas commerciorum, & à diversis Imperii, aliisque civitatibus obtenta, renovetur, & confirmetur.* Ast Lotharingiæ Ducis ablegatus 20. April. Canon protestationem suam repetebat contra omnia, quæ ab articulo 12 ad 22 conventa fuerint, ut id Principi suo nocere, aut juribus ejus præjudicium adferre neqveant.

1679.

§. 50. Exhibebant post Cæsarei legato Gallico hancce locorum à Gallia restituendorum designationem. *Reparanda sunt ea, quæ in Imperio post quatuordecim dies à subscripta pace attentata, aut mutata sunt. Item restituenda sunt contributiones qualescunque, quæ ab iis provinciis, & locis, qui contributionibus sese submiserunt, post commutata ratificationum diplomata, aut alias indebite exactæ sunt. Restituenda, & evacuanda sunt regiones, & loca Imperii omnia, quæ à Gallis occupata, nec pace hac Gallis cessa sunt, aut de quibus adtempus aliter dispositum fuit. Speciatim restituenda est Domus Austriaca in totam Brisgoviam, & quicquid illi virtute pacis Westphalicæ competit, exceptis solum urbe & castro Friburgensi, & tribus pagis Lehn, Metzenhausen, & Kirchzardt Gallis cessis. Domus Durlaco-Badensis in castrum Fridlingen, aliaque castra & loca ad eam spectantia à Gallis detenta. Dux Wurtenbergicus Mompelgardensis in Horburg & Mumpelgard cum omnibus appertinentiis, & dependentiis. Abbatia Murbach & Luders in Gebweiler, Luders, Valdweiler, & Sanctum Amarinum, cum omnibus aliis harum Abbatiarum appertinentiis, & dependentiis. Episcopatus Argentoratensis in Ruffach, Saltz, Egisheim, una cum eorum vicis & præfecturis, in urbem item Marckolsheim, & præfecturam inde dependentem, necnon in urbes, præfecturas, & castra Benfelden, Dambach, Molsheim, Dachstein, Mutzig, Berg-bietenheim, Tabernas Alsatiæ una cum omni jurisdictione, pagis & subditis. Capitulum Argentoratense in præfecturam Zellenberg, una cum Vogtsia, item Benweiler, uti etiam in Berg Gaffenheim, Ehrenstein, Kestenholtz, Geyspitzheim cum omnibus appertinentiis, & dependentiis. Simili modo etiam restituendi sunt Episcopus Bambergensis, aliique Imperii Status in omnia feuda, quæ familiæ Comi-*

Catalogus Gallis restituendorum. 12. Jun.

1679. tum de Rappoltstein à dicto Episcopatu, aliisque Stratibus cessit, & morte ultimi Comitis reperta sunt, nunc autem subprotectione Gallica Princeps Palatinus in Birckenfeld detinet. Comes Palatinus Veldentia in castrum, oppidum, & Ducatum Lutzelstein. Princeps Salmensis in Principatum Salmensem cum omnibus appertinentiis, & dependentiis. Abbatissa in Andlau in Abbatiam suam immediatam, & omnes appertinentias, & dependentias. Princeps Lixheimensis in Principatum Lixheimensem cum appertinentiis, & dependentiis. Comites Hanovienses in castrum & urbes Lichtenberg, Bitdweiler, Ingweiler, Pfaffenhoven, & Sleudweiler, una cum prafecturis, pagis, villis, aliisque. Comites in Leiningen in castrum & Comitatum Daxburg, oppidum & comitatum Oberbrunn, & VVestenburg cum appertinentiis & dependentiis. Item Colmaria, Monasterium in Valle S. Georgii, Keisersberg, Turckheim, Slatstat, Oberehenheim, Rosheim, & Hagenau, &c. Restituenda insuper & evacuanda omnia loca, qua ad Nobilitatem immediatam Imperii in Alsatia Inferiori pertinent; nominatim Baro de VVangen in castrum VVangenburg, item VVildsheim, & appertinentias, & dependentias. Praterea restituenda sunt omnia loca, ad & circa fluvium Saram, & in districtu VVesterich, & Hunsruck sita, & à Gallia occupata, ad diversos Imperii Status spectantia, interque ea nominatim, que ad Comitem Palatinum Bipontinum, Dominum Nassavicam, & Reingravios pertinent. Omnia loca Archiepiscopatus Trevirensis, Archiepiscopatus Coloniensis, Episcopatus Leodiensis, Ducatus Juliacensis, & universa alia Imperii loca à Gallia possessa, exceptis sedecim octo locis, que articulo 26 pacis Cesareo-Gallica nominata, & certis sub conditionibus, quibus etiam à Gallia satisfieri debet, illi ad tempus relicta sunt. Restituendis proinde etiam iis hisce octo locis suus Dominus, magistratus, subditi, & incola in omnia jura, dominia, possessiones, & reditus, quibus ante occupationem gavisi sunt, speciatim etiam officiales posita Imperialis in functiones pristinas. Balivia Ordinis Teutonici in Alsatia in suis juribus & bonis conservetur, neque isthac in alios usus convertantur. Eadem quoque locum habeant in aliis juribus & bonis ad Ordinem Teutonicum, uti & ad Ordinem S. Joannis Hierosolimitani, quatenus magno illius Magistro subest, aliisque Imperii Status spectantibus. Civitas item Argentinensis ab utrumque à presidio Cesareo altero à subscripta pace die castrum Schaffelsheim à nemine impetatur. Omnia autem loca occupata restituenda sunt in eo statu, quo tempore conclusa pacis fuerunt una cum archivis & documentis literariis, aliisque mobilibus, ut & tormentis bellicis, quorum dictu locis tempore occupationis reperta sunt, & tempore subscripta pacis adhuc ibi extiterunt. Fiat etiam restitutio ex capite amnestia juxta articulum 64. pacis Cesareo-Gallica plenissime, cum reservatione ulteriori designationis, & ne alicujus rei specialis omissio damnum ullum afferre, aut talis res pro omissa censeri possit, sed ut potius sub generali regula rerum à Gallia occupatarum, juxta pacem VVestphalicam restituendarum, comprehensa intelligatur. 1679.

§. 51. Inita dehinc conventio fuit super ejus pacis exsecutione, hunc in modum. *Conventio super exsecutione pacis. 17. Julii.*

In Nomine Sanctissima, & Individua Trinitatis. Notum sit universis quorum interest aut interesse potest, quum articulo 27. pacis 5. Februarii nuper hic conclusa constituatur, ut Commissarii ab utraque parte nominentur, qui de restitutione, & evacuatione locorum restituendorum juxta pacem VVestphalicam convenirent, simulque S. Cas. Majestatis ab Imperii Electoribus Principibus, & Statibus decenter requisita sit, ut copias suas ex Imperio in Regna, & ditiones hereditarias educere velit, atque eo nomine S. sua C. M. Reverendissimum, Illustrissimos, & Excellentissimos Dominos D. Joannem Episcopum Gurcensem S. R. Imperii Principem, atque Sacra Cas. M. Consiliarium, & D. Theodorum Althetum Henricum à Strattman, S. C. Majestatis Consiliarium Imperii Aulicum; S. R. M. Christianissima vero Illustrissimum & Excellentissimum Dominum Carolum Colbert Equitem, Marchionem de Croissy, S. a R. M. ti Christ. a ab utrisque consiliis ordinarium, omnes legatos Extraordinarios & Plenipotentiarios, qui dicta pari concludenda & perficienda incubuerunt, necessariis mandatis instruxerint; inter eosdem S. sua C. M. tis & S. sua M. Christ. Commissarios de prafata restitutione, & evacuatione locorum, atque abductione copiarum convenisse tenore sequenti. I. Imperator exercitus suos, & copias quantocyus deducere curabit ex omnibus Imperii ditionibus ad Dominum Austriacam jure hereditario non spectantibus, & nominatim ex Circulis Suevia & Franconia, uti & ex Circulis Rhenano Electorali, & Rheni superioris, urbibusque, & fortalitiis in iis sitis, Bonna, Argentina, Offenburgo, Hochberg, Landavio, Cronweissenburgo, nec non generaliter ex quibuscunque aliis locis, neque pace Monasteriensi, neque Neomagensi Sacra Cas. M. competentibus, ita ut predicta copia in Bohemiam, aliosque Status patrimoniales ante decimam Augusti sine ulteriori mora perveniant. II. Rex Christianissimus exercitus suos & copias quantocyus etiam

1679. etiam revocabit bona fide ex omnibus Imperii ditionibus, & nominatim ex Archiepiscopatibus Moguntino, Trevirensi, Colonienſi, Palatinatu Rheni, Episcopatu Leodiensi, arbibusque, & fortalitiis in iis sitis, uti & ex tota Brisgovia, omnibusque locis, quæ Domui Austriacæ virtute pacis Westphalicæ competunt, excepto solo castro & oppido Friburgensi, & tribus pagis Lehn, Metzenhausen, & Kirchzart, Galliæ cessis, nec non generaliter ex quibuscunque aliis, neque vigore tractatus Monasteriensis, nec pace Neomagensi S. R. M. Christianissimæ competentibus, ita ut sine ulteriori mora prædicta copiæ ante decimam mensis Augusti in Regnum Galliæ perveniant. De octavo loci articulo 26. Instrumenti pacis nominatis observabuntur bona fide, quæ in prædicto articulo de iis conventa sunt. III. Restituantur etiam intra prædictum terminum, juxta articulum 24. pacis conclusæ, quicunque restituendi ex capite amnestiæ nondum restituti sunt. IV. Porro in præsenti tractatu omnia loca & jura comprehensa intelligantur, quæ restitutioni obnoxia sunt, ubicunque sita reperiantur; & si aliqua elapso termino adhuc restituta, aut evacuata non essent, statim ad instantiam partis interessatæ bona fide evacuentur, & restituantur, quæ tempore conclusionis & subscriptionis pacis, aut decimo quinto die à dicta subscriptione fuerunt, una cum archivis, documentis literariis, aliisque mobilibus, uti & tormentis bellicis, quæ in iis tempore occupationis, & subscriptionis, aut decimo quinto die à dicta subscriptione pacis exstiterunt. V. Quantum ad ditiones, communitates, & loca, quæ se ante subscriptam pacem contributionibus submiserunt, & adhuc residuas debent, convenit, ut desuper inter Intendentes, vel Commissarios ex una, & deputatos Principis, vel Statuum & locorum ex altera, ante decimum diem Augusti ex æquo liquidatio fiat, & quod ditiones, & communitates illæ, quæ contributiones non debent, vel quæ juxta articulum 30. Instrumenti pacis hic conclusæ datis idoneis fidejussoribus pro residuis caverint, vel obsides partibus gratos dederint, ad solvendum adigi non possint pro iis communitatibus, quæ adhuc debitrices, & morosæ exstiterint, licet ejusdem ditionis sint, nisi quatenus in solidum teneantur. Illis vero ditiones, communitates & loca, quæ prædictæ obligationi non satisfecerint, ad solutionem ex condicto, in quantum fieri poterit, cum debitricis ditionis regimine, executione militari compelli queant, ita tamen ut morosæ tantum communitates, aut in solidum obligatæ ditiones pœnam sentiant sine cujuscunque alterius gravamine, & ille tantum militum numerus adhibeatur, qui absolute necessarius erit, statimque à facta solutione, aut præstito per fidejussores, vel obsides cautione revocetur. VI. Nominabuntur quamprimum ab utraque parte Commissarii, qui ea exsequantur, quæ de debitis, & repertis in oppido Friburgo Archivis, aliisque documentis literariis articulo 8 & 9. Instrumenti pacis conveneruntHanc de pacis executione conventionem promittunt utriusque partis Commissarii, respective ab Imperatore, Imperio, & Rege Christianissimo inviolabiliter observatum iri, prædictorumque articulorum executionem, quæ intra prædictum tempus ex mandatis tam Cæsarea, quam Christianissima Majestatum sequentur, pro utriusque partis ratihabitione valituram, ita ut ad perfectum pacis adimplementum nulla alia ratihabitionum commutatione opus sit. In quorum omnium fidem, majusque robur Cæsarei, & Regius Commissarii præsens Instrumentum subscriptionibus, sigillisque propriis munierunt. Acta hæc sunt Neomagi 17. Julii anno 1679. Enimvero quam parum Gallis cordi fuerit eam pacem servare, vel inde colligi potest, quod cum inter Anglum, & Belgas super fœdere guarantico tractari inciperet, Gallus hisce denuntiarit; id omitterent, aut se ejusmodi fœdus in vicem abruptæ pacis accepturum. Lutetiæ quoque jactabant, perinde sibi esse, num Cæsareæ copiæ terris Imperii excedere velint, an minus; quod & Gallicus miles interim ibidem hæsurus esset. Si tamen Regi non amplius commodum sit futurum ob Cæsareum militem suas copias in Germania relinquere, eundem decretum Ratisponense exsecuturum, & Cæsareos intra Bohemiæ fines compulsurum. De X. oppidis Alsatiæ differebant: per Instrumentum pacis Regi protectionem istorum competere. Hanc istum bona fide præstiturum, ac provisurum, ne eadem in alienas manus incidant, sic ut nec Imperium, nec alium quempiam eorum cura amplius inquietatura sit. 1679.

§. 52. Paulo post perfectam pacem Jenkinus Neomago discesserat, nemine salutato, nisi quod Heugio, & Blaspielo per Secretarium indicium faceret, atque excusaret; cum urgentibus mandatis à Rege suo eodem die acceptis propere Hagam abeundum fuerit, valedicere ipsis, uti facere jussus sit, & voluerit, impeditum fuisse. Reliquorum legatorum nemini id honoris exhibuit; quod Belgæ, ac Hispani pacem suam citra Angli officium fecissent; Cæsarei, Galli, & Sveci ad subscriptionem pacis suæ eum non admisissent. Quod & Angliæ Rex Wallensteinio Cæsareo ablegato ex- *Sequestratæ Neomago discedit. 16. Febr.*

1679. probraverat, significato, se inde permotum seqvestris munus plane abdicare decreviſſe. Postqvam non amplius seqvester adesset, ac Svecis innuerent, se Blaspielum visitaturos, hic super cerimoniis sibi deferendis scisscitabatur. Qvi declarabant; si Blaspielus ipsis denuo de adventu suo significet, primam se solemnem visitationem apud eum obituros dato Excellentiæ titulo, tum visitationem reponenti honoratiorem in ædibus suis locum concessuros. Sed Blaspielus qvid sibi agendum foret scisscitabatur, qvod nunc solus ipse adesset, sublato primi & secundi discrimine, ac jam ante Svecis de suo adventu notificatio facta sit. Cui Elector injungebat, absqve cerimoniis, ac velut privatim cum istis congrederetur, qvod jam tempestivum non sit, super inanibus litigare. Sed & alius scrupulus surgebat, qvod Blaspielus non sat commode Svecos publice, aut privatim invisere posset, anteqvam lis super cerimoniis cum Gallis compolita foret, velut qvibus notificatio prius qvam Svecis facta esset, qvi & prius qvam Sveci horam obeundæ visitationi petierant, atqve obtinuerant. Qvi & non obstante ordine, qvo ipsi visitationes dederant, reciprocam visitationem ab omnibus legatis proximo post Cæsareos loco exigebant. Unde hos ægre laturos, si ipse à Svecis prius solennem, aut privatam visitationem admiserit, aut reddiderit qvam Galli eam ipsi dederint, aut à se receperint. Eam ob causam satius visum cum Svecis convenire, ut in loco tertio, aut fortuito occursu inter se colloqverentur.

Cerimoniæ.

Super inductis frustra movetur. 22. Febr.

§. 53. Porro super induciis, qvas Cæsarei sua pace stipulati fuerant, hi statim post absolutam pacem movere cœperant, qvo in seqvestrium officium irreperent. Qvod cum Heugius, & Blaspielus declinassent, iidem per Anglicæ legationis Secretarium, à Jenkino Neomagi relictum laxis verbis conceptam declarationem Gallis, & Svecis facere constituebant, qva se ad agendum super induciis Anglo seqvestre paratos ostendebant. Qvæ si rejiceretur, Gallos injuriæ argui, & cum Cæsareis committi; sed si admitteretur, ejus conditionibus adornandis tempus extrahi posse. Aſt Sveci non uno prætexto eam tractationem de induciis recusabant, qvæ nunc mutata rerum facie conciliandæ paci nec tempestivum, nec accommodatum amplius remedium sint, ac satius fore de pace agere, prout Gallica legatio declaraverit. Nam si qvidem, qvæ super ineundis induciis pace inter Cæsareos, & Gallos inita convenerint probasse. Sed Danum, & Brandenburgicum mandati defectum excusasse, ac per integrum jam mensem hanc tractationem moratos; tum paci per repetitas protestationes contradixisse, ac ea, qvæ in ipsorum favorem convenerant, irrita reddidisse. Sed nec sibi ad ullos tractatus cum legatione Danica accedere integrum esse, qvamdiu literarum commercia cum Rege suo libera sibi non relinqvantur, nec intercepti Bornholmiæ naufragi præfecti, militesqve cum rebus restituantur. Aſt Galli sermone declaraverant; facile qvidem sibi persvaderi, Electorem post tam felices armorum in Borussia successus inducias non recusaturum. Enimvero terminum, intra qvem earum copia facta erat, prætermissum, nec deinceps sibi de induciis agere licitum; & æqve promte pacem, qvam inducias perfici posse. Et qvietem Germaniæ non ab induciis pendere, sed ut Elector occupatis ejusdem in Westphalia ditionibus ad Svecos in integrum restituendos compellatur. Tunc enim bello in Germania finem imponi; ac Danum inde brevi in ordinem redigendum. Adversus qvæ Danus, ac noster testabantur, nec ante pacem factam, nec post per se stetisse, qvo minus super induciis ageretur; eoqve Gallos obligatione sua, qva ad hasce ineundas per Cæsaream pacem tenentur, citra consensum eorum, qvorum interest liberare se non posse. Nec minus Svecis reponebatur; à se nunqvam idoneas inducias fuisse repudiatas. Qvod de iis statim post perfectam pacem Cæsaream agi non potuerit, causam fuisse, qvod per foederatorum secessionem res suæ in difficiliorem statum fuerint conjectæ, ut à Principibus suis nova sibi mandata fuerint petenda. Unde ob anni tempestatem, & locorum distantiam iniqve sibi unius mensis moram objici. Cur paci peculiari, fœderibus suis adversanti, contradixerint, graves sibi rationes fuisse; cui rei certius, qvem omnes pro communi hoste habuerint, immiscere se non debeat. De cursoribus qvoqve, & literis, nec non Bornholmensibus naufragis ideo tantum moveri, qvo prætextum sit inducias juxta & pacem sufflaminandi. Neqve à concluſa cum Cæsareis pace talem rerum mutationem extitisse, qvæ ad inhibendam de induciis tractationem justam rationem suppeditare possit.

1679.

16. Febr.

18. Febr.

Galli in Cliviam irrumpunt. 14. Mart.

§. 54. Enimvero Galli rationum qvæ adducebantur securi, extorqvendæ paci occidentalem Cliviæ partem milite inundabant; id qvod adversabatur non tantum pactis, qvæ ordines provinciales cum Gallicis qvæ-

1679. qvæstoribus iniverant, sed & nuper à Gallicis legatis factæ declarationi, qva totum mensem Martium Electori ad deliberandum concesserant. Cum Blaspielus Cæsareos, & Belgas, ut ei malo remedium adferrent, hortaretur, Galli eorum rogatu declaraverunt, se ad initium usqve Martii hostilia inhibituros; sed hospitationes induciis non repugnare, qvæ tantum obmoram circa tributorum solutionem factæ sint. Hæc si exacte repræsententur, Gallicum militem iis contentum fore, ac modeste acturum. Qvæ illusio erat; cum per hospitia provinciales ita exhaurirentur, ut contributionibus solvendis pares non essent. Mox & orientali parti Cliviæ tributa imperabant, qvæ per inducias qvoqve extorqvere animus erat, qvicqvid rationum occineretur. Belgis autem Galli non sine irrisu responderant: id negotium ad suam functionem haut spectare. Avauxium Hagæ esse, qvicum loqvi possint. Legatis qvoqve Belgicis Lutetiæ agentibus ad ipsum Regem de eodem referendi facultatem esse. Sed postqvam Galli jam occasionem habe-
18. Mart. bant Cliviam pro lubitu emungendi, ostendebant, se inducias concessuros ad finem usqve mensis Aprilis, qvibus durantibus omnia in præsenti statu sint relinqvenda: modo legatus Danicus, & Brandenburgicus sine mora, & conditione eas accepter. Simul qvibus conditionibus induciæ sint ineundæ, formulam promulgant. E qvibus satis adparebat, hospitia per Cliviam sumta Electori ad restituendam Pomeraniam cogendo. Id qvod & Gallici præfecti palam jactabant, ac ultro provinciales hortabantur, ut de insultationibus suis qverimonias ad Electorem deferant, qvo is eo citius ad propositas pacis conditiones permoveatur. Ac solum Electorem in causa esse, qvod isti ita opprimantur; qvia magis recens parta Pomerania, qvam Clivia eidem cordi sit. Sed statim atqve is postulanda Pomerania desistat, omnium malorum finem fore. Ad
17. Mart. Gallorum declarationem Blaspielus respondebat; Inducias à se nunqvam rogatas, in qvas tamen statim, atqve à seqvestre fuerint propositæ, consenserit. Sed nec eas à se unqvam recusatas, ac per se non stetisse, qvo minus eædem dudum conclusæ sint. Nec protestationem suam contra pacem istis obstaculo fuisse, qvod hæc nihil connexionis cum istis habuerit, & eadem non obstante Cæsarei apud se, & Danum egerint, ut in inducias consentiat. Sed qvicqvid eorum sit, se paratum has amplecti. Simul earum conditiones exhibebat. In eundem fere sensum à legato Danico respondebatur; qvi & ipse inducianum conditiones conceperat. Demum post permutatum hinc inde unum & alterum scriptum in has inducianum leges convenit. *I. Ut à primo proximi mensis Aprilis die usqve ad primum Maij insequentem, inter Regem Daniæ, & Electorem Brandenburgicum ab una, & Regem Galliarum Christianissimum, ac Regem Sveciæ ab altera parte omnes qvalescunqve hostilitatis actus terra cessent, tam respectu urbium locorumvè, qvam prætiorum campestrium. II. Ut à præfato die 1. Aprilis, aut minimum qvam citò duces bellici superiores de præsentibus induciis certiores fieri poterunt, uniuscujusqve partis exercitus & milites istic maneant in terris, & regionibus, qvæ à singulis partibus jam nunc possidentur, nec fas ipsis sit in alterius terris pabulari. III. Ab eodem qvoqve primo Aprilis die non amplius irroganda hinc inde erunt novæ extraordinariæ contributiones pro pecoribus, fossoribus, curribusqve coërcendis usitatæ; nec sit liberum cuipiam ejusmodi irrogationes facere, si forte necessitas id postulat, nisi in terris, qvarum in præsens qvælibet pars est in possessione. Præterea neqve partium una ab exigenda contributionum jam debitarum solutione alterum ullo modo impediet. IV. Qvod si præter spem & votum aliqva superobservatione pacti hujus vel in toto, vel in parte intercedat difficultas, illa amicabili via sive per exercituum præfectos, sive ad hunc actum utrinqve potestatem habentes Commissarios sopiantur, nec fas esto eam ob causam ab hisce induciis resilire, aut arma denuo capessere. V. Supra dicti legati & Plenipotentiarii mittent è vestigio harum tabularum descriptum exemplar ad Regis, Electorisqve dominorum respective suorum tam exercituum qvam urbium præfectos, atqve adeo se obstringunt, vigore plenipotentiarum suarum, qvod modo dicti præfecti præsentes articulos exsequendos curabunt, ex qvo die qvisqve horum ejus rei nuntium acceperit.* 1679.

Induciæ ineuntur. 31 Mart.

§ 51. Induciarum formula proposita Gurcensis Monasterienſem ablegatum interrogaverat, num is qvoqve inducias acceptare velit; qvod constet, Gallum legatis suis injunxisse, adornandæ Borealium paci acriter insistere, & reliqvos adhuc fœderatos per separatas negotiationes penitus disjungere, eoqve fine cum Monasterienſi pacem sine mora absolvere. Cum itaqve Monasterienſis acceptandis induciis paratum se declararet, Colbertus eo nomine hunc non segniter increpabat, qvod negotio pacis jam ad umbilicum deducto ipse induciis inhiet. Simul peculiaria cum Svecis commercia exprobrabantur, & qvod

Cum Monasterienſi pax conclu-
29. Mart. ditur.

Præ-

1679. Præsul his magis qvam Galliæ confidere videretur. Qvo sermone Monasteriensis ita perterrebatur, urgente etiam Andrea Ulckeno Gottorpiensi ablegato, qvi eam negotiationem valde promoverat, ut eadem adhuc die pacem subscriberet. Ejus capita hæc erant; *Episcopus ab hac die desistet omnibus fœderibus ab antecessore contra Regem Galliæ, & Sveciæ initis, ac medium durante hoc bello deinceps se geret, nec auxilii quid Galliæ, & Sveciæ hostibus, qvi restant, præbebit. Copias qvoqve ab antecessore suo Regi Daniæ, & Electori concessas revocabit. Idem pacis cum Cæsare initæ adstringetur, ejusdem vicissim beneficio fruiturus. Qvi hoc ipso die inter Regem Sveciæ & Episcopum tractatus conclusus est, perinde habebitur ac si huic de verbo insertus esset. In signum amicitiæ Rex Præsuli L M uncialium Amstelodami, aut Hamburgi solvi curabit. Rex qvoqve, si arma trans Rhenum ferre necessium sit, transitu militum Monasteriensi, & Paderbornensi Præsulatui parcet, nisi indeclinabilis necessitas exigat, qvo casu transituri omnia necessaria præsenti pecunia solvant, nec eadem provincia hospitiis, aut tributis onerabuntur. Si Præsuli ob hunc tractatum molestia faceſſatur, Rex eum armis suis proteget, nulla eo nomine sumtuum reparatione exigenda. Fructu hujus tractatus etiam gaudebunt Abbatia Corveiensis, Comites Bentheimenses, Teclenburgenses, Ritbergensis, cum Dynastia Rheda. Denique & Rex operam dabit, ut Sveciæ Rex sacra Catholica relinqvat in eo statu, qvo inventa fuerint, qvando Præsul loca occupata isti restituet, aut qvi anno 1624 fuerit. Tractatus hic intra tres septimanas, aut citius si fieri possit, ratus habebitur.* Subscripserant Strada Mareschallus, Colbertus, & Wernerus Zurmühlen. Ejusdem Episcopi cum Sveciæ Rege pace peculiariter cavebatur, ut ille huic qvicqvid locorum in Bremensi ac Verdensi Ducatu insideret restituat; vicissim tamen Rex Episcopo C M uncialium numeret, ac interim huic præfecturam Wildshausen in hypothecam concedat, eodem modo, qvo corona Sveciæ eam hactenus obtinuit antichreseos jure possidendam, & fruendam.

Elector Belgas officii frustra admonet. 28 Mart.

§. 56. Ast Elector Clivia per Gallos inundata Belgas, ut ejus curam susciperent, admonebat, datis literis hoc sensu. *Statim atqve intellexerit, Gallicas copias è Juliacensi provincia in occidentalem Clivie partem irrupisse, qvo tempore ipse longe aberat Borussiæ ab hostibus liberandæ, qvibuscum unica sibi belli causa fuerit, Reip. Belgicæ inter extrema luctanti subvenisse: firmam sibi fiduciam fuisse, Belgas tam proprias ob rationes, qvam* 1679. *ob fœdera, & promissa etiam post separatam pacem facta haut omissuros eam irruptionem pro viribus, qvas abunde instructi erant, avertere. Enimvero se non sine summa animi* 5. Mart. *perturbatione è novissimo ipsorum decreto perspexisse, eorum nullam plane rationem habitam. Et qvanqvam ipse Reip. Belgicæ calamitatem suam qvoqve duxerit, ad eamqve depellendam cum periculo omnium suarum fortunarum summo studio, pari fide incubuerit; nunc tamen omni se auxilio destitui, insuper habitis suis petitis; ut jejunius responsum nesciam qvidem dari potuerit, qvicum nil plane conjunctionis Reip. fueris. Eqvidem qvas causas pacis cum Gallis initæ ipsi allegent, suo loco relinqvi. Ni tamen omnia divina, & humana jura proculcare velint, per fœdera secum inita ipsos obstrictos fuisse, ne absqve prævia communicatione in maximam sui fraudem pacem inirent. Qvam & adversus se allegare, ejusqve obtentu debitum sibi auxilium negare haut potuerint. Saltem actionem de præstando damno ex ejus auxilii negatione ortam adimi sibi non posse. Olim cum ipse à Sveciis ob suppetias Reip. latas invaderetur, libenter eorum rationes admisisse, qvare X M militum, in eum casum sibi auxilio promissa, ob incumbentes ipsis Gallos mittere non possint. Qvin eo promtius proprias vires exseruisse, ac ultro de suis copiis per singulos annos non modicas suppetias præbuisse. Nunc numerosum eorum exercitum per præsidia sparsum otiosum desidere, qvicum nullo suo incommodo, nec ærarii onere sua juxta provincia subveniri, simul Reip. securitati consuli possit. Igitur ad animum revocarent ipsius juxta, ac propria Reip. periculum, simul nunc & in futurum oritura inde irreparabilia damna, & qvod hostem non minus in Flandria, & Brabantia, qvam ad Rhenum munitum esse expediat; ac inter has suas difficultates ita se exhiberent, uti fœderum ac promissorum religio, ac Reip. existimatio in præsens, ac apud posteritatem requirat. Sane & Magnæ Britanniæ Regem Clivia tutanda pronum se declarare, modo Belgæ sociam cum ipso operam serio conjungere velint. Id beneficium se, posterosqve suos grato semper animo agnituros, & qvavis occasione Reip. rationes summo studio amplexuros. Ast si nunc auxilio cassus destituatur, ac libidini communium hostium, cum nullos ipse nisi propter Belgas habeat, exponatur; id Divina Nemesi à se committi, qvæ fidei violatores insultos non patitur. Nec minus eo casu sibi, posterisqve omne jus, omnemqve actionem reservare, ac de omni jam tolerato, ac deinceps nascituro damno qvam solennissime protestari. Confidere tamen Belgas petitum ipsius*

1679. *ipsius summa æquitate nixum expensuros, nec exitium veteris, fidique fœderati, atque vicini otiosos spectaturos, nec tam inaudito exemplo divinam vindictam in Remp. suam attracturos, sed potius promto auxilio suam amicitiam, studiumque in æternum Reip. pigneraturos.* Gemina his Romsvvinckelius sermone addebat. Sed ad ista boni cives humeros trahebant, ac inanes lacrymas volvebant. Solidi auxilii nil obtinebatur, utut nuper adhuc Angliæ Rex obtulisset, se Cliviæ servandæ tantundem collaturum, qvantum Belgæ facturi sint. Sed nimirum Belgæ sua pace omnia corruperant, ac Gallum eo in statu collocarant, ut ad nutus istius trepidandum ipsis esset. Ad extremum nil aliud postulabatur, qvam ut Belgæ copiarum aliqvid Vesaliæ immittere vellent. Qvod & ipsum cum negaretur, haut mirum erat ab Electore demum ad ejusmodi consilia descendi, qvæ demum istorum Reip. summo periculo cedere poterant.

Neomagi nil amplius ad pacem proficitur. 25. Mart.

§. 57. Ast Neomagi deinceps ad pacem nihil proficiebatur, utut Jenkinus Haga eodem reverteret, hac causa adducta; qvia Danica, & Electoralis legatio officio suo insignem semper honorem detulerit, à Rege jussum se huc redire, ac istis operam navare. Is igitur apud Gallos scisitabatur, ainuon demum ad pacem perveniri qveat? Cui hi reponebant; qvamdiu Elector Stetino insistat, nullo modo sibi cum eo convenire posse. Si tamen cum Svecis transigere qveat, id non ingratum sibi fore. Ast Svecis etiam post cladem in Borussia acceptam pervicacia gliscebat; & cum Joannes Silbercrona, qvo tempore hi Stralsundam adhuc, & Rugiam obtinebant, Fagelio dixisset, ab iisdem Electori Stetinum, Usedomum, & Wollinum concedendum, si eo pretio pax redimi posset; jam omnia abrupte respuebantur. Ac postulabat Oxenstierna, anteqvam de pace agi inciperet, ut literæ, qvas ad Regem scribat, per Electoris ditiones tuto perferri possint; ut naufragi ad Bornholmiam restituantur; ac ut formula pacis à Gallis superiore anno proposita acceptetur. Ad qvæ Blaspielus: Oxenstiernæ prius demonstrandum esse, suas literas utiqve per Electoris ditionem mittendas, idqve citra hujus fraudem fieri posse. Bornholmense negotium Daniæ Regem spectare; nec Electori factum tertii præstandum impingi posse. Nam Electorem pacto deditæ Stralsundæ nil amplius promisisse, qvam qvod Svecicas naves in mari contra omnes suorum fœderatorum assultus tutas præstare velit. Id qvod ad casum naufragii, & qvæ à terrestri milite istis inferri qveant, porrigendum non sit. Deniqve declarationem super primario negotio exigere ante cœptos tractatus, absurdum haberi. Sed nimirum per ista ludibria tempus extrahebatur, qvo induciæ absqve fructu cederent. Ac ut Daniæ Rex, & Elector, qvi soli adhuc in societate perstabant, divellerentur, Galli Blaspielum hortabantur, ut pacem exemplo aliorum occupare festinaret; qvod & ipsum Dano ingerebat. Interim Galli de partibus Transoderanis Electori in satisfactionem dandis movebant. Se qvidem Electori Stetinum, ac plura non invidere. Sed Svecis eam urbem usqve adeo cordi esse, qvasi summa Regni sui in eadem vertatur: Blaspielo regerenti; si è Svecorum arbitrio res pendeat, Electori nil plane datum iri. Cæterum constabat, Pomponium Svecis admodum favere: sed Luvoisium, & alios aversos ab iis animo esse, & eorundem agendi modum improbare, ac tædium concepisse pecunias ulterius in eos profundendi. Inde jussis Electoris Blaspielus Svecis pro citeriore Pomerania Transrhenanam Cliviæ partem offerebat. Qvam permutationem Gallis gratam facere nitebatur, qvod tunc æmulatio inter Electorem, & Svecos tollenda sit, nunqvam alias cessatura, qvamdiu Sveci in Pomerania hæreant. Ac ita deinceps Gallum Sveci simul, ac Electoris amicitia frui posse, qvibus alias semper in diversas partes discedendum sit. Sed Colbertus usqve adeo eam rem adspernabatur, ut demum Blaspielus diceret, se injussum eandem tentandi causa jecisse. Colbertus inde Blaspielo per Jenkinum significabat: sibi à Rege suo injunctum hoc manere paci cum Electore promovendæ, qvod satis adpareat, tractatione cum Svecis suscepta operam ludi velut flecti nescius. Unde cum Electore pari modo atqve cum Luneburgicis agendum. Ac si inter Galliæ Regem, & Electorem convenerit, Svecis inter hos transacta velingratiis adprobanda fore. Qvod tamen non eo trahendum sit, qvasi Rex Svecos deserturus, aut à data eisdem fide discessurus sit. Citeriorem Pomeraniam cum Stetino penes Svecos manere oportere, qvod isti Odera fluvio carere neqveant, citra qvem reliqva Pomerania ipsis inutilis sit. Electorem jam aliqvot naves armare cœpisse, ac sine dubio circa justam classem parandam laboraturum. Ast hoc modo Svecorum commercia in Mari Baltico ingens detrimentum captura, qvin demum plane ruitura, si Elector Dano contra Svecos societur. Sed qvæ Elector per Stetinense

25. April.

1679. nense pactum amiserit, restitutum iri, addita pecuniæ summa. Sveci qvoqve Jenkino denuntiabant; se qvidem ob literarum missionem, & Bornholmense negotium cum Electore tractationem, secus atqve cum Dano, haut omissuros: (id qvod disjungendo Dano ab Electore fiebat;) sed plenam restitutionem sibi utiqve habendam. Sed cum Jenkinus demonstraret, hanc viam ad pacem non esse, id eo restringebant; reddenda esse, qvæ per pacem Osnabrugensem sine controversia sibi competant: sed de iis, qvæ pacto Stetinensi acceperint, tractari posse. Cum inde Jenkinus Gallos hortaretur, ut Svecos ad æqviora permoverent, nil aliud rationis qvod reponerent habebant, qvam gloriam Regis sui non permittere à propositis semel conditionibus resilire. Et cum Jenkinus objiceret, Gallos utiqve circa Luneburgicos à pace Westphalica discessisse; respondebant Galli; Svecos eo nomine graviter qvestos; nec Duces id emolumentum obtenturos fuisse, ni primi è Borealibus fœderatis arma posuissent. Si Elector tractationem occupasset, multo lautioribus conditionibus potiri potuisse. Porro Galli sparserant, Rebenacium Berolinum iviſſe absolvendæ ibi paci. Id qvod confictum fuerat protelando Jenkino, qvi dixerat; se hortante præcipue Arausionensi Neomagum revertisse, ut Dano, & Electori circa pacem operam navet. Etsi hic declarabat; pacem Borealem à se optari, ubicunqve, & à qvocunqve ista concilietur. Sperare tamen studium suum ab Electore æstimatum iri, nec qvid existimationi Regis sui adversum admittendum. Idem dicebat; sibi injunctum, concipiendis pacis conditionibus haut operari, qvod id sine utriusqve, aut alterutrius partis offensa vix fieri qveat. Ast nec Galli pressiores pacis leges proponere volebant, sed si tales concipi possint, aut debeant, id ab alio proficisci debere. Eum in finem à Jenkino Andreas Ulckenus proponebatur, ut pacis formulam, neutri parti præjudicio cedentem conciperet. Sed qvem Blaspielus repudiabat, velut Svecico favore penitus imbutum, & Electori iniqviorem.

Galli scripta & rationes nihil curant. 21. Mart.

§. 58. Interim nil reliqvi faciebat Blaspielus, ut Gallos ad æqviora flecteret, ac qvæ hi agendi modo à se adhibito prætexebant, scripto refellere nitebatur. Protestationem paci Cæsareæ oppositam haut qvidqvam arguere animum Electoris paci aversum. Eam enim non ideo factam, ut communis pax, cujus conficiendæ gratia hic conventus sit institutus, impediretur, sed potius ut ea promoveretur. Qvod non solum Cæsar, Hispanus, ac Belgæ pacem non nisi junctim cum Electore facere tenerentur, sed & Angliæ Regis officium ab omnibus admissum ad pacem universos complexam pertineret. Unde Electori jus fuisse peculiaribus tractatibus contradicendi, donec & ipse pacem obtinuerit. Electori qvoqve de pacis conditionibus à Galliæ Rege die XV. Aprilis propositis nihil certi constare, qvippe qvæ nec ipsi, nec ejus legationi rite insinuatæ fuerint, nec ejusdem in iis mentio fiat: cum tamen Gallica juxta, ac Svecica legatio peculiaria mandata super pace cum eodem tractanda exhibuerint. Unde non fuisse causam, ut ipse iis conditionibus animum adverteret; sed merito expectasse, ut ex usu moratiorum gentium adaptatæ ad ipsius causam formulæ exhiberentur, super qvibus tractari posset. Præterea cum Sveci rupto sine idonea causa fœdere Electori bellum, simul gravissima damna intulerint, qvos hic secundante Numine armis profligaverit, recuperato patrimonio sibi qvondam ab istis vi extorto, non sine immenso labore, ingentibus sumtibus; ex more inter omnes gentes recepto velut victorem damni reparationem, ac æqvam satisfactionem postulasse: præsertim cum non nisi hortante Cæsare, & Imperio, & satisfactione atqve indemnitate sibi ab iis promissa ad bellum accesserit. Unde nulla juris specie eidem conditiones à Gallis propositas obtrudi posse, qvibus non solum omnis satisfactio adimitur, sed & de Lipstadio in Colonienſem Electorem transferendo tangitur: cum si huic actionis qvid in Electorem competeret, non Neomagi per Gallos, sed in Imperio justo loco decidendum foret. Addebatur de Colonienſis in Lipstadium inani prætensione, qvæ inde ortum traxerit, qvod Theodorus Archiepiscopus Colonienſis anno 1494 super isto oppido Ducibus Cliviæ actionem movere voluerit prætexto sumto, qvod antecessores sui anno 1366 Engelberto Comiti Marcano eam urbem pro summa ter mille aureorum cesserint. Atqvi constare istam ab omni tempore ad Comites Lippiæ, non ad Archiepiscopos Colonienſes spectasse; ac istos Comites ante aliqvot secula dimidiam ejus partem Comitibus Marcæ cessisse, à qvibus eadem in Duces Cliviæ derivata sit. Qvin & id compertum, eodem tempore, qvo iste Archiepiscopus Theodorus sustinere voluit, suos antecessores id oppidum Comitibus Marcæ oppigneraſſe, idem pleno dominii jure ad Simo-

De inani prætensione Colonienſis in Lipstadium.

1679. Simonem Lippiæ Comitem ſpectaverit, qvi id ſupra dicto Engelberto Marcæ Comiti pro VIII M argenti marcis pignori dederit. Poſt anno 1445 Joannem Ducem Cliviæ, & Comitem Marcæ alium contractum cum Comitibus Lippiæ feciſſe, cujus vi Dux ſummæ iſti VIII M marcarum renuntiavit, ac viciſſim Comites Lippiæ iſti dimidiam Lipſtadii partem cum omnibus pertinentibus & dependentibus pleno jure dominii & proprietatis ceſſerunt. Ex qvo tempore Dux, ejusqve ſucceſſores in præſens uſqve tempus iſtius dimidiæ partis proprietatem ſine interruptione poſſederunt, altera dimidia parte ſemper penes Lippiæ Comites permanente. Unde & cum hi tituli à Ducibus Cliviæ anno 1494 allegati, & oppoſiti eſſent Archiepiſcopis Colonienſibus prætenſionem inſtituentibus, hos adqvievisſe, nulla ulteriore perſecutione centum annorum ſpatio facta; ita ut ſi maxime eorum prætenſio aliqvo jure ſubnixa fuiſſet, eadem per præſcriptionem temporis memoriam excedentis extincta foret. Sed & prolixo ſcripto Blaſpielus deducebat, Gallis longe plus rationum eſſe, qvare Electori ampliorem ſatisfactionem procurare debeant, qvam Luneburgicæ Domui iſtorum favore contigit. Nam Electorem bello à Svecis lacceſſitum jure naturæ ac gentium, & publico Imperii Germanici vim vi repulisſe; Duces Luneburgicos non niſi mandato ab Imperatore, conſenſu Imperii auxilium contra vim Svecicam non ſibi, ſed Electori illatam ferentes, ad bellum hoc accelliſſe. Electoris ditiones ab hoſtibus inundatas, ac miſere habitas fuiſſe: in Ducum provincias hoſtes hoc bello ne pedem intuliſſe. Unde Electorem damna aliqvot millionibus uncialium vix penſanda in ſuis provinciis accepiſſe. Luneburgicis regionibus plane intactis. Iſti qvoqve in hoc bellum maximos ſumtus fuiſſe impendendos; Duces autem bello contra Svecos intra breve tempus confecto & pecunia fœderatorum, & hibernis à Cæſare aſſignatis, aut propria autoritate occupatis admodum ſublevatos fuiſſe. Qvæ porro armis Elector occuparit, aviti patrimonii partes fuiſſe: à Ducibus capta nunqvam ad horum Domum ſpectaſſe. Electori, antequam à Svecis invaderetur, ab Imperio contra qvoſcunqve aggreſſores evictionem promiſſam, & poſtqvam ab iſtis impetitus eſſet, ſatisfactionem adjudicatam: Ducibus contra nil niſi exſecutionem ejus ſententiæ à Cæſare, conſentiente Imperio, demandatam. Eas igitur ob rationes Electori merito totam Pomeraniam cedendam, qvæ proportione obtentæ à Luneburgicis ſatisfactioni non reſpondeat, & cujus reditus vix dimidiam partem uſurarum æqvent ejus ſortis, qvæ in id bellum ab Electore impendenda fuit. Inprimis autem ad publicam Germaniæ tranqvillitatem, ſimul ſervandæ inter Svecorum, & Electoris fœderatos concordiæ facere, ſi Pomerania penes ſolum Electorem ſit; qvod Svecis in hujus partem redeuntibus diffidentia facile novis motibus fomitem ſuppeditatura ſit, memoria præteritorum animos magis aſperatura. Qvam ob cauſam etiam utrinqve ob mutuam diffidentiam, metumqve improviſæ oppreſſionis numeroſa urbium præſidia, copiasqve alendas fore, reditus Pomeraniæ longe excedentes. Viciſſim tamen Sveciæ ſatisfieri poſſe, conſtituta in univerſam Pomeraniam poſt extinctam Electoris lineam ſucceſſione, ac interea tantis reditibus eidem aliunde attributis, qvantos ante bellum ex ea Pomeraniæ parte percepit, aut percipere potuit; ad qvos Rex Galliæ, Imperium, qvod Electori ſatisfactionem promiſit, hujusqve fœderati, qvi itidem hunc indemnem præſtare tenentur, conferre poſſint. Nec minus fas fore ipſam Sveciam aliqvid tranqvillitati orbis Chriſtiani condonare. Enimvero Galli per ſummam inſolentiam iſta ne audire qvidem dignabantur; ac Luneburgici, qvi eo ſcripto perſtrictos ſe cenſebant, oppoſito ſcripto Blaſpieli rationes impugnabant; qvibus & his reſpondere non omiſit; debiliore pugnæ genere, qvam qvod ad tantam violentiam ſiſtendam qvidqvam facere poſſet. 1679.

§. 59. Haut eo minus Blaſpielus tentandum cenſebat, num inſtituto colloqvio forte propius ad rem accedi poſſet; eoqve Colberto offerebat, ſi lite ſuper cerimoniis ſepoſita ipſum primo loco viſitaturum, ſi cum honorem ab eodem dein recepturus ſit. Colbertus id ſibi gratum fore oſtendebat; ſed qvia Strada adhuc adſit, cum eo ſibi ſuper ea re conſultandum fore. Qvi cum intra paucos dies profecturus ſit, in præſens ſatius fore ſe tertio loco congredi; deinceps propoſitum modum à ſe obſervandum. Ac Blaſpielus Stradam, antequam hic Neomago diſcederet, ſolenni ritu viſitabat, eodem mox honore recepto. Cæterum privato iſto colloqvio Colbertus multa jactabat ſuper Regis deſiderio circa pacem in univerſum, & ut ea præcipue cum Electore redintegretur. Sed ad hanc nullam aliam eſſe viam, qvam ut Sveci ad normam pacis Weſtphalicæ in integrum reſti- *Blaſpielii cum Colberto congreſſus.* *18. April.*

1679. tuantur. Sed qvæ isti per peculiaria pacta ab Electore qvæsiverint, huic concedi posse, addita à Rege suo insigni pecuniæ summa. Eqvidem duras esse has conditiones, ac se Electori vel totam Pomeraniam optare. Sed considerandum, si is toti Pomeraniæ insistere pergat, omnes Galliæ vires in se tracturum, qvibus omnes fœderati adhuc juncti sustinendis non suffecerint. Regem porro ad curandam Svecis amissorum restitutionem teneri, si maxime omnia eo nomine aleæ sint exponenda. Hanc indispensabilem legem ipsi per gloriam suam dictari. Svecos eidem occinere, cum tot potentes ipse hostes superarit, ac tam gloriosam pacem obtinuerit, cur nunc majore qvam unqvam antea potentia succinctus Sveciam destituere velit, tot calamitatibus ob arma in ejusdem gratiam arrepta obrutam? Blaspielus contra qvantum poterat mollissime, qvod Colbertus facile irritaretur: Electori gratissimum foro cum Rege amicitiam instaurare, arridente jam cumprimis occasione, postqvam isti à fœderatis destituto integrum sit de rebus suis pro lubitu disponere. Si itaqve Regi animus sit Electorem, ejusqve Domum sibi pignerare, se conditiones pacis in Regis arbitrium collaturum. Enimvero Electorem etiam in ejusmodi statum reponendum, ut Gallo utilem operam navare possit; nec iterum malefidum vicinum ad latus eidem collocandum, adversus qvem semper in armis consistendum, ni oppressio, qvalis nuper contigit, expectanda sit. Regis gloriæ nil decessurum, si Svecis alibi satisfiat, qvem in finem Elector summa ope sit connixurus. Non à se postulari, ut Rex Svecos destituat. Posse utrosqve Galliæ amicos esse, modo amoveantur, qvæ à tempore Westphalicæ pacis diffidentiam inter istos excitarint, Pomerania nempe, & Stetinum. Parum glorioſum Regi fore, omnes vires suas vertisse in Principem potentia inferiorem, amicitiæ ejus cupidum; cui nil aliud qværatur, qvam securitas, & qvod jure sibi competit. Eqvidem vix dubium esse, qvin Rex Electorem ad pacem, qvalem ipse velit, compellere possit. Ast glorioſius fore Regi, ac forte utilius, si adhibita moderatione istum magis sibi obstringat. Colbertus contra de æstimatione, & affectu, qvo Rex Electorem prosequatur, prolixe, qvem reipsa exserere cupiat: sed per Sveciæ restitutionem viam utiqve muniendam. Qvicqvid dein Elector à Rege desideraverit, id eum expectare posse. Nec ingratum Regi fore, si Elector ab ipsis Svecis plura obtinere qveat. Sed Svecos ad id compellere Regi fas non esse; achis novissima mandata missa, ut ne pedem qvidem terræ cedant. Et cum Blaspielus reponeret: Svecos antea, cum res eorum non eousqve redactæ forent, Stetinum cedere voluisse: Colbertus regerebat; Galliam tunc nondum in eo statu fuisse, & non Sveciam, sed istam, ejusdemqve promissa Electori respicienda. His sine exceptione standum; ac Electori promte consilium capiendum, ni duriores subire conditiones velit. Nec diuturnum bellum à Rege in istum gerendum, sed mox tota vi opprimendum, ac omnibus fortunis evertendum, ni victoris gratiam occupet. Verbo, qvamdiu Elector totam Pomeraniam affectet, non modo pacem non sperandam, sed & eundem summam rerum suarum extremo periculo exponere. 1679.

§. 60. In has angustias redacto Electori consilium capiendum erat durum sane, ac satis anceps, num forte Belgas, qvorum culpa in hæc mala præcipitarat, ad causam suam amplectendam excitare, ac extracto tempore suis rebus melius consulere posset. Redierat Cellis Fuchsius allata repulsa super legionum transitu, qvi, si maxime vi perrumpere placeret, vi impediendus erat. Et cum Belgæ nonnihil copiarum Vesaliæ immittere abnuissent, metuendum erat, ne id oppidum una cum milite præsidiario, machinis, paratu bellico, & annona in Gallorum potestatem redigeretur, civibus qvoqve horum libidini exponendis. Igitur satius visum, è duobus malis minus eligere, ac in duras licet conditiones cum hoste convenire, qvam amicis, & fœderatis otiose spectantibus gratis perire. Igitur Elector Blaspielo injungebat, ut Colberto denuntiaret: qvanqvam Galliæ Rex plenæ restitutioni Pomeraniæ institerit, iis tamen verbis erga Meindersium usum, ut ipse integram fiduciam in generoso ejus animo reponere decreverit. Unde & se paria cum eodem facturum, ac speciminis loco Vesaliam cum castello Schenckiano ad pacem usqve ei asservandum traditurum, ut tamen suas sibi copias, annonam, machinas, aliumqve paratum inde deducere liceat. Ac brevi aliqvem plenis cum mandatis missurum, qvi uberius ipsius mentem sit expositurus. Ne tamen Belgicis legatis, aut cuipiam alteri indicium faceret; ac Gallum rogaret, ne eam rem cuipiam prodat. Qvod si Gallus Lipstadium insuper peteret, id qvoqve annueret ea lege, ut ne in alterius manus id pervenire patiatur, ac post factam pacem sibi restituat. Eo mandato accepto Blaspielus Jenkinum de prorogandis induciis

Electori durum consilium est capiendum.

1679. ciis instare petebat; ac ne id extrahendo tempori fieri crederetur, Colberto insinuabat, Electorem Regi unum atqve alterum locum cautionis in vicem ad pacem usqve traditurum. Isthoc oblatum etsi a Gallo cupidè arriperetur, haut eo minus Gallorum V M eqvitum X M peditum, nondum licet elapso induciarum tempore, Rhenum transire, simul hostilia per Cliviam exercere cœperunt. De qva re cum Blaspielus quereretur, Galli declarabant; si Regi Vesalia tradatur, inducias in decem dies prorogandas; si Lipstadium accedat, qvinqve insuper dies addendas ea lege, ut interim pax utiqve concludatur in conditiones supra dictas; ut nempe penes Electorem maneant, qvæ per pactum Stetinense amiserit, reliqva Svecis reddantur. Castellum Schenckianum à Rege non desiderari declinandæ Belgarum suspicioni. Blaspielus contra; se paratum super prorogandis induciis agere, sed qvæ ad pacem usqve porrigendæ sint; ac ut serio rem ab Electore agi adpareat, Vesaliam, & Lipstadium cautionis in vicem Gallo tantisper tradendum. Gallus reponebat; Alexandrum Spanium, qvi & ipse ea de re Gallis proponere jussus erat, in tres duntaxat septimanas inducias prorogari petiisse. Ita visum Colberto, 11. April. valde licet repugnantibus Svecis, ut ipse, ac Blaspielus una cum Calvo, & Spanio Santenam se conferrent. Ubi in isthæc capita conventum fuit. *I. In specimen bonæ fidei, qva Elector cum Rege Galliæ agere vult, Alexander Spanius Vesaliam, & Lipstadium in manus Regis Galliæ, prout ab Electore oblatum fuit, tradet, ab ejq; præfecto & milite custodiendum, qvoad pax inter Regem, & Electorem perfecta, atqve ratihabita fuerit. II. Præsidium Electorale Vesaliæ, & adsito castello die nona hujus mensis exibit, qvo die præsidium Gallicum à Calvo mittendum intrabit ad IV M tam peditum qvam eqvitum, idqve ibi morabitur, qvoad ratihabitiones tractatus pacis cum Electore ineundi permutatæ fuerint. III. Spanius etiam per qvæstorem duo millia militum Gallicorum Lipstadium conduci curabit, qvi præsidium ibi agitabunt. Qva manus die IX hujus mensis Ordinga movens intra diem XV hujus mensis Lipstadii aderit; ubi Spanius eam recipi, ac per hospitia distribui curabit, Electorali milite inde deducto. IV. Spanio liberum erit qvicqvid necessarium ei erit, iis locis deducere; circa reliqva inventarium fiet, qvicqvid adparatus belici, & annonæ, aliarumqve rerum ad Electorem spectantium ibi reliqverit, ut eadem qvamtotas una cum machinis à Rege post pacem reddatur ei, qvem Elector voluerit. V. Liberum qvoqve erit eorum locorum incolis ibi commorari, qvocunqve omni securitate fruentur, aut inde excedere cum omnibus rebus ad ipsos spectantibus. VI. Qvia prorogatio induciarum, qvam legatus Electoralis instanter petiit ad tractandam pacem pro Electore juxta, & Daniæ Rege, Galliæ Regi longior judicata fuit, qvam necessarium sit ad eam concludendam, qvin per eam moram magis incertum reddi possit bonum Europæ tam desideratum: igitur convenit, ut inducie d. 31. Martii subscriptæ adhuc qvindecim dies durent, iisdem cum conditionibus, qvæ erat die 4. hujus mensis initium capient. VII. Miles, qvem Rex Vesaliæ, & Lipstadio immittet, oneri non erit incolis, & subditis Electoris; nec regioni Trans-Rhenanæ ulla contributio, pabulum, aut annona imperabitur. VIII. Præfecti, qvæstoresqve Gallici haut se miscebunt negotiis justitiæ, politiæ, & redituum, aut sacrorum ejus regionis, sed ista in præsenti statu relinqvent. Commercium aqvis, & terra liberum erit, nullaqve nova impositione qvocunqve prætexto onerandum.* Subscripserant Mareschallus d' Estrades, Colbertus, & Blaspielus. Ea inducias productio etiam pro Daniæ Rege à legato Danico Heugio acceptabatur. Ast Avauxius, ut Gallicam fidem Belgis venditaret, simul hos in Electorem irritaret, exhibito libello Belgis imputabat, castellum Schenckianum ab Electore oblatum, sed à Rege suo acceptatum non fuisse. Eum tractatum sat jejunum Elector qvidem probabat, sed simul Blaspielum ejusdem productionem qværere jubebat, obtentu sumto, qvod ob locorum intervalla ab Electore mandata ita cito obtineri non potuerint; & qvod utiqve Gallo jam satis cautum sit. Ast Gallus & ipse id pactum 5. 12. Maij. probabat; sed simul denuntiabat, se inducias haut ulterius prorogaturum. Ac jubebantur duces statim post elapsas inducias hostilia exserere: tum & Creqvius adventabat, summum in Gallicas copias imperium gesturus. Cæterum ut eo commodius in- 6. Maij. ter legatos negotiatio suscipi posset, Blaspielus Colbertum publice visitare instituit. Venientem Nobilis ad currum excipiebat. Ad januam anterioris conclavis ipse Colbertus exceptum, & in conclave deductum sub uraniſco superiore loco assidere faciebat, Excellentiæ titulo dato: ac dicebat, à se Cæsareos & alios non aliter accipi; nec ab ipso aliter tractari velle; uti & postea factum est. Qvod si tamen ipse plenas cerimonias desideret, se usqve ad currum eundem comitaturum. Sed malebat Blaspielus non aliter secum atqve cum cæteris agi, ac ut solennes visitationes in præsens omitterentur.

Pactum super prorogandis induciis. 11. April. 3. Maji.

1679. *Galli Electorem summa vi urgent.*

§. 61. Aſt Electorem ſua ſpes longe fefellerat, dum crediderat, Gallos liberali iſto agendi modo ad molliora permotum iri. Nam non minus qvam antea præfracte contendebant, Svecis Pomeraniam utiqve reſtituendam. Ac elapſo inducierum termino omnem prorogationem adſpernati ſtatim longius progredi, & hoſtilia exercere incipiebant. Qvæſtores ne qvidem eum diem expectabant, qvin protinus incendiarium tributum Cliviæ Cisrhenanæ imperarent. Nec diſſimulabant id à ſe qværi, ut jactare poſſint, tantum terrarum à ſe Electori reſtitui, qvod pretio Pomeraniam æqvet. Cum etiam Blaſpielus Colberto diceret, Saxonem officium ſuum offerre, ac eo fine ad Regem ſcripliſſe, ut inducie prorogarentur; hic reſpondebat; à Rege ſibi interdictum ſuper ea prorogatione amplius mentionem facere. Nam Regem protinus pacem velle; nec alias conditiones ſperandas, qvam qvæ jam ſæpiq expreſſæ ſint. Nec curabatur, qvod Elector ad extremum offerret, ſe poſtulato ſuo circa totam Pomeraniam deſtiturum, ac ſuper conditionibus à Gallo propoſitis tractaturum, modo interim ab armis ceſſetur.

16. Maij Scripſerat qvoqve Elector ad Regem Galliæ literas ſenſu ad generoſum animum movendum admodum compoſito. *Fieri non poſſe, qvin Rex pro ſublimi mentis perſpicacia non facile comprehendat moderationem, & juſtitiam ſuorum poſtulatorum; eoqve dum inferat connata generoſitati, ac magnanimitati, dum ipſum cogere inſtituat ad conditiones pacis iniqvas juxta, & contumelioſas. Deum juſti amantem juſtitiæ cauſæ perſpecta armorum ſorte totam ſibi Pomeraniam adjudicaſſe. In honorem Regis ſe meliorem ejus partem in ipſius manum reſignare ad ſervandas reliqvias, modicum reſpoſtimentum ſui ſanguinis, & opum, qvas cives ſui in hoc bellum effuderint. Sane juſtum eſſe, poſtqvam Rex ipſum adſtrinxerit ad reſtituendas hoſtibus tam egregias urbes, ac tantum terrarum, ut etiam Svecos obliget ad reliqva ſibi concedenda: ac ſi is tam enixe cauſam eorum egerit, qvi jure nil exigere poterant, illi qvoqve faveat, qvi jure optimo omnia retinere poterat, ſed qvi maximam partem ſolo Regis reſpectu remiſit. Satis ſibi auditum, miniſtros ſibi gloriam Regis opponere; nec latere, qvantum pondus hæc magnas apud animas habeat. Sed meminiſſe qvoqve Regem, juſtitiam, & natales, & normam præbere gloriæ; & cum iſta plane à ſuis partibus ſtet, ſolidioris gloriæ nanciſcendæ campum eſſe, ſi juſta, & moderata pretenſio ſubſtatur, qvam ſtultis ſæveatur, qvibus nihil opinus eſt; & ſi Rex ſententiam totius Europæ intelligere poſſit, exceptis iis, qvos propria 1679.
medicas hoſtibus ipſius adjungat, eum ſine mora pro ſe calculum laturum, ac poſteritatis nullo favore imbuta judicium anticipaturum. De cætero facile ſe perſpicere, vires ſuas regias haut qvidqvam eſſe comparandas, ac facile ſe opprimi poſſe ab eo, qvi ſolus belli molem contra potentiſſimos Europæ Principes ſuſtinuit, & qvi tanta cum gloria, ac fortuna iſtoſe extricavit. Sed qvod lucrum Regi fore ruinam indolviſſe Principem, qvi extremo deſiderio eidem inſerviendi flagrat, & qvi, ſi conſerveſur, in Regis uſum plus qvam ſolam voluntatem adferre poſſit? Sane Regem, ſi ipſum deſtruat, primo omnium pœnitentiam ſubiturum, cum vix uſpiam toto orbe reperturus ſit, qvi ſincero magis affectu Regi ſit addictus.
Non exigua laude ferebat eas literas Colbertus; ſed haut eo minus repetebatur vetus cantilena; Regem ſalva exiſtimatione plus facere non poſſe, qvam ut Electori omnia jura, vectigalia, & domania, qvæ Svecis de Ulteriore Pomerania pace Weſtphalica expreſſis verbis haut tributa ſint, addicat; qvod & ipſum tamen Svecorum ingratiis futurum ſit. Nam cum Colbertus apud Oxenſtiernam ſuper iſtis rebus Electori cedendis jeciſſet, hic valde id adſpernatus fuerat, diſſerens; ſi Gallis hoc bello res improſpere ſucceſſiſſent, Svecos, qvæ pro his periculo expoſuerint, haut fuiſſe recuperaturos. Igitur poſtqvam Galli fortuna tam propitia uſi ſint, par eſſe, ut Svecia indemnis præſtetur. Colbertus qvoqve narrabat, Svecos, belli continuationem acriter urgere, qvod ſpes ſit conſumtam nationis exiſtimationem recuperandi. Sed Gallo haut placere, in gratiam eorum, qvi tam ſiniſtre omnia geſſerint, ac jam ipſi ſoli onus impingere velint, plus ſumtuum, ac moleſtiarum ſuſciperet nec obſcurum eſſe, eosdem ideo bellum extrahi cupere, ut opimis ſubſidiis diutius fruantur. Sed & Angli, ac Belgarum legati Lutetiæ pro Electore officia interpoſuerant, nullo fructu. Ac dicebat Colbertus, non eſſe qvod Elector in Anglo fiduciæ qvid collocet, prout aliqvi tunc nonnihil ſpei de eo conceperant. Nam Anglum ſemper in Gallum reſpexiſſe, ac id deinceps magis facturum, qvod nulla alia ratio ei ſuperſit regiam autoritatem utcunqve tuendi, qvæ plane pedibus conculcetur. Demum etſi Blaſpielus Colberto confirmaſſet, Electorem Meinderſio ejusmodi mandata miſiſſe, ad qvæ pax certo ſecutura ſit; is tamen ducibus Gallicis injungere nolebat, ut hoſtilibus ſuperſederent; qvod Colberto non perſvaderetur rem ab Electore ſerio

14. Jun.

agi,

1679. agi, sed eum non nisi tempus extractum ire. Ita Galli nulla intermissione Mindam versus progrediebantur, catervis subinde inter se collisis. Ac demum Electoris eqvitatus ita includebatur, hinc Gallis, inde Luneburgicis imminentibus, ut vel à pabuli penuria, vel ferro pereundum esset, ni protinus pax interveniret.

Electoris ad Belgas litera. 1. Jul.

§. 62. Ista provinciarum suarum calamitas tanto dolore Electoris animum perfudit, ut denuo ad Belgas, tantorum malorum autores, literas hoc sensu daret. *Miserandam hanc Westphalicarum provinciarum Belgis vicinarum faciem dubium se relinqvere, utrum plus causæ sibi sit de iis qverendi, qvi affectata hostilitate tali modo in suas ditiones grassentur, an vero de iis, qvorum causa sibi ista omnia accidant. Sane majore odio dignos esse, qvi insuper habitis sanctissimis fœderibus, atqve promissis inter extrema luctantes amicos destituunt. Qvi eo ipso tempore, qvo alios ad perseqvendum bellum summopere hortantur, ac de constantia sua magnifice pollicentur, per separatam pacem bello sese subducunt, ac communem causam produnt. Ast se maximum benevolentiæ, ac fidei suæ in Remp. pœnas dare, dum demum omne onus belli in se devolvitur, qvod alias se non tangebat, nisi propriis emolumentis, qvæ maxima qviescenti offerebantur, amicos exitio eripuisse decentius visum fuisset. Nunc præmii in vicem compressis in sinu manibus se obrutum adspici ab iis, ad qvos liberandos ipse omni ope connixus sit. Cliviam, Marcam, Ravensbergam, Mindam ante oculos tam validi Belgarum exercitus miserrime evastari; ac talia à Belgis sine cura haberi, velut ipsos plane non tangerent. Qvin ad literas suas, hortatusqve ministrorum, ut ad mala, qvibus ipsi causam dederant, avertenda & ipsi connitantur, vel nil responderi, vel ita frigide, ut suam istis calamitatem plane cordi non esse adpareat. Atqvi longe aliter à se cum eorum Rep. actum. Imminens adhuc tempestas ut averteretur, summa se ope connixum. Cum ea jam erumperet, primum auxilio accurrisse, alios excitasse, omnia sua periculo exposuisse, omnes qvæ offerebantur conditiones ante salutem Reip. habuisse. Unde nunqvam dubitare se potuisse, qvin paria sibi ab ea Rep. fuerint præstanda. Nec flagitii notam elevari, si culpa in paucos conferatur, qvi privatos per respectus, aut male fundatis persvasionibus seipsos, inde alios ab officii semita abduxerint. Nam haut eo secius neglectæ fidei dedecus in totam Remp. redundare. Cæterum nec Belgas, qvia officium non fecerint, ideo obligationem suam exuisse; nec se, qvia injuriam passus sit, jure suo excidisse. Eoqve à se postulari non posse, ut ipse damna hæc æstimationem fere superantia, qvæ Reip. causa toleret, & qvæ avertere eadem poterat, & debebat, nulla reparatione obtenta sibi habeat; sed ista utique sibi à Rep. esse præstanda. Qvo fine se literas ad eos dare, ne forte credant, se ex fœdere qvæsitum jus, exqve ejusdem violatione natas sibi actiones abdicasse. Eoqve hisce qvam efficacissime testari, qvod uti ipse hactenus nihil neglexerit eorum, qvæ ad implenda sua promissa reqviri potuerint, qvin plus præstiterit, qvam qvantum à se jure exigi potuerit; ita se qvoqve omnem mutuam præstationem, & qva hac deficit, reparationem incommodorum eam ob causam sibi provenientium expectare, ac sibi, suisqve posteris omnia huc spectantia jura reservare. Ad extremum Deum precari, ut ab ea Rep., qvæ suis rationibus tam arcte innexa sit, omnem calamitatem, & hostilem invasionem averruncet, ne aliqvando maximo cum suo damno sentiat, qvam male sibi in futurum consulant, qvi fidos amicos deseruerunt.* 1679.

Belgarum responsum. 11. Aug.

§. 63. Isthanc Electoris indignationem Belgæ post hisce literis mollire conabantur. *Maximo cum dolore se perspexisse Electoris consternationem super suarum provinciarum præsenti statu. Sibi qvidem magno solatio, qvin singulari gaudio cessurum fuisse, si sua opera Elector pacem in leges, qvas ipse optarit, obtinere potuisset. Ac tanto fervore eam se rem apud Galliæ Regem egisse, ut hic non mediocrem indignationem eo nomine adversus ipsos ostenderit; & Svecicos legatos id velut infractionem pacis arguisse. Sane nunqvam oblivionem sibi subituram eorum, qvæ Elector novissimo bello Reip. præstiterit, ac uti illustri suo exemplo alios ad amplectendam ipsorum & communem causam excitarit. Sperare tamen, nec se opibus civium suorum, nec sangvini ducum ac militum pepercisse ad faustum bello finem imponendum. Sed Electori judicandum relinqvere, num hic conatus ab universis fœderatis eo qvo par fuerit studio, ac uti ipsi expectarint, sat fultus sit; ac meminisse, ab Electore subinde reliqvos fœderatos stimulatos, ut pervincendæ communi causæ acrius conniti velint. Sese inficias haut ituros, postqvam Belgium Hispanicum in eam conditionem delapsum viderent, ut miraculi loco ab omnibus judicaretur, si non penitus Gallicis armis opprimeretur; supra suas vires fuisse, istud, aut semetipsos diutius tutari. Cives interceptis commerciis, damnisqve toleratis, ac immensis tributis per aliqvot annos erogatis ita exhaustos, ut Reip. omnes vires decesserint oneribus belli diutius ferendis. Unde sibi remedia*

1679. media fuisse circumspicienda vel bello perseqvendo, vel obtinendæ paci. Ast vires continuando bello apud eos, unde ea qvam maxime expectari parebat, ita tenues, ac incertas fuisse, ut Hispanis pacem bello præferre necessium fuerit, etiam cum jactura præstantissimarum urbium, qvin integrarum provinciarum; id qvod emendare sibi maxime in votis fuerit, si auxilia, qvibus tuto innixi liceret, in promtu fuissent. Eam ob causam ad ejusmodi pacem sibi descendendum fuisse, alias magnopere à se rejiciendam, ac finem bello imponendum, cujus dilatio evidens Reip. exitium secum trahebat. Equidem se nosse Electorem libenter omnes suas vires repelle..do hostis collaturum, fœderatosqve ad idem excitaturum fuisse. Sed eidem qvoqve constitisse, sumtibus belli fœderatorum opes valde exhaustas, eorumqve arma sine subsidiis sustineri non posse; sed qvibus exsolvendis Resp. sua non amplius sufficerent, ne alendo qvidem solito militum numero par, cum contra hostium vires novis victoriis in dies glisicrent. Ingentem hi labem fuisse contrahendam, si non optassent, fœderatos qvoqve suos eodem tempore pace, qvæ declinando exitio occupanda fuerit, simul potiri. Sed omnes fœderatos, solo excepto Hispaniæ Rege, judicasse, belli continuatione ming molestas, qvam a Gallo propositæ fuerant, conditiones obtineri posse. Qvibus cum contra-mitti nec potuerint, nec voluerint, qvantum in se Regem Galliæ permovere conatos fuisse, ut conditiones pacis, præsertim qvæ Electorem spectent, mitigaret. Interim causam magis desperatam factam, qvod qvilibet fœderatorum suis rebus seorsim consulturus iret. Unde sibi haut qvidqvam id flagitium impingi posse, se immemores meritorum Electoris de sui duraxat conservatione solicitos fuisse, securos, qvid fœderatis fieret. Nam sua pace haut meliores se conditiones à Gallo obtinuisse, qvam antea sæpius oblatæ fuerant; nec eas repudiare desituros fuisse, qvoad Gallus declararet, se cum fœderatis qvoqve æqvis conditionibus desisturum, ac bello ubique colophonem impositurum. Sed nimirum extremam necessitatem, postqvam sæpius de impotentia sua testati fuerant, nec spes meliorum successuum allubesceret, sibi istiusmodi viam inire imperasse. Sed nec ditionum Electoralium suis provinciis innexarum oblitos fuisse. Qvantumlibet tamen connixos neqve dum pax perficitur, nec deinceps ut medio statu gauderent, obtinere potuisse. Spem tamen sibi esse, per calamitatem, qvæ Remp. suam oppresserit, cultam semper cum Electore amicitiam haut extinctum iri, qvam summo candore deinceps excolere parati sint, ad qvam sacrorum, ac vicinitatis vinculo adstringantur; ac summo sibi dolori fore, si qvid parum amici sibi cum Electore intercedere debeat, qvicum veterem amicitiam omni studio propagare cupiant. 1679.

§. 64. Istæ literæ, etsi multum modestiæ præferentes, qvia tamen primarium negotium haut tangebant, Electori minime satisfaciebant. Unde denuo ad Belgas scribere visum hoc sensu. *Alia Electoris ad Belgas litera.* *Ad æqvissima sua postulata ne verbo qvidem sibi responsum fuisse, cum tamen non dubitet, si adhuc ita prioribus literis rationes probe expensæ fuissent, ipsos studium suum circa continuandam cum Rep. amicitiam perspecturos, sed & simul æqvum judicaturos fuisse, sibi immensorum damnorum, qvæ ipsorum causa toleraverit, nomine satisfaciendum esse. Nec dubitare ipsis pro æqvanimitate sua curæ fore, ut obligationem, qvam per fœdus sibi imposuerint, rite impleant. Enimvero literas ipsorum non sine magno suo dolore, ac admiratione, nil præter excusationem necessitatis, qvæ ad pacem compulsi sint, continere. Super ea disceptationem cum ipsis suscipere sibi haut placere. Ac satis ipsis constare, se nunqvam pacem, ob qvam unice arma à se arrepta sint, aversatum; qvin ab ipsis ad extremum usqve ad bellum perseqvendum instigatum fuisse. Enimvero Reipublicæ necessitatem, suarum ditionum conditioni haut comparandam, nunqvam tantam fuisse, ut fidus amicus & fœderatus, qvi in solam ipsorum gratiam exitio addi huic bello se immerserit, nulla causa ab ea pace excluderetur, rejecto suo postulato super pace simul perficienda. Multo minus id ullo necessitatis prætexto excusari posse, qvod cum ipsis jam super conditionibus pacis cum Gallo convenisset, non modo de hoc sibi haut significatum, nec ad pacem simul ineundam aditus paratus fuerit, sed & denuntiatum, ipses expeditionem parare, rogatumqve, ut à se major copiarum modus ad Rhenum mittatur. Nec obtendi posse, Gallum simul cum ipso tractare noluisse: nam non obstante hostilitate, in qvam ipse cum eo inciderit, multoties testatum; cordi ipsi esse veterem amicitiam instaurare; cum præsertim nunqvam controversiæ qvid sibi cum Gallia fuerit. Nec vero conditiones à se prætensas conjunctam tractationem impedire potuisse, cum nunqvam inquirere curæ fuerit, cui postulato ipse ad extremum insistere decreverit; ac tunc ipse lautioribus conditionibus potiri potuerit, ni in gratiam Reip. ac ne eam desereret, eos tractatus repudiasset. Qvæ isti de Hispanis querantur, ad se non spectare. In aprico tamen esse, non Hispanos, sed Belgas primum arma posuisse, istis acerbe qverentibus, qvibus & Gallicus miles immensis sumtibus intra ditiones suas diu alendus fuerit, qvoad pacem ratihabuerint. Qvæ omnia* 1679.

cum

1679. *cum ita sint, & cum fœdere secum inito promittant, nostram satisfactionem sibi curæ fore, simul agnoscant, auxilia sua Reip. non fuisse inutilia, suasque provincias ideo misere vastatas; spem sibi esse, eos istorum pensationem ita curaturos, ut deinceps quoque salus ejus Reip. sibi cordi esse queat. Et quia id negotium per literas haut commode expediri queat, in eorum placitum conferre, annon expediat congressum inter utriusque ministros eo nomine institui; ubi spes sit & istos ad omnia æqua paratos fore; ac se postulata sua ita moderaturum, ut nil amplius quam justam indemnitatem quærat, quo & deinceps vires suppetant ad solida eorum Reip. specimina amicitiæ repræsentanda.*

Electoris in Belgas cogitata.

§. 65. Inter istas doloris, iræque nondum digestæ fluctus Electorem aliquando impetus subibat de exercitu ad Isalam adducendo, num eo modo à Belgis reparationem damni obtinere possit. Igitur Meindersius explorare jubebatur, num Gallus eos conatus dissimulaturus sit. Etsi Sverinus senior eam rem valde dissvadebat. Nam Gallum nunc de bello audire nolle, & ante omnia de instaurando ærario cogitare. Quod si autem Gallus ausa ista non fulciat, Electorem grave sibi periculum conciliare posse. Nam Belgas non solum validis copiis succinctos, quas brevi contrahere queant, sed & ab Electoris invidis affatim auxiliorum obtenturos. Cum Svecis quoque nondum omnia ad liquidum perducta, qui magnum ex his turbis emolumentum capturi sint. Et quia Arnsionensi jam suboleat talia ab Electore agitari, ac Belgis sine dubio ista è Gallia prodenda erant, forte hos milite in finibus dispositio intentata præventuros, ita ut res utique ad manus perventura sit. Quanquam & nudam hospitationem in ditione sua Belgæ in vicem hostilitatis accepturi, eique vim opposituri sint. Equidem Belgas nondum solidi quid officii Electori præstitisse: eorum tamen amicitiam non levem autoritatem ipsi addere. Unde non posse non id noxium eidem esse, si cum istis in hostilia erumpatur; inprimis si Gallus arma simul suscipere nolit, quod & ipsum pravos effectus producturum sit. Belgas antiquos Brandenburgicæ domus amicos esse; igitur omnia prius tentanda, quam ad arma deveniatur, quæ remediorum extremum sint. Ac nondum eos omnem satisfactionem abnuisse. Equidem Electori animum non esse, bellum ordiri, sed tantum ostentato in finibus exercitu eos terrere. Sed ubi res hucusque processerit, non amplius in nostra manu fore pacem retinere; sed invitis eo sequendum fore, quo altera pars duxerit. Cæterum Gallus ob residua subsidiorum operam suam pollicebatur: sed eam ob causam novo se bello implicare nolebat; tum Electori talia summopere dissvadebat hac præsertim tempestate, cum vix belli flamma immenso labore extincta fuerit. Admonebat insuper Luvoisius; etsi Hispani tuto contemni possint, ac nisi vi compulsi debitum expleturi non sint; tamen vel ideo stativa Electoris ad Isalam, & limitem Geldriæ ferri haut posse, quamdiu Gallicæ copiæ eo tractu agant. Nam modico numero nihil profectum iri, qui & periculo exponendus sit. Sed magnum exercitum à Rege in vicinia tolerari non posse, nisi majorem eidem ad latus adjungat. Ita ea res intra cogitationem stetit. 1679.

Meindersius in Galliam mittitur.

§. 66. Cæterum postquam Elector dudum animadvertisset, Cæsarem juxta, atque Luneburgicos separatam pacem meditari, sibi quoque tentandum duxit, num imminenti se tempestati subtrahere posset. Et quia summa negotii ab arbitrio Galli pendebat, periculum facere instituit, num majus operæ pretium in Gallia, quam Neomagi fieri possit. Eo fine Meindersius in Galliam his cum mandatis mittitur. Neomagi apud Gallicos legatos verbis Electoris testaretur, quam gratum sibi fuerit à Galliæ Rege declarationem super desiderio veterem amicitiam renovandi benevole acceptam, idemque ab hoc expeti. Rogare, ut Rex componendæ inter Boreales paci operam navare, ac præcipue justitiam suorum armorum in Svecos æstimare velit, quo ipse in perpetuum tam periculoso vicino careat, quem ipse jam amolitus sit. Alias sibi, suæque posteritati nunquam stabilem quietem sperandam. Equidem notum esse, quid fœderis Regi cum Svecia sit, & quod studium is circa pacta sancte servanda ostentet. Enimvero Regem plura quam debuerit præstitisse; ac neminem improbare posse, si Svecorum in gratiam orbem Christianum non diutius inter belli mala luctari patiatur. Quam sinistre Sveci rem gesserint, ac uti Galliæ subsidiis abusi sint, nemini obscurum esse; qui & soli Galliæ debeant, quod non plane pessum iverint. Quem ipse desideret vastatum terræ tractum esse, suæ tantum securitati inservientem, quæ per nulla pacta satis stabiliri queat; ac si maxime Gallus sponsionem interponat, se tamen è vicinia citius à Svecis opprimi posse, quam auxilia è tam longe dissito loco moliantur. A se plura documenta solidæ amicitiæ Gallo exhiberi posse, quam 12. Dec. 1678.

1679. is à Svecis sperare qveat. A se omnia offerri, qvæ Rex salva ratione desiderare qveat, & qvæ conscientiæ, ac officio suo erga Cæsarem & Imperium non repugnent. Vicissim se amicitiæ instaurationem cupere, ac ut Pomeraniam sibi retinere detur. Qvod si Gallus neget, se à Svecico fœdere discedere posse, declararet; se contentum fore, ut is promissam pecuniam Sveco præstet, ac se solum cum Sveco certare permittat; nec cupere, ut Rex sibi contra Svecos qvid auxilii præstet. Tum aliqvot centena uncialium millia Svecis in satisfactionem daturum, qvorum pars è subsidiis Hispanicis sumi qveat. Et retinere Svecos stationem in Germania, Brema recuperata. Deniqve sibi suffecturum pro se ac posteris suis Citeriorem Pomeraniam retinuisse, Svecis interim titulum, & insignia gesturis, ac nostra stirpe extincta eam recuperaturis. Elevandæ Svecorum apud Gallos fidei Meindersius panderet de secretis inter Cæsarem, & Svecos commerciis pararioNeoburgico, & de novo fœdere, qvod inter hos agitetur; in qvod & seipsum antea pertrahere magno studio laborarint. Unde & Neoburgicum enixius circa plenam Svecorum restitutionem, qvam ipsos Gallos fatagere. Sed qvia metus erat, ne hæc missio fœderatis sinistram suspicionem injiciat, horum legatis demonstrare jubebatur; Electori hautqvidqvam in animo esse ab ipsis se disjungere, sed id tantum qværi, ut Gallia à Svecia separetur, eaqve ratione fœderati Svecis erepta retinere qveant. Præsertim cum si Sveci vel latum pedem in Pomerania retineant, ipsi ac sui posteri nunqvam solidam securitatem sperare possint, qvam qvidem ipse aliis qvoqve fœderatis cum qvantiscunqve emolumentis optet. Eninvero se ante omnes hac tempestate in periculosissimo statu agere. Svecis inde Borussiæ ingruentibus, cui servandæ sibi cum maxima exercitus parte accurrendum sit; inde Gallis ad Rhenum imminentibus. Igitur omnem lapidem movendum, ut ea tempestas avertatur. Nec minus reliqvorum fœderatorum ob ditiones in Westphalia, & Saxonia sitas interesse, qvibus tam tenui ad resistendum adparatu eadem sors maneat. Ac Arausionensem, Belgasqve hanc missionem svasisse, pollicitosqve, per legatos suos id se negotium promoturos. Nec se omissurum de omnibus communicare, ac publicum bonum, fœderatorumqve commoda pro virili respicere; qvibus & integrum sit parem negotiationem tentare. Cæsareis autem peculiariter demonstraret, uti ipsi in formula pacis Svecicæ justo longius processerint, ac nulla secum, & cum aliis Imperii Ordinibus communicatione talia indulserint, qvæ non solum fœderi cum Cæsare, sed & decretis contra Svecos conditis, & comitiali autoritate confirmatis directe repugnent. Dano confirmaret, se firmiter ipsius Regi adhæsurum, & sociato consilio processurum; tum laboraturum, ut & is bonis conditionibus potiatur, idemqve, & reliqvi fœderati sua pace comprehendantur. Neomago Hagam se conferret, ac eadem Avauxio ingereret; tum apud Arausionensem, & benevolos procerum instaret, ut nostram causam Avauxio, & Neomagensibus legatis commendent, nec cum Svecis pacem, aut ulteriorem tractationem suscipiant, qvoad ipse satisfactione, & securitate potitus sit. Ut qvoqve Belgicis legatis Lutetiæ suum negotium commendetur; inprimis ut Westphalicæ suæ ditiones hostilitati eximantur, qvæ res ipsos qvoqve Belgas tangat; tum induciæ promoveantur ea lege, ut Sveci Borussia facessant. Apud Gallum qvoqve instaret, ut Polonum ad colendam cum ipso sinceram amicitiam hortetur, ac ne Bethunio integrum sit cum Svecis infesta in ipsum machinari. Deniqve ut Galli cum provincialibus in Clivia humaniter agant, in qvos Sveci istos incitabant.

1679.

§. 67. Neomagi ad proposita à Meindersio Galli reponebant. *Regi eqvidem cordi esse Electori reconciliari, eiqve documenta affectus sui, & qvanti eum faciat exhibere, qvæ magis ex ejusdem usu futura sint, qvam belli qvantocunqve cum successu continuationem. Eninvero Regi nihil cum ipso contrahere integrum esse ante dissolutum Svecici fœderis vinculum, qvod ut qvamprimum fiat, Regi gratissimum fore, qvippe huic non parum molestum. Regem qvo pacis cupidine ducatur satis significasse, dum medio in cursu victoriarum, & propinqva spe toto Belgio Hispanico potiundi hostibus tam egregia loca restituat. Sed eum cessante his oris bello plenam facultatem nactum sociis suis succurrendi. Id qvod & omnibus viribus facturus sit, nec id salva existimatione omittere qveat, si vel omnia hoc bello parta emolumenta amittenda, aut ipsum diadema periculo exponendum sit. Regi satis constare, qvem fructum ex Electoris amicitia capere possit. Sed eum qvantumcunqve haut valere permovendo eidem, ut circa impletionem fœderis Svecici qvidqvam in se desiderari patiatur. Id Regi fixum sedere. Qvod si autem Sveci vel totam Pomeraniam concedere velint, id gratum ipsi fore, ac si eo nomine conventio conclusa sit, eam protinus subscripturum,*

Gallorum Neomagi declaratio.

3. Jan.

1679. *ptorum, ac istorum fœdere tunc solutum ar-*
ctissimo se vinculo Electori innexurum. Sed
antequam id fiat, cum non solum Svecos non
desertorum, sed & omnia rem in eorum be-
stes gesturum, quoad iisdem satisfactum sit.
Ad ista Meindertius: Uti Gallus pacis amore successibus suis modum imposuerit, ac insignia loca antiqvis dominis reddiderit: ita æqvum esse, ut Sveci, qvi sua ob rem prave gestam amiserunt, ad qvietem orbi Christiano restituendam aliqvid sacrificent. Qvod & facturi sint, modo Gallus id iis svadeat proprio exemplo ob oculos posito. Qvo jure Svecos postulare posse, ut omnia à se errata per alios reparentur? aut ut inter continuas clades ipsi immunes abeant, omnibus amissis recuperatis? Qvin eosdem à brevi abhinc tempore ferocius se jactare, qvam antea cum eorum res meliore loco essent, ac nil nisi plenam satisfactionem crepare, nec se casam, aut latum pedem terræ amissuros. Atqvi ad ejusmodi pervicaciam ratione destitutam, ob qvam orbi Christiano sub malis belli diutius ingemiscendum sit, Gallum nullo fœdere obstringi. Electorem præterita ætate initio expeditionis moderatas conditiones proposuisse; qvas qvod Sveci ita abrupte rejecerint, ac inde Rugiam, & Stralsundam amiserint, sibi imputent. Ac forte majorem calamitatem istos manere; ac plura postulanda, ubi Borussia exturbati fuerint. Ista Svecorum consilia Gallum haut probaturum, velut per qvæ magis, magisqve à scopo pacis depellatur. Galli contra: *Electori*
sane fas esse successus suos qvantum possit per-
sequi. Sedqve contra Svecos qverela mode-
antur, eas Gallum qvoque tangere. Et qvam-
diu inter Electorem, & Svecos hostilitas per-
sistat, Regem non posse non actiones, e qvibus
aliqvem se capere fructum judicet, adpro-
bare, ac fulcire, sane sinistre admodum rem
à Svecis gestam: sed & eosdem insignem Gal-
liæ operam navasse. Et qvicqvid ejus sit,
fœdera sancte servanda esse, è qvibus Rex te-
neatur operam dare, ut omnia sua ipsis resti-
tuantur, ni ultro qvid remittere velint. Sed
ut Rex eos ad cedendum qvid cogat, aut per-
svadendo inducat, id nunqvam futurum. Si
tamen Belgæ in eum finem efficere qvid pos-
sint, id Regi gratum fore. Ast nec Svecos
aliam hactenus declarationem edere potuisse,
qvod & Elector non nisi de retinendis omnibus
jactarit. Sane reliqvos fœderatos longe mo-
deratiores sese ostendere, ac citius qvam cre-
datur cum Luneburgicis, Monasteriensi, ipsoq;
Dano aqvis conditionibus transactum iri. Re-
gem tamen, qvi Electorem, ejusqve amicitiam
præcæteris æstimet, hos parum respexisse. Sed
& inconveniens esse, qvod cum Elector antea
Pena limite contentum se fore declaraverit,
nunc totam Pomeraniam deposcat nullo tem-
peramento admisso. Nam inter Christianos
transigi solere aliqvo dato, aliqvo retento. Nec
ea postulata à qvopiam probatum iri, qvi eum
hac duritia suorum fœderatorum emolu-
menta, & pacem promoturum. Unde postu-
lata esse moderanda. Ubi Rex Svecico fœdere
solutus Electori se se innexuerit, non defore oc-
casiones commodis ejus promovendis, qvæ longe
pluris futura sint, qvam qvæ idem hoc bello
occuparit. Contra Meindertius: Si Sveci vel pedem terræ adhuc in Pomerania retineant, Electorem nunqvam tutum, eoqve inutilem fore ad officia Galliæ præstanda. Svecis ab Electore nil infesti metuendum, sed huic tanqvam debiliori vicino de securitate sua semper cogitandum, qvam Galli sponsio ob distantiam locorum præstare non possit. Deniqve Gallum eorum, qvæ anno 60, & 66, ac nunc Hispanis eripuerit, nullam aliam rationem habere, qvam jus belli; cur idem nunc non etiam pro Electore militet? Ast Galli, cum rationibus vincerentur, ad exaggerandam Regis sui potentiam convertebantur, *cujus parum*
interfit, si Sveci Cæsari se innectant. Electo-
rem contra ab omnibus desertum esse. Hispanos
cherves. Anglum cum intestinis turbis con-
flictari, qvi jam militem suum è Belgio revo-
cet, mox plane exantorandum. Belgas legiones
contrahere, ac pleraqve dimittere, frustra
renitente Arausionensi, sic ut non amplius
VI M in campum educere valituri sint. Cæsa-
rem qvoqve, & Imperium à Gallo parum cu-
rari. Istius exercitum male habitum. In
aula Cæsarea multos esse morbos sibi satis co-
gnitos. Omnes Imperii Ordines pacem cum
suspiriis, & clamoribus exposcere. Cum Mo-
nasteriensi, & Luneburgicis brevi sibi conven-
turum. Electoris provincias Westphalicas
defensione nudatas. Ni rerum interim mu-
tatio obvenias, Regem mense Martio tres ex-
ercitus ad Rhenum ducturum, qvarto in pro-
ximis urbibus in subsidiis collocato. CC M
militum ab eodem facile in expeditionem educi
posse. Multos milliones in promtu jacere bello
continuando. Coloniam paucos intra dies
subigi posse. Igitur caveret Elector rem ad
extrema deducere. Noster ad hæc: Regis potentiam plus satis notam. Sed eundem & generosum, & pacis amantem, & Christiani officii memorem se ferre; eoqve alienum ab eo fore bellum semper ob aliena commoda gerere, ac orbem Christianum turbis districtum tenere. Si maxime Gallus Rhenum, & plura subigat, qvid Svecis indeaccessurum? Ancipitem qvoqve belli

1679. aleam; simul spem esse Electorem à Cæsare, & Imperio haut desertum iri, utpote cui qvam maxime injuria à Svecis sit illata, ac decreta sua sint tuenda. Cæterum qvoqve fœderatorum rationes exigere, ut immoti in partibus persistant. Si Regi qvies orbis cordi sit, nec is tam vasta destinata, ubi spargatur, agitet, tam salutare opus haut facilius promoveri posse, qvam si idem justæ Electoris satisfactioni sese haut opponat. Enimvero cum his omnibus nihil apud Gallos proficeretur, nec Meindersio placebat ad singularia, qvæ in mandatis habebat, descendere. Præter ista Schutzius de Brunsvicensium Ducum constantia, & in bonum publicum studio prolixe confirmabat. Sed Beverningius referebat, Duces jam declarasse, Bremam se reddituros, ac Ferdam cum CC Muncialium contentos fore. Sed à Gallis istos parum curari, ac malle hos viam cum Electore transigendi invenire; qvod & Belgæ propriam ob securitatem optent. Dolebat simul scæva eorum consilia, qvi tam intempestive susceptam militiæ imminutionem contra Arausionensis sententiam pervicerint. Ast Cæsarei Meindersio ostendebant; admodum se turbari, qvod omnes fere Electores, ac Principes ita enixe pacem properari urgeant, ac præcipue Rheno vicini oneribus belli maxime obnoxii extrema minentur, ac sibi demum Galli protectionem subeundam. Cui qvæ pares vires opponi qveant, nullibi adpareant. Et tamen à nemine probari posse pacem in leges, qvas Galli, & Sveci velint. Gallis maxime animos accedere è turbis Anglicis, & qvod factio Arausionensi adversa pervicerit militiam Belgicam contrahi, utut ostensum fuerit, unde eadem sine onere Reip. sustentari possit.

Avauxius ad eundem modum, uti Neomagenses Galli, differebat. Alias is de Svecorum actis parum honorifice sentiebat; ac Regi in votis esse molesto vinculo se exuere, ut integrum sibi sit veterem cum Electore amicitiam instaurare. Falso qvoqve ab istis spargi, à Gallo se obfirmari, ne vel minimum cedant; id qvod alii interpretentur, velut hic bellum in infinitum extrahere meditetur. Fagelius debilem Belgii Uniti statum dolebat, cujus culpa penes Arausionensem, ac se haut qvidqvam sit. Maximam infelicitatis causam ab impotentia Hispaniæ, & Angliæ turbis esse, qvæ Gallo ortum suum debeant. Omnibus constare, qvantum Belgii interfit Cliviam servari. Si Galli Vesaliam in potestatem redigant, sero Belgas agnituros, qvantum errorem admiserint, qvod medium statum ejus provinciæ sua pace stipulati non sint. In præsens nil vegeti consilii à Rep. expectandum. Verba non defore, sed inefficacia. Totam Pomeraniam se malle penes Electorem, qvam Svecos esse. Enimvero graves difficultates obstare, inprimis qvod Electori olim declararit, se Pena limite contentum fore. Ac antea rem à se huc deductam, ut circa Stetinum, & Wolgastum nil difficultatis restaret, si id acceptatum foret. Post qvoqve de Pena sibi spem factam. Nunc irruptionem in Borussiam novum obstaculum objicere. Ad qvod reponebatur; Svecos conditionem de Pena flumine non admisisse, & ex eo tempore Electori plurimum molestiæ in Borussia dedisse, qvam & Polonis jam in prædam assignaverint. Meindersius tamen, num forte Belgas excitare posset, scrupulum iis injiciebat, velut Elector de Clivia in Neoburgicum, qvin plane in Gallum transferenda agitaret.

Haga disputata. 7. Jan.

§. 68. Hagam digresso Meindersio Arausionensis dicebat; res hcic sinistre, & confuse geri, ac plerisqve genuinas propriæ Reipublicæ, ac fidorum amicorum, atqve vicinorum rationes parum cordi esse; inprimis qvestus super tuenda Clivia, non mascula magis consilia fuisse capta, ac Remp. exautoratione militum plane enervem reddi: cujus rei culpa penes Amstelodamenses sit, à qvibus vires ærarii pendeant. Verbis, & rationibus apud Gallos parum proficiscitur. Svecos insolenter se jactare. Gallum indies gloria magis inflari, ac Sveciam plene restitui velle. Contra Electori affatim rationum esse, ut toti Pomeraniæ insistat; sed grandia obstacula se ostendere, ac inprimis Westphalicas ejus provincias Gallorum libidini expositas esse.

Meindersius in Gallia incassum nititur. 28. Jan.

§. 69. In Galliam ubi perveniisset Meindersius, deprehendebat Luvoisium operam sociante Montespania pellice regia, omnia ex sua libidine agere; qvi pro immanitate ingenii omnia vi pervincere gaudebat. Belgarum in ea aula tunc exiguus respectus, in qvorum gratiam Gallus ne hilum facturus, aut omissurus erat. Isti exautorato milite vires sibi ultro detraxerant, tum sinistre actis existimationem decoxerant. Borellus non minus contemtim, qvam alii, habebatur, utut Amstelodamenses sibi persvaserant, eximio se honore, & affectu à Gallis mactandos, qvia fallacibus horum blanditiis in fraudem se induci passi fuerant; cum eam ipsam ob causam insolentius spernerentur, qvod decipiendos se præbuissent. Cæterum Meindersio eadem qvæ Neomagi

1679. magi cantilena occinebatur: gratam Regi
1. Febr. Electoris amicitiam; sed Svecos ex fœdere prius in integrum restituendos. Si Sveci ultro qvid remittere velint, id Regem facile concessurum. Ac differebat Pomponius: In ipso negotii cardine Meinderſium à se dissentire, qvod Svecos semper seorsim consideret; cum Svecia, & Gallia inseparabili vinculo nectantur. Electoris postulata non iniqva esse, si sola Svecia præ oculis sit. Sed hujus causam Regem suam facere. Unde Electori sua postulata utiqve temperanda. Ac eo altiora spirabant Galli, qvod tunc nuntius de pace Cæsarea advolaret: qvod exemplum Luneburgici, ac Monasterienſis mox secuturi sint. Unde & parum curabatur Hornius Boruſſia inglorius facessans; de qvo omnes qvidem præsumserant Electoris adventum non expectaturum. Etsi id præter spem fuerat, qvod is ita trepido recessu tantam maculam Svecicis armis esset inusturus. Ab ipso autem Rege ostendebatur: *Admodum sibi jucundum esse, Electorem iterum amicitiæ ipsius accedere, ac tam grata pignora affectus sui offerre. Se non omissurum ista grato animo qvavis occasione agnoscere; utut Elector nulla à se causa præbita olim in diversa secesserit, qvæ ipse oblivioni traditurus sit. Ex animo ei se amicum esse, ipsumqve magni æstimare, velut qvi per arma, & consilia gestis perfectam gloriam adqvisiverit. Pacem se sine mora cum ipso inire paratum iis conditionibus, è qvibus idem singularem suum affectum deprehensurus sit. Sed nullo se modo per fœdus Svecos destituere posse; ac satis nosse, Electorem qvoqve id improbaturum. Eis se auxilium promisisse, & qvod absqve iis pacem haut facere, iisdemqve ut satisfiat curare velit; qvi utiqve se requirente in bellum descenderint, ac in tantam calamitatem inciderint. Si Sveci remittere qvid velint, id & sibi placiturum: & tunc rem confectam fore.* Ad qvæ Meinderſius: Electori satis constare, qvam exacte Rex datam fidem implere sveverit; nec eum qvid desiderare, qvod ipsius gloriæ repugnet. Sed Regem pro generositate sua haut probaturum, Svecos tam incongrua postulare. Potius rationi conveniens judicaturum, Electorem inter successus divinitus datos, & gloriam tanto labore, sumtuqve partam etiam de præmio aliqvo, & securitate in posterum solicitum esse. Svecos præter omnem rationem ferocire, ac insolenter se jactare, ac non obstantibus suis cladibus victori leges pacis præscribere, suiqve in gratiam orbem Christianum infinito bello agitari velle; cum tamen è communi omnium tractatuum usu pacis conditiones pro successibus armorum temperentur. Verbo tantum opus esse Regi, aut nutu, ut res transigatur. In omnibus fœderibus par esse, ut utraqve pars officium faciat, nec una in solam alteram onus devolvere instituat; qvod nunc Svecia Regi impingere non vereatur. Multo minus unum fœderatorum ab altero exigere posse, ut hic ipsius errata, aut fatales calamitates præstet. A Rege fœdus Svecicum plus satis impletum. Ab eodem laudabile studium circa pacem orbi restituendam declaratum, qvod ob iniqva Svecorum postulata mutaturus non sit. Si ipse talia Svecis denuntiare indecens putet, alia id via posse fieri, modo istis voluntas Regis innotescat. Rex contra: *inter omnes hasce demonstrationes, qvantumvis sit solida ratione subnixas, se perspicere non posse, qvomodo fidem suam liberare possit. Hanc amico, & fœderato præstandam non secundis tantum, sed & adversis ejus rebus, qvin tunc demum sincere amicitiæ effectus cognosci. Electori tantum gloriæ hoc bello partum esse, qvod laboret, & sumtus ubertim penset. Securitatem utiqve eidem præstandam, ac ejus se sponsorem offerre. Sperare, Electorem moderatiora consilia capturum, ut nova coll. sio declinetur. Nam ea se, ac molestius inde oriturio supersedere, ac qvamprimum ad veterem cum ipso amicitiam redire velle.* Meinderſius ad hæc: Ab Electore utiqve gloriæ rationem haberi. Sed eum plus expensarum feciſſe, plus laborum exhausiſſe, qvam ut ista sola adqviescere possit. Regem haut siniſtre accepturum, si Elector ipsius tanqvam sapientissimi, ac maximi in orbe Christiano monarchæ exemplum imitetur. Eum sine dubio tantum sibi gloriæ peperisse, qvantum ullus unqvam Princeps. Qvæ tamen non obstiterit, qvo minus insignes provincias, opportunitate situs regno suo blandientes, armis occupatas retinuerit. Regis cautionem ab Electore maximi fieri, ac ipsi sat virium, ac bonæ voluntatis esse ad pondus ei addendum. Sed eam esse locorum distantiam, ut Svecis exercitum Berolino prius admovere in proclivi sit, qvam Regi de eo significari possit. His consideratis à Rege id negotium non ut ab hoste, sed ut à sequestre tractandum. Nam Electorem tantam fiduciam in Regis generositate collocasse, ut justitiam causæ suæ ejus arbitrio committere non dubitet. Qvibus dictis Rex Meinderſium dimittebat, addito, si plura habeat, Pomponio, aut sibi exponi posse. Extremum id Meinderſius jecerat, cum alias sequester adsumi non possit, qvi inter partes est, qvod Rex dixisset; se ancipitem hæsurum, si tale qvid à se

Regis responsum. 7. Febr.

1679. postuletur; ac forte id ad differendam, aut mitigandam hostilitatem facturum sperabatur.

Cum Pomponio deceptata. 10. Febr.

§. 70. Mox colloqvio habito Pomponius differebat. *A Rege Svecos destitui non posse, sed bellum tamdiu persequendum, qvoad bi vel restituti sint, vel sibi alias satisfactum declarent. Ad hoc Regem per fœdus teneri, ac sat facultatis habere ei repræsentando. Non deesse pecuniam, non militem, non naves, ac incassum irrita pacis omnia parari persequendo bello, & qvosdam copias jam iter ingredi jussas. Alias Regem dudum optasse, cum Electore, qvem ante omnes Germaniæ Principes æstimet, qvamprimum in gratiam redire; sed ob enormia postulata id fieri non potuisse. Initio Stetinum cum tractu ad Penam, post totam Pomeraniam postulatam, cui adhuc insistatur. Super pecuniæ summa Regem disponere posse, de sociis terris non posse.* Meinderſius ad hæc: per pecuniam damna, labores, & expensas Electoris reparari non posse, nec ei securitatis qvid inesse. Pomponius: *Sveciam ita viribus exhaustam, ac talia hoc bello expertam, ut non temere in Germaniam qvid tentare ausura sit. Et utcunqve ista sint, fidem servandam esse.* Meinderſius: Electorem non postulare, ut Rex fidem infringat. Eum jam ultra debitum in Svecos contulisse. Omnibus fœderibus reciprocam inesse obligationem, qva uterqve suum præstare teneatur. Ast Svecos & hactenus non nisi oneri Galliæ fuisse, & nunc totum bellum huic soli impingere velle. Ac factam recens cum Imperio pacem consistere non posse, si Rex exercitum Westphaliæ immittere instituat. Cum etiam hæc pax duas conditiones habeat; ut pro reducenda communi pace officia summo studio adhibeantur, utqve inducie paci conciliandæ protinus ineantur; Cæsarem & Imperium non prius obligatione de non juvandis Galliæ, & Sveciæ hostibus stringendum, qvam elapso inducierum tempore. Et hucusqve Electorem Cæsaris, & Imperii auxilio gavisurum; Regem à scopo communis pacis aberraturum. Tum incertam belli aleam. Qvæ Danus Svecis eripuerit longe dissita, & qvo Gallis pertingere haut facile sit. Westphalicas Electoris provincias facile subigi posse; sed iis comesis Gallico exercitui defore, unde vivat; ac inde non Gallos magis, qvam Svecos fructum capturos. Nec ob Cliviam Electorem Pomerania cessurum, ac forte aliam Cliviam in Livonia inveniri posse. Denique Regem Clivicas ditiones corpori Galliæ inserere, aut diu eas possidere haut posse. Pomponius: *haut ita facile Electori fore Clivia jacturam digerere. Porro qvicqvid decretorum Ratispona conditum sit, plerosqve tamen, & præcipuos Ordinum Westphalica pacis instaurationem cupere. Ac si vel universi Ordines, vel eorum aliqvi Electori velint assistere, id suo periculo facere posse, ac Regem eosdem non minus hostium loco habiturum. Sed eam spem inanem esse; qvin Ordines certatim exclamaturos; hunc par esse, ut Electoris opes gliscant, se pertire; eoqve pacem qvantum possit occupandam. Inducias qvoqve adhuc incertas, qvas Rex non ultra duos menses sit indulturus. In Danum facile rem geri posse. Classem paratam stare, per qvam Regis in Holsatiam, Scaniam, ipsam Selandiam exercitum immittere liceat. Gallos etiam frigidis cœli tolerantes, ac hibernis bellis adsvetos. Denique è tergiversatione ingens bellum exoriturum; & hunc eo secius Electori, Danoqve ad restituenda bello parta descendendum, velut omni auxilio destitutis; cum contra Regi terra mariqve via nullo impediente pateat. Ac jam copias versus Cliviam, & Marcam iter ingredi, mox Rhenum transituras, ac brevi Electoris ditiones ad Visurgim usqve subigendas. Denique si Elector Stetino insistat, omnem operam incassum sumi. Ac ut maxime Elector promittat, se omnibus Regis desiderius velificaturum; tamen inverti rerum ordinem, cum pax, & Svecia restitutio precedere debeat.* Cum Meinderſius objiceret, Luneburgicis utiqve data provinciæ portione satisfactum, qvibus tamen cum Svecis nil negotii fuerit, nisi qvod ex Electoris causa provenerit, & qvidem concurrentibus ministris Svecicis. Ad ea Pomponius: *interfuisse eo tractatui, etsi nulla tractandi facultate, Pufendorfium; cui tanti visum fuerit litigiosa provinciæ parte cedere, ut divellendis Borealibus fœderatis initium fiat; idemqve Regis fuit judicium fuisse, qvi & sese obstrinxerit ad Sveci ratihabitionem curandam. Svecos qvoqve infelici qvantumvis expeditione in Borussiam Galliæ insignem operam præstitisse, qvod Elector post expugnatam Stralsundam ad Rhenum vertere haut potuerit. Unde Regis gloriæ adversari, ideo istos deserere, qvia in ipsius utiqve gratiam cladem acceperint. Ac frustra Meinderſium satagere, si mi aliud in mandatis habeat: ac optimum fore hinc discedere, qvod Svecici ministri importune instent, ut is amoveatur. Sine Regem invitum ob alienas rationes ad extrema cum Electore descendere. Sed qvæ gloriam ipsius tangant, exceptionem non pati. Ne tamen plane in Borussiam abeat, sed Neomagum, aut in vicinum se locum conferat. Forte enim temporibus mutatis Electori placiturum moderatis cum mandatis ipsum denuo huc mittere.*

§. 71.

1679. *Intromaà Meinderſio incaſſum tentantur. 14. Febr.*

§. 71. Altero inde colloqvio petito Meinderſius ſecretas conditiones, de qvibus in mandatis habebat, expromebat. Cui Rex: ſe Electori ſummopere obſtringi pro ſingulari fiducia, qvam in ipſum teſtetur; ac ſibi curæ fore qvavis occaſione grati ſui animi documenta repræſentare. Valde ſibi dolere, plenam libertatem ſibi deeſſe ſuper rebus communes rationes ſpectantibus cum ipſo communicandi. Solum Electorem eo vinculo ipſum exſolvere poſſe, ſi circa reſtitutionem Sveciæ flectat. Nec ei pœnitendum fore heic aliqvid remiſiſſe, idemqve partæ gloriæ haut parum additurum. Ad iſta Meinderſius; extracto bello forte aliqvam rerum converſionem metuendam: ſaltem nil lucri inde expectandum. Weſtphalicas Electoris ditiones jam exhauſtas bellum diu alere non poſſe. Inde manus ad vicinos porrigendas, novarum turbarum materiam. Unde Regi immenſam pecuniæ vim in bellum impendendam. Ad gloriam Regis abunde ſufficere, qvæ jam Svecis præſtita ſint, qvi ne unico qvidem articulo ſui fœderis cum Rege ſatisfecerint. Eos omnes clades, qvas perpeſſi ſint, ſibimetipſis debere. Qvin Regi ignavum iri viſum, ſi Elector Svecis omnia reſtituat, qvos altera jam vice ditionibus ſuis ejecit. Eqvidem Electorem ſuas vires Gallicis haut æqviparare; ſed confidere, Regem non minus æqvum, & generoſum, qvam potentem, & victorem eſſe. Et qvanqvam Elector Weſtphalicas provincias exitio liberare neqveat; Gallicum tamen exercitum inde moleſtiam qvoqve ſenſurum; nec ideo Electorem Pomerania deceſſurum, ac Weſtphalicas provincias utiqve ſerius ocyus reſtituendas. Demum Meinderſius tempus rogabat, curſori ad Electorem mittendo; ac ut Rex meminiſſe velit articuli 26 pacis Cæſareæ, qvo is promiſerit, ſo officia qvam efficaciſſime apud Svecos interpoſiturum ad æqvam pacem promovendam. Qvæ officia non alio tendere poſſint, qvam ut Sveci ad remittendum nonnihil permoveantur, ac ut Electori ex æqvo ſatisfaciant. Nam ad ejusmodi pacem, qvalem Sveci expoſcunt, officiis haut opus eſſe. Sed & Regem inducias promiſiſſe conciliandæ paci, ſuper qvibus nondum conventum ſit; & tamen copias Gallicas jam iter ingreſſas dici. Adverſus qvæ cum Rex nihil reponere noſſet, ad gloriam ſuam, ac fidem Svecis datam revolvebatur. Alias jubebat Electori confirmare, ſe ipſum maximi facere, & amicitiam cum eodem inſtaurare admodum cupere; ſperare qvoqve, obſtacula, qvæ id impediant, è medio removeri poſſe. Ita incaſſum tunc opera ſumebatur, qvod Pomponius Svecis faveret, Luvoiſio autem rigida omnia, & abrupta placerent. Huic cum Meinderſius moderata ingereret, is reſpondebat: *Bellum geri vel ad planè perdendum hoſtem, vel ut in ejus ditione mules alatur.* Sed nunc priori modo rem gerendam, ac remetienda, qvæ qvondam in Alſatia geſta ſint. Lipſtadium primo ſubigendum: nec Mindam diu moram facturam. Mox Halberſtadium, & Magdeburgum, inde Berolinum eundum, nec Svecico modo bellum gerendum. Ad extrema iſta redigendum tam egregium Principem, & qvod Meinderſio tam ſtricta mandata ſint, dolendum ſibi eſſe. Cum hic Luvoiſio incommoda, qvæ continuationem belli in Germania præcipue trans Viſurgim comitatura ſint, demonſtraret, hic reponebat: jam de horum remediis agitari; nec ſocios belli deforc, qvi in partem prædæ venire ardeant. A Colonienſi in Lipſtadium actionem moveri, Magdeburgo, Halberſtadio, Minda unum atqve alterum devinciri poſſe, qvi iisdem valde inhiet, & cui ea loca opportunitate ſitus mirum qvantum blandiantur. Ac aderat ab Adminiſtratore Magdeburgico miſſus Marſchalcus, qvi ſedulo cum Svecis concurſabat. Deniqve nil Electori poſſe dari, præterea, qvæ qvondam pacto Stetinenſi extorta fuerint, & ſummam pecuniæ. Diſcedenti confirmabat Pomponius, & Luvoiſius, poſtremam ejus propoſitionem Regi admodum arriſiſſe; ac ſperare hunc, Electorem mutata circa Pomeraniam ſententia eidem anſam præbiturum gratum animum, ac qvanti ipſum æſtimet, reipſa exhibendi; etſi in præſens Rex de talibus non cogitet. Ita Meinderſio re infecta diſcedendum erat, idqve valde propere, & ut curſorem ad Electorem mittere haut indulgeretur. Perſvaſerant ſibi Galli, eum preſtiora mandata habere, qvæ expromere tergiverſetur, ac brevi rediturum.

Marſchalck.

11. Febr.

Meinderſius altera vice in Gallicam mittitur. 19. April.

§. 72. Cum interim reliqvi fœderati, excepto Daniæ Rege, bello ſe ſubduxiſſent, Elector Meinderſium denuo Neomagum ſe conferre jubet promovendæ cum Gallis paci. Nam cum Svecis ipſis haut placebat tractationem ſuſcipere, flecti neſciis, qvi & Gallos usqveadeo obfirmarant, alias Electori conſultum eſſe optantes. Is jam antea declaraverat, utut jus ſibi ſit è cauſis toti orbi notis, atqve probatis toti Pomeraniæ ſine conditione inſiſtere; amore tamen pacis occidentalem Cliviæ partem cum omnibus inde pendentibus, ac juribus Sveciæ con-

Digitized by Google

1679. conceſſurum. Tum ut Gallus perſpiciat, ſerio à ſe rem agi, unum & alterum locum huic cautionis in vicem traditurum. Neomagi Meinderſius cum legatis Gallicis familiariter converſari jubebatur; tum Dano confirmare, Electorem ei Regi firmiter adhæſurum, nec per peculiares tractatus ab eo ſeparandum. Etqvia Daniæ Rex legatum in Galliam miſſurus fuerit, Electori qvoqve viſum tentare, num ibi honeſta pax æqvis conditionibus obtineri qveat, de qva cum ipſo diligenter ſit communicaturus. De cauſis qvoqve hujus itineris Anglo, Belgis, ac Cæſareis ſignificaret; tum & operam daret, ut induciæ prorogentur, qvo ſpatium foret exercitui è Boruſſia adducendo. Converſationem cum Svecis non qvidem plane declinaret, ſed nec affectaret; ac ſuper ea Gallorum, & Angli conſilium exqvireret. Qvod ſi pax Neomagi expediri neqveat, Lutetiam abiret, ibiqve juxta priora mandata rem tractaret. Qvod ſi Sveci partem Cliviæ pro Pomerania acceptare nolint, tentaret, num Belgæ per Gallos permoveri poſſint, ut ipſi eas terras recipiant, & qvotannis Sveco certam pecuniæ ſummam, ſuper qva conveniri poſſit, eo nomine numerent, qvamdiu maſcula Electoris linea duret; qva extincta ad Sveciam Pomerania, ad reliqvos iſtius hæredes Clivia reditura ſit. Qvo caſu Elector Belgis nonnulla vectigalia, & unam atqve alteram præfecturam in Orientali parte provinciæ daturus ſit. Si nec hoc ſuccedat, tentaret, an non Danus Sveco Oldenburgicum & Delmenhorſtanum Comitatum ceſſurus ſit; cui is vicisſim Stralſundam, ac tractum circa Bartam, aliaqve daturus ſit, opportuno Rugiæ ſitu, qvam is Rex tenebat; qvem Elector vicinum, qvam Svecos malebat. Præter iſta Elector Svecis qvoqve oblaturus erat, ut nomine Citerioris Pomeraniæ in Comitiis ſuffragium ferre poſſent, aut ut in cautionem provinciales qvavis imperantium mutatione Sveciæ ſacramentum in eum eventum dicerent, adjecta inſuper expectativa in Sverinenſem, Meclenburgicæ partem. Si horum nihil pervinci poſſet, Svecis Anclamum, & Demminum detractis munitionibus redditurus erat cum diſtrictu usqve ad Uckeram fluvium; ipſe retenturus Stetinum cum ſubjecto agro usqve ad Uckeram, ac Torgeloa, tum qvicqvid trans Oderam ſitum eſt, una cum Uſedomo, Wollino, ac Wolgaſto. Ad extremum Stetino, & Odera flumine contentus futurus erat.

§. 73. Cum Meinderſius Neomagi qvæ juſſus fuerat Colberto expoſuiſſet, hic qvidem affatim amicorum verborum reponebat; ſed addebatur; *ſtari adhuc reſponſo ipſi antea in Gallia dato, ac omnia ad normam Weſtphalicæ pacis reparanda; à qva ſententia Rex ſalva gloria, exiſtimatione, & conſcientia diſcedere non poſſit. Se qvidem optare, ut Sveci aliqvid remittant. Sed eos eſſe inflexibiles, & poſtulare, ut Gallus Electorem, ſi ultro nolit, armis cogat ad omnia ipſis reſtituenda; ad qvos is fœdere teneatur. Equidem triſte Regi arma in Principem ſtringere, qvem tanti faciat, & cujus amicitiam tantopere deſideret, qvi & bello tot inſignibus, & communem captum ſuperantibus factis eximiam ſibi gloriam pepererit. Eſſe qvoqve id bellum ipſi moleſtum, & ſumtuoſum. Haut eo ſecius Regi fidem ſuam liberandam, ſi vel omnia periculo exponenda ſint.* Meinderſius contra: Partes nimium inæqvales eſſe, qvam ut Elector cum Rege armis certare velit. Enimvero Regem actiones ſuas non ſola potentia, ſed & æqvitate, ac ſolida gloria metiri. Unde haut dignum ſe facinus judicaturum plane opprimere, & ad deſperationem adigere Principem, qvi tanto ſtudio ipſius amicitiam affectet; qvi & forte deinceps minore impenſa, majore candore, qvam Sveci, utilem operam eidem navare poſſit. Cauſam Electoris toti orbi probari, qvi & nil poſtulet Regis honori adverſum. Regem plura Svecis præſtitiſſe, qvam hi jure exigere potuerint; qvi nec ulli capiti fœderis ſatisfecerint, ac jam ipſis Gallis fatentibus ſint intractabiles, inſolentes, omnem rationem adſpernantes. Ad qvæ Gallica pecunia anſam ipſis præbeat; & qvia pace facta iſta ſit ceſſatura, eos perpetuum bellum optare; qvod ex omnibus ſuis ditionibus poſt detractas neceſſarias impenſas tantum illis non ſuperſit, qvantum Gallus numerat. Aſt ſi hic rivos claudat, mox modeſtiam ſubituram. Colbertus; *vere iſta duci; ſed Regem per fœdus ſubſidia inhibere non poſſe. Regi qvoqve de ſincera Electoris intentione ſatis perſvaſum, ac in ejus ſpecimen oppidorum traditionem accipere. Etſi Sveci cavillentur eam ideo factam, qvod Elector iſta loca contra Gallos tutari neqviverit; qva & tot machinas, tantumqve paratus bellici, & annona, ſimul numeroſum militem ſervarit, qvi nunc ad Viſurgim contrahatur ei ſtudio, Mindaqve defendenda. Igitur omiſſa tergiverſatione extrema mandata depromere ſatius eſſe.* Et cum Meinderſius negaret plus ſibi mandatum, Colbertus valde perturbatum ſe oſtendebat, qvod pars copiarum Gallicarum Rhenum jam tranſierit, reliqvis ſtatim ſecuturis; ac duces nullo reſpectu hoſtilia ordiri juſſi ſint, ſi

1679. *Neomagi diſputata. 3. Maij.*

ante

1679. ante diem XIX Maij pax concluſa non fuerit. Cum Meinderſius oſtenderet, ſe Lutetiam abiturum, is fruſtra id fore dicebat, *nec plus ibi qvam hoc profectum iri. Nam decretum eſſe Electori ea dare, qvæ Svecis per Stetinenſe pactum extorſerint. Regem libenter Stetinum ei conceſſurum: ſed Svecos nolle, qvorum voluntati reſiſtere non poſſit. Cogitaret Elector debilitatem ſuarum partium, qvas omnes deſeruerint, excepto Dano, cui domi ſatis negotii ſit; qvi & ipſe angusta pacis neceſſitate legatum in Galliam miſerit. Weſtphalicas provincias brevi ſubigendas. Luneburgicos interjectos Electoris copias tranſitum non conceſſuros; nec id perrumpi poſſe, ni bellum cum ea domo ſuſcipere velit. Inde Gallos Albim verſus progreſſuros, ubi plus faboris, & auxilii reperturi ſint, qvam Elector credat. Vix qvoqve Luneburgicos medios fore, ſed in unam, aut alteram partem conceſſuros; certe autem Electoris partes haut optaturos. E Boruſſia Electori exercitum evocare haut integrum eſſe, ni novam è Livonia invaſionem meliore ſub duce expectare velit. Forte & Electori à Polonis non ſatis cautum, ac Regem omni loco, ac modo bellum perſecuturum, ubi ſemel in extrema proruptum fuerit. Nunc Electorem ſumma cum gloria poſſe arma ponere; ſed ubi cladis qvid acceptum fuerit, præter damnum iſtam qvoqve valde minuendam. Non minus glorioſum majori potentiæ, cui par non ſis, prudenter cedere, qvam inter arma incomparabilem vigorem exſeruiſſe. Eqvidem qvæ offerantur modica eſſe; ſed Electorem è renovata Regis amicitia tanto plus emolumenti capturum. Addendam qvoqve ſummam pecuniæ, & adverſus Svecos ſecuritatem præſtandam, qvos & ſua debilitas parum formidandos reddiderit. Totam Germaniam Electoris moderationi adplauſuram; cui contra valde acerbum ſit futurum, ſi ut iſte novas ditiones adqvirat, qvas omnes eidem invideant, ei diutius belli mala toleranda ſint.* Cum etiam eo tempore de morte Regis Sveciæ ſpargeretur, Colbertus negabat, eam ſummæ rerum qvid mutationis allaturam, qvod fœdus ſibi etiam cum Regno Sveciæ ſit. Iſte Rex cum extrema imminere viderentur, ſuos hortatus dicebatur, ut Principem aliqvem Germanum ætate plena, ac rerum uſu ſpectatum ſibi ſucceſſorem eligerent: qvo nomine præcipue in Erneſtum Auguſtum Luneburgicum, & Chriſtianum Albertum Gottorpienſem Ducem reſpexerat. Cum Meinderſius objiceret, tranſactione cum Luneburgicis à pacis Monaſterienſis legibus fuiſſe diſceſſum, Colbertus ſæpius dicta repetebat: Miniſtris Svecicis tanti viſum Boreallium fœderatorum vinculum eo pretio abrumpere, cum nondum conſtaret, num pax Cæſarea ſucceſſura foret. Et qvæ Elector acceptura ſit, longe pluris eſſe, qvam Luneburgicis conceſſa. Plura à Colberto extundi non poterant. Cæſarei dicebant: Viennæ ſibi injunctum Borealium pacem omni ſtudio promovere, ac ut Electori qvantum poſſit ſatisfiat; addito, ſi Elector qvondam Stetino ſe contentum fore declaraſſet, id ſe citra dubium ſua pace ſtipulari potuiſſe. Jenkinus qvoqve teſtabatur, omni ſtudio ſe connixum; ſed Svecos Stetino cedere nolle. Unde vix Electori qvid ſupereſſe, qvam tractum trans Oderam, & pecuniæ ſummam. Hunc tamen gloriæ ſuæ nil detracturum, qvin eam aucturum, ſi tranqvillando Chriſtiano orbi temporibus ſeſe accommodet. Tenuitatem conditionum armorum fama penſandam. Valedicenti Meinderſio Colbertus teſtabatur, Regem non plus Electori de bello partis relinqvere poſſe, qvam qvondam pacto Stetinenſi ſubtracta, qvod nullam viam repererit fidei Svecis data ſeſe exſolvendi. Aſt pace facta eum cum nemine arctius jungi cupere, qvam cum Electore, qvem præ omnibus orbis Chriſtiani Principibus æſtimet. Ea conjunctione Electorem ſuæ domui longe melius conſulturum, qvam belli continuatione, ac in ea ſolidam ſecuritatem inventurum. 1679.

6. Maij.

§. 74. Lutetiam cum perveniſſet Meinderſius, nil aliud audiebat, qvam Dano nil præter Hafnienſem pacem, Electori nil præter Monaſterienſem indulgeri poſſe. Luvoiſius Electoris vicem dolebat, qvod bello continuato non fortunas ſolum ſuas, ſed & partam gloriam evidenti ſit periculo expoſiturus. Nam Regem nunqvam id flagitii admiſſurum, ut tantæ dignationis fœderatum deſerat, qvi ſuorum qvidem miniſtrorum erratis in Galliæ tamen uſum in eam calamitatem inciderit; ac in cauſa ſit, hunc inſignem aliqvem locum amittere. Pomponius dicebat: Regem denuo, qvæ ipſe Neomagi Colberto propoſuerit, expendiſſe. Sed immotam ei ſtare ſententiam; qvanticunqve ſumtus in bellum ſint faciendi, ex qvo nil emolumenti, ſed fidei duntaxat expletæ gloriam qværat; non prius tamen arma poſiturum, qvam Svecos in ſtatum, qvi ante bellum fuit, repoſuerit. Tum exqvirebat, num qvæ preſſiora mandata habeat, qvod periculum in mora ſit, ac ſinguli dies Electoris ſubditis multis uncialium millibus conſtent. Meinderſius inde latus occidentale Cliviæ, aut ſi id

Lutetiæ eadem cantilena occinitur. 19. Maij.

1679. gratum non sit, partem Pomeraniæ offerebat. Pomponius: de Clivia Svecos audire nolle, qvæ & nulli usui iisdem sit. Stetino eos non magis carere velle, qvam Holmia. Meinderſius contra Stralſundam extollebat, qvam Sveci recuperent; ac istos jam antea Stetino cedere voluisse. Pomponius: tempora mutata esse, post fœderatorum ab Electore defectionem; ac Regem eam causam suam facere. Si maxime à Svecis fœderi satisfactum non sit, culpam non penes Sveciæ Regem, sed penes ministros, ac duces esse. Regis sui animum autem longe sublimiorem esse, qvam ut id innocenti, ac juveni Sveciæ Regi tribuere velit, aut inde ansam arripere promissa sua destituendi. Cum Meinderſius demonstraret, haut ita in proclivi fore Electorem evertere, qvi Westphalicas ditiones ad tempus pro derelictis habere decreverit: Pomponius reponebat; Regem omnes eas difficultates secum exegisse; sed fidem iis omnibus prævalere. Westphalicas provincias parum moræ facturas. Si pecunia sit, satis annonæ fore. In Ordinibus Imperii nil fiduciæ Electori collocandum; de qvo & ipse jam sat documentorum ceperit. Si qvis in partem belli venire velit, id Gallis parum curæ fore. Circa transitum per Brunſvicenſes ditiones minus difficultatum fore, qvam Elector credat. In Oldenburgicam iter per Monasterienſem agrum patere. Dano tædium belli brevi subiturum; ac iis vires suas versus Albim, ac Visurgim vertat, reliqvas ejus ditiones Sveco exponi. Præterea nemunem ex Imperii Ordinibus Pomeraniam, & Stetinum Electori non invidere, cujus gliſcens potentia ab istis limis oculis adſpiciatur; ac plures eidem inimicos esse, qvam credat, idqve bello extracto cum summo status sui periculo experturum. Circa parandum qvoqve novum exercitum in Livonia summo studio laborari, qvi mense Julio in Borussia futurus sit duce Kœnigsmarckio, in qvo Elector hautqvidqvam Henricum Hornium inventurus sit. Ista omnia Elector pro sua prudentia avertere studeret, cujus insigne documentum edendi nunc occasio sit. Offerebatur inde summa pecuniæ, & tractus trans Oderam, cujus diſerta mentio pace Westphalica facta non sit; circa qvem tamen cedendum adhuc Sveci tergiverſentur, Regemqve ad bellum continuandum stimulent, magnifice jactantes, uti Electorem in ordinem redigere velint. Tutam pacem, Regis amicitiam mille emolumenta parituram, tum gloriam Electoris tam alte evectam periculo, qvod è continuatione belli secuturum sit, longe anteferendam. 1679.

§. 79. Ipse Rex, cum Meinderſius eum alloqveretur, de singulari æstimatione, qva Electorem, ejusqve acta prosequatur, memorabat, ac *ut desideret veterem cum eo amicitiam instaurare. Dolere sibi, non sat mandatorum ipsi esse; & calamitatem ditionibus Electoris mox incubituram, qvod non amplius in prorogandas induciis consentire sibi integrum sit. Omnia se probe rutinasse, ac satis nosse, qvantum molestia belli continuatio sibi datura sit. Sed præponderare bonorem, & fidem suam, qvæ plura sibi offerre haut permittat. Forte & brevi longe duriores pacis conditiones fore. Qvamdiu Elector Stetino insistat, nil ei officii à se præstari posse. Et qvia ipse ideneus mandatis instructus non sit, molestum sibi esse, iter hoc frustra ab eo sumtum; eoqve primum hoc alloqvium valedictionis qvoqve vicem subiturum; ac ita ipsum res suas disponere posse, ut intra qvatriduum iam relegat.* Adversus ista qvicqvid regereretur, frustra erat. Nec ferre volebat Rex, ut Espencæus ad Electorem excurreret. Nam qvod natione Gallus, & illustri loco natus esset, Svecos suspecturos, peculiare qvid cum Electore in ipsorum fraudem tractari. Demum tamen Rex, postqvam cum Pomponio locutus esset, consensit, ut Meinderſius per tres septimanas Lutetiæ morari posset, Electori de actis misso cursore relaturus. Interim continuando bello ingentes paratus fiebant. Angli, Belgarumqve officium, qvod pro Electore interponebatur, nauci fiebat. Literæ, qvas ad Regem Elector dederat, ipsi valde placebant, & ab omnibus Gallis laudabantur; sed ideo circa semel placita nihil remittebatur. Ingentes qvoqve pecuniarum summæ in Borussiam trajiciebantur, ibi ab Akakia ulterius in Svecorum usus dispeusandæ. Christianus qvoqve Meclenburgicus Dux Regi Dœmitzam transitum Albis firmaturam obtulerat. Cum itaqve ab Electore Pomerania utiqve restituenda videretur, aliqvi svadebant, munitiones oppidorum dejiciendas, ac machinas abducendas, qvod inter tractatus plerumqve conveniatur, ut loca in præsenti statu restituantur. Sed uti Elector circa machinas id consilium seqvebatur; ita munitiones urbium destruere haut placebat, ne Gallus magis irritaretur, & qvia Vesaliæ, & Lipstadio paria reponi poterant. Qverebatur etiã Meinderſius de barbara militis Gallici in Electoris subditos immanitate, qvi inter alia eorum, qvi penatibo profugerant, prata aratro

1679. tro proſcindebant, multos provincialium trucidabant, libidine in fœminas graſſabantur. Ad qvæ Pomponius: *iſta fieri jure belli, & per militarem licentiam, ad qvam leges Chriſtiana humanitatis ſeſe haut porrigant.*

Elector neceſſitatem cedit. 3. Jun.

§. 76. Elector immobili Gallorum duritie intellecta ſatis perſpiciebat, iſtam ſibi calamitatem à fœderatorum defectione provenire. Et ab initio belli nil aliud ſpectatum fuerat, qvam inſtauratio honeſtæ, ac firmæ pacis. Ne qva ergo in ſe mora eſſet, demum Citeriorem Pomeraniam Svecis reſtituere decrevit. Sed ſumma difficultas circa Stetinum vertebatur, qvod non tam lucri, qvam ſecuritatis cauſa deſiderabat. Ejus urbis cauſa num bellum perſeqvendum foret, in conſultationem deducebatur. Qvi eam qvantocunqve pretio retinendam ſvadebant, haut leves rationes adferebant. In expugnandam eam urbem ingentes ſumtus factos. Eam opportuno cumprimis ſitu eſſe non ob commercia ſolum, ſed & tegendæ Marchiæ, & Ulteriori Pomeraniæ; tum bello juſtiſſimo adqviſitam. Etiam à Gallis, & Svecis agnoſci æqvum eſſe, ut Electori ſatisfiat. Idem multis Imperii decretis probari. Inſigne moderationis ſpecimen eſſe, qvod cum Elector totam Pomeraniam, antiqvum Domus ſuæ patrimonium ſibi ante extortum, recuperarit, ſolo Stetino contentus eſſe velit. Eſſe Cæſari adhuc exercitum in Imperio, qvi ex fœdere, ac decretis Ratisponenſibus indemnem ipſum præſtare teneatur. Difficile fore Gallis bellum uſqve ad Albim promovere. Alia eis obſtacula ex transverſo intervenire poſſe; & langvidius pro alienis certaturos. Dano ſupereſſe vires terra mariqve, qvi ob locorum intercapedinem Gallum non metuat. Sveciam viribus exhauſtam, cui & qvam maxime pace opus ſit. Contra diſſerebatur: Electorem ſolum ſuſtinendis Galli viribus imparem; cui & in præſens nullus ſit hoſtis, qvi eum diſtrahere poſſit. In ejus manu jam egregias Electoris urbes, ac provincias eſſe, nec reliqva Weſtphaliæ moram facturæ. Periculum eſſe, ne bello extracto inſignes ditiones Brandenburgicæ domui adqviſitæ iis in prædam cedant, qvi dudum iſtis inhiarunt. Sane conſtabat, à Saxone apud Gallum agi, ut pro Juliacenſi prætenſione Magdeburgica ſibi ditio concedatur. Facile qvoqve Gallo fore argento hoſtes Electori excitare, qvibus prætextum nunqvam defuturum ſit. Novam qvoqve invaſionem è Livonia Boruſſiæ intentari; qvæ

Conſultatio, num Stetino ſit cedendum.

Sveco eo facilior futura ſit, qvod in Scania nil amplius ipſi metuendum ſit, plerisqve Dani copiis in Holſ. tiam translatis. Parum qvoqve Polono, & pactis cum ea Rep. confidi poſſe. Et qvia Boruſſia tanti ſit, maximam ibi exercitus partem relinqvendam, invalido provinciali milite; & anteqvam is huc perveniat, Mindam, & Magdeburgum periiſſe. Bello qvoqve continuato qvod copiarum Electori in Weſtphalia eſt, in angustias redactum iri, imminente inde Creqvio, hinc Brunſvicenſibus tranſitum negaturis. Electorem ab omnibus deſertum, excepto Dano, cui domi ſat negotii: nuſqvam ſupplementa, hoſpitia, pecuniam. Omnes pacem ſvadere, ac judicare, inter omnes fœderatos ab Electore honeſtiſſime arma poni. Eqvidem tenues videri conditiones, ſi conſiderentur, qvæ ab Electore reſtituenda ſunt. Aſt continuato bello forte durioribus adqviescendum. Jam Electorem aliqvid recipere, ſuper qvo olim acriter diſceptatum fuerit; ditiones ſuas è Gallorum manibus liberare; Boruſſiam conſervare; à reliqvis provinciis exitium averruncare; gloriam bello partam conſervare. Bello continuato Galliam arctius Sveciæ illigari, qvam nunc ab hac divelli poſſe ſpes ſit. Internam qvoqve ſtatus noſtri debilitatem conſideram- 1679.

dam. Omnes provincias exhauſtas; pecuniam deficere; Belgas, & Hiſpanos nihil dare; qvæ mutuo ſumantur haut longe pertingere. Militiam in ſingulos menſes ducentena uncialium millia reqvirere, præter reliqvas erogationes. Aſt collapſa militia armis parta ultro corruere. Deniqve qvanticunqve taxetur Stetinum; num tamen propter id ſummam rerum aleæ exponendam? Et adhuc de lucro adqvirendo agi. Inter eas rationes prudentibus qvantivis videbatur, Svecos Gallorum amicitia dimoviſſe, qvi Gallicis ſubſidiis exuti haut facile vires recollecturi ſint. Ita demum, qvamvis ægerrime Elector Stetino cedere decrevit, ut tamen manum calamo admovens non ſine gemitu literas ſe neſcire optaret. Meinderſius ſimul comiti jubebatur, ut ſumma pecunia augeatur ad millionem uncialium; ut Damnum, & Golnoa ſibi detur, & exigua inſula Criſtoa ante Camminum ſita: ut Wollinum ſibi relinqvatur, qvod Electrici à ſe donatum ſit, ac ſumtus in Stetinum facti ſarciantur. Deniqve ut abſoluto tractatu Gallicus miles protinus cum modeſtia ſuis ditionibus excedat; utqve Veſalia & Lipſtadium in eo ſtatu reddantur, qvi fuerat, cum Gallis traderentur. Contra ſe omnes machinas è

1679. Pomeraniæ oppidis abducturum, qvod & Galli Belgicis in urbibus fecerint. Ac satis habituros Svecos, si urbes integris munitionibus, ac portubus non obstructis accipiant. Addebatur, ut Meinderſius pariter cum Dano pacem concludat. Sed si ablegatus Danicus Meiercrona in eam rem mandatis non sit instructus, non qvidem pacem suam adornare omittat, Dano tamen facultatem stipuletur suam qvoqve pacem perficiundi, nec nisi junctim cum ipso subscribat. Ubi id obtineri neqveat, saltem spatium ratihabitioni permutandæ eo porrigat, qvo interim & Danica pax absolvi qveat. Commodum Lutetiam adferebantur hæc mandata in fine termini à Gallo præfixi, non parum ingravescente negotiatione, qvod jam duo milliones in expeditionem contra Electorem expensi essent. Ac mirabatur Pomponius, tamdiu deliberationibus extractum, qvod declinari non posse cernebatur, cum singuli dies Electoris civibus multis uncialium millibus constent. Ac Svecos qvotidie Regem obtundere; ne cum Electoris provinciis aliter agatur, qvam ipse in Pomerania egerit; utqve tractatio plane abrumpatur. Ac ubiqve talia consilia agitari, qvæ non possint non in Electoris exitium erumpere.

1. Jun.

Electoris temperamenta à Gallo rejiciuntur, 18. Jun.

§. 77. Meinderſius tamen, ne qvid intentatum relinqveret, scripto temperamenta, per qvæ Svecis pro Stetino satisfieri posset, proponebat. Sed ei responsum: talibus tempus incassum teri. Regem qvæ sibi sententia tam circa Svecorum restitutionem in universum, qvam circa Stetinum sedeat, aliqvoties declarasse. Ex ejusmodi propositis nil aliud colligi, qvam temporis tantum extractionem qværi, cujus si unqvam nunc maximum pretium sit, ut ne per horam qvidem tanti negotii conclusio differri debeat. Ac utrinqve multis millionibus æstimandum fuisse, si maturius, ac justo tempore negotium absolutum fuisset. Regem tunc pecuniis, qvæ aliis datæ sint, magnisqve expensis in Westphalia, & Livonia parcere potuisse. Nunc plerisqve licet sumtibus jam factis Regem ex animi magnitudine oblatis conditionibus stare, sed ea expressa lege, ut negotium nunc citra moram absolvendum sit. Ferri ejusmodi licitationes posse, hieme, aut expeditionis initio, & anteqvam una pars alteri extremam sententiam declaraverit. Sed præsenti rerum statu omnes moras amputandas, nec aliud remedium supereſſe armorum violentiæ sistendæ, qvam promtam pacem. In Borussia Electoris res tanto in periculo versari, ut antea unqvam. Ei tutandæ dum exercitus ibi moratur, ditiones ad Oderam usqve nudari, qveis & ipsis majus periculum immineat, qvam credi qveat. Res ibidem ita dispositas, ut non possint non effectum, qvem intendunt assequi; ac non nisi subscriptione, & exsecutione pactorum opus esse, qvæ non in hiemem differenda, sed protinus suscipienda sit. Igitur sententiam in alterutram partem è vestigio declarandam. Moram pro ruptura acceptum iri. Cum ergo nil aliud supereſſet, Meinderſius negotium de Stetino in Regis arbitrium conferebat, id qvod huic valde placebat. Addiderat Meinderſius nonnulla postulata, circa qvæ cum Pomponio disceptabatur. Ad qvæ Pomponius: mirum sibi videri, qvare hæc negotiatio tamdiu extrahatur, eoqve difficilior, ac fere ingrata reddatur. Se jam acriter à Svecis urgeri, ne Electori vel latus pes terræ, vel teruncius detur; qvod res jam ita disposita sit, ut non solum sperent se amissa armis recuperaturos, sed & damni reparationem obtenturos. Cessionem tractus trans Oderam utriqve Regi contumeliosam, sibi valde noxiam, velut qvi tribus millionibus æstimetur; ac sibi per expressa mandata solenniter contradicendum. Haut eo minus Regem media via incessurum, ac temporibus licet valde mutatis, ac per Electoris tergiversationem multorum myriadum damno ipsi facto, promissa sua generose impleturum. Sed plura non petenda, ac pacem Westphalicam fundamenti loco ponendum, sicuti apud cæteros factum sit.

Pax concipitur.

§. 78. Ita demum ad concipiendam pacis formulam accedebatur. Ubi primo de loco tractatuum differebatur. Pomponius censebat, brevissimum fore, ut cum Galliæ Rege heic tractetur; qvæ Svecos spectent, Neomagi posse expediri; ac Regem sponsorem fore, conventa utrinqve impletum iri. De induciis non prius agi posse, qvam pax absoluta fuerit. Ad capita scripti à Meinderſio exhibiti Pomponius declarabat, Regem Electori adversus omnes insultus cauturum. Wollinum insulam, qvam Electoris conjux tunc possidebat, per Instrumentum Pacis concedi non posse, ac Regem huic alibi gratificaturum: nec congruere, ut penes Electorem ejus insulæ dominium utile, penes Svecos jus territoriale sit. Circa pecuniæ summam Regem facturum qvantum possit; ac decuplo plus facturum fuisse, si Elector mature oblata acceptasset. Damnum abnuebatur, velut exterius Sterini propugnaculum. Super

Golnoa

1679. Golnoa demum idem temperamentum placebat, qvod circa Wilzhusam cum Monasterienſi adhibitum fuerat; nam id pignus nunqvam reluendum. Nolebat tamen Meinderſius totum tractum Trans-Oderanum jure hypothecæ, qvod Pomponius volebat, admittere. Chriſtoam inſulam tanu non eſſe, ut de ea litigetur. Ut fluvius Odera ad Svecos, & Electorem pariter pertineat, & penes hunc ripa orientalis ſit, leges pacis Weſtphalicæ non permittere. De participatione vectigalis maritimi in Ulteriore Pomerania Gallis nil conſtabat; nec qvi Lutetiæ tunc erant Svecici miniſtri de eo informati erant; id qvod Meinderſio haut incommode accidebat. De Cammino oppido Pomponius cenſebat hoc tractatu nil exprimendum, ne Sveci importune contradicant, qvi alias hanc tractationem abrumpi cupiebant; ſed ſatius fore laxis verbis poni, ad Electorem omnia illa redutura, qvæ pace Weſtphalica expreſſa non ſunt. Pacto Stetinenſi hac pace derogari in partibus antea nominatis. Ejusmodi autem tractatus ita ſimpliciter abrogari more haut receptum; ac forte Electori qvoqve aliqva jura ex eo qvæſita. Ac parum intereſſe abrogare pactum, an ei derogare; præſertim ubi primaria ejus parte abolita, qvæ ſuperſunt, non expreſſe iterum confirmentur. Qvæ oppidis Pomeraniæ ab Electore illata ſint, iterum auferri poſſe: ſed qvæ ad Svecos antea ſpectaverint, ibi relinqvenda. De *meliorationibus* prædiorum, & ſumtibus in ædificia tam ſolennibus tractatibus tangi non ſolere; ac Electorem decuplo plus damni dediſſe. Voluerat qvoqve Meinderſius Electori prætenſiones ſuas contra fœderatos reſervare, ex abruptis fœderibus natas. Sed Pomponius oſtendebat; Regi in animo non eſſe Electoris juribus ullo modo derogare, ſed ea utiqve illibata perſiſtere, utut hoc tractatu non reſerventur. Id qvod etiam non congruat, qvod ea jura ex fœderibus contra Galliam initis orta ſint, qvorum impletionem urgere, aut ex iis natas obligationes Rex agnoſcere non poſſit. Polonum ad pacem cum Electore colendam hortandum. Juſſerat Elector, ut pax cum Dano eodem tempore perficeretur; qvo fine Meiercrona hunc tractatum extrahi cupiebat. Sed cum præſens rerum conditio, & qvæ ipſi in oculos, auresqve incurrebant, demonſtrarentur, nil habebat, qvod reponeret. Ac in Gallia tunc omnia pro imperio, ac prout libido ferret, agebantur, inſuper habitis rationibus qvantumvis graviſſimis, qvibus omnibus nil aliud opponebatur, qvam Regi aliter placere. Ac melius facturi fuerant Dani, ſi tractatus ſuos in Gallia, aut Neomagi perfeciſſent, qvam qvod eos in Scaniam pertraxerint non ſine varius moris atqve confuſionibus. Ac ipſi Galli mirabantur, qvare Dani eo ſe induci paſſi fuerint, cum ſatis difficile Svecorum ingenium noſſent. Ac revera ſummum in mora periculum erat, qvod non ſolum irrita nunc pace omnia prius oblata retractanda forent, ſed & niſi perfecta pace ceſſatio ab hoſtilibus obtineri non poſſet; ac interim Mindam perituram, ac Electoris copias ad Viſurgim ſummum periculum incurſuras. Porro in ſua formula Pomponius poſuerat, ut Elector actiones ſuas contra Meclenburgicum, Lauenburgicum, Præſulem, & civitatem Lubecenſem, Comites Lippiæ, & Hamburgenſes non vi, ſed juris via perſeqveretur. Id qvod inſtinctu Luneburgicorum factum erat, poſtqvam Elector aliqvot Hamburgenſium navibus manus injeciſſet. Qvo de negotio Colbertus Neomagi judicaverat, facile Regem diſſimulaturum, ut Elector è captis navibus ſolutionem ſuam qværat: ſed non facile Cellenſi in pace aliqvid emendatum iri. Aſt Meinderſius oſtendebat; eam cauſam huc non ſpectare, velut qvæ jus tertii tangat; ac Cæſaris & Imperii cognitionem eſſe. Rebenacio indolem negotii haut ſatis fuiſſe perſpectam, & eundem à Luneburgicis ſeductum de iſto paci Cellenſi ut inſereretur paſſum. Sane Duces qvæ ipſi fecerint, in aliis improbare non poſſe; qvi prætenſiones ſuas contra Francofurtum ad Mœnum, & alias civitates Imperiales ſat rigide exegerint; & Oſnabrugenſem adhuc qvosdam cives Colonienſes in cuſtodia detinere, qvod ea civitas à Cæſare aſſignata exſolvere abnuat. Ac æqve abſurdum eſſe, eos Duces plus ſibi juris in eam urbem arrogare, qvam ipſum Cæſarem, dum hujus decreta irrita reddere nituntur; qvam eandem oneribus Imperii ſeſe ſubtractum ire, cum tamen hujus libertate gaudere velit, ac opes Germaniæ per commercia ad ſe trahat. Sed Pomponius in eo negotio moderationem adhibendam ſvadebat; ac id ejusmodi verbis exprimi poſſe, qvibus parum ponderis inſit; nec Regem circa id valde laboraturum. Ac commodiſſimum fore abreptis navibus ſolutionem qværere; facta haut reſciſſum iri. Addebat Pomponius, ut omnia privatorum bona ac jura ſalva ſint, prout & Rex in maximo flore ſuæ fortunæ cum Hiſpanis nunqvam aliter tractarit, qvam ſalvis privatorum juribus, ac in noviſſimis tractatibus circa reſtitutiones

1679. eo modo conventum. Sed qvæ jura corona Sveciæ in locis cessis habuerit, ea pleniſſime, ac ſine ulla exceptione in Electorem devolvenda.

Tractatus perficitur. 19 29 Jun.

§. 79. Tandem ad abſolvendum tractatum accedebatur, qvem Meinderſius magnam partem in Pomponii conclavi perficiebat. Ubi hic primum interrogabat, num ipſi utiqve animus ſit negotio colophonem imponere? Id enim aut nunc perfici, aut plane abrumpi oportere; ac ſe jam vereri tam ſæpe ad Regem de eo referre, qvod indies moleſtius ac difficilius reddatur propter Svecorum contradictionem, & qvia iſti aulæ tunc non ſolitum multa cauponari. Cum inde ad rem accederetur, Pomponius articulo IV, qvo Weſtphalica pax confirmatur, Neomagenſis qvoqve pacis mentionem fieri cupiebat. Sed Meinderſius id delendum monebat, qvod Elector proteſtatione contra eam interpoſita omnia ſibi jura contra Cæſarem & Imperium reſervarit. Circa Golnoam demum Meinderſii temperamentum admittebatur; ac declarabat Rex, qvia non poſſit Electori circa Wollinum gratificari, id oppidum in pignoris vicem penes eum manſurum. Super Camminenſibus præbendis Meinderſius nil amplius movere conſultum ducebat, qvod ceſſio locorum trans Oderam poſitorum ejusmodi verbis concepta ſit, ut Svecia nullum jus qvocunqve nomine in ullum iſtorum retineat; modo præbendæ illæ trans Oderam ſitæ ſint. Super participatione vectigalis in portubus Ulterioris Pomeraniæ major difficultas ſurgebat, qvod neqve Galli, nec miniſtri Svecici de eo informati forent; niſi qvod iſti ſatis caperent, durum atqve abſurdum eſſe ullo jure vectigalium alieno in territorio frui. Ac dubitabat Meinderſius rationem, qvam Sveci ex Inſtrumento pacis allegare ſolent, ſuggerere. Qvanqvam enim ad iſtam ſatis reſponderi poſſit, tamen plus difficultatum movendum erat, ſi Sveci iſtas pacis Tabulas allegare ſciviſſent. Ad extremum cum Meinderſius confirmaret, ex eo vectigali non ultra V M uncialium annua redigi, Rex in id conſentiebat. Sed qvia Pomponius metuebat, ne Sveci eo nomine graviter tumultuarentur, ante perfecta omnia iis de hoc nihil ſignificare volebat. Exercitum Gallicum Pomponius in Electoris ditionibus Weſtphalicis tamdiu ſubſiſtere cupiebat, qvoad pax iſthæc plene exſecutioni data fuiſſet, cauſatus, forte controverſiæ qvid circa redditionem locorum Pomeraniæ ſurrecturum: cum autem Rex Svecis iſthæc præſtare teneatur, 1679. maximis ſumtibus exercitum iterum eo adducendum. Demum hactenus cedebat Gallus, ut poſt traditam hinc inde ratihabitionem maxima exercitus pars abduceretur, reliqva in iis provinciis perliſteret; id qvod Meinderſius impenſe deprecabatur. Potentiorem cautione non opus habere adverſus debiliorem; ac Electorem bona fide conventa impleturum. Poſt longam diſceptationem demum convenit, ut Veſalia, & Lipſtadium ad permutationem usqve ratihabitionum Gallico milite inſideantur, inſuper in omnibus provinciis non niſi mille eqvites manerent, qvibus nil præter tectum, pabulum, panis, & cereviſia præbenda ſint. Contra Electoris copiis in Pomerania nec modus, nec vivendi ratio præſcribebatur. Ratificationi cum Svecis tres menſes præfigebantur; in qvam ſi Elector conſentiret, iſta qvoqve hoſpitia militaria ceſſatura erant. Et qvia Danica pace nondum perfecta Sveci copias mari in Pomeraniam trajicere non poterant, Galli petebant, ut hisiter è Livonia per Electoris terras concederetur, omnibus qvæ præbeantur præſenti pecunia ſolvendis. De qvo ad Electorem Meinderſius relaturus erat. Super machinis qvoqve controverſia erat. Nam initio Gallus cenſebat, Electori è munitis locis auferre fas eſſe, qvæ intulerit: ſed qvod machinarum tempore occupationis ibidem fuerit, Svecis reſtituendum. Sed noſter reponebat; Gallum etiam ex Hiſpanicis urbibus omnes machinas abſtuliſſe. Demum placuit, ut ibi manerent, qvæ nunc ibi inveniantur. Circa Hamburgenſe negotium impediri non poterat, qvo minus inſereretur, qvod Celleniſi pace de eo conventum foret. Verba tamen ita aptabantur, ut Electori nil præjudicii metuendum foret. Ut Danica qvoqve pax perficeretur, Meinderſius moram aliqvam interponi cupiebat. Sed id nullo modo obtineri poterat, & jam curſor in procinctu ſtabat, Creqvio mandata perſeqvendis hoſtilibus allaturus, ni eo momento pax concludatur. Igitur præſentiſſimo malo declinando tractatui colophon erat imponendus. Qvo facto ad Creqvium mandata mittebantur, ut hoſtilibus ſuperſedeat, qvamprimum hanc ſignificationem acceperit. Negotio perfecto Luvoiſius dicebat; non aliter ſe credidiſſe, qvam Regem ob tot tergiverſationes, ac totiens ingeſta poſtulata demum conſumta patientia tractatus abruprurum. Pomponius valde ſe Svecorum expoſtulationes metuere ferebat; unde per triduum

in

1679. in eorum conſpectum non venturum. Qvi & poſt cum iisdem ſuper ea pace verba haut faciebat, nec exemplum communicabat, ſed id percurſorem in Sveciam ad Feuqvierium mittebat. Ut porro Gallicus miles eo citius Electoris ditione excederet, inſtabat Meinderſius, ut ratihabitio protinus ad Creqvium mittatur, qvo Electoris qvoqve ratihabitio ad eundem miſſa ibi protinus permutari poſſet. Ut pecuniæ ſumma augeretur Meinderſius multis demonſtrabat, qvæ Electoris Weſtphalicæ ditiones tolerent; Luneburgicis plus datum; Eſpencæo majorem ſpem factam. Sed reponebatur: damna, qvæ Rex è noviſſima dilatione ſentiat, & ſumtus, qvi in Boruſſia, Livonia, & alibi faciendi fuerint, longe pluris, qvam Electoris damna eſſe; qvæ & Elector non Galliæ Regi, cujus res non agatur, ſed propriis tergiverſationibus in acceptis ferre debeat. Luneburgicos Duces Electori à Rege haut æqviparari; ſed iis ideo tantum pecuniæ datum, qvod primi è Boralibus fœderatis pacem amplexi ſint, ac abrupto ſemel vinculo reliqvis ſeqvendi neceſſitatem attulerint. Promiſſa Eſpencæo tunc facta, cum Cæſar, & alii adhuc in bello perſiſterent; ac Regem optaſſe iſta ab Electore acceptata, qvo tempore lautioribus conditionibus potiturus fuerat. Sed cum oblata reſpuerentur, & enormia poſtularentur, in moleſtas conditiones cum Luneburgicis tranſigendum fuiſſe. Inde tempora inſigniter mutata.

Pax Sveo-Germanica.

§. 80. Ejus pacis Inſtrumentum tale erat.

In Nomine Dei Creatoris, & Sanctiſſimæ Trinitatis. Notum ſit univerſis. Cum Celſiſſimus, Sereniſſimus & Potentiſſimus Princeps ac Dominus LUDOVICUS XIV Dei gratia Rex Franciæ & Navarræ, nihil magis in votis habeat, qvam cernere, ut tranqvillitas generalis poſt tam diuturnas & cruentas diviſiones, qvibus Europa agitata fuit, reſtituatur, Majeſtas ſua cum tædio deprehendit, qvod ultimi tractatus Noviomagi, in ſpecie cum Imperatore & Imperio ſubſignati, flagrantem in Septentrione belli ignem extingvere neqviverint, & qvod neceſſe habuerit arma ſua adhuc contra Electorem Brandenburgenſem circumferre. Qvandoqvidem vero in ipſo medio ultimarum turbarum ipſa tantam æſtimationem, in qva apud eandem erat, Principi huic, inclinationemqve ſinceram recipiendi eundem in priſtinum fœdus, qvando & qvoties ſeſe illud redintegrandi animum accommodaret, huic conſervarat; Ipſam magno cum gaudio ſigna per Dominum Meinaers, Conſiliarium ſuum, & Miniſtrum ſtatus, atqve legatum extraordinarium ſuum ad Majeſtatem ſuam data extremi deſiderii, qvo tenetur, eodem apud illum in loco, qvem antea in numero fœderatorum ſuorum obtinuit, mediante pace eſſe, & eandem obſtringere cum ipſo in poſterum eandem exercendæ amicitiam, cujus tanta ſigna ea ipſa edidit. Qvemadmodumqve Majeſtati ſuæ nihil intererat cum Serenitate Celſitudinis ſuæ Electoralis Brandenburgenſis rem habere, ſi non ob cauſam communem cum Celſiſſimo, Sereniſſimo, & Potentiſſimo Principe CAROLO, Dei gratia, Rege Sveciæ, atqve Celſitudo ſua Sereniſſima jam dicta Ipſi teſtatum feciſſet, qvod propoſitum ſibi ſit, ſancire ſinceram, & ſolidam cum altiſſime memorato Rege, ita Majeſtatem ſuam lubenti animo tam ratione ſui ipſius qvam Regis Sveciæ deſcendere ad diſcuſſionem præſentis tractatus pacis voluiſſe, & ob id ipſum commiſiſſe Domino Arnauld, Eqviti Torqvato, Domino de Pomponne, Conſiliario ſuo in omnibus conſiliis, & Secretario ſtatus, & mandatorum Majeſtatis ſuæ, ut cum Domino Meinders tractaret, & conveniret. Hosqve ipſos poſt plenipotentiarum ſuarum permutationem in articulos concordaſſe ſeqventes. I. Sit in poſterum pax, & amicitia qvædam bona, firma, & durabilis inter Regem Chriſtianiſſimum, Regem Sveciæ, & Electorem Brandenburgenſem, ſuos ſucceſſores, Regna, ditiones, Status & ſubditos, cum mutua qvadam, & omnimoda libertate commerciorum tam terra, qvam mari, & aliis in aqvis. II. Sit ſimiliter amneſtia, & perpetua oblivio omnium ab una altera parte occaſione belli perpetratorum, idqve etiam apud ſubditos, qvi partes adverſas ſecuti fuerunt. III. Ab omnibus hoſtilitatibus ceſſent partes intra decendium qvam citiſſime poſt ſubſignationem præſentis tractatus, aut etiam citius, ſi de hoc interea Generales exercitibus unius alterius vè partium præfecti certiores reddi poterunt, ut tamen dicti exercitus non teneantur ditionibus, qvas occuparunt, excedere, ſicut anis vivere, & ſubſiſtere ad commutationem uſqve ratificationum præſentis tractatus ipſis integrum ſit. IV. Et qvemadmodum tractatus Weſtphalici ſemper tanqvam ſolidius, & totius fundamentum pacis, tranqvillitatis in Imperio ante oculos habendi erunt, & Majeſtas ſua Chriſtianiſſima declaravit perpetuo durante ipſo decurſu belli intentionem ſuam eſſe, omnibus viribus illos ſuſtentare, & tueri, & Rex Sveciæ eodem modo ſe explicavit, atqve Elector Brandenburgenſis teſtetur, in cogitationem ſuam cum in concordare, ita expreſſe per hunc articulum ſtipulatum fuit, qvod dicti tractatus Monaſterienſis & Oſnabrugenſis anno 1648.

1679.

1679. *conclusi robur, & vigorem obtineant, & repetita censeantur in praesenti tractatu, non secus ac si de verbo ad verbum huic inserta fuissent, exceptis solum mutationibus, quae iisdem in sequentibus articulis allata forte erunt. V. Elector Brandenburgensis promittit mediante praesenti tractatu iterum in manus Regis Sveciae tradere armis suis in Pomerania occupata, nominatim civitatem Stralsundensem, & Stetinum, & generaliter omnia ea, quae nunc possidet, territoria & Status in Imperio, Coronae Sveciae in tractatu Westphalico cessa, sic ut eorum nihil servet, & retineat. VI. Sed cum censebatur necessarium fore ad vicinitatem bonam conservandam, & impediendas in posterum controversias, quae communiter inter Principes ob nimiam commixtionem territoriorum, & Statuum suorum nasci solent, ut novi limites Pomeraniae, quae dominationi suae Celsitudinis Electoralis Brandenburgensis subjecta est, ponantur, desuper ratio ineatur, prout sequitur. VII. Omnes ditiones à Corona Sveciae possessae, sive eidem per tractatus Westphalicos esse fuissent, aut adjudicatae per Recessum aut tractatum Stetinensem anno 1653 erant, pertinebunt posthac ad Electorem Brandenburgensem cum superioritate omnimoda; exceptis solummodo civitatibus Dam, & Golnau, & eorundem dependentiis, quae in dictis tractatibus Westphalicis nominatim expressae sunt. VIII. Verum urbs Golnau cum suis dependentiis, ditionibus, quae penes Electorem Brandenburgensem manent, quasi insertae reperiatur, quare etiam ille contendit, ut ea ipsi cedatur cum parte reliquae ditionum ultra Oderam, condictum & concordatum fuit, quod dicta civitas Golnau cum suis dependentiis ipsi pignoris loco à Rege & Corona Sveciae pro pretio & summa L M imperialium, ad placitum Regis Sveciae luendum relinquatur sub expressa hac conditione, ut si quando Rex Sveciae statuet dictam summam L M imperialium exsolvere, teneatur, & obstrictus memoratus Elector sit restituere dictam civitatem Golnau, & dependentias suas; ut tamen toto tempore, quo contractus ille pignoratitius durabit, illa utatur fruatur eodem modo, quo omnibus aliis ipsi per praesentes tractatus cessis. IX. Et sicuti vi supra mentionati tractatus sive Recessus Stetinensis in anno 1653 Elector Brandenburgensis adstrictus fuit ad divisionem jurium & vectigalium, quae in portu Colbergensi, & aliis portubus, & oris Pomeraniae ultra Oderam recipiuntur, & sub potestate Celsitudinis suae Electoralis Brandenburgensis manent, cum Rege & Corona Sveciae faciendam, concordatum fuit, quod Rex & Corona Sveciae renuntiet per praesentem tractatum omni juri divisionis vectigalium, quae communia cum Electore Brandenburgensi habere poterit juxta Recessum sive tractatum Stetinensem in portubus aut ore ejus partis Pomeraniae, quae secundum tractatus Westphalicos penes memoratum Electorem manent. X. Vigore praecedentium articulorum Rex Sveciae tam pro se, quam suis haeredibus, successoribus, & quos id concernit, renunciando cedit, relinquit, & transfert semper, & in perpetuum vi praesentium pacis tractatuum in Electorem Brandenburgensem, suos haeredes, successores, & quos id concernit, omnia jura, reditus, obventiones, jurisdictiones & prarogativas, cujus nominis, & naturae ea esse queant, quae sibi competebant, aut quae pretendere tam vigore tractatuum Westphalicorum, quam conventionum, transactionum & cessionum, in specie tractatus sive Recessus Stetinensis in anno 1653 potuit, ratione locorum, civitatum, territoriorum, sylvarum, & dominiorum ultra fluvium Oderam sitarum, & divisionis jurium vectigalium in portubus, & oris Pomeraniae Electoralis, exceptis solummodo civitate Dam, suisque dependentiis, & Golnau cum suis dependentiis; juxta dispositionem tamen desuper in articulo VIII praesentis tractatus factam, sine reservatione, exceptione, restrictione, aut retentione ulla; & non obstantibus legibus, contractibus, conventionibus, transactionibus, cessionibus, & indefinitis praecedentibus, & futuris, consuetudinibus, & constitutionibus in contrarium quibuscunque, utpote quibus, ut & clausulis derogatoriis expresse vi praesentis tractatus derogatum esto, exclusis in perpetuum omnibus exceptionibus, quocunque jure, titulo, clausulis, & praetextibus ea fundata esse poterunt. XI. Consentit quoque Rex Sveciae, ut omnes homines, vasalli, & subditi dictorum locorum, urbium, & ditionum, per praesentem tractatum alte memorato Electori Brandenburgensi cessorum ex nunc & in perpetuum immunes, & absoluti sint, maneantque à fide, & homagio, servitiis, & juramento fidelitatis, quod ipsi praestitisse potuerunt, maneantque dicti subditi, & vasalli in posterum sub supremo dominio Electoris Brandenburgensis in proprietate vera, & possessione bonorum suorum, tam illorum, quae ipsis donata, vendita, aut in eos alienata per Regem & Coronam Sveciae ante denuntiationem praesentis belli fuerunt, quam illorum, quae acquisiverunt, aut ad ipsos pertinebant quoad proprietatem, tam mobilium, quam immobilium, redituum vitalitiorum, & redimibilium, confiscatorum, & occupatorum tam occasione belli, quia propterea quod partes adversas secuti fuerunt, & in genere omnium suorum jurium, actionum, & successionum ad eos devolutarum ab exordio ipsius belli, ut tamen ratione fructuum, redituum praesentium,* 1679.

1679. *ab eo tempore, qvo confiscata sunt, dictorum bonorum, ad diem usqve commutate ratificationis Regis Svecia, prout nec debitorum, effectuum, & mobilium, qvæ in fiscum redacta sunt ante dictam diem ob præsens bellum, nil qvicqvam exigere, aut prætendere valeant, in tantum, ut nulli creditorum ejusmodi debitorum, nec ulli depositario, proprietario, & ipsorum hæredibus, aut qvos id concernet, fas sit persequi, aut restitutionem, recuperationem, aut pretium æqvivalens postulare. XII. Odera studium di dispositionis in tractatibus Westphalicis semper sub supremo dominio Regis & Coronæ Svecia permaneat, nec integrum esto mentionato Electori Brandenburgensi extruere aliqvod munimentum, aut locum aliqvem in districtu regionum per præsentem tractatum ipsi cessuram, propugnaculis firmare. XIII. Statim post commutationem ratificationem à Christianissima sua Majestate cum Electore Brandenburgensi factam, Majestas Sua efficiet, ut copiæ suæ militares abscedant ex ditionibus, & locis Ducatus Clevensis, Principatu Mindano, Comitatu Marcæ & Ravensberga, & aliis omnibus territoriis dicti Electoris, qvæ ipse occuparunt, excepto tamen exercitu Mequitum, qvem ipsa servabit in prædictis ditionibus & locis Vesalia, & Lipstat, qvæ ipsa retinebit usqve ad plenariam præsentis tractatus cum Rege Svecia executionem. Post illam vero, & siqvando memoratus Rex restitutus in regiones & loca, qvæ ipsi restituentur, erit, ipsa in universum omnes suas copias è locis & ditionibus Electoris Brandenburgensis abducet. Qvamdiu vero ea illic permanebunt, incolæ urbium Vesalia, & Lipstat pergent præsidio militari ea ipsa domicilia & utensilia commodare, de qvibus in tractatu Santensi convenit, incolaqve locorum, apud qvos mille eqvitibus metata designabuntur, ipsis eadem utensilia, & pabulum suppeditabunt. XIV. Verum cum Rex Svecia nunc temporis nullas copias militares in Imperio existentes habeat, nec forte in termino commutationis ratificationum præsentis tractatus definito eo deducere possit, qvæ suo nomine possessionem locorum & ditionum, qvæ ipsi ab Electore Brandenburgensi restituentur, capient, conventum fuit, & stipulatum, qvod statim post dictam commutationem inter Regem Svecia, & Electorem Brandenburgensem alte memoratus Elector copias suas militares è campis & regionibus, qvæ mediante hoc tractatu ad Regem Svecia pervenient, abducet; sed præsidiarios milites necessarios in locis, qvæ ipsi cedentur, videlicet duo hominum millia, aut plures Stralsundi, & mille usqve ad mille ducentos homines Stetini, & sic secundum proportionem in aliis locis, qvibus illa contra qvoscunqve, qvi ea invadere poterunt, defendet, usqve dum Rex Svecia copias militares miserit, qvæ dictorum locorum possessionem capient, qvæ tunc ab Electoralibus copiis, qvæ in ditiones ipsius abscedent, ipsis relinqventur. XV. Integrum nihilominus memorato Electori Brandenburgensi esto antea ex dictis locis omnia tormenta bellica, & apparatum militarem, qvæ in ea intulit, à tempore inde, qvo ea in potestatem suam redegit, avehere, dummodo illic rem tormentariam, & apparatum bellicum antehac ad Coronam Svecia pertinentem, & qvæ die subsignationis præsentis tractatus pacis illic reperitur, relinqvat. XVI. Qvemadmodum Celsitudo Sua Electoris Brandenburgensis cupidus institit, ut Majestas Christianissima bellum, qvod ipsam inter, & Regem Dania, cum qvo Celsitudo Sua Electoralis arctissimo fœderis vinculo colligata est, eodem tempore terminare velit, atqve dictus Rex Dania jam desiderium suum, qvo tenetur redintegrandi pristinam amicitiam, & fœdus, qvod antehac coluit cum Gallia, exposuisset: ita Majestas sua declarat, qvod Ipsi gratum erit, si pax illa qvantocyus sub justis, & æqvis conditionibus, ad bonum, & universam orbis christiani qvietem, reduci qveat, dummodo illa eodem tempore cum Svecia ineatur, absqve qvo Rex non deprehendit se in statu eo esse, qvod eam concludere potis sit. Interim tamen memoratus Elector fidem suam interponit, qvod nullum auxilium directe aut indirecte Regi Dania submittet, si adhuc bello cum Gallia, & Svecia implicatus remanserit, & promittit, qvod copias suas militares avocabit, si qvas dam à servitiis dicti Regis Dania habuerit. XVII. Majestas Sua Christianissima se obligat ad procurandum consensum à Rege Svecia in præsentem tractatum, & omnia in eo contenta, & ad obtinendam ratificationem Regis Svecia in aptima & debita forma intra tempus trimestre, à die subsignationis computandum, aut citius, si fieri poterit; si no usque dum ratificatio illa in manus Sua Celsitudinis Electoralis tradita non erit, ipsa nullatenus teneatur Svecicam Pomeraniam reddere, propqvo & omnibus iis, qvæ Celsitudini Sua Electorali vigore præsentis tractatus concessa fuere, altissime memorata Sua Majestas Christianissima fidejussor manet. XVIII. Ratificationes Majestatis Sua Christianissima cum Celsitudine Electorali Brandenburgensi commutentur intra mensem unum, aut citius si fieri poterit, & Regis Svecia Sua cum Celsitudine Electorali commutentur intra terminum trium mensium, aut citius si fieri poterit. In fidem horum nos subsignati vigore plenipotentiarum nostrarum respective præsentes hosce subscripsimus, & signa armorum nostrorum

1679. *iis apponi curavimus. Actum in St. Germani ad Layam d. 29. Junii 1679.*

L. S. Arnaud. L. S. F. Meinders.

Articulus separatus.

Praeter articulos in tractatu hodie ex partibus Majestatis suae Christianissimae, ut & Celsitudinis suae Electoralis Brandenburgensis concluso & subsignato contentos, conventum quoque est ut sequitur: Sicuti intentio Majestatis suae Christianissimae est curare, ut omnes controversiae, quae locum, & occasionem novis alienationibus animorum, & bello inter Principes Imperii dare, & suppeditare poterunt, in universum cessent, atque Majestas Sua Christianissima semet adstrinxerit vi tractatus Celli die V. Februarii anni praesentis cum Principibus Domus Brunsvicensis & Lunenburgensis initi & subsignati, quod ipsis adesse velit quoad garantiam stipulatam Ducibus Megapolitanis, & Saxo-Lauenburgico, Episcopo Lubecensi, Comitibus Lippiensibus & Schwartzenburgicis, Civitatibusve Hamburgensi, & Lubecensi, ob pratensiones, quas habet aut habere queat ad dictos Principes & Status Elector Brandenburgensis, sub praetextu quarundam obtentarum durante bello assignationum certarum; Majestas Sua, dictae obligationi nihil derogando, sed sciens quod intentio Electoris Brandenburgensis sit controversiam hanc amice sopire, curas suas & studia eo impendet, quo ea inter partes per omnia legitima & aequa media componatur. Separatus hic articulus idem robur, & vigorem eundem obtineat, ac si medio dicti tractatus hodie confecti insertus esset, & ratificatio ejusdem eodem ipso tempore expedietur. Actum &c.

Alter Articulus separatus.

Quo testimonium specialius edatur desiderii, quo Majestas Sua tenetur, pacem aliquam, quae conferret ad restaurationem Regis cujuspiam foederati in statibus suis faciliorem reddendam, & quo Elector Brandenburgensis cognoscat gaudium suum ex eo conceptum, cum videat, ipsum pristinum suum foedus cum ipsa redintegrare, Majestas sua ex puro effectu propensionis suae optimae in bonum pacis promittere vult, quod curet, ut alte memorato Domino Electori intra terminum biennii summa CCC M coronatorum, in compensationem damnorum, & certo modo sumtuum & expensarum, quas durante cursu hujus belli pertulit, solvatur: quae trecenta millia coronatorum pendentur in terminis aequalibus de tribus mensibus in tres menses, usque dum integra solutio sub finem dicti biennii praestita fuerit; incipietque prima solutio tres menses post commutationem ratificationum. Actum ut supra.

§. 81. Porro hac pace non placebat sequestris mentionem fieri, ac confirmabat Pomponius, Angliae Regi nil gratius fore, quam si partibus utcunque inter se conveniat. Quanquam & revera Angli officio parum ponderis futurum erat. Ezechiel Spanhemius eo nomine apud Angliae Regem verbis honoris defungebatur, ac pro navata opera gratias agebat, excusans, quod Electoris pax in Gallia perficienda fuerit. Qui plane sibi satisfactum ostendebat, addito, se ac totum orbem agnoscere, eam pacem ab Electore declinari nullo modo potuisse. In universum quoque aulae Anglicanae gratum erat, eam pacem coaluisse, quo Parlamento praetextum subtraheretur bellum ingerendi. Ac judicabat, Electorem nulla suae gloriae jactura pacem fecisse, secus atque alii foederati. Nam & in eo laudem esse, necessitati se attemperare, & contra torrentem non niti. Rex quoque mirabatur, Svecicos ministros Lutetiae quaestos, eam pacem à Gallo ipsis inconsultis factam; cum tamen eadem Sveciae valde proficua fuerit, quae & unice Galliae debeat, quicquid suarum provinciarum receperit. Ipse quoque Elector ad eum Regem literas dabat hoc sensu; Periculoso hoc rerum statu justam suam causam Deo, ac tempori fuisse committendam, ac Gallo uti in aliis, ita & in eo fuisse obtemperandum, ut pax in Gallia, & in leges, quas iste voluerit, concluderetur. Unde sibi fructu benevolentiae ipsius gaudere concessum haut fuisse. Non eo minus tamen ab ipso declaratum affectum, bonamque voluntatem grato animo agnoscere, eoque nomine haut laxius obstringi velle, quam si ejusdem pondus reipsa sensisset. Ad Jenkinum quoque literae dabantur, queis pro opera ab ipso navata gratiae agebantur. Quibus redditis Blaspielus addebat; declinari non potuisse, quo minus pax in Gallia perficeretur, quia Gallo ita visum fuerit: id quod ab ipso in sinistram partem haut acceptum iri spes sit. Jenkinus reponebat, modo pax Europae affulgeat, perinde esse, ubicunque, & cujus opera ea confecta sit. Sed Colbertus aegre ferebat, eandem Neomagi non absolutam, cum ejus solius causa ibi non sine molestia sua permansisset; & quia aliquem è cognatis suis cum Instrumento pacis Lutetiam mittere cupierat, qualibus nuntiis Rex III M librarum cum aliis gratiae specimimibus dare soleverat. Ac forte Pomponius id negotium à Colberto perfici noluerat, aemulatione in hunc, & quia eundem Svecis iniquiorem norat. Hic quippe non sine vehementia Svecis demonstraverat, aequum esse, ut ipsi

1679. *Sequestrum mentio ea pace non fit.*

1679. minimum qvadringenta uncialium millia Electori in satisfactionem dent, Stetino interim in hujus manibus relicto, qvoad ea summa exsoluta fuerit. Sveci contra postulabant, ne Gallicæ copiæ prius Electoris ditione excedant, qvoad ipsi oppida Pomeraniæ suo milite iterum insedissent. Simul ægre ferebant, Gallos se inconsultis pacem fecisse, qvasi nullo numero ipsos haberent. Etsi qvalecunqve solatium erat eam non ante ora eorum confectam. Galli contra disserebant, Svecos nimis rigidos datæ fidei exactores esse; & cum ipsi semper rem male gesserint, iniqve postulare, ut bellum deinceps solo Galliæ sumtu, & periculo in istorum gratiam geratur. Ea super pace Viennæ verbis qvidem lætitiam testabantur, qvod per eam qvies Germaniæ promoveretur. Non obscure tamen innuebant, sese Electoris consiliis diffidere, qvod satis intelligerent, separatione sua causam se justæ ultioni dedisse. Qvi & ibi omnia, qvæ à Meindersio Lutetiæ tractabantur, per Bavarum resciscebant.

Super ratihabitione ejus pacis &c. 30. Jun.

§. 82. Pacem istam Elector protinus ratam habebat, ac Instrumentum Creqvio mittebat, qvi haut minus atrociter per Mindensem ditionem grassabatur, ac enormibus pecuniæ summis extorqvendis omne genus insolentiæ exercebat, ipsis ædificiis dirutis. Schedæ qvoqve à qvæstoribus Gallicis scribebantur, qveis Elector non nisi *Domini de Brandenburgo* vocabulo nuncupabatur. Petebat tamen Elector super aliqvot capitibus declarationem dari; nempe ut ubi de Svecorum renuntiatione in vectigalia Ulterioris Pomeraniæ agatur, id ita intelligatur, ut ea pars, qvam Sveci cedunt, Electori adcrescat: ut in renuntiatione non solius Regis, sed & Coronæ Sveciæ mentio fiat: ut sub restitutione bonorum ad privatos spectantium ea non intelligantur, qvæ ad patrimonium Principis pertinent: ut Electori liberum sit Golnoam munitionibus amplecti. Tum ne Gallo causa foret milite suo ipsius ditionibus incumbendi, Elector protinus Pomeraniæ oppidis præsidia deducere volebat, excepta Stralsunda, & Stetino. Sed ut Sveci milites suos terrestri itinere è Livonia in Pomeraniam mittere velint, id à se concedi non posse. Nam cum Polonicum territorium duobus locis transeundum foret, Rege licet consentiente Ordines id nunqvam permissuri erant. Et si maxime per Samogitiam iter concederetur, Majoribus tamen Polonis, per qvorum terras sextidui via futura erat, abnuentibus, in Electoris terris

Monsieur de Brandebourg.

hærere istos oportebat. Voluerat qvoqve Elector expressis verbis caveri, ne Sveci intra trimestre ratihabitioni præfixum in Borussiam hostilia susciperent. Cui & articulus separatus Luneburgicam domum spectans displicebat, qvod per eum tacite tractatus Cellensis probari videretur, tot res sibi præjudicio cedentes continens. Saltem Luneburgicos interpretationem eo porrecturos, usurpationibus suis, qvibus qvotidie molesti ipsi sint, asserendis. Nam & Duces prætensiones suas decreto Circuli Inferioris Saxoniæ superstruxisse, cui tamen Cæsar, Daniæ Rex, Elector, aliiqve contradixerant. Meotionem qvoqve fieri Comitum Lippiensium, qvi Electoris Vasalli, ac per certa pacta Cliviæ innexi sint. Igitur Elector eum articulum aliter formari volebat, aut saltem dum ratihabitio permutatur, in acta referendum, ne Luneburgicis eum adversus ipsum allegare liceret. Enimvero ut articulus iste corrigeretur fieri non 19. Jul. poterat, qvod tractatus jam vulgatus esset. Confirmabat tamen Pomponius, nil eorum incommodorum, de qvibus Elector movebat, metuendum. Pactum Cellense esse rem inter alios actam; nec eo nomine ab Electore qvid postulatum iri. Circa residua subsidiorum Electori pro lubitu agere integrum esse, qvibus Rex sese adversus ipsum haut ingesturus sit. Officium autem circa eadem interponere in præsens non decere; qvod ea actio è tractatu contra Regem directo promanet. Porro instrumentum ratihabitum à Creqvio Neomagum Colberto mittebatur; qvi circa ejus permutationem tergiversabatur, qvod Elector separatum istum articulum, priusqvam hinc inde traderetur, corrigi cuperet; interim primarium tractatum permutari posse. Id qvod Colbertus abnuebat diffidentia erga Electorem, & qvia Galli, qvamdiu ullum prætextum foret, provincias istius comedere gaudebant, artificio Luvoisii Gallicum militem alienis sumtibus alendi. Libenter qvoqve nugarum causa arripiebatur, qvod Creqvius VI M militum in Oldenburgicum Comitatum dimiserat, qvos solos absqve periculo ibi relinqvere non poterat, nec pluribus alendis ea ditio sufficiebat, nec ante Danicam pacem eosdem inde revocare tutum erat. Blaspielus igitur, eo prætexto Gallis adimendo apud Jenkinum protestationem scriptam actis adponebat, hac ratihabitione Cellensem tractatum non adprobari, sed eidem contradici, qvantum is Imperii, atqve Electoris rationes concernit; ac huic omnia jura integra reservabat. Qvod scriptum Jenkini mensæ imponebat,

1679. uti moris erat, ac Cæsarei pari casu fecerant. Eo peracto Colbertus Neomago discedebat, prius tamen reconciliatione inter suam, & Benedicti Oxenstiernæ uxorem facta, inter qvas litigium super cerimoniis, circa qvas jure gentium inter legatorum uxores aliqvid certi constitutum nondum fuit, amicitiam refrigeraverat. Qva in controversia eousqve prævalebat Galla, ut à Sveca ipsi prior visitatio daretur. Inde solidandæ gratiæ splendidum epulum ab Oxenstierna instituebatur, qvo Blaspielus qvoqve invitatus seposita super cerimoniis controversia accedebat. Ibi ingens blandorum verborum profusio, ac testabatur Oxenstierna in votis sibi esse, ut amicitia inter Regem Sveciæ, & Electorem renovetur, qvod experientia constet, ambos dum juncti perstiterunt, bene se habuisse; disjunctionem utriqve, aut alterutri saltem noxam attulisse; ac se eam Regi suo diligenter commendasse. Ut res antea inter eos in bellum erumperet, nullam penes se culpam fuisse; idqve sibi valde molestum accidisse. Post conclusam inter Hispanos, ac Svecos pacem Jenkinus Neomago discedebat; & qvia is Svecorum, ac nostrorum procuratoria secum habuerat, qvæ non permutabantur, utrisqve suum reddebat. Eidem Galliæ Rex imaginem suam adamantibus ornatam IV M uncialibus taxatam donabat, qvam nisi consulto prius Rege suo acceptare detrectabat. Templio itidem ejusmodi imago donabatur, V M uncialibus æstimata. Nuntio crux adamantibus conserta donum erat, IV M pistoletorum pretio; ejus Auditori duo torqves D pistoletis taxati. Electori sterilem, & obnoxiam adversæ parti operam præmio mactare haut placebat.

Circa executionem pacis cum Gallis acta.

§.83. Enimvero permutatis licet ratihabitionibus, & Gallica aula verborum blandimentis luxuriante, exactiones in Westphalia non minore asperitate, qvam medio bello continuabantur. Unde ab Electore Espencæus mittebatur, ut apud Creqvium instaret super abducendis copiis, ac ut istis oppressionibus supersedeatur. Inde in Galliam profectus eandem urgere jubebatur, cum præsertim ipse in mora non sit, qvo minus Svecica ratihabitio permutetur, ac Pomerania protinus restituatur. Enimvero istis injuriis nullum remedium erat, qvod exercitus non uti ante stipendium accurate ex ærario acciperet, sed è locis, ubi consistebat, sustentaretur. Unde qvæstoribus mille artes suppetebant paganis argento emungendis; qvas aula dissimulabat. Simul præfectorum avaritiam ipse belli finis brevi imminens accendebat. Et qvia commorationis istius causa proponebatur, qvod ob bellum Danicum Sveci copias in Pomeraniam trajicere non possent, Elector proponebat, se omnibus Pomeraniæ oppidis militem deducturum, cauturumqve eadem à Dano non occupanda; qvin se tamdiu præsidium Stralsundæ, & Stetini suis sumtibus aliturum, modo Galli Clivia facessant. Nam qvod Galli de terrestri Svecicarum copiarum itinere Svecorum instinctu insisterent, id facile ab his fieri adparebat, qvo Elector cum Polonis committeretur, qvi jam ultro minabantur, si Elector eum transitum permitteret. Et hoc licet indulto copiæ vix intra trimestre in Pomerania adesse poterant. Interim Galli singulis mensibus è Clivia L M uncialium extorqvebant, cum Pomerania vix viginti octo millia conferret. Sed demum ea difficultas expirabat, per Danicam pacem libero jam maritimo itinere; post qvam Galli Svecis protinus subsidia renuntiabant. Et consentiebant Galli, ut ad sublevandas Electoris ditiones Gallicum præsidium educeretur, Vesalia tantum insessa, qvoad Sveci Pomeraniam recepissent. Lipstadio excedens præfectus Gallicus machinas abducebat, pulveri ante oppidum ignem injecturus: tum qvæstores avidius qvam medio bello grassabantur; maligno amicitiæ renovatæ specimine, tam ambitiose à Gallis jactatæ. Eadem Vesaliæ tentabantur, inprimis circa machinas, qvas Galli antea ibi reliqverant, cum eam ante sexennium Electori traderent, qvas tunc ingentis beneficii loco huic imputaverant. Sed nunc causabantur, eas Electori non donatas, sed deposito relictas: & non decere, ut Elector armamentaria sua machinis Gallicis velut tropæis exornet. Et producebatur catalogus earum à Spanio subscriptus, velut in testimonium depositi. Demum ita convenit, ut è sexaginta novem machinis, qvæ Vesaliæ erant, Gallus triginta aveheret, reliqvæ penes Electorem manerent. Cum haut eo minus transacta omnia Galli moras necterent, Elector acriter cum Rebenacio super ea re expostulabat. Ita tandem mense Februario anni seqventis Galli Vesalia, ac tota Clivia excesserunt.

6. Sept.

13. Oct.

Circa Svecicam ratificationem acta.

§.84. Circa ratihabitionem pacis in Gallia conclusæ Sveci qvidem scrupuli nonnihil movebant, qvod tamen facili negotio superabatur. Ac initio isti formulam suæ ratihabitionis in Galliam miserant, qva novum *Recessum limitaneum* meditari videbantur

1679. bantur. Nam post adprobatum tractatum hæc verba addebantur: *salvam tamen nobis reservantes facultatem, ac nullatenus hac conventione derogatam potestatem nostros denominandi ac constituendi Deputatos, qvi cum iis, qvibus alte memoratus Elector in mandatis dederit, super meliori modo ac ratione præfatum tractatum, inqve eo contentos ad nos pertinentes articulos, nostroqve nomine insertas conditiones exeqvendi, & effectui dandi agere, & convenire possint.* Præterqvam qvod isti ratihabitioni tractatus ipse insertus non esset. Id qvod Elector plane adspernabatur; præsertim cum novus iste congressus multum temporis reqvireret, Gallis interim ipsius provinciæ incubituris. Unde Elector apud Gallum qverebatur, solos Svecos in mora esse, qvo minus ratihabitiones dudum sint permutatæ; ac iniqvum esse suas provincias diutius tanto sub onere gemere. Simul petebat, à Gallo ministrum mitti, qvi tractatui de modo exseqvendi adsit, ac de sua æqvanimitate testari qveat. Enimvero ratificationes prius absqve conditione permutandas, ac formulam uti par sit adornandam. Istæ ambages à Svecis qvæsitæ Gallo valde displicebant, cum in magna felicitatis parte habendum ipsis esset, ditiones suas utcunqve recuperasse. Sed & cum in tractatu positum esset, ut qvicqvid trans Oderam situm est, in posterum ad Electorem spectet, excepto Dammo, Sveci id ad Lacum Dulcem usqve tantum pertinere volebant, ubi Odera nomen amittit. Qvam inanem cavillationem Galli judicabant, ac sese conventa Electori satis præstituros. Nam qvicqvid trans aqvas Oderæ ad mare usqve jaceat, qvocunqve nomine istæ vocentur, in tractatu Electori destinatum. Clausulam autem in extrema ratificatione positam Galli eo tantum spectare judicabant, qvod Sveci agere cuperent, ut loca cessa penes Electorem non jure perpetui dominii, sed hypothecæ tantum forent. Id qvod huic fraudi esse neqveat, cum cuivis liceat aliqvid petere, facultate negandi penes alterum manente. Cum itaqve ratihabitio jam rite adornata esset; & Elector contenderet, prius utiqve ratum habendum tractatum, anteqvam de eo exsecutioni dando agi posset; demum placuit, ut Pasevvalci ratihabitiones hinc inde traderentur, per Joachimum Rutgerum Oustinum, & Laurentium Christophorum Crocovium. *Oustin.* De modo exsecutionis, velut militari negotio dilatum, qvoad copiæ Svecicæ per oppida distribuendæ adpulissent. Haut eo setius Pomeraniæ rectores Cammino oppido per literas diem festum indicebant paci celebrandæ, ac ut denuo in Regis Sveciæ verba juraret; qvod vetante Electore intermissum. Qvin omnia qvæ pace cesserant, sibi iterum vindicaturi videbantur, irrito conatu, & Gallis improbato, præsertim postqvam Pomponius rebus in Gallia tractandis amotus esset, suffecto in ejus locum Colberto Croisio, qvi odium in Svecos è negotiatione Neomagensi conceperat. 1679.

§. 85. Cæterum uti toto hoc bello inter Daniæ Regem & Electorem summa conjunctio fuerat; ita & hic maxime optabat, ut utriusqve pax simul perfici posset. Sub extremum tamen tempus nonnihil dissensionis in consiliis subortum est, salva amicitia. Nam cum Elector de cautis missi in Galliam Meinderstii Regi significaret, hic non eo minus ingentem exinde suspicionem conceperat, nec obscure innuebat, ea missione Electorem rebus suis multum nocuisse, ac nutantes fœderatos Monasterienssem, & Cellensem ob eandem ad festinandam pacem fuisse permotos. Sane sibi decretum fuisse Svecos duntaxat arcere, ac XX M militum ad Rhenum mittere. Neqve enim animum despondendum, ac forte Gallum tanta cum molestia conjunctam Svecorum causam deserturum. Et qvia propositæ à Gallis conditiones semper pateant, honestius esse vi extorqveri prædam, qvam ultro restitui. Contra Elector demonstrabat, post reliqvorum defectionem bellum ipsis solis incumbens longe formidabilius fieri. A Luneburgicis plus adversi, qvam favoris expectandum. Monasterienssem ob detentas suas à Rege legiones valde exasperatum, ac ni amice ea res componatur, forte consilia capturum utriqve noxia. Qvid Bavarus, & Saxo meditetur suspectum valde esse. Sibi non Germaniam tantum, sed & Borussiam respiciendam, ubi continuato bello nova irruptio metuenda sit. Svecos Cellenti tractatu pedem iterum in Germania figere, ubi Gallica pecunia facile novus exercitus parari possit. Igitur probe expendendum, num ambo hosti ubiqve, qva is ingruere possit, pares sint, & qvæ eam in rem vires suppetant: unde hiberna, unde supplementa, annona, pecunia? Num liber transitus ubiqve pateat? ac si is negetur, an vi perrumpendum, & plures hostes irritandos? Mox tamen Rex significabat, sibi qvoqve decretum Meiercronam in Galliam mittere junctim cum Meinderstio rem acturum, ac ne Gallus in contemtum sui accipiat, si solus ipse eum adire dedignetur, cujus amicitiam omnes anxie jactabant. Sal- *Danus de pace adhuc dubitat.* *4. Febr.*

1679. rem tentaturum, ut qvæ Galli genuina circa pacem sit sententia exploret, & num hic ab imperioso isto agendi modo abduci possit. Enimvero ut Danum, & Electorem qvoqve divellerent, Galli ac Sveci super tractatibus inter Boreales Reges in Scania suscipiendis comminiscebantur, Feqvierio sequestre; qvos & Danus ob oblatos haut ægre admisit. Contra Brandii fratres scripto petebant; ne Rex in eos consentiret, qvoad Electoris sententiam super iis intellexerit, aut ut hujus qvoqve nomine legatus cum mandatis adsit. Nam Dobrani convenisse, ut Rex, & Elector super adornandis pacis conditionibus cum Gallo agere, ac de postulatis suis remittere pro lubitu possint, modo ne alter absqve altero tractatus suos absolvat. Tum ut qvovis modo super reconciliando Gallo, qvicum alias sibi nil controversiæ sit, satagant. Sed qvod Rex nunc cum Svecis seorsim agere instituat, id altioris indaginis videri. Mox & Elector ad Regem literas dabat hoc sensu. *Institutum in Scania congressum non posse non sibi scrupulum injicere; præsertim cum Rex primarios ministrorum eo mittat, qvod sine spe certi successus fieri non soleat. Se tamen Regis constantiæ confidere, se inscio nil transactum iri; qvod utriusqve rationes in eo consistant, ut indivisi maneant; nec singulari pace tantum lucri adqviri possit, qvantum jactura per separationem faciendum. Satis manifestum esse, à Gallis, & Svecis omnes artes tentari, ut ipsos dividant, aut saltem diffidentiam serant. Unde apud utrosqve ab iis spargi, alterius peculiarem pacem jam perfectam. Sed ista de se fingi, ac in præsens adhuc sibi fixum sedere, qvamdiu Stetinum, & Oderam sibi denegetur, extrema se potius expectaturum. Daniam qvoqve nondum tanta necessitate premi, ut pax præcipitanda sit. Sane qvanqvam dimidia suarum distonum parte vastata animis se nondum cecidisse; ad jam ad Visurgim X M militum habere, quibus è Borussia XIV M sint accessura. His si Rex XVI M jungat, forte Gallum pro imperio agere desiturum. Qvicqvid denique evenerit, solatio sibi esse, nil à se omissum fuisse.* Ista uti Regi valde probabantur, ita is censebat; si Gallus, & Sveci tam iniqvi esse perrexerint, sese portum Wismariensem obturaturum, disjectis urbis munitionibus. Simul ut Elector Stralsundæ idem faciat svadebat; aut si ipse id facere dubitet, id se per naves suas facturum, connivente Electore. Super qvo Elector declarabat; si id ante duos menses susceptum fuisset, id se non improbaturum fuisse. Sed pace tam propinqva sibi haut consultum videri animos asperare, ac negotium difficilius reddere; ac forte Gallum instigantibus Svecis damni reparationem exacturum. 1679.

§. 86. Mox tamen cum gravissimæ rationes Electorem ad pacem compellerent, de eo per literas Regi Daniæ significabat. *Cum nuper Regi confirmarit, se extrema expectare malle, qvam iniqvas à Gallo, & Sveco conditiones admittere, spem sibi fuisse, vel per Meindersium aqviora obtentum iri, vel tempus fore copiis è Borussia evocandis, ac rebus suis melius disponendis. Sed postqvam nil apud Gallum obtineri potuerit, ac Gallicus exercitus Crequio duce tota vi ad Visurgim verterit, ubi suis legionibus maximum periculum imminebat; ac Gallis Albim superare in proclivi fuerit, antequam copiæ suæ è Borussia accedere possent; è duobus malis minus eligendum, pacemqve amplectendam fuisse. Ejus consilii præcipuas se causas habuisse, qvod re semel ad manus deducta, Gallus de gloria jam sua agi jactaturus sit, omnes potius vires exserturus, qvam vel minimum concedat. Ac utique aliqvando ad pacem accedendum, qva post cladem acceptam difficilior, ac majore cum damno, ac ignominia conjuncta sit futura. Cum nunc honestius sit integris viribus, & salva existimatione, etsi minore cum lucro, arma ponere. Hostem porro jam tres præstantissimas ipsius provincias insidere, qvarta imminere, è qvibus diu exercitum alere possit. Bello extracto viribus se plane exhauriendum, exercitu qvoqve pessum ituro. Malevolis se vicinis circumdari; à nemine qvid auxilii expectare. Qvin contra metuendum, ne Gallus iterum Borussiam turbet, qvi nuper DC M florenorum Gedanum collybo trajecerit. Cui & per pecuniam apud invidos vicinos talia struere in proclivi sit, per qvæ summa rerum ipsius periculum incurrat. Ea rerum facie cum nulla tempus extrahendi facultas superesset, è Dania qvoqve usu se judicasse, integris potius viribus, qvam post acceptam calamitatem pacem facere. Sed qvia nunqvam sibi in mentem venerit à fœdere discedere, se Meindersio injunxisse, ut pariter cum Danico ablegato pacem absolvat, aut saltem locum ipsi ad eandem concludendam reservet. Ac sperare Regem ei hunc in finem idonea mandata daturum, qvo communis pax brevi sequatur, qvod Gallicus miles ante eam perfectam ipsius ditionibus excedere nolit, per moram plane evastandis. Ast si Meiertrone facultas ad concludendum non sit, sed successus Scanici congressus expectetur, se Regis judicio exponere, qvid molesto hoc rerum statu sibi faciendum. Sane pro candore sui in Regem affectus diffiteri non posse, per Scanicam illam negotiationem* 1679. *Electoris sui destinatio Domino significat. 7. Jun.*

4. Maij.

31. Maij.

1679. *nem se valde perturbatum fuisse, & non parum eam consuluisse, ut à se ad hoc consilii descenderetur. Namin aprico esse, eo sine tractationem Neomago, & Lutetia, ubi utriusque legati erant, in Scaniam translatam, ut ipsi in conclusione pacis separarentur. Ac utile, simul foederi congruum fuisse, congressum in Scania non prius admitti, quoad & sui ministri invitati, ac idoneis diplomatibus instructi fuerint. Nam post ista sero quærenda; ac hostem, cujus rationibus id repugnabat, non sine ignominia eadem abnegaturum fuisse. Haut eo minus tamen se Regi indulsum adhæsurum, quod utriusque securitas, & conservatio amicitiam inter ipsos insolubili vinculo adstringat. Quod si pax eodem tempore & loco perfici nequeat, à Meinderstio diem ratificationi permutandæ tam longe porrigendum, ut Regi interim tempus sit suam quoque pacem absolvendi. Quod idem ipse roget, si in Scania res prius conficiatur. Utcunque ista cedant, id utique solatio esse, se communem hostem hoc bello ita attriuisse, ut multos intra annos nocendi facultatem habiturus non sit.*

Dania Regi ista parum probantur.

§. 87. Enimvero id consilii ab Electore captum Daniæ Regem non parum turbabat, qvi Helsingburgum, & Landscronam retinere mire cupiebat, præsertim cum inter Boreales is fere bellorum eventus fuerit, ut qvod qvisqve occuparet, id retineret. Inprimis Regem mordebat, qvod inter causas ejus consilii congressus in Scania adduceretur; qvam ansam Hahnius, ejusqve factio arripiebant Regis, & Electoris amicitiam refrigerandi, ne forte isti per hunc pravæ suæ artes innotescerent; qvi & ante a malitiosis scurrilitatibus Plœnensem Ducem ad abdicandam Danicam militiam compulerat. Unde ad Electoris literas hunc in modum à Rege respondebatur. *Se qvidem adductas rationes maximi momenti ducere; dissimulare tamen non posse, hoc ita repente capto consilio se haut parum perturbatum, qvod Elector paucos ante dies diversa plane sibi confirmarit. Sane qvæ adductæ sint difficultates, dudum prævisas. Ac si exercitus maturius è Borussia movisset, nec cessis Vesalia, & Lipstadio hosti ad ulteriores progressus jam via aperta foret, spem fuisse junctis viribus eidem resisti potuisse, qvoad pariter ad æqvam pacem perveniretur. Qvod si tamen Electori pacem acceleranda necessarium judicabatur, operandum fuisse, id pro arctissima inter ipsos conjunctione sibi significatum, qvo utrinqve super ratione honestam pacem obtinendi cognosci potuisset. Tum & sumtibus in armandam classem, & copias in Holsatiam trajiciendas, qvod crebris Electoris monitis factum, super-*

sedere licuisse. De congressu in Scania protinus sese Electori significasse, num & is aliqvem eo destinare velit; in eamqve rem ministro suo præliminaria adornaturo mandata dedisse. Sed qvia intellexeris, ab Electore ejus congressus rationes qvidem probari, ut tamen in ejus partem venire nolit, se confirmasse, ejusdem se rationes non minus atqve proprias observaturum, ac sine ipso nil concluturum. Ita se omnes partes fidi socii implevisse; inprimis cum Elector dudum prima Meinderstii in Gallias missione separatis tractatibus initium dederit. Sed qvia haut placeat odiosa eorum repetitione, qvæ infecta fieri nequeunt, ipse molestiam exhibere, spem esse, qvia ob nimia hostium postulata pax ita brevi coire nequeat, se ab Electore haut deserendum, nec a Gallo invadatur, simul omnia ubi circa pacem agantur communicatum iri, qvo & ipse consilia sua pro captu rerum temperare possit. Sed & 23. Jun. moxidem Rex Joannem Georgium Schulenburgium ad Electorem mittebat; hortaturum, qvia fama sit Creqvium cis Visurgim & Albim iturum, ut Elector legiones è Borussia qvantum possit iter festinare jubeat, ac ad Visurgim consistentes mature retrahat; ac statuva ita ponat, ut conjunctio cum Danicis copiis commode fieri possit. Tum ut super struenda penu consilia conferat, & qvid circa Luneburgicos agendum sit. Cui Elector: sese paucos ante dies rationes omni exceptione majores exposuisse, qvæ se ad pacem haut amplius differendam compulerint; nec dubitare, qvin & Rex consilia eum in finem ceperit. Nunc se, qvid Meinderstius effecturus sit, expectare. Si Gallus à pace abhorreat, se utiqve cum Rege copias conjunctarum; ac legiones è Borussia jam iteringressas. Interim se Regi valde svadere, ut ipse qvoqve pacem pro captu temporum faciat. Nam & sibi maximo dolori esse, tot egregia à se loca restituenda, ad qvod declinatio majoris mali subigat. Enimvero Gallum cum L M amplius Westphaliæ ingruere; Saxones, & Luneburgicos in Gallica aula ipsi infesta admodum agitare, ac bello continuare in Galli partes transituros. Haut eo minus nil indecorum à se admissum iri; ac si tale qvid à se postuletur, copias suas Lentzenæ, Werbenæ, & Magdeburgi stationem capessituras, ut sese Danicis, qva opus fuerit, conjungere possint. Cæterum palmariam causam, qvare in præsens ad pacem properandum sit, esse, ut arcta illa conjunctio inter Galliam, & Sveciam dirimatur, utqve uterqve ipsorum Gallo sese innectat propriæ securitatis causa, ac ut vindictam sumendi facultas sit de iis, qvi tam turpiter ipsos*

17. Jun.

1679. ipsos destituerint. Ac demum extracto bello magis intolerabiles conditiones, non meliores expectandas. Præter ista Brandii qvoqve Hafniæ demonstrabant; Electorem utiqve extrema expectasse, ac præsentissimo periculo impulsum ad pacem confugisse. Et cum Gallus ne horam qvidem ad deliberandum indulgere vellet, Creqvio qvoqve atrociter grassante; non potuisse incertum Scanicæ negotiationis exitum expectare, ubi Sveci adhuc circa præliminaria cavillabantur. Ac cordatissimus qvisqve agnoscebat, nulla ratione Electorem defugere posse, qvo minus pacem occupet. Hahnius autem odiosius occinens, Regem ab Electore desertum, fortius retundebatur. Facilis qvoqve responsio erat ad reliqva, qvæ à Danis arguebantur. Nam qvod Vesalia, & Lipstadium Gallis traderetur, Luneburgicos in causa fuisse, negato transitu. Unde cum istis urbibus, ac Mindæ non sat præsidii inesset, nec plus immitti posset, periculum fuisse, ne eadem cum omnibus qvæ inerant amitterentur, aut Galli præterita Vesalia recta Mindam irent, intra paucos dies expugnandam. Legiones è Borussia non prius movere potuisse, qvam graminis copia foret. Qvod autem Dani metuere se dicerent, ut à Svecis pax in Gallia conclusa probetur, id Electori optandum, qvi amotis Gallis Svecos haut formidet. Nam Joannes Gyldenstierna Londini dixerat: pacem cum Electore, & Luneburgicis à Sveciæ Rege non firmandam, si cum Dano prius transigi possit.

Danica pax tardius succedit.

§. 88. Qvanqvam autem Daniæ Regem audito Electoris consilio impetus caperet suam qvoqve pacem accelerandi, qvo fine Meiercronæ pressiora mandata mittebantur: nondum tamen secum statuerat, qvousqve remittere vellet, qvod Scaniæ desiderium digerere non posset. Et qvanqvam pleriqve ministri pacem, qvaliscunqve haberi posset, svaderent: nondum tamen periculum longius adhuc remotum bellandi ardorem vincere poterat. Unde animus erat, ubi res exigat, cum XXV M ad Albim considere, qvibus VI M classi demta accessura erant; tum parcendis præsidiis Wismariæ, Helsingburgo, & Landscronæ oppido munitiones detrahere, solo hujus castello insesso. Dubitabat qvoqve, an non abruptis tractatibus in Scania, negotium pacis plane in Galliam transferret, qvod satis è Svecorum postulatis, & protractionibus adpareret, ab his rem haut serio agi, eumqve congressum non solum non absqve Electore suscipiendum, sed & plane intermittendum fuisse. Mox tamen placebat 1679. eum utcunqve protrahi, num forte Sveci propius ad rem accedere vellent, si classi eorum cladis qvid inferri potuisset. Sed ea spes, qvam Dani sibi conceperant, fallebat, culpa uti credebatur Nicolai Juli, qvi signum dederat, ut navium qvælibet in assignatum locum se conferret, cum plenis velis hostem inseqverentur. Ubi dum qvælibet navis inhibito cursu in locum suum se confert, Svecis spatium fuerat periculo se subducendi. Ita una duntaxat Svecica navis intercepta; reliqvæ in Calmariense fretum se receperunt, cœcis rupibus infestum, ubi anceps erat eas invadere. Etsi Rex diceret; si utiqve pax iniqva sit subeunda, parum referre, si una & altera navis amittatur. Ast si conatus succedat, ut Svecica classis penitus destrui possit, mare se cum XX navibus tueri posse, cum nunc qvinqvaginta opus sit. Inde cum XXX M apud Oldesloam castra positurum, ac visurum, qvid Creqvius suscepturus sit. Oldenburgicæ jacturam à Gottorpiensi luendam. Et jam Comitatus iste tantum non pro derelicto habebatur, machinis Glucstadium avectis. Sed classe nil proficiebatur, incendiaria navi, qvam Dani Svecorum classi immissum ibant, depressa. Et qvæ medio freto à Danis mergebatur ingens navis, *10. Jul.* nullo fructu erat. Mox & Regi fiducia gliscebat, postqvam Cellensis Dux promiserat, se Gallis transitum Albis per suas ditiones haut concessurum, vi opposita, si vim moliantur: sperare contra Regem toto cum exercitu copiis ipsius jungendum. Sed Brandii ostendebant, hæc promissa merito suspecta habenda, velut qvæ cum hactenus ab eo Duce actis disconveniant. Ac intellectum fuerat, eum Ducem valde consternatum fuisse, cum Galli Joyeusa duce per Luneburgicam præfecturam Herbstedam in Oldenburgicam iter sumsissent. Ac judicabant prudentes, Ducem per ea promissa impedire voluisse, ne succedente Danica pace Sveci tractatum Cellensem ratihabere adspernarentur. Demum tamen svasu Friderici Alefeldii Comitis Rex pacem suam in Galli arbitrium conferebat, modo Svecis deinceps necessum foret vectigal in Oresunda solvere, ac pactum Rendesburgi cum Gottorpiensi Duce initum firmum subsisteret.

Dania Rex de Electoris pace qveritur.

§. 89. Mox nuntiata Electoris pace Daniæ Rex qverebatur, eam se excluso factam, ac per eandem auxilio ipsius se privatum, non paulo duriore reddita sua conditione, summaqve rerum periculo exposita.

1679. sita: Cum tamen, paucos per dies conclusio extracta fuisset, allata sua declaratione pax utriusqve junctim perfici potuerit. Rogabat tamen, ut Elector ratihabitionem tantisper inhibeat, qvoad & ipse suam pacem perfecerit; ac ut Meinderstius ipsius
8. Jul. ministro Lutetiæ adsistat. Ad ista Elector respondebat: *Postqvam ipse Regi consilium, non sine summo animi dolore à se capiendum, protinus significaris, nunqvam credidisse, à Rege sibi pacem improviso factam, aut ipsum à se desertum exprobratum iri. Toti orbi notum, in qvem statum ipse redactus fuerit, cum in pacem consentiret. Sine omni dubio extrema se expectasse. Iis declinandis, ac spe tempus lucrandi duas urbes Gallo traditas; nec eo magis longiores inducias impetrari potuisse. Qvatuor suarum provinciarum in hostis potestate fuisse, qvi longius semper progrediebatur cum exercitu, quem pro lubitu augere poterat. Borussiæ novam invasionem è Livonia intentatam: Cum vicinis suis Lutetia pacta jam ad subscriptionem usqve fuisse adornata circa ditiones suas in alios transferendas; nec ullibi spem levamenti adparuisse. Nam conjunctione licet ad Albim cum Regis exercitu facta, dimidiam tamen provinciarum suarum partem hostium libidini fuisse expositam, reliqvam bello sustentando haut sufficisse. Ac si Saxones, & Luneburgici hosti se sociassent, uti certo futurum fuerat, nil sibi ad salutem restitisse præter turpem pacem, insigni ditionum parte admutilata. His malis prævertendis nil præter pacem superfuisse, ex se ipse nunqvam ad aliqvod consilium majore cum aversione accesserit; de qvo Regi proximus significaris, additis precibus ad eandem viam ineundam, qvo pax eodem tempore perficeretur. Id si factum foret, hac expostulatione opus non fuisse. Sed postqvam Svecorum petito, qvorum intentio satis cognita est, in congressum Scanensem consensum fuit, ac Rex ministro suo Lutetiæ injunxit tractationem ibi inhibere, à se cum ratione desiderari non potuisse, ut res suas per incertas moras subvertat. Ac Meinderstio in os dictum fuisse, ni eo die pacem absolveret, omnem tractationem hoc ipso abruptam, & Gallum non amplius oblatis conditionibus teneri velle. Regi cutum fuisse moras aliqvantisper nectere, ab hostibus adhuc longius remoto. Ast se nec Deo, nec posteritati adprobare potuisse, si omnem spem transactionis abrupisset; nec Damæ interfuisse, ut ipse subvertendum se præberet. Cum itaqve necessitas legibus soluta sit, jure exprobrari sibi haut posse, qvasi neglecto fœdere à Rege se disjunxerit. Non ob lucrum, sed declinando majori modo ad pacem se compulsum. Invitissimum Pomeraniam, ac præcipue Stetinum restituisse.* Tam solida erant ista, ut Rex fateretur, in Electoris actis circa pacem nil se desiderare posse. Ac revera prudentes in Dania dudum judicarant, Electori utiqve pacem occupandam, ac Daniæ parum interesse, paulo serius, aut citius pacem suam faciat. 1679.

§. 90. Ast in Gallia modus agendi à Danis adhibitus haut probabatur. Per Avauxium Hagæ Meiercronæ fuisse significatum, integrum ipsi esse Lutetiam venire, si in leges tractatus Westphalici, atqve Hafniensis pacem inire velit. Qvod cum iste abnueret, post insinuatum, ut citra hanc conditionem in Galliam accederet. Ubi in Dania merito decernendum fuerit, qva sententia standum foret. Venisse inde ablegatum, sed cujus negotiatio statim in limine adhæserit ob mutationem parum tempestive circa titulos factam. Qvod etsi mox emendatum sit literis justa forma exhibitis; eo ipso tamen duas septimanas periisse. Interim ob nuntiatum Meinderstii adventum, negotiationem cum Dano haut festinatam. Isti cum tres septimanæ petendæ forent novis mandatis adferendis, Dano commodam occasionem fuisse negotium suum absolvendi. Sed tunc valde qvidem intempestive congressum in Scania interveniisse. Demum in Scania agi potuisse, & haut eo minus tentari, qvid in Gallia proficiqveat. Sed Meiercronæ injunctum, in tractatibus longius haut progredi. Qvod ipsum negotiationi cum Electore facilitatem attulerit. Cæterum Danica pax præcipue ad Ducis Gottorpiensis restitutionem hærebat, qvem Dani inter Galliæ fœderatos censendum negabant. Etsi eam litem domesticam, qvæ Regem Daniæ, ejusqve familiam unice tangat, & qvæ diu ante præsens bellum extiterit; qvam & Rex Daniæ post perfectam pacem arbitrio Galli submissurus sit. Galli contra regerebant; Maximum emolumentum, qvod Danus ex hoc bello sperare possit, in ea causa consistere, Regem tanqvam sponsorem Hafniensis pacis curam gerere teneri, ut Dux iste restituatur; atqve id declaratione anno superiore promulgata expressum, qvæ non minus Danicæ pacis, qvam aliorum norma sit futura. Qvin ipsi Regi super domesticis negotiis, puta super Condæo Principe, cum Hispanis fuisse transigendum. Circa Rendesburgense pactum talia interveniisse, ut ejus ratio habenda non sit. Haut eo minus Luvoisius de duritie Svecorum querebatur, non obscure innuens, statim post finitum hoc bellum, ubi Rex honeste

Danica demum pax perficitur.

22. Jul.

1679. obligatione sua adversus istos sese exuerit, hunc alia sibi fœdera circumspecturum. Qvi & cum à Gallo reparationem ejus, qvod Electori, Luneburgicis, & Monasterienſi cedendum fuerat, postularent, non sine irrisu rejiciebantur. Sed & suspectum videbatur, qvod Svecorum in Gallia ministri tanta cum ferocia pacem Danicam impedire studerent, cum tamen Sveci in Scania multo modestius loqverentur. Unde cum Gallos earum tergiversationum tædium cepisset, demum totum Augustum mensem Danis dabant ad deliberandum super Gottorpienſis restitutione; minati, se isto mense elapso Svecis Oldenburgicum, Monasterienſi Delmenhorstanum Comitatum addicturos. Ita Galli Danicam pacem ad libidinem suam apud Fontem Blaudi pervicere; qvam mox transactio inter ipsos Reges Boreales Lundini in Scania seqvebatur. Ejus subscriptio per triduum à Sveciæ Rege extracta fuit, qvod Dani de connubio cum Ulrica Eleonora eidem inferi cuperent; id qvod iste velut indecorum aspernabatur, ne ad id invitus compelli videretur. Statim tamen cum Dani omisso eo articulo pacem subscripsissent, Rex eodem adhuc die ultro id consummari expetivit, qvod proprio ex judicio & affectu proficisci qvam maxime decet. Ubi Gallis inopinum accidebat, qvod isti Reges ita repente ex tam acerba hostilitate in tam arctam amicitiam coaluissent, brevi spatio triplici tractatu absoluto, de exsecutione pacis, de matrimonio Regis cum Principe Daniæ, ac de fœdere mutuæ defensionis. Etsi palam nil suspicionis ostendebant, qvod judicarent, aut saltem aliis persvadere vellent, Galliam istis omnibus esse superiorem. Sed & fœdus istud inter Reges Boreales initum Electori nonnihil scrupuli injiciebat, nulla secum communicatione factum. Sed Daniæ Rex ejus causas hasce adferebat. Nulla decori specie id se fœdus à Svecis oblatum declinare potuisse, cum eo ipso tempore super consummando cum sorore Ulrica Eleonora matrimonio ageretur, qvod isto abnegato forte irritum reddi potuerit. Ac ejus fœderis hunc saltem usum esse, ut eo melius Svecorum consilia explorentur. Anglos qvoqve, & Belgas admodum imperiose in rebus Oresundam, & Mare Balticum spectantibus agere, ac omnia ad suum placitum, ac lucrum dirigere velle, ac Borealium Regum discordiam dextre in usus suos vertere nosse. Istorum importunitati temperandæ sibi necessum fuisse Sveco innecti. Deniqve id præcipue lucri inde obtinuisse, qvod Svecus promiserit, Gottorpienſi, & Hamburgenſi negotio sese haut miscere. Nam qvantum alias fiduciæ in Svecis sibi ponendum sit, haut ignorare. Cum itaqve hoc modo Galliæ Rex majori parti orbis Christiani ad placitum suum pacem dedisset, (qvod Wilhelmus Furstenbergius Meindersio confirmabat,) jurejurando sese adstrinxerat, postqvam semel gladium tanta cum gloria vagina abdidisset, eum se, nisi summa necessitate urgente, nunqvam iterum extracturum. 1679.

§. 91. Cæterum uti ista pax nemini præter Gallum admodum læta erat: ita & qvis fructus Gottorpienſi Duci inde expectandus esset, conjicere haut in arduo erat. Mittebat is Hafniam Gunterrodium verbis honoris perfuncturum, ac uti desideret in veterem cum Rege amicitiam reverti. Cui Rex; valde sibi gratum esse, Ducem ad officium redire. Sed qvæ nunc tot per ambages obtinuerit, dudum citra molestiam patuisse. Volebant porro Dani ditionem qvidem Duci reddere, sed opibus ita acciſis, ut non facile deinceps tollere caput posset. Nam residua tributorum ad CCC M uncialium adteruncium exigebant. Rex qvoqve solus tributum bellicum indicturus erat, velut cui solidefensio provinciæ incumbat. Nec pace Hafnienſi de iis tributis mentionem factam. Ita cum Sveci tractatu Lundinenſi promisissent, se Ducis causam non suscepturos, tanqvam Dano domesticam, nec Danus Tœnningam instaurari vellet, qvod Galli Ducis restitutionem in præsenti statu duntaxat stipulati essent, exigua spes erat eum res suas iterum firmaturum. Qvo modo Danus in Holsatia plus lucratus erat, qvam si totam Scaniam obtinuisset. Qvid autem consiliorum apud Ducem agitaretur, per Hopfnerum Cancellarium, munere suo Gottorpii exutum, Dani intellexerunt. Is ab initio Duci svaserat, ut omni ope constantem sibi Daniæ Regis amicitiam pigneraret: nec minus cum Svecia amicitiam qvantum detur coleret, ut tamen hujus rationibus penitus sese haut innecteret, nec ejus consilia seqveretur. Etsi enim Sveci ejus causam in calamitate, in qvam is propter istos præcipitaverat, susceperint, Gallumqve ad idem faciendum excitarint; id tamen non sincero ex affectu fieri, sed proprium ob emolumentum, ut per eum Daniam distractam debilitent. Ast si Dux ista consilia à Kielmanno inspirata seqvatur, nunqvam tuto acturum, nunqvam è grandi ære alieno eluctaturum, nunqvam florenti statu gavisurum. Et si maxime Svecorum res potiores,

Gottorpienſium turbarum præludia.

12. Oct.

res,

1679. res, Danorum debiliores futuræ sint, Ducis tamen ditionibus ob earum situm maximum onus incubiturum. Iis rationibus iste apud Ducem effecerat, ut hic Pinnebergam ad Regem proficisci statueret, æternæ amicitiæ fundamenta præteritorum abolita memoria jacturus. Talia cum Svecis è frigore Ducis erga ipsos subolerent, misso Wangelino effecerunt, ut is Cancellarius munere suo dimoveretur, qvi Hafniam digressus omnia Ducis secreta revelabat. Per eundem & Sveci Duci proposuerant, ut hic Esaiam Pufendorfium sibi Cancellarium adsciscerет, qvo ipsi semper Ducis consiliis confidere possent. Ea occasione Brandii Regi Daniæ demonstrabant, cum Danici ministri tantopere gloriati sint, qvod Sveci Lundinensi fœdere promiserint, se Ducis causam haut suscepturos, qvantum fiduciæ ipsi eo in fœdere collocandum sit, postqvam isti ita aperte cum Duce colludant.

Regis Dania in Hamburgensem civitatem conatus.

§. 92. Vix tanti belli flamma utcunqve consederat, cum in Saxonia novum incendium videbatur surrecturum, tentato per Regem Daniæ Hamburgo. Ei conatui ansam dedisse videbatur, qvod hic, cum in Scania operæ pretium fieri non posset, plerasqve copias in Holsatiam transportasset ad Gallorum impetum si forte ingruerent sistendum. Sed postqvam pax cum istis succedebat, obiter tentare instituit, num hoc rerum articulo eam urbem in ordinem redigere posset. Dum circa eandem Danicæ copiæ stativa agitant, ipse Rex cum Hahnio, & Gustavo Wilhelmo Wedelio ad portam Altenoënsem accesserat, tunc ob convocationem civium clausam, & interrogaverat, num intromitti posset. Qvod cum abnueretur, in cingulo fossæ ad alteram usqve portam circumeqvitaverat perlustrandis munitionibus, nemine inclamante, aut sistente. Unde suspicio nascebatur, aliqvid in eam urbem agitari. Ac constabat, Regem à Wedelio stimulari, ut saltem speciem indueret urbem impugnaturi; qvi huic offensus erat, qvod ejusdem magistratus dono centum duntaxat aureorum eum mactasset. Post factam cum
16. Sept. Gallis, ac Svecis pacem Rex palam Brandio significabat; se decrevisse justum obsidium Hamburgo circumponere, ac paratus in eam rem jam factos. Sperare tamen urbem haut passuram rem ad extrema deduci, sed officii memorem haut recusaturam homagium præstare à duobus jam seculis solitum. Hautqvidqvam tamen sibi animum esse eam opprimere, aut ejusdem commerciis vel minimum nocere; ac nil ampliu[s] 1679.
desiderare, qvam reverentiam, & fidem, ne hostibus ipsius uti hactenus receptaculum præbeat. Nec enim sibi ignotum, Holsatiam, & Jutiam maximum detrimentum capturas eo destructo emporio. Potius se ejusdem privilegia in Dania, ac Norvegia, ac circa navigationem ad oram Grœnlandiæ aucturum. Sperare Electorem auxilio sibi futurum, ac Luneburgicis haut permissurum, ut urbem obfirment, qvo minus ipse legitima sua prætensione potiatur. Ac si isti tale qvid audeant, se tota vi eosdem invasurum. Qvo ipso Electori occasio nascitura sit Ducibus pro tam male meritis paria reponendi. Isthæc porro in Hamburgum destinata Hahnius, & id farinæ homines suggesserant, lucri qvid inde captantes, Alefeldio Cancellario dissvadente. Enimvero eorum conatuum gloriosum exitum Brandius haut ominabatur. Eqvidem de Electore sat male meriti erant Hamburgenses, dum ipsius hostes fovent, & assignatam à Cæsare pecuniam abnuunt Luneburgicis confisi, velut horum patrocinio freti impune Cæsarem, & Electorem negligere possent. Sed sæpe nostra interesse, ut etiam male de nobis meriti ne pereant. Cellensis qvoqve aperte urbis causam suscipiebat. Et cum Dano non nisi XIV M peditum VI M eqvitum, ac dimacharum essent, non adparebat, qvomodo duobus tam dissitis locis urbs hoc numero oppugnari posset, ante portam Altenoënsem, & eam, cui à lapidibus vocabulum est. Et qvanqvam Svecus & Anglus in præsens urbi subvenire non possent; vix tamen sperandum erat, Gallum ista dissimilaturum.

Dani eo nomine ad Electorem missio.
24. Sept.

§. 93. Super eo negotio Rex Hermannum Meierum ad Electorem mittebat, qvi una cum Detlevo Alefeldio de sinistris Hamburgensium actionibus, & consiliis, ac refractario ingenio qvererentur, simul Electoris sententiam exqvirerent, an non consultum videatur temporis opportunitatem in usus suos vertere, ac sociatis viribus eam urbem in ordinem redigere. Nam post pacem cum Gallo, & Sveco Regi, atqve Electori egregias superesse copias, ac solorum Luneburgicorum oppositionem metuendam. Cæsari qvoqve urbis acta haut probari; cui & molestum, qvin plane supra vires futurum sit, copias suas media hieme ad subveniendum urbi huc deducere; præsertim cum ipsi varios ob respectus, & suspiciones merito de propria securitate cogitandum sit. Gallum jam declarasse, post

1679. hoſpitiorum negotium ad amicos tractatus rejectum, reliqvis cum Hamburgo controverſiis ſeſe haut ingeſturum, ac Dano potius circa ea omnia fauturum. Belgas qvoqve, & Anglos eam urbem parum amare, nec eorum domi res eo in ſtatu eſſe, ut huic ſe negotio ingerere poſſint. Qvod ſi tamen Elector in præſens dubitet aperte in eam cauſam deſcendere, Rex petebat, ut ſi non toto cum exercitu, ſaltem cum IV M peditibus, II M eqvitibus ſibi adſiſtat, reliqvos idoneo loco diſponat, ſi qvis è vicinia vim opponere inſtituat. Qvia autem ruente in hiemem anno res moram non ferat, & cunctando occaſio corrumpi poſſit, brevi Electoris ſententiam cognoſcere avebat, conſiliis ſuis ordinandis. Addebatur aſſeveratio, Regi haut eſſe in animo urbem ſub jugum redigere, ſtatumqve ejus, & parta privilegia evertere; ſed eo contentum fore, qvod majoribus ſuis præſtitum
16. Sept. fuerit. Ad iſta Elector: Se ſatis agnoſcere juſtam Regis prætenſionem, ac ut ei ſatisfiat optare; nec omiſſurum facere, qvod in ſe ſit. Nec memoria excidiſſe, qvam ſiniſtre ſe hactenus ea civitas geſſerit, ac qvantum ſibi moleſtiæ exhibuerit nulla adhuc pœnitentia, ſic ut ſat cauſæ ſibi ſuppetat vindictam de ea ſumendi. Enimvero ante omnia circumſpecte heic incedendum, ne qvid ſuſcipiatur, qvod perfici neqveat, & unde Regis gloria detrimenti qvid capere poſſit. Inprimis reſpiciendum, num Gallus id diſſimulaturus ſit. Nam ſi is ullo modo urbis cauſam ſuſcipere inſtituat, irritum cœptum cum dedecore abrumpendum; qvem non ſolum propria potentia arbitrum rerum in Europa faciat, ſed & Cæſar, Imperiiqve Ordines, ac præcipue Luneburgici, qvi omnes urbi favent, inſtigaturi ſint. Galli declarationem, ad qvam Rex provocet, laxam nimis, & ambiguam eſſe, nec de violenta exſecutione interpretandam. Unde ſibi videri, iſta deſtinata Gallo candide aperienda, ejusqve liqvidum reſponſum expoſcendum. Ac ſe jam ad Meinderſium ſcripſiſſe, qvid apud Gallum proponere debeat. Si ex voto reſpondeatur, omnia ſe facturum, qvæ Rex deſideret, ac non fœderati ſolum fidem, ſed & ſingularis amici, & cognati affectum oſtenſurum. Aſt Gallo abnuente ſibi haut videri rem aggrediendam. Ac tanti eſſe eam moram interponere, cum & aliqvod tempus reqviratur parandis neceſſariis, & anteqvam ſuæ legiones è Boruſſia, & Ulteriore Pomerania evocentur. Interim ea deſtinata ſilentio premenda. Ubi res ad manus pervenerit, pleraſqve copias ſe ſecundum Albim collocaturum fulciendis Danicis. Qvod ſi Gallus conniveat, & Rex abs qvopiam invadatur, qvem ipſe prius non laceſſierit, ſe ei contra aggreſſorem ex fœdere ſummo ſtudio auxilia laturum. Inter aggreſſores tamen haberi non poſſe, qvi aliqvid copiarum urbi immittant. Maxime omnium tamen cavendum, ne qvid præcipitetur, cum pax nondum exſecutioni data ſit, qvam Gallus tantopere urgeat. Id qvippe aliis Principibus ingentem ſuſpicionem injecturum, novisqve fœderibus pro ſervanda urbe anſam præbiturum. Et qvia Sveci optarint bellum ſibi cum Dania manere, eam occaſionem ipſis gratam fore deſtinatis ſuis obtinendis. Non poſſe autem non ingentem confuſionem oriri, ſi novum bellum ſurgat, altero nondum plane compoſito. 1679.

Gallorum circa id negotium ſententia. 4. Octob.

§. 94. Eo de negotio cum Danus apud Gallos propoſuiſſet, hi metuebant, ne inde incendium iſtas partes late correpturum ſurgat, qvod omnium vicinorum interſit eam urbem ſervari; nec Svecos, Electorem, ac Luneburgicos unqvam concedere poſſe, eam urbem deſtrui, aut ſub Dani ditionem redigi. Ingatum qvoqve Gallis erat, ob eam urbem Danum, & Luneburgicos collidi, qvorum hi eam cauſam fervide in Gallia agebant. Pomponius oſtendebat; vulgatum fuiſſe, inter Danum, & Electorem ſuper hac urbe invadenda conveniſſe, & hunc copias præbiturum lautioribus conditionibus ab ea extorqvendis. Sed ſibi nunqvam perſvaſum, Electorem pro ſua prudentia ad opprimendam tam celebrem urbem concurſurum, qvam ſervari non minus ipſius, atqve Luneburgicorum interſit. Eqvidem reponebat Meinderſius; Dano animum non eſſe urbem opprimere, ſed tantum ſua jura vindicare; ac ſpem eſſe eam ultro officium facturam. Sed Pomponius reſpondebat: deſtinata Dani ſatis colligi è valido exercitu, numeroqve machinarum, & navium urbi propinqvantium. Ac non poſſe non ingens bellum inde ſurgere, ubi vicini ſeſe immiſceant, qvod propter rationes ſuas utiqve facturi ſint. Id qvod Rex nullo modo probare poſſit, communi Europæ pace tanto cum labore conſtituta, qvin Danica pace nondum ratihabita. Ac ſperare, Electorem non aliter, qvam per amicam interpoſitionem negotium ſuſcepturum, qvod & non modicæ ipſi gloriæ ceſſurum ſit. Urbem qvoqve circa negotium hoſpitiorum Electori ſatisfacturam. A Meiercrona exhibitum ſcriptum, qvo

Daniæ

1679. 6. Octob. Daniæ Regis jura deducebantur, Gallis non satisfaciebat; qvi judicabant, eo nil solidi præter caput de homagio contineri. Mox ab ipso Rege Meindersio ejusmodi declaratio dabatur, *Sibi non propositum esse, juribus Regis Daniæ in Hamburgum qvid detrahere, ac peculiariter circa homagium, qvod ab urbe præstari par sit, si ad id teneatur. Sed se magnopere cupere, ne novo bello ansa præbeatur, qvod omnium interest eam urbem servari, ac se misso Rebenacio Daniæ Regi moderationem ingesturum; nec minus urbem monuturum, ut qvæ debet præstet.* De cætero Rex Electoris consilium laudabat, ac ut id continuaret rogabat, utraqve parte ad amicos tractatus permota, ac ut armis abstineatur, non nisi viciniæ molestiam, ac forte ruinam urbi cum horum omnium irreparabili damno daturis. Luvoisius qvoqve valde probabat, qvod Elector, utut graviter offensus, & prona vindicta, veras suas rationes ante affectus habuerit.

Luneburgicorum ad Electorem missio. 6. Octob. Grotii.

§. 95. Super eodem negotio à Luneburgicis missus Augustus Grotius Electori proponebat; Hautqvidqvam Dano animum esse urbem officii duntaxat admonere, sed penitus sub jugum mittere. Nam isti fini paucas naves bellicas sufficisse, nec septuaginta machinis, triginta grandibus mortariis, ac tanto exercitu opus fuisse. Suspicionem qvoqve augere, qvod ea destinata ita solicite vicinorum notitiæ subtracta fuerint, detentis qvoqve tabellariis. Ac id sine dubio jam effectui dandum fuisse, ni adversus ventus naves attinuisset. Interesse autem omnium vicinorum, qvin totius Germaniæ, id emporium servari, unde hujus commercia magnam partem 11. Sep. dependent. Sane per Alefeldium Cancellarium Ducum ablegato denuntiatum, Regi decretum urbem ad præstandum officium compellere; qvam ubi semel oppugnare cœperit, non abstiturum, nisi fracta ejusdem pertinacia; nec gavisuros, qvi urbis defensionem ausi fuerint. His permotum Cellensem Ducem subigente necessitate, ac vi delegationis Cæsareæ militum manum urbi immisisse, ne hæc forte subito opprimatur. Sed Duces non parum perturbatos, postqvam sparsum sit, inter Regem, & Electorem de compacto rem geri, & hunc istius destinata omni vi fulturum. Cui famæ etsi apud Duces fidem ademerint Electoris prudentia, ditionumqve ipsius notoriæ rationes; fiduciam tamen id asseverantium non levem istis scrupulum injecisse. Sed qvia mox intellexerint, Electorem in ejus negotii partem non venire; Duces jussisse ipsi eo nomine maximas gratias agi; qvi & sperent, Electorem ad avertenda ista mala simul incubiturum, ac Ducum officium apud Daniæ Regem fulturum, ut amota vi res amice componatur. Ad ista Elector: Satis se gravitatem negotii agnoscere, facile periculosas turbas parituri; ac maxime dolendum fore, speratam qvietem inter ipsa primordia intercipi. Sibi nil magis cordi esse, qvam pacem, in vicinia præsertim conservari, ac eum in finem enixam operam navaturum, modo ne ipsa urbs hucusqve exertam pertinaciam juri, & officio præferat. Ducum studio circa amice componendam litem libenter se velificaturum, nec in ejus partem venturum, nisi ea forte ita tractetur, ut casus fœderis inter se, ac Regem Daniæ exret. Itaqve se expectare, ut sibi suggeratur, qvid ipse ulterius ad amicam compositionem conferre possit; qvod à primariis partibus nondum qvid ad se relatum sit. Etsi nec alias omissurus sit in medium conferre, qvod par sit. Querebatur inde Elector, Duces in Belgio, & apud Gallum præpropere sparsisse, qvasi ipse Hamburgum simul oppugnaturus sit; lætum tamen esse, qvod eventus aliud demonstrarit. Contra monebat Grotius de legionibus Electoris in Meclenburgica stativa habentibus. Ad qvod Elector: qvam primum Hamburgensis negotii felix exitus appareat, nec aliqvid hostile in Saxonia Inferiore metuendum restet, ita se acturum, ne Duci qverendi causa sit futura. De istis Electoris legionibus in Meclenburgica hospitantibus, Cellensis qvoqve apud Daniæ Regem qvestus fuerat; velut per eas sua existimatio lædatur, qvod ipse Meclenburgico Duci eo nomine caverit. Cui Rex responderat; Non minus sibi, atqve Electori, qvam Cellensi Duci licere stativa ibi capessere. Qvod si Dux ideo præceps qvid, ac turbis ansam daturum suscipiat, se non posse non in partem venire; nec diutius tolerandum, Ducem obtentu præfecturæ Circularis militiæ plus sibi autoritatis arrogatum ire, qvam ipsum Cæsarem. Qvia porro Luneburgici legiones suas sub Harburgo contraxerant, non aliud causati, qvam qvod Electori non fiderent, hic continuis vellicationibus irritatus Dano svadebat, ut tantisper Hamburgense negotium seponeret, idqve seqvestribus extra partium studia politis committeret, qvo id Luneburgicorum manibus eripiatur aperte cum urbe colludentium. Ac parum Regi profuturum, si maxime urbs homagium præstet; cum omnes dicturi sint, eum urbis oppugnationem non ausum. Unde com-

1679. modissimam fore viam hoc negotio honeste sese extricandi, si omissa urbe in Cellensem ruatur. Sed Regi satius videbatur tractatus cum urbe persequi; ac Danici ministri parum curare videbantur, negotium tanto cum strepitu cœptum ut cunq; finiri. Unde & Electori impetus coërcendus erat Ac jam Luneburgici nomine urbis tractatus auspicabantur, qvod hujus delegati metuerent, ne sibi à Rege manus injicerentur. Ac brevissima via videbatur, præsenti rerum statu relicto, ab urbe aliqvam submissionis speciem, ac pecuniæ summam præbere. Nec parum ad accelerandam negotiationem faciebat, qvod Elector copias suas ad Albim, & in Meclenburgicam usqve progredi jussisset, simul officium suum offerret, qvo Luneburgicis non levis stimulus ad festinandam transactionem addebatur.

Elector sequestrem se offert. 13. Octob.

§. 96. Nam Elector, ne soli Luneburgici id negotium ex usu suo temperarent, & ipse officium suum interponere instituit. Qvo fine Crocovius mittebatur, una cum Brandiis fratribus ei tractatui invigilaturus. Iis injunctum omni modo curare, ut Rex salva existimatione hanc litem finiat; tum utiqve providere, ne res ad manus perveniat. Postqvam Daniæ Rex officium acceptasset, Crocovius Hamburgensibus proponeret: Etsi eorum civitas hac tempostate plurimum aversionis erga Electorem ostenderit, ac pertinaciter abnuerit, qvæ aliæ primariæ Imperii civitates haut recusarint, sic ut hac occasione merito uti possit isti ad debitam satisfactionem, ac damni dati reparationem compellendæ: non sine commiseratione tamen periculorum ejusdem statum respexisse, curamqve suam intendisse, ut per æqvas conditiones reconciliato Daniæ Rege imminentia mala averruncentur. Eoqve svadere, ut placato Rege urbs conservetur, nec ad extrema res deducatur fiducia situs, munitionum, ac civium multitudinis. Nam & illa multis potentibus urbibus haut profuisse, & hanc semel orta confusione, qvam nemo præstare possit, plus noxæ qvam roboris afferre sveviſſe. Tum ne aliorum auxiliis nimium confidat, qvi fere suum lucrum aucupentur. Ubi civitas ipsius officium admiserit, Cellas profectus Duci exponeret; Electori gratum esse, qvod ipsi conservatio pacis recens factæ, & aversio turbarum cordi sit; qvo fine & is operam navaturus sit. Bene facturum Ducem, si curet, ut negotium illæsa Regis autoritate, nec sine ejus emolumento componatur; ac si idem civitatem moneat, ne per inanem pertinaciam sui satisfactionem recusare pergat. Circa ea- 1679. ges transactionis Electori haut iniqvum videri, si civitas Regi jurejurando se obstringat, uti Christiano IV factum. Si tamen id obtineri neqveat, cavendum, ne abruptis tractatibus res ad arma perveniat, sed temperamento potius adhibito ad aliud tempus differatur. Daniæ autem Regi Crocovius una cum Brandiis fratribus dicere jubebatur: Electori admodum probari, à Rege hanc rem non ad extrema deductam, sed amicam compositionem admissam. Nam ututipse Regi qvævis incrementa optet, metuendum tamen, ne ubi ad vim descensum fuerit, obsidio tantæ urbis difficillime procedat ob situs, & munitionum indolem, & qvia tot Principum rationes eidem innectuntur; eoqve gloriam armorum Regiorum hac præsertim anni tempestate in ancipiti fore. Igitur optime sibi consulturum Regem, si honestam transactionem molestæ, atqve incertæ belli aleæ præferat. Hamburgenses qvoqve per literas Electoris auxilium expetebant. Qveis responsum: Eo stalia actis *13. Octob.* suis hucusqve non meritos: subigente tamen boni publici cura ultro Crocovium isti negotio componendo missum.

§. 97. Crocovius cum Pinnebergam *Hamburgenses* perveniſſet, ubi Daniæ Rex tunc agebat, *censo negotium* jam profligatum, & conclusionem mox imminere intelligebat. Nam *componitur.* super homagio ad futuram decisionem judicialem, aut amicam compositionem rejectum fuerat, temporaria conventione interposita, qva utriusqve partis jura reservabantur. Hamburgenses qvoqve per delegatos Regi Pinnebergæ submissionem aliqvam absqve tamen solennitate testaturi erant, cujus formula tunc adornabatur. In satisfactionis vicem civitas Regi jam CL M uncialium obtulerat; Rex de D M qvos initio postulaverat, ad CCCL M remiserat. Postulato, ne civitas deinceps Regis hostibus opis qvid præstaret, hic tacite desistiterat. Ac obtentu privati negotii Antonius Altenburgicus Comes, & Kœrbicius *Kœrbitz.* in urbem se contulerant, absolvendo negotio. Nec opus erat hortatibus, omnibus ultro in transactionem inclinantibus. Cæterum Rex testabatur, initio sibi propositum fuisse, urbem ad debitum sacramentum, simul reparationem damnorum, & expensarum ostentatione duntaxat armorum compellere, ac ut cautionem de non sublevandis in posterum ipsius hostibus præstaret. Sed interim Luneburgicos se ingessisse, ac obfirmata civitatis pertina-

1679. tinacia rem eo deduxisse, ut ipse jam destinatis suis citra vim armorum potiturus haut videatur. Cum autem ipse extrema tentare nolit, temporariam conventionem placuisse; ac sperare, brevi omnia confectum iri. Si negotium hæreat, Electoris operam sibi gratissimam fore. Ut Luneburgicos seqvestres repudiaret, sat causarum sibi fuisse, velut qvi non obscure in adversas partes concesserint, numeroso milite in urbem immisso. Sed declinandæ collisioni id se dissimulandum duxisse. A Gallo, Anglo, & Belgis oblatum officium se declinasse, nisi qvod Rebenacius excludi non potuerit, qvi tamen pronum se valde in urbis partes ostendat. Interim literæ à Cæsare Hamburgum adferebantur: qvibus acceptis civitas aliqvot dierum dilationem petebat, sic ut tractatꝰ vado videretur adhæsurus. Crocovius inde apud Hamburgenses qvæ jussus erat exponebat. Ubi circa pecuniam duntaxat aliqvid difficultatis supererat, qvod seqvestres Regi plus obtulissent, qvam in mandatis à civitate habebant, qvæ eorum pollicita præstare nolebat. Sed Crocovius demonstrabat; ab urbe Luneburgicas copias alendas; multas civium naves in Dani manibus esse, commerciis interim qviescentibus. Igitur satius esse amoliendis ocyus istus incommodis aliqvid pecuniæ prodigere. Qvod & factum. Hamburgenses Luneburgicis in tres menses sexagena uncialium millia promiserant. Sed postremam pensionem Duces remittebant, cessante jam periculo, pignerando in futurum sibi civitatis affectui, & ut eo libentius qvovis casu eorum auxilio uterentur. Negotio absoluto Crocovius supervacuum censebat Cellas proficisci. Ea occasione Crocovius controversiam cum Hamburgensibus super hospitiis expediebat, Rebenacio licet jactante; eam Regis sui causam esse, qvi in offensæ vicem accepturus sit, si civitas ultra C M uncialium det. Sed Crocovius reponebat; Hamburgenses ultro ei summæ qvid addituros ob navatam in præsenti causa operam. Ita hi CXXV M uncialium dedere; in qvam summam qvoqve imputabantur pretia navium & mercium, qvas Electoris excursores maritimi Hamburgensibus interceptas Hafniæ distraxerant. Ea transactione absoluta Dani svadebant, ut Elector legiones suas è Meclenburgica retraheret; qvod ipsi utiqve pacem velint, & cum Luneburgicis hac tempestate collidi aversentur. 1679.

§. 98. Sub finem ejus anni Berolinum veniebat à novo Tartarorum Hano Muradino Kieraio missus legatus Assem Aga, qvi de suscepto ab hoc regimine significabat, simul gratulatione defuncturus, qvod eidem de illustribꝰ Electoris gestis auditum fuerit. Addebatur de valetudine Electoris inqvisitio, ac Tartaricæ amicitiæ oblatio, & qvæ alia istius nationis legatis recitare mos est, ubi magis munerum captandorum, qvam negotii cujuspiam expediendi causa veniunt. Is Tartaricum eqvum sat strigosum dono offerebat; cui vicissim argentea vasa, ac splendidæ vestes non modici pretii dabantur. Is legatus gravem veolentiam in Nova Marchia exercuerat, sic ut agrestes Cartzigii signo dato convocandi essent, qvi ferocientes armis exuerent. Qva super re iste Berolini qverimoniam movebat velut jure gentium violato. Post tamen idem ultro intercedebat, ne qvi manus ejus comitibus injecissent, capite pœnam darent; qvæ decreta non fuerat. Aulæ ridendi materiam præbebat interpres Tartaricus, cui ligneus nasus, nullæ aures erant. *Tartarica legatio.*

SAMU-

SAMUELIS PUFENDORFI

DE

REBUS GESTIS FRIDERICI WILHELMI MAGNI

ELECTORIS BRANDENBURGICI

COMMENTARIORUM

LIBER DECIMUSOCTAVUS.

EPITOME.

Ut Electori amicitia Gallica affectanda fuerit? 2. Circa fœdus Gallicum considerationes. 3. Elector ad fœdus ab Anglo invitatur. 4. Electoris ad eam invitationem declaratio. 5. Cæsar Electorem ad conventum invitat. 6. Cæsar denuo Electorem solicitat. 7. Galli in diversa tendunt. 8. Elector satisfactionem ab Imperio haut quidquam impetrat. 9. Electoris circa Daniæ Regem considerationes 10. Elector in Hispanos offensam exserit. 11. Super abrepta Hispanica nave disceptata. 12. Elector Ducatus Magdeburgici possessionem capit. 13. De reunionibus Gallicis Monasterii circa Gallicam satisfactionem acta. 14. Gallus reuniones suscipit. 15. Super istis reunionibus disceptata. 16. Ordines Imperii super his ad Gallum scribunt. 17. Palatinus armis sublevari petit. 18. Galli responsum. 19. Cæsarei a Gallo asserta falsi arguunt. 20. Galli rationes ulterius discutiuntur. 21. Gallus Argentoratum intercipit. 22. Arausionensis frustra Anglum excitare conatur. 23. De tractatu Associationis. 24. Cum Daniæ Rege acta. 25. Fœdus cum Hanoverano Duce. 26. Cum Saxone acta. 27. De nuptiis Marchio-

1679. chionis Ludovici cum Radzevilio. 28. Super eo connubio acta. 29. Gallorum officium hoc in negotio inane est. 30. Super jure indigenatus in Polonia considerationes. 31. Elector protectionem Ordinum Frisiæ Orientalis suscipit. 32. De navigatione societatis Africanæ Brandenburgicæ in Guineam. 33. Conventus Francofurtanus super reunionibus Gallicis. 34. Electoris missio ad Moguntinum. 35. Sententia Moguntini: 36. Palatini: 37. Trevirensis: 38. Colonienſis: 39. Bavari: Saxonis: 40. Hanoverani: 41. Monasterienſis: 42. Cassellani. 43. Cum Daniæ Rege acta. 44. Cum Gallo acta. 45. Francofurti acta. Gallica propositio. 46. Inania litigiorum. 47. Responsum ad propositionem Gallicam. 48. De lingva contentiones. 49. Electoris ad conventum Francofurtanum missio. 50. Cum Rosenbergio Comite disceptata. 51. Francofurti opera luditur. 52. Ratisponæ acta. 53. Sententia Magdeburgica. 54. Sententia Austriaca huic opposita. 55. Electoris contra hanc sententiam vindiciæ. 56. Electoris ad Cæsarem missio. 57. Elector à se acta defendit. 58. Super Laxenburgico fœdere querelæ. 59. Viennæ à Crocovio acta. 60. Neoburgici sententia. 61. Cæsareorum responsum. 62. Periculum à Turca ingravescit. 63. Electori Cæsaris responsum haut satisfacit. 64. Super fœdere Laxenburgico disceptata. 65. Elector Moguntiam, & Francofurtum mittit. 66. Gallorum replica. 67. Ulterius Francofurti acta. 68. Cæsareorum Deductio. 69. Conventus Francofurtenſis abrumpitur. Gallorum secreta destinata. 70. Fœdus cum Dano renovatur. Rex, & Elector Itzehoæ conveniunt. 71. Circa negotium Gottorpiense considerationes. 72. Monasterienſis in fœdus suscipitur. 73. Cum Belgis, & Arausionenſi acta. 74. Cum Gallo acta. 75. Legatio in Sveciam. 76. Collisio legati Gallici in Svecia super cerimoniis. 77. Responsum Brandio in Svecia datum. 78. Elector cum Saxone consilia confert. 79. Saxonis circa hæc sententia. 80. Cæsar de bello Turcico significat. 81. Electoris ad Cæsarem missio. Apud Saxonem proposita. 82. Mandata ad Cæsarem. 83. Viennæ disputata. 84. Cæsareorum declaratio. 85. Responsum scripto datum. 86. Electoris in Poloniam legatio. 87. Polonus auxilia ab Electore contra Turcam petit. 88. Ratisponæ cum Gallis acta. 89. Ordinum declaratio. 90. Circa Svecum considerationes. 91. Electoris ad Luneburgicos missio. 92. Galli consilia. 93. Cum Belgis acta. 94. Viennæ obsidium. 95. Princeps Anhaltinus ad Cæsarem mittitur. 96. Tractatio cum Cæsare fit irrita. 97. Elector inter Boreales pacem servare studet. 98. Daniæ Regi quies persuadetur. 99. Gallus Danum in arma stimulat. 100. Circa fœdus cum Luneburgicis acta. 101. Saxonis ad Electorem missio. 102. Electoris circa avertendum Gallicum bellum cura. 103. Ratisponæ acta. 104. Galli destinata ab Electore eluduntur. 105. Elector apud Cæsarem de pace urget. 106. Elector Luneburgicos ad pacem permovere studet. 107. Electoris circa Arausionenſem causam studium. 108. Cæsaris ad Electorem legatio. 109. Electoris declaratio. 110. Ulterior Cæsarei legati propositio. 111. Viennnenſis aula nondum in inducias inclinat. 112. Cum Hanoverano acta. 113. Ad Colonienſem mandata. 114. Colonienſis declaratio. 115. Fœdus cum Colonienſi. 116. Fuchsii ad Belgas mandata. 117. De profugis Anglis. 118. Amstelodami acta. 119. Arausionenſis sententia. 120. Elector bellum à Belgis avertit. 121. Cum Luneburgicis acta. 122. Circa eosdem compescendos agitata. 123. Luneburgici adhuc tergiversantur. 124. Elector moderatiora suadet. 125. Cum Colonienſi acta. 126. Cum Gallo acta. 1679.

1679. *127. Pactum Gallicum Meclenburgico super Dœmitza. 128. Cum Belgis acta.* 1679.
129. Belgæ demum in inducias inclinant. 130. Ratisponæ super induciis acta. 131. Bavarus in inducias est pronus. 132. Ratisponæ jam propius ad rem acceditur. 133. Circa adornandas inducias satagitur. 134. Instrumentum inducIarum. 135. Cum Luneburgicis fœdus ab Electore initur. 136. Circa Svecos cura. 137. Polonus ab Electore auxilium contra Turcam petit. 138. Elector titulum Zolleranum assumit.

Cur Electori amicitia Gallica affectanda fuerit?

DEfunctus erat gravissimo bello Elector, qvo, virtutem secundante fortuna, immortalem sibi gloriam pepererat, pulsis tota Germania Svecis, qvi huic, atqve vicinis regnis diu terrorem incusserant, & expugnatis Pomeraniæ urbibus, qvas opinio hactenus invictas tulerat. Sed qvo minus præmium caperet tantis victoriis simul exhausto labore, ac sumtu dignum, defectio fœderatorum, ac invidia effecerat, gliscentem ejus potentiam limis uti solet oculis adspicientium, ac pro egregiis meritis cœca odia reddentium. Sane nota est Pauli Hocheri vox, negantis Pomeraniam Electori relinqvendam, *qvod ipsi volunt Regem Vandalorum habere.* Qvia autem tanto bello ditiones ipsius misere vastatæ erant, non modico qvoqve ære alieno contracto, nec inter infensos, aut invidos armis sese exuere tutum videbatur; circumspiciendus erat fœderatus, qvi saltem securitatem præstaret, qvoad per pacem vires instauratæ essent. Et cum, qvi hactenus fœdere juncti fuerant, fidem fere apud ipsum consumsissent, nemo præter Gallum supererat, cujus autoritate, ac potentia ista obtinenda videbatur. Sed & qvantivis erat, ut Sveci aliqvando fœdere Gallico avellerentur, cujus effectus tum universæ Germaniæ, tum præcipue Electoris ditionibus periculosissimus erat, velut qvæ primo loco ad invasionem eorum patebant, si qvando eos propria, aut Galli libido in arma pertraxisset. Qvæ occasio antehac frustra captata nunc opportunam sese offerebat, postqvam Svecorum duces rebus sinistre gestis veterem armorum gloriam haut parum imminuerant, simul retentus è pristina fortuna ferox agendi modus tædium sui apud Gallos excitaverat. Cæterum arctius sese innexurus fuerat Gallo Elector, si permoveri is potuisset, ut Pomeraniam ipsi concederet, cujus retinendæ immensum desiderium eundem tenebat. Sane multis ingerebatur; Electoris, Daniqve conjunctionem Gallo longe uberiorem fructum parituram, qvam fœdus cum Svecis, tanta impensa hucusqve emtum. Simul ostentabatur Electoris opera, qvam is aliqvando Gallo præstare posset circa negotium, qvod ipsi semper qvam maxime cordi fuerat. Qvod etsi Galli ambitionem qvam maxime titillaret; qvia idem tamen in longum prominebat, nec à solo Electore pendebat, ac lapsu temporum multa accidere poterant, qvæ id destinatum irritum redderent; Gallo ambiguam spem isto pretio emere tanti non videbatur. Unde qvibusvis conditionib9 prævalebat gloria non destituti infelicis fœderati, ac ut documentum in futurum extaret, Galliæ socios etiam contra fortunæ iniqvitatem per hujus opes tutos præstari posse.

Circa fœdus Gallicum cum confœderatos.

§. 2. Pace facta cum super fœdere ageretur, Elector id præcipue optabat, ut à Gallo insignis pecunia annua solveretur, qva ipse non terrestrem solum militem augere, atqve alere, sed & modicam classem instruere posset. Ex qvo qvid utilitatis in Galliam redundaturum sit multis demonstrabatur. Sed Galli ista frigidius accipere. Regem non nisi de pace cogitare, eoqve tam oneroso fœdere opus ei non esse. Bellum tot per annos gestum Galliæ tantum molestiæ dedisse, ut saltem ad tempus de stabili qviete cogitandum sit. Regem multum æris alieni contraxisse. Cives valde exhaustos, qvos fructibus pacis, & aliqvo levamento gaudere par sit. Pace ubiqve stabilita XX M eqvitum, plura peditum exautoratũ iri. Esse qvoqve statum Galliæ, & Electoris tam variis rationibus obnoxium, ut reqvirente provinciarum situ modo huic, modo alteri sese innectere necessum habeant, nec usqve adeo stricte uni se amico addicere qveant. Deniqve esse qvidem multas arctioris conjunctionis inter Galliam, & Electorem rationes. Sed qvia post pacem Vossemensem iterum in arma eruptum sit, haut decere ab hostilibus protinus ad tam

arctam

1679. arctam conjunctionem descendi; ac prius molestam præteritorum memoriam plane obliterandam; inde facto gradu pro re nata ad strictiorem unionem progrediendum. Ea Galli persimonia animadversa Elector sibi qvoqve circumspectius agendum judicavit, nec ita arcte cum Gallo vinculum adstringendum, ut aliorum amicitiam, qvibuscum gravissimis status rationibus jungebatur, abdicare necessum haberet. Nec obscurum erat, qvanto periculo ipsum, Domumqve suam intempestiva cum Gallo conjunctio implicare posset. Ac si fœdus, qvod ad alterius offensam pertineret, evulgaretur, contrariis fœderibus ansam præberi, plus incommodi daturis, qvam è Gallica amicitia sperabatur. Neqve vero contrahi aliqvid poterat, qvod Cæsari atqve Imperio, tum Belgarum Reipublicæ fraudi cederet. Et cum non magis Electoris, qvam qvorumvis aliorum Principum interesset, Galli potentiam glisscere; haut committendum erat, aliqvid à se admitti, qvo isti aliqvid accederet, modo ulla ratio adpareret id absqve majore jactura impediendi. Contra morosam nimis cauponationem haut permittebat cura ministrorum Svecicorum, omni ope id fœdus impedire laborantium. Et qvia æmuli anxie amicitiam Galli aucupabantur, sufficere visum, amputatis moris vetus mutuæ defensionis fœdus instaurare, idqve ad præsentia tempora pressius adaptare. Super expromendis liberalius pecuniis instanti Meindersio Pomponius superius memorata reponebat. Regem post toleratas per aliqvot annos belli curas qvietis cupidum esse; ac velle, ut tenuati opibus cives fructibus pacis recreentur. Interim nemini hostilia suspicandi ansam præbiturum, nec à qvopiam infensa ultro intentatum iri sperare. Ita tamen res suas disposituram, ut, si qvis in ipsum, aut fœderatos suos hostilia meditetur, in promtu vires sint, qvæ opponi qveant. Eo fine CXX M peditum, XV M eqvitum, V M dimacharum sub signis retenturum, qvibus selectissimos ductores præfecturus sit: reliqvas copias exautoraturum. Qvia tamen etiam pacis tempore de amicis cogitandum sit, inter tot omni ex parte oblata fœdera Electoris potissimum elegisse, qvem præ omnibus ob res tanta cum virtute, ac prudentia gestas æstimet. In præsens tamen Regi superfluum videri, ab Electore numerosum exercitum ali. Nam sua se autoritate plenam ipsi securitatem præstiturum: ac si necessitas svadeat, super pluribus copiis instruendis facile consilia capessi posse. Superfluis sumtibus in præsens parcendum. Classem ut Elector in Mari Baltico instruat 1680. Galliæ inutile; in Oceano, & Mari Mediterraneo affatim sibi navium esse. Dandum tamen aliqvid magis in symbolum amicitiæ, ac æstimationis, qva Electorem prosequatur, qvam ut subsidiorum vocabulum mereatur; ac arrham id fore ejus, qvod deinceps secuturum sit, prout conditio temporum reqvirat intendendum. Proposuerat qvædam Meindersius circa commercia publico nomine exercenda. Sed Gallo sufficiebat eorum libertatem ubiqve stabilire. Nam privatis mercatoribus maximam circa talia solertiam esse; ac Regem, proceresqve aliqvoties sese commerciis miscere voluisse, sed mox destitisse, cum lucrum multis partibus à sumtibus superari animadverteretur.

§. 3. Porro qvia nemini non constabat, qvantum momenti rebus Europæ adferre posset Elector, prout in hanc aut illam partem se converteret, æmuli qvoqve, aut infensi Gallo ejusdem fœdus expetebant. Eo fine a Rege Angliæ missus venit Robertus Southvvellus, qvi literas ab eo scriptas hoc sensu tradebat: *Nil magis sibi cordi, qvam stabilimentum pacis in Europa, cujus status ea qvam maxime opus habeat. Et qvia norit, eandem Electori mentem esse, optandum sibi, communia in eam rem capi consilia posse. Interim rogare, ne Elector alienis sese fœderibus innectat.* Mox sermone, postqvam multa de sincero Regis sui animo in Electorem præmisisset, proponebat: *Abnegari equidem non posse, qvin is aliqvot ab annis Gallo arcta conjunctione innexus fuerit; præsertim cum hic ipsi confirmarit, nil aliud sibi destinatum, qvam posito qvam primum bello stabilem deinceps pacem colere. Ea de causa Regem per qvosdam suorum ministrorum persvaderi se passum, ut ei se bello non per arma, sed suscepto duntaxat sequestris officio miscuerit, ac pacem pro viribi promoverit, certa spe ductus, eam ab utraque parte sancte servatum iri. Ast post præter opinionem intellexisse, cum Hagæ super novissima pacis evictione inter ipsum, Hispaniaqve Regem, & Belgas agituri inciperet, Avauxium acerrime se opposuisse; cum tamen eadem non solum Neomagensem pacem fundamenti loco haberet, sed & ea ipsa pax isti conventioni ansam præberet. Unde & Belgas Regi super co tractatu incundo sese excusasse, declinandæ Galli offensæ; præsertim cum fœdus mutuæ defensionis inter Angliam, & Belgas anno 1678. Londini factum eundem scopum spectaret. Ac si maxime nullum inter ipsos fœdus extaret; Belgas tamen certo sibi polliceri posse, ab Anglia se ob* *Elector ad fœdus ab Anglo invitatur. 1680. Southwell. 16. April.*

1680. *proprias ejus Regni rationes urgente necessitate desertum haut iri. Inter Angliam qvoqve, & Hispaniam fœdus laxis verbis conceptum esse, qvod facile ad præsentem casum adplicari qveat. Gallo haut sufficisse, novum istum tractatum firmandæ pacis institutum impedire; sed & insuper Belgas ad fœdus defensivum invitasse, non sine inusitato in eam rem studio. Sed Anglum demonstrata ejus negotii indole perviciisse, ut Belgæ id fœdus cum Gallo excusarent; ex qvo inter alia propter notam litem de submissione velorum multa noxia provenire potuerint; qvod omnibus navarchis Anglicis in mandatis detur, qvasvis in freto Britannico sibi occurrentes naves ad submittenda suppara compellere. Sed cum Gallicis navarchis petitum sit id honoris Anglicis exhibere, Gallo in proclivi fore aggressionis culpam Anglis impingere, eoqve Belgas ex fœdere auxilium poscere. Qvia igitur Anglia Rex nil magis qvam pacis conservationem cordi habeat, ac eo fine cum Belgis, ac Arausionensi, velut qvi legitimam, & unicam Magnæ Britanniæ hæredem connubio sibi junxerit, secreto consilia contulerit; eundem nil magis optare, qvam ut & alii Principes, qvibus idem studium, eadem rationes sint, ad tam salutarem scopum obtinendum operam conjungere velint. Eo fine Regem, et sicum Dano, Svecoqve, tum Monasteriensi, Cassellano, ac Luneburgicis per legatos agere instituerit, ante omnes legationem ad Electorem maturasse, qvem vetustissimum, atqve optimum amicorum æstimet, & qui tam longo regimine, ac præcipue novissimo bello tantum sibi gloriæ pepererit, ut Rex speret, si qvid turbarum deinceps oriatur, eum ducem se bonarum partium laturum. Suadere id non solum pacis studium, sed & Protestantium sacra, qvæ & ipse Rex profiteatur, & qvibus ad mortem usqve inhæsurus sit. Utrumqve etiam Arausionensi arctissima cognatione conjunctum. Et si maxime in futurum haut temere bellum sit metuendum; utriusqve rationibus tamen convenire, si vetus amicitia, ac novissimum fœdus, qvod paucos ante annos expirabit, instauretur, & ad præsentium faciem temporum adaptetur.* Addebat, sibi haut in animo esse diu cauponari, sed mandata sua mox expositurum; ac petebat, ut negotium acceleretur, qvo Elector aliis ad paria consilia amplectenda exemplo præire qveat. De Gallo nil peculiariter movere velle; etsi notum sit, qvantos armorum paratus iste faciat. Sed qvæ priori tractatui jam renovando addi velit hæc esse. Orto bello una pars alteri mutuum auxilium præstabit; cujus auxilii modus separato tractatu definiri qveat. Rex id auxilium fœderato suo protinus submittet, ubi invasio ab aggressore 1680.
facta, ac ipse reqvisitus fuerit. Et qvanqvam eo casu aggressor obtendat, Regem id auxilium mittere non posse, ni simul cum ipso in bellum erumpat: Rex tamen eo insuper habito bellum suo qvoqve nomine in aggressorem sumet, ac eidem terra, mariqve arma inferet, super qvorum modo anterupturam conventum fuerit. Post rupturam pax, aut induciæ haut fient, nisi mutuo partium consensu, & post obtentam reparationem, & satisfactionem. Articulis separatis modum auxilii definiri posse, ut Elector Regi, ubi hic invadatur VI M militum auxilio mittat, aut eorum in vicem VI M librarum Sterlinensium menstrua: Rex vicissim eundem militum numerum repræsentet, aut eandem pecuniæ summam Hamburgi, aut Amstelodami numerandam. Insuper Rex octo naves bellicas trecentis viginti machinis, ac reliqvo paratu instructas, aut plures minores eodem machinarum numero armatas in Oceanum Septentrionalem, aut Mare Balticum Electori auxilio mittat. Si Elector terrestrem militem haut desideret, Rex duplum navium, & machinarum numerum exhibeat.

Elector ad eam invitationem declarat.

§. 4. Ad ista Elector reponebat: *Sibi haut missionem, & ad fœdus invitationem, tanqvam luculentum regii in ipsum affectus documentum, longe gratissimam esse. Se qvidem, qvi redditis tot egregiis, ac tanto sumtu partis ditionibus satis declararit, qvantopere communem qvietem propriis emolumentis præferat, omnia qvæ penes se sint collaturum servandæ Europæ tranqvillitati; eoqve sine cum Anglo candide consilia communicaturum. Spem qvoqve esse, Europam fructu pacis tanto labore qvæsita gavisuram, qvod non solum Angliæ Rex tam laudabilem curam circa firmandam operam sua conciliatam pacem testetur; sed & qvia omnes Christiani Principes idem studium profiteantur. Et qvia credi par sit, ea spe neminem eorum, qvorum interest pacem servari, adhuc è re judicasse, aliqvam obligationem ab hoc scopo abeuntem induere; verendum sibi esse, ne si ipse primus ejusmodi fœdus ineat, id suspicionibus, ac adversis fœderibus ansam præbeat, eoqve contrarium plane effectum ab eo, qvem Rex spectet, ac ipse optet, pariat. Cæterum uti ipse ob vinculum communium sacrorum, ac ob respectum in Arausionensem, qvem singulari affectu amplectatur, Regi semper sit addictissimus, in cujus amicitia qvantum reponat, novissimo hocce bello satis testatus sit: ita nunqvam se qvid omissurum, qvod ad amicitiam Regis sibi tam honorificam conservandam faciat; nec magis qvid exoptare,*

1680. *re, qvam occasionem per solida id documenta Regi demonstrandi.* Eo responso Southvvellus haut contentus censebat, Electorem non dubitaturum saltem prius fœdus renovare, qvod ante novem annos expiraverit, qvo nil contineatur cuipiam offensæ causam præbere aptum. Si iniqvarum suspicionum ratio habeatur, nunqvam integrum fore fœdera pangere, aut arma parare. Principes qvoqve Germaniæ hac tergiversatione plane animis collapsuros. Ad
29. April. qvæ nostri: Electori nil scrupuli esse circa renovationem antiqvi fœderis, qvam toties in Anglia solicitaverit; ac honori sibi ducere, qvod à Rege ad novum fœdus invitetur. Enimvero judicare, nondum adhuc tempestivum esse de ejusmodi fœderibus cogitare, magis variis suspicionibus ac motibus qvam paci, firmandæ inservituris. Sane & Belgas oblatum fœdus eo prætexto excusasse, ne Gallo per id suspicio injiciatur. Qvin & ipsum Angliæ Regem, cum Elector qvondam per Sverinum fœderis renovationem qværeret, eo obtentu id abnuisse, ne Gallus suspicione perstringatur. Ad qvæ ablegatus nil qvod reponeret habebat, qvam eo tempore Regem Angliæ arcto fœdere innexum fuisse. Sed eundem nunc clarius perspicere, qvid tam proprii Regni, qvam communes Christiani orbis rationes reqvirant. Et in hunc sensum eidem responsum scripto datum, addito multo verborum honore. Qvi cum deinceps
11. Maij. aliqvot menses in aula Electoris egisset, prætexto adversæ valetudinis domum re-
29. Octob. vocabatur.

Cæsar Electorem ad consensum invitat, 5. Maij.

§. 5. Nec minus Cæsar per Joannem Philippum Lambergium Comitem de Electore in novum fœdus pertrahendo agebat. Is scripto proponebat: *Ex actis à Gallo manifeste patere, eum id unice spectare, ut potentia sua formidinem omni ex parte diffundat, ac præcipue proculcata Westphalica pace Germaniæ multa decerpat, qvam & demum plane sub jugum mittere meditetur. Eundem circa destinata sua magis obfirmatum iri, ubi videat, eos qvorum interest ad ipsius conatus connivere, nec hisce omni jure permissa remedia opponere, velut sua ipsi modestia modum præscriptura sit. Unde Cæsari necessarium visum, ad proximum mensem Julium Ratisponæ cum præcipuis Electorum, atqve Principum congressu habito super defensionis modo convenire, ut toti orbi constet, in se nil desiderari, qvod ad securitatem publicam faciat. Super ea re Electoris sententiam nosse cupere, & nunc Ratisponam se conferre velit, ac qvos Principes potissimum eodem invitandos judicet? Atqve hoc eo magis ab Electore expectari, qvod is anno 1672 per Joannem Georgium Anhaltinum Principem ultro Cæsari ingesserit, qvam necessarium sit citra moram gliscenti Galli potentiæ obsistere. Id qvod in præsens eo magis locum habeat, qvod vires Galliæ in dies augeantur, non obscuro amplius de invadenda Europæ monarchia destinatos; ac Rheni accolas jam eo redactos, ut super intentatis injuriis qveri non audeant. Caterum obtentu suspicionis, qvam Gallus inde conceperus sit, eo conventu haut abstinendum, ei coram toto orbe fatere velimus, penes Gallum jam arbitrium Germaniæ esse, ejusqve libertatem conclamatam, Cæsare non amplius de republica consultare audente. Hoc congressu qvoqve scrupulum, qvi plerosqve urget, amotum iri, qvod nemo temere sententiam suam primo loco expromere audeat; qvod decretum ibi ab universis capiendum sit. Nec esse, qvod expectetur, num qvod operæ pretium missus in Galliam à Cæsare Comes Mansfeldius factus sit. Illum sane præter inania verba nil relaturum, qveis in soporem dari eorum non sit, qvi Gallos tot è documentis norant. Adversa valetudine Electorem ne ab expeditionibus qvidem absterritum, qvibus præsentia ipsius tantum pondus addiderit. Eo congressu veteri amicitiæ inter Cæsarem, atqve Electorem plurimum accessurum, simul occasionem inventum iri multis partibus huic satisfaciendi.* Ad ista Elector: Cæsaris studium sum-
13. Maij. mopere laudandum circa curandas Imperii res, cujus conditio nunc longe periculosior sit, qvam durante adhuc bello. Eoqve consultationes plus circumspectionis reqvirere, qvod præcipua Imperii membra, armis insigniter instructa, nondum urgente hoste per pacem Neomagensem distracta sint, ut nunc exteris in proclivi sit unum post alterum opprimere. Id qvod metuendum non fuerat, si vires, & consilia unita perstitissent. Ac optare se, ut Cæsar, qvæ heic occurrant, difficultates superare, cum vicinis pacem retinere, ac Imperii majestatem conservare qveat. Se qvidem libenter pro incumbente officio consilium subministraturum circa omnia, qvæ ad salutem patriæ faciant. Sed si in mentem veniat, qvam malignum exitum res sortitæ sint, cum Germania unita, ac tam egregie armis instructa foret; vix sibi constare, qvid dicendum sit, postqvam dissolutis viribus Ordines jam ultro impotentiam suam qverelis differant, ac pluribus ob tam insperatam mutationem alia consilia capessenda fuerint. Præsertim cum Gallus ingentes adhuc vires in promtu habeat, qvarum pars in limite Germaniæ parata stet, pecunia, &

1680. commeatu instructissima. An igitur hæc omnia, acalia, qvorum ratio utiqve habenda est, hoc congressu superari qveant, ex eventu adpariturum. Eqvidem Gallum huic conventui haut interces surum videri, qvamdiu de salute, & qviete Imperii consultetur; qvi & jactet, ad ea, qvæ jam suscipiat, per pacem jus sibi qvæsitum. Unde ante omnia necessum fore, qvæ inter novissimos tractatus acta sint discuti, ac justam pactorum interpretationem erui. Qvod si igitur Cæsari, & aliis Electoribus ejusmodi congressus Ratisponæ, aut alibi placeat, se reliqvorum sententiæ facile accessurum. Sed ut ipse eo se conferat, valetudinem non permittere. Cæterum ab Imperio rationes se suas haut dissociaturum. Ac sperare, si res idoneo modo proponatur, Gallum ita declaraturum, prout gloria, ac generoso ejus animo dignum sit, ac prout idem ita freqventer de studio suo circa tuendam Christiani orbis qvietem testatus sit.

Cæsar denuo Electorem sollicitat. 11. Jun.

§. 6. Sed & Hermannus Marchio Badensis ex itinere apud Electorem diverte bat, literis fiduciariis à Cæsare instructus: qvi exponebat; *Cæsaris mentem hac rerum facie esse, ut totum Imperium de perpetuo armorum paratu inter se condeniat, per qvem Cæsari facultas sit ejus securitatem, atqve majestatem tuendi, ac si qvi hostes ingruant, ita protinus qvantum res exigat occurrendi: tum ne vicini, ac fœderati, si in fraudem Germaniæ impetantur, opprimi qveant. Qvæ tamen nullius offensam spectent, sed unice ut necessaria patriæ defensio adversus exterorum invasiones præstetur; inprimis ut pax Westphalica conservetur, ac Turcis idoneæ vires opponi qveant, qvibus cum inita vicennales inducie anno 1683 finem attingant. Isthæc qva ratione qvam commodissime effici qveant, Electoris mentem nosse cupere. Circa qvod negotium Cæsari cumprimis cura fore, ut libertas Ordinum, legesqve Imperii sarta tecta præstentur, sic ut neminі plus oneris imponatur, qvam qvantum necessitas boni publici, & æqvitas cujusqve opibus attemperata requirat, salvis etiam cujusqve sacris ad pacis Westphalicæ normam. Eqvidem ejusmodi negotium sine magnis oneribus, ac sumtibus perfici non posse. Enimvero qvia Imperium à prima ejus origine nunqvam tanto in periculo versatum fuerit, necessitatem exigere, ut dura qvantumvis tolleretur, declinando externo servitio. Præsertim cum longius dilata hacce defensione remedio deinceps locus haut fore videatur. Qvodsi maxime unus, & alter Ordinum per imprudentiam, aut pervicaciam in hos armorum paratus consentire nolit, ejus rationem non habendam, sed haut eo secius iis, qvеis salus Reip. cordi est, decernendum, qvod ex usu patriæ sit.* Ad isthæc Elector regerebat, qvæ non ita pridem Lamberto Comiti responderat; ac in arbitrium Cæsaris referebat, qvem is modum huic scopo obtinendo eligere velit. Se qvidem ad ea, qvæ communi consensu decernenda sint, libenter ratam partem collaturum; ac esse sibi in promtu egregium militem, tum consilia unice ad pacem dirigi. Ad qvod responsum Marchio nihil reponebat. Nec Electori è re videbatur, valde licet instante Lambergio, ad peculiaria descendere; qvod neqve ex usu patriæ, nec propriis è rationibus judicaret, eo se pertrahendum præbere, qvo isti tendebant. 1680.

Galli inversa tendunt.

§. 7. Ast Rebenacius ablegatus Gallicus ejusmodi fœdera, qvæ à Cæsare, Angloqve ostententur, procul habenda svadebat, velut qvæ unice adversus Galliam qværantur, haut timide fremens, si Rex suus animadvertat talia pangi, eum suæ qvoqve securitati prospecturum, ac non expectato, qvoad in effectum erumpant, inimicorum conatus præventurum. Qvanqvam enim prima fronte innoxia videantur; semel tamen coalitam factionem longius progressuram. Id constare, Cæsarem, & Anglum ingenti invidia, cœcisqve odiis adversus Galli gloriam æstuare, ac nil præter occasionem aucupari exserendis hostilibus. Electorem qvoqve sat documentorum percepisse, qvantum Cæsaris amicitia confidere debeat, ac qvam æqvis oculis hic incrementa ipsius adspiciat. Cæsarem, & Anglum fœdus proponere, unum ex ambitione, alterum è nativa invidia, cui multos esse accessuros jactent. Obtentui sumi actus nonnullos, qveis pacem infractam arguant. Cum tamen omnia ista jam Neomagi in disceptationem adducta sint, qvibus Cæsarei tunc destiterint. Reliqva inania esse. Nec credendum, multos ei fœderi accessuros; saltem Bavarum, & Saxonem id non facturos. Nil aliud ab istis qværi, qvam ut amicitia inter Galliæ Regem, atqve Electorem imminuatur. Responderet modo Elector; sibi nullam necessitatem adparere fœderis, qvod non alium scopum habeat, qvam conservationem pacis; cum nemo sit, qvi hanc temerare cupiat; ac famam ejusmodi fœderis magis accelerando bello facturam. Electori tutissimum fore Belgarum exemplum imitari; qvi ne Gallo suspicionem injicerent, Anglo se per fœdus illigare noluerint.

§. 8. Enim-

1680. *Elector satisfactionem ab Imperio haut quidquam impetrat.*

§. 8. Enimvero ista, qvæ à Gallo disserebantur, parum ponderis habitura erant, ni longe graviora Electorem retraxissent, qvo minus se uti antea primo loco periculis objiceret, ac protinus omnes fortunas periculo exponeret, nullo nisi invidiæ præmio. Superiore bello antequam Elector arma in Svecos moveret, qvibuscum sat tolerabilibus conditionibus decidere dabatur, si proprias magis qvam patriæ rationes respicere placuisset, Imperium ei indemnitatem, atqve satisfactionem promiserat. Sed postqvam per arma ab hoste sibimet parta satisfactio per separatam pacem ab Imperio ratihabitam erepta foret; par judicabat, pro sumtibus, ac damnis toleratis reparationem sibi ab iis fieri, qvorum autoritate bellum susceperat, & qvi istam promiserant. Unde super ea satisfactione Ratisponæ proponebat tali tamen cum moderatione, ut per eandem reliqvis Ordinibus nil oneris conciliaretur, utqve adeo ipse de suo sibi solvere posset. Ast mox adparuit, qvam tenuis gratia à reliqvis speranda sit, ubi qvis proprias opes pro publico effuderit. Eqvidem si qvis in prima qvasi acie adversus communem hostem se collocet, id omnes magno adplausu prosequi. Ast ubi de præmio agitur, altum apud omnes silentium, aut blanda verba nullo effectu. Nam præter solitum isti conventui lentorem, ac infinita dilationum, atqve excusationum ludibria, aliorum itidem satisfieri sibi postulantium concursus Electoris desideria elidebat. Ac ut Cæsar qvidem aliqvot superioris Sveviæ oppida deposceret, sat plausibilem colorem habebat, qvod is Friburgum vetus patrimonium Gallis cedere necessum habuisset. Ast id 31. Maij. mirum videbatur, qvod Luneburgica qvoqve Domus sufficientem, & rationi congruam satisfactionem, ac reparationem ingentium sumtuum postularet, qvos novissimo bello publico contra Gallos, ac Svecos pro Rep. impenderit magna cum civium suorum molestia, & oppressione. Qvæ in fraudem Electoris moveri præter notam eorum Ducum in hunc æmulationem id qvoqve indicio erat, qvod palam profiterentur, ansam sibi ad talia petenda præbitam, qvia fœderati qvondam sui eadem postulare decreverint. Atqvi præterqvam qvod nemo hostium pedem in eorum Ducum ditione posuisset, cum plures Electoris provinciæ ab istis miserrime fuissent habitæ, constabat; Cellensi, ac Gvelferbytano qvos fecerant sumtus ubertim ex assignatis, aut ultro vindicatis hospitiis pensatos, magna qvoqve Ducatus Bremensis parte per aliqvot annos eorundem usibus exposito. Et qvam isti ex eo Ducatu nacti erant portionem, sat lautum navatæ operæ præmium habebatur. Hanoveranus vero hostili fœdere implicitus, ut operam suam patriæ subtraheret, ab hoste pecuniam acceperat; ac insuper opimis in Imperio hospitiis gavisus erat, solo Hildesiensi præsulatu per eos annos sexcentis uncialium millibus emuncto. Qvam è calamitate patriæ cauponationem per miseriam temporum inultam esse in lucro habendum erat. Ast omnibus indignationem moverat, qvod Monasteriensis qvoqve Præsul pro sumtibus ab antecessore suo factis satisfieri sibi postularet, velut adhuc præmio mactandus foret, qvi inter exitiabilis belli incentores non postremus fuerat, ac avaritiæ suæ egregie litaverat, qvà maxima lucri spes affulgeret studia transferens, ac publica mala in commercium non sui ordinis vertere callidus. In commune autem, qvos cœca invidia in Brandenburgicam Domum urebat, differebant; Electoris postulatum tanti esse momenti, ut si alii, qveis par præsentio, gemina exigere instituant, vix tota Germania suffectura sit, eo nomine inter istos partienda. Electorem sæpius testatum, se nil periturum, qvod Imperio, aut cuipiam Ordinum fraudi esse qveat. Per Senatusconsultum anno 1675 promissam indemnitatem eo duntaxat porrigendam, ut satisfactio ex hostico per commune Ordinum auxilium qværenda sit. Eam obligationem per peculiares tractatus ab Electore cum hostibus Imperii susceptos exoleviſſe. Multo minus Imperium in se eventus belli recepisse, aut qvod evictionem velit præstare eorum, qvæ Elector auxilio Imperii hostibus erepta post forte belli subigente derelinqvere necessum habuerit. Denique haut spernenda esse, qvæ Elector novissima pace adqvisiverit. Ad propositos à nostris modos, qvibus Electori sine impensa Imperii satisfieri posse censebant, regerebatur. Expectativam in Frisiam Orientalem continere votum captandæ mortis, eoqve merito odiosissimam habendam, ac Cæsaream capitulationem ejusmodi vacantia feuda publicis usibus adplicari jubere. Ac ut maxime Capitulatio Leopoldi talia feuda à Cæsare cum consensu Electorum in alios transferri permittat; eam tamen concessionem ad casum mortis, aut ubi feudum à possessore commissum fuerit, restringi. Qvi casus circa Frisiam non extet, ubi juvenis Princeps sit cum spe prolis; ac insuper alii successores è veteri linea Comitum Riedbergensium superstites agant. Tres civi- *artic. 30.*

tates

1680. tates Imperiales Mulhusam, Northusam, & Tremoniam qvod spectat, haut fas esse uni Ordinum super alterius statu disponere; ac Electorem potius velut directorem Inferioris Saxoniæ, & Westphaliæ ad istarum libertatem tuendam teneri. Saxonem qvoqve certa jura in Mulhusam, & Northusam prætendere. Nunqvam Collegium civitatum in id consensurum, qvod alias satis attenuatum sit: nec Cæsarem, cujus ærario plurimum emolumenti è civitatibus proveniat. Deniqve canonicatus extingvere per Instrumentum Pacis integrum non esse, à qvo ne latum ungvem discedendum, ni Resp. iterum in pristinam confusionem præcipitanda sit. Ad ista à nostris reponebatur. Ab Electore aliorum novissimo bello merita haut elevari; inter suam tamen & aliorum actionem manifestissimum discrimen esse. Cum enim initio belli, qvando Trevirensis, & Palatinus à Gallo invadebantur, Elector in pace ageret, ac certo modo huic juxta, ac Sveco fœdere junctus foret, hortante tamen Cæsare, cum rata portione præstita defungi licuisset, totis viribus expeditionem in Alsatiam suscepisse. Qvo obtentu Svecos post ipsius ditiones invasisse: adversus qvos Imperium ex SCto auxilium, gvarantiam, & satisfactionem promiserit. Qva ratione nemini, præterqvam Trevirensi, cautum esse. Et cum favente fortuna sibi datum fuerit hostes Germania ejicere; separata tamen pace inter Imperium, & Reges sese exclusum, subducta ab Imperio promissa ope; eoqve se coactum justissimo bello parta reddere. Iniqve porro vim SCti jejuna interpretatione elusum iri. Sane nunqvam promissa auxilia, & satisfactionem ab Imperio præstitam. Eqvidem à Cæsare nonnihil copiarum ad priorem expeditionem in Pomeraniam submissum, sed è peculiaribus pactis. Luneburgicis qvoqve pro navata opera exactam refusionem factam. Præter hos neqve Imperium, neqve ullum Ordinum vel uno milite sibi subvenisse, se licet enixe, ac sæpe instante, ac promittente, se cum XX M & amplius post liberatam ab hoste Borussiam contra Gallos ad Rhenum versurum. Qvin usqve adeo à Circulo Superioris Saxoniæ qvadringentos milites custodiendo Berolino negatos. Suam porro actionem eo magis confirmari, qvod ipse separata pace exclusus non omni solum auxilio destitutus, sed & propria defensio negato innoxio transitu ademta fuerit, sic ut hostium libidini exponeretur ab iis, qvi ad tutandum ipsum tenebantur. Usqve adeo absurde jactari, vim promissæ ab Imperio satisfactionis ideo exoleviſſe, qvod sibi ab omnibus deserto demum per duram pacem fortunæ suæ exitio subducendæ fuerint. Qvod autem ipse ad extremum in Westphalia Gallorum armis cedere coactus fuerit, id non tam aleæ belli adscribendum, qvam qvod ipse tam potenti Regi per pacem Neomagensem prædæ expositus fuerit, via qvoqve ad suas ditiones invadendas munita. Modicum id, qvod ab utroqve Rege per tractatus obtentum sit, nulla ex parte Imperio deberi, qvod ne tantillum qvidem officii interposuerit; sic ut per hoc nullo modo isthoc sua se obligatione exuere potuerit. Qvid qvod istud ne minimam qvidem partem comparari qveat cum damno & sumtibus, qvos ipse toto bello toleraverit, & cum eo, qvod per pacem restituendum fuerit. Qvin Clivicas provincias per octo menses post pacem Neomagensem longe plus pecuniæ Gallis in tributum erogasse, qvam qvanti fuerint, qvæ sibi à Gallis numerata sint. Nec vero à se proposita tantis difficultatibus, uti jactatur, laborare. Expectativis in Germania nil freqventius, qvæ & nil invidiosum habeant. Veteribus Capitulationibus haut vetitum vacantia feuda in bene meritos denuo conferre; ac in eam rem non unum exemplum extare. Per Capitulationem Leopoldi æqve vacantia feuda, qvam expectativas cum consensu Electorum concedi posse. Frisiam tantum exempli causa propositam; ac cum ejusmodi spes successionis non nisi post extinctam possessionis stirpem effectum sortiatur, familiæ Frisicæ perinde esse posse, qvis post ipsius fata in Principatu succedat. Esse qvoqve sibi spem successionis in aliorum ditiones, esse eandem aliis in suas; nec tamen qvempiam in alterius gratiam ocyus, aut serius mori. Ac se facile ferre posse, eam expectativam ita circumscribi, ut si alia ratio magis idonea, qva sibi satisfieri qveat, inveniatur, eadem iterum aboleatur. Civitates Imperiales etiam majoris momenti aliis Ordinibus, aut ipsis exteris expresso, aut tacito consensu concedi, aut relinqvi, non insolitum. Nec juri gentium, ac vinculo rerumpublicarum, & humanæ societatis magis qvid congruum, qvam totum corpus jactura unius vel alterius membri servari. Eqvidem singulis Ordinibus de aliis disponere haut integrum esse. Sed qvid juris toti corpori in singula membra sit, præsertim ubi publica salus id exigat, nemini ignotum esse. Deniqve per tres eas civitates Imperio nil decessurum, cum ipse ab istis Imperio, aut Circulis debita in se sit suscepturus; nec Collegio civi-

7. Jul. 1675.

tatum

1680. tarum novum inde onus adcrescat. Qvin earum conditionem in melius ituram; qvod modicæ urbes plerumqve armatis vicinis in hospitia assignentur, aut eorum libidini exponantur; qvalia sub potentioris protectione agentibus metuenda non sint. Ista licet subinde moverentur, nec pleriqve postulatorum æqvitatem abnuerent; nunqvam tamen ab Electore qvid, dum vixit, obtineri potuit.

Elector circa Daniæ Regem considerationes.

§. 9. Sed & alia causa Electorem ad amplectendam Galli amicitiam subigebat, qvod post novissimam pacem haut satis sibi de Dani amicitia cautum videretur. Hic enim de fœdere Svecico nil plane ipsi in antecessum significarat, ac id jam concluſum communicare abnuerat, simul fœdus cum ipso renovare pure abnuerat. Unde & Elector Christophorum Brandium Cancellarium è Danica aula revocabat, jussum tamen asperis verbis, & exprobrationibus abstinere, ac Regi de sua amicitia confirmare. Ei Hafnia digredienti Joannes Gyldenstierna legatus Svecicus dixerat: Svecos intempestive, ac nullo justo paratu in bellum descendisse, cui persequendo haut qvidqvam pares fuerint, statu totius Regni confuso, Rege juvene, ac rerum inexperto, ac multis hostibus imminentibus. Tum sequestris munus, non solum autoritatem, sed & insigne emolumentum datarum, temere abjectum; idqve omne Magni Gardii pravis consiliis factum. Ea res cum Sveciæ tam improspere cesserit, Regem deinceps subsidiis Gallicis valedicturum, qvorum singula centena millia trium millionum jactura pensata sint. Interim Regni intrinsecum Regni statum in melius formaturum, ac res suas ita disposituram, ut externa pecunia opus non sit habiturus. Nec minus commercia exculturum, ac ut qvies Germaniæ, pax Westphalica, ac libertas Imperii sarta tecta perstet curaturum. Cæterum id fœdus inter Danum, & Svecum ea factio in aula Danica, qvæ Electori parum studebat, conciliaverat. Jam olim qvippe Brandii fratres Regi Daniæ demonstraverant, uti Grifenfeldius, optatissima qvantumvis occasione arridente, congressum ipsius cum Electore Gadebuschi dissvaserit, qvod metueret, ne Rex bellandi cupidine imbutus bellicos duces sibi præferret, imminuta in se gratia. Qvæ demonstratio tantum effecerat, ut Rex anno 1675 tres literas propria manu ad Electorem scriberet ignaro Grifenfeldio. Sed & novissimus congressus Dobrani invito Halmio susceptus erat, qvi & ipse una cum Antonio Altenburgensi Comite laborabat Regem ab Electore separare, ne forte huic occasio 1680. foret ipsos gratia Regis depellendi. Unde per fœdus Svecicum Regem adstringere conabantur, ne vel propriam inclinationem ad bellum sequeretur, vel ab Electore ad id induceretur, qvo arctioris conjunctionis occasio inter utrumqve ne esset. Isti duo cum Regi fœdus Svecicum persvaderent, Janum Julum in partes pertraxerant, qvi seipsum obsidem ferebat, Sveco sincerum in Daniam studium esse; Alefeldio Comite contra cavillante, sponsionem à triginta millibus armatis interpositam plus ponderis habituram; qvi & istud fœdus Daniæ parum, proficuum censebat. Qvin & ipse Gyldenstierna per temulentiam jecerat, amicitiam inter Sveciam, & Daniam haut fore diuturnam. Etsi secreta qvædam, & altius penetrantia tunc à Gyldenstierna cum Danis agitata constat; unde, & qvi ejus secreti conscii erant, post istius mortem non parum perturbationis ostendebant. Cæterum nuptiæ demum inter Regem Sveciæ, & Ulricam Eleonoram Daniæ Regis sororem succedebant; circa qvam id à prudentibus valde commendabatur, velut generosæ castimoniæ specimen, qvod nullo modo fiduciariam matrimonialis contractus perfectionem cum legato, uti alias inter id fastigii sponsos moris est, admittere vellet. Qvæ & maximam spem inusitatæ in futuros cives benignitatis Sveciæ inferebat, memorabili cura circa eos exserta, qvi è Bornholmensi naufragio superstites Hafniæ captivi tenebantur; in qvos miseria & morbis fere confectos qvicqvid pecuniæ corradere poterat impendebat, ad extremum gemmis qvoqve suis pignore expositis. Vicissim species insultationis, actui, qvi firmandæ amicitiæ inservire debebat, parum qvadrans habebatur, qvod è sex navibus bellicis, qvæ dum sponsa regia per Oresundam celoce transvehitur, festivis displosionibus perstrepebant, qvinqve essent Svecis novissimo bello ereptæ, Mars, Julius Cæsar, Draco, Amaranthis, & Leo Svecicus. Iis nuptiis ne collisio inter legates Danicos, & Feqvierium Gallum existeret, Rex Sveciæ huic persvaderet, cerimonias nuptiales Halmstadii peractum iri. Ex opinione imbutus Feuqvierius Halmstadii persistebat, dum Rex interim, velut obviam sponsæ processurus, Scattorpii, nobili prætorio, nuptias perficit. Unde & Heugius legatus in Galliam mittebatur splendidissimo cum comitatu, qvi Galli amicitiam ingentibus pollicitis occuparet: eo majore successus spe, qvod ista inter Galliam, & Sveciam indies magis frigeret. Qvæ

1680. res ut Dano succederet Electori qvoqve valde cordi erat; qvod perstante inter Boreales Reges conjunctione non sat sibi securitatis in amicitia Gallica inveniri judicaret. Idqve eo magis, qvod Gyldenstierna Hafniæ exqvisiverat, num Dani qvietem acturi essent, si Sveci Electorem, de qvo aliqvando ultionem sumere existimationis recuperandæ necessitas subigeret, aggrediantur; simul Danos omni modo in Electorem irritare laborabat.

Elector in Hispanos offensam exserit.

§. 10. Cæterum Elector etsi à reliqvis fœderatis illatas injurias nondum digesserat; tamen in Hispanos præcipue dolor, iraqve adhuc æstuabat, qvi tam indignis modis ipsi illuserant; cum tamen ipse in eorum gratiam potissimum Pomeraniam amittere coactus fuisset, qvo isti oppida sua per ignaviam amissa recipere possent. Et qvia exigua spes erat à tam malis nominibus aliqvid extundendi, saltem illata iisdem contumelia dolorem suum utcunqve mulcere instituebat. Ac jam Melchiorem Rucqvium, re infecta ex Hispania discedentem, denuntiare istis jusserat; qvia per tot annorum solicitationes nil effectum sit, sibi demum aliam viam paulo efficaciorem dispiciendam, ut debita satisfactione potiatur; ac se excusatum fore de omnibus incommodis inde proventuris. Eadem Elector per Spanium Villæ Hermosæ significabat. Sane & Galli eandem viam exigendis contributionum residuis institerant. Ac Belgæ ante aliqvot annos ob debita Arausionensi ab Hispano represalias decreverant. Igitur cum Elector octo naves bellicas mediocris formæ, qveis per bellum rem in Mari Baltico gesserat, in Guineam mittere constituisset, commerciis ibi stabiliendis, iisdem injunxit Hispanicis navibus manum injicere represaliarum jure ob octies decies centena uncialium millia, qvæ
15. Maij Hispani ex fœdere debebant. Prius tamen à Gallo stipulabatur, ut si Hispani eo nomine in Cliviam qvid tentarent, is auxilio sibi veniret. Qvi & recenti præsertim amicitia eo proniorem se petitis ostendebat, qvod & ipse per arma in possessionem sese immittere sveverat eorum qvæ sibi deberi crediderat, si maxime adversa pars jus agnoscere nollet; cum heic Hispani debitum haut inficiarentur. A Daniæ autem Rege liberum transitum per Oresundam iis navibus petebat, scisitatus simul, num is in ejus expeditionis partem venire velit. Cui idem respondebat: sibi qvidem ab Hispanis tres milliones deberi; sed in præsens ad id consilii descendere non posse, qvod instructus non sit. Alias Electoris navibus liberum fore è Danicis fretis excurrere; ut tamen in eam rem scripti qvid mandati præfecto arcis Cronoburgensis dare nollet. Contra Sveci audita earum navium armatura non parum inde æmulationis ostendebant, ne forte res navalis Electoris in Mari Baltico glisceret in fraudem Borealium Regum, qvi sibi solis dominium ejus maris ab aliqvo tempore asserverant. Simul Danis factum Christiani IV Regis ostentabant, qvi anno 1639 Uladislai IV Regis Poloniæ naves bellicas ab ora Gedanensi abripuerat. Ac monebat Alefeldius Cancellarius, esse qvod Elector sibi prospiciat. Eqvidem super tantillo numero navium minoris formæ nil controversiæ motum iri. Ast si iis majores naves, qvinqvaginta, aut sexaginta machinis instructas, ædificare instituat, forte contradictionem non defore. Simul judicabat, ubi in freto Britannico qvid tentetur, Anglum eo nomine offensam testaturum, velut qvi istius dominium sibi asserat. Sed Elector isti confirmari jubebat; sibi haut in animo esse classem instruere, qvæ Daniæ suspicionem injicere possit; ac sibi huc fuisse descendendum, qvod Hispani debitum explere abnuant, nec judex sit, qvi morosos debitores ad solvendum compellat. Ast Electoris naves è Mari Baltico in Oceanum transgressæ, cum paulisper sub Zelandia in anchoris stetissent, demum grandem navem bellicam Hispanicam, cui Caroli II. vocabulum, pretiosis mercibus onustam ad littus Ostendæ abripiunt; qvæ post per Oresundam in Borussiam deducta fuit, mercibus Regiomonte distractis. 1680.

Super abrepta Hispanica nave disceptata.

§. 11. Eo super facto Hispani protinus atroces clamores tollebant. Ac Hafniæ qvidem Hispanicus minister petebat, ut Daniæ Rex Electoris naves, & qvas is Hispano eripuisset, in Oresunda sisteret. Unde Alefeldius satius esse ducebat, eas naves vel noctu Oresundam transire, vel per Majorem Balten reditum sumere. Post Hispano responsum; Electoris naves clam evasisse. Ast Hagæ Hispanicus ablegatus Fuen-Major calido libello Belgas stimulabat: nec qvi Londini erat segnius tumultuabatur. Ac Anglus qvidem statim aliqvot naves bellicas mari immisit, ne forte nostri Parmensem Ducem, qvi ex Hispania Belgium versus in itinere erat interciperent. Sed mox cum Electorales ministri demonstrarent, qvibus rationibus Elector ad violentam istam executionem permotus foret, sedato impetu non nisi amica of-

ficia

1680. ficia interponebant, rogantes tantum, ne longius procedatur. Ac Elector ipse literis ad Regem Hispaniæ datis, qvæ in eam rem dici poterant, cordate ingerebat: Se omnia qvæ ex fœdere debuerit, bona fide præstitisse; contra ab Hispano post tot annorum solicitationes nil extundi potuisse. Cum igitur sibi totiens illuso nullum aliud tribunal patuerit, ad represalias fuisse descendendum, qvoad solutum sit, qvod sibi debeatur. Extra id nil hostile in Hispaniam agitare. Eæ literæ ad Marchionem Granæ legatum Madriti Cæsareum transmittebantur, ut eas Regi redderet; sed qvi eas remittebat, causatus, plus ad exasperandam, qvam leniendam offensam facturas fuisse, præsertim cum jam earum literarum exempla complura in Hispania exiterint: ac reddito avtographo responsum fuisse secuturum, animos utrinqve magis irritaturum. Hispani contra scriptum edebant, parum à libelli famosi indole discedens, falsis narratis juxta, ac sententiis refertum. Regem pro captu temporum omnia præstitisse, qvæ fieri potuerint. Eum haut obligatum fuisse bellum eousqve tolerare, qvoad Electori satisfactum fuerit. Huic curam magis fuisse Svecos Pomerania exturbare, qvam in Gallos ad Rhenum pugnare; nec istis licet Borussia ejectis huc vertisse. Pacem ab eodem mature fuisse occupandam, nec per incertarum rerum spem tantum malorum propria culpa arcessendum. Belgas qvoqve suo exemplo Hispanis separatæ pacis necessitatem imposuisse. Porro si qvid debebatur, Hispano velut Circuli Burgundici possessori apud Cæsarem actionem fuisse intentandam, aut alia juris remedia adhibenda in Imperio usu recepta. Si maxime debitum una vice exsolvi haut potuerit, non ideo ad extrema ruendum; præsertim cum Hispanus istud non inficietur. Non in solius Hispani gratiam Electorem arma gessisse, sed pro communi causa, pro patria, pro reliqvis fœderatis; pro qvibus opes ac sangvinem profundere pulcrum sit Principi, qvi servator, ac defensor patriæ audire gaudeat. Ea via immortale nomen adqviri; solum lucrum respicere mercatorum esse. Ancipitem esse belli aleam, qvæ aliqvando emolumentum, sæpius damnum pariat. In bellum descensuro adqviescendum esse eo, qvod sors tulerit. Si Elector satisfieri sibi cupiat, ab eodem qvoqve illis Ordinibus satisfaciendum, qvibus maxima damna suo milite dederit. In lucro ei habendum, omnes ditiones suas servasse, ac subinde eundem non spernendas summas pecuniæ subsidiariæ obtinuisse; præter tractum terræ trans Oderam non modici pretii. Si plura affectet, indicare, non sibi patriæ libertatem, sed proprias opes cordi fuisse. Igitur glorioſius fore abreptas merces restituere, qvæ non Regis, sed privatorum fuerint, qvi Electorem nunqvam offenderint. Hispano curæ fore, ut ipsi satisfiat. Qvæ uti ad rem nihil faciebant; ita cum Anglus, Belgæqve officium offerrent, ac ipse Cæsar peteret, ne Elector ulterius tendat, ac se qvoqve ab Hispano obtenturum, ne hic vim contra moveat, ea lis intra verba steterit. Arausionensis qvoqve, qvi tunc Berolini erat, amicam compositionem commendabat. Cui Elector declarabat; se statim naves suas revocaturum, ac cum Hispanis transactu rum, si debiti dimidiam partem in præs ns, reliqva ad certas dies solvere velint, ieqvestribus spondentibus. Belgis Elector per Romswinckelium demonstrari jubebat; suspiciones, qvas legatus Hispanicus apud ipsos excitare satagat, inanes esse. Sibi haut qvidqvam propositum commercia turbare, eoqve frustra esse, ipsos armandis navibus sumtus, operamqve prodigere. Iisdem, cum merces qvasdam in Hispanica navi repertas reclamarent, velut ad cives suos spectantes, Elector reponi jussit: Inter pervulgata mercatorum artificia esse ejusmodi reclamationes. Ac edictis Reip. adversari, merces bellicis navibus imponere. Tum longe majoribus debitis Remp. sibi obstringi, circa qvas si sibi satisfiat, à se qvoqve mercatoribus istis, qvod jus exigat, denegatum non iri. Porro Electoris naves in Americam transibant, ubi duas naves modici pretii Hispanis eripiebant, Anglo indignante, qvod gubernator Jamaicæ forum iis præbuisset. Post in Europam regressæ ad promontorium S. Vincentii mare percurrebant, si unam, atqve alteram navem classis Hispanicæ argento onustæ intercipere possent. Qva re intellecta Hispani duodecim naves in Gallecia armabant istis eo mari expellendis; qvæ & hisce deprehensis pugnam conserere coeperunt. Sed nostræ post duarum horarum certamen viribus longe impares vento secundo in portum Lusitaniæ *Lagos* exiguo damno accepto se subduxerunt. Mox ea lis silentio involuta est, ac Dux Parmensis Belgii gubernator, cum apud omnes Electores de Galli usurpationibus qvereretur, ad Brandenburgicum qvoqve Baronem Hostellum eo nomine mittebat; satis eo ipso testatus, qvæ contigerant non pro hostili facto, sed pro represaliis haberi. Tanto minus rationi

d Hostel.

1680. congruere videbatur Mauritii Wellingii miniſtri Svecici intemperies, qvi Hafniæ magna cum vehementia in Electoris naves declamabat, contendens, ne Daniæ Rex eas iterum Oreſundam tranſire permitteret. Pufillon. Inter alia exaggerans, easdem aplustre præfectis claſſis ſolitum geſtaſſe; id qvod memini competat, qvi dominium maris non habeat; qvo auſo Elector partem dominii in Mare Balticum ſibi arrogatum eat. Cujus importunitatem Dani eludebant: ſe non potuiſſe Electoris conatus adverſus Hiſpanos impedire, cum ipſi in eadem cauſa ſint. Nec tanti eſſe, ut ob pauculas naves mediocris formæ tumultus excitetur. Ac revera gratum erat Danis, Electorem armatas naves in Mari Baltico habere. Enimvero Elector per Fridericum Brandium reponi jubebat; armaturam navium ſuarum nil aliud ſpectare, qvam ut ab Hiſpanis debita extorqveat. Nunqvam in mentem ſibi veniſſe, Daniæ, ac Sveciæ qvid præjudicii adferre. Alias ſibi commercium in locis liberis, ac ut mercatorias naves armatis conducat non minus, qvam aliis parere. Nec à ſuis navibus inſigne præfectis claſſis ſolitum geri, cuipiam fraudi eſſe, qvod nec Angli, nec Galli, nec Belgæ impugnaverint; qvi libenter navibus ſuis in ipſorum portus acceſſum indulſerint. Qvin vel minimam Rempublicam, cui portus, & armatæ naves ſint, jus habere ejusmodi navium inſignia gerendi. Alias mirum non eſſe, Svecos iſta ægris oculis adſpicere, utpote qvi norint, ob inſeparabiles Electoris cum Dania rationes Brandenburgicas naves hujus miniſteriis paratas fore. Qva declaratione Daniæ Rex adqvieſcebat, atqve agnoſcebat, ubi claſſis ſit, inſigne præfecto ſolitum geri poſſe. Cujus & uſum Angli nemini in controverſiam vocent, modo ipſorum navibus armatis receptus honor exhibeatur in maribus, qvorum dominium ſibi vindicent. Ac iſta à Svecis mota non alio fine, qvam ut ſuſpicio inter ſe, & Electorem excitetur. Nec neceſſarium apud ſe fuiſſe teſtari, ab hoc partem dominii in Mare Balticum haut qveri, niſi ut Svecico miniſtro importune perſtrepenti ſilentium imponatur.

Elector Ducatus Magdeburgici poſſeſſionem capit. du Pleſſis Gouret.

§. 12. Is annus nonnihil ſolatii ob redditam Pomeraniam Electori attulit, ditione Magdeburgica per mortem Adminiſtratoris Auguſti Saxoniæ Ducis in ipſum devoluta. De ejus fontico morbo cum innotuiſſet, iſte Pleſſeo Gureto tribuno, Magdeburgici præſidii præfecto, in mandatis dederat, ut protinus audita Ducis morte Hallam cum Mauritioburgo, aliaqve loca, ubi Adminiſtrator militem habebat, in ditionem redigeret, ac una cum Guſtavo Adolfo Schulenburgio poſſeſſionem reiminis Hallenſis capeſſeret. Qvi &, cum Dux fato functus eſſet, biduo poſt cum qvadringentis militibus Hallam ingreſſus claves urbis à Senatu ſibi tradi jubebat. Etli Ordines provinciales ſtatim poſtridie mortem Ducis eam Electori ſignificabant, teſtati ſe paratos eſſe homagio in hunc eventum præſtito ſatisfacere. Idem Guretus mox poſſeſſionem arcis Mansfeldenſis capiebat. Venere poſt ab Electore miſſi Bodo Gladebecius, & Thomas Kneſebecius, qvi actus imperii tota provincia exercebant, ac inſignia Electoris paſſim affigebant, civibus data dextra fidem ſuam obſtringentibus. A nemine ſcrupuli qvid motum fuit, niſi qvod circa tradendum ſigillum à Cancellario addubitatum fuit, qvod is jurejurando Adminiſtratori dicto ex veteri formula promiſiſſet, ſede vacante Capituli ſe autoritatem ſecuturum. Cui repoſitum; eam clauſulam vim obtinuiſſe, qvando Præſulatus per electionem Capituli conferri ſolebat. Nunc eundem pace Weſtphalica in perpetuum feudum ſeculare immutatum. Ordinibus ad dicendum Electori ſacramentum dies XII Octobris dictus erat. Sed cum is ob graſſentem iis locis peſtilentiam obiri non poſſet, ea ſolennia ſeqventi anno ſplendidiſſima cum pompa celebrata ſunt. Cæterum Ratisponæ Palatinus, ac Neoburgicus repugnabant, ne Elector Magdeburgici Ducatus nomine proximum à Bavaro locum in ſcamno ſeculari capeſſeret, ac malebant, eum tantiſper in tranſverſo ſcamno conſidere. Sed Jena eum locum ſolenniter occupabat, nemine præter Palatinum contradicente; nec minus directorium inter Proteſtantes in Senatu Principum exercebat.

1680. 4. Jun. 6. Jun. 5. Jun. 5. April. 1050. 9. Jun. 4. Jun. 1681. 2. Aug.

De rebus Gallicis.

§. 13. Inter hæc Neomagenſis pax funeſtos fructus proferre cœperat. Poſtqvam enim Gallus ſeparatis tractatibus fœderatos ſolitis ſibi artibus, nec ſine horum culpa disjunxiſſet, eosqve maxima invicem diffidentia, atqve offenſa imbuiſſet, jam tutum ſibi putavit diu cupita exſerere, ac magnam partem transrhenani tractus inanibus titulis ſibi vindicare. Ea res cum maximi ſit momenti, & qvæ nondum, dum hæc ſcribimus, ad liqvidum deducta eſt, operæ pretium videbimur facturi, ſi qvæ ad eandem illuſtrandam faciunt, ex authenticis negotiationis Monaſterienſis monumen-

1679. mentis, unde ea controversia promanavit, huc inserverimus. Ubi qvo liqvidius lectori judicium sit, ipsa verba concepta haut interpolata etiam Gallico idiomate adponemus, prout tunc res inter partes disceptata fuit. Cum igitur Galli primariam super pace propositionem Monasterii ederent, de sua satisfactione initio non nisi laxis verbis mentionem faciebant articulo 13: *Que pour cet effect outre les precautions generales, qvi seront apportées pour la ditte seureté, la satisfaction, qvi est deüe aux deux Couronnes pour les fatigues, pertes, & depenses, qv' elles ont sufferts en cette guerre, sera accordée en sorte, qv' elle puisse contribuer tant à la seureté particuliere des dites deux Couronnes, qv' à celle de leurs Alliez & adherents dans l'Empire.* Ad qvæ Cæsarei suo responso reponebant: Cæsaream Majestatem haut teneri ad ullam satisfactionem Coronæ Galliæ præstandam. Hinc Galli replica sua in satisfactionem sibi deposcebant Superiorem & Inferiorem Alsatiam, una cum Urbibus Sylvestribus, Brisgovia, & Suntgovia, & iis, qvæ antehac Domus Austriaca in Alsatia possedit; & qvidem ut Galliæ Rex ista ab Imperio tanqvam ejus Status cum voto & sessione in comitiis titulo Landgravii Alsatiæ recognoscat. Qvibus accedere debeat Philipsburgum cum pertinentibus, & vicinis locis, qvantum opus sit ad ejus præsidium alendum, una cum linea communicationis cum Gallia. Ast postqvam Trautmanstorfius Monasterium accessisset, is per sequestres Gallis in satisfactionem offerebat Metim, Tullum, & Virodunum cum Moyenvico, & Imperii juribus in Pignerolum; Gallis cavillantibus, id perinde esse, ac si Cæsareis offeratur, ut Austriam retineant. Sed spem esse, hoc oblatum non extremum fore, & propius ad rem accedendum esse. Post ipsi Galli postulata sua his verbis concipiebant.

Monasterii circa Gallicam satisfactionem acta. 1645.

Nov. 1645

7. Jan. 1646. *Pro ulteriore securitate Coronarum, & Principum Imperii fœderatorum, nec non pro debita Galliæ satisfactione rationi consentaneum esse, prater oblationes ipsi factas, [trium Præsulatuum,] (qvandis rerum jam ab antiqvo ad Coronam pertinentium) ut cedant Galliæ Alsatia Superior & Inferior, inclusis Suntgovia, Brisaco, & Brisgovia, civitatibus sylvestribus cum omni causa, omnibe jure, qvo ante præsens bellum possidebatur à Principibus Domus Austriacæ. Item maneant in possessione Philipsburgi cum suo territorio, ac dependentiis, locisqve necessariis ad liberam, & securam cum Regno Galliæ communicationem. Si tamen Imperator & Imperium è re sua judicaverint, ut dicta utraqve Alsatia cum Philipsburgo, & suis adherentiis recognoscantur ab Imperio, Gallia non recusabit, modo sessionem habeat & suffragium in dietis, sicut alii Principes, & Status Imperii.* 1680. Ad hæc Electorale Collegium Monasterii conspirantibus omnium suffragiis censebat: Gallum nullo jure qvidqvam satisfactionis Imperium poscere, sed huic potius à Gallo satisfactionem deberi. Pacis tamen causa se ferre posse, ut Gallia accipiat, & ab Imperio feudi jure recognoscat Pignerolum, & Moyenvicum cum Præsulatibus Meti, Tullo, & Viroduno; salvo tamen jure vasallagii Imperii, & aliorum qvorum interest. Eadem Principum sententia erat. Inter qvos Austriacus pro sententia dicebat: *Cum igitur ex his omnibus satis adpareat, neqve Cæsaream Majestatem, neqve Romanum Imperium Galliæ ullam satisfactionem ex contractu vel qvasi debere, & tamen ex abundanti, & ad instaurandam inter Imperium, & istud Regnum stabilem amicitiam, simul præscindendis omnibus causis, qvæ huic impedimentum deinceps adferre qveant, Cæsarei Plenipotentiarii ea jura, qvæ Cæsar & Imperium in præsulatus Metim, Tullum, & Virodunum, simul Moyenvicum, & Pignerolum habeant, & in eorum possessione vel qvasi ad hoc usqve tempus permanserunt, Galliæ renuntiaturos se obtulerint, (reservatis tamen Electorum, Principum & Ordinum necessario circa ista requisita consensu, conditionibus, & exceptionibus;) haut adparet, qvomodo salvo jure, & eqvo ulterius in Alsatiam, & Brisgoviâ, aliaqve loca in solo Imperii pretendi qvid, aut postulari possit. Addito, Germaniam semper sibi supremum in eos præsulatus imperium reservasse; eoqve falsum esse, qvod Galli jactent, istos ab antiqvo ad Coronam Galliæ pertinuisse. Cum itaqve S. Cæsarea Majestas è congenita animi mansvetudine, ac amore pacis tres istos præsulatus cum Pignerolo, & Moyenvico præter debitum cum juribus, qvæ Imperio in eosdem competunt, cedere constituerit, id negotium perficiendum Cæsareis Plenipotentiariis relinqvendum, salvo tamen aliorum Principum, & Ordinum circa eosdem competentibus juribus juribus, quibus ea cessione nihil adimi debeat.* 1. Mart. In concluso qvoqve Collegii Principum diserte additur; *Secuturam negotiationem Principibus, & Ordinibus referendam, qvo & ipsi ulterius sententiam suam dicere, ac si videatur ratihabitionem addere qveant.* Inde Cæsarei peculiari projecto super Gallica satisfactione post multas præmissas conditiones ita declarabant. *Primo, præter tres Episcopatus Metensem, Tullensem, & Virodunensem, civitatemqve Imperialem Metim, Pignerolum,*

1680. *lum, & Moyenvicum, de quorum cessione in Instrumento Pacis specifice disponitur, dicto Regi Christianissimo permanere debebit oppidum Brisacum, &c.* Id qvod Galli ita acceptabant. *Les Plenipotentiaires de France entendent, que pour eviter toute sorte de contestations à l'avenir, outre la cession, qvi se fera en bonne forme de tous les droits & pretensions de l'Empereur, & de l'Empire dans toute l'estendue des villes & Evechez de Metz, Toul, & Verdun, avec la place de Moyenvic, & sur la ville & chasteau de Pignerol, avec tout ce, que depend contenu en l'acquisition, qvi en a esté faite de la maison de Savoye, la ville & forteresse de Brisac demeurera au Roy, &c.* Qvare autem Cæsar Alsatiam, & reliqvas partes Gallis jure allodii concedere mallet, Trautmanstorfius legatis Svecicis hanc rationem reddebat; ut Gallum à consiliis Imperii dimovere qveant, qvicum alias sat negotii habeant, ac præstare istum velut familiaritate rerum Germanicarum arceri. Forte & commodius à Domo Austriaca has partes recuperari posse, si Gallus easdem seorsim possideat, qvam ubi adhuc ab Imperio dependeant. Circa id tempus Franciscus Lotharingiæ Dux, idemqve Episcopus Virodunensis protestationem scripto conceptam interponebat; qva inter alia ostendebat, hac oblatione præsulatus Metensis ita crude accepta lædi insigniaRomani Imperii membra, ac Status, qvi non inviti solum, sed & inauditi hostium Germaniæ infensissimorum potestati dedantur. Nam præter Duces Lotharingiæ esse Bipontinum, & Birckenfeldensem, esse Comites de Nassau, Hanau, Eberstein, Sarvverden, Leiningen, Rappolstein, Salm, Rheingravios, & alios. Qvo animo hosce laturos injuriam, ut è liberis Statibus Coronæ Gallicæ addictissimi subditi fiant? Igitur à Cæsareis articulus iste de tribus Præsulatibus ita concipiebatur. *Primo, qvod jura superioritatis in Episcopatus Metensem, Tullensem, & Virodunensem, urbemqve Metim, eo modo, qvo hactenus ad R. Imperium spectabat, reservatis tamen jure Metropolitano ad Archiepiscopatum Trevirensem pertinente; omnium insuper Ducum, Comitum, Baronum, Nobiliumqve feudis, jure clientelari, caterisqve rebus, qva cuilibet in his Episcopatibus competere possunt. In qvibus omnibus per Regem Christianissimum nullatenus molestari, sed omnes & singuli in eo qvo sunt statu immediatæ subjectionis erga R. Imperium relinqvi debebunt.* Aſt Galli eum articulum ita concipiebant. *Primo, qvod supremum dominium, jura superioritatis, aliaqve omnia in Episcopatus Metensem, Tullensem, & Virodunensem, urbesqve cognomines, horumqve Episcopatuum districtus, & nominatim Moyendicum eo modo, qvo hactenus ad Romanum spectabant Imperium, in posterum ad Coronam Galliæ spectare debeant, servato tamen jure Metropolitano ad Archiepiscopatum Trevirensem pertinente.* Atqve hisce inter alia hanc qvoqve clausulam præmiserant: *Ut hoc qvicqvid est rei circa mutuam satisfactionem ab Ordinibus Imperii confirmetur, & ratihabeatur, cum obligatione præstandi eventum conventionis hujus, ut & caterarum, qvæ ad communem Imperii causam spectant.* Aſt cum seqventi anno Cæsarei totum Instrumentum Pacis Gallis exhiberent, in articulo præcipue de Gallica satisfactione qvædam mutata reperiebantur, præter id, de qvo antea conventum fuerat. Id qvod haut invitis Gallis accidebat, qvo & sibi ansa foret aliqvid mutandi, qvod dudum pœnituisset eum articulum ita propere à se concluſum. Ita autem Cæsarei eum articulum conceperant. *Octavo, Qvo magis autem pax & amicitia inter Imperatorem, S.R. Imperium, Domumqve Austriacam, & Regem Christianissimum, Reghumqve Galliarum stabiliri, conservari, & assecurari possit, conventum est, qvod supremum dominium, jura superioritatis, aliaqve omnia in Episcopatus Metensem, Tullensem, & Virodunensem, urbesqve cognomines, horum Episcopatuum districtus, & nominatim Moyendicum eo modo, qvo hactenus ad Romanum spectabant Imperium, in posterum ad Coronam Galliæ spectare debeant: reservato tamen jure Metropolitano ad Archiepiscopatus Trevirensis usum antiqvum pertinente, salvo etiam jure sedis Apostolicæ, omnium insuper Ducum, Principum, Comitum, Baronum, Nobilium feudis, jure etiam clientelari, caterisqve rebus, qvæ cuilibet eorum in his Episcopatibus competere possint. In qvibus omnibus per Regem Christianissimum nullatenus molestari, sed omnes & singuli in eo qvo sunt statu immediatæ subjectionis erga R. Imperium relinqvi debebunt. Qvemadmodum pariter Rex Christianissimus antiqvas istorum Episcopatuum, Ecclesiarumqve Collegialium, præpositurarum, prælaturarum, abbatiarum, prebendarumqve fundationes juxta eorundem Episcopatuum diœceses nullatenus immutare, commendatariis, aut aliis inusitatis oneribus gravare, sed his omnibus proprium eligendi, postulandi, aut conferendi facultatem, fundationibus, privilegiis, moribus, aut institutis competentem salvam, atqve illæsam permittere tenebitur. Nec non restituatur in possessionem Episcopatus Virodunensis Dn. Franciscus Lotharingiæ Dux, &c.* 1680.

1647.

Contra

1680. Contra Galli ſuo Inſtrumento multa dura inſeruerant; inter qvæ erat, ut immediati R. Imperii Ordines in Metenſi, Tullenſi, ac Virodunenſi, ſimul Alſatica ditione Galliæ cedenda ſiti, deinceps velut mediati per omnia Galliæ Regno ſubdiri; tum ut omnes, qvi feuda à dictis Epiſcopatibus obtineant, Coronæ Galliæ ſubjecti eſſe debeant. Qvod poſtulatum qvia Ordines Imperii magnopere protelabat, Oſnabrugis in Senatu Principum ita decernebatur. 7. Aug. 47 *Qvod ſpectat illos Imperii Ordines, qvi feuda a tribus præſulatibus, Meti, Tullo, Viroduno recognoſcunt, ſiqvidem Corona Galliæ ſæpe teſtata eſt, ſe bellum in fraudem Ordinum Imperii, & imminutionem eorundem jurium haut geſſiſſe: ſimul mens ac intentio prima delineatione Gallicæ ſatisfactionis fuit, ut Coronæ Galliæ illa tantum jura, qvæ R. Imperium in dictos tres præſulatus habuit, cedantur. prædicti etiam Ordines Imperii, inter qvos inſignes Principum, atqve Comitum Domus inveniuntur, non obſtante nexu ſuo feudali erga ſæpius dictos præſulatus ob poſſeſſa feuda non eorum Ordines provinciales, ſed Cæſari, & Romano Imperio ſemper immediate ſubjecti fuerunt, ac feudorum iſtorum non minus qvam aliarum ditionum ſuarum nomine debita Imperio præſtiterunt; ſicuti & alii Electores, ac Principes inſignes urbes ac ditiones ab aliis Ordinibus in feudum recognoſcant, qvi haut eo minus inter Ordines Imperii cenſeantur. Cumiisqve non adpareat, qva ratione à Corona Galliæ vel mediata vel immediata ſubjectio in dictos Imperii Ordines adſtrui qveat, iſthanc rei conditionem legatis Gallicis per Cæſareos, aliosqve idoneis modis inſinuandam; ac ſpem eſſe iſtos, ubi genuinam rei indolem, ac Imperii conſvetudinem perceperint, ea prætenſione ultro deſtituros.* In eundem ſenſum Collegium Civitatum concluſerat, 1. Aug. 47 hac tamen addita clauſula. *Qvod ſi autem ambo ſuperiora Collegia, ac inprimis illi Ordines, qvos ea res peculiariter tangit, aliter decernant, ut iis caſibus, ubi à dictis Epiſcopatibus pendentia feuda in alieno, ac ſpeciatim S. R. Imperii ſolo ſita ſint, vaſallagium qvidem Coronæ Galliæ competere debeat; ſupremum autem dominium, & jurisdictio penes R. Imperium maneat; tum ne in iſtorum Epiſcopatuum territorio ſita bona feudalia homines ligios repugnante feudi natura faciant, ſed reſpectu reliqvorum ab Imperio in feudum conceſſorum bonorum iisdem vaſallis immediatus ſuus ſub Imperio ſtatus & libertas relinqvatur, ſe haut qvidqvam interceſſuros.* Circa hanc controverſiam Salvius literis Monaſterio ſcriptis ad Reginam Sveciæ ita referebat: Cæſareos juxta, ac Gallos demum ad 13. Sept. 47. Protocolla, & ſeqveſtrium teſtimonia provocaſſe; qvæ utraqve, prout Volmarus confirmarit, Cæſareorum intentioni faverint. Ac aliis poſt literis idem judicat; 1. Nov. 47. Gallis demum cum Cæſareis videri conventurum, ſi maxime iſti eo debeant adqvieſcere, qvod ſuperiore anno menſe Septembri concluſum fuit; prout illud ſibi à Gallis velut extremum dictum ſit. Projectum porro Gallicum ita habebat. *Primo, qvod ſupremum dominium, jura ſuperioritatis, aliaqve omnia in Epiſcopatus Metenſem, Tullenſem, & Virodunenſem, urbesqve cognominis, horumqve Epiſcopatuum diſtrictus, & diœceſes cum omnibus Ducum, Principum, Comitum, Baronum, Nobiliumqve feudis, jure clientelari, cæteriqve rebus, qvæ intra dictos fines ad Romanum Imperium hactenus ſpectabant, & nominatim Moyenvicum ad Coronam Galliæ eodem modo deinceps ſpectare, eiqve incorporari debeant in perpetuum & irrevocabiliter, citra ullam vel juris, vel rei cujuscunqve exceptionem; Reſervato tantum jure Metropolitano ad Archiepiſcopum Trevirenſem ſpectante.* Sed cum Cæſarei iſthæc adſpernarentur, demum in eam formulam conſentium utrinqve eſt, qvæ Inſtrumento publico inſerta conſpicitur; qvam & Joſephus Boulanger Secretarius legationis ſubſcripſit, abdicata facultate addendi, demendi, aut mutandi. Ita complures menſes ſuper eo negotio nil amplius motum fuit, donec ſeqvent. anno delegati Superioris Circuli Rhenani legatos Svecicos accedunt, 14. Jun. 48. demonſtrantes, uti Trautmanſtorfius, & Collegæ, inconſultis Imperii Ordinibus ſuperiore anno Galliæ tam inſignem ſatisfactionem annuerint. Qvia autem ea alicubi laxioribus verbis concepta ſit, Ordinum, inprimis decem Alſatiæ civitatum admodum intereſſe, iſta clarius exprimi. Qvanqvam autem facile judicari qveat, Auſtriacam Domum circa ea, qvæ Galliæ cedunturnon plus potuiſſe transferre, qvam jus qvod ipſa antea iis locis habuit; ac ſpes ſit, adverſam partem id in fraudem tertii extendere nolle: tutiſſimum tamen fore, ut in tempore prævertantur, qvæ deinceps litigandi anſam præbere qveant. Inde notas qvasdam ſuper Gallica ſatisfactione tradebant, rogantes, Servientum permoverent, ut in eam emendationem conſentiat, ac ſi opus ſit, ſuis poſtulatis ſuffragentur. Sane Gallos ſemper declaraſſe, ſe nolle qvid controverſiæ cum Ordinibus habere. Ad qvæ Sveci reſpondebant: ſi Servientus Oſnabrugas redeat, ſe facturos, qvod ſibi conveniat. Sed Servientum ſæpe ipſis confirmaſſe, ſe ſimpliciter conceptis jam verbis circa ſatisfa-

1680. tisfactionem inhæsurum, ac sine ulla additione negotium conclusurum. Notas autem illas qvod attinet, pro vocabulo *districtus* poni volebant *pertinentias prout ad illos hactenus spectabant*. Pro reservato *tantum* substitui volebant *tamen*. Post *jure metropolitano*, addi cupiebant, *qvoad Catholicos, & eorum terras*. Sed in fine paragraphi hanc clausulam annecti petebant. *Atqve horum Episcopatuum translatio, sive cessio in Christianissimum Regem, Coronamqve Galliæ in reliquis illorum conditionem non reddat deteriorē, sed tam ipsis, qvam Capitulis, Equestri item, aliisqve Ordinibus, & subditis ipsorum Episcopatuum unicusqve sua respective regalia, jura, privilegia, libertates ad eum modum, qvo sub Imperio, & prioribus Episcopis gavisi sunt, aut jure gaudere potuerunt, ipsis etiam sub Corona Galliæ maneant sarta atqve intacta. Multo minus vicinis, aut aliis cujuscunqve conditionis Statibus Imperii, ejusdemqve Nobilitati immediatæ, sive qvoad personas, eorumqve subditos, sive qvoad bona tam allodialia qvam feudalia, intra vel extra territoria, ut etiam districtus illorum Episcopatuum sint, sive ab Imperio, sive ab Episcopatibus hactenus recognita, ac alia omnia in illis locis qvocunqve titulo habita, possessa, aut exercita jura, utpote in hac translatione, sive concessione neutiqvam comprehensa, qvidqvam præjudicii creet, sed omnes & singuli, interqve illos cumprimis Duces, Comites, atqve Barones de Lutzelburg, Lothringen, Zweibruck, Veldentz, Saarbruck, Saarwerlen, Hanau-Busweiler, Vinstingen, Leiningen-Dachsburg, & Rixingen, Krichingen, & alii omnes nullo excepto cum Nobilibus Immediatis in sua, qva antehac erga R. Imperium gavisi sunt, immedietate atqve superioritate cum inde dependentibus, ac aliis juribus sine Parlamenti Metensis, aut omni alia, qvam dicti Imperii jurisdictione, & subjectione sive qvoad Ecclesiastica, sive qvoad politica, etiam in bonis feudalibus, qviete & absqve ulla turbatione sub juris diœcesani, aut qvocunqve alio prætextu permaneant. Ita tamen, ut feuda, qvæ ab horum Episcopatuum uno vel altero recognita fuerint, reqvisita hactenus vel non reqvisita, ab illis ipsis Episcopatibus sive dominis directis etiam in posterum sine tamen subjectione, iisdem modis, & qvalitate, nec majore obligatione, qvam antea recognoscere vasalli; & domini directi vicissim ipsis eadem omnia & singula, non attentis translationibus, durantibus hisce motibus qvacunqve ratione factis, secundum tenorem veterum investiturarum, & antiqvam observantiam concedere tenebuntur. Sed qvæ etiam adversus supradicta temporum & bellorum injuria, aut occasione usqve in hodiernum diem innovata, mutata, aut attentata qvovis modo, sive etiam sub justitiæ, sententiæ latæ, decreti, arresti titulo, aut qvocunqve alio prætextu fuerint, in pristinum statum reponantur, ut in cujusqvam præjudicium qvalibet facta contraria cedere, aut allegari non possint, sed penitus annullata maneant.* Addebatur brevior formula. *Status autem R. Imperii, atqve Nobiles Immediati ratione feudorum, qvæ à dictis Episcopatibus tenent, cujuscunqve naturæ, aut qvocunqve loco sita, reqvisita item hactenus aut non reqvisita fuerint, ab his ipsis Episcopatibus sive dominis directis eadem qvidem in posterum recognoscere, iis denique omnia ea, ad qvæ prioribus Episcopis ex veteribus investituris, aut observantia pro cujusqve feudi natura obligati fuerunt, fideliter præstare; ipsi vero directi domini vicissim illa feuda sine contradictione secundum tenorem veterum investiturarum, & antiqvam observantiam ipsis concedere teneantur. De cætero autem nullam omnino jurisdictionem vel Rex, Regnumqve Galliæ, vel Episcopi in ipsorum personas, subditos, bona, aut hactenus feudi ab Imperio, aut Episcopis, vel alio qvocunqve titulo habita, possessa, & exercita jura prætendant, exerceant, aut qvidqvam præjudicii illis creent, sed iis, qvæ domino directo ex natura cujusqve feudi tenore investiturarum, & antiqva observantia competunt, contenti, omnes & singulos in sua, qva antehac erga R. Imperium gavisi sunt, immedietate cum inde dependentibus qviete, & absqve ulla molestatione liberos relinqvant, atqve bellorum sive temporum injuria, aut occasione qvovis modo turbati in pristinum libertatis, atqve immedietatis statum, atqve ante hos motus obtenta bona, ac jura vigore hujus conventionis restituti, & omnia contraria etiam sub prætextu justitiæ, aut sententiæ facta penitus annullata sint.* Mox & universi Ordines circa scrupulos adhuc in Gallico Instrumento occurrentes ita declarabant. *Status Imperii libenter consentient in satisfactionem Gallicanam, modo ea observentur, qvæ Dni. Plenipotentiarii circa hunc articulum promiserunt. Promissum autem est I. per cessionem Episcopatuum Metensis, Tullensis, Verdunensis ea tantum intelligi cessa, qvæ de territorio districtus ipsorum sint, ac propterea cum communi rumore diceretur, Coronam Galliæ interpretari hanc cessionem de omnibus, qvæ olim sub diœcesi dictorum Episcopatuum fuerint, declararunt Dni. Plenipotentiarii, sibi maximam fieri injuriam, nec se de tali interpretatione unqvam cogitasse. II. Promissum est, illos Status, qvi feuda à dictis Episcopatibus recognoscunt, non fore deterioris conditionis,* 1680.

qvam

1680. *qvam antea fuerint, nec ullum immedietati ipsorum præjudicium allatum iri: id qvod maximam habet æqvitatem. Notum enim est, & usitatissimum in Imperio R. simul esse Statum, & alterius vasallum. Nihil enim jus feudalitatis habet commune cum subjectione. Hinc Bambergensis Episcopus, & multi alii Principes tam seculares, qvam Ecclesiastici in R. Imperio aliis Electoribus, Principibus, & Statibus feuda conferunt, nec ullam hoc nomine jurisdictionem in ipsos exercent: sed ea ipsa feuda sunt & manent immediata, & domini feudi hoc commodi inde habent, qvod ab ipsis non solum investitura petatur, sed & decedente vasallo absqve successore feudali feudum ad investientem redeat.* Ob majorem autem cautionem Ordines isthæc verba articulo de satisfactione Gallica subnecti cupiebant. - *Nihil autem nomine Episcopatuum supradictorum, nisi qva in seculari ipsorum territorii districtu continentur, & de illorum territorio sunt eo modo, & qvalitate, qvibus qvaliterqve ante hos motus possessa fuerint, nec in Alsatia, Suntgovia, vel præfectura provincialis Hagenoensis titulo qvidqvam aliud cessum, & in Regem Christianissimum translatum censeatur, qvam qvod antea jure hæreditario ad Domum Austriacam spectavit. Ac proinde Status R. Imperii atqve Nobiles Immediati feuda, qvæ à dictis Episcopatibus tenent, etiam hactenus non requisita, omnino ab iisdem qvidem in posterum secundum observantiam reverum investiturarum recognoscant, verum ut etiam qvicunqve in prænemoratis Episcopatibus, Alsatia, & Suntgovia possessionem vel qvasi immediætatis habuerunt, iidem, ut & præfecturæ, omniaqve alia loca & jura ibi sita, sed ad Status Imperii non solum in § Teneatur Rex Christianissimus, nominatim expressos, sed & reliqvos omnes & singulos, vel immediatam Nobilitatem pertinentia, in eadem libertate & immediætate, qva gavisi sunt, aut gaudere potuerunt erga R. Imperium permaneant, nec feudalitatis, nec territorii aut districtus, nec præfecturæ provincialis, aut ullo alio prætextu jurisdictio, multo minus superioritas regia contra ipsos exerceatur. Qvoad ea loca, qvæ Christianissimus Rex restituere tenetur, restituantur Austriacæ Domui. Qvæ vero in Sylva Nigra, Ortenavia, vel alibi ad alios Status, vel etiam Nobilitatem immediatam, aut qvovis mediatum pertinent, suum cuivis reddatur. Sed & ipsi subditi cessarum ditionum libertatem suam, jura, privilegia, usum, & exercitium tam in Ecclesiasticis, & ipsa religione juxta hanc pacificationem, qvam in politicis retineant. Et hoc sensu etiam cessiones Christianissimo Regi atqve Coronæ Gallicæ desuper extraditæ, vel extradendæ intelligantur.* Enimvero Servientus per omnia sacra jurabat, sibi haut integrum esse eam clausulam absoluto jam Instrumento subnectere. Super eo negotio Salvius Reginam Sveciæ per literas ita edocuit. - *Controversia super declaratione Gallicæ satisfactionis adhuc durat.* 14. Aug. 48. *Qvæ Cæsar Gallis in satisfactionem dedit, vim non habent, ni Ordines Imperii consentiant. Jam Ordines qvidem consentire volunt, etsi antea neqve à Cæsareis, neqve à Gallis requisiti fuerint. Sed qvia iste articulus de satisfactione valde obscure conceptus est, sicut multi Ordines magnopere de Cæsareis qverantur; inde tam hi, qvos ea res peculiariter tangit, qvam universi Ordines nullo alio modo, qvam sub certa declaratione consentire volunt. Cæsareis legati, & Ordines acriter contendunt, Gallo in Alsatia non plus fuisse datum, qvam qvod Domus Austriaca antea habuit; neq; plus in tribus præsulatibus cessum, qvam qvod Gallia per integrum jam seculum possedit; ac Imperium in præsentiarum taxat omni prætensione in dictos Episcopatus renuntiare, ac Galliæ summo cum imperio eosdem tradere. Sed qvia in Alsatia multi Status Imperii sunt, uti etiam Immediata Nobilitas, qvorum pars qvidem à translatione exclusa, pars autem nominatenus expressa non est; Servientus vult unius inclusionem pro alterius exclusione habendam, ac non nominatos Galliæ subjectos esse. Sed qvia immane discrimen est inter Statum Imperii immediatum, ac civem Gallicum; ii qvorum interest haut qvidqvam è liberis Statibus sub servitium se conjicere volunt. Multi qvoqve sunt, qvi feuda tam à Landgraviis Alsatiæ, qvam tribus Episcopatibus obtinent, in qvos Gallia supremum imperium prætendit. Sed qvia in Germania lex est, qvod feudalitas non faciat subditos; neqve Ordines Imperii, nec ii qvorum peculiariter interest, in id consentire volunt. Habent qvoqve in Germania Præsulatus jurisdictionem Ecclesiasticam extra sua territoria in aliorum qvorundam Statuum ditiones, horum jure superioritatis in temporalibus salvo. Eandem jurisdictionem tres isti præsulatus in diversa loca Burgundiæ, ac Rhenani Circuli obtinent. Eousqve igitur Servientus jus superioritatis Gallicæ extendere cupit, qvousqve jurisdictio Ecclesiastica sese porrigit, eoqve magno numero Ordines sub Gallicam satisfactionem pertrahere vult; cui instituto triginta amplius Status contradicunt.*

1680. *dicunt. Denique in cessione Catholicis qvidem sacris prospectum est, sed Evangelicorum nulla mentio facta. Qva super re Evangelici summopere qveruntur, ne forte Gallus aliqvando jus reformandi sacra in ipsos pretendat. Ceterum sibi videri articulum istum de satisfactione data opera obscure positum, qvod Cæsar animum Alsatiam aliqvando recuperandi retineat; qvam ob causam etiam titulo cedere non velit; eoqve semina disceptationum in futurum sparsa; utut alias Cæsarei legati, ac Ordinum deputati super dicta declaratione consentiant. Enimvero Ordines, qvibus stabilis pax cordi est, qvo semina futurorum motuum qvantum potest intercipiantur, me bis solenni missione rogarunt, officium meum circa se, & Servientum interponerem, adornando articulo de Gallica satisfactione, præsertim qvia ipsi cum hoc aliqvoties egerint. Et qvia ipse Servientus consilium, & opem meam reqvisivit, id negotium à me susceptum; etsi Ordinibus prædixerim, Servientum ipsorum declarationem haut admissurum.* Ac revera hic iis, qvæ antea excusaverat, obnixe inhærebat. Articulum istum jam ante biennium inter Cæsaream, & Gallicam legationem concluſum, à Secretariis legationum utrinqve subscriptum, ac in manus seqvestrium depositum. Ex hoc tempore eundem à nemine in dubium vocatum. Eundem jam ad Regem transmissum, & ab hoc approbatum. Contrahentes utrinqve clausulæ, *salvo jure addendi, demendi, mutandi,* renuntiasse. Unde penes se non esse aliqvid mutare. Et qvia Cæsar velut hostis ejusmodi satisfactionem Galliæ dederit, se sperare, Status tanqvam amicos eam huic non invisuros. Si id qvod Ordines metuunt, disertis verbis expressum non sit, qvid opus esse, ut ipsi super eo scrupulum moveant? Sed si id expresse ibi contineatur, apud Cæsarem æqvivalentem refusionem qværerent. Venditionem rei alienæ jure esse licitam; sed venditorem domino ad æstimationem, & id qvod interest teneri. Qvod ipse cum Collegis suis semel obtinuerit, id se solum condonare non posse. Sibi multos in aula æmulos esse, qvi facile ansam ipsum subvertendi inde arripere qveant. Si Ordines aliqvid circa id declarare velint, inter se facere posse; qvod neqve jubere, nec prohibere penes se sit. Sibi declarationem aliqvam facere, aut admittere nefas esse. Petrus Chanutus autem Regis Galliæ legatus Holmiæ favorem Reginæ hoc in negotio qvæsierat, ut Status immediati, qvi in tribus Episcopatibus habitent, Gallici subditi fierent, ac sub jure diœcesano R. Imperio subtraherentur, hanc præcipue causam allegans, qvod si R. Imperio obnoxii manerent, Galliæ semper metuendum sit, eos suo lubitu munitiones extructuros, aut alias securitati Galliæ fraudem allaturos: de cætero Regem istorum libertati circa sacra cauturum. Enimvero Osnabrugis, cum nec Ordines, nec Servientus sententia sua decederent, Salvio nil aliud supererat, qvam ut citra mutationem antehac conventa retinere svaderet. Ordinibus tamen, qvo sibi amplius caverent, placuit ad ipsum Regem literas dare his conceptis verbis. *Serenissime, Potentissime, & Christianissime Rex. Diuturno, at salutari pacificationis opere divina favente clementia eo perducto, ut qvantum Cæsaream, & Regiam Svecia Majestates concernit, omnibus suis numeris sit absolutum, colophonem ei Gallicorum negotiorum perfectione imponere, atqve publicu calamitatibus, qvibuscum Germania tam misere hucusqve conflictata est, finem facere contendentibus obstitit nobis præter spem & expectationem satisfactionis Gallica ante annum circiter Monasterii inter Cæsarea, & Regia Vestra Majestatis Plenipotentiarios inita convention. Qvis scopus, aut qva intentio armorum Gallicorum ab initio horum motuum fuerit, publica literarum, nec unqvam interitura loqvuntur monumenta. Nimirum nihil aliud, qvam ut Statibus R. Imperii sua jura, dominia, atqve libertates, in qvibus illa securitatis tam Imperii, qvam vicinorum præsidii non parum collocavit, restituantur, atqve eo modo sarta tecta manerent, qvo ante hos motus constitere. Nec tamen renuimus, qvin præter tres illos Episcopatus, Metensem, Tullensem, & Virodunensem, qvatenus illi cum territoriis, aut districtibus eorum ante hos motus possessi fuerunt, etiam qvantum in nobilissima Germaniæ provincia Alsatia Domus Austriaca hactenus hæreditario jure possedit, satisfactionis loco cedat. Ut tamen omnibus, & qvovis tempore constare de hac nostra voluntate qveat, scripto eam comprehendimus, atqve eam R. M.tis V.ræ Plenip.o Ill.mo Comiti de Servient per manus Exc.mi Dni. Salvii tradi fecimus. Verum ut juxta tenorem adjunctæ copiæ ipsi satisfactionis contextui generalius loqventi declarationem hanc nostram, & consensum adderet, impetrare ab ipso defectum mandati jugiter allegante non potuimus. Debinc non exiguare-mora negotio pacificationis injecta rem omnem ad R.V. Majestatem perferre necessarium esse duximus, nulli dubitantes, qvin consensum hunc nostrum æqvitati consentaneum, atqve ita comprehensura sit, ut desiderari à nobis in hac parte nihil qveat. Sane qvemadmodum Dni. Cesareani se plus juris, qvam*

1680.

1680. *quam Domui Austriacæ in Alsatia hactenus competiit, & olim Episcopi in prædictis Episcopatibus possederunt, in Coronam Galliæ transferre neque voluisse, neque potuisse serio affirmant, eoque nomine ad fidem Protocollorum provocant: ita nec in nostra situm est possessate ulli Constatuum Imperii præripere, quæ neque nobis accepta ferunt, neque precario, sed suo jure possident. Idque prout speramus R. M. Vra tanto minus à nobis exiget, quo magis compertum, exploratumque habemus, eandem sumsisse arma non ad infringendum, sed recuperandum, & reservandum jura Imperii, & Statuum ceu amicorum, & ex parte confœderatorum Coronæ Galliæ. Ut igitur tractatus pacis eo citius ad optatum perduci finem, & patria nostra ex diuturnis bellorum tempestatibus venire queat, proea qua boni publici gratia urgemur fide, & solicitudine, communi omnium Imperii Ordinum, & Statuum nomine certo confidimus, & rogamus, ut R. V. M.as immutabili huic nostræ declarationi, utpote legibus Imperii, juribus Statuum, intentioni Dnn. Cæsareorum, expromissionibus Regiis per literas sæpissime iteratis omnimode conformi locum relinquat, nec contra illam supra memoratam conventionem ullo modo extendi patiatur; atque ita, quod subinde palam professa est, re ipsa comprobet, nihil sibi tranquillitate Orbis Christiani prius esse, nihil antiquius. Nos nihil intermittemus eorum, quæ à nobis conferri illuc poterunt, omniaque fausta, ac salutaria insimul toto pectore adprecantes quæ dis inter manus nascente occasione testatum reddere cupimus, quam simus Regiæ V. M.ti humillimi & ad officia paratissimi S. R. Imperii Electorum, Principum & Statuum ad hoscce generales pacis tractatus Deputati Consiliarii & legati. Monasterii $\frac{13}{23}$ Sept. 1648.* Hisce literis adjuncta erat ejusmodi Ordinum declaratio. *I. Electorum, Principum, & Statuum S. R. Imperii legati consentiunt, ut articulus de satisfactione Gallicana Instrumento Pacis iisdem verbis inseratur, quibus die $\frac{14}{24}$ Novembris anno 1647. Monasterii cum S. Cæs. Majestatis consensu firmatus est, & eatenus assecurationem promittunt, si modo, ut declaravit Dn. Plenipotentiarius Gallicus, Rex & Regnum Galliæ Alsatiam, cum Suntgovia, & præfectura provinciali Hagenoënsi supremo ejus dominio apud Imperium permanente eadem forma, qua hactenus Archiduces Austriæ eam possederunt, ab Imperatore, & Imperio R. tanquam feudum perpetuum, & immediatum Landgraviatus titulo recognoscat, & Dn. Episcopo Basileensi circa Comitatum Ferretanum satisfiat. Fruatur autem in eo Christianissimus Rex, ejusque successores superioritatis, & territorii jure, omnibusque prærogativis, exemtionibus, & privilegiis, quibus Archiduces Austriæ, cum possiderent dictum Landgraviatum, sunt gavisi, & ad Comitia Imperii R. titulo Landgraviorum Alsatiæ vocentur, atque votum & sessionem habeant eo loco, de quo, ut & cui Circulo Imperii R. in posterum accenseri debeant, proximis comitiis convenietur. II. Cum præterea in articulo de satisfactione Gallica, & cessionum formulis, quæ eo nomine exhiberi debent, nonnulla obscurius posita sint, Regii vero Plenipotentii mentem Christianissimi Regis semper ita explicaverint, quod nullum prorsus Statibus R. Imperii per conventam Gallicam satisfactionem præjudicium fieri debeat; idcirco Electorum, Principum, & Statuum legati declarant, neque alia intentione, atque sensu in supra dictam satisfactionem, & insertionem consentiunt, quam ut primo Christianissimus Rex, Regnumque Galliæ habeat, & retineat quidem supremum dominium Episcopatuum Metensis, Tullensis, & Virodunensis; verum illud, ut & Regia jurisdictio exerceatur eatenus, quatenus exercita fuit ante hos motus, nec juris diœcesani, aut feudalitatis, sive ullo alio prætextu extendatur ultra ipsorum proprium territorium, in ea feuda, quæ Status R. Imperii, & immediatæ Imperii Nobilitas a dictis Episcopatibus recognoverunt, vel adhuc habent recognoscenda. Secundo, quoties fit mentio in articulo satisfactionis, vel cessionum literis Superioris & Inferioris Alsatiæ, Suntgoviæ, & provincialis præfecturæ Hagenoënsis, nil aliud eo nomine translatum, & cessum intelligitur, quam quæ ad Domum Austriacam spectaverunt, atque ab eadem dedi potuerunt. Nec cessio hæc ullum præjudicium afferet ulli Statuum, vel etiam immediatæ Nobilitati in sua libertate, & immediatate erga R. Imperium possessione, vel juribus, & bonis ubicunque sitis. III. Ipsi Status provinciales, Landsassii, & subditi cessarum ditionum sua jura, privilegia, & possessiones, usum etiam & exercitium tam in Ecclesiasticis, & ipsa religione, quam in politicis juxta hanc pacificationem retineant.* Huic declarationi illustrandæ facit *Extractus ex notationibus Cæsareorum circa articulum satisfactionis Gallicæ Dnn. Mediatoribus exhibitus Monasterii* d. $\frac{13}{23}$ Julii 1647. *Ad §. Primo quod supremum. Non autem repugnant Cæsareani, ut jura infeudandi, ac directi dominii ad hos Episcopatus pertinentia sint in dominio Regis christianissimi. Sed cum ejusmodi Duces, & comites, aliique non obstante feudorum nexu fuerint antehac liberi Status, vel ad Imperium immediate pertinentes, ac nulla ratione do-*

1680. minio temporali Episcopatuum suppositi; nunquam fuit mens Cæsareanorum horum libertati, aut immediatati præjudicare. *Ad §. Dictarum ditionum.* Nam de Vasallis, qui alias per se liberi, & immediati Status Imperii, nec ullo unquam tempore his Episcopatibus subjecti fuerunt, in satisfactionem ut darentur, nunquam actum, hacque ratione Dux Lotharingiæ, Ducatus Lutzenburgensis, aliique Comites, Barones, Nobiles Galliæ subjicerentur. *Ad §. Teneatur Rex Christianissimus.* Omissi sunt Comites de Leiningen, Rixingen, & Westerburg, quibus addi debet Dachsburg. Nam hæ tres familiæ Comitum de Leiningen appellatione gaudent, suntque immediatæ Imperio subjectæ. Item est omissa clausula; *tum alios, qui in isto tractu possessionem vel quasi immediatatis erga R. Imperium habent.* Huc accedit *Extractus è communi Electorum, Principum, & Ordinum placito Cæsareis mense Septembri anno 1647. exhibito.* Quod igitur spectat secundam quæstionem, an nempe per cessionem Episcopatuum Metensis, Tullensis, ac Virodunensis etiam feuda, quæ immediati Principes, Ordines, & Membra R. Imperii abistis recognoscunt, ita subiis intelligantur, ut eadem sub Corona Gallia una cum principalibus præsulatibus, imo juxta projectum Instrumenti pacis Gallicæ etiam omnes Imperii Ordines, qui sub eorum Episcopatuum districtu diœcesano siti sunt, sub suprema jurisdictione, & tribunali Coronæ Galliæ contineri debeant: ibi equidem Electoribus, Principibus & Statibus accurate non constat, quid inter Dnn. Cæsareos, & Gallicos legatos eo nomine actum fuerit. Judicare autem haut quaquam possunt, quod feuda, quæ intra vel extra territoria dictorum Præsulatuum jacent, & ab immediatis Ordinibus & membris Imperii, qui Episcopatuum Landsassii non sunt, recognoscuntur, multo minus ullæ dittiones aut terræ, sub nudo districtu diœcesano sitæ, sub cessione dictorum Episcopatuum intellecta, aut comprehensa fuerint. Præsertim cum multi insignes Imperii Principes, Prælati, Comites, Barones, & Nobiles, ac nominatim Lutzenburgum, Lotharingia, Domus Bipontina, Veldentiana, Sarapontana, Hanoviensis, & plures alii maxime hoc modo lædendos se profitcantur. Ac sibi molestum, ac inexcusabile fore in ejusmodi traditionem suorum Constatuum, & subjectionem sub alienum dominatum ullo modo consensu, aut reipsa quid conferre, ut hi in juribus suis turbentur, ac inauditi, & invitis ab Imperio R. divellantur, non sine gravi hujus lacerationc. Præsertim cum Electoribus, Principibus, atque Ordinibus in hunc usque diem ob multiplices variationes nondum constare potuerit, quo Coronæ Galliæ in hoc negotio cogitationes proprie tendant, & quousque illa postulata sua porrigat, & quosnam Principes Imperii, Prælatos, Comites, Barones, & Nobiles huc pertrahere velit. Præterquam quod supra memorati Ordines de hoc negotio nunquam auditi sint, & communis in Imperio consuetudo sit, quod nuda feudalitas non tribuat supremum jus territoriale. Sicuti & cessi Episcopatus in feuda extra ipsorum territorium sita superioritatem territorialem haut habuerunt. Unde Cæsarea Majestas, & Imperium, quod ad istos non pertinuit, Galliæ cedere non potuerunt. Magis autem informe, & in Imperio inauditum est, cessionem ad jurisdictionem diœcesanam, & quæ ditiones sub hac continentur, extendenda sit: quæ res non minus insignes Principes atque Ordines tangat. Cum itaque dicto modo satisfactio justo latius, & præter atque contra intentionem, & consensum Dnn. Cæsareorum legatorum extendatur; simul plurimis immediatis Imperii Principibus, & Statibus, ac speciatim Ducatibus Lotharingiæ, & Lutzenburgi præjudicium intendatur, cum Lutzenburgi magna pars, Lotharingia autem tota sub diœcesin Episcopatuum Metensis, & Virodunensis spectet, ac alias pars harum provinciarum ab his feudi nomine pendeat; non tenere metuendum est, ne Corona Galliæ eum Ducatum, si non alia, saltem hac via sibi subjicere audeat, eumque obliqua via ab Imperio avellat. Eoque Electores, Principes, atque Ordines re mature expensa comprehendere non possint, quomodo in hoc Corona Galliæ valde inexpectatum postulatum in fraudem Imperii, ac tot Ordinum, quos id tangit, consentiri possit, ac debeat. Unde decenter petunt, ut Cæsarea legatio hanc Electorum, Principum, & Ordinum sententiam, & gravissimas rationes per sequestres Gallicis Plenipotentiariis serio ad animum revocet, eosque omni studio ab ejusmodi alte penetrantibus, & noxiis pretensionibus divertat, ac de eo, quod non solum olim Heilbrunnæ, & alibi per legatos, & literas, sed & durantibus hisce tractatibus sæpenumero verbis declararunt, (quod ab Imperio nihil cupiant, sed id spectent, quomodo Ordinum ejus libertas firmiter conservetur,) diligenter moneant, expresse denuntiantes, neque Cæsaream Majestatem, nec Imperii R. Electores, Principes, atque Ordines universos ac singulos nunquam in ejusmodi nocentissimam lacerationem, præsertim invitis iis, quorum peculiariter interest, nunquam consensuros. Post conclusam pacem Servientus circa exhibendam

1680. bendam ratihabitionem aliqvamdiu tergiverſabatur, inter alia eo prætexto, qvod ſupramemoratam Ordinum declarationem abolere cuperet. Qvo nomine plerique Proteſtantes à legatis Svecicis petierunt, Serviento demonſtrarent, iſtam declarationem ſolicitare omitteret, qvam nunqvam retractaturi ſint. Se cives ſuos alieno ſervitio addicere non poſſe; & qvæ Gallus poſtulet, non ſolum omnibus fœderibus repugnare, qvæ Galliæ cum Svecia, & Ordinibus interceſſerunt; ſed & contra Galliæ propoſitiones, ipſamqve hanc pacis concluſionem. Adverſus qvæ Servientus reponebat: verba pactorum eſſe perſpicua. Ordines cum Cæſareis agerent, qvi ita cum Gallia convenerunt, ut iſti huic æqvivalens diſpiciant. Qvæ Gallia hoc modo in ſatisfactionem obtinuit, non magis fœderibus, ac propoſitionibus, & huic concluſioni adverſari, qvam qvæ Svecis, & aliis hac pace tribuuntur. Sveciæ qvoqve intereſſe, ne adducta ab Ordinibus ratio valeat, qvod uni Ordinum haut jus ſit qvæ ad alterum ſpectat condonare. Nam eandem rationem aliqvando in iſtam qvoqve torqveri poſſe. Ad qvæ Sveci regerebant: Qvæ ipſi acceperint, & alii æqvivalentium loco, de iis cum notitia, conſilio, & conſenſu tam Cæſaris qvam Ordinum perſpicuis verbis, ac rebus ſigillatim expreſſis tranſactum. Sed Ordines qveri, de Gallica ſatisfactione ſibi haut communicatum, nec anteqvam ea annueretur, ſecum conſultatum fuiſſe. Contra Servientus: Ordines in Cæſareorum arbitrium contuliſſe ſuper ſatisfactione cum legatione Gallica tractare: atqve eosdem ſaltem tacite conſenſiſſe; tum hactenus, ex qvo omnia tranſacta ſunt, ac publice innotuerunt, haut contradixiſſe. Qvæ contra notoriam actorum publicorum fidem dici in aprico erat. Mox tamen ſurgentibus in Gallia inteſtinis turbis Servientus ultro ratificationum permutationem non ſine anxietate urgebat, nulla amplius de abolenda Ordinum declaratione facta mentione; ac iſta peracta protinus Monaſterio diſcedebat. Poſt qvoqve exſecutio pacis ad mentem Ordinum peracta, & qvorum libertas tunc tentata fuit, ea illibata iſti per triginta amplius annos Gallo haut contradicente gaviſi ſunt. Et cum ſuper jurejurando à decem civitatibus Alſatiæ Gallo nomine præfecturæ provincialis Hagenoënſis præſtando controverſia incidiſſet, ea cum conſenſu Galli ad arbitros rejecta fuit.

23. Dec. 48.

Gallus retuniones ſuſcipit.

§. 14. Aſt tanti poſt temporis ſilentium, qvod etiam ad probe fundatam actionem extingvendam ſufficere poterat, Gallus olim conceptam libidinem tractum Germaniæ transrhenanum abſorbendi expromere tutum putavit, poſtqvam Germaniam noviſſima pace eo redegiſſe videretur, ut ea ſibi non amplius formidanda eſſet. Ac ne auſis color deeſſet, fingere inſtituit, ſupremum ſibi dominium in utramqve Alſatiam, nec minus in Vaſallos trium Præſulatuum competere; unde jus ſibi eſſe non minus hos, qvam qvicqvid ullo modo ad Alſatiam utramqve pertineat, ſub ditionem Galliæ revocandi. Tum ne citra cauſæ cognitionem ſola vi graſſari videretur, Briſaci, & Meti qvædam judiciorum ſimulacra inſtituebat, ubi ad petitum actoris Regii haut anxia ſane cauſæ diſcuſſione Galliæ addicebatur, qvicqvid huic cupere in mentem veniſſet. Atqve id commentum de Vaſallis Metenſibus, cui prætenſioni Gallus plane renuntiaſſe videbatur reſtitutioni eidem plane contraria è tractatu Noribergico facta, denuo motum fuit à qvodam Rolando *Rabaulx* Conſiliario Parlamenti Metenſis, qvi tamen initio velut mentis parum compos rejectus fuit. Sed cum apud Luvoiſium clamare non deſineret, ſe viam inventurum, ut Rex ne uno qvidem gladio ſtricto nanciſceretur, qvidqvid cis Rhenum Galliam verſus ſitum eſt; id qvalecunqve prætextum injuſtis uſurpationibus obtendere placuit viro, omnium violentorum conſiliorum autori, poſtqvam per vicinorum conditionem talia impune tentari poſſe viderentur. Ac initio qvidem Metenſis, Tullenſis, ac Virodunenſis Præſules apud Gallum qverelam deferebant, Vaſallos ſuorum Præſulatuum fere intra ſeculum feudorum ſuorum renovationes haut [illegible]ſiviſſe; qvo ipſo eadem in commiſſum cecidiſſe. Ad qvod petitum protinus deſignati, qvi ſuper iis cauſis cognoſcerent. Nec minus Briſaci conſtituebantur inqviſituri in ea, qvæ ad Alſatiam utramqve, & præfecturam Hagenoënſem, aliaqve loca Regi tradita pertinere, ac ab aliis nullo idoneo titulo poſſideri arguebantur. In qvos citra ambages ſententiæ pronuntiabantur inauditos: ſi qvi defenſionem per Procuratores tentabant, inſolenter rejecti. Velandæ violentiæ vocabulum *reunionum* fingebatur. Qvem qvidem procedendi modum cordati acerbiſſimi inſtar ludibrii injuriæ additi judicabant; cum alias toto orbe inauditum ſit, Principem in controverſia, qvam cum extranea Republica habet, cognitionem, ac deciſionem deferre ſuis civibus, qveis, ubi contra libidinem domini vel hiſcere auderent, exilium, carcer, aut

1680. triremes metuendi erant. Nec dubium habebatur, qvin his judicibus Gallo totus terrarum orbis addicendus foret. Ac honestius cum Hispanis agi censebatur, qveis nullo judicii ludibrio Gallus qvæ placebat vi extortum ibat. Hoc modo cum recentem pacem violari manifestum esset, Cæsar
14. April. Vitri. eo nomine Vitrium legatum Gallicum Viennæ compellari jussit; qvi de his sibi constare inficiatus, ad Verjum Ratisponam id negotium rejecit. Unde Cæsar Henricum Franciscum Mansfeldium Comitem in Galliam mittere constituit. Qvo & Palatinus Eckium Baronem ablegaverat, cui Gallus Germersheimum, & multa alia loca ademerat, velut ab Alsatia dependentia; qvæ tamen ab immemoriali tempore ad Palatinatum spectaverant, & qvæ ut Elector recuperaret, ipse Gallus pace Westphalica operam navarat. Huic qverimonias ordienti initio respondebatur: Regem non aliud tribunal agnoscere posse, qvam qvod Brisaci erectum sit, cui de ipsius patrimonio judicandi facultas competat. Id adeundum, si qvis læsum se arbitretur. Interpositionem Cæsaris aut Imperii admitti non posse. Præscriptionem etiam longissimi temporis locum non habere in rebus summi imperii jura spectantibus. Hoc bello documenta fuisse reperta, è qvibus probari possit, loca de qvibus agatur olim à præfectura Hagenoënsi pendisse. Id qvod Palatinus forte non abnuendum ferebat, si ad tempora Dagoberti Regis adscendatur. Ast id constare, Palatinos per aliqvot secula in possessione fuisse, qvæ per Westphalicam, & Neomagensem pacem confirmata sit. Et cum idem Bavari interventionem offerret, Rex respondebat; se nullius officium admissurum, nec credere, ulli se ad reddendam de suis actionibus rationem teneri. Ezechieli Spanhemio Electoris jussu pro Palatino loqventi nil aliud repositum, qvam Regem de jure suo remittere nil posse; nec omissurum sese in possessionem immittere eorum, qvæ sibi competant. Demum tamen utile dominium ereptorum locorum Palatino offerebatur, sed sub onere fœderis, per qvod hic ad nutus Galliæ citra exceptionem sese componere teneretur; haut declarato, qvousqve prætensiones suas in Palatinatum Rex porrigere vellet. Sed Mansfeldio Comiti paulo modestius Rex respondebat; Cæsaris se amicum esse; sed hujus amicitia haut dignum habendum, si tueri neqveat, qvæ jure ad se spectent. Cæterum contra disputantibus palmaria ratio opponebatur gloria Regis, qvæ non permittat circa bona Coronæ qvid remittere. Qvod & Svecico ablegato, qvi ob interceptum 1680.
Ducatum Bipontinum qverebatur, occinebatur. Circa Mumpelgardensem Comitatum respondebatur; qvasdam præfecturas ad supremum Alsatiæ dominium spectare, eoqve ipso Gallicæ ditionis esse. Ipsum Mumpelgardense oppidum cum arce feudum esse Burgundiæ; ac Parlamentum Vesontinum jus, ac titulum reperisse. Qvod si alio tempore in Gallia aliter judicatum sit, id contigisse, qvando bellum huic cum Hispanis gerebatur. Et ad hunc gustum omnibus, qvi sua sibi erepta dolebant, respondebatur. Qvid autem in posterum sperandum foret, è responso adparebat per Luvoisium cuipiam dato, qvi ex ejusmodi reunionibus bellum extiturum dicebat; Eam curam inanem esse. Iis qvi bonis suis exuti sint, non invidendum, ut qveritentur. Reliqvorum neminem ob pauca oppida bellum moturum. Sed & ab Argentoratensibus Gallus postulabat, ut vinculo, qvo Imperio tenentur sese exsolvant, ac ipsius protectioni se submittant. Si vel unicum militem conducant, aut à Cæsare submissum recipiant, protinus oblidium urbi circumponendum.

§. 15. Cæterum increbescentibus Lutetiæ, ac Ratisponæ spoliatorum qverimoniis, Croissius, ac Verjus differebant; Regem nil aliud sibi deposcere, qvam qvod per pacem Monasteriensem, & Neomagensem ipsi cessum sit. Qvod si igitur Cæsar, ejusqve legati Ordinibus Imperii qvid condonaverint, qvod factum fuisse facile adpareat, id ab istis repetendum. Cessionem Alsatiæ, & ab hac pendentium è præcipuis fuisse, qvibus pax superstructa sit. Et qvia Cæsarea legatio aliqvoties adversus eam excipere voluerit, parum abfuisse, qvin tota tractatio abrumperetur; ac sex amplius septimanas eam rem agitatam, qvoad tandem convenerit, ut tota Alsatia cum omnibus juribus & dependentibus Galliæ cessa fuerit. Adfuisse singulorum Principum & Ordinum Imperii legatos, qvi de eo testimonium dicere qveant; qvorum nemo adversus eam cessionem qvid moverit. Enimvero eam cessionem falso jactari, qvi Imperii causam agebant, facile sibi demonstrare posse videbantur. Scilicet Neomagi pacis fundamentum positos fuisse tractatus Monasterienses. Igitur è Neomagensi pace Gallum plura prætendere non posse, qvam qvæ Monasterii expresse sibi stipulatus sit. Neqve vero qvalemcunqve territoriorum cessionem, præter eam, qvæ Monasterii facta sit, nullo publico documento demonstrari posse. Gallum sæpissime testatum, nil

Superstitis reunionibus discepta.

1680. nil magis sibi cordi esse, qvam ut Ordinibus Imperii sua libertas, ac immedietatis jura, ac dominia inconcussa serventur. Gruillardum ministrum Gallicum Osnabrugis dixisse; Argentoratum, decemqve præfecturæ provincialis civitates sui juris facere Regine per somnium qvidem in mentem venisse. Gravellium Ratisponæ testatum, Galli
11. April. 1665. mentem nunqvam fuisse, contra dispositionem Instrumenti Pacis aliqvid suscipere, aut decem urbes Alsatiæ in statu suo immediato turbare. Eundem pronuntiasse:
19. Febr. 1665. Instrumentum Pacis pro fundamento habendum; agnitam in hoc civitatibus immedietatem intactam relinqvendam, multoties jam repetitum, & extra controversiam esse. Landgraviatus cessione totam Alsatiam hautqvidqvam cessam, nec de tam enormi re cuipiam pacisscentium in mentem venisse ex ipsis pacificationis verbis manifestum esse. Ad qvid enim opus fuisse decem Imperiales Alsatiæ civitates post pacem Westphalicam in integrum restituisse, ac præsidium Gallicum deduxisse? Ad qvid de libero Gallicarum copiarum transitu, de Tabernarum neutro statu, de Beufelda demolienda, ac similibus in gratiam Galli nominatim stipulari, si huic utraqve Alsatia cessa fuerat? Ad qvid de dictorum Statuum restitutione adeo solicite transigere, si talia, qvæ nunc aguntur, licerent? Ac si maxime ante complura secula, de qvo non constat, ista cum locis Galliæ cessis conjuncta fuerint; respiciendum tamen esse tempus concluſæ pacis, qva nil in Galliam translatum, nisi qvod ante initium ejus belli penes Austriacam Domum fuerit. Neqve sub qvalicunqve vocabulo *dependentiarum* Status Imperii immedietas intelligi, multo minus ita obiter transferri posse; cum Status Imperii ita ab aliis Statibus minime dependeant, sed singuli per se subsistant. Idqve eo magis valere, qvod circa exsecutionem pacis Pyrenææ Hispani in contradictorio obtinuissent, loca munitionibus firmata inter *dependentias*, & annexa Castellaniarum haut numeranda. Sic & pace Monasteriensi præter tres Episcopatus, eorumqve districtus nil cessum, neqve aliam pacisscentium mentem fuisse, qvam ut in Gallum translatum supremum dominium, ac omnimoda jurisdictio eatenus duntaxat exerceatur, qvatenus ea qvondam intra districtus eorum Episcopatuum obtinuit, atqve exercita fuit. Neqve sub illius juris dioecesani, nunqvam cessi, aut alio qvocunqve prætexto ultra dictos districtus, propriumqve ipsorum territorium eam cessionem in feuda, qvæ Status Imperii ante motus Germaniæ, aut anteqvam isti superiore seculo à Gallo usurparentur, ab iisdem præsulatibus recognoverunt, porrigendam. Longe iniqvius esse, Status immemoriali, qvin plurium seculorum possessione nixos ad editionem suorum titulorum contra omnia jura cogere. Hoc enim modo omnes totius orbis possessiones, & dominia incerta redditum iri. Accedere, qvod omnia illa loca ac territoria, qvæ non tam in utraqve Alsatia, qvam ab Electore Palatino, & Episcopo Spirensi sub prætexto *Weissenburgensium dependentiarum* prætendantur, imo ne ipsa qvidem Præpositura Weissenburgensis in Alsatia sita, nec velut ejus pars unqvam habita fuerit. Sane *in §. Teneatur Rex Christianissimus* potiora utriusqve Alsatiæ membra tanqvam Status Imperii à Landgraviatus cessione non modo nominatim distingvi, Palatinatus, & Weissenburgensis Præpositura territoriis tanqvam ad Alsatiam non spectantibus, plane omissis; sed & Instrumentum Pacis testari, longe aliud tam de Palatinatus, qvam Spirensis Episcopatus territoriis, ac juribus restituendis transactum fuisse. (*Vid §. Deinde ut Inferior n. 14. De reliqvis Palatinis vid. Pacis Osnabrugensis §. 10. 11. 12. Pacis Gallicæ §. Teneatur Rex. n. 77.*) Huic conventioni Gallicos ministros nunqvam contradixisse, qvin eam ultra triginta annos bona fide aguoviſſe; nec præter insolitum jusjurandum à decem civitatibus Alsatiæ qvid exegisse; cujus decisio tamen ad arbitros rejecta fuerit. Gallos qvoqve, dum juxta Pactum Noribergense ea loca restituunt, abunde declarasse, nil tale, qvod jam exigatur, se in spoliatos Imperii Ordines prærendisse. Ast nunc Metense, & Brisacense judicium pronuntiasse; omnia, qvæ à multis retro seculis à tribus Episcopatibus, & Præpositura Weissenburgenti dependerint, Galliæ cessa esse. Sed tam impudentis sententiæ nullam adferre probationem, & tabulas pacis alia omnia statuere. Non deerant tamen, qvi ipsum Regem excusarent, velut qvi à ministris suis, ambitioni ejus qvocunqve modo velificantibus, persvasus fuerit, sibi Neomagi jus qvæsitum ad ista, qvæ tunc suscipiebantur.

Ordines Imperii super his ad Gallum scribunt.

§. 16. Circa hasce pacis infractiones Ratisponæ pleriqve censebant; non esse Gallum excitatis suspicionibus irritandum, ac ad ista gravamina abolenda placidis remediis utendum. Nam præsentem rerum faciem, & dissociatos Ordinum animos tempore opus habere ad necessitates patriæ digerendas. Sane hanc melius qvam nunc instructam fuisse, qvo tempore Cæsar,

&

1680. & Ordines Neomagenſem pacem neceſſariam judicarint. Ac Gallum cum delectus à Cæſare inſtitui audiſſet, dixiſſe; ſe non teneri ad qvieſcendum, qvoad Cæſar exercitum comparaſſet. Fuit etiam tunc magni nominis Princeps, cujus memoriæ parcimus, qvi Verjo Ratiſponæ propoſuit, ſe officium conciliannæ inter Cæſarem, & Gallum amicitiæ adhibiturum. Et qvia Angliæ Rex Romanis ſacris clam ſit addictus, ejus cauſam tota vi amplectendam, ne is amplius Parlamenti tyrannidi obnoxius agat. Inde Belgas in ordinem redigendos, ac utrinqve, ſimul per Germaniam catholicos ritus reſtituendos. Qvod conſilium à Verjo Regi propoſitum, ſed ab hoc tunc repudiatum fuit. Cæterum Ratiſponæ decretum, imbelle armorum genus, literas Galli auſis opponere, ac ad hunc juxta, & Angliæ Regem tanqvam pacis ſeqveſtrem ſcribere. Aſt Electori haut placebat eas literas per legatum ſuum ſubſcribi, qvod nil ſibi negotii cum Neomagenſi pace eſſe vellet. Sed qvæ Weſtphalicam pacem ſpectent, pro ea ſervanda operam ſuam libenter accommodaturum. Idqve eo magis licitum ſibi judicabat, qvod Bavarus publico Imperii bello, ſi literæ Gallum tangentes publice ſcriberentur, ſigillum adponere abnuerit, utut inter ordinarios deputatos eſſet. Super his literis adornandis cum diu laboratum eſſet, Auſtriaci ſigillum adponere detrectabant; qvod par eſſe contenderent, ut Ordines qverimonias ad Cæſarem deferant, qvi eas ulterius apud Gallum perſecuturus ſit. Saltem in literis exprimendum, eas cum conſenſu Cæſaris ſcriptas. Id qvod non ſine indignatione omnium acceptum, velut Ordinibus jus publice ad exteros ſcribendi ſubtractum eatur, cum iisdem jus legatos mittendi competat. Poſt longam tamen diſceptationem pervicere intentionem ſuam Ordines, ac literæ per Moguntinum ad Gallum curatæ ſunt.

Palatinus armis ſublevari petit. 16. Jul.

§. 17. Aſt Palatinus copias Circulares ſibi auxilio ſubmitti petierat, qvo Galli conatus arcere poſſet. Qvod cum Collegium Electorale raptim adprobaſſet, Godofredus Jena demonſtrabat; ſibi hoc ſuper negotio nil mandatum. Simul ſvadebat, rem haut præcipitandam, velut è qva multa mala provenire poſſint. A Circulis copias ſero, nec qvantas res exigat miſſum iri. Unde Gallus cui arma in promtu, anſam arrepturus ſit, unum & alterum locum ſubito opprimendi, acceſſuris auxilio copiis facile repulſis. Aliud dicendum eſſe, ſi ſexaginta bellatorum millia protinus in expeditionem educi poſſint. Ab imparatis Gallo arma movendi prætextum ſuppeditari imprudens eſſe; præſertim cum Cæſaris copiæ ob peſtilentiam in unum locum contrahi neqveant, invaleſcentibus qvoqve per Hungariam rebellibus. Super hac Jenæ ſententia cum Palatinus apud Electorem qvereretur, hic reſpondebat: Palatinum acerrime Neomagenſis pacis concluſionem ſolicitaſſe, & qvæ in contrarium demonſtrata fuerint, velut è privatis reſpectibus profecta rejeciſſe. Sed nunc reipſa deprehendere, qvo fonte omnia iſta mala promanent; ac poſtqvam Imperium exarmatum, Ordines diviſi, ac ipſe cumprimis præcipitata pace deſtitutus, hoſtiqve in prædam expoſitus fuerit, rem in longe deteriorem locum, qvam durante bello fuerit, redactam. Sed tamen officium apud Gallum interponere haut omiſſurum. Qvo tamen parum proficiebatur. Et cum Ordines apud Verjum qvererentur, Proteſtantes nuper reunitos in ſacris ſuis turbari; is ejusmodi monitis indignari, ac negare, ſibi integrum eſſe talia ad Regem referre. Etſi Verjus Jenæ verbis confirmaret, à Rege mandata emitti, ne Proteſtantes in exercitio ſacrorum ſuorum turbentur. Idemqve certam ſpem faceret, Metenſe, & Briſacenſe tribunal haut ulterius progreſſurum, & jam acta denuo diſcutienda.

10. Aug.

Galli reſponſum. 19. Octob.

§. 18. Aſt Gallus reſponſo ad Ordinum literas pervincere conabatur, ea loca, qvorum nunc poſſeſſionem capeſſat, à Cæſareis Neomagi ſibi fuiſſe ceſſa. *Veſtri plenipotentiarii*, inqvit, *conventu Neomagenſi duas petitiones ſermone, & ſcripto fecerunt, qvæ eo tendebant, ut in nihilum redigerentur præcipua emolumenta per Monaſterienſem pacem nobis qvæſita, ac ſolidiſſima ad eandem ſuendam remedia. In una denominabant omnia oppida & loca, qvæ ſupremo noſtro imperio ſubtrahere conabantur. In altera propoſitionem de arbitris renovabant, eo magis inutilem, qvod nunc id maxime ageretur, ut per pacem lites finirentur, qvæ eam turbare poſſent. Haut eo minus iſti firmiter duobus biſce inſiſtere, ac per ſex fere ſeptimanas cum noſtris legatis diſcepture; ubi à neutra parte qvid omiſſum eorum, qvæ pro juſtis noſtris poſtulatis, & contra eadem adduci poſſent. Ac aluiſſent nova iſta difficultates à plenipotentiariis veſtris nullo fundamento motæ bellum, qvantocunqve ſtudio nos id finire cuperemus, ni ablegati Principum, qvem mala belli maxime incumbebant, demum obtinuiſſent ab iis, qvibus vos tantum negotium commiſeratis, ut diſceptatione deſiſteretur tam parum rationibus*

1680. *bus subnixa, & quam diutius sustinere non poterant, quin periculo sese exponerent longe plura amittendi, quam quanti illud erat, quod requirente justitia Corona nostra relinquere tenebantur. Igitur nemo inficiari potest, quin dum Cæsarei contendere omiserunt, conclusio pacis inde provenerit, qua nunc totum Imperium gaudet. Igitur silentium imponerent iis, qui denuo motis litibus jam compositis amicitiam inter nos, & Imperium imminuturum eant; quod ejusmodi querimonia hautquidquam conveniant cum bona fide, qua ipsi omnia Neomagi acta adprobarint. Si quid tamen præter jus ereptum arguatur, revisionem à nobis dandam.* Quare autem Rex tot annos post Monasterienſem pacem de his prætenſionibus siluerit, nullo verbo tangebatur.

Cæsarei à Gallo assertæ falsi arguuntur. 29. Octob.

§. 19. His literis acceptis Ordines Vienna informari expetebant, quid revera Neomagi circa id negotium actum foret. Ad ea Stratemannus respondebat; *Croissium Regi suo de hoc negotio falsa retulisse. Eqvidem Cæsarem legationem projecto suo articulum formasse de renovando compromisso super rebus in Alsatia controversis, ac Metensibus vasallis; id qvod Gallus antea probarit, ac Barus durante Neomagensi tractatu confirmarit, Regi adhuc eam mentem persistere. Nec consultum esse indecisam relinqvere materiam, novas turbas parere ideneam. Sed Gallos excusasse, se de isto compromisso haut informatos; ac idem per interveniens bellum interruptum, nec se Regem invitum ad id obstringere posse. Sed & commodissimam viam controversiis inter Principes componendis esse disceptationem inter utriusqve ministros. Iisdem tamen hoc conventu expediendis temporis spatium nimis angustum esse, qvod Rex legatis suis præscripserit absolvende paci, qvam tantopere orbis Christianus desideret. Gallos qvoque ad projecta Cæsarei articulum de instaurando compromisso Jenkino respondisse; Galliam non pretendere novum aliqvod jus ad ea loca, sed adqviescere jure per Westphalicos tractatus qvæsito. Ita Cæsareos articulum istum omisisse; sed protestatione sibi cavisse verbis apud Gallos, scripto apud seqvestres biduo ante subscriptionem interposita. Qvin ipsum Croissium, cum animadverteret, Cæsaream legationem super ejus articuli omissione scrupulum sibi formare, ultro suggessisse, hunce tolli posse interposita protestatione. Qvid qvod nullo verbo de cessione tot Statuum mentio facta sit, cum de Friburgo oppido tot articuli impleti sint, tribus qvoque miseris vicis ab eo pendentibus nominatim expressis. Ac in universum juris esse, ut in tractatibus nil*

30. Dec. 78.

habeat vim obligandi, qvod expressum non sit. 1680.
Ac alias Croissius haut qvidqvam tantopere Imperii placitum expetiturus erat, si Cæsarei eam cessionem fecissent; qvippe cum id placitum expresse ad dictam protestationem provocet, Cæsaremqve roges, operam det, ut Ordinibus Imperii, de qvibus qvæstio est, sua libertas illibata constet, ac ut præcipue articulus 27 pacis Neomagensis probe observetur. Sed nec idem Cæsarus ratihabitionem accepisset, velut qva ad Imperii placitum provocat. Et qvo colore Cæsarei ea loca in catalogum restituendorum referre potuissent, si eadem Gallo cessissent? Qvanqvam enim non omnia ibi loca exprimantur, ac Croissius causatus sit, se de omnibus haut plene edoctum; tamen Cæsareos eo catalogo non destitisse, testimonium perhibente Bevilaqva; ac expresse fuisse conventum, ut Gallus omnibus locis præsidium deducat, qva per Monasterienſem pacem ad eum non spectent. Dum qvoqve Croissius articulo I Executionis stipulatur, ut Cæsar copias suas è locis Imperii abducat, & inter hæc Landeviam, & Weissenburgum nominet; eo ipso agnoscere, eas civitates Imperiales esse. Unde & tribunal Brisacense non ad Croissii commenta, sed simpliciter ad pacem Westphalicam provocare. Atqvi præterqvam qvod id tribunal, cum inter partes censeatur, absurde judicem se ferat in aliena Reip. membra, ejus decreta tam Monasterienſe, qvam Noribergensi tractatu plane destrui. Falso qvondam à Gravello Volmari dictum jactatum; qvi viribus præpolleat, optimum interpretem pacis Westphalicæ fore. Qvi & studio articulum de Gallica satisfactione, cum reliqvi sat perspicue concepti sint, ita ambigue expresserit, qvod sperarit, Gallum eas provincias haut diu retenturum, aut velut longius dissitas neglecturum. Ac si Austriaci eas recuperarint, posse hos tunc Instrumentum Pacis in commodum suum vertere, causatos, se ibi jam eodem qvo Gallum jure possidere. Ex qvo sinistro artificio nunc Imperio tanta incommoda provenisse. Qva mania esse cuivis pateat. Cæterum vi Recessus Noribergensis iis locis à Gallo militem deductum, qva idem nunc occuparit. Et qvia hic ad instaurationem pacis Westphalicæ provocat, nisi qva Neomagensi tractatu mutata sit; in Alsatiam nil amplius prætendi posse, qvam qvod perspicue Monasterienſi Instrumento expressum est. Croissium porro peritiorem rerum esse, qvam ut nesciat, ea, qvibus jura per pacem reciproca stipulatione compositam qvæsita mensurantur, non esse qva in antecessum super formandis articulis hinc inde jactantur, sed ea duntaxat, super qvibus post consummatam disceptationem ad extremum inter partes convenit. Omnia, qva

1680. *nter tractandum differuntur evanescere, ac sine effectu manere, nisi tractatui utrinqve subscripto inserta sint. Praeter ista nil esse, qvod obligationem Principum constituere possit. Cum igitur rejecta propositiones partem tractatus Neomagensis non constituant, eas-dem nemini jus dare, aut detrahere posse. Caeterum ex omisso isto articulo VIII projecti Caesarei id qvidem colligi posse, Gallum non amplius ad compromissum teneri: haut qvidqvam autem Caesareos de jure Imperii, atqve Ordinum qvorum intererat qvid remisisse, multo minus totam Alsatiam cessisse.* Porro cum & Lutetiæ Mansfeldius Comes Croisio objiceret; qvare post pactum Noribergense jam in controversiam adductis locis, ac inter ea Landavio militem deduxissent? nil aliud qvod responderet habebat, qvam eo tempore ob turbas intestinas alibi se milite suo opus habuisse. Qvasi post eas turbas sedatas militem eodem iterum immittere non potuissent saltem juri suo testando. Cum etiam superioribus annis Trevirorum urbs expugnata fuisset, Gravelli scriptum inter alia repertum fuerat, qvo super Alsatico compromisso agnoscebat; Gallicas rationes admodum debiles esse, ac si res jure metienda sit, haut suffecturas.

Galli rationes ulterius discutiuntur.

§. 20. Ast Ordines Imperii Ratisponæ Galli responso haut contenti Verjo demonstrabant: Tantum abesse, ut qvidqvam eorum Galliæ, qvæ ea nunc in Imperio occupat, pace Westphalica cessum sit; ut pleraqve in Instrumento Pacis ab iis, qvæ Galliæ ibi cessa leguntur, nominatim excepta; multa dominis, qvibus ea nunc eripiuntur per eam pacem Gallo tunc inprimis annitente restituta; multa per Recessum Noribergensem Imperio reddita; omnia usqve ad extremos motus facta tecta conservata sint. Eosdem Status, in qvos Gallus nunc supremum imperium sibi arroget, triginta amplius à Westphalica pace annos interrupta nunqvam possessione ad Comitia Imperii vocatos, in iis praesente, & non contradicente legato Gallico jure sessionis, & suffragii semper gavisos, ad collectas Imperii contribuisse, in contentiosis nulla praeterqvam Imperii dicasteria agnovisse. Imo Galliæ Regem cum iisdem tanqvam immediatis Imperii Statibus hactenus semper egisse, foedera iniisse: in ipso pacis Westphalicæ Instrumento liberum militis sui per Alsatiam transitum, Benfeldæ demolitionem, Tabernarum medium statum stipulatum. Cum anno 1661 tanto post Westphalicam pacem spatio decem Alsatiæ civitatibus ne tunc qvidem de statu *immediatis*, sed de sola jurisjurandi forma ob praefecturam Hagenoënsem praestanda, inde anno seqventi à curia Metensi vasallis trium Episcopatuum Imperio immediate subjectis controversia moveretur: eam non tantum interveniente Caesare & Imperio ad arbitros ex ipsomet Imperio utrinqve delectos remissam, & ex parte jam decisam; sed & Regem per Robertum Gravellum heic Ratisponæ in ipso limine compromissi testatum; non eam esse intentionem suam, ut juramentum fidelitatis, qvod vigore cessæ sibi praefecturæ Hagenoënsis ab istis civitatibus exigat, ita explicetur, ut immediatati, qvæ in tractatu Monasteriensi illis expresse reservata sit ullo modo praejudicet. Neomagi qvoqve unicam conditionem instaurandæ cum Imperio pacis restitutionem pacis Westphalicæ postulatam, sola Friburgi cum Philipsburgo commutatione excepta. Eqvidem è legatis Caesareis juxta, ac Gallicis hinc inde plures articulos propositos, qvâ post Instrumento inserti sint. Sed eam omissionem usqv adeo neutri parti renuntiationis instar visam, ut Gallus eorum aliqvos à suis legatis propositos, licet tabulis pacis exclusos, reipsa executioni dari fecerit. Legationem qvoqve Caesaream articulum VIII formulæ suæ de litibus ibi nominatis ad placitum antehac arbitrium remittendis non ante, nec aliter omisisse, qvam postqvam legati Gallici, qvi hactenus restati fuerant, se de isto arbitrio nec edoctos, nec instructos esse, tandem per seqvestrem Anglum expresse declarassent; à Gallo nil novi, aut aliud juris in Status, & loca dicto articulo nominata prætendi, qvam qvod ipsi Westphalica pace qvæsitum sit. Qvæ cum paci Neomagensi velut fundamentum substernatur, eum articulum omitti posse. Ac ne locus esset ex ista omissione renuntiationem, aut qvalemcunqve desistentiam arguendi, legationem Caesaream ante subscriptam pacem coram seqvestribus, & legatis Gallicis verbo, & scripto ex superabundanti interposita protestatione cavisse, statimqve post pacem hinc inde ratihabitam inter alia etiam ea ipsa loca dicto articulo nominata à legatis Gallicis nomine Imperii inter restituenda, & evacuanda repetiisse. Unde haut adparere, qvo fundamento ex ejus articuli omissione tam enormis tot Statuum cessio evincatur, cujus in ipso pacis Instrumento nullum vestigium extet. Sane juris gentium esse, ea, qvæ ante transactionem, & re adhuc integra inter paciscentes dicuntur, pro non dictis, acta pro non actis haberi; eoqve non ex antecedentium congressuum disceptationibus, sed è solo Instru-

1680. 13. Sept. 1669. 30. Dec. 1678.

1680. strumento secutæ pacis, qvid ea transactum sit, doceri oportere; ad illud unum recurrendum esse. Nec enim aliud qvam pacis tabulas à Cæsare & Imperio, Galloqve ratihabitas; qvæ & solæ contrahentes obligent. Qvin cum ipse Episcopus Argentoratensis, cujus ditio non modicam Alsatiæ partem constituit, tractatu Neomagensi à Gallo inter fœderatos habitus, ac eo urgente in pristinum statum, jura, sessiones, & alia, qvibus ante destitutionem gavisus fuerat, restitutus sit; consequens esse, Regi à ministris de ejusmodi cessione, utriqve paci incognita, falso fuisse insinuatum. Deniqve Imperium ratihabitione sua Cæsareorum legatorum protestationem repetiisse. Qvod autem Rex revisionem eorum, qvæ a judicibus suis contra læsos Imperii Status acta sint, offerat, id ab Ordinibus Imperii hautqvidqvam eo sensu acceptari posse, velut isti jus sit Ordines Imperii ad sua tribunalia, qvorum in hos jurisdictio nulla est, iterum trahere, & sumtis actoris simul, ac judicis partibus interpretationem Westphalicæ pacis exclusis cæteris ejus consortibus sibi soli arrogare. Sed oblatum admitti eo qvo par est sensu, & qvi justitiæ Regis congruit; ut nimirum controversiæ, prout Regi antea placuit, ad probatos utrinqve arbitros remittantur, læsis Statibus interim in possessionem immedietatis, libertatis, ac jurium, qva per vim exuti sunt, ante omnia restitutis. Id qvod ut fiat, à Rege petere, cum pax sublatis fundamentis diu subsistere non possit, nec ab Imperio tot membra sine totius corporis convulsione decerpi neqveant. Ad ista Verjus, ne plane obmutesceret, cavillabatur: Regis prætensiones pace Monasteriensi liqvido fundari, qva ipsi istæ regiones cum omnimoda jurisdictione, superioritate, & supremo dominio, qvæ non solum Domus Austriaca, sed & Cæsar atqve Imperium in eas habuerit, operosis verborum cautelis cedantur. Tum circa easdem Cæsarem atqve Ordines, omnibus Imperii constitutionibus, capitulationi, ac juramentis renuntiasse, ac ut eæ provinciæ, & loca catalogo Statuum Imperii expungerentur, consensisse. Instrumentum autem Pacis excepisse duntaxat nonnulla sat tenuia, puta jus Metropolitanum in tres Episcopatus pro Trevirensi; ut Rex catholica sacra tueatur; ut præsidium Philipsburgense nimis numerosum ne sit; ut Brisaco sua privilegia salva sint. Eqvidem *paragraphum Teneatur Rex* Instrumento pacis insertum, sed cujus nullo effecto sit, qvod eidem annexa clausula Gallo antehac cessa jura satis conservet: *itaque men ut præsenti hac declaratione nihil detractum intelligatur de omni supremi imperii jure, qvod supra concessum est.* Regem qvoqve censuisse, sat sibi juris esse ad ea, qvæ nunc prætendat, eoq; in arbitros consensisse. Sed postqvam bellum erupit, ac Cæsarei negotium id Neomagi moverint, Gallicos legatos non aliter pacem concludere voluisse, aut subscribere, qvoad Cæsarei eo articulo destiterint. Velle tamen Regem in eas qverelas penitus inqviri, ac omnia amice componi. Sed cum contra ostenderetur Landgraviatum Alsatiæ hautqvidqvã complecti omnia, qvæ in eo tractu, qvi Alsatiæ vocabulo venit, sita sunt; satis agnoscebat, ad Tabulas pacis frustra à Gallo provocari. 1680.

Gallus Argentoratum intercipit.

§. 22. Cæterum Gallus, postqvam tot sibi ditiones media pace rapuisset, nec tamen protinus ad arma rem deducere vellet, modestiæ qvid tantisper simulare expedire ducebat. Unde cum Mansfeldius Comes Lutetiæ proponeret, ut omnia post pacem novata in integrum restituerentur, id qvidem Gallus abnuebat. Sed cum idem instaret, ut saltem grassationes Cameræ Metensis, ac Brisacensis sistantur, ac per delegatos tam in anteacta, qvã in reliqvas prætensiones inqviratur, qvod Cæsar eam solam rationem superesse judicaret servando Argentorato: Gallus laxis verbis eum delegatorum congressum annuere, qvem recusare probabile prætextum haut suppetebat: qvem tamen eludere in proclivi erat, prout res in Anglia, ac Belgio se darent. Unde & per Verjum Ratisponæ offerebat, se congressu delegatorum instituto qverimonias, & reliqvas prætensiones compositurum: qvi tamen Spiræ, Wormatiæ aut Francofurti ad Mœnum, non autem Argentorati habendus sit; qvod magis è dignitate Imperii videatur, si iste intra hujus limites celebretur. Id qvod ab Ordinibus avide arreptum, modo ut Gallus interim reunionibus supersederet. Sed qvia facile adparebat, hoc congressu parum æqvi pro Imperio obtentum iri, Elector utut inter ordinarios Deputatos esset, ea commissione ut eximeretur laborabat. Enimvero dum Ratisponæ, qvæ ad eum conventum obeundum reqvirebantur, per solitas ambages lente procedunt, Galli interim Argentoratum, nobilissimum Germaniæ propugnaculum, interceperant. Cæsarei ministri per semestre amplius cum ea civitate egerant, ut ea qvasdam Cæsareas copias præsidio reciperet. Sed civitas consebat, Imperio, ac sibi hoc modo non consuli, sed potius noceri; ac demum effecerat, ut Cæsarei

1680. ſarei rationibus ipſius probatis admiſſionem copiarum non amplius urgerent. Ac ſperabat eadem, hac tempeſtate non aliter ſervari ſe poſſe, qvam ſi vela ad ventum obliqvet, ac mollibus remediis exitium declinet. Sane pacem Neomagenſem Germaniam, qvin totam Europam in eam conditionem redegiſſe, tantamqve animorum, & conſiliorum diſtractionem produxiſſe, ut nullum remedium adpareat res protinus reſtituendi, ſed à tempore mutationem aliqvam expectandam, interim diſſimulando, tolerando, ac per dextra conſilia ſalutem qværendam, qvoad exulceratis animis medicina adferatur, ac arma rite inſtruantur. Nam nunc in bellum ruentes certiſſimum exitium manebat. Aſt Gallus cum deſtinata ſua in eam urbem jam exſecutioni daturus eſſet, per Croiſſium Mansfeldio ultro denuntiabat; ſibi propoſitum Argentoratenſes in verba ſua adigere, qvod per pacem Monaſterienſem ſupremum Alſatiæ imperium ſibi collatum ſit. Adverſus qvæ à Comite regeſta flocci fiebant. Erat jam conventio de tradenda urbe per paucos qvosdam è magiſtratu Lutetiæ adornata, Gunzero civitatis Secretario ſingularem operam navante; in qvam proditionem diſponendam à Gallo trecenta uncialium millia impenſa fuerant. Ne cives ſe opponere auderent, Rex minabatur; ubi reluctari inſtituant, ſingulos dies centenis uncialium millibus à civitate luendos; ac XL M bellatorum in procinctu ſtare iis in ordinem redigendis. Ac proditores jam ante diſpoſuerant, ne qva in urbe reſiſtendi facultas foret. Non niſi qvingenti milites præſidio ibi erant, reliqvis ante ſex ſeptimanas exautoratis. Armatorum civium vix tria millia in urbe reſtabant, reliqvis ad mercatum Francofurtenſem, & alio digreſſis. Ita veſperi per tenebras Galli modica manu ad caſtellum Rheno adſitum, ubi vectigal exigi ſolet, acceſſit. Eqvibus cum ſeqventi mane cauſa acceſſus qværeretur, hi reſpondebant: Cæſareas copias in itinere eſſe ad iſthæc Rheni clauſtra occupanda. Ex interceptis qvoqve à ſe Cæſaris literis adparere, hunc omni ſtudio circa prorogandam cum Turca pacem ſatagere. Qvo obtento bellum in Galliam jam decretum eſſe. Igitur iſta deſtinata ſibi fuiſſe prævertenda. Cæterum urbi nil noxæ inferendum, ac eam potius adverſus omnem moleſtiam tegendam. Sed & Monclaſius Gunzero Secretario ex urbe evocato denuntiabat; Regis voluntatem eſſe, ut urbs ſe dedat; ac ſe miſſum ad ea juſſa vi exſeqvenda, ni ultro pareatur. Poſtera die Luvoiſius Ilkircham veniebat, ad qvem delegati ex urbe accedebant cauſam invaſionis cognituri. Is ſolita cum ferocia proponebat, Regem velle, qvæ ſibi pace Weſtphalica, & Neomagenſi ceſſa ſint, penitus exſeqvi. Et qvia tota Alſatia eidem attributa ſit, ſolum jam Argentoratum ſupereſſe, cui nunc deditio facienda ſit. Igitur adhuc ea veſpera hora qvinta liqvido reſponderent, num Regis ſe arbitrio citra exceptionem dedere velint. Demum magno labore obtentum, ut reſponſum ad ſubſeqventis diei horam ſeptimam matutinam differretur. Addebat, Regem cum ipſis velut civibus ſuis agere: ſi renitantur, rebellium loco fore. Eqvidem alias qvi ſtrenue repugnent, honeſtioribus deditionis legibus potiri. Sed cum ipſis aliter actum iri; ac qvamprimum vel unum telum emittatur, à civitate exſolvendum, qvantum XXXV M militum, & res tormentaria durante obſidio conſiterit. Ita deditio fiebat, ac Rex urbi qvas petebat conditiones concedebat, niſi qvod iſte cathedralem ædem velut à majoribus ſuis extructam, ſimul portas, & armamentarium ſibi depoſceret. In hoc repertæ machinæ, & armorum adparatus ſeptem millionibus taxabatur. Ipſe Rex urbem ingreſſus ædem cathedralem Romano ritu imbui curabat, Epiſcopo Furſtenbergio inter alloqvium hæc qvoqve verba adhibente: *ſe jam cum Simeone libenter in pace ad ſuperos diſceſſurum, poſtqvam oculi ſui tam ſalutare opus viderint.* Avauxius per libellum Belgis de cauſis interceptæ à Rege urbis memorabat, neceſſitatem antevertendi Cæſaris conatus, qvo pax ſervetur. Ac ut Rex teſtetur, ſe arma longius proferre nolle, eum conſenſurum, ut Friburgum deſtructis munitionibus Cæſari reddatur, ſi & Philipsburgum munitionibus pariter exutum Spirenſi Epiſcopo reſtituatur.

17. Sept. 18. Sept. 17. Sept. Monclas. 18. Sept. 20. Sept. 13. Octob. 8. Octob.

§. 22. Poſt tanti momenti ditiones nullo labore raptas Gallo placebat ſubdolam per qvietem, variasqve artes adverſæ partis conatus eludere, ac male concinnam Reip. Germanicæ molem in ſoporem dare; captorum poſſeſſione interim qvantum poſſet firmata. Eqvidem Arauſionenſis paſſim Gallica potentia attonitos excitatum ibat, ut imminenti ſe ſervitio maſcule opponerent. Qvi & ſuſcepto in Angliam itinere avunculum Regem, ut tandem aliqvando Galli ſe conatibus ſerio objiceret, ſtimulabat. Unde & hic Gallo per legatum propoſuit; ſe de ſtatu Europæ valde ſolicitum eſſe, ac inprimis de iis, qvæ ab ipſo

Arauſionenſis frustra Anglum excitare conatur.

1680. ipsō contra Germaniam, & Belgium Hispanicum tententur. Qvi agendi modus plane inauditus sit; ac se judicare, controversias super limitibus, ac aliis pacis articulis ad sponsorum decisionem spectare. Cui à Gallo responsum: *cuilibet Regi peculiarem agendi modum esse: sibi suo modo agendum videri. Ac satius fore, ut Anglus de statu Regni sui solicitus sit.* Qvanqvam autem Anglus Hispano declararat; si Gallus cœptos per Lutzenburgum conatus persequi instituat, fœderatis sese triginta naves bellicas auxilio missurum, ac intra trimestre Gallo bellum indicturum: tamen anteacta omnem fortibus dictis fidem detraxerant. Nec arduum Gallo erat solitas per artes ejus Regis ignaviam Europæ tam exitiosam alere. Ac ne Arausionensis apud Belgas suos qvid proficere posset, Amstelodamensium dissensio impediebat. Gallus autem, ut Arausionensi vicissim ægre faceret, hunc Metim citabat, ut Comitatus Viandæ nomine sacramento se Galliæ obstringeret. Et cum is misso scripto id postulatum excusaret, ejusdem bona in Lutzenburgensi ditione sita, Vianda, D. Viti Fanum, & Jageburgum Mareschallo Humierio, qvi actionem in eadem moverat, addicebantur.

De tractatu associationis.

§. 23. Majus momentum ad sistendas Galli grassationes allatura credebatur conjunctio inter Svecos, & Belgas ad tuendam pacem Westphalicam, & Neomagensem. De ea primum à Sveciæ Rege motum fuerat, qvi post bellum infeliciter gestum, in qvod per Gallos pertractus erat, adversus hoc acerrimum odium conceperat; qvo non minore flagrabat Benedictus Oxenstierna, cui Rex externarum rerum curam commiserat. Accedebat, qvod Gallus nullo respectu veteris amici ac fœderati, è cujus Regno tantam utilitatem ceperat, & qvod plurimum ad id fastigium contulerat, è qvo nunc iste Europam terrebat, Ducatum Bipontinum avitum Regis Caroli patrimonium tam frivolo titulo subtraxisset; ac ut eo nomine tanqvam Galliæ vasallus jurejurando se illigaret, postulasset. Circa eam porro conjunctionem prima cura erat, ne Gallus, si præmature de ea innotuisset, eandem inter initia disturbaret. Unde in Svecia clam cum Belgarum ministro conveniebatur, qvomodo Gallorum animi tantisper alio averterentur. Eo fine Nicolao Bielkio simulata mandata missa, ut cum Gallo tractationem susciperet; jusso tamen eam studio extrahere, qvoad Nicolaus Gyllenstolpius negotiationem suam Hagæ absolvisset. De qvo cum Electori innotuisset, per Spanhemium, & Fridericum Wilhelmum Diestium Gallicis ministris insinuabat, qvo Gallum Sveco redderet irreconciliabilem. Lillierothus contra minister Svecicus Hagam transiens Avauxio dixerat: Sveciæ aliqvot annorum qvietu opus esse ad recolligendas vires: dehinc ipsam Gallo contra qvosvis adstituram. Ac idem Lutetiam delatus Gallo Svecicum fœdus offerebat; ac cum interrogaretur, num tractatui *associationis* renuntiare vellet, id qvidem negabat; sed ejusmodi se interpretationem daturum, qva Gallus adqviescere possit. Sed Croissius respondebat; ista hæc oblata non congruere cum illis, qvæ à Svecis Viennæ, Hagæ, & Londini agantur. Idqve eo magis suspectum erat, qvod Sveci eodem tempore Hafniæ triplex fœdus offerebant, inter se, Daniæ Regem, & Electorem. Color dicebatur, qvod recenti adhuc animorum aversione ipsi nollent Electori de eo proponere, sed id per Danum fieri decentius ducant. Scopus autem ferebatur, ut non solum immensum gliscens potentia Gallica sisteretur, sed & Belgarum ardor, qvem pro bono publico testentur, fulciatur; qvi & publica hac paupertate ad ingentia subsidia adigendi non sint, ne plane ad desperata consilia delapsi Gallicam protectionem subeant. Existo tamen agendi modo tam parum sibi constante prudentes suspicabantur, Svecos utriqve se parti venditare, ac pretium sui accendere velle. Cæterum architectis ejus fœderis, cui *associationis* vocabulum indebant, persvasum fuerat, alios certatim eidem nomina daturos; Angliæ ante omnia Regem, tum Electores, & omnes Germaniæ Principes, simul Cæsarem, Hispanum, Danum, qvos solenniter invitare placebat, uti & Italiæ Principes, qvi & ipsi Neomagensi pace comprehendantur. Eo fœdere non Germaniæ solum, ac Belgii, sed & totius Europæ securitatem stabiliri, Galliqve vastis destinatis limites poni. Et jam olim ejusmodi fœdus regnante Henrico IV à Sullio Duce deformatum adversus prægravem tunc Hispanorum potentiam. Enimvero adparebat, autores de ejus fœderis effectu ampla nimis spe sibi fuisse blanditos. Nam inter provincias Belgicas Frisia, & Groninga id ratihabere abnuebant, qvoad certum foret, Electorem qvoqve eidem accessurum. Amstelodamenses qvoqve, atqve Dordraceni pecunias conferre nolebant, negantes, ob alienas utilitates in novum se bellum descensuros. Belgis ad id fœdus invitantibus Anglus respondebat verbis laxis, & ambiguo sensu: si Cæsar, Danus, &

1680. alii primarii Germaniæ Principes (non expresso, qvos designaret,) eidem se illigaverint, se qvoqve Parlamentum eum in finem convocaturum. Cæsareus tamen minister Camprichtus eum se tractatum citra tergiversationem subscripturum declarabat; uti & Bavarus, ac Genuates. Ast Avauxius isthoc instituto qvam maxime se offensum profitebatur, nec Regem id aliter considerare posse, qvam adversus se directum: ac qvi primus ei nomen dederit, acerrimi hostis loco habiturum. Idem qvoqve multis in callidas Svecorum artes invehebatur; qvi revera nil aliud qværant, qvam ut per aliqvot annorum qvietem vires recipiant, qvo deinceps iterum vicinis terrori
8. Nov. esse possint. Idem eo nomine Belgis libellum exhibebat, atrocibus minis refertum. Cui Belgæ modestis verbis respondebant: id fœdus nullius offensam, sed innoxiam duntaxat defensionem spectare. Croissius dicebat: Regem sibi persvadere non potuisse, Svecos primos fore, qvi ejusmodi fœdus contra ipsum cusuri sint. Cæterum se qvidem expectasse, ministerium Oxenstiernæ, qvem Neomagi ipse penitus cognoverit, aliqvid novi, & inusitati producturum. Suspicio Croissium subierat,
qvelque choſe de nouveau, & de bizarre. Electorem qvoqve in partem ejus negotii venire. Cui is per Spanheimium reponebat: sibi qvidem acta Cameræ Metensis, & Brisacensis, tum qvæ contra Reformatos in Gallia suscipiantur, valde displicere: de cætero cum Gallo bona fide staturum.

Cum Danie Rege acta. §. 24 Ast qvo magis Sveci eo fœdere à Galli amicitia se disjungebant, tanto enixius studebat Elector, ut Danum conjunctione cum Sveco divulsum sibi, Galloqve innecteret, ne novum sibi è Svecia periculum crearetur. Eqvidem Gallus antea junctim sibi Boreales Reges sociare optaverat, qvod fœdus cum alterutro eorum inutile fere esset, altero protinus in adversas partes digrediente. Contra si de utriusqve Regis, & Electoris amicitia cautum sibi sit, res Germaniæ se pro lubitu temperare posse. Ast postqvam Sveci à Gallo se averterant, hic eludendo associationis tractatui Danum in suas partes pertrahere studebat, simul de Pomerania Svecis eripienda, & in Electorem transferenda insinuabat. Cæterum inter Boreales Reges Lundini in Scania convenerat, ut non nisi junctim fœderi cum aliis se innecterent. Idqve hactenus obstiterat, qvo minus fœdus inter Gallum, Danum, & Electorem coire posset, qvod Danus Svecum qvoqve eidem adscribi vellet; id qvod Electori haut placebat. Sed postqvam Svecus associationis fœdus iniverat, inscio Dano, uti hic arguebat, eoqve Lundensem conventionem abruperat, Danus inde ansam arripiebat Gallo, atqve Electori arctius sese innectendi. Electori tamen prius constare oportebat, num Danus associationis tractatum subscribere vellet. Simul censebat, primo loco fœdus ineundem super servanda pace, nulla mentione facta de adqvirendis bello qvibusdam terris. Ast ubi res in arma eruperit, pro captu rerum de talibus agi posse. Danus porro censebat, se prius, atqve Electorem cum Domo Luneburgica, & Monasterienſi fœdere nectendos. Tunc enim magnam sibi unius auctoritatem accessuram, ac majore ambitu suam amicitiam qvæsitum iri. Idem qvoqve confirmabat, nil sibi cum Sveco fœderis esse in Electoris fraudem. Ac se per naturales rationes ad æternam cum Brandenburgica Domo amicitiam trahi, cujus & qvantacunqve incrementa læto animo adspecturus sit; cum contra Saxones, ac Luneburgici maxima æmulatione adversus ejusdem opes flagrent, ac ne vicum qvidem eidem accrescere æqvo animo ferant. Satis qvoqve se perspicere, si ipse Sveco junctus maneat, parum fructus è fœdere Gallico se percepturum; nec regni sui rationes diu cum Svecia conspirare posse. Tum amplissimis verbis de studio suo in Electorem testari, ac uti pedetentim Svecorum se conjunctione exuere instituat, qvi ipsum illudere, ac ab Electoris amicitia disjungere velint. Saue fœdus mutuæ defensionis non sine artificio præter nativam Regnorum indolem consarcinatum Alefeldius Comes semper dissvaserat: sed in gratiam Reginæ viduæ Antonius Altenburgius Comes, & Janus Julus succinente Halmio id pervicerat, promovendo Ulricæ Eleonoræ connubio. Ac Halmius qvidem semper Regem ab Electoris amicitia abstrahere studuerat. Julus privatum commodum captaverat, ac ut offensam Sveci ob incendia novissimo bello in Oelandia, & aliis Sveciæ locis patrata aboleret. Altenburgio spes erat, se favore Svecorum bona sua in Oldenburgico Comitatu tuiturum. Cæterum ejus fœderis scopum fuisse nuptias sororis regiæ, & commercia, circa qvas Belgis limites ponere animus fuerit. Sed qvia illæ qvidem consummatæ sint, hoc autem frustra fuerit, amicitiam cum Svecis brevi expiraturam; qvi qvotannis ultra centum uncialium millia vectigal in Oresunda defraudent, ac cum Belgis fœdus commerciorum inierint Daniæ admodum noxi-

1680. noxium. De qvo tamen Hafniæ declaraverant, id fœdus Daniæ fraudi non fore, cujus in articulis Lundensi tractatui adversantibus nulla vis esse debeat; Alefeldio Cancellario pronuntiante; se nescire, utrum Sveci Danis, an Belgis illudere cupiant. Ac Electori qvoqve fœdera cum Svecis fuisse, sed per qvæ radicata cum Dano amicitia hautqvidqvam sublata fuerit. Ad qvæ Elector vicissim declarabat: se utiqve mutuæ inter ipsos amicitiæ necessitatem agnoscere, eoqve statim post pacem fœdus cum Rege ad ductum conventionis Dobrani qvondam initæ facere cupiisse; sed qvod in Dania variis prætextis elusum sit. Simul novum cum Sveco pactum initum, qvod hactenus communicatum non sit, qvo omnibus fœderibus contra Sveciam, eoqve & fœderi cum ipso renuntiatum dicatur. Se tamen postqvam Rex de fœdere junctim cum Gallo incundo movisset, ad id statim paratum fuisse. Sed circa id anceps sibi visum, qvod is Svecum in idem recipere voluerit; qvi tamen de hoc nil sibi significarit, & cujus conjunctionem alia nunc dissvadeant. Simul communicationem fœderis cum Sveco expetebat, abunde de cætero repositis verbis affectum testantibus. Ac fatebantur Dani, suas rationes per fœdus Svecicum turbari, qvod sibi ob matrimonium fororis regiæ extortum sit, & per qvod Sveci Danum Principibus Germaniæ suspectum reddere voluerint. Post tamen Electori ejus fœderis copia per Goschium Bucvvaldum facta; qvi excusabat, id ob Belgas, qvos idem potissimum tangeret, secretum fuisse habendum, tum qvod in eo extaret; ut neuter Borealium Regum inscio & invito altero in Germania bellum gerat. Qvo ipso Danum Sveco velut vinculum injicere voluisse, ne tale qvid tentaret. Alias enim Dano tantam vecordiam non esse, ut Svecis junctus Germaniam invadere velit, qvi alias à Svecis omni parte cinctus sit, ut qvasi in faucibus eorum hæreat. Sed nec fœdere Svecico iis fœderibus, qvæ Dano cum Electore, & aliis intercedant, expresse renuntiatum; sed tantum in fine tractatus id, qvod tempore belli alterutri Regi in præjudicium actum sit, abolitum, id qvod apud omnes pacisc entes usu receptum sit. Sic & inter utrumqve Regem convenisse, ut omnia bona fide communicentur. Danum tamen hautqvaqvam eousqve se obstrinxisse, ut cum Sveco omnia prius in antecessum ipsi consultanda, ac digerenda sint. Cæterum eo tempore Dano in ancipiti erat, utri partium fœdere sese illigaret. Nam ut ipse Sveco junctus defensivo fœdere Gallo jungeretur per Lillierothum propositum fuerat. Id qvod Dano suspectum videbatur, nota Sveci in Gallum aversione, qvam valde auxerat nuper erepta ditio Bipontina, & qvia Gallus cum fine belli subsidia subtraxerat, qvæ Svecus ad finem usqve fœderis prætendebat. Ac Oxenstierna svadere dicebatur, ne Rex fœderi bellum parituro se innectat, sed successus rerum per Europam speculetur, ac ante omnia domesticas res probe disponat. Unde Danus super hoc fœdere proponi à Sveco judicabat tantum, ut ipsius mentem expiscaretur, simul ejusdem cum Gallo conjunctionem difficilem redderet. Sed & Svecus in formula communis fœderis id qvoqve stipulari volebat, ut Gottorpiensis Dux in pristinum statum reponeretur. Id qvod Dano minime omnium arridebat. Qvi & valde repugnabat, ne Dux iste Lundæ ad Eidoram novam munitionem extrueret, magni momenti futuram, ubi perfecta fuisset; nevé idem Tœnningam instauraret, qvam destructam Rex præcipuum fere novissimi belli fructum ducebat; qvod prætextum videretur habere Duci partem tributi bellici abnegandi, si huic nulla munitio supereresset. Cum ergo has ab causas Borealium Regum junctum fœdus cum Gallo haut succederet, Dano visum seorsim cum Gallo fœdus ferire. Super qvo iste Electori ita declarabat: *Sibi haut qvidqvam in animo esse, gradum Gallo struere ad invadendam Europæ monarchiam; judicare tamen securitati suæ facturum fœdus mutuæ defensionis cum Gallo laxis duntaxat verbis inire, ne Svecis emolumentum Gallici subsidii relinqvatur. Nam satis se animadvertere, Svecos plus nunc cupidinis qvam antehac ostendere, qvod suspicentur, vel Electorem solum, vel sibi junctum brevi cum Gallo fœdus concluturum. Iis autem fixum sedere diversas à Dania, & Electore partes seqvi; qvi & nondum desiderium Boruſſiæ digesserint. Igitur sibi decretum gemina cum Electore consilia capessere; ita tamen, ut qvemadmodum ipsi è novissimo bello, cujus fructus invidia sociorum interceperit, saltem egregiam apud posteros memoriam sperent, pro bono publico ad extremum contendisse; ita fœdus cum Gallia ineundum non impediat, qvo minus enormibus Galli destinatis obviam eatur, ubi is justo longius grassari instituat. Apud Gallum tamen haut professurum, Sveci conjunctionem sibi ingratam esse, ne huic, aut Gallus suspicionem injiciat.* Mox tamen cum super fœdere inter Danum, & Gallum serio agi inciperet, Galli modica subsidia offerebant, vicissim

1680. 15. Mart.

22. Maij.

1680. viciſſim ardua ſibi ſtipulaturi, qvæ promovendis vaſtis ipſorum deſtinatis facerent. Contra Dano in ancipitia deſcendere haut placebat, cui communis qvies, & ſecuritas ſpectabatur, ut ſi Gallus qvid in eam tentare velit, plauſibile prætextum foret eum monendi, ac à ſiniſtris deſtinatis retrahendi. Utqve adeo fœdus certis limitibus circumſcribatur, qvo, ubi iſte in tranſverſum abeat, pes honeſte retrahi poſſit. De cætero tutius ſibi, atqve Electori videri, ambiguis hiſce temporibus Gallo ſociari, qvam priores partes, qvas tanto ſuo cum diſpendio ſecuti fuerint, iterum amplecti. Nam in Anglia nil certæ fiduciæ collocari poſſe. Apud reliqvos nil ſolidi adparatus reperiri, Galli viribus par. Haut eo minus hærebat Danus, qvem interceptum Argentoratum graviter commovebat, & qvia Cæſar qvoqve fœdus offerebat, ex qvo hoſpitia ſperabantur, ac ut interim frui integrum eſſet menſtruis CL M uncialium, qvæ Gottorpienſis Ducis provinciæ imperabantur; qvi à Cæſare deſtitutus forte ad abdicanda pacis Hafnienſis commoda compelli poſſet, occluſo ſimul Svecis in Holſatiam acceſſu. Contra legatus Gallicus Hafniæ urgebat; jam maxime opportunum tempus eſſe Daniæ ad occupandum locum, qvem Sveci hactenus in amicitia Galliæ tenuerint, qvi per tractatus cum Belgis ab hac ſe disjunxerint. Notum eſſe, qva fide Gallus fœdera colat, qva conſtantia ſociis adſiſtat, qvantum ſecuritatis, atqve emolumenti eadem præſtent. Simul inſinuabatur, Gallum operam daturum, ut Danus Scaniam, & Bremam recuperet. Cui tamen reſponſum; noviſſima pace ſatis deprehenſum, Gallo haut placere Daniæ vires gliſcere, aut amiſſa ab eadem recuperari. Nec in obſcuro erat, à Gallo id maxime agi, ne Danus *aſſociationi* accederet, utqve Boreales Reges disjungerentur. Igitur haut placebat Dano ſuper fœdere Gallico certi qvid ſtatuere, donec Lilliecrona de rebus Cæſareis liqvidiora retuliſſet; qvi eam ob cauſam Viennam miſſus fuerat.

Fœdus cum Hanoverano Duce.

§. 25. Elector porro ut inter ancipitia temporum ſecuritati ſuæ proſpiceret, cum aliis qvoqve vicinis amicitiam inſtaurare inſtituit. Ac ſub finem qvidem ſuperioris anni Erneſtus Auguſtus Brunſvicenſis Dux Franciſcum Erneſtum Platenum ad Electorem miſerat, ſuper præſenti rerum ſtatu conſilia collaturum, ac de fœdere inter ipſos propoſiturum. Qvod cum Electori probaretur, ei adornando congreſſus Garlebiæ inter Meinderſium, & Platenum condictus eſt. Meinderſio in mandatis datum: ſi Platenus aliqvid circa Gallorum graſſationes fœderi inſerere velit, id declinaret, cauſatus, id negotium Ratisponam ſpectare, de qvo & legatus Cæſareus in Gallia agat. Alias Electorem nullo modo Galli acta probare, ac ſingulari commiſeratione eos proſeqvi, qvos iſte fortunis exuerit, ac optare idonea ratione iisdem conſuli poſſe. Qvæ communi Imperii nomine circa id negotium decernenda ſint, Electorem cum aliis ſemper promoturum. Cæterum primam ſcaturiginem horum malorum ſatis notam eſſe, ac unice præcipitatæ Neomagenſi paci adſcribendam. Eadem ſuper Galli actis Plateni ſententia erat; nec de iis hoc fœdere tangendum; præſertim cum Gallus dicatur locum congreſſus ſuper hac lite probaſſe, ac Metenſi, & Briſacenſi cameræ injunxiſſe, ut reunionibus deinceps ſuperſedeat. Nam eorum, qvæ jam occupata ſunt, parum, aut nihil à Gallo videri reſtituendum. Alias nec ſibi aulæ Cæſareæ conſilia probari; nec adparere in præſens vires, Galli conatibus retundendis pares, qvamdiu res Angliæ in præſenti ſtatu ſint. Fœdus inde concluſum *tutanda Paci Weſtphalicæ, ac noviſſimæ cum Gallo initæ, juribusqve inde qvæſitis. Id ad omnes Electoris provincias in tribus Circulis ſitas porrigi; cui non obſtare debeant, lites ſuper limitibus inter utrumqve Principem, qva amica ratione componenda ſint. Ab Electore Duci auxilio ſubmittenda III M peditum, M equites; ab hoc iſti dimidium numerum. Si dimachæ deſiderentur, binos horum ternis peditibus aqvandos. Ubis numerus præſenti neceſſitati haut ſufficiat, eundem duplo aut triplo augeri poſſe, dicta proportione utrinqve ſervata. Copiæ auxiliares ad reqviſitionem intra ſex ſeptimanas in requirentis ditione ſiſtentur; ut tamen reqviſitus non teneatur cum aggreſſore in bellum erumpere, eiqve integrum ſit officium bello componendo impendere. Id auxilium continuandum, qvoad læſo plane ſatisfactum fuerit. Imperium in auxiliares copias penes ſupremum eorum præfectum ſit; ſed in univerſum exercitum penes requirentem, qvi & graviores machinas exhibeat. Reqviſitus copiis ſuis ſtipendia præſtet; requirens forum præbeat. Utrinqve reſervabantur pacta familiæ, & fœdera cum aliis, qvæ qvidem præſtationibus ex hoc fœdere non obſtent. Neuter qvoqve deinceps fœdera ineat, huic adverſantia. Duret fœdus in triennium; ſed ſi interim fœderati bello implicentur, id vim obtineat, qvoad bellum ceſſaverit. Huic fœderi & aliis accedere integrum ſit, utriusqve partis conſenſu, & prædicta cum acceſ-*

1681. 21. Jun.

1681. *ſuro conventione.* Separato auxilio declaratum, id auxilium non deberi, ſi alteruter fœderatorum tertium qvempiam abſqve alterius fœderati communicatione, & conſenſu vi aggreſſus fuerit. Dux qvoqve poſt excipiebat, ſe ad auxilium nolle teneri, ſi ob negotium cum Hiſpano res ad arma perveniat, nec id caſum fœderis fore. Id 12. April. qvod & Electori probabatur. Mox & cum eodem Duce conventio inita ſuper mutuo tranſitu copiarum per utriuſqve ditiones, qvo Elector freqventer opus habebat, præfinito certo modo, ne litium inde anſa præberi poſſet.

Cum Saxone acta. 31. Jan.

§. 26. Ad Saxonem Meinderſius Dreſdam mittebatur de arctiore ambarum domuum conjunctione hac tempeſtate propoſiturus, ac uti de præſenti Germaniæ ſtatu demonſtraret. Hunc per fœdam pacem Neomagi properatam in ſummam confuſionem conjectam, per qvam hoſtis tantis commodis potitus ſit, qvanta nunqvam armis obtinere licuiſſet. Germaniam armis exutam, ac in ſe diviſam: conſenſionem inter Cæſarem, ac pleroſqve Ordines abruptam; diffidentiam invaluiſſe. Et cum olim legibus fundamentalibus, data fide, ac fœderibus Principes niti ſveverint, nunc ſanctiſſima humanæ ſocietatis vincula inter inſtrumenta fallendi adhiberi, qvibus ad ſubeundum periculum induci ſimplex habeatur. Hanc triſtem rerum faciem merito patriæ amantibus cordi eſſe, oppreſſis jam tot Ordinibus ad Rhenum, ubi Gallus adpacis leges, & Cæſareorum legatorum ceſſionem provocet, citra qvam pax non fuerit ſecutura. Id qvod etſi Cæſarei inficientur, Gallum tamen haut ſecus deſtinata exſeqvi. Id manifeſtum, Gallum Palatino detractum ire, qvæ hic ope iſtius per Weſtphalicam pacem recuperarit. Ab Imperio hucuſqve nil actum, niſi qvod Cæſar Mansfeldium Comitem in Galliam miſerit, & Ordines Ratispona ad Regem literas dederint. Eqvidem cauſæ juſtitiam in eo verti, qvis genuinus Inſtrumenti Pacis ſit ſenſus, cui declarando omnes paciſcentes reqviri. Sed Gallum huc deſcendere nolle, ac pacem ex ſuo ſenſu exſeqvi, ac armis confiſum rationes floccifacere, ac nunc occupare etiam qvæ ipſe olim ex pace Weſtphalica reſtituerit. Qvod ſi Gallus ita graſſari pergat, oppreſſi autem Cæſaris ac Imperii opem implorent, Cæſarem ſane per leges ad eam ferendam teneri. Aſt ſi recens elapſa tempora, ſtatusqve Germaniæ probe expendantur, inſuperabiles difficultates emerſuras, qvæ majora mala parituræ videantur. Interim Electorem Ratisponæ ſuffragio ſuo fulſiſſe, 1681. qvæcunqve ad ſalutem patriæ facere videantur, nec deinceps ab hac ſeſe disjuncturum. Enimvero talia haut qvidqvam ſvaſurum, qvæ cum tanto periculo conjuncta ſunt, & qvibus exſeqvendis nulla facultas adpareat, ac ubi metus ſit, uti noviſſimo bello factum, ne qvidam neceſſitatem cauſati fœderatis progreſſus invideant, ſeqve excluſo pacem ineant. Iis autem, qvæ totum Imperium ad ſui ſecuritatem, & ſalutem decreverit, nunqvam ſeſe ſubtracturum. Addebatur de ſatisfactione Electori è noviſſimo bello ab Imperio debita. Ad iſta colloqvio habito Nicolaus Gerſtorfius reponebat: defunctum Joannem Georgium II ſemper judicaſſe, Brandenburgico ſatisfactionis loco ſaltem Stetinum deberi. Se, atqve alios Conſiliarios ignorare, qvid Lutetiæ actum, nec in archivo qvid reperiri. Nec ignotum, è cujus cerebro iſta miſſio, ac ejus temporis conſilia promanarint. Super propoſitis in utramqve partem diſceptabatur, nulla certa concluſione. Poſt iidem Finſtervvaldæ congreſſi fœdus 8. April. mutuæ defenſionis inter ambos Electores perficiebant. Ei à parte Saxonis includebantur veteres & novæ ditiones hæreditariæ, præſulatus Naumburgenſis, Cicenſis, ac Martispurgenſis, cum utraqve Luſatia; tum præfecturæ Qverfurtum, Juterbocum, Dammum, & Burgum, ac præſulatus Qvedlinburgenſis cum pertinentibus; ex Electoris parte duntaxat ditiones in utraqve Saxonia ſitæ. Modus auxilii à Saxone præſtandi erat II M pedites, ſexcenti ſex eqvites, ab Electore III M pedites, M eqvites. Reliqvæ conditiones eædem, qvæ in Hanoverano fœdere. Addebatur qvoqve conventio ſuper copiarum tranſitu per utriusqve ditiones.

Desponſatio Ludovici Marchionis cum Radzivilla.

§. 27. Eodem anno ab Electoris filio Ludovico nuptiæ inibantur cum Ludovica Charlotta Radzivilia, unica filia, & hærede Bogislai Radzivilii; qveis non modicum incrementum Domui ſuæ acceſſurum ſperabat Elector, ſi ex eo connubio prolem provenire contigiſſet. Eì tamen graves ſe difficultates objiciebant multos ob procos è Polonia, & qvia ipſe Rex metuebat, ne aliqvando potens competitor filio ſuo adponeretur; ſimul Poloni jus indigenatus Electoris familiæ competens in dubium revocabant. Cæterum qvo id matrimonium abſqve ſtrepitu perfici poſſet, jam ante triennium de iſta Virgine Regiomonte, ubi educabatur, Berolinum transferenda actum fuerat. Super qvo negotio multis

1682. rationibus in utramqve partem certabatur. Translatio tamen omissa, dissvadente cumprimis Joanne Hoverbeqvio, qvi & ipse inter tutores erat; qvod facile inde periculum pupillæ bonis, ac triginta amplius Protestantium templis nasci posset. Sed si Elector eam utiqve filio jungere velit, tutissimum fore, ejus Regiomonte commoratione agnatos bonis inhiantes in soporem dari. Sed proximo vere, absolutis statis Comitiis, qvibus alias si Berolinum migraverit, multa noxia decerni possint, Marchionem in Borussiam accedere, ac consummato matrimonio bonorum doraliam possessionem capessere posse. Eo facto omnibus qvæ metuantur incommodis occurri posse; præsertim cum intra biennium vix alia comitia habenda sint. Sed qvia tota Polonia rumor didebatur, ab Electore Samuelem Chvvalcovium missum, qvi solenniter virginis nuptias pro Ludovico Marchione ambiret, ac agnati jam manus istius bonis injicere gestirent; Hoverbeqvius mutata sententia svadebat, ut Elector ante comitia filium Regiomontem mitteret consummando matrimonio, qvod constaret, iis comitiis de condenda constitutione agendum, ne Princeps illa Virgo extraneo nuberet. Ac jam Palatinus Cracovienſis Regi D M florenorum obtulerat, si efficere posset, ut filius suus ea virgine potiatur. Idem svadebat Christophorus Grzymultovius Palatinus Posnanienſis, ut properatis nuptiis noxia constitutio declinetur. Alias Radziviliæ nil objici posse, qvod consensus defuncti parentis, ac Electoris tanqvam supremi tutoris præcesserit. Ac jus indigenatus Electoralis familiæ fundatum esse per investituram primi Ducis Borussiæ; unde & Electorem, & ejus antecessores ab omnibus Regibus, qvi ab eo tempore electi fuerint, de suffragio suo dando rogatos fuisse. Id consilium Elector secutus, qvo omnia rite peragerentur scripto Radziviliæ nuptias, jam decimum qvartum ætatis annum agentis, pro filio Ludovico ambit; qvæ & decenti valde modo consensum suum declarat. Ludovicus inde nullo strepitu velut aliud agendo Regiummontem profectus solennia nuptiarum perficit, dilato extremo complemento, qvod tamen accessisse vulgabatur. Eo super connubio multi Polonorum fremebant; Radziviliam ditiones suas possidere haut posse, qvod extraneo nupsisset: cum tamen nulla lege id vetaretur, ac multa extarent exempla illustrium in Polonia, & Lithuania fœminarum, qvæ exteris nupserint, nec ideo bona sua hæreditaria amiserint. Addebatur, Radziviliam nupsisse absqve consensu Regis velut supremi tutoris in Regno Poloniæ. Sed reponebatur; Reges utiqve vocari supremos tutores ob protectionem pupillis præstandam. Ast tutoribus peculiariter constitutis curam personarum, & bonorum competere. Qvanqvam autem non omnes tutores consenserint, sufficere tamen id ab aliqvibus factum. Inane qvoqve esse qvod jactetur, non permissum pecunias è Polonia efferri; nunc autem tantos reditus extra Regnum consumendos. Nam eam legem spectare tantum mercatores, ac Judæos, qvibus alias intra Regni limites merces suas distrahere liceat. De cætero eam rem ad nobiles non perrigendam, qvorum pleriqve reditus qvotannis peregrinas in merces impendantur, per qvas utiqve pecuniæ extra Regnum trahantur. Inprimis jactabatur statutum Lithuaniæ: *Statuimus qvoqve, ut si puella patre matreqve orbata post fata parentum, antequam nubiles annos attigerit, aut vero etiam nubilis nupserit cuipiam sine scitu & consensu fratrum, aut patruorum suorum, aut in defectu fratrum, aut patruorum absqve consensu reliqvorum cognatorum, vel tutorum, sive illi sint legitimi, sive constituti: ejusmodi filia eo ipso excidet dote, bonisqve omnibus paternis & maternis, etiam iis, qvæ ipsi aliunde contigerint, aut contingere possint.* Inprimis autem Rex in id connubium graviter invehebatur, has præcipue rationes obtendens, qvod Marchio ingentes pecuniæ summas è Radziviliæ reditibus extra Poloniam tracturus; pro lubitu Reformatis templa extructurus; Birsas, & Sluzam, magni momenti munitiones occupaturus, ac cum Mosco secreta commercia aliturus sit, postqvam tanta ditione in Lithuania potitus fuerit. Revera autem eam sponsam filio suo Jacobo destinaverat, ac nunc metuebat, ne ejusdem maritus aliqvando coronam Poloniæ ambiret. Unde non ipse solum huic causæ admodum infensum se ostendebat, sed & Ordines incitabat, è qvibus alias potentissimi qvidam id factum oderant, velut qvo emolumenta, qvæ propera spe devoraverant, sibi subtraherentur.

1682.

Chvalcowski.

15. Aug.

Grzymultowski.

19. Octob. 1680.

23. Nov.

7. Jan. 81.

§. 28. Ast Elector ad instantia comitia Hoverbeqvium ablegabat, adjuncto Joachimo Sculteto. Ei injunctum captandæ benevolentiæ in eventum auxilia contra Turcam offerre, qvæ jam in Borussia eo fine præsto sint. Tum præcipue impedire, ne Radziviliæ præjudicium inferatur. Si statutum Lithuanicum objiciatur, reponeret; incertum, an id ad personas tam eminentis con-

Super eo connubio alia.

16. Jan.

1686. conditionis extendendum sit; ac idem exceptionem admittere. Ejus rationem esse, ne minorennes puellæ ad indecoras nuptias seducantur. Tum ab agnatis graves dissensus sui rationes adducendas esse. Heic vero de voluntate parentis constare, qvæ consensu tutorum, ac patruorum longe potior sit. Simul tentare jubebatur, num negotium de indigenatu ad liqvidum deduci possit, qvod post ilthoc connubium stabiliri Electoralis familiæ maxime intererat. Sane Electori antehac bona in Polonia fuerant, eacum spe vendita, ut in eorum locum commodiora emerentur. Ac ab ipso Lauenburgum & Butoviam possideri sine dubio ad Poloniam spectantia. Id porro
§. Febr. negotium Hoverbeqvius cum legatis Gallicis Vitrio, ac Episcopo Bellovacensi communicare jubebatur, qvod Rex Galliæ studium suum circa idem promisisset. Qvi initio prolixe pollicebantur, etsi censerent, operæ pretium haut faciendum, ni Rex Poloniæ deliniatur data pecuniæ summa, & cautione, filio suo futura electione nil obstaculi ponendum. Post svadebant, primum Regis, atqve Ordinum impetum dissimulandum. Sed demum cum in rem præsentem veniendum esset, fatebantur; sibi à Rege eo nomine nil mandatum, & qvæ hactenus recte egerint, ultro egisse, qvod de Electoris cum Rege suo amicitia sibi constet. Cum tamen Bethunius per literas confirmasset, sibi à Rege injunctum qvantum possit pro Electore conniti. Cæterum id Polono præcipue jubebatur Hoverbeqvius demonstrare: Nullam legem in Polonia & Lithuania connubia cum exteris prohibere; qvin illustria extare exempla, nobilissimas, ac ditissimas fœminas extraneis, qvibus tamen Ludovicus Marchio accensendus non sit, nupsisse, qvæ haut eo secius bona sua retinuerint. Electorem fuisse supremum tutorem, cui educatio Radziviliæ ante omnes incubuerit. Ejus patrem primo omnium decrevisse, ac de eo sæpe sibi significasse; cujus testamento Evangelicis sacris addictus sponsus reliqvis omnibus, etiam è sua domo præferatur. Id matrimonium qvoqve Regiæ domui, ac Reip. peculiariter profuturum, qvod Marchio Regi obsidis loco futurus sit de Electoris in ipsum studio; qvi & belli tempore Reip. suppetias laturus, & qvavis occasione Regiæ domui studium suum sit adprobaturus. Nec esse, qvod Rex istum aliqvando filio suo competitorem metuat. Sane nec Electorem eam coronam ambire voluisse, qvo tempore nemo in Polonia princeps regiæ prosapiæ erat; in qvem ante omnes respici soleat, nullo exemplo ejus- 1686.
modi Principis plane exclusi extante. Ordines qvoqve vetera sua statuta eo porrexisse, ne Romanis ritibus haut addictus corona poriri qveat. Sed qvia rationes parum profuturæ erant, ni ab argento pondus accederet, Hoverbeqvius ad XL M uncialium Regi offerre jubebatur, sed nihil terrarum, qvod id salvis legibus, ac citra offensam Reip. fieri non posset. Cum Hoverbeqvius primo alloqvio de nuptiis Ludovici Mar- 4. Febr.
chionis injiceret, Rex in contemtum sui accipiebat, de iis in antecessum sibi haut significatum; cum ea res tanti fuerit, ut vel magnæ dignationis legatum eo nomine mitti decuerit. Nam literæ de iis significantes eodem die, qvo solennia nuptiarum celebrata fuerant, datas fuisse.

Gallorum officium hoc in negotio inane ef.

§. 29. Cæterum Electorem spes de Gallorum in hoc negotium studio concepta fefellerat. Cum enim Hoverbeqvius apud Regem jecisset, Gallicos qvoqve legates huic causæ favere; hi apud istum qverebantur, velut de fœdere Electoris cum Rege jactasset, non sine minis, hunc ulturum, si Polonus Electori adversetur. Qvæ à se dicta Hoverbeqvius inficiabatur, qvod talia nec Elector à Gallo petiturus, nec hic promissurus fuerit. Nec ab Electore Galli officium qvæsitum contra Regem Poloniæ, sed contra malevolos, si qvi infensa moliantur. Sed Galli negabant, sibi in eam rem à Rege mandata esse; ac non obscure id connubium improbabant, ac Polono ad exemplum Galli, & aliorum Regum jus competere, ne illustribus fœminis in suo Regno absqve ipsius consensu nubere integrum sit. Sed revera Sapiehārum, & Radziviliorum familias huic causæ adversas offendere nolebant, semper Gallicis partibus addictas. Ita negotium id initio sat periculosum videbatur, Rege adversante, ac multis, qvorum alias nil intererat, ut Regi placerent, importune perstrepentibus; qvorum nonnulli eo impudentiæ procedebant, ut jactarent, Regem plus in Borussia, qvam adversus Turcas lucrari posse. Post tamen legati Gallici ferebant, sibi injunctum eam causam fulcire. Sed sibi videri, eam recte potius, qvam palam agendam: ac præcipue pecunia opus esse; ac primo omnium impediendum, ne qva noxia constitutio in Comitiis fiat; inde Regem deliniendum, qvi alios facile sedaturus sit. Etsi revera tunc Gallorum in Polonia exigua autoritas erat, exoso apud Rempublicam Gallico nomine, ac Regina in Cæsaris partes propendente, cui spes dicebatur de fi-

1684. lio suo cum Cæsaris filia maritando. Idem suggerente Pontificis Nuntio proponebant, ut Rex omnia bona Radziviliana emat; ita omnes difficultates uno velut ictu tolli. Ast hoc ipso triginta amplius Protestantium ædes sacræ peribant; nec de solutione satis cautum erat, agnatis qvoqve, qveis successionis spes, nunqvam consensuris. Igitur Hoverbeqvius omisso Gallorum officio, per Radziejovium Warmiensem Præsulem Regis cognatum huic summam pecuniæ offerebat, qvæ non rejiciebatur. Simul, qvod Regi ac Reginæ maxime cordi erat, Electorem paratum esse ostendebat cavere, Ludovicum Regis filio competitorem non fore, nec eos sibi adjuncturum, qvi Regi offensos se ferebant. Ac demum, cum Rex satis animadverteret, Ordines haut consensuros, ut infesti qvid in Electorem decernatur, per Warmiensem declarabat; se omnia circa Ludovici matrimonium oblivioni daturum, ac eo nomine nil actionis in Electorem moturum; sed omnia in ejusdem placitum collaturum; simul operam daturum, ut condita constitutione Radziviliæ bonis caveatur. Ac mox abruptis comitiis difficultates, qvas Elector verebatur, ultro evanescebant. Tabellario, qvem Hoverbeqvius post soluta comitia miserat, fasciculi erepti resignabantur, qvod Rex nosse cuperet, num forte Electoris instinctu ea ruptura facta esset. Sed cum nil tale in literis repertum esset, Rex ultro eam suspicionem purgabat. Ac revera Electoris amici proprio è judicio Comitia solverant, qvo istum juxta, ac suam libertatem in tuto collocarent; qvod nollent Regem armis instructum esse nondum certo cum Turcis bello. Irritis igitur Comitiis, in qvibus Rex, ac Radziviliæ agnati magnam spem collocaverant, non hi solum cum Hoverbeqvio transigebant super actionibus, qvas adversus istam meditabantur; sed & Rex missso Niemericio multa verborum humanitate Electorem demulcebat, ac mala, qvæ inferre prohibitus fuerat, in beneficii locum imputabat. Hoverbeqvius qvoqve scriptam cautionem concipiebat, qva Rex Radziviliæ bonis prospiciebat; qvam hic sua subscriptione firmabat.

Radziejovski.

§. 30. Jus indigenatus Electori competens malevoli, ac inprimis nuper defunctus Archiepiscopus Olznovius in dubium revocaverant. Id jus cum in republica, ubi omnia per majorem suffragiorum partem concluduntur, modici habeatur pretii, in Polonia maximi momenti est, ubi unius dissensio reliqvis omnibus placita reddere irrita valet. Circa idem primus Borussiæ dux Albertus erratum admiserat, 1685. qvod per legatos suos primis Comitiis, ut suffragium in electione haberet, petiisset, velut ipse de jure suo dubitaret. Ast nunc multi Electori faventes id se Ludovico Marchioni iterum obtenturos offerebant. Enimvero prudentiores dissvadebant, ne de eo proponeretur, qvod vel unus subvertere possit. Ac in præsens duæ præcipuæ rationes apud Regem, ac Remp. obstituræ erant, qvo minus in id jus consensuri essent. Nam & Rex filiis suis potentem metuebat competitorem, & cui omnes Protestantes adhæsuri sint; ac Catholici, præcipue Clerici, nunqvam concessuri erant, partes dissidentium tam potentis Principis accessione firmari. Unde magis idoneum tempus isti juri exercendo qværendum, qvod interim velut extra controversiam positum habendum sit; cujus utiqve firmissima fundamenta extent. Sane Magistros Ordinis ex pacto semper Senatores Regni Poloniæ fuisse, ac in Comitiis, aliisqve conventibus primum locum præ omnibus Senatoribus ad sinistram Regis obtinuisse. Id jus Alberto primo Borussiæ Duci expressis verbis reservatum, & qvia is familia Electorali oriundus, ac Sigismundi è sorore nepes, eousqve in melius provectum, ut ipsi, ac successoribus Ducibus Borussiæ *pace perpetua* primus & proximo à 1525. Rege locus in omnibus Regni conventibus tribueretur. In pactis anno 1611 post decessum priorum Ducum Electoris avo Joanni Sigismundo Ducatum Borussiæ cum omnibus juribus, prærogativis, atqve eminentiis nulla excepta in feudum collatum: cujus vi etiam Eqvestria bona, ex qvibus omnia jura pendent, in Magno Ducatu Lithuaniæ nullo contradicente possedit, qvod extra jus indigenatus ne Regum qvidem filiis unqvam concessum fuerit. Sic cum Constantia Regina prædium Zivviecum ad fines Silesiæ emisset, Ordines in omnibus Comitiis non prius adqvievisse, qvam Rex in constitutionem consenserit, qva ipse, posteriqve ejus semper istis bonis cedere teneantur, si Polonus nobilis pretium emtionis offerat; qvæ bona & post per Magnum Poloniæ Cancellarium Wielopolscium redemta sint. Regem Sigismundum III Niporentum, & Joannem Casimirum Bialalencam possedisse, non suo tamen, sed aliorum Nobilium nomine, qvi dominos eorum se tulerint. Ast Joannem Sigismundum prædium Tavverogum in Lithuania proprio nomine possedisse, qvod venditum qvidem sit, sed reservato jure reluitionis, ac eo animo, ut in ejus locum alia bona eme-

Super jure indigenatus in Polonia considerationes. Olznowski.

1683. emerentur. Qvanqvã & alias jus indigenatus non amittatur, venditis bonis, cum infiniti in Polonia indigenæ sint, qvi bona immobilia non possideant. Præterea anno 1550. Petricoviæ habitis comitiis, cum Evangelici in Polonia reciperentur, Romanis ritibus addictum clerum inter alia id qvoqve istis objeciſſe, qvod apud exteros Principes, ac inprimis apud Borussiæ Duces protectionem qvæsierint. Ad qvæ Mareschallus Nuntiorum Terrestrium respondit: Verum esse, eos ad Ducem Borussiæ scripsisse; sed se eum non pro extero Principe, sed pro indigena habere, qvod ei primum in Senatu suffragium competat. Qvo responso tunc Episcopos adqvievisse, nulla exceptione reposita. Qvod autem Vasalli conditio in Borussia in supremum imperium mutata sit, eo ipso jus Electoris non in deterius, sed in melius mutatum, cui & isto actu nihil derogatum sit. Sed nec Borussiam à corpore Reip. Poloniæ separatam, sed perpetuo fœdere non minus atqve ejusdem possessores eidem innexam, qvam & Poloniæ Ordines ob jus successionis pro patrimonio, & fundo Reip. habeant. Cæterum subseqventi tempore ob connubium istud inter Regem Poloniæ, ac Electorem ejusmodi conventio inita est. *Significamus*

14 Maij. 1683. *præsentibus, exortas fuisse inter nos, & Electorem Brandenburgicum varias pretensiones, inprimis occasione matrimonii inter Ludovicum Marchionem, & Principem Radzivilium, qvæ facile in dissidium erumpere potuissent, nisi illi dissidiorum fomiti, alieno magis qvam suo laborantis impulsu, præponderaret amica interpretatio, officiosa Electoris contestatione toties comprobata, qva intacta amicitia & bona vicinitatis nostræ vincula sancit, & conservat. Horum proinde intuitu verbis Regio & Electorali spondemus, neutrum in alterius Regnum & provincias qvidqvam tentaturum; sed alterum alterius gloriam, utilitatem, & securitatem modis omnibus promoturum. Nos vero in specie reassumentes erga Principem Radzivilium, nostram antehac pupillam, regiam protectionem, promittimus Principem Ludovicum & ejus conjugem in protectionem regiam susceptoros, qvatenus bonis suis in Polonia & Lithuania sitis qviete, & pacifice citra cujusqvam præpeditionem utantur fruantur. Promittimus etiam nos operam daturos, ut lis, qva vidua Michaëlis Casimiri Radzivilii Vice-cancellarii, & Campiductoris Lithuaniæ nomine tutorio ratione filiarum ejusdem cum Marchionissa intercedunt, qvantocyus æqvis componantur modis.*

Elector protectionem

§. 31. Hoc anno petentibus Ordinibus Frisiæ Orientalis à Cæsare Electori, simul Monasterienſi, & Neoburgico tanqvam directoribus Circuli Westphalici *Conservatorium* pro iisdem Ordinibus delatum fuit, ne ista provincia exterorum sese protectioni innecteret. Fuit Frisia Orientalis ab aliqvot seculis penes immediatam Nobilitatem, qvalis in Franconia, & Svevia est, qvoad unus ex ejus numero cum autoritate magistratus receptus, ac à Friderico III confirmatus, ac Comitis dignatione mactus fuit, à qvo præsentis Principis prosapia descendit. Atqve iste *Comitem* se *in Ostfrisia*, non Comitem Ostfrisiæ nuncupavit. Idem tamen per eam electionem, & confirmationem haut qvidqvam plena Principatus jura adeptus fuerat, sed pleraqve Ordinibus provincialibus reservata sunt, qvi & ante, & post ea tempora soli jus tributa indicendi, & alia immediatis Ordinibus competentia nullo turbante exercuerunt. Ad qvæ Ordinum jura servanda Comites suscepto regimine sese obstringunt. Sed cum pravi consultores pacta inter Comites, & Ordines provinciales vi aut per artes evertere conarentur, his implorantibus Cæsar protectores jurium, ac libertatis directores Circuli Westphalici constituit. De qvo cum Elector Principi viduæ significaret, postulans, ut omnia in præsenti statu relinqvantur, nec qvispiam civium præter leges provinciæ oneretur; hæc parum id gratum sibi esse ostendebat, ac diploma Cæsareum per obreptionem obtentum arguebat. Eo nomine tres isti Principes directores Westphalici Circuli Belgas per literas monebant, ne rebus Ostfrisiæ se ingerant, qvæ provincia ad Imperium spectet. Qvibus hi responderunt: *Sibi haut animum esse omnibus se controversiis miscere, qva inter Principem, & Ordines ejus provinciæ agitentur, sed iis duntaxat, qva ad se delata sint ex conventione inter Principem, & Ordines inita, qvam præstandam in se susceperint. Alias se Cæsaream jurisdictionem turbare nolle. Ast uti jure gentium licitum sit litigantibus non solum inter se transigere, sed & intertium compromittere, cujus sententia litem finitura sit, nullo ordinarii judicis præjudicio: ita & sibi propositum lites, circa qvam in se compromissum sit, dirimere, ni partes amice inter se transigant. Neqve novam hanc causam esse, sed per octoginta annos apud Rempublicam suam receptum, rebus Ostfrisiæ sese miscere, Cæsare haut repugnante, aut jurisdictionem suam invadi qverente. Aut si aliqvando is contradictionem interposuerit, ea tamen mox desitisse. Unde sibi jus qvæsitum, qvod hactenus magnis sumtibus tuiti sint.* Ast Cæsar ea exceptione insuper habita per decretum

1683. *Ordinum Frisiæ Orientalis alio suscepto.*

1686. irrita declarabat, qvæcunqve Belgæ circa eam provinciam constituerant. Eidem qvoqve instituto repugnabat Ernestus Augustus Dux Brunsvicensis, velut tutor pupilli Principis. Sed eo non obstante Elector fas sibi ducebat Cæsaris, ac propriam autoritatem tutari. Et cum iste connivente Dano copias aliqvas provinciæ immittere vellet, Elector, & Monasteriensis id impediebant, qvod haut ferendum ducerent, Luneburgicorum in Westphalia autoritatem invalescere. Cæterum Elector initio per Diestium Principi seqvestrem sese offerebat inter ipsum & Ordines, ac ut rem inter se amice componerent, impense hortabatur. Sed cum Princeps magis exteros respiceret, ac multa longius tendentia spectaret, Elector seqventi anno Embdæ conventionem cum Ordinibus ejus provinciæ inibat; qva is promittebat, se amicam cum Principe negotiationem persecuturum, & ubi hæc locum non inveniat, Ordines adversus vim, & oppressionem tuiturum. Ac ut ea promissa repræsentari possent, placebat Grietsielam duabus peditum cohortibus ab Electore insideri; qvam tamen hic petentibus Ordinibus post plenam transactionem soli Principi, deducto præsidio redditurus sit: ut tamen interim absqve consensu Ordinum miles iste ne revocetur. Vicissim promittebant Ordines, se super negotiis suis cum Electore communicaturos, eo inscio cum nemine alio pactum inituros, tum misso militi auxilio futuros, ac eidem sustentando mille ducentos qvinqvaginta unciales menstruos exsoluturos. Ei pacto exseqvendo Elector consentiente Daniæ Rege trecentos pedites, qveis Wilhelmus Brandius subtribunus præerat, Glucstadii navibus imponebat, qvi repente Grietsielam arcem, ac portum Frisiæ Orientalis occupabant. Ad avertendam suspicionem spargebatur, eas copias Dano ex fœdere submitti, ac plures mox legiones secuturas. Post Elector publice declarabat, eum locum à se ex conservatorio Cæsareo cum consensu Neoburgici, ac Monasteriensis, circa directorium Westphaliæ Collegis, occupatum. Se qvidem initio amica officia inter Principem viduam, & Ordines tentasse. Sed postqvam animadverterit, Luneburgicos ibi nidulari velle, ad isthoc remedii fuisse descendendum. Ast Belgæ literas satis qvidem importunas ad Electorem scribebant. *Se qvidem Cæsaris jurisdictionem haut involaturos; sibi tamen jus qvæsitum circa Ostfrisiam ex pacto cum Principe, & Ordinibus, circa qvod se qvoqve à Cæsare haut turbatum iri confidant. Nam uti jure gentium litigantibus integrum sit inter se transigere, aut in tertium compromittere, ut competenti judici circa eam litem laborare haut opus sit; ita sibi utiqve decretum esse, causas, circa qvas in ipsos compromissum sit decidere.* Ad eas literas Elector Belgis demonstrari curabat; *eas literas sibi valde inopinas accidisse, velut in qvibus id genus insolentium verborum reperiatur, qvod neqve Cæsar, nec qvispiam Principum adversus se adhibere unqvam ausus sit. Ad eas nil se responsurum evitandis indecoris verborum litigiis. Nec talia ab ipsis expectare potuisse, ac iisdem deinceps parci velle. Qva pacta Belgis cum Ordinibus Ostfrisiæ intercedant, se ignorare. Ast id nosse, Frisiam inter membra Imperii, & Westphalici Circuli censeri; ac se una cum reliqvis directoribus haut omissurum exsecutioni dare, qva Cæsar tanqvam caput Imperii injunxerit. Qvod si Belgæ ulterius Imperii & Circuli negotiis se ingerere aggrediantur, Directoribus Circuli necessitatem impositum iri copias Frisiæ immittendi tuendo suo juri: qvo tamen pro captu præsentium temporum supersedere malint.* Id negotium Arausionensis apud Belgas sat calide proposuerat. Et erant, qvi Amstelodamensibus persvadere vellent, è portu Grietsiela navigationem inter insulas Frisiæ prætextas, & continentem intercipi posse. Sed nemo ex Ordinibus Generalibus judicaverat, operæ pretium esse eam ob causam turbas movere. Ast ipse qvoqve Cæsar id factum velut altius penetrans suspectabat, eoqve literas ad Electorem dabat: se credidisse, ipsum destinata sua cum reliqviis, qveis conservatio Frisiæ commissa, aut secum saltem fuisse communicaturum, anteqvam militem ei provinciæ immitteret. Sed qvia declararit, se dispositioni Cæsareæ morem gesturum, sibi videri omnes molestias commodissime declinari posse, si ipsius copiæ iterum ea provincia educantur. Ad qvæ Elector respondebat: Se libenter placito Cæsaris obtemperaturum, nec heic privati qvid emolumenti captare. Enimvero Cæsaris autoritatem, suam existimationem, ac provinciæ libertatem periclitaturam, si ipse protinus ad male fundatas qverimonias, & illicita petita eorum, qvi huic negotio se miscere non debent, aut qvorum privatum commodum agitur, militem Grietsiela abducere necessum habeat. Nam qvicqvid hoc nomine à se susceptum sit, ad conservandam autoritatem Cæsaream, ac jura Ordinum spectare. Qvin potius nunc, si amica negotiatio suscipiatur, haut ægre scopum Cæsarei diplomatis obtineri posse, ut exterorum arbitria hinc excludantur, Ordinum jura

3. Nov. 82

de Batu.

9. Dec. 82.

19. Dec. 82

1681. jura salva sint, ac lites inter Principem & hosce componantur, ubi in promtu sint, qvi negotio pondus addere qveant. Qvod si eo res redacta sit, ut Ordinibus nulla metuendi causa superlit, se qvoqve militem inde abducturum. Addebatur, ne Cæsar iis fidem adhibeat, qvi persvadere ipsi conentur, à se id agi, ut eum locum viribus exterorum tueatur. Circa eam causam post multa incassum agitata sunt; sed qvia eadem nunqvam ad liqvidum deducta fuit, Electoralis miles eam stationem deinceps insidere perrexit.

De navigatione Societatis Africanæ Brandenburgicæ in Guineam.

§. 32. Ea porro Electoris cum Ordinibus Orientalis Frisiæ conjunctio non parum commoditatis adferebat stabiliendæ societati, qvæ paulo post sub ejus auspiciis ad litora Guineæ commercia suscipiebat, cujus sedes, & rationarium Embdæ constituebatur. Eam navigationem Elector in usum civium suorum aggressus est jure gentium, qvo qvibuslibet liberis populis marium accolis cum aliis populis liberis per patulum mare commercia excolere integrum est. Sed idem institutum protinus Societas Indiæ Occidentalis apud Belgas limis oculis adspiciebat; qvæ & per Amerongium Electori privilegium à Republica sibi concessum insinuabat super navigatione in Guineam, qvæ consortes tolerare nesciat. Cui ab Electore responsum; *posse Belgas suis civibus privilegia dare, apud alios suos cives valitura, sed qvæ alios Principes, ac eorum subjectos haut obligent. Ac societatem Belgicam iis tantum locis commercia exclusis reliqvis prætendere, qvæ ipsa suo imperio armis subjecerit, aut ab indigenis emerit; aut ubi cum indigenis pacta extent super commercio cum ipsa sola exercendo. Atqvi non pauca loca superesse eo tractu, ubi neutrum horum obtineat.* Cæterum uti novis initiis fieri svevit, nova societas ab uno & altero molestiæ qvid sensit. Ac Galli qvidem unam navem è fluvio Gambia abripuerant; cujus pretium post longam solicitationem restitutum fuit. A Belgis qvoqve una & altera navis abrepta, aliaqve damna data sunt; qvorum reparationem cum Elector diu expostulasset, demum in arbitros compromissum examinandæ, ac taxandæ nostræ prætensioni. Qva in disceptatione à nostris extra controversiam ponebatur jus in universum, qvod Electori æqve ac aliis Principibus, & liberis populis circa commercia maritima cum aliis exercenda competit. Sane ipsi Belgæ eam navigationis, atqve commerciorum libertatem, cui & ejus Reip. salus innititur, acerrime adversus alios asserverant: qvi nunc diversum statuere salva ratione non poterant, cum nil æqvius sit, qvam ut qvis eo jure, qvod in alios statuit, ipse utatur. Inprimis recentia exempla ad rem faciebant, qvod cum navarchus Anglicus Holmes edita declaratione prætendisset, jus navigandi, & commercia exercendi ad litora Africæ à promontorio Viridi, ad id, cui à Bona Spe vocabulum est, soli Angliæ Regi competere, omnibus aliis nationibus exclusis; Belgæ literis ad eum Regem datis adversus eam prætensionem non solum ad possessionem, qvam in eo litore habeant, provocarunt, sed & ad libertatem commerciorum, & qvod Deus, natura, & jus gentium ipsis concedat sua commercia ubivis locorum, qva commode possint, stabilire. Unde ejusmodi prætensionem juri communi gentiū consensu recepto repugnare. Cum qvoqve post director Societatis Indiæ Occidentalis Valckenburgius prætendisset, totum litus Guineæ, qvod & Aureum vocari solet, & ad idem commercia ad eam societatem spectare, exclusis aliis nationibus, ac peculiariter Anglis, Svecis, atqve Danis; Ordines Generales id non solum excusarunt condito decreto; sed & articulo IX pacis Bredanæ inter Anglos, & Belgas factæ conventum est, utrinqve emissa scripta, declarationes, & protestationes nulla & inania esse debere, velut libertati navigationis, & commerciorum repugnantia. Deniqve in litore Guineæ non solum societatem Belgicam, sed & alias nationes castella, atqve domicilia possidere. Earum porro regionum indigenæ non solum cum Societate Brandenburgica libenter commercia exercebant, sed & hoc nomine pacta cum eadem iniverant. Ac missus fuerat ab Electore cum duabus navibus bellicis, qvarum uni vocabulum *Principis Electoralis*, alteri *Æthiopis*, Otto Fridericus Græbenus, stabiliendis ad litora Guineæ commerciis. Qvi & cum consensu indigenarum, loci dominorum, in solo ab his emto castellum, cui vocabulum Magnum Fridericiburgum inditum, in monte *Manfort* excitavit, uno milliari versus occidentem à promontorio *Cabo tres puntas* dicto; qvod iste ipsis Kalendis Januarii anno 1683 festivis displosionibus, ac solenni adparatu, qvantum præsens res ferret, inauguravit. Cum ejusdem accolis qvoqve pactum initum, qvo hi promittunt, se omni vi ad defendendum id castellum incubituros, ejus præfecto operam navaturos, nec cum aliis navibus, qvam Brandenburgicis, & cum isto castello commercia exercituros; nec passuros, ut aliæ natio-

1681.

12. Mart. 1661.

28. Jul. 61.

Jun. 1663.

8. Octob. 1664.

31. Jul. 1663.

1681. nationes juxta Electoris subditos eo loco consideant. Qvi & ei pacto firmando sequenti anno aliqvem suorum ad Electorem Berolinum misere. Accesserunt dehinc indigenæ, qvos *Cabussieres* vocant, locorum *Accada*, & *Tattarary*; qvi iisdem conditionibus Electori se subjectos fore professi
11. Maii 1682. sunt pacto inito in dicto castello. Seqventi anno itidem Electori fidem ac subjectionem suam addixere incolæ regionis *Anta*,
4. Febr. 1685. causati, se hostium suorum metu ad Electoris castellum confugisse, ab Hollandis juxta, & Anglis destitutos, qvibuscum & deinceps nil amplius sibi negotii esse velint. Ac post tractatu inter Electorem, & Belgas articulo V. ita dispositum est: *Ne etiam deinceps occasione navigationis in oram Africæ, & Guineæ inter Electoris, & Belgarum privilegiatas utrinqve Societates ulla amplius collisiones, & controversiæ existant; utrinqve conventum est, ut Elector qvamprimum suo Hagæ ministro mandet cum Belgarum delegatis conventionem ineat, per qvam utriusqve Societatis possessiones, & jura manutenerentur, ac omnibus dissidiis inter eas deinceps obviam eatur.* Ac post articulo III. fœderis inter Electo-
8. Mart. 1685. rem, & Belgas ita convenit. *Si contingat Electorem, aut Ordines Generales deinceps invadi, aut ullo modo turbari in possessione & usu suorum statuum, urbium, locorum, provinciarum, libertate navigationis, commerciis, & aliis qvibuscunqve, mari terraqve, ubi Elector, & Ordines Generales eas possident, aut iis fruuntur, etiam extra Europam, & qva parte orbis terrarum id esse possit, ex communi jure, aut per tractatus jam factos, aut deinceps faciendos: Elector, & Ordines Generales moniti, & requisiti invicem junctâ manu omnem operam navabunt, ut turbationes & infestationes cessent, & vis atqve injuria, qva alterutri fœderatorum illata sit, reparetur.*

Conventus Francofurtanus super reunionibus Gallicis.

§. 33. Sed ut ad acta à Gallo revertamur, is cum insignes jam ditiones sibimet addixisset, qvo consultationes super Imperii securitate Ratisponæ agitatas in langvorem daret, tractatui se super interpretatione pacis offerebat, qvi Spiræ, Wormatiæ, aut Francofurti sit suscipiendus. Interim omnia in præsenti statu mansura. Ista propositio à Cæsare & Imperio acceptata, ac in Francofurtum consensum. Huic conventui obeundo à Cæsare destinatus Wolfgangus Andreas Rosenbergius Comes, & Stratemannus: è Collegio Electorali Moguntinus & Saxo; è Principibus Austriacus, Bambergensis, Bavarus, Lauterensis, Vinariensis, & Brunsvicensis; è civitatibus Ratispona, & Colonia. Enimvero circa eum conventum adornandum tot difficultates movebantur, ut parum fructuosi ex eo augurari daretur. Inter alia id videbantur agere Cæsarei Commissarii, ut ipsi soli cum Gallis tractarent, Ordinum delegati otiosi spectatores forent. Et qvanqvam Elector Ratisponæ acriter contenderet, jura Statuum non imminuenda, nec ferendum, ut hi à tractatibus excludantur, ostentato recenti exemplo Neomagensi: in procuratorio tamen istorum exprimebatur, ut non solum Cæsaris, sed & Imperii nomine tractarent, atqve concluderent. Ac ipse Croissius eam Cæsareorum prætensionem improbabat, qvod hi Ordinum delegatos Francofurti ad tractandum admittere nollent; qvi eandem agendi viam Neomagi institerint, ubi Ordines celarint, qvid super Alsatia, & tribus Episcopatibus actum sit; qvæ ipse toto coram Imperio declarari optet. Sed & super sessione certabatur, Electoralibus peculiari mensa, Principalibus eadem cum istis sedere, ac penitus iisdem exæqvari cupientibus, eminente circa hoc Brunsvicensium fervore. Cæterum Gallus Mansfeldio Comiti verbis fidem dederat, ab initio congressus Francofurtani à se nil ulterius susceptum iri. Sed Gallici legati San-Romanus, & Harlæus Hœchstæ moras nectebant, postulantes, ut Cæsarei primo loco Francofurtum ingrederentur, qvo ipsi tanqvam posterius venientes ab his primam visitationem acciperent. Id qvod Cæsarei abnuebant. Interea temporis Galli Argentoratum interceperant, ex ea mora prætextum arripientes, à se nil contra datam fidem actum fuisse. Demum tamen
17. Oct. Galli primi urbem ingrediebantur absqve pompa; qvos mox Cæsarei seqvebantur. Ab utrisqve protinus litigiorum semina spargebantur, qvo negotiatio, prout ex usu foret, extrahi posset. Ac Galli qvidem Antonium Schottum Consiliarium Saxonicum legatum agnoscere nolebant, qvod is Colmariæ natus, eoqve Gallicus subditus esset. Qvo ipso primariæ causæ ingens præjudicium adferebatur; cum ea palmaria qvæstio esset, num supremum Alsatiæ imperium Gallo competat. Ea tamen prætensione Galli post desistebant; præsertim cum idem Schottus antehac circa negotium compromissi operam navasset Gallis haut contradicentibus, ac dudum Colmaria domicilium alio transtulisset; nec unqvam Germani adscriptitiorum glebæ classe censeri se voluissent. Sed & Cæsarei tricabantur, ac Electoralibus neqve priorem in suis ædibus locum, neqve Excellentiæ titulum concedere volebant, ac visitatione eorum carere

1681.

Schott.

1681. carere malebant. Color dicebatur, qvod isti Ratisponæ diu pro Ambasiatoribus sese haut gesserint, modico adparatu usi; ac Verjo digniorem locum concesserint, utut hic legatus primi gradus haut foret. Iidem qvoqve legationis suæ fidem apud Moguntinum facere abnuebant. Sed & Galli secundo legato Moguntino parem cum primo honorem exhibere abnuebant. Primo autem digniorem qvidem in domo sua locum, & Excellentiæ vocabulum dare volebant; ut tamen scripto sibi caveatur, Cæsareos idem facturos, ac ni hoc fiat, eos horum accessu plane abstenturos. Post nonnihil temporis inter inania ista consumtum Galli demum Cæsareis sermone proponebant: *Et si suus Rex tam cis, qvam trans Rhenum plura habeat, qvæ jure pretendere possit: iis tamen, qvæ jam occuparit, contentum esse velle, nec amplius qvid ab Imperio, qvocunqve nomine veniat, postulaturum, sed deinceps bona fide pacem & qvietem servaturum. Eundem qvoque Friburgum detractis munitionibus Cæsari redditurum, sibi hic Philipsburgum itidem munitionibus exutum Spirensi Præsuli restituat. Iste conditiones si placeant, scriptam conventionem concinnandam.* Ad ista Cæsarei: *Qvia tota rerum facies contra factas à Gallo testationes mutata sit, sese ulterius nil declarare posse; ac ut scripto sibi proposita tradantur petere.* Galli ad hæc: *Esse qvidem statum rerum ex sua parte nonnihil mutatum. Sed Regem ad id permotum delectibus passim per Germaniam institutis, ac per fœdera inter complures Principes icta; qvorum utraqve sine dubio contra ipsum dirigantur.* Post tamen Galli scriptum in eundem cum dictis sensum exhibebant.

3. Nov.

16. Dec.

Electoris missio ad Moguntinum.

21. Dec.

§. 34. Ast Elector de maligno patriæ statu admodum solicitus, cum Collegis sibi consultandum ducebat, qvid consilii in præsens si non tollendis, saltem temperandis malis capessendum. Eo fine Melchiorem Rucqvium ad Electores Rheni accolas circummittit; cui injunctum demonstrare, in qvam confusum statum res Germaniæ per Neomagensem pacem prolapsæ sint. Gallum Francofurti proposuisse, ex qvibus vel bona pax & vicinitas cum ipso constitui qveat, vel novum bellum expectandum sit. Et Gallum urgere, ut Imperium ante finem mensis Januarii sententiam suam liqvido declaret, alias viribus suis paratis se usurum. Qvod si igitur Germaniæ sua compages, atqve concordia, viresqve rite dispositæ constarent, nec per Neomagensem pacem omnia corrupta essent, longa consultatione haut opus fore; sed amorem ac debitum patriæ, gloriamqve nationis cuilibet facile 1681.
dictaturum, qvid ad talia proposita reponendum sit. Ast uti nunc Germaniæ arma, & consilia se habeant, vires tam potenti, ac instructissimo Principi opponendas longe infra esse, easqve insuper distractione debilitari, deficientibus insignibus ducibus, atqve exercitibus bene compositis; qvæ omnia apud Gallum in promtu sint. Tum inter Ordines diffidentiam ad summum invaluisse. Nullam, aut exiguam in exterorum auxiliis fiduciam; qvæ & qvanti patriæ constiterint, in recenti adhuc memoria sit; ac merito omnem occasionem avertendam, qva exteri sese iterum Germaniæ negotiis ingerere possint. Metum insuper esse, ut ob turbas Hungaricas multum auxilii à Cæsare sperandum sit. Qvæ omnia surgente bello jejunos successus ominentur. Unde mentem suam dubia cogitatione distrahi; num posteritati adprobari possit, hac rerum facie omnia aleæ exponere, ac litem ad anceps bellum deducere. Eqvidem se non minus qvam alios speculari posse, qvo se res daturæ sint, ac forte minore cum periculo otiosum desidere, qvam illos, qvi imminenti irruptione proximi agant. Sed qvia maturatio oblatorum tractatuum urgetur, ac post neglectam occasionem res non ita facile restitui potest, qvin plus periculi ex mora expectandum sit, qvam si promtum ac tempestivum consilium capiatur: se Collegarum sententiam cognoscere voluisse, qvid præsenti Germaniæ statu ad proposita à Gallo declarandum sit, ne occasione bellum declinandi elapsa summa rerum periclitetur, ac vix incendio erepta patria fatali combustione corripiatur. Cui status Germaniæ, ac totius negotii perspectus est, ei de tribus potissimum cogitandum. Num præsenti tempestate certa spes concipi qveat, in Galli ditionem redacta loca eidem iterum vi extorqveri posse? Num spes amissa recuperandi certior, ac tutior sit, qvam periculum plura amittendi, qvod Germaniæ imminet? Deniqve an non potius de iis, qvæ Imperio supersunt, atqve hujus statu conservando qvovis modo cogitandum, qvam omnia incertæ armorum aleæ exponere? qvæ ubi secus ceciderit, immensam calamitatem, ac forte plenam status publici in Imperio dissolutionem, ac inprimis Collegii Electoralis eversionem productura sit? Eqvidem se velut fidum Imperii Electorem omnia pro virili collaturum, qvæ servandæ ejus majestati reqviri qveant. Se qvoqve, cum periculum, cui nunc patria inhæret, probe prospiceret, hortatibus, ac monitis non pe-

1681. perciſſe, eiqve avertendo omnes vires impendiſſe. Qvomodo autem ipſe deſertus fuerit, & qvam ideo jacturam fecerit, orbi notum eſſe; eoqve maturiori diſcuſſioni exponendum, utrum ſalus reipublicæ pro captu præſentium temporum melius armis, qvam conſilio ſervanda ſit? Apud Palatinum, qvi periculo proximus agebat, Rucqvius peculiariter demonſtrare jubebatur; qvantopere ipſius interſit prohibere, ne res cum Gallo in bellum erumpat. Eqvidem gravem jacturam ipſum feciſſe, ac cauſam habere, ut de amiſſis recuperandis cogitet. Sed num id per bellum obtineri qveat, & an non ex hoc amiſſio reliqvarum ditionum conſeqvi poſſit, ipſius judicio relinqvi; præſertim cum aliqva adhuc ſpes ſuperſit. Gallum inter tractatus ad erepta loca reſtituenda permoveri poſſe, ac ut jam ſatis deſolatæ provinciæ deinceps qvietem, & inſtaurationem ne invideat. Sed qvia maxima difficultas in eo vertatur, qva ratione cavendum ſit, conventa cum Gallo ſervatum iri, aliorum ſententiam de hoc cognoſceret. Alias hanc negotiationem ſecreto gereret, ac prætexeret, miſſionem ſuſceptam ſervando Electorum faſtigio, qvod iterum Francofurtenſi conventu ſolicitetur. Tum qvid circa Cæſaris procuratorium obſervandum ſit, qvod in eo Cæſaris duntaxat, ac non uti debebat, ac Galli deſiderant, Ordinum Imperii mentio fiat. Deniqve nullibi ſcripti qvid exhibeat.

Sententia Moguntini: 2. Jan. 1681.

§. 35. Ad iſta Anſelmus Franciſcus Elector Moguntinus reſpondebat. *Se propoſita dudum ſecum exegiſſe. Res eo prolapſas, ut magis qvid neceſſitas, qvam libera conſultatio ſuggerat, ſeqvendum ſit. Hac rerum facie nunqvam ſe ſvadere poſſe, ut ad extrema deſcendatur. In exercitu Imperii nil fiduciæ reponendum; ac metuendum, ſi vel minimus motus copiarum in Imperio ſuſcipiatur, ne Gallus ingentibus viribus, qvæ parata ad limitem conſiſtant, totum Rheni tractum dicto citius inundet. Exterorum auxilium ſumtuoſum juxta, & anceps. Qvantum noxæ Cæſarei exercitus Imperio intulerint, in recenti memoria eſſe. Se talia ad Cæſareos miniſtros ſcripſiſſe, ſed qvi ea vix citra offenſam acceperint. Sibi qvidem videri, qvovis modo ſuper Gallicis propoſitionibus decidendum. Forte inter negotiandum nonnulla adhuc ſervari poſſe. Saltem præſtare hoc modo reliqvis cavere, qvam omnia ſorti armorum exponere; qvæ ubi ſecus cadat, qvod conditio rerum vix aliter promittat, plura, ſi non omnia amiſſum iri. Eadem ſententia ſi Brandenburgico, velut potentiſſimo Collegarum, & cui plurimus rerum uſus, ac ſpectata bello virtus ſedeat, penes eundem fore toti negotio momentum addere. Saxonem martios ſpiritus dici habere: ſed eum ab Electore monendum, ut tempori, ac neceſſitati ſe accommodet.* Cum Rucqvius ſuper cautela conventorum moveret, Moguntinus reſpondebat: ſe nullam aliam noſſe, qvam Galli verba, ac fidem. De eadem re ſe cum Gallico legato locutum; ac uti haut qvidqvam ſervata ſint ita ſancte conventa, eoqve Imperio haut conſtet, qva ratione ſibi in futurum cavendum ſit. Sed eum nil aliud habuiſſe qvod reſponderet, qvam Regi animum eſſe pacem ſervare; ac qvam accuratiſſimis clauſulis tractatum circumſcribendum, qvem ab Imperio formatum Rex adprobare haut dubitaturus ſit. Eadem Gallos ſuis legatis Francofurti declaraſſe. Idem cenſebat, ſi aula Cæſarea Hiſpanorum, & Lotharingi inſtinctu in diverſa ſententia perſtiterit, Imperio, & Collegio Electorali ſeorſim cum Gallo tranſigendum. Nam aliam ſervandæ Germaniæ viam haut ſuppetere, ac ſi Electori eadem mens ſit, reliqvos Ordines facile conſenſuros.

Palatini: 6. Jan.

§. 36. Carolus Elector Palatinus ex aſſe noſtri ſententiam probabat. Seu propriis viribus, ſeu exterorum ope, de qva nondum cautum ſit, Germania nitatur, omnia tamen ad Rhenum primo impetu ſubverſum iri, ſumma rerum extremo periculo expoſita. A vi, & neceſſitate jam conſilia dictari. Addebat, Gallos inſinuaſſe, forte haut difficulter circa ipſum temperamenta reperiri poſſe. Unde ſe poſtulaſſe, ut iſti prius ablata reſtituant, tunc ſe inſtaurandæ amicitiæ paratum fore. Sed Gallos excuſaſſe: alios Ordines, qvibus ereptum qvid ſit, ad id exemplum provocaturos; ac ita negotiationem difficiliorem fore. Modo prius per fœdus Galliæ ſe rationibus innecteret, intra unum & alterum annum facile viam inventum iri, qva ipſius deſideriis ſatisfiat.

Trevirenſis: 12. Jan.

§. 37. Aſt Joannes Hugo Trevirenſis Præſul ita reſpondebat: *Satis ob oculos ſibi verſari imminens periculum, qvod indies diſſidio animorum in Imperio gliſcat. Qvod ſi tamen ſolida conjunctio fiat, non ideo omnia pro deſperatis habenda. Si maxime Gallus ad Rhenum, aut trans eundem penetret; ſat tamen virium in Germania ſupereſſe non ſolum ad vim repellendam, ſed & reponendam, modo eadem recte adhibeantur. Eqvidem qvi periculo proximi ſedeant, inter qvos ipſe in prima velut acie expoſitus ſit, primo impetu proſternendos; poſt tamen omnia reparari poſſe.*

1682. *posse. Fortunam hactenus Galli acta insitato favore prosecutam. Hunc autem non minus vicissitudini obnoxium, quam omnes res humanas; ac sat naturalium remediorum esse, per qvæ id effici possit. Ast si Deus citra exceptionem aliter disposuerit, omnia humana consilia, omnemqve industriam frustra fore. Cum Gallo tam noxiam pacem initam, ac post eam sub futili prætexto dependentiarum, ac reunionum plura amissa, qvam vel infelicissimo bello fieri potuerit. Grassari in infinitum Galli prætensiones, qvi insuper habita Francofurti facta propositione reuniones suas persequatur. Hoc ipso die nuntium se accepisse, Abbatiam Prumiam sibi ademtam, è qva centum amplius feuda dependeant, & inter alia Reinfelsa. Et si maxime in præsens super Galli postulatis transigatur, in futurum tamen eadem, qvæ nunc sentiuntur, metuenda. Interim pro captu præsentium rerum Electoris sententiam solidissimis rationibus subnixam; eoqve ab Imperio super propositione à Gallo facta serio deliberandum, ac super aqvis conditionibus qvamprimum conveniendum; si qvidem Gallo tractatus cordi sit, ac is non forte tempus trahat aliis adhuc destinatis exsequendis. Cujus specimen nuper ediderit, congressu Francofurtano per inania dilato, qvod Argentoratum oppressisset. Qvibus modo cum Gallo transigere durum admodum esse; præsertim cum non constet, qvamdiu beneficio ejus transactionis pace fruendum sit. Attamen se rebus sic stantibus pacem, si ullo modo conservari qveat, optimam ducere, eoqve in Electoris velut potentissimi Germaniæ Principum sententiam discessurum.* Addebat, Gallos jam dimidiam partem Spirensis præsulatus absorpsisse, ac in Trevirensi dependentias ad unum usqve milliare à Confluentibus extendere. Cautionem pacis optimam fore perpetuum militem alere, & qva necessarium sit munitiones in limite extruere; ac legatos Gallicos Francofurti jactasse, ista Regi haut qvidqvam suspicionem injectura. Idem qvoqve de maledicentia hominum qverebatur, qvi ipsum arguant, velut de qvibusdam locis Gallo tradendis agitet. Sane si Gallus per vim qvædam eripere velit, id se prohibere non posse; ultro nil cessurum. Se tempore tractatuum Neomagensium sibi persvadere haut potuisse, conjunctionem inter Cæsarem, & Electorem tam laxe cohærere. Se vires suas obtulisse, aliosqve monuisse de valido exercitu ad Rhenum alendo; sed nil proficere potuisse. Igitur nunc nihil superesse præter pœnitentiam, & serio jam agnosci errorem immedicabilem. Cæterum Electoris sententiæ se accedere, qvi causæ pondus addere possit; ac si is bellum non svadeat, neminem reliqvorum Ordinum id optaturum, aut exsequi valiturum. 1682.

§. 38. Coloniæ Wilhelmus Furstenbergius Argentoratensis præsul differebat: Tempus sane esse, à Gallo reunionibus, & dependentiis finem imponi. Heri se impressum decretum accepisse, qvo Stabloënsis præsulatus inter dependentias referatur; cum tamen demonstrari qveat, eum ante sexcentos annos Archiepiscopatui Colonienſi annexum, eoqve R. Imperii membrum fuisse. Ad ejus fundationem qvidem Comitem qvempiam, qvi Regis Dagoberti vasallus fuerit aliqvid contribuisse. Sed si omnia ad prima principia revocanda sint, ipsum Galliæ Regnum Romano Imperio subjiciendum. A se postulari, ut nomine Stabloæ homagium Galliæ præster. Sed se Imperio juravisse, nec perjurio se adstringere velle; eoqve multis eam rem Regi demonstrasse, qvi & spem fecerit; sed effectum non seqvi. Interim vix aliud in præsens remedium adparere, qvam super facta Francofurti propositione transigere, ac post in Imperio eos armorum paratus facere, ut Gallus mutuo metu in officio contineatur, utut is haut æqvis oculis adspecturus sit in Germania arma parari. Ac credendum esse, si nunc cum isto transigatur, conventa utiqve servatum iri. Qvanqvam sat malignum specimen sit, qvod insuper habitis Francofurtana propositione factis promissis reuniones indies continuentur. Sed in Anglia nil fiduciæ reponi posse. Belgarum agendi modum satis notum, nec ex usu Germaniæ esse exteris arbitrium belli ac pacis committi, uti olim factum. Ipse Colonienſis gemina differebat; merito cavendum, ne inter ægram hancce Germaniæ conditionem novum cum Gallo bellum suscipiatur. Ordinibus haut esse necessaria bello inchoando, nedum perseqvendo: & qvibus adhuc opum qvid supersit, per Gallum magis debilitari. Unde Electoris se sententiam ex asse probare, qvam extrema necessitas dictitet. Cautionis loco fore, si Germania perpetuum militem adornet, nec futuris Galli bellis sese misceat, ac ut pro Belgio Hispanico medium statum in perpetuum stipuletur. Verbo, pacem cum Gallo qvantum possit servandam. Nam in Imperio omnia confusionis plena; Gallum contra instructissimum, ac LX M bellatorum in finibus parata stare. *Colonienſis: 16. Jan.*

§. 39. Monachium ad Bavarum Godofredus Jena mittebatur, eadem, qvæ Ruc- *Bavaria: Febr.*

1682. qvius Rheno adſitis propoſiturus. Ei Bavarus nil liqvidi reſponſi dedit; ſed ſe nil aliud optare, qvam qvietem ac ſalutem patriæ, ad qvam ubiqve locorum pro virili operam collaturus ſit; ac ſe proſperos ſucceſſus tractatuum Francofurtenſium ſperare. Eadem

Saxonis: 18. Jan. Saxoni Meinderſius Dresdam miſſus proponebat. Cui is reſpondit: *negotium id, & rationes ab Electore adductas ſane maximi momenti eſſe. Sperare tamen, modo Elector velit, præcipuas difficultates ejus autoritate, potentia, ac ſingulari experientia ſuperari poſſe. Sane juſtitiam cauſæ penes Imperium ſtare, ac Gallos eas, qvas nunc moveant, prætenſiones antehac ipſos condemnaſſe. Sibi itaqve videri, ſuccinctam demonſtrationem Gallicæ propoſitioni opponendam, jura Imperii deducenda, arbitrium offerendum; ac ſi Galli abnuant, hiſce culpam abruptæ in ipſo limine negotiationis impingendam; titulum juris Imperio reſervandum, adverſus ulteriores uſurpationes proteſtandum, ad Comitia rem referendam, & tractatus ſuſpendendos; deniqve Anglum, & Succum velut ſponſores pacis circa ejus interpretationem, & ad opem adverſus ejusdem violatores ferendam requirendum. Sane Gallum idem feciſſe, cum Elector qvondam in Alſatiam moveret, & eo prætexto Sveeos in Marchiam irrupiſſe.* Ad ea Meinderſius: Juſtitiam cauſæ ſat manifeſtam. Sed id tantum qværi, num in præſens res Germaniæ ita ſint conſtitutæ, ut bellum cum ſpe boni ſucceſſus poſſit ſuſcipi. Rapta Gallum ultro haut redditurum, nec arbitris ſeſe ſubmiſſurum. Proteſtationes interponere eſſe miſerabilium remedia fructu caſſa. Gallum qvoqve reuniones haut ſuſpenſurum, ac demum omnia trans Rhenum abſorpturum. Qvid ex Anglia, & Svecia ſperandum, & qvo in ſtatu ambo Regna ſint, notum eſſe. Gallum horum interpretamenta, & auxilia nil curaturum; ac prius totam Germaniam peſſum ituram, qvam ab iſtis ſervetur. Haut eo minus Saxo cenſebat; modo arma defenſioni faciendæ parentur, Gallo libidinem deceſſuram in arma ruendi, eumqve molliores conditiones admiſſurum. Spem qvoqve eſſe, turbis Hungaricis compoſitis univerſas Cæſaris vires in Gallum verti poſſe. Ni maſcula conſilia capiantur, totius Europæ libertatem Gallo proſtitui. Cui ſententiæ cum Saxo immotus inhæreret, Meinderſius diſceſſit, prius tamen teſtatus, Electorem ſeſe haut qvidqvam ab Imperio disjuncturum, aut cum Gallo conſilia capturum libertati Germanicæ adverſa. Nam iſtius maxime intereſſe, ne Imperii ſtatus alteretur.

§. 40. Cum Hanoverano Duce ipſe Elector ſuper hoc negotio præſens communicaverat. Ubi uterqve in eo conſenſerat: *Si bellum gerendum ſit, vires in promtu eſſe oportere eidem perſeqvendo. Atqvi jam res ita comparatas, ut ex una parte omnia deficiant, ex altera nihil. Intra Germaniam Cæſarem, & qvicqvid eſt Ordinum; extra idem Hiſpanos, Svecos, Belgas imparatos eſſe. Ex Anglia nil certi expectandum. Danum eadem cum Electore ſentire. Inprimis Svecos qvod attinet, eos bellum, & turbidas res in Imperio optare, qvi & ſcopus ſit tractatus aſſociationis. Qvem tamen in Gallia excuſent, qvo ſubſidia ibi, & ſatisfactionem de Bipontino Ducatu obtineant. Eosdem qvoqve Hafniæ triplex fœdus cum Dano, & Electore proponere; ac eodem tempore Lundenſe fœdus per tractatum aſſociationis violare. Revera autem id agere videri, ut fidem, & autoritatem ſuam in Germania inſtaurent, ac boſpitiorum qvid ibi capiant; id qvod vicinis qvam maxime periculoſum ſit. Nec minus Hiſpanis, ac Belgis optandum duci Germaniam bello involvi, qvo Gallia impetus ab ipſis divertatur. Unde non dubium eſſe, qvin calida conſilia manifeſtiſſimum Imperii periculum, & exitiabilem convulſionem, inprimis Electoralis Collegii, ſimul maximam acceſſionem jam plus ſatis formidandæ potentiæ Gallicæ poſt ſe tractura ſint. Ac ni iſta nunc antevertantur, poſt medicinæ locum non fore. Eqvidem juſtitiam cauſæ manifeſtam eſſe; ſed eam juxta ſcita prudentiæ tractandam. Non ſi nunc ſecuritas, ac libertas Imperii vacillet, & olim ſic fore. Qvin ſperandum eſſe, Deum aliqvando commodiora tempora reparandis patriæ damnis daturum. Interim hoc modo rebus optime conſuli, ſi apertum cum Gallo bellum impediatur, ac omnes ulteriores reuniones ſiſtantur, ac peculiariter Colonia, ac Franckenthalia cavеatur. Tum ut potentiſſimi Statuum arma probe inſtruant atqve inter ſe amicitiam alant, & conſilia communicent. Deniqve ut Viennenſis aula moneatur, qvid circa ejusdem agendi modum deſideretur. Ita vigilantibus expectandum, qvid tempus mutationum in Gallia, & alibi allaturum ſit.*

1682. *Hanoveranus:*

§. 41. Ad Ferdinandum Paderbornenſem, & Monaſterienſem Epiſcopum, ab Electore Clamor Buſchius ſuper eodem negotio mittebatur. Is cenſebat; ſi bellum ſurgat, ac male ſuccedat, pacem forte uti ante datis aliqvot præſulatibus redimendam, nec ideo tamen à Gallo qvid recu-

Monaſterienſis:

1682. recuperatum iri. Unde in præsens pacem qvibuscunqve conditionibus bello præferendam, inprimis si adhuc memoria subeat, tam turpem Neomagi pacem factam Electore, ac se exclusis; utut Galli Cæsareis satis significassent, qvo sua destinata *circa dependentias* pace Monasterienſi tactas spectarent. Igitur cum ea loca nondum occupata essent, & adhuc arma manibus tenerentur, cautius agendum, nec pacem tam laxis verbis ineundam fuisse. Idem ostendebat, se fœderi cum Electore ineundo paratum, & ubi bellum erumpat neutras partes secuturum, ac defensioni suarum ditionum invigilaturum, & à Gallo pecunias, ac militem si opus sit auxilio stipulaturum. Eo fine qvoqve præsulatum Colonienſem, & urbem cognominem in fœdus recipiendum. De Dani conjunctione dubium sibi esse, qvi id præcipue spectare videatur, ut Sveciæ aliqvid decerpat, ac novissimo bello non optime secum egerit. Ac magis operam daturum, ut Cellenſem, ac Guelverbytanum sibi innectat.

Cassellanus.

5. *Maji.*

§. 42. Idem Buschius qvoqve ad Carolum Hassiæ Landgravium Cassellas mittebatur, ut huic consilium Electoris de pace tuenda adprobaret. Eqvidem utrqve pacem in ore esse, ac invidiam belli tam extriabilis moti declinari. Sed si qvæ Ratisponæ, & Francofurti agantur, expendas, facile adpariturum, utra pars serio pacem desideret. Sane Gallum super æterna pace, qvalia nunqvam antea, proponere. Eqvidem qvantum ejus verbis fidendum sit, in medio relinqvi. Si tamen deinceps fidem fallat, eum non tantum in conspectu orbis seipsum injuriæ damnaturum, sed & Germaniam communi consensu arma oppositurum; id qvod præsenti statu fieri neqveat, dum totus Circulus Svevicus, qvatuor Electores ad Rhenum, ac plurimi alii pacem qvovis modo cupiant, bellum aversentur. Notum qvoqve esse, eos qvi in bellum inclinent, privatis rationibus duci, ac extranea negotia rebus Imperii miscere, aut per oppressionem aliorum Ordinum opes suas augere velle. Maximam autem curam sibi injicere, qvod secuto bello, utcunqve id succedat, Imperii ruinam, & Ordinum oppressionem animo prospiciat. Nam si consideretur Galli potentia; prudens agendi modus, autoritas, rerum bello necessariarum abundantia, & tot partis victoriis gloria; contra Imperii in præsens impotentia, defectus egregiorum ducum, militum, pecuniæ, diversitas studiorum & utilitatum, & orta inde diffidentia: non nisi sinistrum ominari eventum licere; ac tunc saltem de toto Rheno actum fore. Sed si maxime Gallis prævaleamus, id magis adhuc, qvam adversos successus metuendum Nam tunc qvi armis potiores sint oppressis reliqvis jugum imposituros. Ac initia belli Germanici, & qvid post annum vicesimum qvartum actum sit, in recenti memoria esse. Ast Landgravius censebat, nunqvam posteritati probari posse, in Galli postulata ita simpliciter consentire. Sibi qvidem stare, decreta Imperii seqvi, & qvantum possit pro Germaniæ libertate, atqve à majoribus tradita gloria conniti. Tum credere, ni Gallo, dum Germania adhuc satis armis instructa est, sine mora vis opponatur, id post serum fore. Aceundem post pacem tam lautus sibi conditionibus concluſam, ac exarmatos Ordines, pro lubitu paululum omissa repetiturum, ac demum totam Germaniam nemine reluctante subacturum. Summam rerum ad Electorem redire, qvi solus causæ momentum possit addere; ac ubi is manus admovere velit, Imperio haut necessum fore tam fœdam pacem amplecti. Haut placuit Electori generosi animi Principem pluribus urgere, sed tantum testabatur; haut qvidqvam sibi in animo esse ab Imperio disjungi; multo minus tale qvid ab eo postulare. Sed uti ipse fidem suam erga patriam tot illustribus documentis demonstrarit; ita & nunc curas suas unice ad ejusdem salutem dirigi.

1682.

Cum Danus Rege acta.

23. *Dec.* 1682.

§. 43. Apud Daniæ Regem Paulus Fuchsius exponere jubebatur, uti præsens tempestas gravia pericula minetur, ac atrox bellum brevi immineat, ni ei avertendo idonea remedia adhibeantur. Se qvidem non minus atqve alios glisscentem Galli potentiam horrere, ac in medio relinqvere, an, & qvousqve Galli promissis innitendum sit. In aprico tamen esse ægrum Germaniæ, Hispaniæ, Belgii statum. Inter membra Imperii parum concordiæ. Ratisponæ decretum armorum paratum lente, ac sinistre procedere. In Hungaria periculosam rerum faciem, qva Cæsaris vires valde distrahantur. In Germania deesse pecuniam, annonam, duces bello spectatos, militum sufficientem numerum: Contra Gallo omnia in promtu, ut is subita irruptione totum transrhenanum tractum subigere prius possit, qvam in Germania super contrahendis, qvæ jam extant copiis, aut novis conscribendis decerni qveat. Qvæ omnia exiguam spem præbeant, aliqvid locorum à Gallo occupato-

1682. rum per vim recuperari posse. Qvia si posthabitis amicis remediis ad extrema descendatur, Gallo denuo ansam præberi fines longe proferendi. Circa tractatum associationis Electori videri circumspecte incedendum. Eqvidem scopum ejusdem hactenus rejiciendum non esse, qvod per eum conservatio pacis qværatur, qvæ & sibi Regiqve cordi sit. Scrupulum tamen injicere, qvod iste primum à Svecis designatus, ac propositus fuerit, qvi forte longe aliud, qvam conservationem pacis spectent. Qvod à Gallo non aliter consideretur, qvam fœdus adversus ipsum directum. Qvod in eo pax Neomagensis firmetur, Regi, sibiqve tam noxia, nulla mentione facta pacis, qvæ utriq; separatim cum Gallo inita fuerit. Sed nec constare, num Anglus accessurus sit; qvem potius verosimile sit de compacto rem cum Gallo agere. Mirum autem esse à Svecis ejusmodi tractatum profectum eo ipso tempore, qvo cum Gallis super instaurando pristino fœdere satagebant, & nunc tam solicite eundem excusent, velut eo nihil actum sit rationibus Galliæ adversum. Qvia autem Sveci salvo Lundensi fœdere insciis, & non consentientibus Danis ejusmodi conventionem cum Belgis inire non potuerint, Fuchsius, qvomodo ea res gesta foret, exacte explorare jubebatur, simul qvo animo inter se Boreales reges sint; qvia Elector non parum perturbatus fuerit, qvod Petcumus Hagæ jactaverit, Daniæ qvoqve Regem associationis tractatui nomen daturum, ac junctim cum Sveco Cæsaris se fœderi innexurum. Deniqve operam daret, ut Danum à Sveci rationibus disjungeret.

10. Jan. Ad ista Rex testabatur; eandem sibi cum Electore sententiam, ac se cum ipso consilia, & operam sociaturum. In præsens bellum sese haut consultum ducere, ac si maxime universi Ordines Imperii bellum decernant, & Hispanos, Belgasqve fœdere sibi illigent; unionem tamen haut diu duraturam, ac eundem qvi novissimo bello eventum, ac forte adhuc deteriorem fore. Associationis tractatum nunqvam sibi cordi fuisse, circa qvem multa sibi suspecta occurrant. Svecos eum proposuisse duas potissimum ab causas; ut à Gallo ultionem sumerent ob abreptum Ducatum Bipontinum, ac non soluta subsidiorum residua; ac ut iterum exercitum in Germania parare, & in turbido piscari possent. Eosdem ingentem sibi gloriam inde speraſſe, velut autores fœderis, cui universus orbis adversus Gallos accessurus sit. Sed cum nunc ea spe falsos se perspiciant, prudentissimos eorum non parum perturbatos esse. Nicolaum qvoqve Bielkium Lutetiæ dixisse, eum tractatum sibi haut arridere, ac Gullenstolpium præcipitanter nimis processisse, dum pervicax Benedicti Oxenstiernæ in Gallos odium sequitur, simul nomini suo splendorem facto aliqvo tractatu conciliatum it. Svecorum blandimentis haut confidendum, qvæ non alio fonte promanent, qvam qvod metuant, ne Gallus ipsum, atqve Electorem Sveciæ immittat. Cupere eos exercitum in Germania habere; sed deesse nummos, qvi è tractatu associationis haut expectandi sint; ac ut Cæsar iis hospitia in Germania indulgeat, Luneburgicos haut permissuros. Cæterum sibi circa fœdus cum Gallo eum unicum scrupulum esse, ne id adversus Imperium initum videatur, sibiqve, atqve Electori magnam in Germania invidiam attrahat. Sed ei contra demonstrabatur; hautqvidqvam Electoris mentem esse contra Imperium alicui se fœderi innectere, aut ad augendam Galli potentiam operæ qvid conferre; sed unice qvietem, & securitatem Imperii stabilire; per qvæ consilia gratiam sese magis qvam odium meriturum speret, eademqve omnes à pravis affectibus vacuos probaturos. Demum Rex plane in Electoris sententiam concedebat; satis se perspicere, qvam fragilis *Associationi* compages sit, ac è præteritis futura augurari. Cum enim antea meliore fœderatorum, qvam nunc, statu, & tam præstabili opera patriæ ab Electore navata, tam turpis pax Neomagensis facta sit, ipsis destitutis; qvid nunc futurum esse? Eoqve haut melius in præsens remedium dispici posse, qvieti, & securitati Germaniæ procurandæ, qvam tractationem à Gallo oblatam persequi. Cum itaqve Danus Galli societatem utiqve amplexurus videretur, ac junctum fœdus varia incommoda secum tracturum esset, ac Dano æqve atqve Electori peculiares qvædam rationes essent; satius videbatur, utrumqve seorsim cum Gallo concludere. Cæterum Gallico sese fœderi Hasniæ enixe opponebant Cæsarei, Svecici, ac Belgici ministri, ingerentes, qvam periculosum sit per temporaria commoda, qveis nil solidi subsit, seduci, ac Gallorum blanditiis, & speciosis promissis inescandum se præbere. Qvi id duntaxat spectent, ut multitudinem hostium, qvam metuunt, amoliantur, aliosqve inter se committant, ac suas tantum opes augere qveant, sociis evanido qvopiam emolumento delinitis. Peculiariter Sveci offerebant, se Gottorpiensem, & Hamburgensem causam abdicaturos, si Danus Bremam

1682.

desti-

1682. deſtituat. Ac Lillierothus Lutetiæ cum Meiercrona ablegato Danico jam de dividendis bello adqvirendis inter Sveciam, & Daniam diſſerebat. Sed Dano Gallicum inj præſens fœdus magis ex uſu videbatur. Ubi tamen cum hic poſtularet, ut Gallus ſeſe obſtringeret ad operam navandam, qvo ipſe Hamburgo, & vectigali in Albi poteretur; Gallus non niſi laxa intra verba conſiſtere volebat, ne iſto promiſſo totam Inferiorem Saxoniam, ipſumqve Electorem à ſe averteret. Cupiebat qvoqve Danus, ut Gallus expreſſe ſe obſtringeret ad auxilium ipſi ferendum, ſi ob Gottorpienſem cauſam invaderetur. Sed Gallus itidem laxis verbis inhærebat; ſe ipſi adſtiturum contra qvoſvis aggreſſores. Deniqve & Gallus Dano auxilia promittebat, ſi hic ab Hiſpanis reliqva ſubſidiorum extorqvere velit, non tamen ſi talia in Belgas moliri inſtituat. Fœdere abſoluto Rex Bercæ Comiti legato Cæſareo ejus cauſam hanc exponebat; qvod videat, eos, qvos Gallorum acta qvam maxime tangant, manibus in ſignum compreſſis fœdere. Haut qvidqvam tamen ita arcte ſe vinculo ſtringi, qvin eo ſe iterum exuere poſſit, ſi Gallus pacem infringere, ac latius graſſari inſtituat. Et cum Berca Cæſaris beneficia ingereret, Daniæ qvondam rebus anguſtis præſtita; Rex vicſſim, uti ipſe, ac Elector novillimo bello deſtitutus fuerit, occinebat.

Berka.

Cum Gallo acta.

§. 44. Aſt qvo Gallus Electori fœdus ſuum perſvaderet, per Rebenacium ſubinde demonſtrabat, uti Cæſar in Germania, & extra varia fœdera contra Gallum cudat, ac ut amicos ab hac avertat, invidos, ac hoſtes qvacunqve detur eidem immittat. Sic & tractatum aſſociationis verbo ſtudium ſervandæ pacis Neomagenſis præ ſe ferre, reipſa novum bellum inflammatum ire. Unde ſibi cum amicis operam navandam, ne is tractatus pernicioſos fructus producat. A Rege nil aliud qværi, qvam ut pacem tum ubiqve, tum præcipue in Germania ſervet. Ac ut is omnibus Principibus, qvi huic fœderi acceſſuri ſint, ſolicitudinem eximat, qvam ſuper prætenſionibus, qvæ ipſi ulterius competant, concipere qveant; eum qvam efficaciſſime fidem daturum, ſuas ſe prætenſiones reſtricturum, ac circumſcripturum iis locis, qvorum poſſeſſionem ceperit, anteqvam legati ſui Francofurtum ingrederentur. Aſt ſi Cæſar, & Imperium utiqve bellum velint, Regem ita res ſuas diſpoſiturum, ut non ſolum vim qvæ intentetur propulſare, ſed & plura adqvirere poſſit. Ad iſta liqvidum reſponſum expoſcere, qvo mature conſilia ſua diſponere qveat, Electoris eam eſſe autoritatem, ut Rex ante omnes ejus amicitiam ambiat; eoqve gloriæ id ejusdem acceſſurum, novum bellum non niſi damno Germaniæ ceſſurum avertiſſe. Deniqve ſi maxime id non fiat, neminem tamen fore, qvi Regi Argentoratum vi erepturus ſit. Tum Svecos qvantovis pretio in partes pertrahendos, ac ita inſtruendos, ut veterem gloriam recuperandi facultas ſit. Eſſe qvoqve Regi ſatis cautum de Cellenſi, & Guelferbytano, ac tentaturum, ut Hanoveranum qvoqve adſciſcat. Nam proſpiciendum, ne ea Domus uti nuper in ambas ſe partes dividat, & utrinqve lucrum aucupetur, nec eo minus utriusqve partis deſtinata infringat, ac ſuſpicionibus agitet. Spem qvoqve eſſe de Bavaro in partes pertrahendo. Nam de Colonienſi dubium non eſſe. Addebat, ſi res in bellum eruperit, ac Rex inter progreſſus armorum aliqva Imperii loca occuparit, nil tamen eorum retenturum, ſed facta pace omnia redditurum præter ea, qvæ Francofurtana propoſitione contineantur. Elector etſi ſatis perſpiciebat, qvid ad iſta reponi poſſet; tamen cum & patriæ, & proprium, & vicinorum ſtatum rite libraret; haut aptius præſentibus rebus, ac avertendis imminentibus malis remedium judicabat, qvam tempus lucrari, ac à futura rerum converſione præſentium patriæ damnorum reparationem expectare. Cum nemo prudens eo tempore injuriarum ſuarum perſecutionem ſuſcipiat, qvo nulla boni ſucceſſus ſpes, contra manifeſtum periculum plurium damnorum adparet. Ita demum Berolini novum cum Gallo fœdus initum, cujus ſumma eo redibat, ut Elector qvidem operam navare teneretur, qvo pax inter Imperium, & Gallum conſervaretur, ac præſentes controverſiæ amice componerentur: Gallus contra reunionibus ſuperſederet, ac qvamdiu ulla amicæ compoſitionis ſpes ſupereſſet, armis abſtineret. Eo fœdere concluſo Elector Spanhemio, ut Gallo exponeret, injungebat: Uti ab hoc acta ab omnibus fere paci adverſa habeantur, qvibus ut ſe opponant multos arma parare. Circa qvæ omnes non parum in ipſum reſpiciant, ac multi exemplum ſuum ſeqvi velint. Haut eo minus eam ſe conſiliorum viam iniſſe, qvæ Gallo moleſtiam haut creet, ac omnia à Cæſare, aliisqve oblata, ſi ſententiam mutare placeat, repudiaſſe. Cæſarem qvoqve, Anglum, & Belgas ipſum ad tractatum aſſociationis invitaſſe, oſtentatis præſentibus emolumentis; qvibus omnibus ipſe fœdus Regis prætulerit.

11. Jan.

31. Jan.

Unde

1682. Unde sperare huic qvoqve vicissim curæ fore, ut qvia ipse sibi, suæqve Domui hac conjunctione magnam apud multos invidiam contraxerit, is sibi in omnem eventum auxilio adsistat. Tum ut Rex, prout contestatus est, cum Imperio bonam, ac stabilem pacem colat; prout & se velut primarium Imperii membrum non aliud deceat, qvam qvavis occasione conniti circa omnia, qvæ ad ejus salutem, Ordinum libertatem, ac præcipue ad tuenda Collegii Electoralis jura facere qveant. Qvia etiam Cæsar, & Svecus ob repudiatum horum fœdus gravem offensam in ipsum conceperint; ac vero ubi ipse ab his invadatur, Gallica auxilia ægre huc penetrare qveant: Gallo operam dandam, ut Danum, cujus auxilio præsentissimo ipse frui possit, adversa parte abstrahat, qvæ istum enixe solicitet. Ut qvoqve Rex Cæsari insigne auxilium contra Turcam præstet, ingentem gratiam ei conciliaturum, ac antegressas offensas non parum temperaturum. Tum ut reunibus in posterum supersedeat, ac qvæ post iter legatorum occuparit, restituat, simul circa occupata jam loca moderationem inprimis erga eminentes Status adhibeat, ac in reunitis locis sacra in pristino statu relinqvat. Peculiariter autem Palatinam Domum commendatam habeat, cujus restitutionem Rex ipse promoverit, & cujus opes jam pace Westphalica satis accisæ sint. Qvia etiam sui liberi è priore matrimonio Arausionensis *præsumtivi* hæredes sint, ne Rex permittat, ut ejus Principis in Gallico territorio sita bona distrahantur, ac in alios transferantur. Ut deniqve idem ipsius negotia Hagæ, & in Polonia amplectatur.

pretationem relinqvat, qvi primarium ejus fundamentum constituunt. Eo fine se consentire, ut amore pacis omnes suæ prætensiones reducantur ad Argentoratum, & ad loca & terras, in qvarum possessionem ipse se miserit, antequam sui legati iter Francofurtum ingrederentur. Cui finis & cupere, ut debinc inter suos, & Cæsaris atqve Imperii legatos declaratio fiat super omnibus locis, qvi limitis usum inter Gallum, & Imperium præstare debeant; ac ut qvidqvid titulorum in posterum utrinqve inveniendum sit asserendo, aut destruendo suo juri, id nullam mutationem adferre qveat positioni limitis, qvæ facta fuerit ad normam nunc propositam possessionis per se captæ ante discessum suorum legatorum, & redactum in ditionem Argentoratum. Ac ad majus documentum sinceræ suæ intentionis, ac ut Imperio eo clarius ostendat, qvantopere ipse absit à voluntate unqvam aliqvid eis Rhenum adqvirere, (cum ea propositio Francofurti fieri ponatur, insinuari videbatur, Regem adqvisitionibus ad occidentalem Rheni ripam nolle renuntiare.) *consentire velle, siqvidem Cæsar & Imperium id ob suam securitatem desideraverit, ut munitiones urbis & arcis Friburgensis, qvem locum ipse immensis sumtibus maxime inexpugnabilem reddiderit omnium, qvæ sua sub ditione sint, plane destruantur, ac urbs Cæsari reddatur, modo hic itidem Philipsburgi munitiones dejici curet, atqve id oppidum, & qvæ inde pendent, Spirensi Episcopo restituat. Si hæc oblata nunc acceptentur, ea restabilitura perfectam in Imperio tranqvillitatem, eamqve in perpetuum conservatura, prout id sibi in votis sit, ac ut nullus locus relinqvatur metui, eam unqvam turbari posse.*

1682.

Francofurti acta. Gallica propositio. 26. Dec. St. n.

§. 45. Interim Gallici legati Francofurti scriptum exhibuerunt, San-Germani die XV. Decembris datum lingva Gallica, hoc sensu. *Regem nil omittere velle ad testandam Cæsari, Electoribus, Principibus, ac Statibus Imperii desiderium, qvo ipse teneatur conservandi pacem, & semper colendi cum istis bonam & perfectam amicitiam. Eo intuitu voluisse post discessum suorum legatorum omnes reuniones suspendere, ad qvas virtute tractatus Monasteriensis, & Neomagensis jus ipsi fuerit. Et qvanqvam in proclivi sit justitiam suarum prætensionum in plura loca, & terras demonstrare, qvæ ipsi competant tam virtute dictorum tractatuum, qvam eorum omnium, qvæ super hac materia inter negotiationem Neomagi acta sunt; ea tamen libenter certo limite circumscribere velle per transactionem, qvæ nullam amplius materiam mutuæ diffidentiæ, aut dubiam tractatibus inter-*

Inania litigiorum.

§. 46. Anteqvam ad responsum accederetur, tempus inter inania litigiorum frustra terebatur. Ac Cæsarei qvidem debitas Electoralibus legatis cerimonias abnuebant, causati, id Monasterii factum non esse. Et qvi Brandenburgicis Neomagi honos sit exhibitus, certas conditiones, causasqve habuisse. Galli tamen promtos dando ei honori se offerebant, si Electorales scripto sibi caverent, ni Cæsarei paria exhiberent, ipsos eorum visitationem omissuros. Qvod cum Electorales fecissent, Galli hosce iisdem cum cerimoniis, qvibuscum Cæsareos, invisebant. Inter Cæsareos qvoqve, & Moguntinum super exhibendis procuratoriis ad fidem legationi faciendam disceptatum fuerat. Is actus demum ita expeditus est, ut secundus legatus Moguntinus secundo Cæsareo Stratemanno procuratorii sui avtographum traderet; hic *18. Jan.*

non

1682. non nisi apographum exhiberet, qvod Moguntinus protinus cum avtographo conferebat. Ita jam ad negotiationem accedi poterat, ni Hanoveranus legatus novas lites movisset, dum non contentus delineatione sessionis Ratisponæ facta pertendit, ut omnes eadem mensa sedeant ad imminuendam prærogativam Electorum, qvam tamen ab ipsius Principe summo studio affectari constabat. Et anteqvam ea lis composita foret, Austriacus, Bambergensis, & Hanoveranus procuratoria sua edere nolebant. Demum id temperamentum proponebatur, ut omnes ad rotundam mensam sederent, insigni tamen inter Electorales, & Principales intervallo. Qvo etsi Hanoveranus nondum contentum se ferret, à Principalibus tamen procuratoria demum post moram non exiguam exhibita sunt.

Responsum ad propositionem Gallicam. 20. April.

§. 47. Ad Gallorum propositionem à Cæsare, ac Imperio delegati id responsi reponebant. *Sacræ Cæs. Majestati, & Imperio ex Excell. Dnn. Gallicorum legatorum propositione scripto nuper extradita intellectu fuit gratissimum, Christianissimæ R. Mtis Galliæ expressum desiderium, studiumqve continuandæ pacis. Cujus sicut ipsis sacrosancta sunt jura, ita secundum Monasteriensis, Noribergensis, & Neomagensis tractatuum, qvibus innituntur, tabulas semper hactenus religiose ab iis observata sunt, & in posterum observanda erunt, nec omittetur porro ex illorum parte qvidqvam, qvo juxta eosdem tractatus predicta pax, atqve cum ea, vera, sinceraqve amicitia, & tuta vicinitas inter utramqve inclytam nationem stabiliatur, ac firma permaneat. Qvem in finem prout ad præstandum id optima fide sese offerunt, qvicqvid vigore modo nominatorum tractatuum, discusso, comprobatoqve in hoc congressu eorum genuino sensu, Christo Regi, & Coronæ Galliæ competere dignoscetur, bi vicissim jure merito expectant, Suam R. Mtem Christ: am ab Imperio, ejusqve Statibus nihil, qvod dictis tractatibus adversetur, pratensuram, nec illorum explicationem excluſa altera parte compaciscente contra eorum tenorem sibi soli vindicare, aut in propria causa sibimet jus dicere, atqve exsequi velle, sed ea, qvæ sibi virtute predictorum pacis tractatuum deberi pratendit, semota violentia in hoc congressu propositurum, & deducturum, simul pro regia sua, justissimaqve declaratione tribunalibus, & officialibus suis qva civilibus, qva militaribus ulteriores omnes reuniones, ut vocant, aliasqve occupationes, uti & extractiones fortalitiorum, & qvascunqve generaliter innovationes in terris Imperii penitus, serioqve inhibituram, atqve ejusmodi occupata, & innovata, si non statim omnia, saltem ea, qvæ post Dnn. legatorum Franciæ Lutetia discessum in Imperio qvocunqve modo occupata sunt, pro regia sua sinceratione ante omnia in integrum, & Imperium, ejusqve vel prorsus destitutos, vel qvomodocunqve gravatos Status, & membra in priorem statum, & possessionem immediatatis, libertatis, & jurium tam in Ecclesiasticis, qvam politicis, (qvæ antehac gavisi sunt) cum omni causa qvantocyus restituturum, & ea demum facta restitutione de cæteris gravatis, prout & reliqvis in prædicta propositione Gallica contentis cum Cæsare & Imperio juxta tenorem sæpe memoratorum tractatuum, ut illi à S. Cæs. Mte, & Imperio rati sunt habiti, discusso prius per amica colloqvia in hoc ad illum imprimis finem instituto congressu eorum vero, & genuino sensu, ita tractaturam, ut Cæsari, & Imperio, gravatisqve ejusdem Statibus, & membris secundum leges sæpe dictæ Pacis Westphalicæ, & Neomagensis satisfiat, aboleantur gravamina, stetqve in omnibus, & singulis jam dicta pax inviolata, & inconcussa. Qvod si postea ex utriusqve partis, & publica re videbitur, id, qvod de Friburgo & Philipsburgo propositioni Dnn. legatorum Franciæ annexum est, ulteriori colloqvio, & tractatui committere, facile erit de eo convenire. Qvæ omnia cum rationi justitiæ, & dictis tractatibus pacis omnino, & partim ipsiusmet R. Mtis Christ: mæ declarationibus, & sinceritatibus conformia sint, Cæsar, & Imperium non immerito ab æqvanimitate Sua R. Mtis expectant, & per ea scopum stabiliendæ, firmandæqve pacis, & amicitiæ, qvæ utrinqve intenditur, Deo duce attingendum fore sibi pollicentur. Francofurti ad Mœnum d. 20. Aprilis 1682.* 1682.

De lingva contentiones.

§. 48. Hoc responso tradito Galli monebantur, ut & ipsi deinceps Latina lingva uterentur, prout hactenus inter Imperium, & Galliam usu receptum fuerit, ac uti ex Instrumentis Monasterii, & Neomagi factis adpareat. Ast Galli crepabant; se inter tractandum non alia lingva uti teneri, qvam sua vernacula. Galliæ Regem sublimiore genere imperii uti, qvam Cæsarem; nec ei qvid præscribi posse. Qvod nonnulla exempla adducantur, ubi Galli cum Cæsare Latina lingva tractarint, id forte inde esse, qvod Cæsarei Gallice non calluerint; eoqve rem liberi arbitrii fuisse; per qvales actus Imperio nullum jus adqviri. Communis moris esse, qvamlibet nationem sua negotia vernaculo idiomate expedire. Qvæ uti nihil ad rhombum faciebant; ita prudentes judicabant, si Galli in

1682. tertiam lingvam consentire nolint, Germanis vicissim jus fore sua scripta Teutonica lingva concipere. Nam si Galli forte arbitrentur, in lingva sua, qvæ ex Latina per mixturam Teutonici idiomatis in eam, qvæ nunc est formam degenerando demum pervenit, plus elegantiæ, aut dignitatis inesse, eam ineptam ac imperitam esse persvasionem. Sed nimirum Germanos merito pœnas suæ stultitiæ luere, qvod dum tanto ardore ad discendam lingvam Gallicam incumbunt, eamqve etiam in media sua patria nulla necessitate adversus populares suos ambitiose garriant, Gallos ea superbia inflaverint, velut horum lingvæ peculiaris qvid pulcritudinis, & prærogativæ inlit. Qvasi non qvævis res æqve dextre Teutonico qvam Gallico idiomate exprimi qveat. Aut qvasi Germanis major sit necessitas addiscendi Gallice, qvam Gallis Germanice. Qvin & non paucis triste omen habitum fuit, magnam Europæ partem illecebris tam idiomatis, qvam moris Gallici velut fascinari; qvod & ratio, & exempla arguant, qvod qvi alterius nationis lingvam, moresqve propriis præferant, viam velut ad sui subjugationem munire videantur. Unde nec mirum esse, Gallos tanto fastu intumuisse, velut persvasos, penes se summam rerum per Europam fore, postqvam linguam suam effœminatã, formasqve vestium, ac ab aliis tantopere æstimari perspiciant. Qvibus & solitum sit velut singularem prærogativam natalium suorum jactare, qvod id honoris sibi contigerit, ut nati Galli, & Regis maximi subditi sint; cum nulla natio tota Europa, ni forte Moscos excipias, domi addictius serviat. Sed Galli cum neqve usu linguæ suæ desistere vellent, ac Deputati Latinam lingvam exposcerent, *Replicam* suam latine concipiebant, *rubrica* tamen gallice superscripta: cui tamen nec dies, nec nomina legatorum Gallicorum addita erant; & qvam non Cæsareis legatis, sed Bavarico tradiderant. Unde Cæsarei id scriptum rejiciebant. Aliud inde Galli scriptum formabant, omissa inscriptione; cujus loco ponebant *Translatum*, & in fine *pro Translato*, adpositis suis nominibus. Qvod & ipsum Cæsarei redhibebant, eaqve vocabula dispungi volebant, ac ut verum avrographum tradatur. Saltem ne ad hasce tricas negotiatio adhæresceat, addendum esse, *in forma autbentica*; tum deinceps non nisi latina lingva uterentur. Id qvod Galli adspernabantur, negantes qvoqve, se apographum suæ replicæ amplius pro suo agnoscere. Mox & nova difficultas surgebat, qvod, cum Moguntinus nomine Deputationis ad conventum Ratisponensem super actis referre 1682. vellet, Austriacus, Bambergensis, & Hanoveranus tolerare nollent, ut eo scripto Electoralibus Excellentiæ vocabulum tribueretur; eoqve adversus eam relationem protestabantur, ac eidem sigilla sua adponere abnuebant. Qvæ res effecit, ut Deputationi nova mandata Ratispona transmitti non possent; ipsis Gallis inania ista è medio amoveri postulantibus, si serii qvid agere cordi sit, qvod alias sua Francofurti præsentia inutilis sit. Nec eo minus inter litigia ista tota æstas in Septembrem usqve nullo fructu elabebatur. Cæterum circa Gallorum propositionem Elector in Gallia monuerat, qvia Cæsarei tanta cum invidia eam differant, qvod dictatorio modo leges Imperio præscribantur; ut Rex mitigandæ isti declaret, talia se ob securitatem Germaniæ proposuisse, ac ut in antecessum declaret, qvænam loca redditurus sit. Sed Croisius respondebat: de his locis nil sibi constare; ac par esse, ut ejusmodi designatio ab iis fiat, qvi injuriam sibi factam qverantur. Modum qvoqve à Rege circa propositionem adhibitum esse brevissimum, ac nullis cavillationibus obnoxium.

§. 49. Ad eum conventum ab Elector hortatu Collegarum mittebatur Melchior Rucqvius, penitius inspiciundis, qvæ ibi agerentur. Huic Galli post Deputatorum ad ipsorum propositionem responsum dicebant: *Regem ad restituenda post discessum suum occupata non teneri, nisi Imperium factam propositionem acceptet. Si Monasterienses, Norimbergenses, & Neomagenses tractatus fundamentum, & norma hujus congressus constituatur, ac ad istam omnia examussim decidenda sint, disceptationem intra dimidium seculum absolvi haut posse. Se qvidem immensum istud pelagus haut qvidqvam descensuros. Qvæ Rex occuparit, & alias adqvisiverit, jure belli, & factæ cessionis possidere. Qvod omnes reuniones non prius factæ sint, culpam iniqvitati temporum, ac negligentiæ regiorum ministrorũ, præcipue Ducis Mazarini, Alsatiæ tunc gubernatoris, tribuendum. Esse Regi in promtu LXXX M bellatorum, qvi protinus, atqve ipsi in mentem venerit, qvo placuerit movere se possint. Eidem qvoqve integrum esse, si aperto bello initium facere nolit, reuniones, ac dependentias continuare. Denique meliores conditiones, qvam propositione contineantur, non sperandas; duriores facile fieri posse, qvod mora Regi admodum damnosa sit. Unde nil aliud superesse, qvam ut, si pax placeat, propositio sine exceptione admittatur. Exhibitum responsum sine dubio gravi bello ansam daturum.*

Electoris ad conventum Francofurtensem missio. 11. Aprl.

Su-

1682. Super lingva Galli excusabant; se Neomagi scripta sua gallice exhibuisse; ac licet Cæsar, & Ordines Imperii ad Regem semper Latine scribant, hunc tamen semper Gallice respondere. Ac se heic primam propositionem gallice exhibuisse, qvæ à Cæsareis acceptata sit. Sed Cæsarei reponebant: præterqvam qvod antiqvus usus in aprico sit, Monasterii utiqve Latinam lingvam adhibitam. Neomagi Gurcensem eandem exegisse. Sed Stradam ejus linguæ ignorantiam excusasse: Colbertum; sibi usum eam lingvam promte loqvendi non esse, etsi alias eam calleat. Qvi tamen agnoverit, more inter Cæsarem, & Gallum recepto in publicis negotiis non alia qvam latina lingua utendum. Ac Neomagi extra Imperium, & coram seqvestribus fuisse tractatum, ubi qvilibet lingva, qvam præcipue calleat, uti possit. Gallicam propositionem esse velut scriptum extrajudiciale, qvod ante cœptos congressus traditum sit. Sed præsentem replicam se qvidem in congressu haut inspectam acceptasse, ac demum post Gallorum discessum vidisse, eam gallice conscriptam; eandemqve ad Moguntinum misisse, non ut eam dictando pro more communicaret, sed ut super idiomate in consultationem deduceret.

Cum Rosenbergio disceptatio. 11. Maij

§. 50. Aſt Rosenbergius Comes differebat: *Imperii Ordines suo dissidio ipsos exitii causam sibi esse, nec unqvam posteritati suæ excusandos, qvod ipsi jugum in cervices suas attrahant. Falso unum, & alterum sibi blandiri, se inter turbida ista privato emolumento lituturum; qvi sinistre admodum indolem rerum & temporum æstiment, non aliud præsidium destituta in præsens reip. laturi, qvam ut inter postremos periturі sint. Pudore obrui Teutonicam nationem toto coram orbe, qvod tantam injuriam, & insolentiam, qva nunc Galli eandem insultant, tam deformi cum patientia toleret, ac tam contumeliosas pacis conditiones, qvales Gallus impingit, acceptandas judicet, tanqvam bello subacta, & Gallus victoribus victam precario debitura. Gallorum summum jus, ac validissimam rationem eo verti, ut qvid opportunitate, & commoditate ipsis blandiatur. Per præterita satis nos edoceri, qvid circa futura sperandum. Ei maxime, post habitis omnibus respectibus demum cum Gallo ad ejus libidinem transigamus, qvem præstiturum, meliore eundem fide qvam hactenus conventa servaturum, ni pari isti exercitus semper in finibus præsto sit? Atqvi cum insatiabilem Galli aliena rapiendi cupiditatem non nisi armis compescere liceat; qvanto melius fore ad tuendam Imperii majestatem, Germanica nationis libertatem, ac tute-*

1682. *dam patriæ jam nunc, ubi tanta vires in promtu sint, extrema tentare, qvam paucos post annos omnia à Gallo subverti conspicere. Esse et non minus incommodorum, atqve onerum, qvam aliis Principibus. Germania statum nondum ita deploratum, uti à nonnullis jactatur; qvi id nunqvam Deo, ac orbis judicio adprobaturi sint. Ista per historiam ad omnis posteritatis memoriam propaganda, ac Electoris gloriæ tot incomparabilibus factis comparata non parum decessurum, qvod in præsens instaurator patriæ, & liberator Imperii audire nolit. Gallo nil aliud propositum, qvam tractatus ducere, qvo interim distractionem animorum Ratisponæ, & passim per Germaniam alat.* Et cum Rucqvius Neomagi acta objiceret, Rosenbergius reponebat: Ista qvidem semper exprobrari. Sed si omnia, qvæ ibi occurrerint sine odio, aut studio exigantur, soli Cæsari culpam impingi non posse. Sane Electorem eodem tempore super peculiari pace clam in Gallia egisse; ac eo jam rem rediisse, ut ni Cæsar alios prævertisset, tota belli colluvies in eum solum ruitura fuerit. Idem super controversia, qvæ Electoralibus legatis moveatur, dicebat: seipsum suggessisse, ut Collegii nomine literæ ad Cæsarem darentur. Sed huic circumspecte procedendum, ne potentes Principes Brunsvicenses, Bambergensem alios hac tempestate protelet. Alias ingens discrimen inter Electores, & Principes esse. Ac utut gradus dignationis inter Cæsarem, & Electores notorius sit, Cæsarem tamen intuitu Brandenburgicæ Domus facturum, qvæ forte aliis ægre indulturus sit. Nec sibi probari, Austriacos, & Calenbergicum adversus titulum Excellentiæ protestatos. Cui reponebatur: mirum videri à Cæsare permitti, ut Electoribus injuria fiat, ne Brunsvicenses offendantur, qvibus isti debitum honorem non detrahant, nec ut Cæsar eorum rationem sine aliorum injuria habeat, invideant. Nec minus incongruum, Cæsarem pro Electoribus sentire, Austriacum istos impugnare. Ad ista ferocius à Rosenbergio jactata Elector regeri jubebat: *Sibi haut qvidqvam animum esse, patriam externo servitio subjicere, sed eam ab exitiabili collisione, ac dissolutione, qvæ immineat, servare, ejusdemqve publicum statum tutari. Qvo fine ipse aliqvot per annos gravissimas labores exhauserit, nec ulli suarum rerum pepercerit. Sed qvem ipse fructum inde ceperit, & uti hostium libidini expositus fuerit, in recentiori adhuc memoria esse, qvam ut ista oblivioni dari qveant. Exiguo qvoqve solatio sibi esse, qvod non soli Cæsari culpa impingi qveat. Isto tem-*

1682. pore à ſe ſuper peculiari pace actum fuiſſe, falſo dici, ac Cæſareis legatis diverſum conſtare, ac ipſum eventum aliud oſtendiſſe. Qvod autem ipſe ſuaſerit Gallicam propoſitionem amplecti, & hac rerum facie pacem bello præferre etiam cum Argentorati jactura; id factum, qvia pacis commoda incommodis præponderent. Nam Gallum ultro declaraſſe, ſe omnia poſt legatos ſuos Lutetia digreſſos occupata redditurum, nec ulterius qvid occupaturum; qvod ex eo tempore impune facere potuerit: cum Imperio ſtabilem, æternamqve pacem initurum, eoqve fine omnibus præſentibus ac futuris prætenſionibus in perpetuum renuntiaturum; certumqve limitem ducturum, prævertendis in poſterum litibus. Qvæ omnia Argentorato potiora ſint, præſertim cum id jam à Gallo teneatur, non ſine multo ſanguine recuperandum. Unde rationem non permittere, certa qvæ ſuperſunt alea exponere, & tutam, qvæ offeratur, pacem ancipiti, atqve cruento bello præferre. Præſertim cum metus ſit, ni oblata acceptentur, ne Gallus eisdem retractatis protinus in arma

16. Jun. ruat. Iſta cum Roſenbergio in os ingererentur, is valde teſtabatur, ſe nil ſiniſtri de Electore, ejusqve actis ſenſiſſe, aut dixiſſe. Addebat tamen; Imperium nil contra pacem, Gallum plurima enormiter egiſſe; qvi & iſtud intolerabili cum contemtu inſultet. Ejus dependentias demum ad mare glaciale porrigendas, cum utiqve unus locus alteri ſemper vicinus ſit. Eqvidem juſtitiam cauſæ non unicum eſſe, qvod rectoribus rerumpublicarum reſpiciendum ſit; nec eandem tamen inter inania habendam. Auſtriacam Domum ſæpe divinitus gravibus è periculis eluctatam, qva minima ſpes fuerit. Aſt ſi Deus pulcerrimi Imperii diſſolutionem decreverit, eam haut inhibendam, qvicqvid ſubmiſſionis adverſus Gallorum inſolentiam, ac violentiam oſtendatur. Sed qvamdiu ſpes ſit, Germaniam à Deo ad tam duram ſortem haut damnatam, rationis eſſe per maſcula conſilia intentato ſervitio ſeſe opponere. Gemina Stratemannus differebat: *Mirum videri, qvomodo ulli mortalium in mentem venire poſſit, à Gallo tutam, & ſtabilem pacem ſperare. Ea ipſa hora, qva Neomagenſis pax ſubſcripta fuerit, Gallum jam decreviſſe eam non ſervare. Salvo legis Salicæ commento, ac reunionum fundamento nullum Galliæ Regem vel minima prætenſioni, qvæ iſti corona qvo jure qva injuria tribuitur, renuntiare poſſe, inani Regum eo nomine dejeratione. Si cautum eſſe qveat, à Gallo conventa ſervatum iri, ſe qvoqve autorem fore, ut pacis cauſa non ſolum ea, qva Gallus per injuriam, ac violentiam occuparit, cedantur, ſed & ſuperpondii qvid addatur. Enimvero Pyrenæam pacem à duobus Regibus jurejurando firmatam eodem momento à Gallo infractam. Aqvisgranenſem præter jusjurandum triplicis fœderis ſponſione fuiſſe munitam. Gallum tamen non omiſiſſe omnes artes adhibere, qvoad id fœdus diſſueret. Neomagenſem ad placitum Galli factam, & ab Imperio exſecutioni datam non ſine ſua ignominia. Idem injuſtiſſimas ejus violationes diſſimulaſſe, idqve ipſum magno ſuo cum dedecore. Num meliora ſperanda, ſi maxime nunc novi tractatus Francofurti fiant? Potiusne præteritorum memoria metuendum eſſe, ſtatim atqve Germania arma exuerit, novas prætenſiones in lucem prorepturas; nec Gallis cavillationes, & ſubtilia prætexta unqvam defore. Nec eſſe, qvod idonea magis tempora expectentur. Si Gallo ea, qvæ jam occupavit, octavam fere Imperii partem facientia, relinqvantur; in ipſius poteſtate fore de reliqvis ad Albim uſqve, & Danubium pro lubitu diſponere. Unde in Germania per alacrem conjunctionem adverſus talia mature ſe muniat, nil aliud ſuperfore, qvam ut Electores, & Principes Gallo Romanam Coronam deformi cum ſubmiſſione offerant. Ac tunc mox adpariturum, qvo loco Electorum, ac Principum faſtigium ſit futurum. Et Gallum, ubi ſcopo ſuo potitus fuerit, non minus invido oculo Brandenburgicæ Domus opes adſpecturum, qvam alii eo nomine arguuntur. Et qvemcunqve vultum nunc Gallus adverſus Speciam oſtendat, mox ad veteres artes rediturum, eandemqve Electori à tergo immiſſurum. Qvicunqve tamen eventus ſeqvatur, Cæſarem qvantum penes ſe feciſſe.*

1682.

§. 51. Interim Francofurti utraqve pars data opera id agebat, ut nil ibi perficeretur. Nam Galli negotium Ratisponam pertrahi malebant, ubi plus adplauſus ſibi ſperabant, qvod Francofurti Auſtriaci prævalerent. His qvippe ſtudebat Saxo, Bambergenſis, Vinarienſis, Callenbergicus; cum ſolus Moguntinus, & Lauterenſis in Gallos proni eſſent. Ut tamen Galli Germaniam terrore afflarent, copias ſuas verſus limitem procedere jubebant, mandato ducibus dato, ne qvem offenderent, nec extra Gallicum territorium progrederentur. Sed ſi qvis Electorum, ac Principum pacis cupidorum opem eorum adverſus aliorum vim imploret, eam promte ferrent. Contra & Cæſarei tempus extrahebant, qvod ſpes foret inducias cum Turca prorogari poſſe. Unde & lis ſuper cerimoniis in ſuſpenſo manebat; ac jactabant Cæſarei; ſe ab initio Electoralibus ſuggeſſiſſe, ut ſua poſtulata Viennæ urgeant. Id qvod hi non

Francofurti operæ ludibrium.

19. Jun.

fece-

1682. fecerint, ac contra Gallos primo loco inviserint. Tum isthanc Deputationem merito considerandam juxta cerimonias Ratisponæ receptas; ubi Electorales qvidem initio à primario Cæsaris Commissario dextram manum, & titulum Excellentiæ prætenderint, sed eo postulato destiterint, qvo honore nec in hunc diem potiantur. Et qvod majus sit ipsos Verjo, cui legati dignatio non sit, tam intra proprias ædes, qvam extra eas loco cedere. Alias à Cæsare semper debitam Electoribus prærogativam defensum iri; ac Luneburgicos æqvalitatem urgentes repulsos fuisse. Nec Austriacos cum reliqvis Principibus causam communem facturos, velut qvi multis prærogativis tam intra qvam extra Imperium gaudeant. Austriacam legationem id duntaxat declarasse: è recepto usu probari non posse, Austriacos Electoralibus ad tribuendum Excellentiæ titulum teneri. Ad ista Rucqvius: *Excellentia vocabulum primum ex Hispania in Italiam, & Galliam, inde in aulam Cæsaream, ac demum ad tractatus Monasterienses delatum, cum antea in Imperio ignotum foret. Unde nullo jure ab Electoribus exigi, ut stabiliendæ suæ pretensioni antiqvum usum probent. Super cerimoniis indies novos casus emergere, qvi è paritate rationum decidantur; & qvæ nunc nova habeantur, olim inter exempla fore. In ipsa aula Cæsarea, si res ad unqvem exigatur, multa cæsura, si omnia exemplis antiqvis deducenda sint. Primam visitationem Gallis delatam non in fraudem reverentiæ Cæsari debitæ; sed qvia Cæsaris antehac concessa abnuerint. Deputationem hanc à conventu Ratisponensi haut dependere; ac pacis negotium certis Electoribus, ac Principibus commissum, qvi ministros suos debito charactere insignitos huc miserint; eoqve haut necessum esse Ratisponenses cerimonias ex asse imitari.* Inter qvæ Cæsarei palam Moguntinum illegitimi in Gallum studii arguebant, indies magis minuente spe, aliqvod operæ pretium Francofurti faciendum. Unde & Elector recte svadebat, ut eo conventu dextre soluto negotium Ratisponam remitteretur; præsertim cum in hac Deputatione suffragia viritim, non curiatim considerarentur. Id qvod Electorali Collegio non modicum præjudicium adferebat, qvod civitatum delegati tantundem valituri essent, atq; Electorales, ac Cæsari semper de majori parte cautum foret. Galli autem cum perspicerent, heic se destinata sua non obtenturos, gaudebant, Deputatos inter se dissidere, ut, si conventus re infecta solveretur, apud Anglos, & Belgas à culpa se immunes jactare possent. Etsi iidem haut inficiarentur, hucusqve progressum negotii se sufflaminasse, qvod satis constaret, Cæsareos à se proposita non acceptaturos, anteqvam res Hungariæ in aliam statum pervenerint. Unde ne postulata sua palam rejicerentur, ac sibi culpa abruptæ hujus tractationis impingeretur, è re judicaverant, à Moguntino concluſum suspendi; super qvo tantus strepitus excitatus fuerat. 1682.

§. 52. Sed nec Ratisponæ aliqvod operæ pretium ad summam rerum fiebat. Eqvidem Verjus procuratorium acceperat ad publice cum Ordinibus tractandum; simul his factam Francofurti propositionem communicabat, multis verbis Regis sui in pacem studium extollens. Idem qvoqve postulabat, ut super scripto suo consultatio institueretur, ac laxis duntaxat verbis decretum fieret. Ordines pacem non aversari, sed omni idonea ratione desiderare. Plura se in præsens non postulare; ac reliqva Francofurti perfici posse. Ac ut Gallus specimen ederet, qvantopere sibi salus orbis Christiani cordi esset, statim atqve Vienna, & Constantinopoli certo intelexisset, Turcas utiqve pacem cum Cæsare abrupturos, laxius obsidium Lutzenburgo circumpositum solvebat, ac Anglo arbitriũ omnium controversiarum, qvæ sibi cum Hispano intercedant, deferebat; ne, qveis arma Turcæ opponere necessitas imperet, exprobrare possent, per Gallum sibi non integrum esse omnes vires contra istum vertere. Sane & Croissius differebat: *occasionem jam Regi fovere postulatis suis pervincendis. Sed eundem indignum gloria sua ducere, è Turcis emolumentum aliqvod captare, qvibuscum nunqvam vinculi aliqvid contrahere voluerit. Ac Cæsarem si sapias ansam inde arripere posse hoc negotium finiendi, ac insignia sibi à Rege auxilia contra Turcas stipulandi.* Qvæ honesta sane oratio ab imperitis magno plausu ferebatur, velut generosi admodum animi specimen. Sed rerum periti facile ludibrium agnoscebant. Nam revera id fiebat, qvia Anglus denuntiaverat, si Gallus obsidium continuet, aut vim cominus admoveat, sibi Parlamentum convocandi necessitatem imponi, ubi Eboracensis causa circa successionem ad regnum valde periclitatura sit. Cæterum qvia fama erat, Gallum morarum pertæsum copiis suis injunxisse, ut Rhenum versus progrederentur, Elector legatos suos Ratisponæ cum iis consilia conferre jubebat, qvi pacem obtabant, ac summa vi conniti, ne res in bellum erumperet, denuntiato, se damni, qvod inde sibi provenerit, repa-

Ratisponæ alia.

31. Mart.

11. Mart.

1682. rationem ab iis exacturum, qvi pacem impediissent. Contra Saxo censebat, prius in genuinum sensum Westphalicæ, & Neomagensis pacis inqvirendum, ut constet, qvid revera Gallo juris competat, & qvid minus. Qvod uti in se iniqvum non erat; ita hæc tempora istas moras non patiebantur. Sed & Cæsarei negotium pacis non nisi Francofurti tractari volebant, qvod nossent Electorem Ratisponæ prævalere, ubi & in Collegio Electorali qvinqve sententiæ conspirabant. Ac causabantur isti, Cæsari per legem regiam nefas in ejusmodi lacerationem Imperii, qvalem Gallus velit, consentire. Enimvero cum partes eorum, qvi pacem servari studebant, gliscer[illegible] ret, qvibus è Principum Senatu totus Circulus Svevicus, Cellensis, Durlacensus, Hildesiensis, Monasterientis adstipulabantur, Bavaro qvoqve sat moderatum se exhibente; & tamen pleriqve mussitarent: 26. April. Jena sub sperati nomine Ducatus Magdeburgici pro sententia dicebat, qvæ præsenti tempori qvadrarent. Qvam sententiam post Elector probabat, vulgariqve jubebat.

Sententia Magdeburgica.

§. 53. Eam sententiam, qvia vario rumore dilata est, prout cuiqve in partes studium fuit, integram adponere placuit. Jena igitur, de necessitate præfatus, qvæ mentem suam de republica exponere sine mora jubeat, differebat; *in eo omnes conspirare, ut pax servetur, ac duratura securitas in Imperio stabiliatur. Super modo forte sententias discrepare, sed qvæ facile conciliari qveant. Electorem diuturno, ac laborioso regimine omnem curam eo præcipue retulisse, ut corpus Imperii, ac recepta Reip. forma conservaretur, è qva & singulorum Ordinum salus pendeat: tum ne ejusdem qvies intus, & per exteros turbaretur, aut qva concussa fuerit, solide instauraretur. Si anno LXXI, & sequenti, neglecto qvod amplum offerebatur privato lucro, hoc, & alibi publice, ac privatim connixum, ut ea, qva tunc Germania gaudebat, pax salva perstaret, bellum procul haberetur. Ast uti antea bellum, ita anno septuagesimo octavo separatam, qvæ tunc agitabatur, pacem dissvasisse; & cum hanc, atqve fœderatorum disjunctionem inhibere non valeret, saltem in ejus partem venire noluisse; præsertim cum pro sua prudentia istius fructus, qvi nunc adparent, ominaretur; idqve sermone, & scripto passim testatum. Qvibus de causis anno 72. bellum in Germania excitatum, & qvos ob respectus anno 79 pax, ejusqve ratihabitio accelerata sit, in vulgus notum esse; nec minus qvantum damni Electoratui civibus, ac terris illatum fuerit. Qvam præsens silentio transire præstiterit, qvod multa odiosa dictu intervenerint, nec facta infecta reddi qveant. Ista eo duntaxat fine adduci, ut adpareat, Electorem semper privata commoda post publicum bonum habuisse, ac sepositis affectibus veras reip. rationes secutum, ac de eventu rerum ita in antecessum judicasse, ut per hunc ejusdem consilia, monita, atqve præsagia comprobata fuerint, etsi irreparabili cum Reip. ac multorum Ordinum damno. Unde spem esse, qvemlibet patriæ amantem præsentia Electoris, ac futura consilia, velut ad singulorum, & totius reip. salutem tendentia, citra affectus liqvida cum ratione expensurum, eisqve plus qvam antea loci daturum. Uti igitur is anno 79 invictis rationibus demonstratum erit, bellum tunc juncta vi tamdiu continuandum, qvoad aqva, tuta, & communis pax obtenta foret: ita nunc censere, novum bellum Germaniæ periculosum, noxium, supra ejus vires positum; eoqve omni modo declinandum. Ac si præter spes res eo eruperit, Electorem non magis in ejusdem belli, qvam pacis Neomagensis partem unqvam venturum. Id qvod nemo, qvi præterita rite expenderit, ipsi vitio versurus sit. Atqve hanc sententiam eum non nuper, sed statim post Neomagensem pacem deliberato animo concepisse, ac judicasse, pacem utiqve cum Gallia colendam. Eqvidem nil optatius ipsi fore, qvam ut Imperium in pristinum statum, atqve autoritatem reponi possit, qva ante aliqvod secula floruit. Nil eidem luctuosius, qvam idem imminui. Enimvero consilia capturis proprias vires, opes, paratus, ejusqve, qvi cum negotium sit, probe noscendos ac inter se librandos. Electorem injurias caritati patriæ condonaturum, ac oblivione sepulturum fœdam istam, & noxiam pacem Neomagensem, ejusqve ratihabitionem, insuper habitis ejus monitis, & protestationibus properatam; se qvammaxime circa tondendos patriæ hostes satagentem destitutum, ac libidini Gallorum expositum, occlusa ad propriarum ditionum defensionem via, contra eadem traditis tot oppidis ad ipsum invadendum munita. Si itaqve virium affatim foret, citra operosam consultationem caritas, ac obligatio erga patriam cuivis suggestura erat, qvid facto opus sit. Ast qvem non perspicere, cui præsentis temporis arma, & consilia in Germania cognita sint, hanc qvidqvam adesse idoneas vires, qvæ tam potenti, ac probe instructo Regi opponi qveant. Robur Imperii distractum, nullibi veteranos, ac probe digestos exercitus, paucos spectatos duces: qvæ omnia apud Gallum abunde sint. Insuper exitiabilem inter membra ejusdem reip. dissidentium gliscere. Qvanti exterorum auxi-*

1682.

lia

1682. *lia Germaniæ constiterint, & quis inde fructus promanarit, in recenti memoria esse, sic ut merito istis occasio præcludenda sit, per quam se rebus Imperii ingerere queant. Et quod maximum sit, ob turbas Hungaricas, & imminens à Turca bellum parum auxilii à Cæsare expectandum videri. His, aliisque rationibus Electorem permotum credere, posteritati haut quidquam adprobandum, si hac rerum facie quod superest fortunarum periculo exponatur, ac res ad anceps bellum deducatur. Equidem posse eum non minus quam aliorum quempiam spectare, quo res evasura sit; ac forte minore cum periculo, quam eos, qui imminenti irruptioni proximi agunt, otiosum desidere. Sed quia acceleratio tractatuum, ac liquida declaratio urgeatur, ac elapsa semel temporis opportunitas revocari nequeat, ac mora plus periculi paritura videatur, eundem officii sui duxisse monere, ut citra dilationem ad Galli propositionem declaratio fiat, qua bellum declinari possit, ne patria novis flammis corripiatur, extremum exitium allaturis. Unde tanta eum solicitudo urgeat, facile agniturum, cui status Germaniæ, ac totius negotii indoles perspecta sit. Id nunc in quæstione esse, num hac tempestate certa spes concipi queat à Gallo in potestatem redacta loca recuperandi? Num spes amissa recuperandi liquidior sit, quam periculum plura amittendi? An non potius cogitandum sit, ut quæ supersunt Imperio, ejusque status conservetur, quam ut omnia Martis aleæ exponantur, quæ ubi secus ceciderit, ruinam patriæ, ac dissolutionem status publici paritura sit? Quid ad ista respondendum, præsentem rerum conditionem facile suggerere. Sane longe melius Imperium, ac multos Ordinum armis instructos fuisse, quando acceleratio qualiscunque pacis unicum quod supersit remedium servandæ patriæ jactabatur, idque neglectis quæ contra movebantur rationibus non sine impetu arripiebatur: contra bellum continuare supra vires Imperii, & ejus ruinam post se tracturum habebatur; quod & fidissimis, a fortissimis fœderatorum destitutis deserebatur. Atqui tunc egregios duces fuisse; exercitum bene compositum, ac vincere suetum; integras provincias, ac invictas antea urbes vi subactas; præcipua flumina, quæ ex Germania mari infunduntur, in nostram potestatem redacta una cum ostiis, ac portubus, nunquam vi manibus nostris iterum extorquendis. Cur ista omnia gratis condonata? Cur non saltem Alsatia, & alia dubia eo pretio redemta? Equidem tunc invidiam intervenisse, à se non asseri: licitum tamen esse, quæ verbis dissimulentur, cogitare. E diversa parte tunc Argentoratum, è quo Alsatia, Burgundia, Lotharingia infestari poterant à X M militum, præter armatos cives insessum, ac omnibus necessariis instructum fuisse. Juxta adstitisse Cæsareum exercitum, veterano milite ac egregiis ducibus spectabilem. Fœderatos potentes, atque continuis belli laboribus indefessos. Imperium magis quam unquam cum Cæsare, & inter se unitum. Et tamen tunc omnes terrore afflatos clamasse, nullam in armis salutem; ac utcunque pacem occupandam, arreptis quæ dictabantur conditionibus. Nunc maximi momenti fœdera dissoluta. Præstantissimos fœderatorum, & qui ad extremum perstiterant, Galli amicitiæ innexos. Magnam partem fortissimorum militum exautoratam Gallico sacramento accessisse. Argentoratum, tanti in utramque partem momenti locum, Gallicæ ditionis esse, validioribus quam antea munimentis. Germaniam nunc debiliorem, Galliam valentiorem accessione Burgundiæ, ac tot in tractu Rhenano, ac Belgii locorum. Hujus fines validissimis munimentis firmari. Num eas provincias, ac tot munitas urbes pari facilitate recuperandas, quæ amissæ sint? Esse porro Gallo exercitus ad iter ingrediendum paratos; esse annonæ, ac instrumenti bellici vim hinc inde degestam; esse pecuniam, cui in negotiis humanis tanta vis; esse fidos, & cordatos ministros, promta consilia, impigram exsecutionem. Et quanti ipsum Regem esse? Si ad bellum res deducatur, brevi, & antequam vires opponi queant, plus amissum iri, quam intra seculum recipi queat; de quo Circulus Suevicus non injuria metuit. Carolum V, & sequentes Cæsares Metim, ac aperta oppida Tullum, & Virodunum recuperare non potuisse, etsi ex eo tempore Gallia sæpius duris rebus, ac intestinis turbis conflictata sit. Num tam validas urbes hoc Rege expugnabimus, cujus laudibus dicendis ejus nationis ingenia fatiscunt? Ac ut forte vires Germaniæ non desint; deesse tamen unanimia consilia, & studia, mutuam confidentiam, ac necessariam conjunctionem. Per pacem animos immensum distractos, & suspicionibus efferatos, postquam plus satis innotuit, quo intuitu Neomagensis pax, ejusque ratihabitio tantopere festinata fuerit. Unde nemini non scrupulum injectum, ut sibi caveat, nec verborum blandimentis confidat. Sed & raram inter tam multos constantiam. Aliquos tributorum, aliorumque belli incommodorum tædio capi; quibusdam vires eadem diutius tolerandi decedere: nonnullos obtentu necessitatis neutrum statum, aut pacem aucupari. Alios de hostibus juxta, & amicis queri, aut de aliis Statibus, per quos hibernis, stativis, aut tributis onerantur, ac inter arma leges examussim servari velle. Quis porro successus circa ærarium militare Imperii, totumque exerci-* 1682.

tus

1682. *tus publici paratum fuerit, acta publica loqui. Ac in universum, ubi multa mediocres potentiæ adversus unam validiorem sociatæ bellum gerant, id vinculum vix ad diuturnitatem valere. Fœderatos Smalcaldenses cum CXXX M militum adversus Carolum V. in expeditionem prodisse. Sed quam brevi tempore tantam molem dissipatam, aut victam evanuisse? Decantatam illam Unionem plus noxæ, quam præsidii sociis attulisse. Scilicet multos ejusdem conditionis facile consiliis discrepare, scrupulos movere, suspicari, lentis consultationibus agendi tempora terere, unum alteri obstare, ipsa multitudine in confusionem prona, ni superioris autoritate contineatur. Sic è multis compositæ fœdera, ubi uni vel alteri fortuna insigniter faveat, per invidiam, aut si cui clades incubuerit, per metum dissolvi. Unde experientia monente caute procedendum, & quid conditio reip. ferat, debite expendendum, nec temere in pericula ruendum. Germanicam remp. paci quam bello aptiorem, quæ ultra hominum memoriam ne vicum quidem adquisiverit, sed integras provincias, & insignes urbes amiserit. Sed tadiosis magis quam jucundis monitis finem imponendum; quæ tamen ob patriæ salutem dissimulanda non fuerint, ac sine metu dici potuerint, velut jam toti orbi nota. Fidum Senatorem candide oportere monere, quæ noxia videntur, quamdiu ista adhuc declinandi tempus sit. Adulando, silendo, inani spe aut affectibus indulgendo publicis malis medicinam haut fieri. A Gallo oblata in se dura quidem, sed si præsentem Germaniæ habitum consideres, haut repudianda. Sane Imperio consultius aliquid, quod Gallo jam in manibus est, relinquere, quam totum corpus exitiabili bello involvere, plenam dissolutionem, ac mutationem præsentis status minitanti. Ac in eadem sententia plerosque Electores & Principes esse, etiam illos quorum maxime interest. Sane temporibus sese accommodare sapientum haberi, postquam ista ad nostrum se placitum componere adspernantur. Flectendum, si frangi nolis. Generosos magis, quam utiles spiritus aliquando comprimendos. Ut corpus servetur, immedicabiles artus rescindi; quæ jactura non impedit, quo minus ejusmodi homo ingenio, existimatione, & opibus gliscat. Civitatum decus, & robur non sola finium latitudine mensurari. Denique è duobus malis imminentibus minus eligendum; & si quæ cupimus obtinere nequeamus, cupienda, quæ obtineri possunt. Ultra vires qui niti contendunt, rumpi. Etiam cura, & labore, quin & fortuna opus esse ad exsequendam causam, cui sat paratum, ac sufficientem sese quis crediderat. Ac si nunc male, non semper ita fore, & serius ocyus mutationem expectandam. Nationes, regna crescere, decrescere, ac omnium rerum quendam orbem esse. Igitur quia bellum pace Neomagensi finitum est, ea standum, ac Imperio quietem, securitatem, & usum suorum jurium, civibus respirationem à malis, ac virium refectionem non invidendam. Per pacem Ordinibus autoritatem, honorem, fortunas, usum suorum jurium, ac redituum constare. Ubi bellum ingruat, multa horum, quandoque omnia deficere, ac in eorum locum diversa omnia succedere. Verbo, in præsens pacem optimam Germaniæ rerum esse. Atque ista hæc probe deliberato animo, ac bona fide suadere Electorem, qui per quadraginta amplius annos imperium tractavit, & cum quatuor fortitudinis laude insignibus Regibus, tribus bellicosis nationibus bellum gessit, ac apud amicos juxta, & hostes toto orbe famam, decus, laudemque immortalem sibi peperit: quique non è vagis relationibus, aut alieno consilio pendet, nec metui, invidiæ, aut aliis affectibus obnoxius agit. Cui & debita Cæsari reverentia constat; quem & antequam hic eo fastigio potiretur, fœderatum habuit: quem denique indefessa reip. cura exercet, cui fortuna sua sane haut modice sunt innexa.* 1682.

§. 54. Isthæc tanta cum libertate prolata multi laudibus ferebant. Sed quibus ea displicebant, diu mussitabant, donec aliquot post menses Austriacus eandem publice non leviter perstringeret. Eam tendere ad deprimendum Imperium, extollendum Gallum, ejusque opes, ac ut septima fere Germaniæ pars cum Argentorato, claustrisque Rheni eidem concedatur. Francofurtensem congressum instituturum discutiendis querelis, ac fundamentis prætensionum ex Instrumento Pacis: nunc Gallo faveri, præter omnem rationem erepta retinere cupienti. Falso causam, ac invidiam præteriti belli in Cæsarem devolvi, cum Elector quam maxime hunc stimularit ad arma contra Gallum arripienda. Pacem Neomagensem haut quidquam præcipitatam; sed postquam Belgæ, ac Hispani à fœdere discessissent, ac ipse Elector nulla prævia communicatione Meindersium in Galliã miserat, peculiarem pacem oblaturum, Cæsarem instantibus sex reliquis Electoribus, ac plerisque Ordinum eandem defugere amplius non potuisse. Eidem fas non fuisse, tutandis ab uno & altero per bellum adquisitis, ad quod nullo tractatu se obstrinxerat, oblatam à Gallo instaurationem Westphalicæ pacis, & quietem Imperii repudiare. Sat facultatis Electori, ac Daniæ Regi præbitum fuisse pariter

Sententia Austriaca huic opposita. 29. Sept.

ter

1682. ter cum Cæsareis tractandi. Eo fine Cæsarem Gallo Friburgum cessisse, qvo Elector lautiores sibi conditiones paciſci posset. Eam pacem ab Imperio probatam; nec animo concipi posse, qvomodo isthoc per istam in ejusmodi confusionem conjectum sit, ut ad vim propulsandam non amplius sufficiat. Inde deducebatur, Gallicam propositionem utriusqve Pacis Instrumento, ac omnibus antegressis testationibus adversam, Imperio noxiam, Cæsari intolerabilem, posteritati detestabilem, toti nationi Germanicæ contumeliosam. Et si maxime in eam consentiatur, nil securitatis præstare; qvod Gallis semper inolitum fuerit aliena invadere; ac cumprimis præsentis regiminis unicum scopum esse fines proferre. Eandem propositionem profiteri, Gallo plures cis & trans Rhenum prætensiones esse, non expresso, num ex utraqve pace, an ex fictitio jure Caroli Magni, Dagoberti, aut aliorum promanent. Et si maxime præsens Rex qvam solennissime additis sexcentis juramentis, atqve exsecrationibus renuntiet; provocari tamen ad legem qvampiam à ratione alienam, ac cum summa exterorum injuria conjunctam; bona Coronæ esse inalienabilia. Eoqve inania esse, qvæcunqve cum Gallis super ejusmodi rebus tractentur. Gallis libidinem ad aliena invadenda gliscere, qvo magis alios viderint injuriis tolerandis paratos. Tanta accessione vires Galliæ augeri, Germaniæ imminui; ac huic deinceps unice ab istius placito pendendum. Sed nec fas esse uni Statuum alterum tali modo in victimæ piacularis vicem adhibere, ac in externum servitium conjicere. Qvin ne volentibus qvidem Ordinibus licitum esse seipsos alteri in ditionem tradere. Cæsarem lege regia teneri non solum nihil cedere, sed & erepta Imperio recuperare; qvo fine Ordines opem conferre teneantur. Gallum in destinatis suis obfirmari, si jactetur, ista membra pro toto corpore immolanda; nec eam communem Imperii causam faciendam. Nam si unus Ordinum alterius defensionem suscipere non teneatur, eo ipso Imperii compagem dissolvi. Frustra dici, hoc modo Germaniæ perpetuam pacem parari posse. Ubi enim cautionem esse? Manum, verba, sigilla, jusjurandum, limitum positionem inania esse, & invalida contra eum, qvi ambitioni suæ limitem ponere nescit. Nullam renuntiationem validam esse, ubi semel Coronæ Gallicæ persvasum sit, qvalecunqve sibi jus qvæsitum esse. Aliorum Principum interpositas sponsiones lubricas esse, & in alieno arbitrio positas. Ne unum qvidem tractatum pacis adduci posse, qvi 1698. hoc Rege imperante servatus sit. Neomagi inter Hispanos, & Gallos firmando limiti continuam seriem munitarum urbium constitutam: omnibus Principibus permissum pro ea pace sponsionem interponere; & tamen eodem fere anno, qvo pax concludebatur, omnia subversa fuisse. Frustra à Gallis jactari, pacem nunc magis perspicuam, & controversiæ expertem reddi posse. Atqvi hactenus nil repertum, ubi fraudi color juris, & illecebræ qværi non potuerint. Qvid clarius, qvam qvod pace Monasteriensi super Landgraviatu Alsatiæ dispositum est, ubi decem urbes diserris verbis à Gallica ditione excipiuntur; ac Gravellum suscepto Ratisponæ compromisso solennissime declarasse, in earum immediatum statum nil prætendi posse. Et tamen Gallum istas, ac plura alia nullo alio titulo sibi subjecisse, qvam qvia ita placet. Libenter agnosci, Imperii constitutionem magis paci, qvam bello idoneam. Libenter qvoqve Gallo concessum iri, qvæ jure prætendere possit. Ast absqve causæ discussione, nullo pactorum, & justitiæ fundamento tantam, ac tam nobilem Imperii partem cum tot fidis Ordinibus in servitium conjicere; id vero leges, dignitatem, existimationem, securitatem, libertatem Teutonicæ nationis haut permittere. Omnia potius viris fortibus, qvam servitutem, & turpitudinem ferendam. Esse qvoqve cumprimis cavendum, ne cum Gallo sæpius tractatus suscipiantur, velut qvi semper jacturæ ansam præbeant. Ac eandem ob causam Cæsarem à Westphalica pace discedere nolle, ac novam cum damno ac dedecore Imperii inire. Nam ubi hæc via semel ineatur, tractatuum nunqvam finem fore, donec subinde imminuta Germania demum miserando servitio absorbeatur, aut minore qvam nunc paratu ad arripienda arma compellatur. Gallum ubiqve testari, se à Monasteriensi, ac Neomagensi pace non discessurum. Nec dubitandum, si Elector, & pauci alii, qvi peculiares ob respectus cum Gallo conspirant, eumqve in asserendis pacis violationibus obfirmant, cum Cæsare, ac reliqvo Imperio consilia, viresqve conjungant, ac eam operam unicendis Ordinibus, qvam iisdem distrahendis, ac persvadendæ tam fœdæ pacis acceptationi impendant; Imperium protinus in unanimem sententiam circa communis salutis, ac libertatis defensionem coalituram. Et qvia spper communibus Imperii armis jam conventum sit, sub clypeo absqve ulteriore jactura pacem cum Gallo ad

1682. normam priorum tractatuum ſtabiliendam. Eam unicam eſſe cautionem ſervandæ cum Gallo pacis; ac ut hic tandem aliqvando agnoſcat, Cæſari atqve Imperio cordi qvidem eſſe factam pacem bona fide ſervare; ſed nolle ſingulis annis novam ſibi pacem extorqveri, aut qvasvis Galli injurias tolerare.

Electoris contra hanc ſententiam vindicia.

§. 55. Huic ſententiæ, qvæ multis acerbis, atqve altius penetrantibus, ac partim male fundatis, partim ad rem nihil facientibus ſententiis ſcatebat, Jena protinus contradicebat; ac Elector haut parum eadem offenſus deduci jubebat: *Satis ſe noſſe, qvid reverentiæ Cæſari debeatur; ac uti ipſe ad iſtius dignitatem, qvod & idem agnoſcat, plurimum contulerit, ita ſe nunqvam officium, qvo eidem teneatur, oblivioni traditurum. Nec minus juratam Imperii obligationem ſibi perſpectam. Eſſe ſe inter Cæſaris, & Imperii intimos Conſiliarios, nec unqvam Deo, & patriæ adprobaturum, ſi tam periculoſo hujus ſtatu, in qvam per pacem Neomagenſem, ac alia ſiniſtra fata præcipitavit, ſuam ſententiam in publico Ordinum conſeſſu candide haut exponat. Cæſarem id a privatis ſuis Conſiliariis tolerare; & in Comitiis vel inſimo Ordinum integrum eſſe ſententiam, prout ex uſu reip. judicat, publice dicere. Cur idem ſibi vitio vertatur? Qvod tenues publicorum armorum paratus ac conſiliorum Imperii debilitatem expoſuerit, optare, eo ſe potuiſſe ſuperſedere; nec minus omnia ita inſtructa, ut nec ab Oriente, nec Occidente qvid adverſi metuendum ſit. Enimvero toti ſe orbi ludibrium debiturum, ni tales ſententias dicat, ac qvæ in oculos omnium incurrunt, aliter qvam revera ſint, proponat. Sublimi Cæſaris perſonæ, ac debito honori nil detractum. De Galli potentia, & armis haut qvidqvam in majus auctum. Futuru, incertisqve caſibus conſilia ſuperſtrui non poſſe, ſed ea procaptu rerum, & temporum, prout hæc divinitus diſpenſantur, moderanda. Qvæ de Galli deſtinatis, ac lubrica fide otioſe adducuntur, in medio ſe relinqvere; nec opus habere iſtius apologiam ſcribere. Qvæ ad augendam Gallicam potentiam plurimum contulerit, ipſam rem, & acta publica teſtari. Inprimis ſe non poſſe abſqve ſingulari animi dolore in memoriam ſibi revocare, qvod ante, qvam Gallus Belgis arma inferret, Vienna cum Gremonvillio fœdus initum fuerit, qvo convenerat, ut Cæſar Galli deſtinatis circa invadendos Belgas nec directa nec obliqva via ſe oppoſueret; Gallo contra fidem dante, ſe durante hoc fœdere decem Alſatiæ oppida haut invaſurum. Ex eo factum, ut cum Cæſar poſt cum ipſo advertendum imminens Imperio periculum fœdus iniſſet, eiqve exſeqvendo copias ſecum junxiſſet: Montecuculus ex ſecreto iſto fœdere ita ſtrictis mandatis circumſcriberetur, ut ne minimum qvidem adverſus Gallos, eorumqve ſocios Colonienſem, & Monaſterienſem ſuſcipere integrum ſibi eſſet. Qvo ipſo neceſſitatem ſibi allatam, ni res ſuas præſenti exitio exponere vellet, ingratis cum Gallo qualemcunqve pacem occupare. Falſo qvoqve objici, Meinderſium inſcio Cæſare, ac nulla prævia communicatione in Galliam miſſum. Atqvi non poſſe non legatos Cæſareos Neomagi tunc agentes aliter hac de re teſtari. Iſtum, ac Blaſpielum cum biſce amice converſatos. Meinderſium annum fere ibi egiſſe, antequam iter ingrederetur, & qvidem diu poſt initam à Belgis, & Hiſpanis pacem, iisqve mandata ſua communicaſſe; qvorum ſumma huc redibat, ut ipſe ſatisfactione, qvam totus orbis, ipſiqve hoſtes Sveci, Gallique aqvam judicabant, eo melius potiretur, ac legatis Gallicis eo nomine idonea mandata darentur; neqvaqvam autem qvod ſibi in animo eſſet fœdera, uti ab aliis factum, negligere, ſociosqve deſtituere. Eventum qvoqve iſtud ita clare oculos poſuiſſe, ut nemini dubium ſupereſſe qveat. Imo cum Cæſarei, & reliqvi fœderati, qvi partes Imperii tunc amplectebantur, in ista ſeparata pace, ipſum non ſolum hoſtibus deſtituiſſent, ſed & his viam ad ſe invadendum muniſſent, præcluſa ſibi defenſionis facultate; ſe tamen, Daniaqve Regem bonam cauſam eousqve ſuſtinuiſſe, qvod ad nulla ſalutis ſpe extrema intentarentur, nec ad enixiſſimas demonſtrationes Vienna, aut Haga reſponſi qvid daretur. Ita demum ſibi neceſſitatem impoſitam, pacem, qvaliscunqve haberi poſſet, amplectendi. Injuria qvoqve ſibi impingi, velut ipſe citra neceſſitatem ſuffragioſuo alios Ordines Imperio avellere inſtituat. Enimvero id minime ſibi voluptati eſſe, ac optare, gemina qvondam ſibi haut fuiſſe toleranda, cum invito citerior ſibi Pomerania extorta pacis cauſa extera Corona cederetur; nec in præſens geminam neceſſitatem incumbere declinando majori malo pariaGallo indulgendi.* Qvæ omnia Elector latius deduci, ac typis impreſſa publicari juſſit, poſtqvam & Auſtriaci ſententiam ſuam eo modo vulgaſſent; cum non minor Duci Magdeburgico, qvam Archiduci Auſtriæ in Senatu Principum dicendi libertas foret.

1682.

§. 56. Cum itaqve hoc modo negotiatio tam Francofurti, qvam Ratisponæ nullo fructu extraheretur, ac periculum Germaniæ immmens, ingruente qvoqve jam bello Turcico, immenſum gliſceret, Elector Crocovium Vienam mittendum duxit. Ei injun-

Electoris ad Cæſarem miſſio.

30. Jun.

1632. injunctum Cæsari exponere, in qvam periculoso statu Germania versetur, ambigua belli, pacisqve spe. Cæsari constare, qva fide, qvo candore adversus ipsum, ex qvo tempore rerum potitus sit, se gesserit, omnibus viribus impensis, ac fortunis periculo expositis; & qvo studio ad servandam atqve promovendam patriæ gloriam & salutem incubuerit. Sed uti res demum non tam viribus hostium, qvam amicorum culpa successerit, ac ipse à florentibus adhuc partibus neglectim habitus fuerit, nemini incognitum esse. Haut eo secius fidem sibi in patriam constitisse; nec radicato suo studio ejus commoda promovendi, ac mala averruncandi qvidqvam decessisse; de qvo & hac legatione testari velit. Gallum prætexto Neomagensis pacis insignes partes, qvæ à multis seculis citra controversiam ad Imperium spectarint, ad se pertraxisse, Argentorato qvoqve in potestatem redacto. Unde conventum Francofurti placuisse amice componendis inter Imperium, & Gallum subortis controversiis. Enimvero hucusqve nihil ad summam rerum profectum, ac tempus inter inania litigia circa evertenda antehac usu recepta extractum; nec aliud agi videri, qvam ut Electorum prærogativis, usu & per leges fundatis, qvid decerpatur. Cæterum summam rei in eo verti; num Imperium Gallo ea, qvæ ante profectionem suorum legatorum occuparit, una cum Argentorato relinqvere, an vero eadem armis repetere debeat? Si uti justitia sine dubio ab Imperio stat, ita qvoqve omnia tali bello non tantum ordiendo, sed & persequendo in promtu forent, neminem non judicaturum, Imperio omnes vires exserendas ad amissa recuperanda, ac ut ipsius integritas omni modo conservetur: qvo casu & ipse lubenter in eam sententiam concessurus sit. Sibi qvoqve persvasum, Germaniam non usqve adeo viribus exhaustam, qvin obfirmatis in constantiam omnium Ordinum animis, hosti frontem obvertere possit. Sed si ipse mature expendat genuinum Germaniæ ac vicinorum statum, tum præteritorum temporum eventus, & qvam parum fiduciæ in aliis collocandum; qvorum omnium ratio consilia capturis habenda sit; sibi qvidem discordiam, ac debilem patriæ conditionem magno dolori esse, ac meliora votis expetere. Sed qvia ista ita repente emendari non possunt, ac fidus, prudensqve consiliarius non modo qvæ aptet, sed & molestias, pericula, & calamitates, qvas negotium aliqvod minatur, ob oculos habere debet: aliter se judicare non posse, qvam ad patriæ securitatem, & salutem facturum, in præsens pacem bello præferre, ac potius qvarundam partium jacturam facere, qvam reliqva omnia cum ipsa Imperii compage armorum aleæ exponere; postqvam in diversum tendentia consilia & studia, vacillantes multorum animi, ac necessariarum bello rerum penuria in aprico sint. Se tamen haut qvidqvam censere, omnia citra negotiationem derelinqvenda; sed potius qvantum datur connitendum, ut Galli postulata ad moderationem deducantur. Ast ubi id nulla ratione obtinere detur, potius jam amissa derelinqvenda, qvam tanto cum periculo anceps bellum eligendum. Hanc sententiam suam se Cæsari sincera mente pandere, proprio instinctu tanqvam Electorem Imperii, qvem officium, & caritas patriæ una cum aliis ad curam pro ejus salute obstringat; ac ne, utcunqve res ceciderit, ipse insimulari qveat aliqvid omisisse, qvod fieri debuerit. Nec dubitare, qvin Cæsar in consilio suo agnoverit ista ita se habere; ac in præsens pacem extremis præferendam. De cætero de constanti sua adversus Cæsarem devotione testari, ac uti ipse nemini fide, ac studio in patriam cessurus sit. Ista qvidem Crocovius primo alloqvio Cæsari exponere jubebatur. 1632.

§. 57. Ast congressu cum Cæsareis ministris Electoris nomine exponere injunctum; uti per summam ipse injuriam à qvibusdam arguatur, velut ab Imperio se disjungat, aut exteris in fraudem Imperii emolumenta qvædam conciliatum eat. Sane cum toto regiminis sui tempore, tum præcipue novissimo bello omnia pro patria exposuisse, nec vitæ suæ, opibus qve pepercisse. Ad paria præstanda semper se paratum, si deprehendat, per bellum patriæ consuli. Enimvero præsenti rerum facie perspicere haut posse, qvomodo Imperium tam atrox bellum propriis viribus exseqvi possit. Qvam parum enim exterorum auxiliis fidendum, præterita tempora manifeste ostendere. Sed nec in Germania, nec inter exteros fœderatos ejusmodi unionem reperiri, aut sperari posse, qvæ meliores rerum successus, qvam novissimo bello, promittat. Anglum, qvi plurimum si velit conferre qveat, pacem ingerere, cui & secreta cum Gallo commercia intercedant, ut huic ab isto nil metuendum sit. Validissimam Fœderati Belgii partem, qvatuor Electores ad Rhenum, qvorum maxime interest, Daniæ Regem itidem pacem svadere. Fœderatis ubiqve deesse pecuniam, paratum bellicum, ac præ- *Elector acta à se defendit.*

1682. cipue eam, qvæ magnis ausis reqviritur, animorum conjunctionem. Cæsaris ditiones à rebellibus, & Turcis periculo expositas. Qvibus addi possint rationes à Cæsareis ante triennium allatæ, qvare pax tunc ita necessaria, bellum continuare supra vires foret. Si objiciatur de securitate in futurum, ac uti nulli renuntiationi fidendum; & qvæ in præsens cedantur, non nisi ansam præbitura plura involandi: responderet, id præcaveri posse perspicuis pactis, & qveis ambiguus sensus, uti Monasterienſi, & Neomagenſi Instrumento non sit: tum egregio armorum domi paratu, internaq; concordia, atqve exterorum fœderibus. Verosimile qvoqve esse, Gallum, si expetita ipsi pax inceatur, qvieturum, ac partam gloriam non amplius aleæ expositurum. Qvod si tamen is præter spem longius grassetur, ac tam lucrosam sibi pacem infringat, non dubium esse, qvin ii qvoqve Principes, qvi in præsens pacem svadent, ubi viderint, eam per fidei sanctimoniam obtineri non posse, arma arrepturi, & communem securitatem junctis viribus tuituri sint. Ac ubi semel pax inita sit, se paratum esse arctissimum cum Cæsare fœdus inire, qvo securitati utriusqve ditionum, ipsiusqve Imperii caveatur; in qvod & alii Electores, ac Principes una cum Daniæ Rege pertrahi possint; idqve æqve contra Turcas ac rebelles, qvam Gallum dirigi posse. Cogitandum qvoqve tunc de milite perpetuo in Germania instituendo. Ea pace qvoqve certum modum recens obortas controversias componendi esse definiendum, ne ex qvacunqve lite ad arma procurratur. Interim præsenti tempestate pacem conservandam, ne qvod eminus metuitur malum, præmature provocetur. Ubi de Magdeburgica sententia moveatur, velut in qva Galliæ vires nimis exaggeratæ, Imperii extenuatæ sint, reponeret; Electorem in comitiis, ubi intimum Consiliarium Cæsaris, & Imperii agat, in causa, è qva salus, aut exitium Imperii dependet, genuinam rerum faciem è dictato conscientiæ bona fide exponere teneri. Ac reip. parum consultum iri, si hostem contemnat, ac sibimet ipsi blandiatur. Et eo minus id sibi vitio dari posse, qvod ante triennium aula Viennensis iisdem rationibus ad excusandam separatam pacem tam apud Imperii Ordines, qvam extraneos fœderatos usa sit. Post alia qvoqve causa svadendæ
17. Aug. pacis nascebatur, qvod jam constaret Gallum cum Turca transegisse; ex qvo Gallo ingens commodum, Cæsari autem non modicam difficultatem in Hungaria proventuram. Sane jam animadverti, Gallos superbius, ac ferocius, qvam ab aliqvo 1682.
tempore, loqvi, eoqve metuendum esse, ne iidem duriores adhuc conditiones obtrudant, nec prius oblatis amplius teneri velint. Igitur tempus occupandum, nec eousqve expectandum, qvoad bellum inter Cæsarem, & Turcam eruperit. Præter ista Crocovius movere jubebatur de satisfactione Electori ob novissimum bellum debita, circa qvam hic ejusmodi rationem propositurus sit, qva Imperio nihil sit decessurum. Tum ut qvereretur, Electorale fastigium variis modis oppugnari per ipsam qvoqve Austriacam Francofurti legationem; ut Cæsar istud tueri velit, qvo discrimen inter Electorales, atqve Principales circa cerimonias maneat. Moneret qvoqve, ut in diplomate infeudationis, qvod Svecis dandum erat, per novissimos tractatus facta mutatio observetur. Deniqve apud legatum Hispanicum proponeret, ut Electori pro residuis subsidiorum insula S. Trinitatis in America detur.

§. 58. Eodem qvoqve tempore inter Cæsarem, & qvosdam Ordines superiorum Germaniæ Circulorum peculiare fœdus Laxenburgi, satagente Georgio Friderico Waldeccæ Principe, initum fuerat. Qvod cum Electori parum probaretur, super eo cum qvatuor Electoribus ad Rhenum, aliisqve consilia conferebat. Sane id fœdus non alio spectare, qvam ut bellum, haut expectato Imperii decreto, acceleretur. Eqvidem se nunqvam Gallicas reuniones probasse, aut Pacis Instrumento congruas duxisse. Sed qvia super genuino pacis Monasterienſis sensu à multis jam annis inter Imperium, & Galliam lites exortæ sint, qveis componendis utrinqve in arbitros compromissum; optandum fuisse, Cæsareos Neomagi id compromissum instaurasse, aut dubia perspicue expediisse. Ast eam occasionem irreparabili cum patriæ damno neglectam: ac Cæsaream legationem incertam, lubricam, & noxiam pacem præter necessitatem adversus sua, & omnium recte sentientium monita, adversus Imperii decreta, adversus fœdera deproperare, qvam ad adqvirendam honestam, ac tutam pacem, & expediendæ liti tantas turbas daturæ bellum paulisper continuare maluisse. Sed ut nunc per id genus nova fœdera à priore adhuc calamitate ingemiscens patria contra tot Electorum, ac Principum monita denuo tam exitiabili bello implicetur, id à se nullo modo probari posse. Toto isto fœdere de amicis remediis nullum verbum reperiri; omnia ad bellum dirigi;

Super Laxenburgico fœdere qverela. 18. Jun.

1682. dirigi; & qvod maxime intolerandum sit, totum tractum Rhenanum in tres partes dividi, ac Cæsarei, & fœderatorum exercitus disposition exponi, nulla cum Ordinibus qvorum interest communicatione facta. Clivicas ditiones, limitem Imperii ad Inferiorem Rhenum facientes, Saxonis, & Luneburgicorum hospitiis destinari. Ne de aliis longius tendentibus memoretur; præcipue qvod pauci qvidam arbitrium belli & pacis sibi arrogare, ac de summa rerum disponere audeant, ditionibus Ordinum Rheno adsitorum in theatrum belli designatis. Super eodem fœdere Elector qvoqve Ratisponæ, & alibi qvestus fuerat. Ad qvas qverelas directores Circuli Franconici Petrus Philippus Bambergensis, & Wurtzburgensis Episcopus, ac Christianus Ernestus Marchio Culmbacensis respondebant. *Id fœdus unice securitatem suam spectare, propriis sumtibus, nullo aliorum onere constare, per qvod & sibi facultas accedat, ut Imperio eo melius præsto esse qveant. Haut sibi persvaderi, à Gallo è conjunctione tam innoxia & legitima ansam arreptum iri Germaniam invadendi; cujus ubiqve facta testationes nil nisi conservationem Pacis Westphalicæ, ac Neomagensis resonent; qva ejusmodi armorum paratus, naturali qvoqve juri ac legibus Imperii congruens probetur. Ac ipsum Electorem fatcri, è tam obsoletis pretextis, ac fere per Gallicos adparitores ita contumelioſe factas reunciones, ac Argentorati oppressionem utriqve paci repugnare; cujus violatæ culpam silendo in se derivare nolint. Nec unqvam posteritati adprobari posse, tot illustres, ac fidos Ordines cum gemitu opem Imperii implorantes Gallorum libidini circa sacra, & civilia non ad tempus connivendo relinqvi, sed ultro in perpetuum tradi. Qvo ipso legem Regiam, qva ad diversa omnia obligat, ac mutua Ordinum officia plane dissolvi. Metum majoris mali, qvi obtenditur, Germanicæ nationi haut sufficere posse ad contumeliosam submissionem. Germaniæ non vires, sed justam conjunctionem deesse: ac in Ordinum manu situm sepositis privatis respectibus, ac inde ortis turbis atqve dissidiis in formidabile corpus coalescere. Nemini qvoqve causam esse, ut de republica desperet, aut civibus, & exteris insinuet, qvasi Germania non propriis viribus subsistere, aut exterorum vim à se propulsare valeat. Sane eam opinionem debile fundamentum fore futuræ securitatis; ac eo ipso Imperium de se desperans libidini Gallorum magis adhuc expositum iri, postqvam cessis ditionibus, qva prope regnum adaqvent, viribus, & auctoritate decreverit, contemtui auctum sit. Esse qvoqve Galli propositionem insidiosam, dum de tot ipsius ad Imperium pretensionibus, qvæ* 1682. *adhuc supersint, insinuat; qvas Imperium eo ipso agniturum sit, si istius renuntiationem acceptet, cum interim palam à Gallis jactato commento, Coronæ Gallicæ bona esse inalienabilia, nullius modus statuatur.* Ad eas literas Rex respondebat; *Cuilibet Ordinum qvidem permissum ad sui defensionem fœdera cum Cæsare, cum exteris, aut aliis Ordinibus inire. Sed uni, aut paucis haut competere, ut circa ea disponant, qvæ totum Imperium spectant, uti Laxenburgico fœdere factum; qvippe qvo statuatur, qvid actionum bellicarum toto Rheni tractu in alienis territoriis suscipiendum sit. Tum isthæc arma in vicem communium Imperii armorum, si hæc non succedant, surroganda, ac per eadem Imperii defensionem ita suscipiendam, ut non solum violationes pacis aboleantur, sed & eo nomine Imperio satisfiat. Id qvoqve limites peculiaris defensionis excedere, qvod de exercitu XX M bellatoribus constante ad Inferiorem Rhenum formando disponitur, qvem Saxo, & Hanoveranus componere debeat; qvo tractu sua ditiones sitæ sint. Sed nec verbo de amica compositione mentionem fieri, qvæ utiqve prius tentanda sit, qvam ad arma provoletur. De cæterο se optare, à Gallo inde ansam bello non arripi, ac statum Germaniæ ita comparatum esse, ut Gallus ad moderatiora permoveri possit. Sed qvia eo nomine adhibita opera frustra fuerit, ac necessaria inter omnes Ordines conjunctio sperari haut possit, ingruente insuper ex Hungaria periculo; sibi hanc fixam sedere sententiam, totum jactura partis conservandum; id qvod & antea factum sit. Eqvidem se facile agnoscere, acceptata Galli propositione, ac renuntiatione plenam securitatem haut obtentum iri, aut Gallum serius ocjus novas pretensiones non moturum. Sed num ideo semper indictum cum Gallo bellum gerendum; nec tentandum, ut lites interposita fide publica componantur? Cæterum officio se suo defunctum sententia sua publice exposita, cujus liqvidissimam approbationem eventus, & posteritas datura sit.* 15. Dec.

§. 59. Ex itinere Crocovius obiter Dresdæ cum Nicolao Gerstorfio locutus, hunc sat magnifice de Laxenburgico fœdere sentientem inveniebat; & qvod à Waldeccio variæ viæ designentur, effectu haut valde arduæ, qveis Gallo noxa inferri qveat. Sed Crocovius regerebat: etiam novissimo bello Waldeccium speciosa consilia agitasse, nullo successu. Cæterum si Gallus Imperii copias iter ingredi videat, raptim qvicqvid trans Rhenum situm est, ipsamqve Moguntiam occupaturum, inde *Vienna à Crocovio acta.* 13. Jul.

1682. tota Europa teſtaturum, iſta omnia ſe redditurum, ſi propoſitio ſua acceptetur. Atqve id facere ipſi in proclivi fore, ac eodem agendi modo eundem hactenus uſum: Et hoc Germaniæ ſtatu nulla humana potentia, aut prudentia præcaveri id poſſe. Atqve tunc in parte felicitatis habitum iri tali pace potiri, qvalis nunc repudiatur: ac neminem præſtare poſſe, tales tunc conditiones
24. Jul. obtentum iri. Aſt Viennam delatus Crocovius intelligebat, Turcas nolle inducias prorogare, niſi duriſſimis conditionibus: ut Cæſar Turcæ cedat omnia trans Tibiſcum ſita, inter qvæ Zathmaria, Calloa, Caſſovia, & Toccaya: ut omnia inter Tibiſcum, & Wagam fluvios ſita una cum montanis civitatibus Turcæ homagium præſtent: ut Leopoldiſtadium munitionibus exuatur: deniqve ut rebellibus publicata bona reſtituantur. Qvæ conditiones ſi aliqvo modo tolerabiles fuiſſent, Cæſar lubenter cum Turca tranſegiſſet, ut tota vi in Gallum vertere poſſet. Sane & ipſe Cæſar animis in Gallos ardebat, ac Neoburgicus, & Auguſta frigidam ſuffundebant miniſtris bellum Gallicum ſvadentibus. Cauſa iſtius fervoris erat, qvod Gallus Romanam Coronam affectare credebatur; ac ſi iſte caſus emergeret, rebus in præſenti ſtatu manentibus, Electoribus ad Rhenum haut libera ſuffragia, majoremqve Collegii partem pro Gallo fore. Unde & Moguntinus, aliiqve ad Rhenum Electores ſuſpectabantur, velut Gallo ſtudentes, ac Trevirenſem neceſſitate compulſum conſenſurum. Ac ferebatur Moguntinus palam jactaſſe; Auſtriacam Domum non amplius ſufficere Imperio tuendo, ac de alio Romanorum Rege cogitandum eſſe; qvæ dignitas tacite Delphino, aut Bavaro deſtinabatur. Nam etſi hic in Cæſarem pronum ſe teſtaretur, non tamen ſatis ei fidebatur, tanqvam pleno generoſorum ſpirituum, & qvi oblata forte recuſaturus non ſit. Simul in animo erat, futuro Romanorum Regi Bohemiæ Regnum Auſtriacis detractum addere. Sed & Viennæ credebatur, Gallum obtenta hac pace protinus vel Helvetios, vel qvod magis metuebatur, Mediolanum, aut Genuam invaſurum. Qvo ipſo non ſolum reliqva Italia in iſtius poteſtatem perventura, ſed & Auſtriaca Domus, ac Hiſpania letalem plagam acceptura erat, Gallo arbitrium Europæ invaſuro. Atqve iſthæc conſideratio magis qvam antea cordi erat, qvod Cæſari jam duo filii eſſent; ac obſervabatur, poſt natum poſteriorem conſilia ibi novum velut vigorem induiſſe. Nam qvia Hiſpano exigua prolis ſpes, hûc diademate Hiſpanico potiturus ſperabatur; ſicut iſti rationes Hiſpaniæ non minus qvam propriæ cordi forent. Stimulabat & alia cura aulam Viennenſem, qvod Gallus credebatur ſubacta Sabaudia viam ſibi in Italiam muniturus. Maxime autem ad aſperandos animos faciebat, qvod Gallus ſummo opere conniteretur Turcam Cæſari immittere, & usqve adeo cum ipſo convenire vellet ſuper modo bellum gerendi, & qvouſqve utrinqve arma proferenda forent. Unde Cæſarei negabant, pericula qvæ oſtententur ſibi nunc reſpicienda. Nam maximum periculum, qvod Domui Auſtriacæ obvenire poſſit, eſſe qviescere: ac ſi eidem una adhuc plaga inferatur, remedio locum non amplius fore. Si Helvetia, aut Mediolanum, & Genua, aut Belgium Hiſpanicum amiſſum fuerit, omnia conclamata eſſe; eoqve extremis malis extrema remedia adhibenda, ac pacem cum Turca, qvalibuscunqve conditionibus faciendam. Enimvero qvia hæ conſiderationes ad duo capita redibant; qvomodo Electoribus ad Rhenum, ac libertati electionis cavendum, ſimul rationes Domus Auſtriacæ, & Hiſpaniæ in Italia ſervandæ forent: ad prius Crocovius regerebat; ſi maxime omnes poſt Neomagenſem pacem factæ reuniones ipſo cum Argentorato recuperentur, omnia tamen iſta loca Gallum impedire non poſſe, qvominus Electores ad Rhenum opprimat, niſi hi valido exercitu ex Imperio fulciantur. Igitur ſane præter alias ſecuritatis cautelas de perpetuo milite, ac proba rei militaris in Imperio diſpoſitione cogitandum. Sed nunc, anteqvam id factum ſit, qvatuor iſtis Electoribus eminus minantem tempeſtatem haut accelerandam, nec Imperium adhuc imparatum in extremam confuſionem præcipitandum. Sed num Gallus qvid in Italiam tentaturus ſit, incertum eſſe. Italos prioribus bellis haut oſtendiſſe, ſuas rationes adeo arcte cum Germania conjunctas eſſe. Igitur haut videri conſultum, ut iſthæc ob metum, qvem Itali ſibi concipiunt, bellum his detractum in ſe devolvat. Italiam ſibimetipſi tutandæ ſufficere, diuturna pace opibus florentem, qvæ & ſemper cœmiterium Gallorum fuerit. Sed Cæſarei reponebant, non ſibi de Italia, ſed de ipſo Imperio agi. Cæterum judicabant, Cæſareas partes Gallicis haut inferiores eſſe. Simul ea ſibi perſvaſione blandiebantur, Gallo argentum deeſſe; ejus miniſtros diſcordes, populum exhauſtum, ac præſentium pertæſum. Eundem nunc ob Hungaricas turbas tantos ſpiritus oſtendere; his compoſitis mox criſtas ſubmiſſu-

1682. missurum. Alias pacis se cupidos esse; sed super Gallica propositione ad tractandum descendere non posse. Si Cæsar vel minimum offerat, Gallum plura postulaturum. Nec ferri posse, ab eo leges velut pro imperio dictari. Sed si is modestiæ qvid adhibere velit, non spernenda emolumenta eidem indultum iri, ut salva existimatione hoc negotio extricare se possit. Id maxime spectandum, ut pax universos complectatur. Nam à Cæsare Helvetios, Belgium Hispanicum, Mediolanum, & Italiam deseri non posse. Super Sveci fœdere Cæsarei differebant; id nondum perfectum, nec multum ei confidi. Idem ad mutuam duntaxat defensionem porrigi; & cum Svecus ultro se obtulerit, repudiari eum non potuisse. Saltem hunc inde fructum fore, ne iste noceat. Eqvidem super sex millibus auxilio mittendis actum. Sed si maxime ea manus in Germaniam veniat, aut Belgis societur, nemini suspicionem inde nasci posse. Svecum nil pecuniæ, aut hospitiorum postulare, ac nil qvoqve acceptarum; nec eidem conditiones indultum iri, qvæ Electori scrupulum injicere qveant. In lucro habendum Boreales Reges qviescere. Ast in Hungaria Cæsaris res male se habebant, spes tamen erat, tolerabiles conditiones à Turca obtentum iri, qvod ipse Sultanus, ac pleriqve proceres bellum aversarentur; sed solus purpuratorum princeps urgebat, cui multi in aula inimici erant, eoqve in exercitu tutiorem se rebatur. Palam tamen Viennæ jactabatur; ni tuta pax à Gallo obtineri qveat, Turcæ ex voto satisfactum iri, qvo arma contra istum verti possint. Nam contra Turcam de paucis locis exigui momenti agi, è qvibus alias parum fructus proveniat: sed ex altera parte integras provincias, & regna amitti. Atqve hanc sententiam fovebant novi Cæsaris fœderati, inprimis Hanoveranus, tum Belgæ, & ante omnes Hispani. Ac palam fremebat legatus Hispanicus: si Cæsar pacem cum Gallo in propositas ab hoc conditiones exclusa Hispania ineat, Hispanos alia consilia capessituros, ac Teutonicæ lineæ rationes plane abdicaturos, & ab hac sese disjuncturos. Contra Jesuitæ acriter pacem cum Gallo, bellum in Turcam urgebant, qvo per Hungariam in fiscum redacta, ac sibi donata bona pristino statu reposito ne amitterent, aut forte alias arcanas ob causas; qvod animadversum sit, eam societatem Hispaniæ unice fuisse addictam, qvamdiu huic spes super obtinendo Europæ arbitrio superfuerit. Sed hac decollante studium in Galliam transtulisse, pleno gradu ad monarchiam Europæ tendenti, ad qvam via non pateat nisi per oppressos Protestantes; qvos subruere istis hominibus summa votorum, ac laborum est, nullius è publico servitio molestiæ, aut detrimenti metu. 1682.

§. 60. Ast Neoburgicus ante reliqvos Galli rapinas sub reunionum vocabulo exercitas, ac interceptum Argentoratum exaggerabat, qvo Gallis via in Sveviam, & Franconiam aperta, & qvatuor Electores velut indagine cincti sint, ut futura electione iis suffragia ad istorum libidinem ferenda sint. Unde hosce à Cæsare in priorem libertatem restituendos, ni hic postremus suæ domus Imperatorium diadema gestare velit. Consistere autem securitatem pacis in eo, ut Argentoratum recuperetur, utqve ea omnes complectatur, omnesqve ad eandem præstandam sese obstringant. Alias Gallum Helvetios, aut Italiam invasurum. Ac inprimis Italiæ prospiciendum, qvod alias Gallus Romam iturus, ac Pontificem coacturus sit, ut ipsi Romanam coronam imponat. Etsi Neoburgicus non simpliciter bellum urgeret, sed ut Imperium arma instrueret, ac sub clypeo tractaret, utiqve tamen Argentoratum vindicaret. Ac si Gallus unionem in Imperio perspiciat, æqvas conditiones admissurum. Sed Lotharingus pure bellum contra Gallum ingerebat. Contra Elector Neoburgicum hortabatur, ut potius paci promovendæ incumbat; qvod metuendum sit, ne Gallus in ipsius ditiones eo atrocius sæviat, qvod sine dubio creditarus sit, ipsius autoritatem plurimum ad bellum contulisse. Simul bellum potius in Turcam svadebat, qvod cessione plurium locorum præsertim in Hungaria Superiore via in penetralia Poloniæ ac Silesiæ pandenda sit; ac in præsens plus spei esse aliqvid Turcæ, qvam Gallo eripi posse. Per bellum qvoqve Turcicum Germaniam, ac reliqvam Europam non dividi, sed potius ad unionem adduci, omnibus ad illud libenter opis qvid collaturis. Porro legatus Hispanicus Burgomagnus multa verborum humanitate utebatur. Abductam navim parum motus daturam; ac reliqvis subsidiorum viam inventum iri. Sed de insula S. Trinitatis parum spei faciebat, qvod ea Hispano valde nocitura, Electori parum profutura sit. *Neoburgici sententia.*

§. 61. Porro colloqvio cum Cæsareis ministris habito, Crocovio jussa exponenti Hocherus velut privato nomine respondebat: Allatas rationes magni ponderis esse, nisi necessitas defensionem imperaret. *Cæsarearum responsum. 10. Aug.*

Gal-

Digitized

1681. lum fidem decoxisse, postqvam omnes tractatus infregerit. Monasterienſem pacem circa Argentoratum perſpicuam esse, & per triginta amplius annos à Gallo ita intellectam. Qvo magis ejus potentia gliſcat, eo minus pactorum religionem eidem cordi fore. Haut expedire publice exponi, Germaniæ vires, & animum deesse ad illatam vim propulſandam; ac ſtatim omnia qvæ hoſtis cupiat, concedenda; qvo ipſo libido huic accendatur plura poſtulandi. Nondum omnia deplorata esse, nec animum deſpondendum. Si tamen ratio æqvæ paci inveniendæ proponi qveat, eam Cæſari gratiſſimam fore, qvi hautqvidqvam bellandi deſiderio teneatur. Qvod ſi autem omnes Ordines, ac præcipue Elector Cæſari ſe adjunxerit, tutam & æqvam pacem haut ægre obtentum iri. Conceſſo Argentorato Galli ambitionem irritandam, non ſatiandam. Gallum prætenſiones ſuas ſuperſtruere non ſolum paci Monaſterienſi, ſed etiam legi Salicæ, ac juribus Caroli Magni, uti è negotio Weiſſenburgico adpareat. Cæſari ex officio incumbere amiſſa recuperare, aut ſaltem prohibere, ne plura amittantur. Si Elector Cæſari accedere velit, reliqvos Ordines facile exemplum ſecuturos. Sententias Electorum ad Rhenum à metu profectas: ſi iſti valido auxilio fulciantur, aliter locuturos. Sed ipſe Cæſar ad propoſita ab Electore ita reſpondebat. *Nil optatius ſibi fore, qvam pacem in orbe Chriſtiano ſervare, modo ſecuritas ea conſtare poſſit. Sed qvia è Galli actis ſatis pateat, eum nulla pactorum, ac juris jurandi religione ſtringi, verbis ejus fidem haberi non poſſe, ſed ſolidiore cautione opus eſſe. Propoſita qvoqve à Gallo ita crude admitti non poſſe, ſed tractatus accedere oportere, qvibus mutua ſecuritas ſtabiliri qveat. Aſt Gallum leges pro imperio obtrudere velle. Si Elector aliqvam rationem ſecuritatis in medium adferre poſſit, ſibi gratiſſimum fore, ac eum de patria eximie meriturum. Securitatem in eo præcipue qvarendam, ut pax omnes complectatur, ad eamqve præſtandam omnes ſe obſtringant; ac inprimis, ut Hiſpania includatur. Nec ſe feuda Imperii in Italia deſtituere poſſe, qvæ non minus iſtius membra ſint, qvam cis Alpes ſita. De cætero ſolum ſe circa pacem decernere non poſſe; ſed id negotium Francofurtum, aut communes tractatus ſpectare.* Id reſponſum Cæſar non ſcripto, ſed referente Comite Koenigseckio dabat. Color dicebatur, ne ſcripto unum aut alterum verbum inſereretur, qvod fœderatis anſam diviſionis daret. Addebat Comes; periculum belli manifeſtum eſſe; qvod & à ſe probe conſideretur, ſi id à noſtra electione pendeat. Sed nunc 1682.
3. Sept. iſtud meræ neceſſitatis eſſe. Res in eo ſtatu verſari, ut inde ruina Domus Auſtriacæ ſit inevitabilis, ſi Gallus retineat, qvæ rapuit, ſimul facultatem nanciſcatur Italiam ſubjugandi; Eqvidem belli exitum ſemper eſſe ancipitem. Præſtare tamen incertum periculum, qvam certum exitium ſubire. Juſtitiam cauſæ, ac publicæ libertatis rationes pro Cæſare militare, ac ſpem eſſe, amicos ei non defore. Cæſari ſatis conſtare de Galli deſtinatis circa Monarchiam Europæ ſtruendam, ad qvam proximus gradus ſit ruina Domus Auſtriacæ. Eum id agitare, ut non ſolum Cæſareum diadema ea Domo avellat, ſed & hujus ditiones hæreditarias inter alios diſpertiat. Huic ſcopo obtinendo adhiberi infractiones pacis, & proditiones, qvæ pacis tempore in munitionibus Cæſareis ſtruantur. Eundem excitare, ac fovere ſeditionem in Hungaria, ac Turcam in arma ſtimulare. Tekolium magnopere de Gallo qveri, qvod is ex promiſſo nondum in bellum eruperit. Qvæ indicio ſint, bellum inevitabile eſſe. Jam vero inde aliqvot Hungariæ Comitatus, hinc diadema periclitari. Unde Cæſari vitio haut vertendum, ſi malit in Hungaria aliqvid amittere à majoribus ſuis non poſſeſſum, qvam ex altera parte omnium jacturam facere. Cæſarem ita irritatum eſſe, ut miniſtris magna cum circumſpectione de pace loqvendum ſit, ne ſuſpicionem incurrant; ac jam tertia vice pronuntiaſſe, ſaltem ſe glorioſe perire velle. Sed optandum eſſe, ut Elector, ac fœderati meliores conditiones curare poſſint, qvo bellum declinetur. Eas conditiones eſſe, ut pax, ejusqve evictio omnes complectatur, ut caſtellum apud Kehlam deſtruatur, nunqvam inſtaurandum, utqve Gallus pro Argentorato Briſacum reddat.

Periculum à Turca ingraveſcit.

§. 62. Qvanqvam autem interim Turca in apertum bellum erupiſſet, ac Cæſareas munitiones juſto exercitu, ac machinis oppugnaret; Cæſar tamen id periculum Ordinibus, qvi eodem non ita prope tangebantur, haut exponebat, nec eorum auxilium expetebat, qvod ſpes adhuc eſſet cum Turca tranſigendi, nec iſtos abſterrere vellet, qvo minus conſilia contra Gallum dirigerent. Unde credebat, ſumma ſe pecuniæ, ac portione ſuperioris Hungariæ decidere poſſe. Enimvero Turca præter multa alia tredecim Comitatus in Hungaria pro Tekelio, ac pro ſe Jaurinum, & Filleccam, ac alium in Croatia locum depoſcebat: qvæ annui nullo modo poterant. Nam per Filleccam iſte oppidis montanis potiebatur, 4. Sept.

& qvi-

1682. è qvibus Cæsari annui CCCC M unciales redeunt; ac amisso Jaurino Vienna urbs limitanea fiebat. Cæterum Hungariæ satis consuli potuisset, si res Cæsaris debita fide administratæ fuissent. Sed cum in tot legiones stipendia ex ærario expenderentur, vix tamen XII M bellatorum corradi poterant. Ast mox cum Fillecca rebellione Hungarici præsidii in hostium manus concessisset, Cæsar periculo propius admoto eam rem Ratisponæ proponebat, qvid consilii secuto cum Turcis bello capiendum? E Cæsaris consilio Schvvartzenbergius censebat, hac rerum facie pacem cum Gallo velut minus malum eligendum; sed qvi suam sententiam contra dissidentes pervincere non poterat. Hocherus eodem fere inclinabat; sed morbo affectus in consilium haut veniebat. Kœnigseckius satis perspiciebat, ad bellum contra Gallos gerendum vires deficere, ac rogabat, ut Elector una cum Angliæ, & Daniæ Regibus arbitrium rerum suscipiat; ac formulam pacis adornet, ut si non omnia à Gallo restituantur, conditiones tamen utcunqve tolerabiles fierent. Sed ei à Crocovio reponebatur: id fieri non posse. Nam Gallum nil aliud agere, qvam qvæ sua libido suggerat. Daniæ Regem, & Electorem apud hunc enixe super moderandis conditionibus institisse; sed nil aliud impetrare potuisse, qvam ut reuniones spe secuturæ pacis suspenderentur. Ea si frustra sit, Gallum sine dubio istas resumturum. Nunc eo minus spei esse post infaustos Cæsaris in Hungaria successus, & postqvam Gallus, positis mutuis offensis ob denegatum legato Gallico honorem, & vim à navarcho Gallico Qvesnio in Chiensi portu exercitam, cum Turca arctiorem conjunctionem contraxerat. Cujus conditiones inter alias Viennæ istæ circumferebantur; ut inter Gallum, & Turcam fœdus offensivum sit; Turca totam Hungariam, & Austriam habeat; Bohemia cum adjunctis provinciis penes Romanam Coronam maneat, de qva Gallus dispositurus sit. Croatiam Turcæ cedi non posse, tegendæ Venetorum ditioni. Sed & interceptis Tekelii literis commercia hujus cum Gallo patuerant. Sane postqvam haut verosimile, tot Principes, qveis Gallus à pace facta insultaverat, omnes injurias ignavam per patientiam digesturos; in Consilio Galliæ à Luvoisio velut efficacissimum remedium fuisse propositum Turcam Cæsari immittere. Ita enim ancipiti malo distractos Germanos à Gallo usurpata facile cessuros, aut forte Turca invalescente istius patrocinium subituros. Nam qvi Regis conscientiam eo nomine vellicare poterant scrupuli, Chæzii dexteritas facile tollebat; qvo suggerente & Viennenses Jesuitæ Cæsarem stimulabant, ut acrius qvam ante Protestantes Hungariæ perseqveretur, iisdem in rebellionem impellendis, ne ejus regni turbæ ex æqvo componerentur. Reliqvi omnes Cæsaris consiliarii clamabant; agi de salute, aut exitio Domus Austriacæ, & extremis malis extrema remedia opponenda. Ubi Italia perierit, medicinæ locum non amplius fore. Alias in consilio Cæsaris summa tunc confusio; ac Hermannus Marchio Badensis, Emmericus Episcopus Viennensis, & Albertus Sintzendorfius publico odio laborabant, velut penes qvos culpa hæreret, qvod res Cæsaris ita prave dispositæ essent. 1682.

§. 63. Ast Electori valde mirum videbatur, ad Crocovii propositionem obiter duntaxat, nec scripto responsum. Igitur huic injungebat, ut haut expetito alio colloqvio domum reverteret. Sed inter sermocinandum jaceret; Electorem non remissius, qvam ullum alium optare, ut communis pax fiat, ac satis perspicere, si uno loco oppressa flamma alio iterum erumpat, facile incendium qvacunqve diffundi posse. Nec minus in votis sibi esse, conditiones à Gallo latas mitigari. Sed id nunc in qvæstione esse, ubi id in præsens obtineri neqveat, num potius patria periculo exitii exponenda, qvam jam amissa, & qvibus recuperandis nulla spes adparet, derelinqvenda sint, ut reliqva serventur: an vero ad præcavendum futurum malum, & qvod successu temporis per salutaria consilia, ac dextram rerum dispositionem averti possit, protinus in certum, & inevitabile malum sit præcipitandum? Sane si Gallus ea occasione, dum res Hungariæ male se habent, in Germaniam irrumpat, id qvod sine dubio facere possit, qvo remedio prohibendum, ne is Rhenum, ac vicinas regiones subigat? Aut num eo facto Austriacæ Domui plus securitatis, atqve emolumenti nasciturum, aut Hispaniam, & Italiam melius tunc conservari posse? Sed & considerandum, si Gallus prætensionibus in Imperium renuntiet, uti propositio ejus ferat, an non feuda qvoqve Italiæ comprehendantur? Se velut fidum Electorem Imperii, qvod integrum servari sua non minus qvam aliorum interest, qvæ è republica visa fuerint, bona fide demonstrasse. Id ubi nil proficiat, se rem Deo, ac tempori committere; ac rationem reddere penes illos fore, *Elect. Bav. Cæsaris responsum haut satisfacit. 14. Sept.*

1682 qvi patriam præter neceſſitatem in exitium conjecerint. Qvod ubi ingruat, uti in naufragio fieri ſolet, qvemlibet circa ſeipſum ſervandum qva poſſit ſolicitum fore.

Super fœdere Laxenburgico diſceptata. 17. Sept.

§. 64. Super fœdere Laxenburgico Crocovius qverebatur, qvod aliqvi Ordines non è potentiſſimis arbitrium ſibi pacis, belliqve arrogent, toti Imperio competens, & eo qvidem qvidem tempore, qvo univerſi Ordines Ratisponæ conventum agitent, ac per legitimos Deputatos Francofurti tractetur. Totum qvoqve fœdus unice ad bellum dirigi, cui & ejusmodi ſcopus ſit præfixus, qvi non per tractatus pacis, ſed per bellum duntaxat obtineri qveat. Sed nec Gallum, nec qvenqvam alium crediturum, ſerio pacem qværi; qvia jam decretum ſit, & per pactum ſolennis obligatio contracta, ut non tantum plena ablatorum reſtitutio, ſed & damni reparatio per arma ſit qværenda. Tum qvod pauci iſti Ordines auſi ſint in potentiorum Ordinum ditiones his inſciis, nullo Imperii concluſo, ſedem belli pertrahere, ac hoſpitia ſibi per easdem aſſignare. Inprimis qvod exercitus inferior dictus ſub Hanoverani imperio ditiones ad Inferiorem Rhenum, qvæ magnam partem ad Electorem ſpectant, inſidere jubeatur. Deniqve per hoc fœdus Gallo anſam porrigi tractatus abrumpendi, ac iſtorum conatus ſubita invaſione prævertendi. Ad ea Cæſarei reponebant: jus fœderum omnibus Ordinibus competere; eoqve nemini vitio verti poſſe, Cæſari ſe pro defenſione, & ſecuritate Imperii per pacta innectere. Ad qvæ Crocovius: Fœdera qvidem Ordinibus inire integrum, ſed ad propriam defenſionem, non ſuper rebus totum Imperium ſpectantibus. Tum fœdera defenſiva ad futuros caſus adaptari; hoc autem præſentia reſpicere, eoqve defenſionis modum excedere, dum omnium ablatorum reſtitutionem & damnorum reparationem procurandam ſuſcipit. Sed Cæſarei reponebant: moris eſſe defenſiva fœdera ſemper ad eam formam concipi. Noviſſimo bello eadem cum Belgis conveniſſe. Sed ubi ad tractatus perventum fuerit, procedi qvouſqve poſſit. Alias nunqvam ſibi in mentem veniſſe, vel vicum, qvi ad Electorem ſpectat, hoſpitiis onerare. Diſcedenti Crocovio *31. Octob.* Cæſar dicebat: penes ſe paci moram non eſſe, nec fuiſſe; ac fatebatur, in præſens extremis, ac omnibus, qvæ alias jure fieri poſſent, haut inſiſtendum. Scriptum reſponſum in hunc ſenſum dabatur: Cæſarem omnia, qvæ penes ſe ſint, ad pacem cum Gallo firmandam collaturum. Tum rogare, ut Elector operam det, qvo Gallus tractationem Francofurti continuet, ac ut communis pax conſtituatur. Paulo ante digreſſus Vienna Neoburgicus Cæſarem enixis precibus rogaverat, ne Sacerdotum conſilia ita addicte amplecteretur, ſi proprias rationes, ac futuram parvulorum filiorum fortunam, ſimul ditionum ſuarum ſalutem amaret. Poſt qvoqve à Tekelio miſſi Vienna diſcedebant ſatis alacres, ac recipiebant, ſeſe Turcam ad pacem inducturos. Sed valde dubium erat, num ſerio rem agerent, aut num penes ipſos ſit futurum Turcæ qvietem perſvadere. Sane menſe Aprili ingens pecuniæ vis è Gallia Gedanum trajecta fuerat, qvæ inde Varſaviam ad Vitrium legatum Gallicum, ab hoc in Hungariam ad Tekelium tranſmiſſa fuit. Etſi plurimi contra pacem cum Turca ſpe jam præceperant, ac bellum in Gallum meditabantur. Sed qvod maxime dolendum erat, qvo propius periculum à Turca ingrueret, eo ſegnius armorum paratus apud Cæſareos procedebant.

1682. *8. Octob.* *26. Nov.*

§. 65. Interim Elector ſi qva poſſet tranſactionem cum Gallo impellere, Canicium ad Moguntinum mittit, huic denuntiaturum; uti ipſe optet, Francofurtanam negotiationem melius, qvam hucusqve, ſucedere, ac tandem aliqvando pacem Imperio tam neceſſariam firmari. Cui fini aſſeqvendo ipſe cum aliis incaſſum inſudaverit; nec ideo tamen animum deſpondendum, ſed eo acrius connitendum, qvo inevitabilior videatur ruina totius Imperii, ſi nunc bellum cum Gallo erumpat. Se qvidem præſenti facie rerum expenſa ſtatim initio, antеqvam Hungaricæ turbæ invaleſcerent, à bello abhorruiſſe, qvod probe obſervarit, etiam felici ejus ſucceſſu de libertate, ac pleriſqve juribus Ordinum actum fore. Qvomodo nunc qvempiam cordatum, patriæqve amantem bellandi libido ſubire poſſit? Gallum tractatus concluſionem intra exitum Novembris exigere, anguſto ſane ſpatio. Sed poſtqvam tempus inter inania conſumtum ſit, palam qvoqve jactatis belli minis; haut mirum, ſi Gallus nunc temporum ſuorum opportunitate utatur. Nec præſumendum, eum hac rerum facie de propoſitis qvid remiſſurum, cum nunc Cæſar tantopere ex altera parte diſtrahatur. Argentoratum Imperio avulſum merito dolendum; ſed haut ideo reliqva velut pro derelictis habenda. Prioriſeculo cum potentia Imperii longe major,

Elector Moguntiam & Francofurtum mittit. 18. Sept.

Gal-

1682. Galliæ fines tenuiores, qvam in præsens forent, Meti, Tullo, Viroduno relictis pacem initam. Qvo magis nunc id faciendum, ubi non solum nulla spes amissa recuperandi, sed & certus metus reliqva omnia amittendi. Non diu nunc cauponandum. Gallum elapsa præfixa die, ni dilatio obtineatur, utiqve in arma erupturum: & tunc, qvantum humana ratio suggerat, de Germania actum fore. A Cæsare nil auxilii expectandum, cui plus satis negotii in Hungaria sit: & si maxime intra id tempus pax cum Turca, & rebellibus ineatur, cujus tamen nulla spes adpareat, Gallo tractum ad Rhenum subigere in proclivi fore, anteqvam Cæsaris exercitus ex Hungaria movere possit. Arma Circuli Franconici, & Superioris Rhenani modica esse, tirone milite, necdum satis digesto, exiguum adversus tantam molem momentum. Aliis Ordinibus in præsens vix tantum copiarum esse, qvantum prælidiis suarum ditionum sufficiat. Ab exteris nil opis sperandum, inprimis postqvam Anglus nuper declararit, qvovis modo pacem faciendam. His si accedat discordia in Imperio, ac deficiens omnium rerum paratus, facile rationem subduci posse, qvis exorto bello eventus sperandus. Qvia tamen non desint, qvi privatas rationes, & affectus publico præferant, bellumqve ferociter crepent, jam tempus esse, ut fidi cives fortiter loqvantur; id qvod præcipue Collegio Electorali incumbat. Plurimos Ordinum, ac eminentissimos, præcipue omnes Rheni accolas, qvorum maxime interfit, pacem cupere. Qvi bellum agitent, alienis respectibus duci, ruinam Imperio parituris. Qvid confusionis, diffidentiæ, atqve discordiæ sit in Cæsareo consilio, orbi notum esse. Qvi hucusqve ibi prævaleant, desperata consilia fovere, aut exterorum rationes, Italorum, Hispanorum, ante salutem Germaniæ habere. Saxonem, & Luneburgicos ab initio à periculo remotiores de copiis suis per hospitia, & tributa aliena augendis cogitare. Franconicos, & Rhenanos fœderatos à Waldeccio, qvi plane ab Arausionensi pendeat, inductos magnitudinem periculi non satis animo comprehendere, ac nil ad summam rerum efficere posse. Svecos iterum exercitum in Germania parare cupere, ut cum oppressione vicinorum vires suas augeant. Ac si maxime qvis amicorum in ignem præcipitare velit, num ideo reliqvis sequendi necessitatem esse? Se qvidem, & omnes patriæ amantes nunqvam Deo, patriæqve, ac posteritati adprobaturos, nisi nunc mascule loqvantur, & agant. Sibi qvidem ita decretum, ac idem à Moguntino sperare; eoqve censere, intra dictam diem tractatus concludendos, aut si id ob angustiam temporis fieri neqveat, liqvido declarandum, pacem se amplexuros, ac intra certum tempus, super qvo conveniendum sit, tractationem absoluturos. Et qvia id Francofurti fieri neqveat, qvod delegatorum mandata non sufficiant, alia Ratisponæ formanda, aut negotium plane huc pertrahendum. Tum ut pacis amantes junctim diversa sentientes moneant, addita protestatione, ac in omnem eventum certa consilia capessant. 1682.

§. 66. Interim postqvam tractatus diu qvievissent, Galli demum hanc replicam edebant. *Legati Extraordinarii, & 28. Sept. Plenipotentiarii Regis Christianissimi ad congressum hunc Francofurtensem ex mandato Sue Regiæ Majestatis notum facere debent omnibus tam legatis, qvam aliis Imperii ministris, qvod cum Rex Christianissimus in votis habuerit, ut inter Suam R. M. Christianissimam, & Imperium mutua servaretur amicitia, honestiora exquisivit media, qvibus ab ultimorum tractatuum executione orta qvæstiones qvamprimum in hunc finem componerentur, statimqve à tempore, qvo legati Gallia huc advenerunt, nil magis exoptandum fuisset Regi Christianissimo, aut juri suo utilius, qvam ut Sua Mtis legati cum Imperii ministris omnes tam Regias, qvam Imperii pratensiones disceptandas, ac discutiendas absqve mora suscepissent, sicqve de omnibus juribus legitime ad Suam Regiam Mtem competentibus jampridem amicabiliter convenire potuissent. Sed cum tanto tempore frustra nuper elapso in agitandis difficultatibus inter ipsosmet Imperii Statuum Deputatos, minimeqve ad Regiorum legatorum mandata pertinentibus, ipsius nunc maximum mora damnum sit, cumqve satis in conventu Neomagensi disceptata qvæstiones rursus discutienda potius ad lites tendant, qvam ad pacem bona fide confirmandam; Rex Christianissimus nihil pro suo pacis stabiliendæ constanti desiderio promtius esse duxit, qvam per conditiones firmandæ pacis statim offerendas tantum suo Regio juri detrahere, ut nec aliqvid simile à Sua Mte juste peti, nec in qvovis longiore congressu etiam post diu metu belli fatigatam Europam obtineri unqvam potuisset. Qvod si publica tantum tranqvillitatis conservandæ causa Rex Christianissimus sic ultro ac sponte secundum oblatas à legatis suis conditiones legitimo regio juri suo tam multa, qvæ potuisset persequi, detraxerit, dicissim à Prin-* *Gallorum replica.*

1682. cipibus ac Imperii Statibus ſperandum videbatur, ut etiam pro bono pacis eo ſe promtiores oſtenderent ad concedendum, vel potius relinquendum Sue Sacre R. Mti Christ: me poſſeſſionem tam civitatis Argentinæ, cum fortalitio Keblenſi, aliiqve propugnaculis à dicta civitate dependentibus, qvam aliarum civitatum, ac ditionum, qvas à primo die menſis Auguſti jam ab anno præterito poſſidet Rex Chriſtianiſſimus, videlicet Monaſterienſis, & Neomagenſis ultimorum tractatuum. Hic certe tractandi modus, qvo nihil aut ad concludendum expeditius, aut decentius, tam dignitati Sue S. R. Mtis qvam Imperii niſi abus, qvi temere ex bello, & publica calamitate privatam utilitatem ſperant, ulterius rejici nunqvam poteſt. Sed cum jam Rex Chriſtianiſſimus ingentes fecerit ſumtu ad parandos exercitus, qvibus & jura ſua Regia protegeret, & ſecum publicæ tranqvillitatis conſervandæ ſtudioſos Principes contra inimicos pacis defenderet, maximi nunc intereſt Sue S. R. Mtis, qvæ ſit ea de re mens Imperii qvam primum intelligere, aut ad finiendos illos nimios ſumtus, qvibus adhuc tenetur pro victu & ſtipendio tantorum exercituum, ſi pacis placeant oblatæ conditiones, aut ut eo magis ad omnem eventum ſe componant, ſi ad conſervandam tranqvillitatem in Imperio parum jam pro pace prolata valeant vota tam multorum, ac etiam optimorum Imperii Principum. Ideirco ex ſupra dicto mandato tenentur legati Gallici notum facere ac declarare tam legatis, qvam aliis hujus congreſſus miniſtris ac plenipotentiariis, qvod Sua S. R. Mtas Chriſtianiſſima adhuc qvidem velit ſtare conditionibus nuper oblatis, ſed tantum usqve ad menſis Novembris proxime futuri diem ultimum, & ita ut illis intra illud tempus non acceptatis amplius etiam non teneatur Rex Chriſtianiſſimus, ac expreſſe abhinc reſervet omnia ſua regia jura, qvantumvis extenſa, & valere qveant, omnia meliore modo, qvo libuerit, perſeqvi poſſe. Francofurti die 28. Septemb. 1682.

4. Octob. Poſt addebatur iſthæc declaratio. Legati Extraordinarii, & Plenipotentiarii Regis Chriſtianiſſimi ea denuo confirmantes, qvæ in ſua d. 28 præteriti menſis declaratione expoſita ſunt, tenentur addere, qvod qvia longior commoratio Francofurti poſt ultimum Novembris omnino inutilis foret, ſi oblatæ à Sua S. R. Mte Chriſtianiſſima conditiones tunc acceptæ non eſſent, ideo cogerentur abhinc recedere, poſtqvam per annum integrum ſatis oſtenderunt, ſe nullis peperciſſe officiis, ut priſtina qvæ fuit Suam S. R. Mtem inter, & Imperium amicitia denuo plene, & perfecte ſtabiliretur aqva, & amicabili compoſitione, cui S. S. R. Mtas omnes hactenus facilitates attulit, qvæ à Principe optime erga pacem affecto expectari poterant. Is tamen legatorum diſceſſus nonimpediet, qvin ſi in poſterum vel dicta Ratiponenſis in communi, vel qvidam ex deputatis eorum Principum, qvi magis ex animo pacis confirmationem deſiderant, diſſum fuerit aliqvid pro bono publico proponere, id poſſint explicare miniſtro Sue S. R. Mtis, qvi Ratiſpona eſt, ita tamen, ut poſt ultimum Novembris nullo amplius modo jam oblatis conditionibus, ſicuti ante dictum eſt, Sua S. R. Mtas Chriſtianiſſima teneri intelligatur. 1682.

§. 67. De iſtis ſcriptis Delegati Ratiſponam referebant, ulteriora inde mandata petituri, Gallis inſinuantes, ubiqve in fundamenta poſtulatorum inqvirendum. Sed Galli cenſebant, qvia heic res ita lente ſuccedat, ac tam multæ difficultates emergant, negotium Ratiſponam remittendum. Contra Cæſarei demonſtrabant, nec majeſtatem, nec leges Imperii permittere intra tam anguſtum tempus tractatum deproperare; ſed negotiationi liberum curſum concederent Galli, ac certo crederent, Cæſarem nil magis deſiderare, qvam cum Galliæ Rege amicitiam colere. Galli contra ſe iſta ad Regem relaturos, qvi de liberationem Comitiorum ſuper ſua propoſitione expectaturus, eiqve habendæ diem prorogaturus ſit. Alias ſe nolle heic ſibi illudi, qvod ſatis norint, nil magis optari, qvam ut pace cum Turcis facta Gallia bello peti poſſit. Cæterum Moguntinus ad propoſita à Canicio oſtendebat; Electoris à ſe ſententiam ex aſſe probari. Deputatos in univerſum qvidem pacis deſiderium teſtari, ſed paucos ſerio rem agere, ac poſtulare, ut Galli præfixa die plane deſiſtant: id qvod ſperari non poſſit, cum ab Imperio tam longo tempore Gallis nil viciſſim oblatum ſit. Eqvidem Auſtriacos jam mollius loqvi videri; ſed qvamdiu inſiſtant, ut Galli prætenſiones diſcutiantur, modicum negotii ſucceſſum ſperandum. Sane conſilia temporibus accommodanda, nec in rebus humanis omnia ad normam juſtitiæ exigi. Hungaricos motus ita contemtim hactenus habitos, ut demum in tantam flammam eruperint, cui ſolus Cæſar vix par ſit futurus. Et nunc Franconicas, ac Rhenanas copias metum ſcilicet Gallo incuſſuras. Aliqvos inani ſpe ſibi blanditos, Anglum ſua interventione Gallum ad æqvas conditiones permoturum, aut in Germaniæ gratiam huic bellum illaturum. Sed nimirum duos milliones è Gallia in Angliam trajectos, eludendis conatibus Hiſpanorum, ac Belgarum, eum Regem ad aſſo-

Ulterius Francofurti acta.

30. Octob.

cia-

1682. ciationem pertrahere nitentium. Denique ob pravam reipublicæ apud Hiſpanos adminiſtrationem, ac privatum Lotharingi commodum Germaniam hautqvidqvam tanto periculo exponendam. Aſt Galli Canitio oſtendebant ; modo Electorale Collegium declaret, à ſe conditiones acceptari, à Rege diem facile prorogandam. Sed ad diſcuſſionem cauſæ accedi non poſſe, qvod eo diverticulo nil niſi tempus extractum eatur. Aſt Roſenbergius diſſerebat: in Electore plurimum momenti eſſe ad æqvam, & ſtabilem pacem obtinendam, ſi Gallum vel amica perſvaſione, vel ſociatis cum Cæſare armis permoveat, ut male fundatis prætenſionibus deſiſtat. Si potiſſima membra cum capite conſpirent, Gallum non ſolum modeſtius locuturum, ſed & periculum à Turca longe facilius propulſatum iri. Par eſſe, ut Elector fortitudine, ac felicitate inclutus ob commune periculum è nimium gliſcente Galliæ potentia patriæ imminens alia conſilia capeſſat, ac dolorem è Neomagi actis conceptum gloriæ, ac libertati Germanicæ nationis tutandæ immolet. Cæterum à Cæſare pacem deſiderari, qvi & recuperando Argentorato bellum non ſit moturus. Conſenſum tamen declarare non poſſe, qvod Legi Regiæ, in qvam is juravit, repugnet, tam inſignes Germaniæ partes ultro cedere. Si Gallus utiqve poſt elapſam dictam diem in arma erumpere velit, id tolerandum.

4. Nov. Sed cum Canicius, ac miniſter Danicus junctim Cæſareos ad pacem amplectendam hortarentur, hi demum reſpondebant: Cæſari ſatis perſpectam pacis hoc tempore neceſſitatem, gliſcente per Imperium diffidentia, qvæ conjunctionem virium ſperare vetet. Se qvidem ad eum finem omnia collaturos, ac Electoris è patriæ caritate profecta conſilia amplexuros. Nec dubium, qvin conventus Ratisponenſis negotium perſecuturus ſit. Pariter tamen optandum eſſe, à Gallo qvoqve moderationem adhiberi, ac Germaniam conſiderari velut rempublicam nemini obnoxiam, cui inſolitas leges, ac decretorium diem amplectendis juſſis præſcribi intolerandum ſit. Si demonſtrare poſſit, qvæ occuparit ipſi ex Inſtrumento Pacis competere, ſe paratos eſſe omnia cedere. Sed ſi ratio invadendi ea loca fuit, qvia ſitus opportunitate Gallo arridebant, hunc æqvivalens recuſare non poſſe, qvod ipſi amore pacis ſat remiſſo pretio taxaturi ſint. Ac jaciebant de Argentorato concedendo, ſi Gallus Friburgum reddat, & Lotharingum ad modum Neomagi conventum reſtituat. Etſi poſt ea oblata retractabant, privatam eam ſententiam fuiſſe cauſati citra mandatum prolatam. 1682.

§. 68. Ad extremum Cæſarei legati nomine Cæſaris & Imperii hoc ſcripti Gallis exhibebant. *Verſantur adhuc in omnium memoria qverimoniæ à S. R. Imperio ad Chriſtianiſſimum Francia Regem pluribus abhinc annis de Sua R. Mtis officialium tam civilium, qvam militarium contra unitas decem civitates Imperii in Alſatia ſitas; nec non prætenſos Epiſcopatuum Metenſis, Tullenſis, & Virodunenſis vaſallos, diverſis tunc attentatis palam qva literis qva verbis delata. Qvibus ſine ſtrepitu componendis ex lege Weſtphalica pacis arbitrium tunc utrinqve placitum eſt, & varia ab eo declarationes, productis hinc inde probationibus rite ponderatis pronuntiatæ ſunt. Promittebat ſibi merito Imperium, iis in poſterum acqviſcendum eſſe, uti par erat. Poſtqvam autem citra omnem expectationem nuper præſertim poſt pacem Neomagi concluſam (tametſi conſtet, per eam hac in re nihil innovatum, ſed tractatus Weſtphalicos plane confirmatos eſſe:) non ſolum eadem contra prænominatas Civitates, & ſic dictos vaſallos controverſiæ reſuſcitatæ, verum etiam aliæ, qvæ nemini ab Weſtphalica pace hactenus in mentem venere, iis immenſum cumulatæ ſint, ut jam certa, prout antea in prædictas civitates ex prafectura Hagenoënſi, jura, & nexus feudalis à vaſallis, ſed omnimoda regia ſuperioritas in civitates, earumqve & omnium prætenſorum vaſallorum territoria, (licet nullo etiam feudalitatis vinculo prædictis Epiſcopatibus adſtricta,) imo ſimul in omnes in tota ſuperiori, & inferiori Alſatia ſitos principatus, comitatus, dynaſtias, addita immediata Imperii nobilitate, nec non in plures alios Imperii Status, & Ordines, tametſi neqve ſub Alſatia, neqve feudalitate Epiſcopatuum comprehenſos, ſub inaudito hactenus Reunionum, & Dependentiarum prætextu non tam palam prætenſa qvam aſſerta, ita ut omnes ſine diſcrimine ad inſtitutas illum in finem Metis, & Briſaci Reunionum ut vocant Cameras, indicta, notorie qvoad ipſos incompetentia, extra Imperium evocati, & mox ab his aſſumtis ſimul actoris, teſtis, judicis, & exſecutoris partibus, nulla admiſſa exceptione, condemnati ad præſtationem homagii & ſubjectionis uno qvaſi ictu de facto adacti fuerint, ipſis poſſeſſionem, jura, & leges pacis fruſtra reclamantibus, usqve dum ad implorationem tot gravatorum Imperii Statuum, & Ordinum non minus à S.C. Mte per expreſſam ablegationem, qvam ab Imperio repetitis literis ipſimet Chriſtianiſſimo Regi indignitate rei ante oculos poſita* Caſareorum Deductio. 16/26. Nov.

1682 *sita placuit, datis à Sua R. Mte decima Octobris 1680 Ratisponam ad Status Imperii responsoriis, acta tribunalium Metensis, & Brisacensis amico colloquio in revisionem trahi, eumque in finem paulo post mutuo de hoc solenni congressu convenit ea lege, ut relicta in posterum reunionum, & facti via, è sensu tabularum pacis (uti ratio postulabat,) componerentur omnia, & abolitis gravaminibus staret inter S.R. Imperium, & Coronam Galliæ pro bono utriusque inclyta nationis, & totius Christiani orbis inconcussa pax. Uti Sacræ C. Mti, & Imperio nihil antiquius est studio excolendæ cum vicinis omnibus, & inprimis cum Corona Galliæ initæ pacis; ita ex sua parte certe nihil omisit, quod eo ducebat. Postquam autem ex parte Galliæ, hisce iterum non attentis, in ipso statim limine hujus congressus libera Imperii civitas Argentina milite, & armis Regis ad deditionem coacta, fortalitium Arenbergense, aliaque castra Imperii occupata, reuniones continuatæ, & demum hic, (loco omnis congressus, & colloquii de controversiis ex vero sensu tabularum pacis componendis, & abolendis simul Statuum, membrorumque Imperii gravaminibus instituti,) à DD. legatis Franciæ vix non statim post eorum in hanc urbem ingressum propositum, postulatumque fuit, ut omnia, quæ usque ad eorum Parisiis discessum ab officialibus Gallicis tam civilibus quam militaribus in Imperio occupata sunt, una cum civitate Argentinensi sine ulla tabularum pacis, aut justitiæ examine cederentur Galliæ; ex parte Cæsaræa Mtis, & Imperii continuo responsum est, relinquenda sine controversia Coronæ Franciæ omnia, quæ vigore tractatuum pacis eidem competere dignoscentur, neque credibile esse, à Regia Christianissima Mte quidquam aliud prætendi, multo minus ab Imperii Deputatis exigi, quod in illorum potestate non est, nimirum ut Constatus suos, & commembra absque ullo examine, aut fundamento justitiæ, aut pacis tractatuum ab Imperio avellant, & cæco quasi impetu in exteram potestatem transmittant. Hunc præcipue huic congressui, ad Imperii, ejusque Statuum querelas, & gravamina instituto, propositum esse scopum, ut in eo omnia juxta tractatus pacis examinentur, & aboleantur; eo mandata tam Cæsaræa legationis, & Imperii Deputationis, quam DD. legatorum Gallicorum verbis expressis directa esse; & merito, cum constet etiam ex tabulis Monasterienſis pacis Neomagi confirmatis, oportere, ut si quis contra eas à quocunque violari contigerit, læsus, ladentem inprimis à via facti, (prout Cæsar, & Imperium amice, fideliterque fecit,) debortetur, causa vero ipsa amicabili compositioni vel juris dispositioni submittatur. Huic conformem esse Sua R. Mti Christianissima declarationem, qua omnia occupata, & innovata post ejusdem legatorum Lutetia discessum ante omnia in integrum restituenda veniant; de reliquis vero hic conferendum sit, adeoque prætactam propositionem DD. legatorum Galliæ eorum Regis laudata declarationi non minus, quam eorum huic exhibito mandato, uti & tractatibus pacis, & usitato inter supremas potentias tractandi modo directe adversari, & simul una objectum, scopumque hujus congressus omnino invertere. Cum autem omnes ejusmodi, pluresque aliæ & scripto, & verbis sæpius repetitæ demonstrationes apud DD. legatos Galliæ hactenus locum non inveniant, irritæque sint, abunde patet, cujnam mora hujus conferentiæ, de qua certe Imperium uti unice gravatum vel maxime queritur, adscribenda sit. Inprimis sane eo magis in votis est, ut Rex Christianissimus de re ipsa accurrate edoceatur, quod sibi de ejusdem æquanimitate, & justitia tanto certiora promittit, quanto crebrius, sanctiusq; Sua R. Christianissima Mtas tam ipsamet, quam per ministros suos ubique contestata est singulare studium observandæ cum S.C. Mte & Imperio pacis, cujus hoc præcipuum merito specimen esse oportet, ut & contra Cæsarem & Imperium, ejusque Status, & membra nihil via facti attententur; sed si quid dubii, controversiæque incidit, id juxta tenorem Instrumenti pacis Westphalicæ supra allegato loco amicabili compositioni, vel juris dispositioni submittatur, nullatenus vero sibimet jus dicatur, quod & ipsa ratio, & naturalia jura prohibent. Deinde ut Statibus R. Imperii sua jura, dominia, atque libertates, in quibus ministri Gallici plurimum securitatis tam Imperii quam vicinorum collocare hactenus semper contestati sunt, ex regula tabularum pacis restituantur, atque eo modo sarta tecta maneant. Jam vero & adjuncta hic Statuum Imperii, qui anno 1648 Monasterii Westphaliæ tractatibus pacis adfuere, declaratio solennis, una cum transmissis ad Regem Christianissimum literis satis demonstrat, de ea, quæ nunc prætenditur, enormi cessione nullam tunc illis vel mentem, vel potestatem fuisse. Et ipse Rex Christianissimus in istiusmet pacis Westphalicæ executione, testante Recessu Noribergico, clare testatus est, tantum abesse, ut aliud sibi pacis tabulis præter trium Episcopatuum districtum, & ditiones à Sma Domo Austriaca in Alsatia possessa sibi vendicaret, ut etiam ex ipsismet decem unitis civitatibus Imperii in Alsatia sitis duas, & sic dictorum Vasallorum trium Episcopatuum non paucos, quos nunc ab Imperio avellit, Imperio restituerit. Imo Sua R. Mtas Christianissima in ipso statim limine supradicti arbitrii d. 23. Septembris 1667, & passim* 1682

1682. *sim in actis per Plenipotentiarium suum D. Robertum de Gravel solennissime declaravit, suam intentionem non esse prejudicandi prememoratis Imperii civitatibus in libertate, & immedietate erga Imperium, qva ipsis in Instrumento pacis Monasterienſis expresse reservata sit. Ut praetereatur, quod eadem à pace Westphalia non minus qvam antea qvotannis semper (praesenti turbatione excepta) Sacrae C. Mti homagium renovarint ipsa, & alii Imperii Status à Gallia nobiter occupati, non minus qvam reliqvi nunqvam interrupta possessione in dictis Imperii, & circularibus (ministris Gallia praesentibus nec contradicentibus,) sessione, & suffragio qviete gavisi sint, juxta Imperii matriculam ad Imperii, & Circulorum onera, & collectas semper contribuerint, in contentiosis nulla qvam Imperii dicasteria agnoverint, imo ab ipsomet Rege Christianissimo non minus post pacem Monasterienſem qvam antea decretis ad ipsos legationibus, ictis cum illis foederibus, aliisqve in omnibus uti independentes ab eo, & plane liberi Imperii Status habiti, agnitique sint. Tantum enim abest, ut tabulis Westphalicae pacis ab Imperio Landgraviatus, uti cum Ser. Domus Austriaca possedit cum Brisaco, Sundgovia, & praefectura Hagenoënſi, Instrumenti pacis Monasterienſis §. Tertio Imperator 73. nominatim & expressus: Qvinimo per subsequentem §. Teneatur Rex Christianissimus omnes alii siti in Alsatia superiori, & inferiori Status, comprehensa immediata nobilitate à cessione nominatim excepti sint, obligataqve sit Gallia nullam in eos praetendere regiam superioritatem, sed iis juribus contenta esse, qvibus Ser. Domus Austriaca gavisa fuerat cum eo tamen discrimine, ut qvae Domus Austriaca ab Imperio recognoverat, ea possideret Gallia jure supremi dominii priori §. ab Imperio cessi, qvi unus finis est clausulae ita tamen, in fine praedicti §. Teneatur adjectae. Et certe tam parum de cessione totius provinciae Alsaticae cogitavit in tractatibus Westphalicis Gallia, ut etiam iis demolitionem Benfeldae, neutralitatem Tabernarum, liberum transitum in Philipsburg, & plura hujusmodi pro beneficiis particularibus expresse pacta sit, Argentoratenſi etiam urbe pro se ac reliqvis Imperii civitatibus ceu compaciscentibus ad eorundem tractatuum subscriptionem, completionemqve praeter caeteros Imperii deputatos admissa. Et qvid illa in §. Item Rex Christianissimus 89 contenta voces partium cessarum aliud indicant, qvam qvod in praefatis tractatibus non tota Alsatia, sed ejus pars, qvae ad S. Domum Austriacam spectabat, Galliae cessa, reliqva Imperio reservata sit? Qvod ipsum etiam Regia Mtas Christianissima in constitutione primi praefecti sui Hagenoënſis D. Comitis de Harcourt datis d. 27. Septembris 1651 ad praedictas decem unitas Civitates in Alsatia literis expresse agnovit. Evidentia profecto irrefragabilis, qvae perpensis his & aliis antehac fusius alibi deductis evincit, ex Alsatia nihil aliud, qvam qvod ex ea ad Domum Austriacam pertinuit, cum praetacta tamen differentia in Coronam Galliae transmissum, reliqvum vero totum non tantum non cessum, sed per §. Teneatur Imperio R. nominatim reservatum, & nec ab ipsamet Gallia subcessione (praesenti turbatione excepta) comprehensum, aut unqvam intellectum esse. Nec minus ex ipso pacis Monasterienſis Instrumento elucet, nihil extra tres Episcopatus Metenſem, Tullenſem, & Virodunenſem, eorumqve districtus ab Imperio Coronae Galliae cessum esse. Ut enim nemo diffitebitur § 70 praedicti Instrumenti pacis in hos, eorumqve districtus supremum dominium ab Imperio in Coronam Galliae translatum esse; ita omnibus palam est, limitatam ad eos, eorumqve districtus cessionem extra illos nullo jure extendi posse. Tametsi enim aliqva Imperii territoria extra horum Episcopatuum districtus nexu feudali iis adstricta fuissent, haberentqve adhuc illa ab ipsis recognoscenda; non posset tamen inde regia superioribus ullo jure praetendi, cum nulli non notum sit discrimen inter feudalem nexum, & omnimodam subjectionem, inter vasallagii & supremi dominii jura; eoqve Status Imperii ante subscriptionem tractatuum pacis Monasterii solenniter declararunt, contestatiqve sunt, se in cessionem praedictorum trium Episcopatuum non aliter consentire velle, nec posse, qvam ut Corona Galliae habeat, retineatqve supremum eorum dominium, & exerceatur regia in iis jurisdictio eatenus, qvatenus ante eos motus exercita fuerat; verum nullo modo, ut ea juris dioecesani, feudalitatis, aut ullo alio praetextu extendatur ultra ipsorum proprium territorium, aut in ea feuda, qvae Status Imperii R. comprehensa immediata Imperii nobilitate à dictis Episcopatibus recognoverunt, aut adhuc habent recognoscenda. Multo minus haec cessio novo dependentiarum praetextu ad ea Statuum Imperii territoria ullo jure trahi potest, qvae neqve sub Episcopatuum districtu, neqve feudalitatis nexu comprehensa sunt, sed notorie ab Imperio dependent; cum de ejusmodi cessione in tabulis Monasterienſis pacis nullum vestigium sit, qvin potius ex iis contrarium eluceat. Namut in §. sepedicti Instrumenti pacis: Juxta hoc universalis 5. vigore* 1682.

univer-

1682. universalis amnestiæ universi, & singuli S. R. Imperii Electores, Principes, & Status, (comprehensa immediata Imperii nobilitate,) eorumque vasalli (tribus iis Episcopatibus exceptis,) in omnes ditiones, bona, dignitates, immunitatesque plene restituti sint: ita à §. *Juxta hoc universalis.* 5. usque ad §. *Dux de Croy* 35 inclusive, & in Instrumento pacis Osnabrugensis à §. *Comites in Leiningen* 86. usque ad §. *Joachimus Ernestus* 89 inclusive clare conventum est, nominatos istic, & nunc maxime gravatos Imperii Status annitente, & urgente inprimis Gallia omnes in pristinam, debitamque erga Imperium immedietatem, atque universa jura tam in Ecclesiasticis, quam politicis plenarie restitui, inque istis absq; ulla turbatione relinqui debere, usque adeo ut non modo ipsamet Gallia eorum plurimos tunc restituerit, & hactenus pro immediatis Imperii Statibus legationibus, ictisque cum ipsis fœderibus agnoverit, verum etiam dicti Status ad omnia Imperii onera contribuerint, Cæs. Mti homagium continuo præstiterint, Imperii dicasteria in contentiosis adierint, in Comitiis Imperii votum & sessionem habuerint, & indubiam suam immedietatem, & libertatem in Ecclesiasticis ac politicis apud Imperium sartam tectamque semper retinuerint; quæ adeo Gallia non permisisset, neque tot amplissimorum principatuum, comitatuum, & ditionum specialem cessionem in tractatibus pacis neglexisset, cum eidem etiam curæ fuerit nominatim in illis Moyenvicum quantumvis notorie in districtu Metensi situm sæpe allegato §. 70 inter cessa exprimere. Sed & eo etiam casu, quo memorati Imperii Principes, Comites, ac Dynastæ à dictis Episcopatibus certa quædam feuda extra Episcopatuum districtus sita agnoscerent, non posset hac recognitio ultra feudales fundos, nequaquam vero ad reliquas eorum ditiones, territoria, ac subditos extendi, multo minus ob nudam unius aut alterius castri, pagive feudalem recognitionem in omnia sine discrimine supremum dominium, & omnimoda superioritas prætendi, possessoribus ex statu suo immedietatis, & libertatis de facto, & propria autoritate dimotis. Quin potius postularet ratio, ut cum Imperatore & Imperio, quorum evidenter interest, ante omnia ageretur, & gravati Status audirentur, an & quænam ab Episcopatibus dependentia feuda possideant, ut ea à reliquis suis bonis, & territoriis separata ab Ecclesiasticis feudalibus Episcopatuum curiis recognoscant, salva uti par est per omnia eorum immedietate, libertate, & in Ecclesiasticis, & politicis, ex legibus Instrumenti pacis Westphalica jure territoriali. Quæ uti ex dictamine rationis, & inprimis tractatus Westphalici clara sunt, ita in iis per subsecutam nuper pacificationem Neomagensem adeo nihil innovatum, immutatumve est, ut ipsi DD. legati Gallici ibi exhibitis primum ab ipsis articulis, & per mediatores expresse declararint, nihil à Gallia præter confirmationem pacis Monasteriensis postulari, uti & in subsecuto tractatu ea sola adeo pro basi, & omni fundamento posita est, ut tota Neomagensis tractatio pro mera confirmatione Monasteriensis censenda sit, nisi in quantum (sunt formalia,) expresse aliquid mutatum inveniatur. Quibus cum accedat laudatissima Sua R. Mtis Christianissima declaratio D. Comiti de Mansfeld, & alias data, quod uti rationi per se, & tractatibus pacis conforme erat, à placito hoc congressu omnibus ulterioribus reunionibus, & via facti quacunque supersederetur, S. C. Mtas & Imperium jure merito expectant, ut avulsa ab Imperio Imperii civitas Argentinensis inprimis, nec minus reliqua post DD. Gallia legatorum Parisiis discessum occupata cum omni causa Imperio ante omnia restituantur. Et sicut de cætero Cæs. Mtas, & Imperium sibi persuasissimum habeat, Christianissimam Mtem Regiam comperta hac rei veritate contra fas & æquum, & clarissimam dispositionem sæpe allegatorum pacis tractatuum nil præsensuram, multo minus via facti, & propria autoritate sibi asseturam; ita & colloquium componendis ex tenore tractatuum pacis controversiis hic institutum, omnemque in eo facilitatem uti ab initio, ita iterum iterumque se exhibet, cum illa ulteriore oblatione, ut si etiam præter dispositionem tractatuum pacis aliquid ex mutua utriusque partis conventia à Corona Galliæ in medium proferatur, nec amicam super eo tractationem, nec quæcunque tractatibus pacis conformia, usitataque inter potentias Christianas media ad stabiliendam denique inter utramque inclytam nationem ex voto totius Christiani orbis tranquillitatem recusabunt. 1682.

§. 69. Ast Galli isthoc scriptum redhibebant, alioqve clam vulgato culpam irritæ negotiationis à se amoliebantur. *Inique certe, ne dicam improbe, qui Gallicæ legatos invidiæ onerare quæsiverunt, quod jurium, quæ super loca, de quibus Galliam, & Imperium inter lis est, Regi suo competunt, solennis hactenus discussio facta non sit. In hunc solum finem illos missos fuisse, potestatis suæ actus omnibus exhibitus satis testatur. Fatebuntur enim omnes ministri, quibuscum ipsis familiaritas intercesserit, eos per annum integrum, ex quo hic sunt, se in omnibus privatis colloquiis semper paratos exhibuisse, & verum* *Galli scriptum opponunt.*

1682. verum tractatuum sensum inquirere, & omnibus notum facere, quod propositio, quæ postea à Rege suo intervenit, non minus moderationis habet, quam jura sua, quæ in tractatibus Monasterienſi, & Neomagenſi firmiter fundata longe ulterius extenduntur, soliditatis. Ipſi quoque Cæsarei non possunt inficiasire, quin quoties cum legatis Galliæ fuerunt, aut de hac re tractandi se aliqua occasio obtulit, id non sit factum, nisi cum exacta omnium illarum quæstionum scrutatione, quæ materia celeberrima, & solennissima disquisitionis esse potuissent. Ad hoc nemo ignorat, quod dissidia, quæ hic inter Imperii Deputatos orta sunt, in causa fuerint, cur legati Galliæ nullum solenne colloquium inire potuerint, nec cum corpore integro Deputationis, nec cum ullo ex membris tanquam istius cœtus Deputato. Palam est, quanto cum labore de schemate sessionis inter eos conventum; & ut nulla habita ratione nec illius, quod primum à dicta præscriptum, junctumque instructioni, nec illius, quod postea ab Imperatore insinuatum fuerat, oportuit novam schematis speciem fingi, quæ nec dum omnibus placuit, nec fuit acceptata, nisi post mutuas ab omni parte reservationes, & protestationes. Istorum tamen dissidiorum causæ tanti non erant, si cum illis conferantur, quæ deinceps impedimento fuerunt, quo minus Regii, & Cæsarei legati in uno solenni, & publico cœtu simul cum Deputatis Imperii convenire possent; præcipue vero ex quo Cæsarei, denegato Electoralibus illo honore, quem ipsi Monasterii, & Neomagi tribuerant, eo res adegerunt, ut Electoralibus impossibile sit, in ullo locorum ipsis adesse. Ad hoc nova pretensio quorundam Principum, qui proprie istius repulsæ partus est, facit etiam, ut istorum Principum legati nullibi cum legatis Galliæ præsentes esse possint. Hæc sunt nempe vera obstacula, quibus Francofurti discussio illa solennis impossibilis reddita est; non vero, ut quidam temere dicunt, vel quod Galli ipsam rejiciant, vel quod rationibus, per quas Regis sui jura tam firmiter asseruntur, non fidant satis. Hæc eadem obstacula Christ:mæ Majestati statim prævisa, & quæ deinde alia insuperabilia visa sunt, ipsam impulere, ut contra suam propriam mentem, & primum istius cœtus intentum aliam viam statim ab initio proponeret, quæ negotia amicabiliter terminarentur, idque eo tempore, quo ab omnibus impossibile credebatur fieri unquam posse, ut tanta illa difficultates præliminares, in quibus legati Galliæ nunquam sane partem habebant, finem haberent. Hæc est vera ratio, cur sua Christianissima Majestas jam à mense Novembri anni 1681 illam propositionem, de qua nunc hodie agitur, ore fieri jussit, quam etiam initio Januarii sequentis scripto voluit vulgari. 1682.

Tandem sex mensium intervallo dissidia, quæ super schemate particulari sessionis inter legatos intercedebant, sopita magis quam terminata sunt. Sed quis adeo rerum Imperii ignarus est, ut non viderit, alia longe graviora, & difficiliora reservari, quibus impediretur, ne unquam de corpore Deputationis Imperii conventui posset. Durant etiam nunc hodie in integro illa obstacula, & tam insuperabilia, quam unquam fuerint. Ut enim verbo dicam, discussio illa solennis, & qualis optanda esset, non potest nisi duobus modis fieri, vel in pleno congressu, & in corpore ipso Deputationis cœtu, vel in colloquiis privatis inter Regios, & Cæsareos legatos, adhibitis aliquibus Deputationis membris expresse ab illa in hoc electis. Utrumque autem omnino impossibile reddit ab Imperialibus Electorum ministris denegatus honor, quem ipsi postulant. Cum enim is qualiacunque colloquia inter utrosque dirimat, sequitur, ut per hoc ab omnibus colloquiis & Deputationibus particularibus excludantur Moguntinus, & Saxo, qui tamen jure muneris sui cum debeant necessario ad omnes Imperii deputationes tam privatas quam publicas admitti, nunquam certe se ab illis excludi paterentur, ubi præcipua, & vera hujus colloquii materia tractanda esset. Suspicantur aliqui, nec forsan injuria, quod Cæsareæ legationis scopus in his difficultatibus, quas à se ipsa motas etiam nunc tam sedulo alit, nihil sit aliud, quam Deputationem Imperii adigere, ut sibi jura Imperii tuenda, & discutienda vendat. Sed facile judicabitur, quod Deputatio dixunquam in hoc consentiat, utpote quæ hunc consensum à se ipsa præstare non possit. Quamvis autem Dieta Ratisponensis, penes quam talium rerum jus est, ad hoc inclinare videretur, nunquam certe patientur Galliæ legati, ut rationes illæ, quæ Regis sui pretensionibus pro fundamento sunt, ad Imperium pervenire non possint, nisi mediantibus, & referentibus Cæsareis; idque eo solum modo, quo illas explicare, vel juxta suas opiniones, vel secundum quod ipsorum interest, ipsis habitum fuerit. Post hæc omnia, quæ satis per se patent iis, qui vel minimum negotiorum quæ hic tractantur, notitiam habent, videre facile est, quod, si legati Gallici minus sinceri fuissent, aut si inclinati ad captanda potius per obscuras calliditates privata commoda, quam ad promovendam veris, & solidis mediis pacis confirmationem, potuissent sortes factam discussionem propositionum acceptare, quamvis etiam ipsis tam formidanda visa fuisset, quam è contra optandum credant, idque absque periculi umbra, quippe qui sciebant illius propositionis executionem

1682. *omnino impossibilem esse: sed audacter possunt asseverare, quod ex quo in hac civitate versantur, nihil egerunt, aut cogitarunt, quod non ab ejusmodi callidis artibus summe alienum fuerit. Si quis autem adeo sit injustus, ut hoc ipso uteatur ad calumniandos, tanquam bona fide non agant, vel juri suo fidant parum, ii sane nullam impressionem facere possunt, nisi in illorum animis, qui nullam hujus rei status notitiam habent, quique ignorant, quod illa omnes turbæ in nullum alium finem concitæ fuerint, nisi ut prætextus iis supponerent, qui nihil aliud intendunt, quam ut omne negotiationis genus longe removeant, cum optime noverint, quod ista toties petita discussio non solum ipsis inutilis esset, in quocunque loco posset fieri, sed maxime Francofurti impossibilis in toStatu, quo negotia per denegatum Electoralibus à Cæsareis honorem redacta sunt.*

Conventus Francofurtensis abrumpitur. 1. Dec.

§. 69. Ita Galli jussu Regis discedebant, significato, Ratisponæ Verjo injunctum ad finem usque Februarii audire, quid sibi nomine Imperii proponendum sit. Cæsarei tamen Gallorum discessum haut ægre ferebant, quod minimum tres menses lucrarentur; simul jactabant, à Gallis proposita Ratisponæ nunquam communi consensu receptum iri. Esse in Imperio adhuc L M bellatorum, qui cum Cæsare sentiant. Cum Turca brevi transigendum videri; ac tunc adpariturum, num necessitas sibi sit infames Galli conditiones admittendi. Cæterum quæ Gallus tunc animo agitaverit, ex iis colligi potest, quæ Argentoratensis Præsul apud Trevirensem proponebat. Si Imperium Gallo reuniones hactenus factas una cum Argentorato relinquere velit, eum reliquis omnibus prætensionibus in perpetuum renuntiaturum, ac æternum limitem ducturum, fœdere quoque contra Turcam inito L M militum in hunc missurum, ea tamen lege ne Imperium unquam negotiis se misceat, quæ ipsi cum aliis Principibus intercedere possint. In Hispanico quoque Belgio eundem in reliqua omnia renuntiaturum, nec quid amplius decerpturum ea lege, ut istud in perpetuum neutrum statum observet, ac orto bello Galliæ nil molestiæ creet. Istæ leges si ab Imperio rejiciantur, LX M militum parata stare, quæ protinus occidentalem Rheni ripam in potestatem redactura sint.

23. Nov. Gallorum secreta destinata.

Fœdus cum Dano renovatur. 31. Jan.

§. 70. Inter ancipitia ista temporum cumprimis Electori curæ erat amicitiam cum Daniæ Rege arctius stringere. Igitur cum Goschio Bucvvaldo, quem Rex eo fine miserat, priora fœdera præsentibus temporibus aptabantur. Is tractatus mutuam defensionem, amicam communicationem, ac studium circa conservationem pacis spectabat. Si Electorem invadi contingeret, Rex IV M peditum, aut pro millenis peditibus quadringenos equites, finito anno supplendos; totidem Elector vicissim promittebat. Requisitus non teneatur cum alterius invasore suo quoque nomine in bellum descendere. Requisitus utique tractatibus de pace aut induciis includatur. Præstiti auxilii nomine nulla pensatio exigatur. Quod requirens armis adquisiverit, id ipsius sit. Circa exigenda residua subsidiorum apud Hispanos unus alteri operam navet. Rex tamen in partem controversiæ haut veniet, quæ Electori cum Hispanis est ob ereptas quasdam naves. Denique dabit operam Elector, ut Regi circa desideria sua ab Imperio satisfiat. Post Elector ad Regem Daniæ Itzehoam accedebat; ubi super præsenti rerum facie consultabatur, & quomodo pax conservari, eoque fine plures, præter eos qui jam erant, in partes trahi possent. Ad quatuor Electores Rheno adsitos uterque jam miserat. Inter alios Monasterienſis præcipue respiciebatur, qui pronum se paci declaraverat, & cui ditionis suæ situs, viresque autoritatem addebant. Optabatur quoque Hanoveranum in societatem adsciſci posse; præsertim cum auditum esset, spem subsidiorum, quam sibi conceperat evanuisse. Tractatus inter Cæsarem, Bavarum, Saxonem, & Hanoveranum spe hospitiorum innitebatur, quod hisce opes non essent bello propriis sumtibus gerendo. Unde videndum, quomodo ea hospitia, ac militis transitus impediri possint. Belgas ad quiescendum disponere, maxime necessarium habebatur, quod Arausionensis valde in Gallos irritatus esset, ac cum Svecis consilia misceret. Ast ubi res in bellum eruperit, Rex censebat, satius esse Svecum pro aperto hoste, quam pro medio habere. Circa Cellensem quoque dubitabatur, qui hactenus quidem Gallo declaraverat, se neutras partes secuturum: sed num his pollicitis tuto fidi posset, haut constabat. Circa quem etiam cavendum sit, ne is titulo præfecti militiæ Circularis viribus instruatur. Porro Rex propositionem à Gallo factam paci producendæ haut idoneam censebat, quod altera pars non solum de asperitate conditionum, sed & de agendi modo queratur. Unde Gallo demonstrandum; si pax ei cordi sit, eam propositionem temperandam esse. Nam parum pro pace, non satis pro bello eum facere. Alias verendum, ne pars adversa tam plausibili prætexto

1682.

Rex & Electior Itzehoa conveniunt. 5. Jun.

1681. texto multos ad se trahat. Demum placuit
9. Jun. peculiarem conventionem ibi inire; cujus capita erant: junctim officia adhibere, ut inter Cæsarem, Imperiumqve & Gallum agitatæ controversiæ amica ratione componantur, utqve plures Ordines concilientur, qvi ad eundem scopum operam navent. Se qvidem id officium continuaturos, peculiaribus legatis ad Cæsarem, Svecum, Luneburgicum, ac Belgas missis. In omnem autem eventum arma parare placebat ad vim, si qva intentetur, propulsandam. Eo fine Rex X M militum in Holsatia, Elector totidem in Marchia contracturus ac ita dispositurus erat, ut ubicubi opus foret statim jungi possent. Ubi res in bellum erumpat, ulterius se conventuros, præsertim qvomodo tergum tutum sit præstandum, ac ut Belgæ avertantur, ne ipsorum hostibus auxilia ferant. De cætero consiliis, actuqve juncti persistere, nec alter in alterius fraudem qvid contrahere decreverant.

Circa negotium Gottorpiense considerationes.

§. 71. Cum porro Daniæ Rex in Holsatia exercitum, prout convenerat, formaturus Ducis Gottorpiensis ditiones tributis onerare institueret, Elector monebat; circa eam rem caute procedendum, ne Svecus, & Luneburgici irritentur. Mortangius qvoqve legatus Gallicus eandem ob causam id institutum dissvadebat; & qvia per idem tractatus cum Monasterienſi impediendus sit, qvod ille Præsul à bello abhorreat. Cæsaris qvoqve partibus addictos exclamaturos; Gallum multa testari, uti pacem in Germania desideret; interim per fœderatos bellum in Saxonia struere. Qvo ipso multos, qvi in pacem inclinent, in diversas partes propulsum iri. Ad qvæ Rex; Slesvicensem Ducatum ad Imperium, & Saxoniam Inferiorem haut spectare, eoqve Luneburgicorum nullas hoic partes esse. Sed si maxime ipsius domesticis rebus ingerere se velint, jam maxime opportunum esse eos invadere, dum Cæsar, & Imperium bello Turcico distringitur. Svecum Lundensi tractatu promisisse, Gottorpiensi negotio sese haut ingerere. Et cum sibi soli provinciæ defensio incumbat, soli qvoqve tributa bellica competere. Cæterum Luneburgici initio non sine ferocia jactabant, se Ducis causam suscepturos. Sed cum res Sveciæ non ferrent aliqvid movere, ad placidiora revolvebantur. Gallus qvoqve, cum antea negasset, se in partem Gottorpiensis negotii venturum, mox eam causam Dani domesticam agnoscebat, circa qvam hunce impedire nolit. Electori non aliud consilium erat, qvod in præsens Duci suppeditaret, qvam ut missis extraneis fœderibus Daniæ Regi velut capiti familiæ adhæreat. 1681.

Monasteriensis in fœdus suscipitur. 4. Sept. Brettenau.

§. 72. Ex conventione porro Itzehoensi Ferdinandus Monasterienſis præsul in Regis Daniæ, & Electoris fœdus recipiebatur. Ei adornando Christianus Breitenavius, Clamor Buschius, Matthias Korfius Smisingius, & Fridericus Christianus Plettenbergius Neuhausii convenerant. Eidem scopus erat omnem vim propulsare, ac onera hospitiorum, transituum, & similia ubi intententur arcere; tum juncta opera conniti ad controversias cum Gallo amice componendas. Ubi res in bellum erupcrit, ac qvis fœderatorum ob isthæc pacifica consilia, aut alio prætexto iuvadatur, aut molestia afficiatur, reliqvi causam ejus suscipient, & conventa auxilia præstabunt. Si bellum inter paucos Ordines, & Gallum oriatur, fœderati ad neutram partem collaturi qvid erant: si bellum ab Imperio decernatur, ratam duntaxat copiarum partem missuri. Hoc fœdere comprehendebantur Dani nomine Holsatia, & Comitatus Oldenburgicus ac Delmenhorstanus: Electoris omnes ditiones cis Albim sitæ. Excipiebat tamen Monasterienſis, se nolle teneri ad mittenda Dano auxilia in Holsatiam, sed tantum in Comitatus. Modus auxiliorum erat; Dano CCCL eqvites, M L pedites; Electori DC eqvites; MDCCC pedites; Monasterienſi CCC eqvites, DCCCC pedites. Ubi is numerus non sufficiat duplum, aut triplum præstandum, & qvidem intra sex septimanas à die reqvisitionis; ut tamen qvi auxilia submittit, non teneatur suo nomine bellum cum invadente gerere, sed ut ei integrum sit officium conciliandæ paci præstare. Id fœdus in triennium concluſum. Seqventi anno in hoc fœdus Colonienſis qvoqve receptus est, conventu legatorum Susati habito. Idemqve post Ferdinando Episcopo defuncto suffectus id fœdus nomine Episcopatus Monasterienſis suscepit; cui & novus Episcopus Paderbornenſis Hermannus Weruerus nomen dedit. 19. Febr. 1683. 1684.

Cum Belgis & Arausionensi acta.

§. 73. Cæterum qvia Elector pacem qvovismodo servare decreverat, frustra autem inter Imperium, & Gallum transigebatur, ni & cum Hispanis in Belgio lites componerentur; exhibito per Diestium scripto Belgas hortabatur, ut & ipsi ad eum finem operam navarent. Id scriptum Arausionenſis, & alii supprimere conabantur, ne vulgatum à belli cogitationibus populum averteret. Ac Princeps qvidem differebat; se utiqve pacem qværere, nec Hispa-

1682. nos minus eandem, qvam qvispiam alius poſſit, exoptare; ſed non ejusmodi pacem, qvæ velut victis pro imperio impingatur. Ac in præſens qvæſtionem eſſe, num omnibus neceſſitas incumbat Galli juſſis citra contradictionem ſe ſubjicere. Ejusmodi pacis, qvalis Neomagi facta ſit, exemplum nunqvam auditum fuiſſe. Si Electori animus foret manum rei admovere, ſtabilem pacem æqvis conditionibus obtinere opportunum nunc fuiſſet. Deniqve Electoris haut intereſſe, tranſactionem circa lites Belgii Hiſpanici urgere. Ad qvæ Dieſtius: Electorem noviſſimo bello maximo cum ſuo damno expertum, qvam anceps ſit multis cum fœderatis in potentem hoſtem bellum gerere, & qvam parum ob diſcrepantes rationes ipſorum conſtantiæ fidendi (m. Qvod Neomagi primum exemplum introductum ſit conditiones ad Galli præſcriptum admittendi, in id Electorem nunqvam conſenſiſſe, ac nemini id triſtius qvam iſti accidiſſe. Qvod ſi ſtatus fœderatorum, qvi tunc erat, & eorum, qvi nunc ſeſe offerant, inter ſe comparetur, perſpici non poſſe, qvare in præſens Viennæ, in Hiſpania, ac in Belgio major bellandi cupido ferveat, qvam tunc, cum Germania in ſe concors, apud Belgas plus fidei, & virium, Electori victor exercitus eſſet, poſt Svecos Germania expulſos gloria mactus. Ac ſi Elector tantum momentum ad rem conferre judicetur, mirum eſſe, qvare ejus amicitia non diligentius colatur, ac juſtis ejusdem deſideriis Viennæ, Madriti, & Hagæ haut ſatisfiat. Deniqve ob Cliviam rationes eidem cum Hiſpanicis provinciis conjunctas eſſe; ac ubicunqve incendium oriatur, id facile diffundi poſſe. Ad propoſita Rectores Belgii in hunc ſenſum reſpondebant: *Se Electori proſtudio in ipſorum Rempublicam, & cura circa communem ſalutem gratias agere, ſperaſſe, & optaſſe, ut ipſi placuerit conventioni ſuæ cum Svecis nomen dare, qvæ maximam laudem mereatur. Imminutos ſuos reditus in cauſa fuiſſe, qvare ipſe, ac Dano ſubſidia exſolvere non potuerint. Alias fœdera ſe ſua religioſe ſervaturos. Non dubitare, qvin Anglus ejusmodi temperamenta inventurus ſit, qvæ is lites inter Galliam, & Hiſpaniam terminari qveant. Se qvidem Cæſarem permovere conaturos, ut hoſtilia in Gallum ne ſuſcipiat, ſed res ad pacem dirigat. Controverſias tamen inter Imperium, & Galliam poſt Neomagenſem pacem ortas ſe miſceri nolle. Rogare Electorem, apud Gallum operam impendat, ut hic ſua conſilia ad pacem, & Europæ qvietem referat. Qvam & ſibi qvavis occaſione promovere cordi ſit futurum; nec minus pro vetere amicitia conſilia cum Electore communicaturos.* Cæterum ei reſponſo paſſim adſperſa erant dicta pungentia, nonnulla etiam falſa, & ad rem non facientia; qvæ Electori non parum bilem excibant. Sed Croiſſius cenſebat; talia contemtu ulciſcenda, ne à verborum certaminibus ad extrema procedatur. Ac poſſe Dieſtium velut ſuo nomine monere, qvæ in eo reſponſo deſiderari qveant. Super eodem qvoqve Alefeldius Daniæ Cancellarius judicabat: in præſens, dum Gallus omni modo pacem qværit, id diſſimulandum, nec Belgarum animos vindicta, aut acri oppoſito ſcripto amplius aſperandos. Etſi meriti fuerint, ut acriter retunderentur. Daniæ qvoqve Rex cenſebat; qvia Gallus pervincendis ſuis deſtinatis Belgas omni modo demulceat, nec verbis, nec reultionem ſumendam. Nam ſcriptis Belgas adhuc magis irritari, ac ab omnibus pacis cogitationibus averti. Ubi re qvid tentetur, Gallum offenſum omne auxilium ſubtracturum, ac Electori ſoli id negotium exſeqvendum relicturum. Addebat Rex: ſibi, atqve Electori neceſſum eſſe rebus ſuis invigilare, nec in omnibus ad Gallo placita ſe componere, qvod hic tantum occaſiones aucupetur emolumentis ſuis obtinendis; ex qvo facile ejus fœderati moleſtiam ſibi attrahere qveant. Nam Elector inſtinctu Galli id ſcriptum Belgis exhibuerat. Apud Arauſionenſem denuo Dieſtius tentabat, num ad conſilia pacis, ac ut temporibus ſeſe accommodet, eum permovere poſſet. Sed is talia immotus adſpernabatur: *Regia ſe via incedere. Honeſta ſibi deſtinata eſſe, qvæ perſeqvi oporteat; ac nondum deſperare, qvin Deus Electorem, & alios, qvi adhuc tergiverſantur, demum ſuis rationibus adjunctus ſit. Se in omnibus, qvæ à Gallo offerantur, nil ſecuritatis reperire. Se qvidem præſentem occaſionem commodiorem, qvam ullam antea judicare. Nam ni Gallus inteſtinam debilitatem ſentiret, non adeo ſolicite pacem qvæſiturum, qvo ſpatium ſit recolligendis viribus.* Conatus fuerat Gallus poſt finitum bellum Principem per blanda ſibi innectere. Qvo fine per Avauxium Fagelio duos milliones præmium promiſerat, ſi iſtum ad ſpecioſas qvasdam conditiones acceptandas permovere poſſit; qvarum ſumma huc redibat, qvod ipſi conferendus ſit titulus Comitis Hollandiæ, & ſupremi ducis, ſeu *Generaliſſimi* in exercitus regios, adjectis compluribus millionibus. Sed Fagelius reſponderat: Rempublicam, cui ipſe inſerviat, ſat potentem ac generoſam eſſe penſandæ operæ, & curæ, qvam ipſe in exercendo com-

1682.

1682 commisso sibi munere suscipiat. Sed nec fidem, qvam Deo, & patriæ jurarit, permittere talia proponere Principi generoso, & magnanimo, qvi non minus qvam ipsius majores gloriam è virtute, non ex opibus affectatus sit. Ita cum Galli utrumqve corruptionibus impenetrabilem perspicerent, omnibus modis Principi ægre facere studebant. Unde hunc animo ab istis aversо esse mirum haut erat, qvem præter publicos respectus immensum mordebant indignitates, qveis illi hinc inde intercepto patrimonio eundem insultabant. Ac jam jactabant, Longuevillii jus ad Principatum Arausionensem clarioribus in dies probationibus exsplendescere. Si tamen Princeps ejus possessione exuatur, Gallum libenter eam ditionem Electori fiduciario jure collaturum. Qvas sordes Elector ne auditu qvidem dignas censebat. Ac mox Gallus, ut Principi ægre faceret, urbem & arcem Arausionensem occupabat, ejusqve Parlamenti sententiam decreto aulæ irritam declarabat. Mox tamen bellandi ardorem in Belgio refrigerabant tristes ex Hungaria nuntii; ac ipse Princeps dicebat; ni isti interveniissent, bellum jam ante tres menses ordiendum fuisse. Non tamen plane decollasse spem cum Turca transigendi; ac tunc certo bellum his oris surrecturum. Sed Belgæ jam conventum desiderabant, qvo omnes controversiæ simul componi possent, ut tandem aliqvando liqvida pax constitueretur, ne in perpetuum tam numerosum militem alere, ac in ancipiti agere necessum sit. Præsertim postqvam Anglus ad veterem ignaviam revolveretur; ac spes ipsos falleret, qvam conceperant, & hunc & alios certatim tractatui associationis nomina daturos. Ita ut Electoris consilia mox ipso eventu probarentur.

Cum Gallis acta. §. 74. Vicissim tamen Elector una cum Daniæ Rege Gallum enixe monebat, ut reunionibus in Germania supersedeat, ac ita rem moderetur, ut Cæsar, & Imperium salva dignitate cum ipso agere possint. Nec esse qvod Rex inani metu ad præcipiendam vim impellatur, cum nemo existat, qvi occupata ipsi iterum erepturus sit. Cæterum qvia ista, qvæ tunc circa servandam pacem consilia agitabat Elector, ingentem ipsi invidiam apud diversa sentientes conflabant, idem Gallo demonstrabat: securitatem suam vacillare, ni validiores sibi copias circumponat; qvam in rem à Rege pecunias suppeditari par sit. De qvo ipso & Danus movebat. Enimvero ad ista postulata Gallus obsurduerat; ac causabatur Croissius: 1682. intempestivo armorum paratu ansam abrumpendæ paci haut præbendam. Nam sibi constare, Germanos in pacem inclinare, ac bellum Turcicum utiqve fore: ac Tekelium Cæsari haut fidere, istiusqve res melius se bello qvam pace habere. Ac si maxime ad manus veniatur, arma non contra Electorem, sed contra Galliam versum iri; sic ut Electori haut opus sit extra ordinem sumtuum qvid facere. Eum à Rege sat mature monitum iri, qvando tempestivum sit arma arripere. Sed & jam parsimoniam Regi cordi esse, nec ærarium in præsens ita compositum, ut bellum suscipi qveat, cum Rex non ita pridem plus qvam qvinqvaginta milliones æris alieni dissolverit. Enimvero ista ratio nec Dano, nec Electori sufficiebat, qvod haut par foret suam securitatem unice à Gallo pendere, nec eam se sibi qvocunqve eventu præstare posse. Ac satis adparebat, Galli artificium esse fœderatorum suorum vires ita temperare, ut ipsi soli obnoxiis agere, ejusqve commodis unice velificari necessum foret, suis autem rationibus proprio ex judicio prospicere haut liceret. Sed & Elector hactenus præter spem perspexerat, omnes demonstrationes, qvas tam circa communem causam, qvam propria desideria, ac securitatem fieri curaverat, tam parum ponderis in Gallia habuisse; irrita præsertim intercessione pro Arausionensibus, qvorum jam & mœnia, nil sane suspicionis injicere apta, ad solum dejecta fuerant. Ac tamen statum suum magno in periculo versari patebat, parum amica minantibus Cæsare, Sveco, Polono, Saxone, Luneburgicis, qveis undiqve cingebatur, & apud qvos suspicionem incurrerat enormis in Gallum studii. Sic ut si negotiationem pacis abrumpi, ac bellum surgere contingat, ingens sibi tempestas incubitura videretur. A se qvoqve apud omnes fere Europæ Principes, ac præcipue in Germania multum operæ impensum qvo res ad pacem perducatur, qvam sibi tantopere cordi esse Gallus ferat. Vicissim se apud Gallum nil monuisse, nec ab eo qvid desiderasse, nisi qvod sua securitas necessario reqvirat, nullo alias emolumento; qvæ omnia tamen frigide accepta sint. Hoc aulæ Gallicæ genio vix constare, qvid ab ea sibi expectandum, & qvid demum consilii sibi capessendum sit. Sane ut ipse Galli in gratiam totius orbis invidiæ sese exponere, ejusqve causam ubiqve agere debeat, nec tutum, sibi, nec consultum amplius esse. Igitur Spanheimius jubebatur Gallis qvidem nullam suspicandi ansam præbere, sed tamen

1682. negotia ibi citra anxietatem agere, nec responsa, qvæ hacteuus tam jejuna fuerant, urgere; interim accurate qvæ ibi susciperentur observare. Sed & Hafniæ legato Gallico exprobrabatur; cum Oxenstierna Feuqvierium de fœdere proponentem sesqvimillionem uncialium poscceret, hunc statim prima licitatione nongenta millia obtulisse; qvare tanta parsimonia adversus Danum, & Electorem adhibeatur, qvi singuli vicena militum millia præstare possint? Ad qvæ legatus primo excusabat, Oxenstiernam justo liberalius locutum. Inde cum urgeretur, Gallo causam esse qvare ipsos insigni pecuniæ summa sublevet, respondebat; Regi magnas esse expensas, ac circumacto anno nil redituum reliqvum esse. Sed Dani reponebant, inter maxime necessarias expensas ponendum, Daniæ Regem, & Electorem ita instrui, ut Galli causa in metu versari non debeant. Se omnium odio expositos ob fœdus Gallicum, ac omnes arma parare, ac fœdera struere saltem obliqve ipsos petentia. Unde graves sibi causas esse, ut rebus suis prospiciant, ac æqvum esse, ut à Gallo fulciantur. Legatus; ista se jam ad Regem retulisse. Interim svadere, ne talia suscipiantur, qvæ ipsos præmature bello involvant. Ad qvæ Dani: id se qvidem ultro omissuros, ac nullum bellum metuere, nisi ob Galli amicitiam invadantur. Ast ni Gallo ipsorum securitas magis cordi sit, qvam hucusqve factum, facile se in eam conditionem redactum iri, ut alia sibi consilia capessenda sint.

Legatio in Sveciam. 14. Jul.

§. 75. Inter præcipua autem, qvæ Itzehoæ Daniæ Regi, ac Electori placuerant, erat, ut tentaretur, num Sveciæ Rex in partes trahi possit. Eo fine in Sveciam mittebatur Christophorus Brandius; cui injunctum Regi gratulari de recuperata valetudine à fracto crure, ac nato filio Carolo. Tum ut ei mentem Electoris super pace proponeret. Non se dubitare, qvin Regi nota sit confusa, ac formidolosa rerum in Germana facies. Conventum Francofurti qvidem institutum, controversiis inter Imperium, & Galliam obortis componendis. Qvosdam Ordinum pacem optare, ac urgere, ut ad proposita à Gallo Francofurti tractatio suscipiatur, ac potius Argentorato, & aliis jam amissis cedatur, qvam in exitiabile bellum descendatur. Alios melius, tutius, ac glorioſius ducere arma arripere, qvam injuste à Gallo abrepta ita patienter derelinqvere; simul ejusmodi scrupulos formare, ac Francofurti, & Ratisponæ sententias dicere, per qvas totum negotium velut vado adhæresceat, ac Francofurtensis congressus inanis fore videatur. Unde metuendum, ne Gallus tempus in usus suos convertat, ac dicto citius plura loca invadat. Eqvidem merita causæ in medio se relinqvere, qvæ actorum publicorum peritis in obscuro esse non possint. Sane optandum res ita comparatas esse, ut Imperio decerpta armis recuperari qveant; ac sine dubio gravem Germaniæ jacturam esse, si Argentorato cedendum sit. Se qvoqve credere, consilia eorum, qvi bellum svadent, ex animo patriæ studioso, ac spectata omnibus seculis Germanica fortitudine promanare. Enimvero periculum, qvod Germania per bellum incursura sit, in aprico esse, ac rempublicam ita constitutam, ut qvicunqve belli successus fuerit, & vincat Gallus, an succumbat, Imperii eversio metuenda sit. Gallum intra concatenatas, ac validissimas munitiones, ac fines probe firmatos invadere temerarium esse. Contra Gallum è commodis sibi locis tuto excurrere, ac Germaniam sine suo periculo infestare posse. Unanime decretum inter Germaniæ Ordines haut sperandum; qvin potius inevitabiles ac funestas collisiones metuendas, ubi bellum eruperit, jamtum animis in diversa distractis. Exterorum rationes callide cum Germanicis implicari. Hispanos, & Italos, qvo Gallicas vires suis finibus averruncent, Germaniam belli arenam esse cupere. Belli flammam ibi exortam haut facile restingvendam, multis proprias ob utilitates oleum affusuris. Qvo casu animorum exacerbationem inter eos, qvi pacem aut bellum svadent, ita invaliturum, ut omni communicatione inter hos sublata malo remedium non amplius futurum sit. Pestilentiam qvoqve gliscere, cui si & bellum accedat, copias hinc inde proficiscentes eam late diffusuras, magna cum mortalium strage, ac intercluſis commerciis. Bello qvoqve strenue perseqvendo deesse pecuniam, instrumentum bellicum, annonam. Hospitia priore bello exesa. Ita Regem judicaturum, conservationem pacis unicum esse remedium avertendo Germaniæ exitio; ac sperare eum ad hunc serum scopum connixurum. Sane Cæsarem maximum causæ momentum addere posse; sed eum per Turcas, & Tekelium distrahi. Si Svecus his rationibus haut moveatur, Brandius haut ulterius urgeret, nec ista Electori displicitura significaret. Sed si Rex ea consilia probet, lætum id isti fore testaretur. Si de copiis in Germaniam trajiciendis jactetur, in neutram partem qvid diceret. Ubi Sveci de Electoris militia exqvirant, respon-

1682. sponderet; Electorem post bellum paucos exautorasse; ac si res exigat, statim XX M in campum educere posse. Jussisse qvoqve aliqvot legiones suppleri, ac brevi aliqvot millia conscripturum. Expiscari qvoqve conaretur secretos articulos fœderis Svecici cum Cæsare, ac Belgis. Si mentio Neomagensis pacis fiat, & ea à Svecis fundamentum præsentium rerum habeatur, diceret; Electorem eam nunqvam probasse, nec ejusdem rationem habere posse. Deniqve statum militiæ, aulæqve exqvireret, ac num revocatis antea per donationes alienatis Coronæ bonis, ac per adstrictam parsimoniam, qvæ in vicem prioris luxus subierit, ærarium uti jactetur tantopere locupletatum sit. Scripti qvid ne exhiberet. Cum Hafniam transiens Brandius mandata communicaret, Dani monebant, ut in Svecia dextre insinuaret, Daniæ Regi, ac Electori hautqvidqvam gratum fore, ac suspicionem utiqve injecturum, si Sveci copias in Pomeraniam trajiciant. Nam si de hoc nihil moveatur, Svecos sibi persvasuros qvasi metuantur.

Collisio legati Gallici in Svecia super cerimoniis.

§. 76. Brandius ubi in Sveciam pervenisset, Regem novo facto in Gallos irritatum reperit. Qvi recens è Gallia legatus venerat Bazinus postulaverat, ut per duos Senatores ad primum Regis alloqvium deduceretur, & qvidem ut uterqve in curru facie sibi obversa sederet. Sed Rex non nisi per unum Senatorem istum adduci volebat, ad latus legato sedentem. Nam in Gallia legatos Svecicos uno Mareschallo, qvi Dux & Par Franciæ sit, recipi; & hoc modo jam legatum Danicum in aulam adductum. Ast Bazinus, allegatis *Petri Chanuti memoriis*, excipiebat; ejusmodi dispositionem ab aliis qvidem Regibus, sed non à Gallo agnosci posse. Et qvam inter Reges æqvalitatem Gustavus Adolfus Rex qvondam introducere voluerit, subsistere non posse; cum veteribus Conciliis super ordine Regum orbis Christiani aliter dispositum sit. Demum consentiebat Rex, ut qvi Bazinum deducturus esset Senator, huic exadversum sederet. Eam Regis extremam sententiam cum Benedictus Oxenstierna Bazino exponeret, hic regerebat; ingens discrimen esse inter Ducem & Parem Franciæ, & inter Senatorem Sveciæ; ac ideo prioribus temporibus conventum, ut uni Duci & Pari duo Senatores æqvarentur. Eo dicto Oxenstierna ita excanduit, ut abrupte surgeret, ac nullo honoris indicio legati ædibus facesseret, Regi referens, eum de Svecicis dignitatibus valde contemtim locutum. Et credebatur ab Oxenstierna hanc occasionem arreptam, ut communicationem cum Gallia plane abrumperet. Ac legatus iste, cum à Rege suo jussus esset, ni postulatis cerimoniis potiatur, discedere, Rege non viso è Svecia abibat. Sane id factum velut insigne dexteritatis suæ specimen Oxenstierna ostentabat, Gallicos ministros omnium corruptelarum autores Holmia amovisse. Idem Brandio differebat: *Regem salvo cum Cæsare fœdere cum Gallo amicitiam colere non posse; ac ultro abhorrere pro summa pecunia Galli se libidini addicere, qvod & ejusdem rebus haut consultum sit. A Gustavi Adolfi temporibus ad novissimum usqve bellum infinitis documentis constare, Gallum fœderatorum suorum opera ad proprias dunta-xat utilitates, ac pernitiosa destinata uti; ex affectu in hosce, aut grati animi impulsu ne bilum facere, ac demum eorum simplicitatem illudere. Gallicam pecuniam habere instar pennarum aqvilinarum, qvæ & juste parta secum consumant. Tres milliones, qvos Rex novissimo bello à Gallo acceperit, qvinqvaginta millionibus Svecia constitisse, fama insuper armorum Svecicorum imminuta. Et tamen Gallum ob exhibitam promte operam, ac tolerata damna, nec facta pace, nec deinceps vel minimum redhostimentum exhibuisse. Destructam classem immensis sumtibus reparandam, & contractum as alienum dissolvendum. Gallum ista adspicere velut ipsum non tangant; ac Fenqvierum ante aliqvot menses absqve circuitione proposuisse, si Rex XV M militum in Germaniam transferre, ac in Galli gratiam ibi alere velit, hunc certam pecuniam annuam præbiturum ea lege, ut copiæ istæ in Pomerania, & Brema qviescant, ac in Galliam qvid movere cupientibus metum incutiant. Qvasi Svecis expediat provincias suas exedere, ac manibus in sinum compressis alienæ fabulæ otiosos spectatores agere. Insuper tamen habitis iis, qvæ circa Bazinum contigerint, paratos esse Gallos Regi sesqvimillionem uncialium numerare, si hic illa XV M militum ad Galli placitum in Germaniam transportare velit. Sed Regi haut qvidqvam cordi esse vasta Galli destinata fulcire, qvæ brevi ipsam Pomeraniam, ac Bremam periculo expositura sint.* Addebat, se qvondam svasisse, ut omissa in Electoris terras irruptione sequestris officium continuaretur; sed adversarios suos prævaluisse. Alias suæ nationi nil gratius esse, qvam si Regi suo cum Electore conveniat. Cæterum qvare Rex iste tantopere Gallos aversaretur, ejus variæ causæ ferebantur. A puero eum Gallos, & qvicqvid ab his profectum, odisse, qvod nactus foret educatores nil Gallici moris æstiman-

1682.

1682. mantes. Gallos qvoqve Bipontinam ditionem, avitum Regis patrimonium, ita contumelioſo modo eripuiſſe, oblata poſt pro iſta pecuniæ ſumma, qvaſi Regi ditio, ex qva ſpes ſucceſſionis Palatinæ, & Bavaricæ pendebat, pecunia venalis eſſe qveat. Sed & non poterat non Regem male habere, Gallicos miniſtros ita contemtim de Svecia loqvi; Regnum eſſe pauper, famelicum, Reges mercenarios regulos. Ac Barillonus Gallicus legatus nuper inter alia Anglo dixerat: Gallum non pluris æſtimare Sveciam, qvam minimam provinciarum Franciæ, ac Reges Sveciæ ſemper conditione mercenariorum agere, qvi absqve argento Gallico ſubſiſtere neqveant. Sed & nondum Rex digerere poterat, à Gallo Electori, Cellenſi, ac Monaſterienſi aliqvas particulas Svecicarum provinciarum conceſſas; cum tamen ei in proclivi foret, iſtos compellere, ut non ſolum erepta ad aſſem reſtituerent, ſed & inſuper ſatisfactionem præſtarent. Deniqve Axelius Oxenſtierna ſvaſiſſe ferebatur, ut poſtqvam Gallica deſtinata in apricum eruperint, Svecia compeſcendæ Gallorum ambitioni, Cæſari ac Imperio ſeſe innecteret.

Reſponſum Brandio in Svecia datum. 28. Sept.

§. 77. Cæterum mandata ſua prolixe exponenti Brandio Oxenſtierna laxis verbis reponebat; Regem in eo cum Electore conſentire, Germaniæ nil utilius, qvam pacem ſervare; ac eum huic fini conſilium, & operam collaturum. Qvæſtionem duntaxat eſſe, qva via pax conſervari qveat. Regis ſententia in hunc ſenſum referebatur: ſtudium Electoris circa pacem ſervandam laude dignum, ac eandem ſibi mentem eſſe. Sed qva ratione pax ſervanda ſit, nondum ſe judicare poſſe, qvoad adpareat, qvo deliberationes Ratisponæ, & tractatio Francofurti evaſura ſint. Cum Brandius moveret; relicto Argentorato jam Friburgum recuperari poſſe, Sveviæ tegendæ idoneum; Oxenſtierna id ſilentio tranſmittebat. Alias idem addebat; Fœdus cum Cæſare, ac Belgis innoxium eſſe, ac non niſi tuendæ paci Weſtphalicæ, ac Neomagenſi ſuſceptum. Tractatum cum Cæſare adhuc hærere circa ſubſidia ab Hiſpanis numeranda, & viginti naves auxilio Sveciæ à Belgis ſubmittendas. Cæſarem qvoqve non ſupra X aut XII M Svecorum in Germania habere vélle. Sed Regem juſtum exercitum trajicere cupere, cui ipſe tuto, & cum honore imperare qveat. Qvæ in ſpeciem dici adparebat. Diſcedenti Brandio Rex inter alia amica dicebat; ſe ſperare, Electorem non amplius eorum, qvæ antea inter ipſos acta ſint, meminiſſe, aſſeverans, penes ſe culpam non fuiſſe; ac ſi ipſe ea tunc ætate res uti nunc judicare potuiſſet, longe aliter agendum fuiſſe. Simul de Electore ſingulari cum honore loqvebatur. Ad qvæ Brandius: Electorem anteactorum memoriam, & ſenſum exuiſſe. Simul repetebat, qvæ ipſe diſcedens anno 1674 Regi prædixerit; ac ſi tunc irruptio in Marchiam omiſſa fuiſſet, non opus nunc fore ſuper Argentorato diſceptare, ac exitiabile bellum metuere. Rex id verum eſſe agnoſcebat; ſed facta infecta reddi non poſſe. Relatum tunc Brandio fuit, Regi, cum fractam tibiam gangræna invaſura videretur, in animo fuiſſe Electorem per teſtamentum tutorem filiæ Hedvvigi Sophiæ conſtituere. Cæterum iſta blandimenta hautqvidqvam plenam ſinceri affectus fidem aſſeqvebantur; ac verosimile videbatur, amicos adeo vultus ſumi, vel ut Elector conniveret, Rege copias in Germaniam trajiciente; vel qvia oppidis Pomeraniæ admodum maligne proſpectum erat. 1681.

Elector cum Saxone conſilia confert. a. c. Non. Hangwitz.

§. 78. Inter hæc rebus Germaniæ in deterius euntibus Elector Saxonem invitabat, ut aliqvem ſuorum Cotbuſium mittere placeat, qvi cum Meinderſio ſuper præſenti rerum ſtatu communicet. Ubi a Saxone veniens Haugvvicius teſtabatur, Viennæ non magis Saxonis, qvam Brandenburgici conſilia probari, ac tantum non ipſos ibi ignorare qvid velint; ac reverâ Cæſarem haut optima miniſtrorum opera uti. Præcipuum horum laborem in eo verti, ut factionem ſuam firment, adverſam ſubruant. Plerosqve Argentorati jactura ſat langvide tangi, inficeto prætexto, qvia hæretuca civitas ſit. Sed qvæ præcipua congreſſus cauſa erat, Saxoni à Crocovio Viennæ acta communicabantur. Ibi Cæſareos iſthæc præcipue moviſſe: Ante omnia interpretationem tabularum pacis Monaſterienſis, & Neomagenſis ſuſcipiendam: dictatorium Galli modum leges Imperio præſcribendi tolerari non poſſe: conditiones ab eo latas enormes eſſe: iisdem nil ſolidi ſubeſſe, ac Gallum, ubi in mentem venerit, protinus nova poſtulata in medium allaturum, paci abrumpendæ prætextum: deniqve eundem cum Imperio duntaxat tractare, non autem res Italicas, & Hiſpanicas ſimul componere velle, per qvas deinceps pax Germaniæ turbari qveat. Circa hæc Electoris ſententiam eſſe: Optandum fore, à Cæſareis pacem fuiſſe formatam interpretationis haut indigam. Uti autem pacem Neomagenſem reipſa imperfectam,

13. Oct.

Impe-

1682. Imperio noxiam, & contumelioſam; ita & formulam ejusdem ſiniſtre conceptam. Cur non clarius ſcriptum? Cur compromiſſum, qvod ante bellum placuerat, non inſtauratum, ac Ordinibus Imperii præſentem ſtatum reſervatum? Cur antehac cum ipſo Gallo certa pacta inita, ut decem Alſatiæ civitates certis, ac notis conditionibus ab omni Gallorum impetitione immunes forent, ſi credebatur, iisdem per Monaſterienſem pacem ſatis cautum fuiſſe? Ac ſi maxime diu ſuper ſenſu Inſtrumenti diſceptetur, qvem judicem fore utrius interpretatio genuina ſit? Ad poſtulata porro Galli reciproca poſtulata formanda, aut aliqvid offerendum. Ut meliores conditiones obtineantur, ſe maximopere optare, ac in eam rem officia adhibiturum; ſed eventum præſtare non poſſe. Super cautione futuri tractatus ſententiam ſuam Viennæ expoſuiſſe: ea adhuc ſe ſtare. Si ſecuritas in imminutione Gallicæ potentiæ qværatur, alia remedia adhibenda fore, ac diuturnum bellum gerendum, cujus exitus forte Imperio nocentior, qvam iſthæc tranſactio futura ſit. Deniqve in votis eſſe, ut univerſalis pax conſtitui qveat. Sed jam præcipue agi de pacanda Germania, ad qvam lites Italicæ, & Hiſpanicæ directo non ſpectent. Iis locis bellum fuiſſe geſtum, & pacem factam inconſultis Germanis. In Germania qvoqve bellum geſtum, cujus nulla cura Hiſpanos, & Italos tetigerit. Igitur curam patriæ ante omnia habendam. Poſt iſthæc obſtacula amota ſibi tres palmarias rationes occurrere, qvare declinatis extremis pax ſvadenda ſit: inteſtinum Germaniæ ſtatum, Galli opes, ac belli Turcici metum. Ac fateri Cæſareos Viennæ, ſe bello cum Gallis, ac Turcis ſimul gerendo haut ſufficere. Inde movebatur ſuper Electorali faſtigio, qvod jam ab ipſo Cæſare, ac Luneburgicis impugnetur, eiqve velut controverſia ſtatus moveatur. Si Cæſar eam dignitatem Electoribus detracturus ſit, qvi poſt Deum diadema ſuum iſtis ſolis debeat; qvi per legem Regiam velut ſub conditione tutandæ dignationis Electoralis Cæſar dictus ſit; qvi eam ſe defenſuram jurejurando promiſerit; qvi velut Rex Bohemiæ collega ipſorum ſit; qvi nunc in dubium vocatam prærogativam in oculis totius Europæ antea detulerit: qvid alios Reges aut populos liberos facturos? Altius penetrare, qvod nunc Auſtriaca Domus circa hanc Electorum eminentiam, & affectatam Principum cum his exæqvationem cum qvibusdam eorum conſpiret. De qva Domo Electores plus, qvam alius qvispiam mortalium meriti ſint; qvæ ab aliqvot jam ſeculis beneficio Electorum ſummia in orbe Chriſtiano dignitate floruerit. Diſcrimen, qvod Cæſar reſponſo ſuo adduxerit inter congreſſus, qvi in Imperio, & extra hoc agantur, nihil ad rem facere. Sane Monaſterii, qvod utiqve intra Imperium ſitum eſt, Electores ea prærogativa gaviſos. Francofurti etiam cum extero Rege negotium eſſe. Viennæ Italis Principibus, & Rebuspublicis eas cerimonias haut negari; & tamen Cæſarem lege Regia teneri Electores iſtis præferre. Florentino eas cerimonias hac conditione conceſſas, ne id Electoribus præjudicio ſit. Ipſum Cæſarem Electoralibus legatis dignationem regiorum legatorum primi gradus concedere, ut tecto ipſum capite alloqvantur: & nunc Cæſareos legatos debitum iis titulum, locumqve detractum ire? Qvo ipſo omnem cum iis communicationem abrumpi. Addebantur qveſtus ſuper Laxenburgico fœdere, qvo de ejusmodi rebus diſponatur, qvæ Imperii ruinam provocare qveant, imo qvæ, uti ipſum fœdus fatetur, ad Comitia qvidem pertineant, & ibi tractentur; ſed qvia tarde ibidem procedant, ac velut vado adhæreſcant, eam labem hoc fœdere ſupplendam. Eqvidem cuilibet Ordinum integrum eſſe tutandæ ſuæ ditioni fœdera inire, ac ſibi illatarum injuriarum reparationem qværere; aſt non ſuper aliorum, qvi id non deſiderent, negotiis paciſci. Minime omnium iſtis competere Rhenum in certos diſtrictus dividere, ſtativa & hoſpitia aſſignare, & qvinqve Electorum Rheno adſitorum terras partim propriis, partim Saxonicis, & Hanoveranis copiis aſſiguare. Præſertim cum hi duo Principes teſtentur, ſibi de hiſce rebus nihil conſtare, nec Waldeccio qvid eo nomine in mandatis dediſſe, nec unqvam ſibi in mentem veniſſe talia poſtulare, aut exſecutioni dare. 1682.

§. 79. Ad iſta Saxo Melchiori Ruqvio, qvi aliam ob cauſam Dreſdam miſſus fuerat reſpondebat: *Ejusmodi pacem, qvalem Gallus offeras, certiſſimam Germaniæ ruinam poſt ſe tracturam. Eqvidem acta aulæ Cæſareæ ſibi haut probari: certo tamen ſtatuendum, hac tempeſtate à conſervatione Auſtriacæ Domus Imperii qvoqve ſalutem pendere, ac utriuſqve rationes inſeparabiles eſſe, nec Electorum, ac Ordinum ſtatum abſqve ea Domo conſiſtere poſſe. Nam Gallum non prius ceſſaturum, qvam diadema Cæſareum in ſe traxerit; qvo obtento Germaniæ Ordinibus idem jugum ſubeundum, ſub qvo Galli gemunt.* Saxonis circa hac ſententia.

1682. Germanorum culpa Gallum antea adversus Imperium invaluisse, ac in præsens hujus discordia ad novos progressus uti. Igitur extrema potius omnia tentanda, quam admissis ejusmodi fœdis, ac noxiis legibus servitium ultro arcessere. In eadem sententia Bavarum quoque esse. Ejusmodi conditiones non nisi plane victis impingi, quales & Imperio nemo antea proponere ausus est; nec Gallum eas pervicturum, nisi Deo decretum sit novam Monarchiam formare. Interim utique satius esse pro dignitate, ac libertate arma arripere, quam ultro cervices Gallico jugo submittere. Quin ipsi hosti gloriosius esse, si utique Deus rerum conversionem, quod non speratur, statuerit, ut victus inter arma ad extremum connixus, quam præter necessitatem externo se imperio sponte submittat. Ac si maxime omnia Galli armis succumbant, quod sine multa sanguinis effusione futurum non sit; libertatem tamen patriæ, & Teutonicæ nationis gloriam majus periculum incurrere non posse, quam in quod ea Gallicis conditionibus acceptatis certo ruitura sit. Id quod statim erupturum sit, atque Germania iterum armis se exuerit. Quod jactetur oblatas conditiones acceptandas, si meliores obtineri nequeant, perinde esse, ac si eas pure acceptandas dicatur. Nam si Gallus norit, eam Imperio sententiam esse, nunquam aliquid remissurum. Cæterum justitiam causæ Imperio manifeste favere. Neomagi circa Alsatiam nil cessum, sed omnia in pristino statu relicta. Nec vero Cæsareæ legationi facultatem quid condonandi fuisse, quæ & ex abundanti eo nomine protestationem interposuerit. A ratihabitione demum tractatibus firmitatem provenire, qua & ab Imperio requisita sit. Ea autem expresse cavere, ut negotium Alsaticum in præsenti statu relinquatur. Eam ratihabitionem Gallum admisisse, eoque eandem plenam obligandi vim accepisse: ut Gallus acta sua è Neomagensi pace nec adstruere, nec excusare possit. Ex fœdere anno 1671 Vienna inito haut consequi, Cæsarem Alsaticas urbes cedere potuisse, aut voluisse: sed id duntaxat ibi conventum, ut orto forte dissidio controversia illa extra vim amice componatur. Ex actis compromissi adparere, Gallis tunc talia ne per somnium in mentem venisse; quin ipsos velut illegitimam pretensionem declarasse, quæ nunc Imperio tanquam justa, & aqua agnoscenda obtruditur. Quanquam etiam inter supremas potestates judex non existat; jure gentium tamen receptum, ut si inter istas controversiæ surgant, ea per arbitros, aut sequestres componantur, ac ut pactorum instrumenta, æquitas, & sana ratio inter fundamenta decidendi habeantur, antequam ad extrema procurratur; non autem ut in ipso limine ejusmodi postulata ab una parte alteri pro imperio injungantur. Hic agendi modus si inter gentes recipiatur, non opus fore congressu ad negotiationem, sed talia jussa per tubicinem alteri transmitti posse. Postulata hinc inde proponenda, ut demum in uno tertio conveniatur; cui inveniendo inspectio Instrumentorum subserviat, quæ unice eo fine conficiuntur, ut vincula societatis inter gentes sint. Quem usum si non amplius habeant, inter vilis chartas censenda. Nil quoque de securitatis subesse Gallicis conditionibus, unice à Galli libidine pendentibus; ac Germania exarmata adpariturum, quanti eidem fidei, ac juri jurandi religio habeatur. Unde solidam securitatem unice è conjunctione petendam, ad quam Elector maximum momentum adferre possit. Quanquam autem communis pax difficilius, quam peculiaris cum Imperio obtineri queat; potentiam tamen Gallicam eousque provectam, ut toti Europæ suspecta sit; nec obscurum esse, Galli destinata non magis ad subigendam Italiam, quam Germaniam dirigi. Indicio esse, quod is ita operose laboret, ut per peculiares tractatus communes rationes divellat, ac cum omnibus bellum, cum omnibus pacem simul defugiat. Contra Germanis summam consiliorum eo redire, ut commune periculum junctis viribus propulsent, ac pacem communi opera conservent. Præsertim cum Gallus jam cœperit cum Germanis velut pro imperio agere, postulatis suis extra exceptionem obtrusis. Cum tamen nullo colore Gallus in eas leges pacem iure pretendat, ubi nullum bellum antecesserit, nec per Imperium vel minima belli causa prabita sit; cum iste contra pro lubitu grassari gloriosum ducat. Quod autem ob enormem Galli potentiam bellum cum ipso declinandum sit, id maxime locum habiturum, si quæstio sit, num Imperium Galliæ arma ultro inferre debeat. Ast armis injuriam propulsare, cujus necessitas Imperio adversus violentam oppressionem, & avertendo servitio imponatur, non adeo anceps esse, uti fertur, ut ideo omnia ad placitum Galli concedenda sint. Posse vires Germaniæ Gallis præponderare, ubi bi pluribus locis distrahantur. Venetos Madriti fœdus mutuæ defensionis obtulisse. In Catalonia, versus Italiam, in Flandria L M militum Gallo opus esse mere adversus Hispanos defensioni. Quid contra Belgas requiri? Ista omnia cum Gallus norit, universale bellum tantopere formidare, cui se parem non fore satis norit. Affectatam Germaniæ debilitatem Galli potentiam terribiliorem reddere. Porro quemcunque vultum Anglus jam inducat, tamen ubi in arma eruptum fuerit, quam vis ingra- 1682.

tus

1682. *tiis ad alia consilia compulsum iri. Ut inter Ordines Imperii concordia existat, Electorem plurimum conferre posse, ac reliqvos dissentientes mox ejus exemplum secuturos. Ac si idem cum Bavaro, & Saxone conspiret, brevi honestam pacem, aut glorioſum bellum expectandum. Cum contra acceptatis nunc à Gallo propoſitis conditionibus bellum brevi eruptorum sit, post opes Imperii tantopere debilitatas, post abrupta, qua in præsens capta sunt, omnia consilia, ac post prostitutum Germanicæ nationis decus. Et tunc tamen non minus qvam in præsens anceps fore, cui sors armorum fautura sit. Difficillimum qvod objicitur esse bellum Turcicum. Sed unanimi conjunctione Turcæ juxta, ac Gallo resisti posse. Ac valde verosimile videri, ni status Germaniæ Turcis per alios proditus esset, aut ni isti alieno instinctu stimulentur, hos eo tempore, qvo totus orbis Christianus armis instructus agat, inducierum prorogationem haut fuisse recusaturos; cum hucusqve ipsis semper nos fuerit Christianos armatos haut lacessere. Ast præsumendum non esse, ni Cæsarem virium suarum conscientia animaret, eum rem ad extrema deduci passurum fuisse. Et destinatum LXXX M militum armare: eundem Polonis, ac Moscis amicis uti, ex Italia ingentes pecuniarum summas accipere. Cum tamen certum sit Austriacis infelici bello succumbentibus reliqvos victos Turcis pares haut fore; eo majorem necessitatem incumbere maturam conjunctionem ineundæ sulciendo Cæsari. Denique Gallo rerum potiunte Protestantium sacra succubitura, qvod tunc omnium Principum rationibus turbatis, Gallus haut omissurus sit super bonis Ecclesiasticis actionem movere. Has ob causas sibi ad tutam pacem juxta, & honestum bellum summe necessariam videri consiliorum, & virium conjunctionem, tanqvam unicum remedium prævertenda, qva imminere videtur, dissolutioni, ac ruinæ Imperii. Eqvidem nonnullos hæc consilia velut desperata differre. Se tamen nondum omnia conclamata habere, ac difficultates, qva objiciantur, adhuc superabiles esse. Qvicqvid demum sit, præstare utiqve rem ad extrema deducere, qvam in durissimas leges, lubricam, turpem, atqve exitiabilem pacem concludere, ac extraneum jugum citra necessitatem subire; cum libertas, ac autoritas Principum Germaniæ cum Gallici status indole consistere neqveat.* Addebat Saxo; *sibi certo constare, bellum demum super sacris oriturum, ac Jesuitas, qvi in præsens Galliæ rationibus innexi sint, apud Pontificem impedire conari, ne Cæsari suppetia adversus Turcam submittantur, ex ratione adducta, qvod Gallus promiserit, si autoritatem suam in Germania eo, qvo spes sit, provehere qveat, ita se res temperaturum, ut per pacem Westphalicam detracti Romanæ Ecclesiæ sedecim præsulatus, ac omnia reliqva bona sacra eidem restituantur. Unde si maxime in Hungaria sedi Romanæ per Turcarum progressus qvid detrahatur, id tamen decuplo in Germania pensatum iri.* 1682.

§. 80. Eodem tempore Cæsar misso Joanne Philippo Lambergio Comite de imminente à Turca periculo significabat: uti hic, cum induciis adhuc biennium restet, Hungaricis turbis eousqve se ingesserit, ut rebellibus hoc anno ad expugnandas aut evertendas complures in Superiore Hungaria munitiones validas copias auxilio miserit: tum seqventi vere Asiaticas, & Europæas vires Belgradum evocet, justum bellum sibi illaturus, ipsiqve Viennæ obsidium minitans. Huic hosti ut resistatur, eo magis Cæsari necessum esse totius Germaniæ auxilia excire, qvod ab Occidente qvoqve tempestas immineat. Et qvia Electores primariæ Imperii columnæ, ac intimi Cæsaris consiliarii sint, in tam arduo negotio eorum consilium exqvirere velle, si futuro mense Februario Ratisponam modico cum Comitatu iisdem accedere placeat. Qvod iter Elector qvoqve suscepturus speretur, cum Bavarus, & Saxo jam condixerint. Qvatuor Electorum ad Rhenum præsentiam eo certius expectari, qvod ingruens à Turca periculum Gallo omnem suspicionem eximere possit. Præsertim cum Gallus sublato nuper Lutzenburgi obsidio declararit, id eo respectu factum, ne orbis Christianus à communi contra Turcam defensione impediatur. Ac inter conventum eo fine habitum istorum Electorum ditiones non majus periculum manere, qvod inter suspiciones licet domi hærentibus haut ideo plus virium ad resistendum in promtu futurum sit. Qvid qvod nondum eousqve libertas Imperii redacta sit, ut Electores cum Cæsare ob respectum extranei Regis congressum agitare non audeant. Ad ista Elector scripto respondebat: Iter Ratisponam per valetudinem hiberno præsertim cœlo suscipere supra suas vires esse. Qvæ sententia sua sit, peculiari Viennam legatione, ac per ministros suos Ratisponæ, ac Francofurti candide exposuisse. Se qvidem haut præsumere, Gallum ex conventu Cæsaris, & Electorum suspicionem concepturum; aut hos metu, & respectu extranei Regis eum congressum declinaturos. Optimum autem, & efficacissimum remedium tranqvillando Orbi Christiano, subducendæ in tutum patriæ, servandæ Hungariæ *Cæsar de bello Turcico significat.* *d. Dec.* *g. Dec.*

1682. gariæ, ac provinciis Cæsareis hac tempestate non aliud adparere, qvam qvod ipse hactenus tam enixe, & candide commendaverit. Et qvia Germania impar sit Gallicæ, ac Turcicæ potentiæ eodem tempore propulsandæ, se magnopere optare, ut stabilita domi concordia, & amice compositis cum Gallia controversiis, qvæ supersint Germaniæ vires haut spernendæ ad repellendum Christiani nominis hostem, ac retundenda ejusdem cruenta consilia impendantur. Qvo casu spem esse, Gallum ad tam egregia destinata, si reqviratur, insigni auxilio concursurum. Se qvidem, ut studiosum boni publici, patriæqve animum Cæsari, totiqve orbi adprobet, nihil omissurum. Eadem Cæsar per Emmericum Fridericum Waldendorfium Moguntino proposuit, qvi & in eundem sensum respondit, addito: se lubenter Cæsari præsto fore, qvo ipsum evocare placeat, modo prius per pacem cum Gallo adsitæ Rheno provinciæ in tuto collocentur; nec exteri hospites metuendi sint, ubi ipse vacuam domum reliqverit. Unde sibi necessarium videri, tranqvillandæ Germaniæ proposita à Gallo acceptari; idqve se fido in patriam animo svadere. Eqvidem nosse, Viennæ se Galliæ addictum haberi; sed solatio esse conscientiam, qvæ incorruptum sibi testimonium dicat sinceri in patriam studii. Cum Moguntinus objiceret, Gallum ex eo conventu suspicionem concepturum, novasqve Germaniæ turbas daturum; Cæsareus ablegatus è Gallico ministro, qvi Moguntiæ agebat, sciscitari petebat; an non Gallus potius spem inde concepturus sit, pacem cum ipso firmatum iri? Ast hic non sine ferocia declarabat; Regem utiqve gravi suspicione perstrictum iri, cui plane persvasum sit, Cæsari nil magis in votis, qvam bellum cum Gallo esse; ac facile colligi posse, omnia consilia non tam contra Turcam, qvam Gallum directum iri. Gemina cum Moguntino Palatinq qvoqve, & Trevirensis, atqve Colonensis responderunt. Qvorum & hic exprobravit: cum legatio Cæsarea Francofurti Electorales Principalibus legatis exæqvare voluerit, Electores ægre in congressum cum Cæsare consentire posse, anteqvam ipsis eo nomine satisfactum fuerit.

Electoris ad Cæsarem missio. 1683. Apud Saxonem proposita.

§. 81. Vicissim Elector Ottonem Sverinum ad Cæsarem mittebat; qvi ex itinere Dresdæ nonnulla circa responsum nuper Rucqvio datum monere jubebatur. In eo qvippe multa erant, qvæ Elector haut agnoscebat, de qvibus Saxo aliter edocendus erat. *Sane se nunqvam proposuisse, ut* 1683. *Galli conditiones pure acceptentur; multo minus, ut Germania ultro cervices Gallo submittat. Sed nec dispicere posse, Germaniam, si maxime in Gallicas conditiones pax ineatur, ideo in extremum periculum, aut servitium conjici. Se qvoqve manifestius è causis nil fructus dispicere posse, si Angli, Sveci, ac Venet velut sponsores Westphalicæ pacis implorentur. Contra non defore rationem justa cautela firmandi pacem, qvæ in oblatas à Gallo conditiones concludenda sit. Se qvidem universalem pacem summopere optare, ac maxime abominari Italiam à Gallo subjugari. Ast in præsens ante omnia pacem, ac securitatem Germaniæ respiciendam. Se porro judicare non posse, Gallum per factas de pace propositiones cum Germania pro imperio, velut Principem cum subjectis agere. Num bellum non ita periculosum sit, sicuti ipse ostenderit, eventum minus sero edocturum. Non constare qvoqve sibi de affectata aliqva Germaniæ debilitate, qva Galli vires in majus extollantur. Num ab Anglo qvantumvis invito alia mox consilia capessenda sint, sibi valde dubium videri; uti & qvæ de mutatione consiliorum in Dania, ac fortibus in Belgio Fœderato destinatis innuantur. Germaniam sufficere bello simul contra Turcam, ac Gallum gerendo, animo se comprehendere non posse, aut Cæsaris militiam ad tot millia adscensuram. Nec magis capere se, qva ratione utilius Germaniæ sit rem ad extrema deducere, qvam in notas conditiones pacem inire. Denique Saxonis sententiam circa Laxenburgicum fœdus sibi haut probari, ac reme esse maximi momenti, circa qvam rationes qvinqve Electorum ad Rhenum versentur.* Ad ista Haugvicius: Perinde esse, utrum qvis dicat, Galli conditiones pure acceptandas, an vero publice dictis sententiis declaret, acceptare nos eas velle, ni Gallus remittere qvid velit. Nam illum ultro nihil remissurum; ac jam intima animi sensa apertius fuisse denudata, qvam ut à Gallo moderatio sit speranda. Et qvia per acceptationem pacis securitati Imperii haut consulatur, satius esse nunc bellum ordiri, qvam qvando armorum paratus, ac concordia Germaniæ in deterius abiit. Frustra conversionem rerum in melius expectari, qvod singulis annis qvantum Galliæ vires gliscant, tantum Germaniæ opes minuantur. Successu qvoqve temporum multas illustres domus ob inevitabilem divisionem potentia, qva nunc conspicuæ sint, evolatum iri. Sed Sverinus regerebat: in meditullio Germaniæ sitis facile esse fortiter loqvi. Sed Electoris terras Galliæ propin-

1683. 29. Jan. pinqvas, nec à Turcico periculo nimium remotas. Demum fatebantur Saxones, se jam fœdus cum Cæsare absolvisse, eoqve frustra ratiocinia consumi. Addebant, Electorem sibi non optime consuluisse, qvod dum se subtraxit, Cæsari necessitatem attulerit auxilia apud Svecum, & Polonum qværendi; & cum alias idem imperium in Cæsaris exercitum obtinere potuisset, ansam dederit, ut id in Luneburgicos devolveretur. Sibi qvidem animum non esse Gallum aggredi, & Argentoratum vi recuperare; qvod vix successurum sit. Expectare tamen, qvid Gallus ulterius suscepturus sit, ac si reunionibus grassari pergat, se vim ejus propulsaturos. Nam etsi Argentoratum tunc qvoqve perituram sit, minus deforme tamen esse aliqvid amittere, qvam condonare. Nam qvamdiu id per tractatus non sit cessum, jus integrum manere; ac si res militaris in Germania melius digeratur, occasionem nasci posse amissa vindicandi. Qvibus Sverinus opponebat: hoc modo ad Rhenum positos à defensoribus proculcandos; qvod Elector nunqvam sit concessurus. Contra Gerstorfius; Electorem olim prætexto defendendi Imperii nulla prægressa reqvisitione, aut conventione tractum Rhenanum exercitu suo inundasse, ac ea fecisse, qvæ nunc qvoqve sine gravi necessitate suscipienda non sint. Non videri tamen rem huc redituram. Goltzius supremus militiæ Saxonicæ præfectus dicebat; Cæsarem, Svecum, Polonum, & Hanoveranum acriter apud Saxonem institisse super offensivo fœdere adversus Electorem; sed se acerrime oblectatum.

Mandata ad Cæsarem.

§. 82. Ast apud Cæsarem Sverinus excusare jubebatur Electoris valetudinem, qvo minus designatum conventum obire potuerit. Sed sententiam suam hac legatione declarare velle. Sane cum non adpareat, qva ratione ingruenti à Turca, & Gallo periculo pariter occurri qveat, suscipiendos cum Gallo tractatus qvantum potest; qvod hic jam paratus adstet rapiendo, qvicqvid trans Rhenum jacet. Non minus sibi qvam aliis dolori esse, Imperio tot egregia membra, ac inprimis Argentoratum decerpi. Enimvero necessitati cedere sapientum esse, & jactura unius vel alterius membri totius corporis conservationem qværendam. Ubi semel constans cum Gallo pax concluta fuerit, se super ejus evictione cum Cæsare, & aliis arctissimam obligationem contracturum, ac ejusmodi consilia capturum, ut ex ea parte nil amplius metuendum sit, aut ut pacem infracturis idoneæ vires opponi qveant. Esse regnis, ac rebusp. suas periodos; ac forte deinceps mitiora tempora Germaniæ exoritura, qvibus erepta recipi qveant. Pace qvoqve constituta sibi facultatem fore insignia auxilia contra Turcam submittendi, ad qvæ & prolixæ sibi voluntas sit: ac è Cæsare nosse velle, qvo modo studium suum repræsentare possit. Præter ista jubebatur Sverinus monere de tuendo Electorali fastigio: tum de Laxenburgico fœdere, per qvod Electori grave præjudicium inferatur. Nec minus de actione in Carnoviam, ac in vacantes non ita pridem Ducatus Lignicensem, Briegensem, Wolaviensem: circa qvos tamen ipse Cæsari duris hisce temporibus molestus esse nolit; ut tamen ratio ineatur, qvomodo his in melius euntibus sibi satisfiat. Nam superiore seculo pactum mutuæ successionis inter Brandenburgicam Domum, & Duces Ligniciæ, & Briegæ initum fuerat, qvod Regum Bohemiæ concessione nitebatur, qva iis Ducibus libera dispositio circa dictas ditiones indulta fuerat. Injunctum qvoqve Sverino svadere, ne Cæsar ob negotium Gottorpiense Daniæ Regem nimis urgeat, ne idem in nervum erumpat; sed ut potius ea lis amica tractatione, & opera seqvestrium componatur.

Vienna disputata. 4. Febr.

§. 83. Viennæ Sverinus reperiebat aulam Cæsaream negotium pacis extractum ire, ac indubium habere, Gallum, qvicqvid ferociæ præ se ferat, contra Germaniam nil tentaturum. Qvin malebant id ab eo fieri, qvo pax in Italia, & Belgio Hispanico servaretur, ubi auxilia Imperii sperari non poterant. Nam ubi Germania serio invadatur, non defore, qvi vires oppositurі sint. Ad propositа à Sverino regerebatur: Gallum Germaniæ haut diutius pacem indulturum, qvam qvoad limitem suum ex voto firmaverit. Interim alia adqvisiturum, qvæ Germaniæ fraudi, ubi robori cedant. Eundem qvidem Electori imputaturum, qvod ob hujus officia tractatui liberum spatium indulgeat, ac reunionibus, aliisqve infestis abstineat. Revera tamen commodiorem in arma erumpendi occasionem captare, ubi Turca Cæsarem invaserit. Alias se abrumpendis tractatibus ansam non præbituros: pacem tamen omnes complexam optare. Contra Gallum nec pacem, nec bellum cum omnibus velle. Si à pace Flandria, Italia, & alia loca excipiantur, fœdera, qvæ cum Hispano, Sveco, Bavaro, & aliis inita sint, nulli usui fore. Cæsari fiduciam esse propriis viribus

1683. bus Turcam propulsandi. Galio fœderatos opponi posse. Nec dubium esse, qvin si Gallus Germaniam serio invadat, qvicqvid est Ordinum, ipsumqve Electorem auxilio se accincturos, nec patriam opprimi passuros. Ita cum initio Sverini adventus in magna fuisset expectatione, post audita ipsius propositione frigide excipiebatur. Ast legatus Hispanicus Burgomagnus, penes qvem tunc consiliorum Viennæ regimen erat, apud Sverinum multa jactabat de sua in Electorem veneratione, qvem magis respiciat, qvam Svecum, Polonum, Brunsvicenses, & alios. Circa negotium abreptæ navis nil magis qverebatur, qvam qvod Elector forte ab iis, qvi hoc consilium suggesserint, persvasus fuerit, Hispanos ejus facti ultionem haut omissuros; eoqve istum diffidentia erga hosce adversa iisdem consilia capturum. Enimvero privatis solitum ejusmodi injurias exsequi. Principes, qveis ratio status, & bonum publicum norma actionum sit, ob talia regiam viam haut relinqvere. Sat causæ Electori ad stomachandum infinitis dilationibus præbitum. Se magnopere connixum, ut Electori residua solverentur. Sed statum Hispaniæ ita langvere, ut aliqva patientia opus sit. Et alias ejusdem haut interesse, ut Gallus Austriacam domum, & Hispaniam subvertat; cui nil aliud spectetur, qvam ut inter se divisos unum post alterum opprimat. Eam ob causam istum a pace universali abhorrere, qvam Cæsar maxime cupiat. Nam uti Gallus Ratisponæ negotium Hispanicum separare radeat; ita eundem cum Hispanis exclusō Imperio transigere velle. Brandenburgicæ Domus rationes cum Austriaca ita innexas, ut Electori ferendum non sit, postqvam hujus magnitudo non amplius formidinem incutiat, eam amplius debilitari, aut plane opprimi ab eo, qvi non obscure ad imperium Europæ adspirat, & à qvo non nisi incertum commodum, indeclinabile damnum expectandum. Nam si Gallo res ex libidine succedant, Electorem qvoqve communi ruina involvendum; ac unum vel alterum Imperii membrum facile spernendum, ubi maxima pars subacta fuerit. Ast ubi Gallo fortuna reflaverit, Gallica tunc auxilia, & ipsa incerta Electorem imminenti exitio haut ereptura. Nec dubium, qvin Polonus, Svecus, Brunsvicenses Cæsaris fœderati plausibile prætextum arrepturi sint ex Electoris calamitate lucrum captandi. Et qvemadmodum Carolus Gustavus Sveciæ Rex inter ultima mandata hoc qvoqve posteritati suæ injunxisse feratur, ut provincias in Germania partas 1683.
inseparabili cum hac conjunctione ferveat: ita plus adhuc causarum esse Electori, ut per salutem Imperii propriam stabiliat, & adversus invidos vicinos muniat. Ad qvæ Sverinus prolixe demonstrabat; Electorem semper Imperii conservationem qvæsiviisse, & adhuc qværere: sed remedia salutis pro captu temporum eligenda, & adplicanda. Porro Cæsarei ministri in eo conspirabant, Cæsarem magis in pacem, qvam arma propendere, velut cui animus sit placidus, & à turbis abhorrens; qvi & ancipitem Martis aleam probe consideret. Qvod autem Elector hoc turbido rerum statu salutem patriæ per duram pacem, qvam anceps bellum promovere malit, id ei haut qvidqvam vitio verti, qvod ejusdem magnopere interfit pacem persistere. Enimvero in aprico esse, Gallum ad Europæ monarchiam adspirare, ac Cæsareum diadema procari; nec de ea particula Germaniæ, qvam in præsens qværit, eidem agi, sed ut viam universæ subigendæ sternat, si maxime nepotes demum sui eum scopum allecuturi sint. Id Gallos scriptis publicis haut ita pridem editis sat aperte insinuare, & qvod tantopere ab universali pace abhorreant, qvæ forte metam continuis adqvisitionibus fixura sit; & qvod non amplius religioni eidem sit fidem publicam, & jusjurandum inter fallendi instrumenta adhibere. Tum qvicqvid de renuntiationibus jactatur, inane esse ob absurdissimum legis Salicæ commentum, per qvod in æternum nil, qvod semel qvo jure, qva injuria ad Coronam Galliæ spectavit, cedi qveat; cum Galli contra qvalicunqve usurpatione, ac invasione in aliena jus sibi qværi contendere non erubescant. Sane qvorundam scriptorum Gallicorum impudentiam eo usqve excedere, ut in evolvendis Galliæ prætentionibus primo loco ponant prætensionem in universum terrarum orbem. Igitur non prius stabilem pacem sperandam, qvam ejusmodi limes constituatur, qvi non minus Germaniam à Gallorum, qvam Galliam à Germanorum irruptionibus tutam præstet: ac eo fine perpetuum militem Gallo opponendum. Cæsaris copias ad LXXX M bellatorum assurgere. Accedere potentes fœderatos; nec reliqvos, qvi nunc dissentiunt, defuturos. Si præsens occasio negligatur, ac alias enervis Hispania ab amicis destituta ad desperationem compellatur, Gallum interim fines suos firmaturum; tum Cæsarem sociis nudandum, & Hispanica successione excludendum. Turcicum bellum sibi curam-

haut

1683. haut injicere. Nam pacem utut cum damno conjunctam in manu sua esse, sed qvæ pro re nata iterum abrumpi qveat; cum flagitium non haberi possit cum barbaris ita agere, sicut cum Christianis Christianissimo Regi agere moris est. Utcunqve res cadat, bellum Turcicum non ultra unius æstatis expeditionem duraturum; & qvæ heic metui qveat jacturam hautqvidqvam comparari posse cum diademate, & libertate, qvæ ex altera parte periclitetur. Ac si reliqva omnia fallant, pacem se cum Gallo qvoqve habere posse; qvi semper in propositas conditiones consensurus sit, velut per qvas fundamentum vastis ejusdem destinatis ponatur. Huc accedere agendi modum nimis qvam contumeliosum, ut Cæsar cum universis Ordinibus tanqvam supplex Ratisponæ coram ministro Gallico, cui ne legati qvidem dignatio sit, supercilioso, ac insolente homine, compareat, eiqve declaret, se citra exceptionem Galli placitum amplecti, ac ab ejus gratia pendere velle. Nam saltem ad molliendum pudorem facere, si ea, ad qvæ necessitas descendere subigit, per alium proponantur. Enimvero etsi Cæsarei ministri sat magnifice loqverentur, ac ipli Cæsari subinde in ore esset; *si pereundum, glorioſè pereundum:* constabat tamen, eos utiqve pacem cupere, si tres difficultates superari possent; nempe qva ratione Cæsaris ac Imperii declaratio super acceptandis à Gallo latis conditionibus proponenda, ut istius majestas salva sit: uti istiæc acceptatio fœderatis, ac præcipue Hispanis adprobanda sit: deniqve qvomodo publicæ securitati in posterum ita prospici qveat, ut incendium in Germania extinctum non protinus alibi locorum erumpat, istam iterum involuturum. Sed periculo à Turcis incumbente majus malum eos respectus facile superaturum erat. Laxenburgicum fœdus necessitate excusabatur. Circa eminentiam Electorum aliqvi dicebant: Cæsari rationem constare, qvare Principibus faveat, velut qvi magis in ipsum propendeant.

Cæsareorum declaratio. 8. Mart.

§. 84. Inde congressu habito id responsi Sverino Cæsaris nomine dabatur: Se etiam malignam pacem ancipiti bello anteferre, velut cui minima lucri spes ex hoc bello sit. Nam si maxime qvid recuperetur, id non ad se, sed ad Ordines redire. Eoqve non magis spe emolumenti, qvam animi inclinatione impelli, ut tranqvillum statum cum turbido permutare, ac præter periculum à Turca aliud qvoqve provocare velit. Unde gratissimum sibi fore, si idonea via huic periculo declinando inveniatur. Eoqve se non recusare, etsi tale qvid Imperio nunqvam contigerit, ac non modico probro eidem cedat, qvo minus cœpti tractatus continuentur; ac se talia Ratisponæ propositurum, qvæ Gallum satis de suo in pacem studio convictura sint. Ad omnes qvoqve fœderatos serio scripturum, ita sententias dicerent, ut omnium in pacem propensio inde manifesta evadat. Ast de gemino Galli in pacem studio valde dubitari. Qva fide hic Monasterienſem, Neomagenſem, aliosqve tractatus servarit, in aprico esse; & ex eo in futurum auguria capi posse; ni pax ita temperetur, ut eidem tutandæ alii qvoqve præter solum Imperium innectantur. Ac vel eo solo, qvod Gallus Turcam in arma stimulet, istum omnem fidem consumsisse; qvod flagitium Nemesis divina haut sit inultum passura; nec id ullum, qvi Christiani nominis sanctimoniam æstimat, adprobaturum. Qvia etiam Gallus universalem pacem inire abnuat, ac eos, qvibus eædem rationes, idem communis tranqvillitatis scopus sit, separare studeat: id sane ab eo agi, ut unam portam claudat, alteram apertam relinqvat. Unde sibi ante omnia stabilitatem, & securitatem pacis respiciendam, ne in vicem pacis arena duntaxat belli mutetur; cui malo non aliter qvam per pacem ad omnes porrectam obviam iri qveat. Ast si ejusmodi pax à Gallo rejiciatur, & scena belli alio loco struatur; non modo fœdera jam icta abdicari non posse, sed & omnibus necessitatem incubituram commune periculum sociata opera averruncandi. Præsertim cum, qvorum inclusio in pacem, & conservatio qværatur, Circuli Burgundici, & feudorum Imperii in Italia, rationes Imperio haut alienæ censendæ sint, ad qvæ ipse lege Regia tutanda etiam inconsultis Ordinibus teneatur. Nam horum consensum duntaxat reqviri, si ipse bello alterum petere instituat. Defensionem, qvæ & juris naturalis sit, sibi ex officio incumbere. Igitur se non dubitare, qvin Elector tam honestum ipsius institutum sit probaturus, eiqve fulciendo operam collaturus, magnum rebus momentum allaturam. Simul apud Gallum instituxum, ut is communis pacis tractationem suscipiat, eiqve commodum locum nuncupet, ac Pontificem, Polonum, & Venetos seqvestres admittat. Hispanos paci admodum faciles fore. Qvia etiam periculum à Turca ingruat, qvem princeps purpuratorum privatas ob rationes & per ambitionem in bellum trahat, se spe-

1683. sperare, Electorem qvæ tam generose obtulerit repræsentaturum, ac aliqvot millia militum auxilio missurum. Qvod super tribus Ducatibus in Silesia nunc prætensio moveatur, mirum videri, qvod Elector nullum jus ad eos docere possit, postqvam olim inter Domum Brandenburgicam, & Lignicensem facta unio per regiam sententiam irrita declarata, ac intra seculum ejus mentio facta non sit. Sverino regerente; cum adversus eam sententiam cassatoriam Electoris majores protestati sint, eam huic inaudito nocere non posse. Sed cum Cæsarei super auxilio contra Turcam submittendo instarent, Sverinus reponebat: si pax cum Gallo non succedat. Electori haut tutum esse copias suas dividere; qvod ipsi ostenderint, Cæsari cum Polono, Sveco, Saxone, Brunsvicensibus fœdus esse, ad qvos isti respiciendum sit. Circa Electorales legatos facile concedi posse, ut extra statos Imperii conventus etiam in ipsa Germania, ubi exteri Principes concurrant, sicuti nuper Francofurti, iis desideratæ cerimoniæ concedantur.

Responsum scripto datum.

§. 85. Demum & Sverino responsum scripto dabatur, qvo Cæsar de sua in pacem inclinatione prolixe testabatur, modo à Gallo par studium expectari posset. *Sed ad futuræ pacis securitatem opus esse, ut ea universos comprehendat; ut si Gallus conventa violare conetur, ab omnibus bellum sibi metuendum norit. In perspicuis futuri instrumenti verbis cautelæ nihil esse. Nam qvid Westphalica pace, ad qvam Neomagensis provocat, clarius exprimi potuisse, qvam ut decem Alsaticæ civitates, & Vasalli trium Episcopatuum, eorumqve ditiones penes Imperium manere debeant? Qvomodo eum sensum Gallos ipso facto clarius agnoscere, atqve interpretari potuisse, qvam qvod ea omnia loca juxta Noribergensem conventionem Imperio restituerint, & qvemlibet eorum Ordinum immediato statu gaudere permiserint. Eosdem deinceps uti antea in comitiis, præsentibus nec contradicentibus legatis Gallicis sententias dixisse, ratam partem ad Imperii, & Circulorum erogationes contulisse, in contentiosis nulla alia præter Imperii judicia agnovisse. Ab ipso Gallo ad eosdem velut liberos Status legatos missos; fœderacium iisdem icta. Qvin etiam in limine compromisse, ac pluribus vicibus declaratum, Regis mentem non esse, immediatum earum civitatum statum, pacem Westphalica firmatum, in controversiam vocare. Eodem Instrumento pacis præsulatum, & civitatem Argentoratensem clarissimis verbis exceptam. Eandem civitatem cum aliis ab Imperio delegatis velut inter pacisentes pacem subscripsisse. Liqvidissime constare, trium Præsulatuum usurpatos vasallos sub horum districtibus Galliæ nunqvam cessos, nec traditos. Ast tam claram dispositionem nihil profuisse, qvo minus statim post ratihabitam Neomagensem pacem à Gallo non solum memorati Ordines, sed & alii complures Præsulatus, Principatus, Comitatus, ac ditiones Imperii etiam citra prætextum abriperentur, ac sub Gallicum imperium redigerentur. Cum etiam Gallus uti Neomagi cœpit, Francofurti, ac Ratispona non ad indolem justorum tractatuum agat, sed abrupte leges pro suo placito, & usu dictitet: qvid spei de duratione peculiaris ejusmodi pacis concipi posse, ubi Cæsar fœderibus jam initis, ac armorum adparatu exutus fuerit? Haut tamen sibi in animo esse cœptos Ratispona tractatus abrumpere, aut exterorum negotia hisce immiscere. Neqve enim ditiones Imperii in Italia, Circulum Burgundicum, Lotharingiam, & alia, qvæ salva esse Germaniæ qvam maxime interest, inter externa censeri posse; qvæ & negligi neqveant absqve manifesta Imperii mutilatione, ac periculo, ne ex iis locis eadem intra propria viscera deinceps infestetur. Sed omnes separatas pacificationes inanes, illusorias, ac obligatione cassas fore, qvod translationem magis, qvam cessationem belli in Imperio productura sint. Cum itaqve Gallus ipse de inclinatione sua in pacem universos complexam testetur, Cæsarem confidere, Electorem pro studio suo in salutem patriæ officia apud istum continuaturum, qvo idem Ratispona, aut alio idoneo loco etiam super communi qviete transigat. Nec Cæsarem insuper habiturum fœderatos suos hortari, ut faciles se circa perficiundum tam necessarium negotium exhibeant. Interim Electorem, oblata contra Turcam auxilia repræsentare haut omissurum.* Addebatur pollicitatio de tuendo Electorali fastigio, ac promovenda satisfactione, qvam Elector è novissimo bello Imperium poscat. Circa Carnoviam oblata antehac pecuniæ summa repetebatur, laudata Electoris moderatione, qvod hoc tempore Cæsari molestus esse nolit. Circa reliqvos tres Ducatus nullum Electoris jus agnoscebatur, velut qvod ante seculum jam fuerit abolitum. Hoc accepto responso Sverinus discedebat, ne longiore mora Gallo suspicionem injiceret. Nam Seppevillius ablegatus Viennæ Gallicus Lutetiam scripserat, Electorem consilia sua mutasse, ac Cæsari se innectere velle. Post publicam valedictionem Kœnigseckius nomine Cæsaris eidem dicebat; hunc in nemine plus fiduciæ, qvam in Electore collocare, & qvi & deinceps fida sua

1683.

31. Mart.

Seppevillæ.

1683. sua consilia ipsi communicare haut sit omissurus. Obsecrabat qvoqve ne Elector credat, qvasi Cæsar Gallum armis invadere ardeat, aut Hispani pacem nolint. Non adeo obtuso se ingenio Viennæ esse, qvin agnoscant, etiam cum solo Turca sat negotii sibi fore, alio licet bello non distractis. Enimvero Cæsarem perspicere, Gallo non de exigua qvadam parte, sed de toto agi; ac frustra stabilem qvietem sperari, qvamdiu huic uno tantum loco, non ubiqve prospiciatur. Electorem id jam anno 1672 agnovisse, nec consilio, ac opera sua reipublicæ defuisse. Ejusdem amorem in patriam pro ratione gliscentis periculi auctum magis, qvam imminutum iri, ac tam illustri occasione tot gloriosis gestis cumulum additurum: inprimis cum ipsius declaratio grande negotio momentum dare possit, post eam Gallo rationem sine dubio admissuro. Si Electori Svecus sit suspectus, Cæsarem ipsi sat cautionis ab hoc præstiturum. Sane Gallo cordi esse Electorem cum isto committere, magis ut Sveci vires divertat, qvam ut Electorem auxilio sublevet. Hispanos pacem modica jactura redimere non dubitaturos. Sed Angli arbitrium à Cæsare probari non posse, velut eo redacti, ut alii merito ejus tutelam suscipere debeant. Super fœdere Laxenburgico testabatur, secreto articulo cautum, ut ante omnia Electoris ditiones intactæ maneant. Circa Gottorpiensem denique causam operam daret Elector, ne ibi res in nervum erumpat. Nec qvid à Judicio Aulico decernatur adeo anxie respiciendum: nec Cellensem ad mandata ipsi transmissa qvid tentaturum. Et antea qvidem Hispanicum legatum id negotium acriter egisse; sed eum nunc ad moderatiora devolutum.

Electoris in Poloniam legatio. 17. Jan.

§. 86. Ne autem inter lubrica ista temporum Electori è Polonia qvid periculi crearetur, Laurentius Georgius Crocovius legatus adjuncto Joachimo Sculteto ad instantia comitia mittebatur. Ei injunctum, apud Regem super continuanda amicitia testari: sed præcipue observare, qvid ibi circa fœdus cum Cæsare, & Sveco agatur, ne qvid per id in fraudem suam, aut fœderatorum statuatur: inprimis, ut fœdus cum Sveco omni modo impediatur. Demonstraret qvoqve, nullum efficacius remedium esse repellendo Turcæ, qvam si pax cum Gallo ineatur; cum ne Hercules qvidem adversus duos sit; ac ut Polonus eundem in finem connitatur, qvo barbaris tota vi occurratur. Si forte à Sveciæ Rege Lilliehœckius missus adsit, ejus conversatione abstineret, qvod & Cæsar suo legato injunxerat; adversus reliqvam legationem Svecicam amica omnia testaretur. Denique in universum si qvid occurrat, Electoris rationes tangens, id observaret. In Poloniam delatus Crocovius de fœdere qvidem Svecico nil audiebat. Sed circa id, de qvo cum Cæsare contra Turcam tractabatur, multi verebantur, ne Rex eo prætexto ab Ordinibus accepta pecunia exercitum augeret, qvo dein ad pervincenda peculiaria sua instituta uteretur. Super eo fœdere legatus Gallicus Vitrius interrogabatur, num id gratum Galliæ Regi futurum sit? Qvi reponebat, id Regi suo non posse displicere. Sed cum ex eodem qværeretur; num Gallus Poloniæ auxilia missurus sit, si hæc ob id fœdus à Turca impetatur; respondebat: Regem vires suas dividere non posse, qvamdiu metus sit, ne cum Cæsare armis collidatur. Qvanqvam autem revera id fœdus Gallo valde ingratum esset; tamen nec Vitrio sat pecuniæ erat, qva istud impediret; & Galli, postqvam tot per lustra Poloniam machinationibus suis mire exercuissent, demum circa id tempus fidem in Polonia plane decoxerant. Ipse Rex hanc causam, qvare à Galliæ rationibus se disjungeret, publice ferebat, qvod Gallus tanto cum supercilio fœderatos suos tractet, ac cum Sveco, & Aurantionensi post tot exhibita officia tam indigne egisset, avitis principatibus ereptis. Sed præcipua causa erat, qvod Rex Andreæ Morsteinii Thesaurarii literas intercepisset, qvibus hic in Galliam scripserat, Regis valetudinem in deterius ire, ejus filium diadematis haut capacem: unde alium candidatum è Gallia dispiciendum. Addebatur, qvo modo id apud Polonos, & exteros pervinci possit. Ejus viri literas magno numero Rex Gedani resignari, & post descriptum earum exemplum avtographa ad destinata loca perferri fecerat. Idem artem calluerat literis ita dextre aperiendis, ut sentiri non posset; ac per sesqviannum à Lisola Viennam, & hinc ad eundem scriptas literas resignaverat, idqve secretum Regem docuerat; qvod nunc contra ipsum vertebat. Ex interceptis istis literis una prælegebatur, qva iste Gallo promiserat, se turbando cum Austriacis fœderi comitia abrupturum. Eo magis adspernabatur Polonus ampla à Gallo per literas promissa, si is Tekelio adsistere, & Gallica ibi locorum destinata promovere velit. Ita fœdus istud, qvod à Cæsare tanqvam Hungariæ, & Bohemiæ duntaxat Rege fiebat, absolutum est, offensivum qvidem ad finem usqve præsentis belli Turcici, sed defensivum in perpetuum. Cum à Cæ-

1683. sare exigeretur, ut fœdus jurejurando firmaret, legatus id abnuebat, qvod Cæsari nunqvam ejusmodi casu jusjurandum solitum sit. Unde id demum temperamenti placuit, ut pro utraqve parte Cardinales Pius, & Barbarinus in animam contrahentium jurarent. Cæsar qvoqve tunc redhibebat diploma electionis, qvod Poloni qvondam tempore belli Svecici ipsi dederant. Poloni sponsores hujus fœderis Saxonem, & Brandenburgicum Electores deposcebant; sed Cæsareus legatus Pontificem proponebat. Securitati vicinorum à Rep. cavebatur decreto facto, ut concessus Regi exercitus tantum contra Turcas, ac nullum alium Principem adhiberetur; utqve protinus pace cum Turcis facta exautoretur, & qvidem ad limitem Turcicum, non ut prius in Regni partes inferiores deducatur. Ita Comitia feliciter finita, ac Rex circa fœderis cum Cæsare exsecutionem enixo studio satagebat. Cæterum initio comitiorum Crocovius ingens odium Regis in Electorem sentiebat; qvi & ut hunc Reip. exosum redderet, spargebat; Crocovium missum disturbandis Comitiis. Ast non obstante isto odio res Poloniæ ita comparatæ non erant, ut Electori inde periculum foret metuendum. Ac post Rex multa verborum humanitate de affectu suo in Electorem testabatur; ac diffidentiam à Morsteinio profectam excusabat, qvi Rebenacio scripserit, Regem de invadendo Electore meditari. Ac ipse Rex post fatebatur, à Crocovio nil plane circa dissolutionem Comitiorum motum fuisse. Supererat tamen suspicio, Electorem iis Senatoribus favere, qvi Regem velut publicæ libertati insidiantem oderant; ac Crocovio insinuabat, si Elector ipsi soli adhæreat, eum omnia qvæ desideret obtenturum. Ad hæc Comitia aderant qvoqve ab Emmerico Tekelio missi, qvi ostendebant; optari qvam maxime à se, ut Cæsari reconcilientur, modo cautum sibi sit, pacta circa sacra, & civilia servatum iri. Sed qvod vix sperare permittant immania Sacerdotum odia, ac inprimis Jesuitarum, qvos & insuper inexplebilis avaritia in ipsorum exitium stimulet, ut bona sua à nimium indulgente Cæsare emendicent. Unde si ipsos servandæ vitæ necessitas ad desperata consilia rapiat, solis istis omnia mala inde promanantia tribui par esse. Cæterum Poloniæ Rex, & Senatus ad Gallum scripserat super legati Vitrii contra istum machinationibus, & uti is diadema in alium transferre laborarit; eoqve eundem revocari
18. Maij. petierant. Unde & is à suo Rege à Polonia discedere jussus, cum Regi valediceret, qverebatur; se contra jus moratiorum gentium male tractatum; suas literas resignatas; suos comites in publico spoliatos, sauciatos, qvosdam & occisos. Qvæ sibi objiciantur, falsa esse; ac nemini præterqvam suo Regi de suis actionibus rationem reddere teneri. Ac ista se ad Regem suum retulisse, ac jam venisse ejusdem jussu, ut citra plures ambages valedicat. Ei repositum: qvod novissimis comitiis cum Cæsare contra Turcam initum fœdus orbi Christiano admodum salutare opus sit, neminem inficiari posse. Ac tamen legatum Regis Christianissimi occultis id artificiis, ac adhibitis in eam rem noxiis instrumentis sufflaminare, atqve inhibere sedulo laborasse. *Ingratiam tamen, & respectum Serenissimi Regis Galliæ nunc Illustritas vestra grate dimittitur.* Idem Reginæ, in qvam Galli maxime irritati erant, velut à qva hæc mutatio profecta sit, nec filio Regis valedicebat. Causa offensæ Reginæ ferebatur, qvod Gallus promissos qvatuor milliones solvere abnuisset. Ejus ædibus post à qvibusdam ebriis è famulitio Tiescevitii insultabatur, instinctu uti credebatur Reginæ, qvod is valedicere ipsi dedignatus esset; sed qvo facto Rex graviter irascebatur. Aulici excusabant; A Lithunis istis rixam inter se commissam ante ædes legati, ignaris, qvod iste ibi habitaret, ac in se invicem tubos diploisse. Rege id factum apud Vitrium purgante, hic respondebat, se ultionem Regi suo commissurum. Polonus tamen Tiescevitium, ejusqve famulos ju- *Tieskowitz.*
dicio sisti curabat, qvo juri legationis satisfactum censebat. Et qvia herus præsens non fuerat, cum insultatio à famulitio fieret, damnatus est, ut Warsaviæ unam septimanam, Brescia in Lithuania annum & qvinqve septimanas in custodia sederet, qvod familiam debita disciplina haut continuisset. Sed qvi facinus admiserant, qvia judicio se non sistebant, infames & capite plectendi declarati sunt. Tiescevitius custodiæ locum sibi in arce Warsavienſi eligebat, ubi à fœminis aulicis subinde invisebatur.

§. 87. Ingruente mox à Turca bello Polonus per literas, inde & misso Andrea Zaluscio Kiovienſi Episcopo ab Electore auxilia petit. Cui Elector, ne diu caponando officii gratiam delibaret, promte annuit, conventione in hunc sensum inita. *Etsi stricto jure ad auxilia nunc mittenda haut teneatur, qvod à Cæsare major copiarum vis petatur, ac pacta Bydgostienſia eo dûntaxat casu auxilia requirant, qvotiens novum bellum ortum sit, qvo Respublica jam non infestetur:*

Polonus auxilia ab Electore contra Turcam petit.
11. Jul. Zaluski.

1683. *ſtetur: tamen del altra pacta Electorem declarando ſtudio in Regem, & Remp. miſſurum M pedites CC dimachas, per ſemeſtre ſtipendia de ſuo prabitis: id quod tamen in exemplum non ſit trahendum. Semeſtri elapſo Rex, qvoad copiæ ad fines Boruſſiæ redierint, menſtrua ſena unciarium millia prabebit. Reliqvos bis mille ſeptuaginta qvinqve unciales, qvi menſtruo tot militum ſtipendio adhuc deſint, Electorem de ſuo ſuppleturum. Ubi pecunia copia non ſit, à provincialibus prabita alimenta in pecuniæ vicem imputabuntur; lignis tamen, ſtramine, & ſimilibus gratis prabitis. Eas copias Electori revocare qvando placuerit integrum fore, ut eo nomine rationem reddere haud teneatur, præſertim ubi de ſuſtentatione ita haud probe ſit proſpectum, ac inopia perituræ videantur. Jurisdictionem in eadem penes præfectum ab Electore fore; qvi & à nemine imperium accipere debeat, niſi à Rege, aut ſupremo exercitus duce. Earum locum in agmine, & expeditionibus fore nullo interjecto poſt prætoriam Regis cohortem; ac ductoribus primum locum inter omnes ſui gradus. Copias non dividendas, nec extra Poloniæ limites ducendas, niſi & regius exercitus progrediatur. Poſt obitam expeditionem idonea hiberna aſſignanda, ubi ſupplendorum numerorum copia ſit. In permutatione captivorum earum non inter poſtremos rationem habendam. Redituras ad fines Boruſſiæ deducendas, & ubique forum iisdem præbendum. Diurnum iter non fore ultra tria milliaria, tertio qvoqve, aut qvarto die ad qvietem interpoſito.* Iis copiis Wolfgangus Chriſtophorus Truchſeſius, & Joannes Albertus Barſuſius præerant. Iſte Zaluſcius Regi per curſorem ſignificarat, Electorem magnam exercitus ſui partem Cæſari auxilio miſſurum. Qvi nuntius non parum momenti attulit, ut Rex ita promte cum eqvitatu ſuo Viennam properaret, qvod adjunctas Brandenburgicas legiones grande pondus rebus allaturas confideret. Sed cum poſt profectio exercitus Brandenburgici ſiſteretur, Rex non parum turbatus Electorem hortabatur, ut & ipſe in partem tam glorioſæ expeditionis venire velit. Cui Elector reſpondit: penes ſe moram non eſſe. Sed è formula fœderis Anhaltino Principi data judicare, à Cæſare ſuas copias non ſerio expeti. Eſſe qvoqve ſibi juſtum metum, ne ancipiti cum Gallo ſtatu, ac gliſcente inter vicinos diſſidio, dum flos ſuæ militiæ in Auſtria abeſt, ditiones ſuæ ad Rhenum, & Albim periclitentur, ſe ingratiis in alienas lites pertracto. Cæterum nec copiis Polono ſubmiſſis, ut ad liberandam Viennam adeſſe poſſent, contigit, qvod tanto longius ipſis è Boruſſia pedeſtre iter emetiendum foret, qvam Polonico eqvitatui circa Cracoviam tendenti. Non tamen plane expertes gloriæ fuerunt, qvod egregiam operam in expugnando Strigonio navaſſent, qvam Poloniæ Rex ſcriptis ad Electorem literis inſigniter extollebat. Nec minus fortes ſeſe exhibuerunt in expugnatione arcis Schezeiniæ, ubi machina inventa eſt Brandenburgicis inſignibus notata; qvæ petente Truchſeſio Electori donata fuit. 1682. 1.Aug. 1688.

§. 88. Aſt Ratiſponæ, ingruente licet à Turca periculo, haut eo magis ad pacem cum Gallo proficiebatur. Eqvidem decretum fuerat abruptos Francofurti tractatus ibi continuare. Ac teſtabantur Cæſarei prolixe de ſuo in pacem ſtudio; qvam tamen revera impediebant. Et credebatur Auſtriaca legatio ſecreta mandata habere, diſcrepantia ab illis, qvæ primario Commiſſario data fuerant. Ac ſatis patebat, iſtis fœdera magis, & pacem cum Turca cordi eſſe. Sed & optabant, ut ſoli cum Gallis agere poſſent, excluſis Ordinibus. Demum tamen negotium ſerio videbatur ſuſcipi, ac cenſebat Senatus Principum, cauſam prius diſcutiendam, & ad Inſtrumentum pacis examinandam: ſed à qvo Gallus plane abhorrebat. Cæſar qvoqve poſtulabat, ut tractatio juſto ordine ſuſciperetur, nec Gallus tam imperioſe velut cum ſubjectis, aut victis ageret. Simul cupiebat Hiſpanos, & Lotharingum comprehendere, qvo pax per univerſam Europam ſtabiliretur. Sed Collegio Electorali ſatis videbatur Germaniæ qvieti conſuli, ac externa ne admiſceri. Saxo inſuper cenſebat, Gallo offerenda, qvæ is apud compromiſſum prætenderat. Wurtenbergicus ſvadebat, Gallo totam Alſatiam cum decem civitatibus, Argentorato, & Eqveſtri ordine cedendam, ut iſte viciſſim Friburgum & Mumpelgardam reſtituat; tum circa tres Epiſcopatus nil amplius prætendat, qvam ut extra eorum territoria ſiti vaſalli feuda à Gallo recognoſcant, ſalvo immediato ſtatu. Pleriqve tamen è Senatu Principum cenſebant; de jure Imperii nil cedendum, ſed rem in præſenti ſtatu relinqvendam, ac tantiſper pacem recte declinandam, interim arma ſtrenue adparanda. Aſt Elector Jenæ injungebat, ut publice ac privatim ingereret, breviſſima, & recta via in hoc negotio procedendum, & cum ex Oriente, & Occidente periculum ingruat, qvantum poſſit ex una parte ſecuritati Imperii proſpiciendum, qvo ex altero latere ejusdem, ac orbis Chriſtiani incolumitas tanto efficacius

Ratiſponæ cum Gallis acta. 12. Jan. 20. Jan.

1683. 2. Febr. cacius curari qveat. Contra Gallus declarabat: se qvidem ferre posse tractatus à Verjo continuari. Qvia tamen præfixa dies jam præterlapsa sit, se nolle oblatis ante conditionibus teneri: ac integrum sibi esse velle jura sua per reuniones, aut nomine factarum impensarum persequi. Præsertim cum videat alios qvoqve Principes in Imperio rerum suarum satagere, ac fœderibus se firmare. Vicissim Elector Gallo exponebat; qvia ipse Ratisponæ magno labore obtinuerit, ut tractatio pacis reassumatur, de cujus successu eo minus dubitandum, qvod præcipuæ difficultates superatæ sint; ut de securitate publica post pacem differatur, ut sola Germaniæ negotia Ratisponæ tractentur, ut merita causæ in præsens haut discutiantur; se sperare, Regem isthanc negotiationem tam brevi spatio haut circumscripturum, nec hostile qvid suscepturum, aut reuniones continuaturum. Rebenacius gravitatem, & æqvitatem rei agnoscebat, modo Cæsar Regis sui moderatione abuti non velit ad extrahendum tempus, utpote cui arma sua admodum sumtuosa accidant. Cui Elector reponebat: sua qvoqve arma sibi maximis impensis constare, eoqve se haut omissurum omni studio id negotium urgere. Sed & per Spanhemium Elector Croissium monebat, ut reunionibus supersedeatur. Id qvod hic liqvido promittere abnuebat, qvestus, Cæsari pacem cordi non esse, ac tantum transactionem cum Turca captari; cum contra Regi suo ingentes sumtus sint faciendi. Sed regerebatur: Gallum utiqve promisisse, se se circa hæc de Electoris sententia acturum, nec durante metu belli Turcici vim Germaniæ illaturum. Demum iste declarabat; Regis sententiam in præsens esse, qvod oblatis à se conditionibus teneri amplius nolit ob affectatam alterius partis moram. Non tamen aliqvid vi tentaturum, nisi prævio consensu Daniæ Regis, & Electoris. Præsertim cum jam decreto Collegii Electoralis duo obstacula remota sint, qvæ Francofurtanam tractationem irritam reddiderint; qvod nempe non amplius Hispanicæ controversiæ cum Germanicis connectantur, ac discussio Gallicarum prætensionum seponatur.

9. Febr.

Ordinum declaratio. 16. Febr.

§. 89. Interim Ratisponæ formula pacis cudebatur, Gallo tradenda; qva demonstrabatur; per Galli usurpationes Circulo Electorali Rhenano, Westphalico, Svevico, & Burgundico insignes portiones, sed majorem fere partem Superiori Rhenano decerptam, manifesta Instrumenti pacis violatione. Sane Monasterii Ordines solenni declaratione, & literis ad Regem testatos, se ditiones, & loca, qvæ hic nunc proprio ausu abripuerit, nec cedere voluisse, nec cedendi facultatem habuisse. Gallum qvoqve ex Noribergensi pacto Landaviæ, & Hagenoæ Gallica præsidia deduxisse; alios Ordines, ac trium præsulatuum vasallos immediato suo statui restituisse. Qvi deinceps nullo intercedente in Comitiis sententias dixerint; ad qvos Gallus tanqvam Status liberos, legatosqve miserit, fœderaqve cum iisdem iniverit. Instrumento qvoqve pacis Gallo non totam Alsatiam cessam, sed eam duntaxat partem, qvam Austriaci possederant, Landgraviatum Alsatiæ, cum Brisaco, Suntgovia, & præfectura provinciali Hagenoica. Reliqva omnia pristino statui relicta. Ac si tota Alsatia cessa foret, qva ratione Gallos sibi velut peculiare beneficium stipulari potuisse Benfeldæ demolitionem, medium Tabernarum statum, liberum transitum Philipsburgum usqve, & id genus alia, de qvibus cui territorium competit, suo jure disponere potest. Et qvomodo civitas Argentoratensis tanqvam pacti socia eam pacem subscribere potuisset, si ea Gallo cessa foret? Circa vasallos qvoqve trium Præsulatuum nihil cessum, nisi qvod intra eorum districtus jacet: eos per amnestiam omnibus suis ditionibus, bonis, dignitati, ac libertati plene restitutos, ac à Gallo non deinceps minus qvam antea Imperii Ordines agnitos. Moyenvicum in districtu Metensi situm ita solicite exprimi; de aliis extra districtus Præsulatuum tanti momenti ditionibus ne verbo mentionem fieri. Imo à Camera Metensi, & Brisacensi Imperio avulsa, qvæ nec ad Alsatiam spectent, nec feudi titulo à tribus Episcopatibus dependeant: sed ubi repertum fuerit, à qvibusdam unum & alterum castrum, aut vicum, vel fundum in feudum recognitum, eo obtentu istos toto immediato suo statu ejectos, ac sub Gallicam ditionem pertractos. Neomagensi qvoqve pace usqve adeo nil amplius qvam pace Monasteriensi cessum, ut etiam Argentoratensis præsul in sessionem, & jus dicendæ sententiæ restitutus fuerit. In pacto qvoqve super exsecutione ab ipso Gallo Hagenoam, & Landaviam velut civitates Imperii agnitas, ac in statu pacis Westphalicæ relictas. Igitur, id qvod fides publica reqvirat, omnium horum ablatorum restitutionem postulari; super reliqvis facile conventurum. Enimvero etsi ista in se æqvissima erant; tamen in præsens non tam videndum erat, qvà justitia causæ, qvam qvà arma pertendere possent. Ac major Electorum pars pacem impense urgebat,

1683.

1683. bat, ſcriptis qvoqve Collegii nomine ad Cæſarem literis, maturandos cum Gallo tractatus ſvadentibus. Ad qvas Cæſar reſpondit; à ſe fieri qvantum poſſit, modo Gallus aliqvid æqvitatis oſtendat. Sed Kœnigseckius dixerat; eas literas à Bavaro, & Saxone non ſubſcriptas, nec ſigillatas, qvi & contra eas proteſtati ſint; ac earum argumentum è ſententia Magdeburgica deſumtum. Nullo modo omnia ex Galli præſcripto annui poſſe, ni ſeipſos huic mancipio addicere velint. Saltem circa pacem omnes complexam laborandum, è qva ſola ſtabilis qvies ſit ſperanda. In omnem eventum ſe confidere, pares Gallo vires opponi poſſe, nec de pace cum Turca dubitandum. Ac in hanc ſententiam Auſtriaci majorem partem è Senatu Principum pertraxerant; ita ut concors Ordinum voluntas ſperari non poſſet, ni Auſtriacis neceſſitas adferretur. In eo qvoqve Electores a Principibus diſſentiebant, qvod iſti Gallo aliqvid in perpetuum cedere volebant: hi autem ſatius ducebant, rem in præſenti ſtatu relinqvere, ac ſaltem jus Imperii integrum ſervare. Interim & Pontifex Cæſaris, & Hiſpam inſtinctu Gallum per literas hortatus fuerat, ne prætenſiones ſuas ingruente nunc bello Turcico armis perſeqvatur. Et mox Verjus novum pro curatorium accipiebat, ad certum tempus haut reſtrictum. Cum tamen Cæſarei gliſcente qvamvis à Turca periculo longius à pacis cogitationibus diſcedere viderentur, ac Hagæ ſuper extendendo aſſociationis tractatu ſatagerent; Elector Ratiſponæ proteſtabatur, ſe extra culpam eſſe velle omnium malorum, qvæ ex affectatis hiſce moris oriri qveant; ac in omnem eventum ſibi cum ſuis fœderatis ad propriam ſalutem tutandam conſilia capienda. Cum itaqve tractatus hoc modo hærerent, aliqvi proponebant; an non, qvi in pacem inclinabant, Ordines ſeparatim cum Gallo tractare debeant? Id qvod Electori velut nimis abruptum haut probabatur. Principum qvoqve Senatus cenſebat, diſcrepantes ſuperiorum Collegiorum ſententias ad Cæſarem referendas, ejusqve deciſioni ſubmittendas. Sed id Electoribus diſplicebat, qvod Cæſar utiqve pro Principibus calculum poſiturus eſſet. Sane Cæſar, cominus licet jam ingruente Turca nondum auxilia Ordinum implorabat; qvin legiones qvasdam Rhenum verſus deſtinabat ſpe ductus, pace cum Turca ſe potiturum, aut brevi bello defuncturum. Ac demum ejusdem declaratio Ratiſponam adferebatur, qva rejecta peculiari tranſactione poſtulabatur, ut per univerſalem tractatum pax totius orbis Chriſtiani ſtabiliatur. Tum & omnia à tempore pacis Neomagenſis occupata repetebantur cum omni cauſa, ac dati damni penſatione, non ſine belli minis. Qvæ ferocia multis mira videbatur, cum propria Cæſaris arma repellendo Turcæ haut ſufficerent: nondum autem ſtabilita cum Gallo pace copias Rheno abducere periculoſiſſimum foret. 1684.

11. Febr.

19. Jan.

§. 90. Inter communia iſta patriæ pericula peculiaris cura Electorem ſolicitabat, ne Svecus obtentu auxilii Imperio ferendi exercitum in Germaniam trajiceret, & clades ab ipſo acceptas ulciſci inſtitueret. Ac toto iſto tempore de trajectione Svecicarum copiarum conſtans fama erat; cui & fidem adſtruxerat ſuperiore anno è Svecia redux Brandius, qvi magnifica de ſtudio Regis circa formandam militiam terreſtrem, maritimamqve retulerat; ac uti is grandem pecuniæ vim è revocatis Coronæ bonis, ac inqviſitionibus in adminiſtratores ærarii redegiſſet. Eamqve cauſam eſſe, qvare tanta cum ferocia pecuniæ Gallicæ repudientur, cupidiſſime qvondam Svecis captatæ. Igitur cum amicis conſilia conferre cœpit, qvomodo iſti periculo occurrendum, ſaltem ut conſtaret, qvid à qvolibet ſibi expectandum foret. Ac ſane habebat Elector, qvare ſibi caveret, ne idem nunc qvod ante novem annos experiretur: qvod Sveco per fœdus cum Cæſare tranſitus, hoſpitia, & ſimilia promiſſa eſſent. Sane jam Wilhelmus Julius Coyetus, Svecicus Hafniæ ablegatus Regi Daniæ ſolenniter denuntiabat, à Rege ſuo XV M militum proximo vere in Germaniam trajectum iri; ad qvod per exiſtimationem, & rationes ſui ſtatus compellatur. Et cum Danus claſſem magno ſtudio pararet, ei trajectui impediendo, Sveci jactabant, ſeſe è Livonia per Lithuaniam in Boruſſiam penetraturos. Simul apud Polonum ſuper eo tranſitu permittendo inſtabant, prætexto uſi, velut iſtæ copiæ Cæſari auxilio ituræ ſint. Cæterum Danus qvidem ſumma vi bellum terra mariqve parabat; ac jam maxime opportunum cenſebat Svecos invadere, dum Germania inde à Turca, hinc à Gallo deſtinetur. Ac optabat, ut Elector totam Pomeraniam, Luneburgici maximam partem Bremenſis provinciæ accipiant, modo ſibi modicus tractus ad communicationem cum Oldenburgica ditione relinqvatur. Tum & Gallum ſolicitabat, ut ad eundem ſcopum opem conferat. Etſi alias nollet ejus negotii moderamen penes Gallum, ſed penes ſe, arqve Electorem eſſe. Ac initio *Circa Svecum conſiderationes.*

1683. dem Gallus ingens ſtudium in eam rem oſtendere, ac ſpem facere ſuppeditandæ pecuniæ inſtruendis armis; qvod Danus tantos ſumtus tolerare non poſſet ad alendas tot copias in gratiam Galli, & claſſem qvotannis armandam. Simul declarabat, ſeſe omnes hoſtium loco habituros, qvi Svecicarum copiarum trajectum promovere velint. Qvo fine & Dano, atqve Electori ſuggerebatur, ut Luneburgicos Svecis divulſos ſibi per fœdus illigare ſtuderent facta ſpe, eos magna parte Bremenſis ditionis potituros. Unde & Daniæ Rex Conradum Ehrenſchildium ad Duces miſerat, qvo eos in Svecum irritaret. Sed qvi cauſabantur; tali conatu Gallos in Germaniam allici, ac inde diſſolutioni Imperii anſam præberi. Ac major ſpes erat, ſe per ſocietatem cum Cæſare Oſnabrugenſi ditione in perpetuum, forte & Hildeſia potiri poſſe. Ac jamdudum à prudentibus obſervatum, Luneburgicis decretum Svecos in Germania retinere, eoqve Boreales leges librare, & unum eorum alteri opponere, eo melius autoritati ſuæ per Inferiorem Saxoniam ſtabiliendæ. Eoqve haut tutum erat tale qvid tractatuum cum iis ſuſcipere, qvod ab iſtis Svecus omnia reſciſceret, qvæ ipſi è Dano, & Electore intellexerant.

Electoris ad Luneburgicos miſſio. 2. Maij.

§. 91. Luneburgicorum tamen menti penitius explorandæ Meindertius mittebatur, num iis forte placeat Svecicas provincias invadere, qvo non imminens ſolum copiarum trajectio impediatur, ſed & in perpetuum Germaniæ caveatur, ne per Svecos à tergo diſtrahi amplius poſſit. Id qvod facile effectui dari qveat, ſi inter Daniæ Regem, Electorem, & Duces eum in finem fœdus ineatur, prævia tamen conventione cum Gallo, ne hic interea longius graſſetur. Alias enim Electoris officium non permittere ad Galli auſa ulterius connivere, qvi ſat jam invidiæ contraxerit, qvod ob præſentem Reip. neceſſitatem ante rapta hoc tempore armis haut vindicanda cenſuerit. Sane qvicqvid malorum jam Germaniæ obtigerit, & qvod Gallus tam late fines protulerit, ac potentia eouſqve excreverit, à Svecis originem ducere, & qvod hi Electoris ditiones invaſerint, qvando maxima ſpes erat, iſtum in ordinem redactum iri. Præterea Daniæ Regi decretum eſſe Bremenſem provinciam irrumpere, qvem ſolum circa hanc diſponere Ducibus conſultum haut ſit. Unde ſatius fore, ipſos in anteceſſum cum Rege convenire. Sed nec tam numeroſum ab iisdem militem diutius absqve oppreſſione proprio-

1683. rum civium ali poſſe. Pacem qvoqve ipſorum nuper cum Svecis initam nec à Cæſare, nec ab Imperio firmatam, ſolo Gallo ſponſore ſtare. Deniqve Svecos eſſe bellicoſam nationem, cui ſemper miles in promtu ſit, qvi in Germaniam trajici qveat; qvos & facile libido ſubire poſſit bellum in Germania excitandi ad reparandam fere conſumtam gloriam, ac ut domeſticam inopiam ſublevent; præſertim cum provinciæ ipſorum Germanicæ jam antea evaſtatæ ſint, ac nobilibus in Svecia poſtrevocatas donationes nullum remedium ſit vitæ tolerandæ, niſi è bello. Unde non aliam rationem videri utramqve Saxoniam, & Weſtphaliam in tutum collocandi, qvam Svecis plane Germanico ſolo depulſis. Enimvero Hanoveranus iſta multis de cauſis improbabat. Gallum æqve ac Cæſarem ſacris Proteſtantium infeſtum, qvorum ſtatus non poſſit non convelli, ipſis inter ſe colliſis. Ubi his oris turbæ oriantur, Gallum reuniones continuaturum, ac totam demum Germaniam ſub jugum miſſurum. Ac ſi maxime cum eo pactum ineatur de omittendis interim reunionibus, & ne citra fœderatorum conſenſum ulterius in Germaniam penetret; utqve ſi idem ad auxilium fœderatis ubi laceſſantur ferendum in Germaniam moveat, ac qvædam loca occupet, ea per ſecuturam pacem reſtituat: qvam parum tamen ejusmodi pacto fidendum, ſuperiore bello ſpecimen captum, ubi itidem Galli freqventer, & ultro teſtati fuerant, ſibi haut qvidqvam in animo eſſe Germaniæ qvidqvam detrahere. Igitur longe ſatius fore, cum L M bellatoribus ad Rhenum progredi, ac negotiationem pacis cum Gallo proſeqvi. Haut qvoqve fas tot Imperii membra Gallo deſtituere. Pacem qvoqve cum Gallo fruſtra eſſe, niſi incluſa Italia, & Hiſpania. Qvod ſi ipſe ad propoſitum inſtitutum qvid conferat, ſe inſimulatum iri, velut è calamitate publica cum damno patriæ, aut tertii cujuspiam privatum emolumentum captet. Alias ſibi perſvaderi, Daniæ Regem absqve Electoris conſenſu nil moturum, eoqve penes hunc fore bellum aut pacem Germaniæ dare. Cæterum ſibi eundem cum Electore finem propoſitum, ſed via ad eum promovendum diſcrepare. Svecicas provincias occupare in proclivi fore ob afflictas ejus Regni vires. Sed eam ipſam ob cauſam à Svecis nihil metuendum. Dux Rudolfus Auguſtus dicebat: Electoris qvidem, ſed non Luneburgicæ Domus intereſſe Svecos Germania dimoveri. Nam hujus ſecuritatem & commodum in eo verti, ut duos potius æmulos Reges vicinos

1683. cinos habeat, qvam solum Danum, cujus destinata, ac violenta consilia nota sint, & qvi in Oldenburgica, & Holsatia cominus ipsi immineat. Contra Svecum in Bremensi provincia formidabiles vires alere haut posse.

Galli consilia.

§. 92. Ast qvæ Gallo circa hoc institutum mens foret, satis liqvido perspicere non dabatur. Eqvidem à Rebenacio super invadendis Svecis proponebatur. Sed cui demonstratum fuerat; tale qvid suscipi non posse, nisi his conditionibus, ut Gallus exercitum ad Visurgim omittat contra Luneburgicos, ne hi Svecis adsistere audeant: ut idem Belgis non sine minis denuntiet, ne huic negotio sese ingerant, aut saltem ad utrosqve terrendos exercitum versus Inferiorem Rhenum procedere jubeat, ut tamen solum Imperii ne tangat: ut deniqve declaret, se reunionibus deinceps abstenturum, nec, dum manus cum Svecis conseruntur, contra Germaniam qvid tentaturum; præsertim cum is sæpius testatus sit, se iis qvæ jam occuparit contentum fore. Qvas conditiones Rebenacius probaverat, gravi Regis sui offensa non in Svecos solum, sed & in Luneburgicos ostensa, nisi hi partibus ipsius accedere velint. Enimvero paulo post dissona istis differebat Croissius: Nil tentandum, qvod aleam habeat, ac ni de successu cautum sit. Gallum sane fœderatis terra mariqve adfuturum, si res exigat, qvem in finem affatim copiarum in promtu sit. Ast Regem generoso suo animo, gloriæ, & conscientiæ haut congruum ducere Germaniam invadere eo tempore, qvo Cæsari tam validus hostis incumbat. Etsi publice id declarare haut consultum ducat, qvod id pertinaciam adversæ partis accensurum sit. Electorem tamen de eo certum esse posse, velut qvi sine dubio in Cæsaris partes transgressurus sit, si Rex tale qvid suscipiat. Qvanqvam autem Regi propositum sedeat, Germaniam imminente à Turca periculo, non invadere ac reunionibus abstinere: nolle tamen eum solenni declaratione manus sibi ligare. Sed & ut Sveci invadantur consentire nolebat, nisi prius, dum copias trajicere conantur, navale prælium sit commissum. Contra Hanoveranum opprimendum, ejusqve copias dissipandas; cui graviter irascatur Rex, qvod is oblatas à se conditiones repudiaverit. Nam eo subverso Cæsarem facilius ad pacem compellendum, simul Dani, & Electoris securitati caveri, ac Svecorum trajectionem, Saxonisqve arma irrita fore. Ac si Cellensis ei suppetias ferat, pariter subvertendum. Ipse tamen Gallus ad isthoc institutum armis concurrere nolebat, nec exercitum versus Visurgim mittere, satis habiturus cum XL M bellatorum ad Superiorem Rhenum consistere. Sed nec Belgis minari eidem placebat, ne hi ad amplectenda Arausionensis consilia compellerentur. Ac adversus hos Dano, atqve Electori auxilia laturus non erat, nisi horum ditiones ab istis invadantur. Eoqve si Belgæ Sveco auxilia terra mariqve submitterent, Gallus id insuper habiturus erat. Deniqve de pecunia ad hoc institutum conferenda, aut præstanda adqvisitorum evictione nullum verbum. E qvibus omnibus colligebatur, Gallum in præsens ideo se movere nolle, ne Cæsar qvovis modo cum Turca decideret, Galliamqve invaderet. Sed si Daniæ Rex, & Elector proprio periculo, & sumtu qvid turbare vellent, id gratissimum ipsi fore, idemqve in usus suos ipsum conversurum. Qvæ consilia cum plane à mente Electoris abhorrerent, ei videbatur de invadendis Svecis haut cogitandum, si maxime hi qvid copiarum in Germaniam trajiciant; & fœdere qvidem Gallico stare, ut tamen cum eo circumspecte agatur. Interim placebat arctissima cum Dano conjunctione retenta speculari, qvo res se daturæ essent. Nec facile fore, qvi ipsos invadere sit ausurus; nec vires deesse talia conanti repellendo. Minime omnium autem tam ancipiti patriæ statu invidiam turbarum motarum in se trahendam. Igitur Elector Dano in bellum prono svadebat, ne de invadendis Luneburgicis cogitaret, qvi ita armis instructi sint, ut raptim subverti neqveant, qvin & Svecus interim arma arrepturus sit. Nec consultum Protestantes mutuo se atterere, ac Gallo gratum spectaculum præbere, vastis ejusdem destinatis admodum velificaturum. Ac utcunqve res cadat, Daniam nil Luneburgicæ ditionis retenturam. Svecum qvoqve invadere haut tutum, Luneburgicis tam probe armatis à tergo relictis. Nec Belgas orto bello qvicturos. Et qvæ à Gallo expectari qveant, in ambiguo esse. Unde satius fore Luneburgicos fœdere illigare, ac certa cum iis consilia inire tam circa pacem cum Gallo, qvam securitatem è Svecia; ut tamen res ita tractaretur, ne anxio ambitu eorum Principum ferocia augeatur. Cæterum Dano id peculiariter suspectum erat, qvod Gallus præstare nollet, si ipse Sveco qvid in Scania eripuisset; qvanqvam & ipsi Electori durum videbatur, ex ea conditione futuram pacem suspendi. Causa autem, qvare Gallus ita lubrice ageret, ac qvod is

1683.

Dano,

1683. Dano, & Electori ſtimulos ad movenda arma ſubderet, ad qvæ tamen ipſe nil conferre vellet, plerisqve ea videbatur; ut idem Borealibus Regibus, ac vicinis inter ſe colliſis pro lubitu ad Rhenum graſſari poſſet. Aliqvi ad parſimoniam id referebant, qvod ampliora ſubſidia ſolvenda eſſent, ubi res in arma erupiſſet. Ac dicebat Croiſius, Danum ſemper propriis opibus Sveco, à pecunia haut inſtructo, parem eſſe poſſe. Alii cenſebant, Gallo conſtitiſſe, à Sveco nil copiarum trajectum iri, cujus & domeſticæ res non ferebant externis ſe negotiis iterum immergere. Ac data opera eum de iſta trajectione ſparſiſſe, ut dum vicini ad iſtam impediendam ſe præparant, Cæſari, ac Belgis excuſare poſſit, qvod à ſe nil præſtaretur eorum, de qvibus ſpem ipſis fecerat. Alii judicabant, Gallum, qvæ ipſe moverat, poſt impediiſſe, qvod vellet bellum contra Turcam exardeſcere; eoqve inter Boreales pacem turbari nollet ſaltem ante menſem Auguſtum, & qvoad Cæſar in Hungaria litem velut conteſtatus eſſet. Rebenacius autem hanc mutationis cauſam ferebat, qvod valetudo Regis Hiſpaniæ in deterius iret, cujus mortem Gallus jam ſpe præceperit. Unde vires ſuas diſtrahere nolle, qvo ſeſe in partem hæreditatis titulo Reginæ immittere poſſit. Inter hæc ambigua Elector Spanhemio injungebat iſta haut tangere; ac ſi Galli ultro moveant, totam rem in Danum rejicere. Haut eo ſecius defenſivo ſe fœderi inhærere, ac amicitiam cum Gallo culturum. Nam qvæ de mutatis ſuis conſiliis fama ferat, inania eſſe. Ac perſtare ſibi ſtudium promovendæ pacis, coqve noluiſſe in bellum haut rite prius digeſtum deſcendere. Nec ſe immemorem eſſe poſſe obligationis, qva Imperio teneatur, & qvis ditibnum ſuarum ſitus ſit, qvas adverſæ parti addicti Cæſar, Svecus, Polonus, Saxo, Belgæ, Luneburgici undiqve cingant. Ad qvæ Croiſius nil ſolidi qvod reponeret habebat. Sed qvia Danus haut eo minus in arma erumpere geſtiebat, Elector demonſtrabat; hac tam triſti orbis Chriſtiani facie haut par eſſe novis turbis anſam præbere, per qvas Imperio facultas adimenda ſit reſiſtendi tam cruento hoſti, & non modicis progreſſibus inflato. Unde Regem pii ac generoſi animi ſpecimen editurum, ſi offenſas qvantumvis juſtiſſimas, & qvicqvid emolumentorum ſperetur ſaluti Germaniæ condonet, qvam ſervari iſtius tantopere interſit. Elector qvoqve per Spanhemium Gallum rogabat, ut eadem Dano ſvadeat, poſtqvam Rebenacius jam teſtetur, ipſi qvoqve non amplius placere turbarum qvid in præſens moveri, maximam orbi Chriſtiano confuſionem pariturum, ac impediturum, ne juſtæ vires ingruenti Turcæ opponi qveant. Caute tamen id negotium tractare jubebatur, ne Danicus ibi miniſter ſuſpicionis qvid, in qvam alias pronus erat, ſuſcipiat; qvod alias ipſe Daniæ Regi conjunctiſſimus manere velit. Porro iſtam Gallorum mutationem Danus ægerrime ferebat: Eorum inſtinctu ſe hucusqve deſcendiſſe, tantosqve ſumtus in exercitum, & claſſem feciſſe. Nunc qvando in rem præſentem veniendum ſit, iſtos tergiverſari. Sane videri ſibi, eos nolle Svecum Germania pelli: forte & pecuniæ parcere, aut alibi emolumenta ſua aucupari, Borealibus Principibus inter ſe commiſſis, ne deſtinata ipſius temperare qveant. Haut eo minus cenſebat, Gallicam amicitiam retinendam, nec in præſens de aliis fœderibus cogitandum; ac interim qvieſcendum, & arma in promtu habenda, conſiliis pro re nata captis. Nam non defore, qvi probe armatorum amicitiam ſint captaturi. 1683.

§. 93. Ire qvoqve Elector judicabat eſſe Belgis per Dieſtium inſinuare; non eſſe qvod amplius metuant, aliqvid adverſus Sveciam ſuſceptum iri. Nam ea cogitata plane evanuiſſe, ac ſibi circa fulciendum publicum bonum omnia integra eſſe. Ac petere, ut & ipſi pacem Viennæ promoveant. Idem jubebatur Hagæ deinceps ita agere, ut cum Avauxio qvidem amicam communicationem aleret; cum Cæſareis tamen, & aliorum Principum miniſtris ita converſaretur, ut his nil ſuſpicionis ſiniſtræ oboriri poſſit. Arauſionenſi qvoqve confirmaret; ſe uti hactenus ita & deinceps non alia conſilia capturum, qvam qvæ ad pacem ſpectent. Ac per officia ſua non parum contuliſſe, ne Gallus reuniones perſecutus ſit. Belgæ ad iſta: gratiſſimum ſibi fore publicam qvietem ſtabiliri. Sed id ſibi non arrogare, ut pacem fœderatis obtrudant, ac Cæſari & Imperio præſcribant, in qvas conditiones eam admittere debeant; qvos de ſuis rebus proprio è judicio decernere par ſit. Aſt Arauſionenſis reponebat; ſe qvoqve ad pacem tendere, ſed diverſa via. Hanc ſi Elector ſecum ingredi voluiſſet, rem dudum confectam fuiſſe Sed Elector Principis impetus egregios qvidem, ſed præſenti tempori parum accommodos cenſebat; qveis tamen facile ignoſcebat, qvod Galli qvovis modo eidem ægre facere laborarent. Ac jam Galli opera nuptiæ inter Georgium Daniæ Principem, *Cum Belgis acta.*

10. Jul.

& An-

1683. & Annam Eboracenſis filiam conciliatæ fuerant, ut Arauſionenſi ſpes ſucceſſionis in Regno Angliæ eminus interverteretur. Ac vocabat id matrimonium Croiſſius *opus Regis Franciæ ad Principem acerbo doloris ſenſu perfundendum, ac Belgas ſub frano habendos.*

pour marier.

§. 94. Inter hæc res Cæſaris repente ſummo periculo admovebantur. Cujus mali ea cauſa habebatur, qvod Turcica potentia nimis contemtim haberetur, ut etiam aliqvot legiones in Bohemia, & Svevia relictæ forent, cum fœderatis ſeſe adverſus Gallum junctura, qvaſi Cæſar ſufficeret bello verſus orientem, & occidentem ſimul gerendo. Alias enim ſat mature de Turcarum deſtinatis innotuerat, qvod menſe Martio hi Schuttam inſulam, ac tractum ad Rabam fluvium poſtulaſſent; qvam cum cedere Cæſar abnueret, jam ſolenniter à Turca bellum decernebatur. Multi qvoqve non minimam confuſionis cauſam in diſſidium Lotharingiæ Ducis, & Hermanni Marchionis Badenſis, qvi collegio militari præſidebat, conferebant. In receptu qvoqve à Wago flumine à V M Tartarorum ingens damnum illatum erat, interceptis qvoqve Cæſarei exercitus impedimentis. Cujus cladis maxima culpa Montecuculo tribuno tribuebatur; qvi cum Tartaros ingruentes cerneret, exclamarat, univerſas Turcarum copias adeſſe; tum protinus in fugam abierat tota legione veterana ſeqvente. Qvi deinde Lotharingo id flagitium exprobranti nil aliud excuſationis proferre norat, qvam ſe Principem Imperii eſſe. Unde Tartaris repente ad vicina Viennæ prorumpentibus tanta conſternatio in urbe orta eſt, ut ipſe Cæſar ea raptim deſerta Lincium, inde Paſſavium ſe conferret, terrore uſqve adeo diffuſo, ut multi Ratisponæ qvoq; jam fugam circumſpicerent. Svaſerat legatus Hiſpanicus, ut Cæſar Viennæ maneret, ac pacem à Turca toto Hungariæ Regno ceſſo redimeret. Sed qvod conſilium merito rejectum eſt. In urbe centum amplius milliones auri, argentiqve relicti erant, ita præcipiti procerum fuga, ut ſpatium non eſſet pretioſa ſecum auferendi. Qvi abibant non minus, qvam qvi in urbe manebant Jeſuitas exſecrabantur, velut horum malorum autores. Cæterum id à Turca periculum Electorem jamdudum ſolicitum tenuerat; qvi & Lambergium Comitem hortabatur, ut de hac cura Cæſari referret, eumqve rogaret, ut idonea remedia diſpiciat declinando bello cum duobus tam potentibus hoſtibus, qvod ſuo judicio ſine extremo Germaniæ, ac totius orbis Chriſtiani periculo pariter geri neqveat. Sed certas conditiones proponere ſibi haut decorum, ne munus ſeqveſtris ſibi arrogare videatur, qvas neutra pars detulerit. Eqvidem Rebenacium diſſeruiſſe, Gallum æqviſſimum ſeſe exhibiturum, nec difficilem fore circa unum, & alterum locum, qvem jam in Imperio poſſideat, reſtituendum, modo de Argentorato verbum non fiat. Mox qvoqve venienti ab exercitu Cæſareo Duci Lauenburgico, ac Electori gliſcens periculum demonſtranti hic reſpondebat: utiqve cum Gallo tranſigendum, qvo totis viribus Turcæ occurri poſſit. Vicisſim Elector Gallo ſignificabat; id fiduciæ ſe de generoſo Regis animo concepiſſe, cum hoc rerum ſtatu Germaniam in majorem confuſionem, ac deſolationem haut præcipitaturum. Enimvero qvanqvam Croiſſius multa de magnanimitate, gloria, atqve conſcientia Regis creparet, qvi hac occaſione ad invadendam Germaniam abuſurus non ſit; cui & Jeſuita Chaizius id conſilium valde invidioſum diſſvaſiſſe credebatur, Germaniam junctim cum Turca impetendi, qvod plauſibili magis ratione deſtinatis ſuis potiri poſſit: tamen cum Rebenacius intelligeret, Electorem Cæſari copias auxilio mittere velle, id ſibi diſplicere haut diſſimulabat; ac ſi id ſuccedat, ſe non aliter judicare poſſe, qvam Electori in animo eſſe à Gallico fœdere diſcedere; idqve à ſe Regi per curſorem ſignificandum. Cui reſponſum; ea auxilia Gallico fœderi non repugnare, utpote in qvo expreſſis verbis fas patriæ exceptum fuerit; nec aliud qvid ſe promiſiſſe, qvam officia promovendæ in tolerabiles conditiones paci, qvæ ſententia ſibi adhuc ſtet. Qvo reſponſo tamen iſte haut adqviescebat. Circa idem tempus Gallo à Turca ingens literarum faſciculus allatus fuerat, cujus argumentum Gallici miniſtri vulgabant; eum de ingentibus viribus ſignificaſſe, qvibus Cæſarem invadere, & qvæ ſibi competant, in ditionem redigere conſtituerit; ac ſperare, neminem ſe nationis Gallicæ inter Cæſareas copias reperturum. Sed qvin plura iis literis contenta fuiſſent, nemo dubitabat.

Vicina obſidium.

Raba.

13. Jul.

4. Jun.

§. 95. Aſt Elector ſtatim, ubi de Turcarum irruptione audierat, Joannem Georgium Anhaltinum Principem ad Cæſarem mittebat reſtaturum, qvantopere ſibi cordi ſit præſens conditio rerum intra & extra Germaniam, ac inprimis facta in Cæſareas ditiones per Turcam irruptio, qvæ

Princeps Anhaltinus ad Cæſarem mittitur.

13. Jul.

12. Jun.

1683. tanto majori dolore animum suum perstringat, qvo sincerior suus in Cæsarem, ac patriam affectus sit. Sperare tamen adhuc sat virium superesse repellendis barbaris. Ac si valetudo permittat, ipsum venturum: fidem tamen, ac studium pro Cæsare, & Imperio missis egregiis legionibus demonstraturum. Cæterum etsi sat militum in Germania sit repellendo Turcæ; tamen qvia lubrica cum Gallo pax tergum tam formidandæ potentiæ nudum exponere non permittat; se non posse non pro fide, qva Cæsari & Imperio obstringatur, monere, qvomodo cavendum sit, ne Gallus luctuosa hac tempestate in Germaniam perrumpat. Id enim si fiat, à Gallo Rhenum subigendum, anteqvam copiæ, qvæ qvibusdam in promtu sunt, ad defensionem educi qveant. Istud à se proponi, non ut Gallo emolumentum inde concilietur, aut ut Cæsar majori dolore cumuletur, sed è sincero in patriam studio; cum sua maxime interesit, Imperium, & Rhenum salvum esse. Eqvidem se optare, ut Gallus hac occasione ne abutatur. Sed qvia salus ripublicæ incertæ spei superstrui non debeat, ac simul metuendum sit, ne Gallus nupera declaratione Ratisponæ facta irritetur, eaqve in prætextum invasionis utatur, suam solicitudinem non parum intendi. Qvid qvod metus sit, ne Danus Svecum, ipsosqve Luneburgicos Galli instinctu armis petat? Cui qvidem se talia dissvasisse, ac testatum, se in nullam ejusmodi conatus partem venturum. Sed qvia vereatur, ne Gallus obliqva via per Danum Germaniam infestare paret, facile judicari posse, si hinc Sveci, & Luneburgici, inde Rhenus invadatur, qvæ patriæ facies emersura sit. Igitur ne summa rerum periclitetur, prospiciendum esse. Se qvidem semper pro Cæsare & Imperio facturum, qvæ fidum Electorem decent. Ac in ejus documentum offerre VI M ☐ pedites, M eqvites, D dimachas suis sumtibus alendos, tantum ut Cæsar iis forum præbeat, ac in itinere gratis panem, ac pabulum sufficiat. Si & alius hostis Imperium invasurus sit, se una cum aliis Ordinibus facturum, qvæ isti servandæ, ac avertendo periculo faciant. Qvin & si majorem militum numerum Cæsar desideret, æqvis conditionibus transfacturum. Super hisce Principi mandatum conventionem concipere, qvam, ubi arrideat, ipse ratihabiturus sit, copiis statim iter ingressuris. Ac jam ad legiones mandata emittebantur, ut intra tres septimanas octodecim millia apud Crosnam metari possent. Jubebat qvoqve Elector moneri de omittenda per Silesiam persecutione. Sane horrendum esse, rabiosos qvosdam sacrificulos crepare; melius esse Hungariam, & plura Turcæ relinqvi, imo Cæsarem albo eum baculo è ditionibus suis excedere, qvam ut aliqvi Protestantes in Cæsareis provinciis tolerentur. Et qvo animo Protestantes ad servandas Cæsaris ditiones, omnesqve fortunas sangvinem, & opes profusuros, si in præmii vicem sacrorum socii immanium hominum furori immolentur? Ad proposita Cæsar re- 1683. 17. Jul. spondebat: Se qvidem haut credere, Gallum hac occasione abusurum; qvod de isto velut Christiano Rege melius præsumi par sit. Qvia tamen is nulla præbita causa statim post factam pacem contra fidei religionem tam insignem partem Imperio detraxerit, nec deinceps minis, ac violentis actibus abstinuerit; in eo se cum Electoris sententia conspirare, salutare, ac necessarium fore à Gallo cavere, ne hac occasione Germaniam apud Rhenum, aut junctim cum Dano in Westphalia, & Saxonia invadat. Ac Electorem opus laude dignum fecisse, qvod Dano talia dissvaserit, nec de ejusmodi conatibus participare velit. Sed qvo modo securitas à Gallo stabilienda sit difficile fore, qvod tam freqventibus specimi-nibus constet, qvantum fiduciæ in istius promissis reponendum. Se qvidem semper paratum fuisse, & adhuc esse, ad stabilem, tutam, & universalem cum Gallo pacem ineundam; id qvod commodissime obtineri possit, si Elector, qvi maximum causæ momentum adferre possit, reliqvis fœderatis accedat, ac si omnium nomine Gallo denuntietur, nil præter duraturam pacem optari. Cæterum oblato Electoris auxilio valde se lætari testabatur. Colloqvio cum Cæsareis ministris Princeps dicebat: Lambergium qvidem Comitem tantum de VI M auxiliarium instituisse. Id qvod Elector qvidem annuerit. Sed qvia is numerus ipsi velut veterano duci nimis exiguus videatur, qvod ejusmodi tenues copiæ modicum operæ pretium faciant, ac fere ad exitium trahantur, eum consultum judicasse XII M militum mittere. Propositas ab Anhaltino conditiones Cæsarei graves nimis ducebant. Sed legatus Hispanicus Principi dicebat: Electoris prætensiones summa æqvitate niti, ac se Cæsari svasisse, ut eas annuat, qvod XII M militum Brandenburgicorum veteranorum, ac vincere svetorum pluris sint, qvam duplex numerus aliorum recens conscriptorum. Se qvidem Electoris causam summo studio promoturum, cui undecunqve satisfaciendum sit. Alias iste legatus

paci

1683. paci cum Gallo non repugnabat, modo ea omnes complecteretur nemine fœderatorum excluso. Pollicebatur qvoqve Electori ab Hiſpanis ſatisfactum iri. Ita ſpes erat rem propediem conficiendam; ac annuebat Cæſar CCC M uncialium; ſimul jam in Sileſia ad Electoris copias annona inſtruendas omnia diſponebantur.

Tractatio cum Cæſare ſic irrita.

§. 96. At Rebenacius, cum impedire non potuiſſet, qvo minus Anhaltinus ad Cæſarem mitteretur, eo profecto inſiſtere non omittebat, ut ſaltem auxilia huic non mitterentur, niſi poſt pacem cum Gallo perfectam: nimirum ut interim Vienna periret. Etſi Croiſſius, cum Elector de auxilio Cæſari ſubmittendo ſignificaſſet, reſponderet: Regi ſuo gratum fore auxilia contra Turcam mitti. Eum duntaxat ſcrupulum eſſe, ne interim res inter Danum, ac Luneburgicos ad manus deveniat. Ubi Electori haut tutum ſit futurum copias alio ablegaſſe; ac per turbida iſta eidem inſultum poſſe fieri, anteqvam Gallus auxilio venire qveat. Sed cum Rebenacius nihil proficeret, literas ad Hayum, Gallicum Monachii miniſtrum ſcripſit, qvibus commentus fuit, Electorem miſſis copiis non in animo habere Cæſari ſubvenire; ſed ut ea occaſione, dum iſtæ Sileſiam tranſeunt, in poſſeſſionem trium Principatuum ſeſe immittat. Nam ſe perviciſſe, ne Elector Cæſari opem ferat niſi poſt pacem, aut inducias cum Gallo initas. Qvæ literæ ab Hayo ad Bavaricum miniſtrum Leidelium Paſſavium miſſæ apud Cæſareos fidem invenerunt. Cum tamen Gallicas fraudes animadvertere debuiſſent, qveis colluſiones Galli cum Turca uſqve adeo ignotæ non erant, ut Tekelii Secretarius Viennæ detexerit, inter Gallum, Turcam, atqve Tekelium conveniſſe, ut hi duo omnes Cæſareas provincias ipſa cum Vienna haberent; excepto Regno Bohemiæ cum Moravia, & Sileſia, qvod Romanorum Regi, qvam dignitatem Gallus Delphino deſtinarat, reſervandum ſit. Ulterius nec Turcam, nec Gallum arma Germaniæ illaturum. Etſi Galli dudum ſibi perſvaſerant, ſuo Regi, ubi ſemel æmulam Auſtriacorum potentiam oppreſſerit, ſemper facultatem fore Turcis iterum eripiendi, qvæ hi interea Chriſtianis extorſiſſent. Nec deerant adulatores Sacerdotes, qvi nullo pudore gannirent, bono Catholicæ religionis, ac Chriſtiani orbis adverſus Turcas utile fore, ſi Galli potentia per Europam eouſqve gliſcat, ut reliqvis Principibus Chriſtianis leges dare, eoqve hæreticos extirpare, ac Turcas in ordinem redigere qveat. Qvo fine multa ſuper debilitate Imperii Turcici diſſerebant. Addiderat iſte Secretarius de conſiliis, qvæ inter Gallum, Vezierum, & Tekelium agitata fuerint ſuper iis, qvi maxime ipſorum deſtinatis obſtent, veneno tollendis. Ac ambitioni ſuæ litantem Regem nullo religionis ſenſu tangi indicio erat, qvod, dum proprio in Regno à ritibus Romanis diſſidentes, fidiſſimos alias civium, acerrime perſeqvitur, alibi Proteſtantem Tekelium pecunia ſublevaret ad arma Principi ſuo inferenda, ac nunc ipſummet Turcam orbi Chriſtiano immitteret. Scrupulum haut eo ſecius nimium credulis injecerunt Rebenacii literæ, præſertim qvia plus copiarum offerebatur, qvam ipſi experierant. Unde Cæſari placuit, inſuper habito Electoris auxilio, cum reliqvis, qvi ad XC M bellatorum adſcendebant, liberandæ Viennæ fortunam tentare. Ne tamen diffidentiam apricarentur Cæſarei, formulam pacti adornabant, ſed cui ejusmodi conditiones inſerebantur, qvas Anhaltinus ab Electore haut admiſſum iri ſatis prædixerat. Ac ſane cum huic multa in ea formula diſpliceret, Principi ſcribebat: Ob præſentem Cæſaris ac Imperii conditionem, ac proprii ſtatus, & ſecuritatis rationes, aliosqve reſpectus nullo modo iſtam à ſe acceptari poſſe. Ubi in præſens imminens à Gallo periculum per tranſactionem amotum fuerit, ſe paratum eſſe cum Cæſare contra futuras invaſiones, atqve inſultationes arctiſſimo fœdere jungi. Sed in præſens eo deſcendere, qvo formula invitat, nil aliud effecturum, qvam ut ignis, qvem ipſe hactenus magno labore, atqve cura, nec ſine ſucceſſu intra cineres coërcuerit, eo citius erumpat, cui præter reliqvam Germaniam ſuæ præcipue ad Rhenum ditiones exponendæ ſint. Alias perſtare ſibi ſententiam, primo omnium Imperio conſulendum, uti id ſubſtantiam ſuam retineat. Tunc demum externa negotia juſto vigore ſuſcipi poſſe, ac magnæ fortunæ loco fore, ſi Gallus hac nocendi occaſione non abutatur, dum omnes Germaniæ vires in Auſtriam tendunt. Nec ſe ſolum ei continendo ſufficturum; præſertim cum ipſe vix Danum, & Luneburgicos à colliſione cohibere valeat. Unde Princeps Cæſari nomine Electoris ſignificare jubebatur, in eam ſe formulam conſentire non poſſe; nec prolixis monitis Cæſari moleſtiam dare velle. Qvod ſi Cæſari tractationem continuare placeat, per Lambergium eam Berolini abſolvi poſſe. Se hac rerum facie, ac gliſcente inter Danum, & Luneburgicos

Leidel.

1683. diſſidio, & qvia metus ſit, ne Gallus poſt elapſam, qvam ipſe præfixerit, diem in arma erumpat, copiis alio miſſis ditiones ſuas nudare, ac armatorum vicinorum arbitrio exponere non poſſe. Nam ſe hac ſpe auxilia obtuliſſe, qvod Germaniæ ab aliis hoſtibus qvies concilianda ſit. Sed poſtqvam è formula pacti adpareat, rem ad bellum cum Gallo deduci, ac alias turbæ inter Danum, & Luneburgicos erupturæ videantur; officium, qvo patriæ ac civibus ſuis teneatur, haut permittere, ut utrisqve periculum ultro attrahat. Tum à ſe poſtulari, ut ipſe ſe obliget ad tuendam pacem Weſtphalicam, tum præſtandas rationes Hiſpani, Lotharingi, Italiæ, ac ad procurandam pacem omnes complexam; cum viciſſim nil emolumenti ſibi oſtentetur. Qvanqvam autem alia dein formula concinnabatur conditionibus paulo lenioribus; ea tamen huc ſpectabat, ut Elector cum Cæſare arma ſociaret ad tuendas rationes Domus Auſtriacæ, & Hiſpaniæ, & ad tranqvillandum orbem Chriſtianum, ac nominatim Principes Boreales; tum ut omnes turbationes in poſterum prohibeantur. Ad eam formulam Elector reponebat: *Se grato animo agnoſcere honorem, qvod Cæſar ipſum ad fœdus invitaverit. Id ſe cupide fuiſſe amplexurum, ni liqvido perſvaſus ſit, præſenti rerum intra, & extra Germaniam conditione ejusmodi fœdus, qvale hic delineetur, Cæſari ac Imperio, & cumprimis ſibi, ſuiſqve ditionibus exitioſum eſſe. Eſſi enim id laude dignum ſcopum habeat, nempe defenſionem, & conſervationem Imperii, ac vicinorum, ac cumprimis Hiſpaniæ; tum ut recuperentur, qvæ Imperio, & vicinis per injuriam poſt Monaſterienſem pacem ſubtracta ſunt: prius tamen, acceptata à Gallo oblata pace, aut induciis, citra periculum obtineri poſſe. Sed ad poſteriora qvæ in formula proponantur, & alias requirantur, vires uſqve adeo non ſufficientes videri, ut potius contrarios effectus producturæ ſint, pluribus inſuper Imperio ſubtrahendis. Sane Gallum niſi coactum nunqvam in eam reſtitutionem conſenſurum; id qvod adpareat è delectibus, qvos ſuſcipit, ex iis qvæ in Belgio egit, & è declaratione iterum Ratiſponæ facta, qvæ oblatas à ſe conditiones ad finem hujus anni reſtringit. Jam autem ſanam rationem dictare, imminente bello expendendum, num vires in promtu ſint, qvibus hoſti reſiſti, ac opera pretium fieri poſſit. Qvas non adeſſe, ſole meridiano clarius adparere. Cæſarem, ejusqve vicinos bello Turcico diſtrahi. Reliqvos Germaniæ Principes armis inſtructos inter ſe diſſidere, ac vicinos ſuſpectare, & concordes licet Gallo pares non eſſe. Ac ſi incendium inter Boreales erumpat, utramqve* 1683.
Saxoniam, & Weſtphaliam contra Gallum nil conferre valituram. Exterorum auxiliis nil confidendum. Qvosdam ſibimet ipſis defendendis non ſufficere; alios inter ſe diſſidere; qvosdam non præſtare, qvæ ab ipſis expectentur; omnibus propriam utilitatem cordi eſſe. Eqvidem qvosdam hac ſibi ſpe blandiri, Gallum uti hactenus intra ſolas minas ſubſtiturum, nec reipſa qvid tentaturum. Interim pacem cum Turca ſeqvi poſſe; ac tunc ſat virium fore repellendo Gallo, & recuperandis amiſſis. Enimvero à Principe rationum ſuarum callentiſſimo, & cui ſolitum aliorum deſtinata antevertere, talia expectare fruſtra eſſe. Se indubiis ex indiciis judicare poſſe, Gallum eo uſqve haut qvieturum; & hocipſum fœdus inſtrumentum fore eidem ad tentanda extrema compellendo. Eum enim hactenus non parum reſpexiſſe Ordines, qvi pacem ſvaſerunt. Ac ſe demonſtrare poſſe, ſi non omnia, ſaltem multum ſe contuliſſe, qvod Imperium ab ulteriore violentia liberum præſtitum fuerit; & eo ipſo tempore, qvo malevoli ſtudium ſuum in Gallum invidioſe diſtulerint, ſibi qvam maxime ſalutem, ac tranqvillitatem patriæ cordi fuiſſe. Qvod ſi igitur Gallus perſpiciat, à ſe qvoqve conſilia capta, è qvibus non poſſit non bellum provenire, eum haut qvidqvam primum ictum expectaturum. Qvo caſu ditiones ſuas maximo periculo exponi. Nam uti tunc acerbiſſime in ipſum odio exarſurus ſit; ita eandem iſti viam, qvam antea in Weſtphaliam penetraverit, nunc qvoqve patere. Unde tunc ſibi auxilia? Cæſarem eo obligationi ſeipſum ſubtrahere durante bello Turcico. Qvid opis ſibi ab aliis expectandum ſit, ac inprimis ab Hiſpanis, notum eſſe. Non dubium igitur, qvin magis pax, aut induciæ arripienda, qvam patriam tam manifeſto periculo exponendam. Præſertim cum Gallus jam communem pacem, aut inducias offerat, eodem tempore cum Imperio, & Hiſpanis concludendas. Aſt ſi Cæſar utiqve rem ad extrema deducere velit, id ſolatio ſibi fore, in nullam ejus ſe conſilii partem venisſe, nec monita ſua deſuiſſe. Cæterum obligationi, qvæ Cæſari ac Imperio teneatur, nunqvam ſe ſubtracturum, cui qvod adverſetur fœdus nunqvam inierit, nec de eo ineundo in mentem ſibi venerit. Ac ubi qvieti Germaniæ verſus Galliam proſpectum fuerit, Cæſari qvam arcto fœdere ut cupiat, illigari velle, tam ad conſervandam pacem factam, qvam adverſus Turcam. Sed & ſe citra vanitatem gloriari, ſi Luneburgicos teſtes excitare poſſe, ſe ſolum impediviſſe, qvo minus exitiabile inter Boreales bellum exortum ſit; ac ad eundem finem deinceps qvoqve connixurum, non ſine ſpe boni ſucceſſus, modo contra Gallum in bellum 1683.

1683. *non erumpatur. Nam eo casu se aliter judicare non posse, quam non Germaniam solum, sed & Borealia Regna atroci incendio conflagratura.* His igitur de causis factum est, ut Elector in partem liberatæ Viennæ non venerit, etsi voluntas ei non defuerit. Qvi tamen dum initio ita promtum se auxilio Cæsari mittendo declarat, Regi Poloniæ non parum alacritatis addiderat, ut ad eam urbem servandam cum eqvitatu suo acceleraret, in ipso tempore veniens, cum urbs ultra octo dies defendi non amplius posset. Qvi ea expeditione magnam gloriam assecutus est non solum strenua in hostem pugna, qva primus in Turcarum castra irrupit, eoqve maxima præda qvatuor millionibus taxata potitus est; sed etiam qvia per occultos nuntios cum Tartarorum Hano convenerat, ut is triduo ante qvam Christianorum exercitus Turcis ad Viennam ingrueret, cum popularibus suis se subduceret, sic ut nemo Tartarorum pugnæ ad Viennam interesset. In castris Turcarum inter Vezieri scripta repertæ qvoqve fuerunt literæ Galliæ Regis ad Vezierum, qvibus huic obsidium Viennæ svadebat, ac rationem demonstrabat, qva brevi ea urbe potiri posset, promittens, se brevi eidem LX M aureorum missurum. Isto obsidio ac prælio Ottomannorum potentia sonticam plagam accepit; ac Vezierus, cum res perditas perspiceret, lacrymis profusis duos filios amplexus, se jam uno ictu periisse pronuntiabat. Joanni Reichardo Starenbergio Comiti ob defensam tam strenue urbem Cæsar supremi ducis dignationem, aureumqve vellus, tum C M uncialium dono contulit, omni qvoqve ejus ære alieno exsoluto. Cæsari autem præter servatam tanti momenti urbem id qvoqve prædæ obtigit, qvod Neostadiensis præsul Collonitschius, qvi antea offensam Cæsaris incurrerat, recuperandæ gratiæ huic Viennam regresso prodidit, qvo loco Hungarici Magnates pecunias suas, duos amplius milliones, asservarent: qvæ statim in fiscum redactæ sunt. Cæterum nuntio liberatæ Viennæ in Galliam allato Croissius qvidem dicebat: bonum esse, à Turca tanti momenti urbem haut captam. Sed revera adeo ingratus iste nuntius in Gallia fuerat, ut ministri de eo Regi non nisi obliqva via insinuare auderent. Qvi & per triduum in publicum non prodiit, febriles accessus causatus, vel ficte, vel qvia tam votis contraria animum juxta ac corpus alteraverant. Saltem iste maluerat obsidium adhuc extrahi, ac obsessores inopia potius, aut alia de causa, qvam per tam nobilem pugnam pulsos. Nam qvia hac fortuna Cæsari, ac Hispanis animi accesserant, paratus armorum augendi erant. Tum & idem jam nova consilia cum Dano, & Electore meditabatur, subvertendis Luneburgicis, anteqvam Cæsar, aut alii eisdem subvenire possent. 1683.

§. 97. Non minus tamen operæ pretium Elector, dum alii in Turcam pugnant, fecit, servata in diversa parte Germaniæ pace, ac prohibito, ne inter Daniæ Regem, ac Luneburgicos ad manus veniretur. Ac à Ducibus qvidem Hoimburgius, & Obergius proponebant: magno sibi dolori esse statum Germaniæ, cui præter periculum ab Oriente & Occidente etiam turbæ à Septentrionibus imminere videantur, qvibus forte & Elector implicandus sit. Eas tanto magis declinandas, qvod bellum semel cœptum semper latius grassetur; ac si in ipsa Germania motus oriantur, exteros sine dubio iisdem sese ingesturos. Catholicis semper id studium esse Protestantes inter se committere, qvo hi vires mutuo atterant. Si maxime Svecis qvid eripiatur, id tamen retineri non posse, ni ad Gallum Germaniæ arbitrium redeat, qvi armis qvæsita evincat. Sed & pulsis Svecis Westphalicam pacem magna ex parte tolli, omniumqve Ordinum jura circa sacra & civilia, & qvæ Electori, aliisqve in satisfactionem data sint, in dubium revocatum iri. Cum itaqve Elector semper bonum publicum ante privatum habuerit, nunc qvoqve patriæ calamitatem averruncare haut omissurum, ac Danum à calidis consiliis dehortaturum, tum conservationem Bremæ, Lubecæ, & Hamburgi sibi commendatam habiturum. Duces vicissim omnia, qvæ ad securitatem Electoris faciant, libenter collaturos. Qvibus cum Elector reponeret, se trajectionem copiarum Svecicarum in Germaniam metuere, legati respondebant: spem esse, Svecum in præsens nil turbarum in Germania meditari. Censere tamen eum jure prohiberi non posse, qvo minus modicam manum firmandis suis præsidiis, ac exhibendæ ratæ parti Imperio & Circulis debitæ, in Germaniam trajiciat. Ac si Elector circa numerum copiarum præcautione opus judicet, Duces libenter operam navaturos. Duces qvoqve vereri, ne Gallus iterum Sveco se innectere qværat. Eo magis in lubrico fore, qvæ forte istis eripiantur. Ad hæc Elector pollicebatur, se apud Daniæ Regem pro servanda pace officia interpositurum, ac trium urbium incolumitatem curæ sibi fore. Simul ad oblatam à Ducibus amicitiam paria reponebat.

Elector inter Boreales pacem servare studet 7. Jun.

1683. *Dania Regi quies persuadetur.*

§. 98. Inter ista ex improviso Gallica classis viginti qvatuor navium in Oresunda adpellebat, instigando Dano, ut in bellum erumperet; cujus præfectus injunctum sibi ferebat, citra exceptionem Dani jussa seqvi. De ejus classis profectione cum Gallus Anglo significasset, hic apud omnes suos portus imperabat, si opus foreti is accessum, & omnia necessaria præbere. Fama qvoqve erat, Belgicam classem in Mare Balticum accessuram; id qvod Elector in Hollandia impedire summopere studebat. Tanto enixius Daniæ Regem monebat Elector, ne fiducia Gallici auxilii arma moveat, Germaniæ exitium, Gallo arbitria rerum per Europam paritura. Eqvidem perpetuo se amicitiæ nexu Regi devinctum fore: sed ut in bellum erumpatur, id nunqvam se probare posse. Ac esse omnibus Christianis Principibus gravissimam causam, ut Turcæ se opponant. Sane & se ipsum auxilia Cæsari obtulisse, statim atqve pax cum Gallo stabilita fuerit; qvam ipse subinde Cæsari ingerat. Sed Danus suæ inhærebat sententiæ; jam commodissimam arridere occasionem Svecos Germania expellendi, in præsens debiles, sed qvibus, si spatium indulgeatur, vires recolligendi, ac domi res suas disponendi, post iterum formidabiles futuros. Nec minus nunc tempestivum esse Luneburgicos ulcisci, eorumqve spiritus castigare. Esse sibi in promtu egregias copias terra mariqve, ingenti sumtu paratas, qvas otiosas desidere dolendum sit. Etsi Alefeldius Cancellarius testabatur, à se id consilii haut profectum, qvod prima specie lætum, tractatu arduum, exitu triste sit futurum. Sed Elector ingerere haut omittebat: subdola esse Galli auxilia; ac nefas Christiano Principi præsenti à Turca periculo incendii in Germania excitati infamiam in se derivare. Qvin in præsens omnes privatos respectus seponendos, ac unice in id incumbendum, ut pax inter Imperium, & Gallum promoveatur, ac inde dirus hostis nominis Christiani in ordinem redigatur. Satis à se intima Galli sensa inspecta, nec in ullam conventionem ab hoc pellici se passurum, per qvam ipse, ac Danus in fraudem inducatur eodem eventu, qvem Sveci novissimo bello sensere. Nam si Svecus invadatur, Luneburgicos haut qvieturos, cui & Belgæ classem auxilio sint missuri. Sed & nunqvam se concedere posse, ut Gallus exercitum ad Inferiorem Rhenum mittat. Ac se antehac nunqvam credidisse, Gallo ita parum curæ esse, qvid ipsius fœderatorum commoda, ac rationes reqvirant. Id postqvam ipse observarit, merito aliam viam rebus suis consulendi ineundam. De cætero ipsi firmiter se adhæsurum, modo se inconsulto nil moveat. Mox cum nuntii de obsidio Viennæ adferrent, Rex haut parum perturbatus censebat pacem cum Gallo urgendam; inde junctis viribus in Turcam eundum. Sed qvia per Luneburgicos solidi qvid suscipi neqveat, eos prius in ordinem redigendos. Esse eos superbos, & inqvietos, qvi sine dubio cum Svecis fœdera contra se, & Electorem cudant. Unde præsentem occasionem haut negligendam, qvo isti desinant arbitria rerum sibi arrogare. Inprimis altius penetrare, qvod Svecus per Belgicam classem copias Gothoburgo in Bremensem provinciam trajicere paret, qvæ Luneburgicis junctæ se, atqve Electorem magno incommodo afficere qveant. Ac non recte Electorem sibi consulere, qvod florem exercitus sui jam contra Turcam mittere velit. Enimvero Electori longe alia mens erat, qvi insistere non omittebat, ne qvid à Rege in Luneburgicos tentaretur. Et qvia eodem tempore hi nonnihil copiarum in ditionem Hamburgensium, cis Albim miserant, Elector Meindersium Hamburgum mittebat scisitatum, num id conscia, & consentiente civitate factum foret, simul moniturum, ne qvam Daniæ Regi offensæ ansam præbeant. Ejus facti rationem Ducum ablegati hanc reddebant, ut Lubecæ ab imminente periculo caveretur, testati alias de animo suo in concordiam prono. Ast Elector censebat, eas copias trans Albim revocandas, qvoad earum ibi commoratio non posset non Dano suspicionem injicere, ipsiqve ansam præbere vi easdem expellendi. Unde & Duces eam manum trans Albim iterum revocabant, accedentibus qvoqve Hamburgensium precibus, qvi eandem se insciis, & invitis hæc penetrasse testabantur. Cæterum Regi Elector per Meindersium prolixe demonstrabat, qvare haut consultum sit in præsens qvid movere; ac se nullo modo in ejusmodi ausi partem venire posse. Nam præter alia obstacula bellum à Turca intervenisse. Patriam in summum, qvod unqvam fuerit, periculum incidisse; ac nunqvam Deo, conscientiæ, ac honestæ orbi adprobari posse, si Imperii status excitatis qvoqve intestinis turbis plane desperatus reddatur. Ac si maxime ab una parte molestus vicinus citra solidum emolumentum ad tempus compescatur: ex altera tamen parte crudelissimi hostis immania destinata promoveri, ac viam eidem muniri in Germaniæ viscera penetrandi, ac plane ad nostros limi-

tes

1683. ses pedem figendi. Igitur se sperare, Regem justum qvantumvis dolorem bono Germaniæ, & Christiani nominis condonaturum, aut saltem ei exseqvendo commodius tempus expectaturum. Qvod si Rex sibi significare velit, qvid à Ducibus desideret, se operam daturum, ut ipsi satisfiat. Regis qverimonia eo fere redibat, qvod Duces obtentu vel præfecturæ in militiam Circularem, vel protectionis, vel peculiaris pacti pro lubitu per Inferiorem Saxoniam dominari velint, suisqve destinatis ubiqve se objecerint. Demum tamen declarabat, se ad extrema non processurum; id tamen saltem laborandum, ut is dominatus, qvalem Duces sibi hactenus in Saxonia arrogarint, non amplius toleretur. Nam Imperii legibus cautum, ut præfectus Circuli copiis Circularibus non in propria, sed in communi Ordinum causa, & in qvem finem à Circulo concessæ sint, utatur. Tum ut idem ad auxilium Circuli nomine Imperio præstandum non proprium, sed Circuli militem adhibeat. Ac Georgium Wilhelmum Ducem anno 1671 scripto ad eas leges servandas sese adstrinxisse. Duces contra testabantur, se contractis suis copiis, ac manu cis Albim missa nil aliud spectare, qvam securitatem Saxoniæ, ac ut Lubecæ succurrere possint, qvam à Dano impetitum iri rumor sit, qvi & eo fine ad Oldesloam castra ponere decreverit. Contra Danus negabat, sibi prætensionem, aut conatum in Lubecam esse; ac facile judicari posse, se hautqvidqvam nulla causa Imperialem civitatem invasurum; præsertim cum Lubecenses nuper qvicqvid actionum sibi in ipsos fuerit, viginti millibus uncialium redemerint. Sed se tolerare nolle, ut Luneburgici militem ei urbi immittant. Ita facile ex ejusmodi disceptationibus irritati animi in hostilia erumpere poterant, ni Electoris officium interveniisset. Sed hortante Electore Danus tunc destinata in Svecos, & Luneburgicos plane exuebat, ne turbæ surgerent Turcis bono cessuræ; testatus, iis se causam non præbuisse, ac falsa esse, qvæ de invadenda Lubeca spargantur. Ac cuilibet sano homini facile fore judicare, hautqvidqvam è re sua esse Germaniam irritare. Copias Oldesloam ire jussus, qvod Lubecenses de recipiendo Luneburgico milite agitarint; cum sibi tolerandum non sit, Duces tanti momenti urbem, in suo limite, positam in potestate habere, præter duo loca in Hamburgensium territorio sita, Holsatiæ vicina. Qvo ipso se intra Holsatiam claudi, cum ipsis in hanc accessus pro lubitu pateat. Sed qvia Duces

2. Aug.

Electore hortante eas copias trans Albim revocarint, sibi aliqvo modo satisfactum, ac visurum, qvid Duces ulterius suscepturi sint. Alias hautqvidqvam eam sibi infamiam contracturum, ut tam intempestive turbas moveat; ac Electoris autoritatem per omnia secuturum, offensis suis reipublicæ condonatis. Et qvia jam per Turcicum bellum totius Europæ facies mutata sit, se qvoqve ad componendas Imperii cum Gallo controversias incubiturum, qvo Turcæ tota vi resistatur. Qvia tamen classis Belgica Gothoburgo copias Svecicas Bremam trajectura credatur, simul Svecica classis Carolicorona Calmariam navigarit, legionibus uti fertur in Pomeraniam trajiciendis, nec penes se sit, trajectionem istam ambobus locis impedire: igitur petere, ut Elector missione copiarum contra Turcam tantisper supersedeat, ne earum discessu Luneburgici insolentia aucti plures occasiones turbis struant. 1683.

§. 99. Cæterum legatus Gallicus Remburgi Meindersio dixerat, suo Regi Electoris actiones probari, ac eum nil aliud spectare, qvam ut inter Boreales bellum declinetur. Eqvidem eum Luneburgicis offensum optare, ut hi paulisper castigentur. Sed qvia ejusdem cum Dano fœdera non nisi mutuam defensionem spectent, se Danos semper monuisse, ne qvid præcipitanter agerent, neu invidiam aggressionis contrahant, per qvam Gallo integrum non sit futurum ipsi subvenire. Paulo post tamen curſor è Gallia Hafniam perveniebat, adferens; Gallo gratum fore, si Daniæ Rex, & Elector Luneburgicis bellum movere velint; qvo fine pecunia ostentabatur. Nec deerant in Dania, qvi eam acceptandam, & cæco impetu in arma ruendum svadebant, ni Electoris prudentia, ac moderatio calorem temperasset. Sane jactabatur, Cæsaris victoriam tanti non esse, ac plus satis eundem in Hungaria habere qvod agat; sic ut ei vacaturum non sit in has oras copiarum qvid mittere. Unde tempestivum fore istos aggredi, anteqvam Cæsar res suas eo provexerit, ut aliena respicere qveat. Ac eo magis qvidam talibus adplaubebant, qvod spes esset, Svecum per Moscos distrahendum. Daniæ qvoqve tolerabilius fore periculosum bellum suscipere, qvam tantam classem, & tam numerosum exercitum alere. Nam hunc exautorare dignitatem, ac securitatem Regis haut ferre; ac dum Duces validis copiis succincti stant, ac Svecus vires reparat, manibus in sinum demissis sedere, indecorum

Gallus Danum in arma stimulat.

24. Sept.

juxta,

1683. juxta, ac intutum esse. Sed demonstrabat Elector; non solum reipublicæ, sed & Dano, ac sibi utilissimum esse posthabito privato emolumento, ac vindicta, junctim ingruens Germaniæ periculum avertere, ac in omnem casum arma in promtu habere. Quem in sensum gravissimæ literæ ad Regem dabantur. Quibus permotus Rex omissis ancipitibus copias suas in hospitia dimittebat. Sed & idem Regi svadebat, ut cum Gottorpiensi mitius ageret. Sed respondebatur: eum Ducem fortunæ suæ fabrum esse, qvi undiqve hostes ipsi immittere nitatur. In gratiam tamen Electoris se tributum bellicum Ducis ministris remissurum. Etsi constabat, qvæstores Danicos in Ducis ditione latius grassari, qvam ipse Rex nosset.

Circa fœdus cum Luneburgicis acta.

§. 100. Porro cum Elector perspiceret, Luneburgicos Duces ad pacem, qvæ ipsi tantopere cordi erat, non modicum momentum adferre posse; initio qvidem tentabat, num eos Gallo, Danoqve pariter innectere posset. Sed qvia Duces stipulari volebant, ut Gallus sine exceptione omnibus reunionibus renuntiaret, id negotium effectu caruit. Igitur dein opera dabatur, ut excluso Gallo Duces cum Daniæ Rege, atqve Electore in fœdus coalescerent, id qvod tam lubrico rerum statuo summe necessarium videbatur. Nam si præter spem bellum erumperet, tres isti inter se juncti magnum pondus rebus adferre poterant. Ac eo casu Electori haut placebat otium agere, ac prædam se victori exponere. Cæterum videbatur Electori id fœdus, omissa anteactorum mentione, ad futura duntaxat dirigendum; si Imperium, aut fœderatorum qvispiam ab extero invadatur. Id enim Gallo non displiciturum legatus istius declaraverat. Et ejusmodi fœdere Duces Svecis divellebantur, simul cavebatur, ne h militem in Germaniam trajicerent, vel ulli fœderatorum nocere possent. Sed & Rebenacius Electori proposuerat; si ei haut consultum videatur hac tempestate qvid his in oris movere, Gallum non repugnaturum; modo Duces sibi non persvadeant, eorum rationem magnopere ab ipso haberi, aut eorundem amicitiam valde affectari. Ast si Dano, & Electori arma in Duces stringere placeat, Regem qvantum opus sit ad isthoc institutum collaturum. De qva propositione Elector Ducibus significabat; ac in sua manu esse, qvæ ipsis intententur accelerare, aut averruncare. Qvod si Duces fœdus amplecti velint, se ubiqve ipsorum rebus fauturum, securitatiqve qvantum possit prospecturum. Ast si viam, qvam hactenus ingressi sint, porro insistant, ac incendio communis belli ansam præbeant, suo id periculo facturos. Se qvidem feciſſe, qvod amicum, & vicinum deceat. Sane si res in bellum erumpat se vel invitum in ejus partem venturum, & qvid sibi expediat cogitaturum. Alias sibi haut qvidqvam in animo esse in turbido piscari, sed junctim cum Daniæ Rege, ac Ducibus utriusqve Saxoniæ, & Westphaliæ securitati prospicere, ac ea conjunctione id sibi autoritatis circumponere, ut omnibus in ipsos respicere necessum sit. Maximam difficultatem à Dano se metuere, sed sperare tamen, eum solida speciosis antehabiturum, præsertim si matura Alefeldii consilia prævaleant. Ac revera Dani propositum fœdus frigide accipiebant, causati, id fœdus Ducibus cordi non esse. Sed Elector per Meinderſium demonstrabat; Gallum hucusqve in hoc negotio ambigue egisse, ut qvid serio velit, liqvido judicari neqveat. Saltem id certum esse, eum ex aliorum inter se collisione lucrum captare. Et qvicqvid ejus sit, non tam minutum emolumentum, qvod forte in præsens inter turbida venari liceat, qvam in futurum respiciendum. Verendum qvoqve, uti & antea factum, ne ipsi ambo laborem, & sumtus faciant, alii lucrum reportent. Cæterum non magis sibi, qvam Regi Ducum acta probari. Sed ob publicum bonum fas esse etiam justissimas offensas digerere. Dissidium Regis cum ea Domo neutri emolumentum, utriqve grave damnum adferre posse. Utiqve autem in Turcam, & turbas Flandricas respiciendum, nec novos motus excitandos, priusqvam internus Germaniæ status firmatus fuerit. Gallum hac conjunctione ad æqva adductum, ac intra limites retentum iri. Ei fœderatos suos parum cordi esse, ac eorum rationes, & utilitates langvide ab eodem respici. Ast ea conjunctione majorem suam apud istum autoritatem fore. Nec istam Gallo improbari posse, qvi & ipse verbis desiderium pacis testetur, qvi unicus ejus conjunctionis scopus sit. Qvæ Alefeldio qvidem probabantur, cum Reventlovius, & Ehrenschildius in bellum propenderent. Vicissim autem Elector Duces per Ottonem Grotium hortabatur, ut aliter se gerant, qvam nuper Ratisponæ factum, qvando de acceptanda pace, aut induciis sententiæ dicendæ essent: ubi istorum legati defectum mandati excusaverant, cum integrum mensem habuissent ad id domo petendum. Jam ipsum eventum testari, qvem fructum inania consilia hactenus agitata producant;

1683.

5. Sept.

ac

1683. ac verendum esse, ne, qvod ipse dudum ominatus sit, eveniat, ut Germania inde Turcæ, hinc Gallo prædæ cedat. Æmulationem inter Danum, & eam Domum impediisse, ne ipse Cæsari, Imperio, & orbi Christiano debitum officium præstare, ac ad liberandam Viennam qvid conferre potuerit. Contra utrinqve magnos exercitus ali, nulli usui, nisi qvod proprias ditiones exedant. Enimvero nec apud Duces qvid proficiebatur, & Dano nondum aversio contra istos decesserat, Gallo qvoqve Danum in eosdem stimulante. Unde Elector gravi epistola Regem ab extremis dehortabatur. Collisionem cum Ducibus nullum ipsi emolumentum, sed grave damnum adferre posse. Nam ne ancipitia fortunæ, & transversim intercurrentes casus memorentur, etiam ubi res probe succedant, nil spei esse ad aliqvid adqvirendum: nec Gallicam pecuniam, qvæ & ipsa in paratis armorum eroganda sit, cum incommodis, & periculosis mutationibus, qvæ circa tam arduum negotium metuendæ sint, ullo modo comparari: contra ex amicitia ejus Domus insignem fructum capi posse. Minime omnium autem sibi consultum in ejus belli partem venire, per qvod ob situm suarum ditionum per varias hinc inde distractiones graves molestiæ sibi inferri qveant. Et alias sibi solitum bella suo ductu gerere; qvod nunc ætas, & valetudo prohibeat. Ast in præsens Duces non amplius solicitare placebat, qvod numeroso milite seipsos consumerent, expensis longe ipsorum reditus superantibus; ac ipsi fatebantur, iis tolerandis ultra semestre se non sufficere.

Saxonis ad Electorem missio. 6. Jun. Bose.

§. 101. Adverterat qvoqve ista Dani adversus Svecos, & Luneburgicos æmulatio Saxonis curam, ut misso Bosio Electorem hortaretur ad operam dandam, ne ea in bellum hac tempestate erumpat. Nam Svecis Germania ejectis pacem Westphalicam facile everti, ac Imperii compagem dissolvi posse. Sed & è collisione Principum consangvineorum, & eadem sacra profitentium id consecuturum, ut Gallus, qvi communi libertati imminet, omnibus leges præscribat. Igitur Electorem optime de patria meriturum, si Danum à bello dehortetur, ac ne Domui Luneburgicæ, cui ipse arcto fœdere junctus sit, justam metus causam præbeat. Ad qvæ Elector: *Negari non posse, Daniæ Regem justum metum hausisse ex fœdere inter Cæsarem, & Svecum inito, inprimis ex articulo de Gottorpiensi causa. Forte & istum adversus id præsidium apud alios sibi qvæsivisse. Et qvia ipse arctissimo vinculo Daniæ Regi sit innexus, simul & vetos molestos vicinos sit expertus, sese isti, ubi bellum erupisset, defuturum non fuisse. Enimvero se hactenus, qvicqvid emolumentorum ostentaretur, pacem, ac publicum bonum privato antetulisse, ac omni studio præcavisse, ne in arma erumperetur; idqve deinceps qvoqve factiurum. Ast vicissim Dano, sibiqve non in præsens tantum, sed & in futurum securitatem à Svecis procurandam, qvæ non tam voluntas, qvam occasio nocendi deesse videatur. Tum & Saxo operam daret, ne Svecus ob negotium Gottorpiense vim adhibeat. Se qvoqve libenter cum Luneburgica Domo amicitiam cultarum. Eqvidem controversiarum qvid esse super finibus, sed qvæ exigui sint momenti. Sed duo esse, qvæ & Saxonem tangant, valde sibi aterba videri; qvod ea Domus omnes Principes in Collegium Electorale stimulet, ac hujus fastigium, multorum seculorum usu, & Aurea Bulla stabilitum, subruere, eidemqve ex æqvo parare laboret. Tum qvod in Saxonia Inferiore tantum non dictatorio modo agat.* Qvarum rerum discussionem in aliud tempus rejicere Saxo svadebat.

1683.

Electoris circa avertendum Gallo bellum cura. 13. Jul.

§. 102. Cæterum qvo magis patriæ periculum gliscebat, eo impensius Elector connitebatur, ne bellum qvoqve à Gallo accederet, latentem alibi sub cineribus ignem qvoqve excitaturum. Idqve eo magis, qvod ipso instante Gallus cavere noller, sese Germaniam armis haut invasurum, causatus, Cæsarem ne per Turcicum qvidem bellum ad pacem cum ipso ineundam permoveri. Neqve vero ejusmodi declaratione viam ad pacem muniri, sed potius Cæsaris pertinaciam obfirmari. Eqvidem in præsens sibi non esse animum arma in Imperium movere, de qvo & sæpius Electori verbis confirmarit. Qvod si tamen nec præsens rerum in Hungaria status, nec Electoris hortatus pacem producere qveant, alia consilia ad eum finem assequendum esse ineunda. Ad ea Elector Croissio declarari jubebat: Isthoc qvidem responsum non usqve adeo se improbare posse; idqve cum prævideret, apud Cæsarem, Saxonem, aliosqve enixe institisse, ut negotium ad finem perducatur; cum sibi nil magis in votis sit, qvam ut ambiguus hicce status in bonam, eamqve duraturam pacem desinat. Sed qvia ipse metuat, ne qveis super hoc negotio decernendum est, infinita sua dubitatione extremis ansam præbeant, aut saltem eousqve tempus extrahant, qvoad post vulneratam causam amicæ compositioni locus non amplius superstit; se in Re-

13. Jul.

1683. gis arbitrium conferre, an non è re videatur, per Verjum denuo certam diem præfigere, qvo sibi ansa præbeatur negotium tanto enixius urgendi. Id qvod tamen Spanhemius alios celare jubebatur. Qvanqvam enim suus in patriam affectus candidissimus sit, nec ipse aliam viam ejusdem exitio avertendo dispiciat; id tamen à malevolis in sinistrum sensum trahi posse. Etsi Croissius ostenderet; qvia Cæsar pacem defugiat, à Rege diem ægre prolatum iri.

Ratisponæ acta.

§. 103. Sed & Ratisponæ admotum jam propius à Turca periculum Ordines permovebat, ut omnia Collegia in eo consentirent, cum Gallo transigendum esse, qvo Turcæ omnibus viribus resisti possit. Qva in re spes sit Gallum ita acturum, uti generoso suo animo, gloriæqve cupido dignum sit. Ad qvæ Verjus: in Rege moram non fuisse; sed cupiditatem bello eundem petendi effeciſſe, ut legiones in Germania hæserint, nec mature in Hungaria transierint. Ac nunc nomine Regis declarabat; *16. Jul.* intuitu belli Turcici se non solum renuntiare indemnitati, qvam alias jure exigere possit ob expensas, ad qvas faciendas fœdera instinctu Austriacorum formata necessitatem sibi attulerint; ac conditionibus antea oblatis adqviescere. Ac ne Ordinibus Imperii solicitudinis materiam relinqvat, paratum esse super induciis in triginta annos convenire in easdem conditiones, qvæ à se ad plenam litium compositionem sint propositæ. Intra qvod spatium utrinqve ad istam amica via perveniri posse. Enimvero ni hæc conditio intra finem mensis Augusti acceptetur, ea se deinceps teneri nolle. Qvæ propositio plerisqve magis qvam prior de pace placebat, qvod per hanc scrupulus amovebatur, à Cæsareis subinde motus; Cæsarem salvo officio nil cedere posse. Nam nunc Imperio actiones, & jura sua salva manebant, vindicanda, ubi meliora tempora Germaniæ arriderent. Intra triginta qvoqve annos magnam rerum conversionem fieri posse. Cæterum constabat, si Galli tunc irruptionem tentassent, Svecos haut tentata defensione *25. Jul.* Galli protectionem fuisse subituros. Ea propositio aulam Cæsaream non parum irritabat, jactantem, prius eventum Viennensis obsidii expectandum, qvam cum Gallo transigatur, ac forte Turcas brevi ancipitia fortunæ experturos, fractis ad Viennam viribus, & per coëuntia undiqve auxilia plane proterendos. Qvin & Galli bellum à se haut formidari. Saltem non nisi inexennium inducias annui posse. Aſt Elector eadem propositione cognita valde metuebat, ne illi, qvi impedita hactenus cum Gallo transactione effecerant, ut omnia ea mala Cæsari ingruerent, Turcæqve jam ad portas Viennæ starent, pro more suo rem extraherent, qvoad & cum Gallo bellum exardesceret, ruinam Imperio allaturum. Unde per Anhaltinum Principem Cæsari demonstrabat: res Germaniæ per sinistra consilia eo deductas, ut tam nobilis respublica in præcipitio stet. Sed qvidem per ejusmodi odiosa dolorem Cæsaris irritare nolle: pro fide tamen, qva ipsi teneatur, non posse non indicare; si ea, qvæ nunc ex necessitate facienda sint, ante aliqvot menses ultro facta forent, Turcæ cum centum bellatorum millibus obviam iri, eundemqve à Cæsareis provinciis repulsum in proprio impugnari potuisse. Nunc præterita non aliter reparari, ac reliqvias patriæ servari posse, qvam ut ista documenti in vicem ad præsentia tempora accommodentur. Qvemlibet patriæ bene cupientem agniturum, ne deliberatione qvidem opus esse, num oblatæ à Gallo conditiones agnoscendæ sint. Nam in aprico esse, si nunc, dum Turca in visceribus provinciarum Cæsarearum hæret, Gallus qvoqve per fatalem pertinaciam in Imperium pertrahatur, id uno ictu ruiturum ejus compage soluta, ac parte hinc Turcæ, inde Gallo subjicienda. Sane Gallo in proclivi fore, non Mosellam solum, & Rhenum in potestatem redigere, sed & ad Danubium pedem proferre. Ac non paucos Ordinum nulla à Cæsare & Imperio adversus Turcam tutela, Galli patrocinium subire, qvam istius se immanitati exponere malle. Igitur pacem cum Gallo ineundam, ac omnes vires in Turcam vertendas. Sibi perinde esse, pax, an induciæ Cæsari placeant. Id si fiat, se octodecim militum millia missurum, ac si valetudo permittat, in expeditionem iturum, & qvod restet senilis sangvinis pro Cæsare, ac patria effusurum. Sed si præter spem, qvi Cæsaris & Imperii exitium qværunt, magis qvam amantes patriæ cives audiantur, ac repudiatis à Gallo oblatis conditionibus hujus qvoqve arma in Germaniam pertrahantur, necessitatem sibi allatum iri flebile remedium naufragis solitum arripere, qvo qvilibet in ejusmodi fatali calamitate se, suaqve utcunqve servarum it. Electoris qvoqve hortatibus Saxo permovebatur, ut & ipse apud Cæsarem pacem urgeret. Acjam in Collegio Electorali de- *4. Aug.* cernebatur, in conditiones à Gallo propositas sine mora transigendum. Sed Moguntinus, Colonienſis, ac Bavarus, ac plurimi

1683. è Principum Senatu inducias, qvam pacem malebant; ac peculiariter Austriacus, Svecus, & Burgundus Hispanos qvoqve, Sveciam, & Belgas includendos pertendebant. Demum tria Imperii Collegia decernebant, inducias amplectendas. Sed simul à Verjo petebant, ut idoneum sibi tempus indulgeatur, qvo circa nonnulla cum Cæsare convenire possint. Ad qvæ Verjus: forte decem dies addi posse, modo interim negotio colophon imponatur. Qvia tamen Ordines de induciis duntaxat decreverint, non qvomodo, & qvamdiu; Regi suo integrum fore facere, qvæ sibi expedire videantur. Id qvod Electori summam sollicitudinem injiciebat, qvod super legibus, ac tempore induciarum ejusmodi difficultates moveri possent, qvæ rem plane irritam redderent. Idqve eo magis, qvod licet multi Ratisponæ jam fremerent; si Cæsar nolit, seorsim se cum Gallo transacturos; Cæsarei tamen sibi adhuc ea spe blandiebantur, se per valida auxilia, qvæ undiqve adproperabant, non modo Viennam liberaturos, sed & Turcæ vires fracturos: ac tunc Gallum tractabiliorem fore. Qvem & confidebant, post elapsam præfixam diem in arma haut erupturum. Aut si maxime is interim Sveviam, Franconiam, aut Bavariam persultet; id tamen damnum tanti haut fore, ac si fœderati sui destituantur.

24. Aug.

Galli desinunt ab Electore eludi.

§. 104. Enimvero Gallis Ratisponense decretum haut satisfaciebat, velut in longum prominens, ac aversionem aulæ Cæsareæ à pace ab Hermanno Marchione Badensi, Emmerico Episcopo Viennensi, ac Stratemanno oriri judicabant. Et qvia tunc palam in arma prorumpere aliqvis pudor erat, Danum, & Electorem Luneburgicis immittere cupiebant oblatis opimis conditionibus. Nam nunc obsidium Viennæ, qvod Elector hactenus præcipue obtenderat, cessare; idqve non sine gravissima ratione respiciendum fuisse. Sed nunc alia consilia capessenda esse, qvibus Colonienses, & Argentoratenses parati sint. Prius tamen Electoris sententiam audiendam. Ac persvaserant sibi Galli, cladem Turcarum tantam non esse, ac Polonum à Cæsareis offensum brevi ad Gallicam amicitiam reversurum. Enimvero Elector Spanhemio injungebat, ut omnia, qvæ turbis se implicare possint, summo studio declinaret. Ac inprimis circa Luneburgicos demonstraret, in tale qvid nunqvam se consensurum. Nam & hos summa vi restituros spe fretos, post victoriam contra Turcam auxilia sibi non defore: ac Polonum qvoqve sibi respiciendum, qvi se alibi locorum distento in Borussia una cum Svecis negotium facessere qveat. Ac satius fore amico tractatu eam Domum adjungere; id qvod non parum facturum sit paci in orbe Christiano servandæ, cujus mirum desiderium Gallus verbis hactenus præ se tulerit. Ac sperare, Gallo ab Imperio satisfactum iri, modo ad arma ne procurratur. Nec verosimile esse, victorias contra Turcam Cæsari, aut Hispano id ferociæ addituros, ut ultro aliud bellum provocaturi sint. Nam Cæsaris exercitum, inprimis peditatum valde imminutum. Plerasqve ditiones hæreditarias vastatas, aut exhaustas. Maximam Ordinum partem bellum detestari. Igitur se rogare, ne Rex in Germania, aut Belgio rem ad arma deducat. Croisius, etsi super invadendis Luneburgicis urgere non desineret, ostendebat tamen; in gratiam Electoris diem antea præfixam prorogari posse. Ac demum Gallus ad finem usqve anni spatium indulgebat transactioni cum Hispanis, & acceptationi induciarum cum Imperio in annos triginta, viginti qvinqve, aut viginti, qvarum sponsores omnes Principes Christiani esse possint; additis minis, ni conditiones intra id spatium acceptentur, se non solum his teneri amplius nolle, sed & indemnitatem suam qvæsiturum. Interim in omnem eventum armis se instructum fore. Si pax in Imperio succedat, eam soli Electori in acceptis referendam. Sed cum Elector instaret, ut Rex declararet, se intra annum vertentem Germaniam non invasurum; hic præfracte id abnuebat, velut scopo suo adversum. Nam Cæsarem interim refectis viribus, ac facta cum Turcis pace Galliam invasurum. Nec eo minus Rebenacius instabat, ut Elector cum aliis hostilia in Luneburgicos sumeret, simul consentiat, ubi intra finem anni pax inter Imperium, & Galliam perfecta non fuerit, Gallo integrum sit ejusmodi viam paci promovendæ inire, qvæ ipsi è re videatur, eiqve sese haut opponat. Qvæ postulata Elector valde respuebat. Sane fas patriæ, qvod ipse semper in fœdere Gallico exceperit, ac propriæ domus rationes, saluti Imperii implicitas non permittere, ut ipse ulteriorem ejus lacerationem, aut ejusmodi actiones, ex qvibus illa non possit non consequi, adprobet. Unde per Spanhemium enixe apud Gallum instebat, qvo ejusmodi ausis supersedeatur.

24. Sept.

5. Nov.

Elector apud Cæsarem.

§. 105. Ex altera parte Elector Cæsarem per literas impense ad pacem hortaba-

1683. *de pace urget. 29. Nov.*

tur. *Hactenus ipsum causatum, ni pax universos complectatur, ignem, qui inter Imperium & Galliam restingvatur, alibi inter Gallum, & Hispanos erupturum, ac Germaniam denuo correpturum; nec qvid cautelæ circa pacem, aut inducias reperiri. Atqvi Gallum jam Hagæ declarasse, eodem se tempore cum Imperio, & Hispanis tractaturum: tum inductarum tempore non parum detraxisse, ac Hispanis sic satis tolerabiles conditiones proposuisse. Simul declarare, se ferre posse, ut omnes Europæ Principes, ac Respublicæ pro inductis cautionem interponant. Id ni satis habeatur, æternum bellum geri necessum fore. Contra hanc sibi constantem sententiam esse, meliora deinceps tempora extitura, qveis Gallo, si inducias non servet, justa vi occurri qveat. Præsenti autem tempore nil incommodius, aut periculosius dari posse bello in Gallum susceptiendo, aut ut lites in suspenso relinqvantur. Qvanqvam enim Cæsar egregia contra Turcas victoria sit mactus; haut qvidqvam tamen bellum patratum, nec Turcarum vires ita fractas, qvin iterum resurgere possint. Eo durante autem Cæsaris, ac fœderatorum maximas vires istis opponendas. Qvin si maxime Cæsar pace, aut inductis cum Turca potiatur; tempore tamen opus fore etiam ad victorem exercitum supplendum. Interim recenti hosti in proclivi fore ingentem tractum obruere, qvem recuperare arduum sit futurum. Accedere discordiam, ac debilitatem tam in Germania, qvam apud qvosdam exterorum fœderatorum; & qvam parum fœderibus ob discrepantes utilitates sit fidendum. Igitur qvæ se offerat occasionem arripiendam, qvo junctis viribus Turca compesci possit. Ostendere Deum tempora, qvalia multis seculis haut adparuerunt, reducendis sub Christianorum ditionem terris, qvæ tamdiu sub barbarorum jugo gemuerunt. Ex iis Cæsari maximam gloriæ segetem, tum incrementa virium expectanda; ac limitem eousqve proferri posse, ut non facile similis nobissima irruptio sit metuenda.* Enimvero exacerbatio contra Gallos Viennæ indies gliscebat, inprimis postqvam Galli nuper in Belgio Cortracum, & Dixmudam invasissent: ac omnes ea sibi spe blandiebantur, uti Turcæ ita & Galli insolentiam contusum iri. Eqvidem aliqvi svadebant, ut in præsens Cæsar cum Gallo pacem mire non dubitaret, qvam, ubi à Turca cautum sit, pro lubitu infringere, ac injurias suas Galliæ cum fœnore remetiri qveat. Nec enim iniqvum, Galli exempla in ipsum recedere; ac simplex esse fidem ei servare, cui eam violare ludus, jocusqve habetur. Enimvero Cæsaris animus ab his sordibus abhorrebat, cui sancte servare propositum, qvicqvid promissurus erat. Cæterum Cæsareis ministris sententia stabat, inducias haut festinandas, nec curandum, qvas dies absolvendo negotio Gallus præfigat. Nil Germaniæ à Gallo in præsens metuendum, qvi consilia sua alio direxerit. A Cæsare tutam, & omnes complexam pacem expeti. Hispanos expectaturos, qvid fors ferat, ac potius armis ad extremum connixos, qvam ignominiosa transactione Belgium amissuros. Modo Elector Cæsaris partibus accedere velit, Gallum ad moderatiora versum iri. Ac maluerat Cæsar qvamprimum pacem, aut inducias cum Turca inire, ni Pontifex impense obstitisset, qvod spes foret, jam ditiones Christianorum dilatari posse. Ac mox Cæsareorum ardorem non parum refrigerabat, qvod Amstelodamenses ad novos delectus nil pecuniæ conferre vellent, ac qvod Belgica classis Gothoburgi nil copiarum Svecicarum recepisset, ac in reditu ante ostium Texelense gravi tempestate qvassata fuisset. Sub finem qvoqve anni Collegium Electorale per literas Cæsarem hortabatur, ut tandem aliqvando tractationem serio suscipere velit. 1683.

§. 106. Qvia etiam hucusqve Luneburgici Duces paci non parum obstiterant, Elector eos per literas enixe hortabatur, ut & ipsi ad istam promovendam incumbere velint; qvod in præsens bellum cum Gallo Germaniæ, ac vicinis non possit non exitiabile esse. Cruento cum Turcis bello Cæsaris, ac præcipuorum fœderatorum arma distineri. Cæsaris, ac Poloni exercitus hac expeditione admodum attritos, nec minus auxiliares Ordinum copias pessime habitas. Secuta cum Gallo ruptura discordiam in Imperio intestinum qvoqve bellum parituram. Impotentiam Hispanorum nuper direptione oppidi Veræ Crucis in America à piratis facta auctam. Dissidere inter se Belgas Fœderatos; eorum classem Gothoburgo reducem male multatam. Nec dubium, qvin orto semel bello exteri periculosa sua destinata exsecuturi sint. Nec Gallum post biennium inter tergiversationes consumtum diutius qvieturum. Ac jam præcipua obstacula remota esse, cum perinde sit, uno an duobus locis pax fiat. Et qvia res eo deducta sit, ut mox aut bellum, aut pacem seqvi necessum sit; in Ducum placitum reponi, an non eum in finem cum Daniæ Rege, ac secum tractationem Rensburgiantea cœptam resumere atqve absolvere velint. Unde ab his Otto Grotius Berolinum missus proponebat; cum Cæsar à

Elector Luneburgicos ad pacem permovere studet. 10. Nov.

9. Dec.

Gallo

1683. Gallo latas conditiones duras nimium, & ignominiosas habeat, an non Gallus ad moderatiora permoveri qveat, saltem ut Argentoratum penes Imperium maneat. Tum ut Elector componendo Gottorpiensi negotio operam navet, ac ne Danus veteres super tributo actiones in Meclenburgicam, & Lauenburgicam vi persequatur. De cætero Duces paratos tractatui inter se, Danum, atqve Electorem instaurando. Cui responsum: Qvia Cæsar tamdiu moras nexuerit, hac rerum facie à Gallo ægre moderationis qvid obtentum iri. Uti tamen ipse hactenus impedierit, ne summa imis per Germaniam verterentur, ita adhuc tentaturum, num qvid obtineri possit. Ad qvæ Duces censebant: Qvia Gallus Superiorem Rhenum limitem affectet, Argentoratum ei relinqvi posse, sed ut is contra Brisacum munitionibus exutum, simul Friburgum restituat, castellumqve ad Kehlam solo æqvet. Ut qvoqve reunitis saltem dominium utile relinqvat, nec minus cum Hispano transigat, ac renuntiationem in futurum exactis cautelis circumscribat. Sed Elector judicabat: de Brisaco non cogitandum: de Friburgo, & Kehlensi castello tentandum. Ita in eo consentiebant, qvod pax, aut induciæ hac tempestate necessariæ judicarentur. Sed Elector à Gallo proposita citra licitationem acceptanda, Duces moderationem qværendam censebant. Unde conciliandis sententiis Paulus Fuchsius Hanoveram mittebatur; qvi tamen tunc rem nondum ad liqvidum deducere poterat.

Electoris circa Arausionensem causam studium.

§. 107. Nec minus Elector exacerbationem animorum inter Gallum, & Arausionensem, non leve pacis obstaculum, minuere laborabat; qvorum hic cum omni modo conniteretur, ne Gallus pro lubitu grassari, & qvæcunqve in mentem venirent, vicinis eripere, omni fidei religione insuper habita, posset; Gallus contra qva poterat Principi ægre faciebat, obfirmata apud Belgas factione eidem adversa, ac interverso ejusdem patrimonio. Eandem qvoqve causam Daniæ Rex impense apud Gallum commendabat, qvod non possit non Elector ejusmodi insultationibus refrigerari. Nam Rex mœnia Arausionis recens extructa dejici curaverat, ac immisso milite civibus graves molestias dederat. Ea de re cum Spanhemius Electoris jussu qvereretur, Croissius respondebat: Regem nil feciſſe, nisi qvod juri, ac rationi qvadret. Arausionem Principi novissimo tractatu restitutam ea lege, ut in eo statu, qvi tunc erat, maneret, non ut novis mœnibus circumdaretur, qvod Princeps ausus sit. Nec hujus adversus Regem acta id mereri, nec rationes status id permittere. Aliqvot legiones Arausionem ire jussas, dejiciendis mœnibus, qvæ mox inde revocatæ sint, redditis qvas civibus extorserant pecuniis. Ea moderatione Principem haut contentum apud Belgas id factum importune exagitasse; qvi & eo nomine legatum ad Regem mittere velint, sed cujus adventus parum gratus sit futurus. Regis gloriam, & utilitatem reqvirere, ut id asseratur, qvod factum est, & qvod faciendi jus iste habuit; ac plus fuisse facturum, ni Electoris ratio haberetur, qvem ea res nomine filiorum tangat. Alias ad Principem nec supremum imperium, nec utile dominium Arausionis spectare. Illud semper penes Comites Provinciæ fuisse; hoc ad alios præter Nassovios pertinere. Id tamen Principis majoribus è gratia Regis relictum, cui continuandæ hic Princeps locum haut relinqvat. Nec ipsum Electorem toleraturum, ut ejusmodi indolis oppidum in medio suarum ditionum positum munitionibus firmetur. Attamen hactenus super mœnibus duntaxat qvæstionem fuisse. Sed se præstare nolle, ni Princeps alium animum induat, rem perpetuo in eo statu permansuram. Ac sane non diu post Arausionensis Principatus Longuevillanæ Domui per sententiam Magni Consilii adducebatur. Ubi Galli qvidem jactabant, id Electoris filiis Friderico, ac Ludovico fraudi non fore; ac Regi semper facultatem esse, si maxime Princeps ea possessione ejiciatur, filios Electoris iterum in eam ditionem restituendi. Enimvero ista Electori haut qvidqvam satisfaciebant; cui haut decorum, in fraudem Principis super ea ditione in favorem suorum filiorum paciſci, aut causam suam à Principe disjungere. Et si maxime idem qvid deliqverit, suis tamen filiis id nocere non posse, velut qvi ex pacto, & providentia majorum succedant. Qvanqvam etiam Princeps altiorem vindictam animo agitans eam causam parum curare videatur, sibi tamen saltem pro jure filiorum suorum vigilandum esse. Unde & Elector Angliæ Regi eam causam commendabat, saltem ne liberis suis præjudicium fieret, si Princeps circa eam laborare dedignaretur. Sed Anglus excusabat, invito beneficium non dari, ac Principem nimis ferocem esse. Post cum Spanhemius super ea causa Regem alloqveretur, hic respondebat; qvantum ipse norit, causam nondum esse decisam. Longuevillios semper in eam ditionem actionem movisse, sed qvæ ob merita Nassoviorum ha-

27. Nov.

1683. hactenus ſuſpenſa fuerit. Sed poſtqvam hic Princeps ita refractarium ſe gerat, juſtitiam non amplius ſiſti poſſe. Attamen ſi qvæſtio futura ſit de jure filiorum Electoris, eorum rationem uti par ſit habitum iri. Qvod reſponſum Electori minime omnium ſatisfaciebat. Nam ſi Principi per ſententiam Arauſionenſis ditio abjudicata foret, id non poterat non ejusdem filiis præjudicio eſſe, velut qvi non alio jure in eam ditionem ſuccedere qveant, qvam qvod Princeps habuerit. Poſt qvoqve Rex declarabat; Electoris filios in caſum vacantis ſucceſſionis non ſolum jure Principis Arauſionenſis, ſed & omni gratia Naſſovicæ domui heic indulta perinde fruituros, ac ſi nil adverſi pronuntiatum eſſet, ac in poſſeſſionem Principatus reponendos. Atqvi plane à ratione abhorrebat, jus Naſſoviorum per ſententiam judiciariam extingvere, ac idem tamen in filios Electoris è Naſſovia matre natos iterum transferre velle. Unde ejusmodi oblata accipere Elector nefas ducebat; præſertim cum, ſi in hac cauſa à Principe ſe disjunxiſſet, decuplo plus amiſſurus, qvam lucraturus eſſet. Unde Elector Spanhemio injungebat, ne de eo negotio amplius moveret. Sed ſi Croiſſius ultro mentionem injiceret, diceret: poſtqvam Elector viderit, tam exiguam eorum, qvæ à ſe demonſtrata ſint, rationem haberi, vetuiſſe eo nomine Regi amplius moleſtiam fieri.

Cæſaris ad Electorem legatio 7. Jun. 1684.

§. 108. Aſt Cæſar noviſſimis Electoris literis motus, miſſo Lambergio Comite de inſigni ſuo in pacem ſtudio exponebat; qvo impulſus Mansfeldium Comitem in Galliam miſerit; inde conventui Francofurtano anſam dederit, ac magis promovendo negotio Windiſchgræcium Comitem Ratisponam ablegarit. Sed iſta omnia à Gallo eluſa. Cum Mansfeldio tractationem eos ſuſcipere noluiſſe. Francofurti per injecta ſuper cerimoniis litigia negotio remoram injeciſſe, inde plane congreſſum abrupiſſe. Ratisponæ qvoqve varias diſſentiones feminaſſe, atqve aluiſſe, eo tantum fine, ut diſcuſſionem auſorum ſuorum, propriæ conſcientiæ judicio damnatorum, declinarent, ac Imperium ad noxias juxta, fœdasqve conditiones compellerent. Qvanqvam etiam Gallus demum in univerſales tractatus conſenſerit, addito, unam conventionem non valituram, niſi & cum altera parte tranſactum ſit; non tamen niſi diverſis locis tractare velle, ut eum, qvi poſterius concluſerit, (id qvod ſine dubio Imperium facturum ſit,) ad iniqvas conditiones, uti Neomagi factum, 1684. adigat. Haut eo minus Cæſarem, ne qvid omitteret ex qvo ulla pacis ſpes affulgeat, nuper cum fœderatis ſuis in univerſorum conventum Hagæ celebrandum conſenſiſſe, ubi ſuper ratione pacem obtinendi conſultandum ſit. Ac ſperare, Electorem id negotium conſilio, ac opera promoturum, nec eidem ſe ſubtracturum. Nec dubitare Cæſarem, qvo minus ſuas, & Imperii rationes Electoris fidei concredere velit. Aſt ſi Elector eousqve Gallo ſe illigaverit, ut ne amica qvidem officia eidem interponere integrum ſit; Cæſari vitio verri haut poſſe, ſi una cum fœderatis ſuis ſecuritati patriæ proſpiciat, ac ſua conſilia eo dirigat, ne utiqve neceſſum ſit ſuperbis exteri Regis dictatis cœco obſeqvio ſe ſubmittere. Debiles Germaniæ vires, ac ortam inde reſiſtendi impotentiam fruſtra occini, cum ea nunqvam validioribus armis inſtructa fuerit. Si Elector, Colonienſis, ac Luneburgici Duces qvindena ſinguli millia reliqvis adjungant, Gallo ſat pares ſe fore. A Dano Cæſarem nil diſtractionis à tergo metuere; qvod conſtet, Electori neqve cum hoc, neqve cum Gallo offenſiva fœdera eſſe; eoqve Electorem haut teneri, ſi qvid à Dano intra fines Germaniæ moveatur, ei ſe miſcere. Soli autem Dano haut fore audaciam Cæſaris fœderatos in Saxonia Inferiore invadere. De cætero Cæſarem omnes circa pacem demonſtrationes ab Electore libenter admiſſurum; nec repudiaturum, ſi præter Monaſterii, & Neomagi conventa unum & alterum, qvod utriqve parti commodum ſit, à Gallo in medium adferatur; qvod ipſe libenter auditurus, ac ſuper æqvivalente ex æqvo tranſacturus ſit; modo Imperii dignitati, atqve communi ſecuritati caveatur.

Electoris declaratio. 14. Jun.

§. 109. Ad iſta Elector; *Latum ſibi, à Cæſare monita ſua ſuper pace in bonam partem accepta. Supervacuum eſſe morarum cauſas multis recenſere. In præſens à Cæſare circa promotionem pacis, aut inducearum hæc potiſſimum reſpici, ut ea omnes complectantur, ut tractatio uno loco, & qvidem Hagæ ſuſcipiatur; ut conditiones à Gallo propoſitæ temperentur; ut conſtans in Germania conjunctio conſtituatur eorum cumprimis Ordinum, qvibus arma in promtu ſunt. Circa hæc ita ſibi videri. Ut pax, aut inducia univerſos complectantur, ipſe maxime optari. Gallum qvoqve id offerre, ſcripto nuper Hagæ in eum ſenſum exhibito. Ac nunc unice rem penes Hiſpanos hærere, num ii, oblatas conditiones admittere velint; ad qvod Cæſar, Anglus, ac Belgæ facile eos permovere poſſint. Aſt ſi Hiſpani omnia*

in

1684. *in medium allata temperamenta rejicere perrexerint, ac non nisi desperatis consiliis locum dederint, officio Germani Principis repugnare, patriæ salutem, aut exitium ab Hispanorum pervicacia suspendere, ac rationes Germaniæ Hispanicis ita innectere, ut uni cum altera necessario standum, cadendumvè sit. Necessitatem pacis, siquidem patriæ imminenti exitio eripienda, ac Cæsari inde auxilium contra Turcas habendum sit, apud omnes in confesso esse; ad qvam qvilibet bonus civis externis respectibus sepositis conniti debeat. Ast si Hispani omnes pacis, aut induciarum conditiones, qvæ offerantur, pertinaciter eludere studeant, ac bellum Gallis indictum persequi velint, nimirum ipsi qvantum possint, rerum suarum satagant. Sane Burgundicum Circulum ante aliqvot secula cum diversis Principibus bello implicitum fuisse. Contra Germaniam, ejusqve Ordines, ac se cumprimis rebus angustiè Circulo Burgundico parum, aut nil solatii hausisse. Unde nil causæ adparere, qvare nunc Hispaniæ utilitates Germanicis ita arcte combinandæ sint, ut Imperio plane ab Hispanicis consiliis pendendum sit. Porro eam adhuc sibi sententiam sedere, de negotiis, ac fatis Germaniæ nullibi commodius, ac tutius, simul decentius agi qvam in conventu Ordinum, ac præsentibus omnibus, qvorum interest. Qvantum enim damni Germania senserit, ubi ejus negotia à paucis extra ejusdem fines tractata fuerint, inauspicatam pacem Neomagensem recens exemplum præbere; qvod vulnus se nunc refricare nolle. Id tamen documento sibi esse, ac alios Ordines solicite moniturum, ne ad eundem scopulum denuo naufragium faciant. Contra Hispanica negotia nullibi commodius, qvam Hagæ expediri posse, ubi omnium Principum qvorum intersit legati agant; ac rem ibi facile absolvendam, si serio suscipiatur. Se qvidem omnem operam collaturum, ac pro conventorum firmitate sponsionem interpositurum; eoqve nomine cum Cæsare, aliisqve fœdus initurum. Ut autem de conditionibus à Gallo propositis aliqvid remittatur, nullam spem esse. A Monasteriensi pace vel minimum discedere nunqvam sibi animum fuisse, circa cujus explicationem summa horum tractatuum verti videatur, ut unus & alter articulus ibi ambiguus, aut obscurus ita perspicue concipiatur, ne litigandi in posterum materia supersit. Prolixas discussiones de justitia causæ præsentia tempora non ferre; qvæ tamen futura circa pacem tractatione suscipi possint; super cujus loco, tempore, ac modo statim post inducias Ratisponæ conveniendum sit. Nec ibi sua officia defore. Nunqvam enim ejusmodi se vinculum induisse, qvod se alienæ Coronæ arbitrio, aut rationibus in fraudem patriæ cæco modo implicare, aut ab obligatione Imperio debita avertere qveat. Sed num hoc interno, & externo Germaniæ statu super publico exercitu constitui qveat, Cæsaris & omnium belli peritorum judicio à se relinqvi; aut qvod operæ pretium fieri possit, imminente adhuc à Turca periculo, ac Ordinibus per dissonas, ac repugnantes invicem utilitates distractis. De Dano haut credere in animo ei esse Germaniam hostili modo invadere, qvi & superiore bello egregiam operam navarit. Esse qvidem nonnihil controversiarum inter eum Regem, & Luneburgicos Duces. Sed Regem ita moderate egisse, ut nil turbarum inde metuendum sit; modo Duces qvoqve rationem, & æqvitatem seqvantur, ac tam circa munia Circuli, qvam alia intra limites legum publicarum maneant, nec plus autoritatis, qvam hæ tribuunt, sibi arrogent.* 1684.

§.110. Petebat inde scriptis literis Cæsar ab Electore pecuniarium subsidium, centum triginta menses Romanos; qvod ob inducias nondum perfectas de copiis mittendis certam spem concipere non possit. Ad qvas Elector respondebat; modo per inducias cum Gallo, & composita Borealium dissidia patria ac ipse in tuto collocetur, se vel pluribus Cæsari subventurum ad Turcas ita contundendos, ut haut temere deinceps eos libido subitura sit Germaniam invadendi. Id nisi fiat, non magis pecunia, qvam copiis Cæsari opem se ferre posse. Ad ista Lambergius ulterius proponebat: qvia Elector responsum suum conditioni pacis, aut induciarum cum Gallo superstruxerit, se nosse cupere, qvæ inter bellum Turcicum, & Gallicas turbas connexio sit. Tum si utrumqve bellum sit inevitabile, num Elector ideo in neutrius belli partem venire, nec illis rationibus locum dare velit, per qvas alii Ordines credant fieri posse, ut utriqve hosti resistatur? Eoqve num ad patriæ, ac propriam conservationem, ac non minus Gallico dominatui, qvam Turcico jugo declinando vires suas expromere velit? Porro etsi Cæsar haut omissurus sit exteros Principes ad amplectendas inducias impellere; si tamen hæ non succedant, ac Cæsar præter inclinationem suam in bellum contra Gallum pro defensione sui, ac Imperii pertrahatur; num Elector in oblatum antea à Cæsare fœdus descendere, ac cum aliis Ordinibus ad avertendum patriæ periculum incumbere velit: an vero id non prius amplecti qveat, qvam controversiis omni ex parte compositis? Præterea si omnis opera ab Electore navata frustra sit, an non ei placeat ad defensionem

Ulterior Cæsarei legati propositio. *30. Jan.* *28. Febr.*

1684. nem patriæ, ac propriarum ditionum *Associationis* tractatui se adjungere, ac mutuam defensionem stipulari? Deniqve num vicennales induciæ, qvas aliqvi Imperio etiam cum exclusione Hispaniæ, Circuli Burgundici, & Lotharingiæ svadent, ea lege incundæ sint, ut eo vicennio nullo casu, nisi qvando Germania invaditur, arma arripere
2. Mart. fas sit? Ad ea Elector: *Auxilium contra Turcam petito uberius se jam annuisse, modo Cæsari placeat inducias inter Imperium, & Gallum qvamprimum perficere. Ante has unim non magis militem, qvam pecuniam conferre se posse. Unde haut obscurum esse, qvæ inter bellum Turcicum, & negotium Gallicum sit connexio. Qvod Turcicum bellum futura æstate omni vi gerendum iterum sit, ipsi Cæsari persvasum esse, ac Poloniæ Regem id sibi significasse. Qvod si igitur Gallicæ qvoqve turbæ in apertum erumpant, nil aliud sibi obversari, qvam ruinam patriæ, ac dissolutionem status publici in Imperio. Nam se haut arbitrari fieri posse, ut utriqve justa vi simul resistatur; nec sibi constare, qvinam Ordinum diversam sententiam foveant. Unde se non aliud remedium dispicere ancipiti periculo declinando, qvam properam cum Gallo pacem aut inducias. Confidere qvoqve, Cæsarem opus tam necessarium non diutius moraturum; qvod alias cuiqve Ordinum etsi summo cum incommodo, ac irreparabili patriæ damno de propria conservatione utcunqve datur cogitandum sit. Unde & arctiorem cum Cæsare conjunctionem eousqve differendam, nec interim consultum sibi videri Associationi nomen dare. An & qvousqve Cæsari post inducias uni vel alteri extra limites Germaniæ ortis turbis adsistere integrum sit futurum, id è legibus inductiarum judicandum. Ex qvibus etiam dependebit, an, & qvousqve Hispani, aliiqve iisdem comprehendi debeant, præsertim cum Hispani hactenus nil inclinationis ad istas ostenderint, sed potius omnia fecerint, qvæ à pace abducant, & eam in longum differant.* Adversus qvæ etsi Lambergius multa subtiliter magis qvam solide dissereret; Elector tamen semel declaratis inhærebat.

Viennensis aula nondum in inducias inclinat.

§. III. Ast Viennæ nondum vetera consilia exoleverant. Eqvidem Cæsar subinde de ingenti pacis cum Gallo cupidine testabatur, sed qvæ utiqve omnes complecti debeat. Enimvero Gallum solitis artibus insistere fœderatos separandi. Nam si serio pacem cupiat, qvare permittere nolit tractatus uno loco suscipi, qvo fœderati sociato consilio, ac tuto negotium agere qveant? Præter hæc Kœnigseckius; Electorem literis suis ad Collegas inter alia posse, sibi constare à Gallo universalem pa- 1684.
cem expeti. De hoc qvomodo Elector certus esse qveat, se non perspicere, præsertim de Rege, cujus verbis tam parum fidendum sit; & qvi impatiens qvietis ætatem inter perpetua bella exigere gaudeat. Nulla fidei vincula, nullas cautelas, aut renuntiationes à Gallo fieri posse, qvæ obtentu legis Salicæ eludi non possint. In aliorum sponsionibus nil fiduciæ collocandum. Eas hodie censeri inter inania vocabula, nullo effectu. Ubi uni, aut alteri partium spes peculiaris emolumenti allubescat, totum negotium mutari. Cæterum sibi non persvaderi, Gallum ulterius hostilia in Germaniam susceptrum, ac tentantem forte idem fatum manere, qvod Turcas ad Viennam. Si is Ulmam, Coloniam, aut Francofurtum invadat, neminem Ordinum id laturum, ac tandem aliqvando soporem iis excussum iri. Qvin Electorem tunc inter primos in expeditionem iturum. Cæterum rationem capere non posse, qvare Hispani Gallo jam bellum ultro indixerint, cui nec ipse, nec fœderati parati sint. Nisi forte Belgium pro desperato habeant, idqve amittendi honestam occasionem qværant. An cum norint, qvanti vicinorum interfit id servari, aliis necessitatem adferre velle vel ingratiis ad id sustinendum adcurrendi? Qvod si id perierit, non solum periturum; ac nil certius, qvam tunc Gallum tota Germania potiturum. Ac tunc sat ultionis ipsos cepisse se judicaturos, qvod à Germanis inter angustas res deserti fuerint. Sane salutem, & libertatem Germaniæ in eo verti, ne reliqviæ Belgii pereant. Cæterum pacem jam inter Gallum, & Hispanos longe faciliorem esse, qvam inter istum, & Imperium. Ibi enim agi duntaxat de cessione Cortraci, & Dixmudæ; hoc de tota Alsatia, Burgundia, Lotharingia, ditionibus aliis, qvæ vel regnum æqvent. Emmericus Viennensis Episcopus ita disserebat: Omnibus utiqve confitendum, in præsens arbitrium belli & pacis penes Electorem esse. Facile qvoqve judicari posse, præsens ejus emolumentum svadere, ut qvam ingressus est consiliorum viam, insistat. Ast si idem posteritatem respicere velit, ac indeclinabile damnum, qvod Imperio, ipsiusqve Domui olim proventurum sit, dum Galli potentiam studio suo tam insigniter promovet; alia certe consilia capturum, ac opibus, prudentia, ac parta gloria in salutem patriæ usurum. Eo fatis functo Gallos cum successore aliter acturos, ac forte sortem cum usuris repetituros. Blandiri eum sibi spe meliorum temporum; sed ea in deterius ire posse,

1684. posse, qvoad Gallus totam Germaniam suæ ditionis fecerit. Cæsarem non è pertinacia universalem pacem urgere, sed ex necessitate, ac summa prudentia. Nam ni futura tempora, ac posteritatis suæ salutem respiceret, facile tot curis, & molestiis eum supersedere posse. Burgomagnus declarabat: Hispanos decrevisse, qvamdiu super communi pace cautum non sit, omnia, ac inprimis Belgii reliqvias aleæ exponere. Id qvidem ipsis ingenti damno cedere; sed multo majori vicinis, amicis juxta atqve inimicis. His enim serius ocyus necessitatem fore Belgio subveniendi, si vel maxime non nisi pauca ejus loca restent. Munitissimis urbibus ibi sic prospectum, ut Gallum biennio adhuc districtum tenere possint: ac interea aliqvid futurum. Ac si ad hæc extrema res redierit, bonos Angliæ cives Regem ipsum coacturos, ut communem causam suscipiat. Stratemannus differebat: Cæsari fixum sedere, inducias neqve ad id tempus, neqve ad eum modum, qvem Gallus proponat, acceptare, aut in tam turpe pactum consentire, qvicqvid demum inde eventurum sit, confisum Dei auxilio, & justitia causæ. Cæsarem per conscientiam, ac salva lege regia Ordinum ditiones ita condonare non posse. Electorem si non se vivente, saltem in posteris grave damnum sensurum, qvod gliscenti Galli potentiæ, cum posset, sese haut opposuerit; ac permiserit, ut hic subacto Belgio vicinus Cliviæ fiat. Fortunam belli ancipitem esse. Joannem Casimirum Poloniæ, Fridericum III. Daniæ Regem ad extrema redactos, tamen eluctatos. Ast utiqve Cæsarem nondum ad incitas redactum. Hunc nil facturum majestate, & officio suo indignum; nec Hispaniam velut proprium bonum deserturum. Sed nec penes eundem esse, Hispanos invitos ad transigendum cum Gallo compellere. Ei regerebatur: optandum esse, ejusmodi generosa consilia justo tempore capta, ac eadem ingerentibus obtemperatum fuisse, cum res longe melius qvam nunc haberent; nec pacem Neomagensem tantopere festinatam. Sed nunc postqvam irrevocabilis occasio elapsa fuerit, rationem dictare, ut patienter consilia temporibus accommodentur, dum ab oriente, & occidente, simul à Borea periculum immineat. Salutem Germaniæ à negotiis Italiæ, & Hispaniæ hautqvidqvam suspendendam. Sed & ut ingratiis ad inducias descendatur, necessitatem fore è dissidio Arausionensis, & Amstelodamensium indies invalescente, per qvod ea respublica inutilis reddatur. Sane Hispanos nupera clarigatione certo sibi persvasisse, omnes fœderatos certatim auxilio accursuros, qvasi qvemlibet vicinum suæ rationes contra Gallum pertracturæ essent. Sed nunc irrita ista spe, cum omnia in Galli commoda conspirent, pertinaciam iis facile decessuram. Post Cæsareæ legationi Ratisponam mandata mittebantur, ut tractatio ibi suscipiatur. Sed cum ea re in Senatu Principum mota Austriaci negarent sibi mandata esse, Elector Viennæ monebat, ut omissis ludibriis tandem seriores agatur. Jam qvoqve Bavarus, gloriam bello contra Turcas adqvirere cupidus, Viennæ acriter inducias urgebat, qvod alias tutum sibi non sit tam longe à ditione sua discedere, nisi à Gallo cautum sit. Sed Viennensis Præsul ejus monita eluserat, qvod autoritatem suam citra Hispanorum favorem tuiturum se diffideret. Sed qvo consilio nil aliud effectum, qvam ut Lutzenburgum amitteretur; qvod servari poterat, si imminentem necessitatem sponte prævenire placuisset. 1684.

§. III. Cum itaqve pertinacia aulæ Viennensis, qvam Hispanica consilia temperabant, nondum expugnari posset; Elector alibi locorum circa curandam Germaniæ securitatem laborabat. Qvo fine Paulum Fuchsium Coloniam, & Hagam mittere constituit. Cui injunctum ex itinere Hanoverano, ac Cellensi Duci exponere, uti jam incumbens à Turca bellum moneat cum Gallo transigere; eoqve Duces aulam Cæsaream ad eas promovendas persvadere laborent. Sane Hispanorum actiones ab ipso Cæsare improbari. Qvo jure postulari posse, ut Elector, aut Duces in earum partem veniant? Sed qvod Cæsar tractatus Hagæ suscipiendos arbitretur, Electorem contra censere, de fatis Imperii nullibi commodius qvã Ratisponæ in conventu omnium Ordinum agi. Nam ut Imperii negotia in Cæsareorum ministrorum manus tradantur, iisqve facultas conferatur extra Germaniam, uti Neomagi factum, circa ea disponendi; id neqve Electorem, nec ullum Ordinum reipublicæ amantem unqvam svasurum. Qvod si Cæsar fatali pertinaciæ inhæreat, id ferendum esse. Ast eo casu non aliud remedium dari tranqvillitati per Saxoniam, & Westphaliam servandæ, qvam ut Daniæ Rex, Colonienſis, Brandenburgicus, ac Luneburgici Duces bona fide se socient. Circa qvam rem matura Ducum declaratione opus esse, velut è qva magnam partem conservatio pacis, aut novarum turbarum exortus pendeat. Hanoveræ uterqve

Cum Hanoverano acta.

18. Jan.

23. Jan.

1684. Dux ingens pacis desiderium ostendebat. Hanoverano is præcipue scrupulus erat, qvomodo salva existimatione ob fœdus inter se, ac Cæsarem initum ipse pacem nunc svadere posset? Cui Fuchsius reponebat: Electorem à Ducibus nil exigere, qvod eorum existimationi, aut fœderibus repugnet. Nec Electorem Cæsari, & Imperio adversari, sed utriusqve salutem summo studio qværere. Qvod si Duces in eo conveniant, Imperio in præsens necessum esse cum Gallo transigere, reliqva ultro conseqvi. Ac eos veros atqve candidos Cæsaris amicos habendos, qvi pacem svadeant; non illos, qvi adulando Cæsareæ aulæ affectus, & male consultam pertinaciam alant, ac istum in præcipitia impellant. Id qvod uterqve Dux agnoscebat, ac à se pacem tam Viennæ qvam Hagæ ingeri. De securitate conventorum monentibus respondebatur: si vel per plura lustra bellum geratur, non aliam haberi posse, qvam qvæ consistat in mutua sponsione omnium qvorum interest. Colloqvio instituto ministri fatebantur, Duces ipsos jam agnoscere, per compositionem cum Gallo in præsens optime Germaniæ, qvin toti Orbi Christiano consuli, qvam & ubiqve commendaturi sint. Nec se eandem à moderatione conditionum per Gallum oblatarum suspensuros; sed non contradicturos, si & citra mitigationem postulatorum pax, aut induciæ concludantur. Sed ut ipsi Cæsarem, & alios Ordines qvorum interest ad ista impellant, & velut cogant, à se postulari non posse. Sed cum qværeretur; qvid facto opus, si haut eo minus bellum surgat, & annon declarare velint, se una cum Electore, ejusqve fœderatis ei se haut misturos, sed ad conservationem Imperii communia consilia capturos? Ducales censebant, rem ad bellum deductum non iri, qvod Cæsari, Ordinibusqve haut vires sint ad id Gallo inferendum. Ast si Gallus bellum moveat, summæ injustitiæ specimen editurum, qvod raptis non contentus Imperium plane subvertere instituat. Eo casu se salva conscientia & existimatione per ejusmodi declarationem sibi haut adimere posse facultatem una cum aliis Ordinibus illatam patriæ vim arcendi. Intra tres tamen septimanas pressius mentem suam exposituros. Nam sibi speculandum, qvid præsens Hagæ conventus pariturus sit, ac interim cum Danico, & Gallico ministro acturos, num qvid emolumenti à Gallo stipulari qveant, ac ut Hanoveranus eo commodius fœdere se Cæsaris exsolvere possit. Aulam qvippe Cæsaream, cum hic de pace proposuisset ita consternatam fuisse, ut valde rogaret, ne Dux obligationis qvid contraheret, anteqvam adpareat, qvo res Hagæ successuræ sint. Nam Cæsarem ministros ibi suos mandatis super pace instruere velle. Id qvod Dux promiserit, eoqve tempus id expectandum fidei suæ liberandæ. Mox Fuchsio responsum scripto in hunc sensum dabatur: *Ob bellum Turcicum dissidia inter Ordines, ac enormem Galli potentiam pacem utiqve necessariam videri; ac si Cæsar, & Imperium eam in leges à Gallo propositas admittere velit, se haut dissuasuros. Ast eos cohibere, qvo non armis, sed amicis officiis circa Gallum ad mitiores conditiones disponendum laborant, ac ut dignitas Imperii aliqvo modo servetur, simul caveatur, ne id deinceps exteri Regis arbitrio obnoxium agat: esse rem, qvæ conscientiam, & officium erga patriam spectet, cujus ratio cuilibet constare debeat. Ac verendum esse, ne aliqvando Deus, & alii homines ita de se ac sua posteritate disponant, si ipsi tali modo de aliorum fortunis statuere aggrediantur. Sed & uno ictu existimationem se suam consumturos, si ita raptum placita hactenus consilia, & fœdera abrumpant, ac ab uno extremo in aliud transeant. Facile qvoqve fieri posse, si ipsi hoc modo compositionem cum Gallo urgeant, ut pravus inde effectus sequatur, ac Cæsar pacem cum Turca præcipitet; qvo ipso spes magnorum adversus istum progressuum inanis futura sit. Igitur se eos, qvi super moderandis induciarum conditionibus satagant, haut impedituros, ac facile concessuros, ut alius suo è judicio agant. Interim moderata consilia secuturos. Caterum bellum se nec ominari, nec ei ansam præbituros. Sed eo casu ita raptim in alterutram partem declarare se non posse. Non tamen eousqve ab Electoris sententia discrepare, qvo minus ad eundem cum ipso scopum connisi qveant; ac ubiqve pro pace operam navaturos. Sperare qvoqve Hagæ rationem amicæ compositionis inniri posse. Id ubi non successerit, ulterius cum Electore consulturos: ac paucarum septimanarum moram tanti non esse.*

1684.

§. 113. Post ista apud Duces expedita Fuchsius ex itinere Hermannum Wernerum Paderbornensem Præsulem adibat; cui itidem negotium pacis commendabat, simul scisitatus, num fœdus cum ipsius antecessore initum renovare placeat. Qvi promittebat, se citra exceptionem Electoris sententiam secuturum, cujus merita erga patriam maximis laudibus ferebat. Cæterum qvia Colonienſis paulo ante Felicem Egonem Administratorem Murbacensem ad Electorem miserat, super præsenti rerum statu con-

Ad Colonienſem mandata.

1684. consilia collaturum, ei officio continuando hic Fuchsium ad istum remisit, testaturum; gratum ubi esse, Colonienſem eadem locum sentire circa tractatus inter Imperium, & Gallum, qvi jam maxime cordi sibi sint. Id negotium ad hæc capita redire: Qvomodo aula Cæsarea, qvæ hucusqve diversa plane consilia agitavit, ad aliam mentem permoveri qveat? Qvomodo Luneburgici Duces ad paria cum fœderatis consilia adduci possint? An, & qvid apud Gallum super propositione ab ipso facta monendum; & num aliqvod moderamen pro Imperio, & Ordinibus per reuniones lætis sperandum? Qvid omnin, ubi irrita amica transactione res in arma eruperit, capiendum, qvo Imperii compages salva sit, nec id per ulteriores reuniones, aut alia via laceretur? Qvid denique eo casu fœderatis, ac inprimis Colonienſi, & Electori ad conservationem & securitatem suarum ditionum faciendum? Circa qvæ Electori ita videri; Spem esse Cæsarem demum demonstrationibus Collegii Electoralis, & aliorum Ordinum aurem præbiturum; cum præsertim Hispanorum ministra, ac præcipitia consilia in aprico sint, qvibus is facile maximo cum suo, suæqve domus damno implicari qveat. Sed qvia hactenus aula Viennensis magnam fiduciam in Luneburgicorum auxiliis collocarit, qvorum & non modica autoritas apud Hispanos, & Araulionensem sit, paci hactenus adversos: sibi multum videri facturum ad pacem, si isti Duces in eandem secum sententiam adducantur. Nam alia adhuc istos animo agitare è responso dato satis adparere. Porro optare se qvidem moderatiores conditiones, sed qvæ vix obtineri posse videantur, per inducias præsertim, qvarum fere lex sit, *uti possidetis*. Unde ubi melioribus conditionibus potiri non licet, in propositas à Gallo trantigendum. Enimvero omni modo lacerationem Imperii præcavendam, & ne tot per secula stabilita reipublicæ forma convellatur, è qva omnium Ordinum, ac cumprimis Electorum dignitas ac salo dependeat. Qvod si Gallus in arma descendat, se non dubitare, qvin is recte sentientibus Electoribus, & Principibus molestiæ nil sit daturus, incommodis belli in eos solos devolutis, qvi hisce extremis causam dederint. Ut etiam Gallus, qvæ forte bello orto occupaturus sit, non corpori Galliæ inserat, sed facta pace Imperio reddat, qvod & antea declararit; ac eo nomine fidem ab eo dandam. De cætero in eum casum consilia digerenda, ac præcipue qvomodo cum Luneburgicis agendum, ni per tractatus de amicitia sua cavere velint. Interim non minus sibi qvam Colonienſi curæ esse, ut calida Dani consilia temperentur, qvæ magis impediendæ, qvam promovendæ paci faciant. Circa fœdus à Murbacensi inter se, & Colonienſem propositum demonstraret: ibi offensivum fœdus haut placere, ac se iis, qvæ in præsens habeat, ac futuris fœderibus intra limites defensionis mansurum, & hucusqve juncto consilio cum Colonienſi acturum. Cæterum haut consultum ducere, presse ad neutrum statum se adstringere, sed successus rerum speculari, & pro captu earum consilia temperare. Addebantur minutiora, de Trevirensi in hoc fœdus adsciscendo: ut Colonienſis arce Ritbergensi, & Rheda præsidium deducat. Tum qvia munitiones Rheinbergæ ruinam trahant, ut Colonienſis eas reparet, aut plane demoliatur. Ac num consultum sit Unionem Electoralem renovare, ac diætam collegialem celebrare? 1684.

§. 114. Coloniam delato Fuchsio Argentoratensis differebat: Satis sibi constare Electorem qvondam credidisse, nimis se Gallo in fraudem patriæ addictum. Sed sperare istum nunc diversa omnia experturum. Eqvidem à Gallo multis se beneficiis mactum, qveis ad grati animi officium obstringatur: sed semper sibi perstitisse affectum in patriam; & qvia hæc servari neqveat, nisi Gallo amico utatur, pacemqve retineat, se qvoqve sua consilia ad eum scopum direxisse. Eqvidem à Cæsare, Araulionensi, & Grana Gallicum se ministrum haberi. Ast utiliorem se operam Germaniæ navare, qvam omnes per affectus in transversum raptos, qvi bellum cum Gallo velint. Certo se nosse, Gallum pacem, aut inducias cum Imperio cupere; qvibus obtentis nil amplius cogitare de isto ulterius inqvietando, aut qvopiam eidem decerpendo. Ast ubi bellum cum Gallo erumpat, se non aliud qvam Imperii ruinam animo prospicere. In præsens Gallum adhuc sisti, ac Germaniam per pacem servari posse. Ast ni hæc occasio pacis occupetur, Gallum longius grassaturum, ac qvæ possit abrepturum, nec oblatis conditionibus ultra staturum; idqve citius facturum qvam credatur, aut qvam defensio parari possit. Danum justo longius progredi, ac minus pacem desiderare. Contra Electoris circumspectionem cum Colonienſi plane conspirare. Gallum in scriptam declarationem, qvod in casum belli Imperio nil amplius decerpturus sit, consentire nolle, qvod adversa pars, ubi de ea

Colonia fit declaratio. 6. Febr.

1684. intellexerit, eadem abuti qveat. Sed verbis se internuntio Regem Colonienſi caviſſe: qvod & Berolini per Rebenacium factum ſit. Nunc videndum, ut ea fides utriqve junctim detur, velut plus obligationis habitura. Id qvod haut ægre obtinendum ſit eo caſu, ſi Regi neceſſitas adferatur, paci aut induciis repugnantes armis ad eas amplectendas compellendi. Aſt ſi qvis ex Imperio Regem, ejusvé fœderatos armis ultro petat, Regem ad ejusmodi declarationem vix deſcenſurum; qvod omni jure licitum ſit aggreſſori ſuo qvantum poſſit nocere. Pro Trevirenſi ſe non ſine labore demum obtinuiſſe, ut Rex permittat, ejus munita loca Colonienſi, ac Brandenburgico milite inſideri. Aſt ipſe Colonienſis reſpondebat: *Se non ſine admiratione prudentem Electoris agendi rationem obſervaſſe; nec neſcire, an eum plus gloriæ è magnis victoriis, qvam è præſentibus conſiliis, per qvæ hactenus exitium Germaniæ averterit, manſurum ſit. Qvin ejus inimicos, & adverſa conſilia foventes non poſſe non ejus actiones laudare. Id ſincerum in patriam ſtudium eſſe, qvod ad præſentium temporum conditionem qvadret. Reliqvos nimium, aut parum facere; ac conſilia ſua talibus ſuperſtruere, qvæ fieri neqveant.* Contra idem aulæ Cæſareæ conſilia improbabat, qvæ legatus Hiſpanicus pro libidine moderetur.

Fœdus cum Colonienſi.

§. 115. Ambiguo itaqve tractatuum cum Gallo ſucceſſu, rationis erat Electorem, qvo ditionum ſuarū ſecuritati proſpiceret, cum iis qvorum pariter intererat certa conſilia capeſſere. Qvo fine cum Daniæ Rege, & Colonienſi fœdus inibatur; ſimul ut hujus conſilia plus juſto in Gallum vergentia eo vinculo moderaretur. Nuper qvippe Gallus Coloniæ propoſuerat, ut ſi Belgæ bellum ſibi inferrent, qvod Hiſpani valde cupiebant, Colonienſis unam è tribus his conditionibus amplecteretur: vel ut Gallicis copiis tranſitum per ditiones ſuas ad Belgas Fœderatos concederet, eoqve fine unum & alterum locum in cautionem, ſimul ſtruendo penui ad finem uſqve belli traderet: vel ut Colonienſis ſuo milite in Belgas bellum ſuſciperet, eoſqve diſtraheret, ut Rex diverſa in parte eo validius rem gerere poſſit: vel deniqve ut idem Galliæ ſe hoſtem declararet. Nam neutrum ſtatum Rheni accolis concedi non poſſe. Huc ne Colonienſis deſcenderet, Fuchſius enixe diſſvadebat; neu ejusmodi ſeſe vinculo indueret. Nam alias eandem fabulam, qvæ anno 1672 acta ſit, repetendam; ac non poſſe non Electoris ditionem in Belgium penetraturis tangi. Ad qvæ Colonienſis teſtabatur, ſe citra Electoris conſilium nihil heic facturum. Iſthæc porro Galli poſtulata Electori valde ſuſpecta, ac ſummo ſtudio declinanda videbantur. Nam uti ſibi conſtet, Gallum à Belgis haut ultro armis petitum iri: ita præmaturum eſſe in eum caſum mentem ſuam declarare. Et qvanqvam Belgæ aliqvot ab annis parum amice adverſus ipſum egerint: tamen & ſua, & Colonienſis, & omnium vicinorum ſummopere intereſſe, eam rempublicam ſalvam perſiſtere, nec à Gallo ſubigi. Sed & ſibi cum iſtis fœdus mutuæ defenſionis intercedere. Præterqvam qvod ob Arauſionenſem ſucceſſionem ſibi neceſſum ſit iis amicis uti. Unde ſe nunqvam in fœdus contra eam Rempublicam conſenſurum; ac judicare, Daniæ Regis eandem mentem eſſe. Eo magis autem Fuchſius properabat id fœdus perficere, ut Colonienſem impediret, qvo minus hic contra Belgas obligationis qvid contraheret; in qvod alias ejus miniſtros ſat proclives eſſe adparebat; tum ut Danum ſtringeret, ne qvid infenſi in Luneburgicos proprio conſilio expromeret. Sed & ob alias rationes fœdus accelerandum erat; qvod qvatuor caſus imminere viderentur, qvorum nullus fœderatis tolerandus erat. Nam & credebatur, Caſſellanum, Vinarienſem, & Gothanum VII M militum in Belgium miſſuros: tum Luneburgicos Hildeſiam milite inſeſſuros; ac Huxteram oppugnaturos; ſi Colonienſis ei oppido præſidium imponat; deniqve Arauſionenſem in Friſia Orientali legionem conſcripturum. Is porro fœderis tunc Coloniæ concluſi ſcopus exprimebatur, *ne res inter Imperium, & Gallum in arma erumpat; poſtqvam fœderati intellexerint, ſuam operam pro pace hactenus parum profeciſſe, inter Gallum, & Hiſpanum jam bellum apertum exardeſcere, negotium pacis Ratiſponæ langvide tractari, & ab exterorum rationibus ſuſpendi; qvin uſqve adeo id agi, ut tractatus in extranea loca in fraudem legum Imperii, nec ſine contumelia Germanicæ nationis Ratiſponæ Hagam transferatur. Ad qvem congreſſum complures Imperii Principes, qvin integros Circulos legatos miſiſſe; ubi & negotia ita ſecreto tractentur, ut qvæ ibi concludenda ſint, eorum notitia, qvorum maxime res agitur ſubtrahi debeant. Qvæ non alio, qvam ad excitandum bellum ſpectare videantur. Igitur Daniæ Regem, Colonienſem, & Brandenburgicum Electores prævertendis patriæ calamitatibus, ac in ſecuritatem Inferioris Saxoniæ, & Weſtphaliæ arctius ſe conjunxiſſe, ac Suſatenſe pactum ad præſentia tem-*

1684. *tempora accommodasse.* Capita fœderis hæc erant. *Tres fœderati controversiis inter Gallum, & Hispanum sese haut miscebunt, qvamdiu per vicinorum tentata in bellum non pertrahantur. Ac si qvis alius in Imperio ad arma progredi, turbasqve dare velit, ei non adsistent, sed potius qvantum possunt id dissvadebunt, & avertent: ac si bellum sequatur, in ejus partem non venient, sed circa instaurandam pacem laborabunt, ac ne qva mutatio circa publicum Imperii statum contingat, cavebunt. Peculiariter autem, si deinceps aliqvis Status in duobus hisce Circulis ab alio qvocunqve in Imperio, & Circulo, aut extra eum, qvi hoc fœdere non continetur, transitibus, delectibus, hospitiis, contributionibus, ac similibus belli molestiis oneretur, vel etiam ubi cum consensu unius aut alterius Status horum Circulorum tale qvid suscipiatur, ex qvo turbæ in iisdem exsurgere possint, aut sic qvid suscipiendum esse certo constet; fœderati junctim primo monitis turbatorem ab istis revocabunt, ac ubi id non proficiat, junctis viribus inhibebunt, ac cum eo velut turbatore pacis publicæ agent; ac alias omnia facient, ut qvies in iis Circulis servetur, ac omnis belli ansa declinetur. Unde si qvæ turbæ erumpant, fœderatorum ministri in loco, qvi periculo proximus, convenient, & super suscipiendis actionibus in commune consulent. Eo fine Daniæ Rex in ditionibus, qvas in præsens cis Visurgim possidet, qvamdiu hoc fœdus duraverit, II M D pedites, M eqvites, D dimachas: Colonienſis cis Visurgim VII M peditum, III M eqvitum, & M dimachas: Brandenburgicus iisdem cis Visurgim III M peditum, MCC eqvites, & DC dimachas habebit. Sed in Circulo Inferiore Saxonico Danus habebit VII M peditum, III M equitum, M dimachas: Colonienſis III M peditum, MCC eqvites, DC dimachas: Elector VII M peditum, III M equitum, & M dimachas. Si qvi alii huic fœderi accedere velint, id communi fœderatorum consensu fiat. Id fœdus durabit, qvoad pax, aut induciæ à Cæsare, Imperio, & Hispanis cum Gallo inita, ac omnes qvæ metuuntur turbæ è medio remota fuerint. Extra hæc Susatensi tractatu stabitur. Neuter fœderatorum absqve altero pacem concludat. Inter tractandum unus alterius utilitatem qværat.* Separatis articulis numerus copiarum ad modum ditionum, qvas qvilibet in utroqve Circulo possidet, aptabatur, salvo tamen copiarum numero in universum. *Qvia etiam periculum propinqvum videatur, protinus de modo rem gerendi Coloniæ Agrippinæ, ac Berolini deliberari incipiet. Id fœdus qvoqve porrigetur ad casus, si è Borea bellum surgat, aut metuendum sit. Unde si Svecus eo fine copias in Germaniam trajiciat, ut turbis,* 1684. *qvæ jam inter Cæsarem, Imperium, Gallum, & Hispanum fervent, sese ingerat, ac ejus ditionis aliqvid inde turbarum metuatur; eo casu omnia, qvæ contra turbatores in duobus Circulis decretasunt, etiam contra Svecum valebunt, & effectui dabuntur. Uti autem Colonienſis in hoc consentit in gratiam Dani, & Electoris; ita & hic curæ erit, si Belgæ adversus Gallum in arma erumpant, ut Colonienſi à Belgis securitas præstetur.* Secreti articuli erant. *Qvia hoc fœdus id spectat, ut non fœderatorum duntaxat, sed & aliorum Ordinum in utroqve Circulo ditiones in pace serventur; & verum æqvum sit, ut debiliores Ordines, qvi tanto beneficio per armatos fœderatos fruuntur, aliqvid ad sustentandas eas copias conferant: igitur casu emergente decernendum, qvantum qvilibet eorum contribuere debeat. Qvod si & præter spem evenerit, ut Belgæ cum Gallis in hostilia erumpant, ac in partem jam surgentis inter Gallum, & Hispanum belli veniant, aut id periculum immineat; qvo ipso utriusqve Electoris ditiones involutum iri metuendum sit: placuit, ut eo casu fœderatorum ministri congressu habito consultent, qvid facto opus sit, & qvantum fieri possit uniformia consilia capiant.* Cæterum id fœdus Elector Belgis, Svecis, ac Luneburgicis conceptis verbis haut communicandum censebat, qvod de ignotis amplius qvid præsumi soleat. Sed Gallo id utiqve communicandum declinandæ suspicioni.

Fuchsii ad Belgas mandata.

§. 116. Post res Coloniæ expeditas in Hollandiam abibat Fuchsius, ubi Arausionensi proponere jubebatur, in qvanto, & qvam manifesto periculo Belgium versetur ob clarigationem nuper Gallo per Granam Marchionem factam: nes minus qvam lubricus Germaniæ status sit ob extractam cum Gallo pacis negotiationem, & à Turca periculum. In aula Cæsarea fidelibus qvantumvis monitis locum haut dari. In Hispania non plus virium, opumvé, qvam consilii, ac prudentiæ adesse videri ad indictum temere bellum justo cum vigore persequendum. Electorem qvidem Ratisponæ, ac Viennæ subinde ingerere; ubi ad extrema res deducta fuerit, nil aliud qvam dissolutionem status publici in Imperio, ac omnium Ordinum subversionem expectandam. Cæsari qvoqve futura æstate bellum contra Turcam soli fere ac propriis sumtibus gerendum, qvod Hispanus pecuniæ nil suppeditare possit, sibi ipsi defendendo impar. Ex Italia qvoqve pecuniarium subsidium ob metum Gallici belli vix secuturum. Glisceré etiam indies dissi-

1684 dium inter Cæsarem, & Polonum, & hunc nil copiarum amplius in Hungariam missurum. Saxonem offensa irritatum. Bavarum pacem svadere. Reliqvos potentiores Ordines ob metum Gallicarum turbarum à mittendis auxiliis impediri. Suspiciones inter Danum, & Luneburgicos augeri magis qvam imminui; ac ni brevi cum Gallo transigatur, Ducesvé consilia sua mutent, metum esse, ne res inter eos ad manus perveniat. E Svecia notas ab rationes nil auxilii expectandum. Hollandiam opibus exhaustam, ac bello continuato in extremum periculum delapsuram, præsertim ubi commercia, qvæ anima ejus reipublicæ sint, vim passura videantur. Belgium Hispanicum perire, aut à Galli libidine pendere, nulla alicunde auxilii spe. Svevicum, & Franconicum Circulum petitas copias abnegasse. Anglum priltinis consiliis de qvalicunqve pace retinenda inhærere. In Belgio Fœderato sententiis discrepari, ac validissima Hollandiæ membra pacem svadere. E qvibus Electori inevitabilis necessitas adpareat, ut consilia temporibus accommodentur, & per maturam pacem, qvalis pro eorum captu optima haberi possit, summam rerum periculo subducendam. Qvam ad rem Arausionensis plurimum momenti adferre possit; & maximam partem in ejus manibus sitam esse, ut totus orbis Christianus contra Turcam uniatur: id qvod immortali gloriæ ipsi sit cessurum. Sed & eo ipso proprium patrimonium ab imminente desolatione liberandum. Unde Electorem impense rogare, ne Princeps hanc occasionem de publico bono merendi amittat. Gemina Fuchsius Waldeccio Principi, & Fagelio ingerere jubebatur. Insuper Belgas, Hispanosqve moneret, ut circa reliqva subsidiorum ipsi satisfaciant. Amstelodami cum Beuningio loqveretur, ejusqve civitatis consilia probaret, eamqve ad constantiam hortaretur.

De profugis Anglis.

§. 117. Fuchsio Cliviam transeunti Graius, & Armstrongius Anglia profugi, tunc ibi hærentes dicebant; se nullam aliam ob causam ex Anglia cessisse, qvam qvia Eboracensis, & Pontificia factio, qvæ jam in aula prævaleat, Protestantes opibus & autoritate eminentes omni modo è medio tollere qværat; & omnia, qvæ de conspiratione spargantur, ficta esse. Monomuthensem qvoqve præsentibus diffisum ex Anglia se subduxisse. Simul scisciabantur, num Elector ejus Ducis, aliorumqve Anglorum opera, qvi patriam deserere velint, in re militari uti velit. Ad qvæ Elector declarabat: gratum sibi fore, si isti, & plures Angli in sua ditione sedem figere velint; ac Monomuthensi liberum fore ad ipsum se conferre. Ast mox Anglus qverelas movebat, qvod Elector Graio, & Armstrongio in Clivica receptum dedisset, non obscure innuens qvasi iste conscius fuisset conspirationis ab illis hominibus agitatæ. Id qvod Elector ægerrime ferebat, ac per Joannem Besserum Regi demonstrari jubebat; *istos exiguo tempore Cliviæ egisse, ac suo ære victitasse. Jura, ac mores gentium eam hospitalitatem commendare, ac barbarũ semper cultiores inter nationes habitum exteris, & exulibus usum elementorum negare. Nec fœdera inter se & Anglum extare, qvæ naturalem hanc libertatem restringant. Qvin etsi Hispanis cum Anglo arcta amicitia, ac fœdus intercedat, Monomuthensem tamen palam in Belgio Hispanico agere, ac protectione ibi frui. Eqvidem jus gentium discrimen facere inter eos subditos, qvi læsæ majestatis crimine se obstrinxerint, & alios patria migrantes. Enimvero sibi de istorum delicto nil constare, nec de eo qvid ad se relatum: ac si qvi alicujus facinoris convicti fuerint, eos se nunqvam in protectionem recepisse. Multo minus unqvam illicita agitantes secum in consilium isse.*

Amstelodami acta.

§. 118. Amstelodami adventus Fuchsii admodum gratus erat; ac ea civitas magnum sibi præsidium in Electore positum testabatur; cui & fixum erat, in conscriptionem XVI M militum, aut alia ad bellum ducentia nunqvam consentire. Beuningius differebat: magno solatio civitati cedere, qvod Elector ipsius consilia probet, ac auxilium promittat. Arausionensem valde in eam irritatum nulla idonea de causa. Nam civitatem, cum vidisset Principem suis consiliis se, ac Rempublicam perditum ire, vel invitum istum servare voluisse. Eundem ab omni parte decipi. Hispanos ipsi tres milliones debere. In hanc summam eos aliqvid numerasse: reliqva se soluturos promisisse. Huic pollicito eum confidere; cum tamen Hispanorum inopia nemini ignota sit. E Gallia qvotidie per Hispanos conficta ipsi referri: Regis opes exhaustas, eum à bello abhorrere, ac Principem metuere. Modo ferocia ostentetur, omnia obtentum iri. Qvin se credere, ab ipso Gallo ejusmodi fabularum scriptores subornari. Nec adulatores deesse, qvi ipsi ingerant; ejusdem genium solum capacem esse vastis Galliæ destinatis interrumpendis. Ipsum Principem plus ambitionis, plus pertinaciæ, plus opinionis de

seipso

1684. seipso habere, qvam expediat. Nam alias tam longe ab Electoris, qvem parentis loco habere debeat, consiliis haut discessurum. Huc accedere, qvod is se totum Granæ Marchioni, ac Burgomagno dediderit. Ast Granam turbulento ingenio, hunc judicio non valde exacto esse; utrumqve autorem tragædiæ, qvæ jam agatur. Granam speravisse, se onus, qvod miseris provinciis Hispanicis imposuerit, in humeros Germaniæ, ac Fœderati Belgii devolutum. Burgomagnum sibi certo persvasisse, se Anglum vel invitum in bellum contra Galliam pertracturum. His fundamentis tam ridiculam belli indictionem, qvam Hispani Gallis fecerint, superstruxisse. Alias Amstelodamenses haut qvidqvam tam scævo esse ingenio, ut Galli potentiam augere, ac sibimetipsis compedes fabricari velint. Nam nil magis invicem contrarium esse, qvam Galliæ, & Reip. Belgicæ rationes. Sed nunc moris esse, eos Gallico favore, aut corruptionibus infectos arguere, qvi in bellum intempestivum, & exitiabile ruere nolunt. Ad qvæ Fuchsius: Electorem qvoqve ea sorte uti, cum tamen nil magis qvam incrementa potentiæ Gallicæ abominetur; qvibus sistendis in præsens nullum aliud remedium dispiciat, qvam per pacem, aut inducias materiam progressuum eidem subtrahere. De præsenti Hagæ conventu Beuningius disserebat; esse maxime mirandum, paucos qvosdam, ac præter Bavarum, & Luneburgicos exiguarum fere opum Principes non vereri de fatis Germaniæ disponere, & conditiones proponere, atqve audire; qvi tamen à pluribus, ac potentioribus nil mandatorum habeant. Maxime omnium autem mirandum, ullum ad *Associatos* respectum haberi; cum tamen nemo eorum pro Rep. Belgica vel unum eqvum instraturus sit. Alias lites inter Gallum, & Hispanum commode Hagæ posse expediri: sed Germanica negotia Ratisponam remittenda. Inter alia Hagæ has conditiones propositas, ut Argentorato munitiones detrahantur: Brisacum, Friburgum, & Kehlense castellum restituantur, aut seqvestro deponantur ac induciæ in octo annos ineantur. Id qvod ridiculum sit, nec unqvam à Gallo concedendum. Jactari qvoqve, Bavarum, Franconicum, & Rhenanum Circulos, tum Gothanum, & Vinariensem triginta octo bellatorum millia in promtu habere expeditioni in Gallum suscipiendæ, præter Cæsareas, ac Luneburgicas legiones. Ac ejusmodi chimæris istorum consilia inniti.

§. 119. Ast Hagæ ad proposita à Fuchsio Arausionensis respondebat: *Summam nunc rerum confusionem maximo sibi dolori esse; ac ni Deus miseri hujus populi, ac vicinorum tutelam suscipiat, omnia brevi in ruinam itura. Satis nosse, ista sibi præcipue attribui tanqvam bellandi cupido; sed summam sibi injuriam fieri. Hispanicas provincias non posse ab hac Rep. destitui, qvæ huic propugnaculi vice sint, qvibus amissis Gallo semper pronum fore in penetralia Unitæ Belgii irrumpere, idqve sub jugum mittere, velut commerciis exercendis, qvam bello gerendo aptius. Conditiones à Gallo propositas ita comparatas, ut in ejus placito semper futurum sit Belgicas provincias absorbere, qvando libido subierit. Hanc ideo tantum utcunqve premi, qvod hinc inde arma in promtu sint. Ast ubi sub specie subdolæ pacis, aut induciarum eadem deposita fuerint, idem eventurum, qvod post Neomagensem pacem, post qvam Gallus plus terrarum, qvam durante bello, deglutierit. Præcipue concedi non posse, à Gallo Lutzenburgum subigi; qvi solus locus lineam communicationis inter Superiorem Germaniam, & Belgium servet. Ita tamen ostendatur à pace se haut qvidqvam abhorrere, formulam transactionis aqvissimis conditionibus conceptam. Sed penes solum fere Electorem esse negotium ad optatum finem perducere. Nam Galli duritiem nunc magis Dani, atqve Electoris favore, qvam propria potentia inuiti. Satis autem constare, Danum, absqve Electoris consensu nihil susceptum. Igitur si Elector facultate qvam habeat recte utatur, pacem se absqve mora habituros, cujus gloria penes ipsum solum futura sit. Idem qvoqve persvadere propriam Electoris utilitatem. Qvid ipsi eventurum amisso Belgio Hispanico? Neqve vero Electorem rationibus suis magis per Gallicam amicitiam consulturum, qvam Svecos, Bavarum, & Hanoveranum, qvi antea longe arctius, qvam Elector esse possit, Gallo innexi fuerint. Colonien sem semper Gallo addictum fuisse. Et tamen qvomodo ejus ditiones ab hoc habitas? Tres Electores ad Rhenum jam servitio Gallico obnoxios ne verbum qvidem facere audere, qvod Gallo displiceat. Trevirensem qvantacunqve submissione utatur, qvotidie effectus odii, qvo Ludovicus in ipsum flagret, sentire. Ad omnia, qvæ Gallus post Neomagensem pacem rapuerit, nil juris ipsi competere; ac cæcum esse oportere, qvi non perspiciat, ad monarchiam Europæ eum adspirare, aut ut saltem ejus res pro libitu temperare qveat. Eqvidem qvæ Gallicæ potentiæ opponi qveant vires, cum hac nullo modo comparari posse. Ac si è communi rerum huma-

1684. *Arausionensis sententia. 8. Mart.*

1684. *humanarum cursus res æstimetur, Reipublicæ Belgarum, ejusqve fœderatis nil nisi damna, & clades expectandas. Sed uti ipse justa causa, & sincera conscientia nitatur: ita cum patientia, & constantia expectandum, qvid Deus decreverit. Si utiqve fatalis rerum conversio immineat, honestius ditiones amitti arma in manu tenentibus, qvam ad dependentiarum, & reunionum ludibria conniventibus; ac demum gloriosam mortem ignava vita potiorem. Se qvidem inter adversa natum, atqve educatum. Numinis tamen favore in functiones majorum ingratus inimicorum repositum. Sperare qvoqve, Deum non permissurum, ut ipse in miseria moriatur. Si tamen eidem aliter visum, se qvoqve in ipsius voluntate adqviesturum. Unum maximo sibi dolori esse, qvod cum Elector ipsum ab incunabilis ad filii instar dilexerit, qvem & ipse parentis loco veneretur; jam ut videatur magis in Amstelodamenses inclinare, qvi gloriæ sibi ducant omnibus consiliis à se profectis obsistere. Qvem finem interestinæ hæ turbæ sint sortituræ, incertum esse. Sed si maxime Amstelodamensis civitas in rectam viam redeat, nunqvam tamen sibi cum Beuningio qvid negotii fore, à qvo atrociter læsus sit.* Ad qvæ Fuchsius: Electorem satis perspicere, qvid periculi omnibus immineat, si Galli potentia augeatur. Omnia, qvæ iste faciat, eo spectare, ut hujus incrementa sufflaminentur. Igitur non circa scopum, sed circa rationem eum obtinendi dissentiri. Electori, cui per qvadraginta qvinqve annorum experientiam haut superfunctoria rerum civilium notitia parta sit, non aliter judicare posse, qvam arma, in qvæ *Associati* propendere videntur, orbi Christiano fatalia fore; eaqve non alio fundamento niti, qvam desperatione, qvæ omnia salutaria consilia excludat. Cæsari necessum esse qvicqvam habeat virium contra Turcam vertere. Germaniam inter se divisam, ac partim modicis viribus instructam. Hispaniam enervem. Membra Reip. Belgicæ inter se divisa. Anglum à bello abhorrere. Contra Gallum ita ab armis instructum, ut Rhenum pariter, ac Belgas invadere possit. Qvid spei supereſſe amissa recuperandi, cui non metus plura amittendi longe præponderet? Ea extrema per pacem, aut inducias declinari posse; qvod solum remedium in nostra facultate sit; nec per desperationem summam rerum aleæ exponendam. Sæpe corpus jactura membri jam emortui servandum. Cum non omnia fieri possint, qvæ debebant, facienda, qvæ fieri possint. Et ex hoc fundamento procedere omnes cessiones, qveis sæpe pax redimenda est. Frustra auxilium è Germania sperari, ubi 1684.
præcipui Ordinum cum Electore sentiant; non esse in præsens aliud remedium servando Imperio, qvam pacem cum Gallo. Eqvidem objici, nil securitatis ineſſe tractatibus cum Gallo factis. An igitur æternum cum eo bellum gerendum? Sane Electorem, Angliæ Regem, aliosqve pacis cupidos arctissimo se fœdere ad evictionem præstandam obstricturos; ac Gallum, si pacta violet, sociatis omnium viribus in ordinem redigendum. Enimvero Arausionensis suæ sententiæ immotus inhærebat. Avauxius dicebat; non aliud se responsum ab isto expectasse. Fagelium qvoqve istam Principis ferociam alere. Judicabat tamen, Regem in præsens haut longius progressurum. Nam si plura in Belgio loca occupet, Amstelodamensibus, Frisiis, & Groninganis necessitatem imponi cum reliqvis sese jungendi; nec Anglum ista toleraturum; ac tunc rectoribus Amstelodamensis civitatis rem in angusto fore. Igitur consultum videri, rem aliqvandiu in præsenti statu relinqvere; præsertim cum nondum spes pacis inter Cæsarem, & Turcam affulgeat. Porro gemina cum Arausionensi differebant Waldeccius, Fagelius, Camprichtus, &, qvanqvam paulo moderatius, minister Luneburgicus Hieronymus Witzendorfius. Fagelius non sine commotione velut concionabundus loqvebatur: Rempublicam eqvidem in summo periculo, & confusione versari. Sed priori seculo, cum Harlemum amissum, Leida, & Alcmaria per miraculum servatæ essent, pejus adhuc rem habuisse. Eundem Deum adhuc vivere. Justam sibi causam esse; & si maxime res male succedat, malle se tamen mori recta, Deoqve probata sectantem, qvam à cacodæmone suggesta fulcientem. Ac satius esse Gallo ad Bruxellas, & Antvverpiam, qvam ad Bredam, aut Dordracum occurrere. Calamitatem, qvam Galli Belgio Fœderato intulerint, in recenti memoria esse; ac præstare millies mori, qvam violentiæ Luvoisii mortalium immanissimi, aut qvæstoris cujuspiam à pedisequi functione recentis exponi. Majores suos pro libertate mortem oppetiisse immortali post se gloria relicta; qvorum exemplum seqvi placeat. Alias se non parum præsidii in Electore collocasse ob communes sacrorum, atqve libertatis rationes. Sed nunc Avauxium jactare, eundem cum Dano, & Colonienſi convenisse super eo invadendo, qvi huic Reipublicæ auxilia latum veniat. Saltem spem fuisse, Electorem neutras partes secuturum. Sed post-

qvam

1684. qvam & iſte in Reip. exitium conſpiravit, in ſolo Deo ſpem ſibi reponendam. Satis operæ à ſe ſumi ut Hiſpanos à deſperatis conſiliis retrahant, Belgio utcunqve exuere ſe meditantium; qvi mediterraneas urbes Lutzenburgum, Namurcum, Superiorem Geldriam, & Brabantiæ partem Gallo cedere velint, æqvivalente regione in Catalonia recepta. Reliqva mare verſus ſita loca, Oſtendam, Neoportum, Gandavum, Brugas, Antvverpiam, & reliqva Flandriæ Anglicanam protectionem ſubitura. Inprimis mirum eſſe, Electorem nunc Amſtelodamenſibus blandiri, qvi præcipui autores Neomagentis pacis fuerint, ac alias ſemper iſtius utilitatibus obſtiterint. Ad qvæ Fuchſius: iſta deſperatorum hominum conſilia eſſe, & qvi utcunqve mori cupiant: ad qvæ recurrere nondum neceſſitas ſubigat, ac molliora remedia ſupereſſe. Cordatum gubernatorem haut qvidqvam clavum è manibus amittere, qvamdiu ulla ſpes ſit navem ſervandi; ac ſi rectum curſum tenere non liceat, obliqvatis velis hinc inde viam ſecandam. Qvæ ab Avauxio jactentur, inania eſſe. Qvod Elector Amſtelodamenſium amicitiam colat, id Reipublicæ bono facere, ut inteſtina concordia inſtauretur; ac priores offenſas bono publico condonare præclarum eſſe. Etſi poſt Fagelius de fervore iſto multum remittebat; ac mox qvoqve Transiſalani, Geldri, & Ultrajectini plus inclinationis in pacem oſtendebant.

Elector bellum à Belgis averſis.

§. 120. Eo major Electori cura erat prohibere, ne inter iſtam animorum exacerbationem belli flamma alicubi erumperet. Præſertim poſtqvam Gallus Præſuli Argentoratenſi ſcripſiſſet; ſe vel exercitum in Colonienſem ditionem miſſurum, vel Colonienſis copiis aliqvot millia additurum, qvo Belgis metus incutiatur, ac ſi bellum ſeqvatur, res in eos geri poſſit. Id cum Præſul Fuchſio è Batavis Coloniam regreſſo expoſuiſſet, & qvid conſilii capiendum exqviviſſet, iſte demonſtrabat; ex ejusmodi negotio nil boni conſeqvi poſſe. Electorem hactenus omni ope connixum, ut Galli arma à Germania averruncaret; eumqve præcipuum fuiſſe ſcopum omnium tractatuum cum Gallo initorum, qvod ſpes eſſet, hoc modo pacem ſervari poſſe. Aſt ubi hocce Galli conſilium effectui detur, oleum & operam periiſſe; ac adverſam partem non omiſſuram clamare; jam pacem aperte abrumpi: tum Electores ad Rhenum animis collapſuros. Gallum qvoqve per fœdus teneri ad ejusmodi conſilia non procedere, niſi prius cum Electore ſuper iisdem convenerit. Apud Belgas qvoqve id contrarios effectus producturum. Nam tunc Amſtelodamenſibus, Friſiis, & Groninganis neceſſitatem allatum iri, id qvod in faciem ſibi dixerint, in reliqvorum ſententiam concedendi. Aſt aliud eſſe remedium, ut non ſit opus ad abrupta iſta deſcendere. Scilicet ex nupero tractatu Dano, Colonienſi, & Electori L M militum in promtu habenda. His maximum pondus fore ad producendam pacem. Tanto exercitu ſuccinctos tres fœderatos pacis, ac belli arbitrium habituros, qvod prout res exigat frænum adducere, aut laxare poſſint. Contra rem longe ſecius ſuccedere poſſe, ſi extero rerum moderamina intra Imperii limites committantur. Colonienſem jam ſuperiore bello expertum, qvid ejusmodi exteri hoſpites ſecum trahant; nec eos ita cito amoveri poſſe, uti venerint. Qvas rationes cum Præſul ſatis caperet, Gallo impenſe ſcribebat, ne qvid copiarum mitteret. Etſi idem, à qvo revera iſta omnia promanabant, juraret, nec ſe, neqve Colonienſem bellum contra Belgas meditari. Sed ubi res in arma eruperit, malle ſeipſum bellum in Belgas ſuſcipere, ac in partem rerum gerendarum venire, qvam concedere, ut Gallus è Colonienſi ditione maximo ipſorum cum damno Belgis arma inferat. A ſe nil aliud ſpectari, qvam ut provinciæ ſecius ſentientes Hiſpanicis rationibus abſtrahantur; ac Hiſpanis neceſſitas adferatur, ne ob paucula loca totam Europam novo bello implicent. Eqvidem Gallum rogante Colonienſi V M, qvæ in hujus provinciam mittere decreverat, ſubſiſtere juſſiſſe, ſed ad exiguum duntaxat tempus; qvod is contendat, utiqve utile eſſe, eas copias ad fines Belgarum Unitorum, ſuum vero exercitum ad limitem Hiſpanicarum provinciarum conſiſtere ad terrorem belli cupidis incutiendum. Nec ſe Gallis, ſi venire velint, acceſſum prohibere poſſe. Addebat tamen Colonienſis, ſe absqve Electoris adprobatione nil ſummam rerum ſpectans ſuſcepturum, ac citra exceptionem ejus ſententiam ſecuturum. Nam in ipſorum conſenſu jam ſummam rerum verti videri. Ac fœdus ſuum cum Gallo non ulterius porrigi, qvam ſi initium abrumpendæ pacis à Belgis proficiſcatur. Etſi Grana jactabat, Colonienſem Gallo arctius illigatum, qvam ipſe norit. Nam non prima vice Wilhelmum Furſtenbergium iſti Præſuli tractatum non viſum ſubſcribendum obtruſiſſe.

11. Mart.

Cum Luneburgicis acta.

§. 121. Nec minus id ſolicite agebatur, ut Luneburgici ad promovendam pa-

1684. rem adducerentur, nec tamen præter neceſſitatem res ad arma deduceretur. Eorum conſilia hactenus non parum ſuſpecta fuerant, qvod qvibuscunqve rationibus ab Electore ingeſtis non niſi tempus extractum irent; ut fortioribus remediis opus videretur ad eos in rectam viam reducendos. Sane nuper Canitio, qvem Elector Coloniam miſerat, Hanoveranus dixerat; ſe circa pacem ſerio laborare, ac ejus neceſſitatem perſpicere. Sed pauliſper expectandum, qvis eventus congreſſus Hagenſis futurus ſit. Non videri ſibi à Gallo periculum in mora eſſe; magis à Dano metuere. Ac mox Hanoveranus Hagæ declaraverat, nil ſe copiarum in Belgium miſſurum, Aſſociatis non parum perturbatis, qvi dolebant, Witzendorfium ad ſecretas conſultationes admiſſum. Nec tamen ideo ſinceri in pacem ſtudii fidem aſſeqvebatur. Sane & Daniæ Rex judicabat, Duces non niſi tempus extrahere. Sibi autem haut conſultum tantis armis ſuccincto diutius in incerto agere; eoqve cominus oſtentata vi Duces ad audiendam rationem compellendos. Et qvia Duces Fuchſio non ex voto reſponderint, Coloniæ negotium eo acrius urgendum, copias trium fœderatorum contrahendas, ac propius iſtorum finibus admovendas. Atqve iſthoc Rex per Fridericum Gabelium Electori propoſuerat; cui & ipſi haut placebat diutius inani ſpe lactari. Id tamen haut è re videbatur, ſtatim copias iſtorum finibus admovere, ſed ulterius amica via eos attrahendos. Etſi magno labore opus foret ad Dani ardorem temperandum, plerisqve in Dania bellum magis, qvam amicam compoſitionem optantibus. De qvibus Alefeldius, cui conſtans in pacem ſtudium, valde qverebatur, eos ancipitia ſpecioſo colore adornare, ac Regem ad varia periculoſa impulſum ire. Eos hactenus ſibi perſvaſiſſe, Colonienſem qvoqve in extrema inclinare; eoqve & Electorem ſepoſitis pacificis cogitationibus è bello lucrum captaturum. Unde & Murbacenſis adventum avide expectaſſe, velut claſſicum canturi, ſed qvi valde moderata propoſuerit. Non dubitare tamen, qvin Electoris prudentia, atqve autoritate calida conſilia inhiberi poſſint. Ac ſi Regem inter, & Electorem arcta uti hactenus amicitia perſtiterit, Regem ejusdem conſilia ſecuturum. Alias prævalituros, qvi ſpecioſa, ſed ancipitia ingerant. Eo magis Elector inſtabat, ne Rex cum Ducibus ob peculiares inter ipſos controverſias collideretur; qvod ſpes ſit Hanoveranum in ipſorum partes tranſiturum; qvi qveratur, ſe per Cæſareum fœdus in magnas difficultates incidiſſe, qvo ut 1684.
exuere ſe qvamprimum poſſit, magnopere deſiderare. Contra Danus cenſebat, amica ratione apud Duces nil proſici, ac eos nil aliud qvam tempus extrahere. Eqvidem Duces Viennæ, Ratisponæ, & Hagæ patem in ſpeciem commendare, ſed tecte eam eludere. Unde & Regi parum placebat, fœdere Colonienſi Luneburgicorum mentionem haut factam, nec in eos conſilia digeſta. Id qvod à Gallo provenerit, qvi nil aliud qværat, qvam ut Colonienſis viribus contra Belgas utatur, eoqve ipſum, & Electorem ſperato ab eo Præſule auxilio privet. Qva ratione ipſi à fœderatis ſuis disjuncti inter tot infenſos ſoli deſtituentur. Sed & valde ſibi diſplicere oſtendebat Danus, Colonienſi tractatu id à Gallo qvæſitum, ut ipſe cum Belgis committeretur. Sane ad tale qvid fœdus ſuum cum Gallo haut porrigi: nec rationibus ſuis convenire cum Belgis bello collidi ob maritimas vires ejus Reipublicæ, & qvia plus qvam dimidia pars Danici commercii in Hollandia hæreat.

§. 111. Interim Daniæ Rex qvingentos eqvites Meclenburgicæ, atqve Lauenburgicæ immiſit ad reſidua tributorum exigenda, ſimul ut ſpecimen caperet, num Duces ſeſe commoturi ſint. Ac Royus Comes in Holſatiam mittebatur, iſtorum actionibus ſpeculandis; Alefeldio qverente, talia, qvæ facile rem ad manus deducere poſſint, ſe abſente ſuſcepta. Et qvia Duces liqvidum reſponſum ſemper declinabant, Danus proponebat, ut inter ſe, & utrumqve Electorem conventio ineatur, per qvam ſtatim atqve anni tempeſtas ferat, fœderatorum copiæ ad fines Luneburgicorum adducantur, liqvida declaratione expoſtulata, num fœderatorum ſententiæ circa pacem, aut inducias accedere velint, abdicatis omnibus in contrarium obligationibus? Num fœderatis circa ſuas prætenſiones ſatisfacere, nec ullo prætexto ipſorum domeſticis ſe negotiis miſcere, adverſariis ipſorū nil opis ferre, & qvæ gerant, Circuli munia ultra leges Imperii haut extendere? Si recuſent, junctim in eorum ditionem progrediendum, eoſqve cogendos, ut hiſce poſtulatis annuant, aut copias exautorent, ſimul fœderatorum ſecuritati caveant. Nam blandimentis eorum nil ſerii ſubeſſe, ac forte ex improviſo adverſa conſilia capturos, communem tranqvillitatem in longum eluſura. Præcipue metum eſſe, ne hæc qvoqve æſtas inter inanem negotiationem elabatur, regno ſuo interim ſub tam numeroſa militia terreſtri, & maritima fatiſcente.

Circa eosdem compeſcendos agitata. 13. Mart. de Roy.

Qvan-

1684. Qvantum tamen fiduciæ circa hoc negotium in Colonienſi reponendum foret dubitabatur. Is enim per Murbacenſem Haſniæ teſtatus fuerat, utiqve pacem ſe deſiderare, ac iſti promovendæ omnem operam navaturum. Qvod ſi tamen bellum erumpat, ita ſe rem diſponi cupere, ut amicitia qvidem cum Gallo perſtet, ac de ejus auxilio cautum ſit; interim ſuæ tamen, ac fœderatorum copiæ intra Imperii fines ſemper validiſſimæ ſint, & ſi qvæ forte auxiliares copiæ adjungantur, ipſis obnoxiæ agant. Sed eo fine ante omnia à Luneburgicis cautum eſſe oportere, ne Hiſpanis auxilia ſubmittant; qvo his neceſſitas adferatur pacem amplectendi. Eoqve menſe Aprili fœderatorum copias ad eum limitem deducendas; ſimul tentandum, ut Hildeliæ præſidium immittatur. Id ſi Duces prohibere conentur, eos invadi poſſe velut autores rixæ. Huic Colonienſis declarationi Rex, ac pleriqve miniſtri plurimum tribuebant: ſed Alefeldius Cancellarius alia omnia cenſebat. Nam Gallum impenſe contendere, ut Colonienſis vires contra Belgium adhibeantur; nec eum permiſſurum, ut hic rem in Duces gerat, qvod forte hoc facto plus temporis, qvam nunc credatur, impendendum ſit, aliis interim deſtinatis hærentibus. Colonienſis qvoqve ditiones ita ab adverſa parte cingi, ut non tutum ei ſit futurum multas copias alio educere. Inde enim Belgas, & Hiſpanos, hinc Franconicum Circulum, & Haſſos ipſis cum Luneburgicis imminere. Sed nec ei Præſuli in præſens ultra VIII M militum eſſe. Contra Duces egregiis copiis inſtructos, qvos & Saxo, atqve Caſſellanus deſerturus non ſit. Eſſe qvoqve Colonienſi miniſtrum flagranti gratia, qvi plane à Bavaro dependeat; qvi gaviſurus qvidem ſit, qvamdiu nil periculi adpareat, Præſulem Gallicis ſubſidiis frui. Sed ſi ad arma deſcendendum ſit, forte alia conſilia ſuggeſturum. Ac ſane Colonienſem nunqvam vigoris qvid oſtendiſſe, eoqve eundem ex fœdere cum Daniæ Rege, atqve Electore magis ſuam ſecuritatem qværere, qvam ut cordi ſit hiſce qvid auxilii præſtare. Gallum autem ſub iſtis ſuum emolumentum, non ſociorum ſecuritatem qværere, ac bello heic exardeſcente alibi deſtinata ſua perſecuturum, Rege, ac Electore inter turbas ſolis deſtitutis. Et conſtabat id conſilium ab Argentoratenſi profectum, qvo Danum, & Electorem cum Ducibus committeret. Aſt Elector circumſpectius agens per literas Hildeſienſem civitatem monebat, ne Ducum præſidium admitterent; Duces autem ne id civitati obtruſum irent. Simul ut Luneburgicis 1684.
ſcrupulus injiceretur, nec Danus juſto longius progrederetur, unam & alteram legionem in Meclenburgicam progredi jubebat, copiis qvoqve è Boruſſia evocatis.

§. 123. Inter hæc Orto Grotius majorem indies ſpem faciebat, Duces in conſilia pacis cum Electore conſpiraturos. Unde Elector laborabat, ut Colonienſis militem ſuum Huxtera educeret, ac ne Daniæ Rex qvid in Saxonia moveret; qvi ſcrupuli adhuc Duces urgebant. Ac circa Huxteram qvidem Colonienſis annuebat, ſed non prius, qvam de Ducum amicitia cautum foret. Mox & Grotius formulam exhibebat fœderis inter Electorem, & Duces ineundi. Sed qvia eadem Electori minime omnium ſatisfaciebat, non leviter cum iſto expoſtulabat, qvod jam annum amplius incaſſum laborarit Duces ad conſilia pacis flectere; de qvo hi ſubinde multum ſpei oſtenderint. Se qvoqve promovendo huic negotio tantum ſtudium erga Duces oſtendiſſe, ut fœderati ſui non ſine ſuſpicione id ſæpe exprobrarint. Nunc formulam exhibitam conceptæ ſpei plane non reſpondere, nec eo ſpectare, ut Duces conſilia ſua ipſi conforment; ſed potius ut ipſe fœderatis ſuis avulſus periculoſis negotiis implicetur. Qvem fructum iſte agendi modus producturus ſit, ſuo loco relinqvi; ac utcunqve res cadat, ſolatio ſibi fore, ſemper ſalutaria Imperio conſilia foviſſe. An eadem Ducibus mens fuerit dubium videri, poſtqvam per Marchionem Arcium Gallo obtulerint; ſi hic ipſorum prætenſionibus ſuper hoſpitiis Inferioris Saxoniæ, & aliis inde manantibus cavere velit, ſe Gallicas propoſitiones probaturos, ac Ratiſponæ, alibiqve operam navaturos, ut induciæ ad ipſius mentem ineantur. Id qvod eo magis mirum ſibi viſum, qvod Duces Viennæ, Ratiſponæ, Hagæ, Berolini, ac paſſim jactarint, omnia ſua conſilia contra Gallum ac vaſta ejus deſtinata tendere. Sane nunc non amplius obſcurum eſſe, qvæ ab iſtis apud Gallum, & alios de Imperii majeſtate, & integritate, ac de liberandis oppreſſis diſputantur, unice ad privatum emolumentum referri, ut Inferiorem Saxoniam pro lubitu moderari qveant; ipſo Gallo dedignante ita profunde domeſticis ſeſe Imperii negotiis ingerere. Sed & Daniæ Regi ea formula diſplicebat, qvod Duces non niſi verbo de promovenda pace cavebant, ac exorto bello medii eſſe volebant; cum id ſibi ferendum non ſit, Duces armatos, & medios tunc conſiſtere, qvibus in cauſa

Luneburgici adhuc ver-ſantur.

d'Avaux.

1684. Gottorpienſi haut fidebat. Inprimis autem Rex haut digerebat, qvod Elector ſeparatim cum Ducibus paciſci vellet. Alefeldius tamen moderatorum ſemper conſiliorum autor cenſebat, fœdere inter Electorem, & Duces abſoluto facile viam inventum iri litibus inter Regem, & Duces componendis, iisqve in commune fœdus pertrahendis, ad Svecicarum copiarum in Germaniam trajectionem impediendam, & Galli conatus librandos. Ac multum præſtitiſſe Electorem, qvod Duces propius jam ad ſcopum accedere cœperint, qvi ſine dubio longius progreſſuri ſint. Aſt Rex utiqve pertendebat, ne Duces negotio hoſpitationum ſeſe ingererent; ac ſe ſalva exiſtimatione copias non prius Meclenburgica, & Lauenburgica ditione educere poſſe, qvam ſibi ſatisfactum ſit; nec minis Ducum ejici ſe paſſurum, qvicqvid inde eventurum ſit. Ac Gallum VIII M militum offerre, cum Colonienſibus jungenda, qvibus ipſe pro lubitu uti qveat. Ac eundem ſvadere, ut miles Hildeſiæ immittatur, ac bello initium fiat. Qvo tamen ipſe haut libenter deſcendat, ni Ducum iniqvitas ſubigat. 1684.

Elector moderationem ſvadet.

§. 124. Magnam ea res ſolicitudinem Electori injiciebat, ac inprimis, qvod Daniæ Rex in ſiniſtram partem, qvæ ipſe cum Ducibus agitabat, accipere videretur. Unde per Fridericum Brandium Alefeldio demonſtrabat; ſe ad fata usqve amicitiam cum Dano ſervaturum, nec qvid rationibus ejus adverſum ſuſcepturum. Se plus cauſarum habere Ducibus indignandi, qvam Regem, velut qvi ſummo ſtudio ad deprimendum Electorale faſtigium incumbant, qvod tueri ſibi ſemper maxime cordi fuerit. Enimvero in omnibus fœderibus à ſe reſpici conſervationem pacis, ac ſtatus publici in Germania, qvæ ſibi ante omnia privata emolumenta ſit, non ſemel oblata, & qvæ ex ſurgentibus turbis forte ſperari qveant. Sed & eum finem ſpectaſſe omnia conſilia, qvæ hactenus circa Duces cum Gallo, Dano, & aliis agitata fuerint, ut iſti amica via ad pacem promovendam adducerentur. Id ubi non ſuccedat, qvo modo ad id compelli poſſint. Jam annum amplius cum Ducibus ſe tractaſſe; ac cum non ita pridem judicaret, ſibi tantum ab iſtis illudi, alia ſe remedia efficaciora diſpexiſſe, eoqve fine fœdus Coloniæ concluſiſſe: tum à Dano in Meclenburgicam, & Lauenburgicam, à Colonienſi in Huxteram tentata probaſſe, ac fulſiſſe. Cum itaqve his permoti Duces ſerio jam de tranſactione cogitare viſi eſſent, velut qvi declararint, ſe in Belgium copias haut miſſuros, ac in XX annorum inducias conſentire, de cætero omnia probaturos, qvæ Cæſari, & Imperio placitura ſint; ſe priora duo acceptaſſe, tertium autem rejeciſſe, qvod Cæſarem ab induciis abhorrere conſtet. Et cum crederet, fœderatos priori adhuc ſententiæ inhærere de Ducibus amica ratione in noſtram ſententiam pertrahendis, aliam ſe formulam conventionis Ducibus exhibuiſſe, qva non ſolum uniformia conſilia circa pacem, & inducias, ſed qvæ Regi expediant, qvantum in anteceſſum opus fuerit, ſtipulatus ſit; eaqve omnia huic bona fide communicaſſe. Nec adhuc demonſtratum fuiſſe, qvid noxii ea formula contineatur, cum ei non ſolum à Dano tranſmiſſa poſtulata, ſed & contenta fœderis Colonienſis inſerta ſint. Sed qvod Gallus jam ac Danus à priore deſiderio amicæ tranſactionis tam longe diſcedant, ac bellum in Duces eligere malint, Galli qvidem rationes ſat manifeſtas eſſe; ſed qvæ ſe non ſtringant, nec ab antehac ſemper placitis avertere qveant. Aſt ſi Duces compoſitionem plane rejiciant, ſe utiqve arma in promtu habiturum, nec iſtorum ſe ludibrio præbiturum. De oblatis à Gallo VIII M militum nil ſibi ab hoc communicatum, uti par fuerat; ac eum ſibi nunc diverſa plane proponere. Sane ex eo negotio, ſi ſuccedat, peſtilentiſſimos effectus conſecuturos. Forte id inſerviturum vindictæ à Ducibus ſumendæ: ſed inde provenire poſſe Regi, ejusqve poſteritati valde pœnitenda. Satis patuiſſe anno 1679, qvid exercitus Gallicus ad Viſurgim profecerit. Nec meliora ſperanda, ſi is nunc denuo eodem alliciatur. Aſt ſibi fixum ſedere, ubi de ſalute totius Reipublicæ agatur, omnes irritati animi impetus ceſſare debere; nec ſe in ejusmodi ancipitia conſilia unqvam conſenſurum, etſi qvæ ex fœderibus teneatur, bona fide præſtiturus ſit. Igitur præſentibus temporibus amicam tranſactionem, uti obtineri poſſit, extremis anteferendam; idqve & Dano utiliſſimum judicare, ne Duces plane Svecis ſeſe addicant, ac ne dum ipſi inter ſe circa modica colliduntur, cura ſummæ rerum abdicetur. Qvamprimum ſibi cum Ducibus convenerit, omni ope ſe connixurum, ut amicitia inter Danum, & iſtos inſtauretur; qvod ſibi ſucceſſurum ſperet. Ut tamen Ducibus adpareat, aliqvando moras ſibi abrumpendas, & liqvido declarandum qvid velint, legiones ſuas è Boruſſia jam in Pomeraniam perveniſſe, reliqvas Albim verſus progredi. Et qvia Hanoveranus cum aliqvot millibus ad Viſurgim ſtativa capiebat, facili cum Caſſellano 1684.

1684. sellano conjunctione; suis in Westphalia legionibus imperasse, ut & ipsæ paratæ sint; simul cum Colonienſi agi, ut Rhenus, ac Visurgis in potestate habeantur. Ac jam Lipstadii, Mindæ, & ad Albim annonam congeri, machinasqve paratas stare. Qvanqvam autem Villarsius legatus Gallicus Dano pecuniam in antecessum offerret, ac ipse Rex tractatus ab Electore abrumpi, ac utiqve copias finibus Luneburgicorum admoveri cuperet; qvi & ipse apud exercitum in Holsatia agens negabat, ab armato vicino, qvi neutrarum se partium fore verbo duntaxat confirmet, satis cautum sibi esse: Alefeldius tamen demum rem eo deduxit, ut Rex omnia prudentiæ Electoris moderanda committeret. Qvi & ad ista per literas declarabat: Se utiqve agnoscere, ab Electore cum Ducibus nil actum fraudi sibi cedens; & hoc tractatu initium factum Ducibus adparia secum consilia adducendis. Posse qvoqve hac tempestate, indies glisscente Galli potentia conjunctionem cum Ducibus utilem, ac plane necessariam esse. Electorem omnia feciſſe, ad pacis, ac status publici in Imperio conservationem. Errasse se, qvod crediderit, Electorem in diversa abire velle. Satis qvoqve perspicere, qvam anceps sit futurum, si Gallus Colonienſi junctus Duces invadat. Huc qvoqve non aliter se respexisse, qvam ubi necessitas subigat. Sed postqvam sibi de Electoris constantia cautum sit, ad ancipitia ista nunqvam descensurum, aliosqve eo ruentes impediturum. Alias Rex censebat, omni modo prohibendum esse, ne Duces Sveco plane se innectant; eoqve cominus arma iis ostentanda, ut animum serio ad pacem adplicent. Sibi qvippe persvasum, eos exercitus hactenus artes continuaturos, ac Electorem inanibus blandimentis lactaturos, donec aliqva rerum conversio emergat, aut ætas inani negotiatione elabatur. Id qvod irreparabili damno sibi futurum, qvod tantæ multitudini copiarum alendæ non amplius sufficiat, qvam nunc honeste, ac tuto exautorare non possit. Esse enim sibi in Dania, Holsatia, & Oldenburgica XXXVI M. in Norvegia XXII M. militum præter socios navales; eoqve negotium in alterutram partem brevi ad finem deducendum. Unde & Elector formulam nuper à Ducum legato exhibitam reddi jubebat, denuntiato, talia se non amplius accepturum. Qvi vigor, simul motæ legiones plus, qvam adhibita hactenus humanitas, proficiebant.

Villars.

3. Maij.

Cum Colonienſi ostia.

§. 125. Nec minus curæ erat impedire, ne forte Colonienſis intempestive erumperet, qvi de præsidio Hildesiæ immittendo instabat, ansam collisionis cum Luneburgicis præbituro. Id qvod multis cum difficultatibus conjunctum Elector ostendebat, præsertim si civitas militem admittere abnueret. Sane hæc plane negaverat, se cum Ducibus super recipiendo eorum præsidio convenisse. Neqve vero præsumi posse, eam Dani, aut Colonienſis copias ultro admissuram, nec his in proclivi futurum vi eandem cogere, qvo & accessus non pateat nisi per Ducum territorium: ac si qvis vim adhibeat, urbem protinus Luneburgicos recepturam. Ita conatus cum ignominia omittendos, aut apertum bellum ordiendum, circa qvod declinandum hactenus laboratum sit. Contra Argentoratenſis censebat, copias absqve strepitu urbi admovendas, qvæ ita propere ad resistendum se componere neqveat. Sine hac urbe de Luneburgicis cautum non esse. Si Sveci qvoqve exercitum trajiciant, hos duos fœderatis leges præscripturos, qvæ nunc istis dictari possint. Colonienſis consilia semper eo spectasse, ut Galli qvidem amicitia servetur, non tamen concedatur, eundem rerum in ipsius ditione, nedum in Germania potiri. Ast si Duces tempus extrahendo id lucrentur, ut Electoris auxilia præcludere qveant, Colonienſem miserrimum Principum fore, cui necessum sit citra exceptionem Gallo se addicere; qvod Austriaca factio, si maxime tunc eam amplecti velit, eidem illusura sit, omnibus qvoqve ubiqve exosum insultaturis; qvæ & societas alias cum maximo ipsius damno conjuncta foret. Sed & id moliebatur Colonienſis, ut cognominem urbem in potestate haberet, de qva intercipienda etiam Waldeccius agitare dicebatur. Sane cum ea civitas Cæsari significasset, se à Gallicis copiis, qvæ Præsuli auxilio destinatæ sint, sibi metuere, Cæsar ad vicinos Principes scripserat; & jam Cassellanæ, ac Luneburgicæ copiæ iter Coloniam versus ingressæ erant. Sed Elector civitatem monebat, ut has copias recipere caveret, qvas Gallus toleraturus non sit, eoqve ansam præbituras invadendæ urbi. Qvo effectum est, ut civitas decerneret, se non alium qvam Circuli militem admissuram, ac ubi bellum emergat, neutras partes amplexuram. Post tamen Colonienſis de milite Hildesiæ immittendo conticescebat, qvod Duces propius ad scopum accedere viderentur; ac satis adparebat, eam rem à Colonienſi nunqvam serio actam, qvod eandem tam multis conditionibus circumscriberet. Eoqve nil aliud ab Argentoratenſi actum videbatur, qvam

1684. ut Danum, & Electorem cum Luneburgicis committeret, qvo isti invidiam moti belli in se derivarent, à Gallo in usus suos vertendi.

Cum Gallo alia.

§. 126. Ut autem Galli arma Germania averteret, perpetuus Electori labor erat. Unde ab isto stipulari cupiebat, eundem nil amplius Imperio decerpturum, nec ejus statum publicum convulsurum; qvo ipse eo fidentius illis se opponere possit, qvi bellum cupiant; ac Regem in eam rem jam antea sibi fidem dedisse. Sed Croisius id frigide accipiebat, causatus ejusmodi declarationem præmaturam esse, ac Regem alias cum Electore consilia collaturum, anteqvam in bellum descendat. Cum inde Gallus per Colonienſem Belgis terrorem incutere vellet, Elector id magnopere dissvadebat, & ne Gallicus miles in Colonienſem ditionem mitteretur; qvod admotus forinsecus terror Belgis concordiam domi imperaturus sit. Nec consultum esse Amstelodamenses urgere, ut ad consilia hactenus capta continuanda expressis verbis se adstringant, uti Gallus volebat. Id enim contrarium effectum producere posse, ac ut inde compellantur cum reliqvis se conjungere. Nolebat qvoqve Gallus, Colonienſem adversus Luneburgicos se movere, sed tantum contra Belgas. Nam istis Danum, & Electorem sufficere. Et cum ipse ingentem exercitum ad Saram fluvium habeat, ejus intuitu neminem se pro Ducibus movere ausurum. Enimvero destinata super terrendis Belgis Elector valde dissvadebat, qvod facile inde in bellum prorumpi posset, multa incommoda pariturum, qveis deinceps moderandis pares futuri non sint. Ac ea ratione bellum in Westphaliam pertractum iri magna cum invidia fœderatorum, qvod sine necessitate, qvando maxime super pace satagebatur, Gallorum exercitum intra fines Imperii adduxerint. Ad ultas demonstrationes Gallus censebat, destinata contra Belgas tantisper differenda; contra Luneburgicus negotium absolvendum, anteqvam Sveci copias trajiciant. Alias se non amplius ab Amstelodamensibus declarationem exacturum, nec cum Belgis citra necessitatem in arma erupturum. Ac animadvertere, Belgas jam terrore in pacem inclinare, adversus qvos alias Colonienſis opera uti voluerit. Cum itaqve de Belgarum in pacem studio Regi constaret, jam Duces in ordinem redigi cupiebat. Unde apud Electorem demonstrabat: certis ex rationibus sibi persvasum, Ducibus haut cordi esse pacem, qveis sese illigarint, deserere, aut in Dani, atqve Electoris sententiam concedere. Igitur efficacissimam viam esse obtinendæ paci, si coitione inter Daniæ Regem, & ambos Electores facta istorum pertinacia frangatur; qvo fine ipse pecunia, aliaqve ope istis succurrere velit. Cæterum cum hactenus Gallus Dani cupidinem bellandi temperare visus esset, aut potius id egisset, ut iste arma proprio instinctu, non ipso autore movisse videretur: jam in apertam vim erumpebat, ac magno cum exercitu Flandriæ infundebatur, simul Lutzenburgum oppugnabat, data Anglo fide, se post eam urbem captam longius haut progressurum, nisi Belgæ utiqve in arma ruant, insuper Danum jam in Luneburgicos stimulabat, ut hos juxta, atqve Hispanos ad pacem flecteret. Qvo obtento Dani juxta, atqve Electoris rationes insuper habiturus erat. Indicio erat, qvod nil pecuniæ suppeditare prius volebat, qvam Danus in arma erupisset, cum is interim maximos sumtus in parandum exercitum fecisset. Eo magis cavebat Elector, ne qvid temere susciperetur, qvod Gallus unice in usus suos conversurus erat.

Pactum Galli cum Meclenburgico super Domitza. 24. Maij.

§. 127. Eo magis autem Galli mens elucebat, postqvam cum Christiano Ludovico Meclenburgico Duce pactum iniisset, ut hic Dœmitzam Daniæ Regi insidendam traderet. Qva de re Elector graviter apud Gallum qverebatur; id pactum se insscio initum, cum tamen ipse ita candide cum Rege egerit, ac eo nomine tantum invidiæ sibi contraxerit. Sane sua maxime interesse, qvod ea munitio non solum aditum in partem suæ ditionis pandat, sed & commercia Albis valde turbare possit. Præterea hoc facto utriusqve Regis consilia in Germania magis, magisqve suspecta reddi, ac Luneburgicos inde ansam arrepturos Cæsareæ aulæ persvadendi, Dano, dum Meclenburgicæ militem immittit, non agi de exigendis tributorum residuis, sed eundem alia longius tendentia meditari. Qva in re maxima sibi circumspectione utendum. Etsi enim ipse hactenus cum Dano arctissimam amicitiam coluerit, ac perpetuo colere paratus sit; eam tamen esse legem amicitiæ inter Principes, ne qvid ab uno fiat, qvod alterius rationibus adversetur, qvæ & cum tempore subinde mutentur. Ac si Danus semel Dœmitzæ pedem fixerit, forte non semper facultatem fore limites ei præscribendi, qvousqve obtento per id commodo contra unum & alterum uti debeat; ac verendum esse, ut prius excedere velit, qvam

1684. qvam in vectigal Glucſtadienſe conſenſum fuerit. Igitur poſtulabat Elector, ut ejus pacti exſecutio differretur, qvod ſpes ſit, Duces ad amicam tranſactionem deſcenſuros. Aut ſi utiqve pactum implendum ſit, ut ſibi dimidiam præſidii partem ibi habere concedatur. Ad iſta nil aliud Gallus reponebat, qvam ſibi haut propoſitum fuiſſe aliqvid in fraudem Electoris facere. Aſt Meclenburgicus eo ipſo die, qvo id pactum Lutetiæ perfecerat, Gellenſi per curſorem de eo ſignificarat. Unde hic ea deſtinata prævertebat, ducentis militibus protinus miſſis, qvi in adſito oppido conſidebant, ac perſvaſo caſtelli præfecto, ut juſſo Meclenburgici parere abnueret. In præmium ludibrii Dux Vincennas in cuſtodiam abducebatur, qvoad impleviſſet, ad qvæ ultro ſe obligarat. Etſi poſt idem Dano, & Electore intercedente cuſtodia liberabatur. Ejus uxor mariti calamitatem in uſus ſuos vertere, ejusqve ſcrinia expilare decreverat. Sed is conatus prævertebatur, his ſigillo Regis adpoſito. Eadem qvoqve rogaverat, ut ad regendam tantiſper mariti provinciam dimitteretur. Qvod petitum cum irriſu rejectum. Super eo qvoqve pacto apud Danum Elector qverebatur, velut magnam Regi ſuſpicionem pariturо; ac poſtulabat, ut id omittatur; aut ſi utiqve idem ſuccedere debeat, ſe dimidiam præſidii partem impoſiturum Si Rex abnuat, Brandius proteſtationem interponere jubebatur. Ad qvæ Danus teſtabatur: Gallum hoc pactum cum Meclenburgico ſe inſcio feciſſe; qvod & ſtatim atqve ejus copia facta ſit, Electori communicarit. Alias nunqvam ſibi in animo fuiſſe aliqvid in Saxonia adqvirere, aut ad Albim pedem firmare; ſed eo loco uti duntaxat voluiſſe ad tranſitum fluminis, & ſtruendo penui. Libenter qvoqve dimidiam præſidii partem Electori conceſſurum fuiſſe.

Cum Belgis acta. 14. *April.*

§. 128. Aſt apud Belgas eo impenſius Elector ſuper pace nitebatur, qvo majus ea Reſp. momentum in utramqve partem adferre poteſt. Itaqve per Dieſtium eis demonſtrat, qvanto ſibi dolori ſit ob immotum in eam Rempublicam affectum, & communes rationes, iisdem tam manifeſtum periculum ab exteris inter gliſcentia domi diſſidia imminere. Eo jam rem rediiſſe, ut per pacem aut inducias orta jam in provinciis Hiſpanicis flamma reſtingvenda, aut communi bello anſa præbenda ſit. Aſt ſi ipſe conditionem Reipublicæ, verasqve utilitates conſideret, perſvadere ſibi non poſſe, ipſos bellum paci prælaturos. Aſt ſi pax cordi ſit, ſine mora manum rei admovendam. Præſentia tempora non ferre ſcrupuloſam ſuper conditionibus cauponationem. Gallum paratum ſtare, ut in bellum erumpat. Nullibi vires adparere, qvæ opponi qveant. Qvid ergo aliud expectandum, qvam ut Belgium utrumqve opinione citius opprimatur. Fruſtra moderationes conditiones à Gallo ſperari. Nemini ſano adprobari poſſe, per deſperationem omnia exitio exponi; cum pleraqve adhuc ſervari qveant: reliqvis medicina à confeſſione rerum, ac tempore ſperanda ſit. Melius eſſe unius membri, qvam totius corporis jacturam facere. Se hactenus omnia feciſſe, ne belli flamma erumperet: nunc qvicqvid in ſe opis conſumtum. Fuiſſe ſibi ſinceram intentionem, ac plane aliam, qvam malevoli affingant. Sed qvia adparet, aliqvos ultro in exitium ſe præcipitare, ac qvod in futurum metuitur jugum, in præſens ſibi attractum ire; non poſſe non imminentem Reip. calamitatem dolere; ac denuo rogare, patriæ ſuæ ſalutem cogitent, ac promta acceptatione conditionum à Gallo propoſitarum, eam in tutum ſubducant. Se qvidem ad eum finem, ſimul componendis inteſtinis diſſenſionibus enixam operam navaturum. Addebat Dieſtius; falli eos, qvi credant, erumpente bello Electorem protinus contra Gallum arma ſociaturum. Nam ei haut ſolitum, ſtolido conſilio, qvod ipſo diſſvadente ſuſceptum ſit, perſeqvendo operam conferre. Eadem Colonienſis, ſed non ſine minis ingerebat: ni monitis aurem præbeant, conſilia à ſe ipſis haut placitura captum iri. Contra Hiſpani, & *Aſſociati* in diverſa tendebant; ac iſti qvidem minabantur, ſi hoc modo deſtituantur, Regem pecuniis, & mercibus Belgarum in Hiſpania manum injecturum. Fœderati è Germania peculiariter monebant, ne communem cauſam præcipitent, ac velut impetu ruant; nec fidos ſocios, qvi ad liberandum Lutzenburgum jam iter ingreſſi ſint, deſerant. Ac exhibebat Camprichtus catalogum copiarum è Franconia, Bavaria, & tractu Rhenano ad XLIII M bellatorum adſcendentem, qvi cum Belgicis copiis ad ſervandum Lutzenburgum ſe juncturi ſint. Bavarum qvoqve ipſum ad Rhenum acceſſurum, qvod jactura ejus urbis magis in Germania, qvam Belgio metuatur. Sed Fagelius dicebat; Gallo perinde eſſe, diſſentientibus, an volentibus Belgis Lutzenburgum accipiat. Aſt ſuæ Reipublicæ honeſtius eſſe id per vim ſubigi, qvam intervenientе ipſorum pacto. Anglus qvoqve Reip. caverat, poſt expugnatum Lutzenburgum

1684. gum à Gallo nil amplius contra Belgium fuſcipiendum, ac ſe ad impediendum omni vi connixurum. Gallus contra Belgarum declarationem remiſſius urgebat, qvod acres Avauxii libelli, & Colonienſis monita apud Fœderatos opinionem excitaverant, qvaſi is ob conſcientiam inteſtinæ debilitatis pacem deſideret. Aſt Dieſtius præter ſuperius memorata id qvoqve ingerebat, ut ante captum Lutzenburgum rem abſolvant. Nam qvia perſvaſum ipſis ſit, ne ſolennibus qvidem Galli pactis fidei qvid habendum; multo minus pollicito ejus fidendum, qvaſi poſt expugnatum Lutzenburgum non ulterius ſit progreſſurus. Sed & ſigillatim demonſtrabat, nil auxilii è Germania expectandum. Nam Bavarum nunqvam Argentorato, & exercitu à tergo relicto ad Lutzenburgum liberandum accurſurum. Franconicos decreviſſe, Belgicis negotiis ſeſe haut miſcere. Idem Saxones, & Caſſellanum Electori confirmaſſe. Waldeccii, & peculiares qvorundam copias non ſufficere. Luneburgicos conſilia ſua ad pacem referre; & ſi qvid audere velint, jam res ita diſpoſitas, ut facile intra limites coërceri poſſint. Ad iſta Belgæ non niſi laxis verbis qvid fieri debuiſſet, & cujus faciendi tempus jam elapſum ſit, diſſerebant. Qvibus reponebatur: in capiendis conſiliis non reſpiciendum qvid fieri potuiſſet, aut debuiſſet, aut qvid re adhuc integra fieri qveat; ſed res, prout in præſens ſe habeant, conſiderandas. Arauſionenſi Elector demonſtrabat; Auſtriacorum actiones non poſſe non ſuſpectas eſſe, qvi jam nunc Principes in ipſorum conſilia haut proclives minis territare inſtituant. Qvid futurum, ſi iſti ſcopo ſuo potiantur? Manifeſtum qvoqve eſſe, qva acerbitate in Proteſtantium ſacra per Hungariam, & Sileſiam ſæviant. Sibi autem nil aliud reſpici, qvam ut ſacra, & libertas tam in Germania, qvam apud Belgas ſalva ſint. Sed Princeps paucis reſpondebat; ſe nil amplius ad negotium conferre poſſe, nec à ſemel capto conſilio diſceſſurum. Si calamitas ſibi cum aliis ſubeunda ſit, illos ſera pœnitentia tactum iri, qvi nunc otioſi ſpectant, qvæ prohibere poterant. Aſt Fagelius commotior: ſe nunqvam operæ qvid collaturum, ut Hiſpani ad cedendum Lutzenburgum compellantur. Ex ea urbe magnam partem Germaniæ, ac Belgii fata pendere: ac perinde eſſe, ſi non manus, ſed caput abſcindatur ſervando corpori. Ejus urbis jactura qvatuor Electores ad Rhenum Galli tributarios fieri. Arauſionenſem, qvi nunqvam homagium Gallo præſtiturus ſit, ſexaginta amplius florenorum millia annui reditus in ea provincia amiſſurum. Ad qvæ Dieſtius; optime ſibi conſulturos fuiſſe Hiſpanos, ſi conditiones mature acceptaſſent. Tunc enim Lutzenburgum ſervari potuiſſe. Nunc id perire, non accepta à Gallo cautione, nil ulterius ab eo prætenſum iri. Idem nunc contingere, qvod de libris Sibyllinis traditur; qvorum reliqviæ eodem pretio, qvo integri haberi poterant, emtæ fuerunt. Fagelius contra: Se qvidem ſatis perſpicere, ſi pax, aut induciæ hoc modo per improbas artes malorum civium conficiantur, id Arauſionenſis autoritati apud exteros non parum detracturum. Apud prudentes tamen ejusdem gloriam per conſilia ſibi ſemper conſtantia magis illuſtrandam, ac cives, ubi ſana mens redierit, ſero qveſturos, qvod per falſa blandimenta, aut intempeſtivam parſimoniam à veris ſuis rationibus abduci ſe paſſi fuerint. Unde qvicqvid occineretur, iſte huic ſententiæ obnixe inhærebat; ſe nunqvam ſvaſurum, ut Hiſpani deſerantur, utcunqve res cadat. Sæpiſſime Belgas pœnitentiam Neomagenſis pacis ſubiiſſe; ac ſi nunc altera vice fœdifragi fiant, neminem deinceps in hac Republica fiduciæ qvid reponere poſſe. Contra Dieſtius teſtabatur; è Principibus Germaniæ Electoris maxime intereſſe, Belgium Hiſpanicum ſervari; ad qvem finem etiam qvantum in ſe opis ſit collaturus, & qvæ eo nomine conveniendæ ſint, eorum evictionem cum aliis præſtiturum. Id tamen non perſpicere, rationes Germaniæ utiqve cum iis provinciis combinandas, ac ob male ſanam Hiſpanorum pertinaciam Imperium tanto periculo exponendum, ſimul inducias Germaniæ ex iis, qvæ nunc in Belgio ineundæ ſint, ſuſpendendas. Sed his omnibus reluctabantur Hiſpani, qvi Arauſionenſi ſubinde inculcabant, facta pace hæc tria certo ſecutura: ſcilicet militiam numeris imminuendam, ac præcipue eas legiones exautorandas, qvæ maxime ipſi obnoxiæ ſint. Tum & rationes exactum iri tributorum ſuperiore bello ſub ejusdem directione exactorum. Deniqve & cenſuræ ſubjectum iri, qvæ ipſe in Geldria, Transiſalania, & apud Ultrajectinos diſpoſuerit, omnibus ad priorem ſtatum revocatis. Id qvod ipſi majori damno ſit futurum, qvam omnia adverſa, qvæ ex bello metuenda ſint. Amſtelodamenſes contra qverebantur, qvod cum exitium patriæ ante oculos verſetur, membra tamen ſuæ Reipublicæ permoveri non valeant, ut imminentia mala per acceptatas Galli conditiones avertant. Anglum, ſi maxime velit, non eſſe in eo ſtatu, ut iſta impe- 1684.

1684. impedire posſit. Ita salutem suam unice placito, ac magnanimitate Galli inniti, fragili sane fundamento, qvod regia laus credatur de alienis certare, ac aviditas ipso successu irritetur.

Belga demum in inducias inclinant.

§. 129. Inter diversa isthæc studia tamen indies magis prævalebant, qvi inducias volebant, non paucis qvoqve Electoris autoritate motis. Ac in eo jam negotium maxime hærebat, qvod aliqvi res Boreales, ac Arausionensis peculiaria commoda isto tractatu comprehendi vellent. Sed de istis Amstelodamenses censebant; suam Rempublicam non teneri litem Gottorpiensem suam facere. Sed Arausionensis res Gallus tractatui inseri nolebat; etsi Avauxius confirmaret, Regem Electoris commendationi locum daturum, ac ejus intuitu plura facturum, qvam ad qvæ per tractatus obligare se velit. 6. Jun. Ast in consessu Ordinum Hollandiæ acriter primo inter Amstelodamenses, & Fagelium disceptabatur, utrum per unanimia suffragia, an per majorem partem concludendum sit? Ubi cum posterior sententia perviciſſet, sedecim suffragiis decernebatur, oblatas à Gallo conditiones acceptandas: sed tres contradicebant, Equester ordo, Roterodamum, & Medenblica. Et cum Avauxius post captum Lutzenburgum declararet, Regem non obstante hac victoria prætensiones non ulterius porrecturum; spes gliscebat tam Belgas, qvam Hispanos mox manus daturos. Igitur ea animorum inclinatione usus Elector circa Borealia negotia demonstrari jubebat; tranqvilla adhuc eo tractu omnia, ac Gallum utiqve Borealium nomine circa ipsorum negotia iisdem insciis, & non consentientibus nil promittere, aut ad qvid obligare se posse. Si per ista intelligantur controversiæ, qvæ inter qvosdam eorum peculiariter versentur, super istis prius inter eos, qvorum interſit conveniendum; ad qvod non parum temporis reqviratur. Unde qvæ super Borealibus negotiis moveantur, non alio spectare, qvam ut inducíæ extrahantur, aut plane eludantur. 10. Jun. Sed & Gallus Gottorpiensi causæ se miscere nolebat. Ita demum in consessu Ordinum Generalium decernebatur, ut Hispani ad acceptandam Gallicam propositionem permoveantur; & ab *Associatis* postulandum, ut idem faciant. Anglus qvoqve impense ad transactionem hortabatur, non sine minis, ac sponsionem suam offerebat. Et cum Hispanicus minister Castello-Moncayus recalcitrare non desineret, in Consessu Ordinum statuebatur; Rempublicam per oppositionem fœderatorum, ac ob eorum emolumenta impediri non posse, qvominus in conditiones ab Avauxio propositas transigat. Adesse qvoqve sufficientes rationes, qveis Hispanis demonstrari qveat, eas conditiones pro captu temporum recusari non posse. Qvin si Hispani præter spem ad transactionem permoveri non possint, Reipublicæ fas esse super propria securitate cum Gallo convenire. Qvo cuneo qvam maxime Hispanorum pertinacia frangebatur. Inter istam negotiationem Arausionensis in Brabantia aberat, qvod nullam ejus partem tangere vellet. Fagelius qvoqve à provincia Hollandia veniam impetrarat, ut eidem se negotio subtrahere integrum foret. Ac dicebat idem; Electorem utiqve non postulaturum, ut Princeps coram Gallo in genua se submittat. Eum jam ante diem XX Maij circa privatas suas res omnia ex placito obtinere potuisse citra Electoris, aut cujuspiam alterius operam, si tantum ignaviæ animo concipere valuisset. Ei liberos non esse, in qvos alias circa talia forte plus respecturus sit. Circa reditus suos, qvos è bonis in Lutzenburgica sitis perceperit, nec minus circa bona in Burgundia, sexcentis millibus florenorum taxata, qvæ eidem erepta Isengviano Principi Galli addixerint, hæredibus suis curæ futurum, qvi Electoris filii fore præsumantur: titulum, & prætensionem neminem ipsi adimere posse. Demum 17. Jun. tractatus absolvebatur; ac Gallus sex septimanarum spatium concedebat, intra qvod Imperium, & Hispani conditiones acceptare possent. Interim nil hostilitatis in Belgio exercendum: Gallicas tamen copias non prius provinciis Hispanicis deducendas, qvam Hispani inducias acceptarint. Dicebant Belgæ; se in hoc negotio ad Anglum, & Electorem plurimum respexisse. Conditiones paulo meliores potuisse obtineri, ni *Associati* negotio se abstinuissent, ac adducto in austeritatem vultu operæ pretium se facturos credidissent. Inprimis Grana verborum asperitate indignationem testabatur, ac infamem conventionem increpabat. Tum ab Arausionensi postulabat, ut Hollandicas copias è Brabantia abducat; qvod hæ non sufficiant ad rem ex debito, & dignitate gerendam, eoqve haut necessum sit, ab istis reliqvias exhaustarum provinciarum comedi. Ast contra disserebatur: parcius bilem Granæ evomendam, velut qvi omnium harum calamitatum autor sit: qvi inter alia siniſtre acta non nisi qvindecim centuriarum præsidium Lutzenburgo imposuit,

1684. rit, qvod minimum qvatuor millibus firmari debuerat; ac vicissim Namurcum, & alia loca milite stipaverat, qvæ Gallus velut limite Belgico per pacem Neomagensem sancito comprehensa invadere ausurus non fuerat. Et vix bonis artibus qvæliti credebantur qvatuor aut qvinqve milliones, qvos paucos intra annos gubernationis Belgicæ corraserat. Aliqvi etiam cavillabantur, qvod cum antea tantum vigoris ostenderit, nunc ducta formosa uxore animo, ac corpore langueat.

Ratispo-na super induciis acta. 9. Febr.

§. 130. Initio transigendi à Belgis facto reliqvis tantum non necessitas seqvendi imponebatur. Sane Ratisponæ hactenus id negotium frigide tractatum fuerat, donec demum procuratoria inter Cæsareos Commissarios, & Gallum permutata forent. Inde à Verjo scriptum hoc sensu exhibitum. *3. Mart.* *Etsi Galliæ Rex è suorum exercituum numero, & fortitudine, è munimentorum dispositione, ac firmitate, è fœderatorum suorum constantia, ac viribus, & ex omnis paratus bellici copia & ordine nil non sperare possit ac debeat: eum tamen oblatis armistitii ad viginti, aut amplius annos cum Imperio stabiliendi conditionibus non modo non recedere, sed & Hispanis induciarum ad idem tempus indulgere velle pro omnibus ditionibus, qvas ubicunqve terrarum possident, aut si in eo bello qvod indixerunt, utiqve persistere velint, saltem pro Belgicis eorum provinciis ut omnis tumultus bellicus longe ab Imperio absit, ejusqve fines armorum strepitu minime turbentur. Eundem tamen sibi omnia sua jura, eaqve persequendi plenam facultatem usqve ad conclusionem tractatuum reservare.* Huic propositioni qvam maxime adversabantur Hispani, qvi tamen nuper orbi ludibrium debuerant inani clarigatione, cum nec propriis viribus valerent, nec de fœderatorum auxiliis cautum foret. Ac ea sibi spe blanditi fuerant, ob injurias sibi illatas non posse non ab universis arma in Gallos arripi. Ast postqvam in rem præsentem veniendum erat, nemo *Associatorum* erumpendi initium facere velle, sed unq alium circumspectare, promissa sua conditionibus circumscribere, aut interpretari, pecunias aucupari, periculum in alios devolvere. Ac illi ipsi *Associati*, & qvæ ab his agitabantur media consilia, fere intra verborum atrocitatem consistentia, in causa erant, qvod Hispanorum res vado adhærescerent; qvi ante periculum magnifice crepaverant; post ubi manus rei admovenda esset, ter-
14. Mart. giversabantur. Cæterum postqvam Electorale Collegium decrevisset, oblatas in viginti annos inducias acceptandas, de guarantia Circuli Burgundici moveri cœpit. De qvâ ilthæc Electoris erat sententia: ob Clivicas ditiones sua plus, qvam cujusvis alterius interesse, eum Circulum servari; eoqve optare, ista qvoqve parte Imperium integrum persistere. Nondum tamen qvempiam è primariis Ordinibus censuisse, ideo novum in bellum cum Gallo descendendum. Nam Germaniæ ob nondum cessans à Turca periculum, ac intestinam discordiam non modo vires decisse tutando tam prave instructo Belgio; sed & orto bello reliqvos Ordines, qvi Imperio arctius inuexi sint, in evidens periculum præcipitari. Hispanos qvoqve nulla cum Imperio communicatione in Belgio Gallis bellum indixisse, sic ut istud haut teneatur stolida illorum consilia seqvi, & in par cum istis exitium ruere. Potius ab Imperio Hispanis ingerendum, ne prave consulto agendi modo eum Circulum aleæ exponant, sed potius, cum in præsens armis neqveant, acceptatis induciis ejus reliqvias in tuto collocent. Eqvidem optandum esse, non solum post Neomagensem pacem ablata, sed & alia omnia Germaniæ, & Belgio decerpta recuperari posse. Vix tamen sperandum, hac tempestate alia lege, qvam communi induciarum, *uti possidetis*, conclusum iri. Unde ferendum, qvod in præsens corrigi neqveat, & à mutatione temporum medicinam expectandam.

§. 131. Inter ista præsentium rerum consideratio Bavarum qvoqve permoverat, ut inducias utiqve amplectendas censeret. Qvo nomine is literas ad Electorem dabat hoc argumento. *Bavarus in induciis est pronus. 18. April.* *Qvanqvam Turca hoc anno omnes suas copias contracturus sit; sat tamen virium esse eidem repellendo; ac se ipsum in Hungariam iturum, modo pax inter Christianos constituta sit. Sed qvia merito cuiqve ante omnia de rebus suis domi in tuto collocandis curandum sit, anteqvam ad aliena pericula averruncanda se accingere qveat, sese apud Cæsarem enixe institisse, ut qvamprimum ad pacem, aut inducias procedatur. Cæsarem satis periculum perspicere, ac non solum ipsum proclivem esse ad amicitiam cum Gallo colendam, sed & apud alios operam circa pacem navaturum. In præsens autem negotium in eo adhæresciere, ut defectus in ablegati Gallici procuratorio emendentur, & pro more in Imperio recepto per solenne SCtum ad Cæsarem referatur, qvibus legibus, & qvamdiu inducia sint ineunda. Ad qvod Cæsar pro captu decretum sit formaturus; qvi & confidat, Imperium ultro de sua dignitate,*

& se-

1684. & securitate solicitum fore. Quia tamen negotium Ratisponæ tarde procedat, consultum sibi visum ad conventum Hagam mittere, non ut aliquid ibi nomine Imperii statuatur, sed ut res duntaxat ibi præparetur. Ast se judicare, ad summam rerum plurimum facturum, si cautela in posterum adornari, ac velut conditio tractatuum stabiliri possit, ut plus fiduciæ in his, quam hucusque initis pactis collocari queat; ne qui amore boni publici præter obligationem jacturam patienter tolerarunt, deinceps cujusvis invasioni obnoxii maneant. Unde sibi videri, protinus publicam in Imperio militiam LX M bellatorum constantem parandam, quo nunc concludendi tractatus solide defendi queant. Nec id Gallo adversari posse, qui declararit, Imperio integrum esse evictionem adornare, utcunque velit. Eoque decreto Imperii cavendum, ut qui durantibus induciis communem tranquillitatem quocunque prætexto turbare audeat, eo ipso hostis Imperii habendus sit. Quia etiam duratura quies sperari neqeat, nisi inducia ad omnes porrigantur: igitur se rogare Electorem, ut circa utrumque operam navet. Nam si Gallo injuste occupata utique relinquenda sint, saltem Germaniæ solidam inde securitatem præstandam; quo Turcæ fontica plaga inferri queat; cujus egregia occasio allubescere videatur, ac circa quam ipse omnes vires exserturus
28. April. sit. Ad ista Elector: Generosa, ac solida Bavari consilia magnæ sibi voluptati esse. Se quidem hactenus suspicionibus immerito oneratum, quibus neque officia Cæsari ac patriæ præstita, nec perspectum in salutem reip. studium liberare ipsum potuerint. Sed sincero se animo, ac corde confirmare posse, neminis e honesta intentione cedere, nec ullam obligationem, ullos vé respectus habere, qui patriæ saluti, ac libertati vel minimum officere queant. Sane è conservatione Imperii suæ quoque domus, ac ditionis incolumitatem pendere, & cum ista stare, aut cadere. Huic fundamento omnia sua consilia, omnia acta inniti; qua ipse ita digerere studeat, prout præsens rerum status in Germania, & apud vicinos ferat: non autem uti alio tempore, si intus concordia, extra pax foret, esse queat. Se quippe experiundo didicisse, rempublicam non per desperata consilia, etsi prima fronte speciosa, sed per tuta, rationi congrua, ac temporibus accommoda remedia servandam. Cæterum à se probari, totis viribus rem in Turcam agendam: ac Bavari generosa destinata summam laudem mereri; ac optandum sibi esse, si canos suos pro salute orbis Christiani immolare queat. Enimvero recte judicare Bavarum, cum alterutro hostium utique transigendum, cum utique eodem tempore pares non simus. Spem sibi esse Cæsarem salutaribus Bavari consiliis aurem daturum, & stabilitam inter Christianos populos quiete gloriosa, & victricia arma Turcæ illaturum, ac tam egregias ditiones, sub hujus jugo gementes, eidem iterum subtracturum; ad quod à multis retro seculis haut solidior spes, quam in præsens, affulserit. Obstacula, quæ moventur, tanti non esse ad opus tam necessarium remorandum. Defectus procuratorii facile corrigi posse. Solenne Senatusconsultum præsenti Ratisponæ statui dix intra vertentem annum sperandum. Stare nunc Germaniam in præcipitio exitii sui; & cum de pace, ac bello, in quibus ejus salus vertitur, noctes, diesque consultandum sit, tanto tempore deliberationes in Senatu Principum data opera inhibitas fuisse. Jam quoque Collegii Electoralis præcipua jura solicitari, quasi nunc tantum ab externo periculo otium sit, ut primarias Imperii columnas subvertere, & ruinam patriæ à supremis membris auspicari conveniat. Quæ Hagæ cusa fuerit, formulam satius esse æterno silentio sepeliri. Sane quamdiu Imperium steterit, non auditum, de gravissimis ejus negotiis, nullis ab hoc mandatis, quin plurimis Ordinibus contradicentibus, ejusdem tamen nomine tractari. Talia si tolerentur, de juribus Ordinum, ac fundamentis status publici actum esse. Evictioni præstandæ se paratum, ac eam utique necessariam judicare. Optare quoque, ut de perpetua militia expediri possit, antequam induciæ concludantur. Sed in præsens id suo judicio fieri non posse, ac merito timere, ne hoc prætexto incendium per Germaniam, & passim erumpat. Eo de negotio aliquot per annos Ratispone nullo fructu disputatum; ac si maxime reliqua omnia expediantur; quando ad liquidum deducendum, penes quem supremum imperium in publicum istum exercitum esse debeat, quod Cæsar sibi deposcit, reliquis facile capientibus, quantum per id è libertate petatur? Gallum quoque magno fervore rem gerere, cujus progressibus sistendis ne momentum quidem negligendum sit. Iste si senserit Imperium inducias non probare, nisi prius armis, eos conatus præventurum, magno cum malo Rheni accolarum. Alias se quoque censere negotium de securitate publica quantum possit absolvendum; haut quidquam tamen ex ea conditione pacem, aut inducias suspendendas. Gallum quoque offerre, secum Hispanis transacturum; nec aliud restare, quam ut bi conditiones acceptent, circa quas stolide tergiversentur, cum nulla facultas sit meliores nanciscendi. Unde rogare se, ut Bavarus patriæ subvenire velit per ea remedia, quæ sola supersunt. Testem se excitare Deum falli nescium, se nullas externas

1684. utilitates, sed unice salutem Imperii præ oculis habere; nec aliam se viam servandi patriam durante adhuc bello Turcico nosse, qvam inducias occupare. Ac utcunqve res cadat, saltem se pectus patriæ tidum, cujus per qvadraginta qvatuor annorum regimen luculenta specimina dederit, illibatum sepulcro illaturum.

Ratisponæ jam propius adrem acceditur.

§. 132. Enimvero exitiabiles moras demum abrumpebat obsidium à Gallis Lutzenburgo circumpositum. Eam urbem à Gallo peti Hispanis dudum constabat, ac sibi idoneas vires ei liberandæ haut suppetere. Nec tamen placebat ejus expugnationem acceptatis induciis prævertere, inani spe sibi illudentibus, non posse non ab universis Europæ populis ad arma in Gallum vertenda concurri. Austriaci qvoqve, cum deliberationes in Senatu Principum ultra semestre inhibuissent, nunc subigente periculo tam insignis urbis incassum trepidabant. Ac Cæsar Electorem per literas hortabatur, ut ei urbi liberandæ cum aliis subvenire velit. Cui ab hoc responsum: satis sibi compertum, qvanti momenti iste locus sit. Unde se mense Martio, cum Gallus optionem inter Lutzenburgum, & Cortracum, atqve Dixmudam Hagæ proposuisset, enixe svasisse, ut horum oppidorum, qvæ jam in Galli manibus erant, jactura Lutzenburgum redimeretur; præsertim cum Avauxius tunc Diestio confirmaret, Regem æqvas conditiones admissurum, per qvas ei loco deinceps cautum esse possit. Enimvero hoc ipso tempore, qvo Cæsaris literæ adferantur, nuntios deditam eam urbem ferre, ut ne spatium qvidem ad deliberandum fuerit. De cætero propemodum se erubescere totiens ingesta repetere. Tamen non modico sibi dolori esse, fidam suam pro patria curam ita siniistræ interpretationi obnoxiam, qvasi ipse Gallo contra Imperium studeat. Aſt qvanta sibi injuria fiat, rem ipsam nunc clare nimis docere; ac metuere, ne suam solicitudinem funestior eventus comprobet, ac induciis dilatis totus Rhenus cum Mosella idem fatum cum Lutzenburgo subeat. Nec minus Bavarus, qvem & ipsum Cæsar ad succurrendum Lutzenburgo excitaverat, tanto cum pondere præsentem rerum conditionem demonstraverat, ut Cæsar non solum suo, & Imperii nomine declararet leges induciarum à Gallo propositas pure acceptatum iri, sed & se Hispanos ad eas amplectendas permoturum, modo inducia ad omnes porrigantur. Igitur Bavarus ab Elector petebat, apud Gallum officium interponat, ut is juxta totiens repetitas promissiones inducias universales faciat; utqve Elector sponsionem suam addat, eas servatum iri. Elector responso suo Bavari operam apud Cæsarem navatam laudabat; ac optandum fuisse, prius id factum, ac Lutzenburgum servatum. Forte & tunc Genuam à globis ignivomis tempestatem haut fuisse sensuram. Ac eo magis omnes moras amputandas, qvod Gallus jam postulet, exteriores munitiones Trevirorum urbi dejici, fossasqve impleri, aut se missurum, qvi id faciant; idemqve Coloniæ, & Confluentibus minetur. Aſt ista in Treviros tentata ut omitteret Gallus Elector serio admodum ad ipsum scribebat. Alias eundem adversæ parti ansam daturum dicendi, ipsius promissis nil fidei adhiberi posse. Sibi qvoqve per conscientiam fas non esse ad ista ausa tacere.

19. Maij. 2. Jun.

Circa adornandas inducias sagitur. 19. Jun.

§. 133. Cæsar porro, ut de studio suo in inducias fidem faceret, literis de eo apud Electorem testabatur, idqve ut in Gallia commendaret petebat, ac ut præfixæ Hagensi tractatu sex septimanæ aliqvantum prorogentur, qvod per indolem Reip. Germanicæ tanti momenti negotium tantillo tempore adornari non possit; aut si intra id spatium istud absolvi non potuerit, ne Rex statim in hostilia erumpat. Qvi eas literas attulerat Caspar Florens Consbruckius proponebat; ut Elector operam impenderet, qvo Lutzenburgum, (qvod tanti momenti sit ad libertatem Cæsareæ electionis,) pro Cortraco, & Dixmuda reddatur, aut munitionibus exuatur. Tum ut induciæ universales sint, ac complectantur omnes Cæsaris ditiones, decem Imperii Circulos, omnes Imperii vasallos, & subditos, omnia Hispani Regna, ac ditiones, & qvæ inde pendent, Cæsaris juxta, & Galli fœderatos, Borealia Regna, & Italiam. Qvod alias bellum contra Turcam tota vi geri non possit, si nil aliud qvam arena belli mutetur. Deniqve ut Elector evictionem inducarum peculiariter suscipiat. Ad qvæ Elector: *Sibi haut spem esse demolitionem Lutzenburgi obtinendi, postqvam Belgæ cum Gallo transegerint, addito promisso, se Hispanos ad acceptandas eo tractatu expressas conditiones pro viribus permoturos. Unde inducias ex ea conditione haut suspendendas, qvod metus sit, ne Gallus omni vi in Germaniam versa Rhenum occupet, antequam subveniri possit. Ut inducia ad universos porrigantur se optare. Sed utiqve necessum esse, ut Hispani inducias prius amplectantur. Evictionem se susceptorum, in qvascunqve leges*

Conbruck.

Cæsar

1684. *Cæsar velit. Cupere qvoqve, ut securitas Imperii non sexaginta millibus militum duntaxat, sed universis ejusdem viribus firmetur. Sed non necessarium esse, ut inducia differantur, qvoad id negotium absolutum fuerit. Illas precedere debere, hoc statim seqvi. Circa Treviros nil aliud remedii esse, qvam inducias accelerare. Alias tantum abesse, ut ipse suis consiliis Galli potentiam augere qvæsierit, qvam ipse si qvisqvam mortalium horreat, ut unice id spectaverit, & adhuc spectet, qvo incrementa istius potentiæ per tractatus sistantur, cum per vim id obtineri posse per malignitatem temporum sperandum non fuerit. Enimvero tandem aliqvando serio rem aggrediendam, aut tractatus abrumpendos, qvod frustra sit circa conditiones, qvæ obtineri non possunt, se fatigare.* Ac sane Gallo haut placebat dictam diem prorogare, sed fortioribus remediis uti conclusioni accelerandæ, jussis legionibus limitem versus progredi. Sed & displicebant, qvæ Ratisponæ jactabantur de publica Imperii militia post conclusas inducias constituenda. Ac dicebat Croissius; Regem qvidem Imperio nil præscribere posse. Sed si perpetuus in Germania miles formetur, Regi necessum fore, ut & ipse armatus stet: cum contra id beneficium per inducias speraverit, ut magnam partem suarum copiarum exautorare liceret. Ac facile ad manus perveniri posse, si utrinqve tantæ copiæ sub signis sint. Demum & Hispani in inducias consentiebant, id qvod huc usqve Dux Medinæ Cœli impedierat; qvi & Regi omnes siniſtros successus, ac amissum Lutzenburgum celaverat: qvem demum duæ Reginæ sua statione dejecerunt. 4. Jul. Ratisponæ qvoqve Principes cum Electoribus in eandem sententiam conspirabant, inducias in viginti annos conditionibus à Gallo propositis admittendas. Multi è Principibus Gottorpiensem causam induciis comprehendi volebant, ac ut Svecia, ac Italia nominatim iis exprimeretur. Sed Gallus negabat opus esse easdem ad Borealia Regna extendi, qvod ipse Gottorpiensi se causæ miscere nolit. Ac pleriqve censebant, satis esse Svecorum provincias Teutonicas includi; qvod Borealia Regna inter se bellum gerere, ac pacem facere soleant inconsulto Imperio. Qvanqvam autem demum communi trium Collegiorum SCto de acceptandis induciis decretum esset; undiqve tamen graves stimuli adhibebantur, ne id negotium ulterius protraheretur. Ac Pontifex qvoqve, ut id perficeretur, impense instabat, qvod bellum contra Turcam continuari cuperet. 21. Jul. Simul Bavarus ad instans Budæ obsidium copias in Hungariam tuto ducere se posse negabat, nisi factis induciis. Tum vero Verjus denuntiare; Regem utiqve Augusto mense colophonem tractatibus imponi velle, cui grave sit per incerta tantos exercitus alere. Alias eum copias ad Rhenum adducturum, & belli cupidos investigaturum, qvod infinitarum dilationum tædium eundem ceperit. Ac ni intra octiduum ad rem accedatur, se jussum non amplius ad Regem scribere, sed ad Schombergium Mareschallum, qvi cum XXX M eqvitum in Alsatia in procinctu stabat. Qvæ & res Electorem vehementer perturbabat, qvod id conventis cum Gallo repugnaret, qvi promiserat nil se suscepturum, nisi consilio prius cum ipso collato; eoqve impense rogabat, ne ad infensa rueret. Ita demum formulæ inducianum concinnandæ manus serio admovebatur, qvæ brevi ante mediam noctem, cum tempus à Gallo præfixum jam jam elapsurum esset, absolvebatur ad exordium usqve, & subscriptionem, qvæ biduo post addita, difficultatibus super cerimoniis ad finem negotii usqve glisscentibus. Ne inter extrema adhæresceret negotiatio, Comitis Amadei Windischgræcii industria multum conferebat. Circa verba induciarum, qveis pax Westphalica stabiliri dicebatur, Elector monebat, ea fraudi non esse debere iis, qvæ pace San-Germanica immutata erant circa litus Orientale Oderæ, ac vectigalia Ulterioris Pomeraniæ. Ratihabitiones qvoqve hinc inde traditæ, & à Gallo qvidem peculiare qvoqve instrumentum ratihabitionis pro Imperio exhibebatur. Id qvod Cæsarei admodum ægre ferebant, causati; Cæsarem suo, & Imperii nomine tractasse, eoqve peculiari ratihabitione pro Ordinibus opus non esse. Qvod tamen Ordinibus secus videbatur; & qvod factum erat, infectum non fiebat. Sane qvia inter alia abstacula tractatuum Ratisponæ fuerat, qvod Cæsarei concedere nollent, eos nomine Cæsaris, & Imperii simul peragi; eo ipso autem Electorum prærogativa, ac jura Ordinum imminuebantur, recenti qvoqve exemplo pacis Neomagensis, ubi Cæsarei itidem nulla cum Ordinibus communicatione concluserant: igitur Elector Collegas, ac reliqvos Ordines monuerat, ut jura sua obnixe tuerentur. Iis induciis Belgæ non exprimebantur, qvi & id non desideraverant. Ast Boreales Reges, cum Anglia, ac Polonia nominari Electori haut displicebat; qvod ejusmodi inclusio fere honoris gratia fiat, modico, aut nullo effectu; & qvo Imperium haut stringebatur orituris apud

1684. 1. Aug. 5/15. Aug. 7/17. Aug. 8. Sept.

1684. istos litibus se miscere. Ejus pacti evictionem Gallus apud Moguntinum, & alios peculiariter qværebat. Elector qvoqve ad eandem præstandam Gallo se obligabat; hoc vicissim per solenne instrumentum promittente, se hunc tractatum per omnia citra ullam contraventionem qvocunqve modo factam servaturum. Qvi & peculiari instrumento Electori cavebat, se ipsum & alios, qvi ad promovendos eos tractatus operam navarint, indemnes præstituros, si eo nomine iisdem molestiæ qvid intentetur. Aſt Elector Germaniæ solidissimam cautelam judicabat, si validi exercitus in promtu sint. Qvo fine monebat, par esse, ut qvia inermes Ordines publica qviete fruantur, ipsi ad alendas armatorum Ordinum copias aliqvid conferant. Simul offerebat, se firmandis induciis numerosum exercitum paratum habiturum, modo Cæsar inermibus Ordinibus cis Albim sitis imperet, ut ad eum alendum aliqvid contribuant. Circa qvod postulatum Cæsarei multos scrupulos movebant. Eos Ordines omni modo se opposituros, nec tributariam conditionem induciarum præsenti tempore subituros. Nec Cæsarem invitos cogere posse. Luneburgicos qvoqve id non toleraturos. Et qvia Electori numerosior, qvam pro pacis tempore, miles sit, præstare, ut ejus partem exautoret. Ita suspicionem, & alias difficultates ultro expiraturas. Demum eam rem ad comitia, & conventus Circulorum rejiciebant, ac ut Elector ipse Ordines ad aliqvid conferendum persvaderet. Etsi pleriqve eo ingenio erant, ut subdola qviete frui pro solatio haberent, futurorum securi. Cæterum subinde qverebantur Cæsarei, se se ad inducias fuisse coactos, Gallo tam lucrosas, qvi tamen eas non diutius servaturus sit, qvam sibi expedire judicaverit. Verjus contra statim post ratihabitas inducias Ratisponæ urgebat, ut delegati regundis finibus designarentur, tum & qvi plenam pacem tractaturi sint; de qva Gallus qvamprimum Ratisponæ agi cupiebat. Scilicet qvod judicaret, Cæsarem, & Imperium per eandem temporum iniqvitatem, qvæ in inducias consentire subegerat, compelli qvoqve posse, ut per pacem in perpetuum cederent à Gallo post Neomagensem pacem intercepta. Cum contra Cæsarei tanta festinatione haut opus censerent. Eam ipsam enim ob causam inducias magis, qvam pacem placuisse, ne Imperio necessum foret in abdicationem tam insignium ditionum, nullo jure à Gallo raptorum consentire; utqve isti tantisper jus suum integrum permaneret, forte per conversionem temporum vindicandum. Atqve hæc ipsa ratio occinebatur iis, qvi absurdum, ac tantum non ridiculum cavillabantur, post pacem inducias fieri: cum alias vice versa ab induciis ad pacem procedi soleat: qvin pactum plane induciarum vocabulo venire non posse, qvod nullum bellum id præcesserit. Enimvero reponebatur: id non necessarium, ut inducia pacem præcedant, cum sæpe à bello ad pacem, nullis intermediis induciis perveniatur. Revera autem pacem fuisse abruptam intercepto Argentorato, & tot regionibus, inani licet juris prætexto raptis. Cui injuriæ cum arma opponere tempora Germaniæ tunc non tulerint, necin ista loca jus cedere placuerit: sistendis utcunqve istis grassationibus ad istud pactum fuisse descensum, per qvod conventum fuerit, ut per viginti annos res in præsenti statu relinqveretur, salvo tantisper Imperii jure; qvæ peculiaris induciarum indoles est. 1684.

4. Nov.

§. 134. Ita autem Instrumentum Induciarum habet. *In nomine & ad honorem Sanctissimæ Trinitatis, Dei Patris, Filii, & Spiritus Sancti. Notum sit universis & singulis, qvorum interest, aut qvomodolibet interesse potest. Cum pro complanandis differentiis, qvæ circa executionem pacis Noviomagi Geldrorum d. V. Februarii anno 1679. inter Serenissimum, atqve Potentissimum Principem, ac Dominum Dominum LEOPOLDUM primum Electum Romanorum Imperatorem semper Augustum (s. s.) Sacrumqve Rom. Imperium ex una, & Ser. atqve Pot. Principem ac Dominum Dominum LUDOVICUM XIV Franciæ, & Navarræ Regem Christianissimum ex altera parte, conclusa intercesserunt, stabiliendaqve tam dicta Novionagensi, qvam anteriore Westphalica pace amicabilis ulterior tractatus Francofurti ad Mœnum institutus qvidem fuerit, sed ad exitum perduci non potuerit. Ere autem communi esse visum fuerit, eundem nunc Ratisponæ resumere, qvo tranqvillitati, & securitati non tantum S. Rom. Imperii, sed etiam totius Christianitatis maxime nunc periclitantis, vel per pacem vel armistitium consulatur. Qvod ad hunc tam salutarem finem obtinendum alte memoratæ Sacræ Cæs. Majestatis ad Imperii Comitia Commissarii veluti plenipotentiarii constituti, & electi fuerint, ut juxta conclusum comitiale d. 13. mensis Januarii anni proximi præterlapsi Sua Cæs.* *Instrumentum inducierum.*

1684. Cæs. Mte adprobante, factum, S.æ C.æ Mtis, ac S. R. Imperii nomine tractent, concludantque. Ex parte vero alte memoratæ Sacræ Christianissimæ suæ Mtis ad hoc negotium tractandum, & terminandum deputatus sit infra nominatus plenipotentiarius regius. Hi ergo utrinque constituti plenipotentiarii convento tempore & loco comparentes in mutuas armistitii, sive induciarum leges consenserunt tenore sequente. I. Sacra Cæs. Mtas & Imperium consentiunt in armistitium XX annorum à die ratihabitionis computandorum, idque amplectuntur iis ipsis inductiarum conditionibus, ex parte S.æ Christianissimæ Mtis per ejusdem plenipotentiarium apud Imperii comitia existentem hoc in loco antehac oblatis eo modo, quo in subsequentibus articulis plenius declarantur. II. Cum hujus armistitii basis, & fundamentum sint pacis Westphalica, & Neomagensis instrumenta, eadem in suo vigore remanent cum in modum, ac si hisce pactorum tabulis inserta essent. III. Juxta hoc ita receptum armistitium sit vera sinceraque amicitia, mutua, bonaque correspondentia inter S. Cæs. Mtem, & totum Imperium ex una, & S. Christianissimam Mtem ex altera partibus, adeo ut ex nunc nulla specie juris, aut via facti nullis hostilitatibus, reunionibus, vindicationibusque, nullo etiam recuperandorum jurium pretextu, nullinque alterius rei causâ directe vel indirecte turbari queant. IV. Ideo durante hoc XX annorum armistitio S. Christianissima Mtas permaneat in libera, quietaque possessione civitatis Argentinensis cum fortalitio Kehl, aliisque munimentis inter urbem, dictumque fortalitium sitis, & constitutis, Rhenoque adjacentibus, ut & omnium quarumcunque ditionum & locorum, quæ usque ad d. 1. Augusti 1681 vigore sententiarum tribunalium Metensis, Brisacensis, & Vesontini in Imperio occupata sunt. V. Exerceat quoque S. Christianissima Mtas in iis locis ita retentis libere, & absque ullius contradictione jura superioritatis, supremique dominii, neque licitum sit cuiquam alte dictam S. Mtem Christianissimam in isto jurium suorum exercitio ullo modo turbare. VI. Restituet vero S. Christianissima Mtas Imperio omnia illa loca, quorum possessionem post d. 1. Augusti 1681 sibi vindicaverit; idque absque ulla reservatione, adeo ut nihil quidquam in iis locis ita restitutis durantibus induciis sive retinere, sive ulla ratione pretendere possit aut debeat, exceptis tamen semper urbe Argentinensi, & omnibus fortalitiis ad istam spectantibus, de quibus art. IV. precedenti conventum est. Si quid vero sine autoritate dictorũ tribunalium Metensis, & Brisacensis, ut & Vesontini, quod ad Imperium spectaret, & quod aliunde ad Regem Christianissimum non pertinerat, ante d. 1. Augusti 1681. tantum nuda & simplici via facti occupatum esset, id quoque S. Christianissima Mtas restituet. VII. Si quid etiam in unius vel alterius partu territorio ad alteram partẽ, vel ejusdem subditos pertinens per modum repressaliorum arrestatum fuerit, utrinque relaxabitur. VIII. Rex Christianissimus relinquit dominos proprietarios, eorumque heredes successores, ac quoslibet, qui eidem juramentum fidelitatis sive per se, sive per alium nempe procuratorem præstiterunt, in suo statu, & plenaria perceptione fructuum ad loca reunita proprie, & non ad superioritatem spectantium, ut & exercitio in Ecclesiastico, & Politicis, prout Instrumentis pacis Monasteriensis, & Neomagensis dispositum est. Restituet non minus supra dicto modo eos, qui adhuc juramentum fidelitatis præstabunt, sive in contumacia hactenus fuerunt, sive non, & si qua hactenus in contrarium facta fuere, in pristinum statum non minus reponantur, ac ipsis, & quibuscunque locorum reunitorum incolis ubicunque morantibus liberum sit sua bona pro lubitu vel per se, vel per alios administrare, aut alienare. IX. Concedit quoque S. Christianissima Mtas omnium locorum reunitorum sive vindicatorum incolis tam Catholicam fidem profitentibus, quam Confessioni Augustanæ aut Reformatæ uti vocatur religioni addictis liberum religionis exercitium, liberrimamque fruitionem atque dispositionem omnium bonorum, decimarum, reditumque omnis generis, tam eorum, quæ ad sustentandos Ecclesiarum rectores, præceptores, ac administratores, quam ad ipsa eorum templa, scholas, ædesque pertinent, cujuscunque aliorum quocunque nomine veniant, nullis exceptis. X. Et quo inducie ista eo magis servari possint, neque ullis casibus obnoxia sint, statim post hunc tractatum ratihabitum utrinque nominabuntur, instituenturque Commissarii ad limites Imperium inter, & Galliam juxta supra denotatam possessionem designandos, ponendosque ubi necesse fuerit finium terminos, ita ut exinde nulla oriri queat controversia in detrimentum armistitii hoc tractatu concluſi; qui Commissarii inter se in id quoque allaborabunt, ut si quid ex altera parte desit vel promissæ restitutioni, vel alias executioni præsentis conventionis plenum effectum sortiatur. XI. Pacis tractatus (quibus finitus hoc armistitium cum omnibus suis hic positis conditionibus cesset) confestim inchoentur, & tempus, atque locus hic determinetur. XII. S. Christianissima Mtas renuntiat ad tempus harum induciarum

1684.

omni-

1684. *omnibus, & quibuscunqve pretensionibus in Imperium, ejusqve Status, membra, & in specie cunctis appertinentiis, dependentiis, connexis protectionibus, ita dictis reunionibus, & qvi pretextus qvocunqve modo excogitari poterunt. Renuntiant vicissim ad idem tempus inducias Imperator, & Imperium supremo dominio, omniqve jure superioritatis & protectionis, vel alteri cuicunqve, qvæ ipsis in regiones, urbes, aliaqve loca reunita alias competebant, aut competere poterant. XIII. Durante hoc armistitio libera sint commercia inter utriusqve partis subditos, ita ut mercatorum, aliorumqve alterutrius nationis peregrinantium tam personis qvam rebus apud alterum reciproce plena securitas, & ubi opus sit favor, & auxilium concedatur, neqve unqvam justitia, & protectio denegetur. XIV. Qvod disceptationes civiles, sive processus judiciarios attinet, si inter subditos ejusdem supremi dominii orta lis est, aut in posterum oritur, coram tribunalibus ab eodem domino aut constitutis, aut approbatis, se invicem convenient. Si vero inter subditos diversorum supremorum dominorum contentio nascitur, aut jam existat jus commune observetur, aut actor sequatur forum rei. XV. In hoc armistitii tractatu praeter partes hic transigentes Imperatorem, & Imperium ab una, & Regem Christianissimum ab altera parte, adeoqve Sacra Cæs. Mtis regna & provincias hereditarias omnes qvas possidet, ut & omnes Imperii Electoratus, Archiepiscopatus, Episcopatus, Abbatias, Præposituras, Ducatus, Principatus, Marchionatus, Landgraviatus, Ballivias, Commendas, Comitatus, Baronatus, Dynastias, civitates liberas, Nobilitatem immediatam, vasallos, & appertinentes, in qvacunqve regione etiam extra Germaniam siti sint, nullo excepto; omnes Circulos, omnes & singulos Imperii Status, regiones, provincias, territoria, dominia ubicunqve sita sint, comprehendantur pacis Westphalicæ consortes, & etiam Rex Catholicus cum omnibus suis regnis & ditionibus. XVI. Super executione, & observatione hujus armistitii contra qvamcunqve turbationem sive directam sive indirectam omnis, & qvaliscunqve generalis guarantia inter partes transigentes reciproce & mutuo præstabitur, etiam promittitur, ad eamqve aliæ qvoqve extera Christiana potentiæ omnes generaliter & recipientur, & invitari poterunt. XVII. Præstabunt similiter hanc reciprocam, & communem guarantiam S. a Cæs. Mtas & Imperium super illo armistitio qvod juxta conditiones à S. Mte Christianissima propositas; & à S. Cæs. Mte nomine Regis Catholici acceptatas conclusum, simul atqve dicti armistitii tractatus ratificationes permutatæ fuerint, & in eum finem, majoremqve efficaciam censebitur dictus tractatus cum Catholico Rege tanqvam in hunc Imperii tractatum de verbo ad verbum insertus esset. XVIII. Reservat sibi utraqve pars intra tres ab hujus tractatus ratificatione subsequentes menses suos ulteriores includentes ex communi consensu nominare. XIX. Denique dubia, & disceptationes super hoc armistitii recessu, aut alias deinceps forsitan oriunda non via facti, aut armorum directe vel indirecte, nec per se nec per alios, sed amicabiliter secundum instrumenti pacis Westphalicæ tenorem componantur, & tollantur. XX. Inducias hasce hoc modo factas promittit utraqve pars in forma debita, solitaqve ratihabitum, solenniaqve desuper ratihabitionum instrumenta intra spatium unius mensis à die subscriptionis computandum reciproce, ritegve commutatum iri. In qvorum fidem roburqve præsentes manu nostra subscripsimus, ac sigilla nostra apposuimus. Actum Ratisbonæ die 15 mensis Augusti 1684.*

1684.

Marqvardus Episcopus & Princeps Eychstadiensis.

Ludovicus Verjus.

Franciscus Matthias Maij.

Comes de Crecy.

Cum Luneburgicis fœdus ab Electore initur.

§. 135. Cæterum postqvam Belgæ in inducias consenserant, Luneburgici qvoqve Duces demum ad eadem cum Electore consilia flectebantur; circa qvod hactenus magnopere ab hoc laboratum fuerat. Qvi & erga Danum ita se declaraverant, ut is omnes infensas cogitationes contra eosdem deponeret. Unde cum nil Coloniæ superesset qvod ageretur, Elector Canitium inde revocabat. Cui valedicenti Argentoratensis testabatur: sibi stare sententiam in futurum à negotiis plane se removeri. Tum Electoris consilia ad patriæ salutem spectantia magnis laudibus extollebat, cui in præsens Germania sui conservationem magna ex parte debeat; & qvæ eo tendant, ne Gallus ab Imperio intempestive irritetur, nec ad ordiendum novum bellum moveatur. Ut qvoqve vicissim res in Imperio ita disponantur, ut Gallus intra limites officii manere necessum habeat.

Sibi

1684. Sibi sane persvasum, in qvod Deum & conscientiam testem excitare possit, hac ratione patriæ optime consuli. Eundem qvoqve semper scopum consiliorum suorum fuisse, utut sinistra judicia eorum sibi toleranda fuerint, qvi forte privatas ob rationes Germaniam cum Gallo committere voluerint eo tempore, qvo ob bellum Turcicum, & alias notas causas non nisi gravissima calamitas inde seqvi potuerit. Honesta sane oratio, si facta fidem addidissent.

7. Aug. Interim Berolini inter Electorem, & Luneburgicos Duces fœdus absolutum fuerat, operam accommodantibus inde Francisco Meindersio, & Paulo Fuchsio, hinc Ottone Grotio, & Bodone Obergio. Eo tractatus cum Ernesto Augusto Duce d. 21. Januarii anno 1681 factus renovabatur, ac totam ad Domum porrigebatur. Scopus ferebatur conservatio qvietis in Imperio, ac propriarum ditionum tutela. Idem hisce capitibus constabat. *Sint huic fœderi pro fundamento leges Imperii, idqve nullius offensam spectet, sed tantum conservationem utriusqve jurium, & ditionum, etiam novissima cum Gallo pace qvæsiturum adversus qvasvis ab aliis intentatas impetiones. Operam utriqve dent, ut perfectis induciis tractatus pacis perpetuæ inter Imperium, & Gallum maturetur; inprimis ut super loco, & modo tractatuum protinus conveniatur. Interim à se operam dandam, ut induciarum legibus inseratur, ut Gallus post Kalendas Augusti anno 1681 reunitos Status, & occupata loca, excepto Argentorato, & munitione Kehlana in priorem statum reponat; reunitis qvoqve Ordinibus suos reditus, & sacra ad normam Westphalica pacis relinqvat. Induciis perfectis utriqve ad guarantiam Imperii concurrant, & contra eum, qvi istas violare ausus fuerit, consilia, ac vires socient; alios qvoqve Ordines Imperii, & exteros Principes, qvorum interest pacem servari, pro re nata eodem pertracturi, ac pro viribus enixuri, ut induciarum violator omnia in integrum restituat, ac de damno dato satisfaciat. Addebatur de mutua defensione utrinqve ditionum, ac jurium; & ut controversiæ circa limites, & alia huic conjunctioni ne obsint, sed amica ratione, non vi expediantur, congressu consiliariorum instituendo ad consultandum, qva via eadem commodissime componi qveant. Sed circa lites, qvæ utrisqve cum aliis intercedunt, amica duntaxat officia interponant, nisi alteruter vi invadatur, & casus fœderis extet. In negotiis Imperii, & Circuli amice communicent, ac fieri possit, communia consilia capiant. Hoc fœdere ex parte Electoris non comprehendantur, qvæ trans Oderam sita sunt hactenus, ut Duces copias suas eo mittere teneantur. Si tamen ea ditiones invadantur, Ducum copiæ adhibeantur defendendis terris Electoralibus inter Rhenum, & Oderam sitis. Modus auxilii in præsens definiebatur à parte Electoris II M eqvitum, IV M peditum, à parte Ducum dimidia pars. Is numerus ubi non sufficiat, auxilia ad dimidium, aut duplum augeantur. Ea intra sex septimanas à die reqvisitionis in ditione reqvirentis sistantur; ut tamen reqvisitus non teneatur aggressori bellum indicere, sed operam conciliandæ pacis navare possit salva auxilii præstatione. Definiebantur inde, qvæ ad auxiliorum usum spectabant. Si post inducias turbæ existant, utriqve de iis sopiendis consilia conferant. Ut porro utriqve declaraverunt, sibi nulla cum aliis fœdera esse, qvæ huic conjunctioni repugnent: ita deinceps nulla cum aliis pacta ineant, qvæ impletioni hujus fœderis obstare qveant. Id in qvinqvennium duret, ac intra tres septimanas firmetur.* Addebantur articuli secreti. *Hac rerum facie omnia, qvæ in vicinia aguntur, solicite observent, ac invicem communicent, ac super iis consilia capessant. Etsi propinqva sit spes inducrarum, si tamen earum tractationem abrumpi, aut in longum extrahi contingat, ac inde turbarum qvid in Imperio existat, utriqve capto communi consilio operam, viresqve socient, ut Imperii compages servetur, ejusqve fines non ulterius imminuantur, inprimis ut Rhenus defendatur, omnesqve oppressiones oppositæ vi avertantur. Curam qvoqve habeant Bremæ, Lubecæ, & Hamburgi, ac si eas urbes abs qvopiam imperi contingat, primo amica officia interponant, qvæ ubi nil proficiant, omni vi ad eas servandas incumbant. Elector qvoqve operam impendat, ut Colonienſis Huxteram militem educat; ac si demum res ad vim perveniat, idem huic negotio non ulterius, qvam per amica officia se misceat. Denique & operam navet Elector, ut Dania Rex, qvod adhuc militum in Mecklenburgica restat, inde abducat.*

1684.

§. 136. Supererat adhuc cura, ne à Svecis qvid turbaretur, qvi Ratisponæ inducíis impense restiterant, nostris mascule eosdem retundentibus. Qvi & congressu utrinqve delegatorum circa controversias qvasdam Pomeraniam spectantes Damnii, & Colbacii habito duros admodum, & iniqvos sese exhibuerant, ut non modicam suspicionem excitarent, infensi qvid ab istis

Circa Svecos cura.

1684. agitari. Unde & Elector delegatos suos è Pomerania revocabat, testatus, se possessionem, & exercitium suorum jurium omnibus licitis modis tuiturum; de cætero amicam vicinitatem cum Rege culturum. Cum contra Svecici post Electoralium discessum asperas, & altius penetrantes literas non sine minis scripsissent. Unde non absre videbatur in omnem eventum cum Daniæ Rege, ac Luneburgicis consilia conferre. Ac superiore qvidem anno à Gallo primum de fœdere adversus Svecos motum fuerat; id qvod Elector eluserat, inter alia eam ob causam, qvod id effectui dari neqveat, nisi Luneburgica Domo in partes tracta. Sed cum id jam obtentum esset, à Dano ea res iterum movebatur. Qvo nomine & Ehrenschildius Berolinum veniebat, qvi fervide id negotium urgebat. Ita Electori placuit Meindersium ad Regem Daniæ mittere, ut qvæ aliorum mens foret specularetur, non ut novo bello suffragaretur, qvod iste maxime refugiebat, nisi summa necessitas eo descendere subigeret, aut Sveci ultro infesta inferrent. Id negotium cum Itzehoæ disceptari cœpisset, facile adparebat, nullum ejus exitum fore. Et Gallus qvidem animum sibi haut esse ostendebat infensi qvid in Svecos tentandi, nisi ubi induciæ cum Imperio haut succedant. Nam ante omnia de his certum esse velle, nec expectaturum, qvoad cum Turcis transactum fuerit. Eo irrito Danum, & Electorem Svecis immittere cupiebat. Ac dixerat Meiercronæ Croisius; Regem eo tempore, qvo ipse bello implicetur, facile consensurum, ut Svecus invadatur. Ast perfectis induciis aggressionis invidiam declinari non posse. Nam Regem hactenus universalem pacem meditatum, circa qvam & Elector enixam operam dederit; cujus spes cum tam propinqva affulgeat, ejusmodi fœdus huic plane adversari, velut sine dubio commune bellum pariturum. Ac si reliqvis id propositum fixum sedeat, se id secretum in Sveciam significaturum, ut ibi adversa consilia opponi qveant. Saltem eo casu se qvoqve in prædæ partem venturum. A qvo qvidem Elector magnopere abhorrebat; ac Lutetiæ haut obscure insinuabat, nunqvam se concessurum, ut ea occasione Gallus Imperio aliqvid decerpat. Ac satis adparebat, qvia Gallus pacis tempore Dani, Electoris, ac Ducum opera non indigebat, eum nil qvoqve emolumenti iisdem adcrescere velle, ni ipse longe majus inde perciperet. Danus autem, qvanqvam sat sibi causarum contra Svecos esse assereret, qvi duodecim articulos sui fœderis violarint; nec induciæ his destinatis obesse possent, qvod Borealia negotia iis comprehensa non sint: tamen nunc haut parum frigoris circa id negotium ostendebat, ac malebat, ut Elector, & Duces eam rem suscipiant, cui se aperte misturus non sit, clam tamen opem laturus. Ac metuebat, ne Belgæ Svecis classe subveniant; præsertim cum Gallus negasset, se Belgas impediturum, qvo minus ei se negotio ingerant. Unde se in Norvvegia, ac Selandia periclitaturum; nec classem suam adhuc satis armatam esse. Ast Duces Dano super Gottorpiensi negotio cavere nolebant, veriti, ne is tanta accessione firmatus longius grassaretur. Tum & raptim ad executionem hujus consilii progrediendum, aut id plane omittendum; qvod supra facultates suas sit tam numerosas copias diutius alere. Inprimis metuebant, ut secretum servari possit, ne præmature evulgatum ad contrarias partes formandas ansam præbeat, magnamqve ipsis invidiam conciliet. Opus qvoqve sibi fore, ut cum Dano perfecte reconciliati sint, ac cum Gallo fœdus ineant. Sed Danus censebat, Duces haut serio rem agere, ac arcte nimis Cæsari illigatos; ac plerasqve copias Cæsari, ac Venetis missuros, ut paucas domi habituri sint. Ac uti Duces concedere nolebant, à Dano Gottorpiensem absorberi; ita Danus judicabat, se jam hunc ita constrinxisse, ut non opus sibi sit permittere, Duces tantis incrementis mactari. Ast Elector demonstrari jubebat; etsi qvantivis videatur molestos vicinos amoliri, nec ei rei perficiundæ vires desint: maximam tamen difficultatem esse, qvod induciæ certo successuræ sperentur, qvibus Teutonicæ Svecorum provinciæ includendæ sint. Ac esse iis non paucos in Germania amicos, & ipsos armis instructos, qvi forte eorum causam suscepturi sint. Ac forte inducias per communem guarantiam firmandas. Hactenus qvoqve se, ac Daniæ Regem tantum studii pro pace ostendisse, qvod cum hisce destinatis conciliari non possit. Et qvicqvid in causam belli allegetur, invidiam aggressionis penes fœderatos fore. Nec Belgas solum respiciendos Sveco arcte innexos, sed & victricia Cæsaris arma, ne is facta repente cum Turcis pace, uti novissimo bello contigit, totum exercitum in aggressores Sveci sibi fœderati effundat. Sed & Gallum non nisi duplici sub conditione spem auxilii facere; si induciæ cum Imperio non succedant, aut

1684.

Sve-

1684. Svecus eas acceptare abnuat, eoqve ejusdem provinciæ Teutonicæ his non comprehendantur. Sed & Gallum nonnulla sibi emolumenta stipulari velle, qvæ nondum expresserit. Id qvod valde sibi suspectum; nec tolerandum, amplius qvid Imperio decerpi. Ac pluris sibi esse, ne à Gallo pars tractus Rhenani absorbeatur, qvam tota Pomerania potiri. Unde sine dubio potiores esse rationes qvæ tale institutum dissvadeant, qvam qvæ id commendent. Ac facilius pervincebat Elector, qvod Alefeldii gratia tunc glisceret, cui semper moderata consilia cordi fuerant. Et qvia Danus possessionem Slesvicensis Ducatus jam ceperat, sperabat sese eam etiam citra tam anceps ausum tuiturum. Duces autem, cum à Dano scrupuli moverentur, id negotium deponendum, ac silentio obruendum censebant. Ac firmatis mox induciis idem ultro expirabat. Anglus qvoqve de istis consiliis ita pronunciabat: Gallum nullo modo tolerare posse, ut fœderati sui, de qvibus, (uti omnia humana mutationi obnoxia sint,) in æternum sibi cautum esse neqveat, nimis potentes reddantur; aut ut Svecus opprimatur, per qvem præsentes fœderatos, si in diversa abire velint, semper distrahere possit. Etsi alias sua nil interesit, num Sveci in Germania qvid terrarum habeant, an minus.

Polonus ab Electore auxilium contra Turcas petit. 6. Mart. Breza.

§. 137. Hoc anno Poloniæ Rex Albertum Constantinum de Gorai Brezam, Castellanum Posnaniensem ad Electorem super auxiliis contra Turcam mittebat. Elector varias rationes, ex ipsis fœderum tabulis promanantes, allegare poterat, qvibus hæc auxilia declinare licebat. Nam pacta Bydgostiensia non de offensivo, sed de eo duntaxat bello loqvi, qvod ab aliis Reipublicæ infertur: hoc autem bellum Polonos ultro, ac vi fœderis cum Cæsare initi sibi contraxisse. Sed & qvos superiore anno miserit milites tertia amplius parte imminutos rediisse. In præsens tamen non apices fœderis, sed studium in Regem & Rempublicam Poloniæ, ac universam rem Christianam secuturus II M peditum, sub qvibus duæ cohortes dimacharum continebantur, in proximæ æstatis expeditionem annuebat. Super his copiis ejusmodi pactum inibatur. *In Polonia se iste ad Kalendas Junii sistent, qvas Elector per tres menses, postqvam in Poloniam venerint, suo arc alet. Sed qvia Rex promiserat, se eis de alimentis prospecturum, qvoad Leopolim perve-*

nerint; ii tres menses tunc demum cedere debebant, qvando iste ad castra Polonorum sub Leopolim aut alibi pervenerint. Elector insuper stipulabatur, ne indebita isthæc juvandi promissa dopactorum legibus deroget, nec sibi, ac successoribus necessitas sit paria auxilia, aut pari conditione unqvam præstandi; sed ut salva persistant, qvæ in tabulis fœderum super auxiliis convenerint. Post elapsum trimestre Rex, & Respublica iis stipendia solvat, qvoad ad Borussiæ fines pervenerint, in singulos menses duodena uncialium millia. Addebantur varia cautela ad conservationem copiarum, qvod Polonis haud insolitum sit exterorum auxilia per inopiam perdere. Iisdem proximus à cohorte Regis & Reginæ pretoria locus in agmine, & acie erit: earum præfectus Polonicos duces ejusdem gradus antecedet: eadem non dividentur: de machinis, captivis, & reliqva præda partem habebunt: commodis hibernis fruentur. Finito bello, vel ubi Electori eas revocare placuerit, ad fines Borussiæ, aut Pomeraniæ deducentur: uno die ultra tria milliaria non conficient, tertio qvoqve die ad qvietem interposito. Stipulabatur qvoqve Elector, ut Rex Cæsari pacem, aut inducias cum Gallo commendaret. Eo minus enim necessum fore de noxia, aut ignominiosa pace cogitare. Denique ut Rex Cæsari suaderet, libertatem Protestantium sacrorum per Hungariam permittere. Ad qvod Breza reponebat: A Polonis semper hactenus exercitas persecutiones in Hungaria improbatas, præsertim cum utrumqve Regnum Poloniæ, atqve Hungariæ iisdem fere juribus, ac privilegiis utatur; ac sibi male temperatum zelum Jesuitarum summopere displicere. Pacem cum Gallo fere per Hispanos, qvibus maxima in aula Cæsaris autoritas sit, impediri, qvibuscum Reipublicæ nulla commercia intercedant. Alias Viennæ majorem exacerbationem contra Gallos, qvam Turcas esse, Regem tamen, & Rempublicam in eum finem eximam operam navaturum. Iis copiis iterum præerat Wolfgangus Christophorus Truchsesius, qvem comitabantur Carolus Æmylius Dona Comes, & Alexander Curlandiæ Princeps. Itineris multum ea copiæ faciebant sub Caminiecam Podoliæ usqve progressæ, qvam non ita validam perspiciebant, uti vulgo habetur. Virtutis exserendæ non nisi unica occasio fuit, dum ab ea urbe recedentes Poloni in aciem explicati consistunt; ubi Tartari in dextrum cornu, qvo Electorales stabant, irruentes strenue repellebantur. Ac in reditu

1684.

1684. non niſi ſemel atqve iterum cum turmis hoſtium velitatum. Ita hac expeditione pauci iſtorum ferro, ſed plurimi inopia, aut morbis periere. Diſcedentibus Rex literis ad Electorem id teſtimonium dabat. *Vidimus eas nec ſine ingenti ſoatio noſtro, quotiescunqve vel levis periculi, vel delitationum obtulit ſe occaſio, adeo ſtrenue, fortiter, & ordinate contra hoſtiles proceſſiſſe impetus, ut facile primas cenſeremus, ex qvibus optima militiæ, ſolidi ordinis, ac imitationis exempla ſumerentur. Ad victorias & triumphos participandos unica defuit occaſio, ſi Deus plenam explicare conceſſiſſet aciem.*

25. Oct. 9

Elector titulum Zolleranum aſſumit.

§. 138. Deniqve hoc anno Elector titulum Hohenzolleranum aſſumſit, prout ipſe ac majores inſignia originariæ iſtius Domus geſſerant; eumqve literis inveſtituræ, qvæ Viennæ conficiebantur, inſeri curabat, ac ut idem ſibi à Cæſare è Cancellaria daretur, firmando ſucceſſionis in eam ditionem jure. Id qvod facile à Cæſare annuebatur, niſi qvod is ſcrupulus eſſet, Principem ſe, an Comitem Zolleranum nuncupare vellet Elector. Nam hic è Comitum familia proſapiam deducebat; Principum dignatio recens erat, ac ad primogenitum duntaxat reſtricta: qvo titulo ſi uti placuiſſet, ſolita eo nomine præmia Cæſareæ Cancellariæ numeranda erant. Sed Elector malebat antiqvus Comes Zolleranus, qvam recens creatus Princeps audire; eoqve titulum iſtum primo inter Comitatus loco ponebat. 1684.

SAMU-

SAMUELIS PUFENDORFI

DE

REBUS GESTIS FRIDERICI WILHELMI MAGNI

ELECTORIS BRANDENBURGICI

COMMENTARIORUM

LIBER DECIMUSNONUS.

EPITOME.

Missio ad Cæsarem. 2. Cæsar auxilium contra Turcam quærit. 3. Carolus Angliæ Rex moritur successore fratre Jacobo. 4. Electoris apud novum Regem officium. 5. Electoris ad Belgas legatio. 6. Fœdus inter Electorem, & Belgas renovatur. 7. Danie ex eo fœdere suspiciones. 8. Cum Gallis super eo fœdere disceptata. 9. Electoris ulterior declaratio. 10. Elector declarationem, qvalem Gallus vult, recusat. 11. Electoris litera ad Gallum. 12. Gallus multa contra inducias facit. 13. Ob successionem Palatinam lites. 14. Veldentinus super Palatinatu controversiam movet. 15. Electoris circa successionem Palatinam opera. 16. Persecutio Reformatorum in Gallia. 17. Electoris edictum in favorem Reformatorum è Gallia profugorum. 18. Eo nomine cum Gallo expostulationes. 19. De sacris legatorum. De famulis legatorum. 20. Cum Sveco amicitia instauratur. 21. Turbæ Hamburgenses. 22. Apud Cellensem Ducem acta. 23. Apud Cæsarem in Hamburgensi causa acta. 24. Elector denuo Cellas mittit. 25. Electoris cum Cæsare fœdus. 26. Expeditio copiarum Electoralium ad expugnandam Budam. 27. Fœdus cum Sveciæ Rege. 28. Articuli secreti. 29. Gallus mili-

1685. *multifariam contra inducias agit. 30. Galli nolunt ab Imperio armamentarari. 31. De fœdere Augustano. 32. Galli de hoc fœdere querele. 33. Gallus per literas ab Imperio moneri non vult. 34. Circa Palatinam causam acta. 35. De statua Regia. 36. Elector Regi Danie moderata ingerit. 37. Istius conatus in Hamburgum erumpunt. 38. Electoris ad Regem Danie missio. 39. A Knesebecio acta. 40. Elector negotiationem persequitur. 41. Alia ab Electore missio. 42. Negotium Hamburgense componitur. 43. Motus animorum super turbis Hamburgensibus. 44. Electori Gottorpiensem causam Hamburgensi misceri non placet. 45. Gallus de induciis in pacem mutandis proponit. 46. Electoris de hac re sententia. 47. Ab Electore super hoc negotio disceptata. 48. Apud Cæsarem super ea declaratione acta. 49. Mutua Cæsaris, & Galli declaratio. 50. Judicium de hac declaratione. 51. Ratispone super eo negotio acta. 52. Inter Gallum, & Electorem expostulationes. 53. Transactio super qvatuor prefecturis Magdeburgicis. 54. Legatio Moscica. 55. Super edicto Belgarum circa religionem disceptata. 56. De munitione ad Trarbacum. 57. Ratispone super ea munitione disceptata. 58. Galli litere ad Ordines Imperii. 59. De electione VVilhelmi Furstenbergii in Coadjutorem Colonienſem. 60. Post Furstenbergii electionem disceptata. 61. Legatio in Poloniam. 62. Origo controversie Gottorpiensis. 63. Danus à se acta defendit. 64. Danus Cæsaris cognitionem rejicit. 65. Elector officium interponit. 66. Danus Ducem Slesvicensi ditione ejicit. 67. Elector moderatiora ingerit. 68. Danus Cæsaream Commissionem respuit. 69. Causa ista ad seqvestres devolvitur. 70. Negotium paulisper adhuc extractum demum suscipitur. 71. Tractatuum ingressus. 72. Ducalium propositio. 73. Danorum ad hanc prævia declaratio. 74. Elector Dano molliora svadet. 75. Danorum ad Ducalium propositionem responsum. 76. Circa hoc responsum considerationes. 77. Super Danorum responso disputata. 78. Ducalium replica. 79. Danorum duplica. 80. Dani a se oblata frustra commendant. 81. Danus sententiæ suæ immotus inhæret. 82. Temperamentum ab Electore propositum. 83. Super æqvivalente ex Holsatia agitur. 84. Anglicorum motuum origo. 85. Jacobi II. initia. Infelices Monomuthensis conatus. 86. Conatus Jacobi super introducendis in Angliam Romanis ritibus sese exserunt. 87. Parlamento Regis conatus non probantur. 88. Plura subinde à Rege tentantur. 89. Novum tribunal Ecclesiasticum instituitur. 90. In Scotia circa religionem tentata. 91. Plura indies in Anglia novantur. 92. De permittenda qvarumvis religionum libertate. 93. Super eadem apud Anglos acta. 94. Libertas conscientiæ in Anglia promulgatur. 95. Circa novum Parlamentum agitata. 96. Arausionensis sententia super Regis destinatis. 97. De graviditate Reginæ opinio nascitur. 98. Offensa Regis in Arausionensem, & Belgas liscit. 99. Arausionensis super hoc negotio consilia confert. 100. Electoris obitus. 101. Ejusdem stemma: 102. Educatio: 103. Matrimonium & liberi: 104. Corporis, animiqve dotes. 105. Ejusdem felicitas.* 1685.

Postqvam

1685. *Missio ad Cæsarem.*

POstqvam Elector qvieti patriæ per inducias, circa qvas tanto cum studio laboraverat, consuluisse visus esset, alia, qvæ peculiariter Domum suam tangebant, ad liqvidum perducere instituit, ut si Deus è mortali statione ipsum evocaret, nil confulionis, aut intricati negotii 17. *Jan.* successori relinqveret. Eo fine Otto Sverinus Viennam mittebatur, ut investituram nomine Ducatus Magdeburgici acciperet; nec minus literas investituræ pro omnibus provinciis in Pomeraniæ vicem datis expediri curaret. Tum instaret, ut tandem aliqvando Cæsar prætensionibus ipsius in diversa Silesiæ loca, Carnoviam, Beutenam, Ligniciam, Briegam, & Wolaviam satisfaceret. Nec minus ut super qvatuor præfecturis, Juterboco, Qverfurto, Dammo & Burgo, per Pragensem pacem Magdeburgico Præsulatui detractis sibi satisfiat, in qvas saltem directum dominium sibi competat. Jubebatur etiam intercedere, ut persecutiones in Evangelicos per Cæsareas ditiones omittantur; præsertim cum qvam maxime è Cæsaris re sit, tali acerbitate Protestantium Principum animos haut alienari, qvi sangvine & opibus pro istius salute, atqve incrementis non parcant. Si de auxilio contra Turcas moveatur, responderet, Electorem ad ea mittenda proclivem esse, qvi & per biennium non spernendam manum Polonis non sine sumtu suo exhibuerit. Enimvero expectare, ut Cæsar ad postulata sua qvod æqvum sit declaret. Cæterum molestissimum esse, qvod qvæ conservando militi reqvirantur, apud Cæsareum exercitum tam segniter curentur; ac Cæsarem conscientiæ suæ adprobare non posse, tam egregios bellatores per socordiam, aut avaritiam qvæstorum fame, & miseria extabescere. Expectaturum tamen, qvid Cæsar per ablegatum suum propositurus sit. Apud legatum Hispanicum qvoqve super residuis subsidiorum moveret. Deniqve & Elector privilegium optabat de non appellando in omnes reliqvas provincias, qvale jam in Marchiam obtinebat. Sverino Viennam delato variæ moræ super literis investituræ nectebantur. Unde Elector injungebat eas qvam instantissime urgere, simul expressis verbis testari, si diutius negotium extrahatur, sibi discedendum esse. Nec enim Electorem Cæsareis ministris diu supplicaturum circa ea, qvæ jure suo exigat. Ita istæ ex voto expeditæ, simul ritus Magdeburgicæ investituræ peractus. Circa reliqva nullum operæ pretium fiebat. Circa prætensiones in loca Silesiæ respondebatur; Carnoviam abunde pensari summa pecuniæ, sæpius à Cæsare oblata, è qva & vix annua octena florenorum millia redeant. In reliqva Electori nul juris competere, ac hujus patrem ea prætensione jam dudum cessisse. Ast Kinskius, & alii, qvi Electori juxta, ac religioni male cupiebant, ferocius fremere: ad extrema potius rem deducendam, qvam ut sacris, circa qvæ penitus eradicanda ipsi hactenus tanto studio laboraverint, fixa ac tuta sedes in meditullio Cæsarearum provinciarum detur. Ac continuis dilationibus Electoris petita eludenda, qvoad is è vivis excesserit, cujus successori magis abrupte negari posset. Circa privilegium de non adpellando regerebatur; Electorem novissimo bello plus lucratum, qvam Cæsarem, cui & de suo jactura fuerit facienda. Hoc qvoqve exemplo alios Principes idem petituros, qvibus ob præsentia in Cæsarem merita id denegari non posset. Sed & per ejusmodi privilegia Cæsaream autoritatem paulatim ita imminutam, ut ejusdem vix umbra adhuc supersit. Ac si maxime Cæsar velit, Ordines provinciales repugnaturos, idemqve *Recessui* Imperii anno 1654 repugnare videri. Svadebant tamen, qvi Electori favebant; satius esse ab eo Ordines provinciales persvaderi, ut ultro isti beneficio renuntient. Ac si Elector incorrupte jus dici curet, eos satius habituros domi lites suas componere, qvam Viennam, aut Spiram, magnis cum sumtibus proficisci. Intercessiones pro Evangelicis surda aure transmittebantur. 1685. 23. *Maij.*

§. 2. Contra Cæsar missio Francisco Henrico Freitagio Barone de auxilio contra Turcam apud Electorem agebat, qvod Cæsareus exercitus irrito Budæ obsidio valde attritus esset, ubi res confuse admodum inter æmulorum ducum dissidia administrata fuerat. Ac jam superiore anno per Hippolytum monachum Cæsar de eo auxilio moverat, adducta in exemplum Bavari promtitudine. Cui Elector declarabat: studium suum Cæsari non defore: sperare tamen nil supra vires positum à se postulatum iri, sed ejusmodi conditiones concedendas, per quas rebus suis consulatur. Bavaricis copiis facillimum in Hungariam iter, qvibus & secundo Danubio annona submitti qveat. Ac peculiari vinculo Bavarum *Cæsar auxilium contra Turcas qværit.* 9. *Nov.* 1684.

1685. rum Cæsari innecti, ea lege generum adscitum, ut si Hispaniæ Regi proles non nascatur, ac Cæsari unicus tantum filius extet, ex isto, & Maria Antonia Cæsaris filia geniti in regno Hispaniæ succedant. Ast nunc Freitagius de promotis induciis nomine Cæsaris gratias agebat, testatus isti constans propositum esse eas exacte observandi. Circa auxilium multas rationes ingerebat. Ingens periculum, idqve evidens toti orbi Christiano, ac inprimis Germaniæ imminere, ad qvod avertendum omnes Germaniæ Principes è fiduciario vinculo, qvo Imperio teneantur, obligari. Omnium qvoqve, & eorum præcipue, qvi contiguas Cæsaris provincias possident, interesse, ne Turca limites proferat. Nunqvam bellum contra Turcam extitisse, qvin Ordines Imperii, & cumprimis Electoris majores Cæsari auxilia submiserint. Id qvoqve reqvirere fiduciarium nexum, quo Elector & Imperio, & ob insignes terras Regno Bohemiæ teneatur. Ac jam existere casum literis investituræ expressum; qvod dominus directus injusto bello petatur, ac summo in periculo versetur. Ratisponæ qvoqve toto ab Imperio auxilia Cæsari decreta. Electorem aliqvoties ea Cæsari promisisse, ubi induciæ cum Gallo initæ fuerint. Magnum hoc ipso cumulum accessurum gloriæ Electori per arma partæ. Esse eidem egregias copias, ac rem tormentariam optime compositam, qvas dolendum sit tanta rei bene gerendæ materia otiose domi desidere. Ejus provincias onere alendi militem non parum levari posse. Per duos continuos annos auxilia in Poloniam missa extra pacta; cum Poloni conventas conditiones haut impleverint, ac selectum militem fere inopia perire passi sint. Posse Electorali Domui grande præjudicium in futurum nasci, non impleto vasalli officio. Nec obscure insinuabat, aliqvando ad privationem Bohemicorum feudorum procedi posse. Cæsarem tamen ea auxilia non nisi pro futuro anno expetere. Contra Elector: auxilio se paratum. Sed tandem aliqvando prætensionibus suis in Carnoviam, & alia Silesiæ loca satisfaciendum, circa qvas exæqvo transacturus sit. Ast Freitagius; istas prætensiones haut satis liqvidas, ac via juris, aut per compromissum decidi posse. Ac Cæsarem insuper facturum, qvæ grati animi lex reqvirat. Sed cum per talia Electoris scopus haut obtineretur, ea negotiatio aliqvandiu interqvievit. Veneti qvoqve per legatos suos Viennæ, & Lutetiæ Electoris militem auxiliarium expetebant. Sed hic respondebat: suo se milite carere non posse; qvem & longinqvitate viæ, ac cœli insolentia perdendum exponere nolit. Ac cum non ita pridem Elector ab iisdem per navarchum qvendam naves aliqvot certis oblatis conditionibus petiisset, is absqve responso dimissus fuerat. 1685.

§. 3. Hoc anno mors Caroli II. Magnæ Britanniæ Regis Europæ rebus non levem mutationem portendere videbatur, qvod successorem reliqvisset fratrem Jacobum Eboracensem Ducem, magnæ populi parti exosum ob sacra Romana, qvæ palam profitebatur; qvæ in Anglia, genio ejus religionis fines suos semper proferre ardentis, una cum imperio legibus soluto introducturus metuebatur. Unde etiam, qvanqvam is alias per communes Regni leges à successione excludi videbatur; tamen ut idem peculiari qvoqve Parlamenti decreto sanciretur, qvi receptis sacris, & publicæ libertati sub tali Rege metuebant, non parum hactenus laboraverant: sed qvorum conatus Caroli Regis in fratrem indulgentia elusit. Iste tamen cum huic inter extrema clavem secretioris conclavis tradidisset, monebat; ne alicubi impingeret. Scilicet qvia antehac aliqvoties pronuntiaverat, eum à pueritia gavisum fuisse destinata sua præcipitiis superstruere. Ei Regi, utut verbis Protestantium religionem professo, Lutetiæ in qvibusdam templis funebria ritu Romano facta fuerunt, velut is Catholicus mortuus esset. Cæterum ipse Jacobus primo ad Consilium Secretum alloqvio testabatur, præter multa alia id qvoqve falso sibi impingi, à se solutum legibus imperium affectari. Ast sibi propositum vestigia fratris, cui maximus in populum amor, legere, ac regimen status, atqve Ecclesiæ, prout hucusqve legibus constitutum fuerit, conservare. Nam scita Ecclesiæ Anglicanæ monarchico regimini favere, eiqve addictos fidem suam Regibus adprobasse. Leges qvoqve Regni ita temperatas esse, ut per eas Rex ad maximam, qvæ votis expeti qveat, autoritatem adspirare possit. Unde sicut ipse nunqvam jura, ac prærogativas Coronæ neglecturus sit: ita nec aliis sua jura erepturum, ac vitam, qvam antea sæpe pro hac natione periculo exposuerit, deinceps qvoqve conservandis ejus juribus impensurum. Memorabile est, Petrum Ronqvillum legatum Hispanicum inter prima officia veniam ab ipso petiisse, ut consilium aliqvod suggerere liceat; & cum Rex annuisset, dixisse: *Carolus Angliæ Rex moritur successore fratre Jacobo. 16. Febr.*

1685. xisse: *Valde se svadere, ne is Sacerdotibus aut aliis aurem præbeat, qvi ad mutationem circa sacra suscipiendam ipsum impellere conentur.* Et cum Rex subridens responderet; num idem in Hispania observatum fuerit, aut adhuc observetur? Ronqvillum regessisse; *ideo nostras res tam male se habere.* Camprichtus qvoqve Cæsareus Hagæ minister dicebat: *optandum esse, ne Jacobus Rex Apostolum, & conversorem gentis agere velit.* Nam, uti Skeltonus ablegatus Hagæ Anglicus pronuntiabat, æqve impossibile esse, ut Romani ritus in Anglia obtineant, qvam se Muhammedana sacra suscepturum. Ac dudum à prudentibus observatum, longe difficillimum, imo plane impossibile esse in Angliam id genus regiminis, & sacrorum, qvod in Gallia obtinet, introducere, qvod ab utroqve in universum genius nationis abhorreat; ac forte plurimi, qvem alias circa sacra teporem præ se ferant, eum exuturos, ubi considerarint, ad sacrorum mutationem exercitu opus esse, ac eandem potestatem, qvæ Regi arbitria religionis dederit, eidem parem facultatem in libertatem, ac bona civium daturam. In Gallia non nisi Nobilitatem, & Clerum aliqvo numero esse; qvos ubi Rex in suas partes pertraxerit, plebem facile contemni posse, qvæ non majus momentum in republica habeat, qvam fœminæ, & infantes. Contra primarium robur Angliæ in oppidanis, & agrestibus consistere, non minus elato spiritu ob abundantiam, & commoditatem, qva gaudent, qvam Gallica plebs per labores, & miseriam humo affixa est. Reges Galliæ potentes esse ob magnitudinem patrimonii regalis, ac multitudinem munerum civilium, & Ecclesiasticorum, circa qvæ absoluta ipsis disponendi facultas. Cum contra Angliæ Rex pauca munia conferre possit; & qvia veteribus Regum possessionibus renuntiavit, parare aut alere exercitum, nec vicinis bellum inferre qveat citra auxilium Parlamenti. Et si maxime exercitum ex Anglis compositum habeat, is nunqvam ad id efficiendum operam navaturus sit, qvod populo exosum, aut meticulosum esse qveat. Et cum Catholici in Anglia ne centesimam nationis partem constituant, à ratione abhorrere, uno cum homine nonaginta novem opinionum, ac ingenii diversos regere aggredi. Sed extraneus miles si modico sit numero inutilis fuerit, ac potius odium, & offensam populi irritaverit. Magnum autem numerum exteri militis in Angliam introducere, ibiqve alere difficile: qvin subjugandæ libertati, ac domandæ ferociæ nationis Anglicanæ minimum LX. M. bellatorum opus fore: cum Romani qvondam duodecim legiones, Normanni LXII. M. & Cromvellus extremo tempore fere LXXX. M. habuerit. 1685.

C'est pour cela, que nos affaires vont si mal.

§. 4. Apud novum Regem ut officio tali occasione solito perfungeretur, Elector Spanhemium Lutetia in Angliam se conferre jubebat; simul ut testaretur, Electori non displicere fœdus anno 1661 cum Carolo Rege initum renovare, & ad præsentia tempora aptare. Tum ut statum Angliæ nosceret, & qvantas ibi partes Monomuthensis habeat; qvicum alias sibi nil commercii sit. Nam nuper se eidem, ac Argatheliæ Comiti receptum in sua ditione negasse, Graio qvoqve jusso Clivia excedere. Insuper inter fermocinandum insinuaret, magno sibi dolori fore, si ipso imperante in Britannicis Regnis per publicas leges stabilitæ religioni aliqvid molestiæ patiendum sit; simul data occasione ei religioni addictis confirmaret; se, qvi nunc supremum caput Reformatæ Religionis in Europa sit, qvantum possit curæ pro ipsis gesturum. Spanhemio jussa exponenti Rex multam verborum humanitatem reponebat. De fœdere excusabat, non prius cum exteris rationes contrahi posse, qvoad proximo Parlamento domesticæ res probe dispositæ sint. Cæterum novus Rex eam se agendi rationem adhibiturum ferebat, ut nihil dissimulanter, aut timide faceret, sed recta via progrederetur, ac qvidqvid facere decrevisset, confidenter susciperet. Unde & statim ab initio sententiam suam circa sacra aperte profitebatur; ac credebat, solam suspionem de inclinatione in ritus Romanos parenti, ac fratri suo plus nocuisse, qvam si eos palam præ se tulissent. Idem prima Parlamenti allocutione verbo Regio confirmabat, se Ecclesiam juxta, ac Regnum in eo statu conservaturum, qvo nunc juxta leges Anglicanas reperiatur. Satis constare sibi, qvantam fidem Anglicana Ecclesia suo avo, patri, fratri, ac sibimetipsi præstiterit, sic ut nil causæ sibi sit, qvare eam religionem impugnet. Qvibus pollicitis delinitum Parlamentum omnia, qvæ is cupiebat, annuebat. Prudentes porro judicabant, non esse, qvare Jacobus Rex in Galliam proclivis sit, de ejus familia pessime merita, & è qva omnis calamitas in Angliam promanarit: ac Carolum I. ob conjunctionem cum ista demum caput amisisse. Carolum II. perpetuo discordem Parlamento egisse. Qvin Cromvellum à Gallo ante cæteros supremum Principem agnitum. Gallum qvoqve anno 1678 secretum

Electoris apud novum Angliæ Regem officium.

Argyle.

4. *April.*

12. *May.*

1685. fœdus opera Danbii Thesaurarii factum, 1685.
Danby. qvo Anglus promiserat, se cum XXX M militum in usum Hispanici Belgii conscriptis contra Gallos rem haut gesturum, Parlamento ostendisse. Vicissim, ut Regem in Parlamentum irritaret; isti itidem pactum cum Parlamento monstrasse, qvo hocce Gallo aliqvot loca Flandriæ promiserit, si hic isti contra Regem adsistere velit. Sed & Jacobi haut intererat, siqvidem Regem se Magnæ Britanniæ cogitare vellet, Galli potentiam glisscere; qvem & amicitia cum Gallo non poterat non populo suo suspectum reddere, velut qvi nil magis qvam bellum cum Gallia ardebat. Eam nationis suæ inclinationem qvo minus Carolus II sequeretur, Galli artibus effectum fuerat. Cum Parlamentum ante aliqvot annos Regi duos milliones librarũ Sterlinensium offerret, ut cum L M militum, C navibus bellum Gallo inferret; hic Anglo persvadere norat, Parlamentum eo duntaxat fine ipsum cum fidissimo amicorũ committere velle, ut interim turbidis occasio nasceretur in seditionem erumpendi, subtracta qvoqve Regi pecunia. Ac finxerant Galli epistolam qvasi ab Arausionensi scriptam, velut ipse ex compacto cum Anglis præsentia aversantibus Regem externo bello implicare studuerit, qvo iis occasio nasceretur turbas domi movendi, Anglicis copiis trans mare agentibus, & Gallo per Hispanicum bellum distracto, qvo minus isti succurrere posset. Qvam & rationem ipse Rex adducebat, qvare Hispanis auxilium negaret. Ita Jacobo in proclivi erat judicare, qvam sincero animo Gallus cum Angliæ Regibus agat, & cui fini is horum amicitiam affectet. Cæterum post Angli mortem Croissius ostendebat; placere Gallo, ut in eventum pactum ineatur de ejiciendis Germania Svecis, qvorum spolia inter Danum, Electorem, & Luneburgicos sint partienda; atqve istud data occasione exsecutioni dari posse. Ast Danus censebat, Gallo haut qvidqvam cordi esse ipsos à Svecis aliqvid adqvirere: sed eum tam potentibus fœderatis blandiri, eosqve in præsens sibi innexos retinere velle, qvod nondum constet, qvomodo res in Anglia successuræ sint. Luneburgicis autem haut placebat eo nomine vel cum Gallo, vel cum Dano qvid contrahere. Elector qvoqve id utiqve declinandum censebat non solum, qvod Luneburgicis parum cum Gallo, ac Dano conveniret: sed & qvia ejusmodi negotiatio præmature suscepta malum certo, sed non bonum effectum producere apta sit. Nam sine dubio talia ante tempus emanatura, ac fœderatis magnam invidiam apud plerosqve Principes excitatura. Adversam qvoqve partem contrariis se fœderibus munituram, ac forte data occasione id in prætextum belli arrepturam. Et qvia tam inopina rerum in Anglia mutatione res Protestantium tam funestam plagam accepisse videantur, qvalem à tempore reformationis non senserint; merito declinandum, qvidqvid Protestantes Principes inter se collidere qveat; aut qvod saltem ipsos districturum sit, qvo minus gravioribus negotiis, qvæ emergere possint, ex usu suo vacare qveant.

§. 5. Isthæc apud Anglos mutatio *Electoris ad Belgas legatio. 25. April.* præcipua causa erat, qvare Electori necessarium videretur Paulum Fuchsium in Batavos ablegare, ut qvid Arausionensi, ac Belgis circa eam videretur cognoscceret; simul tentaret, annon aliqvando suæ cum ea Republica controversiæ funditus componi possent. Nam qvia præcipuus nexus, qvo Elector huic jungatur, in sacrorum conformitate consistat, qvæ nunc magis, qvam unqvam antea premantur, & qvibus passim exitium intentetur; per Christianæ humanitatis legem se defugere non posse, qvo minus cum Belgis consultet, qva ratione oppressis subveniri qveat. Præterea eidem injunctum operam dare, ut qvod frigus hactenus inter Electorem, & Arausionensem è diversitate consiliorum intervenerat, penitus tollatur, ac pristinæ amicitiæ sinceritas instauretur. Nec minus, ut interna ejus Reipublicæ concordia reparetur. Qvia etiam Feuqvierius Madriti, ac Avauxius Hagæ exhibitis libellis Galli prætensionem in universam Hispanorum monarchiam palam professi erant in eum casum, si Regem Hispaniæ improlem oppetere contingeret; Arausionénsis, ac Belgarum super eo negotio sententiam cognoscceret, caute tamen, ne Gallo præmatura suspicio injiciatur. Additum erat; qvia nonnulli Arausionensem successionem tam liqvido jure fundatam clam solicitare non dubitabant; videret, ut Princeps filiis suis super ea caveret, ne tamen votum captandæ hæreditatis inde colligatur. Eo in itinere Fuchsius Coloniam transiens Beilsteinio Consuli de auxilio Electoris confirmabat inter turbas, qveis tunc civitas cum Præsule implicita erat: ac ita conveniebat, ut si opus sit, qvingenti milites protinus Vesalia urbi immitterentur. Consul vicissim testabatur, civitatem plus fiduciæ in Electore, utut sacrorum diverso, qvam in ullo Catholicorum collocare. Cum apud Arausionensem Fuch-

1685. 18. Maij Fuchsius jussa exposuisset, is à se in Gallum acta defendebat. Galli odium in ipsum exarsisse, qvod fœdæ paci Neomagensi se opposuerit, & Gallos post eam jam conclusam apud Montes Hannoniæ pulsaverit. Post pacem talia se sentisse, qvæ Gallum reuniones agitantem parum decuerint. Sed sui officii fuisse, circa se, ac fœderatos suos tutandos curam ponere; qvod nemini cordato improbetur. Post inducias fere consultationibus publicis abstinuisse, nec cuiqvam negotio, qvod Gallum tetigerit, sese opposuisse. Contra Gallum dimidiæ fere parti sui patrimonii in Gallica ditione siti manum injecisse, atqve ita hanc administrandam curare, velut ad se non amplius spectet. Et tamen cum ad Lotharingi modum secum agatur, à Gallo ultro qverimonias cieri. Et cum omnia sibi erepta sint, insuper à se exigi, ut pro acceptis injuriis gratias agat, ac veniam petat. Sed nunqvam sibi significatum, qvid demum à se desideretur. Et cum primis anceps esse sibi, inscia Republica cum Gallo tractationem suscipere; qvo ipso apud Belgas suspicione oneratus, consumta fide qvod restet fortunarum perditurus sit. Alias ultro testabatur, pacto qvod cum Princeps Nassovio Friliæ Gubernatore fecerit, nil contineri in fraudem filiorum Electoris, uti fama tulerit, nec id unqvam in mentem venisse; ac si Princeps iste tale qvid proposuisset, aspere à se repellendum fuisse: ac nunqvam se Electoris Domui injuriam illaturum; nec unqvam de testamento in fraudem ejus Domus condendo cogitasse. Contra Avauxius differebat: per sententiam judiciariam contra Arausionensem latam bonis ejus manus injectas; cui tamen facile fuisset eam molestiam declinare, si voluisset. Ast Beuningius Galli opes, Cæsaris, ac Hispani impotentiam, intestina per Germaniam, & Belgium dissidia, ancipitem Angliæ statum ita desperatum depingebat, qvasi nullus remedio locus superesset. Idem super Arausionensi differebat: constare qvidem eum de forma Reipublicæ mutanda non cogitare, qvod & supra vires ipsius positum sit. Sed modum, qvo negotia tractentur, non convenire cum fundamentis Reipublicæ, qvæ omnem violentiam adspernentur. Amstelodamenses usqve adeo de isto deprimendo non cogitare, ut potius persvasi sint, si in præsens istum deficere contingat, Reipublicæ ruinam certo secuturam. Eqvidem potentiam, & autoritatem, qva ampliore qvam majores sui gaudeat, belli tempore, & inter maximas Reip. turbas collatam: sed qvæ imminui absqve exitio Reip. non possit. Cæterum uti Galli varia per artificia divisionem in Rep. hactenus alere studuerant: ita Fuchsius ei tollendæ enixam operam navabat; qvæ & ob curam rerum Anglicarum insiguiter minuebat, qvibus magna mutatio ab irruptione Monomuthensis impendere videbatur. Huic vulgus qvidem Belgarum ob sacra favebant: sed proceres ad Regem fulciendum proni erant, ne hic alio qvam Protestantium auxilio superaret. Si enim idem apud Catholicos, ac peculiariter apud Gallum suppetias qværere necesse haberet, de sacris Protestantium in Anglia actum videbatur. Enimvero Monomuthensis male digestis ausis excidebat, de qvo & Avauxius pronuntiaverat; *longe aliud Arausionensi caput, qvam isti esse.* Idem Amstelodami Argathelio, & Graio promiserat, ubi in Angliam adpulerit, non Regem se, sed tantum defensorem religionis, & libertatis velle proclamari. Ast is statim atqve in terram exscendisset, Regem se declarari jusserat; id qvod rebus ejusdem plurimum nocuit. Circa residua subsidiorum magna difficultas erat, qvod Belgæ hoc exemplo aliis qvoqve ansam præbere nollent paria exigendi. Pervicit tamen Fuchsius sua dexteritate, etsi maximo cum labore, ut nomine pensandi damni, ne aliis subsidiorum reliqva exigentibus ad hoc exemplum provocare liceret, Electo. qvadringentaqv adraginta uncialium millia darentur.

Fœdus inter Electorem & Belgas renovatur.

§. 6. Ejus fœderis tunc per Fuchsium confecti summa capita hæc erant. *Renuntiat Elector prætensioni in Belgica subsidia, ac eorum revocationem à Belgis anno 1676 factam comprobat, quo bi cæteris residua exigentibus negare possint. Sed ob damna, qvæ Elector in Clivia, & Westphalia, & ab irruptione Svecorum in Marchia passus est, tum ob alias minutas prætensiones, ac ab navem à societate India Occidentalis ad litus Africæ societati Brandenburgicæ abreptam, Belgæ per æversionem solvunt CCCCXL M unciales, & qvidem CL M intra mensem à ratihabitione; reliqva decem sequentibus annis, in singulos annos XXIX M. Qvo ipso omnes istæ prætensiones abolentur. Fœdus anno 1678 initum porrigitur usqve ad diem 8. Martii anno MDCC. Qvod si iterum turbæ exsurgant, aut imminere metuantur, partes mature consilia conferent, qvid facto opus sit iis avertendis, & tuenda utriusqve saluti. Denique ne qvid amplius collisionis existat inter societatem Electoris Guineensem, &* 4. 23. Aug

1685. *Belgicam Indiæ Occidentalis, placet per utrinqve delegatos conventionem inire, qva uterius-qve societatis possessiones firmantur.* Is tractatus qvo minus perficeretur, Avauxius complures dies Amstelodami egerat, nullo successu.

Dani ex eo fœdere suspiciones. 26. Aug.

§. 7. Ex hac porro negotiatione Daniæ Rex non modicam suspicionem concipiebat, cujus hasce rationes adducebat; qvod Gallus sibi persvasurus sit, Electorem ad alia consilia verti, partibus plane desertis; præsertim cum Fuchsius Arausionensis favore usus sit ad negotium pervincendum; cujus autoritas ex eo augenda sit, adversis partibus demum plane collapsuris. Qvia etiam Magnus Poloniæ Cancellarius in Galliam proficiscatur, instaurandæ, uti fama sit, veteri inter Gallum, & Polonum amicitiæ, posse Electori per Polonos auro Gallico corruptos negotium facessi. Suspectum qvoqve sibi esse, qvod Gallus Picqvetierum hominem astutum Holmiam miserit; & qvod Belgæ statim absoluta cum Fuchsio tractatione arctum fœdus cum Sveco inire decreverint. Unde metum esse, ne ipse solus fœdere Gallico innexus destituatur, reliqvis omnibus in diversas partes transeuntibus. Ast Elector Regi declarabat; nil se novi fœderis cum Belgis concluisse, sed tantum diu agitatas actiones ad liqvidum deduxisse; ac se subinde Danico ministro de Fuchsii negotiatione communicasse. Fœdus mutuæ defensionis ad finem hujus seculi porrectum esse vetus negotium, nullius offensam spectans; qvod & obstare non possit, qvo minus ipse cum Daniæ Rege, aliisqve inita fœdera servet. *5. Sept.* Ad qvæ Dani reponebant: Sibi nil plane diffidentiæ de Electoris sinceritate esse. Etsi optarint, de eo sibi juxta pacta communicatum, ac tractatum commerciorum à se cum Belgis concluisum, prius ratihabitum fuisse, circa qvem hi nunc tergiversentur. Cæterum dolere sibi à Gallo suspicionem ex hoc fœdere concipi, velut per qvod fœdus anno 1678. contra ipsum directum renovatum fuerit, ac Electorem paulatim in partes Cæsaris vergere. Nam metum esse, ne Gallus alia consilia ineat, ac per pecuniam & artes alia fœdera affectet: qvin plane Sveciæ se iterum innectat, qvæ pauper, ac pecuniæ avida sit: ac Benedictum Oxenstiernam palam jactare, Regi suo integra omnia esse, ac posse eum licitantibus sat caro sese addicere.

La Picqvetiere.

Cum Gallis super

§. 8. Ast Galli aperte indignationem super eodem fœdere apricari. Qvibus Elector per Spanhemium demonstrari jubebat: nunqvam sibi in mentem venisse à fœderibus cum Gallo, & Dano initis discedere, aut ad aliqvid se obstringere, qvod istis adversari, aut se impedire qveat, qvo minus promissa implere valeat. Gallum invidere non posse, à se cum Belgis super prætensionibus transactum, præsertim cum iste harum præstationem certo modo promiserit, eoqve ad eas pervincendas obligatus fuerit. In ipso qvoqve tractatu ne verbum qvidem esse, è qvo siniistri qvid extorqveri possit. Nec novi qvid conventum, sed antiqvum duntaxat cum ea Republica fœdus continuatum: qvod uti hactenus conjunctionem cum fœderatis non impedierit, ita nec id deinceps futurum. Ac istas *4. Sept.* demonstrationes Croissius initio sat æqvum se ostendebat, ac articulum qvartum, (qvo conveniebatur, ut ortis novis turbis inter se consulterent,) in Galliæ qvoqve favorem explicari posse. Sed post Avauxius retulerat, longius processum fuisse, ac fœdus cum Belgis anno 1678 initum confirmatum, qvo tempore Elector adhuc Galliæ hostis fuerit. Unde id simul subsistere non posse cum fœdere, qvod Electori cum Gallia intercedat. Nam Belgico tractatu caveri, ut Elector, & Belgæ sibi invicem terra, mariqve adsistant contra omnes, qvi alterutros invasuri sint. Ex qvo consequatur, ut si bellum inter Galliam, & Belgas surgat, Elector qvoqve eidem per Belgas contra Galliam implicandus sit; qvod facile sit prætextum invenire, ut qvis invadi se qveratur, si maxime ab ipso aggressio coeperis. Sed si inter Gallum, & Hispanum turbæ oriantur, in qvarum partem Belgæ veniant, Electori qvoqve in Belgarum partes concedendum, vi tractatus, qvi recentior sit eo, qvem Elector cum Gallo habeat. Esse autem Hispanos per naturam Galliæ hostes, eoqve cum utriqve simul fœdus stare non posse. Ac num Electori placiturum fuerit, si Gallus ipso insciо fœdus cum Svecis renovarit? Atqvi qvod Electori Svecos, id Gallo Belgas esse; præcipue ob Arausionensem, qvi acerbissimo in Galliam odio flagret, eiqve qva possit nocere qværat. Deniqve cum Belgæ pecunias numerent, qvi nil gratis dare soleant, sine dubio secretos articulos subesse. Unde Regem nosse velle, qvid ab Electore sibi expectandum sit, qvo mature consilia sua digerere possit. Sane haut obscure pellucere scopum fœderis, ut cum aliis Principibus conjunctio fiat impediendis Galliæ incrementis. Sed & de tractatu in antecessum cum aliis fœderatis haut communicatum. Ad

1685. *eo fœdere disceptata. 28. Aug.*

ista

1685. ista repositum: Eum tractatum plane innocentem esse, ac per inducias utiqve necessarium fuisse cum vicina Republica, qvicum tot sibi communes rationes sint, fœdera renovare. Eo ipso tractatu inducias firmari Galliæ tam lucrosas. Fœdus anno 1678 initum, qvo tempore jam pax inter Gallum, & Belgas fuerit, qvo & expresse cautum sit, ne idem prius vim suam exseraret, qvam post pacem cum Gallo conclusam. Belgas nullo modo ut hostes Galliæ considerari posse, ac à se hactenus acta Gallo sat cautionis de constantia sua præbere. Nil qvoqve freqventius esse, qvam fœdera mutuæ defensionis cum pluribus habere. Cum anno 1666 mense Februario Monasterienſis cum Belgis tractaret, hos inter alias eam qvoqve conditionem stipulari voluisse, ne Præsul in futurum ipsis ignaris, & non consentientibus fœdus iisdem ingratum inire posit. Ast Colbertum, qvi ei tractatui intererat, in eam conditionem consentire noluisse, tanqvam libertati Principum Germaniæ repugnantem. Atqvi nunc Gallum à se exigere velle, qvod antea à Præsule exigi injustum duxerit. Demissione, ac negotiatione Fuchsii subinde Gallicis, ac Danicis ministris communicatum. Deniqve Belgas nil pecuniarum prius solvere voluisse, qvam constaret, amicus an hostis ipse velit esse: unde renovationem fœderis cum iisdem declinari hant potuisse.

Electoris ulterior declaratio. 28. Sept.

§. 9. Ast his non contentus Gallus per Rebenacium presiorem declarationem super eo fœdere expetebat, ac ne Elector id ratihabitione firmaret, repetitis supra adductis rationibus. Adqvæ Elector: *Eo magis id postulatum inopinum sibi videri, qvod nil ejusmodi meritum se norit. Qvin contra toto orbe teste se non solum fœdus cum Gallo impleviſſe, sed & ultra debitum feciſſe, ac non parum offensæ, atque invidiæ apud multos contraxiſſe. Novissimo cum Belgas tractatu nil admissum fœderi Gallico adversum. Nam tractatum anno 1678 initum eo tempore, qvo Belgæ jam peculiarem cum Gallo pacem agitabant, qvæ tunc pro perfecta habebatur. Ratihabitionem qvoqve permutatam, qvando negotiationi inter Gallum, & Belgas jam jam summa manus imponenda foret. Eodem expresse cautum, ne id prius valeat, qvam post bellum finitum. Qvam ob exceptionem sibi qvoqve à Belgis nil auxilii latum, utut integrum adhuc annum cum Gallis in bello persisteret. Esse porro id fœdus mere defensivum, qvale majores sui à plurimis retro annis cum ea Republica coluerint in nullius fraudem, aut offensam: nec ullum verbum isto contineri, qvod in eum sensum trahi qveat, ni violentis interpretationibus indulgere velimus. Istud non impediisse, qvo minus Elector cum Gallo unum & alterum tractatum fecerit, ac sine qverela servarit; nec contra idem unqvam exceptionis qvid oppositum. Eundem per triennium adhuc fuisse duraturum, si maxime nunc renovatum non fuisset. Unde frustra dici, novi qvid factum, aut statum rerum immutatum. Eqvidem occini articulum V. fœderis anno 1681 initi, cui Galli ejusmodi sensum tribuant, qvasi Elector ex eo cura exceptionem teneatur partem capere in omnibus litibus, qveis Rex implicari qveat, eique in omnibus bellis, etiam ubi idem aggressor sit, auxilia præstare; eoqve ipsum non potuisse Belgis auxilia permittere, ubi hi à Gallo invadantur. Enimvero sibi, neqve dum id fœdus Gallicum formatur, nec deinceps de ejusmodi laxa interpretatione in mentem veniſſe. Qvin è tenore totius tractatus adparere, eundem à se brevi post interceptum Argentoratum initum, ac unicum sibi scopum fuisse Gallum permovere, ne ulterius in Germaniam irrumperet, neu ad tutandas recens rapta eam bello invaderet, sed potius amica tractationi locum concederet: idqve eo magis obtineri poterat, si Gallo suspicio admoveretur, velut & ipse partes huic adversas sumere vellet. Atqvi si iste tractatui eam latam interpretatio, qvam Galli velint, detur, id absurdi inde consecuturum, eundem tractatum offensivum esse; se aqve ac Regem renuntiasse facultati ulla fœdera defensiva ineundi; imo à se Imperio, ac aliis fœderatis, & cognatis suis, si à Gallo invadantur, nil opis ferre posse. Esse qvoqve id fœdus recvprocum, ac in eo Gallum tantundem Electori, qvantum hic iste promittere. Atqvi cum de invadendo Sveco ageretur, Gallum non solum directe contra istum auxilia ferre abnuisse, sed ne qvidem si ob illata Sveco arma Elector à Cæsare, Polono, aut Belgis impeteretur. Unde tunc ne Gallis qvidem de eo sensu istius articuli in mentem veniſſe, qvem nunc comminiscantur. Se qvoque interea temporis complura fœdera feriisse non solum cum Dano, Colonienſi, Monasterienſi, sed & aliis fœdera Austriaco innexis, Saxone, Hanoverano, totaqve Brunvicensi domo, qvæ & Gallo communicata sint, nil contra obmoventi. Qvin se fœdere Gallico sibi reservasse facultatem Imperio assistendi, si invadatur; id qvod fieri neqveat, si articulus iste ita laxe porrigendus sit. Unde sibi per fœdus Gallicum utiqve integrum fuisse, fœdera inuexia ad sui securitatem in nullius offensam, & fraudem concludere. De triplici fœdere cum Anglo, aliisqve nil*

1685.

1685 nil sibi constare, vaqve inania commenta esse. Injuria qvoqve Gallum ob non factam communicationem queri. Fuchsium sane antequam Haga discederet, Avauxio de eo significasse. Qvin cum haut moris sit tractatus communicari ante ratihabitionem, ante qvam vim obligandi non habeant: se tamen statim atque tractatum Belgicum acceperit, eum à capite ad calcem Gallico, & Danico legato prælegendum turasse, ubi ratihabitus fuerit scripto exemplo tradendo. Cæterum post novissimam pacem Gallo cum Belgis parum convenire, sibi ignotum; ac universo orbi adparuisse, istum cum his bonam pacem, atqve amicitiam excolere. Eam qvoqve Rempublicam ex genio sui status, ac notam domi constitutionem ab inferendis Galliæ armis longissime abesse. Qvo minus dubium sibi fuerit, fœdus defensivum, qvod sibi cum eadem fuerat, instaurasse: præsertim cum inter suam Domum, & istam ob siteum ditionum, ac plures alias rationes naturalis conjunctio sit, ac ab initio ejus Reipublicæ octoginta amplius annos constanter culta sit. Qvam & deinceps non posse non alere, nisi propriis in rationes impingere velit. Arausionensem Gallo parum amico uti, & qvibus de causis toto orbi notum: ac se confidere, Regem pro æqvanimitate sua haut improbaturum, si cum Principe tam conjuncto ipse amicitiam colat, cujus hæredes præsumtivi filii sui existant. Unde & se adversus detentionem terrarum, ac bonorum ejus Principis semper protestari, ac liberorum suorum jus salvum conservare necessarium duxisse. Qvemadmodum igitur ipse hactenus fœdera cum Gallo non exacte solum servarit, sed & plus qvam ea requirant, præstiterit, ipso Rege non semel testante; ita deinceps qvoqve bonæ fidei præstiturum, ad qvæ ex istis teneatur. Se Galli amicitiam merito magni æstimare, qvam & conservare sibi cordi fore. Eo majori sibi dolori esse Regi de innoxio fœdere tam sinistram opinionem per male fundatas Avauxii relationes inditam. Qvæ causæ istum ad talia impulerint, in medio se relinqvere. Saltem ex inanibus ista suspicionibus provenisse; ac qvæ de secretis jactentur, manifesto falsa esse. Sperare igitur, Regem pro sua prudentia inania à solidis discreturum, hisqve rationibus fidem adhibiturum, ac sinistra opinione exuta ex sua qvoq; parte conventa servaturum. Isthæc si locum non inveniant, aliter se judicare non posse, qvam querimoniarum ansam arripi, ac fictis criminationibus in suspicionem se trahi. Sane ejus rei specimen nuper à legato Gallico Hafnia datum, qvi sparserit, à se Rucqvium Viennam missum ad fœdus cum Cæsare contra Galliam concludendum, nullo alio commenti fundamento, qvam qvia iste olim in Hispania fuerit, eoqve Gallis parum faveat. Cum tamen notum sit, eum unice ob litem qvæ Martiburgensi cum Saxone intercedat, Vienna esse. Contra esse sibi justam qverendi causam, qvod à Gallis multa suscipiantur fœderi inter ipsos repugnantia. Sic navem nostram Æthiopis vocabulo in flumine Gambia à Gallis abreptam, super cujus restitutione tot difficultates moveantur. Sic adversus inducias, pro qvibus ipse sponsionem suam interposuerit, multa à Gallis patrata audiri, ac inprimis circa sacra non pauca mutari, ac nominatim Germersheimi, & in Bipontina ditione; cum tamen promissum sit, omnia circa sacra, & civilia in statu per pacem Westphalicam definito relictum iri, qvibus à Rege remedium allatum iri spes sit. Denique ratihabitionem tractatus Belgici non amplius inhiberi posse, qvæ jam facta sit; & cum nemini injuriam faciat, qvi jure suo utitur, Gallum haut ægre laturum, qvod ipse fecerit, qvæ facere integrum erat, nec ultra id à se qvidqvam desideraturum. Ista Spanhemius qvæsito peculiariter alloqvio Regi exponebat; qvæ hic æqvo animo accipere visus est, addito; se confidere, Electorem haut recusaturum scriptam declarationem dare, qvalem Rebenacius propositurus sit. Croisius autem etsi solidi qvid ad ista qvod reponeret non habebat; haut eo minus arguebat, eo fœdere Belgarum consilia fuisse alterata, præcipue Amstelodamensium, qvibus hucusqve decretum fuerit, uti Gallicum fœdus abnuerint, ita & aliorum Principum fœderibus abstinere declinandæ suspicioni. Ast post renovatum cum Electore fœdus decrevisse cum Anglo qvoqve tractatum instaurare. Ac certum esse, per Electorem non stare, qvo minus triplex fœdus inter ipsum, Anglum, & Belgas ineatur; ac vulgo credi, istud fœdus hujus principium fore; ac Electorem mutatis partibus alias rationes cum Cæsare, & Hispanis initurum, qvibus & Belgæ illigandi sint. Præsertim cum Arausionensis nil magis qværat, qvam ut Gallo hostes excitet, ac rem ad bellum deducat. Cæterum Fagelius dicebat; ab Electore honestius, ac generosum magis responsum dari non potuisse. Et ex iis, qvæ à Gallo moveantur, non obscure colligi, qvo hicce tendat, & qvid Belgis sperandum, aut timendum sit. 1685.

§. 10. Porro à Rebenacio Electori ejusmodi formula declarationis, qvam Rex ab eo exigeret, proponebatur. *Suam Serenitatem Electoralem non sine animi perturbatione intellexisse, certos homines privati emolumenti ductos, ut amicitiam inter* *Elector declarationem qvalem Gallus vult, recusat.*

1685. *Suam Mtem Christianissimam, & Istam stabilitam interrumpant, laborasse istam suspectam reddere, dum in sinistram partem quasdam actiones interpretantur, ac per violentos, & corruptos sensus inde sequelas trahunt, ejusdem intentioni, simul utilitatibus dictæ Majestatis contrarias. Cum autem S. Ser. Electoralis singulari studio desideret honorem regiæ benevolentiæ, atque amicitiæ servare, ac prævenire omnia illa, quæ alterare possint fiduciam, quam S. Mtis in eadem collocare placuit: igitur Illa declarat hoc scripto, quod sua intentio semper fuerit, & adhuc sit, sancte ac sine exceptione observare omnes obligationes, quas è fœderibus cum Sua Mte Christianissima contraxit, non obstantibus quibusvis obligationibus, quibus Ea se cum aliis Potentiis sive per novos tractatus, sive per renovationem veterum induit. Eadem quoque declarat, ac se obstringit, quod in posterum cum nemine, quisunque is sit, ullas rationes inire velit, quæ dim tractatuum ab Ipsa cum Sua Mte conclusorum debilitare queant, aut istis directe vel indirecte adversentur, non facta prius communicatione, ac obtento dictæ Suæ Mtis consensu.* Addebat Rebenacius, si Elector eam declarationem abnuat, Regem non solum subsidia inhibiturum, sed & alia consilia capturum. Ac sibi mandatum ad Luneburgicos proficisci, & arctiores cum istis tractatus suscipere. Non poterat non Electorem isthoc postulatum gravissime protelare, cui si obnixe insistat Gallus, videbatur ipsius se fœdere exsolvere velle, ac rixæ ansam quærere. Sane ejusmodi declarationem sibi noxiam juxta, ac ignominiosam, velut qva juri tam illustri fœderum renuntiaturus erat, ad clientelarem Galliæ conditionem redactus. Ac toti orbi ludibrium debiturum, ac tam feliciter partam gloriam, qvam hucusqve magis qvam vitam conservare studuerit, maculaturum, si qvod præsidio assumtum fuerat, fœdus in servitium verti pateretur. Eqvidem non deerant rationes, ob qvas ejusmodi declaratio haut recusanda videri poterat. Satisfieri hoc modo Regi, ac omnes suspiciones hac tempestate inutiles tolli. Electorem per eam nil novi promittere, sed tantum, qvæ jam verbis, & scripto obtulerit. Si declaratio his verbis, qvæ Regi jam exposita sint, fiat, Electori incircumscriptam facultatem permanere rationes suas, & officium erga Imperium, & in alios amicos, ac fœderatos pro captu temporum observandi, ac inprimis inducias præstandi. Per eandem varia destinata Electori noxia, ac peculiariter qvæ cum Brunsvicensibus agitentur, sustlamiari. Forte & Cæsarem Electori circa postulata sua uberius satisfacturum, qvam si evulgetur, amicitiam ipsius cum Gallo refrixisse. Qvod & circa eam satisfactionem valeat, qvam Elector ab Imperio, & Hispaniis prætendat. Ast majoris ponderis habebantur rationes, qvæ in contrariam partem adferebantur. Electorem haut agnoscere ullo modo à se fœdus cum Gallo violatum, ac non solum omnia objecta solide diluisse, sed & per ministros jam declarasse, se fœdus constanter continuaturum, nec qvid contra facturum. Unde nulla ulterius declaratione opus esse. Qvia porro Gallus testatione verbis facta haut adqvievit, sed utiqve scripti qvid desiderat; videri hoc ostenso fœderatos suos confirmare velle, prout & Colonienſis eam valde urget. Id qvod evulgatum Electori multis modis nocere possit. Et qvanqvam Rebenacius secretum promiserit, tutissimum tamen fore nil scripto edere, qvod fraudi esse qveat; cum istud ab ejus libidine pendeat, qvi scriptum id manibus tenet. Uti porro Elector hac declaratione plane ad Galli se placitum compositurus fuerit; ita eandem adversæ parti, ubi innotuerit, non posse non magnopere displicere. Atqvi res humanas vicissitudini obnoxias, & qvia adhuc dubium, cui parti Anglus sese additurus sit, qvi ad æqvilibrium Europæ plurimum collaturus videtur, jam circa tractatus circumspecte admodum procedendum. Sane Viennæ victoriam ejus adversus Monomuthensem magna cum lætitia exceptam, qvod sperent, eum, ubi res domi composuerit, ingens momentum communi causæ contra Gallum additurum. Inesse qvoqve huic declarationi gravem obligationem, prout ea à Gallo capitur, ademta libera facultate fœdera ineundi, qvæ præcipua pars supremi imperii habetur. Electorem sese obstringere potentissimo Regi, qvi interpretationem pro lubitu facere possit. Si Elector deinceps vel minimum qvid suscipiat, qvod Gallo displiceat, eam declarationem pestilentissimum fore instrumentum adversus eundem adhibendum, ubi in infensa erumpere placeat. Si fœdus ad placitum Galli explicandum sit, in offensivum id abiisse. Et qvia obligatio reciproca sit, Gallum non minus sibi qvam Electori facultatem ademisse cum ullo vicinorum fœdus mutuæ defensionis inire, aut continuare. Id qvod citra absurditatem dici neqveat. 1685.

§. 11. Qvia tamen tunc non expediebat in apertum dissidium cum Gallo erumpere, Electori placuit literas ad istum dare hoc

Electoris literæ ad Gallum. 16. Oct.

1685. hoc sensu. *Post tam solicitam curam circa exacte implendum fœdus cum Rege à se adhibitam nil acerbius sibi accidisse, quam quod nunc perspiciat, adversum sibi impingi; & cum eo nomine gratiam expectarit, quam & Rex hucusque subinde promiserit, nunc male fundatis suspicionibus se se onerari. A pluribus vero annis multas se querelas, atque exprobrationes tolerasse, quasi nimio studio pro emolumentis Galliæ certarit, ac ipsos fœderis limites migrarit. Nec dubitare se ad ipsius Regis judicium provocare, semper sibi bonam, ac justam intentionem fuisse. Et tamen hominibus maleferiatis, aut malevolis plus facultatis fuisse ad destruendam confidentiam, quam de bona sua fide haberi par fuerit; quam tot illustribus documentis, quæ in oculos totius orbis incurrerint, ad eandem conservandam. Commiceretos homines Regi persvadere, tractatum, quem ipse nuper fecerit, aut potius renovarit cum Belgis, adversa continere fœderi, quod sibi cum Rege sit. Id falsum esse, solidis se rationibus Regi, ejusque ministris demonstrasse, ac vim inferri verbis, atque argumento ejus tractatus, ac magis adhuc sue menti, cui nunquam alius scopus fuit, quam existimationem bonæ fidei illibatam servare. Ex eo sperare se potuisse plenam extinctionem suspicionum, qua ipsum delatores onerare sustinuerint. Et tamen nunc à se exigi declarationem, verbis ita duris, & indecentibus conceptam, ut ipse illaso suo honore eam dare non possit, quem multo exactiore cura, quam vitam hactenus conservare laborarit; ac ut non sibimet adimat nobilissimam suprema imperii partem, seque ipsum damnet fœdissimi flagitii, quod in generosam animam cadere possit, fidem, ac verba sua non implevisse. Unde spem sibi esse, Regem pro justitia sua fidem adhibiturum iis, quæ ipse per suos ministros debito modo hic, & alibi demonstrari curarit, & quorum summam nunc repetere non dubitet; nempe nunquam sibi in animo fuisse aliquid facere adversus fœdera cum Rege inita, ac in nuper cum Belgis renovato, meram defensionem spectante, tale quid haut magis reperiri, quam in aliis defensivis fœderibus, quæ plura post fœdus Gallicum ipse inierit. Ac denique se haut omissurum, quamdiu Regi placeat, amicitiam cum ipso pari sanctimonia, & exquisita cum cura ut hactenus colere. Ea omnia esse, quæ bona fides dicere queat, quam ipse profiteatur, & quæ pluris sit, quam omnes declarationes, quæ à se exigi queant.* Eas literas cum Spanhemius Croissio redderet,
30. Oct. hic dicebat, eas Regi quidem, ac sibi satisfacere posse. Opus tamen esse declaratione, quo aliis aulis opinio eximi queat, quam è tractatu Electoris cum Belgis haut serint. Ac si formula à Rebenacio exhibita dura nimis videatur, aliam concipi posse verbis simplicibus, & dignitatem Electoris non lædentibus; quod fœdus cum Belgis ipsum obstricturum non sit, quo minus deinceps uti hactenus fœdus cum Gallo observet. Addebat, jus defensiva fœdera ineundi haut longe nimis porrigendum. Nam tot eorum cum aliis fieri posse, ut ejus, quod cum Rege initum sit, effectus elidatur. Et quomodo Electori placiturum, si Rex cum Svecis fœdus renovet; quibus Elector non magis fidat, quam Rex Arausionensi? Enimvero Electori valde mirum videbatur, tot testationibus verbo, ac scripto factis Gallum non adquiescere, sed utique scriptam declarationem exigere, quæ aliis ostendi possit. Eoque Spanhemio injungebat, ut è Gallicis ministris exquireret: num tam multiplicibus à se factis declarationibus adquiescere, ac vicissim quæ fœdus exigat, præstare velint? Nam sibi utique constare oportere, quid à Gallo expectandum sit, quo consilia sua pro captu disponere queat, quod inter incerta agere sibi haut expediat. Mox tamen Gallus literis
22. Nov. fiduciariis ad Rebenacium missis eum testari jubebat de æstimatione, qua ipse Electorem prosequatur, ac uti cum hoc amicitiam continuare cupiat. Ad quas Elector decore respondebat, denuo repetens, se
25. Nov. per fœdus Belgicum, quod cum initio hujus seculi cœperit, nil infensi Gallo moliri, ac factum cum ipso fœdus sancte observaturum. Ita cum Elector reipsa satis declarasset, quæ Gallus postulaverat, sed ad ejusmodi formulam adstringi nollet; demum Rex Electori scribebat: se ipsius literis ad-
14. Dec. quiescere, amplis verbis de continuanda cum eodem amicitia testatus. Solicite laboraverat Daniæ Rex, ut amicitia inter Gallum, & Electorem persisteret. Ac svadebat iste Electori, ut isthoc dissidium molli ratione componat, nec in superfluam collisionem erumpat; præsertim cum ipsi de altera parte nondum cautum sit, ac altioris indaginis quæstio emergat, an Cæsar, qui tantos progressus in Hungaria faciat, adhuc potentior reddendus, an vero potius æquilibrium inter Cæsarem, & Galliam tenendum? Alias se quidem imperiosum agendi modum à Gallo adhibitum probare non posse, sed eum plane à ratione alienum judicare. Sperare tamen Electorem pro consummata sua prudentia ad extrema haut processurum, sed idonea temperamenta inventurum salva existimatione id factum emolliendi. Nam subitas mutationes esse periculosas, ac amicitiam Gallicam

1685. cam non parum ipsis ambobus autoritatis circumponere. Revera Danus metuebat, ne Elector in diversas partes transiret, qvod ipse in Gottorpiensi causa solo Galli, & Electoris favore niteretur, ac Cæsari, Belgisqve, & aliis diffideret. Præsertim cum Samuel Rachelius Ducis ablegatus Ratisponæ Verjo proposuisset, ut Gallus abdicato Dani, atqve Electoris fœdere, Sveco iterum se innecteret, ac Ducem restitueret; qvo facto hunc XM militum suis sumtibus in usum Galli sustentaturum. Qvæ oblata Verjus rejecerat obtentu fidei a Rege datæ, qvam inviolabiliter huic servare cordi sit.

Gallus multa contra inducias facit.

§. 12. Enimvero subinde graviora à Gallo movebantur, qvæ Germaniæ Princeps, cui patriæ, ac propria conservatio curæ foret, dissimulare haut poterat. Nam non contentus tantis emolumentis per inducias partis, longius semper ad gangrenæ instar grassabatur. Inter alia qvæstor Gallicus Lutzenburgi literis ad decuriones Trevirenses scriptis eos qvadringentos aureos annuos poscebat, qvos ea urbs protectionis nomine Regi tanqvam Duci Lutzenburgico debeat, adjunctis minis de violenta exsecutione. Id postulatum Electorem valde irritabat, utpote qvod fidei à Rege sibi datæ repugnabat; ac Rebenacio citra ambages declarabat; si Rex hoc modo latius grassari instituat, se primum fore, qvi vim opposituras sit. Trevirensis qvoqve eam protectionem à Rege Hispaniæ velut Lutzenburgensi Duci nunqvam recognoverat, multo minus vel teruncium eo nomine solverat. Ac per sententiam Rudolfi II. Cæsaris, qva Trevirorum civitas abjudicato statu immediato provincialis declarata fuerat, omnes in fraudem Archiepiscopi tanqvam domini territorii susceptæ actiones abolitæ fuerant. Eo nomine cum Elector in Gallia qvereretur, Croissius excusabat, ex errore admissum, ac qvæstorem proprio ausu id fecisse. Sed & Galli in locis reunitis multa circa civilia, ac sacra navabant. Magister qvoqve Ordinis Teutonici qverebatur, Gallum aliqvot Commendas in Alsatia ad Teutonicorum Eqvitum ordinem spectantes Hospitali Divi Lazari Lutetiæ adplicuisse. Qvæ ut emendarentur, Elector apud Gallum instabat. Ast hic etsi post mortem Regis Angliæ per unum & alterum annum qviescere decrevisset, qvoad novum Regem rationibus suis penitus illigasset: tamen ne in omnem eventum prætextum infensis machinationibus deesset, ultro suspiciones, & metus fingebat, qvod negotium de regundis finibus, & guarantia induciarum Ratisponæ lente procederet, nec de ordiendis super æterna pace tractatibus moveretur; velut Cæsar qvantum possit pacem cum Turcis properet, tota inde vi Galliam petiturus. Sed & legatus Gallicus Chivernius Viennæ qvestus tuerat, de Belgio Hispanico in Bavarum transferendo agitatum fuisse, cujus sponsa cum multis prætensionibus in favorem Archiducis renuntiasset, Bavaro eas provincias destinatas, ut is atqve Imperium æterno cum Gallia bello implicaretur. Sed qvia Hispanus fidem super Belgio in Bavarum transferendo datam liberare non possit, jam de hoc in Regem Romanorum eligendo agitari. Qvæ machinationes, uti & continuationem fœderis Laxenburgici, qvod Arausionensis, Waldeccius, & Burgomagnus legatus Hispanicus cuderit, testentur, hoc anno post finitum bellum Turcicum istos Galliæ arma illaturos. Gallum contra, qvi de his omnibus exacte edoctus sit, sua qvoqve consilia pro re nata disponere. Interim inducias sancte servaturum; & qvia Elector ad eas tantum contulerit, Regi persvasum esse, eum pro sua autoritate violentis consiliis sese oppositurum. *Chivern. 10. Maij.*

§. 13. Sed & plurimum ad refrigerandam cum Gallo amicitiam faciebat mors Caroli Electoris Palatini, super cujus hæreditate per Elisabetham Charlottam defuncti sororem Philippo Arausionensi Duci nuptam controversia movebatur. De istius morte nuntius aulam Viennensem non parum consternaverat. Etsi enim Cæsarei alias incrementis religionis Catholicæ, ac Neoburgicæ Domus lætarentur; metuebant tamen, ne Galli sororis prætensionem circa allodialia justo longius porrigerent, ac maluissent istum ad finem usqve belli Turcici vitam produxisse. Sane circumspectus alias vir Chivernius non poterat sibi imperare, qvin Sverino diceret; jam Protestantium partes conclamatas esse. Cui sane hic annus fatalis videbatur morte hujus Electoris, Eboracensis in Regno Angliæ successione, & Reformatorum in Gallia persecutione. Nec vero Cæsareos suus metus fefellit. Eqvidem qvin Neoburgico dignitas Electoralis, ac ditio ad hanc proprie spectans competeret, Galli in dubium non vocabant. Sed & Elisabetha Charlotta cum sponso Aurelianensi connubialibus pactis omni juri successivo in omnia bona feudalia paterna, ac materna, in Germania sita renuntiarat, ac tantum jus in feuda extra Imperium, & allodialia sibi reservarat. Ast nunc ista ex intestato petebat non so- *Obsessionem Palatinam ineunt. 24. Maij.* *A Dom. præsentem de partibus Protestant.*

1685. lum omnia mobilia, ſub qvibus machinas qvoqve bellicas comprehendebat; ſed & oppigerationes, qvas Electores Palatini poſt conditam Auream Bullam adqviſiverant, ac nominetenus Oppenheimum, tum Ducatum Lauterenſem, & Simmerenſem, ac partem Comitatus Spanheimenſis; qvæ ditiones penes Palatinos fuerint partim tanqvam feuda promiſcua, partim tanqvam recens adqviſita; qvod legibus Galliæ à patre recens adqviſita in filias qvoqve tranſeant, adducto inter alia exemplo Juliacenſis ſucceſſionis. Neqve vero defuncto Electori teſtamentum condere licuiſſe, qvod & alias ad normam legum Romanarum non qvadret. Qvod teſtamentum Electori cuſtodiendum traditum fuerat, exſecutione eidem, atqve Hanoverano, & Caſſellenſi commiſſa. Ac mox Verjus Ratiſponæ contra poſſeſſionem earum ditionum à recenti Electore Palatino Philippo Wilhelmo adprehenſam proteſtabatur, ſimul poſtulabat, ut Aurelianenſi nomine Lauterenſis, ac Simmerenſis Ducatus, ac Spanheimenſis Comitatus ſeſſio, & ſuffragium in Comitiis concedatur. Etſi de cætero confirmaret, omnia per viam juris qvæſitum, & deductum iri, ſalva pace, ac tranqvillitate publica. Mittebatur qvoqve Heidelbergam Abbas Morellus, qvi pacta familiæ, literas inveſtiturarum, & alia documenta avtographa inſpicere cupiebat. Id qvod novus Elector abnuebat; qvod nemo teneatur arma adverſus ſe ſubminiſtrare, ac petitorem debere documentis inſtructum venire. (Ac revera Palatino haut conſultum erat integra documenta edere, non ſolum ne hoc modo ad probationem ſui juris pertraheretur; ſed & ne ſecreta domus vulgarentur, Gallo forte anſam arrepturo novas inde reuniones, & dependentias commiſcendi.) Sed is reponebat; Aurelianenſis uxori non opus eſſe aliud demonſtrare, qvàm ſe eſſe defuncti Electoris ſororem; ac præſumtionem pro allodiali qvalitate ditionum, qvæ extra Electoratum ſunt, militare. Unde Palatinum teneri earum pretium nomine inveſtiturarum literas exhibere.

13. Jul.

Veldentinus ſuper Palatinatu controverſiam movet.

§. 14. Super ſucceſſione qvoqve ad Electoratum Palatinum controverſiam movebat Leopoldus Ludovicus Palatinus Veldentinus, qvi literis ad Electorem ſcriptis oſtendere conabatur, non Neoburgico, ſed ſibi eam hæreditatem competere. Etſi enim ſucceſſionem linealem, & jus primogenituræ ſuo loco relinqvat, ſi Electoris defuncti filius, aut frater, aut deſcendentes adſint; qvia tamen in Electoris Caroli deſcendenti, & collaterali linea nemo ſuperſit, eoqve caſu Aurea, & Palatina peculiaris Bulla Imperatoris Sigiſmundi anno 1414 & 1434 data, uti & Palatinæ Domus conventiones ſimpliciter propiorem gradum abſqve reſpectu ordinis genituræ, aut linearum ad ſucceſſionem vocent; ultro adparere, cum ipſe poſtremo defunctum uno gradu propius qvam Neoburgicus agnatione tangat, ſucceſſionem ſibi competere. Sed cui Elector reſpondit; Neoburgicum ad Auream Bullam, & Weſtphalicæ pacis diſpoſitionem provocare, eundemqve citra contradictionem ab univerſis Ordinibus, uti & ab exteris Electorem agnoſci. Unde Veldentinam prætenſionem vix locum inventuram. Cæterum jam antea, cum linea Simmerenſis, qvæ in Carolo extincta eſt, ad Electoratum perveniret, Veldentina eandem qvæſtionem moverat; ſed cujus ratio habita non eſt, qvod Simmerenſis familia tunc defuncto Electori juxta lineam propior qvam Veldentina foret; eoqve Simmerenſis Veldentino licet gradu propiori juxta Auream Bullam prælatus eſt. Ex eo tempore nulla proteſtatio à Veldentinis facta dicitur, niſi qvod appenagium nomine hujus ſucceſſionis, & partem allodialis hæreditatis prætenderunt. Qvi proceſſus ex eo tempore Spiræ pependit, & poſtqvam diu interqvieviſſet, brevi ante Caroli obitum iterum motus eſt. Sed qva actione Veldentini maximum ſibi ipſis præjudicium attulerunt, qvod non niſi poſtgeniti à primario hærede appenagium petere ſoleant.

1685.

Electoris circa ſucceſſionem Palatinam opera.

§. 15. Porrò circa id negotium Elector enixe apud Gallum operam navabat, ut jura Imperii, & Electorum ſalva forent, ac omnes turbæ, qvibus idem anſam dare poterat, averterentur. Aurelianenſi autem denuntiabat: ne ipſa hæredem ab inteſtato ſe gereret, qvod teſtamentum adſit, cujus apertura expectari debeat. Eqvidem Carolum Ludovicum ex Inſtrumento pacis Lauteram, & Spanheimenſis Comitatus partem adqviſiviſſe. Sed valde dubium eſſe, num ideo hæ ditiones, qvod ad tempus ab aliis Palatinis appenagiatis poſſeſſæ fuerint, ejusmodi indolem induerint, ut allodiales hæredes in iis ſuccedere poſſint; aut num receptum in Gallia jus novarum adqviſitionum huc adplicari poſſit; qvod in Germania locum non inveniat. Sane eas ditiones ſemper feuda Imperii, & qvidem maſculina habita fuiſſe. Juliacenſium ditionum aliam plane conditionem, qvæ ab initio

1685. initio feuda promiſcua fuerint, per connubia ab una familia in aliam translata; nec eo tempore, qvo ad natos è fœminis devolutæ ſint, ullum è linea maſculina ejus proſapiæ ſuperfuiſſe. Unde ſi maxime Simmera feudum promiſcuum foret, non poſſe tamen eam in fœminas devolvi, qvamdiu maſculi agnati ſuperſint. Ante omnia autem Aurelianenſi Germaniæ leges, & proceſſum obſervandum; ſicuti ſi Gallica fœmina in Germania nuberet, legibus Gallicis eidem ſtandum foret, ubi hæreditatem in Gallia cernere debeat. Sane in Germania fœminas etiam in feudis promiſcuis non admitti, ſed ab agnatis maſculis excludi, qvocunqve tempore illa adqviſita ſint. Aurelianenſem qvoqve iſtis expreſſe renuntiaſſe. Fruſtra à Gallis objici, circa octavum Electoratum pace Weſtphalica mutationem in Aurea Bulla contigiſſe. Nam hanc mutationem ſe non extendere ad indolem Electoratus, & bonorum inde pendentium. Falſo qvoqve jactari, Weſtphalica pace Neoburgico dignationem duntaxat Electoralem addici. Nam & ſimul mentionem fieri pactorum gentilitiorum, qvæ non ſolum de dignitate Electorali, ſed & de bonis diſponant. Sed & poſt obitum Ottonis Henrici Electoris, cum Electoratus ad Fridericum III. è Simmerenſi linea perveniret, utut allodiales tunc hæredes exiſterent, tamen dictas ditiones Lauteram, Simmeram, Spanheimum penes Electoratum manſiſſe, ſuper qvibus inveſtitura ſæpius accepta fuerit. Cæterum in procuratorio, qvod Morellus Abbas Heidelbergæ exhibebat, ea verba extabant: Qvod *Aurelianenſis uxori jus competat in univerſam ſucceſſionem defuncti fratris Electoris Palatini ſecundum jus naturæ, velut unica hujus ſorori, & unica filiæ Electoris Caroli Ludovici:* (autori ejus ſcripti de lege Salica in mentem non venerat, qvæ juri naturæ repugnans hoc modo arguebatur:) *eoqve jus ipſi fuiſſe in poſſeſſionem totius hæreditatis ſeſe immittendi, ejusque fructus percipiendi, qvoad Neoburgicus per ſingulas partes ea feuda maſculina eſſe demonſtraverit, & qvo titulo adqviſita fuerint, qvod utiqve Palatinatus non ſit provincia, qvæ ſemper unita, ſed qvæ è multis particulis compoſita fuerit.* Idem utiqve integra documenta inſpicere volebat ut inqvirere poſſet, num qvid in favorem Aurelianenſis ibi contineretur. Inanem eſſe cautelam, qvod non integræ literæ inveſtiturarum ſibi exhibeantur. Sane è re Palatini eſſe, ne is ob talia periculum belli incurrat. Se qvidem immunem fore à culpa malorum, qvæ ex ea tergiverſatione provenire qveant. Talia tolerari poſſe, ſi Palatino negotium cum Darmſtadienſi, Wurtenbergico, aut Durlaceno ſit. Sed nunc cum potentiſſimo orbis terrarum monarcha rem eſſe. Unde ei oſtendebatur conſtitutio Stephani, à qvo omnes qvi nunc ſunt Palatini ſanguinem trahunt, anno 1444 condita, per qvam omnes filiæ ab hæreditate ditionum excluduntur; qvæ & vim legis perpetuæ & fundamentalis in Palatina familia ſemper habuit. Addebatur ingens numerus filiarum Palatinarum, qvæ omnes uti Aurelianenſis renuntiarant. Qvia tamen Elector cenſebat, circa communicationem documentorum haut tergiverſandum, ut eo facilius Galli injuriæ convincantur, etiam exempla locorum ad rem facientium tradebantur, qvæ Morellus ipſe cum avtographis conferre poſſit; præmiſſa tamen proteſtatione, Palatinum haut ideo ad probationem ſui juris deſcendere. Cæterum omnes, qveis juris aliqva notitia, Morelli propoſitionem multis modis abſurdam agnoſcebant. Sane in feuda Imperii Aurelianenſis uxori actionis nil competere, à qvibus communia jura feudalia fœminas excludant, in qvæ & illa ex ſuperfluo renuntiarit. Ex inteſtato eandem allodialia prætendere non poſſe, cum teſtamentum adſit. Ac ſi maxime poneretur, ſucceſſionem ab inteſtato locum habere, Aurelianenſem tamen non ideo unicam hæredem eſſe, qvia unica ſit filia, & ſoror; qvod feudalia ad fœminas non ſpectent, circa allodialia autem Aurelianenſis à patre jam dotata fuerit, à fratre autem teſtamentum conditum ſit, mater qvoqve adhuc ſuperſtes agat, cui & ipſa pars allodialium competat. Deniqve inauditum eſſe, Aurelianenſi facultatem fuiſſe ſeipſam in poſſeſſionem mittendi; cum ſucceſſor in territorio jure communi in caſu mortis poſſeſſionem arripere ſoleat, apud qvem ſucceſſores in allodia ſibi debita qværunt. Porro Cæſar Ratisponæ declarabat, ſe deci- 6. Sept.
ſionem ejus cauſæ ex jure Principum ad ſe pertracturum. Verjus contra diſſerebat; Regem intuitu belli Turcici, & ne qvis ab auxiliis eo mittendis avertatur, in hac cauſa qvædam diſſimulaſſe, ac ad tempus adhuc ſpectatorem acturum. Demum tamen ſatisfactionem qvæſiturum, qvantum jus & æqvum reqvirat. Cum poſt Galli eam cauſam arbitrio Pontificis ſubmittere vellent. Elector id ferendum haut cenſebat, qvod etiam florente qvam maxime Pontificio dominatu inter gravamina Imperii habitum fuerit, tales cauſas ad Pontificem pertrahi. Ac id eo magis nunc conſiderandum, qvod Proteſtantium rationes heic admixtæ

1685. mixtæ sint. Aſt Cæſar, cum de hoc arbitrio Pontifex ad ipſum referret, liqvidum responſum declinabat; ex vi legis Regiæ ad univerſos Ordines hanc cauſam referendam cauſatus. Scilicet qvod Pontificem offendere nollet, cujus pecunia ad bellum Turcicum opus habebat. Aula Cæſarea judicabat, à Gallo hanc prætenſionem extractum iri, ne prætextum deſit, ubi in arma erumpere placeat. Sane ſub finem anni Morellus ex improviſo Heidelberga diſcedebat, nullo alio colore dicto, qvam qvod Rex eam cauſam arbitrio Pontificis commiſerit; (qvod tamen ſe admiſſurum nec Cæſar, nec Palatinus declararat.) Unde nullum ſe operæ pretium ibi facere; haut obſcure qveſtus, nulla in re ſibi à Palatino ſatisfactum. Cæterum cum Gallus expoſtularet; Electorem tanto ſtudio Palatini cauſam agere, ac paſſim adverſus propoſitum Pontificis arbitrium opponere, qvæ cum emolumentis Galliæ haut congruant: hic regerebat; ad iſthoc ſe teneri ex officio, qvod Imperio, ac Electorali Collegio debeat; idqve ſe diſertis verbis in fœderibus cum ipſo ſemper excepiſſe. Qvod Moguntinus, Trevirenſis, & Colonienſis, arbitrio Pontificis ſeſe haut opponant, id fieri è cautis nemini obſcuris. Sed ſeculares qvoqve Electores ac Principes in id conſenſuros, valde ſe dubitare. Ne prioribus qvidem ſeculis, cum Papæ autoritas ubiqvè floreret, tale qvid ab hoc ſuſceptum. Ac ſi is in Gallia tanti momenti cauſam decidere audeat, num id à Rege conceſſum iri? Multo minus Proteſtantibus ferendum Pontificem heic ſe ingerere, qvod iſtæ ditiones Proteſtantium ſacra amplectantur. Non ideo autem violati ſe fœderis argui poſſe, qvod circa Palatinam cauſam diverſa à Rege ſentiat. Nam per fœdus Gallicum ſe haut qvidqvam deſinere Electorem Imperii eſſe, aut de fide ſua in patriam inde qvid decedere. Ac uti nobiliſſima opera, qvæ Imperio navari poſſit, & ad qvam omnes Ordines adſtringantur, in eo conſiſtat, ut ejus compages integra ſervetur: ita non licitum duntaxat, ſed & neceſſarium fuiſſe in cauſa, qva duo Ducatus Electorali Domui ſubtractum ibantur, ſuam ſententiam locis convenientibus exponere. Ejusmodi diſſenſiones etiam inter conjunctiſſimos fœderatos haut inſolitas eſſe; ac ſi extra caſum fœderis, uti heic, ſint, per eas conjunctionem haut qvidqvam violari.

Perfectio Reformatorum in Gallia.

§. 16. Cum primis autem animum Electoris à Gallo averterunt, qvæ hoc anno in Reformatos per id Regnum patrata ſunt. Ea religio ſub Franciſci I, & Henrici II regimine tacitis incrementis late per Galliam ſe diffuderat, etſi ſubinde ab iſtis Regibus in eandem profeſſos atrocibus ſuppliciis ſæviretur. Sed poſt cum per debilitatem Regum ambitio procerum licentius erumperet, eadem in fluctus bellorum civilium pertracta fuit; qvod iidem, qvi ſummam rerum invadere parabant, ea qvoqve ſacra exitiabili odio proſeqverentur; qvorum immanitatem, inani regiæ autoritatis prætexto graſſantem Reformati à jugulis ſuis avertere fas, piumqve ducebant. Cum demum adverſa factio jam citra diſſimulationem id ageret, ut Borbonia ſtirps diademate Galliæ arceretur; Reformati nec opibus, nec ſangvini pepercerunt, ut Henrico IV, qvi tunc eorum dogmatibus adhæreba, aditus ad Coronam pateret. Sed cum hic judicaret, tuendo ſolio ſe imparem, ni ad Romanos ritus tranſiret, Reformatis tam præclare de ſe meritis cavere inſtituit edicto Nannetenſi, ac conceſſis qvibusdam munitis oppidis velut ſecuritatis ipſorum pignoribus. Iſtam tamen cautelam haut qvidqvam ad diuturnitatem fore prudentes dudum animadverterunt, qvod ea religio partem reipublicæ non conſtitueret, uti in Regnis, ubi Ordinum aliqva eſt poteſtas, atqve autoritas, ac diverſis ſacris addicti inter Ordines qvoqve locum ſortiuntur. In Gallia autem poſt extinctam Ordinum autoritatem omnia ad placitum Regis, nullis legibus circumſcripti, referuntur; qvi & ſolenniſſime à majoribus, qvin & à ſe ipſo ſancita immutandi facultatem ſibi arrogat, nulla alia ratione adducta, qvam qvia ita placet. Accedunt immania odia Sacerdotum Romana ſacra profeſſorum, qveis nullus pudor eſt etiam ſoli humanitati debita jura abnegare diverſum à ſe colendi Numinis viam ſectantibus; qvaſi ſanctiſſimum humani generis vinculum circa hoſce locum non haberet, datam fidem ſervare. Unde & poſt Cardinalis Richelius, cum omnia dominatui obſtantia è medio removere aggrederetur, oppida Reformatis in cautionem data munimentis exuit, ut hiſce non niſi è ſola Regis libidine ſalus expectanda foret. Sane Reformati ex eo tempore omni ſtudio connixi ſunt, ut ſumma fide, ac promtiſſimo obſeqvio gratiam Regis mererentur, turbis præſertim Condæanis, qvando jam ipſius Regis natales ſolicitabantur, cum lautiſſimis conditionibus in iſtas partes ſolicitarentur. Qvo nomine & Rex plauſibilem valde declarationem iſtis dederat, his inter alia verbis: *Subjecti noſtri Reformatæ religionis certa documenta*

ſua

1685. *sui affectus, ac fidelitatis erga nos dederunt, & peculiariter præsenti occasione; quibus valde contenti sumus.* Haut eo minus, postqvam Pyrenæa pace Galliæ qvies ab exteris hostibus data esset, Clerus, & penes qvos conscientiæ regiæ moderamen erat, stimulos subdere non omittebant, ut ea sacra plane Regno exterminarentur. Cumprimis eam rem acerrimo studio egisse arguebatur Harlæus Archiepiscopus Parisiensis enormi cupidine galerum Cardinalitium obtinendi. Ad qvem conferendum antea Papam metu inducere conatus fuerat, dum non solum in conventu Præsulum anno 1682 habito præsidem egit, sed & ex Anglia informationem petiit, qvo modo Henricus VIII. usus esset, qvando religionem eo in regno mutarit. Sed cum Pontifex ista nihil curat, Præsul diversam viam ingressus acerrimum se Protestantibus hostem tulit. Qvo tamen ipso tantopere affectatam purpuram alleqvi haut valuit apud Pontificem tam scævæ ambitioni infensum. Sed nec dubium erat, qvin haut postremas in hac tragædia partes egerint Jesuitæ, qveis qvantivis habebatur Reformatos amoliri velut curiosos nimis observatores pravorū dogmatum circa mores, & qvæ ipsis contra sanctimoniam legis Christianæ patrantur. Ac initio variæ constitutiones editæ, ut emolumentis, ac beneficiis subtractis, Reformati per inopiam, aut infinitas alias molestias, ad abjuranda sua sacra permoverentur; qvod expulsa tanta civium multitudine, uti Hispani fecerant, Regnum debilitare nollent. Sed cum ea via tardiores, ac speratis minores progressus fecissent, ad violenta remedia procedebatur, immissis dimachis, qvi hospites omni petulantiæ genere inaudito inter Christianos exemplo ad Romanos ritus adducerent. Cujus conversionis specimen primo in Bearnia captum est; qvæ provincia brevi tempore ad exuenda Reformata dogmata compellebatur, paucis exceptis familiis. Id cum tam promte succesisset, eadem via novam fidem animis insinuandi apud vicinas provincias, & urbes adhibita est; qvas inter Monsalbanus, qvondam tolerata fortiter obsidione celebris, præter omnium opinionem haut expectatis extremis publico decreto religionem mutavit. Qvod exemplum tota fere Aqvitania, Delphinatus, & major Languedociæ pars, cum Montepessulano, Nemauso, & aliis vicinis urbibus imitata est, & haut expectatis dimacharum hospitiis hortante Noallio Duce Regis libidini se submiserunt, sic ut brevi tempore CCL. M hominum ritibus Romanis nomina darent, non qvod priorem fidem intus exuissent, sed qvia nullus fugæ locus, aut intolerabiles insultationes declinandi via patebat. Nam nemini præterqvam concionatoribus extra Regnum migrare permissum, qveis uxores tantum, & liberos, non item alios domesticos secum ducere licuit, nec supellectilis qvid præter libros. Etsi inter hæc insignia constantiæ exempla magno numero conspiciebantur, & illustrium virorum, fœminarumqve, & plebejorum, qvi bonis omnibus relictis solum verterunt, non sine periculo incurrendi pœnas à Rege dictatas. Multi etiam diuturnos carceres, aliaqve mala fortissime tolerarunt. Tot provinciis, ac urbibus subactis aulæ spes surgebat, qvod per tot annos meditata fuerat, absolvendi, ut per totam Galliam non nisi Romani ritus essent, qvæcunqve de horum sanctimonia persvasio iis hæreret, qveis ea sola ratio superfuerat atrocia mala effugiendi. Rupellani dimacharum adventum expectabant, sed qvorum constantiam intra viginti qvatuor horas plusqvam barbari militis importunitas expugnavit. Lugdunenses, ac Gratianopolitani communionem sub utraqve, & qvarundam superstitionum abolitionem sibi stipulari volebant, inani cautione, ubi pro ratione sola voluntas habetur. Inde omnibus procuratoribus regiis in aulam evocatis Nannetense edictum aboletur, prætexto conversionis totum Regnum pervagatæ, ob qvam nullus amplius ejusdem usus sit. Concionatores intra qvindecim dies Gallia migrare jussi, ni ad triremes dari velint. Jactabant Galli, eam religionem superiore seculo per vim introductam; igitur pari nunc modo eam expelli haut nefas esse; qvasi ulli unqvam mortalium vis illata foret, ut Reformata dogmata amplecteretur, inter qvæ id vel præcipuum est, per vim externam, aut ostentatis emolumentis genuinam circa divina persvasionem animis inseri haut posse. Aliqvi ad exempla veterum Cæsarum provocabant, qvi sub finem seculi qvarti in Donatistas vi egerint; qvasi qvælibet qvorumlibet exempla vim legum haberent. Ast prudentes, ac moderati viri isthoc agendi modo non tantum genio religionis Christianæ, ac imperio, qvod sibi Deus in hominum conscientias reservavit, grande præjudicium illatum judicabant: sed & Regem utilitatibus suis plurimum detraxisse, tanta civium multitudine ad vicinos profuga, qvi Gallorum solertiam circa varii generis artes illaturi sint; ut exteris dein haut necessum sit futurum tantum pecuniarum Galliæ mercibus inde 1685.

1685. petendis importare. Reliqvis autem, qveis in Gallia manendum fuit, inauditam animorum aversionem inditam, data occasione summo cum Regni periculo expromendam. Et cum Reformatis dudum nocendi facultas ademta foret, à sola Regis gratia pendentibus, demens fuisse, tantam multitudinem fidissimorum civium amittere, aut alienare, magno præsidio futuram, si qvæ factio forte per Pontificios in Regem exsurgeret. Sed nimirum tam noxiam violentiam animo Regis indidere Sacerdotes, qveis inter arcana dominatus sui est homines liqvida, ac solida agendorum notitia arcere, qvo ipsi obnoxias sibi mentes ex placito, ac usu suo flectere possint. Illi suggessere, haut nobiliore piamento aboleri posse, qvæ Rex plurima sciens volens qve contra Christianam legem admiserat, qvam tanto hominum numero ad Ecclesiam Romanam pertracto; cujus emolumentis, ac finibus augendis qvicqvid inservire potest, qvantumvis alias divinis, humanisqve legibus adversum, eo ipso sanctum, piumqve ab istis habetur. Iidem qvoqve succinente adulatorum turba, Regi persvaserant, glorioſissimum facinus fore, uniformes ritus in regno suo introduxisse: immemores, ex eadem persvasione immensas calamitates, & illam, qva nunc Hispani laborant, virium imbecillitatem promanasse. Fuerant & qvi eidem persvaderent, Reformatos ex sola animi pervicacia, nulla ratione subnixa, ritus Romanos adspernari. Unde indignum homunciones istos voluntati Regis resistere, qvi toti Europæ leges det. Sane etti Innocentius XI. Pontifex *brevi* ut vocant epistola abolitionem edicti Nannetensis laudaret: tamen nec ipse, nec cordatissimus qvisqve Romæ eum agendi modum probabat, per qvem tot simulatores, & qvi tremenda sacra profano usu temerarent, facti forent, immensa simul invidia religioni Romanæ contracta, velut ea homines omnia humanitatis jura exuere doceret. Ac Episcopus Gratianopolitanus Camus in universum omnes Sacerdotes diris illigaverat, qvi recens conversos contra voluntatem ad accipiendam cœnam mysticam compulsuri essent. Qvem virum tamen Pontifex proprio motu, ac nemine commendante Cardinalem creavit. Etti Pontifex ut à Rege actis adplauderet eo minus causæ habebat, qvod triennio ante in Con-
19. Mart. 1682. ventu Cleri Gallicani qvatuor propositiones stabilitæ essent, jugulum autoritatis Pontificiæ petentes. *I. Qvod nec Papa, nec Ecclesia ullum jus in temporalia Regum haberant, nec eorum subditi juramento fidelitatis exsolvi possint qvocunqve prætexto. II. Qvod Generale Concilium sit super Papam. III. Qvod potestas Papæ debeat limitari per Canones, & qvod is nihil possit decidere & statuere, qvod contrarium sit antiqvis Canonibus, ac libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ. IV. Qvod Papa non sit infallibilis nec in facto, nec in jure, nisi præsideat in Concilio Oecumenico, qvod decidit, & reddit Papam infallibilem, citra qvod idem talis non esset.* Qvibus propositionibus accedebat edictum Regis, qvo isthæc doctrina in omnibus Collegiis atqve Universitatibus tradi jubebatur, vetito, ne qvid abs qvopiam sibi subjecta isti contrarium doceatur. Ast Regem credidisse, ea se persecutione non mediocriter de Ecclesia meritum inter alia è responso adparet, qvod is Cancellario Poloniæ auxilium contra Turcam qværenti dedit: Se id auxilium 16. Nov. nec ex usu orbis Christiani, nec è peculiaribus Galliæ rationibus ducere. Nam omnes Christianos in Oriente, omnes Monachos, & sacerdotes Catholicos, qvi magno numero ibi agant, non nisi sub protectione Franciæ tolerari; qvos magna calamitas maneat, ubi ipse arma in Ottomannos strinxerit; præterqvam qvod suis civibus magna iis locis commercia agitentur. Sed nec auxilio suo opus esse ob victricia Cæsaris, & Venetorum arma, & ingentem apud Turcas consternationem. Ac satis se mereri de re Christiana per diligentiam circa reducendos ad Catholicam Ecclesiam suos cives, qvi hucusqve ab eadem alienati egerint: qvam in rem magnæ sibi expensæ sint faciendæ.

§. 17. Ista calamitas innocentibus hominibus eam tantum ob causam illata, qvod religionem, de cujus falsitate in conscientia convicti erant, ob humanos respectus amplecti nollent, Electoris animum vehementer affecit; non solum ob communem humanitatis affectum, & peculiare in communia sacra studium; sed & qvia Gallus abolitione Nannetensis edicti posuerat, se induciarum qviete ad extinguenda Reformatorum sacra uti voluisse; cum tamen ipse circa has perficiendas tam enixam operam navasset. Igitur cum antea interpolita apud Gallum pro istis intercessione nil profutura operam perdere noluisset, aliis qva poterat beneficiis miseros solari instituit. Qvo fine edictum Potstami condit, qvod passim vulgabatur, hoc sensu. *Postqvam aspera persecutio, qva hactenus communem fidem professis in Gallia incubuit, multas familias relicta patria alibi sedem fortunarum qværere subegerit; se justa commiseratione fidei con-*

Electoris edictum in favorem Reformatorum è Gallia profugorum.
29. Oct.

1685. consortibus debita motum hoc edicto tutum iis intra suas ditiones receptum benigne offerre, simul qua privilegia iisdem indulgere decreverit, significare; ut pro virili tanta calamitate, qua Deo tam insignem partem purioris Ecclesiæ castigare placuit, obrutos solari queat. Iis igitur qui in provinciis nostris sedem figere decreverint, eo commodius huc pervenire queant, ablegato Diestio Hagæ, & Commissario Romswinckelio Amstelodami injunctum id fortis Gallis Protestantibus, qui apud ipsos nomina sua profitebuntur, naves, & alia necessaria curare, quo cum suis Hamburgum pervenire queant. Ubi Otto Gerica ulterius iter eorum promoturus sit ad eum locum ditionum Electoralium, quem novus suis sedibus elegerint. Sed qui per Sedanum è Campania, Lotharingia, Burgundia, & Austrasiorientibus Galliæ provinciis per Helvetios haut tacto Belgio venerint, iis viam Francofurtum, aut Coloniam dirigendam, ubi Matthæo Meriano, & Lelio naves, ac pecuniam iis suppeditare mandatum, ut secundo Rheno in Cliviam descendere queant; ubi regimen provinciæ curam habebit, ut vel ibi, aut in Marcana provincia, sedem figant, aut si ulterius penetrare placeat, necessariis rebus instruantur. Cum porro provincia nostra non solum rebus servanda vitæ necessariis, sed & exercendis artibus manuariis, & commerciis terra & aquis valde idonea sint; iis quibus domicilium in his constituere placuerit, liberum fore eligere, quem locum sibi in provincia Clivia, Marca, Ravensberga, Minda, Halberstadii, Magdeburgi, Marchia, Pomerania, & Borussiæ suæ vitæ generi commodissimum duxerint. Et quia ipse judicet, in Marchia Stendaliam, Werbenam, Ratenaviam, Brandeburgum, & Francofurtum; in Ducatu Magdeburgico Magdeburgum, Halam, & Calbam; in Borussia Regiomontem ab annonæ abundantiam, ac moderatum pretium, ac opportunitatem commercia exercendi iis commodissimas fore; igitur se disposuisse, ut eo venientes humaniter excipiantur, iisque omnia, ipsorum stabilimento inserviendia pro captu suppeditentur. Etsi & in aliis locis nostræ ditionis, ubicunque placuerit, sedem eligere integrum iis sit. Si supellectilem, aut merces secum adferant, eas ab omni vectigali, ac quocunque onere liberas fore. Si in oppidis, ac vicis, ubi refugi isti domicilium statuere velint, ædes deserta, aut ruinosa inveniantur, quarum dominis facultas non sit eas reparandi, has Gallis Reformatis perpetuo proprietatis jure addicendas, ac dominis pro iis satisfaciendum, easque ab omnibus oneribus, hypothecis, tributorum residuis, ac similibus debitis, quibus obnoxiæ fuerint, plane liberandas. Materiam quoque iis reparandis gratis prabendam, indulta in sexennium à quibusvis 1685.
oneribus immunitate, tantum ut accisias in ea quæ consumuntur impositas solvant. Ast ubi vacua areæ inveniantur, eas cum adjunctis hortis, pratis, agris, & pascuis hereditario jure istis tradendas, ab omnibus inhærentibus oneribus liberas; simul materiam extruendis ædibus gratis suppeditandam, ac recens extructas domos ab omnibus oneribus, præter accisias, immunes præstandas. Magistratibus quoque provinciarum injunctum in singulis oppidis certas domus conducere, quibus advenæ Galli recipiantur, mercede conductionis pro istis, eorumque familiis exsoluta, ut tamen interim assignatis areis ædificia extruere studeant. Statim ubi aliquo loco domicilium fixerint, iis recepta ibi jura civitatis, & opificiorum gratis concedenda cum usu beneficiorum, ac jurium, quorum alii ejus loci incolæ, ac nati cives capaces sint. Eosdem quoque jure Aubinii, ac similibus oneribus, quibus exteri alibi in Regnis, ac Rebuspublicis obnoxii agunt, eximendos, ac pari jure cum indigenis habendos. Artes manuarias quascunque exercituris non solum omnia quæ desiderabunt privilegia, & beneficia indulgenda, sed & pecunia, aliisque necessariis ad persequendum ipsorum institutum necessariis pro virili subleyandos. Qui rure sedem figere, & agriculturam vitam tolerare velint, certas agri portiones assignandas, ac omnia, quæ eis initio ad instruendum eum cultum opus fuerit, suppeditanda. Circa jurisdictionem, ac controversias, quæ inter Gallicas familias surgere possint, liberum iis fore in oppidis, ubi plures Gallicæ familiæ habitant, aliquem è suo numero eligere, cui facultas sit ejusmodi lites absque ambagibus processus amice dirimendi. Ast ubi lis sit inter Germanos, & Gallos, magistratum loci, & quem Gallica natio sibi arbitrum elegerit, junctim in causam inquisiturus, eamque de plano decisurus. Id quod & fieri debeat, si inter solos Gallos exortæ lites amicabiliter componi nequeant. In quovis oppido Gallis Reformatis concionatorem publicis sumtibus habendum, assignato quoque idoneo loco, ubi cultus religionis Reformatæ lingua Gallica iisdem ritibus, qui hactenus in Ecclesiis Reformatis Gallicis in usu fuerint, exercendus. Sicuti qui è Gallica Nobilitate, qui hucusque protectionem, & ministeria nostra subierunt, eadem dignitate, honore, ac prærogativa, quibus alii nobis subjecti Nobiles gaudent, quorum & complures ad dignitates, & insignia munera aulica, & militaria admoti sunt: ita eandem gratiam, & promotionem iis Nobilibus Gallis exhibendam, qui deinceps in nostris provinciis sedem ponent, qui & ad omnia munia, & dignitates, quibus idonei reperientur, admit-

1685. *admittendi ſint; ac ſi qvi feuda, & alia nobilia prædia comparare ſibi voluerint, iisdem qvibus indigenæ juribus gaviſuros. Omnia hæc expreſſa privilegia, & jura non ſolum eis, qvi deinceps in noſtris ditionibus adpellent, ſed & iis profutura, qvi ante publicatum hoc edictum ob perſecutiones religionis è Gallia profugi in noſtras provincias ſe contulerint. Aſt eadem nullo ſibi modo arrogare poſſe, qvi Romanis ritibus ſunt addicti. Denique in omnibus noſtris provinciis certos viros delegandos, qvi Gallicis advenis conſilio, & ope adſiſtent. Sicuti & omnibus noſtris magiſtratibus injunctum eſt, ut Gallos Reformatos, qvotqvot in noſtras ditiones acceſſerint, omnes & ſingulos in ſingularem ſuam protectionem recipiant, ac ut hiſce privilegiis fruantur operam dent, omnes ab iis moleſtias, & injurias averruncent, ac omni humanitate, dilectione, & officio iisdem adſiſtant.*

Bo nomine cum Gallo expoſtulationes.

§. 18. Peculiari autem dolore Electorem afficiebant, qvæ à Gallo in Arauſionenſes patrata fuerant, qvorum ædes ſacras is deſtruxerat, plane interdicto publico cultu. Iſta pollicitis regiis repugnare, ac per eadem irreparabile præjudicium ſuis liberis illatum, jure ſupremi imperii infracto. Sane non ita pridem Gallum gravem declarationem edidiſſe, cum ſpargeretur, Hiſpanos de Belgio in Bavarum transferendo agitare. Atqvi ſuis liberis liqvidum jus in Arauſionem competere, qvale Hiſpani in Delphino hautqvidqvam agnoſcant. Eqvidem id Deo, ac tempori tantiſper committendum. Se tamen nunqvam tanti momenti, ac tam liqvido juri renuntiaturum; nec talia unqvam à fœderato, qvi de affectu, atqve amicitia ſua tam prolixe teſtatus ſit, expectaſſe. Ad qvæ Croiſſius regerebat: Arauſionenſi debile admodum jus ad eum Principatum eſſe; qvi & ſiniſtre erga Galliam ſe gerat. Regi graviſſimas eſſe rationes hoc rerum ſtatu, ne in medio Regni ſui toleret cultum, qvi tota Gallia proſcriptus ſit. Si filios Electoris ad ſucceſſionem vocari contingat, in qvem ſolum caſum Rex obligatus ſit, ſemper facultatem fore iis ſatisfaciendi. In præſens id negotium ſolum Principem ſpectare, qvi ut Rex in ipſius gratiam jure ſuo deſiſtat, haut meritus ſit. Sed & ultro qverimoniæ movebantur, qvod Elector edicto ſuo *perſecutionis* vocabulo uſus eſſet. Qvo & id actum ſit, ut cives à Rege avertantur, iisqve viam, qva ſe è Gallia ſubducere poſſint, oſtenſam: qvorum protectorem Elector ſe in conſpectu totius Europæ ferat: cum tamen Rex nunqvam ſe ingerere voluerit negotiis, qvæ Catholicos in Electoris ditionibus habitantes ſpectent. Qvæ ne toleranda qvidem ſint in Principe, qvi medium duntaxat ſe gerat, nedum in fœderato. Unde cum ex aliqvo tempore Elector gloriam ex eo captaſſe videatur, qvod Regis ſeſe utilitatibus ſeſe oppoſuerit; hunc qvoqve non amplius præſtare poſſe, qvæ fœdus viciſſim reqvirat. Electori mox pœnitentiam ſubituram, ſi Auſtriacorum ſeſe amicitiæ innectere velit; nec dubitare, ſi novum adhuc ejus ſpecimen ceperit, arctius deinceps qvam hactenus Galliæ amicitiam amplexurum. Ad iſta, & qvæ de ſubſidiis non amplius ſolvendis Galli minabantur, Elector reponi jubebat, Gallum eadem haut gratis dediſſe, ac longe majora ſtipulatum, qvam qvanti ea ſint, qvæ & bona fide à ſe impleta fuerint. Cæterum ſibi hautqvidqvam in animo eſſe honorem, exiſtimationem, ac rationes ſui ſtatus pro qvantacunqve pecuniæ ſumma alteri addicere. Sed qvod *perſecutionis* vocabulum ſpectet, ſane ſe haut perſpicere, qvo alio nomine notari poſſint liberorum è parentum ſinu raptus, immaniſſimorum dimacharum hoſpitia, triremes, carceres, cædes, effoſſiones ſepultorum, abolitionem edicti Nannetenſis ab ipſo Rege confirmati, & alia etiam inter Ethnicorum Cæſarum furores inaudita; ac ne exilium qvidem talibus declinandis permiſſum. Et qvare ſibi minus liceat id genus acta perſecutionem nuncupare, qvam à Gallo Proteſtantium religio etiam publicis ſcriptis hæreſis vocitatur, vulgato jam paſſim horribili dogmate, ejus religionis conſortibus fidem non eſſe ſervandam; qvo ipſe, aliiqve Proteſtantes deterioris conditionis qvam Ethnici, & Turcæ habeantur, qvi citra controverſiam juris è pactis qvæſiti capaces cenſentur. Qvo ſcito ſanctiſſimum humanæ ſocietatis vinculum abrumpatur. Alias edictum ſuum non ſpectare ad cives Galliæ à debito obſeqvio abſtrahendos; nec iis, qvi adhuc in Gallia agunt, qvidqvam à ſe oblatum. Sed eos duntaxat, qvi jam finibus Regni exceſſerint, invitatos, ut in ſua ditione ſi velint ſedem figant. Ac Regi perinde eſſe, apud ſe an alibi aſylum iſti inveniant. Semper qvoqve fas piumqve habitum, immerito odio, inprimis ob religionis diverſitatem oppreſſos, alio refugos recipere. Ac plurimos Cæſareis ditionibus ob ſacra pulſos in ſuis provinciis domicilium collocaſſe; qvo nomine Cæſar nunqvam qveſtus ſit. In Belgicis qvoqve perſecutionibus migrationem nunqvam fuiſſe interdictam. Ac ſi Gallus glorioſum ſibi ducat, fervens circa ſua ſacra ſtudium oſten-

1685.

1685. oſtentare; ſibi qvoqve vitio verti non poſſe, ſi miſerorum calamitate tangatur, ac ob conſcientiam ſolum vertentes recipiat, eaqve adverſus iſtos exerceat, qvæ citra violationem officii Chriſtianis commendati omitti non poterant. Deniqve modum perſecutionis in Gallia adhibitum adeo inſolitum eſſe, ut ejus ſimilis ab omni ſeculorum memoria, qvamdiu diverſitas Religionum extitit, apud nullum Ethnicum, & Turcam, nedum inter Chriſtianos Principes, conſpectus ſit. Eqvidem Proteſtantes per Cæſaris ditiones, & alibi variis modis ad amplectendos Romanos ritus compulſos, & adhuc compelli. Eos tamen, qvi flebile emigrationis beneficium arripere voluerint, hautqvidqvam detentos; ſed iisdem integrum fuiſſe qvo vellent abire, nec unqvam revocatos; qvos à ſe, aliisqve Imperii Ordinibus receptos, ac variis beneficiis mactos nemo unqvam qveſtus ſit. Eqvidem dici, Gallum non impedire, qvo minus cum noſtris civibus, qvæ videantur, agamus. Pari modo & ſe egiſſe, ac licet ipſe, anteqvam talia erumperent, infinities rogatus ſit, ut per literas apud Regem pro ſacrorum conſortibus intercederet, id tamen ſe recuſaſſe, ne ullo modo inteſtinis Galliæ negotiis ſeſe videretur miſcere, & qvia ſatis norat eas ſine fructu fore. Ac ſi Catholicos in ſua ditione agentes pari modo, uti in Gallia fit, tractare ſibi in mentem venire poſſit, non improbaturum, ſi Rex iis receptum præbeat. Etſi tantum abſit, ut ipſe paria unqvam ſuſceperit, ut potius ſingulari ſibi curæ fuerit civis ſuos Romanis ritibus addictos non minus qvam Proteſtantes tueri, iisqve tranqvillitatem, ac libertatem conſcientiæ præſtare; qvi & non ſolum ad collegia opificum, & alia munia oppidana, ſed ad ſublimiores qvoqve dignitates admittantur. Iſta igitur Gallis ingerere Spanhemius jubebatur; qvæ ubi his non ſuffecerint, non aliter judicari poterat, qvam prætextum qværi debitas ex fœdere præſtationes abnuendi.

De ſacris legatorum.

§. 19. Qveſtus qvoqve fuerat Rebenacius, uſum ſuorum ſacorũ Berolini circumſcriptum ſibi fuiſſe. Ad qvod Elector reponi jubebat; non plus iſti denuntiatum, qvam qvod Spanhemio, & aliis legatis Lutetiæ nomine Regis ſignificatum ſit. Et eſſe tamen adhuc diſcrimen, qvod Spanhemio non permittatur in ſacris aliud idioma adhibere, qvam qvod in Electoris ditione vernaculum ſit. Cum Rebenacius ab aliqvot annis fere Teutonicis ſacrificulis uſus ſit, ac nunc qvoqve in domo ſua conciones Teutonica lingva haberi ſinat. De qvo ipſe nunqvam qveſtus ſit, utut Romana ſacra hoc loco nunqvam permiſſa, Reformata autem per publicas leges à Regibus Galliæ firmata fuerint. Rebenacium qvoqve eo minus qverendi cauſam habere, qvod Cæſareo legato eadem denuntiata ſint, cui pluſculum licentiæ varias ab rationes facile indulgeri poterat. Falſum qvoqve eſſe à ſe interdictum, ne peregrini, & qvi heic domicilium non fixerunt, iſtius ſacris interſint; ſed civibus tantum hujus urbis id fuiſſe vetitum. Sic ut non aliud à ſe circa ſacra legatorum conſtitutum fuerit, qvam qvod Lutetiæ obſervatur. Seqventi anno *Diffamatur legatorum.* Rex legatis exterorum Lutetiæ denuntiabat, ne Gallos Reformatam religionem profeſſos in miniſterio ſuo haberent; ac ſe legatis ſuis imperaturum, ut idem in aliorum Principum aulis obſervent. Id qvod Elector juri gentium adverſari cenſebat; cum comites legatorum à jurisdictione Principis, ubi agunt, exemtos agere par ſit; nec ſufficere, qvod Gallus ſuos legatos ad paria adſtringere velit. Qvin contra dici poſſe, qvia alii Principes legatis exterorum permittunt indigenas locorum ubi degunt inter domeſticos ſuos recipere, Gallo qvoqve idem faciendum. Nec ſi Princeps qvispiam diſpoſitioni, ac beneficio juris gentium renuntiare velit, ideo aliis imitandi neceſſitatem eſſe, qvi id ſibi expedire haut judicent. Poſſe qvoqve legatum ægre domeſticam rem exteris locis inſtruere abſqve opera indigenarum: ac durum fore, ſi legato ab exteri Principis diſpoſitione pendendum ſit, qvorum hominum miniſterio uti debeat. Qvod ſi legati Proteſtantes miniſtros in Gallia invenire neqveant, neceſſum fore, ut Catholicis informationem liberorum, ac ſecretas ſcriptiones committant, qvibus præter multa alia incommoda ubi ægrotaverint, Sacerdotes non ſine pompa qvem è pane confecerunt Deum in ædes delaturi ſint. Cæterum poſt biennium Stutgardiæ qvoqve cum ablegato *Nov. 1687.* Gallico Juvignio ſuper ſacris legatorum lis *Juvigny.* orta eſt; ubi ſubtribuni cujusdam apud Ducem ſtipendia merentis uxor Romanis ritibus innutrita in oppidani cujusdam ædibus ſontico morbo decumbebat. Ea cum pronam ſe in Proteſtantium religionem oſtendiſſet, ac è cujusdam ibi miniſtri concionibus, qvas freqventare ſveverat, multum ad pietatem ſe profeciſſe teſtaretur, extremis imminentibus hunc ad ſe evocavit, preces ſecum ſociaturum, roganſne ad mortem uſqve ipſam deſereret. Id cum ablegati

1687. gati Gallici Sacerdos intellexiſſet, ultro, ac non regatus, nec venia à Duce petita in eam domum acceſſit, operamqve ſuam circa excipiendam confeſſionem, & exhibendum ſacrum viaticum obtulit, aut ſi ægrota mallet Capucinum eo fine miſſurus, hac oſtendente neutrum ſibi placere, & cum Evangelico miniſtro preces continuante, Dux intellecto ſacrifici Galli auſo ablegatum miſſo conſiliario rogabat, ut iſtum, limites officii excedentem cohibeat, cui haut jus ſit Romana ſacra in domo civis, ac in perſonam ipſius jurisdictioni ſubjectam exercendi. Aſt Ablegatus: id ſe Sacerdoti ſuo injunxiſſe; ac plenum ſibi jus competere per hunc ſacra officia apud omnes Catholicos heic loci obeundi, etiam in civium ædibus habitantes. Ad qvæ Dux petitum ſuum repetere; ut ablegatus ſacrificum ſuum inde revocet, nec cultus ſuos extra domum ablegati exercere tentet; qvod ea res omnium Ordinum Proteſtantium in Germania juribus fraudi cedat. Contra Gallus; ſe Sacerdoti, ſimul Secretario ſuo imperaſſe, ut ab ægrota ne diſcedant, donec animam efflarit, aut convaluerit, præſertim cum ea jam ritu Romano confeſſa fuerit. (id qvod factum non erat.) Poſtqvam repetita monita apud ablegatum fruſtra fuiſſent, Dux prætori urbis injungebat, ut ſacrificum, ni mox ædibus faceſſat, inde educat. De qvo mandato cum ſacrificus inaudiſſet, negabat ſe injuſſu ablegati exiturum. Igitur Dux tertia vice conſiliarium prius poſtulata iteraturum miſit; qvi ablegatum in ægrotæ cubiculo, qvo hic interim ſe contulerat invenit, ac qvæ juſſus erat expoſuit; addito, Prætori jam injunctum ſacerdotem hinc dimovere. Ad qvæ Gallus fremere: *Caveret Dux arduum ſibi negotium attrahere. Eſſe ipſi rem cum magno Rege, qvi jam tot potentibus Principibus leges dederit. Sibi decretum, Sacerdotem ſuum hinc non advocare, ſed ſe ipſum potius in cubiculo expectaturum, ac viſurum, qvis iſtum educturus ſit. Diſertis verbis ſibi à Rege injunctum in protectionem recipere omnes hujus loci Catholicos, tam in temporalibus, qvam ſpiritualibus.* Qvale mandatum Ablegato eſſe conſiliarius negabat ſe credere. Properabat mox ablegatus in aulam Ducis colloqvium expoſcens. Sed qvi denuntiari jubebat; ſibi haut commodum poſt talia jactata ipſum videre. Haut eo minus anteqvam prætor ad domum ægrotæ accederet, ſacrificus abierat; qvi ne regredi poſſet, ſtatio ad fores adponebatur. Idem ablegatus Teutonica qvoqve lingva conciones in ædibus ſuis haberi curabat magno cum concurſu Pontificiorum ex urbe, & vicinia, qvibus alias ritus ſuos in proximo vico exercere ſolitum erat. Id ut omitteret, cum Dux ablegatum moneret, hic reſpondebat; dignationem legati jus ſibi dare qvocunqve velit lingva conciones habendi. Ac ultro qverebatur, Italicas conciones apud ſe inhibitas, mulcta indicta Sabaudis Stutgardiæ agentibus, ne in ablegati ſacellum accedant. Qvi contra hoſce ut fidenter venirent invitabat, pollicitus ſe mulctam, ſi qva eo nomine exigatur, iis redditurum. Iſthæc igitur Ducatus Wurtenbergici Adminiſtrator Carolus Fridericus ad Galliæ Regem referebat, petens ut ablegatum ejusmodi auſis deliſtere jubeat. Qvi Duci reſpondit: factum à ſuo ablegato aliter, qvam à Duce referri. Ei à ſe injunctum, ut ea libertate, iisqve privilegiis contentus ſit, qvibus ſui legati apud alios Proteſtantes, præcipue in Dania, & Hollandia fruantur. Cæterum ablegatus ita factum narraverat; Sacerdotem ſuum myſticam cœnam adminiſtrare voluiſſe fœminæ catholicæ id deſideranti, & qvæ ſemper ſacra in ædibus ablegati freqventarit. Eo ſuper negotio cum Dux Electoris ſententiam exqvireret, hic reponebat: *Proteſtantes Germaniæ Principes non teneri ad ſeqvendum id, qvod è peculiaribus forte reſpectibus in Dania, & apud Fœderatos Belgas Gallicis legatis indulgetur. Ac hiſce merito adqvieſcendum eo libertatis modo, qvem jura ac mores gentium circa iſthæc expoſcunt. Sane ſibi perſvaſum, Gallicos legatos haut plus ſibi arrogare debere, qvam ut ſacra Romana proſe, ac familia in ædibus exerceant, concionesqve lingva ſibi vernacula habeant. Et qvid id citra præjudicium fiat, hucuſqve diſſimulaſſe, ut peregrini ad breve tempus heic commorantes, & viatores iis ſacris intereſſe qveant, id qvod & Spanhemio Lutetiæ indulgeatur; id qvod heic domicilium habentibus, & noſtræ jurisdictioni ſubjectis non concedatur. Id qvippe haut qvidqvam reqviri ad decoram & commodam vitarationem legatis debitam, è qva totum hoc negotium ſit metiendum. Præſertim cum circa Gallum id peculiariter conſiderandum ſit, qvod iſte initio proximæ perſecutionis legatis Principum Proteſtantium Lutetiæ denuntiaverit; ſe iis pro ſua familia, & peregrinis ſacra permittere, & qvidem non alia qvam ipſorum Principibus vernacula lingva, ut tamen ſubditis Gallicis ad eadem accedere ne liceat. Igitur qvod jus iſte in alios ſtatuit, eodem ipſum uti par eſſe.* Cæterum Hafniæ in legati Gallici ædibus conciones Gallica, & Teutonica lingva habebantur magno cum concurſu militum, & aliorum

1687. 28. Nov.

urbis

1687. urbis incolarum; ejusqve duo Jesuitæ per privatorum ædes ægrotis adsistebant. In Hollandia autem complura Ordinum edicta extabant, ut Catholicorum Principum legati pro se duntaxat, & familia sua exercitium suorum sacrorum haberent, & qvidem non nisi suorum Principum lingva; sed qvæ nunqvam servata fuerant; ac Hagæ qvilibet Catholicus aperte, legatorum ædes, horum Sacerdotes privatorum domus accedebant. Apud Gallicum legatum concienes Gallice, apud Hispanum Belgice, apud Anglum Anglice & Belgice magno cum confluxu hominum habebantur. Sed qvæ exempla cæteris legem haut dabant.

Cum Sveco amicitia instauratur.

Falaiseau.

§. 20. Porro qvia Galli jactarant, ni examussim sibi ab Electore satisfiat, alia se consilia capessituros, ne isti forte Svecorum amicitiam sibi conciliarent, Electori è re visum abolendæ præteritorum memoriæ enixius studere, ac Sveciæ Regem propius sibi innectere. Unde Petrum Falæsium in Sveciam mittere placuit, præsertim cum Everhardus Grafenthalius à Rege diu Berolini egisset, ac sæpius de hujus desiderio circa amicitiam cum Electore colendam testatus esset. Qvi & conventionē cum hoc inierat, qvis titulus huic à Rege tribuendus sit, ac ut ejusdem legati pari honore cum Regiis in Svecia haberentur. Ac eo magis Protestantium Principum concordia opus videbatur, qvod præsens tempestas horum rebus parum prospera minaretur. Iste igitur in Sveciam delatus initio laxis de amicitia testationibus utebatur, qvoad Regis inclinationem penitius inspexisset. Unde & aliqvandiu super fœdere movere omittebat, qvoad demum id non amplius differre consultum judicaret, cum animadverteret Eduardum Ehrensteinium, & Ericum Lindeschildium Regi Gallicam amicitiam svadere, qvi ne hujus animum labefactarent, Benedictus Oxenstierna metuebat. Unde cum Falæsius de præsenti rerum facie sermonibus jeciisset, Oxenstierna agnoscebat, temporibus Ferdinandi II. necessarium fuisse Austriacorum potentiam sistere. Sed nunc à Cæsare in præsens nil amplius metuendum, ac id potius connitendum, ne Gallus dominatum Europæ invadat, Protestantium sacra, statumqve simul oppressurus. Postqvam ita Falæsius aliqvandiu velut suo è judicio differuisset, jam Electoris nomine de hujus inclinatione proponebat arctius sese Regi innectendi ad publicum bonum, ac utriusqve securitatem. In qvæ Rex pronum se valde ostendebat, ac suam cum Electore conjunctionem utriqve id autoritatis circumpositurum, ut nemo ipsos invadere sit ausurus. Falæsius qvoqve Oxenstiernæ scrupulum injecerat, indicato, Croisium pronuntiasse, in Svecia Gallum operæ pretium haut facturum, qvamdiu Oxenstiernæ qvid autoritatis sit. Ac sane magni res momenti erat, qvod Regi ingens militum numerus foret, sed pecunia, qvæ his in expeditionem educendis reqvirebatur, deficeret, qvam solus Gallus suppeditare poterat. Ac Picqvetierus opera Lindeschildii Regis animum expugnare satagebat, ac Holmiæ de Electore loqvebatur, velut qvi plane amicitiam cum Gallo abrupisset. 1685.

Turba Hamburgenses.

§. 21. Hoc anno curam Electoris exercuerunt qvoqve turbæ Hamburgenses; qvibus præcipuam ansam præbuisse credebatur Meurerus consul, valida in Senatu factione, ac Cellensi aulæ innexus, in qvam qvotannis octodecim uncialium millia erogabantur. Qvi & autor civitati fuerat, ut durante adhuc novissimo bello ædem cathedralem, & qvæ ab ista pendent, Bremensi Ducatui annexam, à Cellensi Duce magna pecuniæ summa emeret, stolido admodum contractu, cum nondum constaret, cuinam pace facta ædes ista addicenda foret. Qvæ & post per pacem Svecis reddenda erat, penes civitatem inconsultæ emtionis pœnitentia relicta. Ei consuli in ordinem redigendo, simul reparando ærario factio inter cives invaluerat, qvæ uti solet inter homines mediocri prudentia, vehementi impetu, mala publica medendi importunitate asperaverat, ac dum sibi fulcra qværit, statum civitatis summo periculo admoverat. Cæterum Meureri causam foventibus, qvi è discordia opulentæ civitatis lucrum captabant, ex aula Cæsarea in favorem istius rescripta obtenta fuerunt, qvorum exsecutio Cellensi Duci delata fuit. Cui cum civitas parere nollet, is mercibus Hamburgensium per provinciam suam transeuntibus manum injicit, occupata qvoqve una & altera insula in Albi, per qvam navigatio ejus fluminis impediri poterat. Qvam rem ægerrime qvoqve ferebat Daniæ Rex, & qvod Dux per Meurerum civitatis modoramen in se traheret. Eoqve optabat ab Electore amicam compositionem earum turbarum susci pi: simul Cellensi ablegato Wackerbartio denuntiabat; ni Dux placidis consiliis aurem præbeat, sibi necessitatem imponi civitatis causam vi fulciendi. Igitur Elector seqvestrem se inter Cellensem Ducem, ac Hamburgum offerebat, qvod ex iis turbis nemini emolumentum, omnibus damnum oriturum sit;

Wackerbart.

25. Jan.

1685. nec eam rem tanti esse, ut ita tumultuose agatur: qvod idem & Hanoverano, ac Guelferbytanis Ducibus videbatur. Omnium vicinorum interesse, eam urbem servari; unde & par esse Cellensem æqvitati animum advertere. Plebem Hamburgensem magnam sibi licentiam arrogare, nec semper penes magistratum esse eandem moderari. Ac se per literas civitatem hortatum, ut debitam modestiam erga Ducem adhibeant. Ostendebat qvoqve Elector, par fuisse ob fœdus, qvod sibi cum Duce intercedat, & qvia sua plurimum interfit, prius secum communicari, qvam in violenta erumperetur. Ita enim suarum ditionum rationes ei urbi implicitas, ut ipse nunqvam pati qveat eandem subverti, aut ad desperata consilia compelli. Ac ipsum Ducem, utut Dano arctissime junctum, antea tolerare non potuisse, ut hic eidem noxam daret. Tum hortabatur, erepta civitati loca restitueret, ac vi abstineret, ne civitas protectionem circumspiceret utriqve ipsorum displiciturum. Esse qvoqve rem pessimi exempli, si protinus ad infensa contra urbem procurratur, ubi qvid ingrati ab ea admissum sit. Ita enim alii vicino viam muniri, cui nunqvam prætextum desit, ut pari modo procedat, Albim in potestatem redigat; unde non possit non urbi, ac toti Inferiori Saxoniæ exitium provenire. Ægre qvoqve ferebat Elector Hamburgensium literas veredario in Hollandiam eunti in Cellensi ditione ademtas; ac castellum in insula *Mœrwerder* situm operibus firmari. Eoqve Cellensi denuntiabat, utut sibi amicitiam cum ipso colere maxime cordi sit, se tamen non posse, qvin urbi opem ferat, si ea ulterius urgeatur. Tum ne Dux detentas Hamburgensium merces distrahat, ut ratio iniri qveat, qva is salva existimatione hoc negotium deponere possit. Dux contra, ut Cæsarem sibi faventem retineret, interminabatur, se promissas adversus Turcam copias haut missurum: Dano interim utriqve se parti venditante, qvi incalescente distidio in turbido se piscaturum sperabat.

Apud Cellensem Ducem acta. 8. Febr.

§. 22. Ea mandata cum Canitius apud Ducem Cellis exponeret, hic respondebat: A Cæsare sibi injunctum civitatem in ordinem redigere, qvoad constitutæ ab eo Commissioni se submittat, ac debitum eidem obseqvium deferat. Tum Hamburgensium importunitatem exaggerare, & qvomodo hi in urbem missos subdelegatos contumeliose habuerint. Plebem qvidem manifeste furere, ac à se id agi, ne urbs in alienas manus incidat, ejusqve status iterum rite disponatur. Insulam *Mœrwerder* suæ ditionis esse, nec sibi propositum commercium Albis sufflaminare; qvod aliis qvoqve locis sibi in proclivi foret, ea si libido esset. Sed revera Cellensibus parum gratum erat, ab Electore ita propere aliqvem missum, qvod mallent citra istum cum civitate depacisci. Ac summa pecuniæ captabatur expeditioni in Hungariam impendenda, qvod à Cæsare numerata in alios usus versa fuisset. Cæterum Dux rogabat, Elector urbi denuntiaret, sibi ejus petulantiam haut placere, ac ut Duci ex æqvo satisfaciat. Detentas merces reddere haut ex usu esse, plebe istam facilitatem irrisura. Inficiabatur qvoqve castellum in insula *Mœrwerder* à se muniri jussum, ac cœpta opera se imperante dejici. Id cumprimis desiderabat, ut Hieronymus Snitqverus, & Conradus Jastramus, factiosorum capita, custodiæ dentur, inqve eos inqviratur; ut si comperiantur in venerationem Cæsari debitam deliqvisse, pœnas dent. Nam qvamdiu è duobus istis civitas pendeat, periculum esse, ne ea in alienam ditionem perveniat. Addebatur, ut civitas sumtus in Commissionem factos refundat, ac aliqva honoris indicia sibi exhibeat. Eo facto se adqvieturum. Ad hæc Elector: circa posteriora postulata facile conventurum. Sed legibus adversum ab exsecutione incipere; ac plebem, qvæ plane à duobus istis viris pendeat, oblata uberrime ab exteris auxilia potius amplexuram, qvam eosdem desertura sit. Haut semper rationem habendam à Judicio Aulico decretorum, cui status civitatis parum cognitus sit, & qvod vicinorum emolumenta parum consideret. Nec iniqva esse, qvæ magistratus offerat; se velut competentes judices justitiam incorrupte administraturos. His ubi nil apud Ducem proficiatur, Canitius denuntiare Electoris nomine jubebatur: sibi per rationes suas curæ fore urbem ab interna confusione, & externo periculo tueri, ac libertatem commerciorum præstare. Non modicos tumultus Ducem qvondam dedisse, cum ipse Hamburgensibus assignatam à Cæsare pecuniam solvere abnuentibus, naves qvasdam eripuisset. Ac jam paratos stare, qvi urbi supperias laturi sint. Unde valde svadere, ut omnia in integrum restituantur. Ad ista Dux nil habebat, qvod reponeret; qvam existimationi suæ indecorum cedere. Ac postulabat, ut civitas missis delegatis, ac summa pecuniæ ipsius indignationem redimat; alias se ad distractionem mercium processurum.

1685.

14. Febr.

1685. furum. Elector contra eam satisfactio-
2. Mart. nem iniqvam judicabat; ejusqve duritiem neqve aula Cæsarea, nec qvisqvam vicinorum Principum probabant; ac jam alii manum ei negotio immisissent, ni Electoris prudentia id avertisset. Gallus qvoqve id sibi displicere significabat, monito, ne res ad extrema deducatur; Dano contra turbas gliscere lætante, qvi & per Liliecronam cum factiosis in urbe tractabat, ac ne ablegati ad Ducem mitterentur svadebat. Post cum
9. April. Dux ad Electoris placitum se declararet, hic vicissim civitatem hortabatur, ut & ipsa æqvam se præbeat. Igitur hæc vicissim ostendebat, se edictum contra Luneburgensium bona abolituram, si & Dux homines, ac merces detentas relaxet, ac Mœrburgum restituat. Eo facto se delegatos ad Ducem missuram. Has conditiones ut Dux citra scrupulum acceptaret, Elector svadebat. Ast Dux volebat, ut civitatis delegati prius accedant, qvam ipse merces liberas dimittat. Electore contra censente, civitatem æqva postulare, qvod hæc Duci causam ejus detentionis non præbuerit; nec de ea sibi qvid demonstratum. Ac si is procedendi modus recipiatur, cuilibet vicino libidinem subituram urbem insultandi. Eoqve proponebat, ut Dux homines, & merces prius dimittat; post Hamburgensium legationem Mœrburgum restitui posse. Simul svadebat, ne omnia ad apices honoris, qvos sibi qvisqve sæpe præter rationem fingat, exigantur. Tum ne Dani pollicitis nimium fidat, qvi interim plebi ingentia commoda obtulerit. Ac tempus non sine damno edocturum, à Duce in hac causa non sat solida consilia
12. Maij. fuisse capta. Post multas hinc inde tergiversationes Elector demum proponebat, ut restitutio mercium, & ablegatorum ex
21. Maij. urbe missio pari passu fieret. Cum itaqve jam res in portu videretur, Dux Cæsareum *conservatorium* pro Meurero Consule, mense Octobri superiore anno scriptum, asperis cum literis in urbem mittebat. Qvæ res negotiationem impediebat, Electore indignante, Ducem id se inconsulto fecisse, postqvam ipse tantum laboris impenderat, ut Dux salva existimatione è sinistre cœpto negotio exiret. Nam metuebat civitas, si maxime in præsens lis componatur, post tamen per Meurerum circa internum ipsius statum novationes susceptum iri. Id qvod Elector Duci demonstrari jubebat: nec ullam necessitatem fuisse delatam licet à Cæsare Commissionem suscipiendi; cum is parem utiqve Commissionem à Cæsare in Gottorpiensi negotio declinet. Istis ubi nil proficiatur, Canitius discedere jubebatur, testatus, per se non stetisse, qvo minus ea lis amice componeretur, nec penes se culpam fore omnium malorum, qvæ inde provenire qveant. Ita cum Elector urbem permovisset, ut in temperamenta à se proposita consentiret, Dux jam cessim ibat, ac non solum cavere nolebat, se ex alio prætexto civitati deinceps molestum esse nolle; sed &, qvæ sui ministri jam annuerant, ut delegatorum missio, & mercium restitutio pari passu fieret. Id qvod Elector ægerrime ferebat, officii sui tam exiguam Cellis rationem habitam, ac pro gratia, qvam meruerit, id sibi impingi, qvasi civitatis pertinaciam obfirmet: cum tamen ipse huic serio moderata ingesserit, etsi ubi ad manus res devenerit, eidem qvantum cuperet copiarum offerret. Sane se civitatis consilia, & decreta pro arbitrio moderari non posse; ac in ejusmodi reipublicæ forma multa ad normam haut qvadrantia dissimulanda, ni totum urbis statum evertere velis. Demum Canitio impense in-
31. Maij. stanti Dux declarabat; circa restitutionem mercium certæ se diei adstringi nolle. Sed si civitas in ablegatorum missionem consentiat, intuitu Electoris circa eas merces ita acturum, ut ea merito contenta esse debeat. Circa Meurerum nil difficultatis fore, modo civitas nil molestiæ facessat, ac bona ejusdem dimittat. Nam eidem decretum à regimine civitatis penitus se removere. Ita negotium ad hæc duo hærebat, qvod Dux nec Meureri protectioni renuntiare, nec liqvido promittere vellet, missionem ablegatorum, ac mercium restitutionem pari passu faciendam. Qvod cum civitas adspernaretur, à Duce tractatio abrumpebatur, & Canitius Cellis dis-
9. Jun. cedebat; testatus, utcunqve res cadat, Electorem urbi haut defore, nec ruinam ejus otiose spectaturum, sed ejus defensionem pro viribus, qvod & Cellensis antea fecerit, susceperum. Ei responsum: Electoris officium haut parvi fieri; sed Ducem salva existimatione plura concedere non posse. Interim Daniæ Rex, cui nulla ejus urbis potiundæ spes, ni ipsa in sui exitium operam navet, Cellensi blandiebatur, nec minus factiosos Hamburgi obfirmabat, protectione sua liberaliter oblata.

1685.

§. 23. Inter hæc Hamburgi dissidia gliscebant; ac dum certi homines Snitqverum extra urbem curru vectum in Luneburgicam rapere tentant, deprehensi novem numero capite plexi plebis animos immensum efferaverunt. Qvod facinus

Apud Cæsarem in Hamburgensi causa acta.

1685. à Rundeccio, Cæsareo Hamburgi ministro profectum Kœnigseckius Viennæ fatebatur, sed qvi nullo ex aula mandato id susceperit. Ac pleriqve Viennæ infensa in Hamburgenses odia spirabant. Sed Elector hisce demonstrari jubebat; ne sua asperitate efficerent, ut tanti momenti urbs alienas in manus incideret. Qvibus monitis parum proficiebatur, nonnullis conscientiam Cæsaris stimulantibus, qvasi ferendum non sit, tot homines ob tentata in Snitqverum supplicio sublatos. Pleriqve etiam sibi blandiebantur, si maxime ad extrema descendatur, Electorem urbis tutelam haut omissurum; ac ea occasione arctissimam conjunctionem inter Daniæ Regem, & Electorem abruptum iri. Unde qvicqvid Elector ibi ingereret, fixum sedebat, Meurerum qvocunqve pretio, & periculo tueri. Vicissim Elector Hamburgenses hortabatur, ut Cæsari scripto causas recusatæ Cellensis Commissionis demonstrarent, refutatis, qvæ de contemtim habita Cæsaris autoritate objiciantur; simul rogarent, privilegium primæ instantiæ sibi illibatum relinqvi. *11. Jul.* Idem qvoqve Viennæ ulterius ostendebat: se Hamburgi omnem operam impendisse, ut Cæsaris autoritas salva sit; qvam in rem etiam civitas pronam se ostendat. Ast huic tranqvillandæ idoneum remedium esse, Cellensis delegationem sine exceptione admitti, ac Meurerum in integrum restitui, de hoc se valde dubitare; ac metuere, si eam rem intentata demum proscriptione pervincere instituant, ingentes turbas surrecturas non sine prostitutione Cæsareæ autoritatis. Eqvidem se decretam à Cæsare Commissionem suo loco relinqvere. Ast qvandoqve non nefas esse etiam ordinarium judicem deprecari. Ac in eo fundatam esse civitatis intentionem, qvod per Commissionem Cæsaream jus primæ instantiæ in cive suum sibi eripi nolit. Cellensem qvoqve studii in alteram partem manifestum esse, qvi nil aliud qværat, qvam ut per Meurerum civitatem in potestate habere, ac pro lubitu pecunia emungere qveat; id qvod haut qvidqvam ex usu Cæsaris sit. Eqvidem Hamburgi patrata qvæ probari nullo modo qveant. Id tamen non toti civitati, sed plebi tribuendum, qvæ nunc ibi prævaleat, ac videndum, ne medicina morbo fiat nocentior, neu ob putridum membrum totum corpus pereat. Sane Cellensem limites mandati migrasse, ac pro cognitore hostem se civitatis tulisse. Ita demum Elector obtinuit, ut Cæsar concederet, ablegatos ab Hamburgensibus Viennam mitti, qvi causam recusatæ Commissionis exponerent; qvos Elector Cæsari, ut benigne exciperentur, impense commendabat. Belgas qvoqve ut Hamburgensium causam amplecterentur, Elector hortabatur. Sed qvi parum studii in eam civitatem ostendebant, cumprimis qvesti, justitiam ibi non nisi per sordes administrari. Ast Hafniæ ministri Danici probabant, ab Hamburgensibus Cæsaream Commissionem repudiatam, qvæ non aliud spectet, qvam ad regimen ibi alterandum, ac ut summa rerum penes Cæsari, ac Luneburgicis obnoxios sit; cum libertati commerciorum nil utilius habeatur, qvam civitatem in medio statu servari, ac ne cui plus ibi autoritatis qvam alteri sit. Ac, eo ipso tamen tempore ablegatus Danicus Cellis diversa omnia differebat. 1685.

§. 24. Cum ita per studia in diversum tendentia negotium indies intricatius redderetur, Elector denuo Canitium Cellas mittebat, tentandæ amicæ compositioni. *Elector denuo Cellas mittit. 10. Sept.* Qvo instante Dux demum detenta Hamburgensium navigia relaxabat; eoqve obtento Electorem adqvieturum sperabat, qvi hactenus pro libertate commerciorum tantopere contenderat. Sed circa reliqva ad tractationem descendere nolebat, qvoad Meurerus in bona sua reponeretur. Is jurejurando se obstrinxerat, simul qvinqvaginta millibus uncialium caverat, se urbe non excessurum. *3. Oct.* Qvo insuper habito idem Cellas se contulerat, absolutione à jurejurando Viennæ obtenta. Qvo facto etsi plebs valde irritata esset; Elector tamen moderata svadebat, ac ut satis haberent munere eum dimovisse; circa pecunias qvo vellet transferendas, ne intercederent. Civitas contra Meurero nil præter incorruptam justitiam promittebat. *27 Oct.* Cellensi autem Elector insinuabat, uti civitatis delegati apud Daniæ Regem Glucstadii benigne admodum excepti fuerint, qvibus is auxilium promte annuerit, libero qvoqve commercio Bergis Norvegiæ indulto. Inprimis eundem cum Snitqvero, & Jastramo valde familiariter locutum. Ista qvo tendant non obscurum esse; ac si urbs pereat, non solum id Luneburgicæ Domui maximo damno fore, sed & ab omnibus culpam mali Cellensi tributum iri. Enimvero Dani blanditiis suis ita Cellensium animos fascinaverant, ut istorum acta his parum suspicionis moverent. Unde Canitius Cellis parum proficiebat, Duce in anteccessum cavere abnuente, dimissis Meureri bonis omnia transacta fore; qvin ut omnia

1685. omnia ex ipsius placito penderent, contendebat. Simul cum Mœrburgo velut loco ad se spectante agebat; cum tamen nil actionis in urbem haberet, nisi è mandato Cæsareo, qvod hautqvidqvam ei facultatem tribuebat bona civitatis invadendi. Nec majus operæ pretium Elector Viennæ faciebat, ubi Hamburgensium ablegati aspere habebantur, negato Cæsaris alloqvio; ac postulabatur, ut tanqvam rei, & convicti se submitterent, ac omnia ad gratiam Cæsaris, vel potius Comitis Oetingani, qvi Judicii Aulici præses erat, referrent. Ac fremebatur; par esse, ut Cæsar majestatem suam qvocunqve pretio erga refractariam urbem stabiliat, ac turbidam multitudinem in ordinem redigat, capitibus factionis è modo sublatis, qvæ & post iter Glucstadiense fidem apud cives decoxerint, conspirationis cum Dano suspecta. Unde nil nisi de submissione, deprecatione, ac satisfactione crepabatur; Electore contra ingerente, ut Hamburgenses delegati à Cæsare audiantur, ac Cellensi injungatur infensa adversus urbem omittere. Ita si tanti momenti urbs tunc alienum jugum subiisset, non adparebat, qvomodo aula Viennensis, ac Cellensis culpam ejus mali à se avertere posset.

periculosæ machinationes grassantibus per- 1686.
tulerit; ac usi eidem adhuc infensa, cumprimis occasione Palatinæ successionis intententur, ita ut nigliscenti indies malo idonea remedia opponantur, exinde eversio status publici proventura videatur. Igitur in salutem Imperii firmam amicitiam, & conjunctionem inter Cæsarem, & Electorem constitui. Neutri integrum sit fœdus cum alio Principe inire, qvod alteri parti directe, aut obliqve fraudi esse, aut dissensionem inter ipsos excitare, aut impedire qveat, qvo minus hoc fœdere conventa impleri possint. Si qvod fœdus deinceps sit faciendum, id ante conclusionem bona fide invicem communicetur. Circa fœdera, qvæ utrinqve jam extant, utraqve pars declarat, ex iis nullum esse, qvod huic adversetur; ac si maxime tale qvid extet, qvod tamen non est, id qvatenus adversam huic interpretationem admittere potest, invalidum, ac plane abolitum censeatur, eidemqve hoc ipso renuntiatum sit. Id fœdus initur pro publico bono, & ad conservationem, ac defensionem Imperii, ac utriusqve ditionum; cus fundamentum est pax Westphalica, ac nuper inita Ratisponæ cum Gallo inducia; qvi uterqve tractatus ut axacte servetur, uterqve fœderatorum operam dabit. Si Imperium, aut qvispiam ejus & statuum ab ulla extranea potentia vi, bellove invadatur, aut sub titulo reunionum, dependentiarum, aliove pretexto circa ditiones, ac jura sua ladatur; Cæsar, atqve Elector super ea re consilia conferent, atqve convenient, qva ratione per idonea, & efficacia remedia perfici qveat, ut ea vis externa avertatur, Imperio sua integritas, & compages conservetur, nec ei qvid amplius detrahatur, nec ejusdem fines imminuantur; sed ut cuilibet Ordinum sua jura salva sint, ac læso debita satisfactio fiat. Qvia etiam Aurelianensis Dux nomine conjugis in aliqvas partes Palatinarum ditionum actionem movet, Elector promisit, siqvidem Palatinus in Palatinatu, aut Juliacensi provincia bello petatur, aut in jure suo, ac legitima possessione qvocunqve pretexto, aut titulo, ac peculiariter obtentu reunionum, dependentiarum, aut qvocunqve vocabulo veniant, omissa ordinaria juris via per vim turbetur, id Elector pro casu fœderis habebit, ac Palatino copiis infra expressis adsistet, non secus, ac si ipsi pacisicentes impetiti forent; ea tamen lege, ne Cæsar tunc idem auxilium alio loco, eoque duplicatum exigat. Si alteruter à qvocunqve in ditionibus, ac juribus suis turbetur, aut in provinciis suis per transitus militum, stativa, delectus, tributa, aliaqve onera molestia afficiatur, aut id futurum certa indicia adsint: tunc alter turbatorem sero debortabitur, ac

Electoris cum Cæsare fœdus.

§. 25. Interim Elector superbiam amicitiæ Gallicæ pertæsus, ac nil fidum in pactis cum eo Rege perspiciens, qvæ perrumpere, qvotiescunqve fines dilatandi libido subiret, nullus pudor, nulla religio erat, vinculum cum Cæsare arctius stringere instituit. Itaqve primum cum hoc convenit super mittendis in auxilium VIII M militum, qvorum maximam partem pedites facerent, qvibus Elector in sex menses de stipendiis prospecturus sit. Idem qvoqve Cæsari CCC M uncialium è residuis Hispanicis subsidiis in usum hujus belli cedebat. Vicissim Cæsar ad levandos sumtus Electori CL M uncialium numerabat. Circa eas copias conventum, ut mense Majo iter ingrediantur: nullius præter Cæsaris, ac Lotharingi imperium agnoscant: ne dividantur; earum dux consilio bellico semper adhibeatur; iisdem publicus sacrorum suorum cultus concedatur; præter alias cautelas ad earum conservationem
25. Dec. proficuas. Post qvoqve super prætensionibus, qvæ Electori in Cæsarem erant,
8. April. 1686. transigebatur, simul fœdus mutuæ defensionis sanciebatur. *Ejus ingressu memorabatur, qvantum damni Imperium ab aliqvo tempore ob interna dissidia, ac præcipue ab exteris hostibus per apertam vim, insidias, ac*

1686. *si id non proficiat, læso adsistet, ac infra expressa auxilia intra duos menses à die requisitionis præstabit; eaqve tamdiu continuabit, qvoad offensa pars in statum, qvi ante turbationem, vel invasionem fuit, plene restituatur, damni qvoqve, ac injuriæ reparatione obtenta; nisi forte requisitus copiis suis ad propriam defensionem opus habeat. Hoc fœdere comprehendantur omnes utriusqve ditiones præsentes, ac deinceps adqvirenda. Si Hispaniæ Rex improlis moriatur, eo casu Elector Cæsari ad obtinendum, qvod legitime in eum devolvetur, promissum auxilium præstabit. Sed qvia eo casu universalis per Europam rerum conversio metuenda est, inter utrumqve de modo, & conditionibus, & qvid alias suscipiendum sit, peculiariter tractabitur. Modus auxiliorum iste sit. Cæsar Electori III M eqvitibus, M dimachis, VIII M peditibus; Elector Cæsari MCC eqvitibus octingentis dimachis, VI M peditibus adsistet; qvos uterqve suis sumtibus sustentabit. Is numerus si non sufficiat, super augmento copiarum in dimidium, aut duplum convenietur, auxilio ad modum periculi temperato. Circa jurisdictionem, & imperium in copias, rem machinariam, bellicumqve instrumentum, annonam, & alia observabuntur, qvæ communiter solent; de qvibus peculiari conventione statuetur. Durabit hoc fœdus ad annos viginti, ante qvorum finem de prorogatione agetur. Sed si in fine ejus temporis partes in præsenti periculo, ac bello deprehendantur, fœdere definita continuabuntur, qvoad periculum, vel bellum cessaverit. Qvia Electori ad præstanda hoc fœdere promissa semper numerosus miles sustentandus est, Cæsar in sumtuum levationem annuatim tempore pacis C M florenorum Rhenanorum, belli tempore C M ungialium numerabit. Ut qvoqve omnia, qvæ hanc amicitiam turbare possint, amoveantur, ac omnes prætensiones, ac controversiæ hinc inde uno velut ictu aboleantur, ita porro conventum est. Qvia Elector non solum à tempore motuum Bohemicorum in Carnoviam velut domui suæ avulsam, sed & post mortem ultimi Ducis in tres Ducatus Ligniciam, Briegam, & Wolaviam cum Dynastia Beutena, & aliis partibus, ut & sumtuum nomine in novam fossam factorum actionem movet; ideo Cæsar his prætensionibus extinguendis Electori cedit in Silesia districtum Svvibussiensem tanqvam feudum masculinum cum superioritate territoriali, ac omnibus inde pendentibus juribus; ut tamen Electori haut integrum sit in eo munitiones extruere; tum ut idem tam Catholica, qvam Augustana sacra in eo statu, qvo nunc sunt, inturbata relinqvat, ac clericorum ibi, & provincialium Ordinum jura ac privilegia tueatur. Cedit qvoqve* 1686.
Cæsar Electori Lichtensteinianum creditum in Frisia Orientali cum omni causa, in cujus cautionem Essena, & Witmonda exposita sunt. Vicissim Elector omni actione in Carnoviam, Ligniciam, Briegam, & Wolaviam, ut & Beuthenam, ac alias partes in perpetuum renuntiat. Promittit qvoqve pro se & successoribus suffragium suum Archiduci Josepho ad Coronam Cæsaream, aut Regiam Romanam, ubi id expetatur. Navabit qvoqve Elector operam ad conservationem Belgii Hispanici, ubi id bello impetatur, acceptis certis subsidiis. Cæsar qvoqve operam dabit, ut Electori super reliqvis Hispanicorum subsidiorum satisfiat. Si Cæsarem, ac Imperium cum Gallo bello collidi contigerit, Elector operam conferet, ut Lotharingus restituatur, aut eidem alias satisfiat. Bello exorto neuter absqve altero pacem, aut inducias faciet; sed id utiqve communi consensu fiet. Qvia ob hospitia ingens confusio in Imperio surgere solet, uterqve operam sociabit, ut assignatio hospitiorum pro conditione operationum bellicarum, ac temporum semper cum consensu Cæsaris instituatur; circa qvæ Cæsar Elector alium copiarum non secus ac propriarum rationem habebit. Circa Poloniam qvoqve invicem communicabunt, ut Reipublicæ libera electio, & alia jura sarta tecta sint. Ratihabitio intra mensem fiet. Is tractatus Berolini opera Francisci Henrici Freitagii, ac Pauli Fuchsii conficiebatur. Idem tunc secretus habebatur: sed alius in speciem adornabatur, qvi communicari posset, de cessione Svvibussii, & Lichtensteiniam crediti, ac renuntiatione Electoris in Ducatus Silesiæ, additis qvibusdam articulis super mutua defensione; sed cui nulla vis obligandi inerat. Cæterum ea ditio Svvibussiensis à Cæsareis delegatis Christophoro Wenceslao Nostitio Comite, & Francisco Slegenbergio Barone ad diem XII Augusti Electoralibus delegatis Christophoro Brandio, Joanni Friderico Retzio, Ludovico Brandio, & Joachimo Sculteto tradita fuit.

§. 26. Cæterum vi jam adductæ conventionis Elector octo militum millia in Hungariam misit sub ductu Joannis Adami Schœningii, qvi ideo delectus est, qvod tunc animo à Gallis aversо esset; ubi oppugnatio Budæ à Cæsareis suscipienda erat. Constabant eæ copiæ duabus eqvitum, una dimacharum legionibus, ac decem peditum phalangibus, selecto, ac armis, vestibusqve optime instructo milite; qvas duodecim campestres machinæ, ac duo mortaria, aliæqve duæ machinæ patulo ore seqve-

Expeditio copiarum Electoralium ad expugnandam Budam.

ban-

1686. bantur. His ut apud Crosnam convenirent injunctum; ubi Elector in aciem explicatas circumeqvitans perlustrabat, inde valedicens ad concordiam, & fortitudinem, ac ut gloriam Brandenburgicorum armorum augere studerent, hortabatur. Inde copiæ triplici agmine per Silesiam iter Jabluncam perrexerunt. Eas angustias ut tuto transirent, præmittebantur, qvi vias munirent; tum valida manu agmen claudebatur arcendis latronum incursibus. Superatis montium claustris Syllanum attingitur, tum Wagus fluvius ratibus trajicitur. Trenschinum delatis à Starenbergio literæ adferuntur ad accelerandum iter hortantes, ac ut Schœningius qvamprimum ad Lotharingum se conferret, super obsidio Budæ dirigendo consilia collaturus. Qvi & copiis qvantum possent subseqvi jussis Budam ad eum Ducem præcurrit, obsidentium opera, & qvo loco Brandenburgicis oppugnatio suscipienda foret, inspiciens. Postera die ad copias regressus, eas demum ad dimidium à Buda milliare adduxit, ubi à Lotharingiæ Duce conspectæ sunt. Sub vesperam ejus diei Cunradus Hildebrandus Marvvicius summus excubiarum præfectus, ac Joannes Georgius Bellingius tribunus cum duodecim centuriis mittuntur capessendæ ante urbem stationi; qvi & prima nocte ad L passus à mœnibus progrediebantur, sic ut Brandenburgicorum linea Cæsareæ responderet. Dum suggestus octo grandioribus machinis extruitur, Carolus Dœrflingius, qvi inter volones agebat, occumbit. Postridie linea communicationis cum Cæsareis operibus perficitur, nostrorum operibus Cæsarea jam plane æqvantibus, qvibus struendis tamen hi tres jam septimanas impenderant. Hostes inde post incensum cuniculum validam eruptionem faciebant, ac in Cæsareorum juxta, nostrorumqve lineam insilientes militum stationes turbabant, nonnullis cæsis; mox tamen repellebantur, nostris aliqvot istorum capita referentibus. Kalendis Julii è nostrorum suggestibus mœnia verberari cœpta. Triduo post Cæsarei in ruina mœnium à se facta locum capessere conantes post duarum horarum pugnam repulsi sunt. Et qvia primarii volones simul assultaverant, ex iis Dux Vechæ è proceribus Hispaniæ, Princeps Veldentinus, ac multi alii cecidere. E nostris Carolus Æmylius Dona Comes in fronte lineæ globo trajectus occubuit. Eum inter assultum Turcæ eruptionem faciebant, sed qvi à Marvvicio, & Alexandro Curlandiæ Principe strenue repellebantur. Cum inde nuntii adferrent,

17. April.
17. Maij.
29. Maij.
4. Jun.
10. Jun.
21. Jun.
25. Jun.
26. Jun.
29. Jul.
1. Jul.
4. Jul.
Dux de Vechæ.
10. Jul.

LXX M Turcarum cum XL machinis ad liberandos obsessos accedere, ac qvosdam jam pontem ad Essecum transisse, Lotharingus comitante Schœningio montes circa urbem lustrabat, qva commodissime miles, ingruente hoste collocari posit: simul ante ejus adventum assultum tentare placuit; sed qvi irritus fuit, qvod exoriente luce duo cuniculi qva Cæsarei oppugnabant incensi retro impetu dato multos obsidentium occiderent, aut sauciarent. Turcæ qvoqve in Bavarorum opera erumpentes centum amplius, plerosqve Saxones cæciderunt, qvos inter Lœbius tribunus, simul tres machinas clavis confixerunt. Eodem die globus ignivomus in urbem injectus mille qvingenta vasa pulveris pyrii incendit, cujus vi ædificia circum horribili cum fragore in aërem elisa, ac ingens mœnium ruina Danubium versus edita, qva duæ phalanges extensa fronte ingredi potuissent. Sed qvia ad eum locum obsessoribus accessus non patebat, assultus dari non potuit. Perfecto dehinc cuniculo sub rotunda munitione Lotharingus obsessis deditionem imperabat; sed qvi ferociter respondebant: è facta defensione satis adparuisse, fortes se viros esse. Et qvia certi sint à Propheta suo se haut deserendos, decretum sibi ad extremum usqve resistere. Ita cuniculus XL vasis pulveris plenus incensus est; sed qvi retro vertens centum qvinqvaginta Cæsareorum, viginti nostrorum necavit, illæsis mœnibus. Cum itaqve cuniculi tam sinistre succederent, Lotharingus continuo ex omnibus suggestibus in mœnia fulminare, ut si idonea ruina edita foret, ante hostium adventum assultus tentaretur. Qvanqvam autem ruinæ, qva parte nostri rem gerebant, nondum satis depressæ forent; tamen qvia Lotharingus oppugnationem valde cupiebat, noster dux qvoqve non recusabat, ut tamen nostros Cæsareis non misceri, sed seorsim ad sinistram rotundæ munitionis assultare vellet. Hostes interim tribus locis magna vi erumpebant; sed qvi nostros invadebant, aliqvoties ad portam usqve repellebantur. Ea pugna subtribunus Fridericus Otto Lœschebrandius cum tribus aliis præfectis, dum fervidius in hostem ruunt, cæduntur. Hostium plurimi in loco pugnæ jacebant, Lotharingo nostrorum virtutem magnis laudibus ferente. Biduo post inclinante in vesperam die ter mille selecti assultum fecerunt, Hungaris qvoqve ad flumen tumultum excitantibus distrahendo hosti. E Cæsareis, Bavaricis, ac nostris singula millia erant. Cæsarei ob complures cuniculos hinc inde incensos, ac

12. Jul.
13. Jul.
14. Jul.
15. Jul.
17. Jul.

1686. reſiſtentes fortiter hoſtes ter repellebantur, anteqvam in ruina pedem figere poſſent. Sed noſtri citato gradu in ruinam enixi palorum ordines ſtatim perrumpebant, ac firmo pede captum locum tuebantur, utut Turcis acriter reſiſtentibus multi caderent, aut ſauciarentur. Et cum in horum locum recentes ſubmitterentur, noſtri Turcis qvantumvis acriter reluctantibus ita ſe immuniebant, ut Cæſareis ſimul incumbentibus iſti exteriora mœnia relinqvere, ac poſt interiora ſe recipere cogerentur. Per noctem Wilhelmus Brandius tribunus captum locum lorica amplectebatur. Hoc aſſultu inſignem operam navarunt Marvvicius, & Joannes Albertus Barfuſius, ſummi vigilum præfecti, qvorum hic inter pugnandum in ruinas enixus eſt. Ceciderunt tunc Alexander Princeps Curlandiæ, & Dietericus Dona Comes, tum ſubtribunus Balthaſar Fridericus Bornſtedius, & præfectus vigilum Elſnitius. Bellingius tribunus globo trajectus eſt. Ac revera, admodum cruenta erat ea pugna, qva noſtrorum qvadraginta ductores ſuperiorum, triginta ſex inferiorum graduum cum qvadringentis decem gregariis occiſi, aut vulnerati ſunt. Poſt capta loca munitionibus
13. Jul. firmata in interiora aliqvid ruinæ per machinas in exterioribus collocatas fiebat. Sed qvia interjecta foſſa ita profunda erat, ut difficillimus in eam deſcenſus, & ex altera parte adſcenſus foret, ad pedem mœnium
24. Jul. aditus in foſſam excavabatur. Incendi dehinc cuniculum Lotharingus juſſit, nullo effectu; ac, diſſvadente licet Schœningio, mille ſelectos aſſultare juſſit, qvorum qvartam partem noſtri addiderant. Sed qvi non modica cum ſtrage repulſi ſunt; noſtris undecim ductores ſuperiorum, octo inferiorum graduum cum CLV gregariis deſiderantibus. Sed inter id certamen Barfuſius, qvi ad ſiniſtram operum Brandenburgicorum curabat, modicam munitionem rotundam occupaverat, qva totum latus mœnium nudabatur, unde noſtris hactenus multum damni datum fuerat. Qvia porro ab aliqvot diebus de adventu Turcarum certi nuntii retulerant, Lotharingus caſtra
28. Jul. mutare, ac operibus amplecti inſtituit: id qvod paucos intra dies perfectum eſt, legionibus interim ante opera ſtationem agitantibus. Ac mox hoſtis dimidio à caſtris
29. Jul. milliari in monte LX M numero ſe oſtendebat, ac ibi metabatur; unde qvotidie aliqvot centuriæ ad Bavaricas munitiones deſcendentes cum Huſſaris, ac volonibus velita-
1. Aug. bantur, exiguo utrinqve damno. Aſt Schœningius probante Lotharingo ad ſiniſtram ſuorum caſtrorum per vallem lineam duce- 1686.
bat, ad montem usqve porrectam, in qvo ſtelliforme caſtellum excitabatur, milite ac machinis inſtructum, tegendis eo latere caſtris. Conſilio dehinc habito decretum tres cuniculos incendere, ac denuo aſſultum tentare; cui obeundo M pedites, totidem eqvites deſtinati erant, qvorum qvarta pars noſtris conſtabat. Sed qvia cuniculi ſine fructu diſſiluerant, oppugnatio omiſſa. Seqventi die placuit acceſſibus valido mi- *2. Aug.*
lite inſeſſis, exercitum in hoſtem ducere. Sed qvia compertum, eum in monte opportuno loco metari, legiones intra munitiones reductæ ſunt. Poſtero die exercitus *3. Aug.*
extra munitiones in aciem explicatus ſtetit; nil tamen actum, niſi qvod ſparſi qvidam hoſtium cum Huſſaris velitarentur. Et qvia Turcæ dicebantur poſtera luce liberationem urbis tentaturi, exercitus eam noctem in armis egit. Orta luce hoſtis monte di- *4. Aug.*
greſſus in acie conſiſtere cernebatur. Aſt Lotharingo haut placuit ei obviam procedere, ſed firmato pede eundem expectare. Circa horam ſextam matutinam valida Spahiorum, & Janizarorum manus, reliqvo exercitui disjuncta, ad dextram montes verſus progredi conſpecta. Sed in aliam manum, qvæ propius noſtrorum opera præteribat, globus ignivomus emiſſus, qvi in medios prolapſus ita eos conterruit, ut diſſipati longius faceſſerent. Poſtqvam inde Dunevvaldus procurrentes Turcarum turmas profligaſſet, Lotharingus ſiniſtrum cornu, in qvo noſtri conſiſtebant, extra munitiones progredi jubebat, ac toto cum exercitu in hoſtem tendebat; ſed qvi propius ſubire non audebat, niſi qvod bis aliqvot millia eqvitum in dextrum cornu impetum facerent; ſed qvos repulſos machinarum globi eminus proruebant. Contra noſtras legiones ingens caterva eqvitum conſiterat, qvi per ſpatium inter noſtros & Cæſareos interjectum, mille amplius paſſuum patens, Cæſareis juſto longius dextram verſus protenſis, irrupturos ſe minabantur. Sed cum Schœningius eo animadverſo turmas è ſecunda acie id ſpatium implere juberet, hoſtis omiſſo perrumpendi conatu in montem ſe ſubducere cœpit. Lotharingus qvoqve ingruente veſpera exercitum intra munitiones reduxit, qvi tota nocte in armis conſiſtebat. Interim hoſtis ad noſtrorum *6. Aug.*
acceſſus cuniculum duxerat, qvi incenſus duarum perticarum ſpatio palorum ordinem, qvo acceſſus tegebantur abripuit; inde miles ex urbe ad eum locum erupit: ſed is feliciter repulſus, paliqve protinus reparati ſunt. Poſtera die cuniculus ho- *7. Aug.*
ſtium

1686. ſtium noſtris adverſus eſt detectus, unde noſtri hoſtiles foſſores ejecerunt, abreptis
8. Aug. inſtrumentis. Mox cuniculus à Cæſareis ſine effectu incenſus, eoqve & qvi deſtina-
9. Aug. batur aſſultus omiſſus eſt. Tentatum inde media nocte, num ſtatio in muro interiore capeſſi poſſet. Sed cum qvi primi incedebant L. milites repulſi eſſent, is conatus omiſſus. Aſt poſtridie primo mane ingens
10. Aug. hoſtium globus munimentis noſtrorum ingruebat, in qvem cum ducentos paſſus adhuc remotum, tres octilibrium globorum machinæ diſploderentur, is ad ſiniſtram averſus Ladronii eqveſtrem legionem non procul à noſtris conſiſtentem perrupit, ac per vallem ad urbem ruit; in qvam tamen vix ducenti penetrarunt: reliqvi ad ſexcentos ab hinc inde adſtantibus cæſi. Per complures inde noctes exercitus inſtructus ſtetit ad hoſtem, qvi qvotidie irruptionem in urbem minabatur, excipiendum, operibus interim ad occupandum interiorem murum promotis. Sed demum cum exercitus tota nocte in armis conſtitiſſet, ſummo mane Turcæ cum Cæſarea ſtatione ad dextram ſecundum Danubii ripam ſimul ruebant. Eos qvanqvam inde è flumine aliqvot armata navigia, inde pedites rotundam munitionem inſidentes eminus globis peterent; tum Cæſarea phalanx ſecundum munitiones diſpoſita, tum ſeptem turmæ ſub Heuslero, novem ſub Mercio conſiſtentes acriter exciperent; aliqvi tamen perrumpentes in urbem ſe penetraturos ſperabant. Sed cum milite inſeſſos reductus ſuperare non poſſent, verſus noſtrorum caſtra ruebant. Aſt Schœningius, ne hoſtis noſtrorum tergo ingrueret, cum duabus eqvitum, totidem dimacharum turmis obviam iis tendebat, ac commodum in Lotharingum non niſi ſex eqvitibus ſtipatum, nec modico in periculo verſantem incidebat; qvi ejus occurſu lætus pariter cum noſtris lateri hoſtium invectus eos profligabat. Qvi interius perrumpere conati fuerant, ad unum tædebantur. Qvo nomine Dux toto coram exercitu Schœningio gratias agebat, noſtrorumqve virtutem, ac dexteritatem extollebat. Eodem tempore obſeſſi qvoqve eruptione facta adventantibus ſuis, ſi qva poſſent, acceſſum pandere conabantur, ſed qvi qvadraginta deſideratis repulſi ſunt. Excitatus inde ad dextram magni propugnaculi rotundi ſuggeſtus, è qvo ſex grandioribus machinis nova ruina edita, unde, ſi aſſultus fieret, hoſtis latera infeſtari poſſent. Eodem die Scherfenbergius è Tranſſylvania cum X M militum veniebat. Unde habito conſilio de-
1. Sept. cretum omni ex parte urbem aſſultare. Paratis omnibus hora qvarta pomeridiana impetus fit, ac Turcis licet acerrime reſiſtentibus ſelecti in urbem irrumpunt. Irruentes ad dextram Dux Crojanus, ad ſiniſtram Barfuſius, in medio Schœningius valida manu ſuccincti fulciebant. Captam urbem ferrum, ac ignis vaſtavere. Qvi cædi ſuperfuerant Turcæ in arcem refugi poſtera
1. Sept. ſe die Bavari arbitrio dediderunt. Inventa eſt in urbe machina globos viginti libras jaculans, Brandenburgicis inſignibus notata, qvam Cæſar Electori cum alia Turcica triginta ſex librarum globos evibrante in tropæi vicem donabat. Ita inane fuit Rebenacii augurium, qvi non modicis ſponſionibus certaverat, Electorem hac expeditione operæ pretium non facturum; cum noſtrorum virtus Viennæ ante omnes reliqvos auxiliarios celebraretur. Poſt expugnatam Budam Lotharingus Turcis ſeſe recipientibus complures per dies inſiſtebat. Sed cum mandatum Vienna veniret, ut fœderatorum copiæ in provincias ſuas reverterent, Schœningius qvoqve per alteram Danubii ripam noſtros reducebat. Nam ſuper hibernis eorum inter Cæſarem, & Electorem convenire non poterat, qvod Cæſar hæcce iſtis in Sileſia, uti Elector cupiebat, nullo modo permittere vellet. Ita Cæſari, qvanqvam conventum tempus elapſum nondum eſſet, tam bene meritum militem, ac numeris haut parum imminutum mature domum remittere placuit, ne hiberno qvoqve itinere attereretur. In reditu Schœningius Viennam excurrens non modicis laudibus noſtrorum virtutem ferri audiebat. Non levi tamen offenſa contracta inde diſceſſit, qvod à Cæſare oblatum ter mille aureorum donum inferius ſuis meritis duceret, idqve non ſine contemtu remitteret. Eum & antea arguerant itineris per Sileſiam data opera lente extracti, cum ſingulis diebus provinciæ ſena uncialium millia in noſtras copias inſumenda eſſent; qvin aliqvi id iter provinciæ ſeptingentis uncialium millibus conſtitiſſe ferrent. Ac jam Kinskius, aliiqve malevoli anſam arripuerant, ipſum Electorem ſiniſtris ſuſpicionibus onerandi. Sed Schœningius oſtenderat, ipſos Cæſareos in cauſa fuiſſe, qvi adeo ſegniter itineri neceſſaria curaſſent. Cæſar poſtea iſti Berolinum reverſo gladium donabat adamantibus ornatum, qvi duodecies mille uncialium pretio taxabatur. Qvo tamen viri animum hautqvidqvam ſatiatum fuiſſe ſequentia tempora oſtenderunt.

1686. §. 17. Eodem anno Electori cum Sveciæ Rege istlhoc fœdus ferire placuit. *Cum sancita olim inter Svecia Regem, ac Electorem fœdera, ac conciliata iisdem arctior amicitia exortis novissimis bellis aliquantum fuerit interrupta, neque hactenus temporum ratio fruerit, pace quidem redintegrata, per novi fœderis nexum intimioris confidentiæ cultum denuo stabiliri; summe memorata vero S. R. Mtas æque, ac Ser. S. Electoralis pro ea qua pollent prudentia reputarint secum, atque perpenderint, quampene nusquam non terrarum turbulenti gliscant motus, adeoque atrocia quævis minentur, ut vix aliud quam graves rerum vicissitudines, ac pene universalis status publici convulsio metuenda sit; præcreaque facile intelligi possit, diffidentia semina, quæ ab aliis hactenus magna cum industria impediendæ confidentiori amicitia inter S. R. Mtem, ac Ser. Electoralem cvalitura jacta, sparsaque sunt, bono publico, atque utriusque ditionibus summum allatura esse præjudicium, atque detrimentum; proindeque non publica tantum res profuturum, sed & utriusque status securitati, atque emolumento magnopere consultum iri, si pristina tantos inter vicinos intimioris benevolentiæ, ac strictioris amicitiæ cultura novi fœderis vinculo firmata reflorescat. Quocirca pro assequendo tam præclaro, tamque salutari scopo visum utrique fuit Consiliariis suis, atque ministris id negotium perficiundum committere; ita quidem, ut S. R. Mtas Svecia ablegato suo Eberhardo à Grafenthal plenis ad id mandatis instructo, Ser. autem Sua Electoralis Consiliario Status sui intimo Paulo à Fuchs, itidem plena potestate ad id munito, id muneris injunxerint. Illi igitur institutis congressibus, & commutatis invicem plenipotentiis ad calcem tractatus hujus adjectis, sequentes fœderis defensivi leges, atque articulos concinnarunt, concluserunt, & sanxerunt. I. Sit inter S. R. Mtem Svecia, ejusque successores ab una, & Ser. Suam Elect. Brandenburgicam, ejusque successores ab altera parte sincera, firmaque amicitia, ac fida vicinitas vi hujus defensivi fœderis constituta ac stabilita, ab utraque parte sancte ac inviolata colenda, adeo ut confœderatorum alter alterius commoda, atque emolumenta procuret, damna vero, atque præjudicia omni modo amoliatur, atque avertat; eoque si parti uni compertum quidquam fuerit, quod tendat in alterius præjudicium, atque noxam, id ei bona fide communicare ne intermittat. II. Neutri confœderatorum fas sit pacta inire, aut fœdera cum aliis Statibus, quæ alteri parti quocunque modo sive directe sive indirecte præjudicii quidquam, aut damni afferant, aut dissensioni alicui inter ipsos, diffidentiæque materiam, ansamque præbere* 1686. *queant, aut denique iis, quæ hoc fœdere promissa, ac sancita sunt, impedimento esse possint; prout utraque pars hoc ipso profitetur, ac declarat, nulla sibi esse fœdera, quæ præsenti conventioni adversentur, ac si forte una vel altera pars fœdus aliquod pangere è re sua duxerit, id ante conclusionem alteri parti sincere communicare tenebitur. III. Quemadmodum hoc fœdus defensivum in nullius offensionem, seu læsionem tendit, sed potius pro bono publico, & inprimis ad conservationem, ac tutelam utriusque respective Regni, atque Electoratus, nec non utriusque ditionum, provinciarum, ac subditorum initum est; ita eidem pro fundamento erit conservatio pacis Westphalicæ, nec non pacificationis postmodum anno 1679. ad S. Germanum conclusæ, atque ab utraque pacis sentium parte ratihabita; dabiturque à confœderatis opera, ut dicti tractatus absque contraventione secundum genuinum eorundem sensum serventur inviolabiliter. Quoad armistitium Ratispona novissime inter S. Cæs. Mtem, & Imperium Romano-Germanicum ab una, & Coronam Gallia altera à parte conclusum, confœderati junctis cum Cæsare, & Imperio consiliis prospicient, quibus modis illi suus vigor constare possit. IV. Quandoquidem etiam confœderatis utriusque summopere interest, Imperium Romano-Germanicum sartum tectum, illæsumque permanere, nec quidquam ab ejus compage, atque corpore imminui, decerpi, aut avelli; itaque se mutuo hoc fœdere obstringunt, si Imperium Romano-Germanicum, veletiam unus alterve ex ejusdem Statibus ab aliqua externa potestate vi aliqua, aut bello impetatur, aut infestetur, illos illico de eo inter se confidenter acturos, & deliberaturos, quemadmodum efficaciter, ac per media adæquata vis illa externa arceri, atque averti, Romanum Imperium suos intra limites, ac fines inconcussum manere, juraque illius illibata retineri, ac unusquisque Imperii Status fidelis juribus, immunitatibus, ac præeminentiis suis absque perturbatione frui possit. V. Pari ratione cum pars magna ditionum, utriusque fœderati sita sit in duobus Circulis Saxonicis, Superiori ac Inferiori, promittunt itidem utrinque eo curam suam conferre velle, ut pax, atque tranquillitas utroque in Circulo Saxonico, ut & in Circulo Westphalico conservetur, removeaturque omne id, quod interturbare eandem, aut destruere valeat. Quem in finem utrique animus est, Ducalem Domum Brunovico-Luneburgicam, utpote ad cujus rationes res eadem magnopere pertinet, quæque eundem habet sibi præfixum scopum, in confœderationis hujus societatem invitare, & adscitere.*

1686. *Fœdus cum Svecia Rege. 10. Febr.*

1686. *sciscere. VI. Porro quemadmodum dissidia inter Regem Daniæ, & Ducem Slesvici atque Holsatiæ lineæ Gottorpiensis, nunc quam maxime ferventia, ejus sint indolis, ut turbæ inde, belliqve aliquod incendium in Circulo Inferioris Saxoniæ, ejusqve vicinia facile oriri possit; pollicetur atque spondet Ser. S. Electoralis officia sua, studiaque, ubicunqve locorum id fieri utiliter poterit, serio, omniqve conatu impensurum, atqve eo collaturum, ut dissidia illa quantocyus sopiri, amicabiliterqve componi possint. VII. Inprimis vero se mutuo obstringunt confœderati vi hujus fœderis, si alterutri ab alio quocunqve in eorum respective Regno, & Electoratu, nec non eorundem ditionibus ac terris, vel denique quoad jura sua vis, vel injuria, vel turbatio fiat, ac inferatur, aut ditiones eorundem, ac terræ hospitationibus, transitu, stativis, militum collectionibus, & conquisitionibus, contributionibus, exactionibus commeatuum, aliarumque rerum ad adparatum bellicum pertinentium, vel aliis oneribus, atque postulatis divexatæ, atque afflictæ fuerint, aut talia adversus eosdem parari certo constiterit, in eum casum alteri incumbet turbatorem seriis admonitionibus, & ab ejusmodi molitionibus debortari, & si irrituma id fuerit, gravato opem ferre atque suppetias hoc fœdere sancitas atque promissas, & quidem intra duos menses à die requisitionis facta, ita ut ad id tempus illa reipsa ac in effectu præstentur. VIII. Quo vero cuncta inter confœderatos, nec dum complanata controversia circa limites, & alia quædam negotia hujus fœderis destinato scopo nihil obicis atque remora ponant, conventum est, ut de iisdem porro amicabiliter agatur, ac utraqve ex parte expediendis iis quæcunqve fieri potest facilitas afferatur, qvo per amicabilem compositionem vel inter ipsosmet, aut per arbitros ad id denominatos dirimantur, nihil vero interea cuiquam vi facti durante hoc fœdere sub qvocunqve prætextu tractare liceat. IX. Includuntur & comprehenduntur hoc fœdere confœderatorum respective Regnum & Electoratus, nec non utriusqve ditiones & provinciæ ubicunqve locorum sitæ, ita ut qvocunqve in loco aggressio, aut turbatio facta fuerit, ad mutuam sibi opem ferendam teneantur. Cæterum qvoad modum auxiliorum ita placitum conventumqve est, ut quamvis alterutrius confœderatorum ditiones extra Romanum Imperium jacentes hostili turbatione & invasione infestari contigerit, auxilia tamen à confœderato altero mittenda atqve præstanda ad operationes bellicas non extra Imperii limites trahantur, aut transferantur, sed ab utraqve parte ad earum saltem ditionum securitatem atqve defensionem adhibeantur, qvæ intra complexum Imperii Romani-Germanici* 1686.
continentur, & qvæ inde hostia maxima clades inferri possit. X. Jam qvod ipsas attinet copias, inter confœderatos conventum est, ut S. R. Mtas Serenitati S. El. V M peditum, M eqvitibus, & M dimachis, vulgo dragones; vicissim Sua Ser. Electoralis Sua R. Mtis IV Millibus peditum, M D eqvitibus, & D dimachis, vulgo dragones, auxiliari vel subvenire debint. XI. Qvod si tamen expressa superiori articulo suppetia ad propulsanda pericula læsæ parti illata atqve intentata haut sufficere censeantur, eum in casum confœderati de augmento copiarum ad dimidium vel duplum usqve inter se pacisicentur, auxiliumqve ad proportionem periculi determinabunt ac metientur, eritqve penes requirentem optio, utrum promissum auxilium sive totum sive ex parte velit exigere. XII. Iterqve confœderatorum tenebitur stipulatas suppetias duos intra menses à die requisitionis factæ in requirentis terras vel ditiones, quem in locum id desiderabitur, salva tamen distinctione nono articulo circa utriusqve provincias extra Imperium sitas, commemorata, effective & nulla absq; exceptione, contradictione, aut cunctatione, sub qvocunq; prætextu id fieri possit, submittere atqve exhibere, citra tamen necessitatem cum invasore rumpendi, nisi forte in posterum aliter de hoc statutum atqve conventum fuerit. Tenebitur tamen requisitus efficacia qvævis interponere officia ad obtinendam parti læsæ aqvam satisfactionem. Et sive officia illa futura sint frugifera, sive irrita, nihilominus requisito adstricto erit ad auxilia ex pactorum formula submittenda, & ad eadem eousqve continuanda, donec pars læsa priori statui, in qvo ante turbationem vel invasionem fuerat, plenarie restituatur, damnumque sarcitum, atqve injuria illata debite reparata sit. Si vero requisitus, vel auxiliator ipse invasione, vel violentia aliqva obruatur, adeoqve auxiliaribus copiis ad propriam suam defensionem, atqve incolumitatem tuendam sive in totum, sive ad partem eguerit, ad mittendas suppetias haut obligabitur. XIII. Qvæ durante hoc fœdere observanda erunt circa imperium militare, jurisdictionem, rem tormentariam, & apparatum bellicum, alimentationem, atqve commeatum, & similia, de iis per speciales mox articulos mutua inibitur conventio, qvamprimum hoc fœdus ad conclusionem & subscriptionem fuerit perductum, & qvidem conditionibus, qvibus communiter fœderati hisce de rebus convenire solent. XIV. Durabit hoc fœdus primum decem annis, atqve intra eorum decursum, si id ære visum fuerit, ulterius agetur, & tractabitur. Sin autem evenerit, ut elabente, & ad finem properante dicto temporis spatio præsenti periculo, aut bel-

1686. *bellicis operationibus confœderati jam sint impliciti, continuabuntur ea, qvæ ex fœderis hujus legibus præstanda sunt, nec omittentur, donec periculum, aut operatio bellica cessaverit. XV. Instrumentũ ratificationis super hoc tractatu tam nomine S.R.Mtis, qvam Serenitatis S.Elect. manu subscriptum, & solenni forma utrinqve expeditum intra spatium sex hebdomadum, aut citius si fieri poterit, à subscriptione hujus tractatus utrinqve rite commutabitur. In horum fidem, & securitatem majorem duo tractatus hujus exemplaria pari tenore confecta, nominum utrorumqve nostrorum subscriptione, & sigillorum impressione firmavimus. Actum Berolini die X. Februarii anno 1686.*

Articuli secreti. §. 28. Huic fœderi adjungebantur hi articuli secreti. *I. Cum majorem in modum dolendum, & ad altiorem animi sensum haut injuria revocandum sit, qvod non ita pridem nonnullibi locorum inopinatis prorsus, atqve atrocibus casibus res Evangelica vehementissime affligi, atqve alterari cœperit, ingravescente indies malo, & ad ulteriora velut torrente qvodam sese diffundente, qvocirca S. R. Mtas Sveciæ, atqve Seren. S. Elect. Brandenburgica apud sê reputantes, qvantis calamitatibus, ac turbis fores pandi facile possent, si malum latius serpat, ipsumqve tandem Imperium Romano-Germanicum qvacunqve ratione involvat, communi opera, atqve studio illud prevenire, atqve omnino avertere summopere exoptant. Proindeqve vigore hujus articuli statuunt, atqve promittunt, velle se cum S. Cæs. Mte, Imperiqve Statibus, ex qvibus etiam religioni Romano-Catholicæ addictos à tam funestis cœptis, atqve ausis prorsus abhorrere minime ambigunt, eas inire rationes, per qvas ejusmodi perniciosis, atqve periculosis machinationibus, atqve attentatis mature obex ponatur; imprimis vero Imperii Romano-Germanici Statibus, atqve membris singulis, atqve universis ea religionis, atqve conscientiarum servetur, atqve præstetur libertas, profaneque aqve, ac religiosæ pacis securitas, qua illis ex pacis Westphalicæ luculenta dispositione, aliisqve Imperii pragmaticis sanctionibus competit, & debetur. II. Et qvoniam amborum qvoqve confœderatorum plurimum interest in vicinia, præsertim vero in Polonia tranqvillitatem, pacemqve manere inconcussam, eidem conservanda, atqve tuenda communem, sedulamqve operam impendent, prospecturi, qvæ fieri poterit, ut Regno, Reiqve publicæ Poloniæ, qvocunqve eveniente casu jura, atqve privilegia relinqvantur integra, atqve illibata. III. Qvod in fœderis articulo nono statutum, conventumqve est, nimirum auxilia ab alterutra parte præstanda, extra Romani Imperii limites non trabenda, aut transferenda esse, id etiam de* 1686.
Livonia atqve Borussia in specie intelligi debet, scilicet si alteruter fœderatorum in iisdem provinciis hostilem aliqvam turbationem atqve invasionem patiatur, & de auxiliis mittendis confœderatum reqvisiverit, illa auxilia in provincia in Imperio sita, qvam requirens indicaverit, sisti, ac mitti debeant, nisi tunc temporis, cum casus existet, aliter inter confœderatos conveniat. IV. Non tantum articuli hi secreti, sed etiam fœdus ipsum adhuc dum secreto habebitur, nec nisi utraqve parte consentiente communicabitur. V. Instrumentum ratificationis super his secretis articulis intra tempus in fœdere expressum, & conventum utrinqve commutabitur. Eo fœdere perfecto Rex declarabat, se fidum, ac constantem socium Electoris fore, ac sperare, isthoc fœdus huic non exiguo usui foré. Cæterum Oxenstierna idem secreto habendum censebat, qvod ejusmodi pacta si præmature vulgentur, facile oppositis fœderibus elidi qveant, uti circa triplex fœdus, & Tractatum Associationis contigerat. Sed & Electori peculiares rationes erant, qvod Gallus hucusqve rixæ ansam cum ipso qvæsierat, super renovatione fœderis cum Belgis, & qvia ipse peculiari articulo fœderi inter Cæsarem, Svecum, & Belgas inclusus erat; ne hoc accedente forte infesti qvid in Clivicas ditiones susciperet. Unde istud fœdus non nisi Cæsari, Hanoverano, Arausionensi, & Fagelio sub silentii fide communicabatur.

Gallus multifariam contra inducias agit. §. 29. Eo magis autem Electori necessarium videbatur adversis Gallo partibus arctius se innectere, qvo minus huic curæ erat leges servare, per qvas iste qvieti patriæ longum ad tempus consultum fore speraverat. Nam & prolixum catalogum contra inducias patratorum Palatinus Ratisponæ exhibebat; ac Protestantium in Sarvverdensi, ac Sarbruccensi Comitatu qverimoniæ late resonabant. Adversus qvæ Elector apud Gallum enixe instabat, ut talibus supersedeatur. Ista enim eo acerbiora sibi accidere, qvod ipse tantum laboris exhauserit conciliandis induciis, per qvas sperarit dissidia inter Imperium, & Galliam si non plane sublatum iri, saltem ad vicennium sopienda. Cum contra nunc Imperio justior qverendi causa præbeatur, qvod ante inducias patratis qvaliscunqve color ex ambiguo priorum tractatuum sensu circumponeretur; cum qvæ nunc suscipiantur, manifestis induciarum verbis repugnent. Ac non posse non per talia Regis existimationi totum apud orbem maculam inuri, qvod usqve adeo nulla ipsi religio sit etiam recens con-

1686. concluſa pacta violare. Sibi autem eo magis obligationem, qva Imperio teneatur, obſervandam, qvod reqvirente Gallo peculiariter evictionem pactorum in ſe ſuſceperit, nec per ſuas rationes, ac officium ad talia connivere qveat. Ad qvæ Croiſſius parum, qvod ad rem faceret, regerebat. Comitatus Saryverdam, & Sarbruccam à Lotharingia pendere: id qvod ita ſe non habebat. Pleraqve injuſſu Regis per miniſtros patrata; qvæ tamen haut eo magis corrigebantur. Demum ut eas qverelas plane declinaret; eam cauſam Ratiſponæ agendam, nec in Gallia ſuper ea diſceptandi locum eſſe. Qvin non diſſimulabatur offenſa, qvod Elector ſemper velut in fronte ſe collocaret eorum, qvi Regis actionibus haut contenti forent. Contra Elector oſtendebat; nil mollius à ſe fieri poſſe, qvam ubi ejusmodi qverelæ ad ſe referantur, Regem placide monere, ut intra limites induciarum maneat; utqve ita adverſus Imperium ſe gerat, qvo ſibi cum ipſo amicitiam continuare integrum ſit. Nam ſi Gallus Imperium inſultare, ac novas ſubinde partes ei decerpere non omittat; ſtatumqve ejusdem circa ſacra, ac civilia paulatim ſubruere inſtituat; haut ſibi conſultum ſalutem ſuam, qvæ in conſervatione patriæ verſatur, usqve adeo negligere, ut per ſuam cum Gallo amicitiam ullo modo in tam perniciosis auſis hunc obfirmet. Igitur ſi amicitia ſibi cum Rege perſtare debeat, neceſſum eſſe, ut is Germaniæ nil moleſtiæ inferat. Aſt Galli, qvicqvid officium Electori dictaret ſecuri, circa exſolvenda ſubſidia tergiverſari, velut qvæ in Gallos refugos, qvi non niſi deſertores haberi poſſint, impendantur; ac offenſam, ob edictum Potſtamenſe apricari; ac Electorem refugis plus beneficiorum exhibere, qvam alium qvemvis fœdere Galliæ haut junctum, qvibus & pecunia ad limitem usqve Germaniæ obviam mittatur; cum reliqvi iis duntaxat benefacere ſatis habeant, qvi intra ſuos fines ingreſſi fuerint. Addebantur exaggerationes, qvantum bonum ſit in Regno non niſi unam religionem eſſe; cui obtinendo occaſionem fuiſſe occupandam, ac ſupra ſpem allubeſcentibus progreſſibus colophonem imponendum. Qvaſi reſpublicæ non dentur, qvarum flos, ac felicitas inde promanarit, qvod libertas diverſis ibi religionibus indulgeatur. Aut qvaſi contra non reperiantur, qvæ obnimium circa ſacra rigorem viribus, ac vigore exhauſtæ tantum non extabuerint. Deniqve Regi nunqvam curæ fuiſſe, qvomodo Elector cum civibus ſuis agat. Ad qvæ regeretur: Electorem, utut ſæpe rogaretur, haut ſe miſcere iis voluiſſe, qvæ Rex domi ſuæ ageret. Sed poſtqvam is optimos ſuorum civium, vi conſcientiis illata, in qvas ipſi imperium non ſit, ultro pepulerit, perinde ipſi eſſe poſſe, abs qvo profugi recipiantur. Ac mirum eſſe, qvod Gallus Anglos, ac Belgas jus civitatis in Gallia adeptos inſtantibus horum legatis dimittere nolit; cum ideo, qvia qvis in Gallia nativitatis locum fortitus ſit, velut glebæ adſcriptitius conſiderari debeat. Sed & alias qverelas Galli cumulabant; Electorem tractatui inter Svecum, & Belgas comprehendi ſe paſſum: eum tractatus ſibi valde ſuſpectos cum Cæſare agitare: ejusdem inſtinctu fœderi inter Cæſarem, ac Svecum articulum de cauſa Palatina inſertum: deniqve ab iſto tam parum ubiqve ſtudii pro emolumentis Galliæ oſtendi. Sed & Verjus Ratiſponæ oblato 13. Jul. ſcripto ultro qverebatur, tam multa à Rege contra inducias patrata ſpargi; cum tamen qvædam, ſuper qvibus nunc qverelæ moveantur, inter induciarum tractatus propoſita, ſed rejecta ſint. Circa aliqva incertum eſſe, num revera ita ſe habeant. Qvædam jure facta, qvædam in majus aucta, reliqva memoratu indigna eſſe. Culpam autem omnem in eo hærere, qvod nondum exſecutio induciarum, ac rectio finium peracta ſit. Alias Regem de ſtudio inducias ſervandi ſatis declaraſſe, qvod in Palatina cauſa SCto trium Collegiorum adqvieverit, qvo caveatur, Aurelianenſi annuam Palatini poſſeſſionem fraudi non fore, usqve ad amicam controverſiæ compoſitionem; cum tamen hic interim in poſſeſſione maneat, ac fructus percipiat. Idem ſtudium circa agendam qvietem à Rege oſtendi, qvod patienti animo videat, toleretqve tot molimina ad labefactandas inducias excogitata, & injectas exſecutioni remoras. Nec dubium, qvin Noribergæ, ac nunc Auguſtæ infeſta in Galliam decernantur, cum ſi honeſta, ac licita agitentur, iſta Ratiſponæ in conſeſſu omnium Ordinum expediri par ſit. Nec minus induciis repugnare, qvod de pacis tractatibus altum adhuc ſit ſilentium, qvi tamen protinus poſt abſolutas inducias ſuſcipiendi ſint. Tum qvod nondum de regundis finibus actum, nec circa evictionem ab Ordinibus qvidqvam adhuc ſuſceptum. Circa turbata autem à Rege Proteſtantium ſacra Verjus reſpondebat: qvæ in pace Weſtphalica diſponantur, ad reunitos non ſpectare, qvi jam nullo aliunde vinculo à Gallia dependeant. Iis qvidem exercitium ſacrorum ſuorum per inducias promiſſum, ſed Regi haut interdictum

1686. dictum Romanos ritus ubiqve introducere, ac recens conversos præmiis mactare, aliis ad horum exemplum invitandis.

Galli nolunt ab Imperio arma parari. 24. Maij.

§. 30. Cæterum eousqve Gallorum tunc importunitas excesserat, ut inde qvoqve offensam conciperent, qvod Elector Ratisponæ per suos urgeret, negotium securitatis publicæ tandem aliqvando absolvi; qvod & plerisqve Ordinibus probabatur. Sane versabatur Imperium in re licita, & innoxia; ac nemini salva ratione vitio dari poterat, adversus aliorum insultus suam salutem in tuto collocare; qvod & officium prudentis, ac industrii Principis reqvirebat. Ac inprimis eam suspicionem præmaturam esse, qvod publica Imperii militia tantis adhuc difficultatibus laboret, abs qva & nondum oppressis aliqvod levamen provenerit. Et cum ob rem tam innoxiam suspiciones concipiantur, non aliud colligi posse, qvam Gallum nil amici animo agitare, ac insuper cupere, ut Germani hautqvidqvam renitentes jugum subeant. Sane omnibus, qveis Reipublicæ Germanicæ indoles perspecta sit, constare, uti Ordines, si Cæsar, aut Imperium ab aliis invadatur, defensioni suscipiendæ opem negaturi non sint: ita si Cæsar ultro alium bello petere aggrediatur, plerosqve non modo nil collaturos, sed & armis sese opposituros, è qvibus in alios emolumenta, in se onera redundent. Eoqve vicinis è Germania nil infesti metuendum, si isti qviescant, nec eam ultro injuriis lacessant. Jubebatur itaqve Jena eam sententiam urgere, sed debita cum prudentia, ne Gallo minari, aut classicum bello canere videretur. Nam suam & omnium Ordinum sententiam unice conservationem tanta cum jactura per inducias partæ qvietis, non novas turbas, spectare. Enimvero cum Germaniæ fines hinc inde non modice accisi sint, par sane esse ejus res ita disponi, ne deinceps vicinorum libidini exposita agat, sed in promtu vires habeat suis defendendis; præsertim cum omnes vicini armis instructi sint, inter qvos eam solam inermem agere miserum fuerit. Ac peculiariter sua interesse, qvod pars suarum provinciarum in limite posita primum impetum exceptura sit. Se qvoqve dum Ratisponæ de induciis tractatur, declarasse, his perfectis securitatem publicam qvam maxime sibi cordi fore. Et qvare Germaniæ vitio vertatur, qvod inter præcipua reipublicæ rectorum officia est? Ac si uni Principi jus sit, ut ipsi soli semper armato agere liceat, aliis ad ejus invasiones inermibus expositis, eo ipso summam rerum ipsi deferri; id qvod salva 1686.
fronte postulari neqveat. Præsertim cum in Germania, ubi ob multitudinem capitum res tam lente procedunt, serum sit futurum, si tunc demum super defensione sit consultandum, qvando hostis jam infesta orditur. Porro uti Elector tractatum executionis qvamprimum suscipi svadebat ob gliscentes indies Galli usurpationes: ita contra Cæsar num id expediret dubitabat, qvod Gallus, si is tractatus ex ejus usu non succederet, ad pacem procedi postulaturus sit. Hanc si in præsens festinari è re Germaniæ non judicetur, Gallum id interpretaturum, velut bellum qværatur. Unde satius videri id negotium intactum relinqvere, qvam Gallo occasionem præbere tam insignes ditiones, qvas per inducias possidebat, in perpetuum ab Imperio avellendi. Præsertim cum cautum non sit, qvin Gallus eo obtento ulterius grassaturus sit. Et mox, cum negotium publicæ securitatis Ratisponæ aliqvandiu fervide actum esset, id mox ob Augustanum fœdus refrigerabatur. Cæterum qvia Rebenacius Beroliui subinde ih aspera dicta non sine minis erumpebat, non is solum uti par erat retundebatur, sed & Elector per Spanhemium in Gallia demonstrari jubebat; se utiqve omnibus tractatibus cum Gallo excepisse obligationem, qva Imperio teneatur. Num manus in sinum recondendas, & exterorum insultus servili patientia excipiendos? Sane sibi in præsens circa securitatem publicam non alia esse consilia, qvam qvæ semper foverit, & ad qvæ ipsum salus, ac rationes Imperii, ac fas patriæ adstringant. Unde vix aliter se credere posse, qvam à Gallo suam amicitiam deinceps supervacuam haberi, postqvam per inducias tanto ipsius labore conciliatas scopo suo potitus sit, tanti momenti provinciis atqve urbibus Imperio avulsis, ac prætextum qværi novis turbis excitandis. Sane Gallos post inducias inultas qverimonias adversus se movisse: cum tamen par fuerit, & ipsos ex fœdere debita explere. Sed nec per fœdera cum Gallo unqvam se sibi facultatem ademisse cum veteribus amicis pari modo amicitiam excolendi, & pristina cum iisdem fœdera renovandi, qvibus cum naturali vinculo, & per communes rationes jungatur. Præsertim cum hæc ipsa conjunctio fœderi cum Rege haut adversetur, ac sensu innoxio ad conservationem pacis, ac induciarum, simul mutuam defensionem utrinqve ditionum directa sit. Nec vero sibi unqvam in mentem venisse per fœdera Gallica officio se erga Cæsarem,

Impe-

1686. Imperium, ac patriam exuere, aut vel minimum huic detrahere. Hac qvoqve expressa cum conditione, ac certa spe, Gallum pariter leges induciarum adversus Imperii Ordines servaturum, harum se evectionem suscepisse. Securitatem publicam non esse novam materiam, & qvæ Gallo suspicionem movere debeat, sed de qva longo tempore antehac actum sit; ac nil magis naturale esse, qvam ut qvælibet Respublica de sui defensione cogitet. Ac per eam id qværi, ut res cum Gallo ad bellum deducatur, contra omnem rationem esse, nec ulla ejus rei indicia adparere. Qvod autem aula Cæsarea id spectet, eoqve sine pacem cum Turca accelerare velit, se ignorare, nec idem verosimile sibi videri. Deniqve super abolendis gravaminibus, qvibus plures Imperii Ordines circa sacra & civilia contra leges induciarum oppressi fuerint, à se nil aliud moneri, urgeri, pro sententia dici, qvam qvod induciarum pactis, ac sæpius iteratis Galli promissis congruum sit, & ad qvod per interpositam à se sponsionem teneatur. Hac declaratione si Galli contenti esse nolint, se qvidem ejusmodi nexum tam ab omni ratione, ac prudentia abhorrentem agnoscere haut posse. Sane sibi qvoad vita supersit dignationem liberi Principis tueri cordi fore. Sed & Galli ingentem suspicionem ostendebant super itinere, qvod Elector ea æstate in Cliviam suscipiebat, velut consilia cum Arausionensi collatum iret, qvem infensissimum Galliæ hostem rebantur, & qvi huic hostes toto orbe excitare niteretur. Ast Elector uti Spanhemium verbis honoris super hoc itinere apud Regem defungi jubebat; ita ultro nil affectatæ, ac superfluæ excusationis eo nomine proferri volebat, qvod tacitæ accusationis instar habere possit. Sed si Galli ultro qverelam moverent, diceret; nil ibi actum, ob qvod Regi causa foret sinistra suspicandi. Nec se obstrictum credere ad rationem cuipam reddendam, qvare in hanc aut illam provinciam sibi subjectam iter suscipiat, cum qvarumvis suarum ditionum cura se tangat. Minime omnium autem se præsumere, conjunctionem suam cum Gallo abs qvovis tam arctis limitibus circumscribi, ut sibi non sit integrum cum Arausionensi tam arctis sibi rationibus innexo è tam propinqvo loco colloqvi. His si adqviescere nolint, suo sibi loco relinqvendum, qvod major in Gallia fides adhibeatur iis, qvi per malignitatem animi, ac præconceptis opinionibus sua consilia suspecta reddere qværant, qvam suis in diversum factis testationibus. Insuper subsidia exigere jubebatur, velut unicum emolumentum tam odiosi fœderis. Circa qvæ unice perspicuam dispositionem tractatus urgeret; humilibus precibus velut ea sibi tantopere cordi sint, aut iis deficientibus status suus molestiam sit sensurus, abstineret; ac iis verborum formulis & agendi modo uteretur, qvi magnitudini sui animi, ac totum apud orbem partæ existimationi conveniat. 1686.

§. 31. Qvia autem Gallorum insolentia eousqve provecta erat, ut injuriæ instar haberent ad repellendam vim se comparare, non mirum erat, fœdus, qvod eo anno Augustæ Vindelicorum cudebatur, istis novam qverendi materiam præbere. Ei conciliando Ludovicus Gustavus Comes Hohenloicus à Cæsare per superiorem Germaniam circummittebatur, qvi Jenæ proponebat; Augustæ fœdus ineundum, qvod Bavarus valde desideret, in qvo id omittendum, qvod Electori in fœdere Laxenburgico displicuerit. Unde spem esse, hunc qvoqve eidem nomen daturum, qvod utiqve unanimis in Imperio conjunctio ejus conservationi qvam maxime necessaria sit; ac Electoris exemplum omnes secuturos. Ratisponæ varias ob causas de eo ita commode agi non posse, uti in singulis Circulis. Id porro unice defensionem spectare; nec Cæsarem per id aliud qværere, qvam qvod officium reqvirit, nempe censervationem Imperii, qvod hactenus per oppressionem multorum Ordinum valde imminutum sit. Unde nunc unione, & mutuis auxiliis, si unqvam, opus esse. Qvi distractionem inter Cæsarem, & Ordines, & horum inter se efficiant, Imperii exitium qværere. Vetus esse artificium eorum, qvi aliis sua eripere cupiunt, plurium conjunctionem impedire, ac ut unum duntaxat hostem habeant, conniti, & qvamdiu cum hoc armis decertant, alios blanditiis, promissis, ac amicitiæ imitamentis illudere, qvoad & hos opprimendi occasio nascatur. Electori tamen haut placebat ei se fœderi illigare, ne Gallus eo obtentu in bellum erumperet. Etsi de cætero judicaret, nemini causam esse id fœdus suspectandi, qvod & legibus Imperii qvadret, nisi qvis fœderum jus Ordinibus competens in dubium revocare, aut eos ad ejusmodi conditionem damnare velit, ut tuendæ suæ libertati remedia comparare, aut in commune consilia conferre ipsis integrum non sit. Cæterum Augustani fœderis hæ causæ ferebantur, qvod ob durans adhuc bellum Turcicum circa tuendam Germaniæ tranqvillitatem cura suscipien-

De fœdere Augustano.

Hohenlohe. 5. Mart.

1686. pienda sit, postqvam negotium securitatis publicæ adhuc imperfectum hæreat, qvod anteqvam absolvatur, Ordinibus multa adversa accidere possint. Ejus fœderis capita hæc erant. *Conjunctio sit, & communicatio inter Cæsarem, totamqve Domum Austriacam, Hispanum nomine Burgundici Circuli, Sveciam ob Teutonicas provincias, Bavariæ Electorem, & cognominem Circulum, Franconicum Circulum, Ducalem Saxoniæ Domum, Circulum Superiorem Rhenanum, qvantum ejus cis Rhenum jacet; qvibus & Sylvam Occidentalem incolentes Ordines accessuri erant. Fœderi huic propositum tueri pacem Westphalicam, Nemagensem, ac vicennales inducias, idqve ad normam publicarum Imperii legum, simul libertatem Germaniæ, Ordinesqve Imperii, ac præcipue hoc fœdere contentos, aut qvi ei deinceps accessuri sunt. Eo fine locus deligatur, ubi fœderati moderante Cæsare de iis, qvæ ad assequendum fœderis scopum necessaria fuerint, deliberare, ac constituere qveant. Tum munitionibus limitaneis probe prospiciatur; fœderatiqve diligenter consilia conferant, ac in negotiis rempublicam spectantibus sociatis sententiis agant. Modus copiarum hic designabatur. Cæsar XVI M, Circulus Burgundicus VI M, aut eorum loco pecunia. Svecus summam non expresserat. Bavarus pro se VIII M, pro Circulo cognomine II M, Franconicus Circulus IV M. Domus Ducalis Saxonica II M, Superiores Rhenani IV M. Hæ copiæ singulis annis contractæ aliqvod tempus in campo agant, ac lustrentur. Earum duces sint Bavarus, Georgius Fridericus VValdeccius Princeps, Christianus Ernestus Marchio Bayruthensis, &* pon Thur- *Joannes Carolus Thungius. Disponebatur* gen. *qvoqve de machinis, de ærario militari, qvod Francofurti ad Mœnum esse debeat, de annona, ut operationes bellicæ per Cæsarem dirigantur de consilio tamen ducum, de observandis circa stipendia, de imperio in copias, ubi omnes conjunctæ fuerint. Si qvi è fœderatis invadatur, et luceat eratam suam propriæ defensioni retinere. Pateat qvoqve aliis accessus in hoc fœdus cum consensu Cæsaris, communicatione tamen cum reliqvis fœderatis facta, cui & exteros in societatem adsciscere integrum sit. Durabit id fœdus per triennium, qvo spatio spes sit de securitate publica ad liqvidum deductum iri. Controversiæ inter socios ad hoc fœdus non pertrahantur, sed ad amicam compositionem, aut viam juris remissæ sint, via facti exclusa. Nemo fœderatorum cum declarato hoste, dum fœdus durat, separatam tractationem super medio statu, induciis, aut pace suscipiat. Disciplina militaris peculiaribus statutis sancitur. Qvilibet fœderatorum conventas copias in promtu habeat, ut socio,* 1686. *ubi opus sit, auxilium ferre, idqve ab eo recipere possit.*

§. 32. Eo minus autem conveniebat Gallos de hoc fœdere tantos clamores tollere; cum ipsi jam munitionem in solo Marchionis Badensis proprio ausu, invito domino Hruerent ad tegendum pontem, qvo Rhenum apud Huningam straverant: tum ingentes copias in limite haberent, ac limitanea loca numeroso milite insiderent, novis qvoqve munitionibus vasta mole excitatis. Haut eo secius differebat: Ex actis hoc bello Turcico satis adparere, Regem cum Germania bellum nolle. Et tamen fœdera in Imperio fieri manifeste contra Galliam directa, cui tantum non aperte bellum indicatur. Ac interim dum Gallus Cæsari otium indulget integro Regno occupando, consilia ad istum opprimendum digeri, ubi pax cum Turca facta sit. Unde qvid animo Cæsar agitet, satis adparere. Ac ni Regi tanta moderatio foret, parum abfuisse, qvin is XL M bellatorum in Flandriam, totidem in Germaniam effuderit. Famam qvoqve esse, à Cæsare legiones in Sveviam mittendas, id qvod non nisi contra Gallum spectare qveat. Eo casu haut par esse à Rege primum ictum excipi, sed prudentis fore noxam molientes occupare. Porro cum Lobcovicius Comes Cæsareus in Gallia legatus apud Croissium de munitione ista contra Huningam extructa qvereretur, hic initio ambigue respondere: sibi de eo facto non constare; mox Marchionem Badensem, in cujus solo structura fiat, nil qverimoniæ movere. Demum ultrò expostulare: Cæsarem suas qverelas protinus Ratisponam detulisse, ac nil aliud qværere, qvam ut Galliæ hostes excitet; utut Rex tanta moderatione uratur, ac Cæsarem progressus suos contra Turcam perseqvi sinat. Deniqve fœdus Augustanum sat causæ Regi præbere, qvo minus castello ad Huningam decedat. Sane Cæsareos ministros multas qverelarum, ac suspicionum causas præbere, dum hinc inde Regis acta malignis sermonibus differunt, ac palam jactant, se facta cum Turcis pace bellum Gallo illaturos. Ad qvæ Lobcovicius: de ejusmodi Cæsareorum ministrorum sermonibus sibi haut constare; ac causam esse, qvare credat, de istis fingi. Aut nominarentur eorum autores; in qvos Cæsar re comperta graviter animadversurus sit. Augustanum fœdus esse innoxium, non nisi mutuam defensionem spectans, ac ut pax Westphalica cum induciis sarta tecta serve- *Galli de hoc fœdere qverela.*

tur;

1686. tur; ut inde novo operi, qvale est castellum Huningæ oppositum, prætextum præberi non possit. Croissius contra id factum elevare: ac *sibi persvasum, ubicunqve Rex munitiones ad fluvios habeat, jus ei esse pontes ibi extruendi; ac omnes insulas in Rheno eo tractu notorie Regis esse. Castellum in adversa ripa pro necessaria pontis appendice habendum, idemqve esse exiguimomenti, ac modicum terræ spatium amplecti: ac in omnem eventum Regem soli pretium domino soluturum, qvi hactenus de eo qvestus non sit. Regem, qvamvis tota Europa de fœderibus, & adparatu contra ipsum resonet, nec consultum ipsi sit expectare, donec ea destinata exsecutioni dentur; in ea tamen sententia immotum persistere, inducias servare, & amicitiam cum Imperio colere, qvamdiu res in eo statu permaneat, ut id facere sibi integrum sit. Testari de eo acta in Palatina causa, qvam ad arbitros, aut seqvestres deduci velit. Denique omnia gravamina, circa qvæ tanti clamores tollantur, revocari ad exilium qvorundam concionatorum Protestantium, qvi in Regem declamaverint, ac religionem Catholicam convitiis lacerarint.* Idem Croissius, cum Lobcovicius superesse restituendo Lotharingo jecisset, nil aliud responderat, qvam salutem populi supremam legem esse; velut nulla amplius lege muniatur, qvo minus ab altero eripi possit, qvod ipsi convenire judicatur. Cæterum ipse Lobcovicius fatebatur, se nunqvam institutum fœderis Augustani probasse, qvod non alio inserviat, qvam intempestive irritandum Gallum, ac ut is forte præmature inter bellum Turcicum, & copiis fœderatorum in Hungaria districtis, in arma erumpat. Nec se perspicere in præsens è re Cæsaris esse cum Circulis, sed potius cum potentissimis Electorum, ac Principum tractare. Sed unicum Palatinum per vetus consilium ab ipso semper ingestum de perpetuo milite in Germania alendo ei ansam dedisse, ac ad ist. hoc promovendum induxisse Stratemannū veterem clientem, cui & Kœnigseckius assensus sit ob privatam utilitatem, qvod ipse terras in Svevia habeat. Porro cum Spanhemius qvoqve de isto castello Huningæ opposito moveret, Croissius multa verba *de Regis moderatione* faciebat, *qvod Cæsarem non impedierit progressus suos contra Turcam persequi; cum contra Cæsarei ministri post captam Budam minentur, & alta crepent. Eqvidem ejus castelli extructionem non usqve adeo tractatibus Westphalicis conformem esse. Enimvero qvia Rex sine controversia jus habeat munitionem Huningæ extruendi, consequens qvoq; esse, ut ex adverso castellum adificare possit tegendo ponti, qvod merum defensionem, nullius offensam spectet; ad qvod eum Cæsaris acta impulerint. Qvo desistere neqveat, ne Cæsareorum minas timere videatur, ac ut ostendat, se ejusmodi consilia intrepesse, ut istorum iras contemnere sibi facile sit.* Croissio qvoqve tunc valde excandescebat, qvod Belgarum in Anglia legatus Citterus in Belgium scripsisset; se ex Angliæ Rege intellexisse, fœdus inter Gallum, & Turcam esse. Qvæ qvidem fœda calumnia sit, & qvo nomine in Citterum animadverti debeat. Repetebatur declamatio in fœdus Augustanum: ejus scopum satis intelligi. Si Imperium arma in Turcam paret, non habere Regem qvod qveratur. Sed qvia ista non nisi ad terrorem huic incutiendum spectent, ac ut de pace sub clypeo agatur; non esse è dignitate, ac usu Regis tolerare, ut ea destinata justam maturitatem attingant. Ac eo casu Regi necessum fore tantos exercitus in finibus habere, ut difficile sit futurum res in præsenti statu manere. Etsi in præsens animus Regi sit inducias servare. 1686.

Citterus.

§. 33. Cæterum super istis contra inducias susceptis Ratisponæ decretum erat nomine Imperii literas ad Gallum dare. Qvarum formula ad se transmissa dicebat Gallus; reperiri in eis dictiones, qvæ sibi haut arrideant; ac minabatur, si easdem mittere audeant, se Verjum Ratispona avocaturum. Super ea re Elector censebat; utut Imperio justissima qverendi causa sit, vocabula tamen ita temperanda, ne Gallo prætextum præbeatur in arma erumpendi, Germania nondum satis parata. Nam ad potentiorem, & armatum scripturo, qvod offensam præbere possit, vires præsto esse debere scripto sustinendo. Alias magnifica verba, qveis pondus ab armis desit, ludibrium debere, ac infensiora attrahere. Cum itaqve scribendo nil proficiendum sit, acceptam potius injuriam mussitandam, qvoad in eum statum respublica pervenerit, ut non libere modo loqvi, sed & qvæ res exigit facere in promtu sit. Sic nullo modo structuram castelli Huningani excusari posse velut præcautionem adversus Augustanum fœdus, qvod nemo, nisi cui alios aggredi animus est, è re naturali jure licita suspicionem concipere possit. Contra apertam esse pacis violationem cum aliqvot millibus militum in alienum territorium irrumpere, ac his protegentibus castellum ibi extruere. Qvanqvam autem Imperio omni jure licitum sit eos conatus vi inhibere, ac modica spes sit amica via istos reparatum iri: prudentiam tamen re-

Gallus per literas ab Imperio moneri non vult. Nov.

qvirere, citra qvam ne justissimis qvidem de causis bellum suscipiendum est, ut omni studio declinetur, ne eam ob causam res ad arma deducatur durante adhuc bello Hungarico, ne patria ancipiti bello distrahatur. Acrevera improbum esse, cum Gallus tot munitiones in solo Imperii extruat, eum protinus expostulare, si in Imperio de fœderibus, & armorum paratu sermo fiat. De iis literis Nuntius Pontificis judicaverat, non magis eas tempestivas esse, qvam fœdus Augustanum durante bello Turcico. De iisdem literis Croisius apud Spanhemium ultro mentionem fecerat: inane esse, qvod Ordines asserere velint, Gallo non plura supremi imperii jura in reunitis locis exercenda, qvam Cæsar habuerit. Tum qvod in dubium revocare velint possessionem locorum, qvæ sine controversia ad Regem pertinerent, aut patrem reunionum faciant. Ad eas literas non modo nil responsum iri, sed & Verjum revocandum, ablatis simul mandatis, qvæ is dudum habuerit ad tractandum super iis, qvæ ad executionem induciarum faciant. Vicissim Electori Croisio communicari jubebat, qvæ ipse legatis suis Ratisponam mandata dederat, ut literæ mollissimis verbis concipiantur, ac omnia omittantur, qvæ Regem offendere possint. Croisio tamen simul significabat: qvia in Gallia tam delicatas aures habeant, ac de patratis contra Imperium verba fieri, ac scribi nolint; optandum qvoqve esse, ut circa rem ipsam paremaversionem ostendant, nec qvid suscipiant, qvod materiam qverendi suppeditet. Tunc enim omnibus ejusmodi molestiis supersederi posse, florente inter Imperium, & Galliam amicitia; ac multos inde salutares fructus in bonum orbis Christiani proventuros. Contra si nullo juris colore qvæ libido fert agantur, uti circa castellum ad Huningam factum, ac in offensæ materiam accipiatur, si reparatio injuriæ qværatur; eum agendi modum ad diuturnitatem haut valiturum. Aliæ mox qverelæ adferebantur de Galli novationibus circa Capitulum Argentoratense. De qvibus Elector in Gallia monebat; se qvidem ejusmodi rebus Regi non libenter molestiam facessere: obligationem tamen suam adversus Imperium haut permittere, ut ad talia fileat, sed necessum sibi esse dissensum super iis testari eo majore cum libertate, qvod sibi plene persvasum sit, Galliæ rationibus per id genus ausa haut consuli. Tanta potentia, & autoritate succinctum Regem per ejusmodi minutias parum, aut nihil lucrari. Contra odium multorum insignium in Germania Statuum contrahi; hostibus autem, atqve æmulis qvotidie novam materiam suppeditari, jam ante sat formidabilem Galli potentiam magis exosam & suspectam reddendi, velut qvæ exuta omni juris ac fidei religione, insatiabili fame omnia deglutiendi agitetur. Sane in Germania rem eo rediisse, ut Galliæ amici jam vereantur inter tot injurias Imperio subinde illatas aliqvid affectus adhuc erga istam ostendere. Galli majores alium plane cum Germania agendi modum tenuisse, rebus suis oppido qvam proficuum. Ac optandum esse Regem in se descendere; & cum Gallia antea præsidium, & asylum oppressorum, ac de libertate periclitantium Ordinum fuerit, ne iidem nunc regiorum ministrorum importunitate plane ad desperationem redigantur, ut malint omnes fortunas potius periculo exponere, qvam insultationes hominum sæpe vilissimorum diutius tolerare. Enimvero Gallorum insolentia eo usqve jam excesserat, ut istam sapientiam velut dudum exoletam, ac suo fastigio longe inferiorem adspernarentur. Ac dissimulatis istis monitis Croisius disserebat: se qvidem non dubitare, qvin Cæsar seqventi qvoqve anno bellum Turcicum continuaturus sit. Sed posthac non obscuras minas jaci, Galliam omnibus viribus Cæsaris, ac fœderatorum obruendam. Haut æqvum esse, favorem, qvo Rex ingentes Cæsaris progressus prosequitur, ad extremum in fraudem Galliæ cedere, & ut huic deinceps à Cæsare leges dictentur. Igitur non posse Regem defugere, non tamen animo inducias abrumpendi, qvin arma iterum paret, ac limitem firmet, avertendis infensis in se destinatis. Tum & Regis interesse, tantopere glisscente Cæsaris potentia mature nosse, pax, an bellum sibi expectandum sit. Et qvia per inducias istius securitati parum caveatur, qvæ bellum cupientibus prætextum suggerere possint; placere Regi, per bonam, ac tutam pacem rebus suis consulere. Cui obtinendæ Pontificis officio eum usurum, cui Viennæ magna autoritas sit. 1626.

§. 34. Palatina tamen causa Gallus nonnihil æqvitatis ostendebat, qvod per annum unum & alterum rebus suis qvietem adhuc conducere judicaret, nondum absolutis vastis munitionibus, qvas in limine struere cœperat, ac ut interim Angliæ Regem rationibus suis illaqvearet. Inde cum sub initium anni Aurelianensis aliqvot eqvitū millia à Rege sibi commodari petiisset, capessendæ possessioni Lauterensis, ac Simmerensis ditionis, Rex id abnuebat, dicto colore, ne *Circa Palatinam causam ella.*

1686. nie cursum Cæsareorum armorum contra Turcam interrumpere velle videretur. Ac Elector eam possessionis invasionem valde dissvadebat, nil nisi bellum parituram, qvæ & plane supervacua sit. Nam Gallicano jure ad petitorium remitti, qvi intra annum verentem actus possessorios non exercuerit; id qvod jure Teutonico secus sit. Ac alio modo juri Aurelianensis, si qvod habeat, consuli posse. Qvin contra, si qvis seipsum in possessionem per vim immittere aggrediatur, suo jure excidere. Unde Ratisponæ ab universis Ordinibus Aurelianensi cautio dabatur, eam moram ipsi fraudi haut fore. Qvam cautionem indulgeri Elector utilem judicabat collisioni decidendæ, etsi alias Aurelianensis actio debili talo niteretur. Ita Gallus declarabat, sibi decretum servandæ paci prætensum Aurelianensis jus per tractatus persequi, vi omissa. Nec jam amplius arbitrium Pontificis urgebat, sed tantum officio ejus velut sequestris se usurum ostendebat. Id qvod nec Cæsari, nec Palatino displicebat, qvod Pontificis officium ita temperari posset, ut Imperio nil præjudicii inde crearetur. Ac hortabatur Elector Palatinum, ut tractatus aleret, nec ad abrumpendam pacem ansam præberet. Aurelianensis tamen in possessionis vicem jam antea in procuratorio, qvod Morello ad Palatinum misso dederat, titulum sibi Ducis Lauteræ, ac Simmeræ, & Comitis Sponheimi arrogaverat; sed qvod procuratorium Palatinus admittere noluerat. Aſt hoc anno schedæ jam impressæ erant, qvæ hinc inde in Palatinatu Aurelianensis nomine affigendæ erant: id qvod tamen, post expugnatam Budam omissum.

Sept.

De Statua Regia.

§. 35. Eodem anno multis sermonibus ansam præbuit superba statua, qvam in honorem Regis Feuilladæ Dux Lutetiæ erexerat. Ea solenni ritu velut sacrum qvid dedicabatur, præsente Delphino, Aurelianensi, ejusqve conjuge, ac infinitis aliis Proceribus. Magistratus urbis præeunte mercatorum præposito eqvis in pompa advehebantur. Sed cum legio Regis prætoria festivis displosionibus perstreperet; non pauci ex illis perconsternatos eqvos in terram effundebantur. Ipse Feuillade prolixam orationem in laudem Regis evolvebat, defixis in statuam oculis, velut audientem, ac responsum daturam. Inde musicis instrumentis, tum bellico tympanorum ac tubarum concentu ingens gaudium ostendebatur. Multis locis fontes vinum fundebant, ac plateæ magna vi ignium relucebant. Circa eam statuam sapientes mirabantur, Regem privato homini exigua pru- 1686.
dentiæ opinione permisisse, ut adulationem suam tanto ambitu, ac sumtu expromeret, per qvam nil ad solidam Regis gloriam accedere poterat. Nec digerebant, qvid in inscriptione vocabulum *Viri Immortalis* sibi vellet. Nam immortalem qvidem famam plurimos assecutos. Cum autem iste talia Regi attribuere voluisse videatur, qvæ in alios non cadunt, aliqvid humana sorte majus hoc titulo exprimi conjectura erat, qvod qvaleforet, cogitatione assequi non licebat. Nam à mortalitatis sorte eum exemtum non fore, satis convincere poterant chirurgorum sectiones, qvæ tunc locis præfandis adhibebantur. Sed Principum animos præcipue adverterat, qvod ad basin statuæ qvatuor mancipia exprimerentur vinctorum habitu, qvibus Cæsar, Hispanus, Elector, ac Respublica Belgica designari credebatur. Triplex qvoqve fœdus per figuram tricipitis Cerberi innuebatur. De ista statua Lobcovicius obiter jecerat, Cæsari relatum fuisse, qva ratione sua, ac Imperii dignitas violata fuerit per repræsentationes statuæ à Feuillada erectæ, dum ipse per unum è qvatuor mancipiis ad pedem statuæ innui censeatur, satis id arguente bicipitis aqvilæ insigni. Eqvidem majorem Cæsari animum esse, qvam ut ejusmodi ineptiis moveatur. Se qvoqve non aliter pronuntiare posse, qvam nec Cæsarem nec Imperium à Gallo vinctum, aut victum fuisse, nisi in cerebro male temperato Feuilladæ. Ad qvæ Croissius: sibi non constare Cæsarem & Imperium sub mancipiorum figura repræsentari. Solitum qvoqve talibus operibus mancipia exprimere, qvæ & in statua Henrici IV conspiciantur; de qvibus nunqvam qverela mota fuerit. Ad qvæ Lobcovicius: ejusmodi tamen insignia adposita, ut facile intelligere liceat, qvid innuatur. Sed Viennæ talia rideri. Elector qvoqve per Spanheimium demonstrari jubebat: qvæ alios tangant, suo se loco relinqvere. Sed qvod Cæsarem & Imperium spectet, sane Gallis una & altera vice novissimo bello cum Germanis felicem conflictum fuisse. Contra Germanorum arma diversis locis Gallis prævaluisse, ac unam & alteram insignem munitionem ante horum ora expugnatam: ut dubium sit, utri majorem fortitudinis laudem ex hoc bello retulerint. Qvæ circa Argentoratum & alia reunita loca post pacem contigerint, magis apologia, qvam tropæo indigere. Saltem Germaniam nondum huc redactam, ut causa sit, eam in Gallia velut per triumphum duci, & sub man-

28. Mart. Feuillade

9. April.

1686. cipii effigie ad basin statuæ regiæ catenis alligari. Ac testari victorias contra Turcam, & qvotannis in expeditionem prodeuntes validissimos exercitus, sat virium adhuc Germaniæ esse, qveis favente Deo etiam à potentissimo orbis terrarum intentatum servitium avertere valeat. Romanos qvondam, & alios munimentis suis Regum, & Principum effigies expressisse, qvos plane sub jugum redegerant, ac ditionibus exutos ceperant, aut occiderant. Id qvod in Germaniam adplicari non possit. Sane nullum Principem novissimo bello sese Gallo dedidisse: sed se, aliosqve Imperii Ordines eo modo, uti inter supremos utrinqve Principes solet, pacem fecisse; nec ex eo tempore velut subjugatos, sed uti antea liberos Principes ab ipso, ac toto orbe habitos: & qvod hinc inde restitutum sit, id vi tractatuum factum. Regi multo gloriosius, ac generoso, qvem hactenus præ se tulit, animo dignius fore, si aliis non obnoxiis judicium de suis actionibus relinqvat, & qvod meritus sit decus à posteritate expectet; qvam per ejusmodi tropæa se dum vivit in os laudari, alios insultari patiatur; cum talia cuivis struere in proclivi sit, qvi pecuniam prodigere velit. Gallum qvoqve valde qvestum, si aliis locis qvid contra ipsius honorem scriptum, aut impressum fuerit. Saltem tale qvid à Rege se haut expectasse, ut ipse, ac patria sua, cujus dignitas sibi omni studio vindicanda sit, tam contumelioso modo repræsentetur, aut ut iste apud posteros ejusmodi monumento gloriolam aucupari gaudeat. Ad qvæ Croissius mollius: Regem non permissurum qvid exprimi, qvod fœderatorum suorum personis contumeliæ sit. Svecico ministro eadem de re qverenti Croissius se respondisse narrabat: Regem impedire non posse, qvo minus cives sui faciant, qvæ ad ipsius gloriam facere judicent; etsi sæpe in eorum elogiis, operibus, ac monumentis modus excedi possit. Sibi curæ non esse, qvid Holmiæ fiat, nec in sinistram partem accipere, qvæ ibi in honorem Sveciæ Regis monumenta erigantur. Sed cui repositum; Gallum utiqve impedire posse, ne sui cives tali modo ineptiant, postqvam decenter ea de re monitus fuerit; cum mimus iste non in privato, sed indicto velut publice die festo præsente Regia Domo, aula, ac tota Lutetia actus sit. Daniæ qvoqve Rex valde irritabatur verbis, qveis ipse, & Elector perstricti fuerant; *& arvaereddere jussit.* Judicabat autem Gallum per talia plus sibimetipsi damni dare, qvam iis, qveis per statuam insultetur. Per ista enim universo orbi tumentem inanibus animum, ac immoderatam ambitionem prostitui, hostes juxta, & amicos invidia, ac odio immensum irritaturam. 1686.

§. 36. Ast non parum solicitudinis Electori injiciebant, qvæ à Daniæ Rege hoc anno in Hamburgum tentabantur. Eum Regem antea Elector ad moderata consilia in Gottorpiensi negotio permovere studuerat; qvod suæ rationes non ferrent, Statum Imperii, qvi nullam sibi ansam suspicandi dare poterat, everti, ejusqve opes extero Regi adcrescere, vicinis deinceps prægravi futuro. Inter alia qvoqve ingerebatur, ne nimium Gallico fœderi confideret. Nam Principum rationes sæpe mutari, nec ullum fœdus ita durabile esse posse, qvin aliqvando finem attingat, aut alias labem contrahat. Unde prout cursus rerum per Europam se vertat, facile fieri posse, ut Dano, qvi nunc arctissime sibi Gallo innexus videtur, alii amici circumspiciendi sint. Ast id pro Gottorpiensi studium eo minus locum inveniebat, qvod Fridericus Alefeldius Cancellarius sontico morbo decumbebat, moderatorum semper consiliorum autor; cum nunc Regis aures soli obsiderent, qvi è Slesvicensibus præfecturis ad tempus sibi concessis lucrum capiebant; qveis subinde in ore erat; Regi non minus enixe Slesvicum, qvam Hafniam tutandam. Interim qvo prætextum foret armis terra, mariqve movendis, rumor didebatur, Svecos exercitum in Germaniam trajecturos, eoqve fine naves ab his instrui. Unde Danus propere classem suam armare, simul auxiliarias naves è Gallia excire. Elector contra Dani suspicionem, ac impetum molliebat. Sed & Svecum monebat, ne Dano ansam in arma erumpendi præberet. Nam summam se calamitatem, qvæ in præsens orbi Christiano accidere possit, ducere, si Boreales Reges bello collidantur. Contra Dani causabantur, Svecicum in Germania exercitum, ac inter Protestantes unionem Catholicos impulsuram ad contrarium fœdus eudendum, qvod Anglo in partes pertracto istis longe prævaliturum sit. Enimvero Dano inter ista animus erat Hamburgum subita invasione opprimere, aut si id non succedat, globos ignivomos jacere; ubi Danica factio, magnam partem è dissoluta, ac rapinæ cupida plebe constans, orto incendio in potestatem redactura erat; qvo fine & Danici præfecti militares magno numero in urbem confluebant, singulari cum Jastramo, & Snitqvero, factiosorum capitibus, familiaritate contracta. De qvo cum in aula Danica agentes ministri

Elector Daniæ Regi moderata ingerit.

Sena-

1636. Senatum civitatis monerent, hic defensionem adornat, simul decernit, statim atqve vis à Dano admoveatur, duobus istis proditoribus manus injicere. Circa idem tempus qvoqve una porta cum transversaria trabe totam per noctem patuerat, plusqvam dimidia præsidii parte inscio gubernatore per triginta viros contra Luneburgicas copias extra urbem emissa; qvo intellecto cum Senatus emissos revocaret, triginta viri contraria his mandata injungebant. Ea res Luneburgicos, qvi sua in urbem asperitate hisce causam dederant, valde perturbabat, qvi & qvatuor legiones versus Albim progredi jubent. Et jam Daniæ Rex XVII M militum contraxerat, in planitie apud Croppam metantes specie armorum exercendorum, ac ut Principem Saxoniæ delectaret. Enimvero serii qvid subesse satis animadvertebatur, ac nuper à triginta viris ad Regem missus blande admodum exceptus fuerat. Ac legiones paulatim Hamburgum versus movebant, Danis interim varios rumores spargentibus ad animos hominum alio avertendos. Hi conatus Gallum, & Anglum celabantur, qvibus & iidem parum probabantur. Wackerbartius ablegatus Luneburgicus urbem periisse judicabat, ni Elector eam servaret, ac legiones suas in Meclenburgica consistentes propius suggredi juberet, qvo ex ea parte aditus ad eandem pateret. Nam Cellensem ei periculo sustinendo solum non sufficere, ac civitati omnia suspecta fore, qvæ ab hoc offerenda sint. Post dato in custodiam Snitqvero, ac Jastramo tota conspirationis scena detecta fuit, ex qva urbs ad diem XXV Augusti Dano tradenda fuerat, cum non nisi pridie ejus diei Cellenses copiæ in hanc pervenissent.

Ipsius conatus in Hamburgum eruumpunt. 15. Aug.

§. 37. Cum itaqve effectui dare destinata aggrederetur Danus, literis Gottorpio ad Electorem scriptis qverebatur, Hamburgenses homagium, qvod Pinnebergica conventione dilatum fuerat, se licet sæpius monente, pertinaciter abnuisse, ac aliis variis modis in se deliqvisse. Unde sibi decretum vi ipsos ad officium compellere; ac sperare, ubi serio rem agi viderint, ultro debita facturos indignationi suæ declinandæ. Cæterum sibi haut animum esse urbem subigere, aut ab ea qvid extorqvere, qvod ulli vicinorum, aut aliorum Principum, aut commerciis Albis, urbisqve privilegiis, ac civium fortunis fraudi esse qveat: qvin se potius florentem ejus statum, è qva salus Holsatiæ magnam partem pendeat, omni modo promoturum. Neminem tamen sibi vitio versurum, si ad asserendum à majoribus in se transmissum jus exempla aliorum Electorum, ac Principum in Imperio imitetur. Inprimis Electorem, pro æqvanimitate, ac amicitia qvæ sibi à necessitate injungantur haut improbaturum, sed potius jura sua favore prosecuturum: ac si urbs refractaria manere persistat, sibiqve ad superbiam ejus castigandam ignivomorum globorum vis immittenda sit, aut si alii urbis defensionem suscipere instituant, sibi ex fœdere, qvo ad tuenda utrinqve jura mutuo teneantur, auxilia præstiturum. Adjiciebantur tredecim capita, qvibus Rex à civitate se læsum arguebat. Contra & civitas literis datis Electoris opem implorabat; qvi & protinus ad Micrandrum, & Devvitzium, aliosqve præfectos mandata mittebat, ut itineri se paratos tenerent. Ac eam ob causam reditum è Clivia licet valetudine sat tenui accelerabat; qvam provinciam, ac præcipue Vesaliam Arausionensi commendabat, qvod metus subesset, ne conscio Gallo id negotium susceptum foret, incendio latius excitando. In itinere qvoqve cum Hanoverano, ac Cellensi Ducibus valde qvidem tempestive colloqvio habito consilia capiuntur. Ac Cellensis facile permovebatur, ut offensa in urbem posita protinus M pedites in Mœrvverdera agentes urbi immitteret, hortantibus qvoqve id Cæsareis ministris. Tum & plures utrinqve legiones contrahuntur urbi auxilio ituræ. Cæsar qvoqve Electori hoc negotium committebat suo nomine curandum, simul directoribus utriusqve Saxoniæ, & Westphaliæ urbis tutelam commendabat. In urbe protinus potestas triginta viris abrogata, ac Senatui, ac sexaginta viris ad veterem regiminis formam conferebatur. Cæterum non una causa Electori erat, qvare hos Dani conatus improbarat, qvod ii suscepti essent, dum flos exercitus sui in Hungaria abest, se qvoqve longe in Clivia agente, ac ne minima qvidem communicatione antea facta. Nec ulla ratio à Rege habita fuerat fœderis à se ita sancte culti, ac peculiarium respectuum, ob qvos id negotium à se nullo modo deseri poterat.

Electoris ad Regem Daniæ missio. 20. Aug.

§. 38. Dum è Clivia redux Veterem Marchiam transit Elector, statim qvi ad manum erat Thomam Knesebecium ad Regem Daniæ mittit, significaturum: se non sine animi perturbatione è Regis literis destinata circa Hamburgum ab ipso capta perspexisse. Qvæ sibi eo majori sint dolori, qvod nunqvam credere potuerit, Regem hoc

1686. hoc tempore, qvo Cæsar & Imperium bello Turcico plus satis distringatur, talia susceperum, per qvæ intestinæ tranqvillitati Germaniæ, ac præcipue Inferioris Saxoniæ letalis plaga inferenda sit. Eqvidem se Regis jura haut qvidqvam in dubium revocaturum. Verbo duntaxat tangere, ab ipso Rege fundamenti loco adduci conventionem Pinnebergensem, anno 1679 initam, qva lis super homagio plane ad amicam compositionem, aut judicialem decisionem seponitur, omnia via facti præclusa. Num civitas oblatam amicam negotiationem recusarit, à se in medio relinqvi. Id saltem notorium esse, eam ab isto tempore semper intestinis turbis agitatam talia suscipere non potuisse. Ac si eadem maxime amicam compositionem recusarit, viam tamen juris semper patuisse. Eandem siniſtre se erga Regem gessisse, sibi hactenus non auditum. Id potius constare, eam turbis cum Cellensi Duce auxilium Regis præcipue respexisse, nec Danicos ministros unqvam plus autoritatis, ac affectus in urbe qvam ex hoc tempore invenisse. Qvod Regi de fœdere cum ipso in mentem veniat, sibi gratum; qvod & ipse semper sancte servarit, ac sæpe ob regis amicitiam insignia emolumenta alibi ostentata recusarit. Se tamen speraſſe, Regem super negotio tam arduo, è qvo salus Inferioris Saxoniæ pendeat, re integra secum fuisse communicaturum; id qvod fœdus ambobus intercedens disertis verbis reqvirat. Qvoniam autem, si Rex destinata persequatur, ac vim urbi admoveat, cruentum bellum, & convulsio status publici præsertim per Inferiorem Saxoniam immineat; atqve ea res Cæsarem, Imperium, Domum Luneburgicam, qvicum in reditu ipse consilia contulerit, ac præcipue seipsum ira tangat, ut fere perinde sibi sit, Hamburgum, an Berolinum oppugnetur: se non posse non Regem enixissime rogare, ut Germaniæ qvietem ne invideat, nec urbi vim admoveat, sed amicæ compositioni, aut judiciali disceptationi locum relinqvat, nec hostile qvid suscipiat. Ista monita si locum non inveniant, Regem pro sua prudentia facile perspecturum, qvid inde consecuturum sit. Id certum esse, Cæsarem, & Imperium urbis causam susceperum; se qvoqve, ac Luneburgicos Duces, qvæ suæ rationes suggerant, haut neglecturos. Ac si maxime Regi ab initio omnia ex voto succedant, ac is urbem sub jugum redigat; periculosiora tamen inde consequi posse, qvam nunc forte cogitentur. Eidem qvoqve injunctum, si sum qvibusdam bonis civibus ex urbe loqvendi occasio foret, ad constantiam eos hortari, ac de suo auxilio confirmare. 1686.

§. 39. Knesebecius qvæ jussus erat Regi in castris ante urbem exponebat. Ubi observatum adstantes expalleſcere, cum pronuntiaret, Electori perinde fore Hamburgum, an Berolinum oppugnetur. Rex verbis laxioribus respondebat: Eam sibi intentionem non esse, qvalis forte ad Electorem relata sit. Sibi haut ignotum, qvousqve Elector, Saxonicus Circulus, ac Luneburgici causam urbis ad se spectare judicent. Se qvoqve nullius rationibus præjudicium allaturum. Sed postqvam tantopere ab urbe offensus sit, qvæ & ipsa hostilia cœperit; vitio sibi datum non iri, si istam hoc nomine paulum castiget. Se protinus Reventlovium ad Electorem missurum, qvi ei sine dubio satisfacturus sit. Porro Rex per Joannem Hugonem Lentium Electori significarat; se non nisi homagium ab urbe exacturum, majoribus suis præstitum, haut impolito præsidio, tum privilegia eidem sarta tecta servaturum; & commercia promovere magis qvam sufflaminare velle. Aſt civitatem eo nomine cum Rege tractationem susceperum abnuisse, ac una cum Luneburgicis initium hostilitatis, displosis in subeuntes machinis, & eruptionibus fecisse. Cum itaqve civitas hoc modo aggressionis se crimine adstrinxerit, eoqve casus fœderis extet, se reqvirere, ut Elector ex fœdere in Duces, & urbem hostilia sumat, aut saltem sequestrem se gerat. Eadem Reventlovius mox adveniens proponebat. Sed cui Elector respondebat: *Ni Rex hostilibus supersedeat, se non posse non cum aliis conventa executioni dare, ac intolerandis sibi destinatis qvantum detur vim opponere. Igitur petere, ut omissis hostilibus ejusmodi ratio ineatur, qva legibus Imperii congrua sit, qvibus Rex tanqvam Holsatiæ Dux obnoxius agat.* Ad extremum Reventlovius innuebat; si civitas submissis literis, aut per delegatos apud Regem hostilia deprecetur, ac ipsa talibus desistat, eum petita haut recusaturum. Ex qvibus facile apparebat, Regem cœpti negotii pœnitentia tangi, nec rem ad extrema deduci passurum. Unde Elector civitati svadebat, ne eas conditiones temere respueret, qvo res ad inducias deducatur, tempusqve extrahatur ad litem interim componendam, aut defensionem melius adornandam. Nec dedecori eidem fore, qvod negotium cum potente, ac armato Rege sit, per modicam submissionem, libertati suæ haut nocituram, imminentem tempestatem avertisse.

A Knesebecio acta. *14. Aug.*

16. Aug. Lentz.

Cæte-

1686. Cæterum instante Knesebecio, ut vis omitteretur, Rex promittebat, se in Electoris gratiam jaciendis globis ignivomis abstenturum, operibus interim promotis; nec repugnare, qvo minus ex urbe in subeuntes tela emittantur. Ac satis animadvertebatur, Danis pœnitentiam cœpti negotii subire, postqvam Elector tanto studio causam urbis amplectebatur; ac jam erratum suum agnoscebant, qvod tanti momenti rem ipso inconsulto suscepissent. In urbe qvoqve summa concordia, postqvam turbarum autores in carcerem dati fuerant. Sed & non pauci Danorum, dum castellum stelliforme ante urbem oppugnant, opperierunt; in qvo antea præsidiarios panicus terror invaserat, ut omnes inde in urbem se proriperent, præter duos qvi machinas tractabant; qvi continuo hisce fulminabant, ne obsessores eam consternationem sentirent. Ac per dimidiam horam castellum defensoribus vacuum stabat, qvoad præfecti collectos qvi profugerant eodem iterum reducerent. Eruptio tamen ex urbe facta minus ex voto successit, multis utrinqve cadentibus. Seqventi nocte duo ignivomi globi in urbem jacti, sed qvi, antequam terram attingerent, nullo effectu dissilierunt, magno tamen terrore civibus incusso. De eo facto cum Knesebecius qvereretur, Rex causabatur, urbem hostilia persecutam, ac Altonæ ignem immisisse. Demum isto instante Rex declarabat, se per viginti qvatuor horas laborem intermissurum: interim ipse, ac Ducum legati oppidanos permoverent, ut jaculationibus, & eruptionibus supersedeant, qvoad Reventlovius ab Electore redierit. Id qvod Knesebecius in se recipiebat, tempus extrahere studens, qvoad Electoris legiones urbem introiissent; qvæ & mox sub
19. Aug. Georgio Adolfo Micrandro, & Joachimo Balthasare Devvicio tribunis in eam penetrarunt. Reversi in castra Knesebecius, & Wackerbartius modicam adhuc dilationem petebant, qvo civitas responsum adornare posit: Dani non sine ferocia jactabant, civitatis insolentiam utiqve castigatione coërcendam; qvibus à Knesebecio masculè responsum. Interim & legati Gallici Rebenacius, ac Chiverniusaccesserant; qvi postqvam cum Rege locuti essent, hic respondebat: se inducias ad meridiem usqve diei vicesimi octavi Augusti prorogaturum. Simul literas tuti itineris pro delegatis civitatis dabat, qvi audiendæ ipsius propositioni accedere debeant. Cum civitas eas literas pressius concipi cuperet; Dani initio recusare, ac expostulare, Regis verbo fidem non haberi. Demum tamen literas ad expetitam formam dabant, ac hostilia ad diem XXX usqve Augusti se omissuros promittebant. 1686.

§. 40. Sed qvia Knesebecio alia negotia expedienda incumbebant, Elector eo revocato Wolfgangum Schmettavium in ejus locum substituit. Ei injunctum Regi demonstrare; nondum sibi solicitudinem decessisse, non solum ob turbas, qvæ ex hoc negotio in Germania orituræ sint, sed & qvod Rex se suumqve Regnum ingens in periculum præcipitaturus sit: Sane qvietem, qvæ hucusqve his locis arriserit, hoc auso penitus turbari, eoqve culpam omnium malorum in Regem redundaturam. Fœdus suum cum Rege meram defensionem spectare, nec ad hunc calum trahi posse. Frustra Duces, & Hansburgenses velut aggressores argui. Nam Regem utiqve per literas denuntiasse, sibi propositum urbem ad officium jactis ignibus compellere; ad qvod excavatis accessibus, & extractis suggestibus initium factum sit. Ac qvis civitatem reprehenderit, qvod eousqve defensionem non distulerit, qvoad perfectis operibus culter jugulo admoveretur? Se insuper esse Imperii Electorem, ac Inferioris Saxoniæ directorem, cujus officium reqvirat, ortas ibi turbas pro virili inhibere. Unde sibi cum Luneburgicis, qvi communes hoc in negotio rationes secum habeant, sociatis consiliis de securitate Circuli cogitandum fuisse; præsertim cum Rex de isto nil sibi communicarit, qvin contrarium per ministros confirmarit. Sibi nil magis cordi esse, qvam patriæ, ac præcipue inferioris Saxoniæ qvietem. Ad hunc scopum omnia sua consilia circa hanc litem tendere; ac se insignia emolumenta repudiasse, qvæ obtinere licuerit, si diversam viam inire placuisset. Regis jura merito integra manere; sed modum, qvo ea nunc asseruntur, probari non posse. Qvæstionem de præstando homagio adhuc indecisam esse, ac Spiræ in foro competenti pendere. Ast lite pendente vim adhiberi non posse, nec congruere, ut Rex in propria causa judex, & exsecutor sit. Regem homagium exigere tanqvam Holsatiæ Ducem; sed eo intuitu eundem Cæsari & Imperio fiduciario vinculo obnoxium, cui hujus litis decisio competat. Et tamen isto prohibente, ac renitente ad vim procurri; unde Regi periculum nasci qveat totum Ducatum amittendi. Igitur supersederet Rex oppugnatione, ac amoto exercitu rem ad amicam tractationem deduceret, circa

Elector negotiationem persequitur. Schmettau.

1686. qvam ipſe fidam operam ſit navaturus. Adhuc rem integram eſſe. Aſt ubi alii proprias ob utilitates ſe ingeſſerint, blandis remediis non amplius locum fore. Addebatur; admodum ſibi diſplicere qvorundam regiorum miniſtrorum ſermones; non animum eſſe urbem occupare, ſed tantum effuſis globorum fulminibus caſtigare. Hoc enim velut meram nocendi libidinem præ ſe ferens iſto deteſtabilius haberi. Contra civitati confirmare jubebatur Schmettavius, Electorem non minore ſtudio hujus cauſam ſuſcepturum, qvam ſi de propria ditione agatur, ac qvicqvid habeat copiarum auxilio miſſurum. Qvo fine cum Luneburgicis conſilia ceperit; ac jam VI M apud Lenzenam conſiſtere, cum iſtorum copiis ubi res exigat jungenda. Addebantur hortatus ad concordiam, & conſtantiam, ac ut officium erga Cæſarem & Imperium obſervarent, ſuæqve libertatis curam agerent. Ante Schmettavii adventum, cum Hamburgenſium delegati in caſtra venirent, Rex reſponderi juſſerat; mirum ſibi videri, ipſos nil habere qvod proponant, cum tamen qvid ipſe circa homagium poſtulet ſatis norint. Unde ad diem tertium uſqve Septembris deliberandi ſpatium iſtis dabat. Alias Danici miniſtri ſatis oſtendebant, valde ſe deſiderare, ut honeſte hinc diſcedere detur, & qvanqvam aliqvando ferocius loqverentur, animus tamen dictis haut conſpirabat. Sed & nuntius expugnatæ Budæ Danos non parum turbabat, utut ad iſtud diſſimulandum in caſtris ter feſtivis diſploſionibus omnium machinarum perſtreperent. Ad propoſita à Schmettavio Rex reſpondebat: *Sibi nunqvam animum fuiſſe urbem obſidere; alias rem aliter diſpoſiturum, occupato Bergsdorfo, ac impedito, ne auxilia in urbem penetrare poſſent. Offenſam duntaxat iſti oſtendere, ac terrore ad officium faciendum compellere voluiſſe. Circa homagium nil aliud exigere, qvam qvod majoribus ſuis præſtitum ſit. Civitatem ob pervicaciam, ac oblatam ſæpius amicam compoſitionem repudiatam meruiſſe, ut caſtigaretur. Se tamen intuitu Electoris infenſis ſuperſediſſe; nec ulterius amicam viam recuſaturum, qvantum ſalvo ſuo honore, ac jure fieri poſſit. Hortaretur qvoqve Electorem urbem, ut ipſa officium ſuum melius impleat. Alias ſe Electori haut poſſe vitio vertere; qvod iſtius curam ſuſceperit, ac militem ei immiſerit; ac optare, ut hic ſolus in urbe agat. Nam ab Electore nil ſibi ſuſpicionis eſſe, uti à Luneburgicis, qvorum miles hoſtilia patrarit. Unde & ſe hoſce ad tractatum admittere noluiſſe. De retrahendo exercitu ſe civitatis reſponſum expectaturum; ac tunc par fore, ut alienus miles pari paſſu ex urbe deducatur. Interim gratum ſibi fore, ut Elector duas adhuc peditum legiones urbi immitteret, qvo ſaltem ejus milites Luneburgicos numero ibi aqvent. Alias ſperare, civitatem propius ad rem acceſſuram, ne ſibi neceſſitas imponatur fulminationem inſtituere, cui omnia parata ſint, & qvam ſolus Electoris reſpectus diſtulerit. Duobus globis immiſſis haut animum fuiſſe urbi nocere, ſed machinarios tantum ſpecimen capere voluiſſe, qvam longe projici qveant; nec fomitem iſtos habuiſſe, ut ignem concipere poſſent.* Gyldenlœvvius excuſabat, eos ſuo injuſſu jactos.

4. Sept.

1686.

§. 41. Aſt cura ejus negotii componendi Electorem permovebat, ut Paulum Fuchſium qvoqve ad Regem mitteret. Apud eum, cum in caſtra perveniſſet, Rex homagium levem rem oſtendebat, & qvod Hamburgenſibus præſtare facile ſit; cum non jurejurando, ſed data dextra conſtare debeat. Nec ſe jus præſidii poſtulare; nec oneris qvid urbi impoſiturum, ſed tantum debito ſe honore ab hac affici velle. Retineret qvoqve urbs omnia ſua privilegia, ac ſi cum vicinis bellum ſurgat, neutrarum partium eſſet. Enimvero qvia talia à potentibus fere longius porrigi ſolent, Fuchſius haut conſultum ducebat in præſens de jure Regis diſceptare, ſed ut amice res ad normam tractatus Pinnebergici reduceretur. Nec magis placebat à Luneburgicis ſe disjungere; id qvod Dani qværebant, diffidentiam erga hoſce ſerere conantes. His enim valde iraſcebantur Dani, qvod raptim immiſſo ſuo milite, dum Brandenburgici adhuc abſunt, ipſorum conatus irritos reddidiſſent; cum alias urbs primo impetu per ſtructas intus machinationes, & compactum cum parte triginta virorum certo opprimenda videretur. Sed Fuchſio ſatis habebatur inducias in aliqvot dies obtinuiſſe, ut urbs præſenti periculo eriperetur. Unde & de Gottorpienſi cauſa nil tangere viſum; qvod miniſtri Gallici jam jactaverant; etſi Dani inſtitutum à ſe haut probetur, Gallum tamen huic auxilio non defore, ſi ulterius qvam Hamburgenſe negotium pertingit, urgeatur. Sed magis ad rem judicabat Regi demonſtraſſe, qvæ mandata à Cæſare ad Electorem miſſa ſint, unde certiſſimæ moleſtiæ Regi imminent, qvas ut declinare prudenter velit Electorem magnopere ſvadere. Sane jam Lenzenæ VI M Electoralium militum parata ſtare, pro re nata protinus Luneburgicis jungenda. Unde Regem optime honori

Alia ab Electore miſſio.

1686. mori suo consulturum, si hac rerum facie proprio motu generosam declarationem edat, qvam lentis tractatibus negotium intricatius reddat, ac ad extremum tamen necessitatis pudorem subeat. Igitur Rex hisce motus velut ultro declarabat, se in gratiam Electoris hostilia amoturum, ac machinas navibus impositurum. Simul Fuchsio confirmabat, nil hostile amplius se tentaturum. A ministris non nisi in speciem nonnihil difficultatum movebatur, tuendo Regis decori, acut tentarent, num Hamburgenses aliqva pecuniæ summa emungi possent. Eo peracto Fuchsius iterum di-
10. Sept. scedebat, postqvam vim, & ignes urbi avertisset. Exercitus Danicus primo milliare
14. Sept. unum ab urbe recedebat, mox plane solutus in hiberna abibat. Regem Gottorpium se conferentem sequestres comitabantur Schmettavius, ac Luneburgici Witzendorfius, & Münchhusius, cum Baumbachio Cassellano. Sed civitas delegatos suos eo mittere nolebat tum alias ob causas, tum qvod Gottorpium extra fines Imperii situm foret, qvo absqve consensu Cæsaris accedere sibi integrum non sit. Eoqve Schmettavio, ac Luneburgicis negotium suum qvam optimis possent conditionibus expediendum committebant. Difficillimum erat restitutio navium, & mercium, qvibus Dani manum injecerant; qvæ num per solas persvasiones obtinenda foret Luneburgici dubitabant; qvod Danis fere nil facere moris sit, nisi metu majoris mali, & qvod necessitas urgeat. Et constabat, ministris Danicis, qvi Regi ad eam expeditionem pecunias crediderant, Hamburgensium naves, ac merces in solutum assignatas. Contra civitas minabatur, ni Rex in harum restitutionem consentiat, se vicinæ Holsatiæ tributa imperaturam: id qvod
23. Sept. Schmettavius vehementer dissvadebat. Huic porro Elector injungebat, ut hujus negotii conclusionem urgeret, ac inprimis ut commerciis libertas restitueretur, ne Galli, qvi progressibus Cæsaris in Hungaria invidebant, occasionem arriperent incendio ibi excitato istum distrahendi. Regi autem de sua amicitia confirmaret, cujus nullum aliud in præsens specimem exhibere posit, qvam si transactionem accelerari svadeat; qvod sibi insignia emolumenta ostententur, si admixta Gottorpiensi causa res ad ulteriores turbas perducatur. Unde restitutionem detentarum navium è conditione solvendæ ab urbe pecuniæ ne suspenderet. Nam civitatem ad dandam pecuniam haut permotum iri; qva in re & alios assentientes habeat, cum eadem nil fecerit offensa Regis dignum; & hoc modo 1686.
exemplum stabilitum iri, qvo ista semper pecunia emungi possit. Qvin eandem DC M uncialium damni accepti nomine prætendere. Tum ne Rex Gallum aut Anglum sequestres admiscat, qvod hoc negotium Imperio domesticum sit; in qvos & civitas inconsulto Cæsare consentire neqveat. Qvod si amicæ persvasiones nil proficiant, ostenderet; ubi sibi haut integrum futurum sit Cæsaream Commissionem supprimere, id qvod hucusqve unice in gratiam Regis fecerit. Ast ubi ipse ulterius Cæsareis mandatis super avocatoriorum, & inhibitoriorum promulgatione urgeatur, ac civitas de eo, utrjam cœpit, instare pergat, sibi qvantumvis invito huc descendendum. Inimicos qvoqve Regis ansam inde arrepturos destinata, qvæ ipse semper inhibuerit, persequendi. Civitati contra idem demonstrare jubebatur, par esse, ut Regi venerationis indicia exhibeat, per qvæ juribus suis nil decedat. Tum ne de reparatione damni qvid moveat, qvod in se qvidem iniqvum non sit; sed ad eam compelli non posse Principes, nisi plane victos. Ac raro rem eo deduci, ut aggressor læso satisfaciat. Nec Regi hanc expeditionem lucrosam fuisse. Ac si hic petitam pecuniam remittat, civitatis prætensionem velut compensatione tolli posse. Svaderet qvoqve, ne Altonæ, ac aliis regiis locis vis inferatur. Conspirabat qvoqve Cæsaris sententia, rem qvantum possit amputatis ambagibus ad amicam compositionem deducendam, nec alia, inprimis Gottorpiensem causam, admiscenda.

Negotium Hamburgense componitur.

§. 42. Ast Gottorpii præcipue super satisfactione certabatur, qvam Rex civitatem poscebat, eamqve illæso hujus honore remitti non posse ministri jactabant. Etsi Gallicus, & Anglicus legatus valde improbarent, istos privatum ob emolumentum Regis existimationem, ac ejusdem rationes status periculo exponere. Nam iidem, ut creditas Regi pecunias reciperent, præfracte negabant, Hamburgensium bona citra satisfactionem restitui posse. Si qvis eo nomine vim inferre audeat, Regem, accedente fœderatorum auxilio isti retundendo sat parem fore. A Sveco nil metuendum, cui Danus mari prævaleat, trajectionem copiarum in Germaniam facile impediturus. Cui & haut expedjat bello se immergere ob internum Regni habitum, ac multitudinem eorum, qvi præsentem statum aversantur; & qvia Rex parum idoneo consilio utatur. Ast Elector Schmet-
27. Sept. tavio injungebat denuo Regem hortari, ut

1686. rationi locum det. Qvod si autem is infecto tractatu Hafniam discedat, protestaretur, penes se nullam culpam fore malorum, qvæ inde proventura sint, ac vale Regi dicto Hamburgum discederet, ni Rex ministrum plenis cum mandatis relinqvat. Regi porro ingereret; qvæ ipse svadeat, è sincero affectu proficisci: ac qvo diutius Rex conclusionem tractatus extrahat, eo gravius præjudicium genuinis ipsius rationibus, & existimationi inferri. Ac jam diversis locis motus fieri Daniæ haut insuper habendos. Nec obscurum, qvid consiliorum Holmiæ, ac Viennæ agitetur. Qvin Belgas, etsi alias urbi satiniqvos, aliqvot bellicas naves Albi immittere decreviſſe. Multos qvoqve id tempus opportunum ducere Gottorpiensi negotio expediundo; ac in eam rem sibi à Cæsare mandata esse. Ista à se adduci, non ut Regi timorem incutiat, cujus imperterritus animus sibi satis perspectus sit. Esse qvoqve ei arma in promtu, ac validos fœderatos. Enimvero ex altera parte periculum manifestum esse, cui Rex se, suamqve familiam, ac statum exponat. Ac nunqvam scitis religionis Christianæ, ac sanæ rationis adprobari posse, ob tantillam pecuniam orbem Christianum exitioso bello involvi, Protestantes Principes inter se committi, eorumqve communem rem tam enormiter lædi, qvæ alias passim tanta damna patiatur. His rationibus victi Dani manus dabant, ac seqvestribus ultro suggerebant, ut formulam transactionis conciperent. Contra Dani aliam formulam exhibebant ab ista valde discrepantem: circa qvam tamen demum Schmettavio valde instante temperamenta admittebant, qvibuscum is Hamburgum proficiscebatur. Sed cum res ne sic qvidem succederet, demum Dano placuit scriptam declarationem dare, qva promittebat, se omnia in priorem statum, qvi ante has turbas fuerat, ad normam pacti Pinnebergici repositurum. Qvod perinde habebatur, ac si justa conventio inita foret. Ac placebat Danis subinde aliqva tergiversatione uti, ut non uno impetu, sed gradatim à prioribus consiliis viderentur discedere. Ejus declarationis hic erit sensus: *Qvia seqvestres nomine suorum Principum rogaverint, ut Rex regia è clementia indignationem suam erga civitatem Hamburgensem deponat, Hamburgensium civium naves, merces, ac nomina relaxet, liberum commerciorum cursum ubiqve locorum iterum aperiat, ac de reliqvo Pinnebergensi pacto stet: id qvod etiã civitas à Rege petierit: igitur Regem sese ad hæc omnia proclivem declarare, ita tamen ut civitas vicissim regiorum subditorum bona, & commercia in priorem statum restituat, auxiliares copias dimittat, ac per submissas literas ad ista hac se adstringat.* Ita istæ turbæ tunc compositæ sunt.

30. Sept.

8. Oct.

1686.

§. 43 Porro is Dani conatus totius Europæ oculos in se averterat, præsertim cum omnes crederent, Gallo conscio, & instigante talia fieri, qvo prætextum in arma erumpendi ipsi foret. Sed Croisius testabatur, id institutum à Rege ignoratum, ac postqvam intellexerit, improbari, ac intempestivum haberi, qvod & haut successurum verosimile sit. Ac esse vicinis causam qvare se opponant. Ac Regem per legatos suos Dano compositionem svasisse, qvi & ideo globos ignivomos jacere omiserit. Addebat, si Alefeldius Cancellarius vixisset, ista haut fuisse suscipienda. Sed & ab Electore adhibitum agendi modum haut improbabat, ac ut res ita ducatur, ut Danus honeste negotio extricare se qveat, nec tamen propria in ditione invadatur, qvæ Hanoverani videbatur sententia. Eo enim casu Gallum ad auxilia isti ferenda teneri. Porro negotium ita sinistre dispositum, ut liqvida spes successus non adpareret. Ast si cum Gallo consilia digesta fuissent, eam viam fuisse ineundam, per qvam scopus utiqve obtinendus fuerit. Sed cum idem significaret, gratum Regi fore, si Danus pecuniæ qvid ab Hamburgensibus extorqveat; Elector demonstrari jubebat; unicam sibi curam fuisse incendium intra primordia restingvere, ne latius grassaretur. Id qvod ita feliciter succesſerit, ut Rex protinus omissis hostilibus exercitum in hiberna dimiserit. Inde rem ad tractatus deductam, Electore, Luneburgicis, & Cassellano seqvestribus. Plures adscisce haut visum, forte rem magis intricaturos, ac Danum Colonienſis officium declinasse. Igitur homagium, qvod Danus in prætextum horum conatuum adhibuerit, ad alios tractatus sepositum; ac nunc idagi, ut omnia in priorem statum reponantur. Sed ut Danus aliqvo emolumento potiatur, id fieri non posse, qvod civitas contra Pinnebergense pactum se oppugnatam qveratur, ac ultro sibi satisfieri de damnis illatis postulet, qvæ supra millionem taxentur. Eqvidem vicinos Gottorpiensem qvoqve hac occasione restitui velle. Sed qvia ipse facile perspiciat, ingens inde bellum orituram; non solum se id constanter recusasse, sed & alios se non consentiente nil aggressuros. Anglus Gallum huic negotio misceri crediderat, qvod alias Danus absqve hoc successum sperare non potuerit. Ac revera id improbabat, ac mature incendium

Motus animorum super turbis Hamburgensibus.

1686.

oppri-

1686. opprimendum censebat, qvod totam Europā involvere qveat. Unde & in favorem urbis literas ad Danum dabat, qvod mercatores Londinenses demonstrassent, se in præsens Hamburgi merces qvadringenties mille librarum Sterlinensium pretio taxatas habere præter lucrum, qvod ex iis expectent. Danicus Londini Ablegatus initio ferociter jactarat, Hamburgenses rebelles esse, qvi ad homagium compellendi sint, etiam cum excidio urbis. Mox tamen idem Anglo significabat, Danum desiderio promtæ transactionis machinas ab urbe amovisse. Cui Rex respondebat: se satis prævidisse, Danum molliorem viam ingressurum. Belgæ Hamburgensium opes imminui haut ægre laturi erant, ruinam tamen urbis detestabantur; etsi facile agnoscerent, inter hæc duo medium teneri vix posse. Ast in Svecia Christianus Stocflietus ablegatus Danicus Regi de heri sui instituto significabat, testatus nil aliud huic propositum, qvam homagium debitum exigere; idqve fas esse, exempla Erfordiæ, Brunsvigæ, Monasterii, ac Bremæ ostendere. Ei à Rege responsum: sibi non constare, qvid controversiæ Dano cum Hamburgensibus sit. Eo magis inopinam sibi hanc denuntiationem accidisse. Sperare, eum nil facturum, qvod pacem Germaniæ turbare qveat; ac ita se gesturum, ne vicinis causa suspicandi præbeatur. Sane sibi tolerandum haut esse, ejus civitatis statum mutari. Ast uti ipse Regi Daniæ defuturus non sit, si hic legitimas prætensiones perseqvatur: ita necessum sibi fore hoc rerum statu facere, qvo alias libenter supersedere velit, siqvidem Danus capta ulterius urgeat. Cæterum Rex isthoc cœptum non Germaniæ solum, sed & Sveciæ summopere noxium judicabat; nec dubitabat, si Dano conatus in Hamburgū succedat, eum Lubecæ qvoqve paria intentaturum; tum novum castellum ad ostium Albis in potestatem redacturum, Albi juxta, ac Visurgi frænando. Elector Regem per Falæsium hortatus fuerat, ut Hamburgensium causam suscipiat Dani vires distrahendo. Nam alias Bremensem provinciam in lubrico fore, si Danus Hamburgo potiatur. Ne tamen in arma erumperet, qvamdiu amicæ transactionis spes sit. Consultum interim fore in omnem eventum legiones in Scania contrahere. Ad hæc Rex testabatur, sese hoc in negotio Electoris consilia secuturum. Ac protinus ad gubernatores Teutonicarum provinciarum scribebatur, ut urbi qvovis modo succurrant; tum & de contrahendis in Scania legionibus, ac de armanda classe mandata emittebantur.

15. Aug. Stockfliet.

Das neue werck.

§. 44. Cæterum Sveciæ Rex non parum gaudebat à Dano eas turbas fuisse motas, qvod ea occasione Gottorpiensem restitui posse speraret. Ac Aschenbergius, & alii militares bellum valde svadebant, præsertim postqvam Buda expugnata sat. Ast Elector demonstrabat, duas palmarias causas esse, qvare id in præsens non expediat. Nam ubi bellum eruperit, præcipuos Protestantium inter se collidendos, non sine luctuoso exitu, ac ruina eadem sacra professorum. Tum tractis huc Germaniæ viribus parum superfore tuendo Rheno. Unde Gallum hautqvidqvam occasionem amissurum ei tractui subigendo, cui ea natio tamdiu inhiavit. Qvo perdito plusqvam dimidiam Germaniæ partem perituram, Belgis qvoqve ingens periculum incursuris. Nec dubium esse, qvin Gallus Dani pertinaciam circa causam Gottorpiensem obfirmet, qvo semper occasio in promtu sit Protestantium potissimos inter se committendi. Ac Gallum jam aperte denuntiare, si Danus intra suos fines impetatur, se cum triginta millibus militum eidem adstiturum. Ast tunc demum tempus fore Gottorpiensi restituendo si patrato bello Turcico arma adversus Gallum parata fuerint. Si tamen Danus præter rationem se obfirmarit, cum Rege Sveciæ, ac Luneburgicis se conventurum, qvid facto opus sit. Interim qvamdiu spes compositionis superet, moderate procedendum. Atqve eadem qvoqve Cæsaris sententia erat, qvi etsi cuperet, ab Electore enixam operam impendi impendi componendæ causæ Gottorpensi, qvod ea indecisa iis oris solida qvies consistere non possit; cavendum tamen censebat, ne hoc rerum Germaniæ statu res ad arma deducatur. Sed & Luneburgici optabant, Gottorpiense qvoqve negotium simul expediri, Danumqve eo redigi, ut non amplius talia ab ipso expectanda sint. Ac proponebat Fuchsio Otto Grotius; Duces censere, hac occasione non præsentes solum turbas componendas, sed & de futura qviete & securitate Hamburgi, ac totius Circuli cogitandum: ad qvam cumprimis factum sit Gottorpiensis restitutio, qvo is priorem velut limitem Daniam versus firmet. Alias enim urbem semper ejusmodi tempestatibus expositam fore, qvod Rex pauculas intra horas Glucstadio machinas jaciendis ignibus advehere possit: non semper autem Electoris, ac Ducum copias ita in promtu fore, ut tam tempestive sicut nunc succurrere qveant. Atqve id consilium effectu facile fore. Esse Ducibus parata XI M, Electori VII M bel-

1686. Electori Gottorpiensem causam Hamburgensi misceri non placet.

4. Sept.

1636. latorum. Urbem qvoqve militem, ac ingens rebus momentum dare posse. Si ipsi junctis copiis apud Hamburgum consiederant, Danicum exercitum brevi ad incitas redigendum. Istum militem jam non modico numero deserere; ac stativa autumnali cœlo multos morbos generare. Eqvitatui pabulum deesse. Unde ipsis ingruentibus Dano cessim eundum. Qvi & alias copias junctas tenere, ac insulas milite vacuas relinqvere non posit, à Sveco, ubi hoc institutum intellexerit, mox invadendas. Ita nostros nemine resistente Holsatiam, & Slesvicensem Ducatum ingressuros, ac opimis ibi hospitiis fruituros; ac mox Regi necessitatem incubituram Ducem in sua restituendi. Eadem Cæsareus, Svecicusqve, ac Ducis minister Joachimus Alefeldius ingerebat, qvorum hic totam Ducis ditionem fœderatis in usum hospitiorum offerebat. Nec modice id Hamburgenses optabant. Ast Fuchsius reponebat: Isthæc sibi improvisa esse, de qvibus, cum suo discessu cogitatum non sit, nil qvoqve mandatorum eo fine datum: sed id duntaxat injunctum, ut præsentes turbæ qvamprimum componantur, qvo Regi Daniæ suus honos, civitati libertas persistat. Cæterum uti Elector Danorum cum Duce agendi modum semper improbarit, ita eum ex animo hujus restitutionem optare, ac libenter operam suam eo fine collaturum: & hucusqve ut ista per amicam negotiationem fiat, elaborasse. Ast si in præsens ad vim descendatur, nec Hamburgense negotium nisi restituto Duce absolvatur, certum bellum surrecturum, qvod Danus ad tuendam tam pingvem possessionem extrema tentaturus sit. Ast se valde dubitare, num Elector probaturus sit Danum ad extrema urgeri, cui ipse semper arctis vinculis illigatus fuerit. Qvin credere, si pauci qvi restant Protestantes bello inter se collisi vires mutuo atterant, de ipsorum qvoqve sacris actum iri. Electoris qvoqve vires distractas, ac partem legionum in Hungaria, partem in Borussia abesse, ut justa vi res geri non possit. Sed qvod palmarium sit, si reliqvæ Imperii vires heic loci bello implicentur, cum jam maxima pars contra Turcam occupetur, Gallum ea occasione usurum opprimendo ad Rhenum tractui; id qvod nullo negotio facturus videatur, cum nullibi adpareat, qvod tantæ moli opponi qveat. Ast Electori persvasum, amisso Rheno Germaniam periisse. Ac forte à Gallo classem milite onustam in Mare Balticum mittendam, qvæ ibi negotium det. Ast ubi pax cum Turcis facta, & exercitus suppleti fuerint, aut Gallo ad Rhenum LX M bellatorum opponi qveant, Dano ab auxiliis destituto conditiones qvæ proponantur subeundas fore. Igitur in præsens non nisi de servanda urbe agendum, cujus, uti & totius Saxoniæ incolumitas in concordia, & conjunctione Electoris, & Ducum consistat; cujus nunc effectus miraculo similis conspectus sit, universo orbe agnoscente, absqve istis si fuisset, urbem periisse. In qvam sententiam omnes rationum pondere pertracti sunt. Cæsar qvoq; per literas Electori significarat, conditiones à Dano Hamburgensibus propositas iniqvas, ac sibi, & Imperio damno, ac fraudi esse: Sibi tamen gratum fore, si negotium ad amicam compositionem deducatur: ac optare, ut prætensio Holsatica in Hamburgum data pecuniæ summa plane aboleatur. Sed ut alia lege cum Dano transigatur nolle, nec ut Gallus, & Anglus seqvestres adsciscantur, nec res ad arbitros rejiciatur. Locum tractatuum Lubecæ sumi posse. Si hoc modo res componi neqveat, causam ad decisionem Spirensis judicii, ubi revisorium pendebat, rejiciendam. Et qvia ipse nullum aliud temperamentum dispicere, aut admittere qveat, se civitati injunxisse, ne alio modo cum Dano tractet, nec alios seqvestres admittat, multo minus causam extra Imperium ad arbitros deduci patiatur, neu Dano postulatam summam ter centies mille uncialium solvat. Ac ut durante tractatu qvæ nunc in urbe sint copiæ Circulares ibi relinqvantur. Sed isti ab Electore responsum: optandum fuisse, ut negotium ad mentem Cæsaris radicitus componi potuerit. Sed qvia ipse perspexerit, diuturnos hoc modo tractatus orituros, inter qvos dilata detentarum navium restitutione, ac intercepto commercio urbs gravissimis damnis involvenda sit; de omnium ministrorum etiam Cæsareorum sententia in id consensum, ut ante omnia per præviam conventionem detentorum restitutio, commerciiqve reparatio, ac alia ad securitatem urbis facientia obtineantur, ac omnia in eum statum, qvi ante turbas fuerat, reponantur. Qvo fine & Cæsareum mandatum sibi in hac causa delatum, nec minus literas Cæsaris ad Regem inhibitorias, & avocatorias se tantisper suppressisse, qvoad spes amicæ compositionis supersit; qvod istis nisi inter exprema opus non sit. Seqventi anno missus à Gottorpiensi Duce Andreas Ulckenius Cancellarius proponebat; Svecum velle Electori Stetinum tradere, ac in ejus vicem Dano Nidrosiam eripere, si Elector Dano bellum inferre velit Duci restituendo. Ast id 1636.

Ele-

1687. Elector rejiciebat, qvod si maxime res successisset, Svecia Daniæ tunc longe prævalitura fuerit; cum tamen omnium vicinorum interesit, ea Regna in æqvilibrio persistere. Præterqvam qvod Belgæ, Angli, Galliqve huic instituto reluctaturi erant; ac demum maximum damnum Electorem manebat, si Sveciæ vires nimium glisceret.

Gallus de inducijs in pacem mutandis proponit. 1687.

§. 45. Ita magno Germaniæ bono surgens apud Hamburgenses incendium Electoris præcipue cura, ac prudentia extinctum est, anteqvam latius se diffunderet. Qvo sine dubio Gallus usurus fuerat exsequendis, qvæ insatiabilis aliena invadendi libido suggerebat. Qvi novam rixæ materiam nunc in medium adferebat, postulato, ut inducia protinus in perpetuam pacem convertantur. Ea de re Nuntius Pontificis Viennæ Galli nomine proposuerat: *Qvia Rex de periculosis destinatis, à Cæsare & Imperio adversus ipsum agitatis plene edoctus sit, nec ei per inducias satis caveatur, sed eidem utiqve constare debeat, cui fundamento securitas sua innitatur: igitur desiderare, ut pax cum ipso ineatur in has leges, ut sibi omnia qvæ jam possideat loca, ac imprimis munitionibus à se firmata, pleno jure à toto Imperio cedantur, & qvidem ante finem proximi mensis Martii; qvod alias sibi necessum sit futurum alia consilia capessere.* Id postulatum eo importunius videbatur, qvod ob angustiam temporis pax interim cum Turca comprehensis simul Polonis, & Venetis concludi non posset; ac alias tali modo agi non soleat, nisi cum iis, qvi plane debellati, ac ad qvarumvis insultationum patientiam redacti habentur. Huic propositioni ansam dederat Ranuccius in Gallia Nuntius, qvi jactaverat; satis sibi constare, Cæsarem ad inducias qvamprimum in æternam pacem mutandas pronum esse. Id qvod statim à Gallo arreptum, ac Romam ad Cardinalem, & Ducem Estræum relatum; qvi per Gardinalem Cibum Pontifici significarunt; Regem qvidem non recusare, qvo minus æterna pax concludatur, sed per eam necessum esse, ut omnia, qvæ nunc possidet retineat, nec de gravaminibus mentio fiat, ac ut negotio ante finem Martii colophon imponatur. Alias eidem alia consilia ineunda, postqvam Cæsar periculosa Galliæ destinata agitet, ac varia fœdera Augustæ, & alibi cudat, Regis qvoqve fœderatis in suas partes solicitatis. In qvem sensum Estræus Pontifici duos libellos exhibuerat. Enimvero Cæsari ea postulata tanto iniqviora videbantur, qvod Gallus sibi ipsis repugnantia misceret. Nam initio

11. Jan.

Ranuccii.

d'Estrée. Cibo.

dicebatur, se pacis cum Gallo cupidum esse; 1687.
& mox tamen subnectebatur, se de bello Galliæ inferendo meditari. Sed nec alio se modo cum Gallo tractationem suscepturum, qvam qvi inter supremos Principes invicem receptus est. Nec tolerandum esse, Gallum sibi interdicere audere, ne per inducias ad nudam defensionem spectantia fœdera ineat; multo minus sibi fatales terminos, qvales judex partibus solet, tam fœdis conditionibus acceptandis præfigi. Ac scribebat ad Pontificem Cæsar: sibi haut qvidqvam in animo esse inducias infringere. Nec repugnare, qvo minus induciæ in pacem mutentur. Sed id negotium solennem tractationem reqvirere, qvalis supremos Principes deceat. Nec tolerandum conditiones sibi ac Imperio, qvales bello victis solent, impingi. Ea qvoqve de re Cæsar ad Electorem referebat; qvem sibi assensurum haut dubitet, & cujus velut potentis Electoris plusqvam alterius interesit, Imperii majestatem sartam tectam servari.

§. 46. Ad ista Elector Cæsari per Canicium declarabat: *Sibi firmam stare sententiam, hoc, & in futurum emersuris casibus tanqvam fidum Electorem, ac Principem Imperii Cæsari ac patriæ inconcussa constantia adhærere, & qvæ ad ejus dignitatem, emolumentum ac securitatem faciant omnibus viribus promovere. Magno qvoqve sibi solatio esse, Cæsarem hoc rerum articulo tam egregie sentire; ac inde qvidem desiderium solidæ pacis toto coram orbe testari; hinc vero ad nil inducis velle, qvod Imperii splendorem, fines qve imminuere qveat. Ac si omnes Ordines ad eum scopum bona fide, ac unitis animis connitantur, spem esse, imminentem tempestatem averti, ac Germaniam tam ignominiosa in perpetuum laceratione liberari posse; ac finita tristium fatorum periodo pristinam eidem auctoritatem redituram. Porro conditiones pacis ab Estræo Romæ propositas non parum absurdas sibi visas; & se utiqve Cæsari assentiri, ut si ad tractatus accedendum sit, ii more inter supremos Principes semper recepto instituantur, nullo ad concludendum præfixo fatali termino, nec in antecessum dictatis conditionibus. Nam è tractatibus, qvales Neomagi, ac nuper Ratisponæ ad Galli placitum facti sint, Germaniæ non plus securitatis, qvam honoris sperandum esse. Qvod autem Gallus gravamina silentio involvi postulet, videri qvidem id præcipue sacra spectare, ac Protestantibus fraudi fore. Sed præterqvam qvod etiam de magno terrarum tractu agatur, inter Ordines nullo sacrorum discrimine reciprocam esse evictionem, eosqve inter se obligatos mutuo auxilio*

Electoris de hac re sententia.

1687. *xilio ſua jura circa ſacra, & civilia contra qvemcunqve tueri. Ac ſi Proteſtantes in tam juſta cauſa à Catholicis deſtituantur, ut ſorte neceſſitatem allatum iri ſeparata conſilia ineundi; unde diſtractione inter iſtos orta Gallo pronam viam munire utrisqve ſubvertendis. Id qvod Cæſar pro ſua prudentia omnibus viribus impediturus ſit. Qvia etiam fama ſit, Gallum proximo menſe Martio in Alſatiam venturum, forte ut propoſitionem apud Pontificem factam vi perviment, Cæſari mature conſiderandum, qvomodo id impediri, aut vi reprimi qveat. Nam haut expedire, eam conſultationem ad extremam horam differri, qva res gerenda ſit.* Paria Elector Ratisponæ qvoqve declarabat, inprimis Collegas hortatus, ut eam rem ſerio amplectantur, ac apud Gallum operam navent, ut hic Germaniæ per inducias tanto diſpendio partam qvietem ne invideat, nec novas conditiones, ad qvas poſtulandas durantibus induciis nullum ipſi jus ſit, eidem obtrudat. Idqve tanto æqvius eſſe, qvod Cæſar jam in tractatum ſuper finibus regundis conſenſerit, qvo negotia moram non patientia expediri qveant.

Ab Electore cum Gallo ſuper hoc negotio diſceptata.

§. 47. Enimvero non ſolum abſurdum, ac ſibi repugnans erat, inducias ad certos annos facere, ac nunc certum diem definire velle, intra qvem pax concludenda ſit; ſed & nil periculoſius erat Imperio, qvam in præſens de pace cum Gallo agere. Nam ſine dubio idem eventus, qvi circa inducias, ſecuturus erat, ubi conditiones, ac tempus dictatorio modo præſcripta fuerant, imminente exercitu, qvi ad has acceptandas compelleret. Igitur Elector Spanhemio injungebat, ut ubi de iſta mutatione induciarum in pacem moveatur, omni modo eam avertere niteretur, inter alias hac qvoqve ratione adducta, qvod ipſe Gallus renitente Cæſare tempus XX annorum ſtipulatus ſit, intra qvos de pace agendum ſit, è qvibus nondum tres elapſi ſint. Neqve vero Cæſarem, aut Imperium vel minimum leges induciarum violaſſe; unde utriqve conventum tempus indulgendum; nec ante id elapſum ad arma procurri poſſe. Qvod ſi durante adhuc bello Turcico pax urgeatur, Imperium id non nili in repetitæ violentiæ vicem accipere poſſe; ac certe inde ſecuturum, qvod Gallus nunc citra rationem metuere videtur, cruentiſſimum bellum; dum Cæſari neceſſitas imponitur, pace cum Turcis utcunqve præcipitata, totam Germaniam ex cauſa tam juſta, ac plauſibili in Gallum excitare. Alias Wilhelmus Furſtenbergius cum ſuperiore æſtate Electorem Veſaliæ inviſeret, de fœdere, qvale qvondam Sufatenſe fuerat, paci promovendæ jecerat. Qvod qvia præſenti tempore noxium valde futurum erat, Elector, ſi de eodem moveretur, id eludere jubebat, ſed dextre, ac circumſpecte, ne is intempeſtivam ſuſpicionem conciperet. Cæterum qvod Galli tam multa erepent, Cæſarem poſito cum Turcis bello Galliam invaſurum, id inane eſſe. Sane Cæſareum legatum Lobcovicium teſtari, ſi nominari poſſint Cæſarei miniſtri, qvi tale qvid inſinuaverint, graves pœnas daturos. Ac habitum reipublicæ Germanicæ ita comparatum, ut ni hæc enormiter laceſſatur, nulli vicino ab eadem offenſæ qvid metuendum ſit, minime omnium autem Galliæ, cujus vires, & armatoti orbi nota ſint. Et qvanqvam Cæſar in Hungaria fines ſuos ſat late protulerit, eum tamen non modicam veterani militis jacturam feciſſe, ac provincias ſuas valde exhauſiſſe, ſic ut haut temere auſurus ſit poſt patratum bellum Turcicum hoſtem recentem, & longa qviete firmatum ultro laceſſere. Sed & Gallo tot munitiones ad limitem Germaniæ eſſe, ut nulla amplius cautione opus habeat. Cum etiam Gallus cauſam ſuſpicionis in Cæſarem alleget debilitatem Imperii Ottomannici; potius par eſſe, hac ipſum qvoqve aliorum Principum Chriſtianorum exemplo uti ad propagandam Chriſtianam religionem. Minime omnium autem Deo, orbiqve adprobari poſſe, ſi is alios in tam ſancto inſtituto impediat. Ad iſta Croiſſius confuſe reſpondebat: Bonviſium Cardinalem Nuntium Viennæ intellexiſſe, Cæſarem proclivem in pacem cum Gallo eſſe. Id cum Romæ fuiſſet propoſitum, Regem non potuiſſe non itidem paci ſe pronum declarare. Sed ſcripta Romæ ab Eſtræo citra mandatum exhibita. Alias ſe abnuere non poſſe, caſtellum Hunningæ oppoſitum induciis repugnare. Sed fœdus Auguſtanum, ac conſiliorum contra Galliam deſignationes, minasqve unicam iſtius extructi cauſam eſſe. Denique Regi vel pro induciis pacem habendam, vel ampliorem cautionem. Et cum rogaretur, qvid cautionis Rex deſideret? reſpondebat, eum contentum fore, ſcripta Cæſaris, ac Imperii declaratione: firmum ſibi eſſe propoſitum inducias etiam poſt finitum bellum Turcicum ſervandi. Tum ut gravamina Ratiſponæ exagitata ad amicam diſceptationem remittantur, ac de cætero induciæ utrinqve obſerventur. Ejus mutationis cauſa habebatur, qvod Pontifex iſtam propoſitionem, ac tam auguſtam ſpatium acceptandæ paci præfixum velut iniqvum

1687.

1689. qvum valde improbaret, nec id negotium ullo modo tangere vellet: præsertim cum fundamentum futura esset pax Monasteriensis, contra qvam sedes Romana protestationem interposuerat. Ut igitur Galli honeste ex intempestive cœpto negotio extricare se possent, ad isthanc declarationem delabebantur, circa qvam qvidem 6. Febr. nulla difficultas futura erat. Ast Elector censebat; si testationes, qvas Gallus de studio in pacem faciat, seriæ sint, eisqve fides ab Imperio haberi debeat, easdem non nudis verbis constare debere, sed & reipsa exprimendas; nec inter istas aliter agendum, qvam uti rationi, & æqvitati, juri gentium, ac mori summos inter Principes recepto consentaneum sit. Nec enim Imperio constantem fiduciam de servanda ab isto in posterum pace nasci posse, ni pax Westphalica, ac induciæ Ratisponenses bona fide impleantur. Unde nil æqvius esse, qvam ut contra utrasqve circa sacra, & civilia à Gallo notorie patrata emendentur, ac tractatus finium regundorum qvamprimum expediatur. Eo facto Imperium haut recusaturum ad pacis qvoqve tractationem descendere. Sed qvia articulo XI. inducirarum convenit, ut istius locus & tempus Ratisponæ definiatur, necessum esse, ut super his decenter agatur, & conveniatur. De Gallo qvoqve merito tot Ordinibus idoneum tempus concedendum ad tanti momenti negotium, è qvo ipsorum fortunæ pendent, mature expendendum. Nam intra mensem Martium vix omnibus qvorum interest, id significari posse. Sed & terminos negotiationis jam ipsis induciis designatos, ac his contentas conditiones non nisi post elapsos viginti annos, aut qvoad tractatus de pace absoluti sint, expirare. Merito qvoqve utriqve parti plenam libertatem à natura concessam relinqvendam; non autem uni parti ab altera conditiones pacis velut pro imperio impingendas, qvæ per amicam disceptationem utriusqve partis consensu adornandæ sint. Porro non posse non Protestantes gravi suspicione perstringi, qvod scripto Romæ exhibito iisdem omnis spes adimitur, qverelis suis circa sacra unqvam satisfactum iri. Esse qvoqve iniqvum, qvod Gallus concedere non velit, aut saltem varias suspiciones ostendat, Ordines cum Cæsare, aut inter se fœdera mutuæ defensionis inire ad normam legum Imperii, pacisqve Westphalicæ, & inducirum. Sane Gallum inter Monasterienses tractatus magno studio super jure fœderum Ordinibus competente contendisse. Reges qvoqve exteros cum Ordinibus Imperii tota die ejusmodi fœdera pangere. Qvanto 1689. minus id Cæsari, ac Ordinibus inter se vitio dari posse? Sed nec rem militarem Imperii ita comparatam, ut ex ea ulli vicino, nedum Gallo qvid offensionis metuendum sit. Imperium qvoqve Gallo, aut ulli vicinorum haut præscribere, qvæ, aut qvibuscum fœdera inire, aut qvos armorum paratus facere debeat, etsi Gallica militia modum pacifici temporis longe supergressa isti non possit non justissimum metum excitare. Deniqve Gallum hucusqve nil qverelæ contra Cæsarem, & Imperium movisse, velut hi contra pacem & inducias aliqvid fecerint. Qvid ergo juri naturali & gentium magis consentaneum, qvam ut idem à Gallo exigant, siqvidem huic stabilem pacem, & sinceram amicitiam colere cordi sit? Nisi cum jussu Electoris à Spanhemio ministris Gallicis ingererentur, hi solidi nil qvod reponerent habebant. Haut eo minus, etsi 17. Febr. Croissio paulo ante ostendisset, Regẽ danda à Cæsare declaratione contentum fore, mox iterum ad priora revolvebatur: haut commodius remedium esse omnibus suspicionibo tollendis, qvã inducias in pacem mutare. Id Anglum, Danum, ac Electores Ecclesiasticos probare. Causam diffidentiæ erga Cæsarem esse, qvod is tractatum anno 1671 factum non servarit, qvo promiserit, se Belgis nil auxilii laturum; id qvod tamen seqventi anno fecerit. Tum & Regi plurimas prætensiones in Imperium esse, qvibus renuntiaturus sit, si per pacem ipsi omnia relinqvantur, qvæ nunc possidet. Idem qvoqve agnoscebat, castellum apud Hunningam contra jus extructum; nec tamen Regis gloriam permittere, ut eo cedatur. Nec obscure insinuabat; si ad discussionem reunionum & gravaminum accedatur, Gallis difficile fore earum justitiam adstruere. Igitur satius fore per aversionem transigere. Deniqve Regem tolerare non posse, ut Regni sui securitas post bellum Turcicum à libidine Cæsaris dependeat. Qvod si Cæsar, & Imperium Regi in perpetuum relinqvere velint, qvæ per inducias habeat, facile fore ea per pacem cedere. Sed si alia mens sedeat, causam esse huic, ut rebus suis prospiciat. Qvod si Ordines Ratispona epistolam super gravaminibo mittant, Regem clarigationis loco eam habiturum. Ipse Rex Nuntio dixerat: conversionem induciarum in pacem unicum remedium esse, qvod qvidem ipse perspiciat, sibi cavendi, & qvo velit, ac possit adqviescere. Nam alias satis prospicere, in se aliqvando fabam cudendã. Cæterum revera ea propositio tam iniqva, & invidiosa de induciis in

1687. pacem mutandis à Luvoisio profecta erat, omnium violentorum consiliorum autore, ac promotore. Qvæ cum successura non videretur, color dicebatur, eam Viennæ moram, ac Estræum absqve mandato Romæ scriptum exhibuisse. Ac fatebatur Lobcovicius, non parum scrupuli Gallis injectum, qvod Elector ita cordate sententiam suam hisce ingessisset. Qvi & intellecta Galli vacillatione circa acceptandam Cæsaris declarationem ulterius demonstrari jubebat: si Regi ulla sit intentio pacem servandi, nullum prætextum, aut idoneam causam esse, qvare à semel ostensa sententia discedere qveat. Nam extra controversiam esse, Galliæ ab Imperio nil infesti metuendum. Et qvanqvam Cæsar fines suos late protulerit, ditiones tamen ejus hoc bello valde exhaustas non modico tempore opus habituras ad recolligendas vires, & recens adqvisita in tuto collocanda. Præsidia qvoqve occupatorum in Hungaria locorum multum militum reqvirere, ut Cæsarem haut temere libido subitura sit, potentem, ac probe instructum hostem ultro lacessendi. Cæsarem qvoqve erga Pontificem, & ipsum Regem ita declarasse, ut si ulla fides adhuc in orbe supersit, de ejus sinceritate dubium esse neqveat. (Posuerat hic in literis ad Pontificem: *si sanctius qvid inveniri possit, qvam Cæsarea sua, ac Regia fides, id se cautele in vicem expositurum.*) Qvod si Gallus hoc non contentus rem ad arma deducat, eum adversus suas totiens iteratas testationes facturum non sine totius orbis Christiani detestatione. Ac Imperii Ordines, qvia de summa rerum, ac fatis Imperii agatur, junctis animis viribusqve reluctaturos, sic ut Gallo haut ita in proclivi futurum sit statum Europæ evertere. Nec in notoria causæ justitia de divino auxilio desperandum; ac fiduciam bonæ causæ Germanis animos additurum. Ista Spanhemius graviter sine tamen minis exponere jubebatur; ac si eadem probe expendantur, velut candida amici monita plus ponderis in animo Regis habitura spes erat, qvam prave consultorum ambitiosas adulationes.

Apud Cæsarem super ea declaratione acta. 12. Febr.

§. 48. Ast Elector, cum non sine admiratione repentinam mutationem percepisset, qva Gallus pro induciis in pacem vertendis declarationem de servandis induciis desideraverat, Cæsarem per Canitium hortabatur, ne hanc dare dubitaret. Sic enim ipsum liberam facultatem nancisci bello Turcico persequendo, ac finibus ea parte pro lubitu proferendis. Nec Ordines metu belli Gallici distrahendos, qvo minus eidem militem submini- 1687.
strent. Imperio permansuram suam compagem, qvietem, & securitatem, recolligendis post tot convulsiones viribus, ac intestino statui rite digerendo. Qvod postuletur nec existimationem, nec securitatem Imperii lædere. Nam id tantum agi, ut qvod semel solenni tractatu conventum est, porro persistat. Eqvidem non deesse, qvæ objici qveant. Gallum qvæ post inducias invaserit retenturum. Inducias ab eo multifariam violatas, sic ut Imperium non amplius iis stringatur. Eundem uti tantillo tempore, ex qvo induciæ factæ sint, totiens istis contravenerit; ita idem deinceps continuaturum. Denique eundem jam debilem, viris, opibusqve imminutum tanta hominum multitudine ob sacra Regno expulsa; cuiqve adeo spatium non sit indulgendum instaurandis viribus. Enimvero ex adverso considerandum, Gallum offerre, se post inducias acta ad discussionem deducturum. Id si fiat, ac reparatio eorum, qvæ contra inducias patrata sunt, obtineatur, id Germaniæ lucro fore: sin minus, integrum huic manere post elapsas inducias alio modo reparationem qværere. Nec in tempore heic aliqvam jacturam esse, qvod durante bello Turcico Germania armis haut ita instructa sit, ut Gallum ad reddenda ablata compellere qveat. Sane Imperium non amplius induciis teneri, totiens à Gallo infractis; qvod nec hic inficietur. Ast in præsens Cæsaris arma bello Turcico distineri, qvæ restant Imperio vires tantæ moli non sufficere; ut fere in lucro habendum sit plura non amittere. Qvod si Gallus recentia promissa non magis qvam priora servet, Imperium denuo obligationi exsolvi, ac ubi occasio faveat, recentium juxta, ac veterum injuriarum ultionem exigere posse. Interim tempus, in qvo tantum momenti positum sit, extrahi. Qvanqvam autem Galliæ expulsis Reformatis non parum decesserit: esse tamen Gallo in Alsatia, & ad Rhenum plusqvam sufficientes vires, tam tenui contra Germanorum ad hunc fluvium paratu, ut facile eum totum in potestatem redigere qveat. Saltem eundem sufficere suis tutandis, tot munimentis succinctum. Ac si maxime bellum Turcicum mature desinat, ac multum adhuc temporis ad finem induciarum supersit: tamen qviete opus fore ad reparandas vires bello Turcico consumptas, ac parta per Hungariam firmanda, simul domesticis Germaniæ rebus rite disponendis. Saltem tranqvillas res tantundem emolumenti

1687. menti nobis, atqve Gallo daturas. Igitur è re videri circa declarationem nil scrupuli movere, ne Gallo inde suspicio nascatur, qvasi Cæsar infesta agitet, eoqve iste sonticam plagam Germaniæ inferre properet: præsertim cum in consilio Gallico sint, qvi impense bellum svadeant. Ad ista Cæsar de-
13. Feb. clarabat; suam sententiam Electori plane consspirare, & si reliqvi Electores, ad qvos de hoc negotio retulerit, paria svadeant, se non dubitaturum petitam cautionem dare, præviis tamen duabus conditionibus; ut Gallus structura novarum munitionum, aliisqve usurpationibus supersedeat; idemqve vicissim declaret, se inducias servaturum. Alias sibi valde cordi esse bellum Turcicum citra impedimentum persequi. Cæterum Viennæ plurimum securitatis adparebat, velut cautum foret, Gallum in arma haut eruperurum. Sane Starenbergius Comes Philipsburgi præfectus apud Cæsarem enixe rogaverat, ut tam ancipiti tempestate ei loco de rebus ad defensionem necessariis prompte prospiciatur: alias se non parem fore eidem ultra octiduum contra vim obtinendo. Ad qvæ post decem demum dies responsum; à Gallo nil infensi metuendum. Unde verosimile videbatur, Cæsari persvasum fuisse, Gallum in præsens unice Anglo vacaturum, Romanos ritus suis civibus obtrudere agitanti. Sane hic non ita pridem colloqvium inter binos theologos Protestantes, & Catholicos apud Rochestriæ Comitem haberi curaverat; in qvo etsi Catholicis aqva hæsisset, ac ipse Rex pronunciaret, unum eorum stolide ratiocinatum, alterum extra oleas vagatum, ac Protestantes causam suam ingeniosius adornare nosse: haut eo minus ab eo Comite, ut & à Cancellario postulabat, ut Romanos ritus induerent: qvod uterqve recusabat. Idem à Georgio Daniæ Principe, ac sua filia Anna huic nupta non sine minis exigebatur. Sed cui Princeps mascule respondebat: Sibi non ignotum ubi degat, & penes qvem heic sit jubendi potestas; sed & nosse unde venerit, ac malle eodem reverti, qvam tolerare heic vim suæ conscientiæ inferri. Ac sane, cum Rex à proceribus palam sacrorum mutationem postularet, pleriqve plus constantiæ ostendebant, qvam de iis speratum fuerat. Eum agendi modum haut mirabantur, qvi Regis ingenium norant, semper in præcipitia ruere gaudens. Qvid in Anglia inde secuturum esset, adhuc in obscuro erat. Eqvidem multi censebant, hac agendi ratione Anglum sibi facultatem detrahere cum Belgis bellum ordiendi; Gallum autem solum id haut susceptorum; eoqve hoc 1687. anno nil turbarum metuendum. Contra alcius penetrabant in utroqve Regno ingentes rei navalis paratus, ac secreta inter eos Reges commercia, & qvod Jesuitæ apud Anglum moderamen consiliorum invaserant, qvorum machinationes ad subvertendos Protestantes nunqvam qviescunt. Ac è Gallia referebatur, Wilhelmum Furstenbergium Episcopum Ultrajectinum designatum. Unde dubium non habebatur, qvin summa consiliorum inter ambos Reges tunc in eo verteretur, Belgium subruere, ac successionem in Anglia ad Catholicos transferre. Etsi Pontifex Innocentius XI. Anglo svaserat, ne per laudabilem zelum, qvem pro Catholica religione gerat, in calamitatem se præcipitet, eoqve huic maximum damnum inferat. Nam satis se edoctum, ipsius destinata succedere non posse.

§. 49. Ita Cæsar per literas Gallo confirmabat, se etiam post finitum bellum Turcicum inducias sancte observaturum: nec à se, ac Imperio ex iis qvæ hactenus contra eas patrata sint, prætextum abrumpendis iisdem arreptum iri; ac remedium gravaminibus non aliunde, qvam ab ipsius tanqvam Christianissimi Regis justitia, & æqvitate expectaturum. Qvæ Lobcovicius, dum peculiari alloqvio literas Regi tradit, verbis repetebat. Qva declaratione Rex adqvievcebat; ac Luvoisius Lobcovicio confirmabat, Regem bellum nolle. Nam id si voluisset, proniores adhuc ei ordiendo fuisse occasiones. Vicissim Rex scripto conceptam declarationem Lobcovicio tradebat hoc sensu: *Rex eo majore* 8. Mart.
cum satisfactione recepit assecurationes, qvas Comes Lobcovicius verbis, & scripto nomine Imperatoris ei dedit, de sincero desiderio, qvo is tenetur, observandi inducias durationis suæ tempore. Nec Majestati suæ aliqvid magis cordi est, qvam cum Majestate sua Cæsarea, & Electoribus, Principibus, ac Statibus Imperii bonam correspondentiam alere. Sua Majestas etiam credideratse non posse certius documentum bonæ suæ intentionis dare, qvam si declararet, utifecit, qvod lubenter consentire velit in conversionem induciarum in tractatum pacis, velut remedium non solum maxime idoneum tollendis utrinqve omnibus suspicionum causis, eoqve communi bono Christiani orbis conducentius, sed etiam Cæsari, toti Imperio, ac Regi Hispaniæ utilius qvam ipsi Galliæ. Et cum ea pax nullam discussionem reciprocarum pretensionum reqvisivisset, istam potuisse ea promtitudine adornari,

Motus Cæsaris & Galli declaratio. 20. Febr.

1687. qvam ſtabilimentum tranqvillitatis publicæ deſiderat. Sua Majeſtati haut grave eſt meminiſſe cauſarum, qveis permota fuit ad conſentiendum in tractatum induciarum, factum & concluſum die XV. Auguſti 1684. Noverat illa juſtiſſimas rationes, ex quibus prætendere poterat, ut Cæſar, & Imperium ſibi tractatu irrevocabili cederent omnia loca ex virtute præcedentium tractatuum ad ſuam Coronam reunita. Eadem ſatis perſpiciebat, qvod pactum induciarum aliqvando materiam præbere poſſet illis, qvi amicitiam inter Ipſam, & Imperium turbare vellent. Sed qvia juſta ſua prætenſiones Principes, ac Status Germaniæ avertere potuiſſent à ferendo auxilio, qvo Cæſar contra Turcas opus habeat; Sua Majeſtas maluit inſtinctum generoſi ſui animi, ac pietatis ſequi, qvam per longam negotiationem Suæ Majeſtati Cæſareæ ullam ſolicitudinem adferre; & qvia communem utilitatem orbis Chriſtiani rationibus ſuæ Coronæ præferret, contenta fuit ad tempus obtinuiſſe, qvod perpetuo jure poſtulare poterat. Qvilibet etiam novit, qvod poſt concluſionem hujus tractatus Eadem nihil omiſit eorum, qvæ penes ſe fuerint, ut ſuper iis, qvæ executionem ſpectant, amice conveniretur; quo fine plenipotentiarius ſuus Ratiſponæ ſemper agendi facultate fuerit inſtructus. Ac ſe judicium miniſtris Electorum, Principum, & Statuum Imperii, qvin ipſi Cæſari relinqvere, cujnam culpæ harum morarum attribui debeat; ac ut illi ipſi teſtimonium exhibeant, qvem agendi modum ſuæ Majeſtatis miniſtri, & qvem Cæſarei tenuerint. Sua Majeſtas qvoqve non è re judicat omnes rationes exponere, qvare diffiſa fuerit miniſtrorum Cæſareorum deſtinatis, qvæ nullius notitiam fugiant. Sed qvantamcunqve fiduciam Ea in aſſecurationibus à Cæſare in præſens ipſi datis reponat: difficile tamen Ei eſt hoc rerum articulo iſtis plenam fidem adhibere. Qvandis enim arctiſſima fuerit obligatio, qvam Cæſar anno 1671. contraxit de non ſubmittendo ullo auxilio hoſtibus Regis eo tractatu expreſſe nominatis; nihilominus Cæſaris miniſtri judicabant ex hujus re eſſe magnis progreſſibus armorum Suæ Majeſtatis ſe opponere. Eoqve multis rationibus fides ſibi fit, poſtqvam miniſtri Domus Auſtriacæ pluribus locis oſtenderunt, protinus atqve bellum in Hungaria finitum ſit, Cæſarem arma ad Rhenum verſura; tractatum induciarum, contra qvem plures prætextus contrahentionum habent, qvam contra eum, qvi anno 1671. initus eſt, haut ſuffecturum ſiſtendis eorum deſtinatis, qvi novas turbas excitare cupiunt. Idqve eo magis, qvod eo ipſo ſcripto Comitis Lobcovitii, qvo Suæ Majeſtati de bona intentione Cæſaris confirmat, reſervatum ſit infallibile prætextum pacta inducierum evertendi; dum obtentu omnia in ſtatum, qvi anno 1681. fuit, reſtituendi tacite poſtulatur, ut opera, qvæ Suæ Majeſtati neceſſario ſtruenda fuerunt, & qvibus perficiendis in præſens labor ſumitur ad ſecuritatem limitis Galliæ, in ſtatum, qvo antea fuerant, reponuntur. Id qvod annuere Suæ Majeſtati non permittit protectio qvam ſubjectis ſuis debet, ac ditionum ſuarum conſervatio. Sed & hanc ob cauſam Ei tanto magis probata fuit propoſitio de tractatu pacis ad normam pacti induciarum adornando, qvod ea ratione pax Europæ in perpetuum ſtabilienda, & Gallia ſublata adverſus Cæſarem, & Imperium diffidentia to majorem voluptatem è partis ſibi captura fuerit, ab Ea non niſi ad incrementum religionis Chriſtianæ impendendis, & ne unqvam præjudicium adferri poſſet Statibus qvi eam profitentur. Cæſarem qvoqve plus adhuc emolumenti in iſto tractatu reperturum fuiſſe, qvam qvemvis alium Europæ Principem, per certam adqviſitionem totius Regni Hungariæ, tum contra ad Rhenum ne digitum qvidem terræ amiſſurus fuerit. Status qvoqve Imperii, ac præcipue Galliæ vicini firmamentum ſuæ qvietis inventuros fuiſſe, nullo alio diſpendio, qvam male fundatarum prætenſionum in res, qvas eo difficilius ipſis futurum ſit è manibus Suæ Majeſtatis extorqvere, qvo majore cum juſtitia illa eas poſſidet. Cui & id emolumentum accedat è renuntiationibus Suæ Majeſtatis injuſtas prætenſiones, qvibus ſua potentia poſt elapſas induvias pondus addere qveat. Hiſpaniam qvoqve non minus commodi nacturum fuiſſe finibus ſuis in perpetuum contra Galliæ vires in tuto collocandis. Demum omnes potentias contra Turcam confœderatas tam favente occaſione gaviſuras fuiſſe ad hunc tota Europa expellendum. Hæ ſunt genuinæ rationes qvæ Suæ Majeſtati perſvadent, non eſſe promtiorem, faciliorem, ac magis neceſſariam viam ad ſtabiliendam concordiam inter omnes Principes, & Reſpublicas Chriſtianas, qvam pacem ad normam induciarum factam, ſepoſitis controverſiis tam crebro diſceptatis, & qvæ non amplius urgeri poſſunt, qvin novas exacerbationes excitent. Nihilominus qvia Cæſar credit, ad concluſionem hujus tractatus ita promte, uti neceſſarium videatur, perveniri non poſſe, Suæ Majeſtas, qvæ nil aliud qvam conſervationem tranqvillitatis publicæ reſpicit, cujus & ſemper certa documenta dedit, illam adhuc præſenti rerum ſtatu confirmare cupit, ac plenam fiduciam in factis à Cæſare aſſecurationibus reponit. Sua Majeſtas ſibi perſvadet, eas ſinceras

1687.

1687. *vus esse, ac sine ulla exceptione, aut subterfugio, quibus Sua Cæsarea Majestas promiserit, se inviolabiliter inducias observaturam toto tempore, quod earum durationi est definitum, stante nec gravamina ad conventum Ratisponensem delata, nec opera ad pontem Hunningæ, & insulam Giesenheimum cœpta, quæ Sua Majestas ad securitatem sui limitis absolvere decrevit, causam, aut pratextum suppeditare possint abrumpendis induciis. Et hoc posito fundamento Sua Majestas itidem declarat, se bona fide è sua quoque parte executuram omnia, quæ eo tractatu in stipulationem deducta sunt; ac amicitiam colere continuaturam cum Cæsare, & Imperio non solum durante inductarum tempore, sed & quamdiu his bonæ intentioni Sua Majestatis è sua parte respondere placeat. Datum Versaliæ d. 6. Martii* 1687. Ea tradita declaratione Croisius obscure innuebat, Regem ad hanc quidquam reponi nolle.

Judicium de hac declaratione. 17. Mart.

§. 50. Id scriptum Viennam delatum multis aliquid obscuritatis habere videbatur. Plerisque tamen ea satisfaciebat, quod iste sensus satis perspicue expressus foret; etsi Rex de ministris Cæsareis optime sperare haut potuerit, ac utilius judicarit inducias pace mutari; tamen se Cæsaris declarationi fidem adhibiturum, ac inducias non solum per conventos viginti annos, sed & post eos elapsos tamdiu servaturum, quamdiu à Cæsare & Imperio causa bello haut præbeatur; ut tamen cœptas jam munitiones perficere ipsi integrū sit. Etsi alias sanæ rationi repugnare videretur, in locis, quorum possessio per inducias ad certum tempus relictum sit, munitiones extruere, ac omnia ita disponere, quasi animus foret ista nunquam restituere. Quanquam etiam de Hispanis, & causa Palatina mentio facta non esset; satis tamen habebatur Hispanos induciis Germanicis comprehendi. Ita credebatur res à Gallo serio acta; quem & haut temere post finitum bellum Turcicum quid moturum credebatur, si occasionem rupturæ tam commodam elabi passus esset. Cæsar itaque per Lobcovicium significabat: Regis declarationem sibi gratam esse; ac se quoque bona fide inducias servaturum toto convento tempore, nec gravamina causam, aut prætextum armis arripiendis præbitura. Ac sperare, Gallum quoque legibus inductarum staturum, nec deinceps contra eas quid susceperum. Ad quæ Croisius respondebat: Non habere Regem, quod addat iis, quæ nuper declarata sint; quibus is insistere velit. Circa id negotium Cæsarei agnoscebant, si Germania hac vice novas turbas declinaret, id magnam partem Electori in acceptis referendum; qui per egregia consilia, & masculas demonstrationes Gallo factas hujus destinata sliterit. Cum alias, ni Elector tam laudabili exemplo præivisset, pleraque suffragia Ratisponæ pro acceptanda turpi pace ferenda fuisse videantur. Legatus Hispanicus Burgomagnus dicebat: Statim atque Gallica propositio evulgata fuerit, suo se Regi scripsisse; summam rerum ad Electorem redituram, qui cum Germaniæ statum optime norit, & ut hic salvus perstiterit ejus maxime interfit, sine dubio cordatas sententias dicturus, & maximam Ordinum partem in easdem pertracturus sit. Addebat, sese Electori vitio vertere non posse, quod ab aliquo tempore ob tolerata Neomagensi pace damna offensæ nonnihil ostenderit; ac se paucos ante dies Cæsari, ac Bavaro dixisse; Electorem ut sibi illudatur haut pati, & cum eo candide, ac uti par sit agendum. Post tamen Cæsar, quo magis sibi adversus Gallum caveret, ab Anglo requisivit, ut hic induciarum evictionem in se susciperet. Eam Anglus Gallo offerebat, si ita ipsi videretur. Gallus ostendebat; sibi gratum fore ab Anglo cautionem super induciis, ac peculiariter quoque super declarationibus nuper utrinque factis suscipi; ea tamen conditione, ut Cæsar, Imperium, & Hispanus, eorumq; fœderati inducias ne abrumpant, neu Galliam invadant ex prætexto quorumcunque anteactorum, ac querelarum à concionatoribus Protestantibus motarum, quas ipse nulla idonea causa niti compererit; tum nominatim ob structuram ad Hunningam, & alias munitiones, quas ipse ex jure supremi imperii in ea loca sibi cessi ad securitatem locorum reunitorum cœperit, aut in posterum è re sua extruere judicaturus sit. Quod si igitur Cæsar, & Imperium inducias servent, se quoque idem facturum; ac ea lege se Angli sponsionem acceptare. Enimvero Elector optabat, ea de re apud Anglum haut fuisse motum. Nam priorem Galli declarationem ad duo duntaxat loca, quæ muniena sint, restringi videri. Sed nunc Gallum sine modo sibi arrogare facultatem quicquid placeat locorum reunitorum munitionibus firmandi; id quod ab Imperio probari nequeat. Unde & Cæsar, omisso tractatu cum Anglo super evictione, ministrum ex Anglia re infecta revocavit. 1687. 11. Jun.

Ratisponæ super isto negotio acta.

§. 51. Cæterum vulgata Galli de pace propositione Elector Ratisponæ legatos suos impen-

1687. impense conniti jusserat, ut Ordines id negotium unanimi studio cordi habeant, ac ejusmodi consilia capiant, ne, qvæ instare videatur, nova pacis negotiatio eundem cum Neomagensi exitum sortiatur; sed ut potius, qvod tunc magna cum ignominia, pari damno Imperii peccatum est, in præsens reparetur. Si certus dies absolvendo negotio præfigatur, non tractatum esse, sed edictum, velut si judex subjectis peremtorium terminum dictitet. Igitur ante omnia providendum, ut Ordinibus indivulsa concordia constet, ne in communi causa per pacta ad medium statum, aut otium reliqvis pugnantibus obligantia distrahantur. Sed cum mox Gallus omisso pacis tractatu declarationem duntaxat exigeret, Elector ut Cæsar qvidem eam daret haut inutile rebatur. Sed ut peculiaris declaratio, & scripto qvidem Imperii nomine daretur, id superfluum censebat. Nam hactenus Imperium nil contra inducias fecisse arguebatur. Unde tali declaratione Imperium præter necessitatem novam obligationem erat contracturum; cum Gallo interim integrum futurum sit leges induciarum pro lubitu transgredi nullo ab Imperii Ordinibus metu. Haut eo minus Godofredus Jena in Senatu Electorali fategerat circa ejusmodi declarationis formulam adornandam; ubi & per Moguntinum propositum fuerat, ut Gallo aliqvot urbes ab Imperio insidendæ darentur in cautionem inducias servatum iri; cujus consilii Jena autor, aut saltem suffragator arguebatur. Peculiariter autem improbabatur, qvod is sententiam dixisset absqve Electoris mandato in negotio, totius Imperii tranqvillitatem spectante; tum qvod in formula ab ipso concepta positum esset, pure Gallo cavendum, tractatus pacis sine mora suscipiendos; ac interim Imperio haut integrum fore obtentu gravaminum hostilia suscipere, omissa reciproca obligatione, à Gallo vicissim leges induciarum servatum iri, & qvod gravamina ad amicam discussionem non remissa forent. Qvanqvam autem Jena de urbibus Gallo tradendis à se profectum negaret, ac reliqva ita purgaret, ut Elector ejus excusatione adqviesceret; utiqve tamen placuit eum Ratispona discedere, Cæsareis de nimio in Gallos studio suspectum; & qvia plurimum de opinione candoris Electori detracturum erat, si ista ab hoc profecta crederentur.

Inter Gallum &

§. 51. Super ista Jenæ avocatione Galli non sine calore expostulabant; eam formulam non à Jena, sed à tribus Electoribus Ecclesiasticis profectam, ac Schefferum Moguntinum legatum de ea primum movisse. Ipsum Bavaricum, cujus herus parum cum Gallia conjunctionis habeat, censuisse, Regi heic aliqvatenus satisfaciendum. Addebatur; Regi parum fiduciæ in Electoris amicitia esse posse, si is principem se ferre videatur adversæ parti, ac uti ab aliqvo tempore fecerit, commodis Galliæ ubiqve se opponat. Nec acerbiore modo Electorem declarare potuisse, qvo in Galliam animo sit. Qvin satius fore, si aperte hostem se declaret, qvam qvod amici specie, ubicunqve occasio ferat, infensissimum se Galliæ hostem ostendat, ac præ omnibus, qvæ contra inducias facta arguantur, exaggeret. In qvo & Austriaci ministri maxime confidant. Ac videri eum primum nomen bello contra Galliam daturum, ac in prima acie adpariturum. Ad ista Elector per Spanheimium demonstrari jubebat: *Se qvidem Gallo exprobrare nolle emolumenta, qvæ hic è sua amicitia perceperit. Sane Regem antea sæpius testatum, ob acta circa inducias se de ipso eximie meritum; ac sæpe sibi audiendum fuisse, absqve sua opera nunqvam Imperium, ac Hispanum tam insignes ditiones ad viginti annos cessurum fuisse. Unde mirum esse, cum circa tanti momenti negotium acta sua probentur, Jenæ avocationem tam odiose exaggerari, qvasi per eam summa injuria Gallo illata foret. Atqvi non minus sibi qvam aliis Principibus liberum esse circa suos ministros, prout è sua re videatur, disponere; ac suis negotiis ejusmodi homines adhibere, qvi non tam ab aliis, qvam à se æstimentur. Ac non posse non sibi valde suspectum videri, qvod Galli tanto fervore pro Jena causam dicant, ac eousqve procedant, qvasi eo avocato amicitia inter ipsos sublata sit. Qvo haut obscure innuatur, Regem plus ab isto, qvam aliis ipsius ministris speravisse: id qvod nulli Principi, qvi fido ministerio ubi cupit, tolerandum sit. Sed & nemini se teneri ad reddendam rationem de eo, qvod ipse circa Jenam disposuerit. Parum qvoqve ad rem facere, à qvo formula ista in Electorali Senatu provenerit, aut num alii qvidem eam adprobarint. Sed delictum ejus in eo verti, qvod circa rem sategerit sua sententiæ adversam, & ex qva ea opinio evalescere possit, qvasi ipse diversis locis diversas de negotiis Imperii sententias proponat, ac consilia sibi haut constantia foveat. Unde tuenda sua existimationi utiqve necessarium fuisse, publice ostensa indignatione eam à se opinionem avertere. Non posse qvoqve non sibi dolori esse, non solum leges sibi præscribi, qvibus ministris uti debeat, & qvousqve eorum*

1687. *Electorum expostulationes. 4. Mart.*

14. Mart.

1687. *eorum secus acta improbare debent; sed & tam leves ob causas tam sinistra de suis consiliis ferri. Quod ipse propositionem Romæ factam, ac tam multa contra inducias patrata probare nequierit, id obligationem, qva Imperio teneatur, requirere, & qvia Ratispona ob sententias alio tempore dictas nunc fortius sibi qvam aliis loqvendum sit; & qvia sua magis qvam aliorum interfit, Imperii compagem subsistere. Amicitiam qvoqve cum Rege sibi plus qvam alius occasionis præbere circa talia mentem suam exponendi; id qvod semper à se modeste factum, ac circa talia, qvæ manifeste induciis, ac paci Westphalicæ repugnarint. Pacem cum Turcis nunqvam se pavisse, nisi in casum belli à Gallia moti; id qvod naturali rationi conveniat. Sed qvod Galli subsidiis velut frano uti velint, ac prout acta sua ipsis prosunt, ea numerare, aut inhibere; id valde indecorum sibi videri. Sane uti ipse hactenus in amicitia cum Gallo haut qvidqvam ad tam modicas pecunias respexerit, aut eas aliqvod momentum habere passus fuerit contra ea, qvæ sua conscientia, dignitas, fama, ac patriæ salus requirat: ita facillimam istius jacturam sibi fore. Ac valde falli, qvi credunt, tantillæ pecuniæ vim inesse, ut ideo aliqvid existimationi suæ toto orbe partæ, ac ubiqve ostensæ animi magnitudini detrahere, ac officio patriæ deesse, aut libertatem consiliorum sibi circumscribere velit.* Ad ista Galli nil qvod reponerent habebant, nisi qvod Croissius diceret; id cumprimis Regi acerbum, qvod istæ pecuniæ magnam partem in profugos Gallos impendantur; ac qvod ministri Cæsarei avocato Jena tantum lætitiæ ostenderint. Ut autem Electorem æmulatione accenderent, cum Luneburgicis super fœdere satagebant. Ac declarabat Rebenacius nomine Regis: eam negotiationem eousqve progressam, ut statim perfici qveat. Regem autem eam non concluturum, qvamdiu Electoris amicitia niti possit, qvod Duces longe minoris, qvam hic apud ipsum habeantur. Ad qvæ Elector; hactenus se Gallo nullam qverendi, aut qvid exprobrandi causam dedisse. Nam ut ipse primariam, & antiqvissimam obligationem, qva Imperio, ac patriæ teneatur, negligat, ad id neqve Gallico se fœdere adstringi, nec per qvodvis emolumentum toto orbe adduci posse. Eo absurdius sibi videri tam multa de tractatu cum Luneburgicis crepari hoc præsertim tempore, qvo Domus ista multis modis jura ipsius turbet. Unde qvamdiu Domus ista eam viam insistat, sibi declarandum, fœdus inter eandem, ac Gallū cum suo fœdere consistere non posse. Id qvod Galli ita accipiebant qvasi Elector amicitiam ipsis renuntiaret: simul idem tanqvam infensi in Duces animi signum exaggerabant, ut hos eo citius permoverent. Ac sane qvia post, re cum Electore haut communicata, fœdus cum Hanoverano concludebant, id indicio erat, ab istis amicitiam Electoris pro derelicta haberi; qvod Gallus antea declarasset, se nulla alia fœdera in Germania affectaturum, qvamdiu sibi de amicitia Electoris cautum foret. Etsi Croisius diceret; fœdus cum Hanoverano Electori haut præjudicio cedere, qvod Rex expresse sibi reservarit facultatem Dano, & Electori auxilium ferendi. 1687.

§. 53. Inter hæc haut spernendum operæ pretium ab Electore factum, inita cum Joanne Adolfo Saxoniæ Duce transactione super qvatuor præfecturis ditioni Magdeburgicæ qvondam avulsis, Qverfurto, Juterboco, Dammo, & Burgo. Eæ Pragensi qvondam pace, inde Westphalica in Saxonem translatæ fuerant, non expresso, num superioritas qvoqve territorialis eidem concessa foret. Et cum in ejusmodi actis non expressa pro non translatis habeantur, Elector tanqvam Magdeburgi Dux istam sibi competere censebat. Sed demum interventu Cæsaris transactio facta fuit, per qvam Elector omni prætensioni, ac peculiariter dominio directo in Qverfurtum, Juterbocum, & Dammum renuntiabat, ac ut ea loca non amplius à Magdeburgico Ducatu recognoscenda sint. Daturus qvoqve erat operam Elector, ut Saxo nomine Qverfurtensis ditionis sessionem in Comitiis acciperet, eaqve loca Inferioris Saxoniæ Circulo exemta Superiori adscriberentur. Contra Saxo Electori oppidum, & præfecturam Burgum cum omnibus pertinentibus pleno proprietatis jure cedebat; non contradicturus, qvo minus Elector in Qverfurtum, Juterbocum, & Dammum expectativam obtineret. Addebat Elector triginta qvatuor uncialium millia, ac Ducis filiis duas majores præbendas, unam Magdeburgi, Halberstadii alteram. *Transactio super qvatuor præfecturis Magdeburgicis. 14. Jun.*

§. 54. Eodem anno à Moscorum Principibus Joanne, & Petro ablegatus aderat, qvi de æterna pace inter Moscos, & Polonos facta significabat, simul Electorem ad fœdus contra Turcas, ac Tartaros invitabat. Qvod Elector modestis verbis declinabat: se præteritis annis egregiam operam adversus Turcas navasse, & adhuc navare. Iste ablegatus sordibus, ac inficeta ambitione ridendum se exponebat, dum paratas à nostris epulas adspernatur obtentu *Legatio Moscica. Maj.*

tu

tu jejunii, cui accommodos cibos secum advexerat, eosqve cubiculo incluſus ſolus liguriebat, ſane noſtratibus ſalivam haut moventes. Nec minus idem pro iſtis pretium exigebat, qvo lautiſſimæ epulæ parari poterant, non ſine oblatorum nummorum faſtidio. Idem & importune circa cerimonias tricabatur, qvod præter omnem morem dextram ſuam Electoris dextræ jungere vellet. Et qvia Elector tunc graviter Potſtami decumbebat, nec tanti videretur Moſcum tamdiu detinere, qvoad is è morbo ſe recreaſſet, proponebatur, ut Elector in lecto decumbens ipſum audiret. Qvod Moſcus non alia conditione admittere volebat, qvam ut & ſibi lectus juxta ſterneretur, in qvo ipſe mitratus & ocreatus jacens mandata expoſiturus ſit. Solvit tamen hunc nodum vindice dignum remittens Electoris morbus, ut plus ſatis ſcrupuloſum hominem ſedens audire poſſet.

Super edicto Belgarum circa religionem diſceptata.

§. 55. Circa idem tempus Belgæ Uniti miſſionarios monachos, Jeſuitas, Dominicanos, Franciſcanos, ac id farinæ alios ditione ſua exeſſe juſſerant. De qvo Camprichtus miniſter Cæſareus graves qverelas moverat, eoqve nomine ad Moguntinum ſcripſerat, de periculo religionis Catholicæ multis perſtrepens. Hucuſqve rectores Belgii à Gallo contra Reformatos acta has ob rationes improbarant. Libertatem Reformatorum ſacrorum Nannetenſi edicto ſtabilitam, qvod ipſe Ludovicus XIV Rex confirmarit. Eam perſecutionem, ac modum ſacra mutandi doctrinæ Chriſti, ac Apoſtolorum praxi repugnare. Grave damnum Galliæ eſſe tot honeſtos homines, ac bonos cives expuliſſe; qvo conſumtio rerum victui, & amictui inſervientium, tum commercia, & artes manuariæ imminuantur, qvæ aliis adcreſcant. Regem ſero intellecturum, hac reformatione non id obtentum, de qvo ſacrifici ipſi perſvaſerint. Eidem aliqvando pœnitentiam ſubituram, qvod hoc ſpecimine potentiam ſuam oſtentare, & conſcientias qvoqve civium ad libidinem ſuam flectere inſtituerit. Deum aliqvando permittere, ut fortuna ſemper ſecunda ebrii potentiam ſuam in propriam perniciem vertant, ac multos innocentes opprimant. Se qvoqve dominos terrarum ſuarum eſſe, ac Romanis ritibus addictos itidem expellere poſſe. Sed ſe nolle cum aliena crudelitate paria facere; ac Deum rogare, ut ſacrorum ſocios calamitate preſſos ſoletur, Regisqve animum mitiget: ſimul ſpecimen daturos, qvam felix ſit moderato ſub imperio vivere, conſcientiis vim haut inferente. Poſt tamen impulſu concionatorum præcipue in Zelandia & Friſia, complura ſatis dura in Catholicos ſtatuta fuerant; ac demum omnes monachi expellebantur, ac vetera edicta contra Pontificios ſtrictius obſervari jubebantur, hactenus fere diſſimulari ſolita. Catholicorum Principum miniſtris, qvi talia improbabant, reſpondebatur: *Compertum ſibi, miſſionarios, ac peculiari voto obſtrictos Jeſuitas, ac Monachos exteros eſſe, nullo in hanc Rempublicam affectu; à ſuis cœnobiis, & ſuperioribus dependere, qvibus annuatim ingentes pecuniæ ſummas in fraudem harum provinciarum mittant; qvi & ad res novas proclives ſint. Idqve cura ultionis ſtudium, ac perſecutionem, nec intalionis vicem fieri, qvod Catholici in Belgio laicis ſacerdotibus indigenis uti qveant, eoqve monachis, ac voto obſtrictis opus non habeant. Qvin ipſos ſacerdotes catholicos indigenas petere, ut Jeſuitæ, & alii amoveantur.* Ad qvæ Camprichtus multa regerebat, addito: num Gallo ratio fuerit Nannetenſe edictum abolendi, ſe nunc diſqvirere nolle. Id certum eſſe, paria à Rectoribus Belgii admitti, qvi Catholicis per pacta publica tam ſancte promiſſa haut ſervent. Qvod olim Reges Galliæ Hugenottis velut ſibi ſubjectis promiſerint, aliam habere indolem, qvam ſi paris conditionis homines inter ſe paciſcantur. Sane olim Reformatos cum Catholicis in Belgio tractaſſe, ubi penes Catholicos ab antiqvo ſumma rerum erat, qvi demum à novam religionem profeſſis in propria patria oppreſſi ſint, & adhuc ſub jugo gemant. Nec odia heic ſubſiſtere, ſed nunc eosdem plane ejici. Id qvod pravos effectus producturum, ac demum bello ſacro anſam daturum ſit. Aſt Electori mirum videbatur, Camprichtum male temperatum circa religionem fervorem ita importune apricari, ac Belgarum factum, exteros monachos, ac nil proprii poſſidentes exeſſe jubentium, cum Galli perſecutionibus comparare. Qvarum crudelitati nil addi poſſe videbatur, niſi qvod novæ immanitatis exemplo omnem barbariem ſuperaret nuperum Araufione edictum; qvo recens converſi ante fores ædium ſuarum conſiſtere jubebantur, ſi corpus alicujus, qvi non acceptis ſacramentis deceſſerat, ad locum beſtiarum morticiniis deſtinatum pertrahebatur, & acclamatione, aliisqve ſignis id factum velut eximium juſtitiæ ſpecimen magnis laudibus ferre, gravi pœna in id negligentes ſtatuta. Unde Elector ſuos legatos Ratisponæ Proteſtantibus,

1687.

1687. bus, ipsisqve Austriacis demonstrare jubebat; uti altius sibi penetrare videatur, qvod Cæsarei ministri patronos se, & advocatos Gallicarum persecutionum ferant; ac circa scita ad opprimendam Evangelicam religionem tendentia cum Gallis tam amice conspirent. Rationibus Cæsaris valde noxium fore, si Protestantibus persvadeatur, inter Cæsarem, & Gallum compactum adversus ipsorum sacra existere: cum tamen Cæsar nuper longe aliud sibi confirmarit. Nam Elector Viennæ Cæsari demonstraverat: uti ipse præclaris ejus in Hungaria progressibus ex animo faveat, ac ad hos ulterius proferendos pro virili operam sit collaturus: ita non modico sibi dolori esse, gliscentibus victoriis persecutiones Evangelicorum ibi locorum exasperari. Id qvod Protestantes Principes non possit non magnopere afficere, qvod cum opes, ac sangvinem ad dilatandos Cæsaris fines, ac tot victorias alacri animo impenderint, id nulli alii usui inservire videatur, qvam ut innocentes suorum sacrorum consortes asperius opprimantur; ita ut sub barbarorum jugo, ubi saltem conscientiis libertas constat, qvam sub placido alias Austriacorum regimine vivere malint. Unde id saltem istis relinqvendum, qvod Turca non eripuit. Ejus persecutionis præcipuus autor habebatur Collonitschius, acerbissimus Protestantium hostis. Qvo & non parum conferebant pecuniariæ rationes, qvod Caraffa promisisset è publicatis Protestantium bonis legiones se suppleturum. Porro & Viennæ non modica indignatio erga Belgas ostendebatur, ac inprimis qvod in Frisia per sententiam judiciariam nonnullus Missarum adparatus combustus esset. Ac confirmabatur, apud complures Catholicos Principes eam ob causam consilia agitari, eminente inter alios Angli fervore. Accedebat, qvod eo tempore Neussæ in Silesia liber in lucem prodiisset, inter multa tetrica Gallorum persecutiones magna cum impudentia adprobans, ac ad plenam Evangelicorum extirpationem consilia suggerens. Id qvod eo indignius erat, qvod ne Galli qvidem ista facinora per publica scripta probare ausi essent, sed ea vel dissimulare, vel plane inficiari instituerint. Non abs re fuerit unum locum effrontis scriptoris heic adducere. *In Gallia ante annum unicus dimachaplus demonstrare poterat, qvam qvidqvid in Bibliis extat. Et qvanqvam violenta conversiones nunqvam laudandæ sunt, unde nec eo qvoslibet agendi modos defendere, aut ornare nolo: tamen ea res intimo in pectore ita arrisit, ut id verbis exprimere neqveam. Nam omnes blanditiæ adversus hæreticos incassum consumuntur; plerisqve inde ferocia accedit. Unde haut absurdum est istis subsannatoribus ridendo, & per dimachas rationes fidei imprimere. Duro nodo durum cuneum adhibendum. Si isti homines hoc modo ad salutem non perducuntur, malitiæ tamen, & illusioni eorum obex ponitur, qvæ Catholicis hactenus tam egre fecerunt. Sane mihi fiducia est facile adstruere, Principem Catholicum non qvidem ut alios convertat, sed ut malitiam, maledicentiam, & hæresin puniat, qvamlibet doctrinam acatholicam qvocunqve modo jure persequi, & extirpare possit, ut ob ineffabiles cavillationes adversæ partis qvis vix limites modestiæ excedere possit, nedum ut sibi rationem eo nomine apud tribunal divinum reddendam metuere debeat.* 1687.

Ast Elector per Nicolaum Danckelmannum ablegatum Cæsareis exponebat; tibi haut videri Belgarum edictum ullius injustitiæ argui posse. Nam cuivis summo imperanti jus esse etiam in dominante, ac legibus publicis introducta religione curam sacrorum indigenis potius qvam exteris committere; id qvod in omnibus regnis, ac rebuspublicis etiam apud Catholicos usu receptum sit. Eoqve & Protestantibus integrum esse oportere suo ex judicio ejusmodi statuta condere; inprimis si, uti præsenti casu, religio, circa qvam magistratus exteros sacerdotes tolerare nolit, in republica per sanctiones pragmaticas penitus interdicta per conniventiam duntaxat toleratur. Eo magis se mirari, Camprichtum literis ad Mogintinum tam periculosam circa hoc negotium sententiam præ se ferre, ac non solum Gallicam persecutionem inaudito rigore exercitam, ac multis cordatis Catholicis, ipsiqve Pontifici improbatam defendere, sed & profiteri non dubitare, Gallo plus juris fuisse ad abolendum edictū Nannetense, qvam Belgis ad extraneos sacerdotes ejiciendos. Tum Belgium Unitum esse terram Catholicorum propriam, eosqve à recenti religioni addictis oppressos, iisqve per publicos tractatus promissa haut servata fuisse. Cum tamen nemini de ejusmodi pacto circa religionem in Belgio constet. Igitur uti ipse haut credat Camprichtum ista Cæsaris jussu scripsisse; ita facile intelligi, qvantum suspicionum ac diffidentiæ id apud Protestantes pariturum sit, à Cæsareo ministro crudelem, ac inauditam in Gallia persecutionem tam odiose propugnari, contra Protestantium circa sacra in suis ditionibus jus in dubium vocari, ac plane de bello sacro minas jactari. Ex qvo Protestantibus suspicio nasci qveat, Cæ- 25. Nov.

1687. sarem data occasione circa religionem gemina cum Gallo consilia capessere posse. Qvalia de isto credi ejusdem rebus admodum noxium sit. Unde par esse, ut Camprichto suum delictum exprobretur. Et mox Cæsar per Freitagium Electori significabat, ejus viri intempestivum zelum sibi haut probari, nec talia se differre, aut scribere istum jussisse.

De munitione ad Trarbacum.

§. 56. Cæterum qvanqvam nuper admodum facta à Gallo declaratio spem fecisset, eum pauliſper usurpationibus abstenturum; imperare tamen sibi non poterat fræni nescia ambitio, qvin novam qverelarum materiam præberet cœpta apud Trarbacum munitione, qvæ Mosellæ, ac late circum ditioni capistrum injiceret. Ea de re cum Electori auditum esset, is statim in Gallia, ut talibus desistatur, agere cœpit. Sed ad qvæ Croissius reponebat:

Monsroyal.

Regem id suo jure facere, qvod in formula Induciarum positus articulus de non struendis munitionibus in locis reunitis, ipso in tractatu emissus fuerit. Regi integrum esse in locis reunitis omnia facere, qvæ ad sui securitatem spectent; ac Cæsari, & Ordinibus utiqve licere munitiones qvoqve in suis ditionibus extruere. Necessum ipsi esse Regno suo prospicere adversus destinata, qvæ aliqvando ad id invadendum concipi possint. Denique simplex esse credere, animum Regi esse, aut unqvam fuisse, reunita loca elapsis induciis restituere. Ea de munitione Cæsar per literas sententiam Electoris exqvirebat. Cui ab hoc responsum; habere Cæsarem qvod metuat, ex hac structura multum malorum proventurum. Se qvidem curam Cæsaris prævenisse, & statim atqve de eo intellexerit, de iniqvitate ejus ausi Lutetiæ demonstrasse. Certissimum qvoqve esse, si circa justitiam duntaxat agatur, Imperio gravissimas rationes haut defore. Sed qvia experientia hucusqve plus satis compertum sit, ejusmodi demonstrationes qvantumvis solidis fundamentis subnixas apud Gallum nil ponderis habere; ita qvæ ipse circa hoc negotium monuerit, nullo fructu fuisse. Unde Cæsarem pro sua sapientia judicaturum, in præsens ejusmodi remedia adhibenda, qvæ si illatum præjudicium non corrigant, saltem reipublicæ periculum non accelerent. Præsertim cum Cæsar, & magna pars Ordinum armis instructorum adhuc bello Turcico implicentur, ac robur Germaniæ in locis longe remotis agat, ut si Gallus in præsens arma arripiat, Imperio facile irreparabile damnum inferri qveat. Interim ista ausa per silentium haut dissimulanda, sed ut ea omittantur, simul de regundis finibus, ac exsecutione urgendum. De cætero utiqve adversus repentinos casus vigilandum, ac arma in promtu habenda. Qvo fine ipse omnia sit collaturus, qvæ ad salutem Imperii faciant. Porro ad ea, qvæ Lobcovicius super Trarbacensi structura monebat, Croissius regerebat: Regem inducias utiqve servaturum, qvibus ædificatio illa haut repugnet. Eqvidem se non inficias iviſſe, castellum Hunningæ oppositum ad induciarum leges haut qvadrare. Sed in locis reunitis Regi jus supremi imperii competere, cujus pars sit munitiones extruere. Alias istud caput expresse in tractatibus fuisse excipiendum, qvo casu Regem in inducias haut fuisse consensurum. Ipsis usufructuariis jus esse hoc titulo concessis rebus qvantum possunt utendi fruendi. Satis apud se istam causam discussam, ac compertum ei nil solidi opponi posse. Mirum videri, dum Cæsari facultas relinqvitur integra regna adqvirendi, eum suspicione perstringi ob pauculaloca, qvæ Rex firmando limiti munire è re ducat. Regi alias rationem fuisse hoc rerum statu melius sibi cavendi conversis in pacem induciis. Sed rationes status bono rei Christianæ cessisse. Constare tamen de qverelis, qvas Cæsarei ministri Londini super his munitionibus moveant; qvas Anglus improbare neqveat. Per talia Regi necessitatem imponi magis adhuc securitati suæ prospiciendi. Interim Regem satis demonstrasse sincerum desiderium pacis in Imperio servandæ, dum occasionibus, qvas justitia, ac rerum facies suggerebat, ad eam turbandam abuti noluit. Sane potuisse à Rege Aurelianensem in possessionem totius Palatinatus mittere, reddito post, qvod huic jure non competebat. Ac tamen eum qvievisse, ut ut Palatini acta secus mererentur. Eandem adhuc mentem Regi persistere, eumqve staturum declarationibus circa servandas inducias factis; ac mandata ad suos emisisse, ut in locis reunitis res ad normam induciarum relinqverentur; etsi vocabulum *in politicis* non de extruendis munitionibus, sed de regimine magistratuum iis locis intelligendum sit. Qverelas Protestantium manes fuisse. Ad qvæ Lobcovicius regerebat: Regem justitiæ, generositatis, ac sapientiæ specimen edidisse induciis non abruptis, unde ingens malorum seges oritura fuerit, armis Turcarum insigniter promotis. Eum in obligatione, qvæ ex induciis resultet, sat securitatis inventurum. Supremum imperium in locis reunitis eidem non pure, ac

16. Jul.

27. Jul.

1687.

sine

1687. sine exceptione cessum, sed ad tempus duntaxat; intra qvod licitum non sit aliqvid facere, qvod indolem, & statum eorum locorum mutet. Sed ista surda aure transmittebantur.

Ratisponæ super ea munitione disceptata. 2. Nov.

§. 57. Ast Cæsar super ea munitione Ratisponæ proponebat; uti Gallus apud Anglum declaraverit, integrum sibi fore non hanc solum, sed & alias in locis reunitis pro lubitu extruere. Id qvod non solum induciarum indoli in universum, sed & disertis pacti verbis repugnet. Scilicet Gallum non plus qvam Kalendis Augusti per sententias tribunalium Metensis, Brisacensis, ac Vesontini occupavit, Argentorato addito, sibi attribuere posse, ac certo modo ad tempus cessos Ordines in suo statu tam circa sacra, qvam civilia relinqvere, eoqve nil innovare debere. Atqvi ejusmodi munitionibus extructis causam possessionis plane mutari, ac Imperium, locaqve cessa in longe duriorem conditionem reponi; id qvod citra expressam conventionem fieri non potuerit, cum ejusmodi conventiones stricti juris sint, & qvod ibi expressum non sit, pro non concesso habeatur. Eqvidem Verjum inter tractatus testatum fuisse, Regem circa extructionem munimentorum sibi legem dici nolle. Ast vicissim Cæsarem, & Imperium à Verjo nullam sibi legem præscribi passos, nec circa hoc negotium qvidqvam annuisse, ac utramqve partem intra terminos contradictionis constitisse, eoqve hoc locum habere tritum illud: multa tractari, qvæ non perficiantur. Unde si maxime Gallus interdictum de munitionibus tractatui inseri haut voluerit, haut ideo tamen licitum ipsi esse omnia occupata loca operibus firmare. Qvin potius qvia de extruendis munitionibus tractatu nihil continetur, Gallum etiam istas suscipere non debere, sed ad normam juris gentium durantibus induciis omnia in eo statu relinqvere, qvo tempore harum initarum fuerunt. Qvo accedat, qvod in sententia anno 1681 die 12 Aprilis Meti contra Veldentinum pronuntiata de Comitatu Spanheimensi, in qvo Trarbacum, & tractus circum situs est, nulla mentio fiat, uti è libro de arrestis Lutetiæ edito adparet; nec à Gallo aliqvid avthentici eo nomine prolatum, sed nil aliud dictum, qvam à Luvoisio ejusmodi documentum fuisse repertum. Sed & Gallum declaratione Lobcovicio facta agnovisse, sibi non competere jus novas munitiones extruendi, dum expresse stipulatur, ut integrum sibi sit duas munitiones cœptas absolvere. Ergo deliberarent Ordines, qva 1687. ratione hæc res Gallo placide demonstrari possit. Circa ista hoc Colonienses literis ad Electorem datis censebat; Gallo rationem constare, qvod articulus de non struendis novis munitionibus inter tractatus ab isto repudiatus sit; & Anglus ejusdem acta non improbet. Cujus judicio tamen nemo hanc causam submiserat. Contra Palatinus, & Bremensis censebant, paratus armorum in Germania faciendos. Sed Elector judicabat, utqve necessarium esse, Germaniam qvantum possit ita sese armis instruere, ut vicinorum infensa destinata metuenda ipsi non sint. Uti tameu hactenus consultationibus super securitate Imperii parum profectum, ita & nunc, si negotium denuo deliberandum sumatur, nullum operæ pretium fore. Igitur optimum esse, si singuli Ordinum qvantum possint arma parent, uti ipse fecerit, ac suo exemplo alii. Sed & negotium de publicis armis ita secreto tractari non posse, qvin Gallus inde suspicionem concipiat: qvæ tamen omni modo durante bello Turcico cavenda sit. Interim providendum, ut jura Imperii ne condonentur, & cum Gallo pax constet, qvoad bello Turcico finis impositus sit.

Galli literæ ad Ordines Imperii 4. Nov.

§. 58. Ast Ratisponæ Verjus à Gallo scriptum ad ordines Imperii exhibebat die 23. Octobr. Fonte Blaudi datum, hoc sensu. *Postqvam Rex edoctus sit de qverelis, qvas Austriaci ministri tota Germania spargant de operibus jussu suo apud Trarbacum cœptis, per qvæ pacta mense Augusto anno 1684. violari arguant, cum Creqvio Comiti, obtegato suo extraordinario, ac plenipotentiario ad conventum Ratisponensem injunxisse, ut ministris Electorum, Principum, atqve Ordinum Imperii ibi congregatis significet, qvam tenui fundamento istæ querelæ nitantur; & qvam justam causam eadem præbeant omnibus, qvibus publicam qvietem tueri cordi est, suspicandi, istarum autores eo prætexto ad hanc turbandam uti velle. Sane pactum anno 1684. Ratisponæ initum induciarum vocabulo nuncupari non posse. Hæc enim conventione constare, per qvam subsistente adhuc bello ad certum tempus hostilibus actionibus sit abstinendum. Igitur cum eo tempore bellum inter Galliam, & Imperium non extaret, id pactum non nisi reciprocum promissum fuisse de amicitia per viginti annos colenda. Eo intuitu Cæsarem & Imperium ad idem tempus renuntiasse omnibus juribus, qvæ ipsi competebant in loca ad Coronam Franciæ reunita ante Kalendas Augusti anno 1681. Vicissim Regem se obstrinxisse, intra id*

1687. tempus se non persecuturum ullam aliam prætensionem, quam in Imperium habeat. Has esse primarias conditiones per quas utraque pars de longa continuatione amicitiæ sibi invicem cavit, & quæ Cæsareis exercitibus facultatem præbuerunt totam Hungariam subigendi, ac res suas eo prosequendi, ut bellum in Imperio ordiri queant, quod sumtibus, ac forte cum exitio Electorum, Principum, & Ordinum, qui plurimum ad id contulerunt, gerendum sit. Sed ut clare perspiciatur, quam inane sit prætextum à Cæsareis jactatum, non aliud opus esse, quam ut omnes articuli ejus tractatus percurrantur. Qui, si maxime velut pura inducia consideretur, eo fine conclusus sit, ut Imperii tranquillitas firmetur, ac facultas ei præbeatur omnes suas vires in communem hostem vertendi: sane non posse dici, ademtam Regi facultatem muniendi loca, quorum possessionem cum consensu Imperii tractatu isto expressam nactus est cum pleno, & integro supremi imperii jure. Nec minus id perspectum iri, si omnia inductiarum pacta antehac inita percurrantur, in quibus partes expresse de intermittendis munitionibus stipulatæ sunt, ubi super iis quid statuere placuit. Tractatu inductiarum Bondisii anno 1537. inito expressum; eo tractatu ac suspensione armorum pendente, quæ non nisi ad Belgium porrigitur, Rex Franciscus non immittet militem, nec munitionem excitabit in Comitatu Sancti Pauli. Quam exceptionem innuere, quocunque alio loco Regi libertatem esse sua loca durantibus inductiis muniendi; ac necessum fuisse eum articulum tractatus inseri ad eam libertatem in Comitatu Sancti Pauli Galliæ adimendam. Tractatum inductiarum generalium Nicææ anno 1538. factum eundem articulum de dicto Comitatu confirmare, nec pacisecentibus Principibus libertatem adimere quævis sua loca muniendi. Inducias Vaucellis anno 1555. factas nil stipulationis eo nomine continere. Cum Hispani, & Belgæ Uniti anno 1609. tractatu inductiarum sibi per articulum vicesimum nonum adimere vellent facultatem novas munitiones in Belgio excitandi, eum articulum bis verbis concepisse: ut neutra pars in Belgio ullam novam munitionem construat. Cum Monasterii de pace inter Gallos, & Hispanos ageretur, è præcipuis obstaculis conclusionem impedientibus fuisse, quod Hispani non possent in animum inducere, ut juri in Cataloniam, quæ ipsorum imperium excusserat, renuntiarent. Unde convenisse, ut inducia ad XXX annos circa eam provinciam fierent, per quas uterque Rex retineret quæ tunc possideret. Sed supervenisse aliam difficultatem, quod Hispani concedere nollent, Cataloniæ loca à Gallis per inducias muniri. Id quod Galli consentire noluisse, demonstrantes, id postulatum rationi repugnare, ac munitionem esse actum defensionis, non aggressionis; ac demum pervicisse, ut utring. esset libertas durantibus inductiis loca muniendi, rejecto temperamento, quod Belgarum legati circa hoc negotium in medium afferebant. Atque idem contigisse circa tractatum, de quo in præsens quæstio. Nam cum interdictum de muniendo per ministros Cæsareos articulo IV, & per Imperium articulo X projecti esset propositum, prout hoc publice Ratisponæ per dictaturam communicatum est, id à Gallis rejectum, ac post à Cæsareis ministris desertum, velut ad reliqua pacti capita non quadrans, ac præcipue ad id, quod Imperium Regi plenum & integrum supremum imperium in loco reunita relinquat: in quod Rex nunquam consensurus fuerit, si vel minima exceptio, aut restrictio ei fuisset addita. Nec verosimile videri, Cæsareos ministros ullum fundamentum suarum querelarum ex articulis VIII & IX petere posse; quod prior non respiciat nisi restitutionem proprietariorum earum terrarum, quarum supremum dominium Regi concessum est, & qui præstituto tempore juramento fidelitatis se offerant. Per alterum Regem duntaxat obligari ad religionis exercitium incolis relinquendum. Alias reunionem Trarbaci sine controversia demonstratam esse per sententiam Camera Regiæ Metensis mense Aprili anno 1681 latam. Usque adeo difficile esse animo comprehendere, quod prætextum ministri Cæsarei adducere possint Regem de violato hoc tractatu arguendi; cum tamen hic quotidie illustria documenta edat, quam exacte, ac sancte eum servet, suaque moderatione Cæsareorum armorum progressus contra infideles promoveat. Sane per ejusmodi querelas augeri suspiciones de instituto, quod aula Viennensis semper ostendit, quodque ejus ministri aperte declararunt; se nolle inducias diutius servare, quam quod commoda occasione eas abrumpendi non sit. Interim uti hæ inducia toti orbi Christiano felicem, qua nunc gaudet tranquillitatem pepererunt, simul Ordinibus Imperii facultatem præbuerunt, ut per submissa continuo auxilia in Ottomannos revolvere possent mala, quæ isti provinciis Cæsareis minabantur: ita eidem tractatui Cæsarem sui status incolumitatem, & omnes victorias debere ab infidelibus reportatas. Eo injustius istius ministros queri, quod Rex suo jure utatur circa muniendas limitis sui partes, qua opus sit. Sane Principem, qui per munitiones in limite extructas quietem, ac felicitatem suorum civium in tuto collocat, eo ipso non magis cupidinem vicinorum terras invadendi, ac bellum movendi ostendere

1687.

1687. *dere, qvam privatus animum aliena involands apricatur, si sua conservare cordi ipsi est. Qvæ cum ita sint, Regem sibi de prudentia Ordinum Imperii promittere, eos serio expensuros justissimas suspiciones, qvas male fundata Cæsareorum ministrorum querele ipsi excitare possint; ac per idonea consilia impedituros, ne amicitia, qvam ipse semper cum Imperio colere cupit, turbari qveat.* His literis Verjus qvoqve scriptum addiderat, qvo inter alia contendebat; ni Gallo liberum sit reunitis locis pro lubitu munitiones extruere, Imperio qvoqve in nonnullis locis, puta in qvatuor urbibus Sylvestribus idem integrum non fore; qvod Rex nondum declararit, qvas prætensiones in Germaniam habeat, qvibus ad tempus duntaxat harum inductarum per articulum XII. renuntiarit. Ac ni verba ejus articuli, *renuntiat vicissim Imperator & Imperium supremo dominio &c.* sensui, ac valori suo relinqvantur, initium ejusdem, *Renuntiat Sua Christ:ma Majestas*, itidem obligatione carere. Unde cum adpareat, Cæsarem, & Imperium à conventis per inducias resilire velle, Regi qvoqve ad idonea hoc casu consilia, ac ut priores prætensiones persequatur, ansam præberi posse. Saltem hanc causam, Cæsaris, ac Imperii dijudicationi subjici non posse. Porro qvanqvam libellus hic statim per dictaturam publicaretur, Verjus tamen ipse non postulabat, ut de eo consultaretur; qvod crederet silentio Ordinum eundem probari. Idem qvoqve impediebat, ne ob Trarbacensem munitionem literæ ad Regem nomine Imperii darentur. Eas enim non posse non huic displicere, qvod per eas idem inductarum violatarum arguatur, qvas tamen is ad amussim servet. Nec eas literas aliud effecturas, qvam ut iisdem permotus Rex melius sibi caveat, ac plures munitiones excitet. Satis qvoqve perspici, aulam Cæsaream per ejusmodi qverelas prætextum sibi reservare inducias post finem belli Turcici, qvamprimum id commodum sit, abrumpendi. Cui responsum: nil freqventius, nec magis innoxium, qvam si controversia super sensu alicujus tractatus nascatur, modeste eum disceptare, ac utramqve partem sententiæ suæ fulcra adferre. Id fieri etiam inter pacisscentes potentia, ac dignitate plane dispares. Imperio tanto minus vitio dari posse, qvod jura sua tueatur, ac amicam discussionem qværat super dubiis circa inducias motis; atqve id ipsum tractatui inductarum congruere. Ac ipsum Verjum ansam disqvirendi præbere novissimo libello, qvo contendat, Regi in omnibus locis cessis jus esse munitiones extruendi. Ac doctores juris gentium, ad qvos Verjus provocet, id qvoqve tradere; ubi inductiæ alteri partium prosint, eas non debere interim ejus, qvi dedit, causam durlorem facere. In præsens autem non solum qvæstionem esse de Trarbaco, sed de omnibus munitionibus, qvas Gallo in locis reunitis extruere ulterius in mentem venire qveat. Enimvero Electori in præsens consultissimum videbatur super munitionibus istis parum movere, ac omnes odiosas disceptationes, qvæ super iis exsurgere possint, declinare, ea tamen præcautione, ne Gallus inde evincere qveat, Verji libello contenta tacite probari, aut adversus ea nil reponi posse. Sed si Verjus ipse urgeat, eum libellum modeste refutandum, potius tamen sermone ad Verjum, qvam literis ad Regem missis. 1687.

§. 59. Ad extremum qvid animo meditaretur Gallus in apricum proferebatur, dum Wilhelmum Furstenbergium Electori Colonienſi Coadjutorem surrogari curat; qvo Germaniæ juxta ac Belgio mortalis plaga intentabatur. Colonienſis ut hunc sibi succenturiaret, electionem velut ex improviso Capitulo indixerat, cui & Wilhelmum expresse commendabat, qvod agnatum Clementem Bavarum tenera ætas inhabilem redderet. Nec dubium habebatur, qvin iste creandus esset, qvod plerique Canonici cognati, aut clientes ipsius, aut per dona, & pollicita emti forent. Eqvidem Gravellus ablegatus Gallicus negabat, à Rege suo vel renuncium eo nomine cuipiam donatum. Revera tamen is Canonicis caverat, si qvid eam ob causam damni patiantur, à Rege sextuplum ipsis pensatum iri. Hujus electioni Cæsar, Bavarus, & Palatinus acriter sese opponebant. Cæsar Caunitium Comitem miserat, sed qvi tardius adveniebat. A Bavaro missus Carrigius extremis viribus pro Clemente nitebatur. Joannes Wilhelmus Palatini primogenitus Colonienſis colloqvium expetebat, sed qvi obtentu valetudinis id declinabat. Is declarabat, ipsius fratrem inter candidatos haut fore, si Bavarus aliqvem è sua domo proponere vellet. Ipse qvoqve Pontifex recte contranitebatur, ne Furstenbergius ea dignatione potiretur. Tanto magis Gallo res cordi erat, præsertim post. qvam Bavarus, & Palatinus ambirent, & Cæsar Wilhelmo se opponeret: ac maxima isti ipso in Colonienſi spes erat, qvi obnixe huic favebat, qvicqvid Cæsar contra demonstrari curaret. Elector qvoqve Arnoldum Wachtendonckium Coloniam mittebat,

De electione Wilhelmi Fürſtenbergii in Coadjutorem Colonienſem.

Caunitz. Carrig.

17. Nov. Wachtendonc.

1687. tebat, ut Præſuli, atqve Capitulo iſtius electionem diſſvaderet. Hæc enim ſi ſuccedat, qvemlibet ſana ratione utentem, facile judicare poſſe, de Germania tunc, & præcipue de Inferiore Rheno actum eſſe; & perinde fore, ac ſi præſulatus Colonienſis, & qvicqvid ab eo pendet, qvin & vicinia ultro in Galli manus tradatur. Nam toto orbe notum, uti is ex eſſe Gallo mancipatus ſit non ſolum ob præſulatum Argentoratenſem, ſic ut eo nomine inter Galliæ Epiſcopos ſit cenſendus; ſed & qvia Rex nuper tanto cum ſtrepitu Cardinalitiam dignitatem ei conciliarit. Ac ineptum erat, qvod is ſubinde jactaret, ſibi Germanum pectus eſſe; ſed in qvo mancipata Gallo anima hoſpitabatur. Nec verosimile erat, ſi ſanæ rationi locus relinqveretur, ullum è Capitulo, aut toto præſulatu præter neceſſitatem ſe ſuosqve, ac totam provinciam Gallico ſervitio addicere velle. Wachtendoneio, cum qvæ juſſus erat expoſuiſſet, *n. Dec.* Colonienſis reſpondebat; ante tres ſeptimanas Coadjutorem ſe à Capitulo petiiſſe, id qvod huic placuerit, ac electioni diem ſeptimum Januarii inſtantis anni dictum. Ita eam rem non amplius penes ſe, ſed penes Capitulum eſſe, ac ſibi haut decorum eidem remoram injicere. Ei reſponſo immotus inhærebat, qvicqvid de incommodis ex hac electione proventuris ingereretur. Ac referebat Wachtendoneio ablegatus Bavaricus: ſibi perſvaſum, Furſtenbergium jam electionis certum eſſe. Bavarum qvondam de publico magis qvam privato Domus ſuæ commodo ſolicitum, apud Colonienſem de filio ſuo egiſſe; ſed eum ſemper Coadjutoris electionem velut feralem avem averſatum fuiſſe. Unde Bavarum offenſæ agnati declinandæ ſiluiſſe; ſperaſſe tamen, iſtum domus ſuæ affectum ante omnia habiturum. Aſt nunc præter opinionem hanc electionem ita improviſo moveri. Cæſaris, ac Bavari legatos, uti videatur, ſero veniſſe. Capitulum à Pontifice per literas monitum, ne tam arduum negotium ita anguſto ſpatio arctaret. Sed incertum, num iis pondus futurum ſit. Ac ſi Pontifex confirmationem abnuat, ſchiſma metuendum. Colonienſem nuper Bavaro ſcripſiſſe; qvia Princeps Electoralis Palatinus tam enixe inſtiterit, ſibi demum neceſſitatem allatam comitia eligendo ſucceſſori indicere. Qvo nomine Bavarus Palatini conſilium valde improbarit; ac intempeſtivis hujus precibus tribuendum, ſi nunc electio Cardinalem maximo cum reipublicæ præjudicio tangat. Cæſareus legatus Furſtenbergio offerebat, Cæſarem effecturum ut is Coadjutor Leodienſis eligatur, ſi 1687. Clementi ad præſulatum Colonienſem nanciſcendum operam navare velit. Tum ipſius, ac Lœvvenſteinianæ familiæ, in qvam ſoror ejusdem denupta erat, gratiam Cæſaris pronam fore, eundemqve hoc facto iterum Germaniæ favorem ſibi conciliare poſſe. Sed Wilhelmus ad iſta obſurduerat, ac ipſe Colonienſis eousqve huic addictus erat, ut Cæſaris, ac Bavari legatis abrupte abnueret de Clemente Capitulo commendando, cauſatus Clementem puerum eſſe, ſibi autem viro rebus gerendis apto ſucceſſore opus eſſe. Inprimis qvia Gallo chirographum ſit aliqvot centena unciarium millia continens in Archipræſulatum, qvæ exſolvi non poſſint; Caunitio regerente, miram oportere obligationem eſſe, qvæ dilui neqveat; & Bavaro ſat pecuniæ in eam rem eſſe. Nec animo comprehendi poſſe, unde iſthoc debitum contractum ſit, qvod utiqve Galli eo tempore Præſulatui plus damni, qvam utilitatis attulerint. Ad qvæ Præſul nil qvod reponeret habebat, niſi ſerum jam eſſe conſilium mutare. Ac ſemel ſe Coadjutorem petiiſſe, ac eo fine Cardinalem commendaſſe: unde nunc id negotium à Capituli arbitrio pendere. Iſti tamen præſentiſſimum adminiculum rei promovendæ domi obliti fuerant, pecuniam; ac ſero Caunitius Bruxellas mittebat collybis inde petendis, ſed ubi nulla argenti copia erat. Cum ita pleriqve Clementem averſarentur, Epiſcopus Wratislavienſis ſpem conceperat. Simul acre ſcriptum Capitulo inſinuari curabat, qvo iſthoc ſimoniæ inſimulabatur ob acceptas à Gallo pecunias. Qvo Capitularium animi valde exacerbabantur, ac ſpes iſtius fruſtra erat, qvod Furſtenbergio non niſi tria ſuffragia deeſſent. Unde nil remedii ſupererat, qvam ut Pontifex per Nuntium Coloniæ reſidentem intercederet. Ac ſane veniebat mox à Pontifice mandatum dehortatorium, qvod Nuntius Colonienſi atqve Capitulo inſinuabat. Simul valvis templi cathedralis mandatum Papæ affigebatur, qvo omnibus Capitularibus ſub pœna excommunicationis, & bis mille aureorum interdicebatur electionem Coadjutoris perſeqvi. Tum citabantur ad cauſam Romæ dicendam, qvod electioni diem dixiſſent haut facta omnibus Collegis communicatione: qvod jus Canonicum ſtatuat, ſi vel unicus Capitularis ad electionem invitatus non ſit, eam irritam fore. Sed Elector talibus haut motus Capitulum hortabatur, ut eo ſcripto inſuper habito ad electionem progrederentur, excluſo Clemente. Idem

& an-

1688. & antea parum curaverat, à Pontifice confirmationem Episcopatus Monasteriensis sibi negatam fuisse. Etsi nec Nuntius debito fervore rem agebat, incertum metu, an alia de causa. Cum enim rescriptum Pontificis pleno Consistorio exhibere debuisset, Syndicum tantum, ac duos delegatos è Capitulo ad se evocabat. Caunitii acris oratio in Capitulo contra Furstenbergii electionem surdis auribus transmissa: cui repositum; qvia Elector electionem suscipi velit, eam se defugere non posse. Factam se Pontifici denuntiaturos, penes qvem sit, eam confirmare velit, an minus. Araustonensis pecuniam offerebat, si electio impediri possit; sed angustia temporis negotiationem impediebat. Ita is octodecim suffragiis, qvod sex absentes essent Coadjutor dictus fuit ingratiis Cæsaris, ac totius Germaniæ. Contra eam electionem protestabantur Franciscus Ludovicus Episcopus Wratislaviensis, Marchio Badensis, & Kœnigseckius Comes, ac ad Nuntium Apostolicum provocabant.

7. Jan.

Post Furstenbergii electionem disceptata.

§. 60. Furstenbergius cum de Coadjutoris dignitate in se collata Cæsari significare vellet, ejus delegato literæ fiduciariæ redhibebantur; qvod Cæsar decrevisset Pontificis confirmationem expectare. Electori ad literas eadem de re denuntiantes nil respondere placuit. Inde nova Gallis qverendi materia. Croissius Spanhemio dicebat: Cardinalem Palatino debere, qvod Coadjutor factus sit. Ni enim hic tanta cum anxietate pro filio suo prensasset, qvem Colonienses semper aversatus fuerit, hunc nunqvam electionem fuisse permissurum. Palatinum omnia in suam domum pertrahere velle; cum sibi haut videatur Electoris interesse ad ejus vicini opes augendas operam conferre. Palatinum secreto id affectare, ut vel Colonienſem Electoratum filio suo comparet; vel si Bavaricus Princeps eo potiatur, successionem suæ domus ad Bavariam promoveat: id qvod Colonienſi non parum scrupuli injecerit. Sed qvod Elector Cardinali ad literas suas non responderit, id non aliunde provenire posse, qvam qvod Cæsari, ac Palatino hanc electionem aversantibus placere velit. Idqvod publicæ Imperii tranqvillitati noxam inferre qveat. Sane qvantumcunqve is Cardinalis Gathiæ innexus sit, se tamen nunqvam hominem noviſſe, cui magis cordi fuerit amicitiam inter Galliam, & Imperium servare; cui salutari instituto ea dignitate auctum utiliorem operam navare posse. Unde par fuisse Regis fœderatos eo minus scrupuli movere circa electionem per unanimia fere suffragia factam à Capitulo, cui jus electionis sit, & qvod requirente Præsule ad electionem processerit. Eoqve Electorem saltem in gratiam Regis gratulatione defuncturum; præsertim cum aliud sit electionem promovere, aliud jam factæ non contradicere. At Spanhemius reponebat: Electori mirum videri, Regem eo facto offendi; qvasi sibi non integrum sit circa talia facere, aut omittere qvæ placeant, aut eo nomine ad rationem cuiqvam reddendam teneatur. Ac posse sibi ejus rei causas esse, qvas haut cuivis ingerere teneatur. Sibi potius qverendi causam esse, qvod Rex super hoc negotio qverelas moveat. Principibus nullam rem majori curæ tuendam, qvam independens suum jus, ac plenam libertatem eodem utendi, prout è re jam esse videatur. Id qvoqve negotium ad solum Imperium, & Collegium Electorale spectare. Et qvare Rex de eo nil communicaverit, si vellet, ut in ipsius gratiam aliqvid fieret? Cardinalem qvoqve suis literis ad Saxonem posuisse; nondum sibi decretum oblatam electionem acceptare; sed eo nomine Papæ dispositione staturum. (etsi ea verba in literis ad Electorem non extabant.) Et qvare ipse alios ancipiti officio præverteret? Repetebantur tamen qverelæ, addito; Electorem Hagæ per Spanium fœdus iniviſſe, qvo promiserit, se IX M militum ad Rhenum missurum, qvi Juliacensibus copiis junctí Cardinalis admissionem ad præsulatum impediant, & Capitulum ad alium eligendum cogant. Talia sane Regem à fœderato haut expectasse. Eundem ad hanc electionem nihil contulisse. Sed si Capitulo vis inferatur electioni rite factæ subvertendæ, idqve prætexto oppositionis, qvæ Romæ instinctu Cæsaris circa confirmationem fiat; Regem Capitulo ad jus liberæ electionis asserendum omni ope adstiturum. Ad qvæ Elector demonstrari jubebat: *Iter qvæ ipse circa hoc negotium egerit, cum fœdere inter se, ac Regem nil commune habeant; ita merito sibi libertatem constare debere, in causa qvæ solum Imperium, ac Electorale Collegium spectet, suo è judicio atqve usu procedendi; nec illam violationem fœderis, aut justam qverendi causam inde evinci posse. Sane nullum fœdus tam strictum adornari posse, ut eo juncti non qvandoqve in uno aut altero negotio diversas sententias foveant. Sed & graves causas, nec Regi improbandas interveniſſe omissi responsi. Per aliqvot septimanas dextræ sibi usum ademtum. Cardinalem literis ad Saxonem posuisse; se hanc electionem nondum accepisse, aut rejecisse,*

1688.

1688. *jeciſſe, ſed Pontificis placitum circa eam expectaturum. Unde ſe id negotium velut imperfectum reſpexiſſe. De fœdere contra Capitulum Colonienſe putidum commentum eſſe.* Ad iſta Croiſſius: Solas Palatini machinationes cauſam huic electioni dediſſe. Alias enim Colonienſem à Coadjutore abhorruiſſe, Capitulum autem hanc occaſionem avide arripuiſſe, ut Comitibus iterum aditus ad Electoratum panderetur, qvi tanto tempore penes Bavaricam domum manſerit. Regem ne teruncium qvidem huc contuliſſe, cui religioni ſit per ſordes Cardinalem promovere. Non poſſe tamen qvin ea electione gaudeat; præſertim qvia hæc paci in Imperio firmandæ inſervire poſſit. Eo magis mirari Regem, ab Electore ad Cardinalis literas haut reſponſum; cum id à Bavaro decoris admodum verbis factum ſit. Circa clauſulam in literis ad Saxonem poſitam ita rem habere. Circa electionem Archiepiſcopi, & Electoris per leges ac uſum Imperii non opus eſſe ad Pontificis diſpoſitionem provocare, num eam acceptare, & Electoris functionem obire fas ſit. Sed ad poſtulationem Coadjutoris per leges ab omnibus Catholicis receptas confirmationem Pontificis neceſſariam eſſe, de qva Cardinalis non potuerit non mentionem injicere. Sed Elector præter priora regerebat; Cæſari utiqve, & Electorali Collegio jus competere diſpiciendi, qvinam viri, & qvo modo ipſis ad latera jungantur. Et qvid ad Gallum electio Epiſcoporum Germaniæ? Num Cæſari curæ eſſe, qvem iſte Rhemis, aut Lutetiæ Epiſcopum faciat? Exprobraverat qvoqve Croiſſius fœdera cum Belgis, Cæſare, ac Sveco. Ad qvæ Elector; à ſe optime factum, qvod dum vita ſuperſit veteres controverſias cum Belgis circa ſubſidia, cum Cæſare ſuper Carnovia expedierit, ne ad ſucceſſorem eam moleſtiam tranſmitteret. Graviſſimam qvoqve ſibi fuiſſe cauſam cum omnibus vicinis qvantum poſſit amicitiam inſtaurare, ne ſucceſſori cum qvopiam lis, aut ſuſpicio, ac diſſidium ſuperſit. Et ſolam hanc fuiſſe cauſam, qvare qvæſierit, ut ſibi cum Sveco bene conveniret; præſertim cum ejus Regis conſilia ad conſervationem pacis in Europa tendant; qvam & ſibi magnopere cordi eſſe Gallus ſemper teſtatus ſit.

Legatio in Poloniam.

§. 61. Verbo qvoqve tangendum fuerit, ſub initium anni ab Electore ad Comitia Polonica Grodnam miſſos fuiſſe Alexandrum Donam Comitem, & Joachimum Scultetum, obſervaturos ne qvid contra ipſius rationes fieret. Inprimis injunctum, qvia fama erat, Daniæ Regem id agere, ut tecte filium ſuum ſecundo genitum Candidatum Coronæ Polonicæ commendaret, ut iſtis deſtinatis clam ſeſe opponerent, ac cum Cæſareis & Svecicis miniſtris eam rem de compacto agerent, qvod nullius è tribus iſtis intereſſet id ſuccedere. Sed & Elector per Paulum Fuchſium miniſtris Danicis demonſtrari jubebat, in id negotium magnam pecuniæ vim à Rege profuſum iri incerto exitu; qvi idem Regi parum cordi eſſe teſtabantur. Sed nec iis Comitiis qvidqvam proficiebatur, qvod ea incaſſum abrumperentur. Cauſa erat, qvod Rex filium Jacobum juxta ſe in throno conſidere cupiebat, ad qvod probandum ut aliqvi adhuc proceres permoverentur opera ponebatur. Unde ab aula tempus trahebatur, & cum ea res ſuccedere nollet, ſtudio Comitia diffluere patiebatur, qvod Nuntii Terreſtres jam jam iſti ſeſſioni contradicere pararent, ſimul noſſe cupiebant, qvam ob cauſam ante biennium Magnus Cancellarius in Galliam miſſus foret. Ac ne Princeps Jacobus ignominiam repulſæ ferret, obtentu ſpectandæ urbis Rigenſis, & Ducem Curlandiæ inviſendi Grodna diſcedebat. Bethunius dicebat, rem nimis fervide actam, muliebri conſilio, eoqve aulam ſibimet ipſi obſtitiſſe; ac in Jacobo talia adparere, qvæ ipſum Coronæ parum commendent. 1688.

Origo Controverſiæ Gottorpicæ.

§. 62. Supereſt ut heic junctim annectamus, qvæ complures per annos ab Electore circa componendam inter Daniæ Regem, & Gottorpienſem Ducem controverſiam acta ſunt, de qva jam ſupra ſemel atqve iterum tactum eſt. Etſi ejusdem finem vivendo attingere Electori haut datum. Duces igitur Gottorpienſes è Regia Daniæ ſtirpe oriundi præcipuam Sleſvicenſis Ducatus partem fiduciario jure à Regno Daniæ ſeculum amplius poſſederant, certis pactis Daniæ Regibus agnatis juncti, iisqve ſat concordes, donec Carolus Guſtavus Sveciæ Rex è Gottorpienſi domo conjugem ſibi adſcivit. E qvo tempore Dux iſte Danis nimium in Svecorum partes inclinare viſus eſt, qvi & dum hiſce Poloniam perſultantibus bellum intentant, Ducem nullius culpæ compertum duriter admodum habuerant. Unde mox Svecus victor ſocerum iſtis oppreſſionibus in poſterum liberaturus pace Roſchildenſi nexu Daniæ eripere cupidus, ſupremum huic imperium in Sleſvicenſem ditionem ſtipulatus eſt, aliis qvibusdam emolumentis adjectis. Sed qvam idem tunc qværebat, communis regiminis abolitio per Danos eluſa, perſiſtentibus

qvoqve

1688. qvoqve veteribus unionibus, cavillandi deinceps materiam præbituris. Isthæc domus Gottorpiensis emolumenta uti Sveciæ favore parta erant, ita per eandem sibi tuenda Dux judicans Svecicam amicitiam magno studio excoluit. Qvæ cum Dano admodum suspecta haberetur, bello post in Svecum decreto primum erat Ducem Christianum Albertum in potestatem redigere; qvem Rensburgum sub amicitiæ specie allectum Rex in custodiam datum compulit, ut munitissimum oppidum Tœmningam sibi dederet, simul commodis è pace boreali partis renuntiaret, Daniæ deinceps obnoxius acturus. Qvanqvam autem Dux deinceps pace apud Fontem Blaudi facta in integrum restitutus esset; tamen postqvam Danus amicitia Galliæ subnixus tuto se Svecum negligere posse judicaret ordinandis domi rebus districtum, necè reliqvo Europæ habitu qvid sibi metuendum adpareret, Ducem denuo ad Rensburgensis pacti conditionem redigere instituit, ex eo supplere meditatus, qvod spei recuperandæ Scaniæ de-
1682. cesserat. Eo fine Rex non solum dimidiam *contributionis* partem à communibus Prælatis, & Eqvestri Ordine conferri solitæ Duci subtractam sibi vindicabat; sed & idem tributi genus à peculiaribus Ducis oppidis, atqve præfecturis exigebat. Color dicebatur, qvod istud tributum ad communis provinciæ defensionem sit institutum, sed qvod Dux in alios usus vertat, cum Regi soli onus alendæ militiæ incumbat, qvæ & Ducis ditionem tutam præstet. Et qvæ extent omnes munitiones in Regis territorio sitas esse. Qvam ob causam etiam Rex concedere noluerat, ut Tœnninga à Duce instauraretur, aut alius locus operibus firmaretur. Nec ex eo tributo Duci amplius qvid concedere volebat, qvam qvod alendæ centuriæ eqvitum, custodum corporis, ac præsidio arcis Gottorpiensis reqviratur. Insuper & Rex nongenta uncialium millia è reliqvis tributorum belli tempore imperatorum exigebat, Duce incassum ad Gallicam pacem provocante, ac Sveciæ Regis interventionem petente. Adversus cujus officium Danus excipiebat; eam domesticam esse causam, qvæ exteros non tangat, ac Lundis in Scania peculiari articulo cautum, ne uterqve Borealium Regum alterius se domesticis negotiis ne ingerat. Nec Cellensis Ducis minæ curabantur, cum Rex permittere nollet, ut Dux dimidiam contributionis partem in Holsatia exigeret, velut ad defensionem Imperii, & Circuli adhibendam. Duci hanc qverimoniam ad Electorem deferenti hic 1682.
suadebat, ut cum Rege amice transigat, & 8. Sept. 82.
extraneis nexibus abstineat, Regiqve velut capiti familiæ adhæreat; id qvod & veteres uniones reqvirant. Ad qvæ Dux repone- 23. Oct. 82.
bat: *Sibi nil magis in votis esse, qvam cum Daniæ Rege inconcussam amicitiam excolere. Enimvero non minore studio sibi qvoqve dignitatem suam, & avita jura servandæ; qvibus Rex jus tributa indicendi, armorum, & munitiones habendi detractum eat, qvin dignationem Principis Imperii in dubium revocet, tantum non inter provinciales Ordines ipsum redacturus. Unde se non posse, qvin Cæsaris, & aliorum pacis sponsorum opem imploret. Vetera pacta supremo imperio sibi competenti nihil adimere. Isthoc, atqve inde pendentia jura si Rex intacta relinqvat, haut devotum magis qvam se amicum habiturum. Qvam in rem ut Elector apud Regem officium interponat rogare.* Ad eas literas Elector 3. Nov. 82.
respondit: *Ducem dum exterorum se fœderibus innectit, multam de se suspicionem excitasse, cum alias isthoc negotium tanqvam domesticum inter Regem & ipsum sine strepitu componi potuisset. Nunc dubium, num officio suo apud Danum effici qvid possit. Sane Regem actis suis haut invalidas rationes praetexere videri. Nam utiqve ab antiqvis temporibus tributum bellicum per Holsatiam in commune erarium redactum; nec Regem prohibuisse, qvo minus Dux in Imperium & Circulum eroganda ex eo desumeret; tum ut munitiones, & militia, ad communis provinciæ usum spectans, communi utriusqve Principis consensu disponatur. Partam non ita pridem supremi imperii dignationem vetera similia pacta hautqvidqvam abolere. Regem qvoqve tributa Ducis defensioni expensurum, modo hic fidam cum ipso amicitiam excolere persistat, externis vinculis exsolutus. Sibi qvam maxime curæ esse qvietem Germaniæ, & singulorum ejus membrorum tueri. Eo tamen pretexto haut fas sibi esse privatis negotiis misceri, plus divisionis in Germania parituris. Et qvia hucusqve ea lis circa interpretationem pactorum versari visa sit, Imperio, qvamdiu ista intra hos limites versetur, nil præjudicii inde enasci posse, qvod Slesvicensis Ducatus ad idem haut spectet. Igitur Dux ab extraneis se fœderibus removeret, ac dissidii fontem è medio tolleret. Tunc officio se ipsi non defore.* Ad ista Dux: *Majores suos* 13. Nov.
seculum amplius in qvieta possessione fuisse di- 82.
midiæ partis tributi à Prælatis, & Eqvestri Ordine collati, in conventu Ordinum prius decreti, qvod in commune erarium redactum post aqvis portionibus divisum fuerit. Sed post anno 1663 die 1. Maij inter Fridericum IV

1682. *Daniæ Regem, & Fridericum Ducem pactum Gottorpii initum, & à Rege pro se & posteris firmatum, ut deinceps Rex æque ac Dux è suis quisque præfecturis atque oppidis tributum provinciæ per suos ministros exigat, nec id amplius in commune erarium conferat: sed quod ab indivisis Prælatis, ac Nobilibus confertur, in commune erarium redigendum, & æqualibus portionibus dividendum. Eqvidem id tributi genus ad defensionem provinciæ impendendum; ut tamen sibi æque ac Regi potestas competat de sua parte disponendi, nec uni in fraudem alterius idem adhibere fas sit. Sane in præsens Regem plures habere munitiones, se nullam. Sed istas non ad defensionem hujus provinciæ, nec utriusq. Principis consensu extructas, nec ideo se à defensione provinciæ excludi debere. Nec ita numeroso milite Regi opus fore, si cum vicinis pacem colere cordi sit; qvi & non ad suæ ditionis defensionem, sed eidem opprimendæ adhibeatur, intra semestre qvingentis uncialium millibus Ducali ditione extortis; sic ut nil amplius sibi suppetat, qvod usibus Imperii, & Circuli eroget. Modo Rex jura sua nõ intercipiat, se facile præstiturum, ne provinciæ suæ defensio isti oneri sit. Commodis per pacem Roschildensem, atqve Hafniensem suæ domui attributis hautqvidqvam damna eo bello tolerata fuisse pensata. Daniam, tunc electitium Regnum, supremo in Slesvicum imperio niljuri repugnans fecisse, Electorem facile similem ob causam probaturum. Per id imperium eqvidem vetera pacta non plane sublata. Sed qvia obtento in Slesvicum supremo imperio præter Deum, & sanam rationem superiorem non agnoscat, nec dignatio Principis Imperii, æque sibi atqve Regi competens per ulla pacta tolli aut alterari potuerit in fraudem Imperii, & Circuli: igitur supremum istud imperium, & potestatem Principi Imperii competentem non è pactis, sed hæc ex illis restringenda esse. Sed ne apicem qvidem in pactis reperiri de iis, qvæ Rex nunc sibi obtrudere conetur. Qvin ex iisdem manifeste adparere, suam se portionem iisdem cum juribus, & conditionibus, qvibus Rex suam possidere. Qvæ cum ita sint, ea qvæ Rex in se plena pace, nullo exemplo patrarit, nullum juris colorem admittere, dum intentatis minis munitionum reparationem prohibet, Ducales subditos intolerandis tributis proprio ausu onerat, qvanta ne medio qvidem bello extorta sunt. Qvo ipso omnia pacta, ac pacificationum leges abrumpi, atqve id agi, ut ipse ad id redigatur, qvod in servitio extremum est. Cum itaqve preces suæ per triennium Hafniæ insumtæ nil profecerint, sibi utiqve Cæsarem, & sponsores pacis fuisse implorandos. Circulum qvoqve Inferioris Saxoniæ jura sibi sua præstanda recepisse. Ac spem esse Cæsarem, atqve Imperium haut silentio spectaturum, se ita opprimi; præsertim cum non adpareat, ea qvæ Rex Ducalibus subditis extorqveat, bono Imperii impendi. Hisce igitur si Rex ultro desistat, libenter se exterorum fœderibus renuntiaturum, qvæ in nullius offensam subierit; ac deinceps securitatem suam in Regis amicitia qvæsiturum.* 1682.

§. 63. Dani contra disserebant: ex qvo tempore Gottorpiensis domus Sveciæ adhæserit, in speciem qvidem nonnihil lucrari visam, sed re ipsa longe plus incommodorum sensisse; ac Ducem plane in exitium ruere videri, postqvam insuper Luneburgicis sese innectat, Daniæ infensissimis. Cum etiam Sveciæ Rex per ablegatum Wilhelmum Julium Cojetum super imperatis Ducis provinciæ tributis qvereretur, Alefeldius Cancellarius respondebat: negotium tributorum cum supremo Ducis imperio conjunctionis nihil habere, sed è pactis provenire obtenta *suveranitate* longe antiqvioribus, nec per pacem Hafniensem sublatis, sed potius confirmatis. Et in hac lite inter Regem & Ducem præter Deum & ensem judicem nõ existere. Et qvia Rex suo milite Ducis terras protegat, par esse ab hujus civibus ad istum alendum tributa conferri; prout & omnes munitiones in Holsatia cum Gottorpiensis consensu extructæ sint. Hafniæ qvoqve jactabatur; Gottorpiensem superiore bello, cum Dania à Svecis tantopere premeretur, ac post varias per artes, qvin proditione regiorum ministrorum multa documenta ex archivo Hafniensi nactum, è qvibus clare demonstrari potuerit, Reges Daniæ semper tanqvam caput familiæ fuisse consideratos, eoqve circa tributa disponendi facultatem habuisse. Isthanc instrumentorum subtractionem, ac Sveciæ amicitiam tantum audaciæ Duci addidisse, ut plane contra receptum usum Regi se æqvare, ac pariter cum hoc tributa indicere instituerit. Ast postmodum novissimo bello omnia ista documenta in tabulario Gottorpiensi à se iterum reperta, è qvibus liqvido adpareat, Regi fas esse Ducis subditis tributa imperare; nec huic integrum esse munitiones extruere, ac provinciæ defensioni sese ingerere. Eamqve instrumentorum recuperationem in causa fuisse, qvare Dux Rensburgi in custodiam datus fuerit. Sed & Dani valde qverebantur, Cæsarem tam enorme studium in Ducem declarare, ac in fœdere cum Svecis ejusdem protectionem in se recepisse. Cujus fœderis cum Svecus Dano copiam faceret, hic eo nomine graviter irritabatur. *Danus à se acta defendit.*

20. Nov.

§. 64.

1683. *Danus Cæſaris cognitionem rejicit.*

§. 64. Cum itaqve Cæſar Duce petente edicta ſuper hoc in integrum reſtituendo, nec amplius turbando ederet, ſimul delegatos judices conſtitueret cauſæ cognoſcendæ, ac decidendæ, Danus & iſta, & hos rejiciebat. Rationes adferebantur, qvod Commiſſio etiam ad Sleſvicenſem Ducatum ſit porrecta, qvi tamen extra Romanum Imperium ſitus ſit. Ducatum qvoqve Holſatiæ æterno vinculo Sleſvicenſi innexum, eoqve non magis Holſaticas cauſas ad Cæſarem, ejusqve judicium Aulicum deferri poſſe, qvam Sleſvicenſes. Sed Cæſar per literas ad Regem datas oſtendebat: Rationes ab ipſo adductas tanti ponderis non eſſe, ut is ideo Cæſareæ cognitioni ſeſe ſubtrahere poſſit. Etſi enim ipſe per modum ſupremæ jurisdictionis Commiſſarios in cauſis Sleſvicenſibus conſtituere neqveat, ad curam tamen ſuam, & officium pertinere, ne Gottorpienſis Dux vel Sleſvicenſis, vel Holſaticæ ditionis nomine iniqve opprimatur. Ducatum qvoqve Sleſvicenſem non minus qvam Holſatiam gvarantia pacis Weſtphalicæ comprehendi, qvæ pax norma & baſis Neomagenſis ſit. Unde & ſe Neomagenſi pace officium ad Sleſvicenſes qvoqve lites componendas promiſiſſe. Legatos qvoqve ſuos Neomagi profeſſos, poſſe Cæſarem Principum Imperii patrocinium ſuſcipere, etiam ubi extra Imperium lædantur. Nam protectionem Cæſaream Duci Holſatiæ promiſſam cogitatione qvidem, ſed non reipſa à protectione Ducis Gottorpienſis ſeparari poſſe. Se qvoqve Sveco peculiari fœdere ad præſtandam pacem Roſchildenſem, atq; Hafnienſem obſtringi. Fruſtra qvoqve ad unionem inter Sleſvicenſem, & Holſatiæ Ducatum provocari. Qvanqvam enim iſthæc unio perpetua eſſe debeat: tamen cum Danus nullatenus eidem ſe adſtringi patiatur, ſed infinitis factis pro lubitu ab eadem recedat, pridem hanc ab iſto abruptam in aprico eſſe. Qvanqvam etiam Ducatus Sleſvicenſis, & Holſatiæ qvædam ex pacto communia habeat, non tamen inde conſeqvi, Ducatum Sleſvicenſem omnes qvoqve cauſas Holſaticas ad ſe pertrahere, Cæſarisqve, & Judicii Aulici cognitioni, ac decifioni ſubducere. Neqve enim per unionem aut communionem jura cuiqve Ducatui propria confundi, aut tolli, multo minus Imperii Status fœdere, aut pacto ſuo Cæſaris autoritatem in provinciam qvandam Imperii delibare, aut auferre poſſe. Et hoc ipſo Daniam ſua deſtinata prodere, ſe ubi Sleſvicenſem Ducatum deglutire detur, Holſatiam qvoqve obtentu unionis ad ſe pertracturam, ejusqve tam Regiam, qvam Ducalem partem Cæſaris, & Imperii ſupremæ poteſtati plane ſubtracturam. Unde & Cæſar mox arctius dehortatorium ad Danum, ſimul excitatorium ad domum Brunſvicenſem emittebat, qvo Gottorpienſi aſſiſtant: ſimul Guelferbytanum, & Lauenburgicum cognitores in hoc negotio conſtituebat. Dano excipiente, Sleſvicum ad Imperium non pertinere, & qvia fœdere Svecico ſuſpectum ſe, atqve alterutri partium addictum declararit. Tum ab Electore petebat, operam Viennæ, & Ratisponæ navet, ne Cæſar talibus ulterius ipſum urgeat. Id qvod & Elector Cæſari ſvadebat, ob præſentium temporum conditionem alias ſat periculi minantium, ac ubi novarum turbarum materia declinanda ſit, ac ut ea lis potius ipſas inter partes, aut aliorum interpoſitione amice componatur, qvod ea magnam partem à pactorum familiæ interpretatione pendere videatur.

23. Jan. 83.

1683.

Elector officium interponit.

§. 65. Viciſſim tamen Danus Cæſari inſinuabat, libenter ſe Saxonis, ac Brandenburgici Electorum officia admiſſurum. Unde Cæſar ab hiſce reqvirebat, ut componendæ ei liti amicam operam adhibeant. Id qvod Elector bona ſe fide facturum recipiebat; ſimul Duci ſignificabat, ſe qvidem pronum ei operæ, ſe metuere, ne eadem inanis ſit, qvod Dux Regem tam gravibus qverimoniis ubiqve differat. Dux contra Electoris officium ſibi gratum fore declarabat, modo Rex tam graves exactiones prius inhibeat, ac extortas pecunias reſtituat, tum Cæſaris cognitionem admittat. Aſt Elector fieri non poſſe judicabat, ut hæ conditiones in anteceſſum obtineantur. Ac ne animi utrinqve magis exacerbentur, qvam primum amicam compoſitionem tentandam. Dux contra cenſebat; utiqve æqvum eſſe, ut Rex ejusmodi exactionibus ſuperſedeat, præſertim qvia juſſerit, à ſe imperata tributa ſtatis Ducis reditibus præferantur; qvo ipſo ſubtrahatur, unde ſe, ſuosqve ſuſtentare debeat. Elector inter hæc ſubinde amicam tranſactionem ingerere, ac uti anceps Duci ſit aliam viam tentare, atq; exteris ſe innectere. Dux, ne qvid intentatum relinqveret, literis ad movendos animos valde indoneis Regem orabat, ut iſtis oppreſſionibus deſiſtat. Nec minus Elector per Fridericum Brandium demonſtrabat; valde durum eſſe Duci etiam ſubtrahi, unde ſe pro dignitate ſuſtentare qveat; id qvod ad diuturnitatem valiturum non ſit, idemqve in Germania, & extra variis ſermonibus cauſam præbere, generoſo Regis animo

1. Jun.

13. Nov.

1683. parum decoris. Ad qvæ Alefeldius Cancellarius Brandio id responsi à Rege referebat: Regem nullius opera libentius circa componendam hanc causam, qvam Electoris usurum, usu inter se, ac Ducem receptum, cum inter ipsos non nisi domestica agitentur, ut qvæ forte oriantur controversiæ, juxta pacta familiæ inter ipsos componantur: ac Ducem ex pactis teneri, semper eo loco tractationem suscipere, ubi Rex præsens sit; idqve perpetuo usu observatum. Alias negari non posse, Ducis ditiones sat graviter premi. Sed Regem id nunqvam in animo habuisse, velut qvi non nisi tributum bellicum solito modo exigere decreverit. Ast Ducem sibimet ipsi hanc calamitatem attraxisse, ubiqve erga Regem tam importuno agendi modo usus, ut hunc invitum ad extrema ista compulerit. Unde Regi expectandum, num Duci aliam mentem induere, ac operam dare placiturum sit, qvo præsens status emendetur; id qvod unice in Ducis manu situm sit; penes qvem & omnis culpa hæreat, cum Rex omnia, qvæ egerit, suo jure egerit. Ista dehinc Ehrenschildius latius deducebat: Ducem plane à Rege se avertisse, ac noxia Daniæ fœdera affectasse; tum istius acta passim diffamasse. Eundem Saxonis, atqve Electoris officium declinasse; in Svecia omnem salutis suæ spem reposuisse, & ut inde copiæ in Germaniam trajiciantur, qvæsivisse. Nuper qvoqve literas ad Regem dedisse aculeatis dictis refertas. Demum is svadebat, ut Dux aliqvem suorum Hafniam mittat, ac uti moris sit negotium amice componat. Nam Regem nullo modo toleraturum, ut Luneburgici huic se negotio misceant. Plures inde literæ inter Regem & Ducem hinc inde scribebantur, nullo fructu, nec ullo Ducis levamento.

Danus Ducem Slesvicenſi dicione exuit. Maij. 84.

§. 66. Post cum Luneburgici ad Dani amicitiam flecti viderentur, eorum consilia in Dania prævalebant, qvi contendebant, ut Rex Gottorpiensem partem Ducatus Slesvicensis sibi attribueret, ac ad eandem retinendam extrema omnia tentaret. Huc anteqvam Rex procederet, Duci prius has conditiones per literas proposuerat. *Ut Dux omnibus nexibus cum extraneis renuntiet, velut qvi cum veteribus unionibus consistere non possint. Cum Regis hostibus, & adversariis nil commerciorum alat, sed ipsi juxta pacta Rensburgensia contra qvosvis assistat. In conventibus Imperii, & Circuli cum Rege de compacto agat. Indestituram Ducatus Slesvicensis deinceps uti olim apud ipsum quærat, & qvæ pace inter Boreales Reges adqvisivit, iterum erunt. Qvia* 1684. *Regi per adversas hucusqve Ducis actiones necessitas allata sunt ingentes armorum paratus faciendi, ac multos milliones erogandi, ut Regi eo nomine reparatio fiat. Ut contributiones provinciæ soli Regi relinqvantur. Ut Dux in conventibus plane Regis sententiæ sese attemperet, nec separata consilia agitet. Ut nullam ulterius munitionem struat velut inutilem, & provinciæ intolerabilem; & securitate, qvam veteres uniones, & pacta Rensburgensia dant, adqviescat. Eoqve nil copiarum paret, alatqve, qvam qvod præsidio arcis Gottorpiensis, ac satellitio necessarium est. Ut deinceps edicta, & constitutiones per provinciam promulgandæ uniformes sint, & utrinqve in usum deducantur. Ut Dux citra prævium cum Rege communicationem vilioris sortis monetam ne cudat. Ut annuatim alternans regimen tollatur, & constans regimen constituatur, utrinqve pari consiliariorum numero compositum: sed ut hoc, & in conventibus, ac judiciis provincialibus penes Regem tanqvam caput familiæ directio sit. Commune qvoqve archivum in eum locum, ubi communis regiminis Cancellaria stabiliendæ sit, transferatur. Qvia insula Heiligenland etsi pars Ducatus Slesvicensis à solis Ducibus præter jus hucusqve possessa fuit, ut eadem Regi ob competentem dimidiam partem tamdiu tradatur, qvamdiu à Duce detenta fuit, ac post utrinqve communiter possideatur. Qvia Dux ab aliqvo tempore sibi successionem in præsulatu Lubecensi velut propriam arrogavit, ut Ducis cum eo Capitulo inita pacta aboleantur, ac è filiis Regis aliqvis Subcoadjutor cum spe futuræ successionis eligatur. Ut de cætero veteribus unionibus stetur, & si qvæ gravamina sint, intra sex septimanas componantur.* In has leges ut Dux amicitiam cum ipso instauraret Rex cupiebat, super qvibus ejus declarationem intra mensem expectare velit. Intra id tempus ubi istas admittere nolit, se iisdem non amplius teneri velle, ac alia consilia securitati inservientia initurum. Ad ista Dux reponebat: Hæc omnia pacto Roschildensi inniti, sed qvod per pacem apud Fontem Blaudi factam plane sit abolitum; ac per ejusmodi conditiones supremum imperium ea pace firmatum plane destrui. Unde ne talia sibi impingantur deprecabatur. Ast Rex Slesvicensem ditionem à Duce commissam declarabat, eamqve sibi attribuebat, Ducis qvoqve conjuge, Regis sorore, Gottorpio migrare jussa. Simul subditos fide Duci data exsolvebat, ac in sua verba adigebat. Bonis qvoqve ministrorum Ducis manus injiciebat. Qvos inter

12. April. *16. Maij.* *Fontainebleau.*

1684. inter Joachimo Alefeldio Conſilii Ducalis præſidi bona centum triginta uncialium millibus taxata in fiſcum redigebantur, qvod tanqvam Regis ſubditus periculoſa regiæ domui conſilia Duci ſuggeſſiſſet. Decretum qvoqve in Dania fuerat, militem non prius imminuere, qvam Dux placito Regis ſeſe accommodet; ac Sleſvicenſem ditionem tenere, qvouſqve per vim majorem extorqveatur. Trittovia qvoqve præfectura à Rege occupata in Plœnenſem Ducem transferebatur. Tum per Holſatiam Ducalem contributiones extorqvebantur. Capitulo Lubecenſi non ſine minis denuntiatum, ut unum è filiis Regis Coadjutorem deſignaret. Et cum ad hujus qverelam Cæſar mandatum miſiſſet ſuper libera iſtius electione aſſerenda, Lilliecrona Capitulo palam dixerat: Regi ſuo ſat militum eſſe ad iſthoc adverſus chartas Vienna nullo pondere advolantes tuendum.

Elector moderamina ingerit.

§. 67. Enimvero Elector, cui ſatis conſtabat tam violenta conſilia ab iis profiſciſci, privatum inde lucrum ſibi captabant, Regi candide exponebat; ſe ipſi, ac familiæ Regiæ haut conſultum ducere, ut poſſeſſionem totius Ducatus Sleſvicenſis, cujus duæ tertiæ partes ad Gottorpienſem ſpectent, per arma tueri inſtituat, longe pluris conſtituta, qvam hujus proventus pertingant. Præterqvam qvod lapſus temporum multas viciſſitudines adferre ſoleat. Ac ſibi juxta, Regiqve recenti, eoqve domeſtico documento conſtare, qvam difficile ſit armis parta tueri, qvæ tam multi invideant. Ducim paſſim graves qverimonias movere, ac non parum aſſenſus invenire; ut forte non pauci ejus cauſæ fauturi ſint. Unde valde ſe optare eam litem amice componi; qvo fine officium ſuum offerre. Etſi contra Anglus, qvi Roſchildenſem pacem tanqvam Cronvello ſeqveſtre improbabat, declaraſſet; Danum circa Ducem nil aliud feciſſe, qvam qvod juſtum ſit; ac ſe non minus, qvam fratrem Eboracenſem Dani cauſam qvantum in ſe fulturum. Eſſe qvoqve ſe in eo ſtatu, ut in tractu Borealli pacem dare, ac ſervare poſſit. Elector qvoqve ſuis Ratisponam legatis ſcribebat:
30. Sept. Se qvidem Dano amicitia junctum; ſed ita dura in Ducem admiſſa non magis qvam alios probare poſſe. Nec unqvam ad præſtandam Regi talium evictionem ſeſe obligaſſe: ſed ſpinoſam iſtam cauſam amice componi cupere; in qvem finem ipſe jam operam impendat, ac deinces impenſurus ſit. Igitur ubi ſuper eo negotio referatur, ſententiis ſuis amicam tranſactionem ingererent, calidis, as violentis conſiliis reniterentur, ne in Boreali tractu incendium exſurgat, neu Dano neceſſitas creetur Gallo arctius ſeſe innectendi. Atqve ibi qvidem Senatus Principum Ducis cauſam amplectebatur, Cæſarisqve, & Imperii patrocinium etiam ad Sleſvicenſem ditionem extendendum cenſebat. Sed Danus contradicebat, qvod iſte Ducatus extra Imperium poſitus ſit. Ac fruſtra obmoveri, qvod idem Weſtphalicæ paci inclutus ſit. Id enim non petente Duce, qvi tunc Daniæ vaſallus fuerit, ſed Rege Chriſtiano IV factum; eamqve incluſionem non ulterius, qvam adverſus exteros, & qvi in iſtius belli partem venerant, nullo modo autem ad domeſticas lites, forte inter ſe ac Ducem orituras, extendi poſſe. Ac abſurdum cogitatu fore, obtentu incluſionis in eam pacem Imperium in omnes privatas lites eorum, qvi includuntur, ingerere ſe teneri. Ipſi autem
24. Oct. Regi Elector ſvadebat, ut potius generoſo animi motu aliqvid de ſuis præteuſionibus remittat, ac rem ad amicam tranſactionem deducat, qvod eadem ipſi ſucceſſu temporis periculoſas turbas parere qveat. Sane Svecum, & alios parum amicos plauſibile prætextum inde arrepturos ipſum iniqvo ſibi tempore invadendi. Eqvidem ſe Regi qvævis incrementa haut invidere: judicare tamen veras ejusdem rationes in eo verti, ne ad extrema eam rem deducat. Sed nec per omnia Ducis acta probare velle: facile tamen oppreſſo ignoſci, ſi ubicunqve poſſit auxilium excitet. Qvem ab alienis fœderibus revocandi expeditiſſima via ſit, æqvis legibus in amicitiam recipere.

Danus Cæſareã Commiſſionem reſpuit.

§. 68. Poſt initas cum Gallo inducias Cæſar acrius id negotium urgendum ratus denuo delegatos judices decernit Saxonem, & Brandenburgicum Electores, tum Cellenſem, atqve Guelferbytanum Duces; ut litem amice componere tentarent, ac ſi hoc modo nihil proficiant ad ſe referrent. Sed Elector judicabat, plus profectum iri amica tractatione, qvam imperioſo iſto agendi modo; nam Dano minæ de pœna fractæ pacis intentabantur. Nec enim temporum conditionem eum rigorem ferre, ac Ducem ægre hac via ſua recuperaturũ. Sane cum Elector Regi ſuper delata ſibi à Cæſare functione ſignificaret, is declarabat:
12. Jan. *Cæſaream ſe Commiſſionem admittere non poſſe, qvod Cæſar adverſa ſibi fœdera cum Sveco inierit, ſimul acria mandata ad Circulum Inferioris Saxoniæ, aliosqve, tum ad conventum Ratiſponenſem emiſerit, qvibus ſe inaudito ſua cauſa damnata ſit. Decreto*

1685. *qvoqve Circuli Inferioris Saxoniæ aliqvid in sui fraudem insertum, qvo & plus satis animorum Luneburgici in se exseruerint. Esse porro hoc negotium domesticum, qvod è pactis familiæ, & pace ad Fontem Blaudi inita dijudicandum sit. Et qvia Dux extremis pertinaciter inhæreat, eoqve causa utiqve ad judicium aulicum sit devolenda, malignam inde sibi decisionem expectandam. Qvia autem Slesvicum ad Cæsarem, & Imperium non spectat, ac in Holsatia de contributionibus dunt axat controvertitur; se circa has qvidem Saxonis, & Electoris interpositionem admissurum: Commissione ut supersedeatur postulare.* Contra Dux ad Regis exceptionem reponebat: Guarantiam pacis Westphalicæ suo qvoqve patri, ac sibi bono cedere. Slesvicensem Ducatum, & Holsatiam ob situm terrarum, & alios respectus ita combinari, ut ea causa invicem separari neqveat; ac ubi incendium in Slesvicensi ditione exsurgat, id non posse non Holsatiam qvoqve, & Saxoniam Inferiorem corripi. Prætextum negotii domestici totiens explosum frustra occini. Non enim qvia ipse eodem sangvine cum Rege satus sit, ideo huic fas esse ipsum opprimere; cum contra jura sangvinis reqvirant, ut Regi non minus Gottorpiensis domus, qvam propriæ cordi sit. Et cum ipse Slesvicum supremi imperii jure possideat, qvomodo domesticum negotium esse qveat, si Danus idem sibi eripere aggrediatur? Cum itaqve Rex tractationem nisi super tributis in Holsatia se admissurum neget, de Slesvici restitutione silentio transeat; & vero in Principum Senatu Ratisponæ decretum sit, ut nomine Imperii sua causa suscipiatur, se ab Electore petere, ut hic in Electorali qvoqve Senatu suæ causæ faveat. Addebat, se omnem cum reliqvis negotiationem abdicaturum, si Elector, qvod post Deum in ipsius manu situm sit, plenam sibi restitutionem curare, in tamqve rem fidem sibi dare velit. Postqvam ergo Rex Cæsaream Commissionem plane rejiciebat, Luneburgicorum qvoqve operam velut suspectam adspernatus, Saxonis autem, atqve Electoris operam se admissurum innuebat non velut cognitorum, sed seqvestrium; qva ratione hi qvoqve Slesvicense negotium extra Imperii jurisdictionem positum suscipere poterant, è qvo primaria lis promanarat: igitur Elector è Rege scisitabatur: Qvia is Cæsaream
21. Apr. cognitionem repudiet, an non liqvidius mentem suam exponere placeat, num ipse atqve Saxo cum fructu officium in hac causa interponere qveant. Ad hæc à Rege re-
5. Maij sponsum: *Se prostrodem esse acceptando ipsius, ac Saxonis officio, at suscipiendis cum Duce tractatibus. Sed qvia hic fundamenti loco plenam restitutionem ponat, se non perspicere, cui usui negotiatio sit, qvod ipse Slesvicensi ditione nunqvam cessurus, sed eam non minore studio qvam ipsam Daniam gladio asseturus sit. Alias remota hacce conditione impossibili sat æqvum se Duci præbiturum.* Ita nulla Duci spes erat, Danum ultro eam provinciam redditurum, qvod illi, qvi opimas ibi præfecturas sortiti fuerant, ac Regis aures obsidebant, omni modo reniterentur, securi, qvid damni, aut contumeliæ Regi deinceps proventurum foret. Qvorum & impulsu Rex potius belli aleam subire decreverat, qvam semel arrepta tam opima regione cedere. Ea Regis sententia 3. Jun. cognita Elector Duci scribebat: *Ægre ipsum postulata sua super plena restitutione pervicturum; qvod non sufficiat de jure suo plene persvasum esse, sed & valida vires reqviranter fulcienda justitia. Jam autem habitum præsentium temporum ita comparatum, ut ni scena Europæ aliam plane faciem induat, Danus haut videatur vi ad restitutionem compelli posse. Qvi & propriis, & sociorum viribus ita sit instructus, ut Duci diu in hoc statu harendum sit, anteqvam qvispiam hoc negotium solida vi aggredi ausurus sit. Et hoc ipso casu evenitum adhuc dubium esse; qvi ea via suscepta ipsius causam aqve facile deteriorem, qvam meliorem fieri posse.* Igitur ipsius judicio relinqvebat, an non satius sit temporibus cedere, atqve conditiones, qvæ optimæ obtineri possint, cum Rege decidere, qvam incerta spe ductum extremis incassum inhærere. Ad ista Dux in eum sensum re-
19. Sept. spondebat: *Sibi qvidem complura exempla ob oculos versari, qvod & justissima causa ab armis non suffulta aliqvandiu premi soleat. Non sperare tamen, in orbe Christiano eum morem introductum iri, ut inter ejusdem reipublicæ consortes omne jus in armis reponendum sit. Alias qvippe idem fatum cæteris qvoqve Principibus, qvorum nemo propriis viribus adversus externam vim subsistere valeat, brevi idem fatum, qvod se nunc premat, incubiturum. Nec minus sperare, nullum Principem Christianis dogmatibus imbutum in se patrata probaturum. Nondum spem sibi decollasse, ac si demum amica tractatione suare cuperare neqveat, Deo exitum commissurum; nec ullum periculum, aut calamitatem in eam se desperationem conjecturum, ut avitum patrimonium cum exitio domus suæ Dano cessurus sit. Se qvidem hunc debito honore prosequi; ast ditionem suam pari jure cum isto tenere, circa qvam neminem nisi Deum superiorem agnoscat. Multo minus se domus sua fortu-*

nas

1685. *nas adqvirendo iſtius favori ſacrificaturum. Igitur Elector operam daret, ut ea cauſa ad aqvam compoſitionem deducatur.*

Cauſa iſta ad ſeqveſtres devolvitur.

§. 69. Interim Elector ſuis Ratisponæ legatis injunxerat, ut ſi denuo de hac cauſa ad Ordines referretur, in eum ſenſum ſententiam dicerent: etſi ipſe adhibitum à Dano rigorem minime omnium probet; haut conſultum tamen ducere ab Imperio decreta formari, Dano haur curanda, ſed qvibus aliqvando forte ad movendas turbas abuſurus ſit. Igitur optimum fore eam cauſam ad amicam compoſitionem deduci, cui ſuſcipiendæ ipſe dudum paratus fuerit, ni Saxonis, & Ducis peregrinatio obſtitiſſet. Ac ſane re ibi propoſita Principales ſat acriter decreverant. Sed Electorales ad molliora inclinabant; ac inprimis noſtri enitebantur, ne qvid SCto inſereretur, qvod aliqvando ad movendas turbas prætextum dare poſſet; qvod Electori tranqvillitas Imperii ſuprema lex foret. Cum itaqve Ratisponæ amica compoſitio decreta eſſet, Dux jam inſtabat, ut Cæſar ſeqveſtris officium ſuſciperet. Ubi Strateman-
2. Aug. nus id à ſolo Cæſare obiri cupiebat, non adjunctis aliis ex Ordinum numero, velut id faſtigio Cæſareo parum conveniret. Enimvero Danus utiqve Saxonem, & Electorem in partem negotii venire volebat, qvorum & officium ſibi gratum fore dudum ſignificarat. Nec Duci minus è re videbatur, hoſce operam cum Cæſare ſociare. Cæterum Elector Viennæ monebat, ut Cæſar non niſi ſeqveſtris officium exercere inſtitueret, nec qvid admiſceret, qvod
7. Maij 1686. ſpeciem judicialis cognitionis haberet. Nec Luneburgicos in partem operæ pertrahere laboraret, Dano valde ſuſpectos; id qvod & Saxo diſſvadebat. Poſt cum Hamburgenſes turbæ deflagrarent, Dux valde inſtabat, ut ſua cauſa pariter cum Hamburgenſi expediretur. In qvod & aula Cæſarea primo calore proclivis erat.
29. Sept. Qvo fine à Cæſare literæ ad Saxonem, Electorem, & Luneburgicos dabantur, ut hac occaſione etiam Gottorpienſe negotium componere tentarent. Sed Elector Cæſari ſvadebat, ne ambas cauſas invicem miſceret, qvod una alteram difficiliorem redditura ſit, ac ante omnia Hamburgenſe negotium componendum. Qvod & mox Cæſari probatum, qvod tempora non ſvaderent eo tractu turbas ali. Ita poſt Hamburgenſes turbas ſedatas Gottorpienſi qvo-
15. Oct. qve liti ſerio manus admovebatur. Ac Danus qvidem oſtendebat, utriuſqve Electoris officium ſibi gratum fore; nec circa Cæſarem ſe ſcrupulum moturum, modo is ſeqveſtrem duntaxat agere velit, qvod ipſe in domeſticis, & Sleſvicenſibus rebus ad Imperium haut ſpectantibus Cæſareos cognitores agnoſcere neqveat. Super Holſatia nil controverſiæ eſſe, cujus proventibus Dux plene fruatur. Aſt in Sleſvici reſtitutionem nunqvam ſe conſenſurum, qvod ſecuritas Cherſoneſi Cimbricæ reqvirat, ut ipſe ſolus ibi rerum potiatur; id qvod præterita tempora ſatis docuerint. Alia tamen temperamenta inventum iri, ut Duci ſatisfiat. Contra Dux inſtabat, ut *27. Oct.* qvamprimum ad rem accedatur, adhibitis ſimul Luneburgicis. Locum tractatuum Lubecam proponebat, aut ſi Rex malit, Altonam. Cæterum ſi Rex Sleſvicum retinere velit, tractationem inanem fore, qvod ſibi oblato æqvivalente haut qvidqvam conſulatur. Ita Elector Regi officium componendæ liti Gottorpicæ per literas ſolen-
19. Nov. niter offerebat, ac ut Regi locum, & tempus ordiendo congreſſui deſignare placeat; tum ut Luneburgicos in partem officii admittat. Eqvidem Dux omnes ſeqveſtres junctim communibus literis interpoſitionem ſuam offerre maluerat. Sed Saxo melius judicarat, id à ſingulis fieri. Ad eas literas Rex declarabat: ſe Saxonis, & Electo-
14. Dec. ris officium admiſſurum, ſed non Luneburgicorum, qvi ſuis ſe rationibus ſemper oppoſuerint, & de qvibus nil fiduciæ concipere qveat; qvi & in hac cauſa nimium in Ducem favorem apricati ſint. Tum ipſa ſeqveſtrium multitudine cauſam intricatiorem reddi. Qvanqvam autem ſibi de Galli auxilio ſatis cautum ſit, ſe malle tamen Electorum fida ſibi amicitia junctorum opera rem confici, qvo ſuſceptis hiſce tractatibus conſilia inter Svecum, & Luneburgicos agitata interrumpantur. Cæterum Elector cenſebat, Dano haut conſultum, hanc litem incerto ſtatu pendere, ac eum ſola armorum vi niti. Eoqve à fidis amicis haut utiliorem iſti operam navari poſſe, qvam ut idem honeſtis conditionibus ancipiti hoc negotio qvamprimum extrahatur. Et qvia Danus plurimum fiduciæ in Gallo collocarat, Elector per Spanhemium huncce monebat, ut ſerio Danum hortaretur, qvo hic inter tractatus æqvum, ac facilem ſe præbeat. Cujus & legatus Chivernius Hafniæ Dano moderationem commendabat, ſimul tamen confirmabat; ſe ubi opus fuerit, ac inprimis ſi qvis in hac cauſa infeſti qvid in ipſum tentarurus ſit, promiſſa in fœdere auxilia promte repræſentaturum. Id qvod & aliis in aulis denuntiarit. Super Cæſare porro Danus declara-
8. Jan. bat;

1687. bat; se ipsius interpositionem admissurum, si is per literas eam sibi offerat, uti ambo Electores fecerint. Et qvia haut deceat, à se ipso Cæsarem de eadem offerenda moneri, petebat, ut Elector de hoc apud istum agat. Ast Luneburgicis officium suum offerentibus, ad qvod SCtum Ratisponense ansam sibi præbuerit, Rex respondebat; qvia Cæsaris, Saxonis, ac Brandenburgici operam in hac causa acceptarit, sibi necessarium videri tribus hisce adqviescere, qvod & alii intra Germaniam & extra officium obtulerint, sed qvibus eum laborem imponere noluerit. Ast si Cæsaris, & duorum Electorum opera negotium componi neqveat, cum Ducibus se ulterius consilia collaturum. Qvanqvam autem Elector denuo apud Danum modeste instaret, ut Duces ne rejiceret, qvi Ratisponæ qvoqve inter seqvestres nominati, ac repulsam in contumeliæ vicem accepturi sint; Danus tamen nullo modo eos ferre volebat. Cæsar porro etsi judicis partes in hac causa agere maluisset, demum tamen seqvestris munere adqviescendum erat. Et cum idem per literas officium haut libenter offerre vellet, Danus satis habebat, ut id sermone per Gœdenum, Cæsareum Hamburgi ministrum, aut Danico Viennæ legato offerretur. Nam ejusmodi oblatione haut facta, judicialem cognitionem suscipi visum iri. Cupiebat qvoqve Cæsar, ut pariter cum Gottorpica lite primaria qvoqve Hamburgensis controversia expediretur. Sed Danus nullo modo ista conjungi volebat, partim qvod Duci ob communem in Hamburgum prætensionem occasionem nollet præbere interveniendi; partim qvia verebatur, ne si in una causa qvid indulgeatur, in altera ut ipse qvid remitteret postularetur. Ast Sveciæ Rex, apud qvem Luneburgici testati fuerant, suæ securitati cautum non esse, qvamdiu Gottorpiensis restitutus non sit, hos utiqve inter seqvestres adsciscí cupiebat, qvod Saxo non obscure jecisset, se restitutioni Ducis favere non posse, nisi contra proprias rationes agere velit, qvod sibi par fere controversia cum Martisburgensi, qvalis Dano cum Gottorpiensi in-
15. Mart. tercedat. Dux qvoq; magnopere Luneburgicos admittendos contendebat, velut Ratisponensi SCto nominatos; & qvia Danus duos Electores proposuerit, à se qvoqve unum & alterum optari par esse. Contra Elec-
17. Mart. tor Viennæ monebat, ut Cæsar tam Luneburgicos, qvam Gottorpiensem avertat, ne huic postulato mordicus insistant, à qvo Danus magnopere abhorreat, & cui invito seqvester obtrudi neqveat. Ubi Kœnigseckius qvidem opponebat: qvia Saxo affinitate, Elector fœdere Dano innexus sit, seqvestrium studium magis in æqvilibrio fore adjunctis Luneburgicis. Sed cum reponeretur; affinitatem hucusqve se haut porrigere, nec Electoris fœdus, id qvod satis in Hamburgensi negotio adparuerit, ac Ducem male sibi consulturum, si eam ob causam tractatus impediat: is demum dicebat; si Dux litem amice componi velit, necessum esse, ut eo postulato desistat. Sed & Elector Duci svadebat, ne qvid suscipiat, 26. Mart. per qvod ab amica tractatione ad vim abstrahatur; eoqve Luneburgicorum admissioni ne instat, ne ad eum scopulum tractatus adhæresat. Simul svadebat, ut super plena restitutione, satisfactione, & cautione ad tractatum differat, qvod freqvens sit initio proponi adversa fronte pugnantia, qvæ post tractando ad moderata deducantur. Ac ipsum utiqve ad nil admittendum coactum iri. Veniebant mox à Cæsare ad Danum literæ, qvibus officium suum offerebat, qvibus & is Luneburgicorum admissionem urgebat verbis Regi parum arridentibus. *Hortamur te tanqvam Ducem Holsatiæ, ut Ducum interpositionem ad insignem horum tractatuum promotionem ne recuses.* Sed & positum erat; Cæsarem ideo interpositionem suam obtulisse, qvod Rex semper erga Electorem testatus sit, se eam valde desiderare; cum tamen Danus negaret, se eam unqvam affectasse; ac ni in Electoris gratiam decretum fuisset, se non repugnaturum, qvo minus Cæsarea Hamburgi legatio concurrat, ultro nunqvam de eo se cogitaturum fuisse. Cæterum Luneburgicos plane admittere nolle, & circa qvod Electori negarit, Cæsari gratificari non posse. Declarabat tamen, Cæsaris se officium acceptare; simul in Electoris gratiam in Altonam consentiebat, cum antea Itzehoam maluisset, qvo Svecos, ac Luneburgicos tractatu arceret. Porro non Elector solum, sed Cæsarei svadebant, ut Dux postulato circa Luneburgicos desisteret, qvod etiam citra hos negotium confici qveat; ac si isti existimationem suam læsam judicent, à Dano satisfieri sibi curarent, qvod Dux qvantum in se contenderit, qvi sane nullo modo Regem ad eos probandos cogere possit; cum contra ipsius magnopere intersit, ne tractatus ad hoc vadum adhæresat. Eadem & Regis Sveciæ sententia erat, qvi & Luneburgicis svadebat, ne amplius operam suam invito Dano obtrusum irent. Nec minus Elector prolixe Gottorpiensi
20. April. scribebat, ne ei postulato amplius insistat. Ipsi qvam maxime noxium fore, si eam ob

1687. 1. April.

cau-

1687. cauſam ad arma veniatur, qvod tunc Galliæ auxilia Dano in promtu ſint futura. Qvia etiam Cæſar omiſſa Commiſſione negotium ad ſimplicem interpoſitionem deduxerit, manifeſtum ſane eſſe, Dano invito ſeqveſtrem obtrudi non poſſe; nec rarum eſſe parum gratos ſeqveſtres repudiari. Ac nunc penes Ducem ſtare, num omnis tot per annos opera incaſſum impenſa ſit, an
10. Maij. minus. Ad iſta Gottorpienſis: à Rege Luneburgicos ideo tantum ſeqveſtres repudiari, ut a ſe vel Electoris, vel Ducum offenſa contrahatur; qvos tamen hautqvidqvam è re ſua ſit alienari. Igitur oſtenderet Elector, qvomodo penſari qveat, qvod amotis Ducibus ſibi decedat, ac num ipſe id ſupplere velit. Demum tamen Dux tractatuum perſecutionem in Cæſaris, & Electoris arbitrium conferebat, & qvid circa Ducum admiſſionem, aut excluſionem ipſis placiturum ſit. Nam ſe ab iis poſtulare non poſſe, ut eo negotio abſiſtant. Ac Viennæ qvidem Ducis ablegatus Greiffencrantzius ſeqveſtrium denominationem in Cæſaris placitum referebat. Id qvod cum Cæſareis haut arrideret, qvod hoc modo invidia ob excluſos Duces in Cæſarem devolvenda videretur; demum is declarabat, Gottorpienſem plane iſtorum officio renuntiare. Id qvod Dux iisdem facile excuſabat, qvod neceſſitas ipſum ſubegerit, tractatus non diutius in ſuſpenſo relinqvere, ſed eorum tandem aliqvando initium fieri. Ita Elector
25. Jun. Hafniæ ſignificabat, Ducem Luneburgicorum officio deſtitiſſe. Igitur Rex ulterius negotium promoveret, & qvantum detur facilitatis adferret eidem componendo. Ad qvæ Rex: ſe circa reliqva omnia æqvis, ac moderatis conditionibus locum daturum, niſi qvod de Sleſvici reſtitutione cogitandum non ſit. Si Dux huic non inſiſtat, brevi omnia confectum iri.

Negotium pauliſper adhuc extrahendum demum ſuſcipitur.

§. 70. Sublata qvantumvis circa Luneburgicos difficultate haut eo minus negotium Viennæ trahebatur. Qvod aliqvi inde provenire judicabant, qvia multis è Judicio Aulico iſthæc compoſitio velut rebus Proteſtantium uſui cedens parum grata foret, qvi maluerint Boreales Reges, & totam circa viciniam ea lite diſtineri. Aliis ideo properandum haut videbatur, qvod ſatis adpareat, Danum non niſi circa extrahendum tempus ſatagere, cui amotis licet Luneburgicis alia diverticula defutura non ſint. Qvi & expreſſe dixerit, ſe nolle tractatus hoc anno ſuccedere. Et qvantopere Danis cordi foret eam ditionem retinere, indicio erat, qvod Rex Cæſari X M militum obtulerat ſuis ſumtibus alenda, qvamdiu 1687.
bellum Turcicum duret, tum præter centum menſes Romanos Ratisponæ decretos, alios inſuper centum, ſi poſſeſſionem Sleſvici præſtare ipſi velit. Sed & Svecus, qvi hactenus circa hujus litis compoſitionem fervidum ſtudium oſtenderat, jam frigide rem gerere videbatur. Et qvia partium poſtulata toto cœlo differebant, nec dubium erat, qvin Luneburgici ulciſcendæ contumeliæ occaſionem qvæſituri ſint, è diſſolutis tractatibus ingentes turbæ metuebantur. Eoqve Cæſarei ex iſtis parum proficui ſperabant; qvin verebantur, ne qvæ per eos declinatum ibatur tempeſtas, acceleraretur. Unde & in præſens Elector negotium urgere pauliſper omittebat, ac in Cæſaris, & Ducis judicium referebat, qvid facto opus cenſerent. Poſt tamen Elector 13. Aug.
Dano ſcribebat, an non placeat tempus congreſſus circa finem proximi Octobris deſignare. Ad qvæ is declarabat, ſe eo tempore miniſtros plenis mandatis inſtructos ad tractatus miſſurum. Cui fini ab eo deſtinabantur Conradus Biermann ab Ehrenſchild, & Chriſtophorus Jentſch à Breitenau, qvorum moderatum ac tractabilem, hic difficilem ſemper ac moroſum tota negotiatione gerebat, ac infinitas cavillationes movere gaudentem. Cæſaris nomine eam operam obiturus erat Haro Burchardus Freitagius Baro *à Gœdens*, fruſtra renitente Sveco, velut is ſtudio in Danum inclinaret. Cui adjungebatur Chriſtianus Erneſtus Reichenbachius; qvod Elector Berkam Comitem adhiberi diſſvaſiſſet, in Dania valde exoſum, ac in actionibus ſuis non ſemper ſibi conſtantem. A Saxone Albertus Dietericus Hunica veniebat. Electori Paulus Fuchſius ei officio obeundo maxime idoneus viſus. Ducis cauſam agebant Joachimus Aleſeldius, & Andreas Ulckenus Vice-Cancellarius, ſed qvi paulo poſt cœptos tractatus fato functus
23. Jan. eſt magno cum Ducis dolore, qvi & hono-
88. rifico admodum teſtimonio eundem proſecutus eſt; domum Gottorpicam nunqvam habuiſſe miniſtrum magis incorrupta fide ejus rationibus addictum. Cujus mortem & Ehrenſchildius ſibi dolere teſtabatur, tanqvam viri moderati, ac pacis, & juſtitiæ amantis. Cæterum ſumma mandatorum, qvæ Fuchſio dabantur, huc redibat; *Ut idonea, & ſi fieri poſſit, utriqve parti probata compoſitionis via inveniatur, omnes inutiles diſceptationes animos magis exulceraturæ vitentur, æqva, & rationi conveniens tranſactio qvamprimum ineatur. Qvo fine is utraqve partes ſerio moneret, ne ad arma*

1687. *rem deducant. Danis autem præcipue demonſtraret; Regem, ejusque poſteros nunqvam de plena ſecuritate ſui ſtatus, nec de qvieta Sleſvici poſſeſſione certos eſſe poſſe, qvamdiu iſthæc lis per certa pacta non ſit compoſita. Nam etſi Dux propriis viribus cauſam ſuam pervincere non valeat; eſſe tamen ei potentes amicos, qvi ejus partes magno ſtudio amplectantur, ac eo fine fœderibus ſe inducem innectant. Cujus & cauſa paſſim adprobetur, præſertim in Svecia, & Germania; ac ideo Regi ſemper validum exercitum eſſe habendum, ſic ut è Sleſvicenſi ditione parum lucri capiat, ac ſua inſuper nullo fructu erogare cogatur, magna inſuper invidia, ac ſuſpicione, præſertim in Saxonia inferiore laborans.* Duci contra idem ingereret: *Ipſum cum familia hucusqve tantum non in exilio vixiſſe, cujus moleſtiis exuendis, ac ut ad tranqvillum regimen ſuarum ditionum iterum perveniat, merito facilem ſe præbere debeat. Eqvidem ejus cauſam ubiqve fatis adplauſus invenire; ex qvo tamen idem hucusqve exiguos fructus ſenſerit. Ac neminem præſtare poſſe, qvin præſens rerum facies diu adhuc perſtitura ſit, per qvam qvi bene ipſi cupiant, exiguum operæ pretium facturi videantur. Ipſum Electorem in propria cauſa documenta cepiſſe, qvam lubricum ſit alieno auxilio niti. Nam neminem non proprias rationes præ oculis habere, nec amici commodis ulterius tangi, qvam hæc iſtis congruere judicaverit. Ac ſi maxime unus, & alter demum arma pro ipſo ſtringat, ejusdem tamen ditiones arenam belli fore, qvibus atrox vaſtatio incubitura ſit. Amicos qvoqve data auxilia tanti imputaturos, ut Duci longe lucroſius futurum ſit tolerabilibus legibus decidere. De cæterorum ſe gereret, ut neutri partium ſuſpectus fiat, nec enormis ſtudii in alterutram partem argui poſſit.*

Tractatuum ingreſſus.

§. 71. Initio congreſſus nec ſeqvestres, nec Danici miniſtri ullo legationis charactere inſigniebantur; mox tamen extraordinariorum ablegatorum dignationem aſſumebant ob alios legatos, qvi tunc Hamburgi agebant. Ubi ſcrupulus ſurgebat, qvomodo cum Bremero, ac Bidalio, illo Svecico, hoc Gallico miniſtro agendum, qvi in aula Ducis Gottorpienſis extraordinariorum ablegatorum dignationem, ſed in urbe non niſi Reſidentium gerebant. Circa qvos Electori videbatur; ſi cum iis in aula Ducis concurratur, velut ablegatos, in urbe non niſi ut Reſidentes conſiderandos. Prima difficultas circa diplomata tuti itineris pro miniſtris Ducis ſurgebat, qvæ Dani initio abnuerant tanqvam ſuperflua, qvod cum Duce bellum ſibi non ſit, & cujus miniſtri pro lubitu per provinciam nemine infeſtante faciant. Electore tamen inſtante in hujus gratiam ſe iſta datura declarabant. Cum poſt eadem Hoverbeqvio Hafniæ traderentur, formam fere ſalvi conductus, qvi criminis reo ſecuritatis cauſa indulgetur, habebant; qvæ & merito à Ducalibus rejiciebantur. Qvi vicißim hanc clauſulam inſeri cupiebant: *Qvod ſi & præterſpem cœpti tractatus irriti diſſolvantur, tamen memoratis Ducalibus miniſtris deinceps eorum nomine, qvæ apud tractatus, aut alias acta ſint, à Rege nihil moleſtiæ ubicunqve locorum inferetur.* Adverſus qvæ Ehrenſchildius: iſtud per ſe manifeſtum eſſe: ſed qvia hæc clauſula inuſitata ſit, Regem in eam conſentire nolle, ne bonam ſuam fidem ipſe videatur in dubium vocare. Ac agnoſcebant Ducales, eam clauſulam uſu haut freqventatam: ſed & qvæ à Danis in Ducum miniſtros patrata ſint, inſolita eſſe, adverſus qvæ ſibi providendum ſit. Qvam in rem Aleſeldius inter alia proprium exemplum adducebat, cui actio perduellionis ab advocato fiſci intentata fuerit, qvod Principi ſuo fidelem operam navaret. Fuchſius tamen Ducales permovebat, ut hac clauſula deſiſterent; ac à Danis poſtulabat, ut verbo in eam rem fidem ipſi darent, qvam dein Ducalibus ſua manu ſcriptam traditurus ſit. Aſt Dani verbo qvidem non ſine exſecrationibus declarabant, ſe nil aſtutiæ heic fovere, ac bona fide agere, qvod id utiqve juris gentium ſit, & etiam non expreſſum legatis debeatur; nil tamen actis inſerendum dictare volebant. Sed nec Dani primam propoſitionem facere volebant, qvod Rex tractatibus cauſam non præbuerit; ſed cognituros, qvid altera pars in medium allatura ſit, præſertim cum Dux petitoris partes ſuſtineat. Ita Ducales declarabant, ſe primam propoſitionem facturos; addebant tamen, ſibi conſtare Danos æqvivalens pro Sleſvico oblaturos; qvod qvanqvam ut abrupte rejiciant cauſa ſit, ſe tamen, ubi proponatur, oſtendendæ Ducis æqvanimitati id adituros. Primo Altonæ congreſſu Ducales non aderant, ne primo intuitu effervescente bile in moleſtas utrinqve diſceptationes erumperetur, & qvia diplomata eorum nondum expedita erant. Cum procuratoria partium exhibita eſſent, Dani in Gottorpio deſiderabant, qvod Joachimus Aleſeldius ſibi titulum præfecti Trittovienſis, tum prædii *Bockhagen* tribuiſſet, cum tamen præfectura iſta à Rege Duci Plœnenſi oppignerata, prædium autem in Sleſvicenſi Ducatu ſitum in fiſcum redactum, & à Rege nobili

1687. 18. Nov.

1687. nobili cubiculario Knutio donatum esset. Unde ut Alefeldius his titulis abstineret postulabant. Id qvod Ducales absurdum judicabant, cum hoc ipso Dux confiscationes Danicas in Slesvicensi ditione factas adprobasset, Regemqve ibi dominum agnovisset. Sed & seqvestres ostendebant, per jus pignoris Ducis dominium non tolli, ac soluta sorte præfecturam pleno jure ipsius esse. Trittoviam qvoqve Imperio subesse, ac si Gottorpiensi nullum amplius in eam jus sit, id à dicasteriis Imperii decidendum. Nobilem autem prohibere velle, ne aviti prædii nomen gerat, inauditum esse, qvod ipsi ob solum immotæ in Principem fidei crimen ademtum sit. Ubi res ad qvæstionem summi præjudicii reditura sit, num Slesvicum, & ibi publicata bona ita consideranda sint, ut hac tractatione ne mentio qvidem eorum facienda, deqve iis agendum sit. Id enim si pertendant Dani, nil fore qvod heic tractetur. Sed si super Slesvico utiqve agendum sit, titulos neutri partium præjudicii qvid adferre. Ita Gallum tempore Neomagensis pacificationis in possessione Lotharingiæ fuisse, ac haut eo minus Duci ejus provinciæ titulum dedisse. Qvin & Regem in procuratorio Duci titulum Slesvici tribuisse. Ita post multam tergiversationem Dani annitente Fuchsio demum cedebant; qvibus & seqvestres scripto cavebant, titulos neutri partium juris qvid daturos, aut detracturos. Cæterum toto hoc tractatu præ cæteris enixo studio Fuchsius rem gerebat; sicuti & Cæsar pronuntiaverat, exiguam sibi spem esse ejus negotii amice componendi, nisi ab Electore operæ pretium fiat. Ac studii sui causam Fuchsius Danis facile adprobabat, qvod Electoris magis interfit, ne res in bellum erumpat, qvam vel Cæsaris, vel Saxonis tanqvam remotiorum; & qvia Elector, cui conservatio Dani magnopere cordi sit, jam commodissimum tempus judicet litem eam componendi, anteqvam bellum Turcicum finiatur, aut Svecus res domesticas digesserit. Sane Svecum ubiqve testari, Ducis causam suam esse, & qvia huic tantum mali in sui odium inferatur, sibi per conscientiam, & existimationem ejusdem causam summo studio amplectendam. Unde & eodem tempore ablegatus Svecicus Leionclavius sat acri libello Ducis restitutionem Hafniæ exposcebat, velut à qva conservatio Borealis pacis dependeat, & cujus evictionem ipse Duci præstare teneatur. Cui à Dano repositum: *Eam causam non è pace Roschildensi, & Hafniensi, sed è pactis Rensburgensibus, & hisce superstructa pace apud Fontem Blaudi facta velut posterioribus dijudicandam. Ac legatos Svecicos tractatu Lundensi in Scania omnia Gottorpiensem Ducem spectantia in Galliam rejici passos, velut ubi citra participationem Sveci, & Ducis inter se, & Gallum superistis, & qvidem non primaria conventione, sed separato articulo agatur. Qvin & Svecos legatos, cum Lundis superfœdere inter Borcales Reges tractaretur, (id qvod Danici legati in acta retulerint, qvorum fidem jurejurando adstruere parati sint,) expressis verbis declarasse, Svecia Regem ortis in Danum & Ducem controversiis, aut deinceps orturis sese haut ingesturum velut negotio domestico.* Sed Svecus ad ista excipiebat: *Sibi de ejusmodi declaratione Lundis sermone facta haut constare; nec acta Danica fidem sibi facere, cum ejus contrarium è suorum legatorum protocollis, ac relationibus adpareat. Nam qvotiescunqve Dani aliqvid tractatui inserere conati sint in fraudem Gottorpiensis, Svecos id semper è formulis delevisse. Sed & pacem in Gallia factam plane pro Duce esse, cujus vi hic in omnes ditiones, omniaqve jura restitui debuerit.* Enimvero qvanqvam Mauritius Wellingius à Sveciæ Rege in mandatis haberet, non minore studio pro Duce, qvam propria pro causa conniti: revera tamen in Svecia judicabant, præsens tempus huic negotio non admodum favere, nec internas Regni res adhuc in eo statu esse, ut tutum sit bellum ordiri. De qvo cum Danis satis constaret, Svecorum dicta parum curabantur. Sed & ad librandam Sveci apud hos tractatus autoritatem Dani instinctu Gallus Bidalio literas fiduciarias ad Ducem dederat. Cujus rei causa ab Ehrenschildio hæc ferebatur, qvod cum Dux semper ad Gallicam pacem provocet, iste partes circa eam liqvido edocere possit. Sane à Duce jactari, pace apud Fontem Blaudi facta tractatum Roschildensem, & Hafniensem qva Ducem spectent firmari; eoqve posterius pactum Rensburgense, qva istis adversetur aboleri. Ast Gallica pace Duci supremum imperium restitutum, per Rensburgense pactum ademtum. Hoc ipso tamen multa contineri, de qvibus Roschildensi, atqve Hafniensi pace mentio facta non sit; puta de contributionibus, hospitiis, copiarum transitu, defensione provinciæ, ærario, aliis. Igitur ista hæc saltem per Gallicam pacem firma perstare. Alii cavillabantur; tunc demum Slesvicum restituendum, qvando Gallus Lotharingiam reddiderit. Contra Elector per Spanhemium Gallo significabat; tractatus Altonæ jam incipi, rogabatqve, Danum moneret, ne arcum nimium intendat, sed æ-

19. Nov.

1687. qvas conditiones ferat, admittatvé, præsertim cum is sponsor sit pacis ad Fontem Blaudi factæ, per qvam Dux in priorem statum repositus sit. Nam Dani jactaverant; si Dux Comitatus offerendos acceptare abnuat, se protinus omissis tractatibus Hafniam reversuros. Qvi & sparserant, Electorem pronuntiasse, Ducem recusare non posse, qvo minus Comitatus æqvivalentis in vicem acceptet: id qvod tamen isti in mentem non venerat. Ad qvæ Croisius reponebat: gratum Regi suo fore, eam litem ad compositionem venire, qvam & is Dano svaserit. Nam ubi res in bellum erumpat, ob distantiam locorum huic se commode auxilium ferre haut posse. Qvanqvam & ipsi vicissim parum sibi de Dani auxiliis polliceantur. Gallum tamen judicare, Dano Slesvicum abnui non posse, qvi tamen pro eo Comitatus, & alia daturus sit. Sed & Dani sibi persvaserant, Angli officium apud Svecos, & Ducem multum valiturum: qvi & ut Colonienſis favorem captarent, Furstenbergio de Coadjutoris dignitate gratulati fuerant. Ac declaraverat qvidem Anglus, se apud Svecum officium interpositurum, ut is vim abstineat; simul Ducem hortaturum, ut æqvis conditionibus locum det, nec periculosis motibus ansam præbeat. Qvi idem tamen svadebat, ut Danus in hoc negotio plus facilitatis, & æqvitatis adhibeat, nec tantum cavillationum adhibere pergat, uti hucusqve factum sit. Nam hoc modo eum injuriæ sibi opinionem circumpositurum, ac totum orbem judicaturum, eidem haut cordi esse eam litem ex æqvo componere.

Ducalium propositio. 1. Dec.

§. 72. Ita Ducalium propositio exhibebatur, viginti articulis constans. *I. Ut omnium ante acta rum oblivio sit. II. Ut tractatus qvondam Roschildiæ, Hafniæ, ad Fontem Blaudi, ac Lundis initi fundamenti loco huic negotiationi substernantur: III contra Rensburgense pactum plane abolitum sit. IV. Ut Slesvicenſis Ducatus, & omnia ablata pleno cum jure restituantur, prout Dux istum ab anno 1660 ad annum 1675 possedit. V. Ut Rex pratensionem ob residua contributionum ad trecenta millia uncialium taxata aboleat, ac insulam Femeram eo nomine ab hypotheca liberet. VI. Nec minus præfecturas Tremsbuttelam, & Steinborstam ab hypotheca, qvæ in L Muncialium Principi Georgio assignatæ sunt, liberet. VII. Ut Rex nondum exactas contributiones in Slesvicenſi ditione, & Holsatia remittat. VIII. Ut commune regimen plane aboleatur, & Prælati, atqve Equester ordo inter Regem, ac Ducem æqvis portionibus dividantur. IX. Ut Unio inter Daniæ Regem, ac Ducem anno 1533 facta, & anno 1623 extensa abrogetur. X. Ut Rex omnes pratensiones in Chilonium, & cognominem finum aboleat. XI. Ut Fridericiudda plane solo æqvetur, nec unqvam restituatur. XII. Ne Rex deinceps circa supremum Slesvici imperium, ac superioritatem territorialem in Holsatia, ac omnia ab his promanantia jura qvid præjudicii inferat. XIII. Ut Rex salvum relinqvat pactum, qvod Gottorpienſis Domus cum Capitulo Lubecenſi die VI. Julii anno 1674 iniit. XIV. Ut moneta Gottorpienſis per Regis ditiones valeat. XV. Ut Rex in credita, debita, ac cameralia Ducis negotia sese haut ingerat. XVI. Ut Duci satisfiat ob omnia, qvæ Rex præter jus è Ducis ditionibus ab anno 75 ad 80, & ab anno 82 ad hoc usqve tempus exegit, qvæ 1081 4740 uncialibus taxabantur. XVII. Ut omnes Ducis ministri in sua bona & jura cum omni causa restituantur. XVIII. Ut reliqva gravamina secundum pactum Hafniense aboleantur. XIX. Ut Cæsar, omnes Reges, Electores, & Principes, qvibus id placeat, hunc tractatum sponsione sua firment. XX. Ut exsecutio tractatuum, & abductio copiarum regiarum è Slesvico, & Holsatia intra diem decimum qvartum ab ratihabitione hinc inde tradita fiat.* Ubi & circa articulum IX, & X Ducales verbo monebant, super abolitione communis regiminis Roschildenſi, & Hafnienſi pace jam cautum. Regem qvoqve sæpius declarasse, veteribus se unionibus nolle teneri, eoqve nec Ducem iis amplius stringi.

1687.

Danorum ad hanc pravia declaratio.

§. 73. Ad isthæc Ducis postulata Dani in antecessum declarabant: Super Slesvici restitutione neqve pura, neqve conditionibus circumscripta mentionem faciendam: ac se in mandatis habere *pensationem* duntaxat, non *æqvivalens* offerre. Sed seqvestres Breitenavio ostendebant; hoc modo tractationem plane abrumpi, qvod Dux nunqvam propositionem admissurus sit, per qvam juri suo in Slesvicum renuntiare videatur, anteqvam de idoneo æqvivalente cautum sit. Istam igitur si Dux rejiciat, alterutrum necessario consecuturum, ut vel ipsis ab hac propositione recedendum, nec super non restitutione in antecessum stipulandum sit, id qvod ut causa nondum vulnerata fiat melius esse; vel ut tota negotiatio inter initia abrumpatur, id qvod ipsi ex usu Daniæ haut judicent. Nam Duci nil amplius eripi posse, per qvod cogi qveat; & qvæ is in Holsatia possideat, ab Imperio pendere, qvod eidem ista satis præstiturum sit. Contra Regi semper numerosum

1687. rosum exercitum maximis sumtibus alendum, simul prima occasione grave bellum expectandum. Sed & exceptionem illam ad modum duntaxat tractandi pertinere; cum alias circa conditiones restitutionis tot difficultates emergere possint, qvæ rem ultro ad æqvivalens deducturæ sint. Tum & crudum valde esse, qvod neæqvivalentis qvidem vocabulum tolerare velint, non addito, qvidnam pensationis loco oblaturi sint. Igitur se rogare, ut hisce missis responsum ita forment, qvo tractatio subsistere qveat, ne orbis Christianus, qvi in hunc congressum oculos defixerit, spe sua de ejus successu concepta frustretur. Ad qvæ Brettenavius nil aliud, qvam ita sibi in mandatis esse. Sed Ehrenschildius immotus jactare; à Rege Slesvicum nunqvam restitui posse. Summam rerum in eo verti, ne angvem, à qvo tam sæpe morsus sit, iterum in sinum recipiat. Eam sententiam stare; ac incassum de restitutione verba fieri. Ducem infidelitate sua, & cum Sveco initis fœderibus per pacem Borealem, & Gallicam partis emolumentis excidisse, eoqve in veterem vasallagii statum revolutum. Unde Regem eidem summo jure Slesvicum adenuisse, pro qvo ne teruncium qvidem ei solvere teneatur. E generosi tamen animi impulsu sat lautas conditiones offerre. Saue Henrico IV tam magno Regi necessum fuisse Sabaudiæ Duci Marchionatum Saluzzarum relinqvere, alia terræ parte pro eo accepta. Sed reponebatur, eam permutationem utriqve commodam fuisse, & utriusqve consensu factam. Id tamen effecerunt seqvestrium monita, ut Dani responsum suum in aulam mitterent, ac nova inde mandata peterent. Circa idem tempus Svecicus minister Hafniæ alium adhuc libellum exhibuit, qvo Slesvici restitutio exigebatur. Ad qvem Danus reponebat; Nolle se scripto cum Sveco certare. Mirum videri, cum ipse negotiis Sveciæ se haut misceat, qvare Svecus domesticis Daniæ rebus sese ingerat. Serio se cupere omnia dissidia cum Duce per amicam compositionem abolere. Id si turbare velit Svecus, sibi expectandum esse, qvid ulterius inde secuturum sit. Aſt Electori Sveciæ Rex testabatur; se in hoc negotio maxime candida ipsius intentione niti, ac optare, ut causa amice componatur. Cæterum se salva conscientia, & existimatione Ducem deserere non posse, cui præcipue fœdus secum initum objiciatur; qvod initio mere defensivum fuerit, sed post Duce expulso forte plura accessisse; cum fas utiqve miseris sit, qvacunqve liceat calamitate se ereptum ire. Isthanc igitur Dani duritiem ut Elector expugnaret, Gallo demonstrari jubebat; Ducem ægre in cessionem Slesvici velut antiqvi patrimonii, ac domicilii consensurum, ac in ejus vicem Comitatus sibi obtrudi passurum, qvi cum Slesvico nullo modo comparari qveant. Igitur ipse Danum ab eo postulato deduceret. Nam post finitum bellum Turcicum acriora remedia adhibitum iri; ac Gallo tunc necessum fore vel Danum deserere, vel contra propria promissa, pace ad Fontem Blaudi facta, agere. Aſt Croisilius nil amplius obligationis ex ea pace agnoscere volebat tum ob siniſtre à Duce acta, tum ob fœdus, qvod interim Rex cum Dano inierit, qvo is huic se adstiturum promiserit, si abs qvopiam hanc ob causam invadatur. Cæterum si ipse Dani minister foret, se huic svasurum, ut idem Duci restitutionem Slesvici ejusmodi conditionibus circumscriptam, in qvibus securitatem suam reperire possit, vel æqvivalens offerat, relicta Duci optione. Sed satis sibi constare, multos ministros Danicos, qvi è spoliis Ducis lucrum capiant, Regem obfirmare. Qvanqvam & sint, ac inter hos Gyldenlevvium, qvi eam litem amice componi optent. Alias Gallum sat proclivem esse ad amicam transactionem Dano svadendam, sed ita ut ne hic suspicionem inde concipiat, ac ut gradatim procedatur, conditionata Slesvici restitutione oblata, inde æqvivalente, ubi super conditionibus conveniri neqveat. Idem qvoqve testabatur, longissime à Regis sui mente, ac rationibus abesse, eo loco fomitem alere excitando incendio. Nam Daniam nimis remotam à Gallia, qvam ut exigente necessitate terra mariqve auxilium invicem ferri qveat. Agnoscebat qvoqve Comitatus nullo modo Slesvicensi ditioni comparari posse: ac satius fore, ut Rex Duci ex Holsatia, ubi regia pars longe potior erat, refusionem faceret. Ita jussu Galli Chivernius Hafniæ amicam compositionem Danis ingerebat, ac ut tractatus utiqve subsisterent. Nam si maxime unum temperamentum non succedat, secundum & tertium in medium adduci posse. Aſt tractatibus semel abruptis necessario bellum secuturum, qvo Danus plus damni passurus sit, qvam per cavillationes lucraturum se speret. Ad qvæ ministri Danici respondebant; se paratos esse omnem facilitatem adferre. Sed super Slesvici restitutione agi non posse, qvod ab ea provincia securitas totius sui status dependeat; nec qvenqvam ipsorum Regi id svadere audere. Aſt ubi seqvestres de pensatione in medium adferant, ac super eadem

1687. 7. Dec.

1687. adornanda operam navare velint, Regem omnia facturum, qvæ salva ratione ab eo postulari qveant, & qvæ securitas sui status reqvirat.

Elector Dano meliora svadet. 27. Dec.

§. 74. Ipsi autem Daniæ Regi Elector scribebat; *se responso per ipsius ministros Hamburgi dato valde perturbatum fuisse, qvod ex eo nil certius prævideat, qvam negotiationem tandiu exoptatam, in qvam totus orbis Christianus oculos conjecerit, inter initia abruptum iri. Se semper præcavisse, ne prævia conditionis in ducem poneretur, Slesvicum restitutum haut iri. Nam etiam hac conditione non præsuppositā Regi facere aut omittere integrum esse, qvæ velit. Sed & Ducem valde protelandum, qvod ne æqvivalentis qvidem vocabulum admittatur. Nec exprimi id, qvod Rex daturus sit, sic ut qvamdiu laxis ejusmodi inhæreatur tractatus non possit non abrumpi, qvod Dux in ejusmodi propositionem, qvæ tacitam in Slesvicum renuntiationem involvat, nunqvam consensurus sit, antequam de idoneo æqvivalente cautum sit. Id qvod orbi Christiano sat sinistre de Rege judicandi ansam præbiturum sit. Ac Regis maxime interesse rem componi, cum Dux nil amplius habeat, qvod amittat: Regem autem serius ocyus grave bellum maneat. Igitur audiret Rex fidi amici monita, ac rem ad compositionem deduceret, omissaqve protestatione de non restituendo Slesvico plausibiliores conditiones ferat. Sane bellum anceps esse, ac non Svecum solum, sed alios hostes Daniæ incubituros. Rebus qvoqve Protestantium maxime noxium fore, si hac occasione præcipua ejus membra vires mutuo atterant.* Ad eas

3. Jan. 1688.

literas Rex respondit. *Qvam gravibus causis ipse motus fuerit, ut Ducis præfecturas in Slesvicensi Ducatu cum suis consolidarit, Electori satis notum esse. Eas causas adhuc subsistere, ac uti Dux non solum unicus fere autor fuerit omnium calamitatum, qvæ Daniam superiore bello obruerint, sed & eundem deinceps non aliter qvam irreconciliabilem hostem sibi considerandum; qvo restituto non statum solum, ac posteritatem suam pari periculo exponendam, sed & existimationem suam, qvæ omnibus Principibus pari cum salute pretio æstimatur, ingens detrimentum capturā. Unde se ministris suis Altonæ nil aliud in mandatis dare potuisse; ac se non alia lege amicæ tractationi locum dedisse, qvam ut missa Slesvici restitutione alia æqva temperamenta in medium adferrentur, idqve sequentibus denunciasse, qvi & in eam conditionem officium susceperint. Qvod autem sui ministri in præsens non expresserint, qvid pensationis Duci dare velit, nec vocabulo æqvivalentis uti do-*

luerint; id factum, qvia sine dubio qvicqvid 1688.
à se proponendum fuerit, Dux instinctu Svecorum, compositionem omni modo impedire laborantium, protinus rejecturus sit. Ast si conditiones à sequestribus proficiscantur, qvorum & officium id ferat, Ducem recusare non posse, qvo minus super iis tractationem suscipiat. Vocabulum æqvivalentis etsi ad rem ipsam nihil faciat; Ducem tamen inde facile ansam accipere posse tam enormia atq; iniqva postulandi, qvæ sibi non magis qvam restitutio convenians. Sed nec sperare, sequestres à se ejusmodi pensationem exacturos, qvæ per omnia partem Ducis in Slesvicensi ditione exæqvet. Præsertim cum Dux meragratia acceptum ferre debeat, qvod cum ut sinistris suis actionibus, ac variis veterum unionum, ac novissimæ pacis violationibus omnia, qvæ hactenus eidem obvenerunt, sibi attraxerit, ac Slesvicensem portionem commiserit; simul ipse per inducias, qvibus ab utraqve parte nominetenus inclusus sit, in qvieta possessione Slesvicensis ditionis constituatur; haut eo minus pensationem præstare decreverit; cum tamen etiam majores Principes qvandoqve plura ob communem qvietem sacrificare coacti sint, ac ipse juxta & Elector id priore bello summo cum suo damno senserit. Declarare igitur, se Duci Comitatus daturum, per qvos non modo par, qvod in Slesvicensi amisit, recuperet, sed & insuper lucraturus sit. Præterqvam qvod & hoc modo clausum territorium nanciscatur, qvod is hactenus tantopere desideravit, ac in tranqvillum plane statum collocetur. Cum itaqve ipse nullatenus super Slesvico tractare qveat, æqvam tamen pensationem Duci dare paratus sit; spem esse, Electorem sibi hoc in negotio fauturum. Ast ubi Dux his conditionibus repudiatis per Svecorum, & aliorum malevolorum suggestiones rem ad extrema deducat, sibi qvidem expectandum, qvid inde eventurum sit. Considere tamen, qvia Dux ad omnia qvæ facta sunt sat causarum dederit, ac ipse nil fecerit, nisi qvod jus naturale & gentium dictet, ac qvod nemo Principum, si suo loco positus foret, omissurus fuerit, ac insuper Duci tam æqvas conditiones obtulerit; hinc forte orituras turbas, & qvod detrimenti Protestantium rebus inde provenire qveat, non sibi sed ex asse adversæ parti attributum iri, eoqve sibi nec Dei, nec fœderatorum, ac præcipue Electoris auxilium defuturum adversus omnes, qvi eo nomine molestiam sibi facessere, & publicam per inducias firmatam qvietem turbare ausuri sint. Addebatur designatio redituum cameralium è Comitatibus, qvi CLM DC uncialibus taxabantur; cum contra certi, & incerti proventus Ducalis partis in Slesvicensi Ducatu duntaxat

1688. taxat ad CXXIVM DXXXVI uncialesadsurgant. Etsi Dux contra censeret, Oldenburgicos reditus qvinqvaginta uncialium millia non excedere, qvi modico ibi præsidio alendo non sufficiant.

Danorum ad Ducis propositionem responsum. 6. Jan.

§. 75. Paulo post Dani ad Ducis propositionem ejusmodi declarationem scripto exhibebant, præmissa protestatione se deinceps ad prolixas disceptationes scripto conceptas haut descensuros. *I. Ubi inter Regem, & Ducem primaria lis composita sit, anteactorum oblivionem ultro consequi. II. Memoratos pacis tractatus in præsenti causa fundamenti vicem subire non posse, qvod status rerum ex eo tempore mutatus sit, aut deinceps alia pacta intervenerint; Dux qvoque per manifestas contraventiones fructu eorum sese privarit. III. Mirum, à Duce pactum Rensburgense excludi, non minus qvam reliqva omnia solennissime perfectum, atqve ratihabitum. Sed qvia post Slesvici reunionem res aliam plane faciem induerit, superfluum esse, super ejus validitate disceptationem suscipere: præsertim cum Dux per apertas violationes eorum articulorum, qvi pace Gallica in ejus gratiam convenerunt, omnium inde promanantium beneficiorum jacturam fecerit, sic ut cum eo agi sas fuerit eo modo, qvem omnia jura in pari casu suggerunt. IV. Qvid Regem permoverit ad Ducem parte Slesvicensis ditionis privandum, eamqve sibi adplicandam, orbi per adductas gravissimas rationes diudum esse cognitum; simul sermone, ac scripto demonstratum, qvare Rex in ejus restitutionem nullo modo consentire qveat. Igitur si Duci cordi sit litem amice cum Rege componere, ac amicitiam instaurare, necessum esse eundem adqviescere eo, qvod Rex alibi ex aqvo ipsi dare decreverit. Femeram solenni pacto interventu Galli diu ante reunionem reliqvi Slesvici Regi oppigneratam, inde Georgio Principi in solutum cessam, sic ut in eam Ducis nul actionis superfit. Gotteregabam in Arroa insula non esse prædium nobile, sed antiqvum feudum Slesvicensis Ducatus, qvod non ad portionem qvondam Gottorpiensem, sed ad tertium agnatum spectarit, ac ob neglectum debitum feudale in fiscum sit redactum. In insulam Heiligenland Duci nil juris competere, priusqvam ea qvæstio ad liqvidum sit perducta: num ea sub veterem hæreditatis divisionem venerit, an vero, (id qvod Rex demonstret,) à Gottorpiensi tanqvam pars Ducatus Slesvicensis clandestino modo detenta sit. Sic ut ea ad præsentem tractatum haut spectet. Trittodiam à Duce Regi in hypothecam assignatam cum permissione ejus possessionem propria autoritate capessendi; eoqve non opus esse eare seqvestres fatigare. IV & V. Qvia iste pretensiones è transactione maturo consilio facta promanarunt, ac Rex eas-dem in Georgium fratrem transtulerit, adeoqve non amplius in potestate sua habeat; frustra heic earum mentionem fieri. VII. De contributionibus Slesvicensibus frustra moveri. Holsatiam pariter cum aliis Regis ditionibus debitum subsidium ad tutelam sui conferre teneri. Unde etsi Rex è clementia horum tributorum exsecutione, ad qvam ex abundanti per pactum qvoqve Rensburgense ipsi jus sit, supersederi jusserit; de jure tamen suo nil condonare, & competentia sibi omnia reservare. VIII. & IX. Super Slesvicensi regimine Regem ultro dispositurum, prout ex usu provincie fuerit. Sed circa formam reginiinis in Holsatia Duci veteribus unionibus hæreditariæ, recepto usu, ac recentibus pactis adqviescendum. Ac eo minore jure à Duce abolitionem veterum unionum affectari, qvod earum intuitu Christianus III fratres suos certo modo ad divisionem admisit. Unde istis abrogatis aut neglectis superstructam qvondam iisdem fraternam divisionem corruere necessum esse, Ducis linea ab omni earum fructu deinceps exclusa. X. Id negotium è privata lite inter nobilem qvempiam, & oppidum Chilonium oriri, ac per ordinariam juris viam decidi posse, modo oppidum non plus sibi arroget, qvam cum Regis jure in sinum Chilonicum consistere possit. XI. Eum locum in Slesvicensi Ducatu situm, circa qvem Regi leges præscribi neqveant; eumqve non jure solum, sed & cum consensu Ducis, & ad tutelam ejusdem ditionis extructum. Qvod per eundem Gottorpiensi provincia damnum datum sit, id ignorari, ac si qvid factum sit, aqvam emendationem non defore. XII. Circa Slesvicum sæpius dictis inhæreri. Sed qvod in Holsatia vi veterum unionum, constitutionum provincialium, & novissimorum pactorum regalium ac jurium competit, id Regem, salvo tamen proprio jure, conservare potius, qvam imminuere velle. XIII. Pacta Gottorpiensis domus cum Capitulo Lubecensi esse rem inter alios actam, qvæ Regis, ejusqve linea jure nil derogare possint; præsertim cum ipse Cæsar aliqvot decretis ista pacta invalida declararit. Sed & isthoc negotium cum præsenti tractatu nil habere connexionis. XIV. Circa monetam in Slesvicensi ditione non esse, qvod Ducem ulla solicitudo exerceat. Intuitu Holsatiæ Ducis postulatum esse iniqvum. Qvia enim Duci minera argenti non sint, eoqve argentum caro emendum, fieri non posse, ut grandioris sortis nummi intrinsecam regiorum bonitatem aqvent. Unde necessum esse, ut grandiorum nummorum intrinsecum pretium imminuatur, aut ingens vis minoris formæ nummorum cudatur magno cum onere regiorum subditorum, & commercii. Denique emolu-

1688. *emolumentum, qvod è moneta Princeps in suo territorio sperare possit, qvem sibi potius retinere, nec alios in ejus partem admittere teneri. XV. Si Dux circa debita & credita civibus regiis, & qvorum causam alias Regi suscipere fas est, & aqvum præstet, ipsi nil plane ab hoc eo nomine metuendum. XVI. Hasce prætensiones à Rege hactenus dqvidqvam agnosci. Qva usqve ad annum 1679 exacta sint pecunia, earum nomine actionem per pacem Gallicam eo anno factam abolitam. Ad seqventes exactiones Regi gravissimas causas fuisse. Summas qvoqve ultra modum taxatas. Ast dicissim id qvoqve considerandum, à Rege ab annis aliqvam multis sustentanda Ducis conjugis insignes summas expensas; simul avertendis per præsentia dissidia excitatis periculis in arma terra marique paranda multos milliones ab eodem fuisse erogandos. XVII. Ubi primaria lis fuerit composita, circa hæc facile transigendum. XVIII. Summa rerum adornata, circa minores querelas parum difficultatis fore. XIX. Ubi seqvestrium opera transactio obtineatur, super modo cautionis facile conventum iri. XX. De hisce superfluum esse monere, qvo hic articulus ab eventu primarii negotii dependeat.* Addebatur, qvia Rex juxta articulum qvartum Duci ex æqvo alibi qvid conferre decreverit, seqvestribus hisce significari, Regem per Comitatus id effecturum; qva super re, ubi opus fuerit, pluribus mentem suam sit expositurus.

Circa hoc responsum consultationes.

§. 76. Circa hoc responsum observabatur, Danos clausulam, se super Slesvici restitutione verba fieri haut passuros, Fuchsio potissimum conniscente, omisisse, qvo adhuc locus tractationi foret. Haut eo minus Ducales declarare non poterant, se super æqvivalente acturos. Alias enim Dani id arrepturi fuerant velut Slesvico cederent, qvo facto sibimet viam ad ejusdem restitutionem petendam clausuri fuerant. Qvia igitur Danus ad restitutionem descensurus non videbatur, nisi metu majoris mali compulsus, ac ante omnia, ne in bellum erumperetur, declinandum erat, seqvestribus placebat, post Ducis responsum super æqvivalente proponere. Nam si utraqve pars extremis inhæreret, tractationi locus non erat. Sed ubi æqvivalens in medium proponatur, Regi facilius persvaderi posse, ut meliores conditiones offerat. Cæterum qvia Elector observabat, Danos inter alia jactare, possessionem suam in Slesvicensi provincia arreptam per inducias firmatam, qva saltem per viginti annos qvicte frui possint; in Gallia demonstrari curabat; inducias nullo modo ad Gottorpicam causam porrigi posse, eoqve per eas 1688.
Dano nullum possidendi jus qvæsitum. Eas enim inter Imperium duntaxat, & Gallum initas, in cujus partem Rex Daniæ, ut talis, haut veniat, qvi non ulterius, qvam alii Germaniæ Ordines iisdem comprehendatur. Eoqve per istas Ducis tanqvam paris hactenus cum Rege conditionis querelas non magis inhiberi, aut tolli posse, qvam sibi aut aliis suæ actiones contra alia Imperii membra per easdem adimantur. Nec de aliis rebus per inducias disponi, qvam de locis à Gallo reunionum prætexto Germaniæ subtractis; ad qvæ cum Slesvicum non pertineat, nullo modo super hoc tanqvam re aliena inter Imperium, & Gallum conveniri potuisse. Inducias porro Westphalicæ paci superstructas, qvibuscum nullo modo congruat, Ducem avita ditione expelli. Et qvod maximum est, si inducia heic valere debeant, Ducem in ditionem suam reponendum; qvod iis cautum sit, ut possessio in futurum ad Kalendas Augusti anno 1681 exigatur, cum Dux longe post ejectus sit. Sed & à Gallis, cum in hoc negotio Ratisponæ pro Duce decerneretur, nil fuisse obmotum; qvod sine dubio factum fuisset, si ea causa ad inducias spectaret, ac ibi ad vicennale tempus decisa esset. Igitur petebat, ut Gallus Dano persvaderet, ne hic è fundamento tam ruinoso pertinaciam obfirmaret. Qvanqvam etiam *8. Jan.*
Electoris literæ apud Danum parum ponderis habuerant; haut eo secius is Hoverbeqvio injungebat, ut apud Regem instare pergeret, ne longius à veris suis rationibus aberraret, ac se, domumqve suam regiam malo involveret, qvod suo judicio declinari neqveat, si tam ducis postulatis inhæreatur. Ac præcipue mirum sibi visum, Regem ab hominibus proprio lucro inhiantibus, aut rerum ignaris persvaderi sibi passum, qvali Ratisponenses possessionem Slesvici ipsi firment. Ne sibi falsis ejusmodi opinionibus blandiretur, sed solidis niteretur. Alias ad extremum male habiturum. Vicissim & apud Svecum Elector enixam operam navabat, ut bellum declinaretur, & amici tractatus alerentur. Qvi & declarabat; exitum se hujus negotiationis expectaturum, modo ne longe nimis extrahatur. Ast Ehrenschildius qverebatur, Regem ab Electore acrius, qvam Ducem urgeri. Cui Fuchsius reponebat: Electorem cum Rege ad legem solidæ, atqve infucatæ amicitiæ agere, ac hujus rationes non minus qvam proprias cordi habere; qvod perspiciat, gravissima mala ex hoc negotio enasci posse. Ac ideo eum

loqvi

1688. loqvi tanqvam amicum, qvi mala amico impendentia averti optet. Sed nec apud Ducem monitis instari posse, qvi sua jure repetat, qvamdiu nil idonei ejus loco offeratur. Ast Uickenius Fuchsio significabat: 10. Jan. Ducem qvidem Slesvici restitutioni institurum; id qvod & Sveciæ Rex velit, pacem Borealem integram servare cupidus. Super æqvivalente tamen audire non recusaturum, ne in limite tractatus abrumpantur. Porro circa æqvivalens Comitatus Duci nullo modo arridere. Qvæ Rex in Holsatia possideat, Slesvicum haut æqvare, si maxime Pinnebergicus Comitatus accedat, qvo tamen Rex carere nolit, qvod ex eo prætensio in Hamburgum promanet. Qvi nec tractu ad Albim, ubi Gluckstadium, Crempa, & palustris regio sit, nec Itzehoa, ob claustra viarum cessurus sit. Ita in Holsatia nil supereſſe præter Segebergam, & alia qvædam loca exigui pretii, qvæ ne decimam Slesvici partem æqvent. Ad extremum tamen Ducem Regi Tonderam relinqvere posse cum duabus aliis præfecturis Apenrada, & Lugunensi Cœnobio, si gratum æqvivalens in Holsatia recipiat. Ast præfecturis Gottorpiensi, Schvvabstediensi, Husumensi, Slesvicensi, & tractu ad Eidoram Ducem nunqvam cessurum. Ita res eo videbatur deduci posse, ut Dux partem suam Slesvici cum Rege divideret. Enimvero qvo minus Danus qvid remitteret, fiducia in Gallo reposita obstabat. Nam Croissius differebat; à suo Rege qvidem transactionem optari, sed qvam Dux enormibus postulatis impediat, circa qvæ per Cæsarem, & Svecum obfirmetur, qvi modicam patientiam svadeant, qvoad tempora ipsi magis fautura sint, nimirum qvoad pax cum Turcis coaluerit, qvæ non longe absit; ubi in proclivi fore Danum in ordinem redigere. Interim Duci graviora passo unius & alterius anni molestiam adhuc devorandam. Ast Gallo non posse mirum videri, si Danus leges sibi præscribi, aut super ejusmodi conditionibus tractare nolit; cui & molestum sit à seqvestribus suam causam palam damnari. Enimvero à Gallo fœderatum deseri non posse, nec rebus sic stantibus urgeri, ut faciliorem se præbeat. Ad extremum tamen idem judicabat, rationis esse, ut Danus in restitutionem certis conditionibus circumscriptam consentiat, per qvas suæ securitati cavere possit, ac æqvivalens è Comitatibus simul, & Holsatia offerat.

Super Danorum

§. 77. Id porro Danorum responsum seqvestres Ducalibus exhibebant una cum scripto, qvod Dani adjunxerant, qvo ex omnibus unionibus demonstratū ibant, fœdera ab aliqvo tempore à Duce cũ Sveco inita istis adversa fronte repugnare. Eo perlecto Ducales plane se consternatos ostendebant, ac spem æqvæ transactionis pro deplorata habebant. Id qvod & omnes extra studia partium positi judicabant, cum pro tam nobili ditione ne integri qvidem Comitatus oblati forent. Sed reponebat Ehrenschildius; non potuisse aliter qvam per gradus procedi; ac Ducis qvoqve postulata non minus dura fuisse. Regem de Slesvicensi provincia ne rusticum qvidem prædium redditurum, si maxime omnia sursum deorsum sint vertenda. Cum reunio Slesvici fieret, Regem in consilio pronuntiasse, eam in perpetuum fieri, ac totum suum statum in ea verti, ac nolle se, ut ut qvis Consiliariorum unqvam de restituendo Duce mentionem faciat. Nec qvapiam Holsatiæ parte Regem carere posse; ac si per Comitatus res confici neqveat, satius esse extrema parare, qvam Slesvici restitutionem cogitare. Contra Dux à Comitatibus magnopere abhorrebat, per duo magna flumina, & interjecta aliena territoria Holsatia divisis; qvem & omnes vicini, Sveci, Luneburgici, Hanseatici, Cæsar obfirmabant; qvod qvamdiu Rex totum Slesvicum retineat, Germania, & cumprimis Inferior Saxonia nunqvam ab invasione tuta futura sit, uti superioribus annis satis adparuit. Elector igitur partium sententia perspecta haut luculentius sese specimen sinceræ amicitiæ edere posse judicabat, qvam si Regi genuinæ animi sui sensa citra fucum exponeret, ac ne præsens tempus ipsi favens negligeret, qvod non constet, qvousqve id duraturum sit, & qvam facile scena Europæ mutari possit. Itaqve 25. Jan. denuo graves literas ad eum dabat hoc argumento. *Se qvidem qvævis incrementa Regi optare. Sed valde dubitare, Ducem ditione Slesvicensi à se & majoribus seculum amplius possessa etiam æqvivalente dato unqvam, nedum in ipso limine tractatus cessurum. Unde alias utiqve compositionis conditiones in medium adferendas. Regi securitatem status sui cordi esse, à nemine improbari posse. Ast huic alia qvoqve ratione prospici posse, si maxime Dux ipsi vicinus maneat, uti à seculo abhinc fuit. Unde non posse non pro officio infucati amici Regi denuntiare; eum præsens statu continuato securitatem haut reperturum; qvin varias, easqve periculosas mutationes, casusqve tam regia sua familia, qvam orbi Christiano imminentes ipsi metuendos esse. Nam qvod Rex arbitretur,*

1688. *responso disputata.* *13. Jan.*

1688. *ſe per inducias inter Imperium, & Galliam initas in qvieta Sleſvici poſſeſſione confirmatum, id inane eſſe; qvod ille duntaxat circa loca Germaniæ à Gallo reunita diſponant, nec iis qvidqvam, niſi regiones ad Imperium, & Hiſpanum ſpectantes incluſæ ſint. Daniæ autem, & Sleſvici ne verbo qvidem mentionem fieri, ac ipſum Danum Sleſvicum Imperii provinciam negare. Qvin & eas ipſas inducias Dano adverſari, qvod in iis Kalendæ Auguſti anni 1681 terminus conſtituantur, ex qvo omnia citra mutationem relinqvenda ſint, prout tunc fuerint. At qvi eo tempore Ducem qvieta poſſeſſione Sleſvici gaviſum. Eqvidem ſi Dux oblatum aqvivalens acceptare velit, cauſam brevi abſolvi poſſe. Sed Ducem in id conſenſurum ſibi haut perſvaderi. Igitur ſe rogare, ne Rex extremis inſiſtat, utqve Duci aqviorem ſe præbeat. Sane partis adverſæ magnas vires eſſe. In Gallo fiduciam haut collocandam longe remoto, & cui multa alia reſpitienda ſint; qvi & teſtetur, ſibi haut gratum fore rem ad bellum deduci, ſed ut ea potius amice componatur. Nec ideo ſe à Rege ſtudii in Ducem argui poſſe. Nam à ſe tuta, ſolida, ac duratura ſvaderi. Nec minus Duci à ſe moderata ingeri. Sed qvia hic præter ſua nil repetat, nec idoneum aqvivalens offeratur, non ſibi conſtare, qvo prætexto hic ulterius urgeri qveat.* Et qvia Rex palmariam cauſam abnegatæ reſtitutionis ſecuritatem ſui ſtatus allegabat, Elector ipſi demonſtrari jubebat; ſi Rex ita pure reſtitutionem abnuat, certo ſummum in periculum præcipitaturum. Contra ſi ex æqvo tranſigat, longe facilius eam ſecuritatem obtentum iri. Ac ubi Dux ſemel ad gratam tranſactionem, & qvietem pervenerit, memoriam exhauſtarum calamitatum efficaciſſimæ rationis inſtar habituram, ut deinceps haut ſuſpecta Daniæ conſilia ſeqvatur. Qvia porro Gallus judicabat, Danum ab Electore juſto acrius urgeri, de qvo & iſte qveſtus fuerat, ac potius Ducem ſerio hortandum ad oblatas conditiones acceptandas, Danoqve de auxilio ſuo confirmandum, prout ipſe fecerit: Elector, ne videretur nimium in Ducis partes propendere, hunc itidem ad æqvam tranſactionem admittendam per literas incitabat. Rationes adducebantur, qvod facta permutatione Dux prævalido vicino, & communione perpetuis litigiis materiam præbenti liberetur, cum contra ubi in priorem ſtatum poſitus fuerit, moleſtiæ, qvas nunc ſentiat, ſemper metuendæ ſint. Sed & bellum utiqve ſecuturum, qvamdiu utraqve pars extremis inſiſtat, cujus eventus ſemper dubius ſit: & hoc licet arridente Ducem vaſtatam provinciam recuperaturum. Et cum is propriis civibus reſtitutionem ſuam comparare neqveat, cogitandum, qva conditione agant, qvibus alieno auxilio nitendum eſt. Ad qvæ Dux abrupte declarabat; nunqvam ſe tota Sleſvicenſi ditione ceſſurum, nec avitum patrimonium poſteris ſuis ſubtrahi paſſurum, qvæcunqve demum ſibi perferenda ſint. Et qvomodo Comitatus acceptare poſſit, qvos viginti milliaria alieni territorii, & duo ingentes fluvii ab Holſatia ſeparent. Ita facile adparebat, ſpem amicæ compoſitionis non eſſe, niſi revolutio aliqva rerum in Europa intervenerit. 1688.

§. 78. Ad Danorum reſponſum qva opus videbatur Ducales reponebant, II. *Adductos pacis tractatus utiqve velut fundamentum præſenti negotiationi ſubſternendos; nec ſtatum rerum ex eo tempore uſqve adeo mutatum, ut ideo tam ſolennia pacta ſervanda non ſint. Ac miram rem fore, ſi potentior ſtatum rerum proprio auſu mutare, eoqve fide publica perfectas pacis tractatus ſubvertere inſtituat. Juri haut congruum, per pacta deinceps intervenientia pacificationibus derogari poſſe. Non agnoſci à Duce qvid contra leges pacis actum; niſi forte id contraventionis loco habeatur, qvod Dux apud Cæſarem tanqvam pacis ſponſorem, ac Circulum Inferioris Saxoniæ conſervationem jure ſibi competentium qvæſierit. Fœdera cum Sveco veteribus unionibus non repugnare, cum hæc unice conſervationem Borealis pacis, ac in Ducis commodum ibi conventorum ſpectent, & expreſſis verbis omnem amicitiam cum Dano reſervent. Qvalia fœdera inire utiqve Principi ſupremo imperio gaudenti jus ſit. Nil qvoqve à Duce contra pacem apud Fontem Blandi factam admiſſum; qvam ille violarit, qvi alterum ſua ditione vi ejecit, eamqve in hunc uſqve diem detinet. III. Pactum Rensburgenſe huic tractationi velut fundamentum ſubſterni non poſſe, qvod perſpicuis verbis pace Gallica abolitum ſit; ubi exprimatur, ne ulli tractatus paci Roſchildenſi, Hafnienſi, & Weſtphalicæ fraudi ſint; ac ubi ea tantum pacta confirmata ſint, qvæ tempore factæ pacis Roſchildenſis, & Hafnienſis extiterint, nullo reſpectu ad Rensburgenſe pactum, cujus & validitatem circa id confirmandum adhibita ſolennitates parum commendent. Reunioni qvoqve Ducatus Sleſvicenſis, velut vocabulo, & negotio in hiſtoria inuſitato contradici, cui & nullus effectus juris tribuatur. Nec de jure aliqvo conſtare, ex qvo Regi ſas ſupremum Principem, & Imperii Romani Statum tali modo juribus, ac ditionibus ſuis exuere. Ac ſi maxime ponamus, Rensburgenſe pactum validum eſſe; Regem tamen eodem excidiſſe, poſſe* 1688. *Ducalis replica, 27. Jan.*

iſthoc

1688. *isthoc initum Toenninga destructa. IV. Ducem restitutioni Slesvici inhærere, in qvod Rex juris nil allegare qveat, nisi qvod ea ditio opportunitate situs ipsi valde blandiatur. Nec breviorem viam esse componendæ controversiæ, qvam ablata restituere. Femoram eqvidem interventu Galli Dano hypothecæ loco assignatam. Sed qvia id debitum è contributionibus superioris belli pace Gallica haut firmatis promanarint, anno 1680. conventum, ut trecenta uncialium millia, in qvæ Dux consenserit, per proximum sexennium æqvis portionibus è parte tributorum Duci competente solverentur. Sed qvia biennio post Rex contra omnia pacta, nullo more media pace in singula aratra per Ducis ditionem qvinqvagenos qvaternos unciales imperarit, qvæ summa ultra trecenta qvinqve uncialium millia exsurgat, easqve exactiones in annos continuet, ac demum Slesvicum plane abripuerit: ideo Ducem Georgio Principi scripsisse, ne eam summam sibi delegari patiatur, qvod Rex extorsionibus suis jam plus satis solutionem sibi fecerit, nec à se amplius Regis actio agnoscatur. Circa prædium Gottesgabam Ducis jus multis deducebatur. E Trittoviensi præfectura plus redituum perceptum, qvam qvanti eidem inhærens debitum sit. Gemina ad articulũ V, & VI respondebantur. VII. Ei postulato inhæreri, ac Ducem ipsum suæ provinciæ tutelam suscepturum, ad qvod ab antiqvis temporibus jus ipsi competat. Rensburgensi pacto nullum valorem. Nec à Duce Regis aliqvod jus heic agnosci. VIII. & IX. Fundamentum abolitarum veterum unionum pace Hafniensi contineri. Nec Ducem iis obstrictum se judicare posse, qvod istæ non solum ad sui oppressionem contra disertæ earum verba extendantur, sed & qvia Dux, qvando easdem pro se allegare voluit, non aliud responsum à Rege retulit, qvam istas nunqvam in usum deductas. Sed & uniones, ubi communio regiminis aboleatur, ultro corruere. A Christiano III. intuitu & fundamento unionum fratres Joannem, & Adolfum ad divisionem provinciæ certo modo admissos, ei asserto contradici, qvod in ea hæreditatis divisione unionum mentio non fiat. Et vero Domum Gottorpiensem ditiones suas non beneficio Christiani III, sed è vero ac legitimo jure hæreditario obtinere, qvod haut qvidqvam è fœdere unionis promanet; sed jam inter Regem Joannem, & Fridericum Ducem anno 1490. divisionem hæreditatis factam, qvo tempore unio hæreditaria incognita erat. Demum post qvadraginta tres annos primum unionis fœdus initum, ac biennio post, nempe anno 1544. divisionem cum Christiano III susceptam, nullæ tunc confirmatione unionis anno 1535. initæ facta. Recentibus pactis contradici. X. Chiloniense negotium utiqve per ordinariam juris viam debuisse expediri, nec Regi fas fuisse citra cognitionem causæ abreptæ nave Chiloniensi ab executione initium facere. Prætenso Regis juri regali in sinum Chiloniensem contradici. XI. Eam ipsam ob causam, qvia Friderixudda in Slesvicensi saltem communi territorio, si non in peculiari Ducis, & oppidi Chiloniensis fundo sita est, Ducem fuisse permotum ad ejus munitionis destructionem postulandam; & qvia præstita non fuerunt, qvæ Duci Recessu Glucstadiensi anno 1667, ac Chilonio, dum ea munitio extruitur, promissa sunt. Ducem tamen in gratiam Regis tolerare posse, ut is locus in præsenti statu permaneat, modo privilegiis Chiloniensium, & aliorum detrimentum non inferatur. XIV. Nil postulari, nisi qvod per aliqvot secula in usu fuerit. Nec ideo, qvia Duci argenti mineræ non sunt, eum jure cudendæ monetæ non gaudere. Idenim in alios qvoqve Electores, & Principes cadere. Et eodem jure Ducem Regis qvoqve monetam in sua ditione prohibere posse, ex qvo tamen summa confusio oritura sit, utriusqve ditionibus mutuo in nexis. XV. Ducem sese debitis Regis haut ingerere; ideo nec Regem Ducis se debitis miscere par esse. XVI. Regem Ducis reditus nec jure belli, nec ullo alio probabili titulo exegisse. Nec Duci constare, prætensionem usqve ad annum 1679. pace Gallica abolitam. Ac si maxime poratur, eas abolitas; id tamen ex eodem fundamento, qvod Regii ex apertissimis contraventionibus articulo II adduxerant, Duci præjudicare non posse. Calculum haut falso subductum. Id tamen Ducem detrahi sibi passurum, qvod liqvido demonstrari non possit, nec minus, qvod in Ducis conjugem, Regis sororem erogatum sit. Etsi Dux maluerit ipse eam sustentare, si sui reditus sibi relicti forent. Qvod Rex tot milliones armis terra, marique impenderit ob provinciæ periculum, sibi imputaret; ac Duci optandum fuisse, Regem iis sumtibus supersedisse, modo sua sibi fuissent relicta.* Circa reliqva prioribus insistebatur. Ad extremum declarabat Dux, multas ob causas se nec integros Comitatus, nec eorum partem pro tota ditione Slesvicensi aut ejus parte acceptare posse. Non nisi sua se repetere. Ne infimæ qvidem sortis hominẽ cogi posse, ut fundũ suum alterius fundo invitus permutet. Ducem facile tolerare posse, Comitatuũ reditꝰ longe altius adsurgere, qvam Slesvici. Nil eum lucrari cupere: suis contentum acturum.

§. 79. Interjecto aliqvo tempore Dani ad isthoc scriptum reponebant. II. *Rensburgensi pacto vim constare etiam post pacem Gallicam in omnibus, qvæ hac non expresse mutentur; eoqve id circa Holsatiam fundamenti* *Danorum duplica. 8. Mart.*

1688. menti loco substernendum. Sed ad Slesvicensem ditionem non amplius adplicari posse, quod Ducalis pars eam ipsam ob causam consolidata sit, quia Dux idem in articulis paci Hafniensi non adversis, & per Gallicam pacem haut mutatis haut impleverit, sed idem notorie violaverit; cujus exemplum sint fœdera contra unionis familiæ cum exteris inita. Potuisse demum Ducem apud Cæsarem, & pacis sponsores auxilium expetere, si injuria ipsi illata foret. Sed nunc eum Regi injuriam fecisse, cui pervincendæ aliorum Principum auxilia excitet. Interpretationem fœderum à Duce anno 1661, & 1674. factorum expressis eorum verbis repugnare; è quibus adpareat, Duci destinatum fuisse, primum exorto bello junctis viribus Daniæ ruinam promovere, quod regia familia succumbente hujus partem in Slesvicensi Ducatu, si non amplius captavit. Frustra Ducem excipere, sese eo fœdere omnem sibi amicitiam cum Daniæ Rege reservasse. Nam in contextu fœderis verba omnis amicitiæ non reperiri, sed tantum de correspondentia vicinali tangi: scilicet ut durante adhuc pace, & quoad occasio destinata expromendi venerit, istam quantum Ducis incolumitas requirat, alere integrum sit. Igitur istis verbis nil subesse, nisi reservationem propriæ utilitatis tempore pacis, pravis contra Daniam destinatis tantisper occultatis. Dignationem supremi, aut Romani Imperii Principis ad talia molienda auctoritatem dare non posse, præsertim cum ista non obstante Dux veteribus unionibus obstrictus manserit. Falso quoque dici, Ducem post Gallicam pacem nullum fœdus iniisse. Nam literis ad fratrem Episcopum Lubecensem eum fassum; decretum sibi esse fœdera anno 1661, & 1674 cum Sveco continuare. Sane nec Svecum, si ejusmodi fœdus non extet, ita fervide Ducis causam haut acturum. Denique in aprico esse, quantopere Dux ab anno 1681. in Conventibus Imperii, & Circuli, ac in plerisque Europæ aulis connixus sit circa bellum Regi attrahendum ideo tantum, quod hic contributiones ad defensionem provinciæ, cui destinatæ sunt, impendere voluerit. Quæ rerum conditione haut debuisse Regem qui intentabatur ictum excipere, sed per jus naturale, & gentium fas ipsi fuisse imminens periculum per idonea remedia prævertere, ac consolidatione Slesvicensis ditionis statui sui securitati cavere. Si quid molestiæ Dux eo ipso perceperit, sibi imputaret. III. Rensburgense pactum per contrariam conventionem non abolitum; quin potius Ducem eandem ex post facto, & verbis, idque iteratis vicibus de novo ratihabuisse, atque confirmasse. Ejusmodi quoq; abolitionem in pace Gallica non 1688.
reperiri, ubi quidem sequentia verba extent: Dux Slesvici Holsatiæ restituatur in suas provincias in eo quo nunc statu inveniuntur, uti & in souveræ nitatem, quæ ipsi vigore tractatuum Roschildensis, & Hafniensis competit, ita ut quicquid postmodum actum, quive tractatus initi fuerint, nullum illis (dictis duobus tractatibus) afferant præjudicium. Enimvero ex hisce ad oculum patere, Rensburgense pactum non ulterius, quam circa restitutionem terrarum Ducalium, & supremum imperium, citra quæ duo istud cum hisce tractatibus pacis consistere non potuit, derogatum fuisse: in reliquis id pleno vigori relictum. Sane si Rensburgense pactum per pacem Gallicam abolitum fuisset, id eidem conceptis verbis, uti Dux Neomagi postularit, inserendum fuisse, extraditione quoque instrumenti sine dubio in stipulationem deducta. Quod cum factum non sit, & Rex pacis autographum adhuc manibus teneat, id validissimum indicium contra Ducis erroneam sententiam præbere. Quem enim ita simplicem esse, ubi à cujuspiam pacti vinculo absolvatur, ut vel manum suam non repetat, aut aboleat, aut saltem cautionem exposcat, eam deinceps nullius roboris fore? Nec obstare, quod in Gallica pace pacta, & uniones hereditariæ, quæ tempore pacis Hafniensis, & Roschildensis inter Regiam, & Ducalem domum fuerant, confirmentur, contra de Rensburgensi conventione expressa mentio non fiat. Unius enim pacti certo in articulo majoris cautelæ ergo factam renovationem aliorum pactorum validitatem in aliis separatis causis non infringere. Ubi enim quid ad majorem securitatem fiat, uno incluso alterum non statim exclusum intelligi. Idem & inter alia adparere è mandato Ducis ablegato in Sveciam anno 1679. die 26 Septembris dato; ubi iste valde queritur, se per pacem Gallicam ne dimidiam quidem partem eorum, quæ quæsierit, obtinuisse, sed cum Dano in pristinis controversiis hærere; scilicet quod probe nosset, Rensburgense pactum haut penitus sublatum, ac articulos pace ista non expressos plenam vim retinuisse. Quod solennia circa id pactum ineundum aculeatis verbis perstringantur; sane haut constare, quæ solennia requirantur, ubi cum hoste, hostisque socio agatur, in quos utique omnia licent. Quo in statu Dux tunc fuerit, declarato Imperii hosti offensivo ac defensivo fœdere innexus, armisque instructus, & qui crebras per minas, variaque indicia satis indicarit, quid destinatorum animo volveret, non aliud nisi occasionem erumpendi captans. Cum igitur Rex urgeretur in usum Romani Imperii suis tunc fœderatis auxilio venire, &

extra

1688. extra Holsatiam cum exercitu rem gerere; nimirum ei haut consultum fuisse eductis extra regnum viribus tantum non publice declaratum hostem retro tam opportunis locis inhærentem relinqvere. Qva cautela Regi eo magis observanda fuerit, qvod illi talia tunc vebementer svaderent, qvi forte post, cum Neomagensis pax omnia fere Principum rationes mutaret, id oblivioni dedisse videantur, ac nunc diversa omnia præ se ferant. Qveri itidem posse, qvanam solennia circa eum tractatum fuerint adhibita, qvi Regi Friderico anno 1658 in favorem Ducis Gottorpiensis inaudito à vasallis exemplo per apertam vim hostilem nulla præbita offensa extortus fuit. Titulum Suveraini aliqvando, idqve proprie notare Principem absolutæ, & incircumscriptæ potestate praditum; aliqvando minus proprie Principem omnia superioritatis jura obtinentem, usus vasallagii nomine ab alio dependeat. Aliqvando id vocabuli per abusum ei tribui, qvi nomine duntaxat vasallagii superiorem non habet, ac à feudali obligatione liber agit, licet in reliqvis secundum pacta conventa, & receptum usum limitata duntaxat imperandi potestate gaudeat. Ac in postremo hoc sensu vocabulum Suverænitatis in casu præsenti anno 1658. fuisse adhibitum. Nam regium diploma super ista traditum, ac insecutum multorum annorum usum testari, Ducem sub titulo Suverænitatis haut qvidqvam plus jurium adqvisivisse, qvam qvod à pristino nexu, & oneri vasallagii liberatus fuerit. Nam circa reliqva jura regiminis, successionis, unionis, communionis, & alia eum notorie in pristino statu permansisse, cum in diplomate regio ista hæc jura confirmentur. Pari modo rem sese habere circa dignationem Principis Imperii. Posse aliqvem hac gaudere, & tamen circa jura regiminis multis partibus circumscriptam potestatem habere per pacta, assumqve receptum cum agnatis, aut vicinis, aut ipsis subditis. Eoqve Ducem posse Principem esse Imperii, etsi vi unionum hereditariarum, & communionis fœdera seorsim cum exteris inire neqveat. Vocabulum reunionis in hisce oris non ita insolens esse, cum jam superioribus seculis de reunione Ducatus Slesvicensis cum Regno Svecia actum fuerit. Si Princeps id, qvod majoribus suis vel injuria subtractum, vel alia ratione suæ ditioni decerptum fuerit, ab ingrato, aut hoste recuperet, & cum sua ditione iterum jungat, cur id reunio non vocetur? Mirum vero nulla jura in orbe dari, qva adversus Suverænum, & Imperii Principem eo modo, uti in præsenti casu factum est, procedere permit-

1688. tant. Nam utiqve jure gentium omnia in hostem licere, nec idem jus præcipere, ut primus ictus excipiatur, sed ut potius periculum prævertatur. Denique & falsò tradi, destructa Tœnninga Regem Rensburgensis pacti beneficio excidisse. Nam hunc eodem sese ad ejus restitutionem verbis expressis non obligasse: multo minus eo contineri; si maxime Dux conventa violare, promissa sua retractare, ac novos motus excitare ausurus sit, Regi tamen ad suam securitatem, & parcendis sumtibus eam munitionem demoliri haut licitum fore. Gallica qvoqve pace cautum, Duci provinciam suam in præsenti statu, id est, circa munitiones restituendam. IV. Qvod Rex ad Slesvici restitutionem descendere neqveat, non esse causam situs opportunitatem, sed meram necessitatem & justitiam. Et qvamdiu Dux contraria sententia inhæret, ac aqva temperamenta admittere abnuit, non aliter judicari posse, qvam ei non de instauranda amicitia agi, sed ut occasionem nanciscatur, invitante ejus provinciæ situ Regi novas molestias, ac pericula excitandi. Qvod Femeram spectet, nec in conventione, nec in Ducis obligatione reperiri, solutionem è contributionibus fieri debere; eoqve à Rege ad communis provinciæ defensionem veteri usu exactas contributiones huic in solutum imputari non posse. Præsertim cum Rex multos ante annos, qvam ea exactio fieret, non amplius dominus ejus nominis fuerit, sed idem Principi Georgio cesserit, Duce probante. Prædium Gottesgabam per errorem, aut alio casu inter nobilia prædia relatum. Circa insulam Heiligenland præscriptionem Regi non nocere, qvod in divisione hereditatis anno 1544 per pactum adjectum super ea debita præcautio facta sit, super ejus insulæ divisione deinceps conventum iri. VIII, & IX. Abolitionem communis regiminis Hafniensi tractatu anno 1658 haut fundatam, qvin potius tanqvam rem altioris indaginis sepositam. Veteres qvoqve uniones, & pacta hereditaria, qvibus communio regiminis fundatur, subinde renovata, sic ut ab iis nunc discedere nefas sit. Qvod Dux objicias, ea pacta à Rege nunqvam observata fuisse; sane indissolubile amicitiæ, ac mutuæ defensionis vinculum semper mansisse; nec Ducis majores unqvam qvæstos, hæc pacta sibi oppressione cessisse; qvin fassos se, suasqve ditiones sub iisdem bene habuisse, eoqve ista libenter renovasse. Ast qvod Austregas, seu judices conventionales attinet, ubi inter unitos Principes controversia oriatur, de qvibus iis pactis disponitur; fortasse Ducem in causis eo non pertinentibus ad eos provocasse, ac responsum accepisse, unionem ad hos vel illos casus non porrigi: id qvod ad

1688. *rem præsentem non faciat. Qvod in Recessu divisionis hereditariæ anno 1544 unionum mentio non fiat, id nullius momenti esse. Nam haut eo minus Regem Christianum III istas fundamentum fraternæ divisionis habuisse, inde adparere, qvod assignata fratribus portiones separatum territorium haut formarint, sed eas necessum habuerint in communione regiminis relinqvere, & eo adqviescere, qvod Rex è gratia de ista hereditate iis concedere voluerit; cum stricto jure juxta constitutionem Friderici I. anno 1524. factam, ac jurejurando sancitam, & à Christiano III confirmatam, utrumqve Ducatum indivisum retinere potuisset, fratribus plane exclusis. XVI. Qvæ Rex è Ducis ditionibus exegerit, jure exegisse, eoqve Duci eo nomine nil deberi; qvi & eam summam octo millionibus cum dimidio justo largius taxarit, ad invidiam Regi faciendam, qvasi aureos montes ex ea ditione perceperit.* Circa reliqvos articulos prius dictis insistebatur. Ad extremum addebatur: etsi ex his adpareat, qvam fragili fundamento Ducis postulata nitantur, ac uti Regi fas sit primæ declaratione insistere: in gratiam tamen seqvestrium, ac ut cupidinem suam ostendat litem hanc amice componendi, Duci Comitatus Oldenburgicum, & Delmenhorstanum daturos, in qvos, etsi Holsatia paululum divisos, facilis transitus sit. Ubi Dux separatum, & concluſum territorium nanciscatur, ubi omnia *superioritatis* jura proprio è placito nullo à condominio impedimento exercere qveat; qvod is hucusqve tantopere desiderarit, ac in Slesvicensi provincia nunqvam sperare potuerit. Invenire qvoqve eum ibidem commodos vicinos, qvo exigua molestia distantiæ ab Holsatia abunde pensetur. Alios qvoqve Imperii Principes disjunctas habere ditiones, ac peculiariter Brandenburgicum, & Palatinum. Norvegiam qvoqve Daniæ divisam. Damnum ab inundationibus datum reparatum esse. Defunctum Comitem etiam ab aqvis damnum passum; nec ideo eam provinciam vilem, aut desparatam habuisse; cujus & aula multorum Principum Imperii paratus splendore superaverit. Jam qvoqve reditus ejus provinciæ longe melius digestos, qvam cum Dux simul in ejus possessione esset, qvi & multis accessionibus aucti sint. Ac Jevera licet, & Altenburgici Comitis portione subtracta insignem ditionem restare. Præcipuas circa eam lites jam abolitas, aut facile aboleri posse: circa reliqvas Regem Duci evictionem præstiturum. Addebantur C M uncialium extruendæ ad inhabitandum arci. Tum Trittoviam, cum Trembuttela, & Steinhorsta sublata hypotheca Duci restituendam. Regem qvoqve permissurum, ut præfecturæ Ducis Holsaticæ ab omnibus contributionibus in perpetuum immunes sint. Deniqve Regem consensurum, ut unus filiorum Ducis in præsens Coadjutor Lubecensis postuletur, modo post ejus obitum, aut resignationem unus è Regis filiis à Capitulo Subcoadjutor isti succedat. Subnectebatur hæc conditio, ne Dux amplius qvid in Slesvicensem Ducatum actionis moveat. Hæc oblata si Dux abnuat, Regem qvoqve iis non amplius teneri velle, nec ulterius in disceptationem scripto conceptam descensurum. 1688.

Dani à se oblata frustra commendant.

§. 80. Inter ista Ehrenschildius apud Fuchsium oblatos Comitatus admodum exaggerare. Ducis reditibus nihil decedere. Cæsari facile esse eis Ducatus titulum conferre. Ducem qvoqve votum & sessionem nomine Holsatiæ inter Principes Imperii retinere. Supremum ejus imperium à Rege non agnosci, qvod ob varias contraventiones idem commiserit. Nec unqvam duraturam qvietem sperandam, si Dux Slesvicum recuperet, qvi hostibus Daniæ sese innectere haut sit omissurus. Igitur Elector Duci declararet, se oblatum æqvivalens sufficiens judicare, uti Gallus faciat. Ad qvæ Fuchsius: Si Rex voto suo cum consensu Ducis potiri qveat, lubente id Electore fore. Enimvero coactionis qvid adhibere, aut ejusmodi monita jactare, qvales Danus cupiat, Electori haut decorum. Gallicos ministros apud utramqve partem non paria differere. Nam eo ipso tempore, qvo Bidalius Hamburgi Ducem ad acceptanda oblata hortatus fuerit, significato, Danum à Rege suo desertum haut iri; Chivernium Hafniæ declarasse, Gallo haut placere, rem ad manus deduci, ac eum utiqve cupere, ut res amice per præsentes seqvestres componatur. Gallum qvoqve unice juxta suas ac suorum fœderatorum rationes loqvi, nec curare, num alii eum affectu in alterutram partem vergere arguant. Sed Electorem velut seqvestrum id haut qvidqvam decere, qvi hoc ipso officium suum apud Ducem inutile redditurus sit. Jam vero Ducem obnixe testari, nullo modo se Slesvici cessurum. Qvod si Dux feloniæ argui qveat, per qvam Ducatum commiserit, rem expeditam fore, ac magni beneficii loco eum habiturum, si qvalemcunqve pensationem pro isto recipiat. Ast Ducem etiã publicis scriptis id constantissime negare. Qvam qvæstionem decidere

1688. cidere cum penes ſeqveſtres non ſit, eos-
dem qvoqve non competere Ducem hor-
tari, ut Comitatus acceptet. Addebat
Ehrenſchildius: ſatis ſe noſſe, à vicinis, ac
præcipue Luneburgicis ſpargi, huic tractui
qvietem, & ſecuritatem haut conſtituram,
ni Danus totum Sleſvicum reſtituat. Enim-
vero Regem ſuper Hamburgo, & Lubeca,
ac omittenda Oldesloæ munitione qvic-
qvid deſideretur cautionis præſtiturum.
Idem qvoqve induciis Ratisponenſibus
non parum confidere videbatur. Iis Da-
num non ſolum uti Principem Imperii, ſed
& tanqvam Daniæ Regem, & Galliæ fœde-
ratum comprehendi; idqve eum hoc dun-
taxat fine deſideraſſe, ut per viginti illos
annos Sleſvicum eo qvietius poſſidere qve-
at. Eqvidem Kalendis Auguſti iſtum hanc
ditionem nondum poſſediſſe, ſed poſt ad-
qviſitam poſſeſſionem induciis incluſum
fuiſſe. Cæſarem, & Imperium initio pro-
poſuiſſe, ut Anglia, Dania, Svecia, Polonia,
Veneti, & Helvetii induciis comprehende-
rentur; & cum Gallus id ea conditione
probaret, ſiqvidem iſta Regna, & Reſpu-
blicæ hoc deſiderent, & ad obſervationem
omnium legum, & articulorum induciis
conventorum ita ſe adſtringant, ut duran-
tibus viginti annis nemini eorum permis-
ſum ſit jus, aut actionem ſuam vi, armisqve
perſeqvi, nec ullis ſe alienis negotiis miſce-
re, per qvæ communis qvies turbari poſſit:
Daniæ Regem per libellum Conventui Ra-
tisponenſi pro incluſione gratias egiſſe, ac
propoſitis à Gallo conditionibus pronum ſe
declaraſſe. Unde non dubitare, qvin per
inducias ſecuritati poſſeſſionis ſuæ cautum
ſit. Aſt Elector ad iſta demonſtrari jube-
bat: Ratisponæ qvidem ſuper unius & al-
terius Regis nonnihil motum fuiſſe; ſed in
actis Imperii haut reperiri id negotium ad
liqvidum perductum, ac ſolenne incluſionis
inſtrumentum, uti in ejusmodi caſibus mos
eſt, ab utraqve parte adornatum, ratihabi-
tum, ac hinc inde traditum fuiſſe. Qvæ
Danus alleget, non eſſe niſi libellos me-
moriales, ſententias, & alia præparatoria.
Qvid qvod ejusmodi incluſiones, qvibus
peculiaris ſtipulatio evictionis addita non
ſit, magis honoris gratia adponi, qvam
qvod effectum qvempiam producant. Ac
tunc incluſo neceſſum fore legibus tracta-
tus ſatisfacere, ſi hujus emolumento frui
cupiat. Ita res in ſtatum, qvi Kalendis
Auguſti anno 1681 erat, reſtituendum fu-
iſſe. Aſt Imperio haut animum fuiſſe Da-
no per inducias poſſeſſionem Gottorpienſi
ereptorum præſtare, è ſcripto à Commiſſio-
ne Cæſarea Ratisponæ anno 1684 die 16 De-
cembris exhibito adparere, qvo declara- 1688.
rent, Duci durantibus induciis Sleſvicen-
ſem ditionem ſalvam præſtandam. Qvam
declarationem Cæſar, & Imperium non
mutarint, ſed potius, qvandocunqve Got-
torpienſis cauſa in deliberationem deducta
eſt, omnium ſententias in eo conſpiraſſe;
Duci adſiſtendum, eumqve ab oppreſſione
liberandum. Unde ſi maxime Rex per li-
bellum Imperio pro incluſione gratias ege-
rit, ex eo tamen ejusmodi incluſionem non
probari, multo minus inde conſeqvi, ab
eadem effectum, qvem Danus prætendit,
utiqve producendum. Qvin eo libello
nullam Sleſvici mentionem, ſed tantum
contributionum in Holſatia fieri. Qvod ne-
gotium Rex hautqvidqvam tunc pro ex-
pedito habuit, dum fatetur, ſe circa id com-
ponendum Saxonis, & Brandenburgici offi-
cium admiſiſſe. Igitur valde ſvadere Ele-
ctorem, ne Rex ob duritiem conditionum
tractatus abrumpi patiatur. Aſt Ehren-
ſchildius priora ſemper ingerere; addito, à
ſe Svecum non metui, cujus qvidem res nil
proprii regni defenſionem probe ſint di-
ſpoſitæ; ſed exterius eum ob pecuniæ defe-
ctum nil moliri poſſe. In Norvegia qvoqve
Dano egregium exercitum, & claſſem Sve-
ica valentiorem. Enimvero Elector val-
de mirabatur, monita ſua tam parum apud
Danum profeciſſe, & hunc ita obnixe Sles-
vico inſiſtere; cum tamen nunc ſalva exi-
ſtimatione, nec ſine emolumento litem
componere licuiſſet. Nec aliud ſolatium
erat, qvam qvod ſinceri, ac fidelis amici
officium expleviſſet, de cætero Deo, & tem-
pori committens, qvem eventum hoc ne-
gotium ſortiturum ſit. Qvod autem Ehren-
ſchildius poſtularet, ut ipſe Ducem velut
conſtringeret ad Comitatus acceptandos,
ac minis urgeret, qvo is avito, ac tot Re-
gum ſponſionibus munito patrimonio de-
pelleretur, ejusqve calamitas augeatur: [illegible]
non tantum ab officio ſeqveſtrium, ſed & à
conſcientia ſua Chriſtianis ſcitis imbuta ab-
horrere. Qvod autem Ehrenſchildius pu-
tet, acrius à ſe ad Regem, qvam ad Du-
cem ſcriptum; id ideo factum, qvod ipſe
certo perſpiciat, ſi Rex mordicus huic ſen-
tentiæ inhæreat, ne ruſticum qvidem præ-
dium de Sleſvico à ſe reddendum, hunc tra-
ctatum irritum fore. Unde ſibi utiqve ur-
gendum, ut Rex de his extremis nonnihil re-
mittat, qvo æqva temperamenta ſubſiſten-
te tractatu proponi qveant. Qvo facto
haut ſe omiſſurum Duci paria ſvadere.
Nunc cum Dux reſpondeat; qvia ipſe nil
niſi avitum patrimonium repetat, qvod
cuivis privato licitum ſit, culpam ſibi tribui
non

1681. non posse malorum, qvæ ex abruptis tractatibus oriri qveant; nec salva se existimatione posteritati suæ qvid condonare posse, qvicqvid etiam inde eventurum sit: id qvomodo improbari qveat, se non perspicere.

§. 81. Enimvero nec literis, nec hortatibus per ministros Elector apud Danum qvid proficiebat, qvi ad istius literas respondebat: *Se extrema omnia potius expectaturum, qvam in Ducis restitutionem, qvibuscunqve etiam conditionibus ea circumscribatur, consensurum, ac regiam suam dignitatem priori periculo iterum expositurum. Electori notum esse, qvam irreparabilia damna parenti suo, sibiqve per Ducis, ejusqve patris machinationes, & commercia cum hoste illata sint; atqve istum nec congenitis rationibus, & vinculis communis familiæ, & regiminis, nec jurato vasallagii nexu, nec pactis hereditariis ab exterorum fœderibus averti potuisse. Unde ab eodem restituto nil sibi securitatis expectandum. Et qvanqvam Elector judicet, se præsente statu continuato nil securitatis inventurum; tamen qvia ipse nullum lucrum, aut accessiones ditionum affectet, & pro Slesvico antiqvum familiæ patrimonium offerat; statis reditibus istipar, regalibus superius: igitur spem sibi esse, neminem pro Ducis restitutione arma arrepturum. Ac sico prætexto qvis turbas moveat, se à fœderatis, ac præcipue ab Electore desertum haut iri. Sed & inclusionem in inducias utiqve sibi prodesse; qvod cum à Cæsareis Commissariis idem pro Duce circa Slesvicum postulatum foret, nec Imperium, nec Gallus id admittere voluerit, sed istis necessum fuerit traditum Gallico legato scriptum repetere.* (Qvæ res ita se habebat, qvod Verjus Ratisponæ in mandatis habuerit, si Cæsar, & Imperium Slesvicense negotium induciis comprehendere vellent eo animo, ut Danus per XX annos in possessione manere debeat, sibi qvoqve idem probatum iri. Ast ubi ea inclusio sibi fraudi cessura, ac alienis se negotiis immixtura sit, in id se consentire non posse. Contra cum Cæsarei Verjo peculiare instrumentum super Ducis Gottorpiensis, & qvorundam Italorum Principum inclusione exhiberent, id post repetierunt.) *Terminum qvoqve Kalendarum Augusti anni 1681 primarias dunt axat partes respicere, & inclusos non ulterius obligare, qvam ut inducierum tempore pretensiones suas vi aut armis persequi non debeant. Id qvod legatus Gallicus in libello Ratisponæ anno 1685 die 25 Martii diu post consolidatum Slesvicum tradito, qvo ab Imperio facta includendorum nominatio confirmatur, ita explicarit, ac Imperii nomine hucusqve isti nunqvam contradictum fuerit. Et qvia ipse die 27 Martii anno 1685 per libellum memorialem Conventui Ratisponensi exhibitum ad omnium istorum observantiam sine exceptione se obstrinxerit, ac in eum sensum ab utraqve pacisscentium parte factam inclusionem admiserit: ex eo consequi, se per inducias in possessione Slesvicensis ditionis confirmatum, eoqve in hac citra istarum violationem turbari non posse. Unde singularis ingratia locum à Duce habendum, qvod cum sibi ad finem usqve induciarum qvieta Slesvici possessione gaudere lucuerit, isti tamen tam lautas, & æqvas conditiones offerat. Eoqve si tractatus abrumpi contingat, omnium malorum culpam in eundem redundaturum. Unde par esse, Electorem, uti Gallus fecerit, Duci denuntiare, eo casu Regem à se auxilio vacuum haut iri destitutum.* Sed & cum Fuchsius paululum Hamburgo Berolinum excurrens omnem svadæ vim expromeret utriqve parti ad compositionem promovendæ rem ita desperatam, uti vix antea reperit. Ac Ehrenschildius abrupte negabat, Regem nunqvam vel hilum de Slesvico redditurum, vel de sua Holsatiæ parte in æqvivalentis vicem cessurum. Ac minister Gallicus Bidalius Ducem sat aspere, nec sine minis monebat, ut oblatis adqviesceret. Qvi & nolebat ab Electore declarari, se Dano auxilia non submissurum, ubi hanc ob causam in arma erumpatur, & hunc casum fœderis haut esse. Hoc ipso enim Duci, ac Sveco pertinaciam accedere. Nostro reponente, hoc modo Danum plane intractabilem reddi. Cum itaqve Elector perspiceret, monita sua sinistre accipi, per Hoverbeqvium Hafniæ ostendi jubebat; dolere sibi, istis plus ponderis non fuisse. Se pro arctissima amicitia, qva ipsi jungatur, necessitatem sibi impositam judicasse Regi candide exponere, qvid veris hujus rationibus dictante sua conscientia congruum reperiat. Sed postqvam candida sua mens secus accepta fuerit, id sibi tolerandum, qvoad tempus sinceritatem consilii sui adprobarit. Unde sibi decretum, similibus monitis Regi non amplius molestiam facessere. Qvanqvam id sibi pro sinceræ amicitiæ lege difficile sit futurum, ac ipse valde metuat, ne Rex sero agnoscat, utrum melius fuerit adulatorum adplausibus aurem præbere, qvam eorum monitis, qvi ob oritura inde incommoda mitiora, ac tutiora ingesserint. Qvod ipse arguatur acrius Regem qvam Ducem monitis urgere, id sane rem ipsam reqvirere. Nam Ducem ditione sua exutum agere, ac unice penes Regem esse, qvid ipsi reddere velit,

Danus sententia sua immotus inhæret. 11. Febr.

1688. velit, siqvidem res amice componi debeat. Unde se non potuisse Regem qvantum detur hortari, ut ejusmodi conditiones proponat, qvæ spem bonæ transactionis præbeant. Sed postqvam Rex hactenus declaratis obnixe insistat, nullam spem compositionis adparere, ac sibi potius infinitum damnum Regi, ac universæ Protestantium causæ inde proventurum ob oculos versari. Forte metum suum fallere, ac negotium opinione sua melio succedere posse; id qvod & ipse optet. Sed in rebus arduis neminem prudentem sua consilia superstruere debere. Pro præsenti autem rerum facie fidelius se Regi consilium, qvam hactenus fecerit, dare haut potuisse. Sed & cum Croissius ostenderet, Gallo displicere, qvod Elector declararit, se Duci non teneri ad ferendum auxilium, si ob causam Gottorpicam armis petatur: iste reponi jubebat; id se tantum apud Rebenacium, & Lentium fecisse, non apud Ducem, ubi idem Dano nocere possit. Atqve isthoc necessarium fuisse, ne Danus consilia sua falsæ spei superstrueret, ac velut tacite sibi ejus negotii præstationem impingeret; præsertim cum is literis suis sæpius ostenderit, se in hac causa nostro præcipue auxilio confidere. Ac revera istum casum fœderis non esse, cum hoc directum fuerit ad ditiones tunc Regi possessas; cum Slesvicum post occupatum sit. Hautqvidqvam autem è re sua esse, omnia, qvæ Dano occupare placeat præstare, aut in partem omnium ab eodem motorum venire.

Temperamentum ab Electore propositum.

§. 82. Cum itaqve Elector monitis suis vix aliud effecisset, qvam ut Dano se suspectum redderet, nec adhuc adparet, hunc Slesvicum restituturum, aut extra Comitatus in Holsatia æqvivalens daturum; nil certius erat, qvam tractatus irritos fore, nec Duci aliam restitutionis spem, qvam in armis superesse. Enimvero hanc viam Elector non publico solum, sed & ipsi Duci noxiam judicabat. Nam bellum hac tempestate inter Boreales nil aliud effecturum erat, qvam ut Catholicis viam muniat opprimendis Protestantibus. Ac si modicæ vires, qvæ adhuc inter Boreales, & in Saxonia supersunt, mutuo se atterant, Gallum nullo negotio scopum suum obtenturum, Rheno in potestatem redacto. Ipse Dux etsi de Sveci auxilio satis cautum sit, incertum tamen, num præterea alius qvispiam arma pro ipso stricturus sit. Sane Cæsari haut in animo esse ob fœdus cum Sveco bellum Dano inferre; de qvo & qvamdiu bellum Turcicum duret, cogitari non possit. Ac eo licet bello finito maximas adhuc controversias inter Cæsarem, Imperium, & Gallum supereſſe, nec unqvam Cæsarem Gottorpiensis rationes Lotharingico prælaturum. Nec Viennæ dissimulari, se non in eo statu esse, ut ob Ducem sibi bellum suscipere vacet; eoqve Duci æqvivalens haut repudiandum. Ita facile fieri posse, ut Cæsar obligatione è Svecico fœdere se exsolvat, prætexto arrepto, qvod Dux acceptato æqvivalente ad amicam compositionem pervenire potuerit. Qvi & excipere possit, qvia Slesvicum ad Imperium non spectet, sibi absqve consensu Imperii in bellum descendere integrum haut esse. Luneburgicos qvoqve armis pro Duce nil acturos, postqvam Gallico sese fœderi innexuerint. Ac Gallum palam declarasse, si Danus eam ob causam armis invadatur, se ipsum auxilio vacuum haut relicturum. Igitur prout Martis alea semper est dubia, bello orto Ducem non tantum Slesvicum non recuperare, sed & insuper æqvivalentis jacturam facere posse. Igitur considerandum, an non Duci expediat Comitatus saltem in partem satisfactionis acceptare, qvibus Danus præfecturam Gottorpiensem adjicere debeat. Idqve temperamentum Falæsius Regi Sveciæ proponere jubebatur, num Duci id persvadere velit. Sed & Fuchsius, qvi iterum 13. Mart. Hamburgum accedebat, omni ope conniti jubebatur, num Danos ad id annuendum adducere possit; qvod Dux nunqvam avita sede carituras sit, qva & desistere primarius ejusdem minister Alefeldius nunqvam svasurus erat, cujus prædia in ea præfectura sita erant. Sed & apud Gallos agebatur, ut Danum ad isthanc præfecturam prioribus oblatis addendam permovere velint. Contra Saxo, qvi eis diebus Hamburgi erat, aliud temperamentum proponebat; qvia Rex Slesvico carere, Dux Comitatus acceptare nolit, ut Rex Plœnensis Ducis, aliorumqve terras redimat, hasqve Gottorpiensi det, ac istis è Comitatibus satisfaciat; & qvod Gottorpiensi desit, è Slesvicensi Ducatu, aut Holsatia suppleat. Enimvero Dux declarabat, se Comitatus neqve integros, neqve ex parte pro Slesvico accepturum. Eqvidem cum is antea dimidiam eorum Comitatuum partem possedisset, Kielmannus Cancellarius svaserat, ut data Tondera alteram istorum partem redimeret; idqve ob privatam utilitatem, qvod gubernationem Comitatuum hæreditario jure familiæ suæ adqvirere cuperet. Id qvod cum Dux sensisset, ipse suggesserat, ut Svecico fœderi insereretur, ne inscio

1688. Sveco pars Sleſvicenſis Ducatus cum Comitatibus permutaretur. Unde & Svecus de æqvivalente plane repudiabat, ac Ducem utiqve in leges pacis Gottorpienſis reſtituendum contendebat. Etſi haut præſumendum erat, Svecum hac rerum facie bellum Dano moturum. Id qvod cum Danus ſatis noſſet, Sleſvico adhuc aliqvot per annos frui cupiebat; cum deterrimum, qvod ſibi accidere qveat, reſtituendi neceſſitas ſit. Unde qvanqvam Cæſar Dano ſerio ſcripſiſſet, ut declaratione de nunqvam reſtituendo Sleſvico deſiſteret, & æqvas circa hujus redditionem admitteret, multis in eam rem rationibus adductis; atqve paria Fuchſius ingereret: Ehrenſchildius tamen veterem cantilenam ingeminabat; Regi non de lucro, ſed de ſecuritate agi. Unde Ducem potius ad acceptanda oblata urgendum. Contra Alefeldius teſtabatur, Ducem malle ad inſtar privati Nobilis vivere, qvam poſteritatis ſuæ exſecrationem mereri. Nam è Sleſvico ſalutem ſuæ familiæ pendere. E comitatibus vix ſalaria miniſtris exſolvi poſſe. In Holſatia, nullam ipſi munitionem, nil ſecuritatis eſſe, cujus & reditus tolerandis Principe dignis ſumtibus haut ſufficiant. Ut ſatius ſit iſtam plane aliis vendere, & alibi terras iterum emere. Id qvod an ex uſu Imperii, Saxoniæ, & urbis Hamburgenſis, atqve Lubecenſis ſit, ſuo ſe loco relinqvere. Unde & Comitatus ne addita qvidem Gottorpienſi præfectura admittere nolle. Qvod ſi tamen in Holſatia idoneum æqvivalens demonſtretur, ſe id amore pacis haut recuſaturum, & qvanti hoc ſit, tantundem Regi in Sleſvicenſi ditione ceſſurum. Accenſebat Breitenavius; Regem non ſimpliciter Comitatibus inſiſtere, ſed forte conſenſurum, ut cum Ploenenſi, & aliis de permutatione ſuarum terrarum in Holſatia cum æqvivalente in Oldenburgica agatur; & qvoad id perfectum ſit, præſentem negotiationem ſuſpendi poſſe. Prout & Cæſar ſcripſerat; qvia tractatus tam lente ſuccedant, an non conſultum ſit eas ad tempus interqvieſcere.

Super æqvivalente ex Holſatia agitur.

§. 83. Jam itaqve tentabatur, num his data Duci ex Holſatia penſatione componi poſſet. Qvam tamen propoſitionem Cæſarei facere abnuebant, qvod Cæſar Sveco in fœdere promiſiſſet, ſe operam daturum, ut Dux Sleſvicum recuperet. Ita placuit eam à Fuchſio fieri, omiſſis qvæ ſcripto fiant diſceptationibus. Is igitur apud Danos diſſerebat: Cum Rex Sleſvico decedere, Dux Comitatus acceptare nolit, qvo tractatus ſubſiſtant, ſeqveſtribus alia temperamenta in medium adferenda; ut nempe 1688. Rex Duci det, qvæ appenagiati Principes Ploenenſes, Gluxburgenſes, & Norburgenſes, tum qvæ Comites Gyldenlevvius, Ranzovius, & Alefeldius poſſideant, & hiſce è Comitatibus ſatisfiat; qvod Regi perinde ſit, qvisnam Comitatus iſtos poſſideat. Ac ſi Regi id temperamentum placeat, ad qvod autem, ut cum iis qvorum intereſt agatur, aliqvo tempore opus ſit, an non Regi placeat tractationem in aliqvot menſes ſuſpendere; ut tamen interim nil novetur, nec proprio auſo, ac per vim qvid ſuſcipiatur. Regem tamen generoſe facturum, ſi Duci commodorum qvid interim indulgeat. Ad iſta Dani initio reponebant: Hucusqve nil aliud ſibi mandatum, qvam ſuper Comitatibus agere; ac Ducem melius facturum, ſi eos acceptet, qvod circa appenagiata loca in Holſatia nonnihil difficultatis oriturum ſit. Neqve vero Regi perinde eſſe, qvisnam Comitatus obtineat. Nam Regem malle iſtos à Duce poſſideri, ne hujus vires in Holſatia denuo gliſcant, isqve facultatem nanciſcatur Regis hoſtibus ſeſe ſociandi. In ſuſpenſionem tractatuum Regem facile conſenſurum, ſed ſuper commodo aliqvo Duci indulgendo vix ſperandum, qvod hic in mora ſit. Si enim idem à Rege oblata admiſiſſet, negotium jam confectum fuiſſe. Interim judicabant, Regem ab hoc temperamento haut ita alienum fore, ſi Dux ſola Ploenenſi ditione contentus eſſe velit, nec de Sleſvicenſibus, aliisqve Regiis in Holſatia præfecturis moturus ſit. Ad qvæ Fuchſius: à Danis reditus Comitatuum centum octoginta millibus uncialium taxatos. Ploenenſis terræ reditus non multum qvinqvaginta uncialium millia excedere, Principali aulæ haut idoneam ſummam. Igitur utiqve è Sleſvico & Holſatia ſupplementum addendum. Hanoveranus qvoqve in aula Gallica commendaverat, ut Duci in Holſatia æqvivalens detur, qvo Danum à Luneburgico territorio longius removeret. Sed Galli ab ea re abhorrebant, ac judicabant, id Dano nocentius fore, qvam ſi Sleſvicum reſtituat. Poſt Rex ad 18. April. propoſita declarabat, ſe in gratiam ſeqveſtrium cum Ploenenſi Duce ſuper permutatione ſuæ ditionis acturum, ſed à qva eximendum ſit, qvod ipſi ante aliqvot annos iſti per peculiare pactum è Segebergenſi præfectura ceſſerit, ad duodecim millia annui reditus. Tum ut Dux declaret, ſe nullum aliud æqvivalens affectaturum; ac ſi Ploenenſis ditio non ſufficiat, ſupplementum è Comitatibus dandum. Sed è Sleſvico, & Holſatia ut Duci qvid concedat, ſecuri-

1688. curitatis ſuæ rationes non permittere. Addebat; Elector exemplo Galli Duci denuntiaret, ni oblata admittat, ac inde bellum oriatur, ſe tunc Daniæ auxilia laturum. Ita enim Ducem non amplius tergiverſaturum; nec Svecum eo nomine bellum movere auſurum. Sed reponebatur: Electoris conſcientiam Chriſtiana ſanctimonia imbutam haut tolerare, ut afflicto afflictio ab ipſo addatur; nec tale qvid ſeqveſtris officio congruere. Gallum, qvi ſeqveſter non ſit, pro lubitu loqvi poſſe. Sed nec adhuc caſum invaſionis exiſtere, ac prius videndum, qvem exitum præſens negotiatio ſortitura ſit. A Rege qvoqve hanc conditionem additam, ut Dux Plœnenſi terra adqvieſcat, & qvæ ulterius prætendat, è Comitatibus expectet: de reliqvis terris propoſitis ſilentio tranſiri. Plœnenſem qvoqve denuntiaſſe; ſi Rex ipſe partem Comitatuum retinere, aut Duci concedere velit, ſe miſſa permutatione terras ſuas retinere malle. Addita qvoqve erat clauſula; ut ſeqveſtres præſtarent Ducem nunc oblatis plane contentum fore. Id qvod cum penes ipſos non foret, abſurde petebatur. Ea in ſententia ut Dani aliqvid mitigarent, ſeqveſtres incaſſum rogabant. Svecus cenſebat; Ducem utiqve reſtituendum; ſed eo facto cum Rege ſuper unius aut alterius loci permutatione agi poſſe. Aſt Ducales circa Plœnenſem ditionem reponebant; eam ne dimidiam qvidem Sleſvici partem æqvare. Multo iniqvius eſſe, à Rege Segebergicam portionem excipi. Nec Plœnenſem ullo modo tolerare velle, ut alius qvoqve partem in Comitatibus poſſideat. Igitur Ducem prioribus poſtulatis inſiſtere, alias Regi libenter gratificaturum circa omnia, qvæ ſalva domus ſuæ incolumitate poſtulari qveant. Rogabat qvoqve, ne ſeqveſtres ejusmodi temperamenta parum idonea in medium adferant, per qvæ non niſi tempus fruſtra trahatur. Ut tractatus ſuſpenderetur, Rex haut neceſſarium judicabat. Sed Dux id plane averſabatur. Sed & Chivernius Hafniæ ſolicite inſtabat, ne tractatio iſta re infecta ſolvatur, ac ut Danus facilem ſe præbeat, qvo eadem brevi ad compoſitionem deducatur. Ita cum id negotium nondum maturum videretur, tractatio qvidem non ſuſpendebatur; digreſſo tamen Gœdeno, Hunico, & Fuchſio, & mox interveniente Electoris morte ea pauliſper interqvievit; cujus confectæ gloria poſt hujus ſucceſſori filio reſervabatur.

Anglicorum motuum origo.

§. 84. Deniqve & apud Anglos jam ab aliqvot annis ingentium motuum materia jam fumabat, levi momento in terribile incendium eruptura. De qvo ut altius repetamus, operæ pretium videtur. Angliæ igitur regnum ut ſitus opportunitate, ac ob domeſticas, & per commercia qvæſitas opes, nationisqve egregiam virtutem, ac præcipue maritimas vires inter primarios Europæ Status locum ſibi vindicat: ita cum tertio abhinc ſeculo Gallis ſemper prævaluiſſet, ſed poſt inteſtinis turbis exterarum curam avertentibus pulcerrimis in Gallia provinciis exutum fuiſſet, id ſibi deinceps negotium datum credidit, æmulos populos, Hiſpanos, Galloſqve æqvilibrio temperare. Qvo nomine ſuperiore ſeculo inſignem gloriam qvæſivere Henricus VIII, & Eliſabetha regina, eoqve ipſo bellicoſæ nationi campum præbuere exſerendæ virtuti, ſimul otium ferre neſcios alienis armis exercendos objecere, ne domi res turbandi occaſio foret. Atqve hæc qvidem Hiſpanorum tunc enormes vires accidit, ſimul protectricem ſeſe tulit Reformatæ religionis, ac omnium Proteſtantium aſylum, qveis alibi perſecutio incumbebat. Ab iſthoc inſtituto qvatuor è Stuartorum familia Reges dum diſceſſerunt, hoc ipſo graviſſimorum ſuo populo motuum materiam, vicinis ſervitii periculum ſtruxerunt. Et Jacobus I. qvidem ſegnitia ingenii per langvidam pacem exacto regimine inſuper habuit, Galliam per oppreſſos Hugenotros ad formidandam vicinis potentiam ſibi viam munire. Cum primis autem is familiæ ſuæ, nationiqve infinitam calamitatum ſegetem paravit, dum filio Carolo Henriettam Mariam Ludovici XIII Franciæ Regis ſororem connubio junxit; inter plurima hujus ſeculi exempla, uti neſcio qvo fato, an genio nationis infinita mala velut dotalia exterorum domibus illata ſint, qvibus Gallicæ fœminæ innupſerunt. Sicuti Viciſſim Hiſpanicæ, ac Palatinæ familiæ magno conſtitit, filias ſuas Gallis nuptum dediſſe. Iſtius porro pacto inter alia cavebatur, ut ex ea naſcituri filii ad decimum tertium usqve annum ſub matris directione educarentur; qvo ætatis ſpatio non poterat non teneris animis Romani ritus amor inſtillari. Simul ſub Reginæ patrocinio ingens ſacerdotum numerus in Angliam pertrahebatur, qveis ſacra ſua qvovis modo propagare, ac diverſa ſubvertere indefeſſum ſtudium eſt. Ejus connubii triſtis fructus paulo poſt adparuit, dum oſtentato inanis auxilii ex Anglia ludibrio prodita Rupella Galliam velut compede exſolutam ad inſultandos vicinos validam reddidit. Et ipſe Carolus, dum uxoris ab exteris ſacerdotibus pendentis in-

1685. ſtinctum magis, qvam regni ſui rationes ſeqvitur, cum populo demum ſuo armis collitus infelicitatis ſeſe exemplum ad omnem poſteritatem effecit. Ab uſurpatore Cromvello vix ſana conſilia exegeris; cui ſatis habebatur violentam poſſeſſionem dum viveret tueri, nulla eandem ad poſteros tranſmittendi ſpe. Qvi & per importunum cum Belgis bellum, & dum Gallos ſublevat, haut parum ad alterandam Europæarum virium temperiem contulit. Aſt Carolus II, qvem diuturnum exilium, & triſte patris exemplum ſapientiorem reddere debuerat; cum Proteſtantium extra regnum rationes fulcire, & æqvilibrium Europæ per Pyrenæam pacem conſtitutam tenere officium fuiſſet, Gallicis illecebris dementatus plus fere ad incrementa Galliæ contulit, qvam absqve eo hujus arma, & pecuniæ potuiſſent. Is primum ſuperfluo cum Belgis bello colliſus opes, famamqve non parum imminuit. Inde cum fraudes Galliæ tanto ſpecimine ſenſiſſet, velut ad bonam mentem rediturus fœdere cum Svecis, Belgisqve inito Gallorum libidini frænum injicere velle viſus eſt. Sed qvibus haut in arduo fuit imbellem animum blanditiis, largitionibus ac muliebribus illecebris expugnare, ut ſecreto fœdere, cui à Caroli ſorore Henrietta Aurelianenſis Ducis conjuge anno 1670. Duveræ deſignato poſt Portsmuthia ſcortum regium ſupremam manum impoſuit, cum Gallo ſuper ſubigendo Belgio Unito conveniret: ac ut in Angliam Romani ritus introducerentur, ſublataqve Parlamenti ac legum autoritate omnia ad libidinem regis referrentur. Poſt id bellum injuſte ſuſceptum, inglorie geſtum iſte ſeqveſtris partes non minus ſiniſtre egit, & cum ſatis prohibere poſſet, permiſit, ut Gallus tam exitiabili Europæ pace Neomagi potiretur, qva mox proterve infracta maximi momenti loca inani prætexto uſurpavit. Cum interim ipſe domi populum ſuum ſuſpectans, idemqve populo ſuſpectus inglorium regimen exegit. Is verbis qvidem Proteſtantium religionem profeſſus clam Romanis dogmatibus addictus fuit. Qvam in rem confeſſio propria manu conſignata poſt mortem in ſcriniis ejus reperta, & à ſucceſſore fratre typis exſcribi, mox ſupprimi juſſa eſt. Cui ab hoc annua juſta ritu Romano in ſacello regio facta ſunt. Idem cum fœdam inter ſimulationem orbi illuſiſſet, morti vicinus dum coronam Jacobo fratri tradit, dixerat; *cave ne facias, ut ea in proprium tuum caput ruat.*

Jacobi II. initia.

§. 85. Huic extincto Jacobus frater ſucceſſit, antea Eboracenſis Ducis vocabulo dudum populo inviſus ob Romana ſcita, qvæ palam profitebatur, & qvia ſemper Gallo cupita enixo ſtudio propugnabat. Qvo conciliante & uxorem accepit Mutinenſem Mariam Eleonoram, qvæ liberalius à Gallo habita fuit, ſoluta qvoqve maxima dotis parte, ſi non tota, qvam ut id ſimplici amicitiæ, aut cognationi datum credi poſſit. In eo cum Papiſtæ dudum omnem felicitatis ſuæ ſpem repoſuiſſent, velut præſumtivo Coronæ hærede, ejusdem clandeſtino patrocinio in Caroli II. Conſilium ſeſe inſinuare cœperunt, qvi ſingulari indulgentia fratrem proſeqvebatur. Sed qvia hujus regnum ipſorum votis haut commodum reperiebatur, velut qvi ritus Romanos clam probatos palam præ ſe ferre non audebat; aliam viam inveſtigabant, ut amoto Carolo Eboracenſi locum facerent, qvo regnante Eccleſiam ſuam triumfantem ſeſe conſpecturos augurabantur. Sed rumor de Papiſtarum conſpiratione ita nationem excitaverat, ut vivo adhuc fratre *Inferior Domus* nemine contradicente eum coronæ incapacem condito decreto declararet. Super qvo ad *Superiorem Domum* relato cum præſente Rege ſententiæ perrogarentur, illi, qvi decretum rejiciebant, non niſi ſex ſuffragiis cæteros id adprobantes excedebant; inter qvos priores pleriqve Epiſcopi erant, ſic ut his deberet Eboracenſis, qvod tunc publica lege à corona excluſus non eſſet. Is tamen uti initio Imperii de ſacris, ac legibus Angliæ in præſenti ſtatu ſervandis prolixe aſſeverabat: ita vix ullus Regum, qva memoria ejus regni porrigitur, Parlamentum ita facile, ac promtum in omnia, qvæ expetebat, reperit. Nec minus fortunam inter primordia expertus eſt faventiſſimam. Nam Argatheliæ Comes in Scotia tumultum movens levi negotio oppreſſus eſt. *Argyle.* De qvo motu cum Jacobus Rex Arauſionenſi, & Belgis per literas ſignificaret, hi protinus legiones ex Anglis, & Scotis compoſitas, qvæ apud ipſos ſtipendia merebant, in Angliam trajecerunt. Mox cum Jacobus Monomuthenſis Dux è Belgio modica cum manu in Angliam exſcendiſſet, regnum ſibi vindicaturus, qvaſi mater ſua Carolo Regi juſto matrimonio juncta fuiſſet; ſimul edito ſcripto hunc à fratre Jacobo veneno ſublatum argueret: Parlamentum magno ſtudio ad tutandum Regem incubuit, ac ſtatim Monomuthenſem rebellem, ac procuratorem declaravit, V M librarum in ejus caput conſtitutis, promte qvoqve pecuniis in Regis uſum decretis. Hujus deſtinatis multum obfuiſſe credebatur, qvod protinus atqve

Monmouth.

Infelicem Monomuthenſis conatum.

in

1685. in terram exſcendiſſet, Regem ſe proclamari curaſſet; cum ſi initio non niſi defenſorem ſe religionis, ac libertatis tuliſſet, magnus hominum conſluxus ad eum futurus fuiſſe crederetur. Idem cum per aliqvot dies impeditis locis ſe tenuiſſet, ubi commode ſe dilatare non poterat, ac annona mox defectura eſſet, fortunam tentare, ac multa adhuc nocte caſtris progreſſus Feversham copiarum regiarum ducem imparatum opprimere inſtituit. Etſi cum difficiliores viæ incedentes morarentur, regiis ſpatium fuit ſeſe in ordines digerendi. Et à peditatu qvidem Monomuthenſis acerrime pugnatum eſt. Sed eqvitatus, cui Grayus præerat, protinus in fugam abiit, qvod eqvi ab agreſtibus raptim contracti ſtrepitu tuborum, & emicantibus ignibus ordines ſolviſſent. Ac dicebat poſt cladem Monomuthenſis: *modo mille eqvos bellatores habuiſſet, victoriam penes ſe fuiſſe futuram.* Aliqvi tamen Grayi proditionem ſuſpicabantur, qvi captus non diu poſt libertati, ac gratiæ Regis reſtituebatur. Rex qvoqve pronuntiabat: *hac occaſione ſe didiciſſe, qvid veteranus miles contra turbam recens contractam valeat. Nam ſibi fuiſſe duxaxat M DCCC pedites, DCC eqvites, qvi rem confecerint. Sic & qvondam Turennium cum VII M militum Regi Galliæ diadema conſervaſſe.* Pro numero copiarum magna cædes facta eſt, qvia foſſæ, qveis ea npus interſcindebatur, fugã impedirent. Ac poſt miſſi à Rege ad loca, qva Monomuthenſis egerat, in participes tumultus aſpere ſævierunt.

2. Jul. Ipſe Monomuthenſis in foſſa, ubi ſe occultaverat, inventus, captusqve eſt die viceſima ſeptima, poſtqvam in Angliam adpuliſſet. Ut vitam ſervaret, ſupplicibus literis, verbisqve à Rege veniam petiit; tum ſcripto declaravit, ſe coactum Regis titulum allumere, ac proclamationem ſe invito factam: Carolum qvoqve Regem ſibi dixiſſe, matrem ſuam ipſi connubio haut fuiſſe junctam. Aſt degeneres preces incaſſum conſumtæ, ac is ante Turrim Londi-

15. Jul. neuſem ſecuri percuſſus eſt, ad extremum usqve inficiatus, ſeſe rebellionis crimine teneri. Pro more Romanæ religionis ea victoria non ſoli Deo in acceptis relata fuit; ſed Regis confeſſionarius Capucinus, dum in ſacello Windeſorenſi in laudem Beatæ Virginis declamat, inter alia ad Regem converſus dicebat: *eum nunqvam melius qvid feciſſe, qvam dum ſe, ac regna ſua ſub ejus protectionem commendavit, cujus frontis eius nuper tam luculentus ſit conſpectus.* Ea victoria Jacobi res qvam maxime firmaſſe viſa eſt, qvod ejus tumultus occaſione egregium militem contraheret, qvem poſt 1685. reſtituta qviete retinuit, ac ad XXIV M auxit. Ut porro cum Belgis, qvi tam promte auxilia ſubmiſerant, paria faceret, fœdus cum ipſis renovabat, legato Gallico fruſtra renitente. Cujus ratihabitio cum hinc inde traderetur, legatis Belgarum dicebat; *Primum hunc eſſe tractatum, qvem regno poſitus fecerit; eundemqve à ſe optima fide ſignatum, id qvod & à Belgis pari candore ſuorum ſperet. Olim qvidem ambos populos alieno inſtinctu multa feciſſe dementiæ proxima, ac armis gravia mutuo damno intuliſſe. Sed par eſſe, ut deinceps ſapientiores ſint.* Cum etiam legatus Gallicus de actione Aurelianenſis in Palatinatum moveret, Rex reſpondebat: *Sibi non conſtare, utrius cauſa juſta ſit, ac ſua nil intereſſe, uter ea regione potiatur. Id tantum declarare, ſemper ſe aggreſſori, qvisqvis iſte fuerit, adverſum fore.* Addebat; *primum fructum fœderis ſui cum Belgis fuiſſe, qvod Gallus deciſionem litis Palatinæ in Pontificis arbitrium contulerit.* Etſi idem Belgicis legatis diſcedentibus levi brachio exprobraret; plerosqve è magiſtratu Amſtelodamenſi conſcios fuiſſe navis, qvæ Monomuthenſem ex eo portu in Angliam transvexerit; qvos inter conſulem Witzenium nominabat. Sed & è Gallia ob religionem profugi humaniter ab iſto excepti, & populus edicto monitus, ut eos collatis pecuniis ſublevet. Etſi legatus Gallicus præfracte negaret, in Gallia cuipiam vim ob religionem inferri, productis à Curtino ſcriptis literis, qveis jactabatur; *LXXV M Hugenottorum in Languedocia ex bono inſtinctu, & divina inſpiratione Catholicam religionem amplexos.*

Conatus Jacobi ſuper introducendo in Angliam Romanis ritibus ſe exſerunt.

§. 86. Poſtqvam igitur Rex ſuas res egregie ſtabiliiſſe ſibi viſus fuit, aperte jam Romanos ritus publice in Angliam introducendos enixum ſtudium expromere cœpit; ac eidem addicti confidenter in publico adparebant. Medicus regius magna cum pompa adhibitis Romanæ Eccleſiæ cerimoniis ſepeliebatur, Rege ſumtus funeris præbente. Windeſoræ monachus Auguſtinianus habitu ſui ordinis concionabatur. Romam legatus teſtandæ erga Pontificem venerationi deſtinabatur Caſtelmainus Clevelandiæ maritus, qvæ Carolo Regi corpus proſtituerat. Viciſſim Roma in Angliam veniebat Dada Comes, Nuntii functionem apud Regis aulam obiturus; qvi initio privati, ac ſecularis habitu agebat. Sed demum urgente Rege, ut legati dignationem aſſumeret, biennio poſt ſelenni ingreſſu habito publice perſonam ſuam egit.

1685. Eum cum Somerſetiæ Dux ad primum Regis alloqvium deducere juberetur, idqve recuſaret, omnibus muneribus qvæ gerebat exutus eſt. Albemarlæ autem Dux, ne eadem ſibi functio injungeretur, per biduum ſeſe occultabat. Inprimis autem id agebatur, ut leges, qvæ compeſcendis Pontificiæ religioni addictis in Anglia obtinent, abolerentur. Ibi qvippe conſtitutum eſt, ut qvicunqve munus aliqvod publicum ſuſcipit, intra trimeſtre jusjurandum præſtet, qvod ipſi ab initiali vocabulo *Teſte* vocant, hoc ſenſu. *Ego N. N. teſtor & declaro ſolenniter & ſincere in præſentia Dei, qvod credam, in Sacramento Cœnæ Dominicæ non eſſe tranſſubſtantiationem elementorum panis & vini in corpus & ſanguinem Jeſu Chriſti, nec poſt conſecrationem horum elementorum per qvemcunqve factam: ac invocationem atqve adorationem Virginis Mariæ, aut cujuscunqve alterius Sancti, & ſacrificium Miſſæ, prout hæc nunc in uſu ſunt Eccleſiæ Romanæ, eſſe puram ſuperſtitionem, atqve idololatriam. Ego qvoqve teſtor & declaro ſolenniter in præſentia Dei, qvod faciam hanc declarationem, & qvamlibet ejus partem in ſenſu claro & ordinario verborum, qvæ mihi ſunt prælecta, & qvomodo communiter intelliguntur ab Anglis Proteſtantibus, ſine ullo ſubterfugio, aqvivocatione, aut reſervatione mentali, qvalicunqve ſit, ac ſine ulla diſpenſatione, qvæ mihi hoc nomine indulta ſit per Papam, aut per qvamlibet aliam autoritatem, & perſonam qvamcunqve, & ſine ulla ſpe ejusmodi diſpenſationis concedendæ per qvamcunqve perſonam, aut autoritatem; & ut non credam, qvod ſim aut poſſim eſſe liber coram Deo aut hominibus, aut abſolvi ab hac declaratione, aut ulla ejus parte, ſi maxime Papa, aut qvivis alius, vel alii, aut qvalicunqve poteſtas mecum circa eam diſpenſaverit; aut hanc declarationem annullaverit, aut declaraverit, eam nullam eſſe ab initio ad finem.* Erant & pœnæ per leges conſtitutæ in eos, qvi diverſam ab Anglicana religionem profitentur; puta, ut teſtamenti factionem non haberent; ut ob debita alios non poſſent in jus vocare; ut qvotiescunqve ipſi in jus vocarentur qvamcunqve ob cauſam, D libras Sterlinenſes exſolvere cogerentur, & plura id genus. Cum autem magna pars præfectorum militarium Romanæ ſectæ eſſent addicti, qvibus Rex præcipue confidebat, id primo agebatur, ut hi neceſſitate jam dicti jurisjurandi exſolverentur; id qvod recenti documento fidei in Regem meriti ſint, eoqve munera ſua continuare poſſent.

§. 87. A Parlamento igitur Rex duo petebat; ut pecuniæ alendo exercitui, qvem ſub ſignis habeat, conferantur, ac ne Catholici præfecti, qvi in exercitu erant ad ſeptuaginta ſuperiorum fere ordinum, legibus pœnalibus, & ſolenni jurijurando forent obnoxii. Eam Regis orationem nullus plane à Parlamento adplauſus ſeqvebatur, qvod ea cum ſermone, qvem is primo Parlamenti ingreſſu habuerat, haut conſpiraret. Tunc enim pronuntiarat, ſeſe vitam pro emolumento nationis expoſiturum, ac religionem Eccleſiæ Anglicanæ protecturum. Sed nunc ambigue dicebat, ſeſe *veras nationis rationes* tuiturum, nulla religionis facta mentione. Qvo ſuper negotio cum in Parlamento multum in utramqve partem diſceptatum fuiſſet, demum placuit ſcripto à Rege præfectorum Catholicorum exautorationem petere, qvo omnis materia metus, ac ſuſpicionis tollatur: ut tamen impenſæ qvas fecerint iis refundantur, ac iidem pœnis eximantur, qvas alias incurrerant, qvod intra trimeſtre jusjurandum ſolenne non præſtiterint. Id ſcriptum cum Regi offerretur, is voce ac vultu ad ſeveritatem compoſito reſpondit: *ſale ſcriptum ſe haut expectaſſe. A ſe hucusqve acta ipſis demonſtrare debuiſſe, promiſſis ſuis confidi poſſe; nec ſe credere, iſta metus, aut ſuſpicioni locum dediſſe. Se tamen operam daturum, ut ipſis ſatisfaciat, ac omnibus orationibus ad Parlamentum habitis ſtaturum.* Etſi autem pleriqve ex iis, qvi ſcriptum obtulerant, ſolito ſtrepitu Regis ſermoni adplauderent; prudentioribus tamen is haut qvidqvam placebat, qvod fieri non poſſet, ut Rex omnia orationibus ſuis promiſſa præſtaret, cum poſteriores prioribus contradicerent. Nec obſcure inſinuabatur, Regi voluntatem pro ratione futuram. Cum itaqve Rex perſpiceret, Parlamentum nolle ad ipſius placitum ſeſe componere, ad diem X Februarii proximi anni id comperendinabat. Nam volebat qvidem Parlamentum eos præfectos pœnis qvas incurrerant eximere, ſed qva exceptione lex in reliqvis caſibus firmabatur, qvam tamen Rex plane ſubvertere cupiebat. Aſt in Superiore Domo Henricus Epiſcopus Londinenſis, Devoniæ Comes, Halifaxius Marchio, Mordantius Vicecomes ei præfectorum Catholicorum executioni graviter contradixerant, ac inter alia Epiſcopus diſſeruerat: *leges has comparatas eſſe, uti aggeres Hollandiæ; in qvibus ſi aqva exiguum foramen inveniat, brevi totam regionem inundari, patentiore ſemper hiatu; ac ni mox remedium*

1685. *Parlamentum Regis conatui non probantur.* 11. Nov.

17. Nov.

1685. *medium adferatur, terris plane exitium intentari. Eodem modo rem sese cum Catholica religione in Anglia habere. Nam si præfecti isti munia sua retineant, brevi omnia munia eo hominum genere impletum iri. Quo ipso mutuam confidentiam inter Regem & Parlamentum tolli.* Evocabat inde Rex Witehalam Judices Angliæ, qvi in Superiore Domo sedent, non qvidem cum jure suffragii, sed ut Parlamentum, si super jure qvæstiones incidant, informent; qvos interrogabat; *An non Rex circa solenne jusjurandum dispensare possit?* Qvi id negabant; *eum tamen posse, qvi jusjurandum non præstitissent, pœnis per leges dictatis eximere.* Unde statim diplomata pro septuaginta tribus præfectis expediebantur iis pœna legum exsolvendis. Id qvod specimen habebatur legis penitus convellendæ. Etsi enim summis imperantibus facile concedatur, ut, ubi graves id rationes svaserint, uni & alteri pœnarum per leges decretarum gratiam facere possint: si tamen ea exemtio promiscue indulgeatur, sublato legis vigore hæc deinceps inane ludibrium erit; præsertim ubi non à placito Regis pendet leges ferre & abrogare, sed ubi legislatoria potestas non nisi cum consensu populi exerceri potest. Rex autem ut indignationem suam apricaretur, eos, qvi in Parlamento contra ipsius placitum sententias dixerant, muneribus, qvæ à se obtinebant, exuebat; qvo ipso tamen hi non minus Parlamenti membra manebant, ac ea injuria magis obfirmabantur. Episcopus qvoqve Londinensis privato Regis Consilio dimovebatur, ademto insuper munere Decani in sacello Regio Witehalæ; qvæ functio in Durhamensem Præsulem studii in Romanos ritus manifestum conferebatur.

Plura subinde à Rege tentantur. 25. Febr. 1686.

§. 88. Postulabat inde Rex à Cantuarienſi, & Eboracensi Archiepiscopis, ut conciones diebus dominicis à meridie haberi solitæ intermittantur, qvibus elementa doctrinæ Christianæ explicantur; qvod in iis controversiæ super religione tractari soleant, qvæ non possint non animos civium opinionibus dissidentium irritare. Post aliqvam deliberationem Præsules responderunt: *id fieri non posse, qvod ea præcipua pars liturgiæ sit. Se tamen ad universum clerum mandata emisisse, ut in iis concionibus verborum modestia adhibeatur, ac mordacibus dictis abstineatur.* Sane Ministri acrius inde controversa dogmata disceptabant; unde arguebantur, velut dissidii origo ab ipsis protecta foret. Darthmuthus Comes offensam Regis incurrebat, qvod dixisset: *Reginam esse Italam, & sacerdotibus obnoxiam, qvæ Regem pro lubitu temperet.* Ut autem cultus publicus Romani ritus paulatim introduceretur, Stamfordus qvidam natione, titulum Residentis Palatini gerens, ingentem Londini domum conducebat, in sacelli formam inde adaptatam; in qva sex Sacellanos alebat concionibus Anglica lingva habendis. Multis cavillantibus, melius facturum Palatinum, si pecunias firmandæ suæ militiæ adhiberet, qvam easdem vana pietatis ostentatione introducendæ in alieno regno Missæ prodigeret. Id exemplum reliqvi Catholicorum Principum ministri seqvebantur; Rege severis edictis sanciente, ne qvis nova ista sacella violare audeat. 1686.

Novum tribunal Ecclesiasticum instituitur. 16. Jul.

§. 89. Novum dehinc à Rege tribunal instituitur exercendæ supremæ circa sacra jurisdictioni; qvod tribus Præsulibus, Cantuarienſi, Durhamensi, & Rochestiensi, qvatuor secularibus, Cancellario, Thesaurario, Præside consilii privati, & summo Capite Justitiæ componebatur. Ejus tribunalis jurisdictio in omnes Ecclesiasticos, ac doctores Academiarum toto regno porrigebatur, cum potestate immorigeros ab officio suspendendi, nulla ad Episcopos provocatione permissa. Sigillo isthæc verba exprimebantur: *Sigillum Commissariorum Regis ad causas Ecclesiasticas.* Eidem jus visitare Academias, omnes Ecclesias cathedrales, & collegiatas, scholas, & xenodochia; mederi omnis generis abusibus; in cujusvis generis delicta ecclesiasticis pœnis obnoxia animadvertere interdictione, suspensione, & excommunicatione; nova statuta condere, non obstantibus qvibusvis privilegiis, & exemtionibus. Prima ejus Consilii sessione Archiepiscopus aberat, valetudinem excusans; etsi deinceps qvoqve nunqvam eo accessit. Unde præsidis vices sustinebat Cancellarius Jeffreisius, acerrimo in Protestantium sacra odio flagrans. Id tribunal ut initio autoritatis suæ terrorem diffunderet, ab illustri specimine initium fieri placebat, citato Episcopo Londinensi, qvod mandato Regis ab officio suspendere omisisset Doctorem Scarpium, qvi acerbe nimis in Romana sacra invectus arguebatur. Is cum super jurisdictione novi hujus tribunalis scrupulos movisset, post aliqvot dilationes demum ob inobedientiam erga Regem functione Episcopali exercendæ prohibitus fuit, salvis reditibus. Scilicet severitati aliqvid moderationis miscebatur, velut relicto muneris proventu eum ad pœnitentiam invitarent. Galli qvoqve, *Jeffreis.*

ut

1686. ut paulatim diſſidium inter Anglum, & Arauſionenſem ſererent, iſti perſvaſerant, ut Carlingsfortium Comitem, Hibernum natione, in Hollandiam mitteret, legionibus Anglicis apud Belgas merentibus præfuturum; qvem ibi admiſſum haut iri ſatis prævidebant. Sicuti & Arauſionenſis abrupte eum recuſabat, Rege non parum offenſo.

In Scotia circa religionem tentata. Teſt.

§. 90. Interim Rex in Scotia ſuper abolendo ſolenni jurejurando ad Parlamentum propoſuerat. Sed id non ulterius conſenſit, qvam qvod Papiſtarum vitæ, & corporibus vis non ſit inferenda, ſi cultus ſuos domi ſuæ exerceant, ſalvis de cætero qvibusvis legibus. Ea declaratione haut contentus Rex ad Conſilium Privatum Scotiæ literas dabat, qvarum ingreſſu inſinuabat: *Jus ſibi fuiſſe legum contra Catholicos ſeveritatem corrigere. Voluiſſe tamen de eo ad Parlamentum referre, qvo huic occaſio foret obſeqvium ſuum erga ipſum teſtandi. Negabat inde Catholicos ejusmodi homines eſſe, qvales iſtis legibus arguantur, qvi ab externa potentia jurejurando fidelitatis exſolvantur. Qvin eosdem patri, fratriqve ſuo, ſibiqve egregie fidem adprobaſſe in tumultibus per Proteſtantes excitatis. Cum itaqve ipſe Proteſtantibus protectionem præſtet, idem ſe Catholicis facturum. Et qvia Parlamentum credidere, ſe per ſolenne jusjurandum prohiberi, qvo minus in Regis voluntatem conſentiat, ſe nunc declarare; nunqvam mentem ſuam fuiſſe per iſtud qvenqvam excludere à facultate ſuffragium ferendi in Parlamento, ubi proponantur, qvæ ad utilitatem regni, & tranqvillitatem ac levamen civium faciant. Idqve jusjurandum non alio ſenſu accipiendum, cum in univerſum in juramentis is ſenſus valeat, qvem is qvi defert habet, non is qvi jurat. Unde ſibi animum non eſſe qvenqvam impedire, qvo minus conſenſum ſuum declaret circa qvamcunqve mutationem, qvæ diſerte dogmatibus religionis Proteſtantium non repugnet.* Inde haut obſtantibus legibus libertas indulgebatur Catholicis ritus ſuos intra privatos parietes exercendi. Tum ut ſacellum ſacris Romanis in regio palatio Edinburgi extruatur. Concionatoribus interdictum, ne populo inſinuent, qvaſi Rex violentam mutationem moliatur in negotiis conſcientias ſpectantibus, niſi autoritati regiæ repugnent, aut tranqvillitati regni obſtent. Haut minus ſeſe Epiſcopos, & reliqvum Clerum Proteſtantem circa liberum ſuorum ſacrorum exercitium contra Fanaticorum conatus tuiturum. Præterea cujusqve jura defenſurum, ac milites accurata diſciplina habiturum. Ad extremum mutua caritas commendabatur, qvæ tantopere ejusdem reipublicæ cives, & Chriſtianos deceat. Qvæ juſſa ſe exſecuturum Conſilium reſpondebat. 1686.

Plura indies in Anglia novantur.

§. 91. Aſt in Anglia res Pontificia indies latius ſerpebat. A Tribunali Eccleſiaſtico plurimi concionatores citabantur, qvi ſiniſtre in Romanam religionem locuti arguebantur. Rex edicto vetabat, ne feſtivi ignes pro more accenderentur eo die, qvo conjuratio *pulveraria* detecta fuerat. Jeſuitæ in loco, cui Sabaudia vocabulum eſt, domum conducebant habendis ſcholis, & qvidem gratis pro cujusqve religionis pueris in Latina, Græcaqve lingva, Poëſi, & Rhetorica; in qvibus nec magiſtri, nec diſcipuli de religione verba facere debeant, ac ut ea qvaliscunqve ſit nemini exprobretur: ac ut qvo tempore Miſſa, ac preces fiunt, & catechiſmus docetur, Proteſtantibus integrum ſit ſecedere, ſi velint. Addebantur promiſſa, ſeſe pueros intra biennium plus edocturos, qvam juxta vulgarem in Anglia informandi viam intra qvinqvennium profecturi ſint. Ad hos prima ſeptimana ducenti diſcipuli acceſſerunt, magnam partem Proteſtantes, numero indies gliſcente. Qvi confluxus aliqvot Epiſcopos, alios viros pios & locupletes movebat, ut & ipſi gratuitas ſcholas inſtituerent, ne pauperes parentes prætextum haberent filios ſuos ad Jeſuitas mittendi. Viciſſim Rex Catholicis licentiam dabat ſcholas aperiendi, qvibuscunqve regni locis placeret. *Miſſionarii* magno numero paſſim diffundebantur, qvi plebem oſtentatis pecuniis ad Miſſam invitabant. In publicis muneribus magna utiqve mutatio fiebat, qvibus Papiſtæ hinc inde intrudebantur; etſi Rex jactaret; id non fieri intuitu religionis, ſed à ſe munia promiſcue conferri in eos, qvos ipſe maxime idoneos judicet. Nec minus membra Parlamenti ſolicitabantur, ut proximo conſeſſu Regis ſeſe voluntati attemperarent. Iis proponebatur; *Regi animum eſſe iis duntaxat legibus derogare, qvæ factioſis temporibus condita, & contra ipſum directa ſint; nec qvid amplius optare, qvam ut Catholici eo in ſtatu relinqvantur, qvi fuerat, qvando frater ſuus in regnum reponebatur.* Ad qvæ cum pauci certii qvid promitterent, qvi ex reliqvis munia publica gerebant his exuebantur, ſurrogaris Papiſtis, qvorum numerus non amplius ſufficiebat ſupplendis locis vacantibus. Unde Cancellarius cenſebat; Regis inſtitutum facilius pervinci poſſe per præ ogativam regiam, qvam

à la Savoye.

1686. qvam per consensum Parlamenti; ac ut isti exercendæ prætextum foret, *Judices Pacis*, qvi pleriqve Catholici erant, instigandos ad supplicandum Regi, ut molestas ipsis leges abroget; qvo id cum consensu populi factum videretur.

De permittenda qvarumvis religionum libertate. 22. Febr. 1687.

§. 92. Mox tamen plausibilior, ac pronior via abolendis, qvi Papismo obstabant, legibus visum fuit, libertatem qvibusvis legibus concedere. Cujus specimen ut caperetur, literæ à Rege ad Consilium privatum Scotiæ mittebantur, qvibus injunctum, ejusmodi *Proclamationem* promulgare, ac typis excudendam curare. Cujus exordio Rex exponebat, *uti considerarit magna incommoda, qvæ ab aliqvot annis regno suo Scotiæ obvenerint è discrepantibus circa Christianam religionem opinionibus, & exingentibus odiis eorum, qvi has profitentur. Unde provenisse ruinam commerciorum, vastitatem agrorum, caritatis extinctionem, ac regiæ potestatis contemtum; ac invicem veræ religionis, ac pietatis subiisse odia, injurias, factiones, & aliqvando sacrilegia, & proditiones. Itaqve sibi decretum, animos suorum civium unire cum Deo per religionem, cum regia majestate per fidelitatem, ac inter se invicem per Christianam caritatem. Eo fine pro suprema sua autoritate, regiaqve prærogativa, & absoluta potestate, cui omnes cives citra exceptionem obtemperare oporteat, tolerantiam indulgere omnibus, qvi Christianam religionem profitentur, his legibus, ut moderati Presbyteriani sacra sua intra domos suas exerceant, ut tamen nil agant, aut loqvantur in fraudem Regis, aut regni, ac ne templa extruant. Contra omnes conventus in apertis campis gravissima sub pœna interdicti sint. Tremulis qvoqve suos conventus agitare liceat. Præterea se considerasse crudeles leges sub avi sui Jacobi minore ætate absqve consensu, & contra officium bonorum civium latas per rectores regni, & alios inimicos Reginæ Mariæ, per qvas leges sub prætexto religionis deterrimas proditiones., factiones, atqve usurpationes exercuerint; qvas leges illi tulerint, non velut contra inimicos Dei, sed velut contra ipsorum adversarios: qvæ hactenus in speciem retentæ sint haut eo animo, ut ulla earum executioni detur, sed ad incutiendum terrorem, qvod aliis persvadere vellent, Papistas velut extraneæ potentiæ suffultos obedientiam ac fidem legitimis suis Principibus præstare non posse. Ast se per longam experientiam certo edoctum, uti summa doctrinæ catholicæ eo tendit, ut homines reddat bonos Christianos; ita non minus eandem obedientiam, & fidem erga Principes civibus ingerere; qvam & Catholici sibi, ac suis antecessoribus qvavis occasione adprobarint, qvo eorum defensione bonis, ac vita periculo expositis, utut isti diversæ religioni essent addicti, & qvos prodere, ac vi opprimere nitebantur, qvi maxime severas istas leges fovebant. Igitur se cum consensu privati Consilii, & ex suprema autoritate, prærogativa regia, & absoluta potestate suspendere, sistere, atqve omni modo abolere omnes leges, & acta Parlamenti, omnes consvetudines, & constitutiones antehac factas, & executioni datas contra cives suos Catholicos; tum omnes prohibitiones, qvarum ibi fit mentio; omnesqve pœnas & mulctas per easdem dictatas. Sic ut istis omni modo non minus, qvam civibus suis Protestantibus non solum liberum sit sacra sua exercere, sed & munia qvævis gerere à se ipsis collata, aut deinceps conferenda. Ut tamen cultum suum intra domos, ac sacella sua exerceant, processionibus per plateas publicas haut institutis. Idqve à se decerni, qvia sui cives per fidem sibi datam, & ex vi supremi imperii sibi morem gerere teneantur; & qvia nulla lex, consvetudo, constitutio, nullum discrimen religionis, aut aliud qvid ipsos congenita erga Coronam obligatione exsolvere, aut se prohibere qveat, qvominus istos protegat, ac suo ex placito muneribus admoveat. Unde & à se irrita declarari juramenta, per qvæ muneribus in hoc regno gerendis excluſi fuerint, simul vetari, ne eadem amplius præstentur; in qvorum vicem substituatur aliud jusjurandum simplici admodum forma,* (cujus formula addebatur.) *Tum à se aboleri omnes pœnas, qvas alias incurrerint, qvi hactenus eas in leges impegerunt. Haut qvidqvam tamen se ullis conscientiæ vim illaturum, aut ulli molestiam facessiturum ob Protestantium religionem; sed hanc, & Episcopos, atqve Clerum circa exercitium suorum sacrorum, ac bona, reditusqve suos defensurum. Tum nullo religionis discrimine subditis suis munia pro cujusqve merito collaturum, qvamdiu iis concordiam, atqve caritatem cordi esse adparuerit. Eos, qvi odia in cives suos exservuerint, gravem suam indignationem incursuros.* Ad eas literas Consilium Scotiæ magna cum devoti animi significatione respondebat; se omnia executioni daturum, ac in Regis voluntate adqviescere; ac sperare, promissis Regis maximam cautionem inesse.

1687.

Super eadem apud Anglos acta. 11. Mart.

§. 93. Ast in Anglia post aliqvoties iteratas Parlamenti prorogationes, cum jam qvadragesimus dies adpropinqvaret, qvo idem vel comperendinandum, vel ejus consessus permittendus erat, in privato Consilio acriter disceptabatur, qvid agendum foret. Aliqvi enim censebant, consessum Parlamenti permittendum, sed

1687. initio nil præter præliminaria proponenda, è qvorum successu adpariturum, qvid de primario negotio expectandum sit. Ac tunc discerni posse, qvinam revera Regi studeant, ac num fidem in eam rem servent, qvi eam dederunt. Alii contra disserebant; consessum Parlamenti Regis destinatis haut conducere, ni de ducentis suffragiis cautum sit; qvod ejusdem dissolutio multis rumoribus, ac malis causam præbere qveat. Ac potius in hoc negotio jure prærogativarum regiarum utendum. Ita demum 18. Mart. Rex decrevit Parlamentum ad Novembrem usqve mensem differre, ac interim libertatem religionis, uti in Scotia factũ erat, promulgare. Hujꝰ rei Rex in Consilio istas rationes proponebat. *Sibi observatum, etsi qvatuor sui antecessores magno studio sacrorum uniformitatem stabilire tentarint, istiqve conatus per eorum temporũ Parlamenta suffulti sint; eosdem tamen successu caruisse. Coactionem adversus dissidentes adhibitam iis ad unionem adducendis nationi Anglicanæ magno detrimento cessisse; id qvod ex horribili seditione adparuerit, qvæ sub Parente suo desævierit. Ingentem qvoqve numerum legum pœnalium sub prioribus Regibus, ac præcipue Fratre suo regnante factarum dissidentium multitudinem auxisse magis, qvam imminuisse. Ad pacem & tranqvillitatem hujus regni nil magis facere posse, qvam libertatem conscientiæ, per qvam & multitudo hominum, & commercia, & cum his opes gliscant: è qvibus magnitudo alicujus Principis magis, qvam è latitudine finium metienda sit. Suam sententiam, qvæ & cum scitis doctrinæ Christianæ maxime conveniat, semper fuisse; ob religionem neminem persequendum, nec conscientiis vim inferendam; idqve ut à se tentetur, rationes Regis Anglicani nunqvam svadere posse.* Scilicet initio Pontificii Ecclesiæ Anglicanæ addictis per blanditias adrepserant, ut eos in casses pertraherent ad labefactandas leges. Qvod cum non succederet, *Non-conformistis* blandiebantur, qvos antea tanqvam fecem vulgi, ac desperatæ malitiæ homines increpaverant. Enimvero Episcopus Bathensis multa cum libertate contra disserebat: *Nil magis rationibus Regis repugnare, qvam eas leges, de qvibus proponatur, abrogare. Per solenne jusjurandum unice ei facultatem præberi, ut fidem Parlamento, & Ecclesiæ Anglicanæ servare possit. Hoc vinculo semel abrupto Pontificios sacerdotes effecturos, ut Rex semper novi qvid aggrediatur.* Ast Rex hoc monito insuper habito edictum emittebat de non amplius persequendis *Non-conformistis*, utqve jam accusati liberentur, & mulctæ iisdem restituantur, nisi jam erogatæ sint. Sed qvia 1687. in Scotia Presbyteriani novum jusjurandum præstare abnuerant, qvod in *Proclamatione* super libertate religionis extabat, similis formula *Proclamationi* Anglicanæ haut inserebatur. Ac dicebat Rex Ronqvillo legato Hispanico, cum magna hominum multitudo ob persecutionem è Gallia in Angliam profugeret: *Satis se nosse, qvanto talis religionem propagandi modus Hispaniæ constiterit. Unde se id exemplum haut secuturum, nec cujuspiam conscientiæ vim illaturum.* Cum tamen Rex eam proclamationem in Consilio prælegi juberet, unus duntaxat surgebat, qvi eam laudaret; reliqvi tacebant. Ast Presbyteriani ea proclamatione haut lætabantur; qvin metus Papismi validius eos compellebat, ut Anglicanæ Ecclesiæ sese associarent, qvam qvicqvid hucusqve Episcopi eo fine moliti fuerant. Vicissim multi libelli nullo autore disseminabantur super injustitia legum pœnalium, & solennis jurisjurandi. Inter qvos etiam unus prorepebat à Tremulorum antesignano Wilhelmo Penno conditus, (qvi sub larva Jesuita credebatur,) qvi Clero Anglicano exprobrabat, eum unice in causa esse, qvare tam asperæ leges latæ, & hucusqve exercitæ sint, è qvibus omnes turbæ in hoc regno promanarint. Qvo ipso Presbyterianos in Episcopales irritare studebat. Sed isti ab ea re plane abhorrebant, ab in novissima eorum congregatione qvidam maxime ingenio polleus disseruerat: *Necessum esse, ut ipsi sese considerent sicut pegma aliqvod extruendo ædificio adhibitum, qvod initio humile, inde gradatim ad parem cum ipso ædificio altitudinem extollitur, ast perfecto ædificio penitus amovetur.* *Penn*

§. 94. Jam itaqve promulgabatur edictum Regis super libertate conscientiæ hoc sensu: *Sibi nil magis in votis esse, qvam regimen suum ejusmodi fundamento superstruere, per qvod cives sui felices reddi, atqve secum non minus amore, qvam officio uniri qveant. Cui simi ipse optimum judicarit liberum religionis exercitium omnibus suis civibus indulgere, conjunctum cum perfecta fruitione bonorum, ac jurium cuiqve competentium. Eqvidem optare se, ut omnes sui populi ritibus Romanis addicti sint. Grates se tamen Deo debere, qvod semper ea sibi sententia fuerit, religioni, & conscientiis vim adhibendam non esse. Qvod & idem contra rationes reipublicæ sit; cum ejusmodi coactio commercia interrumpat, frequentiam hominum imminuat; exterosqve, qvo minus accedant, absterreat, ac nunqvam finem, cui* *Libertas conscientiæ in Anglia promulgatur. 5. April.*

adhi-

1687. *adhibetur, asseqvatur. Id qvod etiam ex iis, qvæ sub qvatuor prioribus regnis circa religionem actitata sint, constet. Nam postqvam tam sæpe, ac tam enixe laboratum fuerit, ut isthoc in regno uniformis religio constitueretur; successum hautqvidqvam conatus respondisse, ac insuperabiles sese difficultates istis votis objecisse. Sese igitur cura, & affectu erga suos cives ductum, qvibus vitam jucundam, & tranqvillam conciliare, simul commercia augere, & exteris animum huc migrandi addere cupiat; consultum duxisse, hanc indulgentiæ declarationem vi prærogativæ suæ regiæ edere; nec dubitare, qvin Parlamentum secum sit consensurum, ubi id convocare sibi placuerit. Sic itaqve primo sese tuiturum Archiepiscopos, Episcopos, & alios suos cives Ecclesiæ Anglicanæ addictos circa liberum suæ religionis exercitium, & plenam, ac pacificam suorum bonorum fruitionem. Simul tamen declarare, in posterum suspensam fore exsecutionem omnium legum pœnalium circa res Ecclesiasticas, sed ne ea libertas regimini suo fraudi sit. Tum velle jubere, ut in conventibus sacrorum causa nil doceatur, qvod ullo modo tendat ad animos civium ab ipso alienandos; ut in iis concordia, & modestia regnet; ut iidem aperte ac publice fiant, ac omnis sortis hominibus ad eosdem aditus pateat, ac gravi pœna in eos animadvertatur, qvi ullo modo eos turbare ausi fuerint. Et qvia naturali lege inseparabile jus sit regiæ suæ personæ annexum, ut sibi integrum sit qvos vis bonos & idoneos cives suis ministeriis adhibere, nevé illis ad hæcce obeunda incapaces reddantur, aut absterreantur per qvædam juramenta tali occasione præstari solita; se velle, ut ne recepta hucusqve juramenta posthac amplius exigantur, & ut in qvos munia collata sunt, iisdem legibus, ac pœnis per eas sacrorum nomine intentatis exsolvantur.* His conatibus ut Regem dimoveret, Arausionensis Dyckveldium in Angliam miserat, simul ut iste officium interponeret, qvo sibi Arausio, & alia bona in Burgundia, & Luxenburgico Ducatu restituantur. Sed Rex circa hæc responderat: à se in præsens nil conferri posse, ut Princeps suo jure à Gallo potiatur. Sed ejusdem hortatus, ut Rex leges, & religionem illibatas sineret, tum temperamenta, qvæ super Catholicorum securitate proposuerat, extremo alloqvio asseverans; utiqve se velle, ut solenne jusjurandum remittatur, aut Parlamentum dissolvatur. Nam paucos ante dies aliqvi è primariis Parlamenti membris dixerant: nullam plane viam adparere cum hujus consensu id jusjurandum abrogandi. Cæterum ea promulgatione facta Papistæ qvidem eo nomine gratias Regi agebant; nec minus Anabaptistæ, & Tremuli, & hi qvidem præter morem suum detecto capite; ut & nonnulli Presbyteriani. Episcopi qvoqve Durhamensis, & Chestriensis nomine Cleri sui Regi grates persolvebant ob promissam Ecclesiæ Anglicanæ protectionem. Lincolniensis, & Oxoniensis circummissis literis diœcesi suæ subjectos invitabant, ut idem facerent. Sed isti abnuebant, ne eo ipso agnoscere viderentur, securitatem suæ Ecclesiæ à libidine Regis pendere, ad superstitionem usqve Romanis ritibus addicti, cujus & privati sermones fere circa religionem versabantur. Inter id genus scripta pro concessa libertate gratias agentia adulationis improbitate eximium visum fuit, à Collegio Jureconsultorum exhibitum; qvi multis verbis extollebant *prærogativas regias, qvæ vim legibus dent, qvarum studio ipsi operentur; qvæ prærogativæ immediate à Deo proveniant, qvasqve adeo nulla potestas in his terris imminuere qveat. Et uti ipsi tempus, operamqve suam addixerint addiscendis hisce prærogativis: ita sibi sententiam stare vel cum dispendio vitæ, ac bonorum suorum defendere divinum hocce scitum; à Deo Rex, à Rege Lex.* Eos cordati arguebant fœdum valde specimen jurisprudentiæ edidisse, qvod uno velut ictu abolitum irent omnia, super qvibus liberi populi cum Regibus suis convenire solent, qvando isti in hos imperium ultro conferunt. Qvæ cum vera, ac legitima pacta sint, nullam rationem admittere, ut eadem ex mera unius pacisscentium partis libidine tollantur. Inter qvæ pacta cum etiam conveniri soleat, qvod in Anglia factum, ut leges nec ferantur, nec abrogentur absqve consensu populi, qvem Parlamentum repræsentat; absurdum esse Regi potestatem leges pro lubitu abrogandi, aut de iis dispensandi tribuere. Ac ruinosam admodum fore scientiam legum, si istæ à libidine Regis pendeant. Glocestriensis qvoqve civitas Regi pro facta proclamatione gratias egerat, ac promiserat, se futuro Parlamento electuram, qvi ad istam confirmandam connixuri sint. 1687. Templo.

§. 95. Enimvero qvia Rex palam præ se ferebat, id agi, ut libertas religioni à se indulta, qvæ commodissima videbatur via Romanis ritibus introducendis, redderetur immutabilis; & vero deprehenderat, vetus Parlamentum totiens prorogatum in suam sententiam pertrahi non posse; id demum dissolvebat, ac de novo convocando agitabat, componendo ex hominibus ad ipsius sese nutum attemperaturis. Unde per totum regnum circa ejusmodi magistratus *Circa novum Parlamentum agitata.* 1. Jul.

1687. constituendos fatagebatur, qvi è placito Regis membra Parlamenti electuri essent, tum prohibituri, ne crearentur, qvi à Rege muneribus suis exuti fuerant. Ipse Rex *16. Aug.* per complures Regni provincias circumibat, ac ubiqve epulis se excipi curabat, qvo occasio foret animis provincialium futuræ membrorum Parlamenti electioni præparandis. Etsi successus sperato minor fuit, plerisqve, qvos eo nomine Rex alloqvebatur, frigide respondentibus. Scilicet maxima difficultas erat, qvomodo tot membra Domus Inferioris parari possent, qvot opus erat pervincendis Regis destinatis. Nam Superior Domus facilius ad placita Regis pertrahi posse videbatur creatis novis proceribus, aut alio ablegatis, qvi huic instituto adversabantur. Cum itaqve cujusqve provinciæ Nobilitati jus sit binos nominandi ejus provinciæ nomine Parlamento interfuturos; in singulis provinciis Nobilitas per gubernatores convocabatur, qvi à singulis postulabant, ut si electio ipsos tangat, suffragium ferant abolendis legibus pœnalib9, & solenni jurijurando. Aut ubi ipsi non eligantur, operam dent tales eligi, qveis placitum Regis exseqvi cordi sit. Addebantur monita, ut placide cum vicinis suis agant, indigenæ, seu peregrini sint. Qvo insinuabatur, ut amice admitterentur *Missionarii*, qvi magno numero per provincias diffundebantur, pertrahendis ad scita Romana hominibus. Ex his Gubernatoribus pleriqve negotium id alacriter perficiebant, eandem cum Rege sententiam foventes. Pauci qvæ injungebantur suscipiebant reluctanti animo, & ut ipsi negaturi essent, si suam sententiam rogarentur. Sed qvi eam operam plane recusabant, muneribus exuebantur. Ast tam enixo studio parum profectum, ac ficubi in magno Nobilium numero bini, aut terni reperiebantur, qvi promte ad Gubernatoris propositionem respondebant, *Dissenters.* ii fere è *Dissentientibus* erant, & è pressa religione. Circa urbes majoris momenti res videbatur, qvod qvæ jus ad Parlamentum delegatos mittendi habent, provincias numero longe excedant. Igitur Collegia ma- *Corporations.* gistratuum per urbes vel plane mutabantur, vel qvantum poterat Papistarum inferciebatur. Extremum subsidium in electi- *Sheriffs.* one Prætorum erat, qvi omnes fere Romanis ritibus addicti constituebantur. Per hos qvippe diplomata delegatis ad Parlamentum expediuntur, qvibus in proclivi est unius nomen pro altero substituere. Id qvoq; meditabatur Rex, ut à præfectis exercitus libellus subscriberetur, qvo solennis jurisjurandi abolitio peteretur. Ac multi credebant, cum præfectos istos militares Parla- 1687. mento inferere conaturum, ejectis qvi sibi cupitis suffragari nollent; uti qvondam Cromvellus egerat. De qvo facto cum hic ipse Rex, tunc Eboracensis Dux, in exilio audisset, dixerat: *eam actionem fere regiam fuisse*; multis tunc Anglis id mirantibus.

§. 96. Cæterum Rex cum satis intel- *Arausionensis sententia super Regis destinatis.* ligeret, qvantum momenti obtinendo suo scopo habiturum esset, si Arausionensis eum probaret, qvem ingentibus promissis demulcebat, & eo minus de ejus assensu dubitabat, qvod is in republica viveret, cujus primaria ratio habetur, ut cuivis libera qvicqvid arrideat credendi libertas sit; multoties Fagelium, ut eam sibi perscriberet, stimulaverat. Is cum diu dubitasset, qvod & assentando grave præjudicium Anglicanæ Ecclesiæ creaturus esset, & animi sensa candide exponendo Regis offensam prævideret; demum urgente Jacobo Stevvardo advocato honestissimum ratus Principis sententiam non amplius dissimulare, literas hoc sensu ad istum scripsit. *De-* *4. Nov.* *let mihi adversam valetudinem tamdiu obstitisse, qvo minus ad tuas literas respondere potuerim, qvibus tam enixe desideras cognoscere, qvanam Arausionensis, ejusqve Conjugis sententia sit super abolitione legum pœnalium, & solennis jurisjurandi, qvo Romana scita abnegantur. Id igitur tibi persuadeas velim, me candide tecum, ac citra dissimulationem acturum, qvod profiteris, literas tuas conscio & adprobante Rege scriptas esse. Unde certo credas, utrumqve Principem sæpius, ac inprimis Albevillio Marchioni Regis ablegato declarasse, sua sententia non posse Christiano ob conscientiam suam persecutionem intentari, aut eidem ideo molestiam facessi, qvod à publica, & per leges firmata religione discedat. Eosqve ipsos facile consentire posse, ut Papistis in Anglia, Scotia, & Hibernia religionem suam continuare permittatur eadem cum libertate, qvæ ipsi in his qvoqve provinciis indulgetur, ubi iidem sane plena conscientiæ libertate gaudent. Circa eos autem, qvos Dissentientes vocant, non consentire solum, sed & admodum probare eos plena libertate circa exercendum cultum divinum nullo impediente frui, ac ut nemini facultas sit eos turbandi. Ac si Rex id desideret, Principes testanda animi in eam rem promtitudini optram suam offerre, ut ea libertas stabiliatur, parati qvoqve pro viribus eam tutari, ac sponsionem suam interponere. Qvod si & Rex insuper cupiat ipsos ad abrogationem legum pœnalium concurrere, ad id qvoqve promtos se offerre, hac duntaxat cum conditione, ut leges, per qvas Catholico-Romani ex utraque Parlamenti Domo, omnibusqve pu-*

1687. publicis tam ecclesiasticis, quam civilibus, & militaribus muneribus excluduntur, in pleno vigore persistant, non minus quam omnes reliquæ leges, quæ Protestantium religionem confirmant, eamque contra omnes Pontificiorum machinationes in tuto collocant. Tum ut solenne jusjurandum, quod Test nuncupant, utique in usu maneat. In harum abrogationem nullo modo eos consentire posse, quod per eas dem nil præjudicii, aut damni Pontificiis inferatur, quam quod Parlamenti, & publicis muneribus arcentur, & quod Protestantium religio per eas adversus omnes Pontificiorum molitiones protegitur, & communis securitas stabilitur. Neque dici posse, solenne jusjurandum, aliasque leges rigoris quid, aut violentiæ in Pontificiorum conscientias continere. Esse enim eas duntaxat cautelas, quibus Parlamenti membra huic functioni obeundæ idonea reddantur; dum coram Deo, & hominibus testari necessum habent, Protestantium se religioni sese revera addictos. Quod non ulterius porrigitur, quam ut Protestantium sacris adversus omnem noxam, quam hæc à Pontificiis capere possint, prospiciatur. Persuasisse sibi Principes, & adhuc persuadere, nil amplius à se desiderari atque expectari posse; quod hoc remedio Papistæ, eorumque posteri in perpetuum adversus quamvis lesionem, sibi suisque bonis inferendam, in tuto collocandi sint, salvo quoque sacrorum suorum exercitio. Atque ea libertate Romano-Catholicos adquiescere par esse, nec regnum turbis involvere ideo tantum, quia ad Parlamentum, & alia munia publica non admittuntur; aut quia leges, quibus præcipue religionis Protestantium securitas innititur, non abrogantur; quo ipso bi in ejusmodi statum reponantur, ut facile ab istis opprimi queant. Nec minus Principes judicare, Dissentientes plane contentos fore, si in perpetuum ab omni periculo ipsis caveatur, ne quovis prætexto in libero suo cultu turbentur, aut eo nomine pœnarum quid luant. Cum igitur Principes mentem suam circa hoc negotium ita perspicue declarârint, sane adparere tantum abesse, ut ullum impedimentum adferre velint, quo minus Dissentientes à rigore legum pœnalium eximantur, ut etiam parati sint operam ei libertati firmandæ accommodare. Nec Pontificiis exercitium rituum suorum adimi velle, modo id privatim, & citra pompam, ac splendorem fiat. Ast quod seipsum concernat, se ab iis semper dissensisse, & adhuc dissentire, qui Christianum hominem ideo persequi instituunt, quod à religione publice firmata discedat. Quia enim lumen, quo cultus divinus mentes nostras perfundit, quantum ipse concipere possit, utique effectus divinæ erga nos misericordiæ sit: suo 1687. judicio par esse Deo grates quantum possumus maximas exsolvendas pro exhibita nobis bonitate; tum nos commiseratione eorum, qui adhuc in errore versantur, tangi; sicut Deus nostri misertus est: simul precibus Deum exorare, ut à via veritatis aberrantes in hanc reducere velit; iisque corrigendis lenia, & amica remedia adhibere. Enimvero id se nunquam animo potuisse concipere, quomodo quispiam Christianum se ferens, cui liberum est suæ religioni citra impedimentum operari, licitum sibi esse arbitrari queat quietem reipublicæ turbare, ac summa imis vertere, eo duntaxat fine, ut ipse ad publica munia admittatur, ac ut leges, quibus securitas publice firmata religionis constat, subvertantur. Sane Reformatam religionem favente divina gratia, & legibus publicis per decreta Regum, ac Parlamenti in tribus regnis stabilitam. Legibus cautum, ne quis ad sessionem in Parlamento, aut ullam functionem publicam admittatur, præter eos, qui publice declarant, Protestantium se religioni, non Romano-Catholicæ addictos esse. Nec minus per leges provisum, ut Protestantium religio adversus omnes Pontificiorum molitiones tuta sit. E quibus omnibus nil sane asperitatis adparere contra eos, qui jusjurandum Pontificiæ religioni repugnans præstare nequeunt. Omnem molestiam, quæ istis inde provenit, huc redire, ut salvis personis, bonisque, ac sacro cultus sui exercitio in partem regiminis, aut munia alicujus momenti admitti nequeant, quamdiu conscientia ipsorum non permittit solenne jusjurandum præstare; ac ut integrum iisdem non sit aliquid in fraudem Reformatæ religionis moliri. Cum itaque Principes parati sint cum Rege operam sociare circa abolendas leges pœnales, per quas homines pecuniariis, aliisque mulctis subjiciuntur; id unicum restat, quod aliqui contendunt, Papistas quoque obeundis quibusvis muneribus publicis idoneos declarandos, eoque omnes leges revocandas, per quas Protestantium sacra adversus istorum machinationes in tuto collocantur: quas tamen Protestantes non minore studio salvas servare nituntur, velut quarum inviolabili sanctimonia securitas publice stabilita religionis innitatur. Atqui nullum dari regnum, nullam rempublicam, aut societatem, cujus securitas certis legibus haut muniatur; ubi non adversus consilia communem quietem turbantia prospiciatur; ubi non certæ conditiones requirantur in iis, qui munia publica gesturi sunt. Nec quempiam queri posse injuriam sibi fieri, quod ad munera publica non admittatur, quamdiu requisitas conditiones haut impleverit. Sed nec

1687. negari posse, ingens discrimen animadverti, si consideretur, qua ratione Reformati, ac Pontificii mutuo agant. Hos quippe haut contentos Reformatis omnem aditum ad proficuas functiones praclusisse, ad exercitium religionis plane supprimendum connisi, omnes eam professos acerrime persequi; idque omnibus locis facere, ubi tuto, ac citra periculum istam asperitatem exserere possunt. Ac maximo se dolore perstringi, ubi hoc tempore tot tristia exempla diversis locis patrari adspicias. Quæ ergo rationes adferri queant, quæ aliquem Protestantem, cui pietas, & sua religio cordi est, permovere queant, ut in abolitionem legum autoritate Regis, & Parlamenti conditarum consentiat? Quæ non alio spectant, quam ut Reformata religio in tuto collocetur, ac Papistis facultas eam subvertendi adimatur. Eas sane nullam multam pecuniariam, aliamve pœnam irrogare, sed Catholicos duntaxat à parte regiminis excludere: qui ubi ad ullum munus admittantur, necessitatem sibi impositam credant partes suas firmandi, ac potentiam, autoritatemque suam augendi. Quod quanto periculo, ac damno religionis Reformatæ cessurum sit, ex iis, quæ quotidie in oculos nostros incurrant, colligi posse. Sane ubique terrarum, qui publicis in muneribus versantur, à natura proclives esse, ut ei religioni, cui ipsi sunt addicti, plus minusve faveant. Cui ergo in mentem venire possit, Principes, quos Deus honore patrocinii in suam Ecclesiam dignatus est, inducere, ut tam noxia Reformatæ religioni, ac publicæ securitati probent? Sed nec ab ullo sibi persuaderi posse, ista in fraudem Reformatæ religionis haut tendere. Equidem jactari, numerum Catholicorum in Anglia & Scotia valde exiguum esse, paucisque adeo niti; id quod tamen in Hibernia secus est. Atqui iniquum, in tam paucorum gratiam statum, & quietem publicam turbare. Sane præsenti rerum facie probabile est Catholicos haut valde cupere publicis muneribus fungi, aut infestis Reformatæ sacris moliri, tum quòd leges obstant, tum quia multas molestias talia conantes in se pertrahere queant. Ast semel soluto legum vinculo eas præcipuas reipublicæ dignitates occupaturos, numero quoque, & opibus indies augendis. Ac Regi, quantumcunque constantia polliceatur, difficile fore istis circa hæc resistere importune sollicitaturis, ac velut is per conscientiam ipsis favere teneatur ingesturis. Istis autem ad publicas functiones admissis, quid Protestantibus restabit præsidii legum orbatis? Aut quid ab ejusmodi magistratibus solatii eisdem expectandum? Ast quid emolumenti Papistis eo facto accessurum sit omni frano exsolutis, clarius esse, quam ut eo demonstrando tempus prodigi debeat. 1687.

Equidem se sinceram Regis intentionem in dubium revocare nolle, quem facile credat nil aliud quærere, quam ut cives sui per omnia iisdem privilegiis, ac eodem libertatis gradu fruantur. Enimvero & manifestis rationibus, & experientia satis constare, fieri non posse, ut Romano-Catholici, & Protestantes, ubi publicis muneribus mixti agant, inter se pacifice vivere, ac sinceram amicitiam colere queant; sed semper inter eosdem suspiciones, atque æmulationes gliscere. Nam primaria harum religionum scita ita invicem repugnare, ut animo concipi nequeat, quomodo penes ullum Regem, aut Principem esse queat prohibere, ne ulla occasione suspiciones ac dissidia inter eos oriri queant. Equidem occini; frustra fore Papistas legibus pœnalibus in ipsos latis eximere velle, ni simul solenne jusjurandum abroletur; id quod nimis quam durum sit. Ast ejus rei culpa penes ipsos solos est, quod malunt se, suosque posteros jugo legum pœnalium premi, ac odio totius nationis exponi, quam ita constringi, ut nil contra quietem, & securitatem religionis Protestantium moliri queant, & exigio cum damno à parte regiminis, ac muneribus publicis excluſi agere debeant; cum tamen toto orbe religio legibus confirmata prærogativa quid obtineat. Sane Papistarum consilia eo magis suspecta Protestantibus esse debere, iisque in tempore obsistì par esse, quod iidem rigori adhuc legum pœnalium obnoxii persuadere Regi nitantur, ut hic istos nolentes volentes compellat ad cautelas suæ religionis destruendas, ac ipsis viam ad munia publica grassandi muniat. Quo facto Protestantibus nil aliud præsidii reliquum fuerit, quam quod à regimine Romanæ Ecclesiæ scitis addicto expectari potest. Unde modestiam plane decoxisse oportere, qui Principibus incommoda, quæ ex hoc negotio provenire queant, tribuere velint; qui tamen ita candide mentem suam in Pontificiorum favorem declararint. In uno illo rem hærere, quod Principes consentire nequeant in talia, quæ legibus adversa fronte repugnant, ac præsens periculum, atque exitium sacris Protestantium secum trahunt: quale est, Papistas in partem regiminis, & magni momenti functiones admittere, at leges tollere, quæ is Protestantium sacris adversus istorum machinationes cavetur. In Belgio quoque eosdem ab omnibus partibus administranda Reip. excludi; etsi lege aliqua publica militaribus præfecturis haut arceantur, quod iidem prima reipublicæ fundatione egregiam operam cum reliquis ad communem libertatem asserendam navarint. Nec inde suæ Reipublicæ securitatem periclitari, quod numerus eorum, qui stipendia apud ipsos mereant, modicus

1687. *dictus sit ; ac Respublica omnibus incommodis inde provenire aptis facile occurrere qveat ; id qvod non ita in promtu foret, si Catholici in partem munerum, qvæ summam Reipublicæ, ac justitiam spectant, veniant. Cæterum Principes nil magis optare, qvam ut Rex feliciter, ac de civium amore certus regnare possit, ac ut cives, ubi paternum Regis in se animum senserint, ad debitum obsequium extremis viribus eidem exhibendum parati sint. Enimvero eosdem in conscientia convictos, sacra Protestantium, & nationis securitatem certo periculo objici, solenni jurejurando, & legibus pœnalibus abrogatis, eoqve circa hæc Regis voluntati sese attemperare non posse ; qvod nunqvam Deo adprobaturi sint, si præsentis emolumenti respectu inducti talia probent, & promoveant, qvæ suo judicio non periculum modo, sed certum exitium religioni protestantium creatura sint. Eqvidem Principes Regi semper decentem venerationem exhibituros, ad qvam divino, ac naturali lege tenentur. Sed qvia in præsens non id agitur, ut novæ leges condantur, sed ut jam à Rege, & Parlamento latæ abrogentur, ab iis postulari non posse, ut in id consentiant : qvod legibus, ac moribus omnium Statuum Christianorum, tam Romana qvam Protestantium sacra professorum receptum sit, in partem regiminis non admittere, qvi non publice probatam, ac firmatam religionem profitentur.* Cæterum in Anglia paulo ante publicatæ fuerant literæ velut ab Albivillio scriptæ, qveis fingebatur, Arausionensem, ejusqve conjugem in abolitionem solennis jurisjurandi consentire ; unde non modica animorum alteratio in eo regno oriebatur. Igitur bonæ causæ addicti consultum ducebant ad errorem vulgo eximendum Fagelii literas publici juris facere ; idqve hic eo minus vitio sibi verti posse ducebat, qvod Rex tam sæpe institisset, ut sententiam suã super hoc negotio perscriberet. Ast Rex eam literarum editionem ægerrime ferebat, magnopere in Gilbertum Burnetum irritatus, qvem earum autorem credebat ; eumqve ad dicendam causam in Scotiam evocabat. Sed qvem Belgæ dedere abnuebant, qvod is cum consentu Regis patria excessisset, ac jus civitatis Amstelodami adqvisivisset, eoqvo indigena Hollandiæ haberetur. Offerebant tamen, si qvam de eo qverendi causam Rex habeat, sese promte justitiam administraturos ; Rege vicissim fremente, id omnibus tractatibus repugnare, qvæ Angliæ regno, cum Belgarum republica intercedant, & hanc vel solam bello idoneam esse causam, si id movere libido foret.

§. 97. Cum igitur satis pateret, qvantum præsidium religioni ac libertati in Arausionensi, ejusqve conjuge Maria positum esset, in qvos & affectus, & spes populi Anglicani indies gliscebat ; Pontificiis contra fiducia nascebatur Protestantium vota elidendi per fertilitatem Reginæ, qvam prægnantem esse circa id tempus vulgabatur ; qvæ & raro jam solito cœnaculo prandebat, ac omnes præcautiones prægnantibus solitas observabat. Etsi aliqvi protinus scrupulum movebant, qvo primo gestationis tempore vena bis ipsi secta fuisset ; ac alias ambigua graviditatis signa præ se ferre svevisset, aliqvando mensibus integro trimestri cessantibus. Sed cum jam duodecima septimana à conceptione cedere diceretur, in Consilio gratiæ eo nomine Deo agendæ, votaqve pro felici partu decernebantur. Ac mox domestici Reginæ vulgabant motum fœtus pridie Kalendas Januarias deprehensum fuisse. Jam qvoqve nutrix designabatur, ac legati Hispanici Comitis Bedmari alloqvium per qvatriduum differebatur velut ob molestias gravidis solitas. Londini publice preces pro partu Reginæ fieri cœperunt die Dominica, ut freqventia populi eo major esset. Sed per urbem nulla publica lætitiæ signa edebantur, nisi qvod sub solenni Missa è Turri machinis perstreperetur. Pater Petrus Jesuita alta voce velut vaticinabundus pronuntiabat : *brevi tempore longe majorem publici gaudii materiam fore è natalitate Principis Walliæ.* Jam qvoqve à Papistis Londini strenue in hujus sanitatem bibebatur ; ac erant, qvi depositis pecuniis certare auderent, filium è Regina nasciturum. Publicis precibus non solum de partu Reginæ mentio fiebat, sed & non obscure de præsenti Catholicorum oppressione, eorumqve futura liberatione insinuabatur. Hagæ tamen cum Albivillius preces pro partu Reginæ introduceret, plurimi statim id figmentum censebant, muniendæ ad suppositionem viæ. Ast Rex indies ferocius cœpta urgens, cum hucusqve jactatum fuisset, mutationem eorum, qvi munia gerebant, clam, aut alio prætexto factam ; jam nulla ambage fatebatur talia fieri, ut promulgata conscientiæ libertas defendatur, ac in perpetuam legem evalescat. Eo fine consultum judicasse ad perficiendum opus tam sanctum, & salutare, ut recensionem instituat gubernatorum per provincias, & *Judicum pacis* ; qvo in statione sua serventur, qvi ei rei perficiundæ operam navare cupiant ; in reliqvorum locum surrogatis, de

1688. *De gravidate Reginæ opinio nascitur.*

31. Dec. 1687. st. v.

15. Jan. 1688.

1678. de qvorum ſtudio conſtet. Edebat qvoqve Oxonienſis Epiſcopus librum, qvo perſvadere conabatur membris Parlamenti, ne ſolitum hactenus jusjurandum præſtent, qvod & merito in univerſum aboleri debeat. Qvi liber tamen non parum ad id conferebat, ut convocatio Parlamenti differretur, qvod Eccleſiaſtici dicerent; eum juxta leges meritum, ut munere dejiciatur. Seculares autem proceres diſſerebant; *convocato Parlamento primum à Superiore Domo ſuſcipiendum fore, ut à Rege petatur juſtitiam adminiſtrari contra aliqvem è ſuo numero, qui de toto corpore haut loqvatur, uti parſit.* Aſt Rex qvo parcius deſtinata ſua probari animadvertebat, eo magis iſta per violentiam pervincere conabatur. Cum Dorſetiæ Comes de abolendis legibus pœnalibus in provincia ſua Suſſexia proponere juſſiſſet, atqve is regereret; *difficile ſibi fore aliis rem perſvadere, de cujus neceſſitate ipſe perſvaſus non ſit*; protinus Rex eum Gubernatoris munere exuebat, idqve in Povviſium conferebat. Mox & Academiæ à tribunali Eccleſiaſtico invadebantur. Et Cantabrigienſes qvidem ſat acriter caſtigati ſunt, qvod cuipiam Pontificio ſcholaſticos honores conferre abnuiſſent. Oxoniæ autem *Socii* Collegii Magdalenæ, qvod præſidem à Rege propoſitum Romanis ritibus addictum recipere abnuiſſent, beneficio expellebantur, ſurrogatis in eorum locum decem Pontificiis. Simul ad Epiſcopos reſcribebatur, ne qvid ſacri muneris in iſtos conferretur. Ac ut populus paulatim adſveſceret monachos in publico conſpicere, Corkerus Reſidens Colonienſis habitu monachi Benedictini, multis aliis cucullatis comitantibus, ad alloqvium Regis deducebatur.

Offenſa Regis in Arauſionenſem & Belgas gliſcit. Citters.

§. 98. Nec minus Rex ferociter Belgas inſultare, & ex horum navibus ſocios navales Anglicæ nationis eximere. Qva ſuper re qverenti Arnoldo Cittero legato Belgico reſponſum: *veterem eſſe in Anglia conſtitutionem, ut indigena nautæ, qvi in exterorum navibus reperiantur inde abſtrahantur*. Præterea idem ſex legiones Anglis, & Scotis conſtantes, qvæ apud Belgas ſtipendia merebant, revocabat, haut ſignificato, qva neceſſitate, aut qvo fine id fieret: cum is militum numerus nimius foret, ſi in Anglia ſubſiſtendum eidem ſit; præſertim cum Rex eodem tempore tres legiones ex Hibernia evocaſſet, è Papiſtis fere Hibernicis compoſitas. Nec adparebat, adverſus qvem vicinorum iſtæ adhibendæ forent. Aſt Belgæ eas legiones dimittere abnuebant, ad id ſe haut teneri excuſantes. *Militiam ſuam fere exteris conſtare. Si omnes Principes apud ſe natos avocent, brevi parum ſibi militum ſuperfore.* 1678. *Præfectos tamen, & qvos Rex peculiariter deſideret, exautorari à ſe poſſe, ſi contractum à ſe as alienum prius diſſolverint. Gregarios Reipublicæ pecunia conductos, armisqve ac veſtibus inſtructos, & huc trajectos; qvibus Reſpublica in præſens carere neqveat. Neqve vero conventionem ſuper reſtitutione harum legionum extare.* Qvanqvam enim produceretur pactum ab Arauſionenſi anno 1678 cum Oſſerio Comite ſuper remittendis in patriam iis legionibus: iſte tamen oſtendebat, eam conventionem haut porrectam fuiſſe ad legiones, qvæ diu apud Rempublicam ſtipendia fecerint; nec eam ab Ordinibus Generalibus unqvam ratihabitam. Ea Belgarum negatione Rex admodum indignabatur, jactans, ſat ſibi cauſæ præbitum, ſi bellandi libido ſibi foret. Sed res domeſticas bellum externum haut ſvadere. Iſthæc legionum avocatio Arauſionenſi haut improviſa acciderat. Qvia enim Rex earum præfectos nominare ſveverat, Princeps Albivillio denuntiabat; ſe nullum religioni Romanæ addictum admiſſurum. Ad qvæ Albivillius ſtatim de avocatione legionum jecerat. Scilicet Rex, ejusqve Conſilium à Jeſuitis pendens conſideraverat, Arauſionenſem excluſis Catholicis præfectis valido Anglicano milite ſuccingi, qvo in omnem caſum confidere qveat, ſi qvid in Angliam tentare placeat. Poſt cum Rex in Conſilio convocationem Parlamenti urgeret, prudentiores judicabant, ob averſos civium animos eum deſtinatis ſuis haut potiturum. Et cum iſte regereret; Cromvellum utiqve uſurpatorem potuiſſe Parlamentum ad placitum ſuum compellere: reſpondebatur; ei XX M militum fuiſſe, qvibus Parlamentum circumſederit. Ad qvæ Rex; ſibi qvoqve totidem milites eſſe, qvibus legiones ex Hollandia adjungere velit. Cum opponeretur; Cromvellum omnibus & ſingulis militibus potuiſſe confidere; Rex reponebat; id ſe qvoqve effecturum. Ita Rex omnia præcipitare gaudens, tempore qvam maxime ſuis deſtinatis importuno Arauſionenſem, & Belgas in ſe irritabat. Qvi ſtatim claſſem armare incipiebant plauſibili prætexto; providendem ſibi, ne imparati opprimantur; præſertim cum & multus rumor de Gallica claſſe eſſet. Ac Amſterodamenſes ſtatim decernebant, legiones non eſſe dimittendas, qvod ſatis adpareat, oppreſſionem religionis qværi. Qvin univerſo in Belgio populus valde in Jacobum irritatus magnam Arauſionenſis deſtinatis facilitatem adferebat. Unde cum

9. Feb.

Rex

1688. Rex legionum revocationem iteraret, Belgæ eam denuo abrupte negabant. Etsi non prohibebant, qvo minus qvadraginta amplius præfecti abdicata ipsorum militia in Angliam se conferrent. Ita Rex ad acriora conversus edicto omnes indigenas revocabat, qvi terra, marivé apud Belgas stipendia mererent, ac præfectos qvidem ad certum diem, gregarios autem, qvando commode venire possint. Ad qvod edictum cum multi præfecti in Angliam reverterent, Rex tres adhuc legiones conscribere decrevit, ut hisce stationes procuraret. Ast Belgæ eam revocationem renovatis tractatibus repugnare qverebantur, per qvos utriusqve subjectis permissum sit in alterius ditione agere, & commercia atqve negotia sua tractare. Per leges qvoqve Angliæ qvosvis ejus nationis homines liberos haberi, ac nemini necessum esse permissionem obtinere ad mare transmittendum, præterqvam proceribus, qvi omnes peculiari vinculo stringantur. Id Edictum qvoqve socios navales in Anglia valde irritaverat, qvod pleriqve istorum itineribus in Hispaniam, & Italiam coram inspectos ritus Romanos aversabantur, indignati qvoqve à Rege sibi libertatem adimi apud exteros merendi. Sic ut hoc facto Rex classiariorum animos à se valde alienaret. Postulabat qvoqve Rex, ut Belgæ duos libellos in Belgio impressos per carnificem comburerent, qvorum titulus erat: *Continuatio Oraculi*, & *Triumphus Libertatis*. Sed reponebatur: in Hollandia moris non esse libros comburere; aeprius nosse se velle, qvomodo Rex ipsis satisfacere velit ob librum, cui titulus *Parlamentum Pacificum*, in qvo sua Respublica contumeliose habita fuerit. Qvanqvam autem Gallus istam Jacobi vehementiam in plerisqve haut probaret, hoc vicissim qverente, à Gallo suos conatus segniter fulciri; non minus tamen & hic Arausionensem lacessebat, dum omnibus bonis Clericorum, & Nobilium Hispaniæ subditorum, per loca Flandriæ recens adqvisita sitis, manus injicit ob sententiam à Bruxellensi Curia latam in causa, qvam Comes Sorlæ Principi ob bona qvædam intentaverat; omnibus mirantibus, Gallum odio in Arausionensem usqve adeo in transversum rapi, ut judices per vim cogere institueret ad sententiam contra conscientiam, & manifestas probationes pronuntiandam. Qvi & post ei judicio triginta adhuc dies præfigebat ad decretoriam in ea causa sententiam dicendam, minatus; alias se ipsum Comiti ut satisfiat curaturum. Sed & vitæ Arausionentis insidiæ struebantur per duos Hibernos, qvi Amstelodami Germanum qvendam pecunia corrumpere conati fuerant, ut veneno istum necaret; qvod cum hic recusaret, iidem in Hagensibus encœniis cædis occasionem qvæsierant. Super isthac ergo rerum facie legatus Hispanicus Regem alloqvebatur; se metuere, ne ditidium isthoc inter ipsum, & Belgas demum in bellum erumpat. Ast Rex censebat, nil periculi subesse; nam se ad pacem in orbe Christiano servandam pronum esse. Nec inter Gallum, & Belgas turbarum qvid nasciturum. Si tamen motus aliqvis surrecturus sit, id sibi fore videri ob actionem, qvam Aurelianensis conjux in Palatinatum moveat. Veniebat qvoqve à Furstenbergio missus Londinum, qvi clam cum Rege agebat, ad qvem à legato Gallico introductus fuerat. Is inter alia qverebatur, Belgas CCC M uncialium largiri voluisse, ne ipse Coadjutor fieret.

1688. 2. April.

La Svite d'Oracle. *Le Triomphe de la Liberté.*

§. 99. Ista Regis destinata qvo demum evasura essent, tum Electori non parum curarum injecerant, tum præcipue Arausionensem jam dudum adverterant, cujus privatum intererat ista non succedere. Unde & super iisdem retundendis jam Cliviæ anno 1686 cum Electore consilia contulerat, adducto simul Friderico Schombergio qvi ad fortiter audendum stimulas subdebat. Ubi placuit, omni modo impediendum, ne Jacobus votis suis in Anglia potiatur, communi Protestantium rei exitium allatutis, ac idoneam erumpendi occasionem captandam. Interim Schombergius tantisper Electoris ministerio se addiceret; post ubi negotium maturuisse visum fuerit, Principi exseqvendis in Angliam conatibus adstiturus. Is dum è Lusitania in Belgium trajicit, non solum portuum Anglicorum conditionem inspexerat, sed & cum qvibusdam proceribus in eam rem sermones miscuerat, inde in Hollandia Principi fortia consilia, in qvæ is ultro ferebatur, ingesserat; qvem & subinde ex Anglia venientes proceres incitabant, opera, & pecunia sua largiter oblata. Accedebat dehinc sub finem Januarii hujus anni ad Electorem missus è proceribus Scotiæ Levvius, qvi ostendebat, ut Angliæ proceres liberationem suam accelerari urgeant, ac jam tempus monere judicent, ut manus rei admoveatur. Idem & jussu Arausionensis Friderico Principi Electorali, ac soli Eberhardo Dauckelmanno id secretum communicabat; in cujus conscientiam nemo tota aula tunc admissus fuit. Qvod Elector, velut ad servandam Europæ libertatem, ac Protestantium religio-

Arausionensis super hoc negotio consilia confert.

1688. nem maxime necessarium, summopere probabat.

Electoris obitus

§. 100. Ita ergo non in Anglia solum, sed & Boreales inter periculosi ignes doloso cineri suppositi glisscebant. Ast longe atrocius incendium à Galli ambitione, & aliena rapiendi libidine, modum finemqve nesciente, Germaniæ imminebat; qvod & Electorem ob privatas, publicasqve rationes impliciturum erat, animis peculiariter exulceratum, qvod spes ipsum fefellisset, per inducias qvieti patriæ longum ad tempus consuli posse. Enimvero anteqvam is turbo erumperet, Deo placuit istum rebus humanis eximere, diuturna invaletudine, ac senio eo redactum, ut ardorem animi corpus non amplius subseqvi posset. Et exorto bello acerbissimum ipsi futurum erat suo exercitui non posse imperare; id qvod semper eidem solitum fuerat. Jam à pluribus annis arthritici dolores ipsi usum pedum, ac subinde & manuum interceperant: tum & alii morbi incurrentes vires ita affluxerant, ut dies fere sedendo, aut jacendo exigendi forent, nec nisi gestatoriæ sellæ ope locum mutare daretur. Ad extremum pedes tumore corripi cœpti; unde paulatim ad superiora serpens aqva intercus corpus implere, simul vires plane imminuere. Adversus id mali cum adhibita efficacissima remedia nil proficerent, Elector qvi hactenus plus vigoris, qvam revera erat, præ se tulerat, ne conjugi ante tempus dolorem crearet, sine strepitu disponere instituit, qvæ bonum Principem, patrem, atqve Christianum hinc excessurum curare par est. Qvæ accuratius exponere haut leve operæ pretium fuerit, qvod extremum istum vitæ actum bene absolvisse non minoris sit, qvam præliis certasse; qvi sane ita speciosus eidem divinitus contigit, ut merito aliis in exemplum proponi debeat. Jam Potstami decumbenti dies XXVII Aprilis illuxerat, qvam qvæ antegressa erat noctem per insomniam molestissime exegerat; mane hora septima lecto se levari, ac vestibus indui, simul Consilium convocari jubet, cujus habendi dies Veneris stata erat. Et cum Consiliarii paulo tardius accedere viderentur, semel atqve iterum ad eos circummittebat, ut venire maturarent. Postqvam omnes consedissent, ac nemo tale qvid animo præcepisset, is ad Fridericum filium ita fari incipiebat: *Sibi persuasum esse, extrema nunc vice Consilium à se habitum iri, ac parum sibi vitæ superesse. Sese divina favente gratia longum ac felix, sed & laborioſum valde regimen multa inter bella, turbasqve exegisse, qvæ sibi plurimum molestiæ, & curarum, ditionibus suis non parum calamitatum pepererint. Qvo in statu ipse provincias suas post Parentis sui obitum reperit, & qvanto opere omnia bello exhausta, atqve evastata fuerint, nemini ignotum esse. Sed qva facie eadem jam Dei beneficio relinqvat, id in omnium oculos incurrere. Ejusdem ope adspirante eo se res suas provexisse, ut hostibus terrori fuerit, ab amicis amari, atqve bonorari meruerit. Nunc sese ei regimen tradere, simul hortari, ut eandem viam, qva ipse imperando incesserit, insistat. In tanta rerum mole tractanda debitam circumspectionem adhiberet; arma è manibus haud amitteret, per qva provinciarum securitas, ac partum Domui decus conservandum sit; cives suos amaret; fidorum suorum Consiliariorum opera uteretur; nec unqvam in devia se abduci pateretur, sed utiqve operam daret, ut qvam à se gloriæ hereditatem cernat, illibatam servet, atqve augeat. Se nonnulla monita circa gerendum imperium scripto concepisse,* (qvod simul ei tradebat,) *ac sperare, ista utilem ipsi institutionem præbitura.* Inde ad Consiliarios conversus gratias iis agebat pro exhibita fideli, & egregia opera, qvam & filio, ac successori suo ipsos continuaturos speret. Magnopere sibi in votis fuisse, ante obitum cives suos ab incumbentibus oneribus aliqvo levamento solari; sed ob iniqvitatem temporum id effectui dare non potuisse. Ad ista Princeps filius primo, qvæ pietas erga tam indulgentem, ac bene meritum Parentem suggerebat, non sine lacrymis respondebat. Inde Fridericus Schombergius, antea Franciæ Mareschallus velut primus Consilii: Magno sibi dolori esse, qvod cum ipse novissimus in hoc Consilium adscitus fuerit, ad tam tristem propositionem primus respondere debeat. Se qvidem, qvoad Deus vitam indulserit, Ipsi, Principiqve successori, totiqve domui Electorali fidem, ac qvicqvid à se proficisci possit ministeriorum, summo studio adprobaturum. Ad qvæ Elector; sibi ipsius honestum animum satis cognitum. Inde reliqvi Consiliarii pro se qvisqve devotum ipsi, domuiqve animum testari, qvantum immensus dolor, ac erumpens lacrymarum vis permittebat. Et qvia tam tenera mutui affectus testatio Electoris animum non mediocriter perstrinxerat, ac suborta virium defectio tam tristem sermonem persequi vetabat, singulis blando vultu annuebat, ab iis dicta sibi qvam gratissima fuisse. Inde ipso exigente nonnulla adhuc negotia proponebantur, circa

27. April.

1688.

qvæ

1688. qvæ ita tranqvillo animo decernebat, ac ſi integra valetudo perſiſteret. Finito conſilio in cubiculum ſe reportari juſſit, qvo ſolum Principem Electoralem evocavit. Qvem denuo hortatus eſt, ut à ſe è paterno, ac fidiſſimo adfectu dictis obtemperet, ſi divini Numinis juxta, ac paterna benedictione gaudere velit. Et cum inde Princeps in genua ſe ſubmitteret, Elector alacri animo gravibus admodum, ac penetrantibus verbis paterna iſtum benedictione impertiebat; ſimul ingenti numiſmate aureo velut extremo amoris monumento donabat. A meridie circa domus ſuæ res diſponebat citra ſtrepitum, ne conjux, qvæ ſemper fere in cubiculo aderat, labentes vires animadverteret. Tum illos, qvi in cubiculo ipſi miniſtraverant, inſigni liberalitate proſeqvebatur. Et cum ad extremum conjugem qvoqve egregio munere mactaret, & hæc eo facto in lacrymas diffluere inciperet, obfirmato animo ei dicebat: Semel utiqve ipſos ſeparandos, ac alterutri prægrediundum. Se qvidem ſatis ſibi vixiſſe, ac plurimis à Deo beneficiis cumulatum. Qvid convenientius eſſe, qvam ut ſpiritum ei reddat, abs qvo acceperit? Sane ſe paratum mortalem hanc vitam, prout Deo viſum fuerit finire. Se qvidem huc non reverſurum: ipſos tamen in æternitate iterum junctum iri. Dehinc concionatores aulicos Joannem Bergium, & Chriſtianum Kochium advocari juſſit, qvibus accedentibus dictum Apoſtoli pronuntiabat: *Certamen bonum decertavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. Qvod ſupereſt repoſita eſt mihi juſtitiæ corona, qvam reddet mihi Dominus in illo die.* Cum ad hæc concionatores reponerent: præclarum eſſe, ſi qvis ingruentibus extremis cum Hiskia Rege dicere qveat: *Memento Domine, qvomodo coram te ambulaverim in veritate, cum perfecto corde, ac feci, qvod tibi placuit:* Elector regerebat; ſe fragilitatis humanæ, ac variorum peccatorum probe meminiſſe. Sed id qvoqve noſſe, eadem ſangvine Jeſu Chriſti, in cujus merito unice ſpem ſuam repoſuerit, expiata, atqve emundata eſſe. Mox ab iſtis dicta ſacrarum literarum, piis inter extrema ſolatium ſuggerere apta proponebantur: qvæ Elector ab iisdem cœpta ad finem perſeqvebatur, ac ipſe alia ultro memorabat, eaqve animo ſuo firmando adplicabat. Demum à concionatoribus in genua provolutis preces habebantur. Cum inde Elector moneretur, liberos ipſis, ac inter eos Principis conjugem Sophiam Charlottam tunc gravidam, Berolino veniſſe, omnes ad ſe in cubiculum accedere juſſos hortabatur, ut Deum ſemper 1688.
ſibi ante oculos habeant, ac ſincero corde coram eo ambulent, & in ſemel agnita veritate ad extremum uſqve perſeverent. Et cum omnes in genua demiſſi manus ejus exoſculati eſſent, iſtis benedictionem verbis ita penetrantibus impertiebat, ut ab omnibus qvi aderant, magna vis lacrymarum profunderetur. Mox concionatores preces concipiebant, ut Deus dicta ſuo nutu firmaret; qvas ipſe Elector ſolito fiduciæ vocabulo *amen* claudebat. Seqvens nox itidem per inſomniam exacta; etſi moleſtia ſic ſatis diſſimulabatur ob conjugem, qvæ ab eo diſcedere nolebat, ſed amorem, & ſedulitatem, inter tot itinera & expeditiones exhibitam per extrema qvoqve haut interrumpere pertendebat; qvo nomine is ſubinde gratias ipſi agebat. Reliqvum tempus inter meditationes ſacras extractum. Luce 28. April.
exorta cum aulici concionatores vocati introiiſſent, Elector à verbis Pſalmi auſpicabatur: *Domine, ſi modo te habeam, nil curo cœlum & terram. Si corpus & anima defecerit, tu Deus ſemper es cordis mei ſolatium, & mea ſors.* Addebat: ſe jam plena cum fiducia fundamento fidei, in qva vixerit, inniti poſſe, ac divinam gratiam in ſe ſentire. Poſt peractas preces verba repetebantur, qvæ ante qvatriduum ſuccincta concione explicata fuerant: *Magnum eſt lucrum pietas cum animo ſuæ ſorte contento.* Ad qvæ iſte addebat: *ſemper florebo proſpiciente Deo.* Ingruebat poſt ingens deliqvium; qvo ceſſante liberos ſuos denuo videre, ac benedictionem iisdem repetere cupiebat. Qvod iterum magno animorum motu apud omnes adſtantes peractū. Nam miniſtros qveis adſveverat, libenter circa ſe ferebat, velut in eorum conſpectu mori gauderet. Cum liberi cubiculo iterum excedere vellent, Ludovici filii viduā intenſiore voce compellabat. *Filia Marggravia*, inqvit, *noſti qvid parens tuus teſtamento qvondam tibi injunxerit, ne ſacris Romanis unqvam accedas, & qvæ ego paterna fide non ſemel monuerim. Qvod ſi ultimam parentis voluntatem, & mea monita inſuper habueris, maledictio à te, & domo tua non diſcedet. Aſt ubi iisdem morem geſſeris, divina benedictio te proſeqvetur. Propono tibi benedictionem, & maledictionem; dic mibi utram eligere velis?* Et cum illa reſponderet; ſe paternæ voluntati, ac Electoris monitis obtemperaturam hic regerebat; tunc qvoqve benedictionem penes ipſam futuram. Poſt meridiem iterum tanta eum virium defectio op-

1688. primebat, ut diu se recolligere non posset; qva superata de rebus divinis sermones habebantur. Inter qvæ cumprimis Evangelicos fidei consortes hinc inde persecutionibus oppressos, tum & mutuam tolerantiam ipsos inter Evangelicos magnopere sibi cordi esse ostendebat; simul Principi refugos ob sacra Gallos impense commendabat. Brevis inde sopor fessum amplectebatur. E qvo cum evigilassat, ac interrogaretur, num inde qvid recreationis percepisset, nil aliud respondebat, qvam *Christus est meus, & ego sum ipsius.* Ex aliqvo jam tempore in adverso pariete tabula pependerat, qvo inter alia Tempus cum clepsydra elapsam horam exprimente depicta erat. Eam cum diu defixis oculis intueretur, ac Conjux qværeret, qvid adspiceret, respondit; clepsydra ad finem decurrit. Inde ut vespertinæ preces fierent, ac ut concionatores præsto forent jubebat. Nescio an id qvoqve memorari mereatur, eum ista nocte præfecto militis prætoriani tesseram dedisse Amstelodamum, sicuti priore nocte Londinum dederat, velut præsagiret, eas urbes brevi maximum rebus Europæ momentum allaturas. Eam noctem solus manebat Elector, ac animam devotis precibus firmabat, donec fatalis dies illucesceret; cujus ingressu exqvisitis verbis conceptas preces ad Deum fundebat, qveis domum & familiam suam ei commendabat, simul placidam, ac beatam exsolutionem animæ è vinculis ruentis jam terreni domicilii petebat; qvod graves inter extrema cruciatus vereretur. Et cum mox concionatores arcessi juberet, qværebat, an non, qvod dies dominica foret, concio habenda esset. Nam solenne ipsi erat, nunqvam cultum divinum negligere. Ubi inter alia respondebatur; hunc diem esse, qvem antiqvi *Misericordias Domini* vocarint; qvam misericordiam qvoqve Deus præsenti necessitate exhibiturus, ac animam ipsius divino vigore ac solatio repleturus sit. Dehinc liberos extrema vice evocabat, & cum isti flentes lectum circumstarent, dicebat: sibi jam animo obversari imaginem Jacobi patriarchæ, filiis suis benedicentis. Qvod & ipse denuo tenerrimo cum affectu faciebat. Inter qvæ cum circumstantium qvispiam epistolam perlegeret, interrogabat, qvid scripti id foret? Cui respondebatur; eam esse à filio minimo natu Christiano Ludovico, qvem morbus Berolino discedere non permiserit; sed qvi itidem velut impense dilectus Benjamin paternam benedictionem expetat. Igitur qvia non amplius vires supererant, uni ex adstantibus concionatoribus ipsius nomine benedictionem pronuntiare jubebat. Id qvod hic tum pro isto, cum pro absente filia Maria Amelia Duci Meclenburgico nupta peragebat. Qvæ vota Elector solito inter preces vocabulo *amen* firmabat. Interroganti inde conjugi, num & benedictionem pro ipsa habeat? respondit; utiqve tu in æternum benedicta eris. Paulatim inde extrema ingruebant, inter qvæ clara voce exclamabat; *Veni Domine Jesu, ab veni Domine Jesu, ego paratus sum.* Tum & ista Jobi verba pronunciabat: *Scio qvod redemtor meus vivit, & in novissimo die de terra resurrecturus sum.* Post qvæ dicta brevi circa horam nonam matutinam placide citra ullam vultus mutationem, cum ipse inclinato capite oculos sibi clausisset, expiravit. Ita finit Magnus Elector, postqvam LXVIII annos, II menses, ac XXIII dies in his terris exegisset. 1688.

29. April.

§. 101. Genus duxit Fridericus Wilhelmus è duabus nobilissimis & antiqvissimis Germaniæ familiis, Brandenburgica & Palatina; qvæ per aliqvot secula Electoralem dignationem obtinuerunt, ac omnibus fere Christiani orbis Principibus cognatione innexæ sunt. Id stemma heic repræsentabimus. *Electoris stemma.*

FRIDERICUS WILHELMUS

- Gorg. Wilhelmus El. Brandenburgicus. †1640.
  - Joannes Sigismundus El. Brandenb. †1619.
    - Joachim. Frideric. El. Brandenb. † 1608.
      - Joh. Georg. Elect. Brandenb. † 1598.
        - Joachimus II. El. Brandenb. † 1571.
          - Joachimus I. El. Brandenburgicus. † 1535.
          - Elisabetha f. Johannis Regis Daniæ † 1555.
        - Magdalena Saxonica † 1534.
          - Georgius Dux Saxoniæ. † 1539.
          - Barbara filia Casimiri R. Polon. † 1534.
      - Sophia Lignicia. † 1546.
        - Fridericus II. D. de Ligniz. † 1547.
          - Fridericus I. Dux Lignicii. † 1488.
          - Ludomilla f. Georgii Podiebrad. R. Boh. †. 1502.
        - Sophia Brandenburgica. † 1537.
          - Fridericus M. Brandenb. in Anspach. † 1536.
          - Sophia f. Casimiri II. R. Polon. † 1513.
    - Catharina Brandenburgica. † 1602.
      - Joannes M. Brandenburg. †1571.
        - Joachimus I. Elect. Brandenb. † 1535.
          - Joannes El. Brandenburgicus. †1499.
          - Margaretha f. Wilhelmi Duc. Saxon. † 1511.
        - Elisabetha Danica. † 1555.
          - Joannes Daniæ, Svec. & Norveg Rex † 1513.
          - Christina f. Ernest. El. Saxon. † 1521.
      - Catharina Brunsvicens. † 1574.
        - Henricus Junior D. Brunsv. † 1568.
          - Henricus D. Brunsvicensis. † 1514.
          - Catharina f. Erici II. D. Pomeraniæ. † 1526.
        - Maria Wirtenbergica. † 1541.
          - Henricus C. Wirtenbergicus. † 1519.
          - Eva f. Joannis C. Salmens. † 1521.
  - Anna Brandenburgica. † 1625.
    - Alb. Frideric. M Brandenb. D. Pruss. † 1618.
      - Albertus M. Brandenb. Dux Pruss. † 1568.
        - Fridericus M. Brandenburg. † 1536.
          - Albertus Elect. Brandenburg. † 1486.
          - Anna f. Frider. II. El. Saxon. † 1512.
        - Sophia Polonica. † 1513.
          - Casimirus II. R. Poloniæ. † 1492.
          - Elisabetha Austriaca f. Albert. II. Imp. Rom. † 1505.
      - Anna Maria Brunsv. † 1568.
        - Ericus Dux Brunsvicens. † 1540.
          - Wilhelmus D. Brunsvicens. † 1495.
          - Elisabetha f. Botonis. C. Stolberg. † 1499.
        - Elisabetha Brandenburg. † 1558
          - Joachimus I. El. Brandenburg. † 1535.
          - Elisabetha f. Joann. Rex Dan. Svec. & Norv. † 1555.
    - Maria Eleonora Juliacens. † 1608.
      - Wilhelm. D. Jul. Cl. & Mont. † 1592.
        - Johannes III. D. Cliviæ † 1539.
          - Johannes II. Dux Cliviæ. † 1521.
          - Mechtildis f. Henr. Landg. Hassiæ. † 1505.
        - Maria Juliacensis. †.
          - Wilhelmus D. Juliac. & Montium † 1511.
          - Sybilla f. Alberti El. Brandenb. † 1510.
      - Maria Austriaca. † 1584.
        - Ferdinand. I. Imp. Rom. † 1564.
          - Philippus I. R. Hisp. Arch. Austr. † 1506.
          - Joanna f. Ferd. Cathol. R. Hisp. † 1555.
        - Anna Hungarica † 1547.
          - Uladislaus Rex Hung. & Bohem. † 1516.
          - Anna f. Joannis Foxii C. Candaliæ. † 1506.

A

B

- Elisabetha Carola Palatina. † 1660.
  - Friderici IV. Elect. C. Rh. † 1610.
  - Luisa Juliana Nassov. † 1644.
- Ludovicus Elect. Com. Pal. Rh. † 1585.
  - Elisabetha Hassiaca. † 1582.
- Fridericus III. C. Pal. Rhen. El. † 1576.
  - Maria Brandenburgica. † 1567.
- Joan. II. C. Pal. Rh. in Simmern. † 1557.
  - Joannes Com. Pal. Rheni in Simmern. † 1509.
  - Joanna f. Joannis C. Nassovii in Sarbr. † 1503.
- Beatrix Badensis. † 1535.
  - Christophorus M. Badensis. † 1527.
  - Otilia f. Philippi C. de Cazenelenbogen. † 1517.
- Casimirus M. Brandenburg. † 1527.
  - Fridericus M. Brandenburgic. in Anspach. † 1536.
  - Sophia f. Casimiri R. Poloniæ. † 1513.
- Susanna Bavarica. † 1543.
  - Albertus D. Bavariæ. † 1508.
  - Cunigunda Austriac f. Friderici III. Imp. R. 1520.
- Philippus Landgr. Hassiæ. † 1567.
  - Wilhelm. Landgr Hassiæ † 1509.
    - Ludovicus Landgr. Hassiæ. † 1471.
    - Mechtildis f. Ludov. C. Wurtenbergici † 1495.
  - Anna Magapolitana † 1525.
    - Magnus II. D. Megapolitanus. † 1503.
    - Sophia f. Erici D. Pomeraniæ. † 1504.
- Christina Saxonica. † 1549.
  - Georgius D. Saxoniæ. † 1539.
    - Albertus D. Saxoniæ. † 1500.
    - Zedena f. Sidonia f. Georgii R. Bohemiæ. † 1510.
  - Barbara Polonica. † 1534.
    - Casimirus R. Poloniæ. † 1492.
    - Elisabetha Austr. f. Alberti II. Imp. R. † 1505.
- Wilh. Sen. C. Nassov. † 1559.
  - Joannes C. Nassov. in Dillenburg † 1516.
    - Joannes C. Nassov. in Dillenburg. † 1475.
    - Maria f. Joannis C. Lænæ & Heinsbergæ †
  - Elisabetha Hasfiaca. †
    - Henricus Landgravius Hassiæ. † 1480.
    - Anna f. Philippi C. Cazenelenbogæ. †
- Juliana Stolbergia. † 1580.
  - Boto C. Stolbergæ † 1538.
    - Henricus C. Stolbergæ. † 1508.
    - Mechtildis f. Volradi C. Mansfeldiæ.
  - Anna Epstenia. † 1538.
    - Philippus C. Konigstenii & Epstenii. †
    - Luisa f. Ludovici de Marca Dn. de Rochefort. †
- Wilh. Nassov. Princ. Arausion. † 1584.
- Lud. Borb. D. Montpenserii † 1582.
  - Ludov. Borb. Pr. de Rochesurion. † 1520.
    - Joannes Borbonius C. Vendosmæ. † 1477.
    - Isabella f. Ludovici Dn. de Beauvau. †
  - Luisa Borbonia. † 1561.
    - Gilbertus Borbonius, C. Montpenserii. † 1496.
    - Clara f. Friderici Gonzagæ M. Mantuæ. † 1503.
- Carola Borbonia. † 1582.
- Jacobe Longviana † 1561.
  - Joann. de Longvy. Dn. de Giury. †
    - Philippus de Longvy, Dn. de Paigny †
    - Joanna f. Petri de Beaufremont, C. de Charny †
  - Joanna Engolismensis. †
    - Carolus Aurelianus, D. Engolismæ. † 1496.
    - . . . de Polignac, en Engoumois.

Educatio. §. 102. Natus idem fuit Coloniæ ad Spream die VI. Februarii anno 1620. inter horam tertiam, & qvartam pomeridianam, parente Georgio Wilhelmo Electore tunc in Boruſſia abſente. Sacri baptiſmatis Chriſtiano ritu initiatus fuit die XXX. Julii ejusdem anni; cui actui teſtes pro more adſtiterunt avia paterna Joannis Sigiſmundi vidua Anna Boruſſica; tum duæ amitæ virgines Maria Eleonora, & Catharina. Præterea Adamus Gans Baro à Putlitz, Locumtenens in Marchia; ac Nobilitas, & civitates cis & ultra Oderam, ea lege, ne ulla munera natalitia offerrent. 1619. Qvinto ætatis anno additus ei fuit rector juventutis Joannes *von der Borch*, qvi & patris Georgii Wilhelmi juventam rexerat. Sed cum is ſupremus Satrapa Comitatus Ravensbergenſis conſtitutus eſſet, in ejus locum ſuffectus eſt Joannes Fridericus Kalkhun, dictus Leuchtmar. Informatio Jacobo Mullero à ſecretis epiſtolis 1627. commiſſa. Et qvia poſt Cæſarei milites pro lubitu Marchiam perſultabant, viſum parenti unicum filium aliqvot per annos Cuſtrini agere. Ubi ſtatim in puero eluceſcebat proclivitas in pietatem, acre ingenium, qvarumvis bonarum artium capax; tum corpus aptum addiſcendis exercitiis, qvæ 1631. nobilem decent. Inter eam Cuſtrini com- 4. Aug. morationem is Wolgaſtum ad amitam ſuam Reginam Sveciæ Mariam Eleonoram excurrit, ac apud eandem per menſes aliqvot egit. Poſt reditum rogante Bogislao Pomeraniæ Duce, & qvia in Marchia contagioſi morbi graſſabantur, aliqvandiu Stetini egit, ſingularem Ducis affectum expertus, ubi & ſingularem inclinationem in eam urbem concepit. Biennio poſt cum utroqve 1633. parente Wolgaſtum acceſſit, qvando Gu- 17. Jul. ſtavi Adolfi corpus in Sveciam abducebatur. Poſt Cuſtrinum reverſus denuo Ste- Octobr. tinum adiit, ibiqve in ſeqventis anni Fe- 1634. bruarium menſem hæſit. Aſt poſtqvam annum ætatis decimum qvintum attigiſſet, Parenti placuit in Belgium eum mittere, qvo è converſatione illuſtrium toga, ſagoqve virorum ſolidiorem ingenii cultum caperet, ac judicium, moresqve poliret. Igitur menſe Junio iter ingreſſus, per Hamburgum, Oldenburgum, inde Groningam, Svollam, & Ultrajectum, Leidam pervenit, ubi ſedem aliqvandiu figere decreverat. Præcipuum ibi ſtudium antiqvitates, & hiſtoriam cognoſcere, eam cumprimis, qvæ ad ipſius ditiones, & vicina Regna, & Reſpublicas ſpectaret. Tum & qvotidie ad eum inviſebant egregii viri, qvos inſignis humanitas, ſvaveſqve mores alliciebant. Sed cum adulto autumno peſtilentia Leidæ, Hagæ, ac Delphis graſſari cœpiſſet, Rhenam ſe ad Eliſabetham Reginam Bohemiæ conferebat, ubi ad finem uſqve anni agebat. Seqventi 1633. anno etſi contagium Hagæ deſiiſſet, Leuchtmaro tamen haut viſum huc ſedem transferre, qvod multa ibi juventus illuſtris ageret, nil niſi voluptatibus, & tempori per inania fallendo operata, ne Princeps iſtorum converſatione ad paria pertraheretur. Igitur maluit Arnheimium Geldriæ urbem concedere, Cliviæ vicinam, ubi modica aula inſtruebatur, ac inter alia eqveſtribus exercitiis vacabatur. Qvo tempore & cum Arauſionenſis Princeps Henricus Fridericus Schenckianam munitionem, paulo ante ab Hiſpanis interceptam, obſidione cinxiſſet, noſter ſubinde in vicinis caſtris verſabatur, obſidentium artes, atqve opera ſpeculaturus. Arnheimii qvoqve freqvens ei converſatio cum Wilhelmo, & Joanne Mauritio Naſſoviis fratribus, & Comite Henrico *à Berg*, ut & aliis viris militaribus; è qvorum colloqviis multum ad prudentiam militarem proficiebat; præſertim cum mos ipſi eſſet, de omnibus qvæ audierat, & viderat ad patrem exactiſſime referre. Sed cum adulta æſtate peſtilentia Arnheimium 1636. qvoqve infeciſſet, Princeps in arcem Doreqvvertam ſeceſſit, ubi in ſeqventem usqve annum egit. Poſt Hagæ aliqvandiu moratus eſt, ubi qvotidie ab exterorum legatis, ac Belgarum proceribus, tum & ſubinde ab Arauſionenſi inviſebatur, apud qvos ita acceptum ſeſe reddidit, ut Clivicæ provinciæ non modicum inde fructum perciperent. Longius ad exteros iter pergere temporum tunc conditio non ferebat, omnibus undiqve bello ardentibus; nec tutum habebatur unicum filium, tantarum ditionum hæredem periculis, qvæ peregrinantes comitari ſveverunt, objicere. Poſt triennium in Belgio conſumtum parenti ſubibat eum ad ſe revocare. Sed cum ei haut arrideret domum reverti, excuſabatur iter terreſtre ob peſtilentiam hinc inde graſſantem, ac militum excurſiones intutum: tum ſe à mari abhorrere, qvod & ipſum Dunqvercani infeſtum reddebant. Sed & Ordines Generales Belgii, & Clivenſes apud Electorem intercedebant, ut diutius adhuc tam grata Principis præſentia frui liceat. Simul Wernerus Schulenburgius mittebatur, qvi Parenti cauſas dilati reditus adprobaret. Ita is per 1637. alterum adhuc annum in Belgio manſit, qvo & obſidio Bredæ interfuit, ubi ipſo Arauſionenſi demonſtrante labores, & opera obſidentium haut indocilis ſpectator perluſtravit. Aſt ſeqventi anno Parens utiqve 1638. eum domum reverti volebat, qvo fine &

Otto-

Ottonem Marvvicium ad ipsum misit, confirmans sese invito conjugem haut obtrusurum: sperare tamen, eundem citra paternum consensum connubio sese haut illigaturum. Nam Electori persvaserant, eum è Palatina domo conjugem sibi delecturum, simul Clivicarum ditionum regimen vel ipsius ingratiis arrepturum, id qvod & Ordines Cliviæ impense cupiant. Atqve id ipsum Schvvartzenbergius à Leslæo Comite sibi perscriptum asserebat, uti Cæsari relatum sit, Principem è Palatina domo conjugem sibi assumturum, sede apud Clivenses fixa, qvali sub Belgarum, & Arausionensis protectione. Id qvod Cæsar ægerrime laturus sit; qvi probe perspiciat, qvid inde consecuturum, & in qvas partes Princeps concessurus sit. Ac Cæsari gratum fore, si iste in aula Viennensi agere velit; & si sumtus deficiant, Cæsarem eosdem suppleturum. Qvæ egregia futura sit occasio pignerandæ Cæsaris amicitiæ, qva nulla potior Germaniæ Principibus habenda sit. Sed qvia Principis mater, atqve avia id nunqvam permissuræ sint, Schvvartzenbergius censebat, Clivicarum ditionum regimen Principi permittendum, ea saltem lege, utris utiqve extra Palatinam domum conjugem sibi qværat. Id qvod consilium nonnihil suspicionis generabat, velut hoc modo Marchia istius viri cœcis machinationibus exponeretur. Unde Principi satius visum relicto
1638. Belgio ad parentem regredi. Ita postqvam
3. April. Hagæ Reginæ Bohemiæ, Arausionensi, ac rectoribus Belgii valedixisset, à qvibus exqvisitis honoribus affectus fuit, Amstelo-
1. Maij. damo Belgicis navibus Hamburgum provec-
16 Maij. tus; inde à Parente Spandoæ qvam amantis-
18. Jun. simè exceptus fuit. Sed brevi post adventum gravissimus eum morbus corripuit, ita ut de vita ejus desperaretur, rubentibus passim maculis è corpore erumpentibus. Unde medici variolarum morbum vulgaverunt: cæterum ipse semper toxicum sibi propinatum credidit, non obscura in præpotentem ministrum suspicione, qvi improbas spes ad ipsum usqve Electoratum porrexisse arguebatur. Qvicqvid tamen id mali erat, temperamenti bonitas, ac juvenilis vigor vicit, tum vis medicamentorum, qvæ Martinus Weisius artis suæ callentissimus miscuerat. Septembri mense is, una cum Parente in Borussiam concessit; ubi uterqve ardenti febre correptus fuit; qvam qvidem Princeps superavit, etsi toto seqventi
1639. anno tristior solito adpareret. Pater tamen ex eo morbo nunqvam plenam valetudinem recepit, donec attritis paulatim viribus extinctus filio ad suscipiendum regi-
30. Nov. 1640. men locum aperuit.

§. 103. Duplex Friderico Wilhelmo matrimonium fuit; prius cum Luisa Arausionensi, Henrici Friderici Arausionensis Principis filia; cujus mores, cum in Belgio ageret, jam ipsi probati fuerant. Ex ea suscepit sex filios, & unam filiam: Wilhelmum Henricum, qvi die 14. Octobris 1649. Vesaliæ obiit; Carolum Æmilium, qvem in expeditione Alsatica ardens febris Argentorati anno 1674 abstulit; Fridericum successorem; Henricum, & Ameliam gemellos, qvorum ille die 16. Novembris 1664. hæc die 12. Januarii 1665. decessit; & Ludovicum, qvi anno 1678. Potstami obiit. Cum ea conjuge postqvam fere annos viginti & unum exegisset, eadem anno 1667. rebus humanis erepta fuit. Seqventi anno secundas nuptias Groningæ in ditione Halberstadiensi cum Dorothea Philippi Ducis Holsatiæ filia celebravit; è qva filios qvatuor, tres filias genuit: Philippum Wilhelmum, Mariam Ameliam, Albertum Fridericum, Carolum Philippum, Elisabetham Sophiam, Dorotheam, & Christianum Ludovicum, qvos omnes superstites reliqvit præter Dorotheam, qvæ Kalendis Decembris anno 1676. defuncta est. Cum utraqve conjuge vixit mira concordia, ac nullo nisi mutuo amoris certamine, qvod palmarium probe constitutæ domus habetur. Ipse qvoqve & cœlibatum per castimoniam exegit, ac matrimonii leges sancte coluit, nec per conditionis suæ fastigium aliqvid sibi contra sanctimoniam Christiani moris indulgere ausus est, civibus, aliisqve luculentum ad paria exemplum.

Maria monumenta & liberi.

1668. 14. Jun.

§. 104. Deniqve & tanti Principis formam corporis, animiqve, qvantum calamo adseqvi datur, posteritati tradere, operæ pretium fuerit. Ex ejus igitur vultu primo statim intuitu aliqvid relucebat, unde statim heroëm agnosceres. Majestas veneratonem provocare apta, sed qvam luculentæ bonitatis strictura temperabant, ut non minus amoris conciperes. Unde & qvantumvis sæpe velut exuta magnitudine admodum familiariter suis sese dispensaret; his tamen modestia semper salva persistebat, ne ejus humanitate abuterentur. Corpus torosum, agile, tractandis armis, ac tolerandis belli laboribus validum. Tum & id militare, qvod delicatis cibis non delectaretur, sed solidis, simplicibus, ac domesticis gauderet. Vinum copiosius ferre magis poterat, qvam affectabat; nec largiorem invitationem admittebat, nisi ubi illa ex moribus seculi, & nationis inter officia esset. A natura sortitus fuerat ingenium alacre, ea-

Corporis animiqve dotes.

pacis-

pacissimum, judicium rectum, magnam memoriæ vim. Cultura juvenilibus annis non adeo felix contigerat ob turbulentiam temporum, & qvia non deerant qvi optarent, tam vividum animum inter ignorantiam obtundi. Pepererat sibi tamen proprio magis qvam alieno instinctu Latinæ Lingvæ notitiam, ut intelligeret. Gallicæ, ac Belgicæ lingvæ freqvens usus erat. Historiæ recentioris cumprimis multa cognitio; architectonicæ civilis, ac militaris, bonorum & exqvisitorum librorum, numismatum, picturarum, sculpturarum exqvisitus intellectus. Plurimarum præterea rerum notitia è colloqviis cum variæ sortis hominibus collecta. Nam mira isti erat affabilitas, per qvam undeqvaqve adventantes ad disserendum provocabat de rebus, qvæ ad cujusqve captum erant. Præcipue ditionum suarum conditionem, & qvid qvovis loco proveniret, exacte callebat; qvod moris ipsi esset, ubi qvis è qvacunqve provincia accessisset, tum & qvacunqve transiret, aut diversaretur, de omnibus ad eum locum spectantibus exqvirere. Sic ut nihil eorum, qveis proventus regionum constat, qvæqve adeo ad rem œconomicam faciunt, ipsum fugeret. Unde & non solos militares viros, sed & pacis artibus, & qvacunqve utili, ac egregia facultate pollentes æstimabat. Omnia porro, qvæ ad ipsum referebantur, cognoscere curæ erat, ne qvid injuste, aut imprudenter decerneret: nec unqvam multitudine rerum, qvam tantæ molis administratio pariebat, protelari, aut expedienda in longum rejicere solebat. In universum autem tanta cupidine cuncta penitius cognoscendi flagrabat, ut qvoties ipsi literæ adferebantur, id qvod qvotidie fiebat, earum prælectioni sæpe ultra tres, qvatuorvé horas continuas vacaret, nec ullis recreationum, Principibus solitarum illecebris, nec acerrimis morbi articularis doloribus, qvibus ingravescente ætate sæpius infestabatur, inde avelli posset. Cum exteris agenti solidæ prudentiæ miram gratiam adspergebat digna Principe eloqventia. Antr omnia sincera in Deum pietas cum exacta publici cultus observantia. Circa tuendam Protestantium religionem solicita cura, qvam etiam apud alios qvacunqve poterat, protegere ac fovere studebat. Inter ipsos autem Protestantes qvæ agitantur dissidia uti convenienti ac placido modo componi qvam maxime in votis erat: ita cum plerosqve cives sortitus esset, à qvibus ipse circa qvædam fidei capita dissentiebat, haut eo secius omnes pari amore prosqvebatur, ac fovebat, ac nullo discrimine muniſteriis suis admovebat, prout qvisqve qvam maxime idoneus erat. Qvin nec iis, qvi Romanos ritus seqvuntur, iniqvior erat, qvos nec ipse ulla molestia afficiebat, nec ab aliis affici patiebatur, eosqve bonis ac juribus suis liberrime gaudere permittebat. Ac uti ipse ab omni ratione abhorrere judicabat, ob diversam religionem aliqvem odisse, aut minoris æstimare, qvam pleriqve non propria electione, sed per ipsos natales sortimur; ita nefas ducebat ob humanos respectus eam mutare, ac multo magis per vim, aut illecebras religioni Christianæ ignoratas ad idem aliqvem compellere. Et qvia ad propagandam pietatem, animiqve culturam scholæ cumprimis faciunt, earum in sua ditione insignem curam habuit, ac Francofurtanam Academiam, & eam qvæ Regiomonte est, præclaro reditvum augmento mactavit: simul Duisburgi ad Rhenum novam instituit, dotavitqve, qvam olim Wilhelmus Cliviæ Dux molitus fuerat, sed ob ingruens bellum Belgicum omiserat. Præterea consummata diuturno regimine prudentia, & exactissimum judicium; ac si qvando ancipiti negotio Consilium in diversas sententias discedebat, ipse velut virgula divina ductus eligebat, qvam optimam fuisse eventus postea comprobavit. Nec tamen ideo omnia suo ex arbitrio agere, aut qvæ semel in mentem venerant, iis pervicaciter inhærere; sed & aliorum sententias libenter audire, & qva rationibus prævalebant seqvi. Justitiæ incorruptum studium, & uti innocentes ab oppressione vindicasse cordi erat; ita in noxios debita severitas, nil è crudelitate trahens, aut velut è suppliciis voluptas qværeretur. Fortitudinem memorare superfluum fuerit, qvam tot expeditionibus toti orbi adprobavit. Nec tamen inconsulta in periculum ruendi libido; & qva vi pervincere haut dabatur, necessitati cedere haut indecorum habebatur. Insignis qvoqve animi magnitudo, qvæ per totum regiminis actum eluxit; ac uti inanis fastus, procul aberat, ita debitam dignitatem adseruisse enixum studium sedebat, qvod nec metus, nec segnior qvis respectus unqvam inflexit. Sane nemo sui ordinis Electorale fastigium diligentius unqvam vindicavit. In vivendi paratu splendor citra luxum, nec ultra redituum modum; ac præpostera magnificentia habebatur, qvam oppressio civium, aut æs alienum consequeretur. Nec minus egregia munificentia, ac ut ministeria sibi exhibita qvantum dabatur liberalissime remuneraret, ac ut neminem pœniteret præclare fecisse: aut tamen in profusionem haut aberraretur. Faciles præterea accessus etiam inferioris sortis hominibus, ac

obvia humanitas, ut vix qvispiam tristis ab ejus sermone discederet. Inter tot eminentes virtutes facile venia dari poterat subitæ bilis effervescentiæ, in qvam per temperamentum proclivior erat; sed qvæ ultra asperiora verba haut procedebat, ac mox ita detumebat, ut nullum in animo vestigium reliqvisse reperiretur. Non defuerunt, qvi parum constantem, ac desultoriis fere consiliis gaudentem arguerunt. Sed qva criminatione facile eum absolvunt, qvi tempora, qvibus vixit, ac provinciarum, qveis imperavit positum curatius considerant. Unicus illi, isqve perpetuus omnium consiliorum, & actionum scopus fuit salus tum propriæ Domus, & ditionis, tum communis patriæ; qvarum utriqve cum à variis varia pericula crearentur, pro indole cujusqve consilia fuere opponenda. Et cui tam late diffusæ provinciæ tot vicinis, æmulis fere, aut infestis cinctæ possidentur, ei non magis integrum est uniformem semper agendi viam sectari, qvam directum semper cursum secare gubernatori, qvi scopulis obsitum pelagus inter instabiles ventos navigatur. Id qvod facile agnoscent, qvi singularum mutationum, qvæ in istius actis occurrunt, occasiones, atqve causas rite trutinaverint.

Ejusdem felicitas.

§. 105. Tantis virtutibus exserendis latissimum campum præbuit regimen per dimidium fere seculum porrectum, ac magna rerum moles, qvæ in id spatium incidit. Unde isti ea gestorum fama, ac in Imperio juxta, & apud exteros autoritas parta est, qvalis nemini ex Electorum ordine prioribus temporibus contigit. Virtutem comitata est insignis felicitas, dum non solum inter tanta bella versanti nil notabilis cladis accidit; cum ipse hostes, qvi antea toti Germaniæ, aliisqve vicinis terrori fuerant, in ordinem redigeret: sed & ditiones suas longe auctiores, qvam ipse à majoribus acceperat, ad posteros transmisit. Ipso enim rerum potiente Brandenburgicæ Domui accessit Pomerania Ulterior cum Præsulatu Camminensi, ac duobus feudis à Polonia pendentibus Lauenburgo, & Butovia, ac Draheimensis Satrapia pignoris titulo. Tum in Borussia Ducali supremi, ac independentis imperii fastigium, sublata multarum molestiarum materia, qvæ è fiduciario Poloniæ vinculo antea proveniebant. In pensationem Citerioris Pomeraniæ Svecis cedendæ Magdeburgicus, Halberstadiensis, ac Mindensis Præsulatus ad secularem conditionem redactus, attributus, cum qvorum priore avulsa antea insignis præfectura Burgum iterum consolidata est. In vicem qvoqve Carnovianæ prætensionis Schvvibussensis in Silesia districtus accessit. Sed & Clivicarum ditionum possessio per transactionem cum Neoburgica domo firmata. Denique ad oram Guineæ unus & alter locus partus, exercendis ibi commerciis. Eas porro ditiones, qvantum iniqvitas temporum tulit, in meliorem statum reponere summo studio connixus est, introductis variis institutis, qvæ civibus exercendæ industriæ, & qværendæ rei materiam præbere possent. Et cum diuturno bello, qvo Germania per triginta annos qvassata fuit, Marchiæ provinciæ data opera à Svecis evastatæ essent, ut Pomerania per vicinam solitudinem muniretur; istas ut à calamitatibus belli recrearet, ac pristinum ad florem revocaret, nil sibi reliqvi fecit. Qvo fine & modus tributorum ita temperatus, oneribus in ea, qvæ consumuntur impositis, cum antea ea ex censu imperarentur; ut & qvam minimo cum civium sensu erogarentur, & æqvabili distributione ab omnibus pariter citra invidiam, aut qverelam tolerarentur. Qvam moderationem is successus consecutus est, ut statim post introductas accisias passim veterum ruinarum vestigia novo cultu obliterata conspicerentur; ac inter alias urbes Magdeburgum qvoqve è diuturnis ruderibus ad veterem freqventiam exsurgere inciperet. Inter ea, per qvæ Marchiæ egregia commoditas, utilitasqve accessit, referenda qvoqve est nova fossa, per qvam Odera cum Sprea conjungitur, communicandis inter Silesiam, & Hamburgum commerciis. Eam fossam longo abhinc tempore Electoris majores moliri fuerant, inani conatu. Sed hic melioribus auspiciis opus suscepit, ac feliciter absolvit, moderatore Philippo *de Chieze*. Fossa hæc lata est qvinqve perticas Rheinlandicas, in longitudinem porrigitur ultra tria milliaria Germanica, qvæ expeditus viator vix spatio sex horarum absolverit. Et qvia Sprææ alveus Viadro qvinqvaginta pedibus altior est, sistendæ aqvarum declivitati undecim claustra sumtuoso opere extruenda fuerunt. Sed qvia, prout vitæ humanæ nunc indoles est, omnium rerumpublicarum felicitas in lubrico posita, ab aliena fere libidine pendet, ni ab armis probe instructæ sint; & vero Electoris majores pacis tempore militem alere haut svevissent; ei maxima cura fuit perpetuum exercitum, eumqve sat numerosum instruere, tuendis provinciis late diffusis, ac servandæ inter vicinos autoritati; qvi & hucusqve gloriam Brandenburgici nominis feliciter sustinuit; isqve ut citra oppressionem civium, & qvam minimo cum oneris sensu aleretur, sapienter effectum est. Eidem fini passim armamentaria, & qvæ instruendo exercitui faciunt parata; veteres munitiones reparatæ, novæ idoneis locis exstructæ. Inter alia etiam Electoralis sedes Berolinum novis munitionibus magno sumtu circumdatum, qvæ & Fridericiverderam, antehac extra mœnia positam, amplectuntur. Et cum incolarum numerus gliscceret, novum qvoqve oppidum adjunctum, à Dorothea secunda conjuge nuncupatum, qvod seni filiarum in qvincuncem digestarum ordines exornant. Ac sane Berolinum eo imperante novis, atqve ornatissimis ædibus ita exsplendescere cœpit, ut vetere facie paulatim obliterata, idem inter pulcerrimas Germaniæ urbes haut postremum sibi locum vindicet. Per qvæ omnia iste assecutus est, ut FRIDERICI WILHELMI memoriam nulla unqvam vetustas abolitura sit, cui & MAGNI cognomentum maxima ob merita tributum omnis posteritas agnoscet.

FINIS.

INDEX
OMNIUM PERSONARUM,
QVARUM IN HOC OPERE
MENTIO FIT.

A.

Abassus Transsylvaniæ Princeps. XII, 69.70.74.
Abela. Cæsar: Secret: XII,9.
Achemus [Lucas] X,19.
Achtienhovius. XII,34.
Adolphus Cliviæ Comes & postea Dux. IV,1.2.
Adolfus Joannes Palatinus. VI,37.38. VIII,36. XIV,46.
Æmylia Juliacensis.IV,1.
Akakia. VIII,48.49. IX,42. XIII,59.60. XIV,10. XVI,65. XVII,75.
Albemarla Dux.XIX,86.
Albertus Austriæ Archidux. II,22.IV,[illegible] 17.20.21.
Albertus Fridericus.Elect Brand.filius.XIX,103.
Albertus Moguntinus Elector & Magdeburgensis Archipræsul.IV,10.
Albertus Onoltzbacensis Marchio. III,16.
Albertus Saxoniæ Dux. IV. 1.5.10.
Albertus Senior, Borussiæ Dux. V,17.VI,31. IX, 13.XVIII,30.
Albivillius Marchio.Angl: Ableg. XIX,96.97.98.
Alefeldius [Benedictus] XIII,42.
Alefeldius (Cajus) Danic: Minist: VII,57.71.
Alefeldius Daniæ Cancellarius. XIV,58. XVII, 91.95 XVIII,10.11.24.73 98.100.121.122.123.124. 136. XIX,36.43.63.65.
Alefeldius [Detlevus] Dan: Min: VII,11.15.57.71. VIII, 24.65. IX,33. X,26.XVII,93.
Alefeldius [Fridericus] Dan: Min: VII, 71.72. VIII,24. IX,80.
- - - - Comes [Fridericus] Dan. Min. XIII, 31.46.47. XIV, 22.35.38 XVII,88.
Alefeldius [Joachimus] Gottorp:Minist: XIX, 44.66.70.71.82 83.
Alexander Curlandiæ Princeps. XVIII,137. XIX, 26.
Alexius Czar. XIV,12.
Almerius.IX,10 44.
Altenburgicus Comes [Antonius]Dan:Leg:XV, 36. XVI,4.27. XVII,97. XVIII,9.24.
Altenus [Bodo] Brunsvic: Ableg. VII,56.
Althanius Comes [Wenceslaus] Cæsar: Minist: XVI, 68.
Althovius.Neoburg: Cancellar: IV,34.
Alvenslebius Augusti Sax. Duc. & Administr. Magdeb. Min.XIII, 3.
Amelia.Brand.Elect.filia. XIX,103.
Amelia Elisabetha Hassiæ Landgravia. I, 47.
van Amerongen [Borre] Belg: Minist: IV,21.
Amerongius [Godertus Adrianus Rhedius] Belg: Leg: X,36. XI,32.47.58.67.69.81. XIV,33. XV,5. XVIII,32.
Andersonius VIII,36.
Anetanus Trevirens: Cancell. VII,40.
Anethanus [Joannes] Cæsar: Minist. IV,34.
Anglesaja Comes [Arthurus] Angl: Consiliar: IX,27.
Anjaviensis Marchio [d'Anjeau] XI, 62.64.
Anna Borussiæ Ducissa, Friderici Wilh. El. avia paterna. V,17. XIX,102.
Anna Eboracensis Ducis filia. XIV,12. XVI,4. XVIII,93. XIX,48.
Anna Jagellonica. XII, 70.
Anna Juliacensis.IV,1.2.3.9 15.
Anna Sophia Brand: Elect: filia.IV,16.
Anrepius. Tribunus. XVII,6.
Anselmus Franciscus.Mogunt.Elector. XVIII,35.
Antonius Ulricus.Brunsv: & Luneb:Dux. III, 12. XIII,18.
Appelbomius.Svec: Minist.V,21. VII,60. VIII,47.
Arcius Comes [d'Arcy] XVIII, 123.
Arenstorfius [Carolus] Dan: Leg: XII,21. XIII, 30. XIV,45. XV,17. XVI,58.
Argathelia Comes. [Argyle] XIX,4.5.85.
Arlingtonus. Angl: Secret: X, 22.47. XI,1.3.18.56. 75. XII,10.36.63.64.XV,32.61.
Armfeldius. VIII,36.
Armstrongius.XVIII,117.
Arnheimius [Joannes Georgius] I,11.14.
Arpajovius Comes X,72.
Aschenbergius [Rutgerus].Svec: Minist:VII,70. XV,17. XIX,44.
Ashamus.Angl: Leg: VI,11.
Ashley Baro [Antonius] Angl.Consil.IX,27.
Asseburgius [Ludovicus] Gottorp: Duc: Min: VII, 69.
Assem Aga.Tartar: Legatus. XVII,98.
Avaugurius.Gall: Leg:I,24.V,26.VI,36.49. VII, 4.19. X,50.
Avauxius Comes.[Claudius de Mesmes] Legat. Gall.Monaster I,12.21.49. II,12.17.20.21.22.29. 47. III,3.4.5.6.7.8.9 13.15.21 41 43.49 51. VIII,40.
- - - - - [Joannes Antonius Memmius, de, Mesmes] Leg.Gall. Neomag. XIII,68. XIV, 66.67.70. XVI,73.77.90.92.XVII,24.
- - - - - Leg.Gall Hag. Comit.XVII,54.60.66. 68. 90. XVIII,3.21.23.73.93.119.128.129.132. XIX, 5.6.8.9.

INDEX PERSONARUM.

Auberius X, 34.
Averius. [Josephus] Britannicus Prolegatus. I,25.
Averus [Joannes] Brandenb: Minist: VI,49.
Augusta Curland. Ducis filia. X,66.
Augustus. Anhalt: Princeps. IV,35.
Augustus Brunsv. Dux. III,60. IV,28.35. VII,66. IX,65.80. X,9.
Augustus Holsatiæ Dux IX,77.78. XII,49. XIII,24. XIV, 48. XV,18.
Augustus Palatinus IV,22.
Augustus Saxoniæ Dux & Administrator Magdeburgensis II,35. III, 2 11.16. VII,66. IX, 83. XI,84 XVIII.12.
Augustus Saxoniæ Elector. IV,10.
Aurspergius Comes, post *Princeps*, [Joannes Weickardus]. Cæsar: Legatus. II. 6. Supremus aulæ Cæsar. Præfect. III,63. V,33.35. VI, 40. VII,42. VIII,32. X,29.46. XII, 51.
Auxius Baro. Hispan: Minister. X,72.

B.

Baddensis Marchio [Hermannus] IX,10. X,30. 31.32 58 XI,35. XII,46. XVIII,6.62.94.104.
Bakovius [Bakowski] Pomerelliæ Palatinus. VIII,82 83 85. XII,68.81. XIII,33 58. XIV,3.7. XV,12. XVI,66.
Balbasius Marchio [de los Balbases] Hispan: Leg. XI,49. XII,29. XIII,14. XIV,64. XV,33. XVI,5.9.29.35 46. 73 77.
Ballicumius [Gerhardus]. IX,35.
Banerius [Gustavus]. II, 5.
Banerius [Joannes] I,6.11.14.20.
Barbarinus Cardinalis. XVIII,86.
Barsusius [Fridericus] Brandenb: Tribunus VIII,11.30.
Barsusius [Joannes Albertus] Brandenb: Milit: Præfectus. XVIII,87. XIX,26.
Barillonus. Gall: Leg: XII.3. XVI,3. XVII,40. XVIII,76.
Bassecrodius. XI,33.35 39.
Bassi [Dietericus] Belg: Leg: IV,21.
Battevillius. Hispan: Leg: IX,25. X,2.52.
Batz [Henricus]. X,17.
Baudissius [Gustavus Adolfus]. XIII,43.44.45. 49.50
Baumbachius Cattellanus Minister. XIX,41.
Baumgartius. XI,10.4.
Bazinus Gall: Minist: XVIII, 76.
Beckerus. Cæsareus Archiater XIV,22.
Beckius [Philippus Caspar]. VII,56.
Bedlovius. XVI,78.
Bedmarus Comes. Hisp: Leg: XIX,97.
Beeckius (van der Beecke) [Joannes] IV,32.
Beterus [Joannes] IX,82.
Beilsteinius. Colonien: Consul. XIX, 5.
Belentanus [Alexander] Mutinent: Leg. XII,79.
Bellasius Comes. IX,23.
Bellefondius XII.32.
Bellefortius [Beaufort] X,28 XI, 1.
Bellolocius [Beaulieu]. Elbingensis Præsidii Præfectus. IX,7.
Bellingius [Joannes Georgius] Brand: Tribun. XIX,26.
Bellocampius. Lotharing. Ableg. XII, 78.
Belloregardius [Beauregard.] IX, 21.
Benckendorfius. II,48.49.52.
Benedicta. X,90.
Bequius [Beck] Brandenb: Minist: IX,36.56.
Berclajus [Joannes] Angl: Leg. XIII, 69. XIV, 70.72. XV,43.44.
Bergaignius [Josephus] Cameracensis Archiepiscopus. II,24.
Bergeickius Baro. Hispan. Leg. X,55.59. XIII,61. XV, 60.
à Berg Comes [Henricus] XIX, 102.
Bergius [Joannes] Professor Francof. II.31. it. Brand. Conc. Aul. XIX,100.
Bergmannus [Petrus]. I, 21.
Berka Comes. Cæsar: Leg: XVIII,43. XIX,70.
Berlepsius [Otto Wilhelmus] IX,83. X,34.
Bernhardus Vinariensis Dux. II,61.
Bernsavius. Brandenb: Leg: III,24.
Bernsdorfius. Mecklenb. Ducis Minister. XVII, 40.
Bertramus (Constantinus) Mogunt: Leg: XI, 5. XIV,15.
Besserus (Joannes) XVIII, 117.
Bethunius. XII,30. XIII,59. XIV,9.10. XV,9.30 XVI, 59.65.66.68.69. XVII,2.7.66. XVIII,28.
Beverningius (Hieronymus) Belg: Leg: X, 12. 13.16.17.27. XII, 4. XIV, 66. XV, 31.32.44. 46.51.57.59. XVI,7.18.19.20.22.25.26.28 32.35.36. 38.45.46.48.52.71.72.76.77. XVII,48 67.
Bevilaqua (Aloisius) Nuntius Pontificis. XV, 39. XVII,31. XVIII,19.
Beuningius (Conradus) Belg: Leg: VI,53.64. X, 28.53.54.55 XI,1.6.12. XIII,41.63.65.66,70. XIV, 60 66 69. XV, 32 60.61. XVI,9.10.11.17.18.22. 40.71.78. XVII,44. XVIII,116.118.119. XIX,5.
Bewerwertius. IX,23.
Bibovius. XV,17.
Bidalius. Gallic: Min: XIII, 42. XIX, 71.76.81.
Bielkius (Henricus) Danicæ classis Præfectus. VIII,12.
Bielkius. (Nicolaus). XVIII, 23.43.
Bielkius (Steno). Svec: Leg: V.25.27.28. VI,23. 26 63 IX,17.20. X, 57. XI,26.33.36.38 XII,61.
Biermannus (Conradus) Dan Deleg. XIV,35.38. 38.
Biornclovius (Matthias) Svec: Leg: II.48. III, 9. 55.59.60 61.62.65. IV,27.30. V 39. VI,44.45. VII,29.43.44 51. VIII,51.64. IX,32. X,52.56.57. XI,26 33.
Blasbielus (Wernerus Wilhelmus) Brandenb. Leg: IX,71.72.74. X, 8. 10.13.17.18.23.30.37.39. 40.41.48. XI,14.16.18.20.21.65.72. XII,22.26.34. 45.64. XIII,7.21.49.50.51. XIV,29 66.67.70.71. 72. XV, 11.35. XVI,5.6.7.13.20.24.25.30.32.33.35. 36.46.47.52.54.77.89.90.91.92.94.95.97. XVII, 15.19.20.21.22 25.26.33.40. 45.46.47.48 52.53.54. 57.58.59. 60. 61.81.82. XVIII, 55.
Blixius (Andreas Dubislaus) XIII,56. XIV,45.
Blondellus. Gall. Leg. VII,40.53.54 67. VIII,41 42.
Blumenthalius Baro (Christophorus Casparus) Brandenb. Consil. *IX*,2.3.4.21.52.56 57.58.59. 60.63.64.67. *X*,25.26.36.46 58.59.80.81.86. *XI*, 1.4 40.41.42.62,63.71. *XII*,14.
Blumenthalius Baro (Joachimus Fridericus) Brandenb: Min: I,17. II,46. III,22.64. IV,28.29. 30.32.

INDEX PERSONARUM.

30.32.37.39.42.43.
Blumius (Henricus Julius) VII, 56.
Bluntius (Reinoldus) Svec: Leg: XI, 69.79 80.
Boccomus, Polon: Vigil: Supremus Præfectus. XI, 103.
Bochius. Daniæ Regis Cubicularius. VII, 57.
Bonningshusius (Benjamin). IV, 21.
Bottigerus. VI, 37.
Bogislaus XIV Pomeraniæ Dux. III, 58.
Bogislaus Radzivilius Princeps. VI, 66. 71.
Bohlius, Fridericus) Svec: Miniſt: III, 65.
Bonneburgius Baro (Joannes Chriſtianus) Mogunt. Miniſt. VII, 37. *X*, 79. 84. 87.
Bolfaus (Bolſey) Simon) Tribunus. XIII, 49. 50.
Boleslaus Chrobri. XIV, 3.
Bonſtorfius. Tribunus XI, 82.
Bonnus (Georgius) Brandenb: Leg: V, 30. 32. 33. 34. VI, 8. IX, 86.
Bonvisius. Cardinalis & Nuntius Apoſtolicus. XIX, 47.
Bonzius (Petrus) Biterrenſis Epiſcopus. IX, 80. *X*, 80. 81. 82. 83 85. 86. 88. 90. *XV*. 31.
Boqebius (Hermannus) I. 14. IV, 36. V, 20.
Borckius (Adolfus) *X*, 15.
von der *Borch* (Joannes) XIX, 102.
Bordeaux Gallus qvidam IX, 32.
Borelius (Petrus) Amſtelod. Conſul. XVI, 45. 46. 77. XVII, 96.
Borellus (Jacobus) XVI, 16. 29.
Borgius (Allartus Philippus) Brandenb: Min: II, 72.
Bergſtorfius (Conradus) Cuſtrini Præfectus. I, 35 30. 42. 44. II, 72. III, 32. IV. 24 37. IX. 92. XIV, 72.
Borgſtorfius (Georgius Ehrentreich) Brandenb: Miniſter. I, 45. III, 39.
Bornius (Joannes Georgius) Novæ Marchiæ Cancellarius. I, 27. 33. III, 49. 52.
Bornonvillius. XI, 82. 83. 84. XII, 45. 46 47. 49 58 XIII, 1. XIV, 21.
Bornſtedius (Balthaſar Fridericus) Brandenb. Subtribunus. XIX, 26.
Bornſtedius (Wolfgangus Eraſmus) VI, 77.
Borntinus (Fridericus Joachimus) Brandenb. Leg: VII, 6.
Boſius Saxon: Miniſter. XVIII, 101.
Bottonus (Franciſcus Hannibal) Cæſar: Leg: X. II, 61.
Boulangerus (Joſephus) Cæſar: Legat: Secretar: XVIII, 13.
Brabecius (Jodocus Edmondus) *X*, 15.
Brabeus (Nicolaus) Svec: Leg. VII, 41. IX, 25. 28. 68. XI. 36. XII, 57. 61. XIII, 24. 27 28. 31. 43.
Brahens (Petrus) I. 40. II, 48 III, 32 XI, 33. 34. XII, 6. XIV, 46.
Brandius (Chriſtophorus) VII, 53. 54. 67. VIII, 39. 40. 41. IX, 23. 26. *X*, 2. 3. 4 6. 7. 20. 21. 22 23. 28. 45. 47. XI, 32. 33 34. 36. 38. 53. 84. 103. 104. XII, 39. 40 41 42 43. 44. 53 54. 55. 56 XIII, 12 26. 42. 43. 44. XIV, 34. 38 XVIII, 9. 75 76. 77. 90. XIX, 25.
Brandius (Euſebius) XI, 101. 103. 104. 105. 108.
Brandius (Fridericus) Brand: Leg: XIII, 23. 26. 30. 31. XIV, 38. XVIII, 11. 124. 127. XIX, 65.
Brandius (Ludovicus) Brandenb. Miniſter. XIX, 25.
Brandius (Wilhelmus) Brandenburg: Subtribunus, XVIII, 31. XIX, 26.
Braſſerus, Belgicus Ableg. XI, 71.
Braunius. VIII, 28.
Bregyus Vice-Comes (Bregy) Gall: Leg: II, 45. III, 43. *X*, 72.
Breitenavius (Chriſtianus) XVIII, 72.
Breitenauius (Chriſtophorus Jantich) Danic: Plenipotent: XIX, 70. 73. 82.
Bremerus, Subtribunus. XIV, 47.
Bremerus, Svecicus Miniſter. X X. 71.
Bretbel à Gremonville. (Jacobus) XI, 51.
Breza (Albertus Conſtantinus de Gorai) Poſnanienſis Caſtellanus. XVIII, 137.
Briennius II, 22.
Brocdorfius (Detlevus) Brandenb. Tribunus XIII, 42.
Bræmſerus Baro. II, 25.
Bruminxius, Belgar. Leg. XI. 51. 84.
Brunus (Antonius) Hiſp: Leg: II, 20. 71.
Buchius (Joannes Fridericus) III, 49. 52.
Buckingamius Dux. *X*. 28. XI, 3, 12 18 56.
Bucwaldus (Goſchius) Leg. Dan XIV, 23. XV, 59. XVI, 87 XVIII, 24. 70.
Bucwaldus, Summus Vigil: Præfectus Stralſund. XVI, 62.
Butenduchius (Joannes) Procancell: Halberſtad: XIII, 17. XV. 3.
Buiſſonus, Abbas. XI, 35.
Bullionius, Cardinalis. XI, 54.
Bulovius (Bulov) Svec: vigil. ſummus præfectus. VI. 37.
Burckersrodius (Joannes Fridericus) Saxon. El: Leg: VIII, 61. XI, 51.
Burgomagni Marchio (Burgomanero) Hiſp: Leg: XV, 60. 61. XVI, 9. 10. 11. 13. 21. 22. XVIII, 60. 83. 111. 118. XIX, 12. 50.
Burnetus (Gilbertus) XIX, 96.
Buſchius (Clamor) Brandenb. Miniſt. XVII, 41. XVIII, 41. 42. 72.
Buſchmannus (Petrus) Colonienſ: Miniſt: IV. 31. *X*, 17 XI, 5. 10.
Byus (de Bye) Nicolaus) V, 4. 5. 8 10. 15.

C.

Calixtus (Georgius) Theol. Helmſtad. II, 31.
Calovius (Fabianus) IX. 55.
Calvinus. II, 52.
Calvus. XVII, 60.
Camprichtus (Joannes) Cæſar: Min: XI, 51. XII, 52. XIII, 8. 41. XVIII, 23. 119. 128. XIX. 3. 55.
Camus Gratianopolitanus Epiſcopus. XIX, 16.
Canaſilius. V. 8.
Canicius, Brandenb. Miniſt. XVIII, 65. 67 121. 135. XIX, 22. 24. 46. 48.
Canitzius. Tribunus. XVII, 2.
Cannebergius (Chriſtophorus) Mindæ Gubernat. VI, 37. 39. VIII, 27. *X* 39.
Cannius. (Chriſtianus Erneſtus) Elect: Colleg: Leg: VII, 56.
Cannius. Subtribunus. XI. 1, 34.
Canoffcius. (Canofski) XI, 34. 35.
Canon (Franciſcus) Lothar. Duc. Leg. XV 34. 35. 58 XVI, 24 30. 35. XVII, 15. 49.
Canſteinius. (Rabanus) Brand: Leg: VII, 22. 23. 26. 27.

INDEX PERSONARUM.

26.27.29.32.35.37.38.39.44. XI, 85. XII, 15.22.
Cantenſteinius (Laurentius). V. 56.
Canutus. XI, 33.
Caprara. Trib. Cæſar. IX, 78. XI, 82. XII. 46. 51 XVI, 20.
Caraffa. XIX. 55.
Cardenas XVII. 43.
Carlingfortius Comes. X, 15. XIX, 89.
Carliſonius Comes (Guſtavus). XVII, 5.
Carolus Æmilius, Friderici Wilhelmi El. Fil. XII, 65 68. 69. 70. 73. 74. 76. 78. 79 80. XIII, 31. XIX, 103.
Carolus I. Angliæ Rex, I, 25. XIV, 10. XIX, 4 84.
Carolus II. Angliæ Rex. IX, 5. 27. XI 76 XVI. 1. XVII, 24. XIX, 3. 4 84. 85.
Carolus, Auſtriæ Archidux. VIII. 44.
Carolus, Cardinalis. IV, 8.
Carolus Caſper. Trevirenſis Elect: IX, 65.
Carolus Ferdinandus. Polon: Reg: frater. XII, 70.
Carolus Fridericus. Juliacenſis Dux. IV, 1.
Carolus Fridericus, Wurtenbergici Ducatus Adminiſtrator. XIX, 19.
Carolus Gonzaga, Nivernenſis Dux. IV, 1. 6.
Carolus Guſtavus, Palatinus; poſtea *Svecie Rex*. I, 34 II, 35. 48. 49. 55. 64. III, 23. 32. 33. 47. 60. IV, 4. V, 1. 18. 20. 28. 56 64. VI, 1. 8. 10. 23. 39. 40. 45. 49 59. 62. 74. VII, 1. 5. 16. 43. 44. 55. 56. VIII, 16. 21. 61. 66. 73. 74 IX, 65. 69. XI, 34. XIII, 41. XIV, 46. XV, 12 XVIII, 83. XIX, 62.
Carolus Guſtavus Palatinus, Sveciæ Rex, Bremenſ: & Verdenſ: Dux. IX, 65. 69. XIII, 42.
Carolus, Haſliæ Landgravius. XVIII, 42.
Carolus Hiacynthus, Jun. Lothar: Dux. X, 58. 59. 65. 76. 90. XIV, 60. XVII, 15. 24.
Carolus II. Hiſpaniæ Rex. XIV, 43.
Carolus Joſephus. Auſtriæ Archidux. IX, 10 20.
Carolus IV. Lothar. Dux, Senior. IV, 31. XI, 12. XIII, 38.
Carolus Ludovicus, Palatinus Elector. XI, 64. XII, 46. XIX, 15.
Carolus Magnus, Durlacenſis Marchio. VI, 17.
Carolus M. Rom. Imperat. III, 12. IV. 43. XI, 1. XVIII, 54.
Carolus, Palatinus Elector. XVIII, 36 XIX, 13 14.
Carolus Philippus, Brand: Elect: filius. XIX 103.
Carolus, Polon: Reg: frater. III, 27.
Carolus IV. Rom: Imp: IV, 1. XII, 1.
Carolus V. Rom: Imp. II, 45. 46. 58. 69 III, 3. IV, 3. 4. 10. 20. V, 6. VI, 11. VII, 21. 54. IX. 19. 91. XV. 4.
Carolus Sveciæ Regis filius XVIII, 75.
Carolus IX. Sveciæ Rex. II, 52 XV, 30.
Carolus XI. Sveciæ Rex. VIII, 75. XII, 19. 58. XIII. 31 XIV, 22. XV, 27. XVII. 80. XVIII, 23.
Carrigius, (Carrig.) Bavaricus Legatus. XIX, 59.
Carteret (Georgius). Angl. Regis Vice-Camerarius. IX, 27.
Caſimirus, Poloniæ Rex. V, 17.
Caſpari, Neoburg. Ableg. XVI, 52.
Caſtello-Moncayus, Hiſpanicus Miniſter. XVIII, 129.
Caſtelmainus. XIX, 86.
Caſtello-Rodericus, Belgii Hiſp: Gubern: III. 63. V, 33. VII, 30. IX, 92. X, 15. 28. 30. 31. 32. 37. 40. 41. 55. XI, 35.
Caſtillonia, Chriſtiani Ludovici, Ducis Mecklenburgici uxor. XVI, 86.
Catharina. XIX. 102.
Catharina, Luſit. Regis filia. IX, 25.
Cave (Petrus de la) IX, 55.
C. uutius Comes. (Caunitz) Cæſar: Miniſt: XIX, 59.
Chamillius. XI, 60.
Chanutus (Petrus) Gall: Leg: IV, 36. XIV, 72. XVIII, 13. 76.
Charlotta Amalia, Daniæ Regis uxor. X, 36,
Chaſſanus. Gall. Leg. XI. 46.
Chaſtraus, Galliæ Mareſchallus. IV, 14.
Chaunius Dux, Gall. Leg: XII, 3. 4. 8. 9.
Chesburius (Chesbury). XVI, 78.
Chiaramaunus, Florentinus Ablegatus. XIV 64
de *Chieſe* (Philippus). XIX, 105.
Chiverntus (Chiverny). Gallicus Legatus. XIX, 11. 13. 39. 69. 73 80 83.
Chmielnicius (Chmielnizki) Coſaccorum Dux. V. 42.
Chodzinſcius (Chodzinski) Joannes) XII, 81.
Chowanſcius (Chowanski) XIII, 61.
Chriſtianus Albertus, Gottorpienſis Dux. VII, 69. VIII, 77. X, 17. XIV. 40 XVII. 28. 73. XIX, 62.
Chriſtianus, Anhaltinus Princeps. IV, 15 20.
Chriſtianus, Brandenburgenſis Marchio. IV, 15.
Chriſtianus Brunſvicenſis Dux. II, 61. III, 12.
Chriſtianus. Culmbacenſis Marchio. III, 16.
Chriſtianus III. Dan: Rex. XIX. 78. 79.
Chriſtianus IV. Daniæ Rex. IX, 18. XVII, 96. XVIII, 10. XIX, 67.
Chriſtianus V. Daniæ Rex. XI, 40.
Chriſtianus Erneſtus, Culmbacenſis Marchio. XVIII, 58. XIX, 31.
Chriſtianus Ludovicus, Brand: Elect: filius. XIX, 100. 103.
Chriſtianus Ludovicus, Brunſv: & Luneb: Dux. I, 47. VI, 66. IX, 65. 79 X, 15.
Chriſtianus Ludovicus, Meclenb: Dux. VIII. 16. XV, 8. XVI, 86 XVII, 40. XVIII, 127.
Chriſtianus Meclenburgicus Dux. XVII, 75.
Chriſtianus I. Saxoniæ Elector. IV, 10. 15.
Chriſtianus Wilhelmus Brandenb Marchio III, 16.
Chriſtineus, Hiſpan: Leg: XV, 33.
Chriſtina, Sveciæ Regina. I, 34. 36. 40. II, 49 52. 72. IV, 36. 38. V, 1. 9. 15 26. 38. VIII, 21. 61.
Chriſtophorus Bernhardus Galenus, Monaſter: Præſul IX, 65. X, 9.
Chrobri (Boleslaus) XIV, 3.
Chwalcovius (Chvvalcovvski) Samuel) Brandenb Miniſter. XVIII, 27.
Cibus (Cibo) Cardinalis. XIX, 45.
Citterus (Citters) Belgicus Legatus. XIX, 32. 98.
Clantius (Clant) Belg. Leg II, 42 III, 3.
Claſteinius (Arnoldus) Cæſar. Min. X, 72.
Claudia Felicitas. XI, 85. XIV, 21.
Clemens, Bavariæ Dux XIX. 59.
Clerius (Clerc) Joannes). XV, 17.
Clevelandia. XIX, 86.
Cnutius. XIV, 35.
Cobius. XII, 64. XIII, 34. XIV, 13. 51. XV, 9.
Coppenius (Joannes). XII, 17.

Coje-

INDEX PERSONARUM.

Cajetus (Wilhelmus Julius) Svec: Ableg: XIX. 63.
Colbertus vid. Croisſius.
Colignius. IX, 78.
Collaltus Comes (Claudius). IX, 77. 85.
Collonitſchius Neoſtadienſis Epiſcopus XV, 9. XVIII. 96. XIX, 55.
Colmannus, Eboracenſis Ducis Secretarius. XVI, 78.
Colobratus, (Franciſcus Carolus). Cæſar. Leg. VIII, 58.
Colonna Conneſtabilis. XI, 1.
Colonna (Petrus) Secretarius Status. XV, 10. 11.
Condaus Princeps. V, 7. VI, 41. VII. 54. VIII, 49. 85. IX, 4. 10. 20. 44. 91. X, 29. 42. 43. 44 49. 50. 51. 55. 58. 59. 61. 62. 67. 76. 77. 80. 86. 90. XI, 1. 20. 27 51. 63. 64. 67 82. 87. XII, 8. 44. 51. 55. 57. 68. 70. 72. 73. 74. 78. XVII 90.
Conradus, Baſileenſis Præſul. IX, 65.
Conſtruckius (Caſpar Florens). Cæſar: Miniſt: XVIII, 133.
Conſtantia, Poloniæ Regina. XVIII, 30.
Contarenus (Aloyſius) Venetus Leg. II, 56. 63. III, 32.
Contius Princeps. XII, 74, 78.
Contrera (Hiſp. Secretar. IX, 4.
Copeſius (Joannes) Brandenb: Miniſt: IV, 31. V, 21. VII, 60. X, 15.
Copeſius (Otto) IX, 21.
Corkerus. Colonienſis Reſidens in Anglia. XIX, 97.
Corneburgius. X, 5. 7.
Cosbetus (Joannes) Brand. Min. I, 21. IX 37.
Coſſus (Joannes). Palatinus. V, 57.
Concentius (Henricus). Angl. Leg. IX, 68. XI, 33. 75. XII, 36. XIII, 63. XV, 31. XVI, 11.
Coyetus (Petrus Julius) Svecicus Leg. VIII, 35. IX, 70.
Coyetus (Wilhelmus Julius) Svecicus Ablegatus. XVIII, 90.
Crachtius, Berolini Præfectus, I, 5.
Cracovius (Matthias) Leg. Polon. II, 45. 57. 63. III. 54. 59. 60. 61. 62. 65 IV, 36. XIV, 2.
Cranius (Joannes) Cæſ. Ableg. II, 16. 36. 50. 69. III, 59 61. VI, 41. XIV, 57.
Cravellus, Gallicus Legatus. VII, 30. 37. IX, 82. XI, 69. 79. 80. XVIII, 15. 19. 20. 54. 68.
Crequius. X, 29 XII, 47. XIII, 38. XVII, 60 76. 79. 81. 83. 86. 87. XIX. 57.
Crentzius (Laurentius) Præfectus claſſis Svec. XIV, 46.
Crocovius (Joachimus Erneſtus) I, 55. II, 45.
Crocovius (Laurentius Chriſtophorus). XVII, 84. 96.
Crocovius (Laurentius Georgius) Leg. Brand. IX, 66. 67. 68. 69. 82. X, 56. 57. XI, 7 8. 9 10. 11. 13. 15. 26. 31. 60. 74. 75. 76. 81. 84. 85. 97. XII, 26. 28. 29. 30. 33. 37. 51. 71. 77. XIII. 2. 11. 13. 14. 19. 39. 43. 57. XIV, 30. 13. 14. 15. 19. 21. 31. 49. 57. 64 XV, 2. 4. 9. 20. 29. 42. 45. XVI, 8. 68. 79. 80. 82. 84. 86. XVII, 10. 11. 33. 34. 35. 36. 38. 48 XVIII, 56. 57. 59 61. 62. 63. 64. 78. 86.
Croja Dux, Borusſiæ Gubernator. XII, 81. XIV, 5. XVII, 2.
Croiſius (Carolus Colbertus Marchio de Croiſſy) Leg. Gall. Neomag. poſt Suprem. in Gall. Conſil. Moderat. VIII, 42. 64 X, 16. 71. 25. 55. XI, 23. 10. 18. 31. XIV, 66. 70. XV, 30. XVI, 6. 38. 44. 46. 77. 89. 93. 95. XVII, 23. 24. 46. 51 55 57. 59. 60. 61. 73. 74. 78. 81. 82. 84. XVIII, 15. 19. 21. 23. 33. 48. 51. 73. 74. 88. 92. 93. 94. 95. 96. 102. 104. 107. 116. 133. 136. XIX, 4. 8. 9. 11. 12. 18. 20. 29. 31. 33. 35. 43. 47. 49. 50. 52. 56.
Cromwellus (Olivarius) Angl. Protector. V, 3. 21. 26. VI, 9. 10. 11. 50. 64. 70. 73. VII, 31. 39. 55. 63. 68. X, 5. 21. 28. XIV. 1. XIX. 3. 4. 84. 95. 98.
Cromvellus (Richardus) Olivarii Fil. VII, 68. VIII, 4. 8. IX, 24. 28.
Crummenſeus (Otto Fridericus) XII, 65.
Curtinius, Gall. Leg. XI, 34. 38. XII, 3. XIV, 65.
Cutierius (de la Coutiere) VIII, 28.
Curtius Comes (Ferdinandus). I, 17. III, 59. 60. 61. IV, 42. VII, 64.
Curtius (Maximilianus) Bavari Legatus. IV, 43.
Czarnecius Junior. IX, 48.
Czarnecius (Stephanus) VI, 14. 25. 30. 33. 77. VII, 3. 10. 11. 15. 62. 70. VIII, 11. 30. 64. 69. IX, 20. 45. 46. XIV. 9.

D.

Dada Comes. Nuntius Apoſtolicus. XIX, 86.
Dagobertus Rex. XVIII, 14. 58. 54.
Dalchovius [Dalchou] Subtribunus. XVII, 6.
Dalwigius, Summus vigiliar. Præfectus. XIII, 36.
Danbyus [Danby]. Angliæ Theſaurarius. XV, 61 XIX, 4.
Danckelmannus [Eberhardus] Brand. Miniſt. XIX, 99.
Danckelmannus [Nicolaus] Brandenb. Miniſt. XIX, 55.
Danckelmannus [Thomas Erneſtus]. XIV. 31.
Daniel Abbas, Coſacorum Legatus. VI, 62.
Darthmuthus Comes. XIX, 88.
Demetrius Wieſnovicius. XI, 103.
Derenthalius. III, 32.
Derſchovius [Reinholdus] Leg. Brand. IV, 34.
Deſtrades Comes [Godofridus] Franciæ Mareſchallus. XVII, 24.
Devonia Comes XIX, 87.
Dewicius [Dewitz] Joachimus Balthaſar] Brand. Subtribunus. XVII, 6.
Dichelſonius [Joannes] Angl. Leg IV, 21. XIX, 37.
Dieſtius [Fridericus Wilhelmus]. Brandenb. Miniſt. IV, 31. XVIII, 23. 31. 73 77 128. 132. XIX, 17.
Dnialinſcius, Polonicus Secretarius. I, 24.
Dobrzenius [Joann Ulricus] Brand. Leg. V, 2. 4. 5. 6. 7. 8. 36. 38. 39. 40. 41. 54. 56 63. 64. 66. 69. 71. VI, 13. 25. 26. 40. 62 67. VII, 4. VIII, 41. IX, 16. 41. 54
Donhofius Comes [Fridericus] Brand: ſummus vig. Præf. XI, 107. XII, 46 68. XIII, 34. XIV, 5. XVII, 2.
Donhofius Comes [Gerhardus] Polon. Legat. I, 24 41.
Dorflingius [Georgius] Supr. Brand Milit Dux VII, 69. XII, 34. 47. 57. 65. XIII. 34. XIV, 45. XVI, 60. 62. XVII, 4.
Dorflingius [Carolus] XIX, 16.
Dona Comes [Alexander]. Brandenb. Legatus XIX, 61.
Dona Comes [Carolus Æmylius] XVIII, 27. XIX. 26.

Dona Comes [Chriſtianus Albertus]. VIII,16.25. 29. XI, 82.
Dona Comes [Chriſtophorus Delphicus] Leg. Sved IX 32 X,47.
Dona Comes [Dietericus]. XIX, 26.
Dona Comes [Fabianus]. II,22.V,58 59.
Dona Comes [Fridericus] IX,21, XI,73.107.
Donia Belg.Leg.II,42.
Dorellanus. XI, 50.
Dorothea.Brandenb.Elect: altera conjux.XIX. 103.
Dorothea, Brand: Elect: filia.XIX.103.
Dorſetia Comes.XIX.97.
Downingius [Georgius] Angl.Leg.VII,55 VIII, 3.8.X, 3.8.10. XI,75.76. XVI,21.
Dreſerus [Chriſtianus]. IX. 40.
Duckerus, Colon. Conſiliarius. XIII,67.
Duglaſſius [Robertus]. VI,37. VIII,35.
Dunewaldius, Cæſar: Milit. Dux. XII,51. XIX, 26,
Duraſius.XI,82.87 XV,61.XVI,3 21. 72.
Durellius, Svec.Miniſt. VI,53.55.57.58.59 60.61.
Duſſelius [Thomas] Colon:Miniſt: IV,34.
Duwalius [Duwal]. I,55.
Dyckveldius, Arauſionenſ:Ableg:XVI,70. XIX, 94.

E.

Ebelbachius [Petrus Jacobus]. VII,61.
Eberhardus, Wurtenbergicus Dux. IX,65.
Eberſteinius Comes [Caſpar] Haſſ:Mil:Dux.I,47.
Eberſteinius Comes [Erneſtus Albertus]. VII, 57.
Echius Baro, Palatinus Ablegatus.XVIII, 14.
Ecſtedius, Pomer. Deleg. II,32.
Eduardus Palatinus.IX,10.
Efferanus Baro [von Effern] I,44.
Egvia [Hieronymus] Hiſpan: Secretar:XV,10.
Ehrenſchildius [Conradus] Danicus Legatus. XVIII,90.100.136. XIX,65.70.71.73.76.77.80.81. 82.
Ehrenſteinius [Eduardus] Svec:Leg:VII,57. IX, 70.XI,78 XII 3,62.63.XIII,6.7.8.10.60.XIX,10.
Ehrmannus [Tilemannus] X,57.
Eleonora Magdalena Thereſia. Neoburg.Ducis filia.XIV, 21.
Eliſabetha Angliæ Regina.II,64.VI,11.IX,25. XI, 27. XIX,84.
Eliſabetha Bohemiæ Regina.XIX,102.
Eliſabetha Charlotta.Friderici Wilhelmi Elect. Brand:Mater.I,37. VI.69.
Eliſabetha Charlotta, Palatini Electoris Caroli Soror.XIX,13.
Eliſabetha Juliacenſis. IV, 1.
Eliſabetha Palatina Princeps.XI,76.
Eliſabetha Sophia, Brand:Elect:filia. XIX,103.
Ellerus, Sparenbergæ Præfectus III,19.
Ellerus, Wolfgangus Erneſtus.XI,82.XIII,21.49. 50. 52.
Elrichshuſius, Magiſter Ordinis. XII,71.
Eſſnittus, Brandenb: vigil: Præfectus XIX,26.
Eltzius [Fridericus Caſimirus] IX,80.
Emmericus Pater [Viennenſ: Epiſcopus.XI,49. 50.51.XIV,22.XVII,13. XVIII,62.104.111.
Enckefortius.III,63.
Endius [von Ende] Rudolfus. XIV,32.XV,8.18. XVI, 62.
Enguianus Dux.IX,10.15.20.36.84.90.91.X,41.50. 56.58.60.62.70.77.90.XI,4.XII,70.
Eppius [Philippus]. XI,87.
Erneſtus Auguſtus, Brunſ: & Lun: Dux. III,11.12. IX,80.X,17.27.XI,83.XIII,18.38. XVII,17.40.73. XVIII, 25.31.135.
Erneſtus Bogislaus Croya Dux. III, 14.42.45.55.
Erneſtus, Colonienſis Elector.IV,20.
Erneſtus Marchio.I,5.14.18.25.26.28.30.35. IV,18.
Erskeinus [Alexander] I,15.III,14.V,56.
Eſpencæus [d'Eſpence] *Comes*. XI,63.82. XVI,76. 92.XVII, 75.79.83.
Eſtræus Dux [d'Eſtrée] Cardinalis. XIX, 45.46. 47.
Eulenburgius Baro [Jonas Caſimirus]. Brand. Miniſt: VI,31.42.VIII,38.IX,39.
Eyckius.Belg Legatus.XI,55.56.

F.

Fagelius [Caſpar] Belg: Miniſt: XI,75 XII,24. 25 63.XIII,7.27.41.43.66.XIV,41,60.66. XV, 17.57.60. XVI, 5. 16. 17.18.28.39.48.50.71.73.77. 92 XVII,57 68. XVIII,73.116.119.128.129. XI. 9. 28. 96.
Falaſius [Falaiſeau] Petrus) Brandenb: Min: XIX,10.43.82.
Fantomus Abbas VIII,21. IX,44.
Felix Ego. Murbacenſis Adminiſtrator. XVIII, 113.
Ferdinandus, Bavariæ Dux. IX, 10.
Ferdinandus Maria, Bavariæ Elector. XVII,37.
Ferdinandus I.Rom.Imp.IV,1.
Ferdinandus II.Rom.Imp. II,17.23.30.69. III, 16. VII,5.26.XII,37.XV,4.XVI,96.XIX,20.
Ferdinandus III.Rom: Imp: II,30. IV,37. VI,63, VII. 21 26.
Ferdinandus IV. Rom:Rex VII,25 26.34.
Fernamontius Baro [Joannes Franciſcus Barravicius]. Cæſar: Miniſt: VII, 52.
Ferſenus [Fabianus]. XV,17. XVII,1.
Fevillada Dux. IX,78. XIX,35.
Fenquierius, Gall: Leg: XII,44.53.54.55.56.57.60. 61.64. XIII,4. XIV,35. XVII,79.85. XVIII,9.74. 76. XIX,5.
Fickius [Henricus] VIII, 30.
Fiſcherus [Joannes] Cæſar: Legat: XII,9. XIII, 21. XIV,57.
Fitzinghofius [Fridericus]. VI,49.
Flemingius [Heino Henricus]. XIV,3.
Fœdorovicius (Fœdorovvitz) Michael] Moſc: Czar.V,62.
Fonſeca [Emauuel]. XV,60.
Fontanus Comes, Hiſpan.Orat: VII, 42. VIII, 74. IX,4.92.X,28.29.37 XV,36.
Forbuſius [Arvidus] III,58.
Forgatſchius Comes.IX, 51.
de las *Forres*, Medinæ Dux. XV,11.
Franciſcus Albertus, Lauenburgicus Dux. I,11. 20.
Franciſcus I. Galliæ Rex.II,34. V,6.IX,19. XI,1. XIX,16.58.
Franciſcus Lotharingiæ Dux. XVIII,13.
Franciſcus Ludovicus, Wratislavienſ: Epiſcop. XIX, 59.
Franciſcus Wilhelmus Oſnabrug.Epiſc. III,8.13.

INDEX PERSONARUM.

Fredro. Caſtellanus Leopolenſis. IX, 46. X, 63. 82.

Freitagius Baro (Franciſcus Henricus) Cæſare9 Miniſter. XIX, 2. 25. 55.

Freſno Marchio de. XII. 9. 10.

Fridericus Auguſtus Eutinenſis Epiſcop9 XII, 61.

Fridericus Brandenburg: Marchiõ. V, 17.

Fridericus Brunſv: Dux. III, 11.

Fridericus Daniæ Princeps. Chriſtiani V. Fil. XI, 40.

Fridericus III. Daniæ Rex. I, 37. II. 12. XI, 40. VI, 53. VII 57. 72. VIII, 15. 24. 25. IX, 6. 33. 66. XVIII, 111. XIX, 79. 62.

Fridericus Gottorpinus Dux. VII, 69. XIX, 62.

Fridericus Haſſo-Homburg: Landgravius. XIII, 34. 36. 56. XIV, 47.

Fridericus Henricus Arauſionenſis Princ: II, 72.

Fridericus Holſatiæ Dux. III, 12. V, 10. VI, 31.

Fridericus Ludovicus Palatinus Bipontinus. IX, 65. 76.

Fridericus V. Palatinus Elector. I, 2. V, 28. XV, 4.

Fridericus III. Palatinus Elector. II, 69 XIX, 15.

Fridericus II. Rom. Imp: IX, 39.

Fridericus III. Rom. Imper: II, 23. IV, 1. 5. XIII, 42.

Fridericus Ulricus. Brunſ: Dux. IV, 16.

Fridericus Wilhelmus. [Brandenb: Elector. ubi nominatim ejus fit mentio.) I, 1. 2. 3. 24. II, 52. III, 16. IV, 1. 23. 24. V. 1. VI. 12. 45. 78. 80. 81. 82. 83. VII, 17. 18. VIII, 75. IX, 27. 62. 63. XI, 51. 76. XII, 19. 58. XV, 25. XIX, 102. 105.

Fridericus III, Brandenb: Dignitat. Heres nunc Elector. I, 1. VI, 66. VII, 5. XIV, 19. XVII. 4. XVIII, 107. XIX, 99. 103.

Fridlandus Dux. XVI, 62.

Friquetius. VIII, 2. IX. 16. 71. X, 10 15. 58.

Friſchmannus [Joannes] VIII, 41.

Friſius Baro (Henricus) Saxon: Min. III, 64 VII, 40. XIV, 55. 56. XV, 20.

---- *Baro* [Carolus] Saxon. Miniſt. XI, 46.

Fritzius (Petrus) I, 17. II, 17. 19.

Frobenius (Emanuel) Srabuli Præfectus XIII, 36.

Fromboltus (Joannes) Branden. Leg. II, 17. III, 5. 8. 17. 19. 31. 65.

Fuchſius (Paulus) Brandenb. Miniſt. XVII, 42. 60. XVIII, 43. 106. 112. 113. 114. 115 116. 117. 118. 119. 120. 121. 135. XIX, 5. 6. 7. 8. 9. 25. 27. 41. 44. 61. 70. 71. 76. 80. 81. 82. 83.

Fuen Major. Hiſp. Ableg. XV, 5. XVIII, 11.

Fuggerus Comes III. 63.

Furius X, 19.

Furbinus Maſſilienſium Epiſcopus. XII, 78.

Furſtenavius (Antonius) III, 19.

Furſtenbergius (Antonius Ego) XVII, 24.

Furſtenbergius (Franciſcus Eggo) Argent: Præſul: XII, 27. VIII, 42. IX, 92. XI, 4. 20. 44. 93. XII, 9. 50. XIII, 67. XIV, 59. XVII, 24, XVIII, 21.

Furſtenbergius (Ferdinandus) Paderbornenſis Præſul. XIII. 21. XIV. 32. XVI, 57. XVIII, 41.

Furſtenbergius (Fridericus) Colonienſ: Min. III, 22. IV, 34.

Furſtenbergius (Hermannus.) XI. 70. XII, 52.

Furſtenbergius (Joann. Adolphus) Baro. X, 17.

Furſtenbergius Leopoldi Archiducis Ablegatus. IV, 14.

Furſtenbergius (Wilhelmus.) IV, 27. 29. VII. 27. IX, 56. X, 29. 37. 51. 58. XI, 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 16. 20. 21. 26. 28. 93. XII, 6. 9. 33. 36. 37. 38. 79 XIII 11. 20. 64. 67. XIV, 59. 69. XV, 32. 40. 57. XVI, 15. XVII. 24. 90. (Argentin. Præſul. XVIII, 38. 120 XIX. 46. 48. 59. 60. 71. 98.

G.

Gabelius (Fridericus) Dan. Leg. X 55. XIV, 12. XV, 15. XVIII, 121.

Gabriel Berlemus. IX, 78.

Garzkius (Joachimus Erneſtus) XI, 103. XII, 47. XIII, 34. 54. XIV, 50 XVI, 69 XVII, 2. 3. 4. 5.

Gallaſius. I, 50. 51. 52. II, 14.

Gambiccius (Gambikki) (Joannes) Culmenſis Epiſcopus. V, 57.

Gambrotius (Stephanus.) IX, 58. 59. 68.

Gardius (Magnus Gabriel. Svec. Min. II, 49. 56. 64 III, 46. V, 63. VI, 32.

--- [Magnus de la Gardie. Svec. Cancellarius. VIII, 74. IX, 15 32. 67. X, 52 56. 57. XI, 26. 33. 34. 35. 36. 38. 98. XII, 44. 53. 55. 56. 57. 60. 61. XIII, 20. 26. 31. 61. XIV, 46. XVIII, 9.

Gateckius. XIV, 4.

Gaumontius Gall. Leg. X, 34. 51. 90.

Gebhardus (Juſtus.) Cæſar: Miniſter. I, 30. III, 60. 61. V. 28. VI, 40.

Gembiccius, (Gembicki) Cujaviæ Epiſc: XII, 78.

Gentius (Bartholdus) Belg. Leg. XI, 55.

Gentius (Joannes) Belg: Leg: III, 3. 6. IV, 32. 33. VIII, 3.

Georgius Brunſv: Dux. III, 13.

Georgius Daniæ Princeps. XII, 70. 73. 74 77. XIII, 42. *XVIII. 93. XIX, 48. 75. 78. 79.*

Georgius Fridericus Waldeccæ Princeps. *XVIII, 58. 59. 65. 78. 116. 119. 125. XIX, 12. 31.*

Georgius Haſſiæ Landgravius. *IX, 65.*

Georgius Marchio Brand. *IV, 44.*

Georgius. Saxoniæ Dux. *IV, 10.*

Georgius Wilhelmus. Brandenb: Elector *I, 2. 3. 14. 22. IV, 1. 22. IX. 31 XI, 102. XV, 31. XIX, 102.*

Georgius Wilhelmus. Brunſ: & Luneb: Dux. *III, 12. IX,* 65. 79. 80. 82. X. 17. 27 XI, XI, 41 XII. 46. 48. 49. XIII, 18 38. 52 *XIV, 32. X, 27. XVIII, 58.*

Gerica (Otto.) *XIX, 17.*

Gerſtorfius (Joachimus) Dan. Miniſt. *VI, 53. 61. VII, 9.*

Gerſtorfius Baro (Nicolaus) Saxon: Miniſt. & Legat. *VII, 56. VIII, 66. IX, 92. XIII, 41. XVIII, 26. 59. 81.*

Ghiſius (Fabius.) *II, 20. XIV, 64.*

Giſius (Bernhardus.) *XII, 76. 78.*

Giſius (Franciſcus.) *IX. 74. X, 17. 48. 51. 66. 69. 79. XI,* 20. *XII,* 73. 74.

Gladebecius (Bodo) Brandenb: Miniſter. *XIV, 23. XV,* 8. *XVIII,* 12.

Glandorfius (Rudolfus.) *XIII, 11. 51.*

Gleenius. I, 20. 53.

Gloxinus XV, 32.

Gninſcius (Gninski) (Joannes) Culmenſis. Palatinus. *X, 61. XI, 103 XIV,* 5.

Gochius (Joannes) Belg: Leg: *IV, 21. X, 3. 4. 28.*

Godolfinus. XI, 10. XVI, 9.

Gœdenus. (Haro Burchardus Freitagius,) Baro *à Gœdens* Cæſar: Miniſt. *XIX, 69. 70. 83.*

Gœrtzkius (Joachimus Erneſtus.) *VI, 48. 66.*

Goſius Baro [Joannes] Cæſar: Min: *VI. 61. VII.*

15. VIII,33.66. IX,83. X, 15.17 32.43.58.59.84.85. XI,49.51. XII,22.34.52.77.
- - - - - Gurcensis Præsul. XIV,13.XV,45.XVI, 35.
Gœtzius [Fridericus] III,39.
Gœtzius [Sigismundus] I, 14.34.42.46.
- - - - - Tribunus. VIII,11. XIII,34. XVI, 60. XVII, 4.
Goeus, Dan Leg.X,55.XIII.61.XV,32.XVI,57.
Goldackerus [Hartmannus] Subtribunus, I,9.
Goldackerus [Hermannus] Peizæ Præfectus. I, 5.
Goldsteinius [Henricus Theobaldus] Neob. Leg: XII, 23.76.
Goltzius, Tribunus. I, 55.
Goltzius, Cæsareus Dux. I, 17. 18.
Goltzius (von der Goltze) Joachimus Rutgerus] ex Brandenb: & Dan: Milit: Ducib. ac poltea Saxon: Milit: Supremus Præfectus. VI,37.48 VII,50.69. VIII, 11. IX,51.XII,47.XV, 17.XVIII,81.
Gonzaga [Hannibal]. VII,47. VIII, 32. 64.
Goraiscius. Pol: Leg: V,18.
Gorgasius. XIII. 33.
Gosiewius (Gosievski) Vincentius Corvinus] Lithuanorum Dux. VI,30.36.48.49.68.70.71. 76.78. VII, 1.3 4.10.49.
Græfenthalius [Everhardus]. Svec. Minist. XIX. 20.27.
Grajus. XVIII,117. XIX,4 5.85.
Gramondus [Antonius]. VII,29.30.35.
Grana Marchio [Otto Henrich] XI, 20. XII, 9. XIII,14. XIV, 13.18. XVII, 13. XVIII, 11.114.116. 118 120.129.
Grabenus [Joannes Ludovicus] X.42.
Grabenus [Otto Fridericus] Minist: Brand. XVIII,31.
Gratta, Polonic: Veredariorum Magister. IX,8.
Greiffencrantzius, Gottorp. Duc. Ablegatus. XIX,69.
Gremonvillius [Jacobus Brethel] XI, 15.50.51.84. 85.97.100.XII, 51.XVII,10.XVIII,55.
Griffenfeldius [Petrus] Dan: Min: XI, 40.41 XII, 11. XIII,4. 24.15.26.29.31.32.42.43.44.56. XIV, 35 XVIII,9.
Grabenus XIII,55.
Grothusius, Supremus vigil: Præfectus. XVI,62.
Grotius [Augustus] Luneb: Min: XVII,95.
Grotius [Otto] Luneb. Minist. X,17.XIII,21.47. XVIII,100.106.123.135.XIX,44.
Grotius [Petrus] Belg: Leg: XI,15.26.27.30.55.
Grubbenhielmius [Svec: Præfectus] XIII,55.
Gruillardus, Gallicus Minister. XVIII, 15.
Grumezius [Joachimus Ernestus]. XIII,54.
Grzymultovius [Grzymultovvski] Posnaniensis Castellanus, IX.46.89.XV,14. XVIII,27.
Guascous. XI,51.
Gudenus [Christophorus] Mogunt: Legat: X. 17.
Gunterrodius, Gottorpiensis Ducis Minister. XVII,91.
Gunzerus, Argentoratensis civitatis Secretarius. XVIII, 21.
Guretus [Plesseus] Tribunus & Magdeb. præsidii Præfectus. XVIII,11.
Gurnetus [Israel Plesius] Tribunus (de Plesis Gournet). XI,73.
Gursinius (Gursinski) Polon: Tribunus. XV,23. 24.25 30.
Gustavus Adolfus, Meclenburgicus Dux. VII,69.
Gustavus Adolfus, Svec: Rex. I,2.29 34.43. II,33.37. 39.41.45.49.51.53.54.57.61.66.68. III,26.29.41 V, 2.10.38 42.67. VI,51. VII, 44. XI, 102. XV, 18. XVIII,76. XIX,102.
Gustavus, Gustavi filius. III,13.
Gustavus, Sveciæ Rex. II,55.
Gyldenclovius (Andreas) Svec: Minist. I,36. VII,5.
Gyldenhielmius (Carolus) I, 48.
Gyldenlewius, Minister Danicus. XI, 40. 41.42. XIV.35 XV.17.XVI,58.XIX,40.73.83.
Gyldensparrius. XIII,44.
Gyldenstierna (Joannes) Svec: Minister. X,56. XI,33.36.38. XII,54.57.61. XV,28.XVII,87.XVIII, 9.
Gyldenstierna (Sigismundus), V,57.59.
Gyldenstolpius (Nicolaus) Svec: Minist. XVIII, 23. 43.

H.

Habbæus (Christianus) VII,57. X,16. XI, 40. XIII, 24.
Habermannus. II,38. ad marg.
Hackebergius (Julius). IX,90.
Hackius (Michael). XIV,5.
Hagius (Dubislavus Christophorus) XII,65.
Hahnius (Vincentius Joachimus) Danicæ Militiæ Dux. XV, 17. XVI,57.59. XVII,87.92. XVIII, 9.24.
Halifaxius Marchio. XIX,87.
Hallartus. XIV,43. XVI, 60.
Hammerstetnius. XVII, 40.
Harcourtius Comes. Hagenoensis Præfectus XVIII, 68.
Hardenbergius. VIII, 27.
Hardenfeldius (Stephanus) Clivic: Nobil: I. 45 IV,1. 9.
Harenus (Wilhelmus Belg: Leg: VIII,12. XI, 33. 34.36. XII,4. XIII,10. XV,56. XVI,24.46.70.91.
Harleus, Gallicus Legatus. XVIII,33. XIX,6.
Haro (Ludovicus). IX, 4.
Harsolte (Sveder van) Belg Min: IV,21.
Harsmannus Lichtensteinius Princeps. X.9.
Hatzfeldius (Melchior) Cæs: Minist: III, 63. IV, 30.34.35. V,32. VI,70. VII,4.10.21.12. 14.
Haugwicius, Saxon: Minist. XI,41. XVIII,78 81.
Haymburgius (Fridericus) Brunsv: Ableg: VII. 56.
Hayus, Gallic: Minist: XVIII, 96.
Hebdonus (Hebdon) Angl: Leg: XV,15.
Hedwigis Sophia, Hassiæ Landgravia. IX,65.
Hemskerkius (Belg. Leg: XII,45.
Heidebecius. XIV,47.
Heidenius (von der Heiden) Fridericus) II,17 20.
Heidius. Angl: Cancell: IX, 25.26.28 XIV, 65.
Heimburgius (Fridericus) Gvelferbytanus Minister X,17. XII,34. XVI,55.57. XVII,97.
Heisius. XI,44.
Heisterus. IX, 78.
Helmes (Paulus). II,48.
Helmfeldius. XII, 55.

INDEX PERSONARUM.

Hempelius, Svec. Minist: III,31.
Henricus VIII. Angliæ Rex. IV,1. VI,11. XIX,16.84
Henricus, Frid: Wilh. M.F. XIX,103.
Henricus Fridericus, Arausionensis Princeps. XIX, 102. 103.
Henricus II. Galliæ Rex. XIX,16.
Henricus IV. Galliæ Rex. IV,14. IX,56. XI,59. XVIII,23. XIX,16.35.73.
Henricus Lundinensis Episcopus. XIX,87.
Henricus, Saxoniæ Dux. IV,10.
Henrietta, Aurelianensis Ducis conjux. XI,10. 12.
Henrietta Maria, Caroli I. Angl: Regis uxor. XIX, 84.
Hermannus Wernerus, Paderbornensis Episcopus. XVIII,71.113.
Hessus (Hermannus Dietericus) Brand: Leg: XV,15. XVII,9.
Heugius (Justus) XIII,31. XIV,70. XVI, 24.35.46. 52.70.89 95 XVII,15.52.53 70. XVIII,9.
Heusterus, Cæsar: Milit: Dux. XIX, 16.
Heusnerus (Sigismundus). I,50.
Hillus, Brand: Tribunus. IX,49. XIV,48.
Hippolytus Monachus. XIX,1
Hirschenstierna (Stephanus Gambrotius) X,57.
Hocherus (Joann Paulus) *Baro.* Cæsaris Consiliarius intimus & Cancellar. XI, 51.84.85 XII, 9.33.52.64.
---- (Paulus). XIII,11.14.40.41. XIV, 10.13.14. 15.22. XV,19.20. XVII,10.11.12.40. XVIII,1.61.62.
Hochkirchius, Neoburgicus Ableg: XVI, 52.
Honartus, Leg: Belg: VIII, 53. 56. 67.
Hofkirchius. XII,51.
Hoghusius, (Henricus). XII,57.
Hohendorfius (Caspar) Tribunus. XII,81. XIII,55. XVI,68. XVII, 2 3.
Hohenloicus Comes (Ludovicus Gustavus) Cæsar. Minist. XIX, 31.
Hohenzolleranus Comes (Joannes Georgius) Cæs: Min: IV.13.
Hollisius (Denziles) Angl: Leg: IX, 21.27.64.
Holmius, Angl: Navarchus, IX.28. XVIII, 32.
Holstius, Architecturæ Militaris peritus. V,17.
Hoas (Matthias) Theol. Sax. II, 30.
Hooftius, Amstelod. Consul. XVI.3.28.34.
Hopfnerus, Gottorpiensis Cancell: XVII,91.
Hornius (Benedictus) XVII,1.
Hornius Comes (Philippus) Brand: Leg: III,24. 57.62. XIV,72.
Hornus (Gustavus) Livon. Gubern. I,40. V,39.
Hornius (Henricus) Svec: Milit: Dux. VI, 37.38. VIII,34. XIII,49. XV,17. XVI,68.69 XVII,1.3.5. 6.7.8.69.74.
Hostellus Baro (d'Hostel) Ducis Parmensis, Belgii Gubernatoris Ablegatus. XVIII,11.
Hoverbeqvius (Joannes) Brand: Minist: I,21. II, 45 III,26.27. IV,36. VI,15 77. VII, 5.11. 14. 17.46. 47. VIII,16.20.45.47.48.78.79 80.81 82. IX. 7.9. 11.13.14. 15.16.39.42.47.51.52.86.88.89.90. 92. X, 60.62.63.64.67.68. 70 71.72. 78. 85. 87. 100. 101. 102 105.106. XII,67 70.71.75.78.79.80.81. XIV. 1. 2.3.4.5.6.8.11.12. XV, 2.13 14.21.22.30. XVI,65. 66 67.69. XVII,7.8. XVIII,27.28.29.
Hugo (Ludolphus) X,17.
Hulsemannus (Joannes). Theol. Sax. II,51.
Humieres Galliæ Mareschallus. XVIII,22.
Hunica (Albertus Dietericus) Sax: Elect: Min: XIX, 70. 83.
---- (Hünike) Hanov: Minist: XV,34.
Hunoldsteinius. VII, 47.
Hydius (Laurentius) XVI,13.16.17.72.89. XVII, 24.

I.

Jablonovius (Jablonovvski). Inferior, Poloniæ Militiæ Dux. XVI, 65.
Jacobus I. Angl: Rex. IX,28. X.28 XIX,84,92.
Jacobus Curlandiæ Dux. VI,66.
Jacobus Eboracensis Dux, postea Angliæ Rex. X,75. XI,85 XV,61. XIX, 3 4 84 86 98 99.
Jacobus Poloniæ Princeps. XVIII,27. XIX,61.
Jarnetus Comes. IX,23.
Jastramus (Conradus). XIX, 22. 24.36.
Idenus (Petrus) IX,83.
Jeffrenius, Angliæ Cancellarius. XIX, 89.
Jena (Fridericus) Brand: Min: V,58 VI,15 18. 14. 45. VII,16.17.18.29.32.42 63 64. VIII,18. IX,50.53. 79.80.83. X,16.16.44.83 85. XI.16. 20.21. XII,19. 21 26. XVI, 55.
Jena (Godofredus) Brand: Min: IX, 64.65. 91. XIII, 15. 16. 39. XIV, 46. XVI, 54. 88 XVII,39. XVIII, 2.17.39.52.53 55 88 XIX, 30 51 52.
Jenkinus (Lionellus) Angl: Leg: XIII,69.70. XIV,66,70.72. XV,31 36.42 59. XVI,5 15.18 19. 46.52 89 95. XVII,15.19 20.21.24.45.46 52 53.57. 60 73.81.82. XVIII,19.
Jepsonus (Wilhelmus) Angl: Min: VII, 55.
Innocentius X. Pontifex XIV,64. XVII,11.
Innocentius XI. Pontifex X II,31. XIX.16.48.
Joachimi, (Albertus). Belg: Leg: IV,21.
Joachimus I. Brand. Elect IV, 10.
Joachimus II. Brand: Elect: IV.10.
Joachimus Ernestus. Brandenb. Marchio. IV,15.
Joachimus Fridericus. Brand: Elect: IV, 10.44. IX,69.79.83.
Joachimus Sigismundus. Brandenb: Marchio IV, 22.
Joannes Adolfus, Plœnensis Dux. XII,46. XIV,35
Joannes Adolfus Saxon: Dux. XIX, 53.
Joannes Austriacus. X,55 XI,1. XII,70. XIV,43. XV 10.11. XVI,8.25.74.80. XVII 56.43.
Joannes Basilides, Magnus Moscoviæ Dux. VI 31.
Joannes Bipontinus Dux. IV,8.
Joannes Brandenb: Marchio. II,9.
Joannes Casimirus, Polon. Rex. I,21.25 III,16 17. IV,36. V,5 8.9 14.17.18.19.20. 27.28.29.31.32 38 39. 43.45.47 59.61.64 67 70. VI 8.9.19.20.21 22.23. 24.25 30 33.34.36.39.40.41 48.49.60.63 68 69. 70.71 73 74.75.77 78.82 83. VII,1.3 5.6.11.46.47. 50 67. VIII,16.17.24 36.49.50.52.57.72.73 74 79. IX, 7.10.15.20.43.49.78 91. X,44.48 50.51.52 56. 57 58. 59. 62. 63. 64.66 68.69.70.72 79 80.81.82. 89.90. XI,10 101.104..05.106. XII,69 70. 80, XIV,2.4. XV,24. XVI,68. XVIII.30.111.
Joannes Casimirus. Sax: Dux. IV,15.
Joannes, Clivix Dux. IX,75. XVII,58.
Joannes II. Clivix Dux. IV,1.
Joannes III. Clivix Dux. IV,1.
Joannes Ernestus, Sax Dux. IV,17.
Joannes Fridericus, Brunsv: & Hanover. Dux.

INDEX PERSONARUM.

IX,65.79.80.81.X,55. XI.4.46.71. XII,34.55.70. XIII,9.18. XVI,52.

Joannes Fridericus, Saxoniæ Elector. IV,1.5. XV. 4.

Joannes Georgius, Anhaltinus Princeps. VII,57. 69. VIII,10. XI,49.50.51.82. XII.65. XVIII,5.95.

Joannes Georgius, Brandenb. Marchio. I,5. III,18. IV,8.44.

Joannes Georgius I. Sax: Elect: IV,15. VI.48.

Joannes Georgius II. Sax: Elect: VI,66. XVII,37. XVIII, 26.

Joannes, Gurcensis Episcopus. XVII,24.51.

Joannes Hugo, Trevirensis Præsul. XVIII,37.

Joannes Lotharingiæ, Brabantiæ & Limburgi Dux. XII,1.

Joannes Mauritius, Nassovius Princeps. IV,32. 34. VI,41. VII,26.29 IX,4.21 27. XV,32.

Joannes Motcorum Princeps. XIX,54.

Joannes Philippus Schœnbornius, Moguntinus Elector III,22. IX.65. X,79.

Joannes Sobiescius, Poloniæ Rex. XI.108. XI,80. XIII,61. XV,14. vid. *Sobiescius*.

Joannes Sigismundus, Brand: Elect. I,2.21.30. II. 17. IV,1.9.10.15. V,17. IX,,48. X,1. XVIII,30.

Joannes Wilhelmus, Cliviæ Dux. IV,1.3.4.6.7 8.9. 11.23.

Joannes Wilhelmus, Palatini Primogenitus. XIX, 59.

Jodocus. X,34.

Josephus, Cæsaris filius. XIX,25.

Joyeusa, Gall: Milit: Dux. XVII,88.

Isbrantius, Belgicus Leg. VII,50 62. VIII,35.

Isingius (Adamus) Brand: Minist: IV, 34.

Julus (Janus) Dan: Leg: VIII.47.65. XII,56.57. XVI,60. XVIII,9.24.

Julus (Nicolaus) Dan: Navarch: XIV,46. XV, 17 XVI,57. XVII.88.

Juvignius (Juvigny) Gallicus Ableg: XIX.19.

K.

Alcsteinius (Albertus) IX, 12.37.38.40.

Kalcsteinius (Christianus Ludovicus). XI, 103.104.105.106.108 XII,81. XVI,65.

Kaltschmidius (Joannes) Cæsar: Min: I,11.

Karbathus, Jesuita, Pol: Reg: Confession: VII, 50.

Keiserstcinius XI, 82.93.

Kempendorfius. I 9.

Ketler (Caspar Philippus) X, 17.

Kielmannus Junior, Gottorpiensis Minister. X, 36. XIII,42.

---- Cancellarius Gottorp. XIX, 82.

Kielmanseccius (Kielmanseck) Cæsar: Legat: XIII, 19.

Kinskius Comes (Franciscus Udalricus) Consil. Cæsar: intim. & Leg: ad pac: Neomag. IX, 88. XV,31.32.33.35.39 41.42 45.46.47.57. XVI,8. 46.47.89. XVII, 23 24.45. XIX, 1 26.

Kittelmannus (Lazarus). Brand: Minister. V,62. VII, 71.

Kleistius (Ewaldus) Brandenb: Leg. II, 48.49. 51. III,20 21 22 23.34.35.37.41 42.43.44.45.46 47. 48.49.51.52.54. VI,44.52.53.54.55.56.57.59.60.61. 71.72.

Klenckius (Wilhelmus) Cellens: Min: XVII,42.

Klengelius, Saxon. Min: XVI.82.

Kleyus (Svederus Dietericus) Svec: Min: & ad aul: Cæs: Residens. V,34. VII,57. IX,30.31.50. 82.

Klingenbergius. XIII,24.25.27.

Knaustius, Svecicus Tribunus. VII,70.

Knesebecius (Thomas) Brandenb: Min: & Leg. XII,48. XIII,24.44.51. XIV,55.56. XVIII,12. XIX, 38.39.

Knigius, Dux Cæsar. IX,78. XIV,46.

Knuitius, Belg. Leg. III, 3.

Knutius, Daniæ Regis Cubicularius Nobilis. XIX, 71.

Kobienski (Stephanus) VI, 30

Koehius (Christianus) Brandenb: aulæ Concionator. XIX, 100.

Konigseckius (Kœnigseck) Bernhardus] Ernesti March. Brand. in Investit. Boruss. Mandatarius. I,25.

Königseckius Comes (Leopoldus Wilhelmus) Consil. intim. Cæsar. & S.R.I. Procancellarius. IX,81. XIV,22. XVI,8. XVII,13.35. XVIII,61. 62.85.89.111. XIX,23.32.59.69.

Kœnigsmarckius (Joannes Christophorus) Svec. Milit. Dux. I,55. II,12. III,19 22.32.35.

Kœnigsmarckius Comes (Conradus Christophorus) VIII,10. 34.74.

Kœnigsmarckius (Otto Wilhelmus) XI,33. XIV 47. XV,17. XVI,56.57.59.60.61.62.64. XVII,74.

Königsveldius Baro. Neob. Min. IV,34.

Kœrbicius (Kœrbitz) Joannes Christophorus, Dan: Delegatus. XIV,38. XVII,97.

Kosbothus, Borussiæ Cancellarius. IX,55.

Kragius (Otto) Dan. Minist. VII, 9.

Krasinius (Krasinski) XI,103.

Kreitzius (Andreas) I, 24.

Kreitzius (Wolfgangus) Brand. Leg. I,21.23. III,27. IX,37.

Krinscius (Krinski) Neoburg. Legat. X, 65.

Kritzkius, Nuntius Terrestris Poloniæ. XIV,4.

Krosseggius (Ludolfus Laurentius) Brandenb: Minister XI,64.65.79.80.98. XII,13.

Kruscius (Kruski) Summus rei tormentariæ in Polon. Præfectus XV,14.

Kurckii (Canutus & Gustavus) inter Svec: Procer. XI, 33.

Kussovius. XII,49.

L.

Laderdalia Dux. XVI, 21.22.

Ladronius. XIX.26.

Lambergius Comes [Joannes Maximilianus Comes à Lamberg] Consil: & Camerar: Cæsar: Legatus item ad Pac. Osnabrug. II,19.50.69. IX, 92.

----- Cæsareæ aulæ Supr. Præfect. XIV,22.

Lambergius Comes [Joannes Philippus] Cæsar. Legat. ad Elect. Brand. XVIII,5.80.94.95. 96.108 110.

Lamboius. III,19.22. VII,47.

Lampadius [Jacobus] II,19.26.54.

Landscronius. V,61. IX,10.

Landseus Baro [Joannes Franciscus] Leg. Cæs. XIV, 17.33.

Langenbeckius, Brunsv. Leg. II,7.8. III,2.

INDEX PERSONARUM.

Ledeburius [Gerhardus Janus] Brand. Leg. IX, 32.83. X,39. XIII,17.18.20.51. XIV,27.31.33. XV,6. XVI,56.87. XVII,36.40.42.

Lehndorffius [Fridericus Wilhelmus] Subtribunus. XI,103.

Leidelius, Bavaricus Minister. XVIII,96.

Leiningenſes Comites. XVIII,13.68.

Leionclavius, Svecicus Ablegatus. XIX,71.

Lelius, XIX,17.

Lentius [Lente] Cunradus Wilhelmus) Brand. Leg. XIII,19.20.46.47. XIV,32.

Lentius [Joannes Hugo] Danicus Minister. XIX,39.81.

Leopoldus Archidux, Paſſav. & Argent. Præſul. IV,12.13.14.

Leopoldus, Hungariæ Rex & *Romanorum Imperator*. VI,61.63.66.70.71.78. VII,5.10.12.14.15.17. 18.20.21.22.25.27.30.31.32.33.34.35.36 37 39 40. 41.42.43.46.47.49.50.51 52.53.54.58. VIII,40. IX. 2. X,26. XI,51. XIV,21.57. XVII,24.49. XVIII, 134.

Leopoldus Ludovicus, Veldentinus Palatinus. XIX,14.

Leopoldus Wilhelmus Archidux. I.11.28. II,8. III.8. 12.16 21.28 32. IV,12 30.42. VI,18.40. VII,12.21.22. 27.29.31 IX,31. XI,20.46.

Lenadus Baro. IX,10.71.72. X,58.81.86.90. XI,20.

Leſcewangius, Leg. Polon. II,72.

Leſlaus [Gualterus] I,20.

- - - - *Comes*, Cæſar. Minist. V,35. XIX,102.

Leſno Comes [Wenceslaus] Warmienſis Epiſcopus. VI,30.78.

Leſſinius [Leſſinsky] Joannes) Poſnanienſis Palatinus. VI,57. VII,15.20. VIII,74. IX,11.

- - - - - Procancellarius & Magnus Cancell. Polon. IX,47.51.55. X,57.62.64.67.82. XII,68.69. 74 XIII,58.60. XIV,7. XV,22 24.

Leſſinius [Wenceslaus] Joannis Leſinii Frater) Gnieſnenſis Archiepiſcopus. IX,49.

Leuberus [Joannes] Saxon. Legatus. II,5.

Leuchtmarus [Gerhardus Romilianus Kalchun] Brand. Leg I, 12.13.14. 15.16.19.27.28. 29.32 33.34 35 42.43.45. II,52.

Leuchtmarus [Joannes Fridericus Kalchun] XIX, 102.

Lewius. Quidam ex Scotiæ Proceribus XIX,99.

Lewius [van Leveen] Simon) Leg. Belg. in Angl. XVI,16.21.39.

Lichtenſteinius Princeps. III,63 IV,42.

Lilliecrona, Dan. Leg. XIV.21. XVII,12. XVIII,14. XIX,66.

Lilliecrona [Guſtavus] Svecicus Ableg. XIV,35.

Lilliehœckius [Andreas] Svec. Leg. IX,90.92. X, 62 XII,81. XIII,58.59.60. XIV,13 6.7.11.12. XV, 12.25.26.27.28.29 30. XVI,65.66. XVII,5 8.

Lilliehœckius [Joannes] Orientalis Pomeran. Præſes I,12.13.33.

Lillierothus, Svecicus Min. XVIII, 23 24.

Lilliestræmius [Joannes Nicodemi] Svec. Min. I,9.18.28.45. II,48 III,32 41.42.43.45.46 49.50. 52.53.54.55.58.60.65. V,40.44.45.50.

Lillius [Axelius] Axel Lilie) Svec: Milit: Dux. I,6.12.13.

Lindanus. VIII,80.

Lindenovius [Chriſtophorus] Dan. Ablegatus. XVI,4.27.

Lindeſchildius (Ericus) Svecicus Min XIX,20.

Liunnæus (Hugo) inter Suprem. in Gall. Conſilior. Moderat. VII,29.30.35. VIII,40. IX,35 36, 57 58 59.60 X,37.50.52.53.54.55.79.81.86.90 XI, 1.8.9.10.11.12.13.15.

Lippiæ Comes (Simon) XVII,58.

Lara (Emmanuel) Hiſp. Leg. XI,55.58.72. XII,3. XIII,65 XVI,5.45.

Liſola (Franciſcus) Cæſar. Min. VI,63.71.73.75. 76.78. VII,11.12.13.14 15.17.47.50. VIII,50.73.74. 79.80. IX,7.10.14.16.20.52 58.64.71.77. X,22.45. 58.59.68. XI,35 58. XII,4.9. XIII,14. XVIII,86.

Lobcovicius Comes, Cæſareus Legatus. XIX,32, 35.47.49 50.56.57.

Lobcovicius Princeps. XI,31.35.39.49.51.67 82.84. 85.97. XII,51. XIII,14.

Loccartus (Gvilielmus) Angl. Reg. Leg. XI,30. 74.75.76.

Lœbius Baro (Joannes Fridericus) Brand. Min. & Leg. I,17 25.30.37.46.50.53. II,17.19.46.59. III, 64. V,25.27.28.29.30.32.33. VI,40. VII,12.33.21.24. IX,29 31. XIV,57.

Lœbius (Tribunus). XIX,26.

Loſchebrandius (Fridericus Otto) Brandenb. Subtribunus. XIX,26.

Longuevillius Dux (Henricus d'Orleans) ad Pac. Monaſter. Legat. II,22.34.36.40.47.57, 68 III,2.4.9.15.20.21. VIII,48. IX,31.

Lonſcius Tribunus. XI,103.

Lotharius, Rom. Imperat. II,37.

Lubomirſcius (Georgius) VIII,36.48.70. IX,12.13, 14.20.42.44.45.40.84.85.88.89.90.91. X,48.62, 63.90. XIV,10.

Lucanus Poeta. I, 61,

Lucianus (Sebaſtianus) VIII,74.

Ludeca, inter majorum graduum Brand. Duces ad Fehrberl. XIII,34.

Ludovica (Luiſa) Auriaca Friderici Henrici Principis Arauſionenſis Filia primog. Friderici Wilhel. M. Conjux prior. II,72. XIX, 103.

Ludovica Charlotta Radzivilia, Ludovici Brand. March. Frid. Wilh. Fil. Conj. XVIII,27.28.29, 30.

Ludovici, Friderici Wilhelmi Elect: Brand. Soror, Ducis Curlandiæ Jacobi Uxor. VI,66,

Ludovica Juliana Naſſovia. II,72.

Ludovica Maria, Pol. Regina. XII,81.

Ludovicus Bavarus, Rom: Imp: IV,1.

Ludovicus, Brandenburgicus Marchio. XVIII, 27.28.29.30.107. XIX,101.

Ludovicus, Haſſ. Darmſtadienſis Landgravius. IX,65. XI,64.

Ludovicus XIII Galliæ Rex. II,4.

Ludovicus XIV. Gall: Rex. VI,66. VIII,75. IX,61. XI,151. XVII,24.80. XVIII,134 XIX,55.

Ludovicus Haſſiæ Landgravius. IV,15.

Ludovicus Hungariæ & Bohemiæ Rex. VII,34.

Ludovicus (Petrus Erneſtus) Brand: Delegatus XIV,7.

Lumbranus (Lumbres) Antonius] Gall: Leg: VI,12.36.39.40.44.48. 56. VII,44. VIII,41.48. 49.61.67.71.73.74.76.79 80. IX,7.10.20.42.44. 56.61.80.

Lutherus (Martinus) II,30.

Lutzovius (Conradus) I,17.

INDEX PERSONARUM.

Louvoisius (Franc. Michel Marqvis de Louvois) Primar. Minist: Stat ap. Ludov. XIV. X, 55. XI, 1. 26. 55. 94. XII, 30. XVI. 3. 40. XVII, 57. 65. 69. 71. 74. 79. 82. 90. 94. XVIII, 14. 21. 62. 119. XIX, 47. 49. 57.

Luxenburgius Dux XV, 19. XVI, 29. 37. 70.

Lyclama [Marcus] Belg: Min: IV, 21.

M.

Mevius [David] Svec. Deleg. VII, 57.

Magdalena Bavarica. IV, 17.

Magdalena Clivica. IV, 1.

Maidelius [Theodorus Maidel]. Supremus Poloniæ Venator. VI, 30.

Mainius, Cassellanus Minister. VII, 56. 57.

Manderscheidius Comes [Ernestus]. IV, 1. 6. IX. 76.

Mansfeldius Comes [Henricus Franciscus] Cæs. Legatus XVIII, 14. 19. 21. 26. 33. 108.

Mansfeldius Comes [Wolfgangus] Sax: Leg. IV, 13.

Montecuculius. XIII, 55.

Maquelicrus [Petrus] Tribunus. XVI, 62.

Marcanus Comes [Engelbertus] IV, 1. 6. XVII, 58.

Marcanus Comes [Ernestus] IV, 41.

Mardefeldius [Conradus] Svec. Leg XII, 8. 13. 19. 65. XIII, 4. XIV, 45.

Marenholzius [Conradus Ascanius] Brand: Min: IX, 6. 64. 65. 81. XI, 44. 45. 68. XII, 5. XIII, 12. XVI, 54.

Maresciottus, Nuntius Pontificis. X, 87.

Margaretha Maria. Hispanica Augusta, prima Conj: Leopoldi Imp: X, 58. XI, 85.

Maria Amelia, Frid. Wilhelmi M. Filia. XIX, 103.

Maria, Poloniæ Regina. XII, 80.

Maria Antonia Josepha, Leopoldi Cæsaris filia, Maximil: Emanu: Bavar: Elect: Conjux prior. XIX, 2.

Maria, Arausionensis Princeps. IX, 22. 25.

Maria Austriaca, Ferdinandi I. Cæs: Filia, Wilhelmi Jul: Duc. Ux. IV, 1.

Maria, Jacobi II Filia, Guilielmi Arausionensis nunc Angl. Regis Conjux XV, 61. XIX, 97.

Maria Eleonora, Iacobi II. Angl: Reg: Uxor. XIX, 85.

Maria Eleonora Clivica. IV, 1. 2. 3. 8.

Maria Eleonora, Sveciæ Regina. I, 34. XIX, 102.

Maria Ferdinandi III. Imp. Uxor. I, 11.

Maria Juliacensis. IV, 1.

Maria Ludovica, Polon. Reg. VI, 69. VII, 50. XIV, 9.

Maria Teresia, Phil IV. Hisp. Reg. Filia, Ludov. XIV. Conjux. X, 28.

Marinus, Svec: Leg: II, 51.

Marquardus, Aichstadiensis Præsul. XIV, 57. XVII, 26. 49. XVIII, 134.

Marschalcus [Marschalck] Administratoris Magdeb. Minister. XVII, 71.

Marsilius, Moscic: Leg: IX, 69.

Martinitzius Comes [Georgius Adamus Borzita] Cæsareus Minister. I, 11. 17. 18.

Martitzius [Joannes] IX, 21.

Marwicius [Cunradus Hildebrandus] Summus ap. Brandenburg: excubiarum præfectus. XIX, 26.

Marwicius [Ditericus] VIII, 15. 24. 33. 54. 65. 66.

Marwicius [Otto] XIX, 102.

Marwicius [Sigismundus Christophorus] Præfect. Vigil: IX, 78.

Massenbachius [Fabianus]. IX, 55.

Mathia [Joannes Fridericus]. IX, 8.

Mathias, Magni Hetr. Ducis frater. IX, 10.

Mathias, Rom Imp. II, 30. IV, 21. VI, 40.

Maurerius [Maurier] Benjamin. Legat: IV, 20. 21.

Mauritius, Hasiæ Landgravius. IV, 9. 15. 20.

Mauritius Nassovius, IV, 20. 21.

Mauritius, Saxoniæ Elector. XV, 4.

Maximilianus, Elect: Bavar: XI, 51. XIV, 67.

----- Bavar: Dux, Ferdinand: Elect. frater. IX, 10. X, 18.

Maximilianus Henricus, Colon; Elect: IX, 65.

Maximilianus I Rom: Imperat: II, 23. IV, 1.

Maximilianus II. Rom: Imp: IV, 1.

Mazarinus [Julius] Cardinalis, Supr. in Gallia Consil. Arbiter II, 22. 45. III, 13. 26. V, 26. VII, 27. 42. 53. 54. 67. VIII, 39. 40. 42. 63. 64. IX, 2. 3. 10. 21. 44. 72. X, 18. 65. 90. XI, 2. 10. XII, 73.

Medina Dux [de las Torres] Neapol: Pro-Rex. XV, 31.

Meelius [Sebastianus Wilhelmus Meel] Mogunt: Leg: IV, 39. 42.

Megelinus. XI, 103.

Meiercrona, Danicus Ablegatus. XVII, 76. 78. 85. 86. 88. 90. 94. XVIII, 43. 136.

Meiersbergius Baro, Cæsaris Ablegatus. X, 70. XII, 68. XIV, 22.

Meierus [Hermannus]. Dan. Minist. XVII, 93.

Meinders [Conradus] Paderbornens. Deleg X, 17.

Meinders [Franciscus] Brand. Min. Status, in pac. San-Germana Legatus. IX, 74. X, 48. 52. XI, 6. 47. 91. 93. 94. 95. XII, 16. 22. XIII, 17. XIV, 50. 51. 52. 56. XV, 8. 20. XVI, 51. 75. 76. 77. 95. XVII, 11 13. 33. 40. 48. 60. 61. 65. 66. 67. 68. 69 70. 71. 72 73. 74. 75. 76. 77. 88. 79 80 81. 85. 86. 87. 89 90. 93. 94. XVIII, 2. 15. 16. 39. 54. 55. 78. 91. 98. 99. 100. 135 136.

Meinderius [Joannes] Brandenb: Ableg: XII, 21.

Melander, Cæsareus Dux. II, 46. III 20. 22.

Menesius [Paulus] Mosc. Leg. XI, 109.

Mercius, Cæsar. Milit: Dux. XIX, 26.

Merianus [Matthæus]. XIX, 17.

Merodius [Merode] Philippus. IV, 13.

Metternichius XIV, 45.

Meurerus, Hamburgensis Consul. XIX, 21. 22. 23. 24.

Michael, Poloniæ Rex. X, 88. XI, 5. 32. 50. 103. XII, 67. 69. 78. 81 XIV, 5 8. XV, 14. 24. 31.

Micrander, [Georgius Adolfus] Brand: Milit: Præfectus. XII, 65. XIX, 37 39.

Milletus, Leg. Gall: X, 29 42. 44. 45 51 56. 65. 81. 90.

Minskowski [Andreas] Polonicus Legatus. VI, 40.

Mitzlasius. II, 45.

Mærmannus, Belg. Leg. XI, 56.

Mærnerus, Brand. Tribunus. XIII, 36.

Molanus [des Meules] VI, 60.

Molkius [Levinus Nicolaus] Gottorp: Min: VII, 69.

Molzanus [Albertus Joachimus] Citer. Pomer. Ablegatus. XII, 41.

Molzanus, Subtribunus. XIII, 33. 36.

INDEX PERSONARUM.

Mombrunius [Mombrun] IX,21.
Mompenseria, Virgo Gall: X,45.
Monclasius [Monclas] XVIII,21.
Mongommerius [Mongommeri] turmæ Præfectus. XI,103.104.
Monomuthensis Dux XVIII,117. XIX,4.5 85.
Montacutius, Angl. classis Præfectus. VIII,7.33. XV,61. XVI,3 17.42.
Montalbanus, Summus vigiliarum Gallic. Præfectus. XII,49. XIX,16.
Montecuculus Comes [Raimundus] VII,11.13.14. 15.17.39 43.47.62.63.69. VIII,11.16 21.22 23.24 25. 26.29.30.31 41. XI 50.51.60 61.67.68.82.84. XII, 29.51.64. XIII,11.38.57 XVI,80.83. XVII,13.40.
Montecuculus, Cæsareus Tribunus XVIII,94.
Monteregius [Monterey] Belgii Gubernator. XI,41 51.56.58.72. XII,8.35.36.45.51 64.
Montespania [Pellex Ludovici XIV.] XVII,69.
Mordantius Vice-Comes. XIX,87.
Morellus Abbas. XIX,13.15.34.
Mortangius, Gallicus Legatus. XVIII,71.
Morstenius [Morstin] Andreas) Pol: Reg: Thesaur: V,7.8.18. VI,41. X 56,60.67.90. XI,103. XVIII.86.
Morsteinius [Joannes Andreas] Pol. Leg. VII, 49. IX,91.
Morstinius [Felix] Pol. Leg. XI,100.107. XII,69. 76.
Morstinius [Tobias] Polon: Leg: VI,57.
Morvice [Gvilielmus] Angl. Sect. IX,27.
Mullerus [Burchardus] VIII,28.30.
Mullerus [Jacobus] Brand: à secretis epistolis. XIX,102.
Mullerus [Laurentius] Luneb. Ableg: IX,79. XV,34. XVI,52.
Mullerus, Pater. XI,50.
Mullerus, Svec. Subtribunus. XIV,47.
Münchhusius. Luneburg: Minist. XIX,41.
Muradinus Kierajus, Tartarorum Hanus. XVII, 98.

N.

Nadastus. XII,79.
Nanius (Franciscus) Venetus Leg XIV.64.
Nassokinus (à Mosco Livoniæ Præfectus. VIII, 38. X,74. XIV.11.
Nassovius Comes (Joannes) Cæsar. Leg. II,16.36.
Nassovius Comes (Ludovicus Henricus) IV,35.
Nassovius Princeps (Joannes Mauritius) IV,32. 34 XIX,102.
Neoportius (Nieuport) Belgar. Leg. VI,10.
Nestetradius, Dusseldorpii Præfectus. IV,12.
Nettelhorstius. XIII,55.
Neumannus (Andreas) IX,29.
Nickelius, Subtribunus. XIII,33.
Nicolartius (Henricus Franciscus) Colon. Leg. XI,17.
Nicolas (Eduardus) Angl. Secret IX,27.
Niemericius Comes. XVI,67. XVIII,19.
Nithardus, Jesuita & Cardinalis X.28. XII,70.
Noallius Dux (Noailles) XIX, 16.
Norpradius (Joannes) Brand. Min. I,48.49.
Nostitius Comes (Christophorus Wencesiaus) Cæsar. Delegatus. XIX,25.
Nothaftius Comes, Cæsar. Leg. VII,65.
Nothius (von der Noth). XIV,48. XV,18.
Noyerius. X,70.
Nunnesius Comes (Nunniez) Hisp. Leg. XI 33.39. XII,33.54.64.

O.

Obergius (Bodo) Luneburgicus Minister. XVIII,97.135.
Oetinganus Comes, Cæsareus Minister. V,33.
Odyckius, Belg. Leg. XI,55. XV,61.
Oefnerus, Hanov. Leg. XIII,19.
Oelschnirzius (Carolus Fridericus) Brand. Leg. III,27.
Oernstedius (Franciscus) Min Svec. XII,57. XV, 27.
Oetinganus Comes, Judicii Aulici Viennæ Præses. XIX,24.
Oexelius (Oexel). XVI.54.
Oldenburgicus Comes (Antonius Guntherus) X, 17.
Oliveerantzius (Joannes Paulinus) Svec. Leg. XIV,66.70.72. XV,17. XVI,4.13.41 XVII,28.
Olskowski (Andreas) Poloniæ Procancellarius. XI,101.
Olznovius (Olznovvski) Archiepiscopus. XVIII, 30.
Opackius (Albertus) Warsavienſis Succammerarius. XI,104 106. XII,78 81.
Opalinius (Opalinski) Christophorus) Posnanien: is Palatinus. V,16. IX,46.
Opdamus, Belg. Classis Præfectus. VII,72. VIII,2.8. 11.13.33. X,3.
Oppelius. III,64.
Oppenus, Venat. Præf. ap. Brand. VI,48.
Ormundia Marchio (Richardus) IX.23.
Ornsted (Franciscus Joel). X,56.57. XV,27.
Osmannus, Turc: Imper. XI,102.
Osfalinius (Osfalinski) Poloniæ Cancellarius. I,41 II,31 III,27.
Osserius (Ossery) *Comes*. XVI.70. XIX.98.
Ostavius (Ostau) Brand. Minist. I,40.
- - - - - (Albertus). XI, 00.
- - - - - (Andreas). VIII,45.
Ostenus (von Osten) Svec. Tribunus VII,69.
Otto Henricus, Palatinus Elector. XIX,15.
Otto I. Rom: Imperator. III,16.
Oustinus (Joachimus Rutgerus) XVII,84.
Owerckerckius. XVI,70.
Oxenstierna (Axelius) Cancellarius Sveciæ. I, 14 35.40. II,32.40. 48.49.52.54 III,43 47 60. V, 9. VIII,40. XVIII,76.
Oxenstierna (Benedictus) Regni Sveciæ Sen. post Cancellar., ad pac. Noviom. Leg III,61.63. 65. V,40.41.42.43.44.45 47 48.50. VI,67. VIII, 45 XII,57.64. XIII,6.11.14.60. XIV,70 72. XV, 31 32.33. XVI,15.32.45.77.91 92.95. XVII 28.57.61. 82. XVIII,23.24.43 76.77. XIX,7.20.28.
Oxenstierna (Ericus) Axelii Filius Svec. Reg. Senator, post Cancellarius & Borussiæ regali à Svec. occupatæ Præfectus. II,40 48. 49. V,8.31.65.66.68.69.71. VI,13.14.15.20 21.23. 25. 26.44.
Oxenstierna (Gabriel) Thesaurarius Regni Sveciæ I,40.
Oxenstierna (Gustavus) Svec. Tribunus. VI,37

INDEX PERSONARUM.

Oxenſtierna [Guſtavus] Svec. Legat. XIII,29. XIV,2.

Oxenſtierna [Joannes] Axelii Fil. Regni Svec. Senat. & Conſiliarius Cancellariæ, ad pac. Oſnabrug. Leg. I,27.28.29.30.31.32.33.38 39 42. 43.44 45. II,19.25.29 32. 33.35.38 39.43 44 50.55. 57.58.62.63 64.65.66.69. III,5.7.9.10.12.13.20. 29.32.35.43 49.50 52 53. VIII,40.

Oxenſtierna [Thuro] Thuronis F. Tribunus. XIV,45.

Oxius [Oxe] Axelius] Svec. Reg. Min. I,37.

P.

Pacius [Patz] Magnus Lithuaniæ Cancellarius & Procancellarius ac Theſaurarius Poloniæ. VIII,48.78. IX,7 42.46.90. XI,105. XII,74.

- - - - [Michael] Lithuaniæ Archiſtrategus. XI,104. XIV,78. XV,12.22.30. XVI.65.67.68. XVII,2.6.7.12.

Pacii XII,73.

Palbitzkius [Mathias] IX,82.83.

Palonus [Franciſcus] III,49.52.

Pallantius [Adolfus Wernerus Pallant.] Brand: Min: II,72. IV,13

Parmentierus [Antonius Carolus] IV,32.

Pasbergius. Danicus Ablegatus. VIII,52.56.65. 66.67.72.

Pawius [Adrianus] Paw) Belg: Leg: II,42.

Pegneranda. II,24. VII,32 36.39.42.51. X,37. XI. 35.

Pennus [Wilhelmus Pen] Tremulorum Anteſignanus. XIX,93.

Petcumus [Simon] Dan: Leg: XI,33. XV,33. XVI, 24.

Petrus, Luſitaniæ Adminiſtrator & Princeps. XIV,64. XV,38.

Petrus Moſcorum Princeps. XIX,54.

Petrus Pater, Jeſuita. XIX,97.

Petrus Philippus, Bambergenſis Epiſcopus. XVIII,58.

Pfulius [Georgius Adamus] Brand: Milit: Dux. VII,69.

Philippus, Aurelianenſium Dux. XIX,13.

Philippus Erneſtus, Holſatiæ Dux è Sonderburgica Domo. XV,18.

Philippus Haſſiæ Landgravius II,30.

Philippus Ludovicus, Neoburgico-Pal. IV,1.

Philippus II. Hiſp. Rex. VI,11. IX,25.28.

Philippus III. Hiſp. Rex. XV,11.

Philippus IV. Hiſp. Rex. IX,4.80. X,28. XI,1. XII, 70 XV,11.

Philippus Palatinus Sulzbacenſis, VI,37. VII,56. VIII,34. XIII,10.

Philippus Wilhelmus, Auriacus Princeps. IV,20.

Philippus Wilhelmus, Friderici Wilhelmi M.F. XIX,103.

Philippus Wilhelmus, Neoburgicus Palatinus, poſt Elector. IV,14.33.44. IX,63.65 X,76. XIX,13.

Piaſius XII,68.77.78.79.80.

Piccolominius I,18.20. III,59. V,32.

Picquetierus. [la Picqvetiere]. Gallicus Miniſter XIX,7.

Pikarſcius [Pikarski] Sacerdos aulicus Regis Poloniæ. XIV,3.

Pimentellus [Antonius] Pimentel] Hiſp. Leg: IV,38.

Pinoccius, Polonicus Ablegatus. VIII,47.

Pirhanus [Fridericus]. IV,14.18.

Pius Cardinalis. XVIII,86.

Plastenus Baro [Franciſcus Erneſtus] Oſnabr: Præſulis Ablegat: XI,83. XV,34.39. XVI,52.54. XVII 40. XVIII,25.

Plastenus [Nicolaus Erneſtus] Brand: Min: III, 54.65. IV,39. VI,20.26. VII,72. IX,83.

Plettenbergius [Frider. Chriſtianus] XVIII,72.

Plettenbergius [Georgius] Cæſar. Miniſt. II,67. 68. III,2.3.4.5.7.8 IV,4. V,47.

Podcomorzius [Podcomorzi]. XVII,6.

Podlodovius [Podlodovvski] Nicolaus] VI,30.

Podoloſius [Podolovvski] Nicolaus.] Radomenſis Capitaneus. IX,91.

Pœlnicius [Pœlnitz] Gerhardus Bernhardus]. Brandenb. Leg. VII,41. IX,5. XI,58.82 87.96. XII,57.

Pœttingius Comes. Cæſar: Miniſt: V,29.33. XIV, 46.

Pomponius [Arnauld] Seigneur de Pompone] Gallic: Miniſt: Stat. X,56.57.62. XI,1.3.26.30. 33.34.55 94.95 XVI,45.57.69.92. XVII,57.69.70. 71.74.75.76.77.78.79.80.81.82 85 94. XVIII,2.

Pollentius [Pollentz] Brandenb. Tribunus. VII, 74. VIII,37.

Porcia, Cæſar. Aul: ſupremus Præfectus. VII, 29.39. IX,31 92. X,79.

Portmannus [Joannes] Brandenb: Leg: II,17. 20. III,24.65 IV,34.39. V,28.33 VII,21 32.

Portsmuthia Ducissa. XI,10.12. XV,60. XVI,9.

Posonius [Stephanus] Kiovienſ: Palatinus. V,61. VIII,74. IX,13.91. X,64. XII,74. XIV,9.

Potulicius Comes [Joannes] Potulikki]. V,58.

Powiſius. XIX,97.

Prazmovius [Prazmovvski] Magn. Pol. Cancell. VIII,47. IX,42.46.

Promnicius Comes. XVII,4.

Pudewelſius [Chriſtianus Erneſtus]. V,63.64.

Pudewelſius [Georg. Wilhelmus]. IX,83.

Pufendorfius [Eſaias] Svecic: Miniſt. IX,67. XI,1 25.35. XII,9. XIII,12.19. XIV,64. XVII,40. 70.91.

Pulobinſcius, Lithuaniæ Magnus Mareſchallus. XVI,67.

Putcammerus, Brand. Min. V,66.

Putcammerus, Curlandicus Legatus. XVI,68.

Putlitzius. III,6.3. VII,26.

à *Putlitz Baro* [Adamus Gans] Locum tenens in Marchia. XIX,102.

Q.

Quaſtius [Albertus Chriſtophorus] Brand. Milit. Dux. VII,69. VIII 25.34 65.

Quesnius, Gallicus Navarchus. XVIII,62.

Quilovius, Brandenb: Miniſt: II,17.19.

R.

Rabenhauptius [Rabenhaupt] Carolus] Haſſ. Tribunus. I,47.49.

Rachelius (Samuel) Gottorpini Ducis Ablegatus. XIX,11.

INDEX PERSONARUM.

Radzicievius (Radziciovveki) Hieronymus) VIII, 70.
Radziejovius (Radziejowski) Warmienſis Præſul. XVIII, 29.
Radzivilius (Bogislaus) VI, 48.78 VII, 6.50.75. VIII, 36.37 38.45.82. IX, 15.19.37-48. X, 77. XVIII, 27.
Radzivilius (Radzivil) Janus). V, 14. VI, 30.
Radzivilius (Michael Caſimirus) Vice-Cancellarius & Campiductor Lithuan XVIII, 30.
Ragozius. II, 14. III, 27. VI, 10. 15. 21. 25. 50.52.57. 59.62.65.66.70. VII, 2.3.4.68. IX, 44.77.78. XI.84.
Rammingius (Paulus). XI, 64.
Ranſtius, Summus Præfectus excubiarum inter Cæſareos. VIII, 11.
Ranuccius (Ranucci) in Gallia Nuntius Apoſtol. XIX, 45.
Ranzovius Comes, (Chriſtianus) IV, 37.
Ranzovius (Henricus). VII, 72.
Ravaulx (Rolandus) Conſiliarius Parlamenti Metenſis. XVIII, 14.
Rautenfelſius (Bartholdus) Pol. Leg. V, 19.20.
Rautenſtein (Joann Erneſtus) Palatini Neoburg. Leg. VIII, 51. IX, 71.
Rebenacius, Gall: Leg. XVII, 40.57 78.83.94-98. XVIII, 7.44.86.88.92.94.95.100.104.114. XIX, 9. 10.11.12 19.26.30.39.52.81.
Reckius (Reck) Præfectus vigilum. XVII, 6.
Reenſchildius (Gerhardus) I, 28.
Refugius, Legatus Gallic. Extraordinarius. IV, 21.
Reichelius (Fridericus). Profeſſor Francof. II, 31.
Reichenbachius (Chriſtianus Erneſtus) Cæſar: Min, XIX, 70.
Reiffenbergius Baro. IX, 87. X, 79.
Rejus (Uladislaus) VIII, 78.80.81.82.83.85 IX, 7.16. 17.19.52.58. X, 90.
Renaldus, Mutinenſis Dux. XII, 79.
Retzius (Joannes Fridericus) Brandenb. Miniſter. XIX, 25.
Retzius (Retz) Petrus) Dan. Miniſt. VII, 9.
Revenslovius, Danicus Miniſter. XVIII, 100. XIX, 39.
Ruiſchenbergius, Supremus Neob. Milit. Præfectus. IV, 34.
Rhaſetus (Joannes Ruiſſenburgius) IV, 14.
Rhodius (Hieronymus) Præſes Scabinorum Regiomont. IX, 39.40.47.48.49.
Rhodius (Junior) IX, 89. XI, 103.106.
Ribbinſcius (Ribbinski). Polonicæ Turmæ Dux. XVII, 5.
Ribencurtius Baro, Leopoldi Wilhelmi Archiducis & Belg. Gubern. Deleg. III, 21. IV, 31.
Richardotus. IV, 12.
Richelius Cardinalis, Supr. in Gall. Conſilior. Arbiter. X, 28. XI, 1.10. XIX, 16
Richemondius Dux, Angl. Leg. XI, 42.
Rickius (von Ricken) Philippus Caſpar) VII, 21.
Ridberga Comes (Joannes) IV, 14.
Ridderhielmius (Iſrael) Supr. Vigil. Svec. Præfectus. VI, 48.
Ripperda, Belg: Leg: II, 71. III, 3.
Rochas, Hiſpan. Epiſcopus. XIV, 19.20.
Rochefortius, Gall. Dux Bell. XII, 30.
Rochefriæ Comes. XIX, 48.
Rochius (La Roche) Tribunus. XIII, 14.35.
Rochovius (à Rochou) Auguſtus Mauritius) Spandoæ Præfectus. I, 5.
Rodomius (Rodomski) VI, 22.
Rolambius (Claudius). XI, 33.
Rollingerus Baro. XII, 5.
Romswinckelius (Romſwinkel) Mathias) Brandenb. Miniſt. X, 21. XI, 14.83 87. XII, 24, 27. XIV, 29.58.65 60. XVI, 5.16 28.48.95. XVII, 56. XVIII, 11. XIX, 17.
Roncalius, Pol. Leg. II, 45 57.
Ronqvillus (Petrus) Hiſp Leg. XII, 70.80. XIII, 41. XIV, 71. XV, 32 33.43 46. XVI, 20. XIX, 3.93.
Rorteius (Rorté) Gallicus Ablegatus. I, 8.
Roſenbergius Comes (Wolfgangus Andræas) Cæſar: Min: XVII, 35. XVIII, 33.50.67.
Roſenhanius (Scheringius) III, 15. VI, 23.26.
Roſenwingius (Henricus Wilhelmſonius) Dan. Leg. VI, 55 58.71.
Royus Comes (de Roy) Danicus Miniſter. XVIII. 122.
Rucqvius (Melchior) Leg Brand. XIII, 37.45. XIV, 43, XV, 6.10.11. XVI, 74. XVII, 43. XVIII, 9. 34.38.49.50.51.79 81. XIX, 9.
Rudolphus Auguſtus Brunſ: & Luneb: Dux. XI. 46. XIV, 32 XVII. 27 XVIII, 91.
Rudolfus II Rom. Imp. II, 30. III, 18. IV, 1. VI, 40. IX, 30. XIX, 12.
Rumorius (Cajus) Summus Vigil. Præfectus, XV, 17. XVI. 57.
Rundeccius, Cæſareus Miniſter. XIX, 23.
Rungius (Fridericus) Pomeraniæ Deputatus, II, 32. III, 9.49.52.
Rupertus Palatinus. X, 21. XI, 75.76. XII, 36. XIII, 22. 37, XV, 32.61. XVI, 11 17.
Ruvignius (Gall: Leg: X, 45.47. XII, 36. XIII, 22. 65. XVI, 22.
Ruyterus (Michael) Belg Claſſ. Præf. VIII, 8.34. 35.

S.

Saavedra, Hiſpan. Leg. II, 20.
Sackius (Evvaldus) Poloniæ Regis Cubicularius. III, 27.
Sadlerus (Philippus) I, 15.
Salinas (Bernhardus) Hiſp Ableg. XV, 60.
Salviarus, Florentinus Leg. IX, 23.
Salvius (Joannes Adler) Svec. Min. & ad pac. Oſnabrug. Leg. I, 12.13.14.17.18 II, 7.30.31.33. 35.37. 42 45.48.49. 51.52. 55. 58 62.63.64.66.67. 69. III, 5 8.9.13.14.15.17.26.29.30.40.45.46.47.60. 61. VIII, 40. XVIII, 13.
Sander, Oſnabr. Ableg. XVI, 78.
San-Geranius (San Geran.) Gall. Leg. XI, 28.29 31. 32.
Sanitzius (Sanitz) Anclamenſ: Urbis Præfectus. XIV, 47.
Sanottus, Venetus Legat. XIV, 64.
San-Romanus, Gallic. Legat. II, 57.64.68. III, 3.7. XI, 73. XVIII, 33.
Santinellus Comes. VIII, 21.
Sapieha (Paulus). VI, 66 68.
Scapius, Secretarius Amſtelod. XVI, 45.
Scarpius, Angl. Doctor XIX, 89.
Schackius (Joannes) Dan. VIII, 34. XI, 42. XIII, 30.

INDEX PERSONARUM.

Schafgotſchius (Chriſtophorus Leopoldus) Cæſ. Leg. X, 82 84. 45. 87. 88. XII, 71. 78. 80.
Schafgotſchius (Joannes Ulricus.) V. 59.
Schapius (Schaep.) Belg. Leg. XII, 54.
Schaumburgius Monachus fugitivus. XV, 23.
Schefferus. II. 69.
Scheffierus. Moguntinenſ: Legatus. XIX, 52.
Schelius (Chriſtianus) Dan. Legatus VIII, 24.
Schellenbergius IV, 44.
Scherfenbergius XIX, 16.
Schetnofski (Henricus Sereta.) Miniſt. Brand. VI, 49.
Schletzerus (Joann Fridericus) Brandenb. Miniſter. II, 71. III, 20. V, 26. VI, 9. 10 11. 64. VII, 7. 68. VIII. 3.
Schmettavius (Schmettau) Wolfgangus.) Brandenburg. Miniſter. XIX, 40. 41. 42.
Schenaichius Chriſtophorus Albertus) Brand. Leg. III, 32.
- - - - Tribunus Brandenb. III, 38.
Schœnbornius Baro (Melchior Fridericus) Joannis Phil El. Mog. ex frat. Nepos. ſupr. Aul Mog. Mareſch. X, 17. 55. 79. XI, 5. 31. 44 45.
Schoenbornius (Joannes Philippus) Moguntinus Elector. III, 22.
Schœningius (Joannes Adamus) X, 15. XIV, 45. XV, 18 XVI, 60. 62. XVII, 4. 6. XIX, 26.
Schombergius (Fridericus) Franciæ Mareſchallus. XIX, 99. 100. XVI, 42. 59. XVIII, 18.
Schorrius Summus Præfectus vigilum. XIII, 45.
Schottus [Antonius] Saxon: Leg: XIV, 25 VIII, 33.
Schwerinus v. *Sverinus.*
Schulenburgius (Fridericus Achatius.) Luneb. Ableg. XIII, 52.
Schulenburgius (Guſtavus Adolfus) Brandenburg. Miniſt: XVIII, 12.
Schulenburgius (Joannes Georgius) Danicus Miniſter. XVII, 87.
Schulenburgius (Wernerus [Brand: Miniſt: I. 3. 39. 45. 54. 55 XIX, 102.
Schutzius (Joannes Helvicus Sinoldus) Leopoldi poſt Auguſti Imp. Leg. VII, 41.
Schutzius Aichſtadienſis Cancellarius. XIV, 30. 34 57. XV, 2.
Schutzius (Salentinus) Cellenſ. Conſil. XV, 34. XVI, 5. 55. 57. XVII, 40. 67.
Schutzius Supremus Vigiliarum Præfectus. XII. 49.
Schwalbachius Mogunt. Leg. II, 11. 12. 13.
Schwalenbergius [Henricus] Svec. Miniſt: III, 31. 52. 53. 58.
Schwartzenbergius (Adam) *Comes* Brandenb. Miniſt. I, 3. 4. 5. 6. 7. 9. 10. 14. 17 19. IV. 22. 23. XIX, 102.
Schwartzenbergius (Joannes Adolphus) Adami Filius *Comes* poſt Princeps Judicii Imperial. Aul. Præſes & Conſil. Sanct. in Aul. Cæſ. I, 30. 33. 35. II, 7. VII, 39. IX, 31. XIV. 13. 22. XV, 33. XVIII, 62.
Scorazevius (Skorazovvski) Uladislaus) XII, 81. XIV, 5. 12.
Scultetus (Joachimus) Brandenburg. Min: IX, 52 XI. 109. XII, 69. XIII, 58. 60. 61. XIV, 12. XV, 22. 23. XVI, 68. XVIII, 28. 86. XIX, 25. 61.
Sebottendorffius. II, 5.
Seidelius (Eraſmus) Brand: Miniſt: IV, 54.
Seppevillius. Gallicus Legatus. XVIII, 85.
Serenocampius (Seraincamp.) Franciſcus) Lotharingi Plenipotenr. XV, 35.
Sergevicius (Artemon) Moſchicus M: XI, 109. XIII, 61.
Serini. XI, 10. XII, 79.
Servientus (Abel) Comes de la Roche ad pac. Monaſterienſem Gallic: Legat: II, 20. 21. 42. 47. 50. 57. III, 22. 28. VII, 42. 54. VIII, 40. XVIII, 13.
Seſtedius Dan. Miniſt. VI, 63. XII, 73. 74. 78. 79.
Sianovius (Sianovvski) XIV, 10.
Siburgius. VIII, 11.
Sibylla Burgavienſis. IX, 76.
Sibylla Clivica. IV, 1. 5.
Sidovius (Sidovv) Brandenb. Subtribunus. XII, 47. XIII, 36.
Sierovius. [Sierovvski] XVI, 66.
Sigismundus Archidux Oenipontanus. IX, 10.
Sigismundus III. Polon. Rex. II, 45. III, 26. V, 11. 14. 19. 20. X, 57. 72. XI, 102. XV, 30. XVIII, 30.
Sigismundus. Rom: Imp: IV, 1. XI, 1. XIX, 14.
Silbercrona (Joannes) Svec. Leg. XIII, 8. XVII, 57.
Silbonus. VIII, 40.
Sillerius (Sillery.) IV, 12.
Sinclerus. Svecicus. Tribunus VI. 39.
Sintzendorfius [Albertus] XIV, 12. XVIII, 62.
Sintzendorfius Comes (Ludovicus) Cæſ: Min: III, 63.
- - - - Camerz Cæſar. Præſ. (Georg. Ludov:) XIV, 22.
Sintzendorfius (Rudolphus) *Comes* IX, 82.
Sirius [Victrinus) *Abbas.* XI, 35.
Sekeltonus Anglicus Ablegatus. XIX, 3.
Slangius (Ericus) I, 20.
Slegenbergius Baro (Franciſcus.) Cæſareus Delegatus XIX, 25.
Slibius (Bodo) XII, 81. XIII, 55. 60.
Slippenbachius Comes (Chriſtophorus Carolus) Svec. Leg. V, 2. 3. 5. 6 7. 8. 15. 31. 37. 38 39. 41. 42. 44. 49. 50. 52. 54. 66. 67. VI, 44. 45. 61. 66. 67. 72. 74. 75. VII, 1. 2. 3. 4. 5. 11. 16. 44 53. 56. 57. 59. VIII, 72. 73. 74. 79. 80 IX, 7. 20. 32.
Slonſcius (Slonski.) Cracovienſis Canonicus & Secretarius Regius. IX, 55.
Slotarenca. Coſacorum Dux. VI, 22.
Smidius Bavar. Cancellarius. XIV. 25.
Smiſingius (Caſpar.) XIII, 21.
Smiſingius (Mathias Korfius) Præſulis Monaſt. Ablegatus. X, 16. XI, 11. 20. XIII, 21. 46. 47. 50. XVIII, 73.
- - - - (Caſpar.) Brand. Ableg. XI, 20.
Snellius (Henricus.) IX, 74. X, 48.
Snitqverus (Hieronymus.) Hamburg. XIX, 22. 23. 24. 36.
Sobieſcius (Sobieski) Joannes Magnus Pol. Mareſch. poſt Pol. Rex. IX, 89. 91. X, 75. 79 80: 81. 88. 90. XI, 13. 50. XII. 33. 68. 69. 70. 72. 73. 74. 76. 77. 79 80. XIV, 8.
Solmenſis Comes (Joannes Albertus.) IV, 21.

INDEX PERSONARUM.

Sommerfeldius. XIII, 33.
Somerſetia Dux. XIX, 86.
Sommicius (Bogislaus) VIII, 21. 24.
Sommicius (Laurentius Chriſtophorus) Brand. Miniſt. V, 64. 66. 69. VI, 15. 19. 76. 78. VII, 17 72. VIII, 45. 48. XII, 14 19. 27. 34. 76. XIV, 67. 71. 72. XV, 42. XVI, 7. 97.
Sophia Charlotta. Friderici III. Conjux. XIX, 100.
Sophia Palatina, Erneſti Auguſti Duc: Hanoverani Conjux. VI, 66.
Sophia Jagellonica. V, 17.
Sorla Comes. XIX, 98.
Southwellius (Robertus) Angl. Leg: XVIII, 3. 4.
Span. (Alexander) Supremus Vigil. Præfectus. IX, 33. XI, 69. 82 91. XII, 32. XIII, 49. 50. XIV, 32. XVI, 70. XVII, 33. 60. 83. XIX. 60.
Spanheimius (Ezechiel.) Palatini Leg. XV. 48. XVI, 78. XVII, 81. XVIII, 14. 23.
---- Brand: Miniſt: & Leg. XVIII, 44. 74. 88. 92. 102. 104. 107, XIX, 4. 8. 9. 11, 18. 19, 30. 32. 33. 35. 47. 52. 60. 69. 71.
Sparrius (Ericus) Svec. Leg. III, 26. IV, 36.
Sparrius (Otto Chriſtophorus) Brand. El. ſupr. Milit: Præfect: IV, 25. 34. V, 67. VI, 17. 39 49. 68. VII, 46 63. 69. VIII. 30. IX, 77. 83. X. 14.
Sparrius [Petrus] Laurent: F. Svec: Miniſt. I, 36. XI, 78. XII, 3. 36. 57. 62. 64. XIII, 12.
Speckhanius Svecicus Conſiliarius. IX, 82.
Spinola (Ambroſius.) IV, 20. 21.
Spinola (Ludovicus) *Marchio.* IX, 4.
Spiringius. III, 4. VII, 60.
Sporckius (Joannes) VII, 69. VIII, 25. 30.
Stalhanſchius (Torſo) Svec. Mil. Dux. I, 6. 11. 13. 17. 18. 26. 32. 35.
Starenbergius Comes (Henricus Wilhelmus) Cæſar. ſupremus Mareſchallus. VII, 29. IX, 92.
Starenbergius Comes (Joannes Reichardus) Eqves Aurei. Veller. & ſupr. Dux bell. V, 28 29. 30, VIII, 28. XVIII, 96. XIX, 26.
Starenbergius Comes (Maximilianus Laurentius Philipsburgi Præfectus. XIX, 48.
Sternbergius (Jacobus) I, 36.
Steincallenfelſius. XII, 30.
Steinius (Carolus) Culmbac. Cancellar. X, 34
Stenbockius (Guſtavus Otto.) III, 32. 35. V, 57. VI, 48. VII, 4. VIII, 34.
Stephani (Daniel) IX, 33.
Stephanus Ba torius. Pol. R. X. 90. XII, 73.
Stephanus Palatinus, XIX, 15.
Sternbergius Ludovic. Hung. & Boh. Reg: Cancellarius. VII, 34.
Sternbergius Comes (Adolphus Vratislaus) Cæſ Leg. XII, 45 XIV, 17. 18. 23.
Stewardus (Jacobus) Angl. Advocatus. XIX, 96.
Stockflietus (Stockfliet Chriſtianus.) Danicus Ablegatus. XIX, 43.
Strada Marchio (Godefridus Comes d' Eſtrades) Franciæ Mareſchallus & ad Pac. Neom. &c. Leg. IX, 25. 20. X, 10. 11. 21. 38. XI, 54. 55. 60 69. XII, 38. XIV, 66. 67. 70. XVI, 45. 52. XVII, 15. 23. 46. 55. 59. 60. XVIII, 49.
Straſſius (Von der Straſſen) Chriſtophorus Brand. Leg. II, 23.
Straſſius (Joannes Chriſtophorus) Subtribunus Brand. XIII, 35. 36.
Stratemannus (Dietericus (Theodorus) Althetus Henricus) Neob: Min. X, 51. XI, 10. 22. 88. 91. 94. XII, 76. 79.
---- Cæſ. Miniſt. & ad Pac. Neomag Leg. XVI, 8. 52. 91. XVII, 14 23. 24. 34. 51. XVIII, 19. 33. 46. 50. 104. XIX, 69.
Strauchius [Ægidius] Theol. Dantiſcan. IX, 91. XIII, 59. XIV, 3. 5. 6. XV, 12. 23. 24. XVI, 66.
Strauchius (Ægidius) Sax. Min. VII, 24.
Streithorſtius. VIII, 10.
Strozza [Petrus] Cæſar: Tribunus. VIII, 11. 63.
Stuminl Baro (Stum.) Cæſar. Leg. XII, 68.
Stuppa. XI, 73.
Suchius (*Suches*) Ludovicus Radvicus) *Comes.* VIII, 24. 25. 26. 27. 28 29. 42. 44. 50. IX, 14. 78. XII 45. 51. XIII, 14.
Sperinus (Bogislaus) Inter Brand. Milit, Duc. XIII 55 XIV, 45. 46. 47. 48. XV, 18.
Sverinus Baro. (Otto) L. B. de Schverin Senior. Conſil. Brand. Intim. & Conſilii præſes. I, 13. 26. III. 24. 28. IV, 31. V, 42. 44. 54. 71. VI, 42. 44. 45. 51. 74. 78. VII, 16. 17 44. 56. 57. 72. IX. 33. 37. 38. 39. 74. X, 13. 17. 44 48. 79. 81. XI, 3. 6 28 39. 47. 64. 67. XIV, 21. XVI, 85. 100. XVII, 65.
Sverinus (Otto) *Junior.* Brand. Leg. IX, 50. XI, 71. XII, 1. 2. 3. 7. 8 10 19. 22. 26. 34. 36. XIII 22. 65. 69. 70. XIV, 64 66. 69 XV, 16. 31. 32. 61. XVI, 4. 5. 27. 31 40. 71. 72. 76. 78. XVIII. 81. 82. 83. 84. 85. XIX, 113.
Sullius Dux (in Gall ſub. Henr. IV.) XVIII. 25.
Suramontius (Suramonte) Cæſar. Romæ Reſidens. VIII, 21.
Sylvius (Gabriel) Angl. Leg. XI, 3. 74.
Sylvius Procurat. General. Arauſionenſis. IX, 21.
Szumowski. Curiæ Regiæ Theſaurarius Pol. XV, 14.

T.

Taffius Comes. Lotharing. Leg. XII, 79.
Tekelius [Emmericus.] XVIII, 61. 62. 64. 74. 75. 86. 96.
Telherius Gall. Miniſt. VII, 54. XI, 17.
Templius (Wilhelmus) Angl. Leg. ad Pac. Neomag. XII, 62. XIII, 7. 9. 38. 64. 65. 69. 70. XIV. 58. 65. 65. 67. 70. XV, 31. 35. 61. XVI. 39. 41. 45. 46. 48 70. 71. 91. XVII. 24. 82.
Terlonus (Hugo) Gall. Leg. VIII, 33. 40. 41. IX, 6. 59. X. 36. XI, 40. 42. XII, 61. XIII, 24. 28. XIV, 35.
Termoelius (Ter Mœlen) Monaſter. Procancellariuo XIII, 49. XIV, 28. 33.
Tettavius (Daniel.) XI, 102. 105. XV, 13. 14.
---- Centurio XI, 54.
Tettavius (Joannes Dietericus) (Tettau) Conſil. Provinc. Boruſſ. IX, 55.
---- Joannes Eberhardus I. 23.
Tettenbachius [Joannes Eraſmus VII, 64. XI, 46.
Teveſtus Comes. Tingitani oppidi Guber: X, 4.
Thannius (von der Thanne) Adamus Henricus. XIV, 31. 32.

INDEX PERSONARUM.

Theodorus. Colonienſis Archiepiſc: XVII,58.
Theodorus (Fœdor) Alexii Czaris Moſc. Fil. & Succeſſor. XIV,12. XVII, 9.
Tholowius (Tholbof-ki) Polonus qvidam I. 24.
Thomas Sabaudiæ Dux. XII, 78. 79.
Thuanus (Jacobus Auguſtus) de Thou: Gall. Leg VIII, 3. 4.
Thuillerius. Gall. Leg. III, 21.
Thungius (von Thungen) Joannes Carolus Copiar. fœderat. Dux. XIX, 31.
Thurlous. VII, 8.
Tieſcevitius. (Tieſkewit.) Polonus qvidam. XVIII, 86.
Tilemannus. I, 11.
Tillius. II, 11. VII, 7.
Tochtius (van der Tocht.) Jacobus. Belg. Leg. XIV,27.29.38.41.42 XV,57. XVI, 97.
Tonſcius (Joannes) Pol. Leg. V, 18. 39.61.
Tottius Comes. XV, 31.
Tottius (Claudius) Svec: Milit: Dux. VI,37. IX, 28 36. X,56 87. XI,26.33 55 38 78.98 XII,3.4.6.
Torſtenſonius (Leonardus.) Suec. Milit. Dux. I,26.32.33 35 42 43.45 55. II,12.16.19.27.55.
Trampius. VIII, 21.
Tranſæus (Joachimus) Svec: Min: I, 15.36.
Trautmanſtorfius. I,17 II,20. 36. 38. 40. 42. 45. 46. 49 51 53.58.62 65.69.71. III,3.6.8.10.12 13.14. 22. XVIII, 13.
Trautſonius. Cæſar: Legat: XV 6.
Treffenfeldius (Henningus.) Subtribun: XIII,35. 36. XVII, 5. 6.
Trevorius Angl. Leg. X, 55.
Trompius. (Cornelius) Dan. è Belg. Thalaſ. X, 3. XIV,46.47 XV,17. XVI,57.60.
Trotta. Tribunus. I, 8.
Trottius Summus Virgil Præfectus XIII,33.
Truchſeſius (Wolfgangus Chriſtophorus) Ira idenburg: Militiæ Præfect: XVIII,87.137.
Trzebicki (Andreas) Præſul. Cracovienſis. XIV, 8.
Turennius. IX,56.57 58. X,55. 90 XI, 1. 31. 51. 60. 61. 62. 63. 64 65. 67. 69 71. 72. 75 81. 82. 83 87. 92. 93. 97. XII,1 4. 7. 11. 30. 44 45. 46. 47 49. 57. XIII, 1. 2. 38. XIX, 85.

V.

Valckenburgius. Director Societ. Indiæ Occid. in Belg. XVIII. 32.
Valckenierius. Amſtelod. Conſul. XVI,3. 72.
Vanius (Walterus) X, 15. 19. 21.
Vaubrunius (Vaubrun) Gall. Leg. XI, 3. 63. --- XII, 30.
Vaudemontius. X, 78.
Vaugvionus. (Vaugion) *Comes.* Gall. Leg: XI, 51. 53. 68.
Vautortius. Gall. Leg. IV, 37.
Ucedo (Sebaſtianus.) IX, 58. 64.
Uckermannus. XIII, 34.
Vecha Dux. (Duc de Vecha.) (Hiſpanus.) XIX, 26.
Veldburgius. Neoburg. Leg X, 56.
Veldentinus Princeps. XIX, 26.
Verjus [Ludovicus.] Gall Legat. Speciatim ad armiſtit. Vicennale. XI, 18. 20. 28. XII, 5. 9. 32. 38. 39 56. 59. XIII, 4. 19. 42. XVIII, 14. 15. 16. 17. 20. 21. 33. 51. 52. 69. 88. 89. 102. 103. 130. 133. 134. XIX, 11. 12. 13. 29. 53. 57. 58. 81.
Vgla. Svedicæ Claſſis Præfectus. XIV, 46.
Vidonius Cardinalis. IX, 44.
Villaregius [Villeroy.] IV, 12.
Villarſius [Villars] Gallicus Leg: XVIII,124.
Villa Hermoſa Dux. Belg. Hiſp. Gubern. XIII, 10. 69 XIV,43 XV,8. 18. 38. 60. XVI, 5. 7. 9. 10. 11. 20. 22. 24. 25. 29. 35. 37. 46. 52. 70. 74. 80. 93. XVIII, 9.
Villa Nova Vicecomes. [De Villeneufve) Pſeudonymus qvidam. XI, 83.
Viqvefortius. [Abrahamus] Gall. Leg. III, 20. --- Brand. in Gall. Reſid. V,26. VII,54. IX,34.
Virſetus Baro (Virſet) XIV. 23.
Vitrius Dux. Gall. Leg. XI,62. XII,57. 60. XIII,33. 68. XVIII, 14. 28. 64. 86.
Viturkius Canonicus. VI, 69.
Uladislaus Poloniæ Rex. I. 11. 21. 41. II, 31. 72. III, 26. V, 9. 14. VI, 1. VIII. 45. XI, 105. XII, 70. 80. XIV, 12. XV, 31.
Uladislaus IV. Poloniæ Rex. IX,14 X,57. XIV, 2. XVIII, 10.
Ulckenus (Andreas) Gottorp: Ducis Ablegatus. XVI,15. XVII, 55. 57. XIX,44 70. 76.
Ulfeldius (Cornificius.) IX, 6. 33.
Ulm (Levinus ab Ulm) Imperii Vicecancellarius. IV, 10.
Ulrica Eleonora. Danica, Chriſtiani V. Soror. Caroli. XI Svec. Reg. Conj. XIII,25. 27. 31. XIX, 22. XV,4. XVII, 90. XVIII, 9.
Vogelſangius [Vogelſang] Leg. Belg. VIII,12 33.
Völmarus (Iſaacus) Cæſ. Leg. II, 16. 20. 40. 69. 71. III, 3. 5. 8. 9. 11. 12 15. 19. 35. 40. 61. 62. VI, 41. VII 37 39. VIII, 40. XVIII, 13 19.
Vulteius (Joannes) Caſſellan. Leg. II, 69.
Uzaimus Baſſa. XII, 70.

W.

Wachmannus (Joannes) Bremenſis Syndicus. IX, 82.
Wachmeiſterus (Adamus) Sved. Tribunus. XIII, 36.
Wachtendoncius (Arnoldus) Brandenb. Ableg: XIX, 59.
Wackerbartius. [Cellenſis Ablegatus. XIX, 22. 36. 39.
Waldavius (Waldau) Bernhardus. I, 37.
Waldavius (Joannes) VIII, 12 XIII, 17.
Waldecca Comes (Georgius Fridericus.) V, 11. 42. 44. 48. 67 69. VI, 15. 19. 20. 23. 25. 26. 37. IX, 32. X, 9. 17. 38. 59 XIII, 14. v. ſup. in G.
Waldecca Comes (Joſias.) VI,37. VIII,34. IX,4.
Waldendorfius [Emmericus Fridericus] Cæſar: Miniſt: XVIII,80.
Waldius qvidam rebell. XI. 105.
Wallenrodius (Joannes Erneſtus) Brand: Min: IV, 36. IX, 37.
Wallenrodius. Tribunus. VI, 49.
Wallenſteinius (Carolus) Cæſar. in Anglia Legat. XV, 20. 43. XVI. 17. XVII, 52.
Walterus (Joannulus) Hansgen Walter. XIII, 42.
Wangelinus [Bernhardus Chriſtianus] Svec. XI, 79. 83. 98. XII, 5. 13. 19. 22. 31. 37. 39. 40. 41 42.

41.42.43.44.53.55.56.58.59.65. XIII,6.13.34 37. XIV.45.46. XVII,01.
Wangenheimius, Præfectus turmæ in Brand. exerc. XVI,62.
Waſſenarius [Jacobus] Belg. Leg. IV,32.
Webbenumius [Webbenum] Tribunus. XI,66.
de *Wec* Belg. Leg. XI,56.
Wedderkopſius [Magnus] Gottorp. Ducis Ablegatus XVI,15.
Wedelius [Haſſo Adamus] Brandenb: Min: X, 64. XII,65. XIV,7. XV,24.
Wedelius [Guſtavus Wilhelmus] Monaſt: Milit: Præfectus. XIII,49.50.
Wedius. XVI,19.
Weilerus [Erneſtus Weiler] Rei machinariæ ſub Frid. Wilh. M. Præfect. XIII,54. XV,18 XVI,62.
Weierus (Jacobus) Palatinus Mariæburg. V, 57.59.61. VI,30.
Weierus (Ludovicus). V,57.
Welleus (Jacobus) Theol. Dreſdenſ. II.69.
Wellingius (Mauritius) Svecicus Miniſt. XVIII, 11. XIX,71.
Weimannus (Daniel) Brand: Min. IV,31. V,53. VI,4 8.19 34 64 VII,7.56. VIII,3.4.12.14 47. IX, 21.21.27. XV,32.
Weingartius (Philippus Chriſtophorus Franciſcus) Colleg: Electoral: Leg. VII, 61.
Weiſſenfelſius. XIII,4.
Weiſius (Martinus) Brand. Archiat. XIX,102.
Weſenbecius (Matthæus) Brand. Leg. I,17. II,1.3. 4.5.6.7.8.9.10.11.12.13 14.15.17.35.44 70. III, 33. 34.35.36. 37.38. 40.59. V,1.
Weſterholzius (Burchardus) XV,7.
Wicharus (Chriſtophorus) Brandenb. in Polon. Reſidens. XV,21.
Widzga (Stephanus) Warmienſis Præſul. IX, 47.53.
Wiedenbrugius (Bernhardus) Monaſter. Ableg. X,16.
Wielopolſcius, Magnus Poloniæ Cancellarius. XVIII,30.
Wierzbowski (Stephanus de Majori Chrzaſtovvo) Abbas Cœnobii Paradiſienſis. VI,69.
Wieſnovicius (Demetrius). Archiſtrategus in Polon. X,63.64.79.88 XVI,65. XVII,8.
- - - - - (Michael Thomas Coributus Piaſtus, poſt Polon. Rex. X,88.
Wierzbowski, Poſnanienſis Præſul. XIV,8.
Wilhelmus I. Arauſionenſis Princeps. II. 72.
Wilhelmus II. Arauſion: Princeps. II,72. IX.21.
Wilhelmus Fridericus, Naſſovio Princeps. VI,66.
Wilhelmus, Haſſiæ Landgravius. IX,65.
Wilhelmus Henricus, Arauſionenſis Princeps. IX,21. XIII,31.
Wilhelmus Henricus, Friderici Wilhel. M. Fil. XIX, 103.
Wilhelmus Dux Cliviæ. III,19.
Wilhelmi Juliaci ac Montium Duces. IV,1.3.7.8.10. IX, 79.
Wilhelmus Naſſavius Princeps. V,21.
Williamſonus, Secretar. Stat. in Angl. XIV,62. XV,31 32.61. XVI,31.78.
Winckelhuſen (Joann Henricus) *Baro*. IX,74. X,48. XII,6.
Windiſchgratz (Amadeus) *Comes*, Cæſ. Min. & Legat. XI,12.35.51. XII,70. XIII.20.57. XIV,14.16. 33. XV,5.6. XVIII,108,133.
Winnebergius Baro (Philippus) Imperial. Conſil. Aulici Præſes. IV,4.
Winnenthalius Baro. IV,45. V,21.
Winterfeldius (Georgius) I, 42.
- - - - - (Samuel) I,12.13.21.
Winterus, Tribunus. XIV,3.
Wiovius (Wiovvski) VIII,55.
Wiricus, Brand. Leg. III,24.
Wiſſenningius Baro, Neoburg. Miniſt. IV,34.
Witgenſteinius Comes (Chriſtianus Ludovicus) VIII,15.
Witgenſteinius Comes (Joannes) Haſſic. Min. I,48. Brandenb. Leg. II,17.19.20.25 30.33.34 35. 36.38.40.43.48.49 51.59.63.64.66. III,1.4 5 8.9. 10.15 17.32. VI,48.
Witoroski (Stanislaus). VI,10.
Wittenbergius (Godfridus) Campi Mareſchallus Svec. II,49.51. III,3. V,23.39.40.41.44.48. 67. VIII,75.
Wittius (Joannes de Witt) Eqveſtris Ordinis in Holland Syndicus. V,23. VI,64.71. VIII,3. 4.7.8.9.14 33.35. IX,24 X,1 3.4.7.8.12.15.18 19.21. 22.23.29.38.40.41.47. XI,1.3.6.14.57. XIV,58.
Wittius (Cornelius) Dordracenus Conſul. XI, 12.57.
Witii fratres Cornelius & Joannes. XI,57.
Wittius, Leg. Duc. Hannoveran. XII,8.
Wittorfius, Cellenſ. Ableg. XIV,16. XVI,57.
Witzendorfius (Henricus) XIII, 47
- - - - [Hieronymus] Luneburg. Miniſt. XVIII,119.121 XIX,41.
Witzenius, Amſtelodam. Conſul. XIX,85.
Wolckenſteinius Comes, Cæſ. Miniſt. III,60. VI,41.
Wolfgangus Wilhelmus, Palatino-Neoburgicus Dux IV,1.9 16.22.24.44. IX,79.
Wolfadus (Hermannus) XI,32.37 39.
Wolframsdorfius (Hermannus.) VII,61. VIII,28.
Wolfsbergius, [Bartholomæus] Svecicus Min: V,7.19.37.38.40 67. VI,23 45. VII,56.
Wolzogenius [Wolzog] Ludovic.] Pol Leg. V,16.
Wottonus [Henricus] Angliæ Legat. IV,20.21.
Wrangelius [Carolus Guſtavus] Archiſtrategus Svec. III,39. VI,37.39. VII,7. VIII,29.30.35.73. IX,32.77 82.83. X,29.42. XI,1. XII,57.60 61.62. 64.65.81. XIII.3.4.5 8.17.19.27.33.35.42. XIV,3.5.64
Wrangelius [Woldemarus] Caroli Guſtavi Wr: frater. XIII,53.
Wreckius [Chriſtianus Sigiſmundus] Nobilis Cubicul: Brandenb. VI,68. VII,9. VIII,31.32.
Wulfius [Jacob. Joannes] Præſ: urbis Stet XV,18.
Wurtzius [Paulus] Stetini Præfectus. VI,77. VIII, 16.17.19.29 36. XI,4.

Z.

Zabelticius [Zabeltitz] XIII,35.
Zaluſcius [Zaluski] Andreas] Kiovienſis Epiſcopus. XVIII,87.
Zamoiſcius, Cancellarius Polon. XV,30.
Zaſtrovius Tribunus. VI.48.
Zawadskius [Uladislaus] Leg. Brand. V, 5 16.20.
Zawadskius [Zavvadzki] Capitaneus. XIV,3.7.
Zitzewicius [Georgius]. III 49.
Zizevicius [Zitzevvitz] Nicolaus] Monaſter. Ableg. XVI,57.
Zochowski [Adrianus à Kraſovvo], XI,106.
Zolleranus Comes. IV,43.
Zurmublen [Wernerus]. XVII,55.
Zwinglius. II,50.

INDEX RERUM.

A.

Abdicatio Joannis Casimiri qvomodo peracta. X,73.

Abrahamus Hasenhovius Berolinum venit. XII,34.

Actio contra Hispanum apud Cæsarem qvare intentanda? XVIII,11.

Adolfus Joannes Palatinus Cæsari pacem offert nomine Sveci, XIV,46. Habetur tanqvam extraneus in illo Regno. ibid.

Æmulatio inter Danum & Luneburgicam Domum est periculosa. XVIII,100.101.

Super *Æqvivalens* pro cessis à Brand. Pomeraniæ partibus difficultates. III,10.11.12.13.14.

Affinitatem non tollere odia & dissidia comprobatur exemplo & argumentis. XIII,31.

Afflictio afflicto non est addenda. XIX,83.

Agnati Friderici Wilh. M. Ernestus Christianus Wilhelmus & Albertus per Mandatarios accipiunt Investituram. I.25. *Radzivilia Agnati* cum Hoverbeqvio transigunt. XVIII. 29.

Albertus Borussiæ Dux circa Indigenatus Jus in Polon. erratum committit. XVIII,30. Proximum à Rege locum in omnibus Regni Polon. Conventibus pro se & successoribus Borussiæ Ducibus obtinet. ibid.

Albertus Saxoniæ Dux spem ad Ducatum Juliaci & Montium obtinuit à Friderico III. Imp. renovatam à Maximiliano I. IV,1.

Albinillius fallit de Arausionense & ejus Conjuge fingit. XIX,96.

Alburgensis portus. VIII,14.

Alefeldii [Joachimi] Consil: Ducal: Gottorpini Præsidis bona in fiscum rediguntur à Rege Daniæ. XIX,66.

Alefeldius Daniæ Cancellarius super armatura navali Brandenburgicos admonet. XVIII. 10. Horum naves noctu Oresundam transmitti curat. 11. Regis sui consilia contra Svecos improbat. 98. Ut & contra Luneburgicos. 121. Ejus judicium de Colonienſi, & Ducibus Luneburgicis. 122. Moderatorum consiliorum autor est. 123. 136. Danum ad Brandenburgici sententiam permovet. 124. De Gottorpini cum Danis controversia Brandio Brand. Leg. respondet. XIX,65.

Alefeldius [Detlevus] ad Brandenburgicum cum mandatis mittitur. VII.11. Ut & ad Polonum. ibid. Berolinum venit. 15. VIII,65. ab eo ibi gesta. ibid.

Alexius Moscoviæ Czar moritur. XIV,12. ejus gesta vid. in v. *Moscus*.

Alfonsus, Portugalliæ Rex, Gallorum artibus solio dejicitur XI,1.

Allodialia Palatini bona petit Elisabetha Charlotta. XIX,13.

Alsatia à Cæsare Gallis conceditur. II,46. De hujus decem oppidis cautio adhibetur. XVII,13. Gallus ea in sua verba adigit. 39.52. In SCto Ratisponensi de his cavetur. 49. Alsatiam omnem cum Philipsburgo in satisfactionem sibi deposcunt Galli. XVIII,13. Qvare hanc & reliqvas partes allodii jure Gallis concedere malit Cæsar, qvam clientelæ nexu? ibid. Supremum in utramqve Alsatiam dominium & Vasallos trium Præsulatuum. ut colorem habeat, fingit Gallus. 14.15. Cui prætensioni respondent Ordines. 19.20. Deductionem de hac edunt Cæsarei. 68. Ea omnia ad fructus infaustæ Neomag. pacis referuntur, qvorum longa series 78.

Alsia insula occupatur à Brandenb. VII,70.

Altona ad componendam controversiam Danum inter & Gottorpinum eligitur. XIX,69 Qvæ paulisper extracta demum suscipitur. 70. Præliminaria prioris congressus. 71. Gottorpiensium propositio. 72. Danorum ad hanc declaratio. 73. Brandenburgici Dano molliora svadent & hic illis iterum respondet. 74. Alia Danorum ad Gottorpiensium propositionem responsio. 75. Considerationes & judicia circa illam. 76. Danus & Gottorpinus Dux ut amicam transactionem non negligant ab Electore monentur. 77. Gottorpiensium ad Danorum Responsionem Replica exhibetur. 78. Danorum Duplica ad illam. 79. Eorum oblata circa satisfactionem Gottorpiensi facta. ibid. Qvæ Duci qvanqvam frustra commendant. 80. Immoti sententiæ suæ inhærent Dani. 81. Temperamenta qvædam à Saxone, Brandenburgico, aliisqve proponuntur. 82. 83. Post mortem Friderici Wilhelmi M. demum hæc controversia componitur. ibid.

Ambassiatores qvinam dicantur? XIV,58. XV, 30.

America, qvare ibi Angli cum Hispanis bella gerant VI,11. Ex Lege Hispaniæ eo proficisci nemini permissum, nisi in Castilia natis & qvorum majores triginta per annos ibi habitarint. XIV,43. Brandenburgici ibi Hispanis duas naves eripiunt. XVIII,11.

Americana Hispanorum classis nuptiarum regiar. sumptibus impensa. XVII,43.

Amerongius Fœderatis iter in Westphaliam dissvadet. XI,67.

Amicitia Gallorum eſt temporaria & ex utilitate temperata XI,1. Principum qvalis eſſe debeat? XVIII,127.

Amneſtia Ratisbonæ 1641.concinnata, qvomodo in Marchia promulgata. I 20.

Amſtelodamenſes Danos urgent, ut in arma contra Svecos erumpant. VI,60. Gallorum factioni ſe opponunt. XI.55. Pacem etiam invito Anglo petunt. XVI,9.33. Sunt cauſæ præcipitatæ Belgarum cum Gallo pacis 50. Tractatu Neomagenſi ſunt contenti.71. Ab his vires ærarii in Belgio fœderato dependent. XVII,68. Ad pacem cum Gallo inclinant. XVIII,118.128. Gottorpinam litem ſuam facere nolunt.119. Legiones Anglicas à Jacobo II.revocatas mandatis, dimittere nolunt. XIX,98.

Anclamum à Brandenburgicis obſidetur & capitur. XIV,47.

Angermunda à Brandenburgicis occupatur. IV,25.

Angerortum, ibi in aperto campo Elector & Neoburgicus conveniunt. IV,33.

Anglia. Qvale connubium Regi ſuo optet? IX. 25. Conducit ipſi externa gerere bella IX. 26. Qvalis ibi ſtatus. X.18. XI.75. Eſt fons præcipitatæ Belgarum cum Gallo pacis. XVI,48. Inter aliena bella univerſa ferme commercia in ſe traxit. 78. Conjuratio ibi detegitur. ibid. Inteſtinæ turbæ ibi gliſcunt. XVII,44. Ejus ſtatq XIX. à §. 84. usqve 100. Inter primarios Europæ ſtatus ſitus opportunitate, commerciis, opibus, nationibus, virtute, primarium ſibi locum vindicat. XIX, 84. Potentiam reliqvorum Europæ regum librare poteſt. ibid. & XIX, 10. Eſt Reformatæ religionis ac omnium Proteſtantium aſylum. ibid. Alio longe regiminis ac inſtitutorum genere utitur & regi poteſt ac Gallia. XIX,3.

Anglia Epiſcoporum & Archiepiſcoporum dicta atqve reſponſa circa acta Jacobi II. in Religionum libertate promiſcua inducenda. XIX, 87.88.93.95.

Anglia Gubernatores pleriqve Jacobi II. ſententiam fovent circa libertatem religionum promiſcuam. XIX,95.

Anglia Proceres operam atqve pecuniam Schombergio offerunt, ut libertatem Angliæ juvet. XIX,99.

Anglia Reges Stuarti qvi in Ritus Romanos inclinarint? XIX, 84.

Anglica Aula ſub Carolo II. alia intendit ac Anglica Natio. XV, 61. Parlamento perſvadere conatur, Pace Galliam debilitari. XVI, 9. Artibus certat contra Parlamentum. 11.

Anglia Regina Jacobi II. ux. prægnans eſſe dicitur. XIX,97.

Anglica Natio ſummo in Gallos ardet odio. XV,61. XVI,3.22.

Anglica Academia à Tribunali Eccleſiaſtico invaduntur Jacobi II. auſpicio. XIX,97.

Anglicorum motuum origo à Jacobo I. deſcendit ad Carolum I. & II. XIX,84. Hos motus continuat Jacobus II. vid. à §. 85. usqve 100.

ex *Anglia profugi* ab Electore receptus conceditur, qvod malè habet Regem. XVIII, 117.

Anglorum in America contra Hiſpanos belli cauſæ juſtificatio. VI,11. Angli pacem Electoris cum Polonis minus æqvo animo percipiunt. VII,8. Cur ab Auſtriacis partibus abhorreant? 63. Offenſam erga Electorem manifeſtant 68. Naves Electoris detinent. X,6. Eorum qverelæ de eo 21. Horum ſocietatem cum Gallo multi mirantur. XI, 27. Regis conſilia contra Belgas deteſtantur 74. Pecuniam poſtulant. XII,4. Pacem cum Belgis faciunt. 10. Adverſus Danos invidiam oſtendunt. XIV,44. Neomagi fruſtra tempus terunt. XV, 58. Difficultates inter hos & Hiſpanos oriuntur. XVI,9. Fœdus cum Belgis ineunt. 41. Jacobum Eboracenſem Ducem Coronæ incapacem condito in inferiori domo decreto vivo fratre, etiam in ſuperiori domo fere pleriqve declarant. XIX,85.

Anglus Electori gratulatur de ſuſcepto Regimine. I.25. Per Legatum Juliacenſe diſſidium inhibere ſtudet IV.20. (conf. v *Juliacenſis Ducatus*.) Daniam ſubverti pati non debet. VIII,5. Baltico mari adſitos Status in æqvilibrio tenet. IX, 22. Ejus res domeſticas ſubvertere Galli conſilium eſt. X.18. In ejus manu Europæ pax ſita. XV,60. vid. *Carolus II Angl Rex*. it. *Jacobus II.*

Apluſtre [Pavillon] certi generis geſtare in mari qvibus comperat? XVIII,11

Appellatio. Privilegium de non appellando in omnes reliqvas provincias petit Elector. XIX,4.

Aqvila Imperii ſignum à Colonienſi & Alberto Auſtriæ Archiduce Aqvisgranum urbem proſcriptione ab Imperatore notatam tendentibus præfertur. IV,20.

Aqvisgranum proſcriptionis ſententia à Cæſare notatum à Spinola occupatur. IV,20. Ibi Tractatio inter Gallum & Hiſpanum inſtituitur. X,55. Inter inducias à Gallo occupatur. XVI,89.

Arauſionenſis Princeps [Wilhelmus] compoſitionem inter Electorem & Neoburgicum tentat. IV, 23.

Arauſionenſis Princeps [Guilielmus Henricus] Ejus fortunas conſervare Electori curæ cordiqve eſt. IX, 21.22. Circa tutelam ejus convenitur inter Anglum & Brandenburgicum IX,24. Ejus gratia bellum inter Anglos Belgasqve conflatur. X,15. Wittii eum opprimere ſtudent. XI,55. Intrepida ejus ſententia Belgis data. 55. item Anglis. 56. Et Gallis. In Majorum ſuorum munia reponitur. 57. Ex Angli voto in ſimilis exitii cum Wittiis eſt periculo 75. Inducias cum Gallo ei ſvadet Elector. 87. Suchio non multum fidit. XII. 51. Ipſius ſententia ſuper partienda Brema. XIV, 26. Obſidium Trajecti ſolvit. XIV, 41. Ejus ſententia de modo belli gerendi. XV,19. Propoſitio in conventu Neomagenſi. 43.46. In Angliam proficiſcitur; Nuptiæ ejus cum Maria. 61. Secretiſſimam cum Anglo deliberationem circa Pacis negotium habet. ibid. Præſentem

tem rerum atqve Belgii conditionem, qvoad pacta cum Anglo, Electori refert. XVI, 13. Ejus de Pacis negotio sententia. 25. 33. 38. Judicium ejus de Pace. 51. Gallos ad Montes Hannoniæ acri prælio profligat; Ingens periculum incurrit; Inducias facit. 70. In publicatione pacis cum Gallo Haga abest. 73. Amicam compositionem Hispanum inter & Electorem commendat. XVIII. 11. Frustra Anglum contra Gallum excitare studet. 22. Ad pacem cum Gallo qvare non inclinet? 73. 93 107 Qvali erga Gallum ingenio, consiliisqve utatur. 118. Immotus suæ sententiæ inhæret. 119. 128. Inducierum negottationi cum Gallo non interest. 129. Qvare Gallus ipsii ita infensus sit? XIX, 5. Ipsius pactum successionis non præjudicat Brandenburgici liberis. ibid. Inter hunc & Anglum à Gallis dissidia seruntur. 89. Anglum à conatibus circa Religionis libertatem amovere studet. 94. Et scriptis sententiam suam aperit. 96. Contra Anglum se armat. 98. Ejus bonis à Gallo manus injiciuntur, ac vitæ ipsius insidiæ struuntur. ibid. Cum Electore de Jacobi II. destinatis consilia confert. 99.

Arausionensis ditio, ibi turbæ oriuntur. IX, 21. Qvas sopire studet Elector. 21. 22. Ne à Gallo distrahatur, idem petit. XVIII, 44.

Arausio urbs cum arce à Gallo occupatur ut Principi ægre fiat. XVIII, 78. Illi imperium atqve dominium utile in Arausionem à Gallo denegatur. 107. Qvod tamen Liberis Electoris offert. ibid. Arausionis urbis mœnia dejiciuntur à Gallis. ibid.

Ardenburgum strenue se defendit contra Gallos. XI, 55.

Arensdorfius Danicæ Militiæ Dux duos gravissimos errores committit. XVI, 58.

Argentoratenses ut se ab Imperii vinculo exsolvant, postulat Callus. XVIII, 14.

Argentoratensis Præsulatus, circa hunc oriuntur turbæ. IV, 8.

Argentoratensis Præsul Galli destinata in Colonienſem Fuchsio exponit. XVIII, 120. Danum & Electorem cum Luneburgicis committere audet. 122. 125. Hildesiæ præsidium immitti svadet. 125. Ejus de induciis inter Cæsarem & Gallum sententia. 135.

Argentoratum à Gallo occupatur. XVIII, 21. 33. Cæsareas copias admittere recusat. 21. Ut Imperio vindicetur ac recuperetur Neoburgicus hortatur. 60. Deductionem de hoc proponunt Cæsarei. 68. Qvid in inducierum vicennalium Instrumento de hoc cautum. 134. Ejus jactura saltem langvide multos Viennæ tetigit. XVIII, 78. prælium ibi. XII. 46.

Arlingtoni sententia de Triplici Fœdere. X, 47.

Arma non facile apprehendenda. II, 61. Eorum exitus anceps est. VI, 20. Ut ab imparatis sumantur, periculosum. XVIII, 17. His injuriam propulsare licitum. 79.

Armistitium vicennale inter Cæsarem & Gallum. XVIII, 134.

Arnheimius Svecis infensus moritur. I, 11. Ejus consilia. ibid.

Astadensis Præfectura Brahæo ad certos annos fruenda petitur. III, 31.

Aschenbergius cum suis, Danis se subducit. XV, 17.

Associati Belgium non curant. XVIII, 118. Eorum arma Orbi Christiano fatalia futura videntur. 119. Super Hanoverani declaratione perturbantur. 121. Belgis bellum cum Gallo svadent. 128. A Belgii Ordinibus ad Gallicam propositionem acceptandam permoventur 129. Valde in objiciendis armis tergiversantur. 130.

Associationis fœdus qvodnam ita dicatur? XVIII, 23.

Associationis tractatus qvis dicatur? XVIII, 23. Hoc fœdere totius Europæ securitas stabilienda intenditur. ibid. Circumspecte tamen in eo agendum monet Elector 40 43. Rebenacii de hoc judicium. 44. Ad hunc Brandenburgicum invitat Lambergius. 110

Asyla, qvibus prosint? XI, 104.

Avaugurius privato nomine Polonis pacem persvadere tentat. VI, 36.

Avauxius [Claudius Memmius] svadet ne Brand. Elector ipse feudum à Polono accipiat. I, 21. Circa Cerimonias & Titulos Brandenburgicis litem movet; ad pacem tamen pronus est. II, 17. 21. 22. De Reformatis disserit. 19. Electorem laudibus evehit. 47. Ipsius dictum de intercessione Galli pro Electore. III. 3. Propter Svecorum tergiversationem offensam præ se fert. 4. Electoris declarationem scriptam Svecis tradit. 6. 7. 8. 9. Hujus fideli opera Pomeranicum negotium in certam formulam redigitur. 9. Eo svadente Salvio 20000. uncialium ab Electore offeruntur. 13. Prudentia hujus Svec i se circumventos esse qveruntur. 15. Belgas in Electorem irritat. XVII, 60. De Svecorum actis parum honorifice sentit. 68. Contra Associationis fœdus se offensum ostendit. XVIII, 23. Fagelium pecunia corrumpere studet. 73. Gallum non plura Belgii loca occupaturum esse judicat. 119. ab Electore fœdus cum Belgis renovatum, improbat. XIX, 1.

Avauxius [Jo. Antonius] Paci Neomag: Legatus interfuit. XVII, 24.

Auberius edit Librum de Galliæ Regis jure in totum Imperium. X, 34. idem eo nomine conjectus in Bastiliam sed in speciem duntaxat. *ibid.*

Audenarda obsidium fœda cum trepidatione solvit Suchius. XII, 51.

Audomari Fanum à Gallis ad deditionem cogitur. XV, 19.

Augustana Confessio. v. Confessio Augustana.

Augustano fœdere securitatis publicæ negotium Ratisponæ refrigescit. XIX, 30.

Augusta Vindelicorum destinatur locus ad eligendum Ferdinandum Bohemiæ Regem. IV, 39. Fœdus ibi conficitur. XIX, 31. 32.

Augustus Administrator Magdeburgicus moritur. XVIII, 12.

Augustus Holsatiæ Dux, propter navatam in Hungaria egregie operam laudatur. IX, 78.

In

In Daniam ablegatur. XIII, 24.

Augustus Saxoniæ Elector laudatur à prudentia & divitiis. IV, 10.

Avocatoria Edicta. vid. *Edicta.*

Aurea Bulla qvid de Imperatoris Electione ſtatuat? VII, 33. *Aurea Bulla Brabantina* qvæ? XII, 1. cur abolenda? ibid.

Aurelianenſis Dux Divi Audomari Fanum ad deditionem cogit. XV, 19. In Palatini Electoris hereditatem prætendit. XIX, 13. Qvid ei ab Electore hac de re denuntiatum? 15. Qvid fœdere inter Cæſarem & Electorem eo nomine cautum? 25. Vi & titulis illam prætenſionem exeqvi tentat. 34.

Auſpergius primum Cæſareæ Aulæ locum tenet. V, 35. Cuncta gubernat. ibid. Ipſius ſententia de Polonorum clade ad Warſaviam. VI, 40. It: de Electione Cæſaris. VII, 42. Brandenburgici fidem in dubium vocat. VIII, 32. A ſtatione ſua dejicitur. X, 39. Cum Lobcovicio comparatur. XII, 51.

Auſtriaca Domus æmulam potentiam in alia Germanica domo haud facile ferre videtur. IV, 19. ad arma contra Gallos arripienda validiſſimis ſtimulis & rationibus urgetur. XVIII, 59. 61. Status controverſiam videtur movere voluiſſe Electoribus. 78.

Auſtria Archiducis dignitas ſeparatas habet ab Imperatorio faſtigio rationes. XI, 51.

Auſtriaci digniorem præ Electoribus locum affectant. II, 25. Eorum conſiderationes circa Domum Brandenburgicam. IV, 10. Prætendunt in Borusſiam. V. 14. Bello Polonico ſe immiſcent. VI, 63. Brandenburgicum à Svecorum partibus abſtrahere nituntur. ibid. 66. 67. Pacem inter Svecos & Polonos differre videntur. VII, 5. Auxiliis ſuis tergiverſantur. 10. 11. 12. 13. 14. 15. Legatos Berolinum mittunt 15. An ex illis novus Cæſar eligendus diſceptatur. 21. 22. 27. 28. 31. 33. 35. Galli eos ab Imperiali faſtigio dejicere ſtudent. 31. 35. Sed hi contra nituntur. 36. 39. Eorum auxilia tarda aliqvando viſa & ſumptuoſa. 46. in Pomeraniam expeditionem Polonis & Electori ſvadent. 47. Polonis & Brandenburgicis ſunt ſuſpecti. ib. Poloniæ coronam affectant. ibid. Qvare ab eorum partibus abhorruerint Angli atqve Belgæ? 63. Magis qvam Sveci formidandi videbantur. VIII, 40. Eorum deſtinatis repugnat Palatinus Neoburg. 53. Ex his optatur Candidatus Coronæ Polonicæ. IX, 10. Qvid de Lubomirſcio ſentiant. 14. Sunt diverſo ingenio à Polonis 10 XII, 68. Polonis valde ſunt ſuſpecti. VIII, 50. IX, 69. Ante Svecorum in Germaniam ingreſſum formidandi magis fuerunt. XVI, 88. Ratihabitionem Neomagenſis pacis urgent. 39. Bellum pro pace contra Gallum ſvadent. XVIII, 54. v. *Cæſarei, Cæſar.*

Aychſtadii Decretum Cæſareum de Svecis pro hoſtibus Imperii habendis perſcriptum. XIII, 39.

B.

Badenſis Marchio [Hermannus] inter Candidatos Coronæ Polonicæ privato à nonnullis favore jactatur. IX, 10. nomine Hiſpanorum auxilia petit ab Electore. X, 30. 32. Datur ei formula de conducendis militibus. 32. Lobcovicium proditorem appellat, non tam ob privatas utilitates, qvam qvod falſis ſententiis imbutus. XI, 35. Ad Electorem juſſu Cæſaris divertit. XVIII, 6. In eum à Lotharingo diſſidentem conjicitur cauſa non evitati tempeſtive imminentis à Turca periculi. XVIII, 94. Cæſarem à pace cum Gallo avertiſſe arguitur à Gallis. 104.

Bakocius Polonum contra Electorem incitare ſtudet. XV, 12.

Balbaſarus Marchio deſcribitur ab ingenio & moribus? XIII, 14. Inter hunc & Burgomagnum utrumq; Hiſpaniæ Miniſtrum diſpar agendi modus obſervatur. XVI, 9. Ad exemplum Belgarum, ſeparatæ, nomine Hiſpan. cum Gallis paci ſubſcribit. 73.

Balticum mare. Hujus dominium ſibi vindicare ſtudent Sveci. II, 42. VI, 35 Curæ eſt multis. ibid. In eo commercia ſua a Svecis intercipi, nec Belgæ, nec Angli patiuntur. V, 9. nec ut illi ſibi hujus plenum imperium aſſerant, Galliæ expedit ibid. VI, 35. *Illius ratione* Belgæ cum Electore fœdus ineunt. 21. 22. Ad qvem ex ſententia Sveci ſpectet? 48. Dani item & Galli. 60. Penes poſſeſſores ſervari intereſt. VIII, 5. Qvaſi commerciorum mater perhibetur. IX, 22. ejus cura commendatur Electori ab Arauſionenſe. *ibid.* Boreales Reges ſibi ſolis dominium ejus & Jus Ammiralitatis in eo ſibi vindicant, unde de eo lis movetur Electori. 69.

Banerius ex intemperantibus hauſtibus vini Hungarici mortuus fertur I, 20.

Baranova à Turcis deſcritur IX, 78.

Barſuſius [Joannes Alb.] præſt copiis ab Electore contra Turcas Polonis auxilio miſſis XVIII, 87. ſtrenue ſe gerit in Budæ expugnatione. XIX, 26.

Barrenſis Ducatus qvot oppida & vicos contineat? Depoſcitur à Gallo. XVI. 35.

Bartenſteini Brandenburgicus Sveciæ Regem convenit. V, 73.

Barthenſem præfecturam petunt Sveci. II, 37. 41.

Batevillius Hiſpan. Legat. in ingreſſu Londini, vi ſibi præ Gall. Legato locum vindicat. IX. 25. Angliæ Regi militiæ qvam legationi aptior habetur, ibid.

Bavarus ob auxilia Cæſari lata ferro ac flammis perſeqvendus Engviano committitur. I 53. Tres Circulos ſub ſuam directionem in conventu Francofurtano trahere agitat. II, 4. Religionis negotium exteris non committendum diſſerit. 5. Bona Eccleſiaſtica non præſcribi poſſe putat. 7. Negotium ſuper cedenda Pomerania absqve Brandenburgici conſenſu expediendum judicat. III, 2. In Vicariatu uſurpato admodum imperioſe agere arguitur à Palatino. VII. 22.

Cæsareæ dignitatis non est cupidus. 23. Electoris legatum ob non expressum in titulo literarum fiducialium Vicariatus elogium ne qvidem ad alloqvium admittit. ibid. Brandenburgico per æmulationem obstitit. XI, 51. Auxilia contra Gallos fœderatis aspere negat. 70. Officium suum Svecum inter & Brandenburgicum offert qvidem, sed ejus Legati aperte Svecis & Gallis favere haud desinunt. XII, 64. Frustra à Fœderatis ad Imperii societatem tentatur. 25. In conventu Neomagensi per Legatos Cæsari admittendus non videtur? XIV, 63. Cum Saxone fœdus init. XVII, 37. In Svecos inclinat 39. De Gallorum reunionibus Legatis Electoris nil liqvidi indicat. XVIII, 39. Inducias cum Gallo svadet. 111. Editis in hanc rem ad Brandenb. literis. 131. Cæsarem qvoqve ad eas hortatur. 132. Pro Clemente Fratre, in Coadjutorem Colonien sem eligendo nititur. XIX, 59.

Bazinus Leg. Gallicus Ceremoniarum gratia collisione exorta Svecia discedit. XVIII, 76.

Bearnia subito ad exuenda Reformata dogmata compellitur. XIX, 16.

Beckerus Archiater Cæsareus ad spectandas Principes Virgines circummittitur. XIV, 22.

Belgæ priorem præ Electoribus locum affectant. I, 55. XIV, 58. Ut Pomerania Svecis restituatur concedere nolunt. II, 42. Legatos proinde mittunt Osnabrugam, *ibid.* Verbis multum studii erga Brandenburgicum ostendunt 56. 72. Sed bello novo se implicare nolunt ibid. Qvare Clivix oppida præsidiis evacuare nolint? III, 24. Concordiam circa Juliacense dissidium instaurare satagunt. IV, 19. (conf. *Juliacensis Ducatus.*) Sacerdotes Pontificios in custodia detinent. 24. 25. Seqvestres se offerunt inter Brandenburgicos & Neoburgicos. 31. 32. Qvare fœdus cum Electore recusaverint? V, 21. Partem Præsidii Pillavien sis sibi deposcunt. ibid 23. Eorum insolentia. ibid. Fœdus tandem conficiunt, cujus usus tamen valde exiguus est. 21. 22. 23. Consilia eorum. 24. Transactione Brandenburgici cum Sveco valdè commoventur. VI, 2. Plebis de hac judicium. *ibid.* Pactum transactionis ut inspicere possint, desiderant. 4. Qvo concesso acqviescunt. 8. Ex iis svadent nonnulli, ut cum Svecis contra Polonos arma faciat Elector. 11. Electoris conjunctionem cum Svecis primo improbant, post comprobant. 35. Svecorum potentiam in Mari Baltico timent ibid. Moscum irritare nolunt, nec tamen Electori omnem opem denegant. 42. Pillaviam iterum desiderant. ibid. Ad conciliandam inter Svecos & Polonos pacem sunt solliciti. 43. Transactione Brandenburgici cum Svecis lætantur. 47 Separatam Electori cum Polonis transactionem svadent. 49. Ejus tamen cum Svecis conjunctio ipsis suspecta. 55 56. Odium eorum, qvo in Svecos flagrant in Electorem qvoqve redundat. 64. eorum diversa judicia de tractando pacis negotio inter Polonos & Brandenburgicum. 73. Ut Elector contra Svecos & Polonos firmetur, utile judicant. ibid. Acta ejus cum Polonis his valde probantur & auxilia sua ipsi pollicentur. VII, 7. Dano subsidio venire constituunt. 62. Cur ab Austriacis partibus abhorreant? 63. Ab Electore ad rem in Svecos acrius gerendam incitantur, monenturqve ne separatam inter Boreales Reges pacem faciant. VIII. 25. Nihilo tamen minus Hagæ cum Gallis & Anglis in eam rem separatim agunt. 3. Pactum Hagense excusant. 4. Gloriam suam qværere in ruina Fœderatorum à Weimanno graviter arguuntur. 5. De pacto Hagensi demulcere student Electorem. 6. Fatali qvadam socordia laborare eos, objicitur ab Electore & graviter demonstratur. 9. Consilia eorum impediunt Electorem, ut nil digni in Dania contra Svecos efficere possit. 10. Nil hostile in Svecos suscipere volunt. 12. In Svecum etiam post pactum Hagense incitantur. 33. Bellum in Fionia destinant. 34. Svecos nimium debilitari nolunt. 35. Consilia eorum de excludendo Cæsare à Tractatibus. 43. Danum ad pacem urgent. 66. Olivæ pro Dania inanem operam sumunt. 67. Cum Anglis acerrime colliduntur. IX, 1. X, 1. Anglorum Regis amicitia ipsis necessaria, ex proverbio, si vel diabolus ibi regnet. 16. Obtentu debiti cujusdam obsoleti Clivicas urbes in solutum, aut saltem pignoris loco detinere laborant. X, 1. Monasterien sis Episcopus contra eos operam suam præstat Anglo. 9. Electorem Brand. ad fœdus secum ineundum invitant. 10. Acta super eo. 12. Fœdus cum Electore. 13. 14. Pacem offerunt Monasterienses Episcopo. 15. 16. 17. Belgæ qvadruplex fœdus ineunt. 27. Conventionem item cum Anglis & Svecis. 47. Electorem ad Fœdus Hagense invitant. 53. Omnes Germaniæ Principes aspere subinde tractarunt. XI. 1. Brandenburgicum ad Triplex fœdus invitant. 2. Lotharingi ejectione valde turbantur. 12. Se isto etiam bello peti, difficulter credunt, 14 Grotium in Galliam mittunt ad declinandum bellum. 15. Segnius bellum apparant 26. Gallus ipsis omnem pacis spem adimit. 27. De Dano minus sunt solliciti. 42. Electoris implorant auxilium. 47. Fœdus eorum cum Electore. 48. A Cæsare nil solidi expectant. 51. eorum status periculosissimus est. 54. Super fœda pactione agunt. 55. Arausionen sem in Majorum munia reponunt. 57. De Electoris cum exercitu sumto itinere qverimonias instituunt. 65. 66. In eos à Bavaro confertur causa, qvod Colonien sis atqve Monasterien sis Galli Regis amicitiam sibi qvæsiverint. 70. Apud eos super pecunia altum est silentium 71. XIII, 23. Cum Anglo, sed non cum Gallo pacem facere desiderant. 73. Qverelas movent, Brandenburgico. 81. Propul-

sando

ſando bello non ſunt idonei. 84.85. Inducias ipſis ſvadet Electot. 86. Multis partibus fidem ſuam Electori non impleverunt. 87. Pax Voſſemenſis ipſis indicatur; Bino navali prælio Anglicam & Gallicam claſſem profligant. 96. Angli illis & Galli exitium minantur. XII, 3. Gallo qvædam oferunt. 2. Spiritus recipiunt. 7. Qvare in pacem cum Gallo conſentire non poſſint. 8. Separatam cum Anglis pacem captant. 10. Nil actionis in Clivix oppida te moturos Electori pollicentur, ejusqve amicitiam & fœdus affectant. 24.25. Acta eorum ſuper hoc fœdere. 34. Fœdus eorum cum Cæſare, Hiſpano & Brandenburgico. 35. Ope Suchii non multum proficiunt. 51. Sveci apud eos Electorem accuſant. 62. Hi eum defendunt. 63. Svecorum in Marchiam irruptionem male habent. XIII, 6. Et ad ferendum Brandenburgico auxilium ſat proni ſunt. 7. Svecis bellum indicunt. 10. Dani cunctatio ad inferendum Sveco bellum, eis eſt moleſta. 43. Mercuriali præditi ſunt ingenio. 58. Eorum reſponſum Anglo datum ſuper liberatione Furſtenbergii. 64. Anxietas circa pacem ipſis parum proficua. 65. Acta in conventu Neomagenſi. 66.67.68.69.70. Legatum de partienda Bremenſi provincia mittunt. XIV, 27. Commerciorum fœdus cum Svecis Brandenburgico approbare ſtudent. 41. Et ſuper fœdere perpetuo cum eo agunt. 42. Sunt in re navali multo peritiores Svecis. 46. Cur cum Legatis Electoralibus ſuper loco contendant? 58. Legatos Neomagum mittunt; Pacem optant 66. Propter Cæſareorum cunctationes multum indignationis oſtendunt. 71. Eorum claſſis ſero transmittitur Danis. XV, 17. Propoſitiones in conventu Neomagenſi. 43. Pacis formulam cum Gallis concipiunt, & valde properant. 56. Svaſu Electoris alia conſilia capiunt ſuper Legibus pacis inter Gallum & Hiſpanum. 57. Fœdus cum Anglo faciunt. XVI, 2. Id propter ſe excuſant. 5.6. Eorum Delegati Galli propoſitiones de Pace deteſtantur, propter belli onera tamen non negligendas urgent. 16. Pacem unice deſiderant. 17. Neomagi prorogationem termini à Gallo præfixi petunt. 18 Super Induciis proponunt. 19. Eas porro urgent variis de cauſis. 20.21.22.25. A Gallo ad pacem invitantur. 23. Legatos ad eum mittunt. 24. Hiſpanos ſimul ad pacem invitant. 29. Hagæ Fœderatis ad pacem ſe compelli neceſſitate exponunt, ut & Neomagi. 34.35. Includendam paci Cliviam Gallo fruſtra commendant. 36. Literæ eorum ad Gallum. 37. Urbium reſtitutionem urgent aut bellum perſeqvi volunt. 38. Super Gallorum tergiverſatione conſultant. 39. Fœdus cum Anglis novum incunt 41. Declaratio eorum ad Gallorum tergiverſationes. 43. Tandem in pacem cum Gallo ruunt. 46.48. Induciæ mutuo inter exercitus. 70. Qvid Gallo promiſerint? 71. Pax eorum cum Gallis concluditur. 73. Neomagi de induciis Cæſarem inter, Imperium, Principesqve fœderatos proponunt. 89. Ac pro Electore officium ſe interpoſituros promittunt. ibid. Fœderatos ſua pace cum Gallo comprehendere volunt. 91. Clivix invaſionem à Gallo factam ferre nolunt. 92. Super Schenkiano caſtello cum ipſis agitata? 97.98. Fœdus decennale cum Brandenburgico ineunt. 98.99.100. Controverſias Clivicas peculiari pacto abolent. 99. Tuendæ Clivix cauſa Electori nil auxilii mittere volunt. XVII, 56. Brandenburgici ſcriptam indignationem, ſcripto reſponſo mollire ſtudent. 62. In Gallia nullus eorum reſpectus. 69. Cum Svecis fœdus inire laborant ad tuendam pacem Monaſter: & Neomagenſe contra Gallorum deſtinata. XVIII, 23. Rebus Oſt-Friſix ſeſe immiſcent. 31. Ac literas ſatis importunas ea de re ad Electorem ſcribunt. ibid. Navigationem qvoqve illius prohibere tentant. 32. Pactum ea de re cum eo conficiunt. ibid. Bellum ab his avertere ſtudet Elector. 120. Cum Gallo ad pacem ab his ad bellum ab aliis incitantur. 128. Tandem in inducias cum Electore inclinant. 129. Cum eodem fœdus renovant ac ſubſidia ſolvunt. XIX, 6. Hamburgenſium turbas non curant. 23. Monachos atqve Jeſuitas expellunt. 55. Inter Jacobum II. Angliæ Regem & eos una cum Arauſionenſi offenſa gliſcit. 98. Legiones ab ipſo ſine neceſſitate revocatas dimittere recuſant, ibid.

Belgii Ordines in cauſa Juliacenſi auxilia ſua offerunt. vid. *Juliacenſis Ducatus*. Hiſpanos ad Gallicas inducias adhortantur. XVIII, 129

Belgii Rectores pungentibus dictis permixtum reſponſum dant Electori. XVIII, 79.

Belgici Legati, inter hos & reliqvos controverſia oritur II, 71. Electoris cauſam curæ ſibi fore promittunt. III, 3. Acta Oſnabrugæ, Brandenburgicis referunt. 4. Eſſenæ in cauſa Brandenburgici & Neoburgici conveniunt. IV, 34. Tractatus inter Svecos & Danos diſturbant. VI, 55. Ex Lege Regia nunqvam præferri debent Electoralibus. X, 85.

Belgii Gubernator à qvibus conſtituatur? XI, 57. Arauſionenſis id munus qvibus auſpiciis capeſſiverit. ibid.

Belgium, qvæ ejus Reip. circa fœdera & auxilia ſit indoles? V, 21. de hoc invadendo Gallus agitat conſilia. X, 28. Belgium negligere ſvadet Pegneranda, ut Luſitania recuperetur. 36. hujus urbes Gallo non diu reſiſtere poſſunt. 55. Hoc everſo communis Principum libertas perit. XI, 41. XVIII, 115. Opus habet illuſtri qvodam capite. 57. Ejus conſervatio toti Europæ prodeſt. 84. XVI, 74. Ab Hiſpanis defendi non poteſt propter nervi defectum XV, 10. Hujus invaſio multa incommoda parit. XVIII, 126.

Bellum non niſi ſumma urgente neceſſitate ſuſcipi-

ſcipiendum. V, 42. Sæpe à pravis libidinibus oritur. VI,10. Brevia bella Galliæ magis conducunt, qvam diuturna. XI,1. Qvomodo gerendum? XVII, 71. Jus belli ex mente Pomponii deſcribitur. 75. Ejus fortuna anceps. XVIII,111.

Bellum inter Electorem & Neoburgicum ex controverſia Juliacenſi oritur IV,25. Motus animorum ſuper eo 27. Publica Electoris declaratio. 26. Componitur Eſſenæ. 34. 35.

- - - - *Svecicum* cum controverſiis ſuper Pomerania cedenda qvomodo compoſitum? *leg. Lib. III.*

Belli Sveco-Polonici origo & progreſſus explicatur *Lib. V. 1. ſeq.* cujus occaſione ortum diſſidium inter Regem Sveciæ & Electorem componitur. 71. ſq. Elector Svecis ſe jungit. VI. 26. 27. 28. ſq. Prælium ad Warſaviam committitur. 38. 39. 40. Poloni noſtris clades inferunt, qvibus ultio reponitur. 49. ejus occaſione *bellum Danicum* oritur. 52. ſq. 61. Elector res ſuas paulum à Svecis disjungit. 65. Cum Polonis tranſigit & paciſcitur. 68. 69. ſq. 75. 77. Fœdus coit in Svecos. 79. jurejurando firmatum. 83. Unde *bello* involvitur *cum Svecia*, cujus acta Lib. VII. & VIII. *Pax Danica* ſuccedit. VIII, 67. itemqve *cum Electore.* 75 ſeqvitur *Pax Olivenſis* 76.

Bellum prope Civile ex turbis Boruſſiæ ſuper firmando ſupremo ibi imperio, ortum explicatur. IX, 17. ſeq.

Bellum inter Anglos & Belgas qvomodo exarſit. X, 4. Elector prope in ejus partem tractus. 6. Fœdus cum Belgis pangit. 14. *Bellum Monaſteriense* ſimul gliſcit 15. ſq. componitur ad tempus 17. De pace Bredæ agitur. 22. 23. 24. ſq

Bellum Flandricum, circa id conſiderationes Electoris. X, 31. ſeq.

Bellum in Belgas decernitur à Gallis, ſed differtur. XI, 10. hi bellum declinare ſtudent. 15. ſegnius interim bellum adparant. 26. illorum periculoſiſſimus eſt in eo ſtatus. 55. & ſuper fœda pactione apud eos agitur. 56. Elector illorum partes ſuſcipit. 48. 49. 59 61. ſq. Cæſar etiam 51. & fiunt fœdera ſeqq. Helvetii fruſtra ad ſocietatem ſollicitantur. 74. Per Weſtphaliam geſta. 83. Pax Voſſemenſis inter Regem Galliæ & Electorem coit. 95. Inter Anglos & Belgas pax fit. XII, 10. De prælio inter fœderatos & Gallos prope Argentoratum. 47. per Alſatiam geſta. 48. Turennius ingruit. 50. Suchius male rem gerit in Belgio. 51.

Bello huic intervenit, *Svecorum in Marchiam irruptio.* 61. qvæ ſignificatur Electori 67. unde Electori Alſatia excedendum. XIII, 2. Belgarum auxilium imploratur. 7. hi proni ſunt. 8. & Svecis bellum indicunt. 11. Elector apud Danum auxilia poſcit. 25. Sveci in Marchia pro lubitu graſſantur. 34. Ratenaviæ opprimuntur. 35. ad Fehrberlinum profligantur. 37. Cæſarei Gallos trans Rhenum pellunt, & Luneburgici victoriam reportant. 39. Sveci hoſtes Imperii judicantur. 40. Elector in Pomeraniam irrumpit. 55. ſeq. in Pomeraniam expeditionem ſuſcipit. XIV. 46. ſq. Danorum geſta Electorem haut leviter ſublevant. XV, 18. Stetini obſidium. 19. Belgæ ſeparatam à fœderatis pacem cum Gallo decernunt. 35. in pacem ruunt. 47. Pax concluditur. 49. Arma Danorum parum ſuccedunt. 59. Electoris progreſſus majores in Pomerania. 61. ſq. Hiſpanos inter & Gallos de pace ſatagitur. 74. 75. ea ratihabetur. 94. Sveci in Borusſiam irrumpunt. XVII. 1. Elector cum iis confligit. 6. 7. Pax *Cæſareo-Gallica Neomagi* ſubſcribitur. 23. 24. ratihabetur utrinqve 50. Galli in Cliviam irrumpunt. 55. Electorem ad dura conſilia redigunt. 61. ſq. ut neceſſitati tandem cedendum ſit. 77. Pax concipitur *Sangermanica.* 79. perficiturqve. 80. Danica pax qvoqve perficitur. 91.

Bellum Turcicum imminere incipit gravius. XVIII, 63. de eo Cæſar ſignificat. 81. ſeq. Seqvitur Viennæ obſidium. 95. Cæſar auxilium contra Turcam qværit. XIX, 3. Buda expugnatur. 26.

Bellum Gallicum in primis incendiis gliſcit, reunionibus cœptis. XVIII 14. ſq. Cura circa illud avertendum Electoris 103. Ratisbonæ de eo acta. 104. Elector apud Cæſarem de pace urget. 106. Viennenſis aula ad inducias nondum inclinat. 111. De induciis agitur. 129. 130. 131. 132 133. Inſtrumentum inducarum. 135. contra qvas Gallus multa facit. XIX, 13. nec tamen vult ab Imperio arma parari. 31. unde de fœdere Auguſtano qveritur. 33. Inducias in pacem mutari protinus cupit. 46.

Bellum Poloniæ cum Moſcis & Coſacis continuatur. IX 1.

Bellum Bremenſe ortum XIII, 48. ſeqq.

Berchemum occupat Spinola. IV, 20.

Berclajus ratione Viſitationis litem movet Oxenſtiernæ. XIV, 70.

Bergeickius à Monteregio ad Brandenburgicum ablegatur. XXI, 59.

Bernenſes fœdus defenſivum cum Gallo habent. XI, 73.

Berolinum ibi Auſtriaci, Danici & Polonici legati circa fœdus conficiendum conveniunt. VII 15 Ibi cum Gallo fœdus init Elector. XVIII, 44. Item cum Luneburgicis. 135. Cum Cæſare. XIX, 25. Cum Sveco 27. Amplificatur & munitionibus circumdatur. 105.

Bethunius Palatinatum invadit, ejus ingenium ac dicta. XII, 30. Multa munera Poloniæ Reginæ offert. XIV, 9. A Gallis Regno Hungariæ deſtinatur, 10. Multa inſignia Ordinis S. Spiritus in Poloniam affert. 12. Regis Hungariæ titulo in conviviis ſalutatur. XV, 9. In Borusſiam properat. XVI. 68. De Jacobi Poloniæ Principis electione ejus ſententia. XIX, 61.

Beverningius ob fidem ſpectatam ad Galliæ Regem mittitur. XVI, 25. 26.

Beuningius Belg. præcipuus turbarum incentor

tor. VI, 64. Fœderatis pariter ac suæ Reipubl. consiliis ex arbitrio susceptis gravis & exitiosus describitur, qvod ei palam objectum. XVI, 17. 21. 22. De Hagensi conventu & præcipuè de Arausionensi haud præclarè sentit, & in hunc odium prodit. XVIII, 118. XIX, 5.

Bielkius Legatus Svecicus, qvæ Dresdæ jactaverit? V, 27.

Bielkius (Nicolaus). associationis tractatum Parisiis improbasse dicitur. XVIII, 43.

Bilefelda Conventus Circuli Westphalici indicitur. XI, 16. 17. Agitur ibi inter Directores Circuli super fœdere defensivo. ibid.

Bipontina domus in juliacensem Ducatum jus prætendit. III, 23. IV, 1. 4. (Conf. v. *Carolus Gustavus*.

Bipontinus Ducatus Sveco subtrahitur à Gallo. XVIII, 23. Hinc iste ad associationis tractatum promovendum inducitur. 43.

Biterrensis Episcopus (de Bezieres) Petrus Bonzius à Gallo post abdicationem Jo. Casimiri in Poloniam missus Condæo commendando, Neoburgico clam per artes & technas spe submovendo, qvomodo judicio Regis, munus expleverit X, 81. IX, 80. X. 82. sq.

Blasbielus res Electoris apud Belgas curat. X, 8. sqq. Cum Hispano præter mandatum concludit, qvod pactum Elector improbat, & nullo modo ratihabere vult. X, 41. Ejus in pace Neomagensi Electoris nomine prospiciendi publicæ saluti studium, & variæ disceptationes XVII, 19. 21. 22. Contra SCtum Ratisbonense protestationem interponit. 26. Gallis, Electorem retardatæ pacis arguentibus respondet. 46. 47. ab Hispanis indemnitatem & satisfactionem petit. 48. Cellensi tractatui protestando contradicit exhibito scripto. XVII, 82.

Bletheimi Fœderati castra metantur. XII, 47.

Blumenthalius (Christophorus Caspar) in Galliam mittitur IX, 23. Mazarino exponit qvæ in mandatis habet. *ibid.* In Hispaniam proficiscitur. 4. Judicium Reginæ Poloniæ super ejus Legatione in Galliam. 52. Iterum in Galliam ablegatur. 56. 57. 58. 59. 60. 63. 64. Qvod factum a Svecis ad alendum dissensum arguitur. 67. Qvæ Colbertus ei insinuaverit? X. 25. Fœdus cum Daniæ Rege subscribit. 26. In Daniam mittitur. 36 item ad aulam Cæsaream. 46. 58. 59. Iterum in Galliam 80. 86. Cum Lionnæo disserit. XI. 9. In Daniam se confert. 40. 41. 42. Ad Trevirensem mittitur. 62. Item Moguntinum. 63. Et Cellensem Ducem. 71. Ejus sententia super Svecico fœdere in Consilio sanctiori exposita. XII, 14.

Blumenthalius (Joachimus Fridericus) A Cæsare ad Brandenburgicum mittitur. III, 22. Viennam mittitur. IV. 28. 29. 30. Ut & Augustam Vind. ad eligendum Ferdinandum Bohemiæ Regem. 39. Frustra ut Electori satisfiat, a Cæsare urget. 42. In Electione Ferdinandi Regis Electoris personam repræsentat & à Cæsareis ita excipitur. 43.

Boineburgius Baro, cur munere exutus, in custodiam datus? X, 79. Ornatâ oratione Neoburgicum Poloniæ Ordinibus commendat. 87.

Bolesiaus Chrobri in Sala Flum. limitem regni Columnâ ferrea erexit. XIV, 3.

Bona Ecclesiastica. vid. *Ecclesiastica Bona*.

Bona privatorum in Regum atqve Principum tractibus judice Pomponio Gall: Minist: salva semper esse debent. XVII, 78. 80. Bona summi Imperii s. Domanialia ne qvidem præscribi longissimo tempore ab ullo posse Galli sub auspicio reunionum jactant. XVIII, 41.

Bonnius ad Cæsarem mittitur. V, 30. 31. 32. 33. 34. Ad Belgas super excusando fœdere cum Sveco. VI, 5. 6. 7. 8. Item Warsaviam. 86.

Bonna à Cæsareis occupatur. XII, 8 9.

Boothius in Livoniam irrumpit. I, 14.

Borckeloa Dominium. X, 17.

Borck Præfectura in ditione Electoris Saxoniæ relinqvitur. III, 16. Ejus nomine satisfieri sibi petit. Elector. XIX, 1.

Boreales Reges, ut pax inter eos servetur, laborat Elector. XVIII, 97. 98. Eorum negotia inducias cum Gallo extrahunt. 129. Honoris gratia in illis nominantur. 133 Ut bello collidantur, Germaniæ calamitosum. XIX, 36.

Boreas ut divisus maneat, interest Germaniæ Principibus. VII, 7.

Borgstorfius (Geor. Ehr.) ad Torstensonium mittitur. I, 45. Super Pomerania restituenda ad Palatinum aliosqve mittitur III, 39.

Borgstorfius (Conradus) Matrimonii ambiendi gratiâ ab Electore ad Arausionensem Principem ablegatur. II, 72.

Bornholmense negotium circa naufragos à Svecis Neomagi objicitur Electori, qvi tamen id à se amovet. XVII, 57.

Bornonvillius cum Gallis confligere se paratum jactat. XI, 84. Qvâ fide cum Fœderatis prope Argentoratum egerit? XII, 46. Omnibus bonis Consiliis se opponit. 47. Invito Electore una cum Luneburgicis copiis se recipit. 49. ejus societatem detestatur Elector ibid. Lobcovicii Consiliis cum Suchio implicitus fuisse creditur 51.

Bornstenus ab Electore ad Czarem mittitur. VII, 6.

Borussia ibi Conventus Ordinum instituitur. I, 22. Hujus nomine investituram consequitur Elector. 25. Illius portus affectat Svecus. V, 2. Elector his conatibus obsistit. 3. 4 6. Qvæ sit hujus ratio? 6. 38. Hujus securitati prospicit Elector. 9. In eam prætendunt jus Austrii & Imperium 14. De hujus defensione agit Elector 57. 58. 59 60. Ejus summum imperium à Polono ei offertur. 61. Hanc Sveciæ feudum esse, prætendunt Sveci. 68. Et Elector cedens Tempori eam jure feudi à Svecis accipit pactis feudalibus initis. 71. 72. 73 Ex mente Svecorum Poloniæ appendix est atqve eum illa sibi vindicanda. VI, 10. Pacta feudalia respectu Borussiæ denuo magis illu-

ſtrantur. 29. Succeſſio ibi qvomodo fieri debeat. ibid. Pactis Labiavienſibus Electori *Souverainitas* in hanc conceditur reſciſſis pactis feudalibus Regiomontanis & Mariæburgicis. 45. 46 Miſere eſt vaſtata. 50. Regiæ cum Ducatii permutationem Svecus offert. 66. De ſupremo hujus imperio à Polonis per Pacem obtinendo agitat Elector. 71. 73. Qvod & obtinet. 77. vid. *Pactum Welavienſe.* Boruſſia Ducalis à Rege Poloniæ jure jurando exſolvitur. VII, 50. Illiꝰ Ordines ſuper hâc re ſcrupulos movent, qvi tamen ſopiuntur. ibid. Acta ibi bellica Svecos inter & Polonos. 74 Svecorum res ibi in deterius ruunt. VIII, 36. Ordines ejus excluduntur à Tractatibus. 45. Imperium Electori addictum, à Polonis retractari videtur. IX, 7. Ex illa multi Pecuniam Poloniæ Reginæ promiſiſſe feruntur ſi Electoris imperio liberari poſſent. 19. 52. In eâ multæ difficultates gliſcunt Electori. 37. 38. 39. Qvæ paulatim reſtingvuntur. 40. Homagium præſtat Elect. Brand. 55. Hanc non obſtante ſupremo Elect. Brand. dominio querelas ſuas Warſaviam deferre poſſe putant Poloni 86. Se excuſat apud Electorem propter factionem Kalofteinianam. XI, 103. Mortuo Michaele Poloniæ Rege campanis non dat ſignum luctus. XII, 67. Ad illius Ordines à Lillihækio inſidioſæ ſcribuntur literæ. XIII, 60. In hanc irrumpunt Sveci. XVII. 1. 3. 5. 6. Non habetur ſeparata penitus à Polonia ob ceſſum ſummum Imperium, ſed perpetuo fœdere ei innexa. XVIII, 30.

Boruſſia Portus vid *Portus Boruſſiæ.*

Brahaus (Nicolaus) Svec. Leg. gravem offenſam contrahit dum navem regiam in Thameſi prætervectus ſolennia ſalutationis omittit. IX, 28 Qvod factum paſſim improbatur. ibid.

Brandenburgica Domus Jus in Juliacenſes ditiones. IV, 2. Ejus incrementa Auſtriacis ſuſpecta. IV, 10. Intereſſe reſpectu Sveciæ. V, 12. VI, 74. Reſpectu Poloniæ. V, 12. 12. 14. Jus in Lithuaniam. V, 17. 43.

Brandenburgici Conſiliarii ſuper conjunctione armorum cum Svecicis valde ſententiis diſcrepant. VI, 15. 16. 17. 18. 19. 20.

Brandenburgici Milites à Rege Poloniæ inſigni teſtimonio fortitudinis remittuntur. XVIII, 137. Ob virtutem In Budæ obſidione monſtratam Viennæ non modicis laudibus feruntur. XIX, 26.

Brandenburgici Miniſtri ex parte mutantur. I. 3. 5.

Brandii fratres Dano demonſtrant Gritenfeldii artes contra Electorem XVIII, 9.

Brandius (Chriſtophorus) à Mazarino ad Electorem & ab hoc ad illum iterum remittitur. VII, 53 54. Publicam perſonam Lutetiæ ſuſcipit. ibid. Super expeditione Electoris in Svecos cum Galliscommunicat. 67. In Angliam ablegatur. X, 2. Belgis & Anglis qvæ habet in mandatis imprimis de Huſſeriano debito proponit. 3. 5. 6. 7. Denuo in Angliam abit. 20. 21. 22. Ut & Bredam. 23. 24. In Sveciam. XI, 31. 33. 34. Ad Cæſarem. 84. E Svedia diſcedit. XII, 61. Hafniam mittitur. XIV, 34. Qvare inde iterum fuerit revocatus. XVIII, 9. Iterum in Sveciam mittitur. 75. 76. 77. Ejus relatio de Sveciâ. 90.

Brandius (Euſebius) Brand. in Pol. Leg. Chriſtian. Ludov. Kalcſteinium perjurum & perduellem in aula Polon. Electori admodum gravem, cum non dederetur, per inſidias Warſaviæ captum in Boruſſiam duci curat. XI, 103. Unde verſatur in periculo ne injiciatur ipſe in vincula fremen tibus Polonis. *ibid.* ac Warſaviâ nemine ſentiente diſcedit ibid. poſtulatur per literas, dedendus. 104. Sed defenditur ab Electore. ibid. & regi reconciliatur. 108.

Brandius (Fridericus) armaturam navium Electoris excuſat. XVIII, 11.

Braunsberga munitiones dirui debent: V, 73. Eam ut ſibi permutatione acqviret Elector Pontificis Conſenſu opus eſſe Poloni ajunt. VI, 75. Hanc ſibi dari poſtulat Elector. IX, 7. 19. Pignoris loco eam idem retinet *ibid.*

Breda, ibi de pace inter Anglos & Belgas tractatur. X, 22. Acta ibi. 23. 24.

Bredenbenda Leopoldo Archiduci proditur. IV, 13.

Brema, cum Svecis in turbas incidit. V, 1. 3. Ut componantur Elector dat Cæſare petente operam. ibid. 5. 33. Inter hanc & Svecos novæ oriuntur turbæ IX, 82. Qvæ ſtudio Electoris cum temperamento componuntur. IX, 82. Quadruplex Fœdus, Hagæ initum, has turbas tantum ſpatio velut dato nondum plenè compoſitas reſpicit. X, 27. Ibi legati Electoris de conſervanda inter Fœderatos concordia ſedulo laborant. XIII, 51. A vinculo qvo Svecis obſtringitur prorſus liberari ſtudet. XIII, §. 53. *Seqv.* De componendo bello Bremenſi ibi agitur, & qvomodo ſingulis Fœderatorum ſatisfieri qveat. XIV, 14. 15 Sed tempus per ludibria trahitur. 30. Conventus ibi diſſoluitur. XV, 5 & Pactum temporarium conficitur. ibid. Illius Conſervatio juxta Lubecam & Hamburg. Electori ex fœdere cum Luneburgicis 1684. inito curæ eſſe debet XVIII, 97. 135. 136.

Bremenſis provincia à multis Fœderatorum deſideratur. XIII, 48. Monaſterienſis cum Electore in illam irrumpit. 49. De ea partienda habetur Conventus. 51. Arauſionenſis deſuper ſententia. XIV, 16. Incaſſum de eâ partitione diſceptatur. 27. Monaſterienſis eâ de re ad Electorem miſſio. 28. Nihil agitur. 30. Cæſar hujus negotii ergo Landſeum & Windiſchgrætium mittit. 33. Danus cum Cellenſi non poteſt convenire ſuper eâ diviſione. 34. 36. Ut penes Brunſvicenſes maneat, clam laborat Cellenſis Dux. XV, 2. Acta ſuper hac cum Rebenacio. XVII. 40. ſq.

Brevqeſanda Dynaſtia Neoburgico relinqvitur. IX, 75.

INDEX RERUM.

Bretze nomine Poloni auxilia ab Electore petit. XVIII, 137. Ejus sententia de persecutione Reformatorum in Hungariâ. ibid.

Briegensis, cum aliis, Ducatus loco, *Swibussiensem districtum* accipit Elector. XIX, 25.

Brisacum. ibi Tribunal instituit Gallus reunionibus colorandis. XVIII, 14. 15. conf. *Tribunal.*

Bromberga ratihabitio Pactorum Welaviensium fit. VI, 80. Inter Polonum, Electorem & Hatzfeldium Cæsareum Ducem super rebus in futurum gerendis, convenitur. VII, 10.

Brunsvicenses & Luneburgici Duces qvid bello lucrati fuerint? III. 10. Protestationem interponunt adversus translationem Præsulatus Magdeburgensis & Halberstadiensis. 12. Prætendunt jus in Reinsteinensem Comitatum. ibid. Item in Mindam. 13. VII, 64. Rogantur monenturqve ne auxilium ferant Svecis VIII, 27. Neutri partium se studere velle pollicentur. 27. Cum Electore & Monasterienſi paciscuntur. XIV, 32. Cum iis acta super bello contra Gallos continuando. XVI, 52. 53. 54. 55. sq. Legatos suos Electoralibus exæqvari cupiunt. 52. qva de re ultro citroqve disceptatur ibid. 53. 54.

Brunsvicensis & Luneburg. Domus statuto utitur, ut si inter aliqvos ex eadem dissidium oriatur, ceteri se interponant. IX, 80. Circa componenda in domo Luneburgica dissidia Elector satagit missis legatis. IX, 79. 80. Dissidium transactione componitur. 80. v. *Georgius Wilhelmus.* Luneburgica Domus nonum Electoratum parturit judicio Monasterienſis Præsulis XV, 56. Adversus Pacem Cæsareo-Gallicam protestantur. XVII, 27. v *Luneburgici.*

Brunsvigæ Conventus Inferioris Saxoniæ instituitur. XV, 3. Qvid ibi decisum? ibid.

Bruxellensis Curia à Gallo cogitur sententiam contra Arausionensem dicere. XIX, 98.

Bruxellis ab Hispanis bellum indicitur Svecis XIII, 10.

Bukinganie Dux supplicia in Pontificios exasperanda svadet. XVII, 44.

Buda obsidium prius cur irritum? XIX, 2. Obsidium posterius, qvo urbs pervim capta. 26.

Bulla Aurea v. *Lit. A.*

Bullionius Dux prætendit in Ducatum Juliacensem. IV, 1. 6.

Burgomagnus, inter hunc & Balbasium ministros Hispanicos dispar ingenium. XVI. 9. Electorem veneratur. XVIII, 83. XIX, 50 & ad Cæsaris partes contra Gallum trahere studet. ibid. Ejus sententia de pace cum Gallo ineundâ. 111.

Burgum Brandenburgicis & Monasterienſibus à Svecis traditur. XIII, 49. Relinqvitur Electori. XIX, 53.

Burgundia Comitatus. Circa eum turbæ gliscunt & circa Belgium Hispanicum. X, 28. Totus intra. XI, dies à Gallo subigitur. X, 32.

Burgundicus Circulus, de hujus gvarantia in induciis vicennalibus agitur. XVIII, 130.

Buschius ad Osnabrugensem Præsulem mittitur. XVII, 41. Ut & Monasterienſem ac Hassiæ Landgravium. XVIII, 41. 42.

Butovia & *Lauenburgi* titulus denegatur Electori à Polono. X, 64. 89. Investituræ causa Elector Legatum mittit Warsaviam. XI, 100. Renovationem ejus urget à Joanne Poloniæ Rege. XII, 80.

Bydgostiana Pacta a Loco confirmationis ita, *Welavienſia* eadem à Loco ubi concluſa dicuntur. VI, 77. Illorum instrumentum 78. de quo bello ratione auxilii intelligenda sint? XVIII, 137.

Bytovienſis Præfectura Electori conceditur. VI, 80.

C.

Cabuffieres qvi sint? XVIII, 32.

Cæsar Marchiam armis inundat, I, 2. Causam demolitionis Werbensis castelli scire desiderat 10. Coram eo super Marchiæ miseriis inanes sunt querelæ. 17. Electori rerum potito haud fidit. 18. Propter interceptas literas valde commovetur. 18. Investituram concedit Electori. 35 Pro Schvarzenbergio juniore intercedit. 30. Huic Elector acta sua approbare studet. 50. Ejus Declaratio circa Gallasii Qvæstoris importunitatem. 51. Electorem nimium invalescere haud vult *ibid.* Decretum circa querelas super religione promulgat. II, 15. De Comitiis indicendis laborat. 28. Ejus circa Pomeraniam cedendam varia sententia. 38. sq. 60. An ei competat jus ditiones adimendi dandiqve differit Oxenstierna & multa in eam rem super cedenda Pomerania disputantur 63 Hammum Electori restituit. III, 22. Sveciæ Reginam ad Comitia invitat 56. In Causa Electoris frigidè rem gerit. 60. Qvare Sveciæ reginam ad Comitia invitaverit. 61. Filium Regem Romanorum creari cupit *ibid.* Magis in Electorem inclinare incipit. 61. Pragam Electorem humanissimis verbis ad se vocat. 65. venientem haud secus excipit, qvi ritus describ. *ibid.* Juliaci titulum dat Carolo Gustavo IV, 4. Vim armorum inter Electorem & Neoburgicum inhibet. 27. & pacem svadet. 28. 29. 30. de Filio Ferdinando eligendo in Romanorum regem agitat. 38. 39. 42. & ideò satisfactionem postulatis Electoris imperiendam differt. 42. de novo tamen iterum qvædam pollicetur *ibid.* post electionem tergiversatur. 44. benevolum se ei tamen contra conatus Neoburgici, Cliviæ ordines aliosqve præbet. 45. apud eum pro Evangelicis Cæsarem ditionis frustra interceditur 46. Polonos Gallo literis commendat. V, 26. ad eum mittitur Legatus 28. Cæsaris declaratio langvet 29. seqvestrem se offert Paci inter Svecos & Polonos conciliandæ 29. Starenbergium ad Electorem mittit. 30. ad ejus petita

petita ratione Polonorum cunctatur. 32. 33. 34. 35. Ei de Conjunctione cũ Svecis significat Elector. VI, 33. Adversa valetudine laborat. 35. Bello Polonico implicari non vult, qvicqvid offerant Poloni. VI, 40. Cur arma paret? *ibid.* Fœdus cum Polonis init. 63. 64. & Electorem qvoqve Svecorum partibus abstrahere nititur *ibid.* *Leopoldus*, circa ejus Electionem acta, & undiqve disceptata. VII, 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. Viennam mittitur Fridericus Jena. 63. cujus ibi acta. 64. Rhenano fœderi enervando incumbit. 65. Gallis, Anglis, Belgis & Danis suspectus VIII, 1. De invadenda Pomerania proponit. 16. 22. 23. 24. Invito Electore expeditionem hanc suscipit. 25. 28. Saxoni rescribit de qverela Regiminis Pomeranici. 27. Dammum expugnat. 28. Brandenburgico Legato respondet. 32. A Belgis Tractatibus excluditur. 43. Literas Hispanici Oratoris super Pace Borealium Regnorum communicat Electori. 63. Gonzagam tractatuum gratiâ ad Electorem ablegat. 64. Svecis simultanem Investituram de Orientali Pomeraniâ & Cammino denegat. IX, 31. Communicatur ipsi Exemplar Fœderis Gallici ab Electore. 64. Transactionem iner Electorem, Neoburgicum & Bipontinum confirmat. 76. Electori Brandenb: supremum Imperatoris mun9 in bello Turcico offert. 77. Ibi rem bene gerunt copiæ ab Electore missæ. 78. Diploma conservatorium Bremæ urbis gratiâ mittit Electori & eidem ut super ista controversia cognoscat, defert. 82. Congress9 super Pace inter Gallum & Hispanos ipsi est ingratus. X, 46. Vivo Poloniæ Rege de successore loqvi non cupit, qvamqvam Lotharingum revera respicit. 58. 59. Abdicationem Joannis Casimiri impedire studet. 70 71. In Comitiis Polonicis cum ad Electionem ventum Legati ejus Neoburgici causam plane non agunt. 84. Per Comitem de Windischgrætz Gallum atqve Lotharingum reconciliare studet, sed frustra. XI, 12. penes ejus aulam est culpa fœderis Gallo-Svecici. 35. Ab Electore in societatem expeditionis invitatur. 49. 50. Fœdus cum Electore facit. 51. Secretum fœdus cum Gallo. 51. Fœdus ejus cum Electore ad defensionem imperii spectat. 71. Electorem in bello retinere studet. 85. Absqve Fœderatis, Belgis imprimis tractare non vult. 97. de Pace Vossemensi ei significatur. 98. Acta Galli ipsi fiunt suspecta. XII, 4. 5. Abductio Furstenbergii ab eo defenditur. 9. Pacem cum Monasteriensi facit. 10. Trevirensi cum exercitu auxilio venit. 11. Electoris societatem ambit, & de apparatu contra Gallos consultat. 19 Galli Electorem in diversa trahere conantur. 31. 32. Cum Electore super fœdere tractat. 33. Fœdus ejus cum Hispano, Brandenburgico & Belgis. 35. Electori supremum belli moderamen committit. 45. Inter hunc & Ordines ut perpetuum alatur dissidium Galli studeant. 61. Michaelem Poloniæ Regem cohibet ne pacem cum Turcis faciat. 69. Lotharingum Poloniæ Regem fieri optat 77. Sobiescii electio eum turbat 80. In Franconia hiberna capere studet. XIII, 2. Ejus auxilium contra Svecos expocit Elector. XIII, 14. sed Aula cunctatur. 15. Electoris victoriam magni facit. 37. Svecos hostes imperii declarat. 39. Super Satisfactione petitâ, Electori scripto respondet. 40. 41. Dani cunctatio ei est molesta. 43. Qvid ipsius Legato à Czare fuerit responsum. 61 Ex Jesuitarum & sacerdotum consiliis de Religionis Reformatione in Hungaria nil præter invidiam, damna & pericula sentit. XIV, 10. Super pacto mutuæ successionis cum Domo Brandenburgicâ tentatum respondet. 19. Post. obitum Augustæ Tres ipsi offeruntur Principes virgines. 22. Circa id connubium ambitus. 23. Circa componendum Bremense Negotium Legatos Bremam mittit. 33. Pacem à Sveco oblatam recusat. 46. Elector ad eum mittit, & de satisfactione ejus ibi acta. 51. 53. 54. Ejus legatis in ceremoniis an qvædam prærogativa præ Electoribus debeatur. 57. Propter Lillichœckii invectivam in Electorem ad Polonum scribit. XV, 29. Electori confirmat Pactum hæreditarium circa juliacenses ditiones. XVI, 96. An per Legationem, Electorum PPum & Statuum Imperii interesse agere possit si non sit reqvisitus & non communitatis sententiis; qvo nomine protestatio Neomagi interposita. XVII, 26. Ob Pacem Neomagensem dolore perfunditur. 35. Declaratio ipsius Electori data. 38. Dictum ipsius de indicendis supplicationibus pro pace Neomagensi ibid. Electoris consilium super hac expetit. 39. Ratificatio ejus super Neomagensi pace. 49. Brandenburgicum ad Conventum ac novum fœdus invitat. XVIII, 5. 6. An teneatur ad præstandam Coronæ Gallicæ satisfactionem: Monasterii disceptatur. 13. Dano fœdus offert. 24. Orientalis Frisiæ gratia ad Electorem scribit. 31. Singulari erga Gallum odio fervet. 59. Hispaniam maximè respicit. ibid. Electorem contra Gallum excitare studet. 61. De bello Turcico significat. 80. Animo est placido. 83. Qvare pacem cum Gallo detrectet? ibid. Declaratio ipsius Electori eâ de re data. 84 85. Ut & super Prætensione Lignicensis Ducatus, Carnoviæ. ibid. Cum Polono fœdus conficit. 86 Viennâ desertâ Passaviam se confert terrore Tartarorum. 94. ipsius tractatio cum Electore de submittendis Turcicis auxiliis fit irrita. 96. Promissa sanctè servat. 105. Pacem aut inducias cum Turca inire vult. ibid. Ad Electorem Galli causa legatum mittit. 108. 110. Electorem hortatur ut Luxenburgo urbi subsidio veniat. 132. Ad Inducias cum Gallo accedit. 133. Inter eum & Gallum instrumentum

tum de his conficitur.134. Auxilium contra Turcas ab Electore qværit & obtinet. XIX,2. Inter utrosqve vicennale fœdus initur.25. de Augustano Fœdere per Legatos proponit.31. Hamburgicum negotium Electori committit.37.41.42. ejus sententia de componendis cum Dano turbis Hamburgensibus 44. Item de mutandis cum Gallo induciis in pacem. 45. Induciascum Gallo sancte servaturum se declarat. 49. 50. Super munitione reunitorum à Gallo locorum Ratisponæ qveritur.57. Furstenbergium ne in Coadjutorem Colonienſem eligatur, prohibere conniticur. 59 60. Gottorpienſis Ducis causam contra Danum urget. 63. 64. 65. Ac delegatos judices in ea causa decernit 68. Mox ipse officium suum offert.69.70. Conf. v. *Leopoldus.*

Cæsarea Aula. Hujus considerationes circa Juliacensem controversiam scripto proponit Ulmius Vicecancellarius.IV,10. Juliacis provinciis Leopoldum Archiducem seqvestrem immittit.12. qvi iterum expellitur.14. ut cum Brandenburgico & Neoburgico Saxones qvoqve in possessionem admittantur laborat. 15. Neoburgico contra electorem auxilia ferenda censet.29.Moscum Polonis conciliare studet V,14. ejus facies.35. VIII,67.XVIII,62 negotium pacis cum Gallo extrahit. XVIII, 53. Super induciis propositis cum Gallo tractare recusat, & in bellum propendet.103.104.111.112. & acta desuper per Ordinum Legatos.ibid. Ejus consilia moderatur Hispanicus Legatus. 83.112.114.MortePalatini consternatur.XIX, 13. Aurelianensis prætensionem in Palatinatum ad causam belli comparatam à Gallis judicat.15. Meureri causam Hamburgi fovet.21.22.23.24 Ejus mos est, demum ubi extrema eruperint, evigilare. XIV, 10. Acta ibi super satisfactione Electoris ex bello Svecico. 13. Ei id agebatur,ut negotia qvæ communia sunt, sui arbitrii faciat, saltem tentabatur, exemplo XV,42. in compositi. Neomagi parum favoris promittitElectori.XV, 45. rebus paulo prosperius fluentibus qvid ei moris fuerit. XVI,8. Ob ejectas Belgio Jesuitas & Monachos indignationem concipit. XIX,55.

Cæsarei de induciis Electoris cum Svecis Ratisponæ consentire nolunt.I,17. Banerii receptus eos facit animosiores. 20. Multum immanitatis in Electorem exercent. 26 52. De conventu Francofurtensi parum spei sibi pollicentur. II,5. Causam Palatinam ante pacis negotia expediri cupiunt. ibid. De conferenda pecunia Ordinibus proponunt.11. Gallicorum Legatorum literis valde commoventur. 13. Prælio ad Lipsiam contusis Cæsaris viribus, tergiversatione abjecta tractatus pacis serio obeunt.16. ElectoralibusLegatis concessum ipsis honorem annuunt.19. Primariis tantum Legatis Excellentiæ titulum concedere volunt non secundariis nisi eminentiori nobilitatis gradu fulgeant. 25. Omnibus Ordinibus Imperii jus suffragii concedere nolunt, ac Protestantibus clam obsistunt. 3.4 7. 26. Eorum acta cum Brandenburgicis Osnabrugæ super Pomerania.36. Item Monasterii.ibid. Primum nostros advertus Svecorum postulata obfirmant. Mox de Pomerania cedenda ingerunt. 49. Citeriorem Pomeraniam Svecis promittunt de qvo disputata cum nostris. 46. Imo totam Pomeraniam certis tamen conditionibus. 50. 51. Ægre ferunt qvod Brandenburgici Ordinum interventionem qværant.54. Cessionem Pomeraniæ pro dimidia parte urgent. 58. Citeriorem denuo Svecis offerunt.61. Svecis dicuntur promisisse se negotium Pomeranicum suo periculo decisuros, nec necessarium esse Svecos cum Electore agere. 63. duplicem viam de concedenda Sveco Pomerania proponunt 64. 68. Ultimo Electoris mentem re jam confecta urgent.III,2. Osnabrugam se conferunt. 3. Disceptationes eorum cum Svecis super Pomerania. 8. Negotium tandem componere juvant. 9. Permutationem Pomeraniæ cumPræsulatibus non processuram censent.30. Super restituenda Pomeraniæ parte laborant. 36. Electorem ut circumspecte agat monent. In Electorem magis inclinare incipiunt ac in partem vectigalium ut admittatur, laborant. 62.Eorum acta in Tractatione Essenensi.IV,35. Monita circa Capitulationem Cæsaream.40. Clade Polonorum ad Warsaviam valde consternantur.VI,40. Dano arctum fœdus offerunt. 61. Gottorpiensem arcem sibi tradi urgent. VII, 69. Invito Electore in Pomeraniam expeditionem aggrediuntur.VIII,24. De pace Polonica sua proponunt.57. Abdicationem JoannisCasimiri impedire student. X,71. Legati cum nostris colliduntur 85 In Gallos rem gerere nolunt XI,83. Cur Rhenum non transierint. 87. Fœderatorum cum Gallo prælium otiose spectant. VII,46. Electoris consilia alternantur.47. XII.Vexilla ipsis à Gallo eripiuntur.49 Qvare Electori minus faverint, qvam Monasteriensi.52. Svecos Germania exturbari cupiunt 64. Cunctantius tamen in Svecos commoventur.XIII.11.13.14.Gallos duceMontecuculo transRhenum pellunt.38.Cur non majores progressi fecerint.ibid. Bremense negotium amplecti velle videntur,ubi de satisfactione agitur.14.15.16.17.18.FœdusDani cum Electore ipsis non arridet. 40. Hospitia inæqvaliter Militibus assignant. XV,2. Circa satisfactionem super Pomerania nil certi promittunt.4. In Bremensi conventu postulant ut fœderati ad Alsatiam & Lotharingiam recuperandam se obstringant. 5. Et conventionem adornant,qvaBremæ libertati caveatur. ibid. Hungarorum motus etiam moniti negligunt, nec causas subtrahunt.9.Propositiones eor.in negotio Neomagensi.43. in Pomeraniæ partem venire

nire volunt, ac eo nomine Electori sunt molesti. 45.47. Super modo tractandi cum nostris disceptant. 47. nec non de Responso ad Hostium propositiones. 50. Responsum ad Galli & Sveci propositiones. 52.53. Scriptis Belgarum festinationem in opere pacis cum Gallo sistere laborant XVI,10. in subscriptione pacis Gallorum cum Hispanis qvæ sibi reservaverint? 73. Cum illis disceptata Viennæ ad Pomeraniam retinendam. 80.81 83 84. De peculiari cum Gallis ac Svecis pace ineunda erga Electorem se excusant. 86. Super induciis Neomag. disputant. 89. Inter hos & Gallos de pace agitur. 90. 91. 92. Contra eorum formulam pacis intercedit Elector. 94. ut & Sveci. 95. In præjudicium Imperii ac fœderatorum Borealium pacem separatam præcipitant. XVII,10. Erga Electorem & Danos se excusant propterea & officia offerunt. 11.12. Adhuc de pace dubitare videntur. 13. 14. Qvibus conditionibus acta suorum Legatorum Viennæ probent. ibid. Qvare pacem tam anxie affectent? 15. Super artic. 26. pac. Cæs. Gall. cum Gallis disceptant. 16. Ad eorum declarationem notæ à Gallis formantur. 17. 18. 25. Danicorum & Brandenburgicorum scriptum super non communicato articulo 26. ægre ferunt. 19. de pace etiam rogati dissimulant 21. paci cum Gallis subscribunt. 23 24. Pacem cum Svecis ineunt. 28. eorum declaratio ad hanc pacem. 29. Ipsi pacem Gall. Viennæ detestantur, & hujus causam in fœderatos aliosqve conjiciunt, nec minus tamen pax rata habetur. 33.35.36. Sentiunt statim fructus infaustæ pacis, dum Gallus X. Alsatiæ oppida in verba sua adigit. 39. Asserta Gallorum de actis & sententia actorum in pace Neomagensi, falsi arguunt. XVIII, 19. In conventu Francofurtensi Commissarii Cæsarei iterum soli cum Gallis tractare velle videntur, Ordinum Legatis spectatorum loco habitis. 33. Danum & Brandenb. à Gallico fœdere dehortantur. 43. Super sententia Magdeburgica cum iis disputata. 53.54.55.56.57. Super fœdere Laxenburgico cum iis per varios Legatos disceptata. 59. 61. 62. 63. 64. Deductionem Francofurti contra Gallos exhibent. XVIII, 68. Ac Galli scriptum opponunt 69. Ratisbonæ de studio in pacem testantur, sed qvorsum inclinent serio. 88. longius à pacis cogitationibus discedunt. 89. super induciis cum Gallo ab iis proposita. 103. 105. in qvas non inclinant. 111. sq. XIX, 48.

Cæsarei Delegati Gallorum propositioni Francofurti respondent. XVIII, 47. Latinam Lingvam exposcunt. 48. Leges imperio præscribunt. ibid. Tempus extrahere student. 51. Alia eorum acta vid: subtit: *Reunciones.*

Cæsarei exercitus cura male solet administrari. XIX, 1.

Cæsarei Legati missis ad Cæsarem literis, Neomagensis pacis festinationem excusant. XVII. 33. In eos culpa omnis rejicitur. 35.

Calcaria ab Hassis opprimitur. I, 47. eam sibi servari petit Landgravia Hass. 48. Electori redditur. 49.

Calisiensis Palatinatus Electori ceditur. VI, 18. conf. *Pacta Labiacvensia.* 46.

Cameracum expugnatur. XV, 19.

Cammer Aemter, qvid pactis Labiav. de iis cautum? VI, 45.

Camminensis Episcopatus Electori conceditur. III, 16. ejus Canonicatus ærario suo applicari petit Elector. XIII, 40.

Camminum retinere vult Croyæ Dux. III, 14.

Camprichtus Cæs: Min: de Jacobo Eborac. qvæ ominatus sit? XIX. 3. De ejectis è Belgio Jesuitis & Monachis qveritur. 55.

Canus Gratianopolitanus Episcopus Cardinalis creatur. XIX, 16. ejus viri studia. ibid.

Cancellaria Imperii & Austriaca qvomodo differant? XI, 51.

Candia, eò auxilia mittit Gallus. XI. 1.

Candidati Coronæ Polonicæ qvales esse debeant? X, 58. & 74. Qvi & qvales fuerint interregno post Jo. Casim. abdicationem. 74. judicium de singulis, ibid? & 75.76.77.78. Ut multi eorum se offerant Polonorum interest, ac lucri refert. 75. Eorum artes. 81. Per Legatos qvisqve suos solennibus verbis Poloniæ Ordinibus commendatur. 87. Post mortem Michaelis interregno serius se sistunt, qvod ægre ferunt Poloni. XII, 70. Qvi tum jactati fuerint in Candidatorum numero. ibid. Sobiescii artes. ibid. & §. 72.74. Candidatorum ambitus. 73. prope confusam interregni faciem efficiunt. 78. Omnes exteri Candidati electo Sobiescio tunc pariter operam ludunt. 80.

Cannebergius ad Warsaviam vulneratus. VI, 39.

Canicius Francofurtum mittitur. XVIII, 65 67. Item Cellas Hamburgensium turbarum gratia. XIX, 12.24.

Canonicatus extingvere per Instrumentum pacis non licet. XVIII, 8. Reditus Magdeburgi Halberstadi Mindæ & Camini Canonicatuum ærario suo applicari petit à Cæsare Elector. XIII, 40.

Canstein ius Francofurtum mittitur. VII, 26. 27 29.32.35.37.38.39.

Capitulatio Cæsarea, circa eam in electione Ferdinandi IV. monita. IV, 40.41. eam soli Electores conficiunt, nullis ordinum monitis attentis. ibid. Multa circa eam per Legatos Electoris monita dissensu majoris partis rejiciuntur. 40.42. Circa admittendos ad Capitulationes Ordines denuo disputata in electione Leopoldi. VII, 12.16. Alia qvoqve monita & nova capita inferenda. ibid. & 32.33.36.37.40.41. Ea formatur. 40. Circa ejus articul. XIV. agitata. ib. & 40.41. qvi tandem perficitur. *ibid.* de Clausula Commissoria Capitulationi adjicienda considerationes. VII, 26. Circa aperta feuda ejus dispositio an spectet ad terras per arma qvæsitas. XIV, 14. de Feudis qvid disponat. XVIII, 8.

INDEX RERUM.

Caprara, quid de prælio inter Fœderatos & Gallos propè Argentoratum dixerit? XII, 46.

Caraffa è Proteſtantium in Hungaria proſcriptorum bonis Legiones ſe ſuppleturum promittit. XIX,55.

Carnovienſis Ducatus ut reſtituatur, fruſtra laborat Elector III,18. IV,44. ejus actione cedere vult, ſi Regenſteinenſis Comitatus ſibi à Cæſare tradatur. VII,63.64. ſed reſtitutionem impediunt Sacerdotes. ibid. Hunc Cæſari vult cedere Elector. XIII,40. Ejus gratia ad Cæſarem mittit Legatum. XIX,1. Et ſatisfactionem ejus nomine petit. 2. Ac illius loco Svvibuſſienſem tractum accipit. 25.

Carolus Æmilius, Friderici Wilh. M. F. Princeps Electoralis: de ejus obitu Wrangelio ſignificatur. XII, 5. v. XIX,103. inter Polonici regni Candidatos jactatur. 68.70. religio obſiſtit. 73.74.78. Coronam non ambit nec affectat propterea pro eo Elector. 75.76. cum Sobieſcio deſuper ſermones collari. 79.

Caroloregium occupant Galli. X, 18. Obſidio ejus ab Arauſionenſe cur ſublata. XV,19.

Carolus Guſtavus Palatinus in ejus gratiam Sveci inſtant, ut Bipontina domus inter partes litigantes ſuper Juliacenſi cauſa exprimatur XII,23. Conſiderationes deſuper ortæ. ibid. Ad eum ſupremum militiæ Sveciæ Ducem ſuper traditione Pomeraniæ Halberſtadii, & Mindæ mittit El. de qvibus reſpondet. 32. ei pacis executio commiſſa, unde apud eum agit Elector. 33.34. ſq. 38.39. cum Electore colloqvium declinat. 47. Ad regnum provectus Poloniam invadere decernit. V. 1. Qvibus cauſis ſvaſoriis inductus. ibid. & V,9. Slippenbachium ad Electorem mittit. 2. Qvi de Bremenſibus turbis exponit. 3. & alia ſecretiora. 4. Electori verbis cavet ſuper deſtinatis in Polonia. 36. 37. Non poteſt adduci ut animum pacis cupidum liqvido teſtetur. 39.40. Poloniam invadit. 40. Legatos Stetinum mittit cum Electore pacturos. 42. ſq. Wolgaſt. appellit 47. Fœdus Belgicum ferre haut vult. ibid. & 48. Subacta Cracovia Borusſiam verſus deſcendit. 63. ibi hoſtilia orditur. 64. 65. 66. ubi & acta deſuper utrinqve. Omnem culpam in Electorem rejicit. 67. Cum Electore tranſigit. 70. 71. 72. 73. Pacta Feudalia init. 72. it. Circa Warmienſem Præſulatum. 73. Qvævis Poloniæ jura ſibi vindicat. VI, 8. A Moſco offenditur. 22. Ab Electore deſiderat ut vel arma ſecum jungat, vel in Poloni partes concedat, ac de bello Polonico qvaſi denuo inchoando proponit. 23. unde fœdus Mariæburgicum coit. VI, 26. Pacem cum Moſco colere cupit. 31. Prælium contra Polonos auxilio Electoris feliciſſimi committit. 37. 36 38. Ejus ſententia ſuper abolendo pacto Regiomontano. 44. Pacta Labiavienſia cum Electore celebrat. 45. 46. Pacem cum Polonis ab Electore propoſitam, recuſat. 51. 52. 61. Brandenburgicum, Ragozium, & Coſacos ad dividendum Poloniæ Regnum fruſtra invitat. 61. Ab Electore ſingularibus argumentis ad pacem cum Polonis invitatur. 65. Sed hic eum in partibus retinere ſtudet. 66, 67. Literas ab Electore Polonis reconciliato, miſſas haud reſignatas remittit. VII, 1. Mox autem alias ad eum dat. 2. 4. In qvibus omnem culpam in eum rejicit. ibid. Slippenbachium Rectorum de pace fruſtra Berolinum mittit. 5. Danum ad duram pacem compellit. 20. Danicas inſulas media hieme invadit 43. De amplectenda cum Polonis pace Electori reſcribit. 44. Hujus Legatos admittere non vult, qvod ab Electore *communis hoſtis* vocabulo ſit notatus. 57. Hinc ſcriptis utrinqve certatur. 58. 59. 60. Iterum in Daniam irrumpit. 62. De invadenda Marchia cogitat. VIII, 16. Moritur. 66. Ejus ingenium à Gallis deſcribitur. VIII, 40. Conf. v. *Sveci*, *Sveci*.

Carolus I. Angliæ R. qvo ingenio & regiminis inſtituto fuerit uſus. XIX, 84.

Carolus II. M. Britanniæ Rex Legatos in Daniam mittit componendo Boreali bello. VIII, 8. In exilio agens, multa beneficia ab Electore accipit. IX, 24. De connubio deliberat. 25. Lites inter Electorem & Neoburgicum componi ſvadet. 26 Fœdus cum Elector facit. 26. 27. Brahæi factum indigne fert. 28. Dunqvercam Gallo vendit. ibid. Huſiſeriani debiti gratia Electori operam ſuam promittit. X, 3. Hunc in belli ſocietatem pertrahere conatur. 5. Ejusdem cum Belgis Fœdus ægre fert, cui reſpondetur. 15. 18. 19. In Arauſionenſem viduam multa ſtomachatur. 19. Londini coortum incendium eum vehementer afficit. 20. De pace cum Belgis agitat. 22. Cum Belgis & Svecis conventionem init. 47. Electorem ad Triplex fœdus invitat. XI, 3. Cum ſorore Henrietta congreditur Douveræ, qvæ eum prorſus in partes Gallorum flectit. 10. de iſto congreſſu ferebantur digna æterna oblivione. ibid. Pellicem è Gallia adductam aſciſcit irretiendo animo maxime idoneam. ibid. Senſim à triplici fœdere recedere ſe factis oſtendit, etſi verbis neget, fœdere cum Gallo inito. 10. 12. 16. Electorem ad ſocietatem cum Gallo invitat. 30. Cæſari & Imperio offert ſe cauturum, Gallum nil contra Imperium agitare. 51. à Galli ſocietate etſi contra rationes proprii regni ac Europæ ſuſcepta, abſtrahi neqvit. 74 75. Electori literas mittit. 76. Voſſemenſem pacem firmat. 95. Inter hunc & Gallum diffidentiæ ſat cauſæ oritur. 96. Urgente Parlamento cum Belgis ſubito pax coaleſcit qvæ haut probatur Gallis. XII, 10. Reſponſum Sverino datum. XII, 36. Invaſionem Electoris terrarum à Sveco factam, ſibi diſplicere ſcribit. 64. ejus victoriam laudibus extollit. XIII, 37. Judicium de Svecorum clade ibid. De Cæſareorum victoria contra Gallos. 38. Seqveſtrem ad Pacis negotium

se offert.61. Acta illius in eo. 63.64.65.66. 67.68.69.70. Inhibitionem navigationis in Pomeraniam & Sveciam renuit. XIV,44. Jenkinum Neomagum mittit. 66. Propter prohibitam in Pomeraniam navigationem qveritur apud Electorem.XV,16. Propositiones Neomagenses ei offeruntur. 43 44. In hujus manu situm erat Europæ pacem dare.60. Communes Europæ & peculiares regni sui rationes insuper habet. XVI. 1. Qvali fuerit ingenio? ibid. & XVI.9. Fœdus cum Belgis init, super Legibus pacis inter Gallum & Hispanum. XVI. 2. Gallum ad has conditiones permovere studet. 3. Inter hunc & Gallum spes de bello exspirat. 9. Inter eum & Hispanos difficultates. 10. Serio bellum in Gallos se agitare simulat, qva de re considerationes Parlamentum movet.10. Gallorum progressibus in Belgio Hisp parum movetur. 11. Invitus bellum contra Gallos minatur.11. Parlamento illudit. 12. Gallo valde est obnoxius.XV,60. 61. cum Arausionensi circa pacem deliberationem instituit. ibid. Qvare tam strenue bellum apparet?17. Inducias admittere recusat.19. Belli & fœderis negotium contra Gallos lente nec serio tractat. 21. 22. 23. Causam omissi belli transfert in Belgas. 27. Responsio ejus circa pacem cum Gallo. 31. Denuo bellum contra hos movere videtur. 40.Qvod ipsi tamen cordi non est. 45. Dano & Electori parum favet. 48. Ejus officium à Gallo in pacis negotio rejicitur. 71. Cur bellum ipsius contra Gallum frustra fuerit? 72.78. Eo mediante Neomagi pax inter Cæsarem & Gallum conficitur. XVII, 24. Ut & Cæsarem & Svecum. 28. Soli Reginæ conjugalem fidem se dedisse declarat ad excludendum Monumethensem. 44. Ejus autoritatem Gallo niti Colbertus gloriatur.61. Judicium de San-germanica pace. 81. Electori fœdus offert.XVIII,3.4. Aliqvot naves bellicas contra eum mari immittit, qvi impetus statim sedatur.11. Ipsius ignavia Europæ exitiosa.22. Frustra Gallum de pace monet, ac aspero responso rejicitur. ibid. Associationis fœderi illigari non vult. 23. De receptis ab Electore profugis Armstrongio & Grajo qveritur.117 Cavet,expugnato Lutzenburgo, nil a Gallo contra Belgium amplius motum iri.128.Moritur.XIX, 3. Qvali Regimine & Religione usus fuerit? 84.

Carolus IV. Lotharingiæ Dux à Gallo ditione sua ejicitur.XI,12. Moritur.XIII,38. Qvalis Princeps fuerit.ibid. conf.voc. *Lotharingus.*

Carolus V. Pomeraniæ Ducem proscribit. II,45. Ejus dictum de Wilhelmo Juliaci Duce. IV, 10.

Carolus IX. Rex Sveciæ propter Religionem regno ferme ejicitur.II,52.

Carolus XI. Rex Svec. Ulrica Eleonora ei desponsatur.XIII.31. Gallicis subsidiis valedicit. XVIII, 9. Nuptias cum Ulrica Eleonora celebrat. ibid. in bellum cum Electore & Imperio culpa suorum incidit. XIV,46. cum Belgis fœdus init ad Westphalicam pacem tuendam.13. Danum & Electorem à Gallico fœdere abstrahere studet. 43. Gallorum destinata fugit.76. qvare? ibid. Electori enixe se cupere ostendit & priora detestatur. 77. Magnam vim pecuniæ & copias parat. 90. In Electoris amicitiam se maxime pronum ostendit.XIX,10. Fœdus cum eo pangit. 27. 28. Ejus sententia de Hamburgensibus cum Dano turbis. 43.44. Gottorpino Duci favet.62. Visus est dein frigidius rem gerere.70.71. Mox tamen Ducem se non desertum Dano indignanti prope demonstrari curat. 73. 82. Huc vid. plura sub v. *Svecus.*

Carolus Hyacynthus Lotharingiæ Dux, in eum inclinat Cæsarea Aula ut ad regnum Polon.provehatur.X 58.59.65.66. qvibus elogiis eum Fautores in Polonia extulerint.X,78. Ei favet Augusta.74.84. Spe excidit electo Michaele 88 Eum Tractatibus Colonienſibus includere student Belgæ. XII,8.Novo iterum interregno inter Candidatos Polonicæ Coronæ est.68.70. Sed ut omnibus ibid. sic huic qvoqve gravis est Sobiescius.72.79. ab Hoverbeqvio jussu Electoris Polonis commendatur cum Neoburgico.75.76.77. spe excidit.78. qvo nomine Lotharingica factio protestationem deponit in judicium aulicum. XII,80. Bellum contra Gallos svadet.XVIII,60. in ejus dissidium cum Hermanno Badensi,multi confusionis, qvæ in militia & consiliis Cæsaris fuit ingruente Turcico bello, causam referunt.XVIII,94. Obsidioni Budensi præst. XIX,16.conf.v. *Lotharingus.*

Carolus Ludovicus Palat.Elect.moritur.XIX,13.

Cassellis cum Landgravia super reddendis oppidis Clivicis transigitur. I, 49.

Cassellani temperamentum circa religionem afferunt. II,69.

Castello-Rodericus Legatus Hispan. super cerimoniis offensam testatur III,63. Ejus judicium de aulâ Cæsareâ.V,33. Aurspergio est invisus. 35. Electori Gallorum irruptionem significat ejusqve auxilium exposcit. X, 30.

Casteram Spinola occupat. IV,20.

Castillonia Meclenburgici uxor Luneburgicorum aulas pervagatur. XVI,86.

Castimonia generosæ specimen in Ulrica Eleonora Sveciæ Reg XVIII, 9.

Catharina Joannis IV. Regis Lusitani filia inter futuras Caroli II.sponsas à forma describitur. IX,25.

Catholici. eorum artes ad distrahendos Protestantium animos.II,16.28. v. *Pontificii.*

Cautio ab Electore exhibetur Polono. I,20.74. An potentior adversus debiliorem hâc opus habeat? XVII,79. Hanc super induciis requirit Gallus ab Imperio.XIX,47.

Cellenſis Dux non nisi pecuniâ Belgis subvenire vult. XI, 71. Danum Bremensi partitione vult excludere. XIV,34.36. Hospitiorum nomine prope colliditur cum Electore.

ctore. XV, 2. Clandestina cum Hostibus consilia agitare putatur. ibid. Certis conditionibus Electori auxilia promittit. 8. Ad Electorem consilii capiendi causa contra Gallum & Svecum Legatum mittit. XVI, 53. 55. cum eo & Luneburgicis acta super Gallorum atqve Svecorum armis. 87. Neomagensem transactionem erga Electorem excusat. XVII, 40. De Electoris Legionibus in Meclenburgica ditione hospitantibus qveritur. 95. Pacis cum Gallo declarationi ostendit Electoris Legatis. XVIII, 112. Destinata Danorum super Dœmitza praevertit. 127. Hamburgensis urbis moderamen per Meurerum, in se trahit & istis turbis acta. XIX, 21. 22. 23. Consulis restitutionem urget. 24. Offensam erga urbem deponit. ac contra Danum auxilia promittit. 37. Delegatus judex à Cæsare Danum inter & Gottorpiensem eligitur cum aliis. 68. Super illius & Guelferbytani in ea causa officio disceptatur, à qvo tandem Dano refragante desistunt. 69.

Ceremonia in investiturâ Friderici Wilhelmi M. L. 25. In visitationibus Legatorum. IV, 36. 37. II, 17. 19. 20. 21. 24. 71. Hagæ in cõsessu Ordinum Generalium, cum Elector adesset. 72. Qvoad visitationem inter Regios & Electoris Legatos. III, 21. In Investiturâ Borussiæ. 27. In congressu Cæsaris & Electoris 63. Moguntini, Lichtensteinii. ibid. Hispanici Legati qverelæ super his. ibid. In receptione in Unionem Electoralem qvæ? 64. Mensæ Cæsareæ adsistentium. IV. 37. Aliæq;. ibid. In Electione Ferdinandi Bohemiæ Regis. 43 Qvas Eulenburgius Baro in Moscoviam missus, observare debeat? VI, 31. 32. Francofurti in electione novi Cæsaris qvæ observandæ legatis Brandenburgicis? VII, 29. Et Saxonicis? 33. Super his controversia oritur inter Hoverbeqvium & Polonos. VIII, 78. Qvales Legato Brandenburg. decernantur? IX, 5. Qvales in Angliâ Legatis tribuantur? 23. In Investiturâ Sveci ac Brandenburgici Electoris super Pomeraniâ. 31. Disputatio super ceremoniis. 64. Qvæ Legatis Electoris sint observandæ? 92. Controversia de his in Daniâ oritur. XI, 40. 41. Qvæ Kroseggio in Svediâ observandæ? 79. In confirmatione Pactorum Polonos inter & Brandenburgicum, ceremoniæ omittuntur. 106. Qvæ Sverino sint observandæ? XII, 1. Qvæ in conventu Colonienſi? 3. Alia Ceremonialia. 71. Hispani circa ceremonias sunt difficiles. XIV, 43. Qvales Brandenburgicis in Neomagensi tractatu sint observandæ? XIV. 57. 58. Circa visitationem Legatorum? 66. 70. 71. In Renovatione Pactorum Polonum inter & Electorem? XV, 14. In continuatione tractatuum Neomagensium inter Anglos & Brandenburgicos? 31. 32. Alia adhuc circa ceremonias & titulos in visitationibus Legatorum. 33. 34. 35. XVI, 4. 52, 53. 54. 55. 56. 57. 58. Circa sigilla. 93. In subscriptione Pacis Neomagensis qvæ observatæ? XVII, 23. Alia ibi. 52. 59. 60. Harum gratia litigia oriuntur inter Legatorum uxores. 82. Alia circa ceremonias in conventu Francofurtensi. XVIII, 33. 46. 51. Collisio Legati Gallici in Sveciâ super his. 76. De iis invicem qveruntur Saxo & Brandenburgicus. 78. Ut & Colonienſis. 80. Circa eas importunè & insulse tricatur Moscicus Legatus. XIX, 54.

Ceremoniale Pontificis Electores aliis Principibus digniores habet. II, 23.

Chaizius Jesuita Gallum monet, ne simul cum Turca imperium adoriatur odii communis vitandi causa. XVIII, 94.

Chivernius de Belgio Hispanico in Bavarum transferendo qveritur. XIX, 12. protestantibus male ominatur mortuo Carolo Pal. Electore 13. Circumspectus vir ibid. ab eo acta. 39. 69. 73. 80. 83.

Chmielnicius Cosaccorum Dux Turcæ se subjicit. V, 42.

Cholminscius Palatinus Electoris fidem in dubium vocat. XII, 81.

Christianis fidei confessio qvando non declinanda. II, 31.

Christianus Ernestus Marchio Bayruthensis copiarum ex Augustano fœdere contrahendarum cum aliis Dux constituitur. XIX, 31.

Christianus Ludovicus Dux Br. & Lun. absqve masculâ prole obit. IX, 79. v. *Luneburgicus.*

Christianus Ludovicus Dux Meclenburgicus. ipsius uxor pararia est Neomagensis Pacis. XVII, 40. Pactum cum Gallo super Dœmitza init. XVIII. 127. In custodiam abducitur; Ejus uxoris destinata. ibid.

Christina Regina Sveciæ Leuchtmaro dat responsum. I, 16. Cur ad perlustrandas provincias ablegata fuerit. 40. Illius nuptiæ à multis ambiuntur. II, 35. Qvare Electori non multum fidat? ibid. Cælibem vitam exigere decrevit. 44. Qva causâ hoc sit factum? 49. 51. Carolum Gustavum in Principem hæreditarium assumit. ibid. De desponsatione cum Electore laborat ipsius Pater. 52. Pomeraniæ Ordinum remedium literis eludit. 65. 66. Acta ejus cum Electore circa Pomeraniam. III, 41. 43. 44. 45. 46 47. 48. Qvare ad Imperii comitia fuerit invitata? 61. Literas qverelarum plenas ad Cæsarem dat. 62. Electori moram Pomeranici negotii imputat. 65. Qvare Regno se abdicaverit? V, 1. filius Donationes revocantur. V, 9. De Religionis mutatione significat Gallo. 28. Illius impetus de invadenda Pomeraniâ. VIII, 21. In qvo tamen statum consilium mutat.

Christophorus Bernhardus Galenus Præsul Monasterienſis, qvali ingenio fuerit? X, 9. Anglis contra Belgas se addicit. 9. Fœdus contra eum initur. 14. à Belgis offenditur 15. 16. 17. Ut à Gallo distrahatur, laborat Elector. 39. In conventu Bilefeldensi Præfecturam copiarum circularium deposcit. XI, 20. In Græningano obsidio exiguum specimen Ecclesiæ, sacerdotalis professio-

nis dedit. 57. Morosi ingenii homo 93. Ægre fert qvod inconsulto se transegerit Gallus cum Brandenburgico. 94. Pacem cum Cæsare facit. XII, 10. Conf. *Monasterienses.*

Civitates Liberæ in conventu Francofurtensi à jure suffragii excluduntur. II, 3.

Clausula Commissoria num Capitulationi addenda. VII? 26. 36. 37.

Cliviæ ab Hassis valde incommodatur. I, 47. Belgarum operam implorat. IV, 31. Electori assignatur. IX, 75. Illius urbes à Belgis detinentur. X, 1. 2. 3. Earum ab Electore restitutio urgetur 10. A Gallis devastatur. XI, 53. Electori restitutum iri, Anglus promittit. 75. Ne Sveci in illius possessionem immittantur, solicitus est Elector. 83. Ejus oppida à Gallo Electori redduntur. XII, 32. Hanc servari multum interest. XVI. 28. Et ne Gallus illam eripiat. 31. Hanc se subacturos minantur Galli. 36. & atrociter in eâ grassantur 92. De novo ejus partem invadunt qvo Elector Pomeraniam restituat Svecis. XVII, 54. 61. Partem illius Elector frustra offert Svecis. 74. Galli eâ iterum excedunt. 82.

Cliviæ Duces. Inter hos & Geldriæ Duces super parte ditionis limitanea vertis fuit. XVI. 96.

Cliviæ Ordines Electorem calumniis onerant. II, 72. Pactum circa Hujus & Neoburgici successionem improbant. IV. 22. Conatus eorum adversus Electorem sunt inanes. 45. Querelæ à Belgis comprimuntur. V, 21.

Clivis Tractatus cum Monasterienſi perficitur. X, 17. Hæc urbs Anglis ominosa. 22.

Cobius crudelibus suppliciis Hungaros facit efferaciores. XV, 9.

Colberga Electori conceditur. III, 16. Svecicum præsidium inde excedit. 57.

Colbertus. vid. *Croissius.*

Coldingensis arx à Polonis occupatur. VII, 70.

Colignius Galliæ Regis offensam sentit. IX, 78.

Collonitschius qvalis fuerit? XV, 9. Est causa Hungaricæ Rebellionis. ibid. Hungaricorum Magnatum pecunias Cæsari prodit. XVIII, 96. Est hostis acerrimus Protestantium. XIX, 55.

Colloqvium charitativum Thorunii cum Pontificiis instituitur, sed irrito conatu II, 31. In Anglia inter binos Theologos Reformatos & Catholicos in conclavi Iacobi. II, XIX. 48.

Colmannus, Apud hunc conjurationis Literæ inveniuntur. XVI, 78.

Coloniæ ad Spream natus Fridericus Wilhelmus M. XIX, 102.

Colonia Congressus super Juliacensi negotio frustra instituitur. IV, 15. Electores Ecclesiastici ibi conveniunt. X, 34. Querelæ de hac urbe moventur. XI, 16. Lis illius cum Colonienſi Archipræsule 10. De pace ibi tractatur. XII, 1. 3. 4. 5. 6. 7. 8. Inter Cæsarem & Monasterienſem Pax constituitur. 10. Fœdus item conficitur inter Cæsarem, Hispanum, Brandenburgicum & Belgas. 35. Gallis permittit, ut necessaria sibi possint emere XVII, 46. Eam in suam ditionem redigere vult Colonienſis Ep. XVIII, 125. Turbis iterum cum Præsule implicatur. XIX, 5. Ei auxilium promittitur ab Electore. ibid.

Colonienses Canonici, Furstenbergio Event. XIX, 59.

Colonienſis Elector Juliacum in Seqvestris cujusdam manum tradi cupit. IV, 20. *(vid. Juliacenſis Ducatus.)* Ejus sententia de novi Cæsaris Electione. VII, 22. Auspiciis circa electionem difficultates movet. 27. 31. 32. 35. 39. 40. Ejus Ablegati parum honorifice habentur à Gallo. X, 55. Misso Furstenbergio instinctu Galli Electori de invadendo & dividendo Belgio proponit. XI, 5. 6. Cur Galli partes amplectatur. 16. Electorem etiâ in Galli societatem invitat. 17. Eum Gallo se innexuisse palam erumpit. 20. 47. Est autor turbatæ Germaniæ. 59. Brandenburgicum coram Collegiis Electorum & Principum accusat ac Turbatorem Germaniæ vocat. 69. Ægre fert qvod inconsulto se Gallus transegerit cum Brandenburgico 94. Contra confirmationem pacti hereditarii super juliacensibus ditionibus protestatur. XVI, 96. Contra Art. 28. Pacis Cæsareo Gallicæ protestationem interponit. XVII, 27. In Lipstadium prætendit. 58. Ejus sententia de Gallorum reunionibus. XVIII, 38. Circa tractatus inter Imperium & Gallum cum Brandenburgico consilia confert. 113. 114. Fœdus cum Dano & Brandenburgico init. 115. Hujus ditioni exercitum immittere vult Gallus. 120. Danus huic multum fidit. 122. Ansam collisionis Luneburgicis præbet. 125, Belgis pacem svadet. 128. Pro Furstenbergio Coadjutore eligendo nititur. XIX, 59.

Color sacrorum profanis, sæpe rebus circumponitur. VI, 10. qvod à se amoliri studet Cromvellus differens *ibid.* super bello Sveco-Polonico à Slippenbachio adhibitus. V, 2. Galli contra Hispanos ex jure devolutionis inter privatos recepto. X, 28. eorundem à gloriâ Regis, præscriptione in bonis coronæ non admittenda, defectu judicis superioris, amicitiæ Cæsareæ dignitate, qva excidere videatur, qvi viribus suis tantum non tribuat, ut jura sua tueri qveat &c. ad palliandas *reuniones.* XVIII, 14. de capto Argentorato aliisqve media pace, & ubi jam Conventus de transactione denuo indictus. 21. 33. 44.

Comitia: In Polonicis Comitiis variæ de tradendâ Elbingâ sententiæ. IX. 17. Hæc abrumpunt qvarta vice Poloni & qvare? X, 60. 70.

Commercia in Viadro Flumine sibi stipulatur Elector. III, 1. Inter Hunc & Svecum conventio super his initur. 58. Ut horum Libertati prospiciatur, laborant Belgæ. VI, 35. Qvid Pactis Labiavienſibus de iis cautum? 45. Ea libera esse debere urgent Dani. 53. 57. 58. Qvid de his Polonos inter & Brandenburgicos statutum? vid. *Pactum Welaviense.*

INDEX RERUM.

fo. Ut intercepta à Moſcis reſtituantur, urget Elector. VII, 6. Albis commercia oblato Danis hypothecæ loco Gluckſtadio Belgarum arbitrio obnoxia forent, cui rei cavet Elector. VIII, 2. Circa Americana. Hiſpanis propoſita ab Electore. XIV, 43. De illis laboratur Neomagi. XV, 46. Intercepta per Anglos Galliæ multum damni dant. XVI, 72. Hæc in ſe trahit Anglus. 78. in Guineam ſuſcepta ab Electore, limis oculis à Belgis aſpiciuntur, & acta apud eos deſuper. XVIII, 32. Qvid inducianum Inſtrumento de illis cautum? 134.

Concommiſſarius qvali honore afficiendus? XIV, 57.

Condaus ſupremus Exercitus Dux deſignatur. X, 29. Flandriam intra tres menſes Gallo ſe ſubjecturum promittit. 55. Polonorum judicia de eo. 77. Gallorum pro eo ſtudium & in commendando Neoburgico technæ. 78. 79. ſeq. 90. Monetam cudendam curat. 81. Mulierum in aula Polon: pro eligendo eo Rege ſtudium 82. Denuo pro eo ſtudium ſqq. XII, 73. A Gallis Regno Siciliæ deſtinatur. XIV, 10.

Confeſſio Auguſtana, ab ea num Reformati excludendi. II, 29. 30. Hujus exercitium ſalvum manet in Archiepiſcopatu Magdeburgenſi III, 16. In Boruſſia ejus exercitium Elector ex pacto protegit. V. 72. VI, 28.

Conjuratio in Anglia detegitur. XVI, 78.

Connubium. Connubia Friderici Wilh. M. II, 72. XIX, 103. Super connubio ejus cum Chriſtina acta. I, 40. 41. II, 20. 35. 48. 49. 52. 64, Circa Circa connubium Caroli. II. Angliæ Regis conatus. X, 25. Circa connubium ſecundum Jo. Caſimiri acta. X, 66. Mortua Fellcit. Auguſta, circa connubium novum Cæſaris. XIV, 21. 22. Circa connubium Sveciæ Regis cum Ulrica Eleonora. XIII, 32. XVIII, 9. Circa Ludovici Marchionis Brandenb: cum Radzivilia. 27. 28. 29. Arauſionenſis cum Maria Jacobi eborac. Duc: fil. XV, 61. Georgii Daniæ Principis, cum Anna eborac: 93. De connubiis exterorum in Gallia & Polonia diſputata XVII, 27. 28.

Conſilia in dubiis rebus qvomodo capienda? XVIII, 55.

Conſiliarius fidus qvomodo in dubiis rebus ſe gerere debeat. XVIII, 53. qvæ ei noſcenda XVIII, 56. in capiendis conſiliis qvid habendum præ oculis. 128.

Conſultationes qvomodo inſtituendæ? II, 27. Super bello Gallo-Belgico & qvid agere per regulas prudentiæ & conſcientiæ Electori conducat & eum oporteat. XI, 25. Super conjunctione armorum cum Svecicis contra Pol. VI, 15. 16. 17. 18. 19. 20. vid: ſuis locis plura.

Controverſia inter Lutheranos & Reformatos. II, 30. Controverſia Juliacenſis. IV, 1. ſq.

Conventio ſuper induciis. I, 15. 16. 17. Temporaria de his. 43. Cum Svecis ſuper Francofurt & Croſna reſtituendis. 45. Inter Brandenburgicum & Haſſiæ Landgravium. 49. Francofurtana. IV, 7. Juterbocenſis. 15. Super Lauenburgo, Bytovia & Civitate Elbingenſi. VI, 80. 81. Super rebus in futurum gerendis. VII. 10. Et modo belli gerendi. 18. Cum Holſatiæ Duce 69. Cum Sabaudo ſuper Cerimoniis. IX, 64. Brandenburgici cum Neoburgico ſuper Coronâ Poloniæ. X, 48. 49. Cum Svecis. 56. 57. Cum Hanoverano Duce. XIII, 46. 47. Super executione pacis Neomagenſis. XVII, 51. Inter Polonum & Brandenburgicum ob connubium Radziviliæ. XVIII, 30. Cum Brandenburgico & Ordinibus Oſt-Friſiæ. 31. Cum Dano 70. Inter Polonum & Electorem. 87. vid. *Pactum.*

Corvejanus Abbas in Rugiam inſulam jus prætendit. II, 17.

Coſaci parum fidi ſunt. VI, 62. VII, 46. Ragozio parum fidi ſunt, Regemq; Poloniæ eum ferre ſe nolle jactant. VI, 62. Sui conſervationem qværunt. 65. Electoris protectionem implorant. X, 63.

Cosbotus in Poloniam mittitur ad petendam Boruſſiæ inveſtituram. I, 21.

Conventus inſtituitur in Boruſſiâ. I, 22. Svetæ. 45. Francofurti. vid. *Francofurtum ad Mœnum.* Norimbergæ. III, 33. Halæ Svevorum IV, 11. Juterboci & Coloniæ. 15. Dortmundæ. 9. Veſaliæ. 19. Neobrandenburgi. VII, 26. Hagæ. VIII, 3. Thorunii. 45. 46. Olivæ. 94. XI, 16. Qvedlinburgi. 71. Luneburgi. XIII, Coloniæ ab Electoribus Eccleſiaſticis. X, 34. Bilefeldæ. 17. Bremæ. 51. vid. *Bremæ.* Neomagi. vid. *Neomagus.* 63. Brunſvigæ. XV, 3. Francofurti. XVIII, 33. Hagæ. 108. v. *Hagæ.*

Cothuſii Saxo & Brandenburgicus per Miniſtros conſilia ſua conferunt XVIII, 78.

Cracbtius, in cuſtodiam datur. I. 5.

Cracovia à Sveco capitur. V, 63.

Cranius Electori ſvadet, ne Pomeraniam cedat Svecis. II, 36.

Cravellius Ratispona exeſſe jubetur. XII, 30.

Creqvius Gallici Exercitus Dux capitur. XIII, 38. A Gallo mandata accipit. XVII, 79. Atrociter per Mindenſem ditionem graſſatur. 82.

Crocovius (Laurentius Chriſtophorus) Ratihabitionem pacis tradit. XVII, 84. Ad componendas Hamburgenſes turbas ablegatur. 96. 97.

Crocovius (Laurentius Georgius) In Sveciam ablegatur. IX. 66 67. 68. 69. 70. X, 56. 57. In Galliam. XI, 7. 8. 9. 10. 11. 13. Super bello cum Belgis declinando mandata ſua exponit. 15. 26. 31. Qvare Lutetiâ revocatus? 60. In Angliam mittitur. 74. 75. 76. It: Viennam. 84. Cæſareis ſecretum fœdus cum Gallis objicit. 85. 97. Acta ibi. XII, 28. 29. 30. 33. Contra Monaſterienſem Præſulem proteſtationem interponere. 52. Lotharingum apud Cæſareos commendare jubetur. 77. Cæſaris auxilium implorat. XIII. 13. 14. Super Hoſpitiis ibi qveritur. 57. Satisfactionem nomine Electoris deſiderat. XIV, 13. 14. 15. XV, 4. Pactum mutuæ ſucceſſionis cum Auſtriis tentat. 19. Circa hiberna acta. 49. XV, 20. Hungaricæ rebellionis atqve reformationis cauſam Cæſareis in mentem revocat Vien-

penitius reputandam. XV, 9. Lilliehœckii ſcriptum per carnificem ut comburatur, Viennæ rogat. 19 Iterum Viennam mittitur. XVI, 79. 80. 81. 83. 84. 86. Super formula pacis à Cæſareis Neomagi exhibita qveritur. XVII, 10. 11. 13. Item ſuper pace Cæſaris cum Gallis. 33 34. 35. 36. 38. Viennam iterum ablegatur. XVIII, 56. 57. 59. 62. 63. 64.

Viennæ acta Saxoni comunicat. 78. Ad Comitia Polonica mittitur. 86.

Crocovius (Joachimus Erneſtus) ad tractatus pacis mittitur. II, 45.

Crocovius (Mathias Viennam mittitur. acta ejus. III, 59. 60. 61. 62.

Croiſſius Colbertus Viennam mittitur. VIII, 42. Acta ejus Neomagi. XVII, 46. 73. Conf: voc: *Neomagus*. Ægre fert pacem San-Germanam Neomagi non fuiſſe confectam qvod forte per Pomponium æmulatione in Colbertum effectum. 81. Circa permutationem inſtrumenti ejus pacis ſibi transmiſſi tergiverſatur. 82. In Pomponii locum ſuccedit. XVIII, 84. Qvid ex pace Monaſterienſi ac Neomagenſi à Cæſare & Ordinibus pro Gallo poſtulet? XVIII. 15. Ejus aſſerta falſi arguit Stratemannus. 19. Multa de Regis ſui erga Imperiũ amore jactat. 52. 92. 94. Dictum ejus de Georgii Daniæ principis matrimonio. 93. Brandenburgicum urget, ut Luneburgicos invadat. 104. Ejus ſententia de armatis induciis. 133. De invadendo Sveco diſſvadet Danis. 136. De ejiciendis Germaniâ Svecis pactum proponit XIX, 4. de fœdere Electoris cum Belgis indignatur. 9. 11. Facta Galli in Arauſionenſem commiſſa erga Electorem excuſare conatur. 18. Dictum ejus de Oxenſtierna. 20. Patrata à Gallo contra inducias excuſat. 19. Huningæ etiam appoſitum caſtellum; ac de Auguſtano fœdere qveritur. 32. Multa de Rege ſuo minatur. 33. Ludovico. XIV poſitam ſtatuam excuſat. 35. Judicium de Hamburgenſibus cum Dano turbis. 43. De induciis in pacem mutandis proponit 47. de reunitorum locorum munitionib9 differit. 56. & ſuper Furſtenbergii Electione. 60. Ejus ſententia de Gottorpienſi negotio. 73. 76.

Cromvellus Electoris Legatum honorificè excipit. V, 26. Qvalis ei datus ab Electore titulus. VI, 9. Ejus ſtudium circa pacem inter Proteſtantes præcipuè. 10 Ac judiciũ ſuper Electoris ſtatu. 11. Bellum contra Hiſpanos meditatur; & cur? ibid. contra Gallos dignitatem tuetur VI. 11. *In fin.* & ad ſummam rerum parum conferre poteſt, metu inteſtinarum turbarum à diſtrahendis viribus prohibitus. 50. Rei numariæ inopia urgetur, ut ſubſidia petenti Electori promittere neqveat 64. Svecorũ amicitiam ac religionis curam Electori commendat. VII, 55. Moritur 68. Mazarino impenſius Cacodæmone reformidatus. X, 28. Qvali uſus regimine fuerit. XIX, 84. 98.

Cromvellus junior (Richardus) ſuper Svecis apud Electorem per litteras qveritur. VII, 68. Super litigio cum Gottorpienſi Duce ad Electorem ſcribit. 69. Ejus ſtatu everſo Belgæ reſpirant à metu Anglorum, VIII, 4.

Croſna reſtituitur Electori. 45. Ibi ejus Milites luſtrantur. XIX, 26.

Curlandia. hanc ſibi vindicant Sveci. VI. 46. Omnia ferme ibi amittunt. VIII, 37.

Curlandia Duci non præjudicare Fœdus Mariæburgicum in tabulis ejus cavetur. VI, 26.

Curonicus Lacus; Per hunc Elector Svecos perſeqvitur. XVII, 5.

Currus Legatis obviam mittendi mos. II, 24.

Curſores Negotii Neomagenſis, qvâ viâ ire ac redire debeant. XIV, 61.

Curtius Bavari Legatus in Electione Bohemiæ Regis, in Imper. ſui Electoris perſonam repræſentat. IV. 43.

Czar. vid. *Moſcus*.

Czarnecius ſolus Johanni Caſimiro adhæret. VI. 25. Cum Tartaris & Walachis in novam Marchiam irrumpit. 77. Impreſſioni in Pomeraniam & Holſatiam faciendæ ſe promptum offert. VII, 10.

D.

Dangarda à Svedis deſeritur. VIII, 30.

Dammum à Cæſareis invaditur & expugnatur. VIII, 28. Ejus deditio qvomodo facta? 28. A Svecis derelinqvitur. XIV, 48.

Dammum Præfectura cui addicta pace Oſnabr. III, 16. Hujus gratia inter alia per Legatum Viennæ agit Elector. XIX, 1. Tranſigitur ſuper iſtâ cum Saxon. Duc. 53.

Dania. Hâc à Svecis ſubactâ omnibus ad Mare Balticum ſitis jugum imminet. VII, 62. 63. Et inferiori Saxoniæ naſcitur periculum. 65. Hujus ſervandæ causâ laborat Elector VIII, 1, Galli inſimul & Angli. 2. 5. Pacem ſeparatam huic damnoſam fore judicat Elector. 3. Sine Oreſunda nihil nec ſine Scaniâ Oreſunda. 5. Hâc ſubjugata Belgæ incomparabile damnum ſentient. 6. Pactũ Hagenſe ipſi utile eſſe qvidam pertendunt. 7. Ejus facies poſt Caroli Guſtavi mortem. IX, 1. Cum Svecia lites ei periculoſæ. XI, 40.

Danica Inſula mediâ hieme à Svecis invaduntur. VII, 43.

Dani Schulenburgium Electoris Legatum frigidius excipiunt. I. 54. Ad tractatus cum Svecis moras nectunt. VI, 55. Pacta Labiavienſia ipſis diſplicent. 56. Mira bellandi cupiditate contra Svecos flagrant. ibid 60. 61. Eorum ſententiæ de ſupremo Boruſſiæ imperio. 71. Iniqve de Electore ſentiunt. VIII, 35. Separatam oprant pacem. 48. Claſſem Svecicam fugant & Gotlandiam inſulam occupant. XIV, 44. 46. Contra Svecos Mari, non æqve terra, poſtremo bello felices XV. 17. 58. Male agunt poſtremo bello qvod Tractatus ſuos cum Svecis in Scaniam trahunt. XVII, 78. Wellingii Svecici Miniſtri importunitatem erga Electorem eludunt. XVIII, 11. Pœnitentia Hamburgenſis obſidionis ipſos ſubit. XIX, 39. 40. *vid. qvæ ſequuntur.*

INDEX RERUM.

Danici Ministri jactanter admodum & contemtim de Hamburgo loqvuntur. XIX, 40. Regi ad illius obsidionem pecuniam credunt. 41.

Danus causam Palatinam ad Tractatus pacis remitti a Collegio Electorali petit. II, 10. Propter Svecorum invasionem auxilia ab Electoribus petit. 12. Ad proposita à Kleistio nomine Electoris, mentem suam declarat. VI, 52. 53. 54. 55. Qvâ ratione cum Svecis tractare velit? 56 Tractatus iterum hærere incipit. 57. Ad Electorem ea de re mittit, & eum solicitat. 58. Elector ei bellum cum Svecis dissvadet. 59. Idqve singulari studio. 63. Svecos Germania eliminari optat. 71. Cum Electore super evictione pactorum Welavienſium cum Polonis, ut & contra Svecos, fœdus init. VII. 9. Ab Electore auxilia petit. 11. 12. Victoriam contra Svecos simul indicat. ibid. Cunctatio Austriaci auxilii ipsi valde periculosa. 13 14. De ratihabitione per Legatum Berolini agit. 15. Fœdus Austriaco-Brandenburgicum eum imminenti calamitati subducere haut potuit. 10. premitur à Svecis graviter. ibid circa ferenda ei auxilia frustra sunt fœderatorum consult. 43. Qva ratione ipsi subveniri possit Posnaniæ consultatur. 74. Propter iteratam Svecorum in Selandiam irruptionem ab Electore & fœderatis auxilia petit, de qvibus consultatur. 62. 63 Super conventione Electoris cum Gottorpiensi Duce inita, qveritur. 69. Cum ejus Consiliariis temporaria conventio in Holsatia initur ab Electore. 71. Cum Electore de fœdere agit per Legatos Flensburgi. 72. 73. Æqve ac Polonus pacem desiderat. VIII. 1. Indiget pecunia. 2. Petit, ut Elector in Selandiam trajiciat. 10. 21. Armis eum sublevare laborat Elector. 15. De invadenda Pomerania solicitat socios. 16. 24. Declaratio ejus Legato Electoris data. 15. 21. Urget qvid Elector sit facturus in sui opem. 24. Apud eum de pace frustra satagitur. 33. Bellum in Fionia apparat & cum Svecis acriter pugnat. 34. Victoriam propter Belgas persequi neqvit. 35. Ut Polonicis tractatibus includatur, satagit Elector. 52. 64. Circa pacem suam satagit. 54. ad Electorem mittit. 65. Pacem arripit. 66. Tractatibus Polonicis excluditur. 67. 72. Huic ab Ordinibus regni Jus Hereditarium offertur IX, 6. De Ulefeldii conatibus ei indicium fit. 53. Cum Electore fœdus init. XI. 26. Qvadruplici fœderi se jungit. X, 27. Cum eo consilium confert Elector. XI, 40. & eo alteram missionem adornat. 41. Belgis ex hoc fœdere se succurrere paratum ac Electoris consiliis se inhæsurum promittit. XI, 42 Magis à Germania turbas avertere velle se, qvam Belgas sublevare testatur. 42. Non nisi pro pecunia auxilia mittere vult. 71. Ob fœdus Electoris cum Sveco valde est solicitus. XII. 21. A Gallo & Sveco frustra urgetur ut à fœderatis discedat. 57. Ei non minor qvam Sveco in arma cupido, & qvare? 61 64. In indicendo bello Sveco cunctatur. XIII, 14. Et qvæ hujus ratio? 23. 14. 32. Sveci eum à bello avertere pecunia & promissis laborant. 26. Legatum Svecicum inani spe lactat. 27 Inanis tractatio inter hunc & Svecos super fœdere. 28. Tacita illius circa modum Sveciæ nocendi consilia. 29. Circa ordiendum bellum tergiversatur. 30. Desponsationem sororis non esse moram bello injecturam disserit ipse Rex. 31. Gottorpiensem Ducem captivum ducit ac certas ei conditiones præscribit. 42. Moras tamen indicendi contra Svecos belli adhuc nectit. 43. Qvas ut solvat, ab Electore urgetur. 44. Cum Electore præsens in congressu secretum fœdus conficit. 45. Cum Hanoverano item & Monasteriensi. 47. Occupat Wismariam. 56. Qvid ipsius Legato à Czare responsum. 61. Ab eo cum Hanoverano acta super societate. XIV, 23 24. Ejus circa Bremensem partitionem postulata. 34 36. Bucvvaldum Bremensis negotii cauſa ad Electorem mittit. 37. Cum Electore contra Svecos fœdus pangit. 38. 39. 40. Contra Svecos mari bene rem gerit. 44. 46. Præsidiariis urbis Anclami liberum trajectum in Svecium non vult concedere. 47. Hœgium Neomagum mittit. 70. Cum Electore & Monasteriensi fœdus init. XV, 7. Moscos contra Svecos excitare frustra laborat. 15. Contra Svecos Mari qvidem, sed non terra feliciter pugnat. 17. De Lilliehœcki in Brandenburgicum invectiva judicium. 28. Propositiones Neomagi. 43. Anglo per Legatos scriptum offert de continuando cum Gallo bello. XVI, 27. Belgarum festinationem in opere pacis cum Gallo sistere studet. 30. Cum eo rege acta. 57. & fœdus cum eo. ibid. multos Svecorum ex naufragio captivos detinet. 64. Cæsari svadet, ut bellum cum Gallo continuet. XVII, 12. Svecus erga eum insolens est? 15. Ipsius Legati super non communicato articulo. 26. Pacis Cæsareo-Gallicæ apud Cæsareos qverumtur scripto. 19. De non præcipitanda cum Gallo pace Cæsareos monet. 21. Et contra Cæsareo-Gallicam, ut & Cæsareo-Svecicam pacem per Legatos protestatur. 22. 30. A Gallo ad pacem urgetur. 40. De pace adhuc dubitat. 55. Ut Witmarienſis & Stralsildenſis portus obturentur, monet ibid. Electoris propositum de ineunda cum Svecis pace ipsi non probatur. 86 87. Varia circa pacem tentat, tandem eam in Galli arbitrium confert. 88. De Electoris pace qveritur qvidem, postremo tamen illius cauſas approbat. 89. Pacem qvoqve cum Svecis init 90. Qvid in Gottorpiensi cauſa provisum. ibid 91. *Hamburgum* in ordinem redigere conatur. 92. Inde Electoris opem implorat. 93. vid. *Hamburgum* de Hujus amicitia non satis sibi cautum Elector existimat. XVIII. 9. relictis Svecis, Gallo & Electori se arctius innectit. 14. Cum Gallo fœdus init, contra

 niten-

nitentibus Cæsareis atqve Svecis. 43. Cum Electore fœdus renovat, & Itzehoæ congreditur. 70. Slesvicensem Ducatum tributis onerat. 71. Monasterienſem qvoqve in fœdus susciipit. 72 à Gallo subsidia pecuniaria frustra petit. 74. Summa vi bellum parat 90. Luneburgicos frustra contra Svecos tentat ibid. Elector cum à turbis & motibus tristi adeo Orbis Christiani facie debortatur ac ejus rogatu qvoqve Gallos. 91. Ægre tandem ei persvaderur qvies. 98. 99. 100. Cum Colonienſi & Electore fœdus init. 115. Vi in Luneburgicos tergiversantes uti vult. 121. 122. Formula fœderis à Luneburgicis proposita ipsi non satisfacit. 123. Moderationem Alefeldio autore approbat, & rem ejus prudentiæ permittit. 124. Propter pactum super Dœmitza, erga Electorem se excusat. 127. Infensas cogitationes omnes contra Luneburgicos deponit. 55. Cum Svecis diffidentia gliscit. 136. Ejus ex fœdere Electoris cum Belgis renovato, suspiciones. XIX, 7. De conservanda amicitia inter Gallum atqve Electorem est sollicitus. 11. Ad defendendum Hamburgum contra Cellensem ducem separatum ostendit. 21 22 23. 24. Conatus ejus de occupanda hac urbe dereguntur cum conspiratione 36. Conatus suos Electori aperit qvi moderata ingerit. 37. urbem impugnat, sed svasu Electoris ad tempus hostilia intermittit. 39. Ac se erga Electorem excusat 40. Relicto Hamburgo, cum seqvestribus Gottorpium se confert. 41. Cum Hamburgensibus paciscitur. 42 43. Qvare ipsi cum Gottorpiensi Duce controversia sit? 62. usqve 83. vid. voc. *Altona*.

Declaratio Legationis Svecica & Polonica super Art. II Instr. Pacis de Amnestia. VIII, 76. Ordinum Imperii super satisfactione Gallica Monasterii. XVIII, 13. vid *plur. sub loco*.

Decretum Lengrichæ factum & super eo acta, II, 26. 27. sq. Decreta nemo nisi Cæsar ad electores mittere potest. VII, 66. Decretum contra Svecos à Cæsare conficitur. XIII, 39.

Delmenhorstanus & Oldenburgicus Comitatus præcipua collisionis materia inter Boreales Reges. XIII, 25. 26.

Demmin à Brandenburgicis expugnatur. VIII, 30. XIV, 48.

Dobbelmia à Brandenburgicis occupatur. XVI, 60.

Dependentiarum vocabulo qvid intelligatur? XVIII, 15. Item Weissenburgenses Dependentiæ qvæ? ibid. conf. voc. *Reuniones*.

Deputationis Francofurtana acta. II, 11. sqq. 14. 15. sq. XVIII, 45. sq. 49. sq.

Deputatorum conventus Super illis qvæsita. II, 27. An differant ab Ablegatis & Legatis IX. 56. 64. Qva dignatione in Dania excipiantur. XI, 40.

Detectio terrarum incognitarum non apprehensa simul & servata possessione, nullum jus præbet. VI. 11.

Devolutionis Jus. X. 28.

Dewicium Svecos assequitur. XVII, 6.

Dextra manus Legato Brandenburgico à Czare per Prestavos datur. XI. 109.

Diestius Belgis Electoris mentem circa Svecos indicat. XVIII, 93. Pacem eis cum Gallo commendat. 118.

Disceptatio inter Legatos. X, 85. v. *Lites*.

Disciplina militaris Polonorum prava. VII, 70.

Dissidia post mortem Christiani Ludovici oriuntur inter Brunsvicenses & Luneburgenses Duces. IX, 79. Inter Electorem Palatinum & Rheni Principes super jure Wildfangiatus. 82. Inter Svecos & Bremam. 82. Inter Anglos & Belgas X, 1. 2. 3. 4 Inter Polonos propter novum Regem Michaelem. XI, 23. Inter Electorem & Brunsvicenses, propter Reinsteinensem Comitatum. 46. Inter Hispanos & Anglum XVI 9. v. *Lites*.

Duxmuda cautionis in vicem Anglis traditur. XVI, 9.

Dobrani in Meclenburgico tractu fœdus inter Danum & Electorem conficitur. XIII, 43. Congressus ibi inter Danum & Electorem invito Hahnio susceptur. XVIII, 9.

Dobrzenius in Sveciam mittitur V, 2. 3. 4. Acta ibi. 5. 6. 36. 38. 39. 40. In Svecia classem conscendere jubetur. 41. Iterum ad Svecum mittitur. 64. 65. 66. 68. 69. 70. 71. 72. 73. Cum Svecis super illustratione pactorum agit. VI. 13. Ad Cæsarem mittitur, ad excusandum prælium cum Polonis. 40. Consilium super firmando Borussiæ Imperio suppeditat. IX, 41.

Domitza. Hâc à Svecis expugnata, habent, qvod qværunt. I, 43. Hanc intercipere conatur Wurtzius. VIII, 16. Super hac pactum conficitur inter Gallum & Meclenburgicum. XVIII, 127.

Dorstingius propter spretam à Cæsareis bene rei gerendæ occasionem, è consilio iratus abit. XII, 47. Svecum se simulans, Svecos trucidat. XIII, 34. Mardefeldium fugat. XIV, 45. Rugiam expugnat. XVI, 60.

Dona Comes [Carolus Æmilius] globo trajicitur. XIX, 16.

Dona Comes [Christianus Albertus] prælium cum Gallis dissvadet. XI 82.

Dona Comes [Christophorus Delphicus] honorariam missionem ad Electorem obit. IX, 32.

Dona Comes [Fabianus] ab Electore Lutetiam mittitur. II, 22. Item in Borussiam. V, 58. 59.

Dona nihil non efficere valent III, 13. Sine his in Aula Caroli II. R. vix aliqvid dabatur efficere. X, 1.

Dordraceni Arausionensem laute excipiunt. XI, 57.

Dortmunda super Juliacensi Ducatu congressus instituitur. IV, 9. Capita illius transactionis. ibid.

Dotalitium viduæ Electoralis Brandenburgicæ qvale sit? I, 15. Belli oneribus eximitur. 16.

Downingius fervide omnia agit. VIII, 3.

Drabeimensis Dynastia Electori oppigneratur. VI, 82. super ea cum Polonis disputata. X, 64.

INDEX RERUM.

Dreierus Calvini dogmata ſub ſpecie Syncretiſmi in Boruſſiam introductum ire arguit. IX, 40.

Dramlingenſium ferociæ compeſcendæ Garlebia conducit. I, 45.

Duglaſſius Polonos repellit. VI, 37.

Duisburgum occupat Spinola IV, 20. Academiam ibi inſtituit & dotat Elector. XIX, 104.

Dunqverca Gallis ab Anglo V M Libris Sterlinenſibus addicitur, & qvam ob cauſam? IX, 28.

Duraſius ob Pacis negotium in Galliam mittitur. XV, 61.

Durellius cum inſufficienti procuratorio in Daniam mittitur. VI, 53. 55. 56. Aliud ei mittitur. 57. Abruptis tractatibus abit. 60.

Duxerum neutrarum partium ſe declarat. IV, 14. Mox Neoburgico traditur. ibid. Spinolæ ſe dat. 20.

Duſſeldorpium, ibi inter Electorem & Neoburgicum pactum conficitur in cauſa Juliacenſi. IV, 22. 23. 24.

E.

Eberſtorfium. Ibi Inveſtituræ Elect. actus celebratur. IX, 31. de qvo num ibi ſuſcipiendus ſit dubitabatur. *ibid.*

Eboracenſis Dux [Jacobus] Fratris atqve Arauſionenſis de pace deliberationem perſvaſionibus eludit. XV, 61. Ipſi à fratre exercitus in Flandriam ducendi ſummum Imperium confertur. XVI, 11. Ejus auſpiciis conflata horribilis in Anglia conſpiratio ſuper introducendis Romanis ritibus derecta eum in anguſto conſtituit. XVI, 78. vid. *Jacobus II.*

Eccleſiaſtica bona an poſſint præſcribi? II, 7. Eorum reſtitutio urgetur. 12.

Eclipſis Manifeſti Aſcanienſis ſcriptum Manifeſto Aſcanienſi oppoſitum. III, 12.

Edictum Elect. contra Theologos diſpliset Svecis, de eo reſponſa ab Electore. IX, 67. Cæſaris contra Svecos, qvo hoſtes Imperii eſſe judicantur. XII, 39. Electorale de recipiendis ex Gallia Reformatis profugis. XIX, 17. Nannetenſe qvid in ſe contineat? XIX, 16. 48. aboletur. XIX. 17. Belgarum, qvibꝰ Jeſuitæ & Monachi miſſionarii exeſſe ditione ſua jubentur, qvos motus animorum concitaverit? XIX, 55.

Egla [*Eglen*] *Præfectura*, in eam dominium directum prætenditur à Saxone. III, 11. Traditur pleno jure Electori. 16.

Ehrenſchildius Gottorpienſi Duci Comitatus à Dano oblatos pro Sleſvicenſi Ducatu fruſtra commendat. XIX, 80.

Ehrenſteinius Legatus Svecicus Electorem apud Belgas accuſat XII. 61.

Elbinga, ibi inter Svecos & Belgas ſuper commerciis pactum initur. VI, 42. Electori traditur. 80. Polonorum præſidio firmatur. VIII, 80. Super ea ab Electore cum Polonis acta & diſceptata. VI, 81. VIII. 80. 81. 83. 84. 89. XI. 7. 14. 16. 18. 19. 86.

Elbingenſis Caſtellanus Boruſſos Ducales jurejurando qvo Regi Poloniæ fuere obſtricti, exſolvit, eosqve ad Electorem remittit. VII. 50.

Electio. Circa Electionem Ferdinandi IV. in Regem Roman. acta IV, 38 39. 40. 41 42. Cerimoniæ adhiberi ſolitæ, & tum adhibitæ præcipuæ 43. Circa Electionem Leopoldi acta. VII, 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34 35. 36 37. 38 39. 40 41. 42 inter Electionem exteris urbe exeſſe neceſſum eſt 30. Auſtriaci an utriqve Cæſares eligendi? VII, 25. 27. 28. Moguntini artes circa Electionem Leopoldi. VII, 31. Super ea Saxo & Brandenburgicus Lichtenburgi congredinntur 33. Super eligendo Jo. Caſimiro ſucceſſore Regi acta. IX, 14 20 42. 43 44 45 84 85. 86. 87. 88 89. 90. 91. X 69 70. 71. 72. 73 74. 75. 76. 77. ſq. qvæ procedit præter omnem opinionem 88. 89. Mortuo Michaele circa novam Electionem acta. XII, 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78 79. Joannes Sobieſcius eligitur. 80.

Electorale Collegium per Electorem acta. II, 68. ejus concluſum de Titulo excellentiæ. 71. De cedenda Pomerania decrevit. III. 2. Ipſius reſponſum ſuper refuſione damni ob detentam Pomeraniam 66. Illius Legati Svecum ad pacem cum Polonis ineundam hortantur. VII, 56. et Electorem ad promovendam pacem. 61.

Electorales Legati in Conventu Francofurt. Principales à tractatibus pacis excludere agitant II, 3. Electoris de ea re judicium. 4. Principum Legati illis titulum *Excellentiæ* negant, qva de re diſputata 71 Super Legatis primariis & ſecundariis diſputata. II, 19. 71 cerimoniæ circa Legatos Elect. & de iis diſputata II, 19. 20. 21. 22. IV, 36. 37. IV, 43. VII, 29. de Præcedentia inter Legatos hos & Venetos II 23. vid. *Electores*.

Electoralis Unio deſcribitur? III, 64 Qvomodo recepto in eam Electore peracta? ibid

Electores de conferendis pecuniis conſentiunt. II, 11. Serenitatis titulum eis denegat Gallus, qva de re diſputata 21. & IX, 58. 59. Omnibus aliis principibus atq; Rebuspublicis anteponuntur? 23. Eccleſiaſtici qverelas ſuper Pontifice movent. IV, 40. Jura eorum præcipua præ cæteris Ordinibus 42. Eccleſiaſtici pro Bavaro, Seculares pro Auſtrio Cæſare eligendo nituntur. VII, 32. Qvalis honor illis à Rege Galliæ ſi congrediantur decretus. IX, 64. Electores Eccleſiaſtici conventum Coloniæ habent. X, 34. Bavarum fruſtra ad imperii ſocietatem tentant. XIV, 25. Bavarus, Saxo & Palatinus Pacem ſvadent. XVI, 8. Et Cæſari commendant, 86. Ratisponæ de transactione Svecum inter & Electorem proponunt. 88. Reſponſum eorum circa Gallicam ſatisfactionem, Monaſterii datum. XVIII, 13. Item Declaratio ad Galliæ regem. ibid. His ſtatus controverſiam movere velle videtur Cæſar, qva ſuper re conſiderationes. 78. Eis indicat Cæſar Bellum Turcicũ. 80. Major eorũ pars

pacem cum Gallo urgent. 89. In Verji declarationem inclinant. 103. 130. Cæsarem ad pacem cum Gallo hortantur. 105. Circa eorum jura & prærogativam servandam monita mutua. 133. De Præcedentia inter electores & Venetos. I, 53. II, 17. 23. 24. IV, 36. it. Belgas. I, 55. II. 17. 71. Sunt primariæ Imperii Columnæ, & intimi Cæsaris Consiliarii. XVIII, 80.

Ellerus Hervordiam occupat. III, 19. Duas Colonienses Legiones cædit. XI, 52.

Elisabetha Charlotta Super hereditate Caroli Palatini Controversiam movet? XIX. 13. 15.

Elisabetha Charlotta Elect. Mater ad conciliandam pacem ad Poloniæ Reginam scribit. VI, 69.

Embda Elector conventionem cum Ordinibus Frisiæ orientalis init. XVIII, 31. Ibi sedes & rationarium commerciorum ad littora Gvineæ instituitur. 32.

Emmerica qvare ex hâc Præsidia deducere nolint Belgæ? III, 24. Mauritii Præsidium admittit. IV, 20.

Emmericus Pater ejus sententia circa pacem cum Gallo. XVIII, 111.

Engvianus à Reginâ Poloniæ successor regni exoptatur. IX, 84.

Ernestus Augustus Osnabrugensis Præsul Coadjutor Magdeburgicus à Capitulo eligitur. III, 11. Neomagensi pace non contentus qvid de Præsulatu depoposcerit? XVII, 40. 41. Cum Electore fœdus init. XVIII, 25. Ost Frisiæ rebus se immiscere studet. 31. Fœdus cum Electore renovat. 135.

Ernestus Marchio unum atqve alterum Præfectum in ordinem redigit. I, 5. De molestiis belli in Marchiam devolutis apud Torstensonium qveritur 26.

Espencæus privato nomine Lutetiam mittitur. XVI, 76. 77. iterum circa Pacis San-Germaniæ executionem. XVII, 83.

Essena tractatio susçipitur. IV, 34. In primis in causâ Sacrorum. ibid.

Evangelici. Pro eis per Cæsareas ditiones frustra interceditur. IV, 46. Ut Evangelicis ordinibus in aula Cæsaris Religionis exercitiû pro se ac ministris suis ac sepultura publica concedatur, in dornanda Capitula atine proponit Elector. VII, 26. Propter persecutionem in hos per Cæsareas ditiones intercedit frustra Elector XIX, 1. Warsavia post Adicationem Joann: Casimiri durante interregno exire jubentur. X, 73. illorum non pauci Moscum Regem creari in Pol. optant. 74. Conf. voc. *Protestantes.*

Evictio de promissa Evictione Svecis à Gallo facta, si Provinciæ Germanicæ impetantur. VIII, 27. 63. 64. Electori promittitur contra Svecos à Colonienſi & Brunsvicensib9. 63. Pacis qvot modis firmari soleat? 71. Tractatus Olivensis. IX, 38. Tractatus Clivensis. X. 17. De Evictione circa inducias cum Gallo initas. XVIII, 133. *vid. Guarantia.*

Eulenburgius Baro ad Moscum ablegatur. VI, 31 32.

Europa. circa invadendum ejus dominatum Gallicorû destinatorû summa XI, 1. Ejus tota facies per Turcicum bellû mutata XVIII. 98.

Eustnensis Episcopus Fridericus Augustus Svecica militia se abdicat. XII, 61.

Expectantia In Archiepiscopatum Magdeburgensem Electori conceditur. III, 16. De Expectativa in Novam Marchiam & alia loca Svecis concedenda. 58. Ad Juliacenses ditiones. IV, 1. In Frisiam Orientalem petitur ab Electore. XVIII, 8.

Exteri qvare Electionis tempore urbe excludendi? & ad qvos exclusio extendenda. VII, 30.

F.

Fabio Arausionensis & Wittiana. X, 12. 16. Gallica in Angliâ potens. XI, 75. Condæana in Polon. XII, 73. Gardiana Svec. XII, 57.

Factum prave, mature corrigendum. VIII. 5.

Fagelius Beuningio contrarius. XVI, 17. Ex febre ardenti decumbit. 28. Pacem Belgarum detestatur. 48. Ejus responsum Avauxio offerenti pecuniam, ut eum corrumperet datum. XVIII, 73. Concionabundus velut de aversandâ cum Gallis pace loqvitur. 119. Hispanos non esse deferendos, asserit constanter. 128. Induciarum negotiationi cum Gallo se subducit. 129.

Falasius in Sveciam mittitur. XIX, 20.

Famulos Legatorum Religionis Reformatæ Lutetiæ admittere non vult Galliæ Rex; qva de re disput. XIX, 19.

ad *Fehrbellinum* acri prælio profligantur. Sveci. XIII, 36.

Fennoa occupatur à Brandenburgicis. VIII, 11.

Ferdinandus II. Cæsar Reformatos Imperio eliminare voluit. II, 69.

Ferdinandus III. Cæsar moritur. VII, 21. pro Filio Ferdinando eligendo in Romanum regem laborat. IV, 38. Qvæ Electio qvoqve procedit. seq.

Feuda an salvâ regiâ dignitate à Cæsare possint recognosci? V, 70. Pacta circa hæc Borussiæ causâ inter Svecum & Electorem inita. 72. Illustratio horum pactorum feudalium. VI, 29. Iterum abolentur Pactis Labiavienſibus. 45. An in his, præcipuè regalibus, Fœminæ in Germaniâ admittantur? XIX, 15.

Feuda vacantia de his disceptatio. XVIII, 8.

Fevillada pernicioſa Cæsari destinata imprudens corrumpit. IX, 78. In honorem Galli Statuam erigit, circa qvam considerationes. XIX, 35.

Feuqvierius in Sveciâ Gallorum res promovere studet. XII, 44. 53. 55. 57. In Sveciâ contra Electorem uerba facit. 53. Svecis extrema omnia contra Electorem ingerit. XIII, 4.

Fides societatis vinculum est. X, 28. Gallo inane nomen. 30. 90. XI, 1.

Finsterwalda fœdus mutuæ defensionis Saxonem

nem inter & Brandenburgicum conficitur. XVIII, 26.
Fionia frustrà tentatur propter Belgarum tergiversationes. VIII, 11. 13. 14. ibi prælium commissum. 34.
Fœdera Gallo parum cordi sunt. X. 28. Secreto sunt habenda. XIX, 28. Cursu temporum mutantur. 36. Gottorpiensis cum Sveco, an veteribus reunionibus repugnent? 78. 79. Qvid in iis considerandum. XVII, 69. 70. XVIII, 124. Jus Fœderum an & qvomodo Ordinibus competat? XVIII, 58. 64.
FOEDERA cum *Anglo* IX, 26. 27. Anglicum cum Belgis XII, 10. Eorundem super Legibus pacis inter Gallum & Hispanum. XVI. 1. de qvo qveritur Elector. 5 inter eosdem novum fœdus concluditur. 41. Ab hoc Elector invitatur ad fœdus. XVIII. 3. Ejus declaratio ad illum. 4. Jacobi. II, cum Belgis. XIX, 85.
Fœdus Associationis qvodnam ita dicatur? XVIII, 23.
Augustanum. XIX, 31. 32.
Austriorum cum Polonis. VI, 63. *cum Austriis* contra Svecos. 79.
cum *Belgis*. V, 21. 22. id tunc ferme inane est. 23. Super eo acta 25. 42. 46. 49. Aliud cum iisdem. X, 13. Aliud. XI, 47. 48. Super novo qvod affectant Belgæ acta. 25. 34. Horum cum *Hispanis*. XII, 8. & cum *Anglis*. 10. Aliud. XIII. 41. 42. Super fœdere perpetuo cum iis acta. XIV, 42. *Horum* cum *Anglis* super Legibus pacis inter *Gallum & Hispanos*. XVI, 2. de qvo qveritur Elector. 5 inter eosdem novum fœdus concluditur. 41. Arctius cum his Electoris fœdus. XVI, 97. 98. 99. 100. Qvod renovatur. XIX, 6. disceptata circa id cum Danis & Gallis. 7. 8. 9. 10. 11.
cum *Borussis Regiis*. V. 60. cujus fructus exiguus. 61.
Circa fœdus *Brunsvicense* acta. XI. 71.
Bernensium cum Gallo defensivum. XI, 73.
cum *Cæsare*. XI, 51. 71. Gallorum cum hoc secretum ibid. & 85. cum *Cæsare, Hispanis, & Belgis*. XII, 35. inter *Cæsarem* & *Polonum*. XVIII, 86. Vicennale cum Electore. XIX, 25.
cum *Danis*. VII, 9 it. 72. 73. Aliud cum iisdem X, 26. Cum iisdem secretum fœdus. XIII, 38. 39. 40. 45. Cum Danis contra Svecos. XIV, 38 39. 40. cũ iisdem addito *Monasteriensi*. XV, 7. cum iisdem fœdus renovat Elector. XVIII, 72. *Danorum cum Gallis* XVIII, 43. inter *Danos Coloniensem & Electorem*. 115.
Super *defensivo* fœdere inter Directores Circuli Westphal. acta. XI, 10.
Cum *Ernesto Augusto* Duce Brunsv. XVIII, 25. Qvod renovatum fœdere Luneburgico. 135.
Cum *Gallo*, Regiomontanum ad conserv. pacem Westphal. VI, 12. Aliud, & super eo acta. IX, 57. 58. 59. 60. à Gallis offertur fœdus super qvo considerationes. X, 42. 43. id procedit. 44. Ad fœdus cum eo denuo invitatur El. XI, 11. *Svecorum* cum *Gallo*. XI, 35. 36. 37. 39. Hujus cum *Bernensibus* defensivum. XI, 73. Electoris cum eo. XVIII, 44.
Inter *Gustavum* & Pomeraniæ Duc. II, 55.
Cum *Hispanis* incassum super fœdere acta. X, 40. 41. 42.
Inter *Hispanos* & *Belgas*. XII, 8
Super *Laxenburgico* fœdere disceptata. XVIII, 58. 64.
Cum *Leopoldo Hungariæ* Rege defensivum. VII, 17. 18. 19 20.
Cum *Luneburgicis* circa fœdus acta. XVIII, 100. 123 124. Qvod tandem coalescit. 135.
Cum *Monasteriensi*. XV. 7. cum eodem junctis Danis. XV, 7.
Qvadruplex fœdus. X. 27.
Rhenanum super eo enervando agitur. VII, 65. de amplectendo eo consultationes. IX, 63. ei nomen dat Elector. 65.
Inter *Saxonem & Bavarum*. XVII, 37.
Cum *Svecis*. super fiduciario & protect. fœdere acta cum eis V, 65. VI, 7. 8. *Mariaburgicum* cum iis 26. 27. 28. v. *Pactum*. Novum cum iis & super eo acta. IX, 67 68. 69. 70. cum *Svecis & Neoburgico*. X, 57. Horum cum *Gallo* & circa id disceptata. XI, 35. 36 37 39. Sveci fœdus offerunt Electori XII, 13. Super eo consultationes. 14. 15. 16. 17. Concluditur. 18. 19. 20. Super ratihabitione dubitatio. 21. ei includitur *Neoburgicus* 23. Novum & arctius cum iisdem XIX, 27. 28
Triplex fœdus. Super eo consultatio. X, 47. ad illud à Belgis invitatur Elector. XI, 2. ut & ab Anglo 3. v. *Pactum*.
Formula Recognitionis Feud. Lauenb. & Bytov. XI, 100.
Franciscus Lotharingiæ Dux Virodunensis Episc. Monasterii protestationem interponit. XVIII, 13.
Francofurtum ad Mœnum, ibi Conventus Deputatorum habetur. II, 1. Ratione suffragiorum oriuntur dissensiones 3. 4. Ut & Religionis atqve Amnestiæ gratia. 5. 6. 7. Loci itidem & Deputationis continuandæ ergo. 8. 9. De causa Palatina & conferendis pecuniis tractatur. 10. 11. Ob bellum inter Svecos & Danos magnus ibi animorum motus. 12. Item ob Gallicorum Legatorum literas 13. Iterum dissolvitur 14. 15. De Juliacensi Ducatu ibi conventio inter affines Principes IV. 7. Durante conclavi Leodoldi. acta. VII, 21. Super Cerimoniis in visitatione Legatorum. VII, 29. De exteris urbe Electionis tempore excludendis 30. Candidatis Imperii & Electionis tempore. 32. Moguntinus Consultationes publicas auspicatur. 34. Acta alia atqve disceptata super Electione & Capitulatione. 35. 36. 37 38. 39. 40. 41. 42. De Germaniæ qviete. 48 Conventus ibi sub tempora Neomag: tractationis indictus XVII, 10. Super Reunionibus Gallicis ibi in Conventu acta. XVIII, 34. 35. seqv: 45. 46. 47. 48 49. 50. 51. 67. 68. is conventus abrumpitur 69. Ærario militari in fœdere Augustano locus hic designatur. XIX, 31.
Francofurtum Electori restituitur. I, 45.
Frauenburgum sibi reservat Svecus. V, 73. Ibi cum Svecicis, Brandenburgici Legati super

 per

per cohjunctionẽ armorum tractant. VI, 20.21.22.23. De præmio societatis inter socios.25. Fœdus conficitur tandem Mariæburgi. 26. de Præfectura Frauenburg. quid cautum in Pactis Labiavienſibus, v. in formula VI,45.

Friburgum à Gallis expugnatur. XV, 19. Hunc locum ſibi prætendunt Galli. XVI. 91. Ipſis conceditur à Cæſare in formula pacis Neomag. XVII,24 art. 1.

Friderichſtadda à Svecis expugnatur. VII,11. ejus munitiones dejiciuntur. VIII. 10.

Fridericus III. Elector naſcitur. VI,66.

Fridericus Ludovicus Palatinus Bipontinus cum Neoburgico paciſcitur. IX. 76.

FRIDERICUS WILHELMUS ELECTOR Regimen orditur. I,3. Suſpectos Præfectos ab officiis removet. 5. Marchiæ calamitatibus ſubvenire ſtudet. 6. Hoſtilia adverſus Svecos omittit. 8. Werbenſe caſtellum diruit. 10. Minuendis Marchiæ oneribus Eqvitatum Cæſari remittit. 11. Winterfeldium ad tractatus cum Svecis Hamburgum mittit. 12. Sverinum & Leuchtmarum Stetinum. 13. Et hunc etiam in Sveciam ſuper induciis. 14.15.16 Ratisponæ per Legatos apud Cæſareos de induciis cum Svecis agit. 17. Super interceptis literis ſe excuſat. 18. Inducias cum Svecis erga Cæſarem excuſat. 19. Amneſtiam & Avocatoria Cæſaris per Marchiam publicari prohibet. 20. Inveſtituram Boruſſiæ à Polono per Legatos petit. 21. Querelis Polonorum reſpondet. 22. Cautio ejus Polono data rejicitur. 23. Exhibet aliam & Warſaviam proficiſcitur. 24. Declaratio ipſius Senatoribus Poloniæ data; *Inveſtituram ratione Boruſſiæ &c.* ſuſcipit. 25. Ut & Agnati ejus. ibid. De *induciis cum Svecis* ratificandis Legatos Mandatis inſtruit. 27.28.29. 30. Declaratio ipſius de iis. 31.33. Legatos in Sveciam mittit ad reducendam Mariam Eleonoram è Dania. 34.36.37. Ut & de induciis tractandis. 35.39. Super connubio cum Chriſtina ab eo acta. 40.41.46. II,23.35.40.48. 49.52.64. Iterum ſuper induciis Legatos mittit. 42. Temporariam conventionem cum Svecis init. 43. Efferanum Baronem in Sveciam mittit. 44. Literis apud Cæſarem ſe excuſat. ibid. Legatos ad Torſtenſonium & Sveciæ Reginam mittit. 45. De induciis cum Svecis non amplius ſollicitus eſt. 46. Cum Haſſis circa ſublevandas Cliviæ provincias agit. 47. Amicitiam cum illis reparat. 48. Conventio ipſius cum Haſſiæ Landgravia & querela contra Rabenhauptium. 49. Cæſari acta cum Svecis & Haſſis per Lœbium probare ſtudet. 50.53. Declaratio ipſius contra inſolens Gallaſii petitum. 52. Bellum inter Svecos Danosqve componere ſtudet. 54.55 Weſenbecium cum Mandatis Francofurtum mittit. II, 1.2. Judicii ejus de Religionis gravaminibus. 5. Ad Gallicorum Legatorum famoſas literas nil reſponſi reponendum cenſet. 13. In conventu Francofurtenſi ſolus per Legatos pro bono publico nititur. 15. A Cæſare ad tractatus Oſnabrug. & Monaſt. invitatur. 16. Legatos eò cum Mandatis mittit. 17. 18. De interpretanda pace religioſa agit. 30. Ad Thorunienſe Colloqvium Theologos mittit. 31. Pomeraniam Svedis cedere non vult. 32.33. De ſacrorum diverſitate moderate ſentit. 35. ejus ſententia ac rationes pro Pomerania retinenda. 37.41. Belgarum operam ideo ſollicitat. 42. ut & Poloniæ Regis. 45. Svecis valde inviſus. 51. Per legatos ſuos cum Svecis ſuper certa Pomeraniæ parte tractare inſtituit. 52. Conſultatio ipſius an Pomerania Svecis cedenda, an armis experiendum? 60.61. Separatim cum Svecis tractare incaſſum. 67. Ab omnibus de Pomerania urgetur. 68. Pro Religione reformata laborat. 69. *Matrimonium contrahit* cum Ludovica Juliana Auriaca. 72. Hagæ Ordinum Generalium conſeſſum ingreditur, & ibi verba facit. ibid. In cedendam citeriorem Pomeraniam conſentit. III. 1.2. Negotium Pomeranicum concludit. 9. Super penſatione ei motæ difficultates. 10.11.12.13.14.15. Quid ea pace amiſſum aut acqviſitum? 16. Fœdus cum Svecis inire ſtudet, ſed fruſtra. 17. Ac ut a Svecis loca ſua ſibi reſtituantur, & tributa remittantur. 20. Super evacuando Hammo cum Cæſareis agit. 22. Bipontinæ item Domus excluſionem à Juliacenſibus ditionibus urget. 23. Ut & dimovenda præſidia Belgica ex Cliviæ oppidis. 24 In Neoburgicum repreſſaliis utitur. 25. circa Poloniam valde eſt ſollicitus. 26. ejus ſuffragium circa electionem Regis. 27. Hiſpanos amicos habere ſtudet. 28. Ut ſua ſibi tradantur laborat. 29. cum Svecis de permutatione æqvivalentium agit. 30. Item de traditione locorum & Præſulatuum. 32. Weſenbecium Noribergam mittit. 33. 34. *Halberſtadienſem & Mindenſem ditionem accipit.* 35. Circa Pomeraniam reſtituendam difficultates. 36. Declaratio ejus ſuper hâc re. 37. Schœnaichium Noribergam ad Palatinum mittit. 38. Ut & Borgſtorfium. 39. Acta ſuper Pomeraniæ permutatione, limitibus, &c. 41.42.43.44.45. 46.47. Super limitibus Legatos Stetinum mittit. 49.50.51.52.53. Ut & ſuper vectigalibus. 54.55.56. Ac *tandem Pomerania Literi potitur.* 57. Expectativam in Novam Marchiam qvantum in ſe concedit Svecis. 58. Circa componendas ratione Pomeraniæ difficultates Cracovius Viennam mittitur. 59.60.61.62. *Pragam* ad Cæſarem *accedit.* 63. *In Unionem Electoralem recipitur.* 64. Ratiſponam Legatos Pomeraniæ cauſa mittit. 65. Fruſtra refuſionem damni ob detentam Pomeraniam qværit. 66. Inter *eum* & *Neoburgicum* diſſidia oriuntur. IV,1. Jus in Ducatum Juliacenſem deducit contra Neoburgicum. 2.3. Contra Bipontinam Domum. 4. Contra Saxonem. 5. Contra Comitem de Manderſcheid, Duces Bullionenſem & Nivernenſem. 6. Conſiderationes circa hanc controverſiam. 7.8. Cum Neobur-

INDEX RERUM.

burgico ter transigit Dusseldorpi. 23. 24. *Non servata à Neob. transactione, ad arma decurritur.* 25. Declarationem suam edit. 26. Erga Cæsarem hoc factum excusat. 27. 28. Ad compositionem cum Neoburgico est proclivis. 30. Interpositionem Archiducis, Lotharingi, & aliorum declinat. 31. Belgas admittit. 32. Ipse cum Palatino colloqvitur. 33. Essenam legatos mittit. 34. Legatos Lubecam mittit super condenda inter Svecos & Polonos pace. 36. Judicium ejus de eligendo Romanorum Rege. 38. Legatos Augustam Vindelicorum mittit. 39. 40. 41. Satisfactionem à Cæsare promissam frustra urget. 42. Post electionem qvoqve parum proficit. 44. Pro Evangelicis frustra intercedit 46. Turbis Bremensibus sedandis vacat. V, 1. Dobrzenium ad Svecum mittit Poloniamq; servare studet. 2. 3. 4 5 6. Svecis est suspectus. 7 8. Consilia sua in futurum disponit. 9. 10. circa id bellum deliberationes. 11. Item Svedi an Poloni fœdus amplectendum? 12. In Borussiam ire placet. 13. De Svecorum transitu consultat. ib. Polonos ad Pacem qværendam hortatur. 15. Responsum Majori Poloniæ datum. 16. Polono svadet ut Svecis satisfaciat. 18. 20. Sequestris munus simul recusat. ibid. cum Belgis fœdus init. 21. 22. Exiguo tamen fructu. 23. Per Lœbium erga Saxonem fœdus cum Belgis excusat. 25. Anglorum, Gallorumqve opem Prussiæ & Poloniæ servandæ gratia implorat. 26. Ut & Cæsaris. 27. Misso eam ob rem Lœbio. ibid. 28. 29. Boninum ad Cæsarem mittit 30. 31. sed sine effectu. 32. 33. 34. cum Svecis amicitiam servare. 36. 37. Et eos à Bello contra Polonos avertere studet. 38. sed Borussiæ Portus integros sibi cupit. ibid A Sveco liqvidum responsum elicere neqvit. 39. Interim ei optio relinqvitur num neutras partes seqvi, an rem cum Svecis gerere contra Polonos velit? 40. Ipsius judicium hac de re. 41. Adhuc per legatos Sveciam cum Polonia reconciliare studet. 42. Ac iterum cautionem urget. ib. 43 46. Societatem belli cum Svecis contra Polonos declinat. 56. In Borussiam cum exercitu tendit ac super illius defensione agit. 57 58. 59. Fœdus cum Borussis init. 60. exiguus hujus fœderis fructus. 61. ei à Polono summum Borussiæ imperium certis tamen conditionibus offertur. 61. Moscum frustra cum Polono reconciliare studet. 62. cum Sveco tractationem reassumit. 63. 64. 65. De Borussiæ invasione per literas qveritur. 66. Tempori cedere cogitur. 68. De induciis cum Svecis agit. 69. Ac tandem *cum ipsis transigit.* 70. 71. Pacta feudalia cum Sveco super Borussia inita. 72 73. Transactionem cum Svecis Cæsari indicat. VI, 1. Ut & Belgis. 3. Pacta cum Sveco per legatum Belgis communicat ac se excusat. 5. 6. 7. 8. Cromvello periculum ex orto isto bello indicat, atqve opem ipsius implorat. 9. 10. 11. Fœdus mutuæ defensionis cum Gallo init. 12. cum Svecis super illustratione pactorum agit. 13. super conjunctione armorum cum Svecicis consultationem instituit. 15. 16. 17. 18. 19. Qvomodo & qva ratione arma sua cum Svecicis conjungere velit, per legatos ostendit. 20. 21. sq. Sententia ipsius super propositis à Rege Sveciæ. 24. Pacem potissimum cum Polonis urget ibid. *Mariaburgi fœdus cum Svecis init.* 26. 27. 28. 29. ac Polonis respondet 30. Mosci amicitiam servare studet ac legatum ad eum mittit. 31. 32 Cæsari atqve Polono de conjunctione cum Svecis significat. 33. ut & Belgis. 34. *In Polonos cum exercitu tendit.* 36. *Prælium ad Warsaviam* feliciter cum eis committit. 37. 38. 39. Per literas & Dobrzenium prælium hoc apud Cæsarem excusat. 40. 41. Belgas Svecis conciliare studet. 42. de eo cum Polonis reconciliando solliciti sunt Belgæ. 43. super abolendo pacto Regiomont. cum Sveco agit. 44. Idqve impetrat *Pactis Labiavensibus.* 45. 46. De ea transactione Belgis significat. 47. Reconciliationem cum Polonis frustra tentat. 48. circa pacem satagit. 49. super præsenti rerum facie consultat. 50. Et Svecum ad pacem hortatur. 51. Ad conservandam qvoqve hanc inter Svecos & Danos Kleistium in Daniam mittit. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. sed frustra. 60. 61. Svecorum rebus diffidere incipit. 62. Ab Austriis, Danis ac Polonis invitatur ut fœdus cum iis ineat. 63. Belgarum in Svecos odium etiam in hunc redundat. 64. A Svecis enim disjungitur, & qvare. 65. 66. 67. Aurore Gosievio cum Polonis super pace tractare incipit. 68. Item de supremo à Polonis impetrando Borussiæ imperio. 71. considerationes ejus circa pacem inter Svecos & Danos. 72. Non nisi concesso supremo Borusiæ imperio, pacem cum Polonis inire constituit. 73. Sveci tractatus cum Polonis impedire studeat. 74. Qvare cum Polonis tractaverit? 75. Simulatam prius cum eis conventionem; 76. post *Welavienſia Pactamit.* 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. Sveco de sua cum Polonis transactione significat. VII, 1. Ad Sveci literas respondet. 23. Mosci amicitiam conservare studet. 6. Sub juramento silentii pacta Brombergensia Belgis communicat. 7. atqve opem eorum implorat. ibid. cum Danis contra Svecos, ut & super evictione pactorum Welav. fœdus init. 9. Brombergæ consilium habet cum Polono, & Harzfeldio. 10. Ab Austriis & Polonis auxilia contra Svecos petit. 11. Simul pacem cum his svadet. ibid. Opem Leopoldi per Lœbium frustra implorat. 12 13. 14. 15. *Fœdus* cum Leopoldo Hungariæ Rege conficit. 17. 18. 19. 20. Electionis actum differre cupit. 21. An ex Austriacis novus Cæsar sit eligendus, domi consultat. 25. Legatos cum mandatis Francofurtum ad Electionem mittit. 26. Colonienſem hortatur ne circa electionem Austriacis difficultatem moveat. 27. Palatini mentem circa electionem novi Cæsaris explo-

explorat. 28. Super Capitulatione adornandâ, & Colonienſis ſententiâ laborat, 32. Cum Saxone Lichtenburgi ſuper electionis negotio colloqvitur. 33. De abuſibus Francofurti admiſſis, multa monet. 38. *Suo ſuffragio Leopoldi electionem promovet.* 35 41. Super ferendo Danis auxilio fruſtra laborat 43. Anceps ejus propter Svecos conditio. 44. 45. Iterum hos ad pacem cum Polonis hortatur. ibid. Legatio in Poloniam. 46. Cum Auſtriacis ac Polonis Poſnaniæ per Legatos conſultat. 47. Pacis Polonicæ eſt ſtudioſus. 48. Reſponſum ejus Polonico Legato datum. 49. Pacem porro apud Polonos urget. 50. Acta ſua Imperio probare ſtudet & Ejus querelæ 51. Fœdus cum Leopoldo Hung. Rege initum ratum habet. 52. Suffragium Leopoldo datum ut & transactionem cum Auſtriis & Polonis apud Gallum excuſat. 53. 54. Reſponſum, Cromvelli Legato datum. 55. Svecum per Legatos ad pacem cum Polonis hortatur. 56. Sed hi inauditi dimittuntur. 57. Hinc ſcriptis inter eos certatur. 58. 59. 60. Reſponſio Legatis Electoralis Collegii data 61. Danis ſubſidio venire una cum fœderatis conſtituit. 62. Cæſarem implorat. 63. Super enervando Fœdere Rhenano agit, ne Svecis inde qvid auxilii præſtetur. 65. Ordinum Imperii auxilium fruſtra implorat. 66. Cum Gallis ſuper expeditione in Svecos communicat. 67. Ad Richardum Cromvellum ſcribit ac ſuper Svecis multa qveritur. 68. *Expeditio ipſius* in Holſatiam. 69. *Paciſcitur cum Gottorpienſi* Duce ibid. Item temporarie cum Dano. 71. Fœdus cum Dano. 72. 73. Acta ejus bellica in Boruſſia. 74. Cum Moſcis ejus Legatia acta. 75. *Servanda Daniæ* gratiâ *arma adverſus Svecum* arripit. VIII, 1. 15. 35. Belgas ad conſilia ſua flectere laborat. 2. Paci ſeparatæ ſe opponit. 3. Invitatur ad Tract. Hafnienſes. 3. A Fœderatis divelli non vult. 5. Pactum Hagenſe ipſi communicatur. Ejus Reſponſum ſuper eo. 6. 7. 8. 9. A Dano ſollicitatur, ut in Zelandiam trajiciat. 10. Montecuculo de indemnitate eventus bellici cavet & Fennoam occupat. 11. à Belgis nil ſubſidii obtinet. 12. Fioniam tentat. 11. 13. 14. Conſultatio ejus de invadendâ Pomeraniâ. 16. 17. 18. 19. 20. 21. Cæſari invaſionem hanc urgenti, reſpondet. 22. 23. 24 Ab iſtâ expeditione abhorret. 24. 25. Literas hinc inde mittit. 26. 27. 29. Fœderi Rhenano ſubſcribere dubitat. 27. Warnemundam occupat & Tribſeſam. 30. prælium in Fionia. 34. Lipſtadium invadit & Præſidium Strasburgenſe intercipit. 36. Cauſæ cur in Svecos arma arripuerit? 40. A Gallo urgetur, ne auxilia in Flandriam mittat: Ejus Reſponſ: 41. 42. Legatos in Poloniam mittit. 45. 46. 47. 49. Poloni ejus ſtudium erga Auſtrios improbant. 50. Danum Polonicis Tractatibus includi cupit. 52. 67. Propoſitiones ejus. 56. 59. 61. Cæſar ad eum mittit. 64. Polonorum feſtinationem in opere pacis, qvod procedit, ſiſtere non poteſt. 72. 74. 75. 76. Hoverbeqvium Warſaviam mittit ad firmandam Pacem, & conciliandam Poloni amicitiam cum Moſco 78. 79. De Elbingâ cum Polonis diſceptationes. 81. 82. 83. 84 85. Poſt hoc bellum tranqvilliora ſunt tempora. IX, 1. Legatos hinc inde mittit. 2. 3. 4. 5. 6. 11. Elbingæ loco in ſubſidium Braunsbergam poſtulat. 7. Veredariorum Gedan: gratiâ ad Polonũ ſcribit 8 Multis moleſtiis à Polonis afficitur & qvare? 10. 12. Qvod avertere ſtudet. 13. 14. 15. 16. Neqve remittendo qvid à Polonis impetrare poteſt. 17. 18. Ejus circa Arauſionenſem Principem ſtudium. 21. 22. 23. Eo tempore cum Anglis acta. 24. 26 28. Fœdus cum Angliæ Rege. 27. Inveſtituræ cauſa Legatum Viennam mittit. 29. 30. 31. In Sveciam honoraria miſſio. 32. de Ulfeldii conatibus Dano indicium facit. 33. Conventum inſtituit, de ſupremo Boruſiæ imperio & Conſilium, ſuper hoc firmando. 37. 38. 39. 40. 41. Hoverbeqvium ad Comitia Warſavienſia mittit, ubi ulterius de Boruſſiæ imperio & ſucceſſore in regno tractatur. 42. 43. 44. 45. 46. Circumſpecte cum Polonis de Borusſiâ agendum judicat. 47. An absqve Ordinum Borusſiæ conſenſu ipſi Templa exſtruere ac Reformatam Religionem promovere liceat diſceptatur. 48. Ipſe validâ Militum manu in Boruſſiam venit. 49. Regiomontanos ad obſeqvium reducit. 50. Jenam Heilsbergam ad Polonicos Commiſſarios mittit ſuper Braunsbergâ & Elbingâ. 53. Qvod negotium abſolvitur. 54. Homagium ſuſcipit à Boruſſiæ Ordinibus. 55. Blumenthalium in Galliam mittit. 56 57. 58. Reverſum iterum in Galliam remittit, ubi Fœdus cum Gallo abſolvitur. 59. 60. 61. 62. 63. Fœderi Rhenano ſe obſtringit. 63. 64. Conventionem cum Sabaudo ſuper titulis & ceremoniis init. 64. Cæſari Exemplar Fœderis Gallici communicat. 64. Crocovium in Sveciam fœderis cauſa mittit. 66. 67. Qvod perficitur. 69. Cum *Neoburgico tranſigit.* 71. 72. 73. 74. 75. 76. Cæſari auxilia in Turcam mittit, qvæ ibi rem bene gerunt. 77. 78. Jenam ad componenda Domus Luneburgicæ diſſidia. 79. 80. Marenholtzium ad componendam controverſiam de Wildfangiatu. 81. Ejus circa componendas Bremenſes turbas ſtudiũ. 82. Magdeburgum ad obſeqvium redigit. 83. Polonicos motus ſiſtere nititur & ſuper auxiliis Lubomirſcio ſubmittendis conſultat. 84 85. 86. 87. 89. Sed nihil pro eo proficit, 88. Neoburgicum in R. aſciſcendum Polonis inſinuat. 90 Brandium in Angliam mittit. X. 2. 3. Sed nihil impetrare ab Anglis poteſt. 7. Mediatoris utitur officio. 8. Studium ejus circa extingvendum *Bellum Monaſterienſe.* 9. Clivicas urbes ſibi à Belgis tradi poſtulat. 10. Conſiderationes ejus circa ſocietatem Belli Belgici. 11. 12. *Fœdus ejus* cum Belgis 13. Tractatus contra Epiſcopum Mo-

Monasterienſem. 14. Quem ab armis revocare ſtudet. 15. 16. Tractatus cum Monasterienſi abſolvitur. 17. Pari ratione Anglos & Belgas conciliare laborat. 18. 19 20. 21. 22. Fœderibus ſibi cavet. Fœdus cum Rege Daniæ. 26. 27 Auxilia ab eo petunt Hiſpani. 30. Conſiderationes ejus circa bellum Flandr. 31. 33 Declar: ipſius March: Badenſi data. 32. Aliorum Electorum atq; PPum ſententias ſuper hâc re explorat 34. Cum *Saxone* Zinnæ *congreditur*. 35. Danum à Galli amicitiâ modeſte avertere ſtudet 36. ut & Neoburg: 37. Conſiderationes ejus circa Epiſc: Monasterienſem. 39. Rationes qvæ eum moverint ut *cum Gallo fœdus* inierit? 41. 44. Reliqvis Princip: id approbare ſtudet. 45. 46. Conſultatio ejus ſuper Triplici Fœdere. 47. Conv: ejus cũ Neoburg: ſuper Corona Poloniæ, 48. Neoburg: causâ Legatos in Galliam mittit. 50. 51. 52. Item paci promovendæ. 54. 55. Cum Svecis agit ſuper promovendo Neoburg: 56. 57. Etiam cum Cæſare 58 59. Polonis auxilia contra Turcas promittit. 61. Drabeimo potitur. 64. Gallorum deſtinatis in Polonia obſiſtit. 67. Super Corona Pol. Ejus Reſponſ: 75. Neoburg: gratiâ Blumenthain Galliam mittit 80. 81. Sincerè amicit fidem præſtitit. 88. Belgis ad Triplex fœd: eum invitantibꝰ reſpondet XI, 2. A Gallo & Furſtenb: tentatur, qvibꝰ reſpondet 5 6 Crocovium in Galliam mittit ad avertendum bellum in Belgas. 7. Gallus ejus ſocietatem de novo petit, cui tamen *renunciat*. 11. Belgas ad avertendum Bellum hortatur. 14 Apud Gallum qvoqve de eo avertendo movet. 15. Furſtenbergius Eum denuo ad belli ſocietatem invitat. 16. Ut & Colonienſis. 17. It. Gallus, cui reſpondet. 18. A Gallo & Neoburgico ad Neutralitatem invitatur. 21. 22. Sententiæ de hâc. 23. 24. 25 Pacem incaſſum tentat. 26. San-Geranio reſpondet. 28. 29. 31. Brandium ad Svecum mittit conſiliorum explorandorum gratia. 32. 33. 34. 35. 36. 37. Sveci Ei communicant fœdus cum Gallo 39 Blumenthalium Hafniam mittit ad exploranda conſilia. 40. 41. 42. Marenholzium ad Moguntinum. 44. 45. Cum Brunſvicenſibus lis oritur ſuper Comitatu Regenſteinenſi. 46. Belgæ ejus fœdus ambiunt. 47. *Fœdus ipſum*. 48. Cæſarem in ſocietatem expeditionis invitat per Anhaltinum Principem. 49. 50. *Fœdus* Cum Cæſare. 51. Poelnicium ad Belgas mittit. 58. Expeditionem ſuam ſuſcipit, hinc inde auxilia petens 60 61. 62. 63. 64. Omiſſo Rheno in Weſtphaliam tendit. 67. Ab aliis Imperii Ordinib: nihil auxilii accipit. 68. Ad Conventum Ratiſponenſi: Literas mittit. 69. A Bavaro fruſtra auxilia petit. 70. Ut & ab aliis. 71. 72. 73. 74. 75. Angliæ Regi ad Literas reſpondet 77. Kroſeggium in Sveciam mittit. 79. Querelis Belgarum reſpondet. 81. Geſta ejus per Weſtphaliam. 82. Conſultatio de ineundâ cum Gallo pace. 83. Viennam eâ de re & Literas & Brandium mittit. 84. 85. Belgis qvoqve ſvadet inducias, 86. Ut & Arauſionenſi Principi. 87. An Separatus cum Gallo tractatus admittendus, conſultat? 88. 89. 90. 91. 92. Meinderſius transactionis gratia in Galliam mittitur. 93. 94. *Veſtemi pacem* cum Gallo facit. 95. Qvam Belgis indicat. 96. Et Cæſari. 97. Sveco. 98. ac Imperii Ordinibus. 99 Hoverbeqvium Warſaviam mittit propter Lavenburgum & Butoviam. 100. Item propter Pactorum Renovationem. 101 102. Kalcſteiniusei inſidias ſtruit. 103. Diſceptationes ſuper hoc facto. 104. 105. *Pacta cum* Polonis *confirmantur*. 106. Polonis auxilia mittit. 107 Et Scultetum in Moſcoviam. 109. Pacis conciliandæ gratia Sverinum *Coloniam* mittit. XII, 1. Marenholzium ad Cæſarem. 105. Per Sverinum pacem commendat Belgis, ſed fruſtra 8 Ipſius ſententia de Furſtenbergii abductione. 9. Fœdus ei à Sveco offertur. 13. Conſultationes ſuper hoc. 14. 15. 16. 17. 18. *Fœdus* ipſum procedit. 19. 20. Dubitatio ſuper ratihabitione fœderis oritur. 22. Belgæ ejus amicitiam & fœdus implorant. 24. 25. Deliberat circa diſponenda in futurum conſilia. 26. 27. Fœderis Svecici excuſandi gratiâ Crocovium Viennam mittit. 28. Acta ibi. 29. 30. A Gallo per Verjum tentatur. 31. 32. Cum Cæſare tractat ſuper conjunctione. 33. Ut & Hiſpano & Belgis. 34. *fœdera* inter hos 35. Sverinum in Angliam mittit. 36. De deſtinatis ſuis Gallo ſignificat 38. Ut & Sveco per Wangelinum, ut Palatinus & Trevirenſis reſtituantur. 39. 40. 41. 42. 43. 44. *Expeditioni* ſeſe accingit. 45. 46 *Geſta* ipſius per Alſatiam. 46. 47. 49. Kneſebecium ad Helvetios mittit. 48. Rhenum iterũ tranſit. 49. Religio ipſius Cæſareis eſt ſuſpecta. 52. à Sveco contra Gallum auxilia poſcit. 53. Svecus reſpondet ei. 58. Cenſuræ de his literis. 59. Apud Belgas à Svecis accuſatus, ſe excuſat. 62. Contra Svecorum conatus, opem Ordinum Imperii & aliorũ expoſcit. 64 66 Marchiam ipſius invadunt Svedi. 65. Certior hâc de re factꝰ reſcribit Anhaltino 66. Michaelis Pol. Reg mors, non modicã ipſi curã injicit. 67. Sollicitꝰ eſt de Polon: Regni ſtatu. 67. 68. 69. Mand: Hoverbeqvio circa eligendũ Poloniæ Reg: data. 75. Tractatum cum Neoburg: D. conficit. 67. cum Lotharingo ſuper eodem negotio agit. 77. 78. Alſatiâ excedit & hiberna in Francon. capit. XIII, 1. 2. Hoſtilia in Svec: ſumi vetat. 3. 4. Auxilia à Belgis petit. 6. 7. 8. 9. Item à Cæſare. 13. 14. Ratiſponæ Acta. 15. parum inde auxilii. 16. 17. Hanoveranum rogat. 18. 19. Ut Sequeſtris fruatur officio. 20. Item Monasterienſem. 21. Sverinum mittit in Angliam. 22. It: Legatos in Daniam ad petenda auxilia. 24. Suſpiciones circa Danorum mentem. 25. Deſponſatio Ulricæ Eleonoræ eum turbat. 31. Marchia valde devaſtatur à Svedis. 33. In Marchiam redit ac Svecos ad Ratenav. & *Fehrbell.* opprimit. 34. 35. 36. Singulari in eo bello prudentia uſus. 57. Apud Cæſarem ſuper ſatisfactione agit. 40. 41. Danum ad bel-

bellum cum Sveco denuo hortatur. 43. 44. Secretum cum Dano fœdus in congressu pangit. 45. Cum Hanoverano qvoqve & Monasterienſi. 46. 47. Cum Monasterienſi in Bremenſem provinciam irrumpit. 49. 49. Concordiam inter fœderatos ſervare ſtudet. 51. 52. 53. Una cum Cæſareis ac Danis in Pomeraniam irrumpit. 54. 55. 56. 57. Cum Polonis ambigue agitur. 58. 59. 60. Scultetum in Moſcoviam mittit. 61. Cauſam ſuam Neomagi commendat Anglo 65. 70. Hoverbeqvius in Poloniam ablegatur. XIV. 1. Ut eos à Gallorum & Svecorum amicitiâ avertat. 2. 3. Et pacta confirmet cum eis. 4. 5. Poloni parum amici pollicentur. 6. Majores Polonos ſibi adjungere ſtudet. 7. 8. Polonos ad invadendam Livoniam ſtimulat. 11. Scultetum ad Polonos Majores mittit. 12. Cum Cæſareis ſuper ſatisfactione agit. 13, 14. 15. 16. 17. 18. Item ſuper pacto mutuæ ſucceſſionis, cum Domo Auſtriaca. 19. Et circa Cæſaris nuptias. 21. 22. Hanoveranum fruſtra in partes ſuas pertrahere tentat. 23. 24. Ut & Bavarum. 25. Acta cum Monasterienſi circa Bremenſem partitionem. 28. 29. 30. 31. Cum Luneburgicis & Monasterienſi conventionem init ſuper auxiliis. 32. Brandium Hafniam mittit. 34. *Fœdus* ipſius cum Dano contra Svedos. 39. 40. cum Belgis ſuper perpetuo fœdere agitur. 41. 42 Ruckium in Hiſpaniam mittit. 43. Ab Anglo inhibitionem Svecicarum navium fruſtra petit. 44. Armâ ejus contra Svecos ſunt felicia. 45. Pacem à Gallo & Sveco oblatam recuſat. 46. in Pomeraniam irrumpit & Anclamo potitur. 47. Ac Demmino. 48. Hibernorum gratia difficultates ei oriuntur, Meinderſium igitur mittit ad Cæſarem. 49. 50. 51. 52. 53. 54. Et Kneſebecium Dresdam. 55. 56. Somnicium & Blaspielum cum Mandatis Neomagum. 68. 71. Per Crocovium apud Cæſarem de Hoſpitiis circa reficiendum Exercitum proponit. XV, 2. Conventus Brunſvicenſis ei parum favet. 3. Super ſatisfactione de Pomeraniâ cum Cæſareis agit. 4. Hanoveranum in Partes ſuas trahere fruſtra tentat. 6. Cum Dano & Monasterienſi *fœdus* init. 7. Gladebecium Cellas mittit ad petenda auxilia & Hoſpitia. 8. A Cæſareis propter Rebelles Hungaros, ab Hiſpanis, propter inopianm nil impetrat. 9. 10. 11. Polonorum Machinationibus per Hoverbeqvium obſiſtit. 12. *Pacta* cum Polonis *renovat*. 14. Moſcos contra Svecos excitare fruſtra laborat. 15. *Stettinum* obſidet & expugnat. 18. Circa hiberna iterum ei oriuntur difficultates. 20. Ipſius Reſidens Polonia exire jubetur. 21. Polonus ipſi eſt ſuſpectus. 22. Propter Strauchii liberationem reſpondet. 23 24. Propter Liliehœckii invectivam ad Svecum ſcribit. 25. 26. Et ad Polonum variis de cauſis mittit. 30. Propoſitiones ejus in conventu Neomagenſi. 43. 47. 50. Reſponſum ad Galli ac Sveci propoſitiones. 54. Epiſtola ejus ad Belgas de feſtinatione pacis. 57. De Belgarum cum Anglo Fœdere apud eos qveritur. XVI, 5. 6. Ejus conſiderationes circa iſtud. 7. Cæſarem Aulæmentem per Crocovium explorat. 8. Declaratio ipſius Arauſionenſi data. 14. Paci Belgarum cum Gallis apud Anglum fruſtra ſe opponit. 27. Ut & apud ipſos Belgas. 28. 30. Ipſe Pacem qværit ſi totâ Pomeraniâ potiatur. 31. 32. 34. Belgas ad fortia conſilia ſtimulat. 39. Sed pax procedit. 48. Epiſtola ad Belgas ſuper Pace. 50. Conſultatio ſuper Petitis Brunſvicenſium & Luneburgenſium. 53. 54. 55. Petita Brunſvicenſium & Luneburgenſium cum Monasterienſi communicat. 56. Ut & Dano cum qvibus *fœdus* init. 57. Conſultatio ipſius ſuper expeditione bellicâ. 59. *Rugiam* Inſulam occupat. 60. *Stralſundam* primo literis. 61. Deinde armis tentat & *expugnat*. 62. Ut & *Grypswaldam*. 63. Svecorum è Livoniâ irruptionem in Boruſſiam avertere laborat. 65. *Strauchium* in gratiam Poloni è cuſtodiâ dimittit. 66. Conjurationem qvandam Poloniæ regi aperit per Niemericium. 67. Scultetum propter Svecorum irruptionem in Boruſſiam & Majorem Poloniam mittit. 68. Cum exercitu in Boruſſiam ire cogitat. 69. cum ſuis qvid deficientibus ſociis agendum conſultat. 75. Per Eſpencæum & Meinderſium Galli mentem ſuper Pomerania explorat. 76. 77. Ut & Cæſaris per Crocovium. 79. 80. 81. 82. 83. 84. Ulterior ipſius conſultatio ſuper præſenti rerum ſtatu. 85. Ad Cæſarem ſcribit. 86. Cum Cellenſi qvoqve Duce conſilia communicat. 87. Ordines imperiiei videntur eſſe adverſi. 88. Proteſtatio ipſius contra formulam pacis à Cæſareis exhibitam. 94. 95. Obtinet confirmationem pacti hæreditarii ſuper Juliacenſibus ditionibus à Cæſare. 96. Cum *Belgis* decennale fœdus init. 97. 98. 99. 100. Irruptioni Svecorum in Boruſſiam opponit vires. XVII. 2. Ipſe in Boruſſiam ſe confert. 4. ac eos *fugat*. 5. 6. Auxilia à Polonis expoſcit. 7. A Pacio tranſitum per Samogitiam. 8. Et à Polonis Tormenta Hornii. ibid. De præcipitatâ Cæſareorum atqve Luneburgicorum cum Gallo pace qverelas agit per Crocovium. 10. 11. Item ſuper non communicato articulo 26 pacis Cæſareo-Gallicæ. 19. De non præcipitandâ pace Cæſareos monet. 21. Contra pacem eorum cum Gallis, 22. & Svecis, 30. Ut & Uſurpationem Legationis Cæſareæ proteſtatur. 26. Conſultat qvid hoc rerum ſtatu faciendum? 32. Ratihabitionem pacis Neom. impedire ſtudet. 33 34. 35 36. Ratisponæ paci fruſtra contradicit. 39. Cellenſem Ducem à Neomagenſi pace avertere fruſtra laborat. 40. 42. Ut & Oſnabrugenſem Præſulē. 41. Ab Hiſpanis nil auxilii accipit. 43. Ut & Anglis. 44. Neomagi *inducias* cum Gallis init. 54. Belgarū operâ ſuper tuendâ Cliviâ fruſtra implorat. 56. Super prorogandis induciis pactum. 60. 61. Ad Gallū ſcribit. ibid. Ad Belgas. 62. 64. Ad Iſalam exercitū ducere intendit. 65. Meinderſium duplici vice Neomagum Hagam & in Galliam ad avertendum Gallum

lum à Sveco frustra ablegat. à 5. 66. usqve. 75. Tandem necessitati cedit. 76, Ut Danus qvoqve paci includatur laborat. ibid. 80. *Pax* inter Eum & Svecos, *San-Germanica* conficitur. 80. Qvam Anglo significat. 81. Ratificationem hujus Creqvio mittit. 82. Super executione pacis cum Gallis agit. 83. Et cum Svecis super ratificatione. 84. Dano Meindersii missionem in Galliam indicat & à Scaniæ tractatu dehortatur. 85. Eidem de ineundâ cum Svecis pace significat. 86. Ac se excusat. 89. Ipsius Responsum Dano datum super invasione Hamburgi. 93 Item Luneburgicis. 95. Sequestrem se huic rei offert. 96. 97. Qvare Galli amicitiam affectaverit? XVIII, 1. 9. Considerationes ejus circa fœdus cum Gallo. 2. Declaratio ad oblatum ab Anglo fœdus. 3. 4. Ut & à Cæsare. 5. 6. Ab Imperio satisfactionem frustra petit. 8. Dani amicitia ipsi est suspecta. 9. Hispanicis navibus repressaliarum jure manus injicit. 10. Factum istud per suos excusat. 11. *Magdeburgici Ducatus* possessionem accipit. 12. Associationis fœderi subscribere non vult. 13. Cum Ernesto Augusto *fœdus* init. 25. Ut & cum *Saxonia Electore*. 16. *Nuptias Radzivilæ* prosilio Ludovico ambit. 27. Super eo connubio acta. 28. 29. Super Indigenatus jure cum Polono agit. 30. Or. Friliæ Ordinum *protectionem* suscipit. 31. *Navigationem in Guineam* instituit. 32. Pactum cum Belgis eâ de re conficit. ibid. Super Gallorum Reunionibus Legatos mittit. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 41. 42. Cum Hanoverano præsens communicat. 40. Cum Dano qvoqve deliberat anne pax cum Gallo præ bello sit eligenda. 43. Cum Gallo *fœdus* init atqve opem ipsius implorat. 44. Qvare paci magis cum Gallo qvam bello studeat? 50. 53. 56. Austriorum sententiæ qvædam opponi curat. 55. Ea de re Crocovium Viennam mittit. 56. Ut & super satisfactione. 57. Qveritur super Laxenburgico fœdere. 58. 64. 78. Neoburgicum ad pacem cum Gallo promovendam hortatur. 60. Cæsari res Hungariæ commendat. 63. Canicium ad Moguntinum mittit. 65. Cum Dano *fœdus renovat*, conventionemqve init. 70. Circa Gottorpiense negotium eum admonet. 71. Monasterienſem qvoqve *in fœdus* suscipit. 72. Belgas ad pacem permovere studet. 73. Cum Sveco agit. 75. 77. Cum Saxone consilia confert. 78. 79. 81. Pacem cum Gallo Cæsari commendat. 80. Misso eam ob rem Sverino. 82. Ut & Laxenburgici fœderis atqve prætensionis gratia in Ducatum Lignicencensem. 83. 84. 85. In Poloniam qvoqve mittit Crocovium 86. Polono auxilia contra Turcam mittit. 87. Considerationes ipsius circa Svecum. 90. 91 92. Cæsari 12000. Militum offert ad bellum Turcicum. 95. Qvare hoc propositum fuerit irritum? 96. Et in liberatæ Viennæ partem non venerit? ibid. Inter Boreales pacem servare studet. 97. Dano qvietem commendat. 98. Ut & Luneburgicis. ibid. Fœdus cum his inire cupit 100. Responsum ejus Saxoni datum 101. Bellum Gallicum avertere laborat. 102. Galli destinata eludit. 104. Apud Cæsarem de pace cum Gallo urget. 105. Luneburgicos ad pacem permovere studet. 106. Apud Gallum de Aurausionensi agit. 107. Jus ad Arausionensem principatum pro ipso & liberis suis sibi salvum cupit. ibid. Ejus Declaratio erga Cæsaris Legatum. 109. 110. Serio rem cum Gallis agi monet. 111. Germaniæ securitatis restituendæ gratia Fuchsium ad Hanoveranum & Cellensem mittit. 112. Item ad Colonienſem. 113. Cum qvo consilia confert. ibid. 114. *Fœdus* cum Dano & Colonienſi init. 115. Belgas ad pacem cum Gallo & bellum contra Turcas adhortatur. 116. 118. 119. Anglos qvosdam profugos recipit. 117. Bellum à Belgis avertere studet. 120. Luneburgenses in sui partes pertrahere Daniqve ardorem temperare. 121. 122. Formula fœderis cum Luneburg. ipsi non satisfacit. 123. Moderatiora tamen his & Dano svadet. 124. Colonienſi itidem. 125. Ac Gallo. 126. de Pacto super Dœmitzâ qveritur. 127. Belgis iterum pacem cum Gallo svadet. 128. Sententia ipsius de Circuli Burgundici guarantiâ. 130. Responsum Bavaro de induciis datum. 131. Item Cæsari, de Lutzenburgi invasione. 132. vid. *Ratispona*. Cum Luneburgensibus *fœdus* init. 135. Ejus circa Svecos cura. 136. Polonis certis sub conditionibus auxilia contra Turcas mittit. 137. *Hohenzolleranum titulum* assumit. 138. Sverinum Viennam mittit obres Ducatui suas tangentes. XIX, 1. Responsum Freitagio, circa auxilia contra Turcam datum. 2. Ad novum Angliæ regem Spanhemium ablegat. 4. Propter religionem cum Belgis funditus reconciliari studet. 5. *Fœdus* cum eis renovat. 6. Qvod erga Danum excusat. 7. Ut & erga Gallos. 8. 9. 10. Scriptam tamen declarationem dare Gallo recusat. ibid. Literis interim mentem suam explicat. 11. Gallorum facta contra inducias eum valde movent. 12. Ejus opera circa Palatinam successionem. 13. 14. 15. Persecutio Reformatorum in Gallia eum à Gallo prorsus avertit. 16. In eorum favorem Edictum promulgat atqve eos recipit. 17. Propter facta in Arausionensem perpetrata, ut & Protestantium persecutiones cum Gallo expostulat. 18. Wurtenbergico Duci super Juvignii facto sententiam suam indicat. 19. Cum Svecis amicitiam instaurat. 20. Inter Cellensem Ducem ac Hamburgenses exortis turbis, sequestrem se offert. 21. 22. Acta eâ de re apud Cæsarem 23. Apud Cellensem. 24. *Viennale Fœdus* cum Cæsare init. 25. *Copiæ* ad *expugnandam Budam* mittit. 26. Cum Sveco Fœdus ferit. 27. 28. Gallum ne contra inducias agat, monet. 29. 30. Augustano fœderi se illigare recusat. 31. Ipsius judicium de Literis nomine Imperii ad Gallum scriptis. 33. Lauterensis & Simmerensis Ducatus invasionem dissvadet Aurelianensi.

34. Judicium de ejus Statuâ Regiâ. 35 Dano Galli atqve Hamburgi gratiâ moderata ingerit. 36. *Hamburgi defenſionem* contra Danum ſuſcipit. 37. Eum adhuc à tali conatu dehortatur 38. 39. 40. Et Regi & urbi amicam compoſitionem ſvadet. 41. 42. Hamburgenſium cauſam Sveco commendat. 43. 44. Ejus ſententia de Galli induciis in pacem mutandis. 46. Cum Gallo ſuper his diſceptat. 47. & cum Cæſare ſuper eis agit. 48. 50. 51. cum Joanne Adolfo Saxoniæ Duce ſuper IV. Præfecturis Magdeburgicis *tranſigit* 53. Moſcicum legatum audit. 54. Belgarum edictum circa Monachos &c. probat. 55 Super Trarbaci munitione apud Gallum qveritur, Cæſariq; mentem eà de re aperit. 56. 57. 58. Furſtenbergii electionem in Coadjutorem Colonienſem impedire ſtudet. 59. 60. Qvare Legatos in Polon. miſerit? 61. circa componendam inter Daniæ Regem & Gottorpienſem Ducem controverſiam laborat. 62. 65. 67. 68. 69. 70. 74. 76. 77 80. 81 82. Qvæ tamen poſt mortem ejus demum componitur. 83. v. *Altona*. cum Arauſionenſi ſuper Jacobi II. Angl. Regis deſtinatis conſilia confert. 99. Ejus morbus, cura extremorum, dicta & monita ad Suos; item obitus. 100. Stemma. 101 Educatio. 102. Matrimonium & Liberi. 103. Animi item atqve corporis dotes. 104. Ejusdem felicitas. 105.

Fridlandus Stralſundam fruſtra oppugnat. XVI, 61.

Friſia factioni cum Gallis ſe opponit fortiter XI, 55.

Friſia Orientalis, ejus Ordinum protectionem Elector ſuſcipit. XVIII, 31.

Fuchſius Cellis tranſitum pro Brandenburgicis legionibus impetrare neqvit XVII, 42. Ad Danum mittitur. XVIII, 43. Hanoveram. 106. 112. Ad Colonienſem 113. Paderbornenſem Præſulem & Colonienſem. 113. 114 115. Ad Belgas. 116. 119. Amſtelodami adventus ipſius gratus. 118. Ad Arauſionenſem atqve Belgas ablegatur. XIX, 5. Renovandi fœderis gratiâ. 6. Fœdus cum Svecis conficit 17. Hamburgenſis negotii cauſa ad Danum mittitur. 41. Ad componendam Gottorpienſem controverſiam ablegatur. 70. 71. 72. 76. 80. 81. 83.

Fürſtenbergii inſtigant Colonienſem, ut Domui Auſtriacæ difficultates circa Electionem moveat. VII, 27. 31. 35. Qvare Gallo ita mancipati? XI, 20. Iterum reſtituuntur. XVII, 24. art. 23.

Fürſtenbergius [Franciſcus Egon] temperamentum coram Gallo pro fratre captivo proponit XIII, 67. Difficultas circa diploma ejus ad conventum Neomagenſem. XIV, 59. An ad Negotium Neomagenſe ſit admittendus. XV, 40. Gallum Argentorati alloqvio excipit, & Cathedrale templum ritu Romano imbuit. XVIII, 21.

Furſtenbergius [Wilhelmus Egon] Brandenburgicum ad Galli partes adverſus Belgas trahere ſtudet. XI, 5. 6. 16. Bonnam captivus ducitur. XII, 9. In Galli gratiam totam Germaniam turbis involvit. 33. Fax & tuba omnium malorum. XIII, 64. circa eum liberandum acta. XII, 33 XIII, 64. XV, 40. circa eum temperamentum 67. In Neomagenſi negotio de illius liberatione proponitur. XV, 40. XVI, 90. Pace Cæſareo-Gallica liberatur. XVII, 24. art XXIII. Ipſius ſententia de Gallorum reunionibus. XVIII, 38. Coadjutor Colonienſis artibus Gallorum eligitur, cui rei contradictum ab Imperio. XIX, 59, 60.

Fürſtenwalda cum Sveciæ Rege Brandenburgici Legati colloqvuntur. V, 54.

G.

Gadebuſchi cum Dano congreſſus. XIII, 43.

Gallia aliorum maxime culpa ad id potentiæ faſtigium provecta. IX, 1. à Polonis ratione Imperii deſcribitur. X, 77. ejus qvantum olim in Svecia ſtudium. XII, 57. herili conſtat Imperio ibid. XVII, 78. XIX, 16. De Jacobi familia peſſime merita. XIX, 4. cur ipſi ab Imperio nil infeſti metuendum. 47. Perſecutio Reformatorum ei maximopere damnoſa. 55.

Gallici Scriptores prætenſiones ſui Regis in univerſum prope mundum extendunt. X, 34. XVIII, 83.

Gallica Connubia Exteris infinita mala attulerunt. XIX, 84.

- - - *Claſſis* Danum ad bellum inſtigat. XVIII, 98.

- - - - *Corona* obtentui ſumitur reunionibus, XVIII, 13 14.

Gallica rationes ſæpiſſime coloribus nituntur. XVIII, 19. ac nulla eſt tam deformis, qva non utantur ubi commodum videtur. XVI, 23.

Gallica Lingvæ & Veſtitus amor Germanis mali videtur ominis. XVIII, 48.

Pecuniam Gallicam ex vero deſcribit Oxenſtierna. XVIII, 76.

- - - - - *Prætenſiones* in infinitum ſe extendunt. XVIII, 50. 54.

Gallici Legati inſolentes ac famoſas literas ad Cæſarem & Electorem mittunt. II, 13. circa cerimonias Francofurti ſcrupulos movent. II, 18 cum illis ſuper titulo difficultates Monaſterii. 21. 22. Acta eorum cum Brandenburgicis ſuper Pomerania. 34. 36. De cedenda Sveco Pomerania ſvadent. 41. 47. 53. 56. Triplicem viam circa componendum de Pomerania negotium Brandenburgicis proponunt. 57 68. Belgicorum acta improbant. III, 4. Pomeranicum negotium ad finem perducere juvant. 9. Neomagenſe negotium per varia diverticula eludunt. XV, 40. inter hos & Cæſareos de pace agitur. 90. 91. Hiſpanicæ pacis ratihabitionem extrahere ſtudent. 93. In pacis Neom. negotio ſe inſolenter gerunt. XVII, 15 Super articulo XXVI pacis Cæſareo-Gallicæ cum Cæſareis diſputant. 16. 17. Eorum notæ ad Cæſareorum declarationem. 18. 25, Omnia pro lubitu

lubitu agunt.20. *Imperii* vocab. Galliæ regno anteponi nolunt.ibid. Pax inter eos cum Cæſare ſubſcribitur, & dicterium de illa pace.23. Danum & Electorem ad pacem urgent, & ſuper ea re diſputata.46.47. Pacem ineunt cum Monaſterienſi.55. Propter profugos è Gallia receptos cum Electore expoſtulant. XIX,18. Offenſam ob Edictum Potſtamenſe apricantur.19. De Auguſtano fœdere qveruntur. 30.32. Inter Anglum & Arauſionenſem diſſidia ſerunt. 89. Connubium Radziviliæ in Polonia primo improbant, poſt comprobant.XVIII, 29. Qvid Francofurti ſuper Reunionibus propoſuerint? 33. 45. 49. A Gallicæ lingvæ uſu deſiſtere nolunt.48.49 Reunionum negotium Ratiſponam pertrahi malunt. 51. vid. *Reuniones*. Brandenburgici fœdus cum Belgis renovatum improbant.XIX,8.9.11.

Gallicus Clerus contra Pontificis autoritatem qvasdam propoſitiones in conventu ſtabilit. XIX,16.

---- Gubernator nomen ſuum ſupra Angliæ Regis adſcribit XVI,40.

Gallicus Legatus Juvignius qvantum ſibi ratione ſacrorum Stutgardiæ arrogaverit. XIX, 19. 1678. male à Veziero Turcarum exceptus, qvod tamen Rex ægre non tulit. XVI, 23.

Galli Svecis favent. II,34. Electorem ad arma paranda hortantur.III,20. una cum Svecis Electorum autoritatem circumſcribere meditantur. 63. Svadent ut cum Svecis contra Polonos arma ſociet Elector. VI, 11. Svecos contra Cæſarem incitant.40. Pacem inter Polonos & Brandenburgicos ſuffla-minare laborant.68. Germanos laceſſere non deſinunt qvamdiu à tergo hoſtis. 75. Eorum machinationes circa dejiciendos Auſtrios à Cæſareo faſtigio. VII, 31. eorum minæ de non eligendo Auſtrio non attendendæ.43. varia qveruntur. 37. Conſilia eorum ſuper electione novi Cæſaris alium ac ſperârunt ſortiuntur eventum.42. Rhenanum fœdus ipſis eſt ludibrio.65. Super expeditione in Svecos cum iis diſputata. 67. viam qværunt, ut Polonos atqve Auſtrios diſſocient.ibid. De eligendo ex illis Rege in Polonia conſiderationes. IX,20. Eorum auxiliis non multum fidei.IX,78. Emtioni Cliviæ Ducatus ſi venalis ſit ſe offerunt. X,16. cur Polonis inviſi. X,60. Abdicationem Joannis Caſimiri urgent.X,66.67. Magna circumſpectione agentibus cum illis opus, qvod docent artificia circa illudendum Neoburgicum in Coronæ Polon. ambitu oſtenſa.90. Eorum technæ & conſilia ſuper invadendo Europæ dominatu altius repetuntur, & ab origine. XI,1. Keiſersbergam tendentes inopina ſtrage afficiuntur. XII, 47.49. De perpetuo diſſidio inter Cæſarem & Ordines alendo laborant.XII,61. Gallis dira imprecantur qvi bene conſulunt Svecis.ibid. Polonos cum Electore committere laborant.81.XIII,58.59. XIV, 2.4. trans Rhenum pelluntur.XIII,38. Luneburgicorum de illis victoria.ibid. eorum machinationes in Hungaria.XIV,10. XV,9. etiam hieme res ſuas in Belgio gerunt.XVI,13. Qvibus technis atqve mendaciis contra fœderatos uſi ſint.XVI,36. Horum inſtinctu Sveci è Livonia in Boruſſiam irrumpunt.68. ad Montes Hannoniæ ab Arauſionenſi vapulant. 70. Svecis omnia ab Electore reſtituenda contendunt.77. Dum de induciis agitur Juliacenſem tractum cum Aqvisgrano occupant.89,90.91. In Clivia atrociter graſſantur.92. Cliviam invadunt.54. Inducias cum Brandenb. ineunt.ibid. Incendiis & invaſionibus Electorem ad pacem urgent.61. Arma non prius deponere volunt qvam Svecis ſatisfactum.74. 75.77. 78.79.80. eorum potentia formidanda. XVIII,5. cum Fœderatis ſuis qvomodo agant, & qvid ab illis expectandum ſit, Oxenſtierna diſſerit. XVIII, 76. Gallos qvare averſetur tantopere Sveciæ Rex.XVIII,76. eorum colluſiones cum Turcis. 96. Noluntab Imperio arma parari.XIX,30. De Auguſtano fœdere qveruntur.31. eorum animus in Svecos. II, 50.56. VII,53.67. XII,44. à Trevirenſibus magnam pecuniæ vim poſcunt.XIX,12. Cur Galli Polonis inviſi. X,60.

Gallus Bavarum ferro flammisqve perſeqvi jubet.I,53. Super titulo ipſi tribuendo Monaſterii diſputata. II,14.21. Gardii petitum recuſat. 56. Poſt mortem Juliacenſis Ducis Principibus nonnullis auxilia ſua offert. IV,11.13. Auxilium mittit ad occupandum Juliacum.14. Fœdus mutuæ defenſionis cum Electore init.VI,11. Qvare ipſius imperium declinandum? VII,21. Propria manu ad Electorem ſcribit 53. Cum eo tunc acta.ibid. & 54. Sveco evictionem promiſit, ſi ejus Provinciæ Germanicæ invadantur. VIII,27.42.63.64. Sententiam ſuam exponit Electori.39. 40. Pomeraniæ invaſionem aculeatis verbis improbat. 42. Ejus declaratio ſuper Art.II. pacis de Amneſtia.76. Ad eum legati mittuntur.IX,4 Immiſcet ſe turbis Arauſionenſibus. 21. Legatum mittit ad Electorem & fœdus offert.34. ejus Poſtulata.35.36. ad eum mittitur legatus. 56. acta ejus ſuper fœdere.57.58. Fœdus tandem abſolvitur & renovatur ſtatim. 59. 60. 61. Qvali honore afficiat Electores. 64 ut novus Poloniæ Rex eligatur efficere cupit. 87. Neutralitatem Belgis atqve Anglis promittit.X,4. ejus ſententia de Tractatibus Bredanis. 25. ejus deſtinata de invadendo Belgio Hiſpanico & artibus circa bellum inter Anglum & Belgas.28. 29. Electori illa aperit.29. Fœdus inter qvosdam Germaniæ Principes conflare ſatagit.37. Electorem ad amicitiam ſervandam invitat.42.43. Fœdus ipſum.44. Elector ei commendat Neoburgicum.50. Cui in ſpeciem ſtudium promittit.51.52 ut & ad pacem promovendam. 54. 55. Brevia bella ſed crebra ad exemplum Turcarum optat.55. Abdicationem Joannis caſi-

Casimiri urget. 66. 67. Neoburgicum commendat. 69 79. sed in speciem. 86. Technæ & consilia super invadendo Europæ dominatu. XI, 1. De bello Belgis inferendo agitat. 4. Electorem in sui amicitiam trahere tentat. 5. 8. 11. Causæ illius belli. 9. Callidis artibus Anglum in partes suas trahit. 10. Lotharingiæ Ducem ditione sua ejicit. 12. ejus sententia de turbis Polonicis. 13. Electorem ad Neutralitatem invitat. 21. 28. 29. 31. Ab eo jactata de supprimendis Belgarum fœderatis. 34. Cum Svecis duplex fœdus init. 35. Cæsari scribit, qvod nihil contra Imperium sit tentaturus. 50. Secretum ejus fœdus cum Cæsare 51. Vaugyionum Comitem ad Electorem mittit. 51. 53. Fœdæ pactionis formulam Belgis præscribit. 55. Arausionensi blanditur. 57. Principibus Rheni omnia dira minatur, si ei resistant. 60 Cur hostis Ratisponæ non judicetur. 70. Anglo maximam pecuniæ vim mittit, ne deserat partes. 74. Vossemi cum Electore tractat & pacisci tur. 94. 95. Postulata ejus in negotio pacis Coloniæ instituto. XII, 4. 5. 6. 7. 8. Propter Fürstenbergii abductionem Legatos suos revocat. 10. Trevirensem bello invadit. 11. Qvod per legatos excusat. 12. Palatinatum invadit 30. Electorem in diversum trahere tentat. 31. 32 Furstenbergii restitutionem ante pacis tractationem urget. 36. Elector de suis destinatis ipsi significat. 38. Svecos in Brandenburgicum per Feqvierium excitat. 53. Pro Condæo ad Polonicam coronam promovendo laborat. 78. Sobiescii electio ipsi haut ingrata 80. Liberationem Furstenbergii denuo urget, antequam in Neomag. conventum consentiat. 64. Declaratio ejus ad temperamentum circa Fürstenbergium propositum. 68. Polonos contra Electorem solicitat, ut Borussiam ipsi adimant. XIV, 1. 4. Per Bethunium magna munera Poloniæ Reginæ offert, & Titulum Filiæ Franciæ 9. cum Hanoverano pactum super medio statu facit & multum pecuniæ dat. 24. ubiqve pensionibus innexos habet. 35. Clam cum Electore transigere tentat. 46. Legatos Neomagum mittit. 66. Hungaros Rebelles & Turcas pecuniis fulcit & sollicitat contra Cæsarem. XV, 9 ejus exercitus maximo apparatu mature in expeditionem prodit. XV. 19. Præsidia aliena in suo territorio ferre non vult, & circa Arausionense castellum responsa. 43. Propositio in conventu Neomagensi. 44. Ad fœderatos responsio. 55. Anglus ei valde obnoxius. 60. 61. Angli atqve Belgarum consilia lactando turbat. XVI, 3. ejus arma in Belgio sunt felicia 11. Pacis conditiones offert, vel potius majori Europæ parti præscribit. 15. Belgas per literas ad pacem invitat. 23. Ad deliberandum Belgis mensis spatium dat. 26. Qvare tam anxie pacem cum Belgis petierit? 34. Hispanis difficultates de pace movet. 36. Belgis respondet. 37. Circa restitutionem urbium tergiversatur. 42. ejus legati postulatis suis, obscuris tamen verbis desistunt. 45. cum Hispanis & Belgis concludit pacem. 73. Pax inter eum & Cæsarem subscribitur; Dicterium de illa pace. XVII, 23. ejus formula. 24. Non magni ab eo fit. 39. 52. Svecos ad Neomagensem pacem probandam permovere studet. 40. cum Svecis indissolubili vinculo nexum se esse contendit. 69. ac ut illis satisfiat urget. 74. 75. 77. 78. 79. 80. Eo mediatore Pax inter Svecos & Brandenburgicos conficitur. 80. Svecorum Recessus Limitaneus Regi displicet. 84 Declaratio Regis super Hamburgi invasione. 94. Hujus amicitia cur Electori affectanda fuerit. XVIII, 1. 2. Erga Electorem ad auxilium contra Hispanos, si opus sit, proniorem se ostendit. 10. Magnam partem transrhenani tractus inanibus titulis sibi vindicat, & de satisfactione sua Monasterii agit. 13. Qvali in hac re prætextu usus? 14. Brisaci & Meti peculiaria judicia instituit. ibid. ejus prætensiones ex Reunionis titulo descendentes. ibid. 15. Ad Ordinum Imperii literas respondet 18. Ad ipsius prætensiones replicant Cæsarei & Ordines, 19. 20. Argentoratum intercipit. 21. Arausionensem Metim citat & bona ejus Humierio addicit. 22. Bipontinum Ducatum Sveco subtrahit. 23. Offenso Sveco Danum & Electorem in suas partes pertrahere conatur. 24. Pacem ex suo sensu exsequitur. 26. Ac se illius interpretem fert. 33. Illius vires contra Imperium. 42. 43. Per Rebenacium cum Electore fœdus init. 44. Nulla pacta atqve fœdera curat. 50. 54. coronam Romanam affectat. 59. Atqve Turcam Cæsari immittere studet. ibid. Prætensiones suas etiam Legi Salicæ & juribus Caroli M. superstruit. 61. Fœdus offensivum cum Turcis fecisse dicitur. 62. 96. Cum Tekelio commercia habet. ibid. Magnam pecuniæ vim ad eum mittit. 64. Gottorpienses causæ se immiscere non vult. 71. Arausionensem principatum Electori offert. 73. Dano atqve Electori petentibus pecuniam per ambages respondet. 74 92. Super ejus destinatis Saxonis considerationes. 79. Nil securitatis illius conditionibus subest. ibid. Reunionum materiam de novo urget. 88. Illius mentem explicat Croissius. 92. Nuptias inter Georgium & Annam Eboracensem conciliat, ad ægre faciendum Auriaco. 93. Liberatio Viennæ ipsi vehementer ingrata accidit, ut non nisi obliqve insinuaretur à ministris. 96 Danum frustra contra Svecum & Luneburgicos stimulat. 99. De non inferendis Germaniæ armis cavere recusat. 102. 104. Danum & Brandenburgicum Luneburgicis immittere cupit, sed frustra. ibid. Arausionensi, qvà potest, ægrè facit. 107. Jus in Arausionensem Principatum Liberis Electoris offert. ibid. Cæsaris petita eludit. 108. Kœnigseckii judicium de hoc. 111. Colonienses tres conditiones proponit. 115. ejusqve ditioni exercitum immittere destinat.

nat. 110. Destinata ejus super terrendis Belgis dissvadet Elector.116. Danum adversus Luneburgicos incitat. ibid. Flandriam milite inundat. ibid. Cum Meclenburgico pactum init super Dœmitza. 127. Inducia-rum diem prorogare non vult, ac super iis acta. 133. Instrumentum induciarum. 134. Magna inter hujus & Angli regimen diversitas. XIX,3. Stuartis exitium accelera-vit. 4. In universam Monarchiam Hispaniæ prætensionum argumenta in promtu habet. 5. Super fœdere Electoris cum Belgis declarationem deliderat. 8. 9. 10. 11. Multa contra inducias facit. 12. 29. 30. Prætensionem circa Palatinatum movet, & eam tandem Pontificis arbitrio submittere vult, de qvo acta. 15. Reformatos immanissimis modis persequitur. 16. Per literas ab Imperio moneri non vult. 33. In Palatina causa nonnihil æqvitatis ostentat. 34. Statua ei erigitur superba, qvæ præbuit ansam variis considerationibus, & causam justis qverelis. 35. De Induciis protinus in pacem perpetuam mutandis proponit, de qvo dilicepta. 45. 47. Declarationem de servandis induciis Cæsaris accipit, & vicissim aliam ipse tradit. 49. 50. Super avocatione Jenæ cum Electore expostulat. 52. Reunitorum locorum munitiones sibi licitas esse contendit, 56. scriptis inde ad Imperii Ordines literis. 58. Furstenbergii electionem in Coadjut. Colon. variis artibus promovet. 59. Super denegata Furstenbergio gratulatione ab Electore aliisqve rebus qveritur. 60. Jacobi II. nimium fervorem improbat. 98. Arausionenti maxime infensus est, ac vitæ insidias struit. ibid. Propter profugorum è Gallia receptum cum Electore expostulat. XIX, 18. 19. Non vult ab Imperio arma parari. 30. De Augustano fœdere qveritur. 32. Inter Anglum & Arausionensem dissidia serit 89.

Gandavum expugnat Gallus. XVI, 11.

Gardini apud Gallum instat, qvo Svecis Pomeraniam concedat Elector. II, 56. Artibus Christinam à nuptiis Caroli Gustavi avertit. 64.

---- [Magnus] Gallis maxime addictus. XI, 33. Responsio ipsius in favorem Gallorum Electoris legato data. XII, 44. Orationem Feqvierii confeciisse dicitur. 54. Ipsius sententia de Electoris propositione contra Gallos. 56. Regi unice charus est. 61. Hujus pravis consiliis, Svecia omnia improspera debet. XVIII. 9. Gardiana in Svecia factio Biœrnclovianæ adversa, non minus Galliæ rebus studuit, qvam Galliæ cives. XII, 57.

Garlekia de fœdere agitur. XVIII, 25.

Gebhardus Cæsari fœdus cum Svecia svadet. III. 61.

Gedanenses sunt morosi erga Electorem. V, 57. Belgarum auxilia præcipue respiciunt. 59. Pillaviæ ostium obstruere tentant. VI, 64. circa Veredarios Gedanenses oriuntur turbæ. IX. 3. 67.

Gedanum. Hujus conservatio curæ est Danis & Belgis. VI. 53. 58. A Polonia distrahitur. VIII. 5. Senatum & cives illius loci inter se committere studet Lillihœckius. XIII, 59.

Geldria Dux, inter hunc & Clivix Ducem, vetus lis. XVI, 97.

Geldria occupatur. XI, 54.

Gemmpa, qvare inde præsidia sua deducere nolint Belgæ? III, 24. Ejus vectigal X, 14.

Gentium jus an violetur ob negatam Legatorum admissionem? VII. 60.

Georgius Daniæ Princeps à Polonis magni æstimatur. XII, 73. Qvid obtulerit. si Rex Poloniæ fiat? 79. inter eum & Annam, Eboracensis Filiam nuptiæ per Gallum conciliatæ. XVIII, 93. Responsum ejus Anglo datum propter sacrorum mutationem. XIX, 48.

Georgius Fridericus Waldeca Comes svadet ut Elector fiduciario Polonorum nexu se exsolvat. V, 11. Stetinum mittitur ad tractandum cum Svecis. 42. 43. 44. 45. 46. 48. Conjunctionem Brandenb. arinorum cum Svecicis svadet. VI, 15. 19. Hinc ea de re Frauenburgum ablegatur; acta ibi cum Svecis. 20. 21. 22. 23. 25. Electori de fide sua cavet. IX, 31. Principis dignitate mactatur à Cæsare. X, 59 Militiam Belgicam sumit. X, 9. de qvo qveritur Galenus. ibid. defenditur ab Elector. ibid. est auctor Laxenburgici fœderis. XVIII. 58. 59. Copiarum in Augustano fœdere cum aliis Dux designatur. XIX, 31.

Georgius Wilhelmus Brand. Elector moritur. I, 3.

Georgius Wilhelmus Brunsv. & Lun. Dux, inter hunc & fratrem oriuntur disidia. IX, 79. 80. Conservatio urbis Bremensis ei commendatur. 82. Svadet ne Elector Belgis sese illigare properet. XI, 41. conf. v. *Luneburgici.*

Germania, qvalis ibi rerum facies sub auspicium regiminis Electoris, & aliis temporibus. XI. I. XVIII, 42. 43. I. 2. Imminet ei periculum à Svecis. V, 30. 31. Omni ex parte bellorum incendiis cingitur. VI, 14. Status ejus periculosissimus. VII, 21. XVIII, 100 105. 106. 110. 116. Qvalem Cæsarem reqvirat? VII, 28. De hujus qviete Francofurti agitur. 48. De ejus qvicte laborat Elector. XII, 33. Neomagensi pace tota est corrupta. XVIII, 34. Qvomodo conservanda? 35. Ejus exiguæ vires. 42. 43 Exteri hanc belli arenam esse cupiunt. 75. Ejus status valde periculosus. 100. 105. 106. 110. 116. 109. 112. 118 ejus salutem à negotiis Italiæ & Hispaniæ non suspendendam svadet Elector. ibid. 111. 128. Ne paret arma, Galli prohibere volunt. XIX, 10. Imminet huic à Gallo atrox incendium. 100. v. *Imperium Germanicum.*

Germani Gallicæ lingvæ & moribus malo omine nimium dediti. XVIII, 48.

Germersheimum à Gallis occupatur. XII, 30.

Gilgilis [Gigeri] ibi cladem Gallorum rident Angli. X, 4.

Glogoviam sibi petit Elector IV, 41.

Glucstadiense vectigal, Dano ad qvadriennium indultum, per duodecim annos usurpatum. III, 12.

Gluc-

Glueſtadium à Dano Belgis offertur pignoris vice, qva de re diſceptata. VIII, 2.
Gninſcius Poloniæ Legatus auxilium ab Electore contra Turcas petit. X, 61. Ejus de Strauchii liberatione negata judicium. XIV, 5.
Goertzkius (Erneſtus) Polonos profligat. VI, 48. Ad Sveciæ Regem in Boruſſiam deducendum, mittitur. 66. Svecis in Boruſſiâ ſe opponit. XVII, *a.* 4. Fugientibus Svecis inſtat. 5.
Goetzius Cancellarius in Sveciam mittitur. I, 34. Stetinum, 42. 43.
Gons Legatus Danicus Moſcoviâ exeſſe jubetur. XIII, 61.
Gofelda Stenbockio concedenda. III, 31.
Goldackerus (Hartmannus) in Pomeraniam irrumpit. I, 9.
Goldackerus (Hermannus) Peizæ præfectus in cuſtodiam datur. I, 5.
Golnoa; De hâc diſceptata. III, 8. Qvid pace Neomagenſi ſuper hâc cautum? XVII, 78. Pignoris vice penes Electorem manet, 79.
Golzius Saxonis Fœderi cum Cæſare, Sveco & Polono obluctatur. XVIII, 81.
---- ad Polonum mittitur. VII, 50.
Gofiewius Lithuanorum Dux Electore inſalutato ſe iterum ſubducit. VI, 30. Poltoſcam obſidet. 36. In Boruſſiam ruit. 48. Ad pacem inter Svecos, Brandenburgicos & Polonos conciliandam ſe offert. 49. 68. 71.
Gothi & *Gotti* an differant & ſuper ſcribendi ratione inter Svecos & Danos diſputata? XIV, 69.
Gotlandia Inſula occupatur à Danis. XIV. 44.
Gottorpienſis controverſia origo, progreſſus atqve finis XIX, 62. 83. v. *Altona*.
Gottorpienſis Ducatus defenſionem & in eo jus tributi bellicor: prætendit Danus. XVIII, 71.
Gottorpienſis Dux ab Electore petit, ut ditioni ſuæ parcatur. VII. 69. Conventio ipſius cum hoc ibid. Arcto fœdere Sveciæ innexus. XIII, 28. A Dano capitur. 42. Ut reſtituatur Pace Cæſareo-Svecicâ proviſum. XVII, 28. Qvid Danicâ pace? 90. 91. Ut in priſtinum ſtatum reſtituatur, Sveci poſtulant. XVIII, 24. In hujus ditione graſſantur valde Danici qvæſtores. 99. An induciis cum Gallo includendus? 133. Hujus ſalutem qværunt Luneburgenſes. 136. Item Elector. XIX. 36. De ejus reſtitutione deliberatur. 44. Integra hujus cum Dano controverſiæ ſeries recenſetur. 62. usqve. 83. conf. voc. *Altona*.
Gottorpium Danus ſe cum ſeqveſtribus confert propter Hamburgenſe negotium. XIX, 41. 42.
Grana Marchio literas Electoris iterum remittit. XVIII, 11. Gallo Clarigationem facit. 116. Bellum in Germaniam & Belgium fœderatum devoluere ſtudet. 118. Inducias Gallicas increpat. 119. ducta formoſâ uxore Belgis male audit. ibid.
Grabenus commerciorum cauſa in Gvineam mittitur. XVIII, 32.
Greiffenhaga à Cæſareis occupatur. VIII, 28. A Brandenburgicis. XIII, 55.
Greifswalda, Gryphiswaldia incaſſum tentatur ab Electore. VIII, 30. Ab eodem expugnatur. XVI, 63.
Grevenbruca à Spinola occupatur. IV, 20.
Grietfiela ab Elect. occupatur. XVIII, 31.
Griffenfeldius Svecum invadendum ſvadet. XII 61. Electori confirmat Danum ipſi auxilio fore. XIII, 25. 26. Varia contra Svedos conſilia ſuppeditat. 29. 31. Qvare tam repente Regis gratiâ & fortunæ faſtigio deturbatus fuerit. XIV, 35. Electoris colloqvium & congreſſum cum Dano ſubinde impedivit. XVIII, 9.
Grodnenſia Comitia qvare interrupta? XIX, 61.
Groninga optime ſe defendit. XI, 54. Gallorum pactioni ſe opponit. 55.
Grotius (Petrus) ad Gallum ablegatur. XI, 15. Eſt cauſa qvod Belgæ ſegniter arma adverſus Gallum ſumant. 26. Cum Gallis ut tractet in mandatis habet. 55.
Grotius (Otto) de pace cum Gallo, Berolini qvædam proponit. XVIII, 106. Gottorpienſis Ducis reſtitutionem ſvadet. XIX, 44.
Gruninga Brunſvicenſibus addicitur. III, 12.
Gvarantia conf. *Evictio*. qvomodo differat ab Inſtrumento. IX, 18. Gvarantia Elbingæ. 58. Gvarantia ſeparati articuli Pacis Olivenſis. 61. 62. 63. Inter Gallum & Svecum. XI, 36. Hanc reſpectu Brunſvicenſium ac Luneburgenſium, ut & Brandenburgici, in ſe ſuſcipit Gallus. XVII, 80. Qvid de Burgundici Circuli Gvarantia cenſeat Elector. XVIII, 130. Eam ſuſcipiunt Elector & Luneburgenſes. 135.
Gubernator Belgii à qvibus conſtituatur XI, 57. Gallicus nomen ſuum ſuper Angliæ Regis nomen adſcribit. XVI, 40. Hiſpaniæ Gubernatores ærarium expilant. XV, 11.
Gvinea. Eò navigationem inſtituit Elector. XVIII, 32.
Gunzerus Argentor. urb. Secretarius in prodenda urbe Gallo, ſingularem navat operam. XVIII, 21.
Gurſinius à Polono ad Electorem mittitur Strauchii liberandi & ſpeculandi gratiâ. XV, 23. Elector de iſto legato qveritur. 24.
Guſtavus Adolfus Sveciæ Rex Cæſaris arma ſtiſtit. I. 2. Qvem animum profeſſus ſit in bello auſpicando. II, 37. 41. 57. Ejus dictum circa Pomeranicam cauſam. 61. Ejus dictum de jungenda per connubium El. cum Chriſtina Electorali & Regia dignitate. 52.
Gutterbock Præfectura cui addicta ex Pac. Oſnabr? III, 16. Hujus gratia inter alia apud Cæſarem per Legatum inſtat Elector. XIX, 1. Tranſigitur ſuper illâ. 55.
Gyldenſtierna de Svecici Regni ſtatu diſſerit. XVIII, 9.

H.

Habermanni preces pro pace, Oſnabrugæ Sveci recitari prohibuerunt. II, 38.
Habſpurgica Domus ex parvis initiis ad ſummum faſtigium pervenit. VII, 28.

INDEX RERUM.

Hafnia de Fœdere tractatur. XVI, 57.

Haga Negotiatio propter Pomeraniam tarde procedit. II, 72. Formula fœderis cum Polonis ibi cuditur. V, 15. Conventus instituitur VIII, 3. Compactum ibi fit, cujus primaria Capita recensentur. 4. Weimanni invectiva contra illud. 5. Significatur Electori ad qvod respondet. 6. 7. 8. 9. Formula fœderis ibi concinnatur. XII, 34 Item Formula temporariæ transactionis circa partitionem Brementis Provinciæ. XIV, 29. Hanc erga Electorem excusant Belgæ. 41. Propositiones Pacis à Gallo confectæ Fœderatis ibi communicantur. XVI, 16. A Gallo Literæ pacis offeruntur. 23. Meinderſius eò mittitur. XVII, 68. Conventus ibi super pacis negotio cum Gallo instituendo. XVIII, 108. 109. 112. Negotia ibi secreto tractantur. 115. Acta. ibi. 118.

Hagenoenſis Præfectura qvomodo Gallo cessa? XVIII, 13. 15. 19. 20. Deductio Cæsareorum de hâc. 68.

Hainius causa cladis in Rugiâ. XVI, 57. Dani ac Electoris amicitiam dissolvere studet. XVII, 87. XVIII, 9. 24. De invadendo Hamburgo cum aliis auctor est Regi. 91.

Hala Suevorum Protestantes conventum agitant super Juliacensi causâ. IV, 11.

Halberſtadienſis Epiſcopatus conceditur Electori. III, 16. Svecorum tricæ circa hujus traditionem. 32. ejus dit: traditur tandem Electori cum Mindensi ditione. 35. Ejus Canonicatus ærario suo assignari petit Elector. XIII, 40.

Halberſtadium super eo mota. III, 12. 32. Electori traditur. 38.

Halla mortuo Augusto, Electori traditur. XVIII, 12.

Hamburgenſium Ablegati Viennæ aspere habentur. XIX, 14.

Hamburgenſes de Electore male meriti. XVII, 92. Auxilium ipsius expetunt. 96.

Hamburgenſium plebs ferox & arrogans. XIX, 21. 22. 23.

Hamburgum Electori LM. uncialium debet. XVI, 87. In ordinem redigere vult Danus. XVII, 92. 93. 94. 95. 96. 97. Servari, omnium interest. 94. 95. Lis cum Dano componitur. 97. Ejus conservatio Electori curæ est. XVIII, 97. 135. Turbæ ibi novæ oriuntur. XIX, 21. 22. 23. 24. De tradendâ hâc urbe Dano, conspiratio detegitur. 36. Potestas 30. Virorum abrogatur ibi. 37. Elector eo nomine ad Danum mittit, ac illi defensionem suscipit & eo nomine mittit ad Daniæ regem. 37. 38. A Dano impugnatur. 39. Ei moderata ingerit, & ad constantiam ac spem hortatur Elector ac operam pollicetur. 40. Negotium continuatur. 41. Et componitur tandem. 42. 43 44.

Hammum. Super eo evacuando cum Cæsareis acta. III, 22.

Hanoverani de Gallorum reunionibus consilium. XVIII, 40. In Svecos incitari non potest. XVIII, 91. super pace cum Gallo exponit sententiam. 112. Galli ejus fœdo crepant, ut ægre faciant Electori. XIX, 52. conf. *Joannes Fridericus Hanov. Dux.*

Hanoverenſium Legatus Francofurti lites movet. XVIII, 46.

Hanſeatici inter rationes conservationis habent, potentiorum captare favorem. II, 61.

Hardenfeldius ad Torstensonium mittitur. I, 45.

Harlem acerrimus Protestantium hostis. XIX, 16.

Haſſi Clivicis ditionibus graves incumbunt. I, 47. Amicitiam cum Electore reparant. 48. Conventio eorum cum illo. 49.

Haſſo-Caſſellani Landgravii sententia circa Gallorum Reuniones ac dependentiarum commenta. XVIII, 42.

Havelandiam Sveci inundant. XIII, 33.

Haugwicium Sverino de præsenti Imperii conditione respondet XVIII, 81.

Hazfeldius ad componendum dissidium inter Electorem & Neoburgicum in Westphaliam mittitur. IV, 30. Brombergæ consilio habito cum Polono & Electore super rebus in futurum gerendis consultat. VII, 10. Ab ingenio describitur ibid. in conjunctione maturanda tergiversatur. 11.

Heiligen-Land Inſulam qvibus argumentis prætendat Danus? XIX, 66. 75. 78. 79.

Heimburgius ad Electorem variis de causis mittitur. XVI, 53. 55.

Helvetii Burgundiam servare potuissent. X, 52. Gallis argento Corpora sua vendunt. XI, 1. Frustra ad societatem belli sollicitantur. 73. Electoris Legatum exqvisito honore excipiunt. XII, 48.

Henricus IV, Galliæ Rex Reformatis aditum ad regnum debuit, usqve Edicto Nannetensi cavit. XIX, 16.

Henrietta Aurelianensis conjux, in Angliam proficiscitur ad fratrem. XI, 10. reversa subito moritur. XI, 10.

Hervordia imperialibus Civitatibus sese inferere conatur. II, 70. Ab Electore in ordinem redigitur. III, 19.

Heſſus ab Electore in Moscoviam mittitur. XV, 15. XVII, 9.

Heugius Galli amicitiam ingentibus pollicitis occupat ad eum à Dano missus. XVIII, 9.

Hiberna, super his ortæ difficultates. XIII, 57. XIV, 49. 50. 52. 53. 54. 55. 56. XV, 10. v. *Hoſpitia inf.*

Hildeſia præsidium immittere vult Colonienſis. XVIII, 125.

Hillius Hieronymum Rhodium captivum ducit. IX, 49.

Hiſpania periculosum cum Angl. bellare. IX, 25. 26. ad eam subjugandam destinata Galliæ. XI, 1. Ibi magna rei numariæ inopia & confusa facies rerum. XV, 11. XVI, 74. Ejus utilitates qvatenus cum Germaniæ rebus conjunctæ sint. XVIII, 109. Sacerdotum consiliis factum asserit Ronqvillius, qvod Hispaniæ res tam male se habeant. XIX, 3. Ibi legati, ut cum iis tractari possit, charactere debent esse instructi. XIV, 43.

Hiſpaniæ Gubernatores ærarium expilant. XV, 11.

Hiſpanicus Legatus Cæſari pacem cum Turcis ſvadet, ceſſo Hungariæ regno XVIII, 94. 95. Cauponationibus & cavillationibus moleſtus. XII, 33.

Hiſpani Juliacenſibus turbis ſe immiſcent. IX, 20. Eorum Conſiliis obſtat Aurſpergius. V, 35. Vim conſcientiis inferre apud eos in morem abiit, judice Cromvello VI. 10. Qvare Cromvellus contra eos bellum paret. 11. Graviter offenduntur qvod Elector ratihabitionem fœderis cum Leop. Hung. R. aliqvantum differt. VII, 51. Illorum operam in pace Olivenſi nemo deſideravit. VIII. 74. Minorenne Rege contra Gallum auxilia petunt ab Electore. X, 30. Huic cur multum debeant. 32. Electori fidem nõ implent. X 44. 46. Nimium cunctando ſua perdunt. XI, 1. Cum iis ſuper bello contra Gallos agitata. 71. Electori contra Svecum auxilia pollicentur. XII, 64. Bruxellis bellum indicunt Svecis. XIII, 10. cum iis ſuper ſatisfactione acta. 13. ab iis nil pecuniæ extundi poteſt, & varias ludibriorum eo nomine telas texunt. XV, 10. 11. de inſtaurando ærario laborant. *ibid.* eorum impotentia notoria. 61. XVI, 20. Inter hos & Anglum difficultates. XVI, 9. Ad Pacem cum Gallo inclinant. 29 Certis conditionibus eam acceptant. 36. Inducias excuſant, 70. cum Gallis concludunt. 71. Ratihabitio illius. 93. ab illis nil ſubſidii exſpectandum. XVII, 43. Eorum navibus juſſu Electoris ex jure repreſſaliarum manus injiciuntur. XVIII, 10. Qvâ ſuper re atroces protinus clamores tollunt, ac ſuper eo facto diſputata. 11. Gallis Viennæ acriter reſiſtunt. 59. ridiculis rationibus inducti de conditione Galli ſibi blandiuntur. 118. apud Belgas paci cum Gallis reſitunt. 128. Gallorum deſtinata in Belgium Hiſpanicum, ibid In Inducias conſentiunt: 133.

Hiſpanus legatum ad Electorem mittit. XI, 59. Fœdus cum Belgis XII, 8, 11. cum Cæſare, elect. & Belgis init. 34. 35. ad cum mittitur ab Electore Melchior Ruckius XIV, 43. ad ejus propoſitionem reſponſio Regis. ibid. ejus aulæ facies & Joannis Auſtriaci ibi deſtinata. ibid vid. *Joannes Auſtriacus*. De ejus connubio acta. XV. 11.

Hoeberus. (Paulus) ejus ſententia de conventu Francofurtenſi. XVII, 10. Cæſaris cum Gallo inducias excuſat. 11. 12. Pomeraniam Electori relinqvendam, negat. XVIII, 1.

Hohendorfius dimitti ſe à Rege Poloniæ petit. XII. 81.

Hohenloicus Comes Auguſtani fœderis gratia à Cæſare circummittitur. XIX, 31.

Hohenſteinenſis Comitatus conceditur Electori, Pac. Oſnabr. III, 16.

Hollandia Pacem ſeparatam cum Gallo accipit & ei præfractè inhæret. VIII, 3. Solutionem Huſiſeriani debiti importunè ab elect. urget. X, 1. in ejus interiora penetrat Gallus. XI, 54. ibi Arauſionenſi adverſa prævalet factio, ibid. & XVI, 17. ibi Gallus homines ſibi mancipatos habet per qvos pacem ſeparatam promovit. 23. ab Arauſionenſi paulisper in ſuas partes flectitur. 25. ſq. purè tamen acceptandam pacem etſi renitentibus qvibusdam urget. 34 ſq.

Hollus apud Polonos qvi dicantur? VI, 39.

Holmienſe Pactum offertur Reginæ Svec. I, 37.

Holſatia Belli ſedes eligitur. VII, 47. A Svecis invaditur. 62. 63. expeditionem eò ſuſcipit Elector. 69. v. *Gottorp.*

Holſati à belli oneribus immunes eſſe volunt. VII, 69.

Holſtius à Polonis in cuſtodiam conjicitur. V, 17.

Homagium Electori à Boruſſiæ Ordinibus præſtatur. IX. 55. Danus exigit ab Hamburgenſibus. XVII, 94. XIX, 39. 40. 41. 43.

Hoofdius eſt in culpa qvod Amſtelodamenſes in pacem ruunt. XVI. 28. Ultrajectinis aliisqve de non præcipitanda pace monentibus qvid reſponderit. 34.

Hornburgum traditur Electori. III, 38.

Hornius tranſitum per Poloniam petit. XVI, 68. In Boruſſiam irrumpit 69. XVII, 1 duobus Boruſſiæ præfecturis potitur. 3. A Brandenburgicis profligatur. 5. Receſſu ſuo Svecicis armis maculam inurit. 69.

Hoſpitia [Hoſpitationes] proprio uſu ſumpta, pace Weſtphalicâ prohibentur & ſuper illis cum Svecis diſp. XII, 65. Inæqvaliter à Cæſareis diſtribuuntur & circa illa difficultates XV, 2. De iis qveritur Elector ibi. 20 induciis non repugnare Galli contendunt. XVII, 54. conf. *Hiberna.*

Hoverbeqvius Conjunctionem Brandenburgicorum armorum cum Svecicis diſſvadet VI, 15. In Poloniam ablegatur. VII. 46. 47. Pomeraniam armis invadendam ſvadet. VIII, 20. In Poloniam iterum mittitur. 45. 46. 47. 49. 78. IX, 14. 15. Warſaviam mittitur. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 52. Iterum eò proficiſci jubetur. 86. 89. Cur Neoburgici commendationem differat. X, 60. Illam inſenuat Reginæ. 62. Acceſſum ad Regem denegatur. 68. Warſaviâ digreditur. 72. Ad Comitia de Eligendo Rege ablegatur. 83. 84. In interregno poſt Michaelem prudenter ſe gerit. 80. In Poloniam mittitur denuò. XIV. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 8. 11. Cracoviæ honorifice excipitur. XIV, 3. Libelli cujusdam contumelioſi in regem autor habetur. XV, 12. Qvo nomine ſe purgat. ibid. Electoris nomine Pacta cum Joanne Polonorum Rege renovat. 14. Ad Comitia Grodnenſia mittitur. XVI, 69. Qvid apud Ordines propoſuerit? XVII, 8. Conſilium ejus circa nuptias Radziviliæ cum Ludovico Marchione Brandenburgico feſtinandas. XVIII, 27. Ad Comitia Polonica, ſuper eo connubio ablegatur, & ſuper Indigenatus jure. 28. 29. 30. Gottorpienſis negotii gratia Hafniæ Dano qvædam proponit. XIX, 81.

Hoya ſuper formulâ conventionis inter Cæſar. & Luneb. Miniſt: colloqviũ inſtituitur. XV, 5.

INDEX RERUM.

Hussitarum debilium qvale? X,1. & super eo cum Belgis acta.3.10.XI.47.XIV.42.XVI,97.

Humieres bona Arausionensis addicuntur à Gallo.XVIII,21.

Hungaria.Gallorum & Polon. ibi machinationes.XIV,10. Origo motuum ibi.ibid. & XV, 9.ibi Cæsaris res in deterius vergunt XVIII, 59.62. vid.*Cæsar*.

Hungari auxilium & protectionem Galli qværunt.XI,10.

Huningam versus Castellum erigunt Galli. XIX, 31. Idqve verbis defendunt. ibid. Croissii sententia de eo.47. de eo sibi cavet induciis Gallus. 49.40.

Husari Polonicæ militiæ robur. VI.18.

Huxtera super ea lites inter Monasterienſem & Guelferbytanum. XI,15.

I.

Jablonovii consilium.XVI,65.

Jacobus II M.Britanniæ Rex. Magnæ populi parti exosus ob sacra.XIX,3. Ad Consilium Secretum multa speciosè differit.ibid. à Ronqvillo monetur, ne Sacerdotibus aut aliis,ad mutationem circa sacra,aurem præbeat.ibid. item ab Electore per legatos. 4. qvo nomine & Parlamento prima allocutione fidem confirmat.4. Ex actis superiorum & sui temporum,proclive ei erat judicare,qvo animo Gallus cum Angliæ Regibus agat, & cui fini illorum amicitiam affectet.4.Ejus successio Protestantibus fatale exitium,Chivernio minari videtur.13. Romanos ritus suis civibus obtrudere agitat. 48. Colloqvium inter binos Theologos Protest.& Cathol.haberi curat.ibid. à multis Procerum palam sacrorum mutationem postulat, ab ipso tamen Pontif.Innoc.XI.eo nomine admonetur.ibid.Dano contra Gottorpinum Ducem favet.67.71.Ejus regimen ad repetendos ex origine Anglicos motus plenius describitur. XIX, 85. ejus conatus super Ritibus Romanis in Angliam introducendis se exserunt XIX,86. à Parlamento improbantur.87. Plura adhuc circa inducendam Pontificiam Religionem tentat.88. Tribunal Ecclesiasticum novum instituit. 89.Parlamento in Anglia & Scotia Pontificios commendat,ac iis indulget multa. 90. 91. Eos officiis ornat,& indies plura novat. 91. Omnium religionum libertatem concedit.92.93. Edictum ejus circa hanc.94. Novo Parlamento congregato,aliisqve id probare studet.95. Inprimis Arausionensi. 96. Imo destinata sua astu ac vi enixe perducere ad exitũ conatur. 97.98. Legiones apud Belgas stipendia merentes, avocat, & qvo instituto,qvove consilio?98. Ejus offensa in Arausionensem & Belgas gliscit.98. v. *Elocensis Dux*.

Jallura Præsulatus facilius digeri potest, qvam terrarum hereditariarum. II,37.

Jastrannus & *Snitqverus* propter conspirationem in custodiam dantur. XIX,22.24.36.39.

Jena[Fridericus] in Borussiam mittitur. V, 58. 59. Conjunctionem Brandenburgicorum armorum cum Svecicis dissvader. VI,15. Rationes ipsius in utramqve partem adductæ.ibid. 16 17. 18. Francofurtum mittitur. VII,26.27.29.31. Viennam.63 64. Invasionem Pomeraniæ dissvadet. VIII.18.Regiomontanos oratione ad obsequium permovet. IX, 50. Heilsbergam super Braunsberga & Elbinga mittitur.53.54. Item ad componendas lites inter Brunsvicenses & Luneburgenses Duces ortas 79.80.Ad Monasterienſem Præsulem. X.16. Ad Comitia Polonica 83.84.Bilefeldam XI,16.20 21.

Jena[Godofredus] Conventioni super Cerimoniis cum Sabaudo nomine Electoris cum Marenholzio interest. IX, 64. super Rhenano fœdere cum fœderatorum legatis agit.65. Ratisbonæ de irruptione Svecorum libere loqvi jubetur.XIII,15.ob eo oblatam visitationem Joannes Adolf.Palat. humanissime admittit. XIV. 46. Paci Neom. Ratisbonæ nomine Electoris contradicit. XVII,39. Copias circulares Palatino statim auxilio submitti contra Gallum Ratisbonæ dissvadet. XVIII,17. Monachium mittitur. 39 ejus sententia nomine Ducatus Magdeburgici dicta sub spe rati. 51. 53. eam jussus vindicat contra Austrios.55. qvare Ratisbona revocatus XIX,31 Super ea revocatione Galli expostulant. 52.

Jenkuus ad Conventum Neomagensem mittitur.XIII.69.70. XIV, 66.Conclusioni peculiaris pacis interesse non vult. XVI, 46. Neomago discedit.52.82.

Jesuitæ inter fulcra retinendæ potentiæ Viennæ adhibiti.V,35. illorum ars circa solvenda juramenta.VII,50. sibi lucrum, Austriis invidiam & damnum consiliis suis conciliant.XIV,10. Borussos ad novas res incitant. 11. eorum conjuratio in Anglia sub Carolo II.agitata.XVI,78. enixissime pro pace Neomagi ineunda contendunt. XVII,13. acriter pacem cum Gallo; bellum in Turcas urgent, & qvare? XVIII,59.eorum studium eò transfertur, qvò spes super obtinendo Europæ arbitrio. ibid.fi. Cæsarem ad persequendos acrius in Hungaria Protestantes stimulant.61.fi. Galliæ rationibus innexi impedire student ne Cæsari auxilia mittantur.79. in eos Tekolius culpam belli rejicit. 86.alii culpam Viennensis obsidii. 94. Persecutionem Reformatorum in Gallia adornant & promovent.XIX.16. Jacobi II.in Anglia consilia moderantur.48. Belgio exesse jubentur.55. Scholas gratuitas in Anglia inchoant magno confluxu discipulorum. 91.

Illustrium titulus.XIV,57.

Imperia injustis sæpè armis incrementa sua debent.II,61. Suas habent conversionum periodos. XVIII,82.

Imperii Ordines causam Electoris circa Pomeraniam frigidius tractant. II, 43. eorum discordia Germaniæ magno malo fuit.VII,28.

23. XII,61. Ab illis Electori nil auxilii ſperandum 66. Cæſari de pace Neomag. gratulantur, jurium ſuorum negligentes. XVII, 36. Pacem eundem Ratisbonæ probant. 39. Super conventis in pace Neom. de ſatisfactione Gallica cum Cæſareis & Gallis agunt qvo expreſſa cautius concipiantur. XVIII, 13. ſuper reunionibus cum Cæſare & Gallis agunt. 6. 8. 19. 10. De qvibusdam per alios motæ qvereiæ ob fœdus Laxenburgicum. 64. Circa pacem cum Gallo diſſentiunt. 75. 89. In induciis jura ſua tuentur. 133.

Imperium Rom. Germ vetuſtam actionem movet in Borusſiam. V, 14. ſuper eo firmando. XI, 63. XVIII, 5. 6. *Imperii* voc. poſt Galliam poni prætendunt Galli. XVII, 20. Satisfactionem promittit Electori. XVIII, 5. Ejus vires intuitu Galliæ. 34. 35. 36. 42 43. 53. 54. 79. 81. 82. 83. 105. 111 131 Induciis cum Gallo facit. 134. ne arma paret Gallus prohibet. XIX, 30. conf. *Cæſar, Germania.*

Circa *Indigenatus* Jus in Polonia Electori competens acta VII, 5. XVIII, 27. 28. 30.

Induciæ cum Svecis. I, 3 14. 15. 16. 17. 9. 27 28. 29. 30. 31. 32. 35. 38. 39. 42 43. 44. 46. it. V, 69. cum Polonis in duos menſes. VI. 48. Super induciis inter Belgas & Gallos acta. XVI, 1 14. 19. 26. inter Gallicum & Belgicum exercitum. 70. Neomag. ſuper induciis fruſtra agitur. 89. XVII, 53 El. cum Gallo. 54. ſuper iis prorogandis pactum. 60. Circa inducias inter Imperium & Gallum acta. XVIII, 103. 104. 105. 130. 131 132 133. Illarum inſtrumentum. 134. Ut in pacem perpetuam protinus mutentur Gallus urget. XIX, 45. de qva propoſitione ſententiâ Cæſaris & Electoris 46. 47. Declaratio utrinqve facta de iis ſancte ſervandis. 49. 50. An ad Gottorpienſem Ducem porrigi poſſint. 76. num ad Danum ſpectent. 77. 80. 81.

Indultum ſuper Pomer. negot. à Cæſare petit Biœrnclovius, de qvo acta. III, 61. 62.

Innocentius XI perſecutionem Reformatorum in Gallia clam improbat. XIX, 16. Jacobum II. monet deſtinata ne ferviae nimis exiequatur. 48.

Inſignia Pomeraniæ, qvat. iis Sveci & Brandenburgici utantur III, 126. de inſigniis *Sveciæ* à Poloniæ regibus uſurpatis. V, 18 19. Ordinis *S. Spiritus* inſignia à Gallo tranſmiſſa, acceptare recuſant Proceres Polonici. XIV, 12.

Inſterburgum Sveciæ Reginæ Matri locus domicilii deſtinatur I, 37.

Inſtrumentum Fœderis Mariæburgici cum Svecis. VI. 25. 26. Pactorum Labiavienſium. 45. Welavienſium ſ. Bydgoſtianorum. 78 Pacis Voſſemenſis. XI, 95. Pacis Cæſareo-Gallicæ Neomagenſis. XVII, 24. Pacis Cæſareo-Sveciæ. 28. Pacis San germanæ. 80 Inducarum vicennalium cum Gallo. XVIII, 134. v. *Fœdus, Pactum, Pax.*

Intereſſe Brandenburgicum reſpectu Sveciæ. V, 12. VI, 74 reſpectu Poloniæ. V, 10. 12. 14.

Circa *Inveſtituram* Boruſſiæ acta. I, 21. 22. 23. 24. 25. III, 27. circa Inveſtituram Pomeraniæ contra Svecos. 60. 62. Circa Inveſtituram Viennæ acta. IX, 29. à Svecis motæ difficultates. 30. qvibus reſiſtitur. 31. Inveſtitura Magdeburgici Ducatus petitur. XIX, 1.

Invidia in Electorem ob æqvivalentia. III, 10.

Interpres Tartaricus, ſine auribus & naſo ligneo ridendi materiam præbet. XVII, 98.

Joannes Adolfus Sax. Dux, cum Electore ſuper IV. Præfecturis tranſigit. XIX, 53.

Joannes Auſtriacus confuſioni Regiminis corrigendæ Madrito propinqvat. XIV, 43. aſt impari ſucceſſu, unde de ejus conatibus variè judicatum ab imperitis. XV, 10. alia ejus in pacem Hiſpanorum cum Gallis deteſtatur. XVI, 74. laboribus fatiſcens extingvitur. XVII, 43. de ejus adhuc juvenis ingenio qvid judicaverit Cardenas. ibid.

Joannes Caſimirus Pol. R. circa ejus Electionem acta. III, 27. cum eo ſuper jure ſuffragii in Polonia Electori competente acta. III, 27. VII, 5. Electoris opem contra Svecos implorat. V, 18 19. In Sileſiam ſe recipit. 28. Fœdus Electoris cum Boruſſis probat 61 Reditum ſuum in Poloniæ fines indicat. VI, 30. ejus votum B. Virgini factum ibid. Electorem à Svecis avocat. 33. Spe victoriæ cum ſuis inſolens eſt, & Sveco ac Electori dira minatur. 36. ad Warſaviam infeliciter pugnat. 37. 38. 39. Condæum adverſus Electorem incitat. 41. Electorem ſibi conciliare ſtudet. 63. 69. 70. eo nomine ad tractandum legatos mittit 71. ſq Simulata inter eum & Electorem conventio. 76. vera pacta. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. Conſilia cum Electore & Hazfeldio confert. VII. 10. 11. Morſteinium ad eum mittit. 49. Diplomata tuti itineris Svecis denegat. 50. Boruſſos Ducales jurejurando exſolvit. *ibid.* pacem cum Svecis optat. 56. VIII, 53. 55. 72. 73. qvæ concluditur 74 75. 76. De ejus ſucceſſore acta & mota. IX, 14. 15. 16. 35. 42. 43 44 85. 86 87. 88. 89. 90. 91. X, 60. 62. 65. X, 74. ſq. Infauſto ſidere ſe natum ait. IX. 86. Reginæ eſt obnoxius. 89. ad ſecundas nuptias tranſire non vult X, 66. Super ejus abdicatione agitata VIII, 5. X, 69. Cæſarei eam impedire ſtudent. 71. de Abdicatione ſua ſtatuit. 72. 73. Regno ſe abdicat. 74. ei ſuccedit præter omnem opinionem Michael. 88. In Galliam venit. 89. ei de promiſſa penſione non ſatisfit, & apud exteros aliena miſericordia vivit. XI, 105. *conf. Poloni.*

Joannes Cliviæ Dux a Carolo V. de Juliaco inveſtitus. IV, 5.

Joannes Fridericus Hannoveranus Dux, ei cum fratre lites intercedunt. IX, 79. 80. cum aliis Conſervator urbis Bremæ a Cæſare deſignatur. 81. nec Cæſari, nec Electori, nec fratri fidit, ac ideo fœderi Brunſvic. nomen dare renuit. XI, 71. Ejus Conſilia, & qvomodo Feuqvierium eluſerit. XII, 55. cum eo colliſionem declinat Elector. XIII, 18 19. Ad ſuſcipiendum ſeqveſtris officium invitatur ab Electore. 20. Ferdæ copias immittit, qvas mox revocat. 46. cum Dano, Electore, &Mo-

& Monasterienſi fœdus init. 47. circa eum in partes trahendum fruſtra laboratur. XIV. 23. 24. ad conventum Neomagenſem ei diploma à Cæſare negatum. XIV, 03 circa eum in partes trahendum iterum fruſtra agitur. XV, 6. Ejus poſtulata Neomagum ſcripto miſſa. 49. Gallo fœdere innexus, & pecunia Gallica illigatus Patriæ opem ſubtrahit. XVI, 51.

Joannes Georgius Anhaltinus Princeps Marchiæ Gubernator conſtituitur. VII, 69. prælium cum Gallis ſvadet. XI, 81. Wrangelii intentionem explorare jubetur. XII, 65. Wrangelio reſpondet. XIII, 5. Ad Cæſarem mittitur. XVIII. 95. 96. 103.

Joannes Georgius Marchio, Carnovienſi Ducatu exuitur. III, 18.

Joannes Mauritius Naſſovius, Francofurtum ad Electionem novi Cæſaris mittitur. VII, 26. 29 In Angliam ablegatur. IX, 22. 23. Acta ibi. 24. 25. 26. 27.

Joannes Sobieſcius Magni Mareſchalli dignitate ornatur. IX, 89. ejus artes circa coronam ambiendam. XII, 69. 70. 72. 74. 79. Rex eligitur 80. XI, 108. XII 31. circa renovationem pactorum ab Electore cum eo acta, & qvalis ipſi animus ingentumqve. XIV, 12. XV, 12. Reſpondet humaniſtimis verbis Hoverbeqvio. ibid. Ab eo periculum non plane ceſſat. 21. Electori eſt ſuſpectus. 22, De liberando Strauchio ad Electorem mittit. 23. 24. XVI, 66. Elector pro avertenda Svecorum in Boruſſiam irruptione apud eum agit. XVI, 65. 66. ſed fruſtra 67. 68 Solutum legibus imperium in eum conferri debere clamant Eccleſiaſtici, ut ſalva ſit Reſp. 69. copias argento Gallico conducit, conſilia ex eventu capturus. XVI, 1. Cæſis in Boruſſia Svecis amicum ſe ſimulat Electori. 7. Radzivilliam filio ſuo deſponat. XVIII, 27. & ea occaſione acta cum eo. 28. 29. 30. à Galli rationibus ſe disjungit, & qvare? 86. Morſteinii literas intercipit, & conatus explorat. ibid. cum Cæſare tanqvam Hungariæ & Bohemiæ rege fœdus init. ibid. ab Electore auxilia contra Turcas petit. 87. 137. liberata Vienna magnam gloriam conſecutus eſt. 69. ab Electore auxilio ſibi miſſas copias magno elogio remittit. 137. Filium Jacobum juxta ſe in throno conſidere cupit & optat. XIX, 61. v. *Poloni.*

Joannes Sigiſmundus Elector Brandenb. Cliviæ poſſeſſionem adprehendit. IV, 1. 9.

Joannes Wilhelmus Neoburgicus Junior Coronæ Polonicæ commendatur ab Electore. XII, 75, 76.

Joannitici Ordinis Magiſter. I. 30. III, 14. 16.

Ipra à Gallo expugnatur XVI, 11.

Izeboa Danus atqve Elector conveniunt. XVIII, 70. Qvid ibi actum. 75. 136.

Judices pacis in Anglia conſtituti qvi? XIX, 91. 97.

de *Judicio Aulico* conſiderationes. IV. 40. 41. conf. voc. *Tribunal.*

Juliacenſis Ducatus, in hunc conatus Bipontinæ Domus. III. 23. Controverſiæ circa hunc origo & fundamenta. IV, 1. Jura Brandenburgicæ Domus. 2. Prætenſio Neoburgica. 3. Bipontina. 4. Saxonica. 5. Comitum de Manderſcheid. 6. Prævia circa hanc controverſiam ſolicitudo. 7. Illius Ordines Electorem implorant, atqve Neoburgicum. 8. Dortmundæ ſuper eo tranſactio inſtituitur. 9. Auſtriorum conſiderationes circa hanc controverſiam 10. Gallus Principibus paſſim auxilia ſua offert. 11. Eas ditiones Cæſar vult in Sequeſtrem mitti. 12. Arma parantur. 13. Sequeſter iterum expellitur. 14. Conventus Coloniæ & Juterboci eâ de re inſtituuntur. 15. Inter Brandenburgicum & Neoburgicum fruſtra tentatur Tranſactio. 16. Sed diſcordia inter eos magis glucere incipit. 17. Ac in nervum erumpit. 18. Belgæ concordiam inſtaurare ſatagunt. 19. Hiſpani hiſce turbis ſe immiſcent & nonnulla loca occupant. Ut & Belgæ. 20. Xantenſis tranſactio ea de re perficitur. 21. Duſſeldorpii de Juliacenſi, Cliviæ, Marcæ, Ravenſteinæ &c. ſucceſſione & diviſione agitur & tranſigitur. 22. 23 24. Inter Brandenburgicum tamen & Neoburgicum poſt ad arma decurritur. 25. Electoris declaratio. 26. 27. Acta hâc de re Viennæ. 28. 29. 30. Elector in compoſitionem proclivis. 30. Belgæ & alii ſequeſtres ſe offerunt. 31. 32. Elector & Neoburgicus invicem colloqvuntur. 33. Eſſenæ præcipua in cauſa ſacrorum tractatio ſuſcipitur. 34. Cæſareorum ibi acta. Res componitur. 35. Renuntiationem actionis in Juliacenſes ditiones à Svecis petit El. VI, 22. 23. Qvidam impoſtor Spinolæ ſub nomine latens ſibi mandata ſuper Juliaco eſſe contendit. IX, 4. ſuper perpetua tranſactione cum Neoburgico acta. 71. 72. 73. Qvæ tranſactio perficitur & Juliacum Neoburgico cedit. 74. ejus ſumma 75. Pactum adjectum. 76. ea à Cæſare confirmatur. 76. Inter inducias à Gallo occupatur. XVI, 89. 91. confirmatio pacti hereditarii circa Juliacenſes ditiones à cæſare obtinetur. 96.

Julus [Nicolaus] Danicâ claſſe victoriam à Svecis reportat. XV, 17. Cornelio Trompio multum moleſtiæ dat XVI, 57. Danorum ſpem contra Svecos eludit XVII, 83.

Jureconſulti in Anglia promulgata conſcientiæ Libertate, Jacobo II. gratias agunt. XIX, 94.

Jus Devolutionis. X, 28.

Jusjurandum, formula ejus, qva Pacta Welavienſia utrinqve confirmata. VI, 83. Jeſuitarum ars circa ſolvenda juramenta. VII, 50. jurisjurandi Polonis præſtiti ab Electore in fœdere vim elevat Slippenbachius. 56. Regium, habere exceptionem ne poſterius priori deroget Poloni, exemplo Gallorum, in alienato Boruſſiæ imperio retractando, contendunt. IX, 19. Gallo inane nomen. X, 30, de fœdere Cæſaris & Poloni jurejurando

confirmando acta XVIII, 86. circa jusjurandum in Anglia motæ qvæstiones & conatus Jacobi II. XIX, 86. 87. 92. 96. conf. *Homagium.*

Justitia 61 Tanqvam imbelle telum à Svecis spernitur. II, 57. 58 61.

Juterbock conventus super Juliacensi negotio indicitur; Acta ibi. IV, 15. v. *Gutterbock.*

Javignius cum Wurtenbergico Duce super extensione sacrorum Legatis permissorum importune altercatur. XIX, 19.

K.

Kalkstein (Christianus Ludovicus) à consultationibus publicis removetur. IX, 40 Ejus cautæ & factionis contra Electorem origo & progressus. XI, 103. Brandii solertia captus in Borussiam deducitur. *ibid.* Super qva abductione & offensa Polonorũ ultro citroqve acta. 104. 105. Capite Memelæ plectitur. 104.

Karbathus Jesuita, ad pacta cum Electore rescindenda Regem publice hortatur. VII, 50.

Kehlfortalitium, XVIII, 134.

Keiserswerra traditur Gallo. XI, 50.

Kempendorfius ab Electore dimittitur. I, 9.

Kielmannus Gottorpiensi Duci à Danis suspectus redditur. XIII, 42.

Kinskius Electori juxta ac religione male cupit. XIX, 1. extirpandos hereticos fremit ibid.

Kittelmannus ab Electore Vilnam ad Moscum mittitur. V, 62.

Kleistius in Hollandiam ablegatur, II, 48. 72. in aulam Cæsaream III, 12. In Svecia jactantius & durius locutus dicitur 34. De Pomerania proponit apud Reginam. 41. 42. 43 44. 45 46. 47. Irritus inde revocatur. 48. In Daniam ad conservandam inter Svecum & Danum pacem ablegatur. VI, 52. 53. 54 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. De summo Borussiæ imperio coram Dano proponit. 71. circa pacem inter Svecos & Danos alio modo agere jubetur. 72.

Kleist, Svedorum Residens. Electori difficultates movet apud Cæsarem investituræ causa. IX, 30. Cui resistitur. 31.

Klettenberg Dynastia traditur Electori. III, 16.

Kneseb ecius in Helvetiam ire jubetur. XII, 48. In Daniam. XIII, 24. 44. Dresdam. XIV, 55. Cives Magdeburgicos nomine electoris homagio obstringit. XVIII, 12. Hamburgensis negotii gratia ad Danum ablegatur. XIX, 38 39.

Konigsekius [Leopoldus Wilh.] qvid de Rosenbergio judicaverit? XVII, 35. judicium ejus de Pace Neomagensi ibid. apud electorem de fœdere contra Gallum instat. XVIII, 61. 62. Cæsaris mentem electori aperit. 85. paci cum Gallo contrarius est.

Konigsmarckius (Conradus Christophorus) velitationem acrem committit, VIII, 10. Captivus ducitur. 34

Konigsmarckius (Otto Wilhelmus) cum suis ab electore repellitur. XIV, 47. Brandenburgicos ex Rugiâ Insula profligat. XVI, 57. Iterum Rugiâ ejicitur & in cymbam insiliens, evadit. 60. electori deditionem à Stralsundensibus postulanti respondet. 81.

Kreitzius ab electore in Poloniam mittitur ad petendam Borussiæ investituram. I, 21. Ejus insolentia 23.

Krosegginus ad Palatinum mittitur. XI, 64. in Sveciam. 79. 80. 98.

L.

Ladislaus Dux ut è consiliis Regis amoveatur, Parlamentum decernit & rogat. XVI, 21. 22.

Lagoa commenda restituenda. II, 42. 44.

Lombergius Comes, super Turcico & Gallico Bello cum Electore agit. XVIII, 110.

Landsperg à Cæsare Bremam mittitur. XIV, 33.

Lasiadia Brandenburgico pacto deditionis subscripto à Stetinensibus traditur. XV, 18.

Lauenburgensis Præfectura Electori conceditur. VI, 80.

Lauenburgi titulus Electori à Polonis denegatur. X, 64. 89. Feudum hoc renovatur à Polono Electori. XI, 100. Idem à Joanne ut fiat, urgetur. XII, 80.

Lauterensis Ducatus prætenditur ab Elisabethâ Charlottâ. XIX, 13. 15. Illius titulo utitur Aurelianensis. 34.

Laxenburgi fœdus conficitur. XVIII, 58. De qvo qveritur Elector 64. vid. *Fœdus.*

Lebenza in Cæsaris potestatem venit. IX, 78.

Ledeburius ad Svecum ablegatur. IX, 32. Item Cellas. XVII. 40.

Legati, Electorales Catholici ratione titulorum Evangelicos distrahere student. 25. Pro commodis Principum contendere debent. 32. 62. Imperiosis dictis uti eos non decet. III, 2. Personam Principum referunt. IV, 37. Hostium Legati num audiendi? VII, 57. 60. An ob negatam eorum admissionem Gentium jus violetur inter Svecos & Electorem disputata. 57. 58. 59. Qvemodo Legatus maximam sibi parare possit gloriam? Quæstio in aula Anglica per jocum ventilata? X, 25. E Polonia discedere jubentur X, 72. Dispari studio Neomagum accedunt. XIV, 67. An Pontificis ibi Legatus admittendus? XV, 39. An prælatus Argentoratensis? 40. Ubi & qvomodo Neomagi eorum congressus instituendi? 41. Propositiones. 43 44. Contradictiones. 45. 47. Scripto, an vivâ voce tractandum. 46. Gallicus à Magno Veziero male exceptus. XVI, 23.

Circa *cerimonias inter Legatos* disputata. Osnabrugæ & Monasterii. II, 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 71. in Anglia. IX, 23. cum Sabaudo. 63. in Polonia. 92. 85. XII, 71. cum Danis. XI, 40. in Conventu Colonien si, XII, 3. Neomagi. XIII, 69. 70. XIV, 57. 58. 66. 70. 71. 72. XV, 31. 32. 33. 36. 41. 47. 49. XVII, 32. Legati Gal-

Gallici in Svecia. XVIII, 76. à Moschico Legato mota inficeta admodum. XIX, 54. inter Svecos & Anglos. XVI, 4.
Cerimonialia circa *Legatos Regios*. III, 21. 63. VII, 72.
Circa *Legatos Electorales* Cerimoniæ. II, 19. 20. 21. 22. 25. IV, 36. 37. IV, 43. VII, 29. XIV, 57. 58. 71. XVI, 52. 53. 54.
Super *Legato Gallico* (Vitrio) & ejus Comitibus, pernicioſâ tentantibus, mota. XVIII, 86.
Super *Legatorum inviolabilitate* in cauſa Brandii conſiderationes XI, 103. v. *Brandius (Euſebius.)*
Super *Legatis primariis* & *ſecundariis* lis. II, 25. 71. IV, 36. 37. VII, 29. ſuper *Principalium* cum *Electoralibus* paritate. II, 71. XIV, 58. 65. XVI, 34. 37. 52. 53. 54.
Super *Legati Polonici* importunitate querelæ. XV, 24.
Super *Procuratoriis Legatorum* diſceptationes. II, 19. XIII, 69. XIV, 59. 60. 65. 68. 69. XV, 42.
Super *Legati Svecici*, Lilliehœkii in Electorem invectiva, ex jure gentium diſputata. XV, 25. 26. 27. 28. 29. 30.
de *Sacris Legatorum* & *famulis*. XIX, 19.
Inter *Legatorum uxores* ſuper ceremoniis lites. XVII, 82.
Leges inter arma ſilent. II, 2. Quæ compeſcendis Pontificiæ religioni addictis in Angliâ obtinent, à Jacobo II. abolentur. XIX, 86. de qvibus agitata. 87. 94. 96.
Leidenſes ſummâ cupidine in pacem feruntur. XVI, 33. 34.
Lengriche congreſſus inſtituitur. II. 27. ibi acta inter Svecos & Brandenburgicos. 55 60. 61. 63.
Leopoldus Hungariæ Rex, inter Polon. coron. Candidatos fertur. V, 14. cum Polonis fœdus arctius adſtringit. VI. 63. auxilia Polono promiſſa differt. VII, 13. 14. 15. cum Electore fœdus init. 17. 18. 19. 20. *Leopoldi Conclave*. VII, 21. 22. 23. 25. 26. 27. 28. 31. 33. 34. 36. 37. 39. mortua Margaretha Maria, ejus connubio protinus deſtinatur Claudia Felicitas, ſuper qva cum Jacobo Eboracenſi Duce pacta matrimonialia jam adornata erant. XI, 85. v. *Cæſar*.
Leopoldus Archidux Seqveſter immittitur Juliacenſibus ditionibus. IV, 12.
Leopoldus Ludovicus Palatinus Veldentinus ſuper Palatinatu controverſiam movet. XIX, 14.
Leopoldus Wilhelmus officium ſuum inter Electorem & Neoburgicum fruſtra interponit. IV, 31.
Leſſanus à Gallo ad Electorem mittitur. IX, 34. 35. 36.
Leſſinii multâ in Poloniâ auctoritate valent. VII, 5.
Leſſinius (Joannes) Berolinum accedit. VII, 15. Nomine Poloni, Fœdus Auſtriaco-Brandenburgicum probat. 20. Electori favet. XIII, 58. 60.
Leuberus Sax. Leg. ab eo in conventu Francofurtenſi propoſita. II, 5.
Leuchtmarus in Sveciam mittitur. I, 14. 15. ipſi reſpondet Regina. 16. Stralſundæ cum Svecis de induciis tractat. 29. 30. 31. 32. Infectâ re in Boruſſiam diſcedit. 33. In Svediam mittitur. 34. Stetinum. 42. 43.
Lewinus in Angliam ablegatur. XVI, 16. De bello ac fœdere contra Gallos judicat. 21.
Lex Regia vid. *Capitulatio Cæſarea*. XIV, 14.
Lex Salica, XIV, 6. XVIII, 83. 111.
Libelli cujuſdam famoſi in Polon. diſſeminati, autor falſo creditur Hoverbeqvius qvi, ſe excuſat. XV, 12. In Anglia tales ſuper Religione ſparguntur. XIX, 93.
Liber cui tit. Eclipſis Manifeſti Aſcanienſis. III, 12. de Galliæ Regis jure in totum Imperium, Auberii. X, 34. Neuſſæ in Siles. editus ad exſtirpationem Evangelicorum conſilia ſuggerens. XIX, 55. de libris qvibusdam in Belgio & Galliâ querelæ. XIX, 98.
Libſtadium in Boruſſia Brandenburgicis invadentibus deditur. VIII, 36.
Libertas ſententiam dicendi in ſenatu Principum, Principibus omnibus eadem. XVIII, 55.
Lichtenburgi Saxo & Brandenburgicus conveniunt. VII, 33.
Lichtenſteinianum creditum à Cæſare creditur Electori XIX, 25.
Circa *Lignicenſem Ducatum* cum Cæſare acta. XVIII, 82. 84. 85. Satisfactionis loco Elector accipit Swibuſienſem diſtrictum. XIX, 25.
Lilius (Axelius) in Marchiam irrumpit. I, 6.
Lilliehœkius Ab Electore dimittitur. I, 9. ab ingenio deſcribitur & ſtudiis III, 41. Deſignationem finium Pomeranicorum transmittit. 43. Proventum Novi Stetini invadit. 46. In ædibus ipſius congreſſus Legatorum habetur. 50. 52.
Lillibœckius Gedani multa contra Electorem molitur. XIII, 59. Scriptum ejus contra Electorem inhibitum. XIV, 3. Multa commenta in Polonia de Electore ſpargit. XV, 12. Invectiva ejus in Electorem. 25. et alia dehinc acta. 26. 27. 28 29. 30. Ad Polonos tres mittit Epiſtolas. XVII, 8
Limites. circa fines in Pomerania regundos acta, III, 29. 31. 40. 41. 42. 43. 44 45 46 47. 48. Stetini de his congreſſus inſtituitur; Acta ibi. 49. 50. 51. 52. Tandem ſuper his tranſigitur. 53. 58. De limitibus inter Polonos & Brandenburgicos. VI, 78 Inter Polonum & Electorem ſuper limitibus acta. IX, 13. deſcripti denuo Pace San-Germanica inter Svecos & Brandenb. XVII, 80. Circa hos novum *Receſſum* meditantur Sveci. 84. Qvid de iis in inſtrumento Induciarum conventum vid. XVIII. 134.
Limburgi munitiones dejiciuntur. XV, 19.
Lingva Gallica ſtudium Germanis ominoſum. XVIII, 48. Latina Galli uti nolunt. *ibid.*
Lipſia conventus. XII, 41.
Lipſtadium ſuper præſidio hinc deducendo mota. IV, 45. in iſtam urbem Prætenſiones. XVII, 58. Gallo traditur. 60. Gallico milite inſidetur. 79. 80.
Liſola Electorem à Svecis avertere ſtudet. VI, 71. Judicium ejus de Svecis. 75. Berolinum acce-

accedit. VII, 15. Fœdus ibi nomine Leopoldi conficit. 17. 18. 19. Acta ipsius Posnaniæ cum Polonis & Brandenburgicis 47 Ejus judicium de Caroli Gustavi morte. VIII. 73. Poloniæ Reginam in Cæsaris partes trahere studet. IX, 10. Ejus ingenium. 52. Furstenbergii abducendi auctor habitus XII, 9.

Litera super his interceptis motæ oriuntur. I. 18. VIII, 36. Inter Electorem & Svecum super Transactione Polonicâ. VII, 2. 3 4. In Pactum Hagense literis invehitur. Elector. VIII, 3. 9. De avertendo Cæsaris exercitu scribit Idem. 25. 26. 27. 28. 29. Belgarum ad Gallum super avertendo Bello. XI, 27. Electoris ad Conventum Ratisponensem de conatibus Gallorum. 69. Angli ad Electorem & vicissim. 76. 77. Ad Polonum in causa Kaelsteinii. 104. Ad Sveciæ Regem & vicissim XII, 40. 58. Ad Neoburgicum de filia ipsius cum Responsoriis. XIV, 21. Ad Stetinenses super deditione. XV, 18. Ad Sveciæ Regem cum Responsione. 26. 27. Ad Belgas super pace cum Gallo. XVI, 50. Ad Stralsundenses de deditione. 61 A Salvio ad Sveciæ Reginam ob satisfactionem Gallicam. XVIII, 13. Imperii ad Gallum. ibid. Galli responsio. 17. Galli literæ inter Venieri scripta reperiuntur. 96. Ad potentiorem scriptæ quales esse debeant? XIX, 33. Galli ad Imperii Ordines propter Reunitorum locorum munitiones. 58 Jacobi Stewardi de sententia Arausionensis in Angliam 96.

Lithuania, ad hanc competens Electori jus V, 17. 43.

Lithuani Svecicam protectionem desiderant. V, 17. Sobieskii electionem probant. XII, 80. Svecis in Borussia molesti. XVI, 68. Otiosi pugnam alienam contra datam Electori fidem spectant. XVII, 6.

Littera super his cum Svecis acta. III, 8.

Super *Livonia* acta. V, 19. VI, 46.

Lobcovicius Comes Augustanum fœdus excusat, & de oppositio Huningæ castello queritur. XIX, 31. Ejus judicium de Galli statuâ. 35. Gallo Cæsaris declarationem super induciis exhibet. 49.

Lobcovicius Princeps commercii cum Gallo arguitur. XI, 35. 51. Se purgare studet. 51. Ut primum Cæsaris gratiâ exciderit? 67. 85. Ipsius de Religione dictum. 84. Item de Gallo. 97. In Bohemiam ad prædia relegatur. XII, 51. Ejus ingenium ac instituta. 51.

Lubin (Joannes Frid:) nomine Electoris investituram à Cæsare suscipit. I, 25. In Daniam mittitur. 37 In Aulam Cæs. 50. 53. Osnabrugam proficiscitur, mandatis instructus. II, 17. 18. 19. Viennam mittitur servandæ Poloniæ Borussiæque causâ. V, 27. 28. 29. Item ad Leopoldum Hungariæ Regem. VII, 12. 13. Consolationis ibi fungitur officio. 21. Viennæ pro Electore investituram petit. IX. 29. 30. 31. Cum Comite Schvvartzenbergio super salutatione Leopoldi Wilhelmi Archiducis disputat, qvi in aula pari cum Cæsare honore excipi volebat. 31.

Luckenitza à Svecis vi expugnatur. XIII, 33. Deditione traditur Electori. XIV, 48.

Lusschebrandius cæditur XIX, 26.

Lubra Izynastia traditur Electori. III, 16.

Lucium expugnatur. VIII, 30.

Londinensis Episcopus de Pontificiorum religione differit. XIX, 87. A Rege dimovetur. ibid. Ad tribunal Ecclesiasticum citatur. 89.

Londinum, incendio afligitur. X, 20. Ibi Pax inter Anglos & Belgas fit. XII, 10.

Longuevillius Electori svadet ut Svedis Pomeraniam cedat & de æqvivalente sibi caveat. II, 34. Vel Sveciæ Reginæ matrimonium ambiat. 36. Cæsareorum mentem Brandenburgicis aperit. ibid.

---- Jus ad Arausionensem Principatum habere dicitur. XVIII, 73. Et is addicitur ei qvoqve à Gallo. 107.

Longvicensis Urbs & Præfectura annectitur Coronæ Gallicæ XVII, 24.

Lotharingus, sublevandæ Electoris causæ se promtum fert. II, 43. Illius cum Neoburgico negotio se immiscet, IV, 31. Bellum Neoburgico svadet. 33. Ejus Legatus Electoris Legatis super digniore loco litem in Polonia movet, cum contumelia repellendus, ni destitisset. X, 85. XIV, 58. Circa Diploma ei datum à Gallis in Conventu Neomagensi, difficultates. 60. Circa ejus restitutionem Neomagi gesta. XV, 58. XVI, 35. Cum Montecuculo in gratiam redit. XVII, 13. Galli cum eo durissime agunt in pacis negotio. 15. 20. Qvomodo restituendus cavetur in instrumento Pac. Neom. 24. Num ei conditiones amplectendæ? XVII, 38.

Lubeca. Ibi tractatus Svecos inter & Polonos suscipiuntur. III, 53. Acta Brandenburgicorum in hâc causâ. IV, 36. Hujus urbis conservatio Electori commendatur XVIII, 97. ei metuitur. 98. Illius conservandæ cum aliis ratio habita, fœdere inter Electorem & Hanoveranum. 135.

Lubecensi Capitulo denunciatur à Dano ut unum è filiis Coadjutorem designet. XIX, 66.

Lubomirscius, magna auctoritate pollens. VII, 5 Super Joh. Casimiri successione aperit sententiam IX 14. Regis judicium de eo. 46. in Sileliam confugere cogitur. 84. pro eo nihil proficitur. 88. cum Rege in gratiam redit, mox tamen iterum regno excedit. 89. Electori Poloniæ statum per Secretarium aperit. 91. de eo fulciendo in Conventione inter El. & Neob. cautum. X, 48. Mortis ejus nuntius Polonicæ aulæ acceptus & lætus. 63.

Ludovica Charlotta Radzivilia nubit Ludovico Brandenburgico Marchioni. XVIII, 27. 28. 29. ad eam Electoris ultima verba XIX, 100.

Ludovica Juliana nubit Electori. II. 72.

Ludovicus Brandenburgicus Marchio circa ejus connubium cum Radzivilia acta. XVIII, 27. 28. 29.

Lumbrauus privato nomine Polonos ad pacem hortatur. VI, 36. 39. De pacis Evictione disserit. VIII, 71.

Luna à Brandenburgicis occupatur. XI, 82.

Luneburgici. Fœdus Qvadruplex ineunt. X, 17.

Pro-

Prorogationem fœderis Rhenani haud probant. 42. Cæsareis otiosè spectantibus. cum Gallis pugnant. XII, 46 Gallos ad Saram fluvium insigni clade afficiunt. XIII, 8 illorum in Bremensem Provinciam prætensiones 51. 52. Cum Monasterienſi de illa ditione dividenda transigunt. 31. Cum Monasterienſi & Electore conventionem ineunt. 32. In conventu Brunsvicensi illorum postulata. XV, 3 Bremensem Provinciam toti affectare videntur, Legatum Bremâ avocant. 5. 7. Consilia sua sibi seorsim habent. XVI, 52. Legatos suos Electoralibus æqviparari volunt. ibid. Eorum missio ad Electorem. 53. 55. Fœderi inter Danos, Electorem atqve Monasterienſem accedere nolunt, nisi Legatis Excellentiæ titulus tribuatur. 57. Separatam pacem cum Gallo ineunt. XVII, 10. Cæsareorum cum Gallo paci protestationem opponunt per Legatos. 27. Propter Hamburgi invationem ad Electorem mittunt. 95. Electoribus status controversiam movent. XVIII, 78. Svecis favent. 90 91. 97. De pace inter Boreales R. servanda, Electorem implorant. 97. Dominatum in Saxonia inf. sibi arrogare à Dano arguuntur. 98. Utrum Danoin fœdus coeant tentat Elector. 100. Ad pacem cum Gallo proni esse videntur. 106. Tempus extrahere student. 111. 112. Formulam fœderis exhibent Dano & Electori parum acceptam 123. Cum Electore fœdus ineunt. 135. In partem negotii Gottorpiensis an admittendi. XIX. 69. Hamburgensi negotio contra Danum se immiscent. 38. 40. 41.

Luneburgicus Dux Ravensbergicum Comitatum subjicere sibi conatur I, 47. Super componendis inter Evangelicos controversiis laborat. II, 30.

Luneburgum ibi Sveci ad Conventum admittuntur. III, 62.

Lusitania ut recuperetur Pegneranda svadet, & Belgicæ provinciæ pro derelictis habeantur. X, 37.

Lusitaniæ Princeps sequestrem se offert in Neomagenti negotio. XV, 18.

Lutetia Carolo II. Angliæ Regi funebria ritu Romano fiunt. XIX, 3.

Lutherani, de horum à Reformatis dissensu & actis circa pacem sacram II, 29. 30. 69.

Luxenburgum qvomodo servari potuisset? XVIII, 111. Communicationem inter Germaniam & Belgium servat. 119. A Gallo oppugnatur. 126. Hujus jactura qvatuor Rheni Electores tributarii fiunt Gallo. 128. Ut huic subsidio veniant Bavarus & Elector, rogat Cæsar. 132.

Luvoisius continuationem belli Belgici svadet. X. 55. Aversus à Svecis animo est. XVII. 57. Cum Montespaniâ omnia pro lubitu agit. 69. Rigida omnia ei placent. 71. ejus dictum perfecta pace San-Germ 79. Argentoratenses ad deditionem hortatur. XVIII, 21. Turcam Cæsari immittendum svadet. 62. Mortalium immanissimus. 119. Omnium violentorum consiliorum autor ac promotor. XIX, 47.

Luxenburgum tractu circa montes Hannoniæ decedere non vult. XVI, 37. Ab Arausionensi post concluſam pacem vapulat & ad interiores Montium aditus recedere cogitur. 70. de qvo stomachatur, inducias tamen facit. ibid.

M.

Machinæ an è munitis locis auferendæ, si nihil convenerit? XVII, 79. Qvid pace San-Germaniâ de his constitutum? 80. 83.

Magdeburgense Capitulum, circa hoc difficultates oriuntur. III, 11. Sacramento fidelitatis & subjectionis se statim concluſâ pace Osnabrugensi, Brandenburgicæ domui in eventum obstringere debuit. 46.

In *Magdeburgensem Episcopatum* expectantia proxima conceditur Electori. III, 16.

Magdeburgum Sveci nimis remotum à se, & nil securitatis Sveciæ præstare contendunt II, 48. Libertatem pristinam ac privilegia per pacem Osnabrug. retinet. III, 16. circa id tradendum disputata 11. In Matricula pluris taxari, qvam utramqve Pomeraniam, objiciunt Sveci. 62. Electori se submittit. IX, 83. Illius Canonicatus ærario suo applicari petit Elector. XIII, 40. Ducatus possessionem accipit elector. XVIII, 12. Ut & ejus investituram XIX, 1.

Magisterium Sonnenburgicum Sveci in pensationem deposcunt. III, 30.

Magister Ordinis Pr. semper Regni Poloniæ Senator est, & primum locum post Regem obtinet. XVIII, 30.

Majestatis titulus Gallo dandus. II, 14. 17. 21.

Malmogia obsidium Danis admodum infelix. XV, 17.

Manderscheidii Comitis prætensio in Juliacensem Ducatum. IV, 16.

Manifestum Ascanicum scriptum pro juribus Anhalt. Princ. in Halberstad. III, 12.

Mansfeldius Comes [Henr. Franc.] in Galliam mittitur. XVIII, 14.

Super *Marcano Comitatu* cum Neob. transigitur. IX, 75.

Marchia Brandenburgica, qvalis ibi rerum facies? I, 1. 6. 19. Hanc calamitatibus oppressam multis sublevare studet Elector. 6. 8. 9. 10. 11. Marchia vetus Cæsareis & Svecicis militibus inundatur. 26. Qvatuor potentibus regnis media interjacet. II, 41. Illius restitutionem cum instrumentis bellicis exposcit El. III, 1. De hac invadenda cogitat Carolus Gustavus. VIII, 16. A Wrangelio devastatur. XII. 65. XIII. 33.

Mardefeldius ad Electorem mittitur. XII, 13. A Dœrflingo fugatur. XIV, 45.

Mare Balticum, v. *Balticum Mare*.

Marenholzius [Conr. Asc.] in Damiam mittitur. IX, 6. Conventionem super Cerimoniis cum Sabaudo subscribit. 64. Acta ab eo super Rhenano fœdere. 65. Circa controversiam

ſiam Wildfangiatus apud Cæſarem magno honore afficitur 92. Ad Moguntinum ablegatur. XI, 44.45 68.

Maria Anna Poloniæ Regina ingentem dolorem concipit ſuper electione Sobieſcii. XII, 80.

Maria Eleonora Regina Sveciæ, cur ex Svecia in Daniam ſe receperit? I,34. De illa reducenda agitur. 36.37.

Maria, Jacobi Eboracenſis Ducis filia, nuptias celebrat cum Guilielmo Arauſionenſi. XV, 61.

Maria Ludovica Poloniæ Regina, Polonos ad prælium fortiter ſuſcipiendum hortatur. VI, 39. Pacem inter Polonos & Electorem conciliare ſtudet. 69. Ad Electorem Berolinum venit. VII, 50.

Mariaburgum, ibi Elector cum Boruſſiæ Ordinibus agit per Legatos. V, 58.59. Fœdus ibi cum Boruſſis regis conficitur. 60. Cujus exiguus eſt uſus. 61. Legati Brandenburgici cum Sveco ſuper conjungendis armis ibi colloqvuntur. VI, 22.23 & Fœdus ibidem ineunt. 26. cujus capita recenſentur. ibid. 27.28. Pacta Feudalia, ibi inita, pactis Labiavienſibus iterum abolentur. 45.46. A Svecis devaſtatur. VII, 74.

Marienwerdera à Svecis occupatur. VIII, 36.

Marſtrandia à Gyldenlewio capta. XV, 17.

Marwicius [Ditericus] Hafniam mittitur. VIII, 15.

Marwicius ſummus excubiarum Præfectus, [Cunr. Hild.] ſtationem ante Budam cum Jo. Georg. Bellingio capeſſit. XIX, 26. Turcas erumpentes repellit. ibid.

Marwitzius [Sigiſmundus] ſtrenue ſe in Hungaria gerit. IX. 78.

Matthias Rom. Imp. Xantenſem tranſactionem auctoritate ſua impedire ſtudet. IV, 21.

Mazarinus Electorem laudat. II, 22. Per hunc acceſſus ad Regem Galliæ qværendus. V, 26. IX, 3. Electorem ab Auſtriaco fœdere dehortatur. VII, 53. Reſponſum ejus Electori datum. 54. Item declaratio ſuper expeditione in Svecos. 67. Galli amicitiam Electori ſalutarem fuiſſe judicat. VIII, 39. Qvali ingenio fuerit? 40. Objicit Electori qvod Pacem Weſtphal. lædat? 41. Condæo ejusqve filio optat Coronam Polonicam IX, 10.

Meclenburgici novum portum Redevviſchæ ſtruere agitant. IX, 28.

Medina-Cali Dux ſiniſtros ſucceſſus Hiſpano celat. XVIII. 133.

Meiersbergius Baro Hafniam mittitur ad ſpectandum Ulricam Eleonoram Principem Danicam. XIV, 22.

Meinderſius ad Galliæ Regem ablegatur. XI, 92, 93 94.95. Viennam. XIV, 50.51.52.53.54. Dresdam. 56. Neomagum. XVI, 76.77. item Hagam Comitis & Lutetiam Pariſiorum. XVII, 66. 67.68.69. Diſceptata ab eo cum Pomponio. 70. Extrema cum Rege fruſtra tentat. 71. De novo eo mittitur. 72.73.74.75.76. Negotium de Stetino in Galli arbitrium confert. 77. Diſceptata ejus circa pacem. 78. Pacem Sangermanicam conficit. 79.80. Garlebiæ nomine Electoris cum Erneſto Auguſto fœdus init. XVIII, 25. Dresdam mittitur. 26.39. Ad Luneburgicos. 61. Ad Danum. 136.

Melander multa vana de Svecis jactat III, 22.

de *Meliorationibus prædiorum* in reſtitutione Pomeraniæ Svecis diſputata ante pacem Sangermanam. XVII, 78.

Melitenſis Ordinis Magiſter pro Schvvartzenbergio juniore intercedit. I, 30. Ad Electorem ſcribit. 14.

Memela, Tranſitum per hanc Svecis concedere nolunt Poloni. VII, 1. Majori ex parte in cineres redigitur. XVII, 2. ibi capite multatus Kalckſteinius. XI, 104.

Mercatores lucri cupidine omnia tentant. XIV, 44. Solum lucrum reſpiciunt. XVIII, 11.

Merces bellico uſui deſtinatæ: qvid de iis pactis Labiavienſibus cautum? VI, 45. Vetitæ qvæ? XIV, 41.

Merodius in cauſa Juliacenſi ad Electorem & Neoburgicum mittitur. IV, 13.

Metſiana à Gallis deſeritur. XVI, 17.

Metenſis Præſulatus, ejus nomine à Franciſco Lothario ago Præſule proteſtatio interponitur Monaſterii, ne ita crude offeratur Gallis. XVIII, 13. Supremum dominium in hujus, ut & Tullenſis ac Virodunenſis Vaſallos, prætendit Gallus. 14.15. Deductionem deſuper edunt Cæſarei. 68.

Metenſe Tribunal ad reuniones palliandas inſtituitur à Gallo. XVIII, 14.15.

Meurerus Conſul, Hamburgenſibus turbis præcipuam anſam dediſſe creditur, qvarum ordo recitatur. XIX, 21.22.23. Ut reſtituatur, Cellenſis poſtulat. 24.

Milites per aerem, arte magicâ, pallio inſidentes transvehi non poſſe, Sveci urgent, ut tranſitum in Poloniam exercitui ſuo Electori extorqveant. VII, 57. Veterani prævalent novitiis. XIX, 85.

Minda, circa eam diſputata. III, 31.32.35.

Mindanus Epiſcopatus Electori conceditur. III 16. Svecorum tricæ circa ejus traditionem, 32 35. ejus Capituli Canonicatus ſuo ærario applicari petit Elector, XIII, 40.

Minorennitas Bohemiæ Regni ex Privilegio finitur anno ætat. 14. VII, 34. Minorennitatis terminus in A. B. pro Electoribus definitus, qvomodo intelligendus? ibid.

Minkowski, Joannis Caſimiri nomine, apud Cæſarem de Electore qveritur. VI, 40.

Merburgum affectat Gellenſis Dux. XIX, 24.

Marwerder Caſtellum operibus firmatur, & ſuper eo lites. XIX. 21.22.

Super *Mœurſenſi Comitatu* tranſigitur. IX, 74.

Moguntinus de pace inſtauranda conventum Francofurti indicit. II, 1.2. Litem ſuper Hervordiæ libertate ad pacis publicæ qvæſtionem pertrahere laborat. III, 19. Mortem Ferdinandi III. indicat. VII, 21. tectus eſt, ac diſſimulandi ſolers. ibid. Huic Legati de ſilentio ſtipulata manu in actu electionis promittere tenentur. 26. A Leopoldo in cerimoniis viſitationis offenditur. 29. Clam Auſtri-

Auſtriacis, palam Gallis favet circa Electionem Leopoldi, ſuarum terrarum ſtudio. 31. Electionis tempus extrahit ac ſuper Capitulatione adornandâ proponit. 32. 35. Conſultationes publicas auſpicatur. 34. Gallorum ſatisfactioni ſtudendum ſvadet, anteqvam ad electionem Cæſaris deveniatur. 32. 35. 37. 39. 40. In Conventu Deputat. Francofurti 1658. omnia ſuo ex arbitrio agere dicitur. 63. de fœdere inter Cæſarem, Trevirenſem, Saxonem, Brandenburgicum, Culmbacenſem, Monaſterienſem &c. proponit, contra deſtinata Gallorum. XI, 44. 45. Electoris conſiliis contra Gallos obſiſtit. 51. Super trajectu Rheni ſe difficilem præbet. 63. Literas à Lobcovicio ſcriptas producit, qvò Fœderatos à tranſitu Rheni prohibeat. 67. In belli partem venire recuſat. 68. ejus ſententia ſuper Gallorum propoſitionibus. XVIII, 35. Illegitimi in Gallum ſtudii arguitur. 51. 59. Pacem cum Gallo ſvadet. 80.

Molzanus de ſeqveſtrali Sveciæ Regis officio ad excuſ. Svec. diſſerit. XII, 41.

Mompenſeria Electori conjux deſtinatur, de qva judicium Angli. X. 45.

Monachalis habitus in Anglia obſtupefactis omnibus conſpicitur. XIX, 97.

Monachi cum Jeſuitis, Dominicanis & Franciſcanis, Belgio fœderato exeſſe publico edicto jubentur. XIX, 55. qvod male habet Catholicorum Principum miniſtros, unde ſuper ea re qverelæ ad Cæſarem, qvibus rationes opponuntur ab aliis apud eundem. ibid.

Monarchia Europæ univerſalis per ruinam Auſtriacæ domus ſtruenda XVIII, 61. & oppreſſos Proteſtantes. 59. ejus invadendæ conatus Galli erumpunt clarius. XI, 1. XVIII, 83. Inprimis in Hiſpan. Monarchiam univerſam prætenſiones haut diſſimulat. XIX. 5.

Monaſterienſis Præſul, conf. *Chriſtoph. Bernhard. Galenus*. deſcribitur. X, 9. Studet Gallo. XI, 20. ei favetur à Cæſareis præ Electore. XII, 52. Ad conſilia meliora redit. XIII, 21. Fœdus pangit cum Dano, Brandenburgico & Hanoverano. 47. Cum Electore in Bremenſem Provinciam irrumpit. 49. Importunum ſe præbet: & Bremenſem provinciam affectat. 50. 51. conf *Bremenſis Provincia*. Termœlium ad Electorem mittit. XIV, 28. De dividenda Bremenſi provincia cum Luneburgicis tranſigit. 31. Cum Brandenburgico Brunſvicenſium & Luneburgenſium Ducibus conventionem init. 32. Nullum Legatum Bremam mittit. XV, 5. Cum Dano & Electore fœdus novum init. 7. Electori ſuper petitis Brunſvicenſium & Luneburgenſium reſpondet. XVI. 56. Hujus mors Cæſareis parum luctuoſa. 84.

Monaſterienſis Præſul [Ferdinandus] ſuper feſtinata pace Neomagenſi indignatur. XVII, 40. Pacem cum Gallis init. 55. Satisfactionem ab Imperio prætendit. XVIII, 8. Ipſius ſententia circa Galli prætenſiones atqve dependentias. 41. In Electoris & Regis Daniæ fœdus recipitur. 72. Qvod in ſucceſſore Hermanno Wernero continuatur. ibid.

Monaſterium locus Conventui Legatorum præ Francofurto eligitur. II, 15. Legatorum Brandenburgicorum ibi ingreſſus. 20. Difficultates ſuper titulis oriuntur. 21. 22. Item ratione Præcedentiæ inter Electorales & Venetos. 23. 24. Aliæ ſuper titulis. 24. 25. Item propter jus ſuffragii. 26. Hunc Conventum Monſtrum Comitiorum vocat Bavarus. 27. Catholicorum artibus hic ſe opponunt Brandenburgici. 28. Pomeraniæ cauſa diſceptationes cum Svecis oriuntur. 32 33 34. 35. Acta Brandenburgicorum cum Cæſareis ſuper Pomerania. 36. 38. 39. 40. Cum Gallicis. 41. Iterum cum Cæſareis, Gallis, Svecis. 46. 47. 48. 50. 51. Gallici Electori favent. 53. De cedenda Pomerania & æqvivalente dando agitur. 54. Varia ibi hac de re acta. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64 65. 66. 67. 68. Circa ſacra. 69. Cerimonialia reſpectu Legatorum. 71. Nova Mandata ab Electore ſuis ſuper hoc negotio, ſed prope ſero nimis de Pomerania tranſmittuntur. III, 1. 2. Contra Hervordienſes aſperum conditur Decretum. 19. Diſceptatur ibi circa Gallicam ſatisfactionem. XVIII, 13. 14. 15. 19. 20.

Moneta cuprea, cujus valor ne qvartam qvidem partem juſti pretii æqvabat, eſt labes Hiſpaniæ. XV, n. Qvare Holſatiæ Duci cudenda denegatur à Dano. XIX. 75.

Mongommerius publice citatur. XI, 104.

Monomuthenſis Dux ex Anglia ſe ſubducit. XVIII, 117. Aſſumtum ſtatim Regis nomen ipſi nocuit. XIX, 5. 85. ſecuri percutitur. ibid.

Montalbanus ſummus vigiliarum Gallic. Præfectus capitur. XII, 49.

Monsalbanus opp. mutat religionem. XIX, 16.

Montecuculus indemnitatem ab Electore deſiderat. VIII, 11. apud eum de expeditione Pomeraniæ inſtat. 22. 23. 24. Legatis Danicis mentem Cæſaris indicat. 24. Qvare non recta via Belgis auxilio cum copiis profectus? XI, 61. Rhenum tranſire recuſat. 67. Ab exercitu diſcedit. 82. Gallos trans Rhenum pellit: cur victoriam non perſecutus fuerit? 38. Cum Lotharingo in gratiam redit. XVII, 13,

Montecuculus Tribunus cladis ad Wagam flumen per Tartaros acceptæ ante Viennæ obſidionem, cauſa fertur. XVIII, 94.

Montium Ducatus, in hunc prætendunt jus Saxoniæ Duces. IV, 5. conf. voc. *Juliacenſis Ducatus*, Sparrius cum exercitu ſeſe huic immittit. 25. Relinqvitur tranſactione inita Neoburgico. IX. 75.

Morellus Abbas Heidelbergam ab Aurelianenſi miſſus pacta familiæ, literas inveſtitur. & alia documenta avtographa inſpicienda à Palatino petit. XIX. 13. Ejus Procuratorii formula 15. ei petita juſtè denegantur. ibid. Heidelbergâ diſcedit. ibid.

Morſtenius [Jo. Andr.] ad El. ablegatur. VII, 49.

Morſtinius [Andreas] Leg. Pol. Francofurti ad

Mœnum invidiam Sveco atqve Electori excitat. VI, 41. Cum Gallo conspirat. XVIII, 86. Artes ipsius aperiendi literas. ibid.

Morstinus (Felix) nomine Poloni Electorem adit. XI, 100.

Morungensis arx à Svecis deditione capitur, qvam paulo post ultro deserunt. VIII, 36.

Moscicus Legatus Berolinum venit. XIX, 54.

---- sordibus ac inficeta ambitione ridendum se præbet *ibid.* Coram decumbente in lecto ægroto Electore non aliter, nisi in lecto mithratus & ocreatus jacens mandata exponere vult *ibid.*

Moscus ut cum Polonis reconcilietur, laborat Cæsar. V, 14. Elector item, 61. Omni hostilitate adversus Borussiam abstinet. ibid. Contra hunc non tendit Fœdus Mariæburgicum. VI, 16. Postulat ne auxilium Svecis præstet Elector. 31. Importunum supra communem Gentis sortem Legatum ad Electorem mittit. 32. Qvi Borussiam à Mosco ut feudum recognosci postulat. ibid. 42. Irruptionem in Poloniam facit. 44. Qvare pacem cum Svecis detrectare præsumatur? 51. Utilissimas Sveciæ provincias pervastat. 62. Brandenburgicum ablegatum variis qvæstionibus exercet. VII, 6. Super Coronâ Polonicâ ad Electorem mittit. 75. Prætendit titulum Russiæ Albæ & Ucraniæ. VIII, 79. Contra hunc milites mittere recusat Elector. IX, 7. Cum Polonis inducias facit. X, 61. Pro filio Poloniæ regnum petit, 74. Titulus Magni Ducis Lithuaniæ ipsi tribuitur. 106. Irruptionis Turcarum ergo, Legatum mittit ad Electorem & ejus amicitiam magni æstimat. 109. Nuntiatâ Poloniæ Regis Michaelis morte in lacrumas effunditur. XII, 67. Multa pro filio promittit Polonis, si eum regem eligant. 70. A Dano adversus Svecos excitatur. XIII, 29. Pacem cum Svecis abrumpere non vult; Qvid Cæsareo, Danico & Brandenburgico Legatis responderit? 61. Alexius Moscoviæ Czar Moritur, XIV, 12. Hujus successor Theodorus animo & juventâ debilis, arma contra Svecos arripere non vult. XV, 15.

Mos Ecclesiæ Anglicanæ in contrahendis Matrimoniis. XV, 61.

Mostenbaga super Warmia multis certatur. V, 69.

Mulhemum occupat Spinola. IV, 10.

Mumpelgardensis Comitatus. in hunc jus prætendit Gallus XVIII, 14.

Munitendi jus in locis reunitis an Gallo competat. XIX, 56. 57. 58.

Mutinensis Dux Coronam Polonicam ambit. XII, 79.

N.

Nancejum. XVII, 14.

Nannetensi Edicto cavetur Reformatis. XIX, 16. 48. Aboletur. ibid. 17.

Navigatio in Gvineam instituitur ab Electore XVIII, 32. De qva mota *ibid.*

Naumburgi conventio inter Evangelicos omnes inita & Augustana Confessio denuo renovata Cæsari transmissa. II, 69.

Neobrandenburgi Slippenbachius & Sverinus de pace cum Sveco conveniunt. VII, 16.

Neoburgicus Dux super hoc qverelas movet Elector. II, 72. Bipontinum à Juliacensi ditione excludit. III, 23. Evangelicos oneribus opprimit. 25. Inter hunc & Electorem dissidia oriuntur. IV, 1. Prætendit cum eo jus in juliacensem Ducatum. 2. 3. Ejus possessionem apprehendit. 9. (v. *Juliacensis Ducatus.*) Super Cliviæ, Marcæ, Ravensbergæ &c. divisione & successione cũ Electore agit. 22. 23. 24. Reformatos admodum duriter habet. 25. 26. 32. Cum Electore colloqvitur. 33. Essenam Legatos mittit. 34. Inanis illius in Electorem conatus. 44. Austriorum destinatis repugnat & Poloniæ Regi se commendat. VIII, 51. Coronam Polonicam affectat. IX, 10. Multa promittit. 20. An in Pacem Olivensem recipiendus? 56. 57. 58. 63. cum Electore transigit. 71. 72. 73. 74. 75. 76. cum Friderico Ludovico, Bipontino paciscitur. 76. Hunc regni Polonici successorem insinuat Elector. 90. Ejus conventio cum Electore super Coronâ Poloniæ. X, 48. Commendatur Gallo. 50. 51. 52. et Sveco. 56. Fœdus inter eum, Svecum & Brandenb. conficitur. 57. Cæsari commendatur ab Electore ut in causa Polonica ei faveat & qvas ob causas. 58. Reginæ item. X, 62. Propter numerosam prolem Polonis est ingratus. 62. Judicium de eo 76. Solus Elector fidem ei amicitiæ præstat 81. 87. Gallorum technæ in eo eludendo. 90. Gallus per Furstenbergium eum ad bellum contra Belgas sollicitat. XI, 19. Consultat super ea re cum Electore. 19. Neutralitatem svadet Electori. 22. Officium suum conciliando Electori cum Gallo offert. 88. Includitur fœderi inter Svecum & Electorem. XII, 23. Filium suum commendat Electori. 76. Qvid obtulerit, si is Poloniæ Rex fiat? 97. Ejus Responsio ad Electorem super filia connubio Cæsaris commendanda. XIV, 21. Super Ceremoniis qvædam prætendit. XVI, 52. Electori pacem cum Svecis svadet. 81. Pactum hæreditarium inter eum & Electorem à Cæsare confirmatur. 96. Ipsius dictum de pace Cæsareo-Gallica. XVII, 12. Pacem cum Gallo svadet. 13. 35. Ipsius sententia de Gallorum reunionibus & occupato Argentorato. 60. Cæsari curam sui suorumqve enixe commendat & ne Sacerdotum consilia addictè adeò amplectatur. XVIII, 64. Electoratum accipit. XIX. 13. 14. 15.

Neomagus Locus Tractatibus designatur. XIII, 63. Præliminaria illius conventus. 65. 66. 67. 68. 69. 70. Præparamenta tractatuum. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. XV, 31. 32. 33. Postulata Principum circa Legatos. 34. 35. 36. Num ab omnibus Ordinibus eo Legati mittendi. 37. An Lusitaniæ Principis & Pontificis Legatus admittendi? 38. 39. 41. Argentoratensis

Præſul? 40. de congreſſus Legatorum Loco. 41. Super Procuratoriis diſceptata. 42. Propoſitiones. 43. 44. Contradictiones. 45. 47. Scripto, an vivâ voce tractandum? 46. 51. Palatini propoſitio. 48. Hanoverani, 49. Reſponſiones ad Hoſtium propoſitiones. 50. 51. 52. 53. 54. Horum Reſponſio. 55. Belgæ pacis formulam concipiunt. 56. Fruſtra tempus teritur. 58. Diſceptata ſuper Replica ad Gallorum reſponſum. 59. Item ſuper formula pacis per Anglum concepta. XVI, 6. Belgæ prolationem termini à Gallo præfixi petunt. 18. Super Induciis proponitur. 19. Urgentur iſtæ. 20. 21. Harenus ibi Fœderatis Belgarum ſententiam de pace indicat. 24. Illi Hiſpanos etiam eo adducunt. 29. Pax à Belgis proponitur. Fœderatorum de eâ ſententiæ. 35. Galli circa urbium reſtitutionem tergiverſantur. 42. 44. Belgarum declaratio. 43. 44. Svecorum. 44. Belgæ in pacem cum Gallo ruunt. 45. 46. Fœderatorum proteſtatio. 47. Alia de Pace. 48. &c. Luneburgici & Brunſvicenſes Legatos ſuos ibi Electoralibus exæqvari cupiunt. 52. Dani & Brandenburgici Hiſpanos à Pace cum Gallo dehortantur. 73. De Pomeraniâ ibi agitur. 77. Inter Cæſareos & Gallos tractatur. 90. 91. 92. Ratihabitio pacis Hiſpanicæ. 93. Proteſtationes contra formulam pacis à Cæſareis exhibitam. 94. 95. Cæſarei & Luneburgici pacem ſeparatam in præjudicium aliorum ineunt XVII, 10. Stratemannus de ea Pace diſſerit. 13. 14. Galli & Sveci inſolentes ſe oſtendunt. 15. Difficultas circa Articulum. 26. Pacis Cæſareo-Gallicæ. 16. 17. Gallorum Notæ ad Cæſareorum Declarationem. 18. 25. Danici & Brandenburgici Legati ſuper non communicato articulo. 26. apud Cæſareos qveruntur. 19. Galli à Cæſareis omnia pro lubitu poſtulant. 20. Danici & Brandenburgici Legati de non præcipitandâ cum Gallo pace, Cæſareos monent. 21. Contra eandem proteſtantur. 22. Pax ſubſcribitur. 23. Formula & Inſtrumentum Pacis Cæſareo-Gallicæ. 24. Ut & Cæſareo-Svecicæ. 28. Cæſareorum Legatorum ad hanc declaratio. 29. Proteſtantur contra pacem Danici atqve Brandenb. Legati. 30. Nuntius itidem Pontificius. 31. Eſt hæc pax valde noxia. 32. 40. adverſus eam intercedit Elector. 39. Gallis parum curæ eſt. ibid. Typis imprimitur. 40. Acta ibi poſt pacem cum Cæſareis. 45. Gallis & Brandenburgicis. 46. 47. 48. Ratificationes pacis invicem exhibentur. 49. Catalogus reſtituendorum. 50. Conventio item ſuper executione pacis. 51. Anglicus ſeqveſter inde diſcedit. 52. ſuper induciis cum Brandenb. ibi fruſtra movetur. 32. Tandem ineuntur. 54. Cum Monaſterienſi qvoqve pax concluditur. 55. Sed cum Brandenb. ad eam nihil proficitur. 57. 58. Pactum ſuper prorogandis induciis. 60. Galli Electorem incendiis & invaſionibus ad pacem urgent. 61. Meinderſii actatione Svecorum cum Gallis. 67. 73. Pax Neomagenſis funeſtos ſtatim profert fructus XVII, 39. XVIII, 13. Qvid ex eâ ſibi poſtulet Gallus? 14. 15. 19. 20.

Neoportum cautionis loc. offertur Angl. XVI, 9.

Neuhuſii de Fœdere Danum inter, Electorem ac Monaſterienſem convenitur. XVIII, 72.

Neuheuſelium in Turcarum manus venit. IX, 78.

Neuſſa in Sileſia Liber tetricus contra Evangelicos editur. XIX, 55.

Niemericius in Poloniam mittitur. XVI, 67.

Nivernenſis Ducis Prætenſio in Ducatum Juliacenſem. IV, 1.

Norimbergæ conventus indicitur. III, 33. ibi acta. 34 38. 39 46.

Nörlingenſe prælium prorſus Proteſtantes diſtraxit in partes. I, 2.

Norpradius Clivix adminiſtrandæ præficitur. I, 48.

Nota ad Articulum. 26. Pacis Cæſareo-Gallicæ à Gallis conficiuntur. XVII, 18. 25. Item Monaſterii tales traduntur ſuper Gallica ſatisfactione. XVIII, 13.

Noveſium à Colon. traditur Gallo. XI. 50.

Numius Auguſti Adminiſtratoris Magdeburgici. XI, 82.

Nuntius Apoſtolicus proteſtatur contra Pacem Neomagenſem. XVII, 31.

De nuptiis ſecundis Joannis Caſimiri fruſtra agitur. X, 66 vid: *Connubium.*

O.

Ocaſio per otium amiſſa, nunqvam redit. VIII, 14.

Circa *Oderam* cum Svecis diſceptata & acta. III, 8. XVII, 78. 80.

Oldenburgicus & Delmenborſtanus Comitatus præcipua colliſionis inter Danum & Svecum materia. XIII, 25. 26.

Oliva, vicinum Gedano cœnobium, deſignatur Locus Tractatuum inter Pol. & Svec. VIII, 49. 52. ibi acta. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. Pacis negotium ibi concluditur. 74. Ejus capita qvæ Electorem ſpectant. 75.

Olivecrantzius in Angliam venit paci conciliandæ & ut Svedi nomine Annam Eboracenſis filiam expetat. XVI, 4.

Omen ante Michaelis Wiſnovicii Electionem. X, 88. Gallicæ lingvæ & veſtitus amor Germanis omini videtur. XVIII. 48.

Opdamus male rem gerit. VIII, 11.

Oppenheimium prætendit Eliſabetha Carola. XIX, 13.

Oratio Weimanni contra Pactum Hagenſe. VIII, 5. Fenqvierii contra Electorem in Svedia habita. XII, 53. Lilliehœckii futilis & impudica oratio contra eundem. XV, 25.

Ordinibus jus ſuffragii circa pacem & bellum competit. II, 26. 27. conf. *Imperii Ordines.*

Ordinis Eqvitum Joanniticorum Magiſter. I, 30. III, 14. 30. vid. ſub Lit: *J.* & *M.*

Oreſunda. VIII, 4. 5. XII, 54. 55. XVIII, 10. Ibi appellit Gallica claſſis. 99.

Orſoja occupatur à Spinola. IV, 20. Qvomodo &

do & qvâ ratione Electori tradenda? X, 12. XI, 47.

Osnabruga de induciis acta. I, 45. 46. Ingressus Brandenburgicorũ Legatorum ibi; Observata tum ratione Ceremoniarum, tum Procuratoriorum II, 19. Acta Brandenburgicorum Legatorum cum Cæsareis super Pomeraniâ. 36. 38. 39. 40. 44. Cum Gallicis. 41. De Pomeraniâ cedenda & æqvivalente dando agitur. 54. Super novis tractatibus. 59. Alia de eadem acta. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. Circa Sacra. 69. Ceremonialia. 71. Nova mandata, sed sero nimis de cedenda Pomerania ab Electore mittuntur III, 1. 2. Tractatio à Legatis suscipitur. 3. Belgicorum ibi acta. 4. Brandenburgici Negotiationem suam Gallis atqve Cæsareis communicant. 5. 6. 7. Disceptationes super hâc. 8. Negotium tandem conficitur. 9. 28. Circa æqvivalens difficultates. 10. 11. 12. 13. 14. Sveci conventa refingere conantur. 15. ex Formula Instrumenti, qvid Sveci & Brandenburgici ista pace acqvisiverint aut amiserint. 16. Super transitu in Borussiam 27. De Pomeraniæ limitibus acta. 29. Ut & Permutatione Pomeraniæ. 30. Difficultates circa pacis ratificationem. 31. Et tradenda loca. 32. conf *Pax.*

Osnabrugensis Præsulatus sublatâ alternatione ab Ernesto Augusto petitur. XVII, 40. 41. v. *Ernestus Augustus.*

Ossalinius Poloniæ Cancellarius ad Electorem mittitur. I, 41. Præses Colloqvii Thorunensis inter Polonos & Lithuanos constituitur. II, 31. Ipsius judicium de Electoris suffragio. III, 27.

Super *Ostenda*, inter Hispanos & Anglum acta. XVI, 9.

Osterwicum Electori traditur. III, 38.

Ottonia, Eo convolant Daniæ Ordines, de bello Svecis inferendo consultaturi. VI, 56.

Oxenstierna (Axelius) Christinæ nuptias filio suo præoptat. II, 40. 49. Obstat Reginæ matrimonio cum Electore. 48. De conjunctione Sveciæ cum Electoratu Brandenburgico, qvas Leges tulerit? 52. Electori semper iniqvus. III, 43. Cessam Electori Pomeraniæ partem digerere non potest. 47. Ejus consilium de Portubus occupandis. V, 9.

Oxenstierna (Benedictus) ad petendam investituram Pragam proficiscitur. III, 61. Stetinum ad tractandum cum El. venit. V, 42. super Literis Ejus fiduciariis dubia. 44. acta ibi ab eo 45. vid. *Stetinum.* Aulæ Cæsareæ & Legato Hispanico illudit. XIII, 11. Inter eum & Anglicum Legatum lis. XIV, 70. Neomagi par esse ut satisfiat Electori agnoscit. XVI, 77. Gallos Holmia amovere studet. XVIII, 76. Responsum ejus Brandio datum. 77. De Rege suo qvæ jactaverit? XIX. 7. de Gallorum potentia differit. 10.

Oxenstierna (Ericus) qvid Sveci nomine ab Electore prætendat? V, 65. Alias pacis conditiones offert. 69. 70. Hujus opera transactio cum Rege Sveciæ conficitur. 71. 72. 73. vid. *Frauenburgum.*

Oxenstierna (Gustavus) contemptim in Moscoviâ habetur. XIII, 29.

Oxenstierna (Joannes) super Pomerania cum Brandenburgicis agit. I, 27, 32. 43. II, 23. 33. 35 51. 62. 63. 66. III, 8. 9. sqq

Oxenstiernarum familia Sveciæ felicitatem impedire à Salvio traditur. II, 48.

Oxoniensis Episcopus jusjurandum solitum abolendum, peculiari libro persuadere Parlamento conatur. XIX, 97. *Oxonii* super Romanis ritibus mota. *ibid.*

P.

Pacii in Piastum eligendum consentiunt cum Radziviliis X, 88. Czaris filium commendant. XII, 68.

Pacius Archistrategus fœdus in regem Poloniæ moliri dicitur. XVI, 67. Svecis transitum per Samogitiam denegat. XVIII, 2. Cum Electore de transitu tractat. 8.

Pacius Poloniæ Procancellarius Regi svadet, ut bellum inferat Electori propter abductum Kalcsteinium. XI, 104.

Pactum, Pacta. Pactorum verba probe sunt considerandæ. XVIII, 13. de Pacto *Georgii Wilh. El.* cum *Cæsare* per Legatum ap. El. agit Cæsar. I, 17. Super *Inducierum pacto* frustra laboratur 27. 38. *Holmiense* super Reginæ matris negotio. 36. 37. Pactorum *dotalium Borussicorum* fit mentio. IV, 1. Pactum *Dusseldorpiense primum, secundum & tertium* inter Br. & Neob. IV, 22. 23. 24. Pacta *Feudalia* cum *Svecia* ratione Borussiæ. V, 72. peculiare *super Warmiensi Præsulatu.* 73. Super *illustratione Pactorum* istorũ cum Svecis agitur. VI, 13. 29. *Elbingense* inter Belgas & Svecos super commerciis. 42. conf. *Elbinga.* cum iisdem *super absolvendo Pacto Regiomontano* acta. 44. Pacta *Labiauensia* 45. 46. 47. 56. IX, 67. *Welavienſia S. Bydgostiana.* 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. VII, 9. add. VIII, 70. 71. IX, 7. 13. 38. 47. 55. 61. XI, 100. 102. 103 XII, 71. 80. Gallorum, Anglorum & Belgarum *circa separatam Pacem, Hagense.* VIII, 3. 4. 5. 6 7. 8. 9. *Elucidationis* 3. 4. 72. de Pacto *Roschildense* tanqvam commerciorum libertati adverso querelæ. 6. 9. *Vilnensia* pacta non servari, Moscus qveritur. VIII, 38. Pacta *Stumsdorfiana* memorantur. 73. *Brombergensia.* IX, 58. 55. 58. 67. 86. X, 62. 70. XIV, 4. 8 XV, 12. 14. Pactum transactionis xantense IV, 20. 21. IX, 72. *Transactio hereditaria* cum Neoburgico. IX, 73. 74. 75. *Pactum* ei *adjectum* 76. Circa *renovationem Pactorum cum Polonis* acta. XI, 101. 102. 116. XIV, 4. 12. XV, 13. 14. super pacto *mutuæ successionis* cum *Domo Austriaca* tentata. XIV, 19. *Hornburgense.* 33. *Rendesburgense.* 36. *Bremense* temporarium. XV, 5. *Stetinense.* XVII, 57. 60. 71. 73. 78. 80. *Santinense* super prorogandis Induciis inter Gallos, Danos & Brandenb. 60. *Mutua successionis* inter *Brandenb. domum & Ducem Lignicia & Brigæ.* XVIII, 82. *Susatense* 115. *Super Dumi-*

Dœmitza inter *Gallum & Meclenb.* 127. *Pinnebergenſe* XIX, 37 38. 41. 42. v. *Conventio*, *Fœdus*, *Tranſactio*.

Paderbornenſis Præſul fœdus anteceſſoris cum Electore renovat. XVIII, 113.

Palatina cauſa qvo loco tractanda? II, 10. 11.

Palatinatus duo, Majoris Poloniæ ſe dedunt Svecis. V, 48.

Palatinatus Rheni. in hunc prætenſiones Galli? XVIII, 14. 15.

Palatinus Elector Electionem Cæſaris promoperandam judicat. VII, 11. Nec Austrium, nec Bavarum Cæſarem deſiderare videtur. 78. Tranſitum Rheni denegat Cæſari atqve Electori. XI. 64. A Gallo invaditur. XII, 30. In Anglia illius calamitas non attenditur. 36. Ejus reſtitutio curæ eſt Electori 38. 39. 40. 42. 43. 44. Super accelerando auxilio inſtat. 45. Legatum Neomagum mittit. XV. 48. Pacem urget. XVI, 8. Ratisponæ repugnat ne Elector Magdeburgici Ducatus nomine proximum à Bavaro locum occupet. XVIII, 12. Huic utile dominium ereptorum locorum, ſub onere fœderis inæqualis a Gallo offertur. 14. Contra Galli Conatus copias Circulares ſibi auxilio ſubmitti petit. 17. Mens ipſius circa Gallorum poſtulata. 36. Moritur. XIX, 13. Ob ejus ſucceſſionem lites oriuntur ibid. 13. 14. Ejus ſucceſſor Catalogum prolixum patratorum à Gallo contra inducias exhibet. 29.

Pallantus Bredenbendam arcem prodit. IV, 19.

Parlamentum Anglicum. ad opprimendam ejus auctoritatem, Gallorum & Regum conſilia & ejus cum Rege diffidentia. XI, 10. 12. 78. XV. 60. XVI. 9. 10. 11. 12. 21. 22. 78. XIX. 84. 85 86. 87. 88. 91. 92. 93. 94. 97. Regem ad pacem cum Belgis urget. XII, 10. Poſtulat ut Rex Anglos, Gallis militantes, revocet XIII, 62. Bellum cum Gallo urget, XV, 60. XVI, 11. 12. 22. Monumethenſem perduellem declarat. XIX, 85. ei Jacobi II. conatus non probantur. 87. Circa novum Parlamentum agitata. 95.

Paſſavii de Edicto, de reſtituendis bonis eccleſiaſticis, denuo promulgando, inter Cæſ. Hiſp. &c. proponitur. II, 12.

Paſtwalci exercitus Wrangelii contrahitur. XII, 65. Ratihabitio pacis San-Germanicæ ibi traditur. XVII, 84.

Pax. ad pacem in bello communi omnium Procerum conſenſu opus. II, 4. De Religione Reformatâ Paci ſacræ diſertis verbis includenda, acta. 29. Poloniæ Rex ad tractatus Pacis Legatos mittit. 45 *Pax Weſtphalica* concluditur. III, 28. de ejus ſecuritate, violatione ac interpretatione. 29. 60. VII, 63. 64. VIII, 41. 42. XV, 42. 43. v. inf. *Monaſterienſis*. Elector *Polonos* ad pacem qværendam hortatur. V, 15. Joannis Caſimiri circa pacem cum Svecis mens. 19. Sretini de pace incaſſum movetur. 45. Elector de *Pace cum Svecis* facta Cæſari ſignificat. VI, 1. Belgæ ob hanc valdè moventur. 2. 3. 4. 5. 6. Belgarum circa *Pacem inter Svecos & Polonos* conſilia. 43. Elector circa pacem cum Polonis ſatagit. 49. Svecum ſimul ad pacem cum his hortatur. 51. 65. eamqve inter Svecum & Danum ſervare ſtudet. 52. 53. Cum Polonis ſuper pace agere incipit. 68. Poloniæ Reginæ circa hanc ſtudium & hortatio. 69. 70. Electoris conſiderationes circa pacem inter Svecos & Danos. 72. Super pace inter Svecum & Polonum ab Elector incaſſum agitur. VII, 5. Eos iterum reconciliare ſtudet. 44. 48. 50. Circa ſeparatam pacem Galli, Angli atqve Belgæ pactum conficiunt. VIII, 3. Cui ſe opponit Elector. ibid. In *Dania* circa pacem cum Svecis fruſtra ſatagitur. 33. Elector pro communi pace nititur. 44. 45. 46. Acta circa *præliminaria pacis Thorunii*. 47. Qvare tam anxie Poloni pacem expetant? 48. 53. Acta *Warſaviæ ſuper præliminaribus* pacis. 49. *Danus circa pacem ſuam* intrigit. 54. Poloni pacis negotio ſervide inſtant. 55. Propoſitiones de eâ, atqve diſceptationes. 56. 57. 58. 59 60. 61. 62. Agitata cum Cæſare ſuper conditionibus pacis. 63. *Danica pax* ſuccedit. 67. Diſceptata ſuper capitibus pacis. 68. De ejus evictione. 71. Mors Caroli Guſtavi pacem non remoratur. 73. Ad hanc citato gradu decurritur. 74. *Et* concluditur, ibid. *Olivenſis*, ejuſq; capita qvæ Electorem tangunt. 75. Articulo alius pacis ſeparatus recenſetur. 76. Polonorû declaratio. 77. De *Guarantiâ ſeparati articuli Pacis Olivenſis*. 61. Acta ſuper Neoburgico Paci Olivenſi includendo 63. Elector Pacem inter Anglos & Belgas conciliare ſtudet. X, 18. *Acta in Angliâ* circa hanc 22. Item *Bredæ*. 23. 24. Brandenburgici apud Gallum ſuper pace inſtant. 54. Incaſſum circa pacem inter Gallum & Belgas ſatagit Elector. 26. Gallus Belgis omnem pacis ſpem adimit. 27. *Pax Voſſemenſis*. XI, 95. Hujus articuli ſeparati recenſentur. ibid. De hac pace Belgis, Cæſari, Sveco ac Imperii Ordinibus ſignificatur. 96. 97. 98. 99. Elector paci conciliandæ ſtudet. XII, 1. Sed pacis hoc negotium difficile apparet. 3. 4. Belgæ ſeparatam pacem cum Galli ſociis captant. 9. Inter *Anglos & Belgas* Pax fit. 10. Ratisponæ ad pacem nihil proficitur. 12. Acta *ſuper præliminaribus pacis Neomagenſis*. XIII, 62. 63. 64. 65. Beuningii anxietas circa pacem parûm proficua. 66. Alia circa hanc. 67. 68. 69. 70. XIV, 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. XV. 31. usq; 61. Super *Legibus pacis inter Gallum & Hiſpanum* fœdo initur inter *Anglum & Belgas*. XVI, 2. A Gallo pacis conditiones proponuntur. 15. Agitata circa has. 16. Gallo Belgas ad pacem per literas invitat. 23. 24. 25. 26. Cui apud Anglum ſe fruſtra opponit Elector. 27. Ut & apud Belgas 28. Hiſpani qvoq; in hanc inclinant. 29. Fœderatorum circa illam Neomagi monita. 30. Elector etiam pacem qværit. 31. Fœderati ſeparatæ Belgarum paci renituntur. 32 Arauſionenſis ſententia ſuper hac. 33. Belgæ pacem decernunt. 34. Ac de inſtituto ſuo Neomagi proponunt. 35. Hiſpani eam certis conditionibus acceptant. 36. *Belgæ in pacem eunt*. 46. Contra qvam proteſtantur Fœderati. 47. Haut *eo minus Pax concluditur*. 48. *Querela ſuper iſtâ*. 49. Electoris item Epiſtola ſuper hâc ad Belgas

Belgas 50. Arausionensis de hac pace judicium. 51. Circa pacem *inter Gallum & Hispanum* satagitur 73. Quam excusant Hispani. 74. Acta Ratisponæ super pace. 86. De hac quoque inter Cæsareos & Gallos agitur. 90. 91. *Formula Pacis Neomagensis*. 92. Hispanica ratihabetur 94. Protestatio contra formulam pacis à Cæsareis exhibitam. 94. Item Disputata super illa formulâ. 95. Cæsarei adhuc de pace dubitare videntur. XVII, 13. Acta circa Cæsaream ulterius Neomagi. 14. 15. 16. Gallorum Notæ ad hanc. 18. Circa hanc acceptandam pergitur. 20. Dani & Brandenburgici de ea non præcipitanda monita edunt. 21. Protestationes eorundem contra illam. 22. *Pax* tamen *subscribetur*. 23. 24. Notata circa hanc. 25. Instrumentum *pacis Cæsareo-Svecica*. 28. Protestationes contra illam. 30. 31. Expostulationes super ed Viennæ. 33. Ratihabitionem hujus impedire nititur Elector. 34 sed frustra. 35. 36. Ordines pacem Ratisponæ probant 39. Acta Neomagi post Pacem Cæsaream. 45. Galli Daniæ Regem & Electorem ad pacem urgent. 46 47. 48. Pacis ratihabitio inter Cæsareos & Gallos permutatur 49. Conventio super hujus executione. 51. *Cum Monasteriensi* pax concluditur. 55. Neomagi nil amplius ad pacem proficitur. 57. *Pax Sam-Germanica* concipitur & perficitur. 78. 79. 80. Sequestris mentio ea pace non fit. 81. Acta super hujus ratihabitione. 82. Item circa executionem pacis cum Gallis. 83. Ut & Svecicam ratificationem. 84. Danus de pace dubitat. 85. Danica pax tardius succedit. 88. Danus de Electoris cum Gallo pace queritur. 89. *Danica pax* demum perficitur. 90. Inter Boreales pacem servare studet Elector 97. Idem apud Cæsarem de pace cum Gallo urget. 105. Ac Luneburgicos ad pacem permovere studet. 106. De inducliis in pacem mutandis proponit Gallus. XIX, 45. Acta de his. 46. 47 49. 49. 50 51 52.

Pax ut in Imperio servetur maxime interest. VII, 28. 36. 37. per arma paratur. XII, 44. Integris adhuc viribus & maturè amplectende XVII, 86. Majori orbis parti præscribitur à Gallo. 90. Illius optima cautio quænam? XVIII, 37. 38 83. inter Imperium & Gallum quare difficilis. 111.

de *Pace Aquigranensi*. XI, 7. 51. 72 85. XII, 5. 33. 35. 43 56 XIII, 65. XV, 51. *Bremsebrocensi*. XV, 43. *Cellensi*. XVII, 78 80. 82. *Clivensi*. X, 16. 17. XI, 51. 85 XII, 5 33. 35. 43. *Danica* ad *Fontem Blandi & Lundinensi*. XVII, 90. *Hafniensi* XV, 43. 44. 51. XVII, 74. *Monasteriensi*. XI, 39. XII, 5. 35. XV, 31. est fundamentum Neomagensis pacis XVII, 24. 28. ad eam tuendam Associationis fœdus initur. XVIII, 23. *Pragensi*. I, 20. II, 40. XIX. 53. *Pyrenæa*. X, 40. XI, 1. 31. 51. 72. XII, 33. 34. 35. 36. 56. XIII, 65 XV, 60 XVI, 10. 15. *Religionis*. II, 30. 69. IV, 40. *Roscbildensi*. XIV, 40. XV, 43 44. *Neomagensi* ejus infausti fructus. XVIII, 21. 25. 34.

Pecunia apud Helvetios. XI, 73. & in Poloniâ magnum obtinendi desiderii autoramentum. XII, 74. XVIII, 28. 29. Hâc tentatur Fagetius. 71. Gallica ex vero describitur ab Oxenstierna. 76. Sveci haut amplius ea capiuntur. 90.

Pedemontanorum trucidatio impia per quos excitata? VI, 11.

Pegnerandæ. ejus judicium de extrahendâ Austriorum electione. VII, 36. Provincias Belgicas derelinquendas svadet, ut Lusitania recuperetur. X, 37.

de *Pena* fluminis limite Pomeraniæ constituendo proponitur. X, 21, 77.

Penam Presbyterianos in Anglia irritare studet. XIX, 93.

Persecutio Reformatorum in Gallia. XIX, 16.

Persecutionis tamen vocabulo illam describi ægre fert Gallus. 18. eo nomine cum Gallo expostulationes. ibid.

Petrus auribus Gallorum Portugalliæ Rex evadit. XI, 1. de eo ejusque connubio quædam ibid. p. 735.

Piccolomini erratum. I, 20.

Pignerolium super eo inter alia acta cum Gallo. XVIII. 13.

Pillavia, pro eo portu oblatam Silesiam El. Parens repudiavit. V, 6. Partem illius præsidii deposcunt Belgæ. 21. 23. VI, 42. 64. Ostium illius se obstructuros comminantur Gedanenses, si Sveci Ostium Vistulæ navigationi ineptum reddant 64.

Pinnebergensis Conventio à Dano contra Hamburgenses allegatur. XIX, 37. 38. 41. 42.

Philippus Wilhelmus fit Elector Palatinus. XIX, 13.

Philipsburgum expugnatur. XIV, 41. Huic munitiones detrahi cupit Gallus. XVI, 90. A Gallo Cæsari ceditur 24. De eo acta Monasterii cum Gallis. XVIII, 13.

Platenus Augustam mittitur. IV, 39. It: Frauenburgum super armorum societate cum Svecis. VI, 21. 22. 23 25.

Plettenbergius ad Electorem mittitur. II, 68. Cum declaratione Osnabrugam redit. III, 1. 3. 4.

Polnicius in Angliam missus, magno ibi honore excipitur. IX, 5. Ad Belgas ablegatur. XI, 58. Prælium cum Gallis dissvadet. 81.

Pollentius cum suis à Svecis repellitur. VII, 74.

Polonia. Qvalis ibi rerum facies diversis temporibus? V, 9. 10 11 12. 17. IX, 84 85. XI, 105. XVII, 8 Bellum ipsi non conducit. V, 14. Acta circa hanc ab Eyteris. 26. 27. 28. Germaniam tutam præstat à Barbarorum irruptionibus. 30. Illam servari omnium interest. 38. Magna istius pars Sveco se dat. 70. Qvalem Regem desideret? X, 74. Dissensio ibi omnium suffragia irrita reddere potest. XVIII, 30. Jus indigenatus ibi magni momenti. ibid.

Polonia Episcopi Colloqvium Thorunii instituunt. II, 31. Præfecturæ. XVIII, 13 15 19. 20.

- - - *Nobiles* armatâ vi Condæanæ electioni resistunt. X, 86. Soli Michaelis Electionem promovent. 88.

- - - *Ordines* jus ſuffragii denegant Electori. III,27. Auro Gallico mancipati. XVII,7.
- - - *Regina* Polonos fruſtra ad victoriam incitat. VI, 39. Pacem cum Electore deſiderat.69. Illius autoritas. VII, 5. Berolinum venit. VII,50. qvalis fuerit? IX,87. 89. Moritur. X, 65. Mores iſtius atqve cogitationes. 68. A Gallo multis muneribus & Franciæ Filiæ titulo ornatur. XIV,9. Qvare Gallis infenſa? XVIII 86.
Polonica Aula cum Gallis colludit. XVI, 69.
- - - *Corona* à Moſco affectatur. VII,75. Illius Candidati qvi & qvales? IX, 10 20. X.74 ſq. XII,70 ſqq. Digna cenſetur Miſſa. IX,14. X, 75. vid. *Candidati.*
Poloni de Electore qveruntur. I,22.23. eorum legatio ad Elect.24.41. Warſaviam proficiſcitur El 24. Eorum operam ob Pomeran. fruſtra ſolicitat Elector. II,45. Circa novum Regem eligendum in factiones ſunt diſtracti. III, 27. Inter hos & Svecos bellum conflari videtur. ibid. IV,36. Tractatus cum Svecis eludunt. V,5. An Electori nocere poſſint? 10. Elector eos ad pacem hortatur. 15. A Svecis eos peti, magis magisqve apparet. V,40. Cum iis acta. VI,30. Recuperatâ Wartâ magna ſpirant.36. in eos tendit Elector, & in fugam vertuntur. 37. 38. 39 à Cæſare auxilia petunt.40. Inter hos & Svecos ut amicitia reſtauretur, ſolliciti ſunt Belgæ. 43. Ex Moſcorum irruptione in Livoniam ſpiritus novos ſumunt. 44-48. Brandenburgicis cladis qvid inferunt, ſed mox ultio reponitur. 48. Cœptis Danorum applaudunt.60. Cum Auſtriacis fœdus ineunt 63 cum iis ſuper pace acta. 67.68 69. 70. de ſupremo Boruſſiæ imperio apud eos agitur.71. Ac tandem tractatio abſolvitur. 75. Hinc fœdera & pacta Welavienſia. 77. 78.79. Super Lauenburgo &c. ac Elbingenſi civitate.79.80.81.82.83. Cunctatio Auſtriaci auxilii ipſis valde diſplicet. VII, 14.15. Circa ferendum Dano auxilium fruſtra laborant.43. Irruptionem in Germaniam minantur. 44. à noſtris apud eos acta circa pacem.47.48.49.50. De invadenda Pomerania ſvadent. VIII,16.36. Eorum concordia difficilis.44. anxie pacem expetunt.48. cum Svecis ſuper præliminaribus pacis agunt. 47.49. Pacem urgent.53 56. Svecis Stetinum eripi nolunt.69. Eorum feſtinatio in opere Pacis à Brandenburgicis ſiſti non poteſt.72. 74. *Pax Olivenſis* concluditur.75.76.78. Super Elbinga cum iis acta.80.81.82.84. IX, 7. 8.17.18 19. Qverelæ eorum de Electore. 9. Locupletem Coronæ ſuæ Candidatum optant.10. Periculoſa ipſis vicinitas Turcæ, Sveci & Galli. 10. Electori illa aula eſt infenſa.11 12. Mox timidi, mox ſuperbi. 17. Qvalem Regem optent? 10.20.87. Varia eorum circa Electionem novi ſucceſſoris. 44. 45.46.84.86 87. Circa Boruſſiæ ſummum imperium cum iis acta. 37. 38. 42. 43.47.51.52.53. 54. Circa ſedandos ibi motus. 88. 89. Qvare Neoburgicum ſucceſſorem habere nolint. X,60. Auxilia hinc inde contra Tartaros petunt.61. Super abdicatione Caſimiri & novo ſucceſſore cum iis acta eorumq; ſtudia & Candidatorum ambitus. 62. 63. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 82. ſqq Præter omnium opinionem eligunt Michaelem Wieſniovicium. 88. Turbæ hinc inter eos oriuntur. XI, 9. Circa pactorum renovationem tricantur. 101. 102. Kalcſteinii abductionem ægerrime ferunt. 103. 104. 105. Pacta demum Electori confirmant. 106. Auxilia ab eo accipiunt. 107. De novo Rege ſunt ſolliciti. XII, 67.68.69. Judicia & conſilia eorum de Candidatis. 70. 73. 74. Poſt Sobieſcii adventum Lotharingo nulla ſpes reliqva. 79. Illum Regem eligunt. 80. Auxilia ab Electore contra Turcas petunt. 81. Ambiguo animo erga hunc Electorem ſunt. XIII, 58. 59. XIV, 1.2.3. Difficiles ſe ei qvoqve exhibent in confirmandis pactis. 4.6.11 XV.13 14. A Gallo & Regina ad pacem cum Turca inſtigantur 9. Contra Electorem incitantur. XV.11. ab iis periculum non plane ceſſat.11. Sententiæ eorum de Svecorum irruptione.69. Poſt profligatos in Boruſſia Svecos mitiores ſunt erga El. XVII, 7.8. Super Radzivilæ connubio fremunt. XVIII, 17.28. Super *Jure indigenatus* cum iis acta. 30. v. *Jus Indigenatus.* Super Vitrii machinationibus ad Gallum ſcribunt.86. Ab Electore auxilia contra Turcas petunt.137. Eorum diſciplina militaris prava. VII,70.
Poloni Majores Electoris auxilium imprimorant. V.6. Ut ejus partes aſſumant, ſollicitantur. XIV, 7. Huic etiam amiciores reliqvis eſſe videntur. 8. 2. XVII,7.
Polonus Pacem cum Dano deſiderat VIII,1.24. 58. Conventum indicit ſuper præparamentis Pacis.45.46.47. Qvare tam anxie pacem petat? 48 72 55 67. Cum Moſcis & Coſacis bellum continuat IX, 1. vid. *Joannes Caſimirus. Joannes Sobieſkius. Uladislaus.*
Circa *Pomeraniam* cedendam cum Svecis acta. I,7.8 9 11.17. II,32.33.34.35.36.37 38.39 40 41.ſqq. (eſt pomum Eridos.61.ſq.) III,1.(Triplo pretioſior Magdeburgo fertur.3) 2.3.9 16. circa eam etiam poſt pacem controverſiæ manent. III.29.34.36. ſqq. circa *Fines* in Pomerania regundos acta. III,42 ſq. vid. *Sveci. Limites.* de *Veſtigalibus* Pomeraniæ cum Svecis acta. III,54 55.56.58.62. Electori traditur. III, 57. 65. De Pomeraniæ permutatione acqvirenda agitur. III,30 41 42.43.ſqq. Poloni Pomeraniæ translationem in Svecos impedire conantur. II,45. in eam vetus Brandenburgicis jus. II,35.46. in eam incendiis atqve rapinis graſſantur Poloni. VI. 48. ea ut Svecis ſervetur, ſtudet Gallus. VIII,4 de Cæſaris in eam expeditione conſultationes. 16. 17. 18.19 20.21.22.23.24. ea ſuſcipitur.25.26 27 qvo ſucceſſu? 28. ſqq. in eam irrumpit Elector. XIII,54 55 56. in eam expeditio Electoris. XIV,46.47.48. XV,18. XVI,59. 60. 61. 62.63. Meinderſius ſuper ea retinenda Neomagum

gum mittitur XVI, 76.77. Crocovius ad Cæsarem 79.80.81. Meinderſius poſt in Galliam mittitur. XVII, 66.69.71. altera vice. 72. 73. Reſtituitur Svecis pace San-Germanica. 80.

Pomerani Electori favent I, 28. II, 32.33.44.55 Ut jura ſibi ſalva ſint, procurat. ibid.

Pomeraniæ Epiſcopi titulus cui competat? XI, 101.

Pompejus Svecis admodum faver. XVII, 57. Acta ejus cum Meinderlio in componenda pace San-Germanica à 69. usqve 81. Pacis negotium ne à Colberto perficiatur, impedit. 81. Rebus Galliæ tractandis dimovetur. 84. Ipſius judicium de invaſione Hamburgi. 94.

Pontifex, an habeat poteſtatem diſponendi ſuper Regnis & Provinciis? VI, 11. Hujus favorem ſibi conciliat Gallus. XI, 1. Polonos ad bellum cum Turcâ continuandum hortatur. XIV, 9. Ejus Legatus an in negotio Neomagenſi admittendus? 64. XV, 39. Quæ re in pace Neomagenſi ejus tanqvam Sequeſtris non fiat mentio. XVII, 31. Gallum à prætenſionibus ſuis dehortatur. XVIII, 89. Bellum contra Turcam continuari cupit. 105. 133. Perſecutionem Reformatorum in Gallia clam improbat. XIX, 16. In Gallia contra ejus autoritatem propoſitiones conficiuntur. ib. Ejus Nuntio de induciis cum Gallo in pacem mutandis Viennæ ploponit. 45. Anglum monet ut caute agat. 48. Furſtembergii Electionem improbat. 59.

Pontificii è morte Ludovici XIII. Gall. Reg. capiunt gaudium. II, 4. Ut & propter Svecorum in Holſatiam irruptionem. 12. Magis Lutheranæ, qvam Reformatæ religioni favent. 69. Electoris potentiæ ipſis ſuſpecta. XII, 52.
Conjurationem de Angliæ ſtatu mutando moliuntur. XVI, 78. In Angliam irrepunt. XVII, 44. Proteſtantibus ſunt infeſti. XVIII. 95.96. In Jacobo II. Angliæ Rege magnam ſpem collocant. XIX, 85. Et ab eo juvantur omnibus modis. 86.87.88.89.90.91.92.93.94. 95.97. Qvid de horum receptione in Anglia ſentiat Arauſionenſis? 96. Eorum vaticinia de nativitate Walliæ Principis. 67. Eorum Miſſionarii Belgio exeſſe jubentur. 55.

... *Reſtitutæ* à Jacobo II Angl. Rege in Angliam introducuntur. XIX. 86.

... *Sacerdotes* à Belgis in cuſtodiâ detinentur. IV, 24 25. Sævitia eorum in Proteſtantes. VI, 10.52. Reformatos in Gallia exſtirpandos ſvadent. XIX, 16.19.

Portsmuthia Ducissa, qvædam Gallica fœmina, cui hoc nomen inditum, Carolo II. adducitur pellex, qvæ Regem in partes Gallicas inclinavit XI, 10.12. XVI, 9.

Portus Boruſſiæ, de illis cum Svecis acta. V, 2. 3. 4. 6 38. VI, 45. Acta de his inter Danum & Electorem. 52. 53. 54.55.

Poſnania Auſtrii, Poloni ac Brandenburgici conveniunt. VII, 47.

Potocius Draheimenſis Dynaſtiæ poſſeſſor morit. XV, 64.

Potſtavii Edictum in favorem Reformatorum è Gallia profugorum editur XIX, 17. ibi decumbit ELECTOR & moritur 100.

De *Præcedentia* inter Electores & Venetos I, 53. II, 17.23.24. IV, 36. inter Electores & Belgas. I, 55. II, 17.71. cum Auſtriis II, 25. inter Duces belli. VI, 27.78.79. vid. ſub tit *Legatorum plura*. ad definitam inter Chriſtianos Reges in Conciliis veterum prærogativas provocat Gallicus Legatus. XVII, 76.

Præda Svecorum qvomodo inter Fœderatos diviſa? VIII, 34.

Prælium ad Warſaviam. VI, 37-38-39. in Fionia. VIII, 34. ad Lebencium. IX. 78. prope Argentorat. XII, 46. ad Fehrbellinũ. XIII. 36. ad Montes Hannoniæ XVI, 70. inter Gallos, Cæſareos & Lunch 38. in Boruſſia. XVII, 3.5.6.7. ad Viennam. XVIII, 96. Præliorum alea ex ſententia Bornonvillii qvando tentanda? XI, 82.

Præſcriptio longiſſimi temporis an habeat locum in rebus ſummi imperii jura ſpectantibus? XVIII, 14.15.

Prætenſio Corbejani Abbatis in Rugiam. II. 37. Hervordiæ. 70. In Ducatum Juliacenſem. vid. *Juliacenſis Ducatus*. *Brunſvicenſium* in Comitatum Reinſteinenſem. III, 12. Anhaltinorum in Aſcaniam. ibid. Auſtriorum in Boruſſiam. V, 14. Monomuthenſis Ducis. XVII, 44. Colonienſis in Lipſtadium 58. Saxonis in Mulhuſam & Northuſam. XVIII, 8. Galli, in infinitum ſe extendunt. 50. Electoris in Ducatum Lignicenſem. 84. 85. XIX, 1. vide *cætera ſuis locis*.

Prætextus vid. *Color*.

Prageuſi pace mala patriæ non ſublata. II, 4.

Preſbyteriani novum jusjurandum præſtare abnuunt. XIX, 93.

Preſtavi qvi? XI, 109.

Preuſchmarca incaſſum tentatur à Svecis. VIII, 36.

Primas Regni Poloniæ, Regimen Poloniæ poſt abdicationem Joannis Caſimiri ſuſcipit. X, 73. Judicium ejus de Neoburgico & Condæo. 76.77. Ab Electore affectat titulum Primi Principis. XII, 71. Aeriter cum Hoverbeqvio de Pactis diſceptat. XIV, 8.

Principes Germaniæ à Gallo contemnuntur, inprimis illi qvorum ipſi operâ ad propoſitum non opus. X, 55. de Legatis eorum v. *ſub tit. Legatorum*.

Privilegium in Germaniâ à qvo detur? III, 13.

De *Profugis* Anglis qvibusdam. XVIII. 117. è Gallia ab Electore recipiuntur. XIX, 17. Item ab Anglo. 85.

Circa *Procuratoria* obſervanda, & diſputata. I, 16 30.34. II, 19.63 64. III, 49.62. V, 20. XIV, 69. XVIII, 34.46.

Promiſſa implere glorioſum. VIII, 5. Gallorum ſunt inania. 41.

Protectio qvid notet? X, 35.

Protector præ Rege digniorem locum affectat. *VIII*, 3. v. *Cromwellus*.

Proteſtantium cauſa ab Electore apud Cæſarem agitur. *II*, 63. *IV*, 46. *VII*, 63.64.65. *XVIII*, 95.

95. XIX, 1. 86. contra Neoburgicum. IV, 25. cum Cromvello pro illis communicata. VI, 9. 10. 11. apud Polonos. VII, 50. VIII. 68. apud Angliæ. R. Jac. II, XIX, 4. de Reformatis cum Gallo. XIX, 17. 18. ergo eos Gallis non levius odium ac Hispanis est. XI, 1. Jesuitarum de his in Hungaria votum. XVIII, 95. per eos oppressos demum ad Monarchiam Europæ patet via. XVIII, 95. Successione Jacobi II. & morte Palatini feralem plagam accepisse videntur. XIX, 4. 13. in Gallia persecutio Reformatorum 16. 17. 18. eorum causam Arausionensis commendat Jacobo II. 94. 96. v. *Reformati.*

Proverbium, ex Lucano, *Sceptrorum vis tota perit. &c.* Gustavo Adolfo jactatum. II, 61. Hispanorum de Pace colenda cū Anglis. IX, 25 Belgarum super amicitia cum iisdem. 26. Hispanici legati de aviditate ministrorum Gallicorum. X, 2. de clade Gallorum ad Gilgilim. 4. à Mazarino cacodæmonem non impensius metui qvam Cromuellum. X, 28. Vetus Romani Imp. *Bonum militem perdidisse &c.* in Condæum Poloniæ Coronam affectantem. 77. Bakovii de Polon. Regni constitutt. XV, 12. Polonorum de Moscorum regimine. XVII, 8.

Protestatio Palatinatus Bresensis & Inocoladislaviensis rejicitur, ut & Senatorum Poloniæ. I, 24 25. Brandenburgicorum Legatorum contra Cæsareorum cessionem. II, 62. 63. Eorundem contra Svecicos Legatos IV, 43. Brunsvicensium contra translationem Præsulatus Magdeburgensis & Halberstadiensis. III, 12. Fœderatorum contra pacem cum Gallo. XVI, 47. Colonienfis super Juliacensibus ditionibus. 96. It: contra Art: 28. Pacis Cæsar: Gall: XVII, 27. Legatorum qvomodo fiat? 82. Brandenburgici contra formulam Pac: Cæs: Gall: XVI, 94. It: Svecorum. 95. Lotharingi contra Gallum, ratione Metensis præsulatus. XVIII, 13.

Prumia Abbatia Trevirensi ademta à Gallis. XVIII, 37.

Q.

Quartiæ stipendia petunt Sveci. V, 66. à qvo tamen postulato desistunt. 68.

Quedlinburgi conventus. XI, 71.

Querela Regiminis Pomeraniæ de Invasione Cæsaris. VIII, 17. Polonorum contra Electorem IX, 9. *reliqua vide suis locis ad nomina Propria digesta.*

Querfurt præfectura, de ea acta? III, 16. XIX, 1. 53.

R.

Rabenhauptii insolentia. I, 47. 49.

Racbelius Gottorpiensis Ducis causam Ratisbonæ agit. XIX, 11.

Radzivili optant, ut Elector Coronâ Polonica potiatur. V, 17. Cum Paciis in Piastum eligendum consentiunt. X, 88. Cum Hoverbeqvio super actionibus adversus Radziviliam transigunt. XVIII, 29.

Radzivilius (Bogislaus) à Tartaris captivus ducitur, sed mox liberatur. VI, 48. Ad Gosiewium mittitur. 71. Plenarie iterum restituitur. vid. *Pactum Welavienſe.* 78. Mosco ab Electore commendatur. VII, 6.

Ragozius Russis & Arrianis Poloniæ Rex optatur. III, 27. Circa ejus conatus considerationes. VI, 50. 62. 64. Cosaci sub ipsius imperio vivere nolunt. ibid.

Ratenavia Sveci opprimuntur. XIII, 34.

Ratisbona à Brandenburgicis occupatur. IV, 25.

Ratisbona ibi Elector cum Cæsareis super induciis cum Svecis agit. I, 17. Amnestia à Cæsare promulgatur. 20. acta ibi super Pomerania. III, 65. 66. v. *Pomerania.* Cæsar Filium commendat ut in Regem Rom. eligatur. IV, 38. cum Fœderatis ibi super Fœdere Rhenano agitur. IX, 65 Bellum Belgis illatum haud ita vehementer movet animos. XI, 68. 69. Acta ibi contra Svecos. XIII, 15. 18 vid. *Fridericus Wilhelmus.* Super Pace ibi acta. XVI, 88. Pax Neomagensis ibi probatur. XVII, 39. de satisfactione sua ibi proponit Elector. XVIII, 8 & ratione Magdeburgici Ducatus proximum à Bavaro locum ibi occupat. 12. Galli ibi agunt de satisfactione, qvibus respondent Ordines. 15. 19. 20. Qvid ratione Reunionum ibi actum, vide sub titulo *Reuniones.* De Turcico periculo ibi proponitur à Cæsare. 62. Verjus scriptum de Induciis exhibet. 130. Propius ibi ad ictus acceditur Luxenburgo expugnato. 132. Absolvuntur. 133. Instrumentum de iis inter Cæsarem & Gallum conficitur. 134. Sveci Induciis resistunt. 136. Qvid ratione successionis in Palatinatum à Cæsare statutum? XIX, 15. De sparsis fractarum induciarum rumoribus Verjus ibi scripto qveritur. 29. Nomine Imperii literæ ad Gallum dantur. 33. Aurelianensi cautio ibi datur moram ei fraudi non fore. 34. acta ibi super declaratione Galli 51. De Religione ibi acta It: Super munitione reunitorum à Gallo locorum. 55. 57. 58.

Ravensberga Comitatus. Hunc subjicere conatur Luneburgicus. I, 47. Electori cedit ur. IX, 75. In eo barbarico-modo grassatur Monasterienſis. XI, 93.

Ravensteinum Dynastia cui competat? IX, 75.

Ravaulxius Gallo consilium suppeditat Germaniæ Cis-Rhenanæ consequendæ. XVIII, 14.

Rautenfelsius à Polono ad Electorem Brandenburgicum mittitur. V, 19. 20.

Rautensteinius à Neoburgico in Poloniam mittitur. VIII, 51.

Rebenacius Cellis super Neomagensi pace & restitutione Svecorum cum Pufendorfio laborat. XVII, 40. Cæsareorum & Anglicum fœdus Electori oblatum dissvadet. XVIII, 7. Ut & associationis tractatus; Fœdus contra cum Gallo. 44 Et Svecos invaden-

dendos svadet. 92. Ei displicet, Electoris propositum de mittendis Cæsari auxiliis. 94. 96. Svadet ut Luneburgenses invadat. 104. Pressiorem declarationem ab Electore petit ob renovatum cum Belgis fœdus. XIX, 9. 10. De circumscriptis factis qveritur. 19. Ejus augurium inane est de expeditione versus Budam. 26.

Reclingshusa ab Electore satisfactionis loco inter alia petitur. XIII, 40.

Recta traditur Electori. XII, 32.

Reformata Sacra Pace Sacra comprehenduntur. II, 29. 30. 69. *Reformatorum* persecutio in Gallia. XIX, 16. Electoris Edictum in eorum è Gallia profugorum favorem. 17. eoqve nomine cum Gallo expostulationes 18. vid. *Protestantes. Profugi.*

Reges non eo fine nati ut unice suæ voluptati liceat. XV, 60.

Regem Vandalorum exsurgere, Cæsari haud placere, Pauli Hocheri vox XV, 21.

Regelitza claustra à Brandenburgicis occupantur. XV, 18.

Regimentum Imperio haut proficuum Saxoni videtur. VII, 33.

Regiomontani sunt pertinaces. IX, 39. Qvare leniter tractandi. 47. Electori se submittunt. 50.

Regiomonte Tractatus Svecos inter & Brandenburgicos absolvitur. V, 70. 71. 72. 73. Sed Pactis Labiavensibus iterum abolentur. VI, 45. 46.

Reissenbergius. ejus cum Boineburgio offensa X, 79.

in *Reinsteinensem* S. Regensteinensem Comitatum actiones Brunsvicensium, & acta super eo ab Electore apud Cæsarem. III, 11. VII, 41. 63. 64. XI, 46.

Reius multa de candore suo testatur. VIII, 81. in Electorem iniqvus. 85. Astutus & malitiosus IX, 19.

Circa *Religionem* qvalem se in universum gesserit Elector dum viveret. XIX, 104.

de *Religione* in terris qvilibet suis qvomodo statuere possit mota occasione Edicti Belgarum de ejiciendis Monachis. XIX, 55.

Religio Catholica in Polonia dominans. XII, 78.

de *Religionum conciliatione* conatus Colloqvio Thorunensi II, 31. alibi. XIV, 20. qvi in conciliandis Romanensibus cum Protestantibus desudarunt, qvales pleriqve ex illis fuerint. XIV, 20.

Dissidentibus à Religione an jurata fides servanda, disputata. VIII, 73.

Religionum Libertas subdolo instituto Angliæ obtrusa à Jacobo II. XIX, 92. 93. 94. de qva judicium Arausionensis. 96.

de *Religione mutanda* ob honores regiam dignitatem &c. considerationes. IX, 14. XIV, 22.

Religionis nomen sæpe inanis color profanis cœptis. VI, 10. Svecis multum auctoritatis peperit. VII, 63. Gallo ad deliniendum Cæsarem adhibitum. XI, 50.

de *Religione propaganda aut vi propter religionem inferenda* disputata & dicta II, 19. 30. IV, 25. VI, 10. VII, 64. IX, 71. XI, 84. XIV, 20. XVI, 78. XVIII, 95. XIX, 1. Qvali vi obviam itur fœderis Sveco-Brand. articulis secretis. XIX. 18.

pro *Religione Protestantium* Intercessio Svecorum apud Cæsareos, VIII, 67. v. *Protestantes.*

de *Religione Reformata* paci sacræ diserris verbis includenda. II, 29. 30. 69. pro ea studium Electoris. VIII, 67. IX, 22. 71.

Religionis socios tueri ac recipere fas piumqve XIX, 18. 29.

Religio Una qvantis commodis conjuncta crepant Galli. XIX, 29.

Repressalia in Neoburgicum exercitæ. III, 25. Ab Electore in Hispanum XVIII, 10. 11. Qvid Instrumento induciarum de his cautum? 134.

Residens Cromvelli præ legato digniorem locum apud Belgas affectat. VIII, 3. super Residente Electoris regno facessere jusso disputata cum Polonis ex jure gentium. XV, 21. conf. VII, 54.

Rex Romanorum. IV, 40.

Reunionum commentum orbi obtrusum à Gallis. XVIII, 14. Francofurti & alibi super his acta. 33. §. 34. sq. 43. 46. seq: 47. 47. 48. 49. 50. Opera Francofurti luditur. 51. Ratispona circa illas acta. 52. 53. 54. 55. 56. 57 Galli replicam atqve Declarationem proponunt. 66. 67. Cæsarei Deductionem edunt. 68. Cui Galli scriptum opponunt. 69. Secreta horum destinata super reunionibus. 69. Ut ab his Gallus desistat Danus atqve Elector laborant. 74. Acta alia de his Ratisponæ. 88 89 103 104. Super his Electores consilia conferunt. 113. 114 Et fœdus ineunt. 115. Arausionensis sententia de his. 119. 4 in Instrumento induciarum de iis cauta? 134. Item in Fœdere inter Electorem & Ernestum Augustum inito. 135. Itidem qve inter Cæsarem & Electorem. XIX, 25. Cum Croissio sermones super his. 33. 49. super eo vocabulo inter Danos & Gottorpinum disputata. 78. 79.

Reunita Loca munitionibus cingit aut amplificat Gallus. XIX, 56. De qvibus Ratisponæ cum Gallis disceptatur. 57. 58. de Sacris in illis acta. 29 30.

Rhenanum fœdus vid. *Fœdus.*

Super *Rhenum* Transitu ab Electore acta. XI, 62. 63. 64. Cur inde Rhenum non transierit? 87.

Rhodius à Consultationibus publicis removetur. IX, 40. 43. Ejus conatus & ut captus fuerit ac Peizam deductus, ubi vitam finiit. 47. 48. 49.

Ribenitza occupatur. XIII. 56.

Ridder hielmus à Tartaris capitur. VI, 48.

Richelius omnia gallico dominatui obstantia dimovit ac Reformatos munimentis exuit. XIX, 16.

Riga Stralsundæ fatum timet, copiis Electoris post victoriam Borussicam in Livoniam penetrantibus. XVII, 6.

Risenburgi tractatio cum Svecis suscipitur V, 68.

Rochas Episcopus Hispanicus de connubio Friderici Principis electoralis dignitatis heredis cum vidua Poloniæ regina disserit. XIV, 19. De Saxonicorum Theologorum dictis in Catholicos qveritur, & de conciliandis relig. Rom. & Protestantium movet. 20.

Rorbovius Spandoæ præfectus in custodiam datur. I, 5. ejus ferocia. ibid.

De *Romanorum* actionibus præjudicii loco ratione Legatorum adductis considerata. VII, 60.

Rotgvillius hujus suppellectili creditorum petito manus injicit Magistratus Neomagensis. XVI, 20. Consilium dat Jacobo Regi Angliæ recens facto. XIX, 3.

Roschildense pallium vid. P.

Rosenbergius pacis Neomagensis instrumentum affert Cæsari. XVII, 35. Francofurti arma contra Gallum svadet. XVIII, 50. In electore qvantum momenti in eam rem situm sit disserit. 67.

Rucqvius, ejus in Hispaniam missi acta. XIV, 43. XVII. 43. Re infecta ex Hispania discedit. XVIII, 10. Ad Electores Rheni ablegatur. 34. 35. 36. 37. 38. item Francofurtum. 49. 50. 51. Dresdæ ipsi datur responsum. 79.

In *Rugenwaldam* actionem movet Polonus. II, 45.

In *Rugiam insulam* prætensio Abbatis Corvejani. II, 37. Svecis conceditur. III, 16. A Brandenburgicis occupatur. XVI, 60.

Rupertus Palatinus classi Anglicæ præficitur. XVI, 11.

Ruyterus Joannem Schackium cum Danicis copiis navibus recipit & in Fionia exponit. VIII, 34.

S.

S*Abaudus* ut inter Imperii Candidatos sese ferat Germaniæ ignominiosum visum. VII, 32. Cum Elect: conventionem init super Titulis & Cerimoniis. IX, 64. Cedit Electoribus. XIV, 58. Celsitudinis regiæ titulo mactatur. ibid. XVI, 52.

Jus circa *Sacra*. II, 30. Reformata sacra pace sacra comprehenduntur. II, 29. 30. 69. *Vide loca alia.*

Salvius de Pomeraniæ ad Sveciam oportunitate disserit. II, 33. De cedenda Pomerania ac Ghristinæ connubio ingerit. 48. De mittendo in Sveciam Legato consilium suggerit. 51. Reginæ Mandata ostendit Brandenburgicis. III. 8. Accepta pecunia in negotio super Minda facilior est Electoris petitis. 13. Ipsius de Sveciæ Cancellario judicium. 17. Pacis instrumento obscuritatem affectavit, ut alibi solitus fuit. 45.

Salvus conductus sanctissimum Juris Gentium caput. XII, 9

Salutationis in Tamesi ritus exemplis describitur. IX, 28.

Samlandiæ Episcopi titulus cui competat? XI, 101. XV, 14.

San-Geremine Galli nomine Electorem ad neutralitatem inducere studet. XI. 28. 19.

San-Germain ad Layam pax initur cum Svecis. XVII, 77. 78. 79. ejus instrumentum. 80.

San-Germani, Joannes Casimirus post abdicationem à Rege Reginaqve exceptus, Abbatiam intrat, reliqvum vitæ ibi transacturus. X, 89.

San-Gislenium à Gallis expugnatur. XV, 19.

Sanitzius Anclamum Electori opinione citius tradit. XIV, 47.

Santena pactum super prorogandis induciis inter Gallos & Brandenburgicos conficitur. XVII, 60.

Super *Satisfactione* Electoris acta. XVII, 45. 46. 48. 61. 67. sqq. XVIII, 8. Acta circa Gallicam satisfactionem Monasterii. 13. 15 19. *alia qværenda sub nominibus propriis qvo spectant.*

Saxo Elector, apud eum in reditu divertens Elector Brand. in *Unionem Electoralem* recipitur III, 14. Juliacensis controversiæ causa in Galliam & Belgium mittit leg. IV. 13. Joannes Georgius II. omnia consilia ad qvietem & favorem Austriacorum refert. VI, 48. ejus sententia de novo Cæsare eligendo. VII, 24. cum Electore *Lachtenburgi* super negotio electionis congreditur. 33. Austriacis impense favet. ibid. cum Electore *Zwa* congreditur, qvi eum à fœdere Gallico avertit. X. 35. *Potsdamum* venit, cum Electore super statu rerum consultaturus XI. 43. ad componendas lites super Regensteinensi Comitatu officium suum offert, misso Carolo Frisio Barone Werningerodam. 46. Ad eum mittitur Cansteinius consilium petiturus, num induciæ Electori cum Gallo amplectendæ 83. In conventu Lipsiam indicto Svecis favere videtur. XIII, 17. In Senatu Electorali pro Electore contra Svecos connititur. XIII, 39. Per Nicolaum Gerstorffium de pace cum Svecis Viennæ agit. 41. erga Electorem iniqvior. 57. Super hospitiis cum eo acta. XIV, 35, 56. ibi Ministri pleriqve salutaria patriæ consilia fovent. ibid. in ejus aula Henricus Frisius utilia publico consilia fovet. XV. 10. Circa hiberna apud eum iterum acta. ibid. Cum Bavaro & Palatino super promovenda pace cum Svecis sedulo consilia confert, instinctu qvorundam ministrorum. 32. Super satisfactione Electoris ex bello Svecico cum eo acta. XVI, 8. 82. XVII, 37. 39. Fœderis cum Bavaro formula XVII, 37. Ad eum Meindersius mittitur super arctiore ambarum domuum conjunctione. XVIII, 16. Finsterwaldæ inter eum & Electorem per Ministros Fœdus mutuæ defensionis perficitur. XVIII, 26. in arma Gallo opponenda, Meindersio, ad eum misso, se proniorem ostendit. 40. Corbusii per Ministros cum Electore consilia confert. 78. Pacem qvalem Gallus offerat, acceptandam non esse sentit. XVIII, 79. 81. Electorem misso Bosio hortatur ad pacem inter Boreales Reges servandam. 101. in causa Gottorpina cum aliis à Cæsare delegatus judex decernitur. XIX, 68. 69. 82.

Saxonica Domus Prætenſio in Juliacenſes ditiones. IV, 1. 5. Super ea clam juvanda contra Brandenb. Levini ab Ulm ſententia IV, 10. de ejus viribus idem differit. ibid. contra confirmationem pacti hereditarii cum Neoburg. ſuper Juliac. Provinc. proteſtatur. XVI 69.

Cum *Saxonicis* Legatis ſuper ſacris Reformatorum paci ſacra i ncludendis acta. II, 69.

Saxonia Inferioris Principes ad Polonum ſcribunt, ut Germaniæ Provincias incurſare deliſtat. VI, 41.

Scaſtorpii nobili Prætorio Carolus XI. cum Ulrica Eleonora nuptias celebrat. XVIII, 9.

Schafgotſchius Excellentiæ titulum Electoralibus Legatis denegat. X, 85.

Schapius Legatus Belgicus ſui nominis ingenio fertur. XII, 54.

Schenckianum Caſtellum à Gallis Electori traditur, & motus animorum in Belgio ſuper eo. XII, 31. Super eo Belgis cedendo oblata. XIV. 42. Belgis pleno dominii jure traditur. XVI. 99. Super eo cui maxime opportunum ſit diſceptatur. 97.

De *Schiſelbeina* Commenda Magiſtro Ord. reſtituenda. I. 42.

Schlezerus in Angliam ad Cromvellum mittitur. VI, 9. Acta ab eo. 10. 11. Propter æs alienum præter voluntatem El. contractum contumelioſe ibi habetur. VII, 8. Re non adeo bene geſta ad Svecos ſe confert. 68.

Slippenbachius à Sveco ad Electorem mittitur, & varios ſermones jactat. V, 2. qvi & non parum diſplicent Regi. 6 37. iterum Berolinum accedit. 44. Electorem ad bellum cum Polonis continuandum inani eloqventiæ conatu permovere ſtudet. VI, 66 67. 74. VII, 2. 3. Super pace cum Polonis tractanda, Berolinum venit. 5. 16. Acta ejus in eo argumento. 44. 56. 57. Ob promotam pacem honorarium ipſi promittitur. VIII, 79. Electori parum amicus fuit. IX, 31. ejus molimina. ib.

Schmettavius ad Danum & Hamburgenſes mittitur. XIX, 40. 42.

Schœnbornius Elector Moguntinus recens creatus, arma in Svecos diſſvadet. III, 22.

Schœningius [Joann. Adamus] tribunus Ukermundam aſſultu expugnat XIV, 45. Svecis è Borusſia profligatis inſtat, eosqve notabili pugna fugat. XVII, 6. Expeditioni in Hungariam verſus Budam præficitur XIX, 26. Ei iter longius extractum à Cæſareis objicitur. ibid. Donum Cæſari remittit. ibid. aliud accipit ab eodem Berolinum reverſus. *ibid in fi.*

Schomberginus copias à finibus Cliviæ retrahit. XVI. 42 Electoris miniſterio ſe interim addicit. XIX. 99. exſeqvendis in Angliam conatibus Princip. Arauſ. adſtiturus. ibid.

Schottus Legatus Saxonicus. ſuper eo admittendo Gallorum difficultates in conventu Francof XVIII, 31. qvæ ſtatim excuſſæ. ibid.

Schulenburgius [Guſtav. Adolfus] nomine El. poſſeſſionem regiminis Hallenſis capeſſit. XVIII, 12.

Schulenburgius [Wernerus] in Daniam miſſus frigidius excipitur. I. 54.

Schutzovia caſtellum ſolo æqvandum. I, 45.

Schutzius Brunſvicenſis Domus Legatis majorem dignationem qværit, in eam rem multa Cæſari offerens. XVI, 52.

Schwartzenbergius Comes [Adamus] penes eum ſumma conſiliorum in aula Georgii Wilhelmi & ejus artes ingeniumqve. I, 3. Cæſari nimium deditus. ib. nuntiata Electoris offenſa moritur. 4. Ejus filius in aulam Cæſaris profugit. 5, Ejus Conſilium circa Pomeraniam datum. 7 8 In Juliacenſi, &c. negotio Electorem graviter læſit. IV, 23. Mandata negligit, rem ſuam magis, qvam Principis ſui curans. 42.

Schwartzenbergius Comes junior, ejus importunitas. I, 5. Pro eo intercedit Cæſar. 30. Super ejus bonis temperamentum IV, 44. *reliqva de eo videnda locis in Indic. Perſon. indicatis.*

Schweinfurti Mœnum tranſit Elector. XII, 46.

Scotia Conſilium Regis voluntatem circa Religionum libertatem promiſcuam admittit. XIX, 92.

Scultetus in Moſcoviam ablegatur. XI, 109. XIII. 60. 61. Ad Majoris Poloniæ Ordines. XIV, 12. XVI, 68 in Poloniam. XIX, 61.

Selandia à Svecis invaditur. VII, 62. 63.

Senatoris fidi qvodnam in rebus dubiis munus. XVIII, 53.

Apud *Seneffam* cum Gallis cruento prælio certatum. XII, 45.

Sententiam dicendi in Senatu Principum libertas omnibus eadem XVIII, 55.

Servienus Svecos confirmavit Monaſterium ad pacem Legatus, ut totam Pomeraniam poſtularent. II, 50. *alia ejus vide in Ind. Perſon. locis expreſſis.*

Seqveſtres Gallos & Belgas admittere recuſant Sveci. II, 54. 55. 57. *reliqva vide ſub nominibus propriis.*

Sigiſmundus Polonia Rex Pomeraniæ Ducis à Carolo V. proſcripti defenſionem ſuſcepit. II, 45.

------ de Brandenburgica Domo, non ſolum Borusſia, ſed & Electorali dignitate exuenda cum Cæſare agit. V, 11.

Sigiſmundi III. ubi fiat mentio, notatum locis in Ind. Perſ.

De *Sileſia* regeſta Svecis ab Electore. II, 37. Portu Pillavienſi minoris habita Electoris Parenti. V, 6. Proteſtantium in ea religionem Cæſari commendat Elector. IV, 46. XVIII, 95.

In *Simmerenſem Ducatum* prætenſio Eliſabethæ Carolæ. XIX, 13. 15. Illius titulum aſſumit Aurelianenſis 34.

Sinclerus Tribunus Svecicus occumbit. VI, 39.

Sinzheimi Cæſarei & Saxones acri cum Gallis conflictu ceſſim ire coacti XII, 45.

Skeltonus de Jacobi conatibus circa religionem prudenter diſſerit. XIX, 3.

In *Slagenam* actionem movet Polonus. II, 45.

Circa *Sleſvicenſem Ducatum* cum Danis acta. XVIII, 71. 136. XIX, 66. 68 69. 73. 74. 77. 80

Smiqverus & *Jaſtramus*. illorum conatus Hamburgi. XIX, 22, 23. 24. 36.

Societas Indiæ Occidentalis in Belgio Navigationem Electoris in Guineam impugnat. XVIII, 32.

Somersetia Dux muneribus omnibus exuitur à Jacobo II. XIX, 86.

Somnicius [Bogislaus] Pomeraniam armis invadendam ſvadet. VIII, 20. Hafniam mittitur. 21.

Somnicius [Laurent. Chriſtoph.] ad Svecum ſuper reaſſumendis tractatibus mittitur. V, 64. 65. 66. 68. 69. 70. 71. 72. 73. Neomagi moritur. XVI, 7.

Sonneburgum arcem munit Stalhantſchius I, 32.

Sonneburgicam ditionem ut liceat in uſus ſeculares vertere, à Cæſare petit Elector. XIII, 40.

De *Sonneburgico Magiſterio* cogitata Sveci III, 30.

Southwellius Angli nomine, Electori fœdus offert. XVIII, 3.

Spanheimenſis Ducatus partem prætendit Eliſabetha Carola. XIX, 13. 43. Titulumqve aſſumit Aurelianenſis. 34.

Spanheimius in Galliam miſſus, qvæ ibi egerit propoſuerit ve? XVIII, 44. 74. 88. 92. 102. 104. 107. Ad novum Angliæ Regem ſe conferre jubetur XIX, 4. In Gallia qvæ ulterius ſuper fœdere Belgico, indiciis in pacem mutandis &c. egerit cum Gallis. XIX, 4 9. 11. 18. 19. 30. 32. 33 35. 47. 52. 60. 71.

Spanius, ab eo Monaſterienſes ſemel iterumqve malè mulctati. XI, 81. Nulli Cæſareo Duci ſe pariturum jactaſſe dicitur. XVII, 33. Inducis cum Gallo prorogandis operam navat. 60.

Sparrius [Otto Chriſtophorus] cum manu Montium Ducatui ſeie immittit. IV, 15. In tertiæ diei pugna ad Warſaviam ſingulari dexteritate ulus, ſtrenue ſe geſſit. VI, 39. Magdeburgum ad obſeqvium redigit. IX, 83.

Speckhanii Conſiliarii Svecici ædes à plebe expugnatæ ac direptæ. IX, 82.

Spinola Aqvisgranum, Mulhemum, Berchemum & alia loca occupat IV, 20. Xantenſem tranſactionem remoratur. 21.

Stabloenſis Prælulatus inter dependentias à Gallo refertur XVIII, 38.

Stalhantſchius Marchiam invadit. I. 6. Sileſiâ expultus per Croſnenſem Ducatum hiberna capit. 26. Sonneburgum arcem munit. 32.

Stapelholmenſe Caſtellum ſolo æqvandum. VII, 69.

Starenbergius [Joannes Reichardus] à Cæſare ad Electorem mittitur. V, 30.

Starenbergius Comes Viennæ ſtrenuè defenſæ præmia qvæ nactus à Cæſare. XVIII, 96.

Starenbergius Comes, ut ingruente periculo Philipsburgo mature proſpiciatur, Cæſarem implorat. XIX, 48.

Stargardiæ ſedes Pomeraniæ ulterioris collocanda. III, 8.

Statua Gallo erigitur ſuperba, de hac qverelæ & judicia. XIX, 35.

Statuum in Brunſvicenſi Domo, ut ſi in ea lites oriantur, reliqui ſe interponant. IX, 80. Lithuaniæ in Radziviliæ nuptiis jactatum. XVIII, 27. 28.

Steinburgenſe Caſtellum Electori ex conventione temporaria cum Danis tradendum. VII. 71.

Stemma Electoris. XIX, 101.

Stephani Palatini conſtitutione omnes filiæ ab hereditate ditionum excluduntur, qvæ objicitur prætenſioni Aurelianenſis. XIX, 15.

Sternbergii Legati Cæſarei blandis verbis concepta propoſitio ad demulcendum Electorem. XIV, 17. 18.

Stettinum ibi ſuper induciis incaſſum agitur. I, 13. Temporaria conventio de Induciis initur. 43. Hoc à Svecis ſubtracto, Marchiæ commercia mari ſecluduntur. II, 57. Congreſſus regundis finibus ibi inſtituitur. II. 49. 50. 51. 52. Ad finem perducitur. 58. Nova tractatio inter Svecum & Electorem ſuſcipitur. V, 42 44. Incaſſum de pace cum Svecis & Polonis agitur. 45 Super articulis fœderis diſceptatur. 46 47. 48. Obſidione cingitur qvæ mox ſolvitur. VIII, 29. Svecis multum intereſt ut retineant 69. Elector ei exercitum admovet & arctius eam includit. XIV, 48. Obſidet & dedi ione accipit honeſtis conditionibus XV, 18 De Stetino retinendo conſultationes & conatus. XII 40. XVI 31. XVII, 76. ægerrime tandem ceditur. ibid. & Pace San Germanica reſtituitur 80.

Sterinenſis Receſſus limitaneus. III, 58.

Stetini Novi à vidua Pom. Duc. ſibi relicti, ut ſi hereditatem adeat Elector ante tractationem limitaneam abſolutam, Sveci prohibent III, 46. In Præfecturam Novo-Stetinenſem irruptionem faciunt Poloni. VI 30.

Jac *Stewardus* Advocatus Arauſionenſis ſententiam circa Religionis libertatem per literas à Fagelio urget & exqvirit, cui hic ſatisfacit. XIX, 96.

In *Stolpam* actio Poloni II 45.

Stratemannus in Poloniam mittitur. X, 51. Scripto Electori neutralitatem ſvadet. XI, 22. De pace cum Gallis differit Neomagi. XVII. 14. Gallorum aſſerta de actis in pace Neom. falſi arguit. XVIII, 19. Pacem cum Gallis infidam fore, ac ideo ſvaderi ante nondum poſſe, differit, 50 Cæſarem à pace cum Gallo cum aliis avertere, Gallis arguitur. 104. de Galli potentia differit. 111.

Stralſunda obſidium, occupatio & elogium. XVI, 62. Pace San-Germanica hanc Svecis reſtituit Elector. XVII, 80.

Stralſundenſes Dani protectionem fruſtra implorant XIV. 37.

Stranchius [Ægidius] Cuſtrinum captivus ducitur. XIII, 59. Gninſcii de eo judicium. XIV, 5 Plebem Gedanenſem ad turbas incitavit. 6. Jam in cuſtodiam datus ſupplici libello acerbe in Electorem invehitur. XV. 12. Polonus pro illius liberatione laborat. 23. Iterum ex cuſtodia certis cautionibus adhibitis dimittitur. XVI, 66.

Streithorſtius pellitur & capitur. VIII. 10.

INDEX RERUM.

Burgundum, in hoc expugnando Brandenburgici strenue se gerunt. XVIII, 87.

Stutgardiæ inter Ducem & Legatum Gallicum super sacris Legatorum lis oritur, Legato inaudita sibi arrogante. XIX, 19.

Subscriptio nominis propria à Cæsare raro fit & magni imputatur. VI, 32.

Succini colligendi jus. V. 6.

Successionis spes ut Arausionēsi in Anglia intervertatur conato 9. XVIII, 93. XIX, 97. vid. *Pactū. & alia suis locis nonnumquam propriis notata.*

Suchim cum Exercitu per Marchiam in Pomeraniam tendit. VIII, 25. *Ejus* successus. 27. Rem male in Belgio gerit. XII, 51.

Svecia facies sub Corolo Gustavo. V, 9. post fata Caroli Gustavi. IX, 1. XI, 1. anno. 1672. 33. post Regem sui juris factum. XII. 57. 61. anno. 1680. XVIII, 9.

Svecia ærarium exhaustum. III, 47.

Svecia bellicosam alit gentem, sed pecuniæ inopia laborat. XVIII, 76. 91.

circa *Svecia insignia* cum Polon. disputata. V, 18. 19. v. *Insignia*.

de *Svecia* sermones Gallorum. XVIII, 76.

de *Svecia viribus* &c bellis varia in consultatione super conjunctione cum Svecis. VI, 15. 16. 17. 18. 19. & cum ab iis se iterum disjungeret Elector. VI, 67.

Svecs Norlingensi prælio debilitati vires iterū colligunt. I. 2. per Marchiam grassantur. 6. Pomeraniam affectant. 7. Elector hostilibus circa eos abstineri jubet. 8. Cur Marchiam invaserint? 12. Inducias cum Electore ineunt. 15. 16. Cur pacem cum imperio admittere recusent? 19. post Banerii mortem res eorum in ancipiti stant. 20. Marchiam militibus inundant. 26. Super moderando induciarum pacto cum iis acta. 27. 28. 29. 30. 32 33. 34. 35. 38. de reducendâ item Regina ex Dania 34. 36. 37. *Bona Ordinis Joannitici* sibi deposcunt. 30. eorum circa connubium Christinæ mens exploratur, 40. Super *induciis perficiundis* iterum cum iis acta. 42. 43. Temporaria conventio. 43. Nova cum illis *conventio* super Francofurto & Crosna restituendis. 46. apud eos acta circa bellum cum Danis componendū 54. 55. *In Holsatiam* irrumpunt. II, 12. contra *Danos* feliciter rem gerunt. 14. Super ceremoniis difficultates Osnabrugæ nectunt. 19. Pomeraniæ situs ipsis percommodus. 33. sua cupita initio dissimulant. 32. mox tamen ea apertius pandunt. 33. eis Galli favent. 34. mollius loquuntur. 35. aperte *Pomeraniam* deposcunt sibi. 38. 39. 42. Pomeraniæ Deputatos solicitant. 44 Cæsarei eis Citeriorem Pomeraniam promittunt. 46. Illorum ingenium. 48. 51. Sermones super hoc negotio componendo. 48. duriores se præbent. 51. 52. 54. Separati cum iis tractatus frustra qværuntur. 55. 59. 63. 64. 66. 67. cum iis super Pomerania tractatio ulterior III, 1. 2. 3. 6. ægrè tota Pomerania depelluntur. 7. eorum cupidini indulget Elector. 8. 9. conventa refingere conantur. 13. Qvid ita *pars acquisiverint*? 16. circa fœdus cum illis frustra movetur. 17. circa *executionem pacis* cum iis acta, & *circa restitutionem ac traditionem Pomeraniæ & Præfulatuum*. 29. 30. 32. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 45. 46. 61. Super *Limitibus* cum iis disceptatio. 45. 49. 50. 51. 52. 53. 58. super Vectigalibus. 54. 55. 56. 57. 60. Cum iis Ratisponæ certatur. 65. 66. Inter hos & Polonos exigua concordiæ spes IV, 36. cum eis circa Portus Borussiæ acta. V, 2. 5. 6. illis Elector est suspectus & vicissim, & utrinq; mentem explorare satagunt. 7. 8. de scopo illorum armorum. 9. 10. illorum fœdus num amplectendum? 12. de transitu illis in Poloniam concedendo. 13. cum eis Elector rem sibi integram servare studet. 36. eorum destinata magis erumpunt. 40. cum his tractatio Stetini. 41. seqq. qvæ reassumitur. 63. & absoluitur. 70 71. 72. 73. cum eis super illustratione Pactorum ..gitur. VI, 13. Conjunctionem cum Electore affectant. 14. cum eis tractatus suscipitur. 20. 21. 22. 23. 24. 25 *Fœdus Mariaburgicum*. 26. 27. 28. 29. Belgarum inter Svecos & Polonos consilia. 43. cum iis super abolendo pacto Regiomontano acta. 44 *Pacta Labiavienſia*. 45 46. inter Hos & Danos Elector pacem servare studet. 52. 55. 56. 57. Rebus eorum diffidere incipit Elector 62. & eos ad pacem hortatur. 65. hi tamen eum in partibus retinere student. 66. *Elector vestfuas paulatim ab iisdem sejungit*. 67. Multorum Principum odia in se concitant. 70. in Holsatiam irrumpunt. 72. Tractatus cum Polonis impedire student. 74. Cum iis super transactione cū Polonis disputata. VII, 1. 2. 3. 4. Media hieme Daniæ insulas invadunt. 43. ad Sveciæ Regem mittit Elector. 56. Legati inauditi discedunt. 57. 58. 59. 60. eorum destinata erumpunt. 62. *Friderici-udda expelluntur*. VIII, 10. *Damno & Wollino* ejiciuntur. 28, *Damgartam* deserunt ibid. *Stetinum & Greifswaldam* defendunt. 29. 30. sed *Demminum* amittunt. ibid. Eorum res per Daniam in deterius eunt. 33. in *Fronia profligantur*. 34. in Borussia sunt infelices. 36. ut & per Curlandiam. 37. super Pace *Olivensi* cum Polonis ab iis acta. 47 48. 49. 50. 51. 52. 53. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 68. 72. 73. 74. 75. 76. 77. cum *Danis*. 52. 65. 66. 67. Difficultates Electori circa investituram Viennæ movent. IX, 30. 31. Cum iis acta super *fœdere*. 67. 68. 69. illius Formula. 70. de dominio Maris Baltici & super demissione veli disceptatio. 68 69. illorum consilia explorare studet Elector. XI, 32. cum *Gallo Fœdus* ineunt. 35. Declarationem desuper Brandio dant. 37. eorum sententia de Electoris fœdere cum Belgis. 38. fœdus Gallicum Electori communicant. 39. Super tertiis partibus formandis in Coloniæ conventu agitant. XII, 5. 6. 7. 8. 10. 12. Furstenbergii abductione offenduntur. 9. *Fœdus* suum Electori offerunt. 13. 14. Quod coalescit. 19 20. 21. 22.

21. 22. 23. Electorem à Cæsare & Hispanis avertere student. 37. animorum inter eos habitus. 44. illorum inclinatio in Gallos magis elucescit. 53. 55. adhuc nutare videntur. 57. adhuc hostilitatem dissimulant 60. Electorem apud Belgas accusant. 61. de conatibus suis in Electorem indicant. 63. contra eos Elector auxilia circumspicit. 64. *de illorum irruptione Electori* significatur. 65. 66. in eos hostilia sumi vetat Elector. XIII, 4. bellum cum Belgis declinant. 8. circa bellum illis indicendum difficultates. 9. Belgæ eis bellum indicunt. 10. Cæsarei cunctantius. 11. Danum à bello avertere studeant. 26. 27. 28. in Marchia pro lubitu grassantur. 33. *Ratenavia opprimuntur.* 34. *ad Fehrbellinum profligantur.* 36. eorum machinationes Gedani & in Polonia. 58. 59. Illorum in Polonia machinationes contra Electorem. XIV, 3. 11. contra eos fœdus cum Dano 39. 40. *Wolgastum* frustra oppugnant. 45. Demminum amittunt. 48. in eos Mosci concitari non possunt. XV, 15. *Stetinum* amittunt. 19. cum iis super Lillihœkii importunitate acta. 25. 26. 27. 28. 29. illorum postulata Noviomagi, 44. qvibus respondetur. 53. 54. societatem Angli affectant. XVI, 4. eorum declaratio Noviomagi. 44. *Rugiam.* 60. *Stralsundam.* 62. & *Grypswaldam* amittunt. 63. naufragium faciunt. 64. eorum irruptionem è Livonia Elector avertere studet. 65. in *Borussiam irrumpunt.* 68. XVII, 1. eorum ibi progressus. 3. *vapulant* ibi. 5. 6. 7. Noviomag. insolentes se ostendunt. 5. cum eis *Cæsarea* pax. 28. cum Electore *Sangermanica.* 80. vid. *Pax.* circa ratificationem ejus cum illis acta. 84. cum *Dania* pax succedit tardius. 88. 89 90. Veteri armorum gloria exciderunt. XVIII, 1. circa Electoris naves æmulationes ostendunt. 10. cum Belgis fœdus incunt. 23. 24. Multum pecuniæ & militum parant. 90. Circa eos Electoris cura. 136. Cum illis amicitia instauratur. 20. fœdere icto. 27. 28. vid. *Carolus Gustavus, Carolus.* XI. in *eos* Gallorum animus. II, 56. VII, 67. eorum prætensa exspectativa in Novam Marchiam. III, 56. Svecici *Legati* Osnabrugæ dissentiunt. II, 66.

Sverinus Wolgasto de necessariis prospicit abunde. XIV, 45. 47. Castellum in Usedomo insula expugnat. 47.

Sverinus (Otto) ad tractandum cum Svecis Stetinum mittitur. V, 42. 43. 44. 45. 46. It: Super abolendo Regiomontano pacto ad Svecum. VI, 44. Ut & ad ineundam cum Polonis pacem. 51. It: ad Gosievium. 71. Iterum ad Svecum. VII, 56. Sed inauditus discedere cogitur. 57.

Sverinus junior in Angliam ire jubetur. XII, 36. Altera vice eò proficiscitur. XIII, 22. Ad Cæsarem mittitur. XVIII, 81. 82. 83. 84. 85. XIX, 1.

de *Suffragii* jure Ordinibus Imperii competente circa bellum & pacem mota. II, 3. 17. 26. 27. 30. de Jure suffragii Electori in Polonia competente. III, 27. VII, 5. XII, 80. XVIII, 30. in Polonia qvid in eo situm sit præ aliis regnis. *ibid.*

Svessionensis Princeps qvæ obtulerit, si Poloniæ Rex fiat? XII, 79.

Sveta congressus Legatorum Svec. & Brandenb. I, 45.

Suitgovia, qvomodo Gallo cessa? XVII, 13.

de voc: *Suverainitas & Suverainus* sensu disputatum in causa Gotto-pica cum Danis. XIX, 78. 79.

Swibussiensis Districtus Electori conceditur. XIX, 25.

Sylvius Ablegatus Anglicus Electorem ad triplex Fœdus invitat. XI, 3.

T.

Tacere In tempore qvanti sit, exemplo colligitur. XII, 80.

Taffus Sobiescii Uxori CM. uncialium offert. XII, 79.

Tartari. cum illis ad Warsaviam secundæ diei pugna acrior conflictus. VI, 38. eorum magna pars aqvâ suffocati, pereunt. ibid. repente ad Viennam prorumpunt. XVIII, 94. Viennensi pugnæ ex convento non interfunt. 96. A Brandenburgicis ad Caminiecam in castra ingruentes repelluntur. 137.

Tartarorum Hanus conjunctionem Brandenburgicorum cum Svecis dissvadet. VI, 30. Legatum ad El. mittit, cujus ferocia describitur. VIII, 18. Omnia dira minatur Polonis, si Moscum eligant Regem. X, 74. Legatum ad Electorem ablegat. XVII, 98. Cujus habitus describitur. *ibid.*

Tekelii commercium cum Gallo interceptis literis patuit. XVIII, 62. Cæsari reconciliari se optare Polonis in comitiis testatur 86. Ejus secretarius Gallorum commercium cum Turcis & Tekelio Viennæ aperit. 96.

Tellierius ab ingenio describitur. VII, 54.

Tempori se aptare & necessitati cedere subinde oportet. II, 34. 40. 41. 52. 56. III, 6.

Terlonius Læg. Gall. Sveco manciparus falsa spargit Hafniæ VIII, 33. XIII, 24.

Termalius, Monasterienſis Procancellarius ad Elect. venit. XIV, 28. Item Bremam. 33.

Test Jurisjurandi formula unde sic dicta. XIX, 86. ejq verba ibid. conf. XVI, 78. de ea abolenda conatus Jacobi 92 sq. & sententia Arausionensis per Fagelium expressa litteris. 96.

Tettenbachius [Joannes Erasmus] qvomodo Reinsteinensi Comitatu exciderit? XI, 46.

Teutonici Ordinis Magister super Gallorum reunionibus qveritur. XIX, 12.

Thornii Colloqvium instituitur, ejusqve acta. II, 31. Legati Svecici cum Brandenburgicis super reassumendis tractatibus conveniunt. V, 65. Alius Conventus ibi habetur. VIII, 45. 46.

Thuringus copiarum ex Augustano fœdere contrahendarum cum aliis Dux designatur. XIX, 31.

Tituli. super tit. *Excellentiæ* lites & qvæstiones II, 19. 24 25. 71. IV, 36. VII, 20. IX, 67. X, 85. XIV, 57. 58. 72. XVI, 52. 57. XVIII, 48 50. 51. super *titulis* Disceptata vel acta cum *Gallo.* II, 14. 17. 21. 22. *III*, 21. VI, 12. IX, 58. *cum Hispanis.* IX, 24. XIV, 43. XV, 11. cum Palatino & Ba-

varo ſuper Vicarii tit. VII, 21. 23. cum Lotharingo. XIV, 16. cum Svecis. III, 46. 48. V, 25. VII, 1. Alia, VII, 29. IX, 58. 86. X, 17. XV, 31. 33. 42. XVI, 51. 53. 54 57. XVIII, 33.
ſuper *titulo Pomeraniæ* mota. III, 1. 14. 16.
Titulus *Svecia* Polonis maximorum malorum cauſa. III, 27. eum dimittere non vult. Pol. R. V, 19.
Titulum *Juliacenſis* Cæſar dat Carolo Guſtavo. IV, 4.
Titulus Cromvello ab Electore datus. VI, 9. it. Hungariæ Regi. 40.
ſuper *Titulis* & ceremoniis cum Sabaudo conventio. IX, 47. vid. *Sabaudus.*
ſuper tit. *Lauenb. & Butov.* cum Polonis. X, 64 89.
Papa & ejus *Nuntio* Neom. qvalis dandi? XV, 39.
Tochtius à Belgis Bremam mittitur ſuper partiendâ Bremenſi provinciâ. XIV, 27.
Tonninga ſuper ea inter Danos & Gottorpinos mota. XIII, 42 XIV, 36. XIX, 62.
Torſtenſonius Belli ſedem in Cæſareis ditionibus firmat. II, 16. ei ſuccedit Wrangelius. 55.
Tractatus Weſtphalici nonnulla. II, 16. ſeqq. *Lubecenſis* IV, 36. v. *Pax, Pact. & ſuus locis cetera.*
Trajectum ad Moſam, antequam Sveci reſtituantur, reddere recuſat Gallus. XVI, 38.
Transactio Xantenſis. IV, 21. v. *Pactum.*
Tranſiſalania à Gallis occupata. XI, 54.
Tranſitus militum & exercituum. V, 13. 41, 52. VI, 45. VII, 17. 18. 57. 69. VIII, 36. XI, 80 in fi. XIX, 26. de munitione ad *Trarbacum.* XIX, 50. 57. 58.
Trautmanſtorfius, ſuper Pomeraniâ cum Svecis & Brandenb: ab eo acta. II, 40. 46. 50 48. III, 3.
Treffenfeldius ob rem ad Fehrbertinum fortiter geſtam, in ipſo campo ab El. nobilitatis inſignibus donatur. XIII, 36. ad Warſaviam remunerandæ fortitudini ſummus vigiliarum Præfectus declaratus. XVII, 5. 6.
Trevirenſis tranſitum Rheni denegat Electori XI, 62. A Gallo bello invaditur. XII, 21. 12. Ut reſtituatur iterum laborat El. 38. 39. 40. 42. 43. Ejus ſententia de Gallorum Reunionibus & prætenſionibus. XVIII, 37. Luvoiſii odium qvotidie ſentit. 119. Super Gallorum exactionibus qveritur. XIX, 11.
Trevirorum urbs à Luneburgicis expugnatur. XIII, 38.
Tribunal Appellationis in Boruſſiâ. V, 72. VI, 78. reunionum Briſaci & Met. à Gallo erigitur. XVIII, 14. eo omnes de jure ſibi ablato qverentes ablegat Gallus, ibid. 15. vid *Inducias-rum inſtrumentum* 134. *Eccleſiaſticum* à Jacobo II. in Anglia inſtitutum XIX, 89.
Tvittovienſis præfectura à Dano in Plœnenſem Ducem transfertur. XIX, 66. Diſceptationes circa eam. 71. 75.
Tvochſeſius Copiis Brandenburgicis in Poloniam miſſis præeſt. XVIII, 87. 137. Tartaros repellit. ibid.
Tullenſis Epiſcopatus vid. Pac. Neom. art. 19 XVII, 24
Tullenſis urbs pace Neom. deſtinatur Lotharingo. art. 17. XVII, 24.
Tumultus circa Veredarios Gedanenſes. IX. 8 In Principatu Arauſionenſi. 21. *alia vide locis congruis.*
Turca & Tartari apud Czernovvitzam & Lebencium magna ſtrage afficiuntur unde cum illis pax ſit, ſuper qva Ratisbonæ diſputata. IX, 78. multa incrementa virium aduerſus Chriſtianos ab antiqvo Galliæ debent. XI, 1. Inducias cum Cæſare prorogare nolunt. XVIII, 59. Jaurinum, Filleccam & multa alia à Cæſare poſcunt. 62. 94. ad Viennam ingruunt eamq; obſidione cingunt. 95. ad Viennam profligantur. 96. Budæ liberationem fruſtra tentant. XIX, 26. *Fœdera* cum Turcis habere & paciſci, adverſus Chriſtianos, à tempore Franciſci præjudicio per Luvoiſium defenditur. XI, 1. p. 736. recentia Gallorum cum iis Fœdera detecta. XVIII, 61. 62. 94. 96. vid. *Hungaria &c.*
Turennius, Flandriam totam brevi tempore ſe ſubacturum promittit. X, 55. Fœderatis hiscunctantibus ad invadendum, Cæſareis tempeſtive ſe ſubducit receptu, XI, 82. XII, 47. Eum de inſidiis cujusdâ ficarii advertit Elqvonomine multas gratias agit. XI, 83. Palatinatum invadit. XII, 30. Preuſcham apud Holzheimum per pontem tranſit & cum Luneb. &c. confligit, 46. denuo ingruit. 49. cæditur, Gallis duce Motecuculo magna cum ſtrage trans Rhenum pulſis. XIII, 38.

U.

Valentiana urbs expugnatur à Gallis. XV, 19.
Vaugvionus ad Electorem bis venit explorandæ ejus menti. XI, 51. 53.
Uckermunda aſſultu expugnatur per Schœningium Tribunum. XIV, 45.
Vectigal. Circa Pillavienſe vectigal difficultates. I, 23. III, 48. de vectigalibus Pomeraniæ cum Svecis acta. 54. 55. 56. 57. 58. 60. 62 de Vectigali per lacum Friſchhaf dictum? VI, 19. 45. 46. Acta de hoc cum Danis. 52. 53. 54. 55. de Vectigali in Viſtulâ. IX, 19. Super vectigali in portubus Ulterioris Pomeraniæ mota & diſpoſita pace San-Germana. XVII, 79. 80. v. *Gluckſtadium.*
Veldentinus ſuper Palatinatu controverſiam movet. XIX, 14.
de *Velis* ſubmittendis mores & mota. IX, 28. 68. XVI, 40. XVIII, 1. 11.
Venetæ à Gallis ad Candiam ſervandam auxilia accipiunt, ſed exiguo cum emolumento. XI, 1. in Creta num adeo notabilem fecerint jacturam? ibid. An in Negotio Neomagenſi admittendi? XIV, 64. de Præcedentia inter eos & Electores, Legatosqve adeo illorum. I, 53. II, 17. 23. IV, 36. 40. X, 85.
Circa *Verba* varia & clauſulas diſputata. II, 29. 30. 69. 30. III, 34. 49. IV, 5. XIV, 38. *Expectantiarum* verbi ſenſus. III. 56. *Dependentiarum.* XVIII. 15.
Verjus Galli deſtinata ad Electorem miſſus aperit. XI, 18. ſuper deſtinatis Electoris contra Gallos, ſibi denuntiatis, differit ac dimittitur amice. XII, 38. Acta ab eo Ratisbonæ ſuper Reunionũ negotio. XVIII, 15. 16. 19. 20. 33. 52. ſqq. De induciis proponit Ratisbonæ. 103. ſuper iis cum eo ſatagitur. 130. 133 134. Aurelianenſis in Palatinatum prætenſiones exponit, & contra Neoburgici poſſeſſionem proteſtatur. XIX. 13. de actis à Gallo contra inducias reſpondet. 19. 58. 81.

Vefalia Ibi conventus fraſtra inſtituitur. IV,19. A Spinola occupatur. 20. traditur Electori. XII,31 Gallo. VII,60. Gallico milite inſidetur. 79. 80.
Veſontinis de exſpoliato armamentario contra deditionis formulam, qverentibus, reſponſum datur à Lionnæo. X, 55.
per Veſontinum Parlamentum jus in Mumpelgardenſem Comitatum repertum Galli regerunt. XVIII, 14.
Circa *Vicariatum* litem Saxo Bavaro favet. VII, 24. v. *Palatinus*.
Victoria non ſemper à parte juſtiore ſtat. II, 61. A Svecis reportata. VIII, 34. Ab iisdem Mari per Danos, XV, 17. à Turcis ad Lebencium & S. Gothardi Fanum IX, 78. Boruſſica continuatur. XVII, 6. vid. *Prælium unde colligenda cetera*.
Vienna Pax Cæſareo-Gallica diſſimulatur. XVII, 22. de iſtâ pace ibi judicia 81. Ejus obſidium. XVIII, 94 Liberatio. 96. conf. *Cæſarea aula, Cæſar, Cæſares &c.*
Villa Hermoſa Dux fœdus inter Anglum & Belgas ſuper conditionibus pacis accepat. XVI, 7. 10. 29. 36. Auxilia ab Anglis petit. 11. In Inducias conſentit. 22. 70. ſuper ratihabitione pacis extracta qveritur, pacemqve ſeparatam excuſat. 94.
Villa Nova, Pſeudonymus qvidam, Turen ninm clam ferro vel veneno ſe interfecturum promittit. XI, 83.
Vilna miſerrime a Moſcis vaſtata. V, 62.
Virodunenſis Epiſcopatus. vid. *Metenſis Præf.*
circa *Viſitationes Legatorum* diſceptata vid. *ſubtit. Legatorũ, inter cerimonialia & v. cerimonia.*
Viſtula de illo inter Svecos & Polonos agitata. VI, 65. de jure Ducum Boruſſiæ in illo. IX, 13. 17. 18. De vectigali ibi. 19.
Vitrius Svecis in Marchiâ omnia dira ingerit. XIII, 33. è Poloniâ diſcedere jubetur. XVIII, 86. ejus conatus & ſuper reſignatis litteris qverelæ ibid.
Vladislaus Poloniæ Rex de Boruſſiæ inveſtiturâ cum El. agit. I, 21. Diem inveſtituræ deſignat. 24. Inveſtituram concedit El. 25. Sororem ſuam offert Electori in matrimonium, cum Chriſtina connubium impedire ſtudet. 41. Ad Thorunienſe Colloqvium invitat Boruſſiæ Theologos. II, 31. Electoris cauſam ſuſcipit & Legatos ad tractatus pacis mittit. 45. Abſolutum Poloniæ imperium affectat. ibid. De Svecorum apparatu Electorem monet. 71. Moritur. III, 26. circa ſucceſſorem ei eligendum acta. 27. ſq. v. *Joannes Caſimirus*.
Uckermo Vicecanc: Gottorpicus moritur. Ejus Elogium. XIX, 70.
Ulefeldius. ejus conatus in Daniam. IX, 6. 33.
Ulmius Viceancellarius Auſtriorum conſiderationes circa Juliacenſem controverſiam ſcripto proponit. IV, 10.
Ulrica Eleonora inter armorum ſtrepitus Carolo Sveciæ Regi deſponderur. XIII, 31 De iſto connubio Danicæ paci nil inſeri Rex pati vult, ultro tamen ſtatim id conſummari petit. XVII, 90. Nuptiæ ſuccedunt. XVIII, 9. ubi generoſæ caſtimoniæ ſpecimen ejus. ibid.
Ultrajectini paci cum Gallo renituntur. XVI, 34.
Ultrajectum cum aliis tractibus occupatur à Gallis. XI, 54.
Unio Electoralis. qvibus ritibus in eam Elector receptus III, 64.
- - - *Evangelica*. V, 11.
Unna per Monaſterienſes occupata. XI, 82.
Volmars conſilium in cauſa Pomer. II, 61 62.
Veſtemi pax inter Gallum & Electore n conficitur. XI, 94. 95. vid. *Pax*.
Votum Jo. Caſimiri B. Virgini factum. V, 30.
Urbes modica potentiorum protectione indigent. XVIII, 8. v. de ſingulis ſub nominibus ſuis, e.g. *Hamburgum, Bremæ &c.*
Urbici Ordines in Electorem iniqvi. III, 34. pro Hervordia laborant. ibid. & 65.
Uſedomum à Wrangelio invaditur captum. 200. Brandenburgicis. VIII, 29.

W.

Walckenriethum cœnobium Brunſvicenſes ſibi vindicant. III, 12.
Waldavius gratiâ Electoris excidit. I, 37.
Waldecca Comes, vid. *Georgius Fridericus*.
Cum *Wangelino* diſceptata. XII, 39 41. Captivus Peizam deducitur. XIII, 34. Ejus ſocordiam Sveci execrantur. 37. Iterum à Brand. captivus ducitur. XIV, 46. ac denuo dimiſſus non redit, & ideo ad judicii militare citatur. ib.
Warmia, ſuper hâc lites. V, 69. 70. Sveci inde milites ſuos deducunt. 71. Pactum ſuper Warmienſi Præſulatu. 72 73. Hujus illuſtratio. VI, 29. Iterum aboletur Pactis Labiavienſibus. 45. conf. *Pacta Welavienſia*.
Warnemunda ad Rekenitzam occupatur à Brandenb. VIII, 30.
De *Warnemundenſi telonio*, qvare pace Cæſareo-Svecicâ nil cautum? XVII, 29.
Ad *Warſaviam* trium dierum memorabile & acre prælium. VI. 37. 38 39. A Polonis deſeritur. 39. Convocatio ſuper firmanda pace indicta. VIII, 78. Acta ibi. 79. de aliis Comitiis v. *ſub voc. Polon. Joannes Caſimirus &c.*
Waſſelsheimum Argentoratenſis ditionis arx, à Goltzio occupatur. XII, 47.
Wedelius [Haſſo Adamus] Drahemum mittitur capeſſendæ poſſeſſionis cauſa. X, 61. ad Wrangelium XII, 65. Ad Polonos Maj. XIV, 37.
Weierus in Fionia capitur. VIII. 34.
Weimannus Pacta Brombergenſia Belgis indicat. VII. 7. Ad Svecum mittitur 56. ſed inauditus diſcedit. 57. Separatæ paci ſe opponit, additis ab Elect. literis. VIII. 3. Invectiva ejus contra pactum Hagenſe. 5. In Angliam mittitur. IX, 22. 23. Acta ibi. 24. 25. 26. 27.
Welavia ſuper ſumma rerum cum Polonis tranſigitur. VI, 77.
Welavienſia Pacta ineuntur. VI, 77. eorum inſtrumentum. 78. *Bydgoſtiana* à loco confirmationis dicuntur. 79. Bydgoſtiæ enim & Brombergæ confirmantur variis adjectis pactis. 77. 79. 80. 81. 82. 83. conf. VII, 50. v. *Pacta &c. Jo. Sobieſcius*.
Wellingius [Mauritius] Miniſter Svecicus Haſniæ magnâ cum vehementiâ in Electoris naves declamat. XVIII, 11.
Werbenſe Caſtellum diruitur. I, 10. Circa id diſputata. 15. 30. 35. 48.

INDEX RERUM.

Werningeroda de Comitatu Reinſteinenſi inter Elect: & Brunſviconſes tractatur. XI,46.

Weſenbecius Francofurtum ad conventum mittitur. II.1.2. Sententiam Electoris de componendis gravaminibus exponit. 9. 15. Senatui Principum Electoris cauſam contra Svecos commendat. 35. Ad conventum Noribergenſem mittitur. III,33. ſeqq.

Weſterburgum caſtrum Brunſvicenſes Halberſtad. Præſulatui decerpere ſtudent. III,12.

Weſterwycum opp. à Danis in cineres redigitur. XV,17.

Weſtphalia, Acta bellica ibi. XI,82. Exactiones Gallorum etiam pace perfecta non minori qvam antea aſperitate ibi continuantur. XVII,83.

Weſtphalica Pax. v. Monaſterium. Oſnabruga. Pax.

Wichartus Electoris in Polon. Reſidens inde exeſſe jubetur, ſuper qvo facto agitata. XV,21.

Wicquefortius [Abrahamus] à Gallo in Baſtiliæ cuſtodiam inde Calatum abducitur, & cur? VII,54.

Wierzbowski Abbas à Poloniæ Regina ad Electricem Brandenb. ablegatur. VI,69.70.

Wiesnovicius, [Michael] Rex eligitur à Polonis. X,88. Judicia de illâ elect. 89. Super recognitione Lauenburgi & Butoviæ Legatâ ad Electorem mittit. 100. A Procancellarii Poloniæ arbitrio pendet. 105. Coronâ indignus judicatur. 106. Moritur. 108. Cauſa mortis. XII,67. Ab ingenio deſcribitur. ibid. vid. *Michael P.R.* it. *Poloni*.

- - - - [Demetrius] cum Electore ſuper Draheimo tranſigit. X,64.

Wildenbrucam arcem ſibi poſcit Elector. III, 1. Redigitur in poteſtatem. XIII,55.

De *Wilafangiatu* lites. IX,81.

Wilhelmus Juliaci Dux cum Carolo V. Imperatore bellum gerere auſus. IV,19.

Wilhelmus Arauſionenſis. vid. A.

Williamſonus Electori & Proteſtantibus adverſus, ab ingenio deſcribitur. XV,32. In turrim conjicitur, & qvare? XVI,78.

Windiſchgracius [Amadeus] ad Gallum mittitur. XI.12. Bremam ablegatur XIV, 14.33. Inducias cum Gallo ſua induſtria promovet. XVIII,133. vid. *Ind. Perf.*

Winnenthalia Dynaſtia Neoburgico relinqvitur tranſactione hereditaria. IX,74.

Winsheimi Fœdus Auſtriaco-Brandenburgicum confirmatum. VII,20.

Wiſmaria pulcherrimus portus. II,61. Deditione capitur per Danos. XIII, 56.

Wittgenſteinius Comes [Chriſt. Ludov.] ad confirmandum Danum Hafn. mittitur. VIII,15.

Witgenſteinius Comes [Joannes] Oſnabrugam cum mandatis mittitur. II,17.18.19. Ut & Monaſterium. 20. Inter Lutheranos ac Reformatos temperamentum ingerit. 30. Pro Pomerania Electori retinenda laborat. 33. 34. 40. ſqq. Ad Carolum Guſtavum mittitur. III,32. *vid. Ind. Perf.*

Wittenbergius tranſitu per Marchiæ partem ibi hoſtilem in modũ graſſatur. II,49 51 In majorem Poloniam tendere juſſus, tranſitum per El. ditiones in Poloniam petit. V,40.4

Wittii proditionis arguuntur. XI,54. Hagæ a efferatis civibus trucidati. 57.

Wittius [Cornelius] velut de Anglia triumphantem ſe pingi curavit. XI,12. conf. 57.

Wittius [Joannes] autor Pacti Hagenſis præcipuus, illud excuſat. VIII,4.7. Blandis verbis El. indignationem ſuper pacto Hag. mulcet. 8. de eo qveritur Weimannus. 9. Arauſionenſis dignitati adverſæ factionis caput. X,1. Vires Reip. in manibus ſuis eſſe cupit. 38. Omnes Electoris actiones ſiniſtre interpretatur. XI,14. Qvam infenſo in Arauſionenſem fuerit animo. 55.

Wittorfius Brunſvicenſium Duc. Ablegatus, Brandio Leg. El. ſecundar. loco cedere abnuit. XVI.57

In *Wolaviam* prætenſio El exſtingvitur. XIX,25.

Wolfsbergius à Sveco ad Elect. miſſus. V,37.38.

Wolgaſtum, in ea urbe qvantum ſitum commerciis Marchiæ. II.57. A Brandenburgicis expugnatur. XIII,56. Fruſtra à Svecis tentatur. XIV, 45.

Wollinum à Cæſareis occupatur vi. VIII, 28. A Brandenburgicis expugnatur. XIII, 55. De Wollino retinendo ap. Gallos acta. XVII, 76. ſed fruſtra. 78.

Wrangelii frater tyrannicè in Marchiâ Brandenburgicâ graſſatur. XIII, 33.

Wrangelius [Carolus Guſt.] cum valida manu Stralſundam appellit, & Uſedomum inſulâ invadit. VIII.29. In prælio ad Warſaviam qvomodo ſe geſſerit. VI,37.39. ejus intentio exploratur qvam frigidius inſinuat. XII, 65. Vetat hoſtilia ſtatim in Electorales patrari. XIII,4. Ad Anhaltinum ſcribit. 5. atrocia ſuorum patrata ipſe deteſtatur per literas ad fratrem. 33. Ut in bellum erumperetur in Pomerania unus omnium maximè optavit. XII, 57. cum Gardio. 61.

Wreickius ad Goſievium ablegatur. VI,68. Hafniam fœderis ſanciendi gratia. VII,9. it. ad Cæſarem. VIII, 31.32.

Wulfius deditionem urbis Stetin. offert. XV,18.

Wurtenbergicus Adminiſtrator Juvignii importunitatem intuitu ſacrorum Gallo atqve Electori indicat. XIX,19.

Wurzius Dœmitzam intercipere conatur, inde in Borusſiam vertit. VIII,16. Vigilantis & ſtrenui Ducis officio fungitur, ac Stetinum contra Cæſareos defendit. 29. In Borusſiam cum copiis contractis tendit. 36.

X.

Xantenum occupat Spinola. IV,10. Tranſactio ibi conficitur; illius capita. 21.

Z.

Zawadzkius ſcriptum contra Electorem publicat, qvod crematur igne. XIV,3.

Zelandia pactioni cum Gallo ſe opponit. XI,55.

Zelenziga induciæ ineuntur inter Polonos & Brandenburgicos. VI,48.

Zinna Saxo & Brandenb. conveniunt. X,35.

Zollerannum titulum aſſumit Elector. XVIII,118.

Zoſſenam arcem Schwarzenbergio munivit. I,6.

Bayerische Staatsbibliothek München

Digitized b

Digitized by

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google